PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CXII.

B. RABANI MAURI

TOMUS SEXTUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE.

1852

Digitized by Google

C 5501



1875, March 22.
Bequest of
James Walker, D.D., LL.D.
(H.U. 1814.)
President of Harv. Univ.

7284
41-136
1-59

Digitized by Google

SÆCULUM IX.

B. RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

OPERA OMNIA

JUXTA EDITIONEM GEORGII COLVENERII ANNO 1617 COLONIÆ AGRIPPINÆ DATAM, MENDIS QUIBUS SCATEBAT INNUMERIS CURA QUA PAR ERAT EXPURGATAM, NOVISSIME AD PRELUM REVOCATA ET NOVO ORDINE, CHRONOLOGICO SCILICET, DIGESTA;

VARIIS PRÆTEREA MONUMENTIS

QUÆ SUPPEDITARUNT

MABILLONII, MARTENII ET DACHERII COLLECTIONES MEMORATISSIMÆ,

AUCTA ET ILLUSTRATA.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,
BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,
SIVE
CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS SEXTUS.

VENEUNT 6 VOLUMINA 42 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1852

Digitized by Google

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC TOMO CXII CONTINENTUR.

Expositio in epistolam I ad Corinthios.	*Col.*	9
— in epistolam II ad Corinthios.		159
— in epistolam ad Galatas.		295
— in epistolam ad Ephesios.		381
— in epistolam ad Philipp.		478
— in epistolam ad Colossenses.		507
— in epistolam I ad Thess.		539
— in epistolam II ad Thess.		565
— in epistolam I ad Timotheum.		580
— in epistolam II ad Timotheum.		635
— in epistolam ad Titum.		653
— in epistolam ad Philemonem.		693
— in epistolam ad Hebræos.		711
Appendix.		833
Allegoriæ in sacram Scripturam.		849
Commentaria in cantica quædam.		1089
Liber de sacris ordinibus.		1165
De ecclesiastica disciplina.		1191
De videndo Deum, de puritate cordis et modo pœnitentiæ.		1282
De quæstionibus canonum pœnitentialium.		1333
Pœnitentium liber.		1397
De Vita B. Mariæ Magdalenæ et sororis ejus S. Marthæ.		1431
Rabani epistolæ.		1507
Glossæ Latino-Barbaricæ de partibus humani corporis.		1575
De inventione linguarum.		1579
Fragmentum glossarii Latino-Theotisci.		1583
Rabani Carmina cum glossis Christophori Browerii.		*Ibid.*
Dubia et spuria.		1675
Index rerum et verborum locupletissimus.		

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

ENARRATIONUM

IN

EPISTOLAS BEATI PAULI

LIBER NONUS.

EXPOSITIO IN EPISTOLAM AD CORINTHIOS PRIMAM.

ARGUMENTUM.

(*Hier.*) Corinthii sunt Achivi, et hi similiter ab apostolis audiverunt verbum veritatis, et subversi multifarie a falsis apostolis, quidam a philosophiæ verbosa eloquentia in [illegible] A altera causa est : hic vero Apostolum se esse Christi Jesu Dei voluntate scribit, quia omnia quæ egit, Filii Dei egit voluntate, qui dixit ad eum : *Vade, ego longe ad gentes mittam te* (*Act.* XXII). Hinc voca- voluntate missus ad iam illos quos neque n erat quod docebant. frequenter nominat, i Patrem ostendat, sed sse et Deum Patrem, Filium dici. Aliam si- aliam significationem Jesus Christus Salva- rium nomen est. Illi, nine appellatur, quo- m, sic tanquam pro- ; Christus autem sa- o si dicatur propheta, : sic Christus com- edemptio totius populi oluntate Dei vocatus suo arbitrio credidit, um : *Non fui incredulus cœlesti visioni* (*Act.* XXVI). (*Ambr.*) Multæ enim sectæ emerserant, quæ Evangelium Christi pro sensus sui arbitrio asserebant, ex quibus rami aridi exstant nunc usque, quarum assertores ecclesias evertebant. Hinc Apostolus omnia quæ hæresibus contraria sunt, ponit, ac se verum prædicatorem, per id quod a Christo Dei voluntate missus est, asse- C verat. *Et Sosthenes frater.* Etiam istum sua commendat societate. (MAUR.) *Frater*, inquit, non apostolus : hunc autem idcirco secum scribentem inducit, quia ex ipsis doctor erat, et pro his valde sollicitus.

Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi sanctificatis in Christo Jesu. (*Ambr.*) Propterea Ecclesiæ scribit, quia adhuc singulis ecclesiis rectores non erant constituti. Et cum in multis arguat eos, ait, *sanctificatis in Christo Jesu.* Sed ideo quia regenerati in Christo sanctificati sunt : post autem cœperant male conversari, ut ostenderet omnem Ecclesiam sanctificatam fuisse in Christo : sed quosdam illorum prava doctrina pseudoapostolorum eversos a traditione

[illegible] Quarta propter fornicatorem, quem inter se esse patiebantur. Quinta ut commoneret de præterita Epistola, quam ante hanc quæ prima dicitur scripserat. Sexta quia invicem sibi injurias et fraudes facere cœperant, et infidelium potius examina requirebant. Septima causa est, in qua designat licere sibi sumptus accipere, sed contemnere, ne forma esset rapacibus pseudoapostolis. Octava vero est, ut respondeat epistolæ illorum : perturbari enim cœperant ab hæreticis de matrimoniis. Nona est, in qua declarat sic debere manere unumquemque ut credidit. Decima autem de virginibus, eo quod nihil sit sibi præceptum, et reliquæ sunt quæ in corpore videbuntur.

CAPUT PRIMUM.

Laudat Corinthios Apostolus, ad concordiam exhortatur illos qui dicunt se baptizatos a diversis : et quod Deus stultam fecerit sapientiam hujus mundi

Paulus vocatus apostolus Christi Jesu per voluntatem Dei. (*Ambr.*) Ad Romanos aliter cœpit, quia

Digitized by Google

veritatis. *Vocatis sanctis.* (*Aug.*) Hoc est vocati estis ut sancti sitis, quod est, ut non recedatis a regula sanctificationis. Invocat te, Domine, fides mea, quam dedisti mihi, quam inspirasti mihi per humanitatem Filii tui, per ministerium prædicatoris tui, et quomodo invocabo Deum meum, Deum et Dominum meum? quoniam utique in meipsum eum vocabo cum invocabo eum. *Cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco ipsorum et nostro.* Sacerdotum est invocare Deum quibus dicitur: *Sic benedicetis filios Israel invocantes nomen meum super illos* (*Num.* VI); et Psalmista dicit: *Et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus* (*Psal.* XCVIII), quem sacerdotem fuisse illa res probat, quia et sacerdoti successit, et hostias offerebat, de quo etiam secundum historiam dictum est: *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem* (*I Reg.* II), qui quamvis non sit ex genere Aaron, tamen de tribu Levi esse in Paralipomenon legitur, quia ipse hunc constituit, qui et illum. Ita enim Aaron elegit, ut alios postea eligendi non amiserit potestatem. *In omni loco ipsorum et nostro*, quia sacerdotes et suo et apostolorum loco funguntur, propter quod ecclesiarum etiam apostoli nominantur. (*Ambr.*) Aliter in memorata sententia, qua dicit *cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum, et nostro.* Cum Judæis vero jungit et gentes, *quia salus ex Judæis est* (*Joan.* IV), ut in omni loco ubi gentes quæ invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, et ubi Judæi supra memorati sunt, similiter sint omnes unum. Pseudoapostoli enim qui nomen Christi per prudentiam mundi prædicabant, id est, admista philosophia veterem legem et prophetas reprobabant, negabant enim Christum vere crucifixum, sed tantum visum crucifigi, sicut Marcion et Manichæus. Unde Apostolus: *Nos autem*, inquit, *prædicamus Christum crucifixum.* Neque carnis resurrectionem fatebantur quod propheta Isaias clamat, dicens: *Qui in monumentis sunt non resurgent* (*Isa.* XXVI).

Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Christo Jesu Domino nostro. Cæterum, quia dixerat, *qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi*, ne Patris aut nomen, aut donum tacuisse videretur, et suspicionem forte aut occasionem daret unionis, docet Christum quidem rite invocandum, sed omnem gratiam esse patris, ut et duos qui in unum sunt per divinitatem ostenderet, et Patris auctoritatem præferret. *Gratias ago Deo meo semper pro vobis.* Quanquam omnibus in Ecclesia scribat, sed ita significat cum aliquando corripit, aliquando laudat, ut unusquisque cum epistola legitur, intelligat quid pro se, quid adversum se dicatur; in una enim plebe duobus populis scribit, ut cum arguit qui male versantur, sciant sibi hæc scripta: similiter et cum laudat, sciat qui in regula manet ad se hæc dici. Ideoque *gratias ago*, inquit, *Deo meo semper pro vobis super gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu.* Quæ gratia sic data est in Christo Jesu, quia hoc constitutum est a Deo ut qui credit in Christum salvus sit sine opere, sola fide, in qua gratis accipit remissionem peccatorum. *Quia in omnibus ditati estis in ipso, in omni verbo et in omni scientia.* (*Ambr.*) Hoc significat quia in accepta gratia et verbo veritatis doctrinæ, scientiam spiritalem assecuti permanserunt. Ideo gratias agit in his Deo: primum solito more laudando provocat ad profectum, et dicit se quidem gaudere de eorum scientia, sed scire illos debere quia vera sapientia non inflatur, neque dissentit, quoniam in omnibus divites facti erant in illo, in omnibus virtutibus per sapientiam quæ amicos Dei et prophetas constituit, in omni scilicet verbo et in omni sapientia, id est, tam Novi quam Veteris Testamenti. *Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis.* (MAUR.) Testimonium quo ait: *Omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera* (*Matth.* XIII).

Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia. Unde ait Salomon: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* (*Sap.* VII), id est cum sapientia. (*Ambr.*) Testimonium Christi confirmatum est in his, quia roborati in fide, nihil de hominibus sperabant, sed omnis spes illorum in Christo erat, nullis voluptatis illecebris capti. *Exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi.* (MAUR.) Ille vero exspectat adventum Christi, qui omnibus præparatus est; revelatio autem dicitur Domini adventus, quia modo a nobis absconditus est. (*Ambr.*) Manifestum est hunc exspectare diem judicii, qui circumspectus sollicitus est: futurum judicium Dei, in quo Dominus noster revelabitur tam fidis quam infidis, ut cognoscant increduli ac sciant verum esse, quod credere noluerunt et pereant; fidi vero gaudeant plus boni invenientes quam putaverant.

Qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine in die adventus Domini nostri Jesu Christi. (MAUR.) Per doctrinam, sicut ait beatus David: *Confirma me in verbis tuis* (*Psal.* CXVIII); et iterum: *Pax multa diligentibus nomen tuum, et non est in illis scandalum* (*Ibid.*). (*Ambr.*) Alacri animo confisus de spe illorum securus est, quia inviolati usque ad futurum judicium erunt: qui enim inter tot discrimina sensuum et perturbationes diversitatum immutari minime potuerunt, procul dubio in eodem mansuros se ostendunt. Cum hos laudat, illos qui errore pseudoapostolorum depravati fuerant invitat: dum horum enim fidem prædicat, illos ad pœnitentiam provocat. *Qui et confirmabit*, inquit, *vos usque in finem sine crimine in adventum Domini.* (*Greg.*) In Epistola Joannis ita scriptum est: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). Cum seductio est existimare esse sine peccato, quomodo confirmamur a Domino sine crimine in adventum ejus, maxime cum etiam infans unius diei non potest esse sine peccato? Nunquid ergo et crimen peccatum est sine quo quis conformatus a Domino fieri potest? Sciendum pro-

Digitized by Google

fecto nobis est quia non omne peccatum crimen est, attamen omne crimen peccatum est : sicut omnis impius et peccator est, non autem omnis peccator impius. Minima ergo et maxima peccata dicuntur ; crimina autem nisi magna minime leguntur : quia nimirum vita humana Deo confirmante potest esse sine crimine, sine peccato nullatenus potest nec uno die. *Fidelis autem Deus per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri.* (Maur.) Fidelis Deus qui confirmavit, quia vos in societatem filii ejus vocavit, quam societatem Joannes exponit dicens : *Quoniam Deus lux est et tenebræ in eo non sunt ullæ : si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur* (*I Joan.* I) ; et Paulus ait : *Si commortui sumus, et convivemus : si sustinemus, et conregnabimus* (*II Tim.* II). Hic locus contra Arianos facit, qui in hoc minorem esse Filium volunt, quo per ipsum omnia facta referuntur, cum hoc etiam in Patrem cadat, per quem in societatem filii ejus credentes vocati dicuntur. (*Ambr.*) Quis ambigat de promissis et fide Dei, quia non erit aliter quam dixit, filios adoptatos nos sibi credentes in Christum ? hoc enim nos donat, quod credimus, ut quia credimus Christum Filium esse Dei, hoc nos esse incipiamus, mansuri in eadem dignitate sicut manet Christus, quem credimus Filium Dei : societas enim fraternitas est, ut quomodo fidem Dei incolumem in hac causa nobis futuram ostendit, ita nos non sed diffidentes et perfidi inveniamur, perseverantes in adoptionem.

Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut ipsum dicatis omnes. Nunc orat ut unum sentiant, hoc utique in quo renati Dei filii appellati sunt: Ad omnem enim modo Ecclesiam loquitur, ut hi qui dissentire cœperant, reverterentur ad cœptam fidem, quam videbant in his laudari, qui in illa perseverabant. *Et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem scientia.* Perfectos vult eos esse in eodem sensu, quem illis tradiderat, ut non discreparent. Ad aliorum enim exemplum quos supra laudat hos provocat, ut hoc sentiant ac defendant; schismata semper ex contentione nascuntur. *Perlatum est enim mihi de vobis, fratres, ab his qui sunt Chloes quod contentiones sint inter vos.* (*Greg.*) Ecce quos in omni verbo et in omni scientia laudaverat, quibus nihil deesse in ulla gratia dixerat, paulisper loquens, ad increpandum leniter veniens, divisos erga seipsos reprehendit, et quorum prius salutem narraverat, postmodum vulnera patefacit. Peritus enim medicus vulnus secandum videns, sed ægrum timidum esse conspiciens, diu palpavit, et subito percussit. Prius enim blandam manum laudis posuit, postmodum ferrum increpationis fixit. Nisi enim verecundæ mentes fuerint palpando reprehensæ, ita ut ex aliis rebus audiant, quod in consolationem sumant, per increpationem protinus ad desperationem cadunt. Sed nunquid mentitus est Paulus, ut prius eis nil deesse in omni gratia diceret, quibus postmodum dicturus erat unitatem deesse ? Absit hoc ; quis de illo talia vel desipiens credat ; sed quia erant inter Corinthios quidam omni gratia repleti, et erant quidam in personarum favoribus excissi, cœpit a laudibus perfectorum, ut modesta invectione ad reprehensionem pertingeret infirmorum. (*Ambr.*) Quamvis eversi fuerant, tamen fratres illos appellat. Sicut et in Isaia propheta dicit Deus ad illos, qui secum erant, ut eis, qui pseudoprophetis credebant, dicerent, *fratres nostri eritis vos*, ut per id non dissentirent ab eis quasi fratres. Quod autem dicit, *ab his qui sunt Chloes*, aliquibus videntur homines esse manentes et fructificantes in fide Dei, aliquibus videntur locus esse, ut puta si dicatur, Ab his qui sunt Antiochiæ, aliquibus autem videtur fuisse feminam Deo devotam, cum qua multi essent colentes Deum, quibus fides non negaretur, ut quod deferrent de Corinthiis verum esset, quod contentiones essent inter eos. Contentiones inter eos esse dixit, ut ostenderet diversitatem mentis illorum de disciplina Dominica. (Maur.) Quæritur quomodo Apostolus crediderit aliquid de absentibus, cum scriptum sit : *Non credas auditui vano ;* et iterum : *Quæ viderint oculi tui loquere*, etc. (*Prov.* XXV). Sed hanc gratiam habebat, ut nosset absens quid de singulis ecclesiis ageretur, sicut dicit ad Colossenses : *Ut si corpore absens sum, sed spiritu præsens, gaudens et videns ordinationem vestram*, et reliqua (*Col.* II). Quia ergo sciebat Corinthios ita agere ut audiebat, non credidit sine causa quasi de absentibus, quorum conversationem in spiritu probabat.

Dico autem hoc quod unusquisque vestrum dicit. Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo : ego vero Cephæ, ego autem Christi. (*Ambr.*) Errorem ostendit, sed auctorum nomina non prodidit : nec enim in loco stabant, sed circumibant ad eversionem simplicium. Nam hos quos nominat sine dubio boni erant doctores, sed sub horum specie falsos apostolos tangit : si enim in his gloriandum negat, quanto magis in malis doctoribus quorum doctrinam pravam in subjectis significat. Inter eos tamen hos perseverantes designat, qui dicebant se Christi esse, non hominis, quos superius laudat. *Divisus est Christus ?* Dividitur corpus cum membra dissentiunt, divisum dixit Christum, quia gloriam ejus homines sibi partiti sunt ; sicut hæretici qui se aut Photinianos, aut Arianos, aut Cataphrygas, aut Novatianos, aut Donatianos, aut Manichæos vocari non norrent. Ita et Corinthii diversorum hæreticorum nominibus subjici cœperant, ut viderentur loco Christi homines venerari, qui dum diversa de Christo accipiunt, dividunt Christum. Unus enim hominem tantum accipit Christum ; alter Deum purum sine corpore fatetur; alius dicit per prophetas prædictum Christum ; alter negat prophetas de Christo locutos. Cum ergo Christus unus sit Deus et homo, isti sibi aliud, aliique aliud ei vindicantes, dividunt Christum, et quia sub nomine suo ecclesias faciunt multas, adjecit :

Digitized by Google

Nunquid Paulus crucifixus est pro nobis? Ideo a se cœpit, ne forte putaretur aliorum ideo refutare personas ut suam commendaret. Si enim Christus pro nobis, inquit, mortuus est, quomodo gratiam ejus et beneficium hominibus imputamus ad ejus injuriam? *In nomine Pauli baptizati estis?* Si credentes hoc, inquit, in Christum baptizamur, ut in nomine ejus justificemur, quid est ut fidei hujus homines nobis auctores faciamus, immemores cœptæ credulitatis? (*Aug.*) Nam dividentibus sibi Ecclesiam et partes facere de unitate conantibus parturiens parvulos mater charitas in Apostolo exponit viscera sua, conscindit quodammodo verbis ubera sua, plorat filios, quos videt efferri, revocat ad unum nomen eos qui multa nomina sibi facere volebant, repellit ab amore suo, ut Christus ametur, et dicit: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* quid dicit, nolo mei sitis, ut mecum sitis, mecum estote: omnes illius sumus, qui pro nobis mortuus, qui pro nobis crucifixus est.

Gratias ago Deo quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Gaium, ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. Baptizavi autem et Stephanæ domum; cæterum nescio si quem alium baptizavi. (*Ambr.*) Gratias agit Deo quia non multos ex his baptizavit, ne qui error sub hac re cœperat, ex nomine ejus esset in plurimis, per hoc arguit arguendos, et baptizantes et baptizatos, qui ad injuriam Salvatoris baptismatis ejus gratiam hominibus deputabant, illis dissimulantibus gloriæ causa. Si enim erant sicut nunc Novatiani et Donatiani, qui baptismum sibi vindicant, a nostris baptizatos reprobantes, et baptizati ab his gloriantur in personis illorum. Denique a Christi nomine abdicati, Novatianos et Donatianos vocari se gloriantur. Crispus ergo et Gaius Corinthii sunt, quos ad testimonium nominat, quia sic baptizati sunt ab Apostolo, ut nullam illi gloriam ex hac causa dandam addiscerent. Stephanæ autem domus primitiæ sunt Achaiæ, sicut in postrema parte Epistolæ significat, quibus testimonium dat, quod in ministerium sanctis se constituerant. *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Quoniam majus est evangelizare quam baptizare, ideo non se missum baptizare dicit, sed evangelizare, quia in episcopo omnium ordinationum dignitas est, caput est enim cæterorum membrorum. Per quod etiam illos humiliat, quibus illi multum dabant, propterea quod ab illis fuerant baptizati, ut ex eo scirent non magnum esse baptizare; quia non omnis qui baptizat idoneus est et evangelizare, verba enim solemnia sunt quæ dicuntur in baptismate. Denique apostolus Petrus credentem Cornelium cum suis jussit baptizari (*Act.* x), nec dignatus est ministris astantibus hoc opus facere; si enim defuissent, ipse hoc egisset necessitate compulsus. Quanto ergo melior his sit, quos illi venerabantur, ostendit, et non tamen hoc nomini suo decerni permisit, sciens periculosum esse gloriam Dei nomini hominis vindicare: est enim quasi idolo- A latria. *Non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.* Quia prædicatio Christiana non indiget pompa et cultu sermonis, ideoque piscatores homines imperiti electi sunt qui evangelizarent, ut doctrinæ veritas ipsa se commendaret teste virtute, ne hominum versutia et calliditate humanæ sapientiæ acceptabiles viderentur, non veritate, sicut disciplinæ ab hominibus inventæ, in quibus non ratio, non virtus, sed verborum quæritur compositio, ac per hoc gloriam suam quærit, qui fidem Christi verbis exornare vult: obscurat enim illam splendore verborum, ut non illa sed ipse laudetur. Sic et pseudoapostoli ne stulti viderentur prudentibus mundi in sapientia hominum Christum prædicabant duplici genere, ut eloquentiæ studerent, et ea quæ mundus in nobis B stulta judicat evitarent, ut neque incarnatum Dei filium et de virgine natum docerent, neque carnis futuram resurrectionem, quia mundi istud sapientia et ratio stultum æstimat, quos reprobat. *Ne evacuetur*, inquit, *crux Christi.* Quia qui in sapientia hominis Christum annuntiat, negat veritatem prædicationis, sicut supra memoravi.

Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est. Manifestum est quia quibus crux Christi stultitia est, in perditione sunt, inferni enim morte non sunt erepti. *His autem qui salvi fiunt virtus Dei est.* Non est obscurum quia his qui credunt Dei virtus est, credunt enim non infirmitatem esse crucem Christi, sed virtutem; intelligentes mortem victam in cruce cujus signum qui habent, salvi sunt, quia ab C illa teneri non possunt. *Scriptum est enim* in Isaia: *Perdam sapientiam sapientium, et intellectum prudentium reprobabo.* Perdit sapientiam sapientium, non suam in eis sapientiam perdit et reprobat, quam ipse donavit, sed quam sibi arrogant qui non habent ipsius: dum quæ illa negat posse fieri facit: et reprobat intellectum prudentium, quando Deum, quem incuriosum dicunt, aggressum probat ea quæ stulta putant, ut Dei filius incarnatus de virgine crucifigeretur pro humana salute, quod factum vere testatur virtute, non verbis. *Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi?* His dictis tam in Judæos quam in gentiles invehitur, quia et Judæorum scribæ, et legis doctores Deum filium habere stultum putant credi. Simili modo et gentes istud risui D putant. Sed Judæi, quia hoc non tam aperte in lege significatum est, diffidunt: gentiles vero quia mundi ratio non istud recipit; nihil enim dicit posse fieri sine commistione, stultum judicant. Conquisitor tamen sæculi hic est, qui constellationibus agi mundum et duodecim signis ortus et occasus fieri decernit calculis, nihil omnino sine horum motu putans fieri posse. *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?* Stulta facta est sapientia hujus mundi, putans enim se sapere inventa est imprudens. Quod enim impossibile judicabat possibile declaratum est, Deum incuriosum æstimans. Est aliquid hac asseveratione stultius, ut fecisse dicatur mundum et curam ejus non agere? ad quid fecit, si non ad illum

Digitized by Google

pertinet quod fecit? sed quia vident quosdam feliciter mundo frui, quosdam deprimi, et bene agentes despici, malevolos gloriari, idcirco incuriosum Deum esse crediderunt. Qui incuriosum Deum dicit, non negat malevolum, aut injustum : aut enim judicaturus est mundum, et injustus est, dissimulans de bonis et patiens fieri mala. Si igitur animadvertant sepositio odio divinæ legis, possunt videre causam istam a nobis terminari, qui Dei judicium exspectamus, in quo vi depressi exaltabuntur, et violenti humiliabuntur, quia non est personarum acceptio apud Deum.

Nam quoniam in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis, salvos facere credentes. (*Aug.*) Quid enim tam simile imprudentiæ, quam qui haberet in potestate una voce suos persecutores prosternere, pateretur se teneri, flagellari, conspui, colaphizari, spinis coronari, ligno affigi, imprudentiæ simile esse et stultum videtur : sed stultum hoc superat omnes sapientes. (*Greg.*) Verbum quippe Dei sapientia est, sed stultitia hujus sapientiæ dicta est caro Verbi, ut quia carnales quique per carnis suæ prudentiam pertingere non valebant ad sapientiam Dei, per stultitiam prædicationis, id est per carnem Verbi, sanarentur. (*Ambr.*) Non cognovit mundus, id est homines, Deum *in* sapientia ejus. Quia unicam majestatem illius figmentis dederunt, vel elementis, dissimulantes de eo, per sapientiam carnis putantes hæc debere coli, quæ videntur : propterea placuit Deo prædicationem ordinare, quæ illis stulta videretur, ut credentes quæ illi diffidunt, salvi fierent, illis damnatis. Vicissitudo ergo hæc est, per quam Dei consilio falsum a vero damnatur.

Quoniam Judæi signa petunt et Græci sapientiam quærunt. (*Ambr.*) Judæi signa petunt, quia non diffidunt potuisse fieri, sed an factum sit quærunt. Scientes virgam Aaron aridam germinasse et fructum attulisse, et Jonam a ceto deglutitum in ventre ejus tribus diebus et tribus noctibus fuisse, et vivum ejectum esse : illud tamen præcipue quærunt, ut aliquid tale videant, quod vidit Moyses in igne Deum ; unde dicunt, Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, cum majus sit mortuum Lazarum fetidum quarto die de monumento vivum exisse. Græci vero sapientiam quærunt, quia nolunt audire præterquam quæ mundi ratione possibilia sunt.

Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. (Maur.) Multum suam doctrinam ab illorum sensu discrepare demonstrat. *Judæis quidem scandalum.* Scandalizantur si audiant a se Christum mori potuisse, quem illi quasi immortalem exspectant, id est, quod dicebant *nos audivimus ex lege quia Christus manet in æternum* (*Joan.* XII) ; non intelligentes quia illum primum pati oportebat, et sic in suam gloriam introire ; *gentibus autem stultitiam ;* secundum mundanam sapientiam stultitia videtur, Deum credere crucifixum. (*Ambr.*) Scandalum est Judæis dum audiant Christum Dei se filium confitentem, et Sabbatum evacuantem ; gentibus autem stultitiam, quia audiunt ea prædicari, quæ dum rationi mundanæ non congruunt, insensata videntur, et partus virginis et resurrectio mortuorum. *Ipsis vero vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam,* quia apud ipsum semper est, quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Suadente virtute, quæ potior verbis est, credentes in Christum intelligunt, Judæi primum, qui signum quærebant, Christum Dei esse virtutem ; et Græci similiter vident Christum Dei esse sapientiam, illam autem mundanam quam prius putabant prudentiam, maximam esse stultitiam. (*Amb.*) Virtus ergo Dei est quia per ipsam omnia fecit Deus Pater ; sapientia autem idcirco quia per ipsam cognitus est Deus : nec enim posset cognosci Deus, nisi per eum qui esset de eo. Quia *nemo novit, nec vidit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Luc.* X).

Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. (Maur.) Quod stultum putatur Dei omnem humanam sapientiam antecedit, quia per sapientiam suam liberari non poterant qui per crucis mysterium sunt salvati. (*Greg.*) Stultum quippe hominibus visum est, ut pro hominibus auctor vitæ moreretur, et inde contra eum homo scandalum sumpsit, unde ei amplius debitor fieri debuit. Nam tanto Deus ab hominibus dignius honorandus est, quanto pro hominibus indigniora suscepit. (*Ambr.*) Stultum Dei, inquit, non quia vere stultum est, sed quia ab hominibus, dum rationi mundanæ non convenit, stultum putatur, cum sit ratio spiritalis : ac per hoc sapientius dignoscitur esse hominibus, quia spiritalia plus sapiunt quam carnalia. Non enim spiritalia per carnalia sunt, sed carnalia constant per spiritalia, ideoque subjecta sunt carnalia spiritalibus. *Et quod infirmum est Dei fortius est hominibus.* (Maur.) Mortem, quam nec Gigantes evadere potuerunt, crucifixi infirmitas superavit. (*Ambr.*) Sine dubio cœlestia vincunt terrena, quamobrem infirmum Dei non est infirmum, quia infirmitas Christi magna victoria est. Vicit enim cum victus videtur, sicut ait in psalmo L : *Ut vincas cum judicaris.* Victor enim existit, qui injuste occiditur, reum constituens a quo occiditur.

Videte, fratres, vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. Manifestum est quia pauci sunt qui mundi rationibus inflati magis quam eruditi sunt, hoc est, qui stellarum motus inspiciunt, et discernunt. Ipsos autem dicit et fortes secundum carnem, quos et prudentes : et ideo fortes, quia passionem crucis Christi infirmam asserunt : iniquitas enim fortis et vincere sibi videtur ad tempus. Ipsi etiam nobiles per quos superstitioni suæ originem antiquitatis assignant, nos novellos dicentes ; non ergo hanc

Digitized by Google

asseverationem elegit Deus quæ in paucis est. *Sed stulta mundi elegit ut confundat sapientes.* Stulta mundi sunt virginem peperisse, et Dei filium crucifixum : credi enim hoc stultum putat, ideo Deus ut hunc confundat, hos elegit, qui hoc credunt, quod hic stultum judicat : confunduntur enim sapientes, dum quæ pauci negant, multos vident fateri. Non est enim ambiguum multorum sententias paucorum antetoni sententiis. (*Greg.*) Aliter, ad cognitionem fidei prius stulta mundi collecta sunt, ut postea etiam astuta vocarentur, Paulo attestante, qui ait : *Non multi sapientes secundum carnem non multi potentes, non multi nobiles ; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.* Tempora namque sanctæ Ecclesiæ prima litterarum perhibentur ignara, ut videlicet cunctis in prædicatoribus suis Redemptor ostenderet quod ad vitam credentes populos non sermo, sed causa suaderet. *Et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* (*Ambr.*) Idem sensus est, quia quod pauci infirmum putant, hi qui se prudentes æstimant in sæculo, diffidentes de spe, a multis virtus asseritur, quia multi credunt, quod infideles non credunt ad illorum ruborem. Vident etenim infirma Christi nominata dæmoniis imperare, prodigia facere : infirma autem sunt mundo injuriæ, et passio Salvatoris nescienti hæc ad virtutem proficere, quia ideo ista pati se permisit, ut vinceret mortem : injuste enim pati et potentem resistere nolle, gloria est patientis, et damnatio occidentis. *Et ignobilia hujus mundi et contemptibilia elegit Deus quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret.* Ignobilia ergo et contemptibilia elegit, non quia vere ignobilia et contemptibilia sunt, sed sic judicantur a mundo, quia spernunt rationes mundanas credendo in Christum, ut ea quæ sunt vere ignobilia et contemptibilia destrueret, quia ipsi magis judicandi et condemnandi sunt qui judicant : asseverationem enim illorum error invenit ; nec fuit ab initio ; nostra autem disciplina ab initio est. Destruitur ergo dum sine testimonio nudis verbis asseritur. Nostra vero non verbis solis, sed et teste virtute probatur. Quare autem primo ignobiles paucos, imperitos, impolitos elegerit Dominus, cum haberet ante oculos suos turbam magnam in comparatione quidem illorum pauperiorum pauciores, sed in genere suo multos divites, nobiles, doctos, sapientes, quos postea etiam collegit, exponit Apostolus sacramentum : *Infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia, et stulta hujus mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et ignobilia hujus mundi elegit Deus, et ea quæ non sunt*, id est, non computantur, ut quæ sunt evacuentur. Venerat enim docere humilitatem, expugnare superbiam ; venerat humilis nullo modo hic prius altos quærere qui tam humilis venerat ; primo quia elegit nasci de illa femina, quæ desponsata erat fabro ; non elegit ergo amplos natales ne in hac terra nobilitas superbiret ; non elegit saltem nasci in amplissima civitate, sed natus est in Bethlehem Judæ, quæ nec civitatis nomine nuncuparetur, hodieque illam A incolæ loci illius villam appellant, tam parva, tam exigua, tam prope nulla est nisi pristina Domini Christi nativitate nobilitaretur. Elegit ergo infirmos, pauperes, indoctos, non quia reliquit firmos, divites, sapientes, nobiles, sed si ipsos primo eligeret, merito divitiarum suarum, merito substantiarum, merito natalium sibi eligi viderentur, atque inflati de his rebus salutem humilitatis non reciperent, sine qua nemo potest redire ad illam vitam, unde non laberetur nisi per superbiam (*Aug.*). Sed forte diceret aliquis : Etsi ipse humiliter natus est, in discipulorum nobilitate jactare se voluit. Non elegit reges aut senatores, aut philosophos, aut oratores. Imo vero elegit plebeios, pauperes, indoctos, piscatores. Petrus piscator, Cyprianus orator. Nisi fideliter præceB deret piscator, non humiliter sequeretur orator. Non de se quisquam desperet abjectus, teneat Christum, et spes ejus falsa non erit. *Ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei.* (*Ambr.*) Id est, ut sapientia carnis erubescat in errore suo judice Deo : sensus enim carnis est diffidere Dei potentia virginem peperisse, quia hoc mundi ratio, qui cognatus est carnis, non recipit. (*Aug.*) Videte quemadmodum nobis abstulit gloriam, ut daret gloriam ; abstulit nostram, ut daret suam ; abstulit inanem, ut daret plenam ; abstulit nutantem, ut daret solidam. Non ergo in te debes gloriari, quod prohibuit Veritas, sed quod ait Apostolus, hoc præcepit Veritas : *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*II Cor.* x).

Ex ipso enim vos estis in Christo Jesu. (*Ambr.*) C Ex ipso, id est, ex Deo, qui omnipotens est, esse nos in fide Christi : Dei enim propositum est ut veritatem ejus et misericordiam per Christum discemus. Veritas est mysterium Trinitatis, misericordia vero, qui cum essemus captivi redemit nos. *Qui factus est sapientia nobis, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Ad confirmationem credentium Christum Dei voluntate dicit egisse quæ gessit, ut sciamus vere nos sapientiam didicisse et sanctificatos esse, et justificatos, et redemptos a Deo per Christum, nemo enim redemit nisi quod fuerat suum. Sive ergo quod redempti sumus, sive quod sanctificati, id est, ab opere carnis et idolorum immunditia purgati, sive quod justificati (justum est enim creatorem colere cæteris spretis), sive quod sapientes per D id quod mundanos didicimus imperitos, totum hoc Dei beneficium est per Christum. Redemptio tamen nostra hæc est ; obtulit enim se Christus diabolo cupienti ut peccati in se contradictionem auferret, et sic captivos ejus erueret. (*Greg.*) *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia,* qua scilicet justitia, dum in hoc mundo contra vias peccatorum venit, antiquum hostem vicimus, a quo capti tenebamur. (*Aug.*) Filius factus est nobis sapientia a Deo et justificatio, quia temporaliter nos ad illum convertimur, id est ex aliquo tempore, ut cum illo maneamus in æternum, et ipse ex quodam tempore *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, ea porro justitia quæ vivit in seipsa procul dubio Deus est, et incommutabiliter

Digitized by Google

vivit; sicut autem cum sit in seipsa vita, etiam nobis fit vita, cum ejus efficimur utcunque participes; ita cum in se sit justitia, etiam nobis fit justitia, cum ei cohærendo vivimus, et tanto magis minusque justi sumus, quanto illi magis minusque cohæremus. Unde scriptum est de unigenito Filio Dei, cum sit utique Patris sapientia atque justitia, et semper in seipsa sit, quod factus sit nobis sapientia et justitia et sanctificatio, et redemptio.

Ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Est plane ille summus Deus, vera justitia, vel ille verus Deus summa justitia, quam profecto esurire ac sitire debemus; ea nostra est in hac peregrinatione justitia, et qua postea saturari cupimus; ea nostra est in æternitate plena justitia. (*Cass.*) Cuncta namque si ab uno homine volumus mutuari, aut difficile, aut certe nunquam idonea ad imitandum exempla nobis poterint reperiri, quia licet necdum Christum omnia in omnibus factum secundum Apostolum videmus, eum in omnibus tamen hoc modo possumus, id est, per partes in omnibus, invenire. De ipso enim dicitur: *Qui factus est nobis ex Deo sapientia, justitia, sanctitas, et redemptio.* Dum ergo in alio sapientia, in alio justitia, in alio sanctitas, in alio mansuetudo, in alio castitas, in alio humilitas reperitur, membratim Christus per unumquemque nunc sanctorum divisus est: concurrentibus vero universis in unitatem fidei ac virtutis, redditur in virum perfectum, plenitudinem sui corporis in singulorum membrorum compage ac proprietate perficiens. Donec veniat ergo illud tempus quo sit Deus omnia in omnibus, in præsenti potest hoc quo diximus modo, id est per partes virtutum, esse in omnibus Deus, licet nondum plenitudo earum omnia sit in omnibus: quia licet unus religionis nostræ sit finis, professiones tamen diversæ, quibus ad Dominum tenditur, sicut in collationibus seniorum plenius disputandum est. Ideoque discretionis et continentiæ forma ab his est nobis peculiarius expetenda, a quibus virtutes has per gratiam Spiritus sancti uberius vidimus effluere, non quod ullus quæ in multos divisa sunt, solus possit acquirere, sed ut in his bonis quorum capaces esse possumus ad eorum nos imitationem qui eas peculiarius obtinuere, tendamus. (*Ambr.*) *Ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur in Domino glorietur.* Hoc scriptum est in Jeremia propheta (*Jer.* IX). Dignum est quod dicit propheta ut in Domino gloriemur. Quia non poterit confundi qui gloriatur in Deo: opera enim ejus, et magnificentia in rebus gestis apparent. Ideoque, inquit, confundantur in idolis suis, qui non pluunt nec fecerunt cœlum et terram. Simili modo, et qui in hominibus gloriantur quos sciunt utique nullius esse virtutis, quare et ait Scriptura: *Vana spes est in homine* (*Eccli.* XXXIV). Sic enim qui gloriatur non nisi in Domino gloriatur, cum cognoscit non suum sed illius esse, non solum ut sit, verum etiam ut non nisi ab illo bene sibi sit, a quo habet ut sit.

CAPUT II.

Ostendit Apostolus se usum non fuisse excellentia sæcularis sermonis, quia perfecti tantum, ut sunt homines spirituales, possunt eam capere.

Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non cum eminentia sermonis aut sapientiæ prædicans vobis mysterium Dei: neque enim judicavi scire me aliquid inter vos, nisi Christum Jesum et hunc crucifixum. (*Greg.*) Ac si diceret, Quia vos capere divinitatis ejus mysteria non posse pensavi, sola vobis humanitatis ejus infirma locutus sum. Quoniam superius gradatim formam disciplinæ nostræ ostendit, nunc non se aliter illis tradidisse probat, quam quæ ostendit, quia et in humilitate sermonis et in stultitia prædicationis sicut mundo videtur, locutus est illis de Christo mysterium: quod ideo mysterium vocat quia quod incarnatum est occultum erat a sæculis apud Deum Deus verbum; hæreticos autem esse in quibus gloriabantur, quia et per eloquentiam pravam doctrinam commendabant, prudentiam mundi sectantes, crucem Christi evacuabant, erubescentes stulti appellari a mundo, ut neque natum Christum ex virgine prædicarent, neque vere crucifixum docerent, quia stultum videtur, Dei filium natum hominem fateri et crucifixum. Hos et Joannes apostolus designat dicens: *Qui negat Christum venisse, Antichristus est; et qui negat Filium, nec Patrem habet* (*I Joan.* II); quia ipsum Patrem sibi Filium appellatum dicebant ex quibus Marcion traxit errorem. Quæ arguit clausa videntur, quia non illa manifestat, sed intelligi vult, ex eo quod in prudentiam mundi invehitur, quæ est religioni inimica; quæ autem sunt quæ corripit ejus judicio vult disci, ut quæque nostra irridet, velut stulta a se omnia in Corinthiis reprehendi ostendat: corpus enim ipsum memorat, ut ex eo membrorum ejus ratio dignoscatur; Corinthiis tamen manifesta erant quia causas in quibus arguebantur non ignorabant. *Et ego in infirmitate et timore multo fui apud vos.* (*Amb.*) Christum enim in stultitia humanæ sapientiæ prædicans, odium sibi et persecutionem provocabat, quasi rem vanam annuntians, et inimicitiam Judæis atque gentibus. *Et sermo meus et prædicatio mea non in persuasionem sapientiæ.* Ostendit quia ne hominum favorem acquireret, idcirco humanæ sapientiæ placere noluisse, neque verborum arti studuisse, sed fidem auctori exhibuisse, qui doctrinam suam non ornatu traditionis humanæ acceptabilem esse voluit verborum strepitu, sed ipsis rebus, quia res ante verba sunt. *Ad ostensionem Spiritus et virtutis Dei.* Ut quia verbis, quæ infirma juxta virtutem sunt, res fatuæ compte prudentes videntur, Deus prædicationem suam non testimonio verborum voluit commendari, sed virtutibus, ut verbi stultitia indicata factis se sapientiam demonstraret spiritali ratione fundata. *Sapientiam enim loquimur inter perfectos.* Hoc est inter eos qui crucem Christi virtutis testimonio sapientiam fatentur: hi enim sapientes et perfecti sunt qui fidem non magis verbis habent, quam rebus. *Sapientiam autem non*

Digitized by Google

hujus sæculi. Recte ait *sapientiam non hujus sæculi,* sed futuri, in quo veritas Dei negantibus apparebit: hoc enim sæculum rationem hanc non capit infirmitate cogitationis terrenæ. *Neque principum hujus sæculi qui destruuntur.* Manifestum est non esse sapientiam hanc principum hujus mundi, quia destruuntur ab illa : Christianitas enim omnes destruit errores, quos alibi Apostolus enumerat, id est, idololatriam, avaritiam et cætera vitia, sicut dicit Joannes apostolus : *Propter hoc venit Filius Dei ut solveret opera diaboli* (*I Joan.* III). — *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.* Occultum sensum manifestare missum se testatur, quem neque principes, neque potestates scirent, neque mundus audierat; ac per hoc stultum putari, quia incognitum est; esse autem rationale et salutare teste virtute, cui omnis intentio cedit rationis humanæ. Abscondita est ergo Dei sapientia, dum non in verbis, sed in virtute est; non humana ratione possibilis, sed Spiritus efficacia credibilis. *Quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* Usque adeo vera sapientia, et cum Deo semper fuisse declaratur, ut ante sæcula prædestinata in gloriam nostram dicatur, qui credimus. Præscius enim Deus errores futuros in mundo, quem erat facturus, hoc decrevit ad confusionem illorum qui sibi stultitiam sapientiam facturi erant, ad nostram autem gloriam qui erediturі eramus et credimus. *Quam nemo principum hujus sæculi cognovit : si enim cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent.* Principes hujus sæculi non solum homines accipiendos Judæorum ac Romanorum, sed et hos principes et potestates quos supra dixit, ad quos vere pertinet dictum hoc, adversus quos nobis colluctatio est *spiritalia nequitiæ in cœlestibus* (*Eph.* IV), quia consilio ac voluntate illorum crucifixus est Christus. Denique post tentationes *recessit,* ait, *diabolus usque ad tempus* (*Luc.* IV), et ipse Dominus : *Princeps,* inquit, *hujus mundi venit et in me invenit nihil* (*Joan.* XIV). Principes ergo hujus sæculi per ignorantiam Dominum majestatis crucifixerunt. Nam Judæorum principes, quomodo principes hujus sæculi possunt intelligi, qui erant subjecti regno Romano, et neque Romanorum principes crucifixerunt Christum; quippe cum dixerit Pilatus : *Nullam causam mortis invenio in eo* (*Joan.* XIX), unde et manus lavit, dicens Judæis : *Innocens ego sum a sanguine justi hujus, vos videritis* (*Matth.* XXVII) : hi ergo principes crucifixerunt Dominum, quos triumphavit libere in semetipso. Quamvis dicat Lucas evangelista de dæmonibus : *Sciebant enim Christum ipsum esse Jesum* (*Luc.* IV); scierunt quidem ipsum esse, qui in lege promissus erat, mysterium tamen ejus quo filius Dei est nesciebant. Hoc etiam et Petrus apostolus ad populum Judaicum dicit (*Act.* III) : *Scio, fratres, quia per ignorantiam gessistis hoc malum, sicut et principes vestri,* non tamen sæculi. Si ergo per ignorantiam servi occiderunt Dominum, peccatum eis ascribi non debet : sed non licet hoc ignorare. Et quamvis Dominum esse nescierint, tamen, quia rem impiam faciebant, non erant nescii. Dominus tamen majestatis dicitur crucifixus, cum mori nesciat : sed quia *Verbum caro factum est,* id est, Dei Filius incarnatus homo factus est, ipsi ascripta est mors, quia Judæi non utique carnem persecuti sunt, sed eum qui operabatur per carnem; ac per hoc quamvis Dominus majestatis mortem ignoret, quantum ad Judæorum tamen votum pertinet, et ad principum hujus sæculi, Dominum occiderunt in carne. Ex forma enim servi crucifixus est et tamen Dominus gloriæ crucifixus est : talis enim erat illa susceptio quæ Deum hominem faceret, et hominem Deum. (*Aug.*) Quid tamen propter quid, et secundum quid dicatur, adjuvante Domino, prudens et diligens lector intelligit. Nam ecce diximus, quia secundum id quod Deus est glorificat suos, secundum hoc utique quod Dominus gloriæ est, et tamen Dominus gloriæ crucifixus est, quia recte dicitur, et Deus crucifixus non ex virtute divinitatis, sed ex infirmitate carnis.

Sed sicut scriptum est : Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus eum. (*Ambr.*) Hoc scriptum est in Apocalypsi Eliæ, in Apocryphis. Per hoc exemplum inopinatam rem factam dicit, et quæ non solum in humanum sensum non caderet, sed et cœlestes potentias lateret, Dei scilicet Filium incarnatum, ut quod supra dixerat firmaret, quia si principes hujus sæculi Dominum hominem factum non intellexerunt, quanto magis homines. Sed si verba offendiculum vel scandalum faciebant, virtutibus tamen et signis fides non debuerat denegari : infirmitati enim et ignorantiæ humanæ virtus debuerat præponi et credi quod humanæ rationi impossibile videbatur, ideoque diligentibus Dominum, id est, credentibus præparavit donum hoc. (*Aug.*) Aliter, quod oculus non vidit, quia non est color, nec auris audivit, quia non est sonus, nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis illuc debet ascendere. *Nobis vero revelavit Dominus per Spiritum suum.* (*Hier.*) Si oculus non vidit nec auris audivit quæ præparavit Deus his qui diligunt eum, quomodo idem Apostolus infert, *nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum?* Si revelatum est Apostolo intelligendumne est quod et ille aliis revelaverit; atque brevis responsio est, non debere requirere, quid sit illud quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit : si enim ignoratur quomodo sciri potest quod promittitur in futuro, non cernitur in præsenti; spes enim quæ videtur, non est spes, sed jam certa possessio; quomodo si velit quispiam dicere, ostende mihi quod impossibile est, loquere quod audiri non potest, expone quod non comprehendit humana cogitatio. Ergo hoc sensu Apostolus dixisse credendus est, quod carnalibus oculis et aure carnali, et cogitatione mortali, non possint spiritalia comprehendi. Et : *si enim noveramus quondam Jesum secundum carnem, sed nunc jam non novimus eum;* et in Joannis Epistola scribitur : *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et*

Digitized by Google

necdum manifestum est quid futuri sumus, quoniam videbimus eum sicuti est (*1 Joan.* III). Quodque revelatum sibi et sanctis per Spiritum esse testatur, non statim sequitur, ut ipse aliis revelarit; alioquin audivit et in paradiso verba ineffabilia, quæ aliis narrare non poterat, aut si narravit, nequaquam ineffabilia sunt. (*Ambr.*) Nam quia principes sæculi hoc ignorabant, Deus hoc per Spiritum suum revelavit credentibus, quia res Dei non potest sine Spiritu Dei addisci. Nam non solum hominibus sacramentum istud missum se dicit declarare, sed et principibus et potestatibus in cœlestibus qui Dominum crucifixerunt, ut hoc prædicante in terris, discant qui sunt in carnalibus cœlis, qui degunt sub elementis firmamenti. Hic ergo singularis apostolus est, et qui hanc gratiam consecutus est, quia Trinitatis mysterium a nullo sic potuit explanari; unde et *vas electionis* divino judicio vocitatus est. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* (*Aug.*) Non utique, ut quod nescit inveniat, sed quia nihil relinquit omnino quod nesciat. (*Ambr.*) Quia enim de Deo est hic Spiritus, omnia novit. *Dei profunda* autem ideo ait, quia omnem virtutem et præscientiam ejus novit: quod omnino creaturæ impossibile est. *Quis enim scit hominum ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* Manifestum est cogitationes nostras a nullo sciri, nisi ab animo nostro, quem spiritum dixit. (*Aug.*) Denique in Evangelio inter cætera sic ait: *Et spiritus ejus reversus est ad illam* (*Matth.* IX). Spiritus hominis in scripturis dicitur ipsius animæ potentia rationalis, qua distat a pecoribus, et eis naturæ lege dominatur, de quo dicit Apostolus: *Nemo scit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est.* Nemo enim scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est, donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum et manifestet cogitationes cordis, ut eas, non solum quisque suas videat, sed et aliorum. Secundum hoc enim dixit Apostolus, neminem scire quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est, secundum quod videmus in nobis: nam secundum id quod credimus non videmus et multos fideles esse novimus, et multis noti sumus cum scriptum sit, Quis ergo hominum scit? (*Greg.*) Si ea quæ sunt hominis nemo scit, nisi spiritus hominis qui in ipso est, qua ratione in Job legitur: *Certe novi cogitationes vestras* (*Job.* XXI). Sed tunc spiritus hominis ignoratur ab altero, cum verbis, vel operibus non demonstratur, nam cum scriptum sit: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII), per hoc quod foras agitur, quidquid intus latet aperitur. Unde recte quoque per Salomonem dicitur: *Quomodo in aquis respondeant vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus* (*Prov.* XXVII). Proinde beatus Job cum amicorum colloquentium cogitationes nosse sese diceret, adjunxit, *et sententias contra me iniquas*, ut ex patenti re ostenderet, quia hoc quod in eis latebat invenisset. *Sic et quæ in Deo sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei* (Amb.) Hic Spiritus Dei docuit nos quod scit naturaliter, non doctus, et docuit nos de mysterio Christi, quia non solum Spiritus Dei est, sed et Christi.

Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est. Hinc scimus quia Spiritum qui de Deo est accepimus, quia mundi spiritus non potest scire, quæ ab hoc nobis insinuata sunt. Spiritus tamen mundi hic est, per quem arripiuntur fanatici, qui sine Deo sunt: est enim inter mundanos spiritus potior, unde solet conjecturis quæ mundi sunt divinare, quem pythonem appellant. Hic enim est, qui per verisimilia fallitur et fallit; hic est, qui per sibyllam locutus est, sensum nostrum secutus, locum volens inter cœlestes habere. *Ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis.* Quia enim Dei Spiritus datus est nobis, scimus quæ a Deo donata sunt nobis: non enim hæc possemus scire, si mundi spiritum haberemus, quia non potest scire mundi spiritus. Sensum enim Dei nemo novit, nisi qui de Deo est Spiritus Dei. Inferiora enim non possunt superiorum scire consilium, neque creatura conditoris dignoscere voluntatem. *Quæ et loquimur.* Ut hinc manifestum sit scire nos quæ a Deo nobis donata sunt, quia hæc et loquimur, ut et alii discant per doctrinam spiritalem. Prædicatoribus enim, id est apostolis, insinuata divinitus sunt, quæ traderent populis, et addiscerent principes hujus sæculi quid admisissent mali. (*Aug.*) Nam cum Dominus ait: *Quia servus nescit quid faciat dominus ejus* (*Joan.* XV), nos autem charissimi, ut amici Domini esse possimus, quid noster Dominus faciat, sciamus non solum enim homines, verum etiam justos ipse facit nos, et non ipsi nos; et ut hoc sciamus, quis nisi ipse facit? Non enim spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis, ab ipso quidquid boni est donatur. Ergo quia et hoc bonum est, ab ipso utique datur, ut sciatur a quo bonum omne donetur, ut omnino de omnibus bonis *qui gloriatur in Domino glorietur; qui enim habet dabitur ei* (*Luc.* VIII). Quid est plene habere? Scire unde habeas. *Qui autem non habet*, id est, nescit unde habet, *et quod habet auferetur ab eo.* Denique, sicut ipse ait, *hoc ipsum erat sapientiæ scire cujus esset et hoc donum* (*Sap.* VIII). Sic et apostolus Paulus cum commendaret nobis gratiam Dei in Spiritu sancto ait: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est;* et quasi diceretur illi, unde discernis, secutus ait, *ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Ergo Spiritus Dei spiritus est charitatis, spiritus hujus mundi spiritus est elationis. Qui habent spiritum hujus mundi, superbi sunt, ingrati sunt Deo: multa dona ejus habent, sed non colunt eum a quo habent, ideo sunt infelices. (*Greg.*) Non in doctrina verborum humanæ sapientiæ, sed in doctrina Spiritus, malebat quippe hanc sapientiam sola puritate veritatis ostendere, non autem eloquii tinctione fucare. (*Amb.*) Verba enim humanæ sapientiæ hunc sensum non vident, neque litteraturæ studiis apprehenditur,

Digitized by Google

sed per fidem spiritali ratione concipitur, dicente Isaia propheta : *Nisi credideritis, neque intelligetis* (*Isa.* VII); naturali enim magis lege, quam cursu siderum, et calculis signorum, quæ in firmamento denotantur, addiscitur. Denique credentes non humanis verbis sed naturæ suæ vident congruere, quod credunt : opus enim agnoscit opificem; ideoque Evangelium animis nostris loquitur spiritalia, excitans illos ad cognitionem sui Creatoris. *Spiritalibus spiritalia comparantes.* Hoc est, his qui mundanam prudentiam refutant, spiritalem efficaciam tradere, quæ mysterio fidei continetur, ad illuminandos sensus benevolorum hominum; credentes enim quæ mundi sapientia stulta judicat, spiritales sunt. *Animalis autem homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi.* Pecoribus enim similis sensum suum in terra deprimit, ideo non assequitur nisi quæ videt, nec putat aliquid posse fieri, quam quomodo scit. Ideo quidquid aliter audit, quam novit, stultum judicat; nihil enim æstimat posse fieri, sine commistione. Unde ridet, audiens Deum filium genuisse, quem scit simplicem et incorporeum; et virginem peperisse, et resoluta corpora rursum revocari ad vitam; cum hæc magis ad laudem Dei proficiant ut credatur fecisse, cujus operis ratio investigari non possit : Deus est enim qui fecit. Imbecillitas enim humana stultum putat, quod scientia sua non concludit; cum hoc magis stultum deberet habere, et illud prudens, quod quia Dei factum dicitur, comprehendi non potest, humanam traditionem sequentes, dum unius Dei fidem abnegant, spiritaliter factum est quod, ratione carnis inflati, putant fieri non posse, et sic reprobi annotati spiritaliter condemnati sunt. (*Aug.*) Hunc Spiritum quod illi non habeant, qui sunt ab Ecclesia segregati, Judas apostolus apertissime declaravit dicens : *Qui seipsos segregant animales Spiritum non habentes.* Unde in ipsa Ecclesia etiam illos qui per nomina hominum, quamvis in ejus unitate constitutorum, quædam schismata moliebantur, Paulus apostolus arguens, ait inter cætera : *Animalis autem homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia est enim illi, et non potest scire quoniam spiritaliter dijudicatur*, ostendit quid dixerit *non percipit*, id est, scientia non capit. Verum hos in Ecclesia constitutos parvulos dicit nondum spiritales, sed adhuc carnales, et lacte alendos, non esca. *Quasi parvulis*, inquit, *in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis : sed nec adhuc quidem potestis* (*I Cor.* III). Ubi dicitur, *nondum*, vel non adhuc, profecto non desperatur, si eo tenditur, ut sit aliquando quod nondum est, *adhuc enim*, inquit, *estis carnales*, et ostendens, unde sint carnales : *Cum enim sit inter vos*, inquit, *æmulatio et contentio, nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis?* atque idipsum planius aperiens, *cum enim quis dicat*, inquit : *Ego quidem sum Pauli, alius autem, Ego Apollo, nonne homines estis?* Hi ergo, id est Paulus et Apollo, concordes erant in unitate Spiritus et vinculo pacis, et tamen quia eos isti inter se dividere, et pro altero inflari adversus alterum cœperunt, dicuntur et homines, et carnales, et animales, non valentes percipere quæ sunt Spiritus Dei : et tamen quia non sunt ab Ecclesia segregati, parvuli appellantur in Christo, quos utique vel angelos, vel deos esse cupiebat quos arguebat, quia homines erant, id est, in his contentionibus, non quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum sapiebant. De illis vero qui sunt ab Ecclesia segregati non dictum est, ea quæ sunt Spiritus non percipientes, ne ad scientiæ perceptionem referretur, sed dictum est, *Spiritum non habentes.* Non est autem consequens, ut qui habet etiam sciendo percipiat quod habet; habent ergo istum Spiritum in Ecclesia constituti parvuli in Christo, adhuc animales atque carnales, quid habeant percipere non valentes, id est, intelligere et nosse. Nam quomodo essent parvuli in Christo, nisi renati ex Spiritu sancto? Nec mirum videri debet quod quisque aliquid habeat, et quod habet ignoret. Ut enim taceam de omnipotentis atque incommutabilis Trinitatis divinitate, quis facile scientia percipit quid sit anima, et quis non habet animam? Postremo ut verissime noverimus, quod parvuli in Christo, nondum percipientes quæ sunt Spiritus, habent tamen Spiritum Dei, paulo post intueamur quemadmodum eos ipsos increpans ait : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* hoc itaque nullo modo diceret ab Ecclesia segregatis, de quibus dictum est : *Spiritum non habentes.*

Spiritalis autem dijudicat omnia, ipse autem a nemine judicatur. (Amb.) Quoniam vera ratio spiritalium est, id est credentium, hoc enim quis nuncupatur quod credit, ideo ipsi omnia judicant. Ipsorum enim exemplo infidelitas dijudicabitur, ipsi autem a nemine judicabuntur : quis enim condemnet vera dicentem? Cum enim constet omnes inimicos fidei falsa tenere pro veris, accusatio illorum in irritum jam deducta est veri judicio condemnata; quia *qui non crediderit*, inquit Dominus, *jam judicatus est* (*Joan.* III). [Aug.] Ita homo renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus, qui creavit eum, et spiritalis effectus dijudicat omnia, quæ utique judicanda sunt : ipse autem a nemine judicatur. Quod autem judicat omnia, hoc est, quod habet potestatem piscium maris, et volatilium cœli, et omnium pecorum et ferarum, et omnis terræ, et omnium serpentium quæ repunt super terram : hoc enim agit per mentis intellectum, per quem percipit quæ sunt Spiritus Dei. Alioquin *homo in honore positus non intellexit, comparatus est jumentis insensatis, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII). Judicat etiam spiritalis approbando quod rectum, improbando autem quod perperam invenerit in operibus moribusque fidelium, in castitate, in jejuniis, in cogitationibus piis de his quæ per sensum corporis percipiuntur : de his enim judicare nunc dicitur in quibus et potestatem corrigendi habet. *Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum?* (Amb.) Sensus Dei

Digitized by Google

est, quo hæc spiritaliter jussit fieri, per quæ mundi sapientia stulta probaretur, negans posse fieri quod factum est. Quem sensum nullus est qui cognoverit, et displiceat illi, ut emendet consilium Dei; quia qui cognovit, laudat potentiam Dei, quem qui omnia negat posse, nec mundum credit fecisse. Quid enim magnum est ut de se credatur generasse, qui non ambigitur cuncta ex nihilo fecisse? quippe cum dicat Salvator : *Apud Deum autem omnia possibilia sunt* (*Luc.* XVIII), cunctis liquet quia Deus consiliariis non eget, qui ipsis quoque consiliariis hominum sapientiæ consilium præbet, de quo etiam scriptum est : *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Sed quemadmodum cum panis vel vestimentum egenti tribuitur, hoc se Dominus accepisse testatur : ita cum nescienti cuilibet rectum consilium datur, hoc ipse accepit, cujus ille membrum est qui eruditur. Omnes etenim fideles membra nostri redemptoris sumus, et sicut ipse in nobis per misericordiam largitatis pascitur, ita ipse in nobis per doctrinæ consilium juvatur. *Nos autem sensum Dei habemus.* Hoc dicit, quia credentes participes sumus ejusdem divinæ sententiæ.

CAPUT III.

Removet errorem Corinthiorum, quia ministris aliquibus nimium tribuebant, agitque de ædificatione super lignum, fenum, stipulam et de stulta sapientia mundi.

Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. (Amb.) Nunc his loquitur qui propterea quod sæculi adhuc voluptatibus serviebant, carnales erant. Quamvis jam baptizati essent, et Spiritum sanctum accepissent : tamen quia post baptismum statim ad veterem hominem fuerant reversi, cui abrenuntiaverant, dicuntur carnales; Spiritus enim sanctus tunc permanet in eo, cui se infuderat, si maneat in proposito generationis; si quominus, abcedit; ita tamen ut si se reformaverit homo, redeat ad illum, semper enim paratus ad bonum est, diligens pœnitentiam. *Quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Quamvis renati essent in Christo, tamen non fuit dignum tradi his spiritalia : accepta enim fide, quæ est veluti semen spiritale, nullum fructum Deo dignum fecerunt, ut perfectionis verba mererentur addiscere, sed quasi parvuli imperfectionis sensibus studebant. Apostolus autem vir divinus et medicus spiritalis unicuique secundum vires ejus tradebat, ne per imperfectionem et imperitiam quis de rebus spiritalibus scandalum pateretur. *Nondum enim poteratis.* Ostendit aperte non illos debuisse audire quæ confirmatis dicenda sunt. *Sed neque nunc potestis, adhuc enim estis carnales.* Hic valde arguit temeritatem illorum, qui querebantur dudum se non audisse spiritalia, cum adhuc indigni essent audire. Pseudoapostoli enim promiscue omnibus uno atque eodem genere tradebant, nullius personam discernentes; ut acceptabiles fierent per hypocrisin commendati, cum constet Dominum et auctorem nostrum Christum aliter populos, aliter discipulos affatum, et inter ipsos apostolos fuisse distantiam. Tribus etenim discipulis gloriam suam in monte ostendit, dicens illis ut tacerent visum, quandiu a mortuis resurgeret. (*Greg.*) Sancti etenim prædicatores quasi portæ nobis sunt, qui nos ad interiorem intellectum æternæ sapientiæ perducunt : sed cum adhuc inchoantibus non alta et mystica, sed quædam quæ capi prævalent, prædicant, portæ exteriores sunt; cum vero perfectis profunda et mystica loquuntur, portæ interiores. Videamus qualiter porta exterior pateat : *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus; tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Videamus qualiter porta interior patet : *sapientiam loquimur inter perfectos.* Videamus utrum eadem ipsa sit porta interior et exterior, *sapientibus et insipientibus debitor sum* (*Rom.* I), qui rursum dicit, *sive mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis* (*II Cor.* V); in hoc enim quod contemplando et loquendo sapientibus mente excedit, porta interior est; in hoc vero quod parvulis sobrie in prædicationem se temperat, et quanta ebrietate Spiritus infundatur in mente, cum prædicat, non ostendit, exteriorem portam se esse manifestat. Ipsi itaque et exteriores portæ nobis sunt, et interiores, quæ nos et in primo aditu fidei, spei, atque charitatis instituunt, et cum jam proficientibus cœlestis regni mysteria prædicant, per subtiliorem sensum nos ad interiora perducunt. (*Aug.*) Prædicatus ab apostolis Christus crucifixus et Judæis erat scandalum, et gentibus stultitia, et ipsis vocatis Judæis, et Græcis Dei virtus et Dei sapientia; sed carnalibus parvulis credendo id tantum tenentibus, spiritalibus autem capaciori-bus, id etiam intelligendo cernentibus. Hoc igitur primitus cognito, quod ea ipsa quæ simul audiunt spiritales atque carnales, pro suo quique modo capiunt, illi, ut parvuli, isti ut majores; illi, ut lactis alimentum, isti ut cibi solidamentum, nulla videtur esse necessitas ut aliqua secreta doctrinæ taceantur et abscondantur fidelibus, seorsum dicenda majoribus, hoc est intelligentioribus; et hoc ideo faciendum putetur, quia dixit Apostolus : *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed ut carnalibus*, hoc ipsum enim quod non judicavit se scire in eis nisi Jesum Christum et hunc crucifixum, ipsis non potuit loqui quasi spiritalibus, quia id sicut spiritales capere non valebant. Quicunque enim spiritales inter eos erant, id est, quod illi tanquam carnales audiebant, spiritali intellectu ipsi capiebant, ut sic intelligatur, quod non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, ac si diceret, non potuistis quasi spiritales, sed quasi carnales capere quando loquebar. Itaque festinandum nobis est, ut cum renuntiantes desierimus esse carnales, id est, a sæcularium cœperimus conversatione sejungi, et ab illa manifesta carnis pollutione cessare, spiritalem statum protinus apprehendere tota virtute nitamur, ne forte blandientes nobis qui videmur secundum exteriorem hominem huic renuntiasse mundo, vel carnalium for-

Digitized by Google

nicationum deseruisse contagia, tanquam qui summam perfectionis per hoc apprehenderimus, remissiores deinceps erga emendationem cæterarum passionum lenioresque reddamur, et inter utrumque detenti, gradum spiritalis profectus assequi nequeamus, existimantes ad perfectionem nobis habendam sufficere, quod exteriore homine videmur de conversatione mundi hujus ac voluptatibus segregati.

Nam cum in vobis æmulatio et contentiones sint, nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis? (Amb.) Indignitatis causas ostendit; quia de homine qui sperat auxilium, carnalis est; qui autem spreta humanitate de Deo sperat, spiritalis est, quia Deus spiritus est. (*Aug.*) Quid est ambulare secundum hominem, hoc est esse carnalem, quod a carne, hoc est, a parte hominis intelligitur homo, et eosdem ipsos quippe dixit superius animales, quos postea carnales, ita loquens, *Animalis autem homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei : stultitia est enim illi.* Talibus igitur, id est animalibus, paulo post dicit : *Et ego, fratres, non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus*, et illud et hoc eodem loquendi modo, id est, a parte totum : ab anima namque et a carne quæ sunt partes hominis potest totum significari, quod est homo; atque ita non est aliud animalis homo, aliud carnalis, sed idem ipsum est quod utrumque, id est secundum hominem vivens homo, sicut non aliud quam homines significantur, sive ubi legitur : *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro* (*Rom.* III); sive quod scriptum est : *Septuaginta quinque* [*septuaginta*] *animæ descenderunt cum Jacob in Ægyptum* (*Gen.* XLVI); magis autem hoc apparuit in his quæ subjunxit : *Cum enim quis dicit : Ego sum Pauli; alius autem Apollo : nonne homines estis?* (Greg.) Et quamvis Scriptura sacra aliquando homines ponere soleat humana sapientes, sicut ait Apostolus : *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis?* paulo post subdidit dicens, *nonne homines estis?* Nonnunquam tamen dicit, eos, quos a bestiis ratione distinguit, id est, quos non alteri bestiali passionum motu demonstrat, quibus per prophetam Dominus dicit : *Vos autem greges pascuæ meæ* estis homines (*Psal.* XCIV), quia illos nimirum Dominus pascit, quos voluptas carnis jumentorum more non affectat. At contra hi qui carnali affectioni succumbunt non jam homines, sed jumenta nominantur, sicut de quibusdam in peccato suo morientibus per prophetam Dei : *Computruerunt jumenta in stercore suo* (*Joel.* I). Nonnunquam vero cum se vitium proterve minime perpetrare cognoscunt, compendiosius ad correctionem veniunt, si alterius culpæ manifestioris, et ex latere requisitæ in opprobrio confundantur, ut ex eo quod defendere nequeunt, cognoscant se tenere improbe quod defendunt. Unde cum proterve Paulus Corinthios adversum se invicem videre inflatos, ut alius Pauli, alius Apollo, alius Cephæ, alius Christi esse se dicerent, incestus culpam in medium deduxit, quæ apud eos et perpetrata fuerat et incorrecta remanebat. (*Amb.*) Sicut enim gloriantes in Deo et de ipso homine gratiam sperantes, dii dicuntur a Deo adoptati; ita et in homine gloriantes, et homines, et carnales dicuntur, sententia Dei conclusi, qua ait : *Ego dixi, Dii estis; vos autem sicut homines moriemini* (*Psal.* LXXXI). A sua ergo persona incipit, ne forte putaretur per invidiam magis personas illorum destruere, ostendens magnum errorem et ad Dei contumeliam pertinere, quando Deo prædicato, gloria datur hominibus. Quid ergo minus est a gentilitate, dum adhuc aliquid de hominibus speratur? *Quid igitur est Apollo, quid vero Paulus? ministri ejus cui credidistis.* Ut quia ministri sunt, spes in his non sit, sed in Deo, cujus sunt ministri. Illi enim gratiarum actio deferenda est, cujus donum est : hi vero servi, quos etiam invitos oportet dispensare. Nunquid non Moyses coactus est ire ad Pharaonem (*Exod.* II), et Jonas invitus est missus prædicare Ninivitis (*Jon.* I), et Ananias contradicens missus est Saulo manum imponere? (*Act.* IX.) *Et unicuique sicut Dominus dedit.* Id est sicut voluit et scivit, divisit singulis officia ministerii. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* Plantare est evangelizare et ad fidem attrahere; rigare vero, baptizare solemnibus verbis : peccata autem dimittere et Spiritum dare, Dei solius. Si ergo effectum salutis Deus dat, nulla salutis gloria in hac re hominis est : scimus enim et Spiritum sanctum sine manus impositione datum a Deo, et non baptizatum consecutum remissionem peccatorum. Nunquid non hic invisibiliter baptizatus est, quando donum baptismatis consecutus est? (*Greg.*) Magna sunt quæ per vocem suam Dominus facit, sed minus magna essent si perscrutari potuissent. *Facit* ergo, juxta beatum Job, *magna et inscrutabilia* (*Job.* XXXVII), quia ostendit foris perfectionem operis, sed latet intus ipsa qualitas operationis. Voce sua foris etiam per apostolos insonat, sed corda audientium per semetipsum interius illustrat, Paulo attestante, qui ait : *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. (Amb.) Et plantata enim solent emori, et rigata ad effectum fecunditatis minime pervenire, nisi det Deus vegetam vitam. Quantum ergo ad honorificentiam Dei pertinet, nihil est homo, quantum autem ad ministerium pertinet, necessarius est, ut honorificetur quasi servus, non ut aliquid de illo speretur ad injuriam Dei. (*Aug.*) Quid volebat Simon nisi laudari in miraculis, extolli superbia? Ipsa enim eum compulit ut pecunia emendum putaret donum Spiritus sancti (*Act.* VIII). Cujus superbiæ contrarius Apostolus in humilitate manendo, in meridie fervens Spiritu, fulgens prudentia, dicit : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Quia dixerat : *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum*

Digitized by Google

dedit; et iterum: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Vide quomodo se coli respuit pro Christo, et non vult se fornicanti animæ ostentare pro sponso. Nonne magnum videtur plantare et rigare? Sed *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat.* Quomodo timuit? non se dicit aliquid ad salutem eorum quos in Christo ædificare cupiebat. (*Greg.*) Adjutores enim Dei sumus: nam cum ei quem ipse per internam gratiam infundit nos exhortationis voce concurrimus, hoc quod ille per Spiritum agit intrinsecus, nos exterius per ministerium vocis adjuvamus, et tunc solum nostra exhortatio ad perfectionem ducitur, cum in corde Deus fuerit, qui adjuvetur; unde et alias dicit: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Plantare quippe et rigare adjuvare est, quod utrumque vacuum erit ministerium si in corde Deus non dat incrementum. Sed qui de sensu suo alta sapiunt, esse humiliter Dei adjutores nolunt, quia dum se esse utiles Deo æstimant, a fructu se utilitatis alienant. Unde et Veritatis voce discipulis dicitur: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus* (*Luc.* XVII). *Qui autem plantat et qui rigat unum sunt.* (Aug.) Unum sunt, quia ambo mercenarii sunt, quamvis diversa sint illorum officia. Nescio utrum inveniatur in Scripturis dictum, *unum sunt*, quorum est diversa natura. Si autem et alia plura ejusdem naturæ sint, et diversa sentiant, non sunt unum, in quantum diversa sentiunt. Nam si jam unum essent, ex eo quod homines erant, non diceret, ut sint unum, sicut et nos unum, cum suos discipulos Patri commendaret. At vero Paulus et Apollo quia et ambo homines, et idem sentiebant: *Qui plantat*, inquit, *et qui rigat unum sunt.* Cur ergo sic dicitur unum, ut non addatur quid unum? et plura unum dicuntur, eadem natura atque essentia non dissidens neque dissentiens significatur; cum vero additur quid unum, potest aliquid significari ex pluribus unum factum, quamvis diversis natura, sicut anima et corpus non sunt utique unum, quid enim tam diversum, nisi addatur aut subintelligatur quid unum, id est, unus homo, aut unum animal. Inde Apostolus: *Qui adhæret*, inquit, *meretrici, unum corpus est* (*I Cor.* VI).

Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. (Amb.) Quamvis enim unum sint, sed quia major est qui evangelizat quam qui baptizat, ideo discrevit mercedes illorum, et non solum ad hoc sed ad doctrinæ sinceritatem pertinet, ut majori dignus mercede sit, qui inviolatam tradit doctrinam.

Dei enim sumus adjutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Hoc ad apostolorum personam pertinet, quos constat Dei esse adjutores dum vicarii sunt Christi. (*Greg.*) Sed considerandum est ne forte illa sententia beati Job, huic loco contraria sit qua ad æmulatores suos loquitur dicens: *Cujus adjutor es? Nunquid imbecillis?* (*Job.* XXVI.) Apostolus autem dixit: *Dei sumus adjutores.* Si ergo bonum est esse adjutores Dei, quid Heliu reprehenditur de adjutorio Dei? Ad quod respondetur, nimirum scire nos convenit, quia nonnulli defendendo Deum offendunt, et sunt nonnulli qui, quantum in ipsis est, causam Dei defendunt; isti veraciter prædicando Dei adjutores sunt: illi increpando fallaciter sanctos pro Deo satagunt, sed satagendo offendunt; isti non ignoti sed cogniti de Deo loquuntur: illi etiam vera loquentes a Deo minime cognoscuntur, Domino de Heliu loquente (*Job.* XXXVIII.) *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Quid est quod Dominus de illo interrogat dicens: *Quis est iste involvens sententias?* et tamen interrogando reprobat subjungens, *sermonibus*, inquit, *imperitis?* Ille vero sententias veras dicebat, sed eas sermonibus imperitis involvebat, quia dicta Spiritus sancti de reprobis in Job retorquebat, de quo, quia sine querela erat, Dominus testimonium dederat. Non eodem modo ergo dicimus: *Deus adjutor noster in æternum*, quo dicimus, *Dei sumus adjutores;* ille enim non eget adjutorio nostro, nos autem nihil possumus facere sine ipso. *Dei agricultura, Dei ædificatio estis vos*, quia videlicet civitas habet hic et in sanctorum moribus magnum jam ædificium suum. In ædificio quippe lapis lapidem portat, quia lapis super lapidem ponitur, et qui portat alterum, portatur ab altero: sic itaque sic in sancta Ecclesia unusquisque et portat alterum, et portatur ab altero. Nam vicissim se proximi tolerant, ut per eos ædificium charitatis surgat. *Secundum gratiam quæ data est mihi ut sapiens architectus fundamentum posui.* (Amb.) Gratiam sibi datam dicit, ut dignus esset prædicare Evangelium, ut et hoc Dei esse ostenderet, non hominis. Secundum hanc itaque gratiam ut sapientem architectum fundamentum se dicit posuisse. Sapiens architectus est, qui juxta disciplinam auctoris collocat fundamentum, id est, qui secundum traditionem Salvatoris evangelizat. *Alius autem superædificat.* Superædificia sunt, quæ post prædicationem Apostolorum supervenientibus traduntur aut malis aut bonis doctoribus. *Unusquisque autem videat quomodo superædificet*, id est, ut superædificia congruant fundamento, ne si obliqua fuerint et frivola, ruinam faciant, manente incolumi fundamento: quia si male docuerit, Christi nomen permanet, quod est fundamentum: doctrina autem mala peribit, sicut Dominus ait: *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur* (*Matth.* XV).

Fundamentum enim nemo potest ponere præter id quod positum est, qui est Christus Jesus. (Greg.) Christus Jesus portat fundamentum, et lapides, a lapidibus autem non portatur, quia redemptor noster omnia nostra tolerat, sed in ipso malum non fuit, quod tolerari debuisset. (*Ambr.*) Ideo nemo potest ponere aliud fundamentum, quia quamvis hæretici sint aliqui, non tamen docent nisi sub Christi nomine, aliter enim commenta erroris commendare non possunt, nisi interposito salvatoris nomine prædicent, ut res contra-

Digitized by Google

rias et absurdas nominis dignitas acceptabiles faciat. *Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos.* (Amb.) Lapides pretiosi sunt quos non corrumpit ignis. Tria genera posuit præclara in mundo, in quibus bonam doctrinam significavit, *Ligna, fenum, stipulam.* Tria alia genera posuit, sed frivola : in his corrupta et vana doctrina designata dignoscitur. (*Aug.*) Qui bene vivunt, qui Deum honorant et laudant, qui patientes sunt in tribulationibus, qui desiderant patriam, ipsi ædificant aurum, argentum, lapides pretiosos : qui autem amant adhuc sæcularia, et negotiis terrenis implicati sunt, et dediti sunt vinculis quibusdam et affectibus carnis, domibus suis, conjugiis, possessionibus, et tamen Christiani sunt, ita ut cor eorum non recedat a Christo, quomodo in ædificando nihil præponitur fundamento, ædificant quidem ipsi ligna, fenum, stipulam. Sed quid sequitur? *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Ignis nempe tribulationis et tentationis; iste ignis multos probavit hic martyres, omne autem genus humanum probabit in fine. Inventi sunt martyres qui haberent ista sæcularia. Quam multi divites et senatores passi sunt! Ædificabant tamen quidam eorum ligna, fenum, stipulam, in affectibus carnalium et sæcularium curarum : sed tamen quia Christum fundamentum habebant, super quod ædificabant, arsit fenum, et ipsi permanserunt in fundamento, sicut dicit Apostolus : *Si cujus opus permanserit, mercedem accipiet*, nihil perdet, quia quod amavit hoc inveniet. Quid ergo illis fecit ignis tribulationis? Probavit eos. Si cujus opus permanserit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur. Sic aliud est igne non lædi, aliud per ignem salvari, et unde? propter fundamentum. Non recedat ergo de corde fundamentum, noli supra fenum ponere fundamentum, hoc est, noli anteponere fenum fundamento, ut fenum habeat primum locum in corde tuo, et secundum Christus, sed si jam non potest nisi esse ibi fenum, vel primum locum ibi habeat Christus, et fenum secundum.

Uniuscujusque opus manifestum erit, dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur. Hoc est mala doctrina in igne omnibus apparebit, nunc enim quosdam fallit : nihil in ædificio præponitur fundamento. Quisquis itaque sic habet in corde Christum, ut ei terrena et temporalia, nec ea quæ licita sunt atque concessa, non præponat, fundamentum habet Christum; sin autem præponit, etsi videatur habere fidem Christi, non est tamen in eo fundamentum Christus, cui talia præponuntur, quanto magis si salutaria præcepta contemnens, committat illicita, non præposuisse Christum, sed postposuisse convincitur. Si quis itaque Christianus diligit meretricem, eique adhærens unum corpus efficitur, jam in fundamento non habet Christum. Si quis autem diligit uxorem suam, si secundum Christum, quis ei dubitet in fundamento esse Christum? Si vero secundum hoc sæculum, si carnaliter, si in morbo concupiscentiarum, sicut et gentes quæ ignorant Deum, etiam hoc A secundum veniam concedit Apostolus, imo per Apostolum Christus; potest ergo et iste in fundamento habere Christum. Si enim nihil ei talis affectionis voluptatisque præponat, quamvis superædificet ligna, fenum, stipulam, Christus est fundamentum, propter hoc salvus erit tanquam per ignem. Delicias quippe hujus mundi, amoresque terrenos, propter conjugalem quidem copulam non damnabiles, tribulationis ignis exurit, ad quem pertinent ignem et orbitates et quæcunque calamitates quæ auferunt hæc, ac per hoc ei qui ædificavit, erit ædificatio ista damnosa, quia non habebit quod superædificavit, et eorum amissione cruciabitur, quibus fruendo utique lætabatur; sed per hunc ignem salvus erit merito fundamenti, quia etsi utrum id habere mallet, an Chri- B stum, a persecutore proponeretur, illud Christo non præponeretur. Vide in Apostoli verbis hominem ædificantem super fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos; *qui sine uxore est cogitat quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo.* Vide alium ædificantem ligna, fenum, stipulam, *qui autem matrimonio junctus est, inquit, cogitat ea quæ sunt mundi quomodo placeat uxori.* Uniuscujusque opus manifestabitur, *dies enim Domini declarabit*, dies utique tribulationis, *quoniam in igne*, inquit, *revelabitur.* Eamdem tribulationem ignem vocat, sicut alibi legitur : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* XXVII). Et uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit; *si cujus opus manserit*, permanet enim quod quisque cogitat, quæ sunt Dei, quomodo C placeat Deo, *quod superædificavit mercedem accipiet*, id est, unde cogitavit hoc sumet. *Si cujus autem opus arserit, damnum patietur*, quoniam quod dilexerat non habebit; *ipse autem salvus erit*, quia nulla cum tribulatio ab illius fundamenti stabilitate semovit, *sic tamen quasi per ignem*, quod enim sine illiciente amore non habuit, sine urente dolore non perdit.

Et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. (Amb.) Quia enim per ignem examinatio fiet, si in aliquo non invenerit quod exurat, manifestat illum bonum fuisse doctorem. Mala enim et adultera doctrina idcirco in ligno et in feno et in stipula significata est, ut ostenderetur ignis esse esca. (*Aug.*) Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile D non est, et utrum ita sit quæri potest : et aut inveniri, aut latere, nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari : non tamen tales, de qualibus dictum est, *quod regnum Dei non possidebunt*, nisi convenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est Christus Jesus.* (Greg.) Nunquid etiam ipsi apostoli per ignem probabuntur, qui non judicandi sed judicaturi duodecim tribus Israel dicuntur? aut etiam illos ignis probabit cum quibus seipsum sanctus Paulus numeravit dicens : *Nos autem qui relinquimur, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Domino in aera, et sic semper cum Domino erimus* (*I Thes.* IV).

Digitized by Google

Si dictorum Christi sensum pensemus, hanc obscuritatem ipso illuminante ad lucem perducimus: nam ipse dixit: *Ignem veni mittere in terram, et quid vòlo nisi ut ardeat?* (*Luc.* XII.) Spiritusque sanctus super apostolos descendens in specie ignis apparuit, qui in signo apparens infidelibus, fideles intus ut ignis probavit. *Opus ergo uniuscujusque quale sit ignis probabit*, quia quos ignis spiritalis in præsènti tempore non examinat, in futuro judicio per ignem probabit. *Quicunque ergo Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* VIII), qui licet per ignem probati Spiritu sancto examinati sunt: nam illum per impositionem manuum episcopi accipientes, nullatenus ab eo deviarunt; sed si aliqua in re delinquunt recognoscendo et confitendo corriguntur. Omnis enim, inquit Dominus, per ignem salietur, aut enim hic per spiritalem, aut illic per corporalem ignem probabitur. Nimirum ergo sicut non in die judicii omnes per ignem probabuntur, ita in ipso eodemque die non omnes omnino judicabuntur, Domino testante qui ait: *Qui credit in Filium, non judicabitur; qui autem incredulus est, jam judicatus est* (*Joan.* IV). Quos nec ergo ignis futurus probabit, si Deus nec credulos nec incredulos judicabit? Sed quasi a nobis interrogaretur, quod ergo erit judicium? protinus subjunxit, dicens: *hoc est judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Hi ergo soli in die judicii judicabuntur, qui licet lucem scirent venire, tamen magis tenebras diligere dicuntur. Nam qui in tenebris manent jam judicati sunt, qui autem nihil tenebrarum habent, sine ullo judicio ad lucem pertinent. Illi vero qui licet baptizati sunt in futuro judicio judicandi erunt. De illis ergo solis judicium habebitur, ut aut ad lucem, aut ad tenebras plus pertinere debeant demonstretur. Resurgent ergo hi ut judicentur, justi ut judicent, impii ut damnentur, quia et illi resurgent, sed non in judicio, Psalmista testante, qui ait: *Non resurgunt impii in judicio* (*Psal.* I).

Si cujus opus manserit quod superædificaverit, mercedem accipiet. (Amb.) Cum enim nihil in illo sordis inventum fuerit doctrinæ pravæ, ut in bono auro, ita erit ut tres fratres in camino ignis, mercedem vitam æternam cum gloria accepturus, quia sicut aurum et argentum et lapides, quos ignis non consumpsit, ita et bonus magister incorruptibilis permanebit. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur.* Opus quod ardere dicitur, mala doctrina est, quæ interibit: cuncta enim mala peribunt, sicut iter impiorum, quia non sunt substantiæ sed asseverationes perversæ. Damnum autem pati est, pœnas perpeti: quis enim in pœna positus jacturam non facit? *Ipse tamen salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Salvum futurum illum dicit, quia non interibit substantia, qua constat, sicut et doctrina mala peribit, quia accidens causa est. Ideo autem dixit, *sic tamen quasi per ignem*, ut salus hæc non sine pœna sit, quia non dixit, Salvus erit per ignem, ut merito suo ab igni non combustus salvus fiat examinatus per ignem; sed cum dicit, *sic tamen quasi per ignem*, ostendit salvum quidem illum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, et non sicut perfidi igne perpetuo torqueatur, ut ex aliqua parte operæ pretium sit credidisse in Christum. Semper enim erubescat necesse est, qui se videt falsum defendisse pro vero, et simili modo semper fiduciam habebit Dei, qui abjecto falso, secutus est verum, et spreta impietate, succubuit pietati: extra catholicam enim veritatem quidquid est, contrarium est. (*Aug.*) Multi sunt qui per lectionem istam male intelligentes falsa securitate decipiuntur, dum credunt, quod si super fundamentum Christi crimina capitalia ædificant, peccata ipsa per ignem transitorium possint purgari, et ipsi postea ad vitam perpetuam pervenire. Intellectus iste, fratres charissimi, corrigendus est, quia ipsi se seducunt, qui sic sibi blandiuntur; illo enim transitorio igne de quo dixit Apostolus, *Ipse enim salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, non capitalia, sed minuta peccata purgantur, et quamvis quod pejus est, non solum majora, sed etiam et minuta nimium plura sunt, de ipsis tamen majoribus peccatis etsi non omnia, vel aliqua commemoranda sunt, ne aliquis inaniter excusare conetur, et dicat, nescire se quæ sunt minuta peccata, quæ autem crimina capitalia. Et quamvis Apostolus capitalia plura commemoraverit, nos autem, ne desperationem facere videamur, breviter dicemus quæ illa sunt, uti sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia, et si longo tempore tenuerit iracundiam, et ebrietas, si assidua sit, in eorum numero computatur. Quicunque enim aliqua de istis peccatis in se dominari cognoverit, nisi digne se emendaverit, si habuerit spatium, longo tempore pœnitentiam egerit, et largas eleemosynas erogaverit, et a peccatis abstinuerit, illo transitorio igne, de quo ait Apostolus, purgari non poterit, sed æterna illum flamma sine ullo remedio trucidabit. Quæ autem sint minuta peccata, licet omnibus nota sint, tamen quia longum est ut omnia replicentur, opus est, ut ex eis vel aliqua nominemus; quoties aliquis in cibo, aut in potu plus accipit quam necesse est, ad minuta peccata noverit pertinere; quoties plus loquitur quam oportet, plus tacet quam expedit; quoties pauperem inopportune petentem exasperat; quoties cum sit corpore sanus, aliis jejunantibus prandere voluerit, aut somno deditus tardius ad ecclesiam surgit; quoties, excepto desiderio filiorum, uxorem suam cognoverit; quoties in carcere positos tardius requisierit, infirmos tardius visitaverit; si discordes ad concordiam revocare neglexerit; si plus aut proximum, aut uxorem, aut filium, aut servum exasperaverit quam oportet; si amplius fuerit blanditus quam oportet; si quicunque majori personæ, aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit; si pauperibus esurientibus nimium deliciosa vel sumptuosa convivia præparaverit; si se aut in ecclesia, aut extra ecclesiam fabulis otiosis de quibus in die

Digitized by Google

judicii ratio reddenda est occupaverit; si dum incaute juramus, et cum hoc per aliquam necessitatem implere non poterimus utique perjuremus, et cum omni facilitate, vel temeritate maledicimus, quoniam scriptum est, neque *maledici regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI); et si temere aliquid suspicamur, quod tamen plerumque non ita, ut credimus, comprobatur, sine dubitatione delinquimus. Hæc autem et his similia ad minuta peccata pertinere non dubium est, quæ sicut jam dixi, enumerari vix possunt, et a quibus non solum populus Christianus, sed etiam nullus sanctorum immunis esse potuit aliquando, aut poterit : quibus peccatis licet occidi animam non credamus, tamen ita eam vel ut quibusdam pustulis et quasi horrenda scabie replentes deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius cœlestis sponsi, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant, de quo scriptum est : *Aptavit sibi Ecclesiam non habentem maculam et rugam* (*Ephes.* V). Et ideo continuis orationibus, et frequentibus jejuniis, et largioribus eleemosynis, et præcipue per indulgentiam eorum qui in nobis peccant assidue redimantur, ne forte simul collecta, cumulum faciant et demergant. Quidquid enim de istis peccatis a nobis redemptum non fuerit, igne purgandum est, de quo Apostolus dixit, *quia in igne revelabitur, et cujus opus arserit detrimentum patietur;* et ut breviter cuncta repetantur, omnes sancti qui Deo fideliter serviunt, lectioni et orationi vacare, et in bonis operibus perseverare contendunt, nec capitalia crimina, nec minuta peccata, id est, ligna, fenum, stipulam super fundamentum Christi, sed bona opera, hoc est, aurum, argentum, lapides pretiosos superædificantes, per illum ignem de quo Apostolus dicit, *quia in igne revelabitur*, absque ulla violentia transibunt; illi vero qui quamvis capitalia crimina non admittunt, ad perpetranda minuta sunt faciles, et redimenda ea sunt negligentes, ad vitam æternam, pro eo quod Christo crediderunt et capitalia peccata non admiserunt, venturi sunt, sed prius aut in hoc sæculo per Dei justitiam, vel misericordiam, sicut jam dictum est, amarissimis tribulationibus sunt excoquendi, aut illi ipsi per multas eleemosynas et præcipue dum inimicis suis clementer indulgent, per Dei misericordiam liberandi, aut certe illo igne, de quo dixit Apostolus, longe tempore cruciandi, ut ad vitam æternam sine macula et ruga perveniant. Illi vero qui aut homicidium, aut sacrilegium, aut adulterium, aut fornicationem vel reliqua his similia commiserunt, sicut jam dictum est, si eis digna jam pœnitentia non subvenerit, non per purgatorium ignem transire merebuntur ad vitam, sed æterno incendio præcipitabuntur ad mortem.

Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis? (Ambr.) Templum Dei nos dicit, ut Deum in nobis habitare sciamus : in templo enim suo habitet necesse est. Et quia Spiritum Dei dicit habitare in nobis, Deum significat intelligendum Spiritum sanctum. (*Greg.*) Cujus templi qualia sunt ligna, sponsa describit in Cantico canticorum : *Trabes*, inquiens, *nostræ cypressus, ligna domorum nostrarum cedri* (*Cant.* I), et idcirco hujusmodi ad templum Dei lignorum genera eliguntur, quæ sunt et bonæ fragrantiæ, et imputribilia, quæque nec corruptibili vetustati, nec esui vermium valeant subjici.

Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus : templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. (Ambr.) Hæc idcirco præmisit, ut illos compungat qui turpiter viventes corpora sua violando corruperunt, maxime illum qui uxorem patris habebat, ut ante esset reus, quam causa illius in medium prorumperet. Denique simili, imo eodem modo cum causam illius judicat, loquitur, dicens : *An nescitis quia corpora vestra templum est Spiritus sancti*, quem habetis a Deo. Superius Dei templum dixit, hoc autem loco templum Spiritus sancti : quis hinc dubitet, quia Spiritum sanctum Deum significavit? (*Greg.*) Qui itaque sacerdotes sunt qui templum Dei custodiunt, nisi hi qui orando, prædicando, spiritalibus actibus vigilando sanctam Ecclesiam a malignorum spirituum immissionibus, a pravorum suasionibus, ab hæreticorum erroribus defendunt? An non custos templi fuerat, qui labores suæ passionis enumerans, dicit : *In labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate*, atque statim subdit, *præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum* (*II Cor.* XI). Pensate, quæso, custos templi quanta sollicitudine vigilet; ecce enim in seipso inæstimabilia patitur, et cordis sui sollicitudinem aliis impertitur. Cujus rogo virtutis est, plus de utilitate proximorum, quam de sua afflictione cogitare, quis hoc digne æstimat? quis digne pensat? Laborat, luget, esurit, sitit, alget, jejunat, vigilat, et tamen vigilando de ecclesiarum omnium sollicitudine cogitat. Ecce est solertissimus custos templi in exemplo propositus, imitetur qui valet. Adversa etenim pro veritate pati, bona proximis impendere, circa animarum sollicitudinem vigilare, ne quis in perfidiam, ne quis in superbiam, ne quis in rapinam vel immunditiam laberetur, exquirere, atque conspicere, hoc est, templum Dei, id est, sanctam Ecclesiam custodire.

Nemo se seducat. (Ambr.) Id est nemo proprio vel humano consilio putet se sibi prodesse. Ad superiorem sensum redit : *Si quis videtur sapiens esse inter vos in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens.* Hoc dicit, quia si quis intelligit salutem promissam et mysterium Incarnationis Domini nostri Jesu Christi, stultus fiat, id est sapientiam mundi fugiat, ut stultus ab ea judicetur, et tunc erit prudens, quia stultus sæculo prudens est Deo, dum credit Deum fecisse quæ ratio mundi non capit, sicut supra memoravi. Pseudoapostoli autem prudentes volentes fieri in mundo, neque Dei filium habere, neque incarnationem veram esse, neque carnem posse resurgere prædicabant. (*Cass.*) Moraliter autem tu, o homo, ut stultum te secundum Apostoli præceptum facias, in hoc mundo ut sis sa-

Digitized by Google

piens, nihil scilicet discernens, nihil dijudicans ex his, quæ tibi fuerant imperata, sed omni simplicitate ac fide obedientiam semper exhibeas, illud tantummodo sanctum, illud utile, illud sapiens esse judicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel senioris examen indixerit : tali etenim institutione fundatus, sub hac disciplina poteris durare perpetuo. (*Greg.*) Sciendum nobis est quod alii intra sanctam Ecclesiam vocantur stulti, sed tamen nobiles; alii vero sunt stulti et ignobiles. Stulti namque dicuntur, sed esse ignobiles nequeunt, qui, carnis prudentiam contemnentes, profuturam sibi stultitiam appetunt, et ad nobilitatem internæ prolis virtutis novitate sublevantur, qui stultam sapientiam mundi despiciunt, et sapientem Dei stultitiam concupiscunt; scriptum est quippe, *Quod stultum est Dei sapientius est hominibus* (*I Cor.* I); hanc nos stultitiam Paulus comprehendere admonet, dicens : *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens;* hanc stultitiam qui perfecte assecuti sunt voce sapientiæ audire meruerunt : *Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Ecce relinquentes temporalia gloriam potestatis æternæ mercati sunt; quid itaque in hoc mundo stultius quam sua deserere, et quid in æternitate nobilius, quam cum Deo judices venire? horum scilicet nobilitas Salomone attestante memoratur, cum hoc quod jam præfatus sum dicitur : *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ* (*Prov.* XXXI). Valde quippe nobiles considerat, quos senatores vocat. Hanc in se nobilitatem Paulus aspexerat, cum cognationi conditoris per spiritum junctus dicebat : « Genus igitur cum simus Dei, non debemus æstimare auro aut argento, aut lapidi sculpturæ artis et cogitationi hominis divinum esse simile. Genus videlicet Dei dicimur, non ejus natura editi, sed per spiritum illius et voluntate conditi et adoptive recreati, tanto ergo ad hanc nobilitatem quisque erigitur, quanto per acceptam imaginem ad similitudinem illius ex imitatione renovatur. At contra sunt stulti et ignobiles, qui dum supernam sapientiam semetipsos sequentes fugiunt, in sua ignorantia, quasi in abjectæ prolis vilitate sopiuntur : quo enim id ad quod conditi sunt non intelligunt, eo etiam cognationem acceptæ per imaginem generositatis perdunt. Stulti sunt ergo et ignobiles quos ab æternæ hæreditatis consortio repellit servitus mentis. Scriptum quippe est : *Omnis qui facit peccatum servus est peccati* (*Joan.* VIII), et voce egregii prædicatoris dicitur : *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.* (*Greg.*) Qui ergo dum terrena saperent, ab intima generositate repulsi sunt, stulti simul et ignobiles fuerunt, quorum dum plerique actus imitantur, filii stultorum et ignobilium fiunt, dumque eos sensibus ac moribus sequuntur, et stulti sunt, quia veram sapientiam non intelligunt, et ignobiles quia nulla spiritus libertate renovantur. (*Ambr.*) Sic stultitia est sapientia hujus mundi apud Deum, dum facit Deus, quod mundus fieri posse negat, sapientiam illius stultitiam probat, et cum multos deos dicant, fides autem unum probet, teste virtute, in prudentia sua confundentur. *Scriptum est enim : Reprehendam sapientes in astutia ipsorum; et iterum Dominus novit cogitationes sapientium, quomodo vanæ sunt.* Istud in psalmo habetur XCIII. Denique idem sensus est, sciens enim vanas cogitationes illorum ut stultos illos probaret, sapientiam illorum reprehendit, ostendens verum esse quod falsum dicebant, et falsum quod verum putabant. (*Aug.*) *Dominus*, inquit, *scit cogitationes hominum. quoniam vanæ sunt :* sed tu nescis cogitationes Dei, quoniam justæ sunt; ille scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt, et homines scierunt cogitationes Dei, sed quibus jam amicus factus est, et prodit consilium suum. Relinquite, fratres, cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt, ut comprehendatis cogitationes Dei, quæ sapientes sunt. *Itaque nemo glorietur in homine.* (*Ambr.*) Quoniam enim humanæ cogitationes et consilia improvida et infirma sunt, non est gloriandum in homine, sed in Deo, cujus consilium retractari non potest. Quidquid enim homines sine Deo sapiunt stultum est.

Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas (qui est Petrus) *sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura : omnia vestra : vos autem Christi, Christus autem Dei.* Alio loco dicit de eodem sensu : *Nos autem servi vestri propter Jesum* (*II Cor.* IV), servos pro ministris posuit ut non singulos sibi defenderent cum omnibus uterentur, sicut et Dominus dicit : *Ego sum in medio vestrum, non ut ministrer, sed ut ministrem* (*Marc.* X, *Luc.* XXII). Nam mundus utique noster est, sed ut de illo secundum voluntatem Dei sentiamus, et decretos cursus ejus in Dei voluntate ponamus; et vita præsens concessa nobis est, sed ut modeste illam et cum Dei gloria transigamus, sive mors, ut pro Christo mori libentes habeamus spem promissionis futuræ, sive præsentia, ut sic præsentibus utamur ne offendamus; sive futura, ut futura credentes ipsis nos magis, quia meliora sunt, commendemus; vos autem Christi, ut quoniam hæc judicio nostro concessa sunt et subjecta; ita nos Christo subjiciamur, quippe cum per ipsum esse cœperimus, et in prima origine et in regeneratione. *Christus autem Dei,* Christus Dei est, Patris sui proprius Filius, faciens voluntatem ejus, ut et nos ipsius faciamus. Si ergo Christi sumus famuli, quid est, ut ad ejus injuriam de hominibus aliquid speremus? Si quis igitur ad perfectionem tendit de illo primo timoris gradu quem proprie diximus esse servilem, de quo dicitur : *Cum omnia feceritis, dicite quia servi inutiles sumus* (*Luc.* XVII), ad altiorem spei tramitem gradu proficiente conscendet, qui jam non servo, sed mercenario comparatur, quia mercedem retributionis exspectat, et quasi de peccatorum absolutione a pœnali timore securus ac bonorum operum sibi conscius, licet placiti præ-

Digitized by Google

mium videatur expetere, tamen ad affectum illum filii, qui de paternæ indulgentiæ liberalitate confidens, omnia quæ patris sunt sua esse non ambigit, pervenire non poterit. Festinandum proinde nobis est, ut ad tertium gradum filiorum, qui omnia quæ patris sunt, sua esse credunt, per insolubilem charitatis gratiam conscendentes, cœlestis illius Patris imaginem ac similitudinem recipere mereamur, et ad imitationem veri illius Filii proclamare possimus: *Omnia quæ habet Pater mea sunt*, quod etiam de nobis beatus Apostolus profitetur dicens : *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura, omnia vestra sunt.* Ad quam etiam similitudinem præcepta nos provocant : *Estote*, inquit, *vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* (*Matth.* v). In illis enim nonnunquam solet interrumpi bonitatis affectus, cum aliquo vel tempore Salvatoris, vel lætitia, vel oblectatione vigor animi relaxatus, aut metum ad præsens gehennæ, aut desiderium subtrahit futurorum, et est quidem in illis gradus cujusdam perfectus imbuens nos, ut dum vel pœnarum metu, vel præmiorum spe incipimus vitia declinare, ad charitatis gradum transire possimus, quia *timor*, inquit, *non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet, qui autem timet, non est perfectus in charitate; nos ergo diligamus, quia Deus prior dilexit nos* (*I Joan.* IV). Non ergo aliter ad illam veram perfectionem conscendere poterimus, quemadmodum in nullius alterius rei, nisi nostræ salutis gratia prior nos ille dilexit, ita cum nos quoque nullius alterius rei nisi sui tantum amoris dilexerimus obtentu.

A B C

CAPUT IV.

Arguit Apostolus judicii temeritatem; de contemptu quorumdam ministrorum, atque insistit eorum correctioni.

Ita nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. (Ambr.) Hoc significat, quia minus de illo sentiebant aliqui Corinthiorum, sed ut de hoc ille homo sentiret quod et Deus qui illum elegerat, ideo ministros Christi ait, et dispensatores mysteriorum Dei : quando enim non verborum strepitu, neque humana sapientia nitebantur, intelligi debuit sacramentum Christi dispensare, in quo non verba, sed virtus fulgebat, non per quod homo, sed Deus gloriosus videretur. Collega enim piscatorum non aliter quam illi Christum prædicabat. Cum ergo ministrum se Christi et sacramentorum Dei probat, pseudoapostolos illos notat, ac negat Christi esse, quod tradunt, per id quod discordarent a traditione apostolica. *Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.* (Maur.) Interrogantis vox est, id est, jam hic putatis posse conscientias judicare? (*Ambr.*) Hoc quod dicit non solum ad pseudoapostolorum personam pertinet, sed ad reliquorum, qui accepta dispensatione, aut verecundia, aut timore, aut certæ condemnationis suæ causa constanter arguere trepidabant, aut malos sensus, aut mores : hic enim tam constans erat, ut ne qui vitæ suæ parceret, dummodo fideliter omnia celebraret. *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Quos in tantis vitiis reprehendit, miserum dicit ab his se judicari, quippe cum nec a justis judicandum se sciret; aut ab humana die, hoc est, quia nec a legibus mundo creditis judicandus erat. Supergressus enim humanam justitiam cœlesti justitiæ studebat, sicut dicit Dominus : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum Dei* (*Matth.* v). Humanum ergo diem cum dicit, significat et divinum, in quo judicaturus est Christus, quia sicut jurisconsulti seu pontifices, quos vocant sacerdotes, certos dies quibus judicatur decreverunt : ita et dies Domini definitus est, quo judicaturus est mundum. *Sed neque meipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum.* Apertum est quia conscientiam puram habens sollicitus de se non erat. *Sed non in hoc justificatus sum.* Nunc humiliat se, et loquitur ut homo, qui possit culpam incurrere nescius *Qui autem judicat me, Dominus est.* (*Greg.*) Ac si diceret : Et recte egisse me recolo, et tamen de meritis non præsumo, quia ad ejus judicium vita nostra ducitur. (*Ambr.*) Recte ait; quamvis enim humiliaverit se, tamen Domino Christo plurimum dedit, quia potest quod hominem latet, dum occulta judicat, manifestare, non ut reum faciat, sed prudentem; quamvis enim sanctus, tamen homo est, quem non potest fieri ut non aliquid lateat. Interdum enim aliquid utile putamus quod inutile est, nec enim omnia membra aut latera conversationis humanæ descripta habemus, ab his autem quæ gravia sunt aperte prohibiti sumus, nam quædam causæ nos fallere solent ex causis aliquibus ortæ, ut quod non est utile putemus utile, quod leve quidem est, quia propositum liberum est. Impossibile est, ut non aut ignorantia, aut negligentia, aut vanitate, aut obreptione, aut cogitatione, aut necessitate, aut oblivione peccetur; nam et si ad tam præcelsum quis virtutum culmen ascenderit, ut apostolicum illud non jactanter exclamet : *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis dijudicer, aut ab humano die, sed neque meipsum judico : nihil enim mihi conscius sum;* tamen sciat se absque peccato esse non posse; neque enim frustra idem doctor adjunxit, *sed non in hoc justificatus sum*, id est : non si ego justum me esse credidero, veram confestim gloriam possidebo, vel quia conscientia mea nullius peccati reprehensione compungitur, idcirco nullius sordis contagione fuscatus sum, multa enim meam conscientiam latent, quæ cum sunt mihi incognita atque obscura, Deo nota atque manifesta sunt. Ideo subjiciens : *Qui autem me*, inquit, *dijudicat, Dominus est*, id est, ab illo solo quem secreta cordium non latent verum judicii in me proferetur examen. *Itaque nolite ante tempus judicare, donec veniat Dominus.* (*Ambr.*) Monet illos ne judicent, cum judicandi sunt, et habeant duplex peccatum, sicut ait Dominus : *Nolite judicare, et non judicemini* (*Matth.* VII), sed expectate diem judicii Dei, ac si fideles et boni sint;

D

Digitized by Google

injuria enim judicis est, si ante cognitionem ejus a servo procedat judicium aut sententia. *Qui illuminabit occulta tenebrarum et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo.* Hoc dicit, quia in die judicii nihil occultum erit eorum quæ gesta aut cogitata sunt, et simplicitas et hypocrisis illic apparebit, ut et qui despectus habebatur, forte appareat dignus, et qui aliquid esse putabatur, inveniatur reprobus. Omnia enim nota erunt in die judicii, et tunc laus erit bene agenti vel cogitanti. Hic enim qui laudatur, improbabile est an dignus sit, sicut in alio loco dicit: *Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Dominus commendat* (*II Cor.* x), quem utique nihil latet; (*Aug.*) non enim scimus mortales corda mortalium. Tunc autem illuminabit Dominus occulta tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis, et tunc laus erit unicuique a Deo, quia id laudabitur et diligetur a proximo, in proximo, quod ne lateat, ab ipso illuminabitur Deo. (*Greg.*) Quisquis enim in cogitatione a rectitudine exorbitat in tenebris peccat, nos ergo tanto minus debemus aliena corda audaciter reprehendere, quanto scimus quia visu nostro non possumus alienæ cogitationis tenebras illustrare; sed in hoc solerter intuendum est, quanta pater Job severitate potuit filiorum opera corrigere, qui tanta sollicitudine studuit corda mundare, qui dixit de filiis suis: *Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis* (*Job.* i). Quid ad hæc rectores fidelium dicunt, qui discipulorum suorum et aperta opera nesciunt? quid in sua excusatione cogitant, qui in commissis sibi nec vulnera actionum curant? (Maur.) Quæritur autem cur Paulus Corinthios prohibuerit ante tempus judicare, cum ad Philippenses scribens dicat: *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus* (*Phil.* iii). Ille ergo qui alios prohibuit ante tempus judicare, ipse videtur hic ante tempus eos judicasse, de quibus dixit, *quorum finis interitus.* (*Greg.*) Ad quod responderi potest: Christus qui in Paulo locutus est, futura jam quasi præterita agnoscit, et idcirco etiam Paulo hoc dicente, nihil ante tempus judicavit. Nam et Spiritus sanctus per apostolum Petrum ad Simonem magum ait: *Non est tibi pars, neque sors in hac vita* (*Act.* viii), quia futura Simonis magi quasi præterita Petro in Spiritu fuerant revelata: a quibus autem futura ut præterita minime videntur, ante tempus judicare a Domino prohibentur, de quibus et per prophetam increpando dicitur: *Væ his qui prophetant de corde suo* (*Ezech.* xiii); de corde namque prophetare est ex sola præsumptione, non per spiritum aliquid dicere.

Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo, propter vos, ut in nobis discatis ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. (*Ambr.*) Transfiguravit hæc in se et Apollo, dum pseudoapostolorum glorias et traditiones perversas sub sua persona et Apollo evacuat, summatim illos designans, non singulatim, ne major forte discordia in populis nasceretur. Nemo enim audiens nomen suum taxari aut ejus, cui favet, contentus est tacere. Tacito autem nomine, si quis audiens ac si de se intelligat dictum, dissimulat. Sub hac ergo propositione evacuavit personas illorum cum dicit: *Ego plantavi, Apollo rigavit*, etc., ut in his discerent nihil dandum hominibus. *Quis autem te discernit?* Id est, sunt aliqui qui amplius accipientes in baptismate, aut in doctrina, cæteros dicant minus consecutos. Hoc his loquitur qui baptizatos ab aliis plus aliquid esse putabant, quorum eloquentia seducebantur, ut fuco quodam perversa recta putarent: tanta enim discordia in populo erat, ut multa essent studia diversarum partium, et sic omnia dicta sua aptavit Apostolus, sive manifestatione nominum omnibus partibus, ut cum legeretur Epistola unaquæque pars ad se dicta susciperet, audiens quod causæ suæ intendi cognosceret. *Quid autem habes quod non accepisti?* Nihil illum boni ultra dicit consecutum ab aliis quam ab eo acceperat, ideo frustra quæri, quod enim habebant ab Apostolo acceperant. Ad unum autem videtur loqui, qui ad partem plebis loquitur: *Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Hoc quasi insultatores apostoli agebant per imperitiam, ut eadem audientes, quæ ab Apostolo jam didicerant, illum evacuantes, de horum magisterio gloriarentur; eloquentia enim commendati prædicationis gloriam in se convertebant: Apostolus vero se contemptibilem volebat videri, dummodo Dei gloriam faceret acceptabilem. (Maur.) Ante omnia igitur Apostolus humilitatem suis auditoribus commendat, ut in ipsa stabiliti atque consolidati, superbiæ et arrogantiæ ruinam caveant. Unde et alibi dicit (*I Cor.* iii): *Nemo glorietur in homine;* et paulo superius: *Qui gloriatur,* inquit, *in Domino glorietur;* quoniam et Jacobus ait: *Omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* i). [*Aug.*] Illi vero hæretici seipsos a seipsis justos fieri putantes, quasi hoc eis Deus dederit, sed ipsi sibi, non utique in Domino, sed in seipsis gloriantur. Talibus dicit Apostolus: *Quis enim te discernit?* quod ideo dicit, quia massa illius perditionis, quæ facta est ex Adam, non discernit hominem, ut eum faciat vas in honorem, non in contumeliam, nisi Deus; sed quoniam homo carnalis et inaniter inflatus cum audisset, *quis enim te discernit?* posset respondere, vel voce, vel cogitatione, et dicere, Discernit me fides mea, discernit me oratio mea, discernit me justitia mea; mox Apostolus occurrit cogitationibus ejus et dixit: *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sic enim gloriantur, quasi non acceperint qui se a seipsis justificari putant, ac per hoc in seipsis, non in Domino gloriantur. (*Greg.*) Sancti hi viri sciunt post primi parentis lapsum de corruptibili stirpe se editos, et non virtute propria, sed præveniente superna gratia, ad meliora se vota vel opera commutatos, et quidquid sibi mali inesse cognoscunt

Digitized by Google

de mortali propagine sentiunt meritum; quidquid vero in se boni inspiciunt immortalis gratiæ cognoscunt donum, eique de accepto munere debitores fiunt, qui et præveniendo dedit eis bonum velle quod noluerant, et subsequendo concessit bonum posse quod volunt. Unde bene per Joannem dicitur : *Adoraverunt viventem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante thronum Domini* (*Apoc.* IV). Coronas namque suas ante thronum Domini mittere, est certaminum suorum victorias non sibi tribuere, sed auctori, ut ad illum referant gloriam laudis, a quo se sciunt vires accepisse certaminum. *Jam saturati estis, jam divites facti estis; sine nobis regnatis.* (Amb.) Ironia est, sicut dicunt : irascentis enim verba sunt, non confirmantis, in quibus enim tanta vitia arguit, regnare illos dicit, sic enim putabant gloriantes de his quæ a pseudoapostolis tradebantur : *Et utinam regnetis, ut et nos vobiscum regnemus.* Ut pius pater etiam ingratis filiis bene optat, qui enim fieri poterat ut sine apostolis regnarent? Quidquid enim non ab apostolis traditum est sceleribus plenum est : sic tamen fuerat ordo dicere, ut nobiscum regnetis, sed quia præmiserat, *et utinam regnetis*, aliter dicere non potuit, nisi ut et nos vobiscum regnemus. Regnare autem est de spe et promissis Christi securum esse, et gaudere in his quæ adversa propter nomen Christi accedunt : lucrum enim afferunt, non detrimentum; unde alio loco dicit (*II Cor.* XII) : *Cum infirmor, tunc potens sum.*

Puto enim Deus nos novissimos apostolos ostendit quasi morte destinatos. Hoc ideo personæ suæ deputat, quia semper in necessitate fuit, persecutiones et pressuras ultra cæteros passus, sicut passuri sunt Enoch et Elias qui ultimo tempore futuri sunt apostoli; mitti enim habent ante Christum, ad præparandum populum Dei et muniendas omnes Ecclesias ad resistendum Antichristo, quos et persecutiones pati et occidi lectio Apocalypsis testatur. Horum ergo tempus suo tempori comparavit Apostolus dicens, *quasi morti destinatos :* ad hoc enim venturi sunt ut occidantur.

Quia spectaculum facti sumus huic mundo, et angelis, et hominibus. Quia erunt spectaculum et Enoch et Elias, usque adeo ut corpora eorum in platea projiciantur, in conspectu totius populi infidelis : ita et apostoli spectaculum facti sunt, quia publice ridebantur positi ad injuriam et mortem quam passi sunt; mundum autem angelos et homines dixit, quia et angeli mali sunt, dicente David in psalmo : *Vexabat illos per angelos malos* (*Psal.* LXXVII); et homines mali increduli, his apostolorum injuriæ oblectamento sunt. Mundus autem idcirco infidelitas dicitur, quia visibilia sequitur. *Nos stulti propter Christum.* Verum est, quia amantes Christum stulti sunt mundo. *Vos autem prudentes in Christo.* Qui prudens in Christo judicatur a perfidis, non recte asserit Christum. Denique Marcion, quia negat Filium Dei, et incarnari Deum potuisse, prudens est mundo; et Photinus, quia non fatetur Christum per id quod natus est Deum, sapiens videtur mundanis. *Nos infirmi, vos autem fortes.* Infirmi ideo, quia sine adulatione, et cum stultitia sicut videtur mundanis, prædicantes Christum injuriis subjiciebantur. *Vos autem fortes :* ideo fortes, quia sic profitebantur Christum, ne offenderent homines, ut essent securi. *Vos nobiles.* Qui enim Christum non fatetur, quia Abrahæ promissus est, et ab initio prædicatus est, hic nobilis contra Christum est, quia antiquitatem promissi Christi aliis deputat. *Nos autem ignobiles.* Ignobilis mundo est, qui Christum, quod mundus denegat, ab initio profitetur : hæc igitur omnia supra dicta, quæ negare videtur, confirmat, et quæ quasi confirmare videtur negat, irascentis enim verba sunt qui negando confitetur et confitendo negat. *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et laboramus, operantes manibus nostris.* Libere enim et juxta veram fidem sine aliqua adulatione Christum prædicantes et gesta pravæ vitæ arguentes, gratiam apud homines non habebant, et colaphizabantur, id est injuriis agebantur, et instabiles erant, quia fugabantur, ne in loco diu manentes plures docerent. Ideo et manibus operabantur, quia non solum gratiam apud homines non habebant, verum etiam ab his accipere indignum erat, qui errori studebant, sicut dicit in psalmo : *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* (*Psal.* CXL), quia et libertatem arguendi amittit, et peccat, qui ab eo accipit qui peccat, qui ideo dat ne corripiatur. *Maledicimur et benedicimus.* Male tractantes enim se hortabantur ad bonum. *Persecutionem patimur et sustinemus.* Quia persequentibus se non resistebant. *Blasphemamur et obsecramus.* Blasphemantes enim rogabant ut permitterent reddi sibi rationem. *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc.* Non resistendo ulli, neque vicem in malis reddendo, sed semper se subjiciendo, ut per patientiam provocaret ad bonum, contemptibilis et despectus fiebat; *usque modo*, id est usque nunc, etiam apud Corinthios, pro quibus hæc quæ supra memorat mala passus est, et quoniam humilitatem suam nihil proficere in his videbat, queritur dolore commotus tantam subjectionem et injurias nullum fructum habere potuisse, sed, quod deterius est, in pejus profecisse. *Non ut confundam vos hæc scribo :* hoc est, non ut ruborem vobis faciam, hæc scribo, sed ut corrigatis. *Sed ut filios meos charissimos moneo.* Adhuc se supplicem facit, ne correpti, ad iram provocati admoniones ejus spernerent, id agit ut medicus salutaris, qui putamina [putredinem] abscindens dolorem illatum spe et blanditiis mitigat, ut æger se curari permittat.

Nam si decem millia pædagogorum habueritis in Christo, sed non multos patres : per Evangelium enim ego vos genui. His dictis ostendit nullum posse eo affectu diligere illos, quo ipse eos diligebat. Quis enim alienos filios suis præponat in amore? ac per hoc monita ejus qui et pro his tanta mala passus est non debere eos spernere. *Obsecro vos, imitatores me*

Digitized by Google

estote. O benevolentia sancti apostoli, qui obsecrat filios ut imitentur patrem, hoc est sponte rogat ægros ut recipiant medicinam! In his tamen sui illos imitatores vult esse, ut sicut hic multa exitia pro salute illorum ab incredulis passus est, et non cessit, dummodo per dies et noctes evangelizaret illis donum gratiæ Dei : ita et illi manentes in fide ejus et doctrina, non reciperent falsorum apostolorum prava commenta, sed resisterent contemnentes opprobria aut detractiones, ut patri suo spiritali inviolatum reservarent affectum. *Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, et fidelis in Domino.* Hortatur illos in hoc eodem Timotheo, quem ideo charissimum et fidelem filium obtestatur in Domino, ut in hoc discernerent quid peccarent. Cum enim huic testimonium perhiberet, illos arguit. *Qui vos commonefaciat vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni Ecclesia doceo.* Per istum quem fidelem filium in Domino confirmat, reverti illos vult ad regulam a se traditæ veritatis, ut commoniti verbis et exemplis operum ejus, resipiscerent, cognoscentes non perperam se fuisse ab Apostolo doctos, quando eadem tenere omnes Ecclesias discerent. *Tanquam non venturus essem ad vos, inflati sunt quidam.* Indignabantur quidam Corinthiorum, quia non ibat ad illos, non desiderio, sed superbia, quod quasi indignos illos haberet, cum magis Apostolo hoc studium fuerit, ut de indignis faceret dignos, habebat ergo votum eundi, sed majora erant quæ agebat. *Veniam autem cito ad vos, si Dominus voluerit.* Post commonitionem promittit se ire ad illos, sed si Dominus permitteret, ut quia plus scit Deus quam homo, ideo si sciret operæ pretium esse, permitteret, ut si non iret, Dominus non sivisse ostenderet, causa utique indignitatis illorum. *Et recognoscam non sermonem illorum qui inflati sunt, sed virtutem.* Confundit illos, quia cum oblique conversarentur indignabantur quasi digni essent ab Apostolo visitari. *Nec enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* Ut sicut regnum Dei non splendore verbi commendatur, sed virtute signorum, ita et hi non verbis nudis, sed virtute operum spiritalium dignos se ostenderent ab Apostolo visitari. *Quid vultis? In virga veniam ad vos, aut in charitate et spiritu mansuetudinis?* Terroris verba infert, ut pudorem passi, qui inflati erant humiliarentur, ut si vere apostoli præsentiam desiderarent, præpararent se ad excipiendum eum, id est, abluerent ab omni plaga criminis, et veniens ad illos lætitiam haberet quasi cum filiis charissimis.

CAPUT V.

Arguit Apostolus vitium fornicationis, adjuncta pœna, radicemque culpæ reprehendit. cum negligentia correptionis

Omnino auditur in vobis fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes est. (Ambr.) Ut quam grave sit istud peccatum ostenderet, nec ab his hoc dixit admitti, qui Deum nesciunt, ut perinde, qua pœna hic multandus esset ostenderet, qui sub terrena et divina justitia constitutus tanti sceleris crimen admiserat. *Ita ut uxorem patris quis habeat.* Præmissi criminis prodidit genus, ut non solum illum aperte reum mortis faceret : sed adhærentes illi non immunes a crimine demonstraret, in quo enim difficile peccatur, plus facit reum. (*Greg.*) Subtiliter itaque ab arguente discutienda sunt opera protervorum, ut in quo sibi placent, ostendantur, quia Deo displicent, tunc enim protervos melius corrigimus, cum ea quæ bene egisse se credunt, male acta monstramus, ut unde adepta creditur gloria, inde utilis subsequatur confusio; nonnunquam vero, cum se vitium proterviæ minime perpetrare cognoscunt, compendiosius ad correctionem veniunt, si alterius culpæ manifestioris, et ex latere requisitæ in opprobrio confundantur, ut ex eo quod defendere nequeunt, cognoscant se tenere improbe, quod defendunt. Unde cum proterve Paulus Corinthios adversum se invicem videret inflatos, ut alius Pauli, alius Apollo, alius Cephæ, alius Christi esse se dicerent, incestus culpam in medium deduxit, quæ apud eos et perpetrata fuerat et mox recta remanebat dicens : *Auditur inter vos fornicatio et talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris quis habeat,* et vos inflati estis et non magis luctum habuistis, ut tolleretur de medio vestrorum, qui hoc opus fecit. Ac si aperte dicat : Quid vos per proterviam hujus vel illius dicitis, qui per desolationem [dissolutionem] negligentiæ nullius vos esse monstratis ? *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis?* (Ambr.) Superbiam illorum in tantum humiliat, ut non querulos jam, sed magis supplices faciat : erant enim et ipsi participes dum paterentur reum tam ingentis facinoris secum incorreptum convenire, ut omnes uno consilio abjicerent eum, si negaret emendare se; si autem quis potestatem non habet, quem scit reum abjicere, aut probare non valet, immunis est, et judicis non est, sine accusatore, damnare : quia et Dominus Judam, cum fur esset, quia non est accusatus minime abjecit. *Ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Cognito opere isto pellendum illum, ait, fuisse de cœtu fraternitatis. Omnes enim crimen ejus sciebant et non arguebant : publice enim novercam suam loco uxoris habebat. In qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen. *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu.* Idem absens facie, præsens autem auctoritate spiritus, cujus cum adest virtus, *jam judicavi eum ut præsens, qui hoc admisit, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis, et meo spiritu, cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis.* Quoniam omnis carnalis voluptas a diabolo est, ac per hoc cum huic voluptati remittitur, traditur Satanæ : caro enim hoc habet in natura, ut intereat. Anima ergo cum se jungit desiderio ejus, infirmans spiritalem suum vigorem, simul interitum patitur. Itaque si hic correptus stupri admissi erubesceret ejectum se, non interiret, pœnitentia subsequente. Non tantum omnium consensu et præsentia, sed virtute Domini Jesu, id est, sententia, cujus legatione

Digitized by Google

fungebatur Apostolus, abjiciendum illum de Ecclesia censuit. Cum ejicitur, traditur Satanæ in interitum carnis, ut et spiritus salvus sit in die Domini. Anima enim et corpus intereunt, quando quæ contra legem sunt, fiunt. Sed in hac aliter causa interitus carnis homini deputatur : quamquam enim omnia peccata carnalem hominem præstent, hoc tamen specialiter desiderium carnis est; quod sordibus maculatam animam cum corpore tradit gehennæ : quia victa anima in libidine carnis, fit caro, sicut et corpus recte gubernatum, spiritale appellatur. Animus tamen est, qui aut victus illecebris, totum hominem carneum facit, aut in vigore naturæ suæ manens carni præstat, ut spiritalis dicatur.

Ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi, tradi jubet contaminatum supra dictum Satanæ, ut Spiritus salvus sit in hominibus Ecclesiæ in die judicii; nisi enim ejectus esset, non fieret salvus spiritus Ecclesiæ in die judicii. Deserebat enim omnes contaminationis causa, ut in die Domini nudi ab Spiritu sancto inventi audirent a judice Domino : *Recedite a me, non novi vos* (*Matth.* VII), sicut dicit ad Romanos : *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII); et in alia Epistola : *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei.* Si enim contristatur deserit, et non erit salvus, non utique sibi, qui impassibilis est, sed nobis quibus datus est, ut per illum Dei filii esse probemur. Res enim quæ admittitur salva non est, non utique sibi, quæ ubicumque sit, necesse est sit, sed ei a quo admittitur. (*Cass.*) Duo hæc credere immobiliter nos oportet, primo quod sine Dei permisso, nullus ab eis omnino tentetur; secundo quod omnia quæ a Deo nobis inferuntur, sive tristia ad præsens vel læta videantur, velut a piissimo patre clementissimoque medico pro nostris utilitatibus irrogentur, et idcirco eos velut pædagogis traditos humiliari, ut discedentes ex hoc mundo, vel purgatiores ad vitam aliam transferantur, vel pœna leviore plectantur, qui secundum Apostolum traditi sunt in præsenti Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jesu Christi. *Non est bona gloriatio vestra.* (Amb.) Hoc est, non bona, læti enim erant cum magis contristari debuerint in fratre, tam acerbe peccante, sicut tristis fuit Samuel in Saul peccante (*I Reg.* XV), in quo crimine mali doctores, aut dissimulabant, aut negligentius arguebant, sicut et Heli sacerdos filios suos peccantes in Deum, ne amari essent hominibus (*I Reg.* II).

Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit. Ita et peccatum unius quod cognitum non arguitur, multos contaminat, imo omnes qui norunt, et non devitant, aut cum possent arguere dissimulant : non enim sibi videtur peccare, quando a nullo corripitur aut vitatur. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio.* Hoc duplici genere accipiendum est, quia est et fermentum humana doctrina, dicente Salvatore : *Cavete a fermento Pharisæorum* (*Matth.* XVI), id est, a doctrina mala, ergo doctrina mala cavenda est, et ob hanc causam dictum est, quia ejecto fornicatore vetus fermentum ejicitur. Ideo autem vetus, quia antiqui erroris peccatum est : nova autem conspersio Christi doctrina est. *Sicuti estis azymi.* Azyma ex causa non fermentatæ farinæ dictum est, cum filii Israel ejecti sunt de Ægypto ut fermentum vetustas haberetur, Azyma autem novitas : abjectis enim veteribus erroribus Ægyptiorum in novam legem inducti sunt. Ita et Corinthii post paganorum errores, in Evangelium Christi inducti sunt. Hortatur ergo ut secundum professionem suam quam ab Apostolo sub nomine Christi acceperant, et viverent jam vitæ novæ cultores, et hoc est azymos esse. *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.* Secundum legem docet novitatem paschæ ratione consistere, et ideo Christum esse occisum, ut ex eo nova prædicatio, novam faceret conversationem : ut quia paschæ rationem colimus, veterem vitam non sequamur. Pascha itaque immolatio est, non transitus, sicut quibusdam videtur : prius enim pascha et sic transitus, quia ante exemplum est Salvatoris, et sic signum salutis, nec enim ante signum quam crux : nam occiso vespere agno in Ægypto filii Israel pascha egerunt, ex cujus sanguine postes signaverunt, ut noctu angelus transiens ea loca non contingeret, quæ sanguine agni fuerant oblita. *Itaque festa celebremus* [*epulemur*] *non in fermento veteri.* (Ambr.) Hoc est lætitiam habentes renovationis facta vetera fugiamus, immunditiam omnem abjicientes a nobis, quæ est corruptio. Quia sicut fermentum totam massam corrumpit, ita et mala vita totum hominem. Ergo ut non solum a turpitudine vitæ nos observemus, sed et ab iniquitatis studio, adjecit. *Neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* Hoc est, ut sinceritas mundam vitam faciat, veritas autem omnem fraudem excludat. *Scripsi vobis in epistola ne commisceamini fornicariis.* Scripsisse se significat prius, ubi commonet illos, ne conjungerent se malæ vitæ hominibus, et quia non intellexisse forte, ea quæ scripserat, videbantur, nunc in hac Epistola quid scripserit interpretatur dicens : *Non utique fornicariis hujus mundi*, sed a fratribus scripsi recedendum. *Aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus; alioquin debueratis de hoc mundo exire.* Igitur intellectum illorum arguit qui putabant forte quia ab incredulis fornicariis, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus prohibuisset, non a fratribus, et ideo illum, qui uxorem patris habebat, inter se esse non ægre ferebant. Si igitur his commiscimini, inquit, melius erat mori vos, compendium est enim male agentibus si citius moriantur, quam si diutius in peccatis versentur. *Nunc autem scripsi vobis ne commisceamini. Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec quidem cibum sumere.* Cum fratre prohibet cibum sumere, cum infideli autem non prohibuit, quippe cum dicat (*I Cor.* X) : *Si quis vos vocat ex infidelibus ad cœnam, ite et omne quod*

Digitized by Google

appositum fuerit manducate. Ideo ait, *quid enim mihi de his quæ foris sunt judicare?* Verum est, quia perfidos episcopus non potest judicare. Cum fratre autem in quo vitia hæc reperiuntur, non solum Sacramenta non edenda, sed nec communem escam docet: ut erubescat cum vitatur et se corrigat. *Nonne de his qui intus sunt vos judicatis?* Judicat quis dum discernit cui fratri adhæreat, quæ arguat, quem devitet. *Nam eos qui foris sunt Deus judicabit.* Superius ait: A *Nolite ante tempus judicare,* hic non prohibet, sed superius incognita per suspicionem maxime de rectore prohibuit judicare, quia Dei solius est occulta judicare, hoc autem loco ut fratrem frater examinet, jam jubet, sicut alio in loco dicit (*II Cor.* XIII): *Vos ipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate;* qui autem foris sunt in die judicii damnabuntur, quia dixit Dominus: *Qui non crediderit, jam judicatus est* (*Joan.* III); in quo enim spes non est, pro mortuo habendus est.

LIBER DECIMUS.

CAPUT VI.

De judicibus coram quibus litigant arguit suos, et de causis quos inter se habent, et redit ad corrigendum fornicationis vitium.

Auferte malum ex vobis ipsis. (Ambr.) Adhuc commonet ut discernantur a malis et operibus et hominibus. *Audet aliquis vestrum adversus alterum habens negotium judicari apud iniquos et non apud sanctos?* Iniquos duplici genere significat, et qui non credunt, et qui leges a Deo mundo creditas frequenter cum adulatione interpretantur, auctoritatem harum idolis deputantes, ideoque iniqui sunt, et quia in Ecclesia magis lex est, ubi Deus legis timetur, melius dicit apud Dei ministros agere causam; facilius enim de Dei timore sententiam legis veram promunt. (*Aug.*) Et hic posset fieri judicium habere adversus alterum non esse peccatum, sed tantummodo id, extra Ecclesiam velle judicari, nisi secutus adjungeret: *Jam quidem omnino delictum est inter vos quia judicia habetis vobiscum,* et ne quisquam ita hoc excusaret, ut diceret, justum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam vellet a se judicum sententia removeri, continuo talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit atque ait: *Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini?* ut ad illud redeatur quod Dominus ait: *Si quis voluerit tunicam tuam tollere et judicio tecum contendere, dimitte ei et pallium* (*Matth.* XXIV); et alio loco: *Qui abstulerit,* inquit, *tua, noli repetere* (*Luc.* VI). Prohibuit itaque suos de sæcularibus rebus cum aliis habere judicium. Ex qua doctrina Apostolus dicit esse delictum; tamen cum sint in Ecclesia talia judicia finiri inter fratres, fratribus judicantibus, extra Ecclesiam vero terribiliter vetat: manifestum est hic quid secundum veniam concedatur infirmis. *Aut ignoratis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt?* Nihil odiose dicit Apostolus, ideo enim hunc mundum dixit, ut ostendat et alterum, quia et Joannes apostolus: *Nolite,* ait, *diligere hunc mundum* (*I Joan.* II); et Dominus in Evangelio: *Sic,* inquit, *dilexit Deus mundum hunc,* etc. (*Joan.* IV). Hic ergo mundus in errore est, non ille superior ad cujus similitudinem hic factus est. Unde homo hic positus est ad imaginem Dei factus, ut sicut in superiori mundo ab uno Deo sunt omnia, ita et in hoc ab uno homine B omnes haberent originem, hinc est, unde Moyses in Deuteronomio (*Deut.* XXXIII): Cum divideret, inquit, Altissimus gentes, quemadmodum dispersit filios Adæ, statuit fines gentium secundum numerum angelorum Dei. Quid tam apertum hunc mundum superioris esse imaginem certa ex causa, est enim et Hierusalem inferior et illa superior, quam matrem nostram vocat idem Apostolus: est et inferior paradisus, in quo homo positus, mandatum et ut operetur ibi, et ut custodiret accepit. Est et ille cœlestis in quo raptus Apostolus audivit arcana verba (*II Cor.* XII). Judicabunt ergo sancti hunc mundum, quia exemplo fidei illorum perfidia mundi damnabitur. *Et in vobis judicabitur mundus,* tunc judicabitur hic mundus in nobis, si opus perfidorum hominum inveniatur in nobis. *Indigni sunt ergo hujusmodi qui etiam de minimis judicent.* Hoc est, non sunt utique indigni hi qui ipsum mundum judicaturi sunt, ea judicare quæ mundi sunt. *Nescitis quoniam angelos judicabimus?* Addit plus dicendo, *angelos judicabimus,* id est, potentias spiritales, quas alio loco tradit in cœlestibus degere, eodem genere judicandos angelos a nobis, quo et mundus judicabitur. (*Greg.*) Mentes quippe sanctorum transitoria cuncta despiciunt et sub se labi quidquid superbit, quidquid præterit contemplantur, et quasi in quodam rerum vertice constituti, tanto sibi omnia subesse conspiciunt, quanto semetipsas verius auctori omnium subdunt, atque inde cuncta transcendunt, unde Creatori cunctorum vera se humilitate prosternunt. (*Aug.*) In Evangelio ergo Dominus ait: *Sedebitis super duodecim sedes judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Si duodecim sellæ ibi sunt, non est ubi sedeat tertius decimus apostolus Paulus, et non erit quomodo judicet. Sed ipse judicaturum se dixit non homines tantum sed Angelos; quos Angelos nisi apostatas? *Nescitis,* inquit, *quia angelos judicabimus?* Responderet ergo turba, Quid te jactas judicaturum? ubi sedebis? Duodecim sedes, dixit Dominus, de duodecim apostolis unus cecidit, in locum ipsius sanctus Matthias ordinatus est, impletus est duodenarius numerus sedium, primo locum inveni, ubi sedeas, et sic te minare judicaturum. Quomodo ergo in quinque fratribus illius, qui torquebatur apud inferos, millia populi Judæorum, quomodo centum quinquaginta

Digitized by Google

trium piscium millia millium sanctorum, sic in duodecim sedibus non duodecim homines, sed magnus numerus perfectorum intelligitur. *Sæcularia judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos ad judicandum constituite.* (Ambr.) Sæcularia judicia sunt ad corpus pertinentia, vel corporea, et quia non sic fieri debet adjecit : *Ad reverentiam vestram dico.* Ne quia supra negotium nominavit, sed quale non significavit, sunt enim et divina negotia, dicente eodem : *Adjutor negotii mei* (*Col.* IV), et sæcularia forte judicia, quia prohibuerat apud perfidos agenda quamvis in Ecclesia sicut audierant, a qualibuscumque tamen putarent audienda, aut terminanda, ad ruborem eorum, ait, *contemptibiles qui sunt in Ecclesia*, hoc est lignea vasa ; tam enim intractabiles et inconsideratos eos significavit, ut imperitos forte ex tribus judices eligerent. Hoc de experto scribebat Apostolus, sciebat enim quam tepidi et improvidi in reliquis causis fuerant deprehensi. (*Greg.*) Paulus enim auditores suos ad virtutem sapientiæ et linguarum genera, ad prophetiæ quoque indaganda mysteria succendebat dicens : *Æmulamini dona meliora, magis autem ut prophetetis* (*I Cor.* XIV). Sed quia spiritalia dona non caperent, si terrena eos negotia depressissent, longe ante præmisit, dicens : *Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Ac si aperte dicat, qui minoris meriti sunt in Ecclesia et nullis magnorum donorum virtutibus pollent, ipsi de terrenis negotiis judicent, quatenus per quos magna nequeunt bona, minora suppleantur ; quos et contemptibiles nominat, et tamen sapientes vocat, cum dicit : *Sic non est sapiens quisquam inter vos qui possit judicare inter fratrem suum ?* Qua ex re quid colligitur nisi ut terrenas causas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt? qui autem spiritalibus donis ditati sunt, profecto terrenis non debent negotiis implicari, ut dum non coguntur inferiora bona disponere, exercitati valeant bonis superioribus deservire. Sed curandum magnopere est, ut qui donis spiritalibus emicant, nequaquam proximorum infirmantium negotia funditus deserant, sed hæc aliis, quibus dignum est, tractanda committant. Unde et Moyses quoque ad populum viros pro se septuaginta constituit (*Exod.* XXIV), ut quanto se ab exterioribus causis absconderet, tanto ardentius interna penetraret, sicque fit, ut et summi viri magis ad spiritalia dona proficiant dum eorum mentes res infimæ non conculcant ; et rursum viri in Ecclesia ultimi sine bono opere non vivant, dum in rebus exterioribus inveniunt recta quæ agant. Sancta quippe Ecclesia sic consistit unitate fidelium, sicut corpus nostrum unitum est compage membrorum. Alia namque membra sunt in corpore, quæ intuendæ luci deserviunt ; alia quæ a terræ tactu minime disjunguntur. Oculus quippe luci intenditur, et ne cæcari valeat a pulvere custoditur. Pes enim tunc officium suum recte peragit, cum suscipiendum terræ pulverem non refugit, quæ tamen corporis membra vicissim sibi sua officia impartiendo copulantur, ut pes oculis currat, et oculus pedi prospiciat. Sic itaque, sic sanctæ Ecclesiæ membra debent et officio esse disjuncta, et charitate conjuncta, ut summi viri eorum viam provideant, qui in terrenis negotiis vacant ; quatenus velut ad lumen oculorum pes ambulet, et rursum quidquid terrenis negotiis implicati agunt, hoc ad majorem utilitatem referant. Ut pes cujus via prospicitur, non sibi tantummodo, sed etiam oculis gradiatur. Dum itaque sibi invicem alterna administratione conveniunt, miro modo agitur, ut quia electi quique vicissim sibimet impendendo, quod valent faciunt, eorum fiant opera etiam quæ facere ipsi non possunt. Sed inter hæc sciendum est, quia cum proximorum causis exterioribus, qui apte deserviant desunt, debent hi quoque, qui spiritalibus donis pleni sunt, eorum infirmitati condescendere, terrenisque eorum necessitatibus, in quantum decenter valent charitatis condescensione servire ; nec tædere animum debet si sensus ejus contemplationi spiritalium semper intentus aliquando dispensandis rebus minimis quasi minoratus inflectitur, quando illud Verbum per quod constant omnia creata ut prodesset, hominis assumpta humanitate voluit paulo minus angelis minorari. Quid ergo mirum si homo se propter hominem attrahat, dum creator hominum et angelorum formam hominis propter hominem suscepit ? nec tamen minoratur sensus cum sic attrahitur, quia tanto subtilius superiora penetrat, quanto humilius pro amore conditoris nec inferiora contemnit. Quid indignum nobis vel difficile est si supra infraque animum ducimus, qui eadem manu corporis lavamus faciem, qua etiam calceamus pedem? *Sic non est inter vos quisquam sapiens qui possit judicare inter fratrem suum?* (Amb.) Quia ergo sunt, inquit, sapientes fratres, aliqui horum eligantur ad judicandum quorum judicium meretur mundus, magnus enim pudor est si inter eos qui dicuntur Dominum cognovisse, non inveniatur qui examinare possit negotium juxta jus Evangelicum, ideo autem fratrem judicem eligendum dicit, quia adhuc rector Ecclesiæ illorum non erat ordinatus. *Sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles.* Manifestum est, quia infideles aut arbitros, ut assolet fieri, postulatos significat, aut judicem publicum cui dici solet : Hodie dies sacrorum est, ius dici non potest.

Jam quidem omnino delictum in vobis est, quod judicia habeatis inter vos. Peccatum esse significat, quia frater cum fratre litigat, cum danda opera sit, ut concordes sint quasi germani, maxime cum fides nostra paci studeat. Quamquam enim Christianus litigare non debeat, tamen si grave quid fuerit, et quod contemni non possit, causam ad Ecclesiam deferat, ne et damnum ad præsens et offensionem forte incurrat.

Quare non magis injuriam patimini ? Quare non magis fraudamini ? Sed vos injuriam facitis, et fraudatis, et hoc fratribus. Nunc hos corripit quorum injustitia jurgium generatur, quia non solum per

Digitized by Google

fraudem admissam rei sunt, sed et partem habent delicti illorum, qui coacti injuria aut fraude eorum, infideles rogant ad judicandum, et cum fraudem aut injurias illatas persequi non deberent, non solum vindicant, sed et ipsi fraudem et injurias faciunt, ut puniendi exempla fratribus tribuant. Et quid aliis facere credatur qui non parcit suis? *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* Hoc dicens ostendit illos non nescios peccare, ac per hoc gravius vindicandum, si enim immisericordes rei sint apud Deum, quanto magis iniqui? *Nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Non hæc idcirco memoravit quasi nescirent, apud quos annum et sex menses sedit, docens Evangelium Dei, sed commonuit ut resuscitaret in illis reverentiam legis et meritum ad regna cœlorum. *Et hæc quidem fuistis.* Ne omnibus hoc ascribere videretur, aut certe omnes ab his criminibus immunes faceret, si taceret, (prohibuisse enim videbatur, non revelasse crimina illorum); idcirco sic ait : *Et hæc quidem fuistis*, et ne ad iram illos provocaret adjecit, *Sed abluti estis;* ut agnoscentes crimina rei facti, statim respirarent audientes *sed abluti estis.* Solent enim aliqui pudorem pati, et corrigere cum de se audiunt bona. *Sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et Spiritu Dei nostri.* Hæc omnia beneficia puritatis in baptismate consecuti noscuntur, quod est fundamentum Evangelicæ veritatis : illic enim omnibus depositis peccatis abluitur credens, justificatur in Domini nomine, et Spiritu Dei nostri, Dei filius adoptatur. Per hæc admonet illos, quanta et qualis sit gratia, quam per veram traditionem assecuti sunt. Postea vero contra hanc regulam fidei impulsu malorum doctorum sentientes, his beneficiis se exuerunt. Unde id agitur ut revocet illos ad primam sententiam, ut recuperent quod fuerant consecuti. *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.* Omnia sibi licere dicit, ea scilicet, quæ et coapostolis ejus licuerunt, quæ et lex continet naturalis, non Moysis, quia multa prohibuit Moyses propter duritiam cordis populi increduli et cervicosi, tamen si ad causam respicias, aliud fuit in sensu Apostoli, ut hæc loqueretur. Hæc enim præmisit, postea acturus hanc causam, sicut fecit, et de illo qui incestum admiserat, proponit enim designans quid acturus esset postea. Denique statim ad superiorem sensum breviter, interim re commendata redit, hoc enim ideo dicit quia licebat illi ab his sumptus accipere. Sed quoniam sciebat pseudoapostolos occasionem quærere accipiendi, noluit ab his accipere, ne causa ventris vigor Evangelicæ veritatis torpesceret : si enim ab his acciperet, quos in tantis vitiis arguebat, auctoritatem magisterii concessam sibi ad nos a Domino inclinabat; non enim potest constanter argui, a quo accipitur, maxime cum ideo promptus ad dandum sit, ut sibi humiliet præpositum; unde et dicit : *Sed ego sub nullius redigar potestate.* (Aug.) Potest aliquid licere et non expedire, Expedire autem quod non licet non potest. Ac per hoc non omnia licita expediunt, omnia vero illicita non expediunt. Tunc non expedit id quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis adfert aliis impedimentum salutis; mihi videntur licere non expedire, quæ per justitiam, quæ coram Deo est, permittuntur, sed ostensione hominum, si ob hoc impediantur ad salutem, vitanda sunt : ea vero non licere quæ sic vetantur ut facienda non sint. (*Greg.*) Sæpe hi qui in potestate sunt, dum sese et a licitis retinere nesciunt, ad illicita et inquieta delabuntur : solus enim in illicitis non cadet, qui se et aliquando a licitis caute restringit, qua videlicet contritione religatus beatus Paulus insinuat dicens : *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Atque ut ex ipsa religatione ostenderet, in quanta se mentis libertate dilataret, illico adjunxit : *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius potestate redigar :* cum enim mens concepta desideria sequitur, servire rebus convincitur, quarum amore superatur. Paulus, cui cuncta licent, sub nullius potestate se redigit, quia semetipsum etiam a licitis restringendo ea quæ delectata premerent despecta transcendit. *Esca ventri et venter escis : Deus autem et hunc et hanc destruet.* (Amb.) Destructio ventris est, cum edendi cessat officium, escæ vero destructio tunc erit, quando steterit nativitas. Pseudoapostoli autem, qui non utique religionis causa sed quæstus circuibant, peccantibus amari esse nolebant. (*Aug.*) Reficimus quotidianas ruinas corporis edendo et bibendo, priusquam escas et ventrem destruas satietate mirifica cum occideris indigentia, et corruptibile hoc induerit incorruptionem. *Corpus autem non fornicationi, sed Domino.* (Amb.) Nunc redit ad superiorem sensum. *Et Dominus corpori.* Quid Dominus corpori? subauditur, immortalitatem resuscitato præstabit; corpus enim Deo dicatum dono spiritali remunerabitur merito ducis, id est animi. *Deus vero et Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam.* Idem sensus est, quem Dominicæ voluit exemplo resurrectionis firmare, virtus enim Dei Christus est, qua nos suscitabit, et ipsum Dominum, hoc dixit, quia ipse Dominus corpus suum suscitavit, sicut et ipse Dominus ait : *Solvite templum hoc, et ego tribus diebus suscitabo illud : hoc autem dicebat de templo corporis sui* (*Joan.* II). Quibusdam tamen videtur propter libertatem concessi arbitrii dixisse Apostolum : *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt,* ut liceat fornicari, non tamen expediat. Sed quomodo licet quod prohibetur? aut certe si omnia licent, nihil potest dici illicitum, sed licet, non tamen expedit. Hæc susurrant potius quam asserunt aut immemores, aut negligentes. Dicit enim Joannes Baptista ad Herodem : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* (*Marc.* VI). Sed forte Joannes expers fuit humani eloquii, inspiratus in utero, quia si hoc est, debuit dicere, Licet tibi, sed non expedit. Sed et

Digitized by Google

Dominus similiter mulieri Chananææ ait: *Non licet accipere vanem filiorum et mittere canibus* (*Matth.* xv), et iterum dicit Dominus Judæis: *Non legistis quid fecit David, cum esuriret, quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis accepit? quos non licebat*, etc. (*Matth.* xii). Omne ergo quod prohibetur non licet, et omne quod non licet prohibetur; sed aliquando interveniente aliqua causa licet, sed non expedit. *Nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt?* Corpora nostra membra Christi sunt, sed in novum hominem qui secundum Deum creatus est, quia ipse est caput Ecclesiæ: *Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit. Absit*, ait, quia meretrici adhærentia membra desinunt esse membra Christi. *An nescitis quia qui adhæret meretrici unum corpus fit?* Hoc dicit, quia qui contaminationi se admiscet, unum fit cum eo, cui se admiscet. Fornicatio enim ambos unum facit, ut quomodo in natura, sic et in macula unum sint. *Erunt, inquit, duo in carne una*. Manifestum est, ut quia mulier de viro est, ambo in carne una sint. *Qui autem adhæret Domino unus spiritus est.* (Aug.) Quoniam in bene agentibus spiritus Dei est, communis cum Deo hominibus. Cum sic dicitur unum, ut non addatur quid unum, et plura unum dicuntur eadem natura, atque essentia non dissidens neque dissentiens significatur; cum vero additur quid unum, potest aliquid significari ex pluribus unum factum, quamvis diversis natura, sicut anima et corpus non sunt utique unum; quid enim tam diversum nisi addatur aut subintelligatur quid unum, id est unus homo aut unum animal. Inde Apostolus, *qui adhæret meretrici*, inquit, *unum corpus est*, non dixit unum sunt, aut unum est, sed addidit *corpus*, tanquam ex duobus diversis masculino et feminino unum corpus adjectione compositum, *et qui adhæret*, inquit, *Domino, unus spiritus est.* Non dixit qui adhæret Domino unum est, aut unum sunt, sed addidit *spiritus*. Diversum enim natura spiritus hominis et spiritus Dei: sed inhærendo fit unus spiritus ex diversis duobus. Ita ut sine humano spiritu, beatus sit Dei spiritus atque perfectus, beatus autem hominis spiritus non nisi cum Deo. Quamobrem sive ita dicatur, Deus, de Deo, ut et singulis hoc nomen conveniat, non tamen ut ambo simul duo dii, sed unus Deus sit; ita enim sibi cohærent, quod etiam in distantibus diversisque substantiis fieri Apostolus testis est. Nam et solus Dominus spiritus est, et solus hominis spiritus, utique spiritus est, tamen si adhæreat Domino, unus spiritus est: quanto magis ibi, ubi est omnino inseparabilis atque æterna connexio? Sic ordinata est mens naturarum ordine, non locorum, ut supra illam non sit nisi Deus. Denique cum illi penitus adhæserit, unus erit spiritus, cui rei attestatur Apostolus dicens: *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* Accedente quidem ista ad participationem naturæ veritatis beatitudinis illius, non tamen crescente illo in natura veritatis beatitudine sua. In illa itaque natura cui feliciter adhæserit immutabile videbit omne quod viderit, tunc sicut ei divina Scriptura promittit, satiabitur in bonis desiderium ejus, bonis immutabilibus, ipsa trinitate Deo suo, cujus imago est, et ne uspiam deinceps violetur, erit in abscondito vultus ejus tanta ubertate ejus impleta, ut eam nunquam peccare delectet.

Fugite fornicationem. (Amb.) Recte fugiendam monet fornicationem per quam filii Dei fiunt filii diaboli. *Omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur in corpus suum peccat.* Ostendit gravissimum esse peccatum, quia ex hoc omne deperit corpus, in cæteris autem peccatis portio perit, non totum, totum enim corpus vir est et mulier, quia portio viri est mulier. Quicunque enim aliud peccatum admiserit extra se peccat; fornicarius vero in carnem suam peccat. Age si laqueo vitam finiat, aut ferro se trucidet, non in corpus suum videtur peccare? non in corpus suum peccat, sed in animam, cui vim facit. Fornicari autem corporale delictum est, quod et corpus contingit et animam, non enim sine desiderio carnis, quia habet et caro proprium motum, anima concupiscit, ut peccet in carnem, quamvis sine anima nihil possit. Per id ergo quod in carnem quæ ex se est peccat (ad originem enim retulit), in corpus suum dicitur peccare, ut desinat a fornicatione quasi sibi parcens. Novatiano tamen hic qui fornicatur, non in corpus suum videtur peccare, sed in Christi, aliter enim hoc pronuntiat, ut etiam illum qui fornicatur in Spiritum sanctum dicat peccare, propter causam qua scissus est ab Ecclesia. Hoc nulla ratione astrui potest, corpus enim Christi non est unus, aut duo Christiani sed omnes singuli autem membra sunt: quomodo ergo qui fornicatur in Christi corpus peccat, cum non omnes contaminet? quod si ita esset ut Novatiano videtur, cætera omnia peccata extra Deum essent, et sola fornicatione peccatum esset in Deum; etiam qui vadit ad idola, non peccat in Deum, nec qui negat in persecutione, quia omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus Christi est, sicut illi videtur. Si autem et hoc aliter voluerit pronuntiare, ut neget aliquid extra corpus Christi esse peccatum, cogetur dicere, quia omnis quicumque quodcumque peccat fecerit, in Deum peccat, et in Spiritum sanctum, ut et fur et perjurus, et mendax in Spiritum sanctum peccare dicatur; et quomodo est illud quod ait Dominus: *Quia omnia peccata et blasphemiæ remittentur hominibus; qui autem peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque hic, neque in futuro* (*Matth.* xii). Apparet utique exceptis cæteris peccatis aliud esse peccatum, quam peccatum dicitur in Spiritum sanctum. Quibusdam iterum videtur quia qui fornicatur, ideo in corpus suum dicitur peccare, quia Ecclesiæ membrum est, et se contaminans, in Ecclesiam peccat, cujus membrum est. Qui ergo Ecclesiæ membrum est, dicendum est illi, cum fornicatur, quia non sibi, sed in Ecclesiam peccat. Porro autem dicit Apostolus, quia qui fornicatur, per id quod in portionem suam

Digitized by Google

delinquit in corpus suum peccat. (*Aug.*) *An nescitis*, inquit, *quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus est? Erunt enim, inquit, duo in carne una.* Nunquid hoc posset dici de aliis, atque aliis quibusque facinoribus hominum? liberum est enim animo humano in aliis quibusque sceleribus et unum aliquod eorum operari, et eo ipso tempore alibi cogitatione distendi, quod in fornicationis ipso opere ac tempore non licet animo ad aliquid aliud cogitandum liberum esse, sic enim totus homo absorbetur ab ipso, et in ipso corpore, ut jam dici non possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo dici possit quod caro sit, et spiritus vadens et non rediens. Sic ergo possumus intelligere, *quia omne peccatum quod cum fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur in corpus proprium peccat*, ut videatur Apostolus in tantum exaggerare voluisse fornicationis malum, ut in comparatione hujus cætera extra corpus habenda esse dixerit, quæcunque peccata, et solo hoc tantummodo fornicationis malo in corpus proprium peccare dixerit, quia a majore libidinis ardore, quo superior nullus est, voluptas ipsius corporis tenet servum efficitque captivum. *An nescitis quia corpora vestra templum est Spiritus sancti quem habetis a Deo?* (*Ambr.*) Superius templum Dei dixit, hic templum Spiritus sancti, quia in substantia hoc est Spiritus quod Deus, hoc idcirco dixit ut corpora nostra incontaminata servemus, ut possit illic Spiritus sanctus habitare. *Et non estis vestri, empti enim estis pretio.* Manifestum est, qui emptus est, non est sui arbitrii, sed ejus a quo emptus est, ut non suam, sed illius faciat voluntatem, et quia care empti sumus, propensius Domino nostro servire debemus ne offensus, a qua nos redemit morti nos reddat: quam enim charissimo pretio nos emit, ut sanguinem suum daret pro nobis? *Clarificate et portate Deum in corpore vestro.* Hoc est, clarificare et portare Deum in corpore, ut secundum legem ejus ambulemus, per legem enim suam ipse videtur in nobis. Portare Deum tamen hoc est, imaginem Dei in rebus bene gestis ostendere. (*Aug.*) Duo sunt peccata et duo genera peccatorum, aut enim in Deum homo peccat, aut in hominem; peccatur autem in Deum etiam corrumpendo et templum ejus in te, etenim Deus redemit te sanguine Filii sui, quanquam et antequam redimereris cujus eras, nisi ejus qui condidit omnia? peculariter quodammodo te habere voluit redemptum sanguine Filii sui. *Non estis*, inquit, *vestri, empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Dominum in corpore vestro.* Ergo ille a quo redemptus es, effecit te domum suam; nunquid tu vis everti domum tuam? sic nec Deus suam, hoc est, teipsum; si tibi non parcis, propter te ipsum parce tibi, vel propter Deum, qui te fecit templum suum. *Templum enim Dei sanctum est quod estis vos. Et qui templum Dei violaverit disperdet illum Deus.— De his autem quæ scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere.* (*Ambr.*) Pravis sensibus pseudoapostolorum exagitati, qui nuptias per hypocrisin, ut cæteris puriores viderentur, spernendas docebant, hæc per Epistolam ab Apostolo requirebant: quia enim non oblectabantur hac sententia, prætermissis cæteris, hoc solum requirunt, quibus tamen respondit: *Bonum est quidem mulierem non contingere*, quanquam non illi istud simpliciter asserant. *Tamen propter fornicationem*, hoc est, ne quid contra legem admittatur cum quando quod lex non prohibet vitatur. *Unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat* (*Greg.*) Raulus cum quosdam in Ecclesia incontinentes aspiceret, concessit minima, ut majora devitarentur, propter fornicationem enim unusquisque suam uxorem habeat, et quia tunc solum conjuges in admixtione sine culpa sunt, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur, ut hoc etiam quod concesserat sine culpa, quamvis minore, non esse monstraret, illico adjunxit, *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*: non enim est sine vitio, quod ignoscitur, et non præcipitur. Peccatum profecto vidit, quod posse indulgeri prævidit, sed cum in dubiis constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus (*Ambr.*) Solent enim qui compendium quærunt errare; quomodo enim fieri possit, ut hi se ab uxoribus suis abstinerent, quos in tantis vitiis reperit? ideo ergo non permittit ne a licitis se abstinentes inconcessa præsumerent, sicut faciunt Manichæi: *Ut uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro.* Invicem sibi subjici illos in hac causa, ut quia unum corpus sunt, una illorum sit et voluntas in lege naturæ. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Hoc dicit, quod neque viro, neque mulieri liceat corpus suum alii tradere; invicem enim sibi debitores sunt in hac causa ne peccandi daretur occasio. *Nolite fraudare invicem.* Hoc dicit ut conveniat illis in re uxoria, ne dissensio generet fornicationem. *Nisi ex consensu ad tempus.* Id est, a condicto abstineant se propter gratiarum actiones. *Ut vacetis orationi.* Quanquam enim sine intermissione orandum sit (meditatio enim hæc omni die facienda est), tamen ut orationi insistatur, huic rei vacandum præcepit, interpositis temporibus ad Dominum promerendum; ut enim misereatur, mundius exorandus est, quamvis munda sint conjugia, tamen etiam a licitis abstinendum est, ut facilius ad effectum deducatur oratio, nam et in lege sanctificari volentes, inter cætera etiam ab uvis passis jussu Domini temperabant, ut fierent sanctiores, cum enim quis etiam non concessa contingit, ostendit se velle quod precatur accipere. *Et iterum revertimini ad idipsum.* Quoniam consilium dat conjugiis post dies orationis ad usum naturalem reverti debere. *Ne vos tentet Satanas propter intemperantiam vestram.* Interpositis diebus abstinendum monet ne occasio detur diabolo, sicut dicit Petrus apostolus: « Ecce diabolus, ut leo rugiens, circuit quærens quem devoret. » Si enim causa filiorum creandorum ducitur uxor, non multum tempus con-

Digitized by Google

cessum videtur ad idipsum usum, quia et dies festi et dies processionis, et ipsa ratio conceptus et partus juxta legem cessari temporibus his debere demonstrant. *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Manifestum est ideo hoc illum dare consilium, ut fornicationem excludat, non ut ad meliorem vitam tendentibus iter claudat. (*Aug.*) Quæ sint autem levia, quæ gravia peccata non humano sed divino sunt pensanda judicio. Videmus enim quædam ab ipsis quoque apostolis ignoscendo fuisse concessa, quale illud est quod venerabilis Paulus conjugibus ait : *Nolite invicem fraudare nisi ex consensu ad tempus ut vacetis orationi.* Et, *ad idipsum iterum revertimini, ne vos tentet Satanas propter intemperantiam vestram*, quod putari posset non esse peccatum misceri scilicet conjugi non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis ut fornicationis sive adulterii, sive cujusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quo potest tentare Satana, libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset : « Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. » Quis autem jam neget esse peccatum, cum dari veniam facientibus apostolica auctoritate fateatur (*Greg.*)? Admonendi sunt conjuges, ut suscipiendæ prolis se meminerint causa conjunctos, et cum immoderatæ admixtioni servientes propagationis articulum in usum transferunt voluptatis, perpendant, quod licet extra non exeant, tamen in ipso conjugio conjugii jura transcendant. Unde necesse est ut crebris ex orationibus deleant quod pulchram copulæ speciem admixtis voluptatibus fœdant. Hinc est enim, quod peritus medicinæ cœlestis Apostolus non tam sanos instituit quam infirmis medicamenta monstravit dicens.

CAPUT VII.

Instruit eos qui sunt in matrimonio, et majus bonum docet esse in virginali statu vivere.

De quibus scripsistis mihi : Bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationes autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. Qui enim fornicationis metu permisit profecto non stantibus præceptum contulit, sed ne fortasse in terram ruerent lectum cadentibus ostendit. Unde adhuc infirmantibus subdit : *Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro.* Quibus dum in magna honestate conjugii aliquid de voluptate largiretur adjunxit, « hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium, » culpa quippe esse invenitur quod indulgeri perhibetur. Sed quæ tanto citius relaxetur, quanto non per hanc illicitum quid agitur, sed hoc quod est licitum sub moderamine non tenetur. Quod bene Loth in semetipso exprimit (*Gen.* XIX), quia ardentem Sodomam fugit, sed tamen Segor inveniens nequaquam mox montana conscendit; ardentem quippe Sodomam fugere est illicita carnis incendia declinare; altitudo vero est montium munditia continentium, vel certe quasi in monte sunt qui etiam carnali copulæ inhærent, sed tamen extra suscipiendæ prolis admixtionem debitam nulla carnis voluptate solvuntur. In monte quippe stare quid est, nisi fructum propaginis in carne non quærere: in monte stare est carni carnaliter non adhærere. Sed quia multi sunt qui scelera quidem carnis deserant, nec tamen in conjugio positi usus solummodo debiti jura conservent, exit quidem Loth Sodomam, sed tamen mox ad montana non pervenit, cum jam damnabilis vita relinquitur, sed adhuc celsitudo conjugalis continentiæ subtiliter non tenetur. Est vero in medium Segor civitas quæ fugientem salvet infirmum, quia videlicet cum sibi per incontinentiam miscentur conjuges, et lapsus scelerum fugiunt et tamen venia salventur, quasi parvam quippe civitatem inveniunt in qua ab ignibus defendantur. Quia conjugalis hæc vita non quidem in virtutibus mira est, sed tamen a suppliciis secura. Unde idem Loth ad angelum dicit : *Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere parva, et salvabor in ea : nunquid non modica est, et vivit in ea anima mea?* Juxta igitur dicitur, et tamen ad salutem tuta perhibetur, quia conjugalis vita nec a mundo longe est divisa, nec tamen a gaudio salutis aliena. Sed tunc in actione hanc vitam suam conjuges quasi in parva civitate custodiunt, quando pro se assiduis deprecationibus intercedunt. Unde et recte per angelum ad eumdem Loth dicitur : *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas ut non subvertam urbem pro qua locutus es*, quia videlicet cum Deo deprecatio funditur, nequaquam talis conjugum vita damnetur; de qua deprecatione quoque Paulus admonet dicens : *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.*

Volo autem omnes homines esse sicut meipsum (*Ambr.*) Quantum ergo ad benevolum et sollicitum magistrum pertinet omnes tales fieri posse volebat esse, sicut seipsum, qualis autem ipse erat mox in subjectis ostendit. *Sed unusquisque proprium donum habet a Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* Hoc est unusquisque juxta votum suum donum Dei habet, ut, si velit, ipsius nutu Dei possibilitatem consequatur; ideo non debet quis constringi ne a licito prohibitus, illicita admittat, sed ipse sibi eligat quid sequatur : *Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis si sic permaneant sicut et ego.* Non diceret bonum est innuptis, ut sint sicut et ego, si non esset integer in corpore, nec diceret : « Omnes homines volebam esse sicut meipsum; » si enim habuit uxorem et hoc dixit, virgines esse noluit. Sed absit, sic enim a pueritia Spiritu fervebat, ut hujus rei studium non haberet, quippe cum juvenculus anticipatus sit a gratia Dei. Postquam dixit unumquemque proprium donum habere a Deo, ostendit in qua re melius est esse propensiorem, quia in eo adjuvatur quis, quod videtur aviditate mentis appetere. *Quod si se non continent, nubant : melius est enim nubere quam uri* (*Cass.*). Notandum quod fornicationis genera sunt tria. Primum quod per conjunctionem sexus utriusque verti-

Digitized by Google

citur. Secundum quod absque femineo tantum, pro quo Her, patriarchæ Judæ filius, a Domino percussus legitur (*Gen.* XXXVIII), quod in Scripturis sanctis immunditia nuncupatur, super quo Apostolus : *Dico enim innuptis et viduis : Bonum est illis si sic permanserint sicut et ego. Quod si non continent, nubant : melius enim est nubere quam uri.* Tertium quod animo ac mente concipitur, de quo Dominus in Evangelio : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v). Quæ tria genera beatus Apostolus pari modo exstinguenda pronuntiat. *Mortificate*, inquit, *membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem*, etc. (*Amb.*) In ista re illos vult contendere ut se contineant, quod si impulsu carnis perseverare se viderint non posse, quia nec sunt promptiores in eo ipso ut adjuventur a Deo : illum enim Deus adjuvat, quem videt tota virtute contendere ; nubant utique si uri timent, forte enim poterunt postea hoc adipisci. Digesto enim impedimento reparat se voluntas robustiore virtute : sic enim scriptum est (*Matth.* XIX) : *Qui potest capere, capiat.* (*Aug.*) Sed non possum, inquis ; non potes? non possum suscipit re nutricatoria quædam Apostoli auctoritas, ut si se non continent nubant. Fiat aliquid unde perveniatur ad veniam, pertineat ad veniam ne irruatur in æternam pœnam. Fiat quod licet, unde agnoscatur quod non licet, hoc indicat quod sequitur, « mallem eos nubere quam uri. » Concessit, inquit, aliquid incontinentiæ, quia malus timuit pœnas æternas, timuit quod exspectat et manet adulteros, etiam hoc quod conjugati victi concupiscentia utuntur invicem ultra necessitatem liberos procreandi pœnam in his pro quibus quotidie licitur : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* (*Greg.*) Scriptum quippe est : *Melius est nubere quam uri.* Sine culpa scilicet ad conjugium veniunt si tamen necdum meliora devoverunt. Nam quisquis bonum majus subire proposuit, bonum minus quod licuit illicitum fecit. Scriptum quippe est : *Nemo mittens manum suam super aratrum, et respiciens retro, aptus est regno cœlorum* (*Luc.* IX). Qui igitur fortiori studio intenderat, retro conspicere convincitur, si derelictis bonis amplioribus ad minima retorquetur. (*Amb.*) Non ideo dixit : *Melius nubere quam uri*, quasi bonum sit uri, ideo nubere melius, sed consuetudinem secutus est, solemus enim dicere, melius est lucrum facere, quam damnum. Uri ergo est desideriis agi vel vinci, cum enim voluntas calori carnis consentit uritur, nam desideria pati, et non vinci, illustris viri est et perfecti.

His autem qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus. Postquam innuptis et viduis locutus est, hos alloquitur qui matrimonio juncti sunt ore Dominico. *Uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, manere innuptam.* Hoc Apostoli consilium est, ut si discesserit propter malam conversationem viri jam innupta manet. *Aut viro reconciliari.* Quod si continere se inquit non potest, quia pugnare non vult contra carnem, viro reconcilietur Non enim permittitur mulieri ut nubat si virum suum causa fornicationis dimiserit, aut apostasiæ, aut si impellente lascivia usum quærat uxoris, quia inferior non omnino hac lege utitur qua potior. Si tamen apostaverit vir aut usum quærat uxoris invertere, nec alii potest nubere mulier nec reverti ad illum. *Et vir uxorem non dimittat.* Subauditur autem, excepta fornicationis causa, et ideo non subjecit, sicut de muliere dicens. Quod si discesserit manere sic, quia viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem, quia non ita lege constringitur sicut mulier. *Caput enim mulieris vir est.* (*Aug.*) Dominus ergo ad illud confirmandum, ut non facile uxor dimittatur solam causam fornicationis excepit. Cæteras vero universas molestias, si quæ forte exstiterint, jubet pro fide conjugali et pro castitate fortiter sustinere. Et mœchum dicit etiam virum, qui eam duxerit, quæ soluta est a viro. Cujus rei apostolus Paulus terminum ostendit, quia tandiu observandum dicit, quandiu vir ejus vivit. Illo autem mortuo dat nubendi licentiam. Hanc enim etiam ipse regulam tenuit, et in ea non suum consilium sicut in nonnullis monitis, sed præceptum Domini jubentis ostendit, cum ait : *Eis autem quæ nuptæ sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, mulierem a viro non discedere, quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari, et vir uxorem ne dimittat*, credo simili forma, ut si dimiserit, non ducat aliam, aut reconcilietur uxori ; fieri enim potest ut dimittat uxorem causa fornicationis quam Dominus exceptam esse voluit, jam vero si nec illi nubere conceditur vivo viro a quo recessit, neque huic alteram ducere viva uxore quam dimisit, multo minus fas est illicita cum quolibet stupra committere. *Nam cæteris ego dico, non Dominus* (*Ambr.*) Hoc dicit, ut ostendat, quid proprio ore Dominus jussit, et quid hujus auctoritati concessit, quia et per istum Dominus loquitur, ait enim : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* (*Aug.*) Hic primo videndum est, quibus cæteris, dicebat enim superius ex Domini persona his qui sunt in conjugio ; nunc vero ex sua persona cæteris dicit. Ergo fortasse his, qui non sunt in conjugio, sed non sequitur. Ita enim subjungit : *Si quis, fratres, habet uxorem infidelem et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Ergo etiam nunc his dicit, qui sunt in conjugio. Quid sibi ergo vult quod ait *cæteris*, nisi quia superius eis loquebatur, qui sic copulati sunt, ut ambo in fide Christi essent, cæteris vero nunc dicit, id est, eis qui sic copulati sunt, ut non ambo fideles sint. *Si quis, fratres, uxorem habet infidelem et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non relinquat virum* (*Ambr.*) Hoc dixit quia inter illa primordia cum ambo utique essent Gentiles, fiebat ut unus ex his crederet, et quia horrebant perfidi culturam Dei, similiter et credentes contaminationem præteriti erroris, ideo præcepit ut si contenti essent habitare cum immutatis, con-

Digitized by Google

tenti essent et fideles esse cum illis. (*Aug.*) Aliud est quod jubetur, aliud quod monetur, aliud quod ignoscitur; jubetur mulier a viro non discedere, quod si recesserit manere innupta, aut viro suo reconciliari, aliter ergo non licet facere. Monetur autem vir fidelis si habet uxorem infidelem consentientem secum habitare, non eam dimittere. Licet ergo et dimittere quia non est præceptum Domini ne dimittat, sed consilium Apostoli: sicut monetur virgo non nubere, sed si nupserit consilium quidem non tenebit, sed contra præceptum non faciet. Ignoscitur cum dicitur: *Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium.* Quapropter licet ut dimittatur conjux infidelis, quamvis melius sit non dimittere, et tamen non licet secundum præceptum Domini ut dimittatur conjux nisi causa fornicationis. Fornicatio est etiam ipsa infidelitas. Quid enim tu dicis, apostole? Certe ut vir fidelis consentientem secum habitare mulierem infidelem non dimittat. Ita, inquit; cum ergo hoc et Dominus præcipiat, ne dimittat vir uxorem nisi causa fornicationis, quare hic dicis: «Ego dico, non Dominus?» Quia scilicet idololatria quam sequuntur infideles, et quælibet noxia superstitio fornicatio est. Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti, sed quia permisit, non jussit, dedit locum apostolo monendi ut qui voluerit non dimittat uxorem infidelem, quod sic fortasse possit fidelis fieri. *Sanctificatus est enim vir infidelis in uxore fideli, et sanctificata est mulier infidelis in viro fideli.* (Ambr.) Habere illos beneficium bonæ voluntatis ostendit, qua honorem nominis Christi non habent et ad tuitionem pertinet hospitii, in quo signum fit crucis, quo mors victa est, sanctificatio enim est. *Alioquin filii vestri immundi essent.* Immundi essent filii eorum, si dimitterent nolentes habitare secum, et aliis se copularent: essent enim adulteri eorum per hoc et filii eorum spurii, ideo immundi. Credo jam provenerat ut nonnullæ feminæ per viros fideles, et viri per uxores fideles in fidem venirent, et quamvis non dicens nomina, exemplis tamen hortatus est ad confirmandum consilium suum. Deinde sequitur, *alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Jam enim parvuli Christiani erant, qui sive auctore uno ex parentibus, sive utroque consentiente sanctificati erant. Quod non fieret, si uno credente dissociaretur conjugium et non toleraretur infidelitas conjugis usque ad opportunitatem credendi. *Nunc autem sancti sunt.* Sancti sunt, quia de conjugiis licitis nati sunt, et quia sub Creatoris veneratione nati sunt propensiore ex parte. Quia, sicut quidquid sub prædicatione idolorum fit, immundum est, et ita quidquid sub Dei creatoris fit professione, sanctum est, *Quod si infidelis discedit, discedat.* Propositum religionis custodit præcipiendo, ne Christiani relinquant conjugia: sed si infidelis odio Dei discedit, fidelis non erit reus dissoluti matrimonii: major enim causa Dei est, quam matrimonii. *Non est enim frater aut soror servituti subjectus in ejusmodi.* Hoc est, non debetur irreverentia conjugii ei, qui horret auctorem conjugii: non enim ratum est matrimonium, quod sine Dei devotione est, ac per hoc non est peccatum ei qui dimittitur propter Deum, si alii se junxerit, contumelia enim creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur ne accusetur alii copulatus: infidelis autem discedens et in Deum et in matrimonium peccare dignoscitur, quia noluit sub Dei devotione habere conjugium. Itaque non est ei fides servanda conjugii, quia ideo recessit ne audiret auctorem esse Christianorum Deum conjugii. Nam si Esdras dimitti fecit uxores, aut viros infideles, ut propitius fieret Deus, nec iratus, si alias ex genere suo acciperent; non enim ita præceptum his est, ut remissis istis alias minime ducerent, quanto magis si infidelis discesserit liberum habebit arbitrium, si voluerit nubere legis suæ viro? illud enim non debet imputari matrimonium, quod extra decretum Dei factum est, sed cum post cognoscit et dolet dereliquisse reemendat se ut veniam mereatur. Si autem ambo crediderint per cognitionem Dei confirmant conjugium. *In pace autem vocavit nos Deus.* Verum est, quia non oportet litigare cum eo qui discedit, quia odio Dei discedit, ac per hoc nec dignus habendus est. *Quid enim scis, mulier, si virum salvum facias? Aut unde scis, vir, si uxorem salvam facias?* Hoc dicit quia forte possunt credere, qui non horrent nomen Christi. *Nisi unicuique sicut divisit Dominus.* Divisit Dominus unicuique quando salvetur, hoc est, quando potest credere, et sustinet illum, et hic docet exspectandos eos, nec scandalum de his pati debere, quia custodienda est spes illorum; si enim ipsi recesserint, dissimulandum ab his.

Unumquemque sicut vocavit Deus ita ambulet. Hoc est, ut si matrimonio junctus est, qui credit non deserat, neque vir neque mulier, sed sic maneat sive Judæus, sive Græcus. *Sicut in omnibus Ecclesiis doceo.* Ut suadeat non se aliter his tradere quam cæteris, ut cum cæteros hujus fidei hoc doceri audiunt, promptius assequantur, facile enim quis inclinatur si viderit socium consensisse. *Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium* Hoc est quod dixit, ut ita ambulet, sicut vocatus est. Ut Judæus factus Christianus non putet se forte indignum, quia præputium non habet dans gloriam præputio. *In præputio quis vocatus est? non circumcidatur.* Ut Gentilis vocatus non æstimet debere se circumcidi per id quod filios Abrahæ præponi audit, nec enim quia circumcisi sunt præponuntur, sed merito Abrahæ cujus filii sunt in utroque, si credant; si quominus pejores erunt Gentilibus. Deterius est enim fuisse et non esse, quam nunquam fuisse. *Circumcisio nihil est, et præputium nihil est.* Manifestum est quia nec obest, nec prodest. *Sed observatio mandatorum Dei,* id est, fides propitium facit Deum, si bonis operibus approbetur. *Unusquisque in ea vocatione in qua vocatus est, in ea permaneat,* hoc firmat quod supra dixit. *Servus vocatus es? non sit tibi curæ, sed si potes, liber fieri, magis utere.* Hortatur ut bene ser-

Digitized by Google

viens de Dei timore carnali domino dignum se faciat libertate, ne audiens forte, « Servus vocatus es, non sit tibi curæ, » negligentior esset circa bonos actus carnalis Domini, et doctrina Christi blasphemaretur, et nec ille Deum promereretur, qui in his terrenis bene serviens meritum sibi collocat apud Deum, quia dixit Dominus : « Qui in minimo fidelis est, et in magno erit. » — *Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini.* Ereptus enim a peccatis quæ veros servos probant, libertus fit. Hic enim omnino servus est, qui imprudenter agit, sicut et veteribus placuit, qui omnes sapientes liberos appellarunt, imprudentes autem omnes servos, unde Salomon, *Servo*, inquit, *sapienti liberi servient* (*Eccli.* x). Hic ergo qui credit et si servus sit ad tempus, quia rem facit prudentem, ut credat in Christum, libertus fit Domini. Si ergo peccata servos faciunt, sicut Cham filius Noe peccati et imprudentiæ causa factus est servus (*Gen.* IX), cum quis accipit remissionem peccatorum libertus efficitur. *Similiter qui liber vocatus est, servus est Christi.* Profectus est ex libero servum fieri Christi. Liber enim erat a Deo, quod maximum crimen est. Ideo amissa amara et contraria libertate conditionem sortitus est, quæ prodesset, sicut dicit Dominus : *Tollite jugum meum super vos quia suave est ; et onus meum, quia leve est* (*Matth.* XI). Superbiam itaque abscidit et in unitatem fecit, ut neque servus pudore conditionis despectum se putet, neque liber elatione mentis inflatus servo se superponat. *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum.* Verum est, quia tam caro pretio empti sumus, ut a nullo redimi potuissemus, nisi a Christo, qui omnium dives est. Qui ergo pretio emitur, magis servire debet, ut aliquatenus vicem reddat emptori. A Deo ergo empti, id est, a Christo; servi hominum esse non debent. Servi autem hominum hi sunt, qui humanis se subjiciunt superstitionibus. Apostolus tamen illud memorat, quod in capite Epistolæ reprehendit, eo quod dicerent, *Ego sum Pauli, alius autem, Ego Apollo :* dedit tamen articulum Christum fatendum Deum, quando servos Christi non hominis servos appellandos ostendit. *Unusquisque frater in quo vocatus est, in eo maneat apud Deum.* Hoc est, quod supra dixit, quod ut plene commendet reiterat.

De virginibus autem præceptum Domini non habeo. Hoc ad scripta illorum respondit, sicut supra dixit : *De quibus scripsistis mihi*, etc. *Consilium autem do tanquam misericordiam consecutus a Domino ut sim fidelis.* Præceptum se de virginibus negat accepisse, quia non poterat auctor conjugii rem adversam nuptiis imperare, ne factum suum pristinum accusaret. *Consilium autem do*, non quod displiceat, neque quod adulatione factum sit, quia ad hoc gratiam consecutus est, ut idoneus sit in dandis consiliis salutaribus.

Existimo ergo hoc bonum esse propter præsentem necessitatem ; quia optimum est homini sic esse. Bonum dicit esse, virginem permanere, et uti hoc absolutius ostenderet *propter præsentem necessitatem* ait, quia optimum est, ut inter bonum et optimum nihil tam præclarum atque utile esse cognosceretur, quam est virginitas. Quia non solum apud Deum virginitatem commendatiorem docet, sed et apud vitam præsentem, dum necessitates temporis nescit, quas patitur conjugatio, et mœrores partus, simulque orbitates filiorum ignorat. Ut ergo ad hanc affectandam hortaretur, præsentis necessitatis exitia lucrari docet has, quæ illam dilexerint. Ut cum non solum apud Deum locum meliorem habere discunt, verum etiam in præsenti omni industria hanc appeterent. Unum enim est quod laborat ut affectum carnis vincat, in cæteris omnibus libera, quia enim caro in origine sua est, et natura, usus ejus suavis, videt, et dulcis affectus, ideo hæc superare non brevis gloria est. *Vinctus es uxori ? ne quæsieris solutionem.* Hæc remediorum consilia sunt. dicit enim non debere quemquam absolvi ab uxore, nisi causa fornicationis ; frequenter enim suas dimittentes sub tegmine continentiæ, alias decipiunt refrigescente proposito, sed si melius vult vivere cum uxore sua positus, exhortetur illam, ut sine scandalo prius vivat. *Solutus es ab uxore ? ne quæsieris uxorem.* Ut sciens hoc magis Deo acceptum, et a necessitate liberum non quærat uxorem ; ita tamen ut a cæteris temperet ; si quo minus, quid prodest desiderium carnis premere, hoc est, rem licitam spernere et illicitis subjacere ? *Si autem acceperis uxorem, non peccasti.* Non utique peccat, quia quod concessum est facit, si vero contempserit, meritum sibi collocat et coronam : magnæ enim patientiæ est, hoc non contingere, quod prohibitum non est. *Et si nupserit virgo, non peccabit.* Quia apud Deum ex hac causa libera est. *Tribulationes tamen carnis habebunt hujusmodi.* Hoc est, etsi aperte a peccato liberi sunt, in hac tamen vita tribulationes habebunt, gemitus ventris, nutrimenta filiorum, victus, tegumenta, dotes, ægritudo, apparatus domus, uxoris necessitas, mariti dominatio. (*Greg.*) Sed tribulationem carnis hic pati possunt etiam qui spiritaliter vivunt ; cur ergo inesse conjugibus carnis tribulatio quasi specialiter dicitur, quæ etiam a vita spiritalium longe non est, nisi quod hi frequenter majores tribulationes ex carne suscipiunt, qui carnis voluptatibus delectantur. Bene autem per Job dicitur : *Et anima ejus super semetipso lugebit* (*Job.* XIV), quia quisquis in se gaudere appetit, eo ipso jam in luctu est, quo a vera lætitia recessit ; vera quippe lætitia mentis creator est. Dignum itaque est, ut se semper homo in mœrore inveniat, qui derelicto creatore in se gaudium quærebat. *Ego autem vobis parco.* (Amb.) Parcit quando ad hæc magis provocat, quæ tribulationes carnis et sollicitudines memoratas excludunt : potest sic videri parcere cum permittit, et non contradicit volentibus, quod onerosum ostendit : *Hoc itaque dico, fratres, tempus breviatum est. Reliquum est.* Breviatum tempus et reliquum dicens, finem mundo imminere significavit ; quamvis

Digitized by Google

sciret adhuc tempora superesse, sed aliter scribere non debuit propter hos, qui lecturi hæc sunt tunc cum perbreve supererit tempus, ne semper dum longe esse putaretur dies judicii, aut non timeretur, aut falsum esse æstimaretur. Illud autem quod dicitur cum adhuc longe sit, imminere multum proficit; terrorem enim incutit ad meliorem vitam agendam hominibus. Denique hic in præsenti quam solliciti sunt hi, qui apud judices habent quæ agant, cum actorum dies dicitur imminere? Hoc sonat hic, quod alio in loco dicit: *Ut seductores, sed veraces* (*II Cor.* VI).

Ut et qui habent uxores, ita sint ac si non habentes. Quia enim mundi finis in proximo est, non debere ad generandum esse sollicitos, neque ad usum ipsum deditos, ut propensiores et vigilantes, in divinis operibus exercitati circa curam legis imminente prælio repugnent. Pressuræ enim erunt, quales nunquam fuerunt, et multi casuri sunt in laqueum diaboli. Denique nullus nostrum vult tempore suo hæc provenire, timens prædicatas a salvatore pressuras. Ideo sicut nobis optamus, consulamus et aliis, ut a generatione nos filiorum multorum abstineamus, plus orationi et Dei servituti subjecti, prævidentes diem judicii, ne et nos simus imparati, per impedimenta necessitatis præsentis, et illi incurrant quod nos timemus. A licitis ergo etiam temperare vult fideles, ut non solum innocentes, sed et gloriosi videantur, concessa enim præterire virtutis est maximæ, et prohibita non desiderare non longe est. (*Aug.*) Beatiora sane conjugia judicanda sunt, quæ sive filiis procreatis, sive etiam ista terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu servare potuerint; quia neque contra illud præceptum sit, quod Dominus dimitti conjugem vetat: non enim dimittit, qui cum ea non carnaliter sed spiritaliter vivit, et illud servatur, quod per Apostolum dicitur: *Reliquum est ut qui habent uxores tanquam non habentes sint.* (*Greg.*) Itaque Christianorum animus conjugum et infirmus et fidelis, quia et plene cuncta temporalia despicere non valet, et tamen æternis se conjungere per desiderium valet, quamvis in dilectione carnis interim jacet, supernæ spei refectione convalescit, et si habet quæ mundi sunt in usu itineris, sperat quæ Dei sunt in fructu perventionis, nec totum se ad hoc, quod agit conferat, ne ab eo quod robuste sperare debuit, funditus cadat. Quod bene ac breviter Paulus exprimit dicens: *Qui habent uxores tanquam non habentes sint, et qui flent tanquam non flentes, et qui gaudent tanquam non gaudentes.* Uxorem quippe quasi habendo non habet, qui sic per illam carnali consolatione utitur, ut tamen nunquam ad prava opera a melioris intentionis rectitudine ejus amore flectatur. Uxorem quasi non habendo habet, qui transitoria esse cuncta conspiciens curam carnis ex necessitate tolerat, sed æterna gaudia Spiritus ex desiderio exspectat, non flendo autem flere est, sic exteriora adversa plangere, ut tamen noverit æternæ spei consolatione gaudere, et rursum non gaudendo gaudere est, sic de infimis animum attollere, ut tamen nunquam desinat summa formidare, ubi apte paulo post subdidit: *Præterit enim figura hujus mundi*, ac si aperte diceret, Nolite constanter mundum diligere, quando et ipse non potest stare quem diligitis, incassum cor quasi manenti figitis, dum fugit ipse quem amatis. *Et qui flent tanquam non flentes.* (Ambr.) Scientes enim in proximo finem mundi mox consolationem eorum futuram, qui pro Dei justitia forte premuntur, hac spe inter eos consolentur se, *Et qui gaudent tanquam non gaudentes.* In præsenti enim qui gaudent sciant mox luctum venturum, eis videlicet qui mundo gaudent, ambigentes de Dei judicio. *Et qui emunt tanquam non possidentes:* Credentes enim qui emunt parvum tempus superesse mundo, sic agunt, ut non omnem curam in re cito peritura impendant, magis autem curam animæ suæ gerant quam sciunt æternam. *Et qui utuntur hoc sæculo, tanquam non utantur.* (Greg.) Id est, ut non præsumant de usu hoc, qui cito peribit corruente mundo; emit autem, sed quasi non possidens, qui et ad usum terrena præparat, et tamen cauta cogitatione prævidet quod hæc citius relinquat; mundo quoque utitur sed quasi non utatur, qui et necessaria cuncta exterius ad vitæ suæ ministerium redigit, et tamen hæc eadem non sinit menti suæ dominari, ut subjecta foris serviant, et nunquam intentionem animi ad alta tendentis frangant. Quicunque igitur tales sunt eis profecto terrena omnia, non ad desiderium sed ad usum sunt. Qui rebus quidem necessariis utantur, sed nihil habere cum peccato cupiunt. De ipsis quoque rebus habitis quotidie mercedes acquirunt, et plus gaudent bono opere quam bona possessione. *Præteriit enim figura hujus mundi* (*Ambr.*) Quia finiri mundum dixit ostendit figuram ejus præterire et hunc esse finem, id est, non substantiam ejus præterire, sed formam. (*Aug.*) Itaque si forma mundi peribit, dubium utique non est omnia quæ in mundo sunt interire. Ideo præterit quia quotidie senescit mundus; peracto quippe judicio tunc esse desinet hoc cœlum et hæc terra, quando incipiet esse cœlum novum et terra nova. Mutatione namque rerum non omnimodo interitu transibit hic mundus. Unde et apostolus dicit: *Præterit enim figura hujus mundi, volo vos sine sollicitudine esse.* Figura ergo præterit, non natura: judicatis quippe his qui scripti non sunt in libro vitæ et in æternum ignem missis, tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium. Illa itaque, ut dixi, conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt; atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant. Ut scilicet mundus in melius innovatus apte accommodetur, hominibus etiam carne in melius innovatis. *Volo vos sine sollicitudine esse.* (*Ambr.*) Diminuta enim sollicitudine sæculi, in Dei rebus propensius vigilatur. *Qui*

Digitized by Google

sine uxore est, cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Quomodo sine sollicitudine simus ostendit, dicens: *Qui sine uxore est, cogitat quæ Domini sunt.* Amputata enim sollicitudine rei uxoriæ, quæ sola in mundo cæteris gravior est, ad Deum promerendum animus eruditur, si tamen hac spe animus his molestiis se exuat, ut Deo magis serviat. *Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.* Cura enim uxoris et filiorum cogitatio mundi est, nam inter cætera solent aliquando res puniendas admittere, ne illas offendant, sicut refert Zorobabel unus de tribus cubiculariis Artaxerxis regis (*III Esdr.* III). Magna enim amaritudo est in domo uxor tristis. *Divisa est mulier et virgo.* Divisa non utique natura, sed actu. Quia legimus in Numeris, mulieres virgines appellatas (*Num.* XXXI). Alia ergo sollicitudo mulieris, alia virginis est; tamen cum dicitur mulier, incertum est quid significet, nisi significatio subsequatur: cum autem dicitur virgo, manifesta locutio est. Hinc Apostolus post mulierem, virginem posuit, ut mulierem, non virginem significaret: per hoc enim voluit ostendere virginem liberam a tædiis et laboribus, quos patitur mulier viro copulata. *Quæ autem non est nupta, sollicita est de his quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu.* Dum enim spe cœlestium mariti et filiorum sollicitudinem non suscipit, de Domino cogitat, quoniam propositum Deo devotum custodiat: si tamen in corpore mundo animus terrena abjiciens cœlestibus studeat. Animus est enim, qui aut sanctificat, aut polluit corpus. Quid enim prodest corpus mundum habere, et animam pollutam, cum merito animæ, aut honoratur corpus aut damnatur? *Nam quæ nupta est cogitat quæ sunt hujus mundi quomodo placeat viro.* Lege enim maritali constricta sollicita est quomodo impleat jus maritalis officii, subdita mundanis necessitatibus: *Hoc autem ad vestram utilitatem dico, non ut laqueum vobis injiciam. Sed ad id quod honestum est provoco, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Quoniam quibusdam asperum et grave videtur quod utilius aut melius est propter consuetudinem temporalis usus: ideo post rationem redditam hortatur affectu charitatis simpliciter hoc utilius, hoc honestius esse quod dicit, honestum est quia sanctum est, et mundum; utile vero quia dignissimum est apud Deum, et leve in sæculo. Quid ergo dicimus? Si virgines de Deo cogitant, et junctæ viris de mundo, quæ spes relinquitur nubentibus apud Deum? Si enim ita est, dubium est de salute eorum. Nam videmus virgines de sæculo cogitare et matrimonio junctas Dominicis studere operibus: his virginibus non imputabitur sanctimonium a Deo, et his matrimoniis erit merces apud Deum: quia cum obligati essent terrenis nexibus, operam dederunt, ut in futurum aliquid immortalis præmii mererentur. Illis autem non solum non imputabitur virginitas, sed et pœnæ subjicientur, qui sub tegmine melioris spei vitam et conversationem suam mundiali cura et sollicitudine occupantes, pigros se ad Dei opera agenda fecerunt, sicut dicit Jeremias propheta: *Maledictus qui opera Dei agit negligenter* (*Jer.* XLVIII); hi sunt de quibus in alia Epistola dicit: *Habentes speciem quidem veritatis, virtutem autem ejus abnegantes* (*II Tim.* III). Apostolus autem his loquitur qui mira devotione obsequi desiderant cœlestibus præceptis, ostendens et docens quo compendio citius itur ad Deum, quia qui propter Deum promerendum virgo manere vult, sciens quale præmium possit accipere, qui a licito temperatur, ut melior fiat, simul omnia impedimenta carnis spernit, non nescius hæc esse, quæ gressum currentis velut oneribus compedum detinent. Admonendi sunt qui ligati conjugiis non sunt, ut præceptis cœlestibus eo rectius serviant, quo eos ad curas mundi nequaquam jugum copulæ carnalis inclinat, ut quos onus liciti conjugii non gravat, nequaquam pondus illicitum terrenæ sollicitudinis premat: sed tanto eos paratiores dies ultimus, quanto expeditiores inveniat, ne quo meliora agere vacantes possunt, sed tamen negligunt, eo supplicia deteriora mereantur. Audiant quod Apostolus, cum quosdam ad cælibatus gratiam instrueret, non conjugium sprevit, sed curas mundi nascentes ex conjugio repulit, dicens: *Hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est provoco, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi:* ex conjugiis quippe terrenæ sollicitudines prodeunt, et idcirco Magister gentium auditores suos ad meliora persuasit, ne sollicitudine terrena ligarentur. Quem igitur cælibem curarum sæcularium impedimentum præpedit; et conjugio se nequaquam subdidit, et tamen conjugii onera non evasit. *Si quis autem turpem se viderit super virginem suam, si sit ultra pubertatem, et sic oportet fieri, quod vult faciat, non peccat si nubat.* Propter quod superius virginitatem tenendam et continentiam, reddita ratione, hortatus est, ita ut pene ad comparationem earum conjugia inutilia et abjicienda videantur: nunc ne nuptias negare putaretur, non peccare virginem, si nubat, ostendit, sed rem maximi laboris aggredi et quæ apud Deum præmium non habeat, sicut non habet pœnam: Christianos enim vult per omnia esse meliores. Si ergo aliqua in desiderio nuptiarum est, jam matura ad usum melius esse ut secundum concessam legem publice nubat, quam occulte ista turpiter agat et erubescatur in illa. *Qui autem statuit in corde suo non habens necessitatem, potestatem habet de sua voluntate, et hoc judicabit in corde suo, servare virginem suam, bene facit.* Hoc dicit, ut qui virginem habet, cui animus ad nuptias non est, servet illam, nec illi ingerat fomitem nuptiarum, quam videt nubendi voluptatem [voluntatem] non habere. Beneficia enim si præstanda sunt, quanto magis minime auferenda! *Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam bene facit.* Benefacit quia licet quod facit, et qui non jungit melius facit, quia apud Deum illi meritum collocat, et a sæculi sollicitudine illam liberat. *Mulier alligata est lege quanto*

Digitized by Google

tempore vir ejus vivit. Hæc idcirco prosequitur ut doceat quia mulier, etiamsi a viro fuerit ejecta, nubendi licentiam non habet. *Quod si dormierit vir ejus, liberata est a lege.* Etiam hæc ad supra dictas pertinent causas, ut ostendat quam beata sit virgo, cum nulli nisi soli Deo subjecta sit : vincere enim videtur naturalem subjectionem quando quod per naturam humiliatum est erigit. *Cui vult nubat, tantum in Domino*, id est, quem sibi aptum putaverit, illi nubat, quia invitæ nuptiæ solent malos proventus habere. « Tantum autem in Domino, » hoc est ut sine suspicione turpitudinis nubat et religionis suæ viro nubat, hoc est in Domino nubere. *Beatior autem si sic permanserit secundum meum consilium.* Cum dicit, nubat, lege loquitur naturali, quanquam a Deo primæ nuptiæ sint, secundæ vero permissæ sunt. Denique primæ nuptiæ quoniam sub benedictione Dei celebrantur, sublimantur : Secundæ autem et in præsenti carent gloria, concessæ autem sunt propter incontinentiam, et quia solent viduarum juniores incurrere : ac per hoc concedit secundas. Sed quia melius ut se contineat, ut dignior in futurum, consilium dat spiritali ratione præcipuum ut se contineat. *Puto autem et ego spiritum Dei habeo*, ut ratum et providum consilium suum ostendat, humilitate verbi hoc commendat alto sensu.

CAPUT VIII.

Ostendit Apostolus scientiam non valere nisi secundum charitatem sit ordinata; docet veritatem de escis idolis immolatis, arguitque scandalizantium temeritatem.

De his autem quæ idolis immolantur, scimus quia omnes scientiam habemus. (*Amb.*) Nunc de scientia loquturus est, et quæ sit scientia non statim dicit, sed in subjectis ostendit, dicens, quia nihil est idolum. *Scientia inflat.* Manifestum est, habentem scientiam in eo ipso gloriari, si non foris, quia prudens est, vel apud se, genus enim hoc est scientiæ ut glorietur in sese, ideo inflat. *Charitas vero ædificat.* (*Aug.*) Quod recte aliter non intelligitur, nisi scientiam tunc prodesse si ei charitas inest, sine hac autem inflare, id est, in superbia inanissimæ quasi ventositatis extollere. (*Amb.*) Itaque tunc scientia magna est, et sibi utilis, si charitate humilietur, ut amplius crescat; temperatur enim a dilectione, ut non satis mera sit et inebriet scientem ut se extollat. Sicut enim vinum non temperatum admixtione aquæ mentem alienat, ita et scientia superbum facit, nisi fuerit temperata, omnia enim sola insuavia sunt et nociva, quia nec panis solus bene editur nec reliqui cibi sine admixtione grati sunt, sed nocui. Ideo charitas ædificat, ipsa charitas, licet uno vocabulo appelletur, multis tamen consistit, sine patientia enim non potest, neque sine humilitate, neque sine cordis simplicitate; hi ergo inflati erant per scientiam, quia nihil est idolum, qui contra salutem fratrum imperitorum carnes sacrificatorum edebant, scientes licere carnem edere, et quia nihil est idolum, ideo non contaminari edentem : hi scandalum fratribus erant, charitatem præ oculis non habentes, quia plus erat carnem contemnere, quam fratri scandalum facere; scientia enim illorum destruebat animos imperitorum fratrum putantium esse illic apud idolum aliquam gratiam, quando peritiores fratres interesse illic, et non horrere videbant. Ideo ait : *Charitas ædificat*, ut saluti fratrum studentes scientiæ illic legibus non uterentur, ne illis scandalum facerent (*Greg.*). Cum ergo charitas ædificando nos erigit, scientia inflando pervertit, plerumque se hypocritæ mira abstinentia affligunt, omne robur corporis atterunt, et quasi carnis vitam funditus in carne viventes exstinguunt, sicque per abstinentiam morti appropiant, ut pene quotidie morientes vivant, sed ad hæc humanos oculos quærunt, admirationis gloriam expetunt, Veritate attestante, quæ ait : *Exterminant facies suas ut appareant hominibus jejunantes* (*Matth.* VI).

Quod *si quis existimat se scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire* (Amb.). Eos ipsos qui in scientia gloriantur ostendit non ita cognovisse sicut cognoscendum est. Dum enim charitatem, quæ mater omnium bonorum est, non sectantur, non sciunt sicut oportet : ut ergo scientia fructum habere possit, charitati se debet subjicere. *Si quis vero diligit Deum, hic cognitus est ab eo.* Hic diligit Deum, qui charitatis causa scientiam mitigat, ut prosit fratri pro quo Christus mortuus est. *De cibis igitur* simulacris immolatorum nunc causam ipsam pertractat, ut ostendat per rationem scientiam non solum non proficere, charitate contempta, sed et obesse. *Scimus quia nihil est simulacrum, et quia nemo Deus nisi unus*, verum est; apud Christianos enim unus est Deus, *licet sint qui dicantur dii et domini sive in cœlo, sive in terra.* A paganis enim sol et luna, et cætera sidera dii cœlestes dicuntur. In terra Apollinem, Æsculapium, Herculem, Minervam, deos dicunt et dominos. *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia et nos in illo.* Omnia enim ex illo quæquæ sunt, ubicunque sunt; cum autem dicit : *Et nos in illo*, discrevit nos a cæteris qui cum ex illo sint, non tamen sunt in illo dum adhuc non credunt. *Et unus Dominus Jesus per quem omnia, et nos per ipsum.* Omnia enim ex Patre, sed per Filium creata sunt, sed cum dicit, « et nos per ipsum, » per quem creati fueramus, significat in Dei cognitione, quia facti per ipsum cum cæteris, per stuporem mentis et ignorantiæ nos per ipsum agnovimus mysterium unius Dei; unum ergo Deum Patrem dixit et unum Dominum Jesum Filium ejus, ut quia Deus non potest non esse Dominus, similiter et Dominus intelligatur esse Deus, unum esse Deum et Dominum demonstraret, modum unius principii conservando. *Sed non in omnibus est scientia.* Id est, non omnes norunt credentes mysterium Dei unius, ideo quidam putant ex his qui credunt aliquid numinis in simulacris. *Aliqui autem adhuc scientia simulacri quasi simulacro immolatum manducant.* De plebe enim aliqui cum veneratione adhuc simulacri manducabant de sacrificatis, quasi aliqua

Digitized by Google

esset illic divinitas. *Et conscientia illorum cum sit infirma coinquinatur.* Maculatur conscientia si infirma est circa Deum. *Esca autem nos non commendat Deo.* Verum est, quia non ideo Deo placebimus si omnia ederimus, aut offendemus si aliqua contempserimus, *neque enim si ederimus, abundabimus, neque si non ederimus, deerit nobis.* Contempta enim sacrificiorum esca, non utique deerit quod edatur : si autem sumpta fuerit, non abundabit, ita ut nihil requiratur, ac per hoc abjicienda, quia neque sine illa non vivitur et scandalum fratribus est. *Videte tamen ne forte licentia vestra offensio fiat infirmis.* Hoc est ne quia licere vobis edere carnem de sacrificio dicitis, per id quod nihil esse idolum scitis, offensionem generetis fratribus, qui nesciunt adhuc quia nihil est idolum. *Si enim quis viderit eum qui habet scientiam in idolio recumbentem, nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum de simulacris?* Hoc ideo dixit quia videns quis fratrem peritum in idolio invitatum, recumbentem edere carnes sacrificiorum, putat esse illic aliquid gratiæ, et incipiet ipse edere carnes sacrificiorum, non illa conscientia, qua ille peritiæ causa, sciens nihil esse idolum, sed esse illic putat numen, quando fratrem peritum vidit illic edere, nec horrere. *Et peribit qui infirmus est in tua scientia frater pro quo Christus mortuus est.* Peribit infirmus si edat contra unius Dei fidem de sacrificatis, quæ, quod quidem quasi irascentis verba sunt, et ostendentis quid mali possit parere scientia, si non fuerit temperata a charitate. *In tua scientia, id est,* tua peritia illum occidit, quando a te fieri vidit quod ille aliter intelligit : et tu eris occasio mortis fratri, quem Christus ut redimeret crucifigi se permisit, ac per hoc aliquando ab scientia dissimulandum docet charitatis causa, quia sine dubio plus est salus fratris quam cibus, quia licet quidem, sed non expedit : hoc erit cognovisse sicut oportet et scire. *Sic autem peccantes in fratres et percutientes conscientiam illorum infirmam, in Christo peccatis.* Quando enim charitatis non æmuli sunt, qua Christus nos liberavit, peccant in Christo; non in Christum, quia in Christum peccare negare Christum est : in Christo autem, in hæc quæ sunt Christi, sicut et hic qui sub lege est, in lege dicitur peccare, ita et hi, qui sub Christo sunt, in Christo peccare dicuntur. *Propter quod si esca scandalizat fratrem, non edam carnem in æternum, ne fratrem scandalizem.* In tantum charitati studendum docet, ut licita pro illicitis habeantur, ne obsint fratri : quantum enim mali est per illicita non delinquere, et per ea quæ concessa sunt offendere, ut lex servetur in licitis, et in illicitis non custodiatur, dum inconsiderate eduntur? Lex enim sic permisit, quæ concessit, ut modus tamen sit quem custodiant : uxorem certe licet habere, sed si fornicata fuerit, abjicienda est, ita et carnem licet edere, sed si idolis oblata fuerit, respuenda est.

CAPUT IX.

Inducit Apostolus Corinthios ad virtutis perfectionem sui exemplo, atque currentium in stadio.

Non sum apostolus? non liber? nonne Jesum Dominum nostrum vidi? (*Amb.*) Cum negare videtur, confirmat : iratus enim loquitur. Apostolum enim se probat, quia missus est ad gentes, dicente Domino ad eum : *Ego ad gentes mittam te* (*Act.* XXII) ; liberum autem se ostendit, quia nullius aliquid concupivit, neque in adulatione docuit : Jesum autem Dominum nostrum vidit, dum oraret in templo Hierosolymis. *Nonne opus meum vos estis in Domino?* Ideo opus ejus sunt, quia ipse illos plantavit in Domino, per annum et sex menses evangelizans eis verbum Domini (*Act.* XVIII). *Et si aliis non sum apostolus, verumtamen vobis sum.* Quia Judæis credentibus et nihilominus legem servantibus apostolus esse negabatur. Jam enim circumcidi non debere docebat, neque sabbatum custodiri, cæteris autem Apostolis propter scandalum ab hac re dissimulantibus, hic aliter videbatur docere. Ideo apostolus ab his negabatur, his enim erat apostolus qui viderant in eo virtutis insignia. *Nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino.* Hoc enim prædicante, conversi sunt ab idolis ad fidem Dei unius. *Mea defensio ad eos qui me interrogant hæc est.* Nunc incipit agere causam quam superius præmisit dicens : *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri et venter escis* (*Supra* VI). — *Mea defensio apud eos qui me interrogant hæc est,* et quæ sit subjiciens dicit : *Nunquid non habemus potestatem manducandi et bibendi.* Hoc est quod dixerat : *Omnia mihi licent. Nunquid non habemus potestatem mulierem circumducendi, sicut et cæteri apostoli, et fratres Domini, et Cephas?* Ideo addidit *et Cephas,* quia cum primus esset inter apostolos, non refutabat sumptus oblatos. Cephas ipse est Simon Petrus. Mulieres enim desiderio doctrinæ Dominicæ et cupidæ virtutum sequebantur apostolos, ministrantes eis et sumptus et servitia, sicut et Salvatorem secutæ sunt ministrantes ei de facultatibus suis. *Aut solus ego et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi?* Hoc est habemus potestatem operandi, sed nolumus ; pro accipiendi tamen « operandi » ait, ut honestius loqueretur, et ut hoc confirmet, exempla subjicit dicens : *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem ovium, et de lacte earum non percipit? Nunquid secundum hominem hæc loquor?* Id est, nunquid humanam scientiam sequor? *An et lex hæc eadem non dicit.* Concordare docuit supra dicta testimonia documentis divinis, ut ostendat non sine causa utique nolle se ab illis sumptus accipere, quando tot exemplis ostendit et dandum et accipiendum esse. *In lege enim scriptum est* (*Deut.* XXV) : *Non alligabis os bovi trituranti.* (*Greg.*) In bobus ergo aliquando luxuriosorum dementia, aliquando laboriosa fortitudo prædicantium, aliquando humilitas exprimitur Israelitarum, quia enim bovis nomine et per comparatio-

Digitized by Google

nem luxuriosorum dementia designatur, Salomon judicat, qui cum malesuadentis mulieris petulantiam præmisisset, adjunxit : *Statimque eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam* (*Prov.* VII). Rursus quia bovis nomine labor prædicatoris exprimitur legis verba testantur, ubi legitur : *Non obturabis os bovi triturranti;* ac si aperte diceret : Prædicatorem verbi ab stipendiorum suorum perceptione non prohibeas. Rursum quia bovis nomine plebs Israelitica figuratur, propheta asserit qui Redemptoris adventum denuntians dicit : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui* (*Isa.* I). Per bovem scilicet Israeliticum populum jugo legis edomitum signans, per asinum vero gentilem populum indicans voluptatibus deditum et gravius brutum. *Nunquid de bobus cura est Deo?* (*Amb.*) Interim paucis hoc absolvamus. In Jona enim propheta scriptum est : *Non parcam civitati in qua habitant plus quam centum viginti millia hominum, et pecora multa* (*Jon.* IV) ; et Psalmigraphus : *Homines*, inquit, *et jumenta salvabis* (*Psal.* XXXV), quomodo ergo Deus non curat de bobus et pecoribus? sed non curat de bobus et pecoribus propter hæc ipsa, sed propter nos, quorum causa sunt facta : ideo de nobis curat, non de illis. *Aut potius utique propter nos dicit, propter nos enim scriptum est* (Per figuram enim omnia dicta ad nos transeunt) : *Quoniam qui in spe arat et triturat, debet spei suæ fructum percipere.* Verum est, quia hac spe laboratur, ut fructus capiatur. *Si nos vobis spiritalia seminavimus, magnum est, si vestra carnalia metamus.* Non dicit magnum, neque par esse, si evangelizantes regnum Dei, et cœlesti cibo ecclesiam saginantes, alimenta corporis sumerent, ut tradentes æterna, consequerentur temporalia. *Si alii potestate vestra utuntur, nonne magis nos?* Si enim hi qui per evangelium Patres vestri non sunt, nec eumdem affectum habent erga vos, facultatem habent accipiendi, quanto magis nos? et subauditur, vestri apostoli, quia Barnabas apostolus erat. *Sed non sumus usi hac potestate, sed omnia toleramus ne quod impedimentum demus evangelio Christi.* Diu occultatum prodidit sensum ; ostendit enim sumptus ideo se nolle cum liceret accipere, ne vigor evangelicæ auctoritatis torpesceret. Pseudoapostoli enim peccantibus blandiebantur, volentes accipere, ita ut non sibi viderentur peccare illis subjecti ; sed quoniam hæc res contra evangelicam erat disciplinam, hic non vult accipere, ut libere arguat, ne in illorum numero inveniatur ; ut enim regulæ christianæ vis maneret licita, illicita fecit, quia illi per licentiam offendebant. *Nescitis quoniam qui in sacrariis operantur, de sacrario vivunt, et qui altari deserviunt, altari participantur?* In sacrariis legem gentilium significat, in altari vero Judæorum : sic enim decrevit Dominus per Moysen, ut de his quæ oblata erant, partem sumerent sacerdotes. *Ita Dominus Jesus ordinavit eos qui evangelium annuntiant de evangelio vivere.* Non ergo Deus per Moysen gentilium formam secutus est, sed ipsa naturalis ratio hoc habet, ut quis inde vivat ubi laborat : hanc ergo rationem ipsi naturæ et conversationi humanæ decrevit : hoc tamen ad cumulum adhuc addens gravat causam, ut non leve faciat neque odiosum, quod tantis testimoniis commendat, et non tamen sibi proficere vult ne libertatem arguendi humiliet. *Ego autem nullo horum usus sum.* Postquam multis modis ostendit licere accipere, sibi tamen non opus esse, obest enim accipere a peccantibus, sicut supra memoravi. *Non scripsi autem hæc ut ita fiant in me. Bonum est enim mihi magis mori quam ut gloriam meam quis evacuet.* Gloriam suam dicit in eo, si evangelii severitas maneat, et magis mori eligit, quam evangelii jura violare, sciens hoc magis sibi proficere ad futuram salutem ; debitum enim obsequium abnuit ab his sibi impendi, ne per hoc accipiant fiduciam delinquendi. *Nam si evangelizem, non est mihi gratia, necessitas enim mihi incumbit.* Sicut dicit Dominus, « cum feceritis quæ dico vobis, dicite servi inutiles sumus, quæ debuimus facere, fecimus. » *Væ enim mihi erit si non prædicavero evangelium.* Missus enim servus a Domino, facit etiam invitus quod sibi præceptum est, si quominus, astringatur plagis necesse est. Denique Moyses invitus missus est ad Pharaonem, et Jonas coactus est prædicare Ninivitis. *Nam si volens hoc ago, mercedem habeo.* Manifestum est, quia nemo accipit remunerationem ejus rei quam invitus agit. Si enim voluntarius, dignus mercede est, quia consentit domino et quod voluntate fit melius fit. *Si autem invitus, dispensatio mihi credita est.* Nec hoc obscurum est, quia qui indevotus aliquid facit, non voluntate facit, sed necessitate, quia enim potestatis suæ non est, facit invitus quod sibi præceptum est. *Quæ ergo erit merces mea, Ut evangelium annuntians sine sumptu ponam evangelium, ut non abutar potestate mea in evangelio.* Repressa verborum jactantia gloriatur, et vult intelligi quanta dignus mercede sit, quia potestate sua non utitur in evangelio, dum respuit oblatos sumptus, ne vim prædicationis humiliet : hoc est licere, sed non expedire propter salutem fratrum, ut corrigantur. Forma ergo vult esse cæteris ut ubi vident non expedire, etiam licitis non utantur. Si quominus delicto fient rei : quod sumunt cum ad detrimentum non proficiat. (*Aug.*) Dicit enim Apostolus licere sibi quidem et permissum esse a Domino, ut qui evangelium annuntiant, de evangelio vivant, id est, de evangelio habeant ea quæ huic vitæ erant necessaria. Sed tum se non esse abusum hac potestate : erant enim multi qui occasionem habere cupiebant acquirendi et vendendi evangelium, quibus eam volens amputare Apostolus, manibus suis victum suum toleravit. De his enim alio loco dicit (*II Cor.* XI) : *ut amputem occasionem his qui quærunt occasionem.* Quanquam etiam sicut cæteri et boni Apostoli permissu Domini de evangelio viveret, et non in eo victu constitueret finem evangelizandi, sed magis ipsius victus sui finem in evangelio collocaret, id est, non ideo evangelizaret, ut perveniret ad cibum, et si qua sunt alia necessaria,

Digitized by Google

sed ideo ista sumeret, ut illud impleret, ne non volens sed necessitate evangelizaret : hoc enim improbat cum dicit : *Nescitis*, inquit, *quoniam qui in templo operantur, quæ de templo sunt edunt; qui altari deserviunt, altari compartiuntur?* Sic et Dominus ordinavit his, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere. Ego autem nullius horum usus sum, hinc ostendit permissum esse, non jussum, alioquin contra præceptum Domini fecisse tenebitur. Deinde sequitur et dicit : *Non autem sic scripsi hæc, ut ita fiant in me : bonum est mihi magis mori, quam gloriam meam quisquam inanem faciat*, hoc dixit quia statuerat propter quosdam occasionem quærentes manibus suis victum transigere : *Si enim evangelizavero, non est mihi gloria.* Id est, si evangelizavero, ut ita fiant in me, id est, si propterea evangelizavero ut ad illa perveniam et finem evangelii in cibo, et potu, et vestitu locavero ; sed quare non est ei gloria? *Necessitas enim*, inquit, *mihi incumbit*, id est, ut ideo evangelizem, quia unde vivam non habeo, aut ut acquiram temporarium fructum de prædicatione æternorum, sic enim erit necessitas jam in evangelio non voluntas. *Væ enim mihi erit*, inquit, *si non evangelizavero.* Sed quomodo debet evangelizare? scilicet ut in ipso Evangelio et in regno Dei ponat mercedem : ita enim potest non coactus evangelizare, sed volens. *Si enim volens*, inquit, *hoc facio, mercedem habeo. Si autem invitus, dispensatio mihi credita est*, id est, si coactus inopia earum rerum, quæ temporali vitæ sunt necessaria, prædico Evangelium, alii per me habebunt mercedem Evangelii, qui Evangelium ipsum me prædicante diligunt : ego autem non habebo, quia non ipsum Evangelium diligo, sed ejus pretium in illis temporalibus constitutum, quod nefas est fieri, ut non tanquam filius ministret quisque Evangelium, sed tanquam servus, cui dispensatio credita est, ut tanquam alienum eroget, nihil inde ipse capiat, præter cibaria, quæ non de participatione regni, sed sustentaculum miseræ servitutis dantur extrinsecus. Quanquam alio loco et dispensatorem se dicat, potest enim et servus in filiorum numerum adoptatus eam rem, in qua cohæredis sortem meruit fideliter dispensare participibus suis, sed nunc, ubi ait : Si autem invitus, dispensatio mihi credita est, talem dispensatorem intelligi voluit, qui alienum dispensat unde ipse nihil accipiat.

Nam cum liber sim ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifaciam. (*Amb.*) Liber ex omnibus est, cum nulli per adulationem tradidit Evangelium, neque cujusquam præter salutem aliquid concupivit, neque ad delicias habendas ab aliquo sumptus largiores mercede hypocrisis accepit. Servum autem sic se omnium factum dicit, dum se per humilitatem similem omnium mente imbecillium exhibuit, ut eos per patientiam firmaret ad salutem futuram, confovens animos illorum, quia aut peccabant, aut res divinas tardius sequebantur, ut non aspere ferrent lenius reprehendebat. *Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifaceret.* Nam quasi videtur simulasse ut omnibus fieret omnia, quod solent adulatores facere, sed non ita est : vir enim divinus et medicus spiritalis sciens omnium causas et vulnera, magna industria confovet illos et compatitur; cum omnibus enim hominibus quædam habens communia, factus est ergo Judæis quasi Judæus, quia propter scandalum illorum circumcidit Timotheum, et purificatus ascendit in templum, ne occasionem per eum acciperent blasphemandi. Rem ergo fecit quæ jam cessare deberet, sed fecit secundum legem, nam et consensit illis legem esse a Deo, et prophetas, et exinde illis ostendit Christum hunc esse, qui promissus est, ut assensus ejus haberet effectum.

His qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non sim sub lege, ut eos qui sub lege sunt lucrifacerem. Hi qui sub lege sunt Samaritani noscuntur, legem enim solam accipiunt, id est, quinque libros Moysi. Sunt autem ex origine Persarum et Assyriorum, quos rex Assyriorum, sublatis filiis Israel in captivitatem, posuit ad incolenda loca Samariæ. Ideo et ignem colunt more Persarum : his ergo Apostolus, dum non negabat legem esse a Deo, fiebat quasi sub lege. Sed ex ea illis miti verbo Christum intelligendum tradebat, sic et Samaritana illa, quæ dixit ad Dominum : *Scio quia Messias venit* (*Joan.* IV), docta per legem. *His qui sine lege sunt, quasi sine lege essem, cum sine lege non essem Dei, sed in lege essem Christi.* Hoc dicit quia cum in lege Christi est, in lege Dei est, quia quod Christi est, Dei est, et quod Dei, Christi est, sicut dicit : *Omnia mea tua sunt, et tua mea* (*Joan.* XVII). *Ut eos qui sine lege sunt lucrifacerem.* Dum enim assentit illis, id est, gentilibus, juxta physicam rationem mundum factum a Deo, et quæ in eo sunt, et animam esse immortalem, et ab ipso nos originem habere, ita enim in Actibus apostolorum ait : *Et sicut quidam ex vobis dixerunt : Ipsius enim et genus sumus* (*Act.* XVII), sic fiebat quasi sine lege, per quod subintroducebat illis Christum ipsum esse quem Deus ad judicandum mundum præelegit, et ipsum esse per quem omnia fecit. (*Aug.*) Utrisque enim debebat charitatem *de corde puro, et conscientia bona et fide non ficta* (*I Tim.* I), ac per hoc omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret, non mentientis astu, sed compatientis affectu : id est, non omnia mala hominum fallaciter agendo, sed aliorum omnium malis omnibus, tanquam si sua essent : misericordis medicinæ diligentiam procurando. Cum itaque illa testamenti veteris sacramenta etiam sibi agenda minime recusabat, non misericorditer fallebat, sed omnino non fallens, atque hoc modo a Domino Deo illa usque ad certi temporis dispensationem jussa esse commendans, a sacrilegiis sacris gentium distinguebat : tunc autem non mentientis astu, sed compatientis affectu Judæis tanquam Judæus fiebat quando eos ab illo errore, quod in Christo credere nolebant, sed per vetera sacrificia sua cæremoniarum-

Digitized by Google

que observationes se a peccatis posse mundari, fierique salvos existimabant, sic liberare cupiebat tanquam ipse errore illo teneretur, diligens utique proximum tanquam seipsum, et hæc aliis faciens, quæ sibi ab aliis fieri vellet si hoc illi opus esset: quod cum Dominus monuisset, adjunxit: *Hæc est enim lex et prophetæ* (*Matth.* VII). Hunc compatientis affectum in eadem epistola ad Galatas præcepit dicens: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum, ne et tu tenteris* (*Gal.* VI). Vide si non dixit fieri tanquam ille, ut illum lucrifacias, non utique ut ipsum delictum fallaciter ageret, aut se id habere simularet: sed ut in alterius delicto quid etiam sibi accidere posset, attenderet. Atque ita alteri tanquam sibi ab altero vellet misericorditer subvenire, hoc est, non mentientis astu, sed compatientis affectu, sic Judæo, sic gentili, sic cuilibet homini Paulus in errore vel peccato aliquo constituto, non simulando quod non erat, sed compatiendo, quia esse poterat, tanquam qui se hominem cogitaret, omnibus omnia factus est ut omnes lucrificaret. Neque enim egregius prædicator ut quasi Judæus fieret ad perfidiam erupit, neque ut quasi sub lege esset, ad carnale sacrificium rediit, neque ut omnibus omnia fieret, simplicitatem mentis in erroris varietatem commodavit, sed condescendendo appropinquavit infidelibus non cadendo, ut videlicet singulos in se suscipiens, et se in singulis transfigurans compatiendo colligeret: si ita ipse ut illi esset, quid impendi sibi ab aliis recte voluisset, et tanto verius unicuique erranti concurreret quanto salutis ejus modum ex propria consideratione didicisset.

Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Infirmus factus est dum propter fratres infirmos ab licitis abstinet ne illis scandalum generet. *Omnibus factus sum omnia, ut omnes salvos facerem.* Hoc fuit viri prudentis et spiritalis ut omnibus omnia factus, propositum tamen religionis non excederet. Quia ubi cessit, ad hoc cessit ut proficeret, et nec aliud fecit quam lex mandavit. (*Cass.*) Quid aliud ostendit quam secundum infirmitatem atque mensuram eorum qui instituebantur condescendisse semper, et a perfectionis rigore aliud relaxasse se, id quod destructio poscere videbatur, sed illud magis præposuisse, quod infirmantium utilitas exigebat, et ut hæc eadem attentius indagantes singulatim Apostolicarum virtutum insignia replicemus, quærat aliquis quomodo omnibus per omnia beatus Apostolus suam probetur aptasse personam, ubi factus sit Judæis, sicut Judæus? profecto ibi ubi illam sententiam intimo corde custodiens, quia Galatis denuntiaverat dicens: *Ecce ego Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (*Gal.* V). In Timothei tamen circumcisione, imaginem quodammodo Judaicæ superstitionis assumpsit: et rursus ubi factus est eis qui sub lege erant tanquam sub lege esset, nempe ibi ubi Jacobus omnes- A que seniores Ecclesiæ formidantes ne in eum illa irrueret Judæorum credentium imo Christianorum judaizantium multitudo quæ ita fidem Christi receperat, ut adhuc in judaismo teneretur, discrimini ejus hoc consilio ac persuasione succurrunt, dicentes: *Vides, frater, quot millia sunt Judæorum qui crediderunt, et hi omnes æmulatores sunt legis; audierunt autem de te quia discessionem doceas a Moyse eorum, qui per gentes sunt Judæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos;* et infra: *Hoc ergo fac quod tibi dicimus: sunt nobis viri quatuor votum habentes super se; his assumptis sanctifica te cum illis, et impende in illis ut tradant capita, et scient omnes quomodo quæ de te audierunt falsa sunt, sed ambulans et ipse custodiens legem* (*Act.* XXI); et B ita pro illorum qui sub lege erant salute illam paulisper districtionem sententiæ suæ calcans qua dixerat: *Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam* (*Gal.* II): caput radere, purificari secundum legem, atque in templo Mosaicorum vota offerre compellitur, quæ res etiam pro salute eorum qui legem Dei penitus ignorabant, tanquam et ipse sine lege esset, effectus sit, lege in Atheniensium urbe ubi gentilium vigebat impietas, quo usus sit prædicationis exordio. *Præteriens*, inquit, *vidi simulacra, et aram, in qua scriptum erat* IGNOTO DEO (*Act.* XVII). Cumque de eorum superstitione sermonem fuisset orditus tanquam si et ipse sine lege esset sub occasione illius profani tituli fidem Christi intulit dicens: *Quod ergo ignorantes vos colitis, hoc et ego annuntio* C *vobis*, et post pauca velut si divinæ legis penitus ignarus, gentilis poetæ versum potius quam Moysi aut prophetarum maluit proferre sententiam. Et sicut quidam inquiens vestrum poetarum dixerunt: ipsius et genus sumus. Cum itaque suis eos quæ refutare non possint testimoniis fuisset aggressus, ita de falsis vera confirmans subdidit, dicens: *Genus ergo cum sumus Dei, non debemus æstimare auro aut argento, aut lapidibus sculpturæ artis et cogitationis hominis divinitatem esse similem* (*Act.* XVII). Infirmis autem infirmus effectus cum secundum indulgentiam, non secundum imperium, his qui se continere non poterant in idipsum redire concessit, sive cum lacte non esca Corinthios potans, infirmitate et timore et tremore multo apud eos fuisse se dicit. Omnia autem D omnibus factus est, ut omnes faceret salvos cum dicit: *Qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicet: et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit melius facit* (*Rom.* XIV). Et alibi: *Quis*, inquit, *infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalizatur et ego non uror?* Atque hoc modo illud quod Corinthiis præceperat adimplevit dicens: *Sine offensione estote, Judæis et Græcis, et Ecclesiæ Christi sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant* (*I Cor.* X). Utile sine dubio ei fuerat Timotheum non circumcidere, caput non radere, purificationem Judaicam non assumere, nudipedia non exercere,

Digitized by Google

vota legalia non offerre, sed facit hæc omnia, quia non quærit quod sibi utile est, sed quod multis, quod quamvis Dei contemplatione sit factum, tamen simulatione non caruit. Qui enim per legem Christi legi mortuus fuerat, ut Deo viveret, quique illam justitiam legis, in qua conversatus fuerat sine querela, detrimentum fecerat, et arbitratur ut stercora ut Christum lucrifaceret (*Philip.* III), ea quæ legis erant vero cordis affectu offerre non potuit. Nec fas est credi eum qui dixerat : *Si enim quæ destruxi, hæc iterum ædifico, prævaricatorem me constituo* (*Gal.* II), in id se incidisse quod ipse damnaverat et in tantum non magis res ipsa quæ geritur, quam gerentis pensatur affectus. (*Aug.*) Hoc ergo exhibeamus ei cujus infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis vellemus exhiberi, si forte nos in ea essemus et ipse non esset. Ad hoc pertinet quod ipse Apostolus ait : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem*, cogitando scilicet in eo vitio etiam se esse potuisse, unde cupiebat alterum liberari : compatiendo enim potius id agebat, non mentiendo, sicut quidam suspicantur, et hi maxime qui mendaciis suis defendendis, quæ negare non possunt alicujus magni exempli patrocinium quærunt. *Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar.* (Amb.) Hoc est, omnia supra dicta facio, ut voluntatis Evangelicæ particeps fiam, quam habet circa salutem humanam. *Nescitis quoniam qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, unus autem accipit palmam.* Nunc aliud incipit exponere. Itaque hoc exemplo ostendit quanta sit utilitas legis nostræ, in qua non uni, sed omnibus promissa est palma.

Sic currite ut comprehendatis. (*Theolog.*) Sollicite vult curri ad promissionem, quia magna est, nec propter lentorum et segnium moras paratos atque alacres debere subsistere, cum rectius sit, ut desides a præcurrentibus incitentur, quam ut properantes a residentibus obligentur. *Omnis autem qui in agone contendit ab omnibus se abstinet.* Ab his omnibus, inquit, quæ vitanda eadem tradit disciplina, cum sciant unum coronandum, quanto magis observandum nobis est, quia omnibus promissa est salus. A quibus omnibus dixerit, inquiramus, ut possit nobis spiritalis agonis instructio comparatione carnalis acquiri. (*Cass.*) Illi etenim qui in hoc agone visibili student legitime decertare, utendi omnibus escis quas desiderii libido suggesserit non habent facultatem, sed illis tantummodo quas eorumdem certaminum statuit disciplina, et non solum interdictis escis, et ebrietate, omnique crapula, eos necesse est abstinere, verumetiam cuncta inertia, et otio atque desidia ut quotidianis exercitiis jugique meditatione virtus eorum possit accrescere, et ita omni sollicitudine ac tristitia negotiisque secularibus, affectu etiam et opere conjugali efficiuntur alieni, ut præter exercitium disciplinæ nihil aliud noverint, nec ulla mundiali cura penitus implicentur, ab eo tantum qui certamini præsidet, sperantes quotidiani victus substantiam et coronæ gloriam, condignaque præmia victoriæ laude conquirere. Itaque si agonis mundialis intelligimus disciplinam, cujus exemplo beatus Apostolus nos voluit erudire, docens quanta custodia quid nos conveniat facere, qua puritate oportebit custodire nostri corporis atque animæ castitatem, quos necesse est quotidie sacrosanctis agni carnibus vesci, quas neminem immundum contingere etiam veteris legis præcepta permittunt? In Levitico namque ita præcipitur : *Omnis mundus manducabit carnes, et anima quæcunque ederit de carnibus sacrificii salutaris, quod est Domini, in qua est immunditia peribit coram Domino* (*Levit.* VII). Quantum est igitur integritatis munus, sine qua et illi qui erant sub veteri testamento sacrificiis typicis non poterant interesse, et qui mundi hujus corruptibilem coronam cupiunt adipisci, nequeunt coronari. Itaque omni custodia cordis nostri sunt latebræ primitus extirpandæ ; quod enim illi in corporis puritate cupiunt assequi, nos debemus etiam in cordis conscientia possidere, in qua Dominus arbiter atque agonotheta residens pugnam cursus atque certaminis nostri jugiter exspectat, ut ea quæ in propatulo horremus admittere, ne intrinsecus quidem coalescere incauta cogitatione patiamur, et in quibus humana cognitione confundimur, nec occulta quidem concupiscentia polluamur : quæ licet possit hominum præterire notitiam, sanctorum tamen Angelorum ipsiusque omnipotentis Dei scientiam quam nulla subterfugiunt secreta, latere non poterit. *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* (Amb.) Et in hoc multum dispar donum est, ac per hoc diligentiores nos esse debere, quibus non terrenis et marcescentibus floribus, sed æternis conserta gemmis, in modum regalis diadematis, spiritalis corona servatur.

Ego igitur sic curro, non quasi in incertum. Magna spe currere profitetur, certum habens quid sit promissum. *Sic pugno non quasi aerem cædens.* Hoc est, non verbis magis sed rebus contendo. *Sed castigo corpus meum et servituti subjicio.* Castigare corpus est jejuniis illud agere, et illa ei dare quæ ad vitam proficiant, non ad luxum ; servituti vero subjicitur, dum non suam perficit, sed spiritus voluntatem. *Ne forte aliis prædicans ipse reprobus efficiar.* Ideo se refrenare corpus suum ostendit, ut remuneratione, quam aliis prædicat, etiam ipse dignus habeatur ne aliis curatis ipse remaneret in vulnere. Ratam ergo spem prædicationis suæ affirmat, quando gestis id se prosequi quod docet, ostendit : quia qui aliter agit quam prædicat, suspectos facit audientes, ut de promissis dubitent ; suo itaque exemplo non magis verbis, quam operibus exercendum hortatur. (*Cass.*) Vides quid in semetipso, id est, in carne sua, colluctationum summam velut in base quadam firmissima statuerit, et proventum pugnæ in sola castigatione carnis et subjectione sui corporis collocaverit. *Ego*, inquit, *sic curro non quasi in incertum*, non currit in incertum quia cœlestem Jerusalem conspiciens defixum habet quo sibi

Digitized by Google

cordis sui indeflexibilis sit dirigenda perspicacitas; non currit in incertum, quia obliviscens ea quæ posteriora sunt, extendit se ad destinatum, persequens ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu quo semper dirigens suæ mentis obtutum, et ad eum omni cordis properatione festinans cum fiducia proclamabat : *Bonum agonem certavi, cursum consummavi, fidem servavi ;* et quia se noverat post odorem unguentorum Christi perpeti conscientiæ devotione infatigabiliter cucurrisse et spiritalis agonis certamen, carnis castigatione vicisse, cum fiducia infert : *de cætero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*, ut et nobis quoque similem spem retributionis aperiret, si in agone cursus istius imitari eum velimus, et adjecit : *Non solum autem mihi, sed et omnibus qui diligunt adventum ejus*, participes nos coronæ suæ in die judicii fore pronuntians, si diligentes adventum Christi, non illum tantum, qui etiam nolentibus apparebit, sed etiam hunc, qui quotidie in sanctis committat animabus victoriam certaminis, castigatione corporis acquiramus. De quo adventu Dominus in Evangelio : *Ego*, inquit, *et Pater meus veniemus et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV) ; et iterum : *Ecce ego sto ad ostium, et pulso. Si quis audierit vocem meam et aperuerit januam, introibo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum* (*Apoc.* III). Nec tamen agonem cursus tantummodo consummasse se describit, cum dicit : *Si curro, non quasi in incertum*, quod specialiter tantum refertur ad intentionem mentis et fervorem spiritus sui, qui toto Christum sequebatur ardore cum sponsa decantans : *Post te in odorem unguentorum tuorum currimus ;* et iterum : *Adhæsit anima mea post te :* sed etiam aliud colluctationis genus se vicisse testatur dicens : *Sic pugno non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum et servituti subjicio*, quod proprie ad continentiæ dolores et corporale jejunium, atque afflictionem carnis pertinet, per hanc se pugilem quemdam strenuum suæ carnis esse describens, nec in vanum adversus eam ictus continentiæ exercuisse designans, sed triumphum pugnæ mortificatione sui corporis acquisisse, quo verberibus, continentiæ castigatione, jejuniorum gressibus eliso, victori spiritui immortalitatis coronam et incorruptionis contulit palmam. Vides legitimum colluctationis ordinem, et spiritalium certaminum contemplaris eventum, quemadmodum athleta Christi adeptus de rebellatrice carne victoriam vitiorum, illa subjecta quodammodo pedibus suis, ut sublimis triumphator, invehitur, et idcirco non currit in incertum, quia confidebat urbem sanctam Jerusalem cœlestem se protinus ingressurum; sic pugnat jejuniis scilicet et afflictione carnali, non quasi aerem verberans, id est, non in vanum ictus continentiæ porrigens, per quos non aerem vacuum, sed illos spiritus qui in eo versantur, castigatione sui corporis verberabat : qui enim dicit, *non quasi aerem verberans*, ostendit se tametsi non aerem vacuum et inanem, aliquos tamen in aere verberare : et quia hæc certaminum genera superaverat, et ditatus multarum coronarum stipendiis incedebat, non immerito robustiorum hostium incipit subire luctamina, ac prioribus æmulis triumphatis cum fiducia proclamat et dicit : *Jam non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI).

CAPUT X.

Reprobat Apostolus participantes ex idolis, et docet quomodo utendum sit iis quæ immolantur idolis.

Nolo enim vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari. Judæorum exemplo qui negligentia sua offenderunt, sollicitos nos vult esse, ideoque sub nube dicit illos fuisse, quia omnia quæ gesta sunt in figura nostri facta sunt ut veritatis nostræ illi habuerint imaginem : contecti enim nube et ab adversariis suis tuti præstiti dum a morte liberati sunt, baptizati dicuntur. Illis enim, id est, Ægyptiis in mari mortuis, dum hi, duce Moyse, feliciter transeunt, erepti sunt a morte, quod præstat baptismum ; non enim illis præterita mala imputata sunt, sed per mare et per nubem purificati præparati sunt ad accipiendam legem, et formam futuri sacramenti nostri. *Et omnes eamdem escam spiritalem ederant, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequenti eos petra : petra autem erat Christus.* (Amb.) Manna et aquam quæ fluxit de petra hæc dicit spiritalia, quia non mundi lege parata sunt ; sed virtute Dei sine elementorum commixtione ad tempus creata, habentia in se figuram futuri mysterii, quod nunc nos sumimus in commemorationem Christi Domini. Ideo et panis angelorum dictus est, quia virtute qua angeli subsistunt creatus est, hoc significans, quia de cœlis venturus erat, qui spiritaliter pasceret. Unde et manna primum Dominico die venit de cœlo ad saturitatem populi : sequens tamen petra dicta est, quæ intelligitur Christus esse : ubi enim deficiebat humanum eis suffragium, aderat Christus : ideo sequebatur, ut ubi defecisset ille subveniret, nec enim petra aquam dedit, sed Christus. Mare Rubrum significat baptismum, Moyses ductor per mare Rubrum significat Christum, populus transiens significat fideles, mors Ægyptiorum significat abolitionem peccatorum. Nunquid non eadem credebant per quos hæc signa monstrabantur, per quos ea quæ credimus prophetata prænuntiabantur? Utique credebant, sed illi ventura, nos autem venisse. Ideo et sic ait, *eumdem potum spiritalem biberunt*, sed spiritalem eumdem, nam corporalem non eumdem. Quid enim illi biberunt, *bibebant autem de spiritali consequenti eos petra, petra autem erat Christus.* Videte ergo fide manente signa variata, ibi petra Christus, nobis Christus quod in altari Dei ponitur,

Digitized by Google

et illi pro magno sacramento ejusdem Christi bibe- A
runt aquam profluentem de petra; nos quid biba-
mus norunt fideles; si speciem visibilem intendas,
aliud est; si intelligibilem significationem, eumdem
potum spiritalem biberunt, *Petra autem erat Christus;*
de qua petra in libro Job ita legitur, *Petra autem*
fundebat mihi rivos olei. Quæ videlicet petra nunc
ad usum sanctæ Ecclesiæ olei rivos fundit, quia in
ea loquens Dominus prædicamenta unctionis intimæ
emanant. De hac petra olei rivus exiit liber Matthæi,
liber Marci, liber Lucæ, liber Joannis. In diversis
hujus mundi partibus quot prædicamenta dedit, tot
petra hæc per ora Apostolorum omnium rivos fudit,
toties adhuc de petra hac olei rivus funditur, quoties
sancto Spiritu ungendis mentibus auditorum ea quæ
in libris veteribus de Christo dicta sunt explanantur, B
et rivi vocantur olei, quia decurrunt et ungunt, in
quibus quisquis tingitur, ungitur, quisquis tingitur
interius impinguatur. *Sed non in pluribus eorum*
bene sensit Deus. (Amb.) Ideo hoc dixit, quia acce-
ptum beneficium non intellexerunt. *Prostrati enim*
sunt in deserto. Dignum est, ut qui magna consecu-
tus, in parvis diffidens est, non solum hæc non adi-
piscatur, verum etiam amittat et illa. Quomodo ergo
superius hortatus est ad meliora, se etiam dicit id
elaborare, ut ad promissionem dignus occurrat,
nunc ut istud exempli terrore constringat, ac suadeat
Judæos, tunc simili modo dicit donum Dei et
gratiam sortitos, sicut et nos, et quia indiligentes
et dubitantes de Dei provisione fuerunt, prostratos
esse in deserto, ut ideo semetipsum affligere se C
ostenderet, ne in illorum numero inveniretur, pro-
inde elaborandum, ut sui imitatores existerent.

Hæc autem in figura nostri facta sunt, ut non simus
desiderantes mala sicut et illi desideraverunt. Hic sen-
sus et ratio quam supra memoravi. *Neque simulacris*
servientes, sicut quidam illorum. Nunc hos tangit qui
in idolio recumbentes putabant non esse peccatum.
Sicut scriptum est (*Exod.* XXXII): *Sedit populus man-*
ducare et bibere, et surrexerunt ludere. Ante idolum
utique, ut non se crederent immunes a crimine, qui
in idolio epulabantur: nam Moyse in monte posito
apud Deum, simulacro vituli facto post oblationem
dedicationis causa, *sedit populus manducare et bi-*
bere, et surrexerunt ludere. Hæc luxuria est, qua sem-
per oblectati, in Dei rebus infideles inventi sunt. D
(*Greg.*) Ideoque instruit, ne in hac diffidentia per
assensum luxuriæ idoli incidamus. Ex vanitate ergo
ad iniquitatem ducimur, cum prius per levia delicta
defluimus, et usu cuncta levigante nequaquam post
committere, etiam graviora timeamus. Nam dum
moderari lingua otiosa verba negligit more inolitæ
remissionis capta, audax ad noxia prorumpit. Dum
gulæ incumbitur ad lenitatis protinus insaniam pro-
ditur; cumque mens subigere delectationem carnis
renuit, plerumque et ad perfidiæ originem ruit. Unde
bene Paulus plebis Israeliticæ damna conspiciens, ut
imminentia ab auditoribus mala compesceret, cura-
vit ex ordine transacta narrare dicens: *Neque idolo*

latræ efficiamini sicut quidam quemadmodum scriptum
est: Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt
ludere. Esus quippe potusque ad ludum impulit, lu-
dus ad idololatriam traxit, quia si vanitatis culpa ne-
quaquam caute compescitur, ab iniquitate protinus
mens incauta devoratur, Salomone attestante, qui
ait: *Qui modica spernit, paulatim decidit* (*Eccli.* XIX).
Si enim curare parva negligimus insensibiliter se-
ducti, audenter etiam majora perpetramus. *Neque*
fornicemur sicut quidam illorum fornicati sunt, et ce-
ciderunt una die viginti tria millia hominum. Hoc illis
retributum est, quando cum Madianitis mulieribus se
commacularunt. Ira enim Dei exstitit contra illos
quæ æmulatione Phinees sacerdotis habentis zelum
Dei sopita est ne plures morerentur. *Neque tentemus*
Christum, sicut quidam tentaverunt, et a serpentibus
perierunt. Detrahentes de Deo Christum tentasse di-
cuntur, quia Christus erat, qui ad Moysen loquebatur.
Denique ne nos in eadem causa inveniamur,
commonet ne diabolo tradamur: cujus serpentes ha-
bent figuram; qui nos super omne genus serpentum
calcare spiritaliter jussit. (*Aug.*) Ipse enim est et
prophetarum Deus, qui populo infideli ad signifi-
canda peccata, quorum veneno invisibiliter morie-
bantur, visibiles serpentes quibus admoverentur in-
misit, et plaga emendatoria mortes animarum morti-
bus corporum figuravit. *Neque murmuraveritis, sicut*
quidam eorum murmuraverunt. (*Ambr.*) Murmurare
est falso ad invicem de præpositis et rectoribus
queri, quantum ad mentem loci pertinet, quia solet
murmur fieri et justa ex causa. *Et perierunt ab exter-*
minatore. Hoc est in locum Judæ concesserunt anti-
cipantes illum, quia tradens Christum exterminatus
est de numero Apostolorum a judice Deo. Per hæc
exempla ad correctiorem nos vitam provocat, ut mo-
nitis ejus aut præmium, si obedientes fuerimus, aut
propensiorem pœnam mereamur inobedientes. Non
est enim ambiguum illos peccantes plus subjiciendos
tormentis, quibus peccantium pœnæ ad hoc relatæ
sunt ne peccarent. *Hæc autem omnia in figura con-*
tingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem
nostram, in quos fines sæculorum devenerunt. Fines
sæculorum nos sumus, quia tunc hæc ideo facta
noscuntur circa retributionem illorum, ut nobis es-
sent exemplo, qui postremo sæculo futuri eramus in
fide Christi; pro utilitate enim nostra gesta sunt, ut
si terrore horum in Dei timore manserimus, gloriam
illis promissam accipiamus. Si quominus, geminabi-
tur nobis pœna illorum, quia major notitia legis plus
facit reum. (*Aug.*) Hæc, inquit, omnia in figura
contingebant illis, scripta sunt autem propter nos.
Ecce ipse aperuit, cur illæ litteræ accipiantur a no-
bis, et cur illa rerum signa jam necesse non sit, ut
observentur a nobis. Cum enim dicat, scripta sunt
propter nos, procul dubio demonstrat, quanta nobis
cura legenda et intelligenda, et in quanta auctori-
tate habenda sint, quia propter nos utique scripta
sunt; cum vero dicit figuræ nostræ fuerunt, *et in fi-*
gura contingebant illis, ostendit jam non opus esse,

Digitized by Google

ut cum res ipsas manifestas agimus, figurarum præ- A nuntiantium celebrationi serviamus.

Propterea et qui se putat stare, videat ne cadat. (*Ambr.*) Hoc ad eos loquitur qui præsumentes de scientia, qua licitum est omnia edere, infirmis fratribus scandalo erant, et putantes aliquid se proficere doctrina pseudoapostolorum, deterioraverant, et judicabant Apostolum, cum ipsi essent rei. Superbiam ergo amputat ne per hanc tententur, sicut Judæi tentati sunt et perierunt. (*Greg.*) Per hanc ergo sententiam et spes nutritur humilium, et elatio premitur superborum, dum et illi bona possunt amittere, de quibus superbiunt, et isti ea percipere, quæ quia non habeant contemnuntur. Formidemus igitur in his quæ accipimus, ne eos illa necdum assecutos in desperationem trahamus. Quid enim sumus hodie novi- B mus, quid aut post paululum possimus esse nescimus. Hi vero quos fortasse despicimus, et tarde possunt incipere, et tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire. Timendum itaque est, ne etiam nobis cadentibus surgat, qui nobis stantibus irridetur, quamvis stare jam non novit, qui non stantem novit irridere. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana* (*Ambr.*). Ac per hoc detrahentes Apostolo, Dominum tentare videntur, quia et tunc cum Moysi detraherent, et dubitarent de eo, Deum tentasse dicuntur. Omne enim quod probatum non habetur, tentatur. Ideo ut hæc tentatio convellatur admonet cum terrore; ut autem humana tentatio illos apprehendat hortatur : humana enim tentatio est propter spem Dei diffidere de homine, quia vana spes in homine, ut in necessitate aut pressura non desperet de Deo, humanum auxilium requirendo. Sicut et Judæi qui dubitantes de Deo idolorum adminiculum exorabant, hoc est, humanum auxilium, quia dii paganorum terra sunt, et culturam idolorum humanus error invenit. Propter Christum ergo pati, humana tentatio est, per quam proficitur apud Deum. (*Aug.*) Sunt etiam humanæ tentationes, credo, cum bono quisque animo secundum humanam tamen fragilitatem in aliquo consilio labitur, aut irritatur in fratrem studio corrigendi, paulo tamen amplius quam Christiana tranquillitas postulat, de quibus Apostolus dicit, *tentatio vos non apprehendat, nisi humana.* Quæ sententia et aliter intelligi potest. (*Cass.*) *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.* Non enim meremur mentis robore conquisito graviores pugnas nequitiarum cœlestium experiri, qui carnem fragilem resistentem spiritui nostro subjugare non quivimus. Quod Apostoli testimonium non intelligentes, quidam posuerunt pro indicativo, optativum modum, id est, *tentatio vos non apprehendat, nisi humana,* quod ab ipso dici manifestum est, non optantis, sed pronuntiantis, vel exprobrantis affectu. (*Greg.*) Humana quippe tentatio est, qua plerumque in cogitatione tangimur etiam nolentes, qui ut nonnunquam et illicita ad animum veniant. Hoc itaque in nobismetipsis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Jam vero dæmoniaca est, et non humana tentatio, cum ad hoc A quod carnis corruptibilitas suggerit, per consensum se animus astringit.

Fidelis autem Deus qui non patitur vos tentari super quam potestis : sed faciet cum tentatione etiam proventum ut possitis tolerare. (*Ambr.*) Ideo fidelem dicit Deum qui non patietur vos teptari super id quod potestis, quia daturum se promisit Deus diligentibus se regna cœlestia, et ut det necesse est, quia fidelis est. Propterea ergo tribulatis pro se aderit, nec patietur tantum irrogari, quod tolerari non possit, sed faciet, ut aut cito cesset tentatio, aut si prolixa fuerit, det tolerandi virtutem; alioquin non dabit, quod promisit, quia vincitur, qui patitur : homo est enim infirmitati subjectus, et non erit qui accipiat. Sed quia fidelis est Deus qui promisit, subvenit, ut im- B pleat quod promisit. Denique breviatos dies dicit Dominus, ut salventur electi, et possint consequi regnum Dei. Quomodo tamen a Deo adjuvatur, si tantum permittatur tentari quantum potest? Adjuvatur plane, dum non plus permittitur ei imponi quam scitur ferre posse, ut quarto die pati non permittatur, qui scitur ultra non posse quam triduo tolerare. (*Greg.*) Contra hanc sententiam qua scriptum est : *Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere,* videtur idem Paulus alibi aliud ad Corinthios sentire, ita dicens (*II Cor.* x) : *Nolumus ignorare vos, fratres, de pressura nostra, quæ facta est nobis in* C *Asia, quoniam supra modum et supra virtutem gravati sumus;* et si supra virtutem gravamur, quoniam gravari nos Deus patitur, item si supra virtutem non gravamur quoniam supra virtutem gravari dicimur, ut ista dissonantia celerius dissolvamus, ad illud propheticum testimonium recurramus, ubi ait : *quia vana salus hominis in Deo faciamus virtutem* (*Psal.* LIX). Frequenter ergo gravari dicimur supra humanam fragilitatem, quia vana salus hominis est, sed nunquam gravamur supra virtutem, quia ille medicus est. Ægrotus ergo sub manibus medici aliquando plorat, quia quo pacto ad salutem perveniat, ignorat : sed sapiens medicus plerumque secat, ut ægrotum quoque ad salutem perducat. Paulus igitur intuendo fragilitatem gravari se dixit supra virtutem, nihilominus ait : *Omnia possum in eo qui me confor-* D *tat* (*Phil.* IV). Itaque in Job ita scriptum est : *Iratus est contra me furor ejus, et sic me habuit quasi hostem suum* (*Job.* XIX). Prædicatore quippe egregio attestante didicimus, quia *fidelis Deus et non patitur nos tentari supra id quod possumus ferre, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possimus sustinere.* Per prophetam quoque Dominus dicit : *Plaga inimici percussi te castigatione crudeli* (*Jer.* XIII). Qui ergo ita percutitur, ut vires illius a percussione superentur, non hunc Dominus jam quasi filium per disciplinam, sed quasi hostem per iram ferit. Cum ergo virtutem nostræ patientiæ flagella transeunt, valde metuendum est, ne peccatis nostris exigentibus, non quasi filii a Patre, sed quasi hostes a Domino feriamur. Et

Digitized by Google

quia fit plerumque, ut etiam maligni spiritus afflictorum cordibus multa suadeant, atque inter flagella quæ exterius feriunt cogitationes noxias in mentibus fundant, post furorem Domini recte subjungitur : *Simul venerunt latrones ejus, et fecerunt sibi viam per me.* Latrones namque ejus maligni sunt spiritus, qui exquirendis hominum motibus occupantur, qui viam sibi in afflictorum cordibus faciunt, quando inter adversa quæ exterius tolerantur cogitationes quoque pravas immittere non desistunt. De quibus adhuc dicitur : *Et obsederunt in gyro tabernaculum meum.* In gyro enim tabernaculum obsident, quando ex omni latere suis tentationibus mentem cingunt, quam modo lugere de temporalibus, modo desperare de æternis, modo in impatientiam ruere, atque in Deum blasphemiæ verba jaculari pessima suggestione persuadent. Quæ tamen verba, ut jam prædiximus, beatum Job etiam juxta historiam congruunt, qui dum mala quæ pertulit ante oculos congessit, non quasi corrigendo filium, sed quasi hostem percussum se esse judicavit, per quem sibi etiam latrones ejus viam fecerunt, quia maligni contra eum spiritus licentiam percussionis acceperunt, cujus in gyro tabernaculum obsederunt, quia sublatis rebus et filiis, etiam corpus ejus omne vulneribus attriverunt. Sed mirum valde est, cum latrones diceret, cur addidit ejus, ut videlicet eosdem latrones Dei esse monstraret; qua in re si voluntas ac potestas malignorum spirituum discernatur, cur Dei latrones dicantur aperitur, maligni quippe spiritus ad nocendum nos incessabiliter anhelant : sed cum pravam voluntatem ex semetipsis habeant, potestatem tamen nocendi non habent, nisi eos voluntas summa permittat, et cum ipsi quidem injuste nos lædere appetunt, quemlibet tamen lædere non nisi juste a Domino permittuntur. Quia ergo in eis et voluntas injusta est, et potestas justa, et latrones dicuntur, et Dei, ut ex ipsis sit quod inferre injuste desiderant, et ex Deo quod desiderata juste consumant.

Propter quod, charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura (*Ambr.*). Hortatur etiam nunc ut abstineant se ab omni societate idololatriæ, ut non solum spes, sed et animus in Deo tollatur, ne per hoc nascatur in Deum tentatio. Nemo enim assiduus in idolio, nihil sperat de Deo, hinc sperare dubitare de Deo est, sicut et Saul relicto Deo qui ei fuerat delicti causa iratus ad idololatriam se contulit, aliquid sperans de ea; cui quidem et in præsenti obfuit, et in futurum gehennam ultricem providit. *Ut prudentibus loquor, vos judicate quod dico.* Exempla subjicit, ut facilius suadeat, quia cui verba satis non faciunt, solent exempla suadere. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis et unum corpus multi sumus, omnes enim de uno pane participamus.* Quouiam unum sumus alter alterius membra, unum nos sentire debere dicit, ut fides una unum habeat sensum et opus. *Videte enim Israel secundum carnem.* Hoc est, discite, homines videntes Deum, quemadmodum A se habeant carnalia, id est, idololatria. *Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris?* Sicut enim nos de uno pane et de uno calice percipientes, participes et consortes sumus corporis Domini, ita et qui edunt hostias, participes sunt altaris erroris. *Quid ergo dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo.* Simulacrum vere nihil est, quia imago videtur rei mortuæ, sed sub tegmine simulacrorum diabolus colitur. *Nolo vos autem socios fieri dæmoniorum.* Ostendit illis non hoc esse tantum quod videtur in idolio, sed esse occultum iniquitatis mysterium, quod ut unius Dei fidem corrumperet, Satanas adinvenit. Unde et Joannes apostolus in sua Epistola dicit : *Ad hoc venit Filius Dei ut solveret* B *opera diaboli* (*I Joan.* III). Eos quippe ab idololatria prohibebat, propter quod eis ostendere voluit, ita illos fieri socios dæmoniorum, si idolothitæ sacrificia manducaverint. Quomodo Israel carnalis socius erat altaris in templo, qui de sacrificiis manducabat; ideo quippe carnaliter et secundum carnem, quia est Israel spiritaliter, vel secundum spiritum, qui veteres umbras jam non sequitur, sed eam consequentem, quæ illis umbris præcedentibus significata est, veritatem. Hic enim cœpit, ut hoc diceret : *Propter quod, dilectissimi, fugite ab idolorum cultura.* Deinde secutus ostendit ad quod sacrificium debeant jam pertinere dicens : *Quasi prudentibus dico, vos judicate quod dico : Calix benedictionis quem benedicimus, nonne communicatio est sanguinis Christi? Panis quem frangimus nonne communicatio est corporis Christi?* C *Quia unus panis, et unum corpus multi sumus. Omnes enim de uno participamus;* et propter hoc subjunxit : *Videte Israel secundum carnem, nonne qui de sacrificiis manducant, socii sunt altaris?* Ut intelligerent ita se jam socios esse corporis Christi, quemadmodum illi socii sunt altaris, et quia ut hoc diceret, ab idololatria prohibebat; unde locus iste sermonis ejus sicut commemoravi sumpsit exordium, ne putarent ideo non esse curandum, si de sacrificiis ederent idolorum, quia idolum nihil est, existimantes sibi hæc velut superflua non nocere; confirmavit quidem et ipse quia nihil esset idolum, nec ideo se ista prohibere, quia idolis immolantur, quæ non habent sensum, sed quia, *quæ immolant*, inquit, id est idolorum cul- D tores, *dæmoniis, et non Deo immolant, nolo vos socios dæmoniorum fieri, quia unus panis*, inquit, *unum corpus multi sumus, omnesque de uno pane et de uno calice participamus.* Quia qui passus est pro nobis, commendavit nobis in isto sacramento corpus et sanguinem suum, quod etiam fecit, et nos ipsos. Nam et nos corpus ipsius facti sumus, et per misericordiam ipsius quod accepimus nos sumus. Recordamini et vos, non fuistis, et creati estis, ad aream dominicam, comportati estis laboribus boum, id est annuntiantibus Evangelium, triturati estis, quoniam catechumeni differebamini, in horreo servabimini, nomina vestra dedistis, cœpistis moli jejuniis et exorcismis, postea ad aquam venistis, et conspersi

Digitized by Google

estis, et unum facti estis, accedente fervore Spiritus sancti cocti estis, et panis dominicus facti estis. Ecce quod accepistis; quomodo ergo unum videtis esse quod factum est, sic unum estote vos diligendo vos, tenendo unam fidem, unam spem, individuam charitatem. Hæretici quando hoc testimonium contra se accipiunt, quia illi quærunt divisionem, cum panis iste indicet unitatem. Sic et vinum in multis racemis fuit, et modo in uno est; unum est in suavitate calicis post pressuram torcularis, et vos post illa jejunia, post labores, post humilitatem et contritionem jam in nomine Christi tanquam ad calicem Domini venistis, et ibi vos estis in mensa, et ibi vos estis in calice, nobiscum vos estis : simul enim hoc sumus, simul bibimus quia simul vivimus : *Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum; non potestis mensæ Domini participare et mensæ dæmoniorum.* Sicut Dominus ait : *Non potestis Deo servire et mammonæ* (*Matth.* VI), quia qui calicem dæmoniorum bibit, calici Domini insultat, et cum mensæ dæmoniorum communicat, mensæ Domini, id est, altari obstrepit, et Domini corpus crucifigit; idcirco enim Christus crucifixus est, quia dissolvit opera diaboli, qui ergo facit opera diaboli, Christo repugnat. *An æmulamur Dominum, nunquid fortiores illo sumus?* Vix fit ut humilis zeletur potentem, scit enim non sibi competere, in quo illi potest invideri : sed aut inæquali invidetur, aut prope æquali; ideo Apostolus non posse dixit homines æmulari Dominum Jesum, præterea qui illum sciunt, si quo minus, non videbitur eis dignus esse vocari Dominus, quem zelantur, ne Dominus sit. Zelo enim Satanas idololatriam invenit, ut homines negando Deum Dominum idolis serviant quasi diis et dominis. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Omnia dicit licere secundum legem naturæ, omnia enim munda sunt, de escis agebatur et carne idolis immolata : nam quæ prohibita et interdicta sunt, quomodo dici possunt licere? cum etiam hic ipsa quæ concessa sunt significet aliquando non expedire? sicut dicit Petrus apostolus : *Si hæc est causa viri cum uxore, non expedit nubere* (*Matth.* XIX).

Omnia licent, sed non omnia ædificant. Idem sensus, quia licet omnia edere, sed quod idolis immolatur non ædificat, quia scandalum facit fratri, sicut supra dictum est, ideoque a licitis aliquando temperandum est, ut prosit. Hinc est unde sumptus ab his, cum ei liceret, noluit accipere, sciens non expedire. *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius.* (Cass.) Et charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum, ac de se ipso ait : *Non quæro*, inquit, *quod mihi utile est, sed quod multis ut salvi fiant.* Si enim ea quæ nostra sunt quærimus, et id quod nobis utile est pertinaciter volumus retentare, etiam in hujusmodi necessitatibus loqui nos necesse est veritatem, et reus fieri mortis alienæ : si vero ea quæ aliis salutaria sunt, nostris utilitatibus præponentes, Apostolico satisfecerimus imperio, sine dubio subeunda est nobis necessitas mentiendi, et idcirco nec integra charitatis viscera possidere, nec ea quæ aliorum sunt secundum Apostolicam disciplinam quærere poterimus, nisi his quæ districtioni nostræ perfectionique conveniunt paululum relaxatis, condescendere utilitatibus aliorum prono maluerimus affectu, et ita cum Apostolo infirmis efficiamur infirmi, ut lucrari possimus infirmos.

Omne quod in macello venit, edite, nihil interrogantes propter conscientiam; Domini est enim terra et plenitudo ejus. (Ambr.) Ut omnia munda ostenderet, exemplo psalmi vigesimi tertii, hoc roborabat quia non potest immundum esse quod Domini est, et quomodo superius de escis ait : *Omnia licent*, statim subsecutus est : *Omne quod in macello venit edite, nihil interrogantes propter conscientiam;* hoc autem ideo subjecit, ut libera sit conscientia : licet enim aliquid sit pollutum per accidentiam, id est, oblationem idoli, cum hoc tamen nescit, qui emit, nullum patitur scrupulum, et apud Deum immunis est. *Si quis vocat vos ex infidelibus ad cœnam, ite : omne quod appositum vobis fuerit edite, nihil disquirentes.* Hoc est, simpliciter manducate quod apponitur, non interrogantes unde sit. *Nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit : Hoc immolatitium est idolis, nolite manducare, propter conscientiam : conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius.* Hoc perfectis loquitur qui possunt contemnentes idololatriam, quia nihil est manducare de sacrificio, certi quia quod sub Dei creatoris nomine editur non potest polluere, sed quia alius qui idolis servit, gloriabitur te edente de sacrificatis, quasi venereris idola; ideo non debet edi, apud conscientiam enim ille lætabitur suam, quia vidit te libenter appetere quod idolis immolatum est. *Ut quid enim libertas mea judicatur ab alia conscientia?* Hoc dicit quia cum ab idoli devotione conscientia sit libera, quid opus est ut putetur, quia venerationis causa edat idolis immolata? judicatur enim non distare ab eo qui colit idola, quando non horret quod oblatum est simulacro. *Si enim ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago?* Id est, si ego gratia Dei communico, quia in ipsius nomine edo, quid opus est hoc arbitrari aliquem, quia ego idolo devotus sum, dum non horreo quæ oblata sunt idolo, hoc est, « blasphemor? » Et me ergo blasphemat, et ille in idolio suo gaudet, dum me putat participem, habet occasionem permanendi in errore, et fratribus malum datur exemplum : nam si præceptum in lege est, ut luci et aræ et tituli, et ipsa idola confringantur, vide si non peccatum est, non solum hæc non facere, sed et interesse epulis hujusmodi, propterea de sacrificatis non expedit edere. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Per hæc subjecta declaravit in idolio edere, quavis licet conscientia, inimicum esse Deo; ad opprobrium enim unius Dei hæc diabolo dedicantur, nam in gloriam Dei edere, et bibere, et aliquid facere, hoc est, ut sub invocatione Creatoris cum modestia convivium celebretur, in gloriam Dei autem aliquid fit,

Digitized by Google

cum in actibus et conversatione Christiani Deus laudatur.

Sine offensione estote Judæis, et Græcis, et Ecclesiæ Dei. Sic temperandam conversationem docet, ut nullus in ea scandalum patiatur; offensio ergo Judæis fit, cum idola quæ illi abominantur, Christianum, qui se dicit legem et prophetas accipere, vident non horrere; Græcis vero, id est, gentilibus, hæc est offensio, si in eo in quo sunt non solum non arguantur, sed et promptiores fiant dum non vitantur vota idolorum illorum; Ecclesiæ autem Dei fit offendiculum, quando quosdam ex numero suo videt his quæ inimica Deo sunt adhærere. *Sicut et ego et per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* (Cass.) Omnibus per omnia placere est sine scandalo cujusquam agere ad profectum utilitatis illorum, ut et illis et huic sit utile; utile sine dubio ei fuerat, sicut supra dictum est Timotheum non circumcidere, caput non radere, purificationem Judaicam non assumere, nudipedia non exercere, vota legalia non offerre, sed facit hæc omnia quia non quærit quod sibi utile est, sed quod multis, quod quamvis Dei contemplatione sit factum, tamen simulatione non caruit: qui enim per legem Christi legi mortuus fuerat, ut Deo viveret, quique illam justitiam legis, in qua conversatus fuerat sine querela detrimentum fecerat, et arbitratur ut stercora ut Christum lucrifaceret, ea quæ legis erant vero cordis affectu offerre non potuit, nec fas est credi eum qui dixerat: *Si enim quæ destruxi, hæc iterum ædifico, prævaricatorem me constituo* (*Gal.* II), in id incidisse, quod ipse damnaverat cum tantum non magis res ipsa quæ geritur, quam gerentis pensatur affectus, ut e contrario quibusdam reperiatur veritas nocuisse, ac profuisse mendacium. Nam Doech Idumæus regi Sauli de fuga David coram famulis conquerenti veraciter proditionem fecit, pro qua veritate eradicari de terra viventium meruit, ac de eo dicitur per Prophetam: *Propterea Deus destruet te, in finem evellet te, eradicabit te de tabernaculo, et radicem tuam de terra viventium* (*Psal.* LI). [Aug.] Et Apostolus dicit: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Gal.* I), cum alio loco dicit: *Sicut ego omnibus per omnia placeo* (*I Cor.* X); quod qui non intelligunt contrarium putant, cum ille se dixerit non placere hominibus, quia non ideo recta faciebat, ut placeret hominibus, sed ut Deo, ad cujus amorem corda hominum volebat convertere, eo ipso quod placebat hominibus; itaque et non se placere hominibus recte dicebat, quia in eo ipso ut Deo placeret intuebatur, et placendum esse hominibus recte præcipiebat non ut hoc appeteretur tanquam merces recte factorum, sed quia Deo placere non posset, qui non se his quos salvos fieri vellet præberet imitandum: Imitari autem illum, qui sibi non placuerit, nullo pacto quisquam potest. Sicut ergo non absurde loqueretur, qui diceret: In hac opera qua navem quæro, non navem quæro, sed patriam, sic apostolus convenienter diceret: In hac opera, qua hominibus placeo, non hominibus, sed Deo placeo, quia non hoc appeto, sed ad id refero ut me imitentur, quos salvos fieri volo. (*Ambr.*) Sciendum quoque quod oporteat, ut rectores boni placere hominibus appetant, sed ut suæ æstimationis dulcedine proximos in affectum veritatis trahant, non ut se amari desiderent, sed ut dilectionem suam quasi quamdam viam faciant, per quam corda audientium ad amorem conditoris introducant: difficile quippe est, ut etiam quælibet recta denuntians prædicator qui non diligitur libenter audiatur. Debet ergo qui præest et studere se diligi, quatenus possit audiri, et tamen amorem suum pro semetipso non quærere, ne inveniatur ei cui servire per officium cernitur occulta cogitationis tyrannide resultare quod bene Paulus insinuat, cum sui nobis studii occulta manifestat, dicens: *Sicut et ego per omnia omnibus placeo*, qui tamen rursus dicit: *Ego si adhuc hominibus placerem Christi servus non essem.* Placet ergo Paulus et non placet, qui in eo quod placere appetit, non se sed per se hominibus placere veritatem quærit: *Imitatores mei estote sicut et ego Christi.* (Greg.) Humanum est, quod dicit ut imitatores ejus simus, qui a Deo nobis magister indultus est. Si enim hic Dei imitator est, quare non nos hominis? quia sicut Deus Pater misit Christum magistrum et auctorem vitæ, ita et Christus misit Apostolos nobis magistros, ut eorum imitatores essemus, quia ejus esse non possumus. Ita enim ait Dominus ad Patrem: *Sicut et me misisti in hunc mundum, ita et ego misi eos in hunc mundum* (*Joan.* XVII); et quia dignum erat, ut imitatores ejus fierent, subjicit, *et pro eis sanctificabo meipsum.* Quidquid in eis de visceribus pietatis, quidquid de mansuetudine spiritus, quidquid de zelo rectitudinis, quidquid de custodia humilitatis, quidquid de fervore charitatis est, hoc ab ipso fonte misericordiæ, ab ipsa radice mansuetudinis, ab ipsa virtute justitiæ, id est, a mediatore Dei et hominum, Deo Domino traxerunt. Hujus hominis se similitudinem habere, egregius prædicator ostendit, dicens: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*, ad ejus nos similitudinem surgere admonet, cum dicit: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo, cœlestis: sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de cœlo descendit* (*I Cor.* XV). Sanctus etenim quisque in tantum ad similitudinem hujus hominis ducitur, in quantum vitam sui redemptoris imitatur, nam ab ejus mandatis atque ab operibus discordare, quid est aliud quam a similitudine longe recedere?

Digitized by Google

LIBER UNDECIMUS.

CAPUT XI.

Reprobat Apostolus errores circa celebritatem sacrosanctæ eucharistiæ et viri præeminentiæ; ponit et eucharistiæ dignitatem, et ritum sumendi bonum et convenientem.

Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis. (Ambr.) Postquam mores et conversationem illorum arguit, nunc traditiones vult corrigere. Ideo non hoc confirmat, sed succenset eis, quia cum esset Apostolus eorum, immemores erant traditionum ejus, neque, quod adhuc non didicerant ex aliarum Ecclesiarum traditione sequebantur, ac per hoc quasi noviter tradit illis dicens: *Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est.* Ad auctoritatem retulit, quia homo a Deo quidem, sed per Christum. *Caput autem mulieris vir.* Quia quamvis et mulier per Christum, de viro tamen facta est, ac per hoc subjicitur viro. *Caput autem Christi Deus.* Dignum est, ut filii caput Pater dicatur, quasi genitor ejus. Aliter tamen caput viri Christus est, et aliter vir mulieris, et aliter Deus caput Christi est. Deus autem ideo caput Christi est, quia de eo vel ab ipso genitus est; Mulieris vero idcirco vir est, quia ex ejus costa Dei virtute formata est. Christus autem ideo caput viri est, quia per ipsum cum non esset, creatus est. Una ergo dictio diversam habet intelligentiam, quia et personæ discrepant et substantiæ. (*Aug.*) Si Deus non nisi omnia simul tria, quomodo caput Christi Deus, id est, caput Christi trinitas, cum in trinitate sit Christus, ut sit trinitas? An quod est Pater cum Filio caput est ei, quod est solus Filius? cum Filio enim Pater Deus, solus autem Filius Christus est, maxime quia jam Verbum caro factum, loquitur, secundum quam humilitatem ejus etiam major est Pater sicut dicit: *Quoniam Pater major me est*, ut hoc ipsum Deum esse quod illi cum Patre unum est, caput sit hominis mediatoris quod ipse solus est. Si enim mentem recte diximus principale hominis, id est, tanquam caput humanæ substantiæ, cum ipse homo cum mente sit homo, cur non multo congruentius multoque magis verbum cum Patre quod simul Deus est, caput est Christi? quamvis Christus homo nisi cum verbo quod caro factum est, intelligi non possit. (*Greg.*) Nam Evangelium Joannis narrat, sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. Quid esse fratres credimus, quod sudarium capitis Domini cum linteaminibus non invenitur in monumento? nisi quia attestante Paulo, *Caput Christi Deus*, et divinitatis incomprehensibilia sacramentorum ab infirmitatis nostræ cognitione distincta sunt, ejusque potentia creaturæ transcendit naturam.

Omnis vir orans aut prophetans velato capite deturpat caput suum. (Ambr.) Orare dicit deprecari: prophetare autem adventum fore Domini voce symboli post orationem effari. *Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, confundit caput suum:* unum est enim atque idipsum, ut decalvetur; *si autem non velatur mulier tondeatur: si autem turpe est mulieri tonderi aut decalvari velet caput, vir enim non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei.* Quamvis una substantia sit et vir et mulier, tamen quia vir caput est mulieris, anteponendus traditur, ut per causam et rationem major sit, non per substantiam. Inferior ergo mulier viro est, portio enim ejus est; quia origo mulieris vir est, ex eo enim est, ac per hoc obnoxia videtur mulier viro, ut imperio ejus subjecta sit: honorificentiam et dignitatem viri obstare dicit ne velet caput. Imago enim Dei incongruum est, ut celetur, abscondi enim non debet, Dei enim gloria videtur in viro. *Mulier autem gloria viri est.* Multum distat inter gloriam Dei, et gloriam viri: vir enim ad imaginem Dei factus est, non mulier. Hæc est autem imago Dei in viro, quia unus Deus unum fecit hominem, ut sicut ab uno Deo sunt omnia, ita essent et ab uno homine omnes homines, ut unius Dei invisibilis unus homo visibilis imaginem haberet in terris, ut unus Deus in uno homine videretur auctoritatem unius principii conservare ad confusionem diaboli, qui sibi neglecto uno Deo, dominium et divinitatem voluit usurpare; quod propheta Ezechiel significat, et Apostolus idem, ait enim: *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se quasi sit Deus* (*II Thess.* II). [Aug.] Ad Romanos vero sic dicit: *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis: non est Judæus neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina: omnes enim vos unum estis in Christo Jesu* (*Galat.* III). Nunquid igitur fideles feminæ sexum corporis amiserunt, sed quia ibi renovantur ad imaginem Dei, ubi sexus nullus est, ibi factus est homo ad imaginem Dei, ubi sexus nullus est, hoc est in spiritu mentis suæ. Cur ergo vir propterea non debet caput velare, quia imago est et gloria Dei. Mulier autem debet, quia gloria est viri, quasi mulier non renovetur spiritu mentis suæ qui renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit illum, sed quia distat sexu a viro, rite potuit in ejus corporali velamento figurari pars illa rationis, quæ ad temporalia gubernanda deflectitur, ut non maneat imago Dei, nisi ex qua parte mens hominis æternis rationibus conspiciendis vel consulendis adhærescit, quam non solum masculos, sed feminas habere manifestum est. Ergo in eorum mentibus communis natura cognoscitur: in eorum vero corporibus ipsius unius mentis distributio figuratur. *Non est vir ex muliere, sed*

Digitized by Google

mulier ex viro : etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Propterea mulier debet potestatem habere supra caput propter angelos. (Ambr.) Velamen potestatem significavit; angelos episcopos dicit sicut docetur in Apocalypsi Joannis (*Apoc.* II, III), et quia utique homines sunt, quod non corriperent plebem arguuntur, et quod rectum in illis est laudatur. Mulier ergo idcirco debet velare caput, quia non est imago Dei, sed ut ostendatur subjecta, et quia prævaricatio per illam inchoata est, hoc signum debet habere, ut in Ecclesia propter reverentiam episcopalem non habeat caput liberum, sed velamine tectum, nec habeat potestatem loquendi, quia episcopus personam habet Christi; quasi ergo ante judicem, sic ante episcopum, quia vicarius Domini est, propter reatus originem subjecta debet videri. *Verumtamen neque mulier sine viro, nec vir sine muliere in Domino.* Ideo *in Domino*, quia Deus ex uno fecit ambos et unum : una enim caro et unum corpus sunt in Domino, hoc est, secundum Dominum qui creavit. Denique qui non credunt mulierem de viro sumptam, hi sine Domino, vel non secundum Deum credunt hominum originem. *Nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem.* Hoc firmat, quod dixit, quia ambo unum sunt in natura, quia origo mulieris vir est, sicut legitur in Genesi factum a Domino creatore. *Omnia autem ex Deo.* Postquam gradatim exposuit singula, ut omnia Deo subjiceret, unum servans principium, ait : *Omnia autem ex Deo*, ut neque mulier subjectionis suæ causa contristaretur, neque vir, quasi exaltatus superbiret (*Aug.*); sicut enim mulier ex viro, ita et vir per mulierem, quia mulier ex viro facta est, ut etiam vir per mulierem postea nasceretur. Si autem victor ita dividit ut dicat mulierem ex viro esse secundum corpus, ex Deo autem secundum animam et spiritum, quomodo erit verum quod ait Apostolus : *Omnia autem ex Deo?* Quapropter, ut Apostolus potius verum loquatur, quam iste ab Apostolo proferatur, mulier ex viro est, sive secundum corpus, sive secundum totum, quo constat humana natura, nihil enim horum tanquam certum affirmamus, sed quid horum verum sit adhuc quærimus, et vir per mulierem, sive ex parte, tota hominis natura ducatur, quæ per mulierem nascitur, sive sola caro, unde adhuc quæstio est. Omnia tamen ex Deo unde nulla quæstio est, id est, et corpus, et anima, et spiritus viri et mulieris, etsi enim non ex Deo nata vel tracta sunt, vel manarunt, ita ut ejus naturæ sint, tamen ex Deo sunt, a quo enim creata, condita, facta sunt, ab illo habent ut sint.

Vos ipsi judicate, decet mulierem velatam orare Deum? (Ambr.) Hinc est, quod superius illis per ironiam succenset, dicens : *Laudo, quia per omnia meam memoriam retinetis, et quomodo ubique trado, traditiones meas tenetis.* Cum enim hæc esset traditionis ratio, et velatæ mulieres essent in Ecclesia, illi contra revelatas eas in Ecclesia patiebantur. Ideoque non jam auctoritate traditionis quam neglexerant, sed per ipsam naturam suadere illis nititur veritatem dicens : *Nec ipsa natura docet vos.* Quia vir quidem, si comam habuerit, hoc secundum legem locutus est, prohibet enim virum esse comatum : *Mulier autem si comam habuerit, gloria est illi*, quoniam coma pro velamine data est. Naturaliter hoc honestum et propemodum decretum vult esse, ut velata mulier satisfaciat et gratias agat Deo. Coma ergo indicium velaminis est, ut naturæ voluntas addatur; denique nulla mulier revelata habet potestatem. *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Post rationem redditam, ut contentiosos vincat, auctoritatem interponit, quia neque judaismus hoc habuit. Unde dicit, « neque nos, neque Ecclesia Dei, » ut neque Moyses, neque Salvator sic tradiderit. *Hoc autem præcipio non laudans quod non in melius, sed in pejus convenitis.* Quomodo particulatim conversationem eorum per correptionem emendat, ita et traditiones eorum non laudans utique, sed vituperans eos.

Primum enim. Primum dicendo, genus peccati ostendit, unde orti sunt errores, quos reprehendit. Ubi enim dissensio est, nihil est rectum. *Convenientibus vobis in Ecclesia, audio dissensiones esse, et partim credo, oportet enim et hæreses esse, ut et qui probati sunt manifesti fiant inter vos.* Sciens dum nonnullos mente corruptos versutia diaboli, dicit « oportet hæreses esse, non utique noluit nec optavit, » sed quia præsciebat futurum dixit, sicut et Dominus : *Oportet*, inquit, *venire scandala*, et *oportet Filium hominis pati* (*Matth.* XVIII), præscius quia Judas proditor erat futurus, *ut probati* autem, cum dicit, *manifesti fiant inter vos.* Illos significat, quia in traditione accepta durantes, exemplum probationis erant evangelicæ disciplinæ ad condemnationem cæterorum. Hi sunt quos in capite epistolæ significat eo quod dicerent, *nos vero Christi*, cum alii dicerent : *Ego Pauli, ego Apollo.* (Aug.) Malo enim voto per peccatum legentes, male coguntur intelligere, ut ipsa sit pœna peccati, quorum tamen morte filii catholicæ Ecclesiæ, tanquam quibusdam spinis a somno excitantur, et ad intelligentiam divinarum Scripturam proficiunt, *oportet enim et hæreses esse, ut probati*, inquit, *manifesti fiant inter vos*, hoc est, inter homines, cum manifesti sint Deo. *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est cœnam Dominicam manducare, unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum : et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum, et bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent?* (Ambr.) Hos notat, qui sic in Ecclesiam conveniebant, ut munera sua offerentes advenientibus presbyteris, quia adhuc rectores Ecclesiis in omnibus locis fuerant constituti, totum sibi qui obtulerat vindicaret schismatis causa. Dissensiones enim inter eo pseudoapostoli seminaverant, ita ut oblationes suas zelarentur. Cum una atque eadem prece omnium oblationes benedicerentur, ut hi qui, ut assolet fieri, non obtulerant, aut unde offerrent non habebant, pudore correpti con-

Digitized by Google

funderentur non sumentes partem, et tam cito illud agebant, ut supervenientes non invenirent quod ederent. Ideoque si sic, inquit, convenitis, ut unusquisque suum sumat, domi hæc agenda, non in Ecclesia ubi latis et mysterii causa convenitur, non dissensionis et ventris : munus enim oblatum totius populi fit, quia in uno pane omnes significantur, per id enim quod unum sumus, de uno pane omnes nos sumere oportet. *Quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo.* Apertum est, deprehenso et correpto errore, ut de cætero corrigant et sciant, hoc verum, quod dudum in primordiis ipsi didicerant, formam illis quæ a salvatore in re hujuscemodi data est iterat dicens : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quomodo Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit : Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam cœnavit dicens : Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.* Ostendit illis mysterium Eucharistiæ inter cœnandum celebratum non cœnam esse ; medicina enim spiritalis est, quæ cum reverentia degustata, purificat sibi devotum. Memoria enim redemptionis nostræ, ut Redemptoris memores majora ab eo consequi mereamur. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Quia enim morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo et portando carnem et sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus Novum Testamentum in his consecuti, quod est nova lex, quæ obedientem sibi tradit cœlestibus regnis. Nam et Moyses accepto sanguine vituli in patera, aspersit filios Israel, dicens : *Hoc testamentum est, quod disposuit Deus ad vos* (*Exod.* XXIV). Hoc figura fuit testamenti, quod Dominus Novum appellavit per prophetam, ut illud vetus sit quod Moyses tradidit. Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia beneficii divini sanguis testis est. In cujus typum nos calicem mysticum ad tuitionem corporis et sanguinis, et animæ nostræ percipimus, quia sanguis Domini sanguinem nostrum redemit, id est, totum hominem salvum fecit; caro enim Salvatoris pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra effusus est, sicut prius præfiguratum fuerat a Moyse, sic enim ait : *Caro*, inquit, *pro corpore vestro offertur, sanguis vero pro anima*, ideoque non manducandum sanguinem. Si igitur apud veteres imago fuit veritatis, quæ nunc apparuit et manifestata est in Salvatoris adventu, quomodo hæreticis contrarium videtur vetus novo, cum ipsa sibi invicem sint testimonio ?

Itaque quicunque ederit panem hunc aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Indignum dicit esse Domino, qui aliter mysterium celebrat, quam ab eo traditum est, non enim potest devotus esse qui aliter præsumit quam datum est ab auctore, ideo præmonet, ut secundum ordinem traditum devota mens sit accedentis ad Eucharistiam Domini. Quoniam futurum est judicium, ut quemadmodum accedit unusquisque, reddat causas in die Domini Jesu Christi, quia sine disciplina traditionis et conversationis, qui accedunt rei sunt corporis et sanguinis Domini. Quid est reus esse, nisi pœnas dare mortis Domini? Occisus est enim pro his qui beneficium ejus in irritum ducunt (*Aug.*). Quid ergo miraris, si datus est Judæ panis Christi, per quem manciparetur diabolo, cum videas e contrario datum Paulo angelum diaboli, per quem proficeretur in Christo, ita et malo bonum obfuit, et bono malum profuit. Recordamini ergo unde sit scriptum : *Quicunque manducaverit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Et de his erat sermo cum hoc Apostolus diceret, qui Domini corpus velut quemlibet alium cibum indiscrete negligenterque sumebant. Hic ergo si corripitur qui non dijudicat, hoc est, non discernit a cæteris cibis Dominicum corpus, quomodo non damnatur qui ad ejus mensam fingens amicum accedit inimicus? *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat : qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non discernens corpus Domini.* (Ambr.) Devoto animo et cum timore accedendum ad communionem docet, ut sciat mens reverentiam se debere ei, ad cujus corpus sumendum accedit; hoc enim apud se debet judicare quia Dominus est, cujus in mysterio sanguinem potat, qui testis est beneficii Dei; quem nos si cum disciplina accipiamus, non erimus indigni corpore et sanguine Domini, gratias enim videbimur reddere Redemptori. *Ideo multi in vobis invalidi et ægroti, et dormiunt multi*, ut verum probaret, quia examen futurum est accipientium corpus Domini, jam hic imaginem judicii ostendit in eos qui inconsiderate Domini corpus acceperant, dum febribus et infirmitatibus corripiebantur, et multi moriebantur, ut in his cæteri discerent, et paucorum exemplo cæteri territi emendarentur, non inultum corpus Domini scientes negligenter accipere, et eum quem hic pœna distulerit, gravius tractari, quia contempsit exemplum. *Quod si nosmetipsos discerneremus, non utique judicaremur. Dum judicamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Hoc dicit, quia si nosmetipsi errores nostros corrigeremus, non a Domino judicaremur, et quia corripimur, tamen pro nobis est, ut timore ipso emendemur : in paucis enim omnium est emendatio; « ne cum hoc mundo, » id est, cum infidelibus « damnemur. » Nihil enim differt ab infideli qui inconsiderate ad mensam Domini accedit : neque enim pie Dominus ante delinquentium oculos flenda peccata opponeret, si per semetipsum ea districte ferire voluisset; constat enim quod a suo judicio abscondere voluit, quos miserando prævenienus semetipsis judices fecit. Hinc enim scriptum est : *Præveniamus faciem ejus in confessione* (*Psal.* XCIV). [Cass.] Hinc per Paulum dicitur : *Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur.* Omni quidem

Digitized by Google

industria, quantum in nobis est studere debemus, ut immaculatam castimoniæ puritatem illo vel maxime tempore teneamus, quo venerandis assistere optamus altaribus, et vigilantissima circumspectione præcavendum est, ne carnis integritas præcedente tempore custodita, in ea præcipue, in qua nos ad communionem salutaris convivii præparamus nocte fraudetur. Verum si hostis ille nequissimus, ut nobis cœlestis remedii subtrahat medicinam, custodiam sopitæ mentis illuserit, ita duntaxat nullo reprehensibili interveniente pruritu, nullo oblectationis contaminetur assensu, sed egestionem aut naturali necessitate profusam, aut certe impugnatione diaboli absque sensu voluptatis elicitam ad impedimentum nostræ sanctificationis obtenderit, possumus et debemus ad gratiam salutaris cibi confidenter accedere; sin vero nostro vitio hæc fuerit egesta concretio, convenientes conscientiam nostram illud apostolicum formidemus : *Qui manducaverit panem, et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem primum seipsum homo, et sic manducet de pane illo, et de calice bibat : qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non discernens corpus*, id est, nequaquam illum cœlestem cibum a communium escarum vilitate secernens, nec talem esse dijudicans, quem non nisi pura liceat mente, vel carne præsumere. Denique infert : *Ideo inveniuntur multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi;* spiritales scilicet infirmitates ac mortes ex hac specialiter dicens præsumptione generari : multi enim qui eum illicita usurpatione præsumunt, infirmantur fide, et imbecilles sunt mente, passionum scilicet et languoribus involuti, et dormiunt somno peccati, ab hoc sopore lethali nequaquam salutari sollicitudine resurgentes. Deinde sequitur, *quod si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur*, hoc est, si nosmetipsos perceptione sacramentorum, quotiescunque peccati vulnere prævenimur, judicaremus indignos, impenderemus utique studium, ut per pœnitudinis emendationem ad ea digne possimus accedere, et non tanquam indigni severissimis infirmitatum flagris castigaremur a Domino, ut vel sicut compuncti ad remedia nostrorum vulnerum recurramus, ne digni præsentis sæculi brevissima correptione non habiti, in futuro simul cum hujus mundi peccatoribus condemnemur. *Itaque, fratres, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate; si quis esurit, domi manducet.* (Ambr.) Ad invicem exspectandum dicit, ut multorum oblatio simul celebretur, ut et omnibus ministretur; et si quis impatiens est, domi terreno pane pascatur. *Ut non in judicium conveniatis.* Hoc est, ne mysterium reprehensibiliter et cum offensione agatis. *Cætera autem cum venero disponam.* Caput prius salutis ordine agendum ostendit, et quomodo in Ecclesiam ab utroque sexu conveniatur præmisit; in quibus rebus, si error fuerit, non leve peccatum est; cætera autem, quæ ad ædificationem Ecclesiæ pertinent, præsentia sua ordinare promisit.

CAPUT XII.

Commendat Apostolus gratiam Dei generali declaratione gratiæ gratis datæ comparando corpus Ecclesiæ ad corpus naturæ.

De spiritalibus autem nolo vos ignorare, fratres. Scitis quia cum gentes eratis, ad simulacrorum formam euntes prout ducebamini. (Ambr.) Spiritalia illis traditurus exemplum prioris conversationis memorat, ut sicut simulacrorum fuerunt forma colentes idola, et ducebantur duce voluntate dæmoniorum, ita et colentes Deum sint forma legis Dominicæ, ambulantes sicut placet Domino; forma enim uniuscujusque legis in professione et conversatione cultoris debet videri. Ille enim forma et imago legis Dei est, in cujus fide et conversatione Evangelii veritas lucet. *Propter quod notum vobis facio, quia nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu, et nemo potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto.* Quoniam rationem spiritalium ignorantes per singula charismata hominibus potius quam Deo gloriam dabant, non assecuti per Spiritum sanctum, hoc donum ministrari, et quia qui Dominum Jesum vocat, non sine Spiritu sancto hoc dicit, habet enim gratiam in eo ipso fidei suæ propter gloriam nominis Christi : non enim sine dono Dei est, Dominum dicere Jesum. Ac per hoc ostendit illis in omnibus Dei esse laudem et gratiam. Quia sicut idolorum imago in ministris ejus est, ordinem suum habens per singulos gradus, totum tamen hominis est; ita et in lege Dominica gradus charismatum sunt officiis Ecclesiæ, non utique meritis humanis indulti, sed ut membra ad ædificationem Ecclesiæ pertinentia, quæ per se et in se habent gloriam, sicut est etiam in humanis officiis. Scholæ enim sunt, quæ positis in se dant dignitatem, ut loci honor hominem faciat gloriosum, non propria laus, ait ergo : *Nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu;* vox enim quæ dicit anathema Jesu humano est errore prolata : Quidquid enim falsum est, ab homine est, *et nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto.* Dictum enim ipsum, quo significatur Dominus Jesus, non adulatione hominum, sicut et idola, dii vocantur, sed Spiritus sancti veritate profusum est; quidquid enim verum a quocunque dicitur, a sancto Spiritu dicitur. Ne ergo hominum favore existimarent in regula Christiana, et propter hoc argui se minime paterentur, sicut est et in simulacris; homo enim adinvenit ut Deus dicatur, qui non est, ac per hoc subjecti sunt antistites illis, ostendit enim eis nullum beneficium esse humanum in eo, cum dicitur, *Dominus Jesus*, sed magis donum Dei, qui dignatus est mysterium suum hominibus declarare. Etenim ipsa professio remissionem acquirit peccatorum, sicut exaggerat dicatio idolorum. Docet ergo eos, quia non præstant religioni beneficium, dicentes, « Dominum Jesum, » sed accipiunt. Ne more idolorum hominum putarent gratiam esse in lege Domini, dum vocatur Deus qui non est. Denique non intelligentes Dei donum esse in fide, singuli singulos sibi homines delegerant, quos sequeren-

Digitized by Google

tur, dicentes : *Ego sum Pauli, ego vero Apollo.* Superbiam ergo illorum humiliat ut patianturse argui. (*Aug.*) Igitur quoniam legitur in Evangelio Dominum dixisse : *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed is qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* VII). Merito quæri potest quomodo huic sententiæ conveniat illud Apostoli ubi ait : *Nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu, et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*, quia neque aliquos habentes Spiritum sanctum possumus dicere non intraturos in regnum cœlorum si perseveraverint usque in finem. Neque illos qui dicunt, Domine, Domine, et tamen non intrant in regnum cœlorum possumus dicere habere Spiritum sanctum. Quomodo ergo nemo dicit Dominus Jesus in Spiritu sancto, nisi quia proprie Apostolus posuit verbum quod est, dicit, ut significet voluntatem atque intellectum dicentis : Dominus vero generaliter posuit verbum, quo ait : *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Videtur enim dicere etiam ille qui nec vult, nec intelligit, quod dicit, sed ille proprie dicit, qui voluntatem ac mentem suam sono vocis enuntiat. Deinde apostolica vox est : *Nemo dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto*, et quis Dominum Jesum, nisi qui eum diligit, dicit ? si eo modo dicit quo intelligi Apostolus voluit. Multi enim voce dicunt, corde autem et factis negant, sicut de talibus ait : *Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant*, si negatur factis, procul dubio etiam dicitur factis, nemo itaque dicit Dominum Jesum, animo, verbo, facto, corde, opere, nemo dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto, et nemo sic dicit, nisi qui diligit. *Divisiones autem gratiarum sunt.* (Ambr.) Non hoc humanis meritis vult ascribi, sed gratiæ Dei ad honorificentiam nominis ejus ; sicut enim qui dicit Dominum Jesum, in sancto Spiritu dicit, qualis vis sit, ita et in loco ordinis officii ecclesiastici positus, gratiam habet, qualis vis sit, non utique propriam, sed ordinis, per efficaciam Spiritus sancti, unde inter initia dicit : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

Idem autem Spiritus, et divisiones ministeriorum sunt. Per eumdem Spiritum diversa dona dicit præstari. *Idem vero Dominus, et divisiones operationum sunt.* Jungit nunc Christum sancto Spiritui. *Idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus.* In tantum non hoc hominibus dandum quasi proprium, sed soli Deo, asserit, ut etiam donum Spiritus sancti et gratiam Domini Jesu unius Dei dicat operationem, ne gratia et donum divisum sit, per personas Patris et Filii et Spiritus sancti, sed indiscretæ unitatis et naturæ trium unum opus intelligatur, ut ad unum omnem gloriam reducat, et divinitatem. « Divisiones autem gratiarum sunt » officiis ecclesiæ, non humanis meritis deputatæ. Si enim Spiritus sanctus idem Dominus est, et Dominus idem Deus est, tres unus Deus est : cum enim Spiritus sancti gratia et potestas et natura Dei est, et Dominus Jesus idem est in natura quod Deus est, unus utique Spiritus sanctus, et Dominus Jesus, et Pater Deus est, et singuli enim Deus unus est, et tres Deus unus. Denique operante uno, tres operari dicuntur, ut Trinitatis mysterium in unius Dei natura et potestate claudatur, cum sit immensum. *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* Hoc est, donum accipit, ut divinis retinaculis vitam suam gubernans, et sibi, et aliis utilis sit, dum exemplum bonæ conversationis ostendit. *Cuidam enim datur per Spiritum sermo sapientiæ.* Id est, datur illi prudentia, non ex litteris, sed corusco lumine Spiritus sancti, ut cor habeat illuminatum et sit prudens, ut discernat quæ vitanda sunt, quæ sequenda. *Alii vero sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum.* Hoc est, ut habeat scientiam rerum divinarum. (*Greg.*) Sunt enim quidam, qui per donum gratiæ, et ipsa intelligunt, quæ exponi a doctoribus non audiverunt, hi videlicet sermonem sapientiæ perceperunt ; et sunt quidam qui per semetipsos intelligere audita nequeunt, sed ea quæ in expositoribus legerunt, retinent, atque scienter proferunt quæ lecta didicerunt. Unde itaque isti nisi sermone scientiæ pleni sunt. Quamvis hoc intelligi et aliter possit, quia sapientia ad vitam, scientia vero pertinet ad doctrinam. Qui igitur bene vivit et prudenter prædicat, gazophylacium spiritalis ædificii recte nominatur, quia ab ejus ore divitiæ dispensantur. *Alii gratia curationum in uno spiritu*, id est, ut medelam tribuat infirmis, vel ægris. *Alii fides in eodem spiritu*, hoc dicit, ut fidei profitendæ ac vindicandæ pressa verecundia accipiat facultatem. *Alii operatio virtutum*, potestatem dari significat in ejiciendis dæmoniis, aut signis faciendis. *Alii prophetia*, id est, ut Spiritus dicat futura. *Alii discretio spirituum*, hoc dicit, ut intelligat, et judicet quod dicitur, an Spiritus sancti sit, an immundi. *Alii interpretatio linguarum.* Interpretari est, ut dicta illorum qui linguis loquuntur vel litteris, per donum Dei fideliter interpretentur. Actualis ergo scientia est, quæ alio vocabulo charitas ab Apostolo nuncupatur, et universis linguis hominum et angelorum et plenitudini fidei, quæ etiam montes transferat, et omni scientiæ ac prophetiæ, et erogationi omnium facultatum, ipsique postremo glorioso martyrio apostolica auctoritate præfertur, nam cum dinumerasset universa charismatum genera, atque dixisset : *Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum*, et reliqua. De charitate dicturus, quemadmodum eam cunctis prætulerit charismatibus paucis advertite ; et adhuc, inquit, supra modum excellentiorem vobis viam demonstro, per quod evidenter ostenditur, perfectionis ac beatitudinis summam non illorum mirabilium operatione, sed in charitatis puritate consistere, nec immerito, omnia enim illa evacuanda ac destruenda sunt, charitas vero perpetuo permansura, ideoque a Patribus nostris opera, vel ipsa ista signo-

Digitized by Google

rum nequaquam vidimus affectata, quin imo cum ea Spiritus sancti gratia possiderent, nunquam exercere voluerunt, nisi forte extrema illos et inevitabilis necessitas coarctasset.

Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique prout vult. (Amb.) Quod superius trium personarum dicit, nunc per unum Spiritum sanctum agi profitetur, ut quia unius naturæ sunt et virtutis, quod unus operatur, operentur tres : unus est tamen Deus, cujus gratia dividitur singulis prout vult, non ad meritum magis hominis, sed ad ædificationem Ecclesiæ suæ, ut omnia quæ mundus imitari vult, sed non implet, quia carnalis est, hæc in Ecclesia, quæ domus Dei est, singulorum officiis, dono et magisterio Spiritus sancti indulta ad probationem veritatis in his qui contemptibiles mundo sunt videantur. (*Cass.*) Idcirco fide non dubia et ut ita dicam palpabili experientia comprobatur, universitatis Deum velut piissimum Patrem benignissimumque medicum secundum Apostolum indifferenter omnia in omnibus operari, et nunc quidem salutis inspirare principia, et inserere unicuique bonæ voluntatis ardorem; nunc vero ipsius operationis effectum, et consummationem donare virtutum; et nunc a ruina jam proxima lapsuque præcipiti etiam invitos et inscios revocare; nunc autem occasiones et opportunitates salutis ingerere, ac præcipites violentosque conatus a lethalibus dispositionibus inhibere : et alios quidem volentes currentesque suscipere, alios vero nolentes renitentesque pertrahere, et ad bonam cogere voluntatem. Totum vero non semper resistentibus, nec perseveranter invitis nobis a divinitate concedi, et summam salutis nostræ, non operum nostrorum merito, sed cœlesti gratiæ deputandam. Ita Domini ipsius vocibus edocemur; *Et recordabimini*, inquit, *viarum vestrarum et omnium scelerum vestrorum, in quibus polluistis vos et displicebitis vobis in conspectu vestro, in omnibus malitiis vestris, quas fecistis, et scietis quia ego Dominus cum bene fecero vobis propter nomen meum, non secundum vias vestras malas, neque secundum scelera vestra pessima domus Israel* (*Ezech.* xx). [Aug.] Quod ait Apostolus de Spiritu sancto, omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, non ideo dictum, quia non ei cooperatur Pater et Filius, sed quia in his operibus non sunt multi, sed unus Spiritus, sed et in diversis suis operibus non est a se diversus, cum vero adjungit, et dicit, dividens singulis prout vult. Nonne manifestat, etiam sancti Spiritus potestatem, sed a Patre et Filio plane individuam. (*Hier.*) Quæritur quomodo Salvator secundum Joannem insufflat Spiritum sanctum apostolis, et secundum Lucam post ascensionem missurum se esse dicit, hujus quæstionis perfacilis solutio est, si docente Paulo apostolo, Spiritus sancti diversas gratias noverimus. Scribit enim in prima ad Corinthios : *Divisiones vero donorum, idem autem Spiritus, et divisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus, et divisiones operationum, et idem Deus, qui operatur omnia in omnibus*, etc. Ergo Dominus qui post resurrectionem suam juxta Lucæ Evangelium dixerat (*Luc.* xxiv) : *Ego mittam promissionem Patris mei in vos, vos sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto;* et juxta eumdem in apostolorum Actibus (*Act.* i) : *Et locutus præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis per os meum, quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies.* Rursum in fine Evangelii secundum Joannem, eo die quo resurrexerat, id est die Dominica, clausis januis ad apostolos introisse narratur (*Joan.* xx), et dixisse eis secundo : *Pax vobis*, et intulisse, *sicut misit me Pater et ego mitto vos. Hoc cum dixisset, insufflavit et dicit eis : Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt.* Porro igitur die resurrectionis ejus acceperunt Spiritus sancti gratiam quo peccata remitterent et baptizarent, et filios Dei facerent, et Spiritum adoptionis credentibus largirentur, ipso Salvatore dicente, *quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis, retenta erunt.* Die autem Pentecostes eis amplius repromissum est, ut baptizarentur Spiritu sancto et induerentur virtute ex alto, quia Christi Evangelium cunctis gentibus prædicarent, juxta illud, quod in sexagesimo septimo psalmo legimus : *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa*, ut haberent operationes virtutum et gratiam sanitatum, et prædicaturi multis gentibus acciperent genera linguarum, ut jam tunc cognosceretur qui apostolorum quibus deberent gentibus nuntiare. Denique apostolus Paulus qui de Jerusalem usque in Illyricum prædicavit, et inde per Romam ad Hispanias ire festinabat, gratias agit Deo, quod cunctis apostolis magis linguis loquatur; qui enim multis gentibus annuntiaturus erat, multarum linguarum acceperat gratiam, quæ repromissio Spiritus sancti die decimo post ascensionem Salvatoris expleta est, Luca referente qui scribit (*Act.* ii) : *Cumque complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, et factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes, et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque super singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Tunc completum est illud quod legitur in Joel (*Joel.* ii) : *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ, et juvenes vestri visiones videbunt.* Verbum autem effusionis significat gratiæ largitatem, et ipsum sonat quod Dominus repromisit : *Vos autem baptizamini Spiritu sancto non post multos hos dies.* In tantum enim sancto Spiritu baptizati sunt, ut repleretur tota domus ubi erant sedentes, et ignis Spiritus sancti stationem in eis inveniret optatam, linguasque divideret, et secundum Isaiam, qui im-

Digitized by Google

munda labia habere se dixerat purgaret, labia eorum, ut Evangelium Christi purius prædicarent, et in Isaia quidem (*Isa.* VI) superliminare templi dicitur fuisse commotum, et repleta omnis domus fumo, id est, errore et tenebris, verique ignorantia; in principio autem Evangelii repletur Spiritu sancto Ecclesia, ut gratia ejus atque fervore omnia credentium peccata purgentur, et igne Spiritus sancti quem Dominus missurum se esse dixerat prædicantium Christum lingua sanaretur; non enim Joannes Lucasque discordant, ut ille prima resurrectionis die datum esse significet, hic die quinquagesimo venisse describat : sed profectus apostolicus est, ut qui primum remittendorum peccatorum gratiam acceperunt, postea acciperent operationis virtutem, et cuncta donationum genera, quæ ab Apostolo descripta memoravimus, et quod magis necessarium erat diversitatem linguarum universarum gentium, ut annuntiaturi Christum nullo egerent interprete. Unde et in Lycaonia cum audissent Paulum et Barnabam loqui linguis suis, deos in homines conversos esse credebant, et revera indumentum virtutis Spiritus sancti gratia est, quam possidentes judicum tribunalia, et regum purpuras non timebant. Promiserat enim Dominus priusquam pateretur, et dixerat (*Luc.* XXV) : *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Ego autem audacter et tota libertate pronuntio, ex eo tempore quo apostoli Domino crediderunt semper eos habuisse Spiritum sanctum, nec potuisse signa facere absque Spiritus sancti gratia, sed pro modulo atque mensura. Unde Salvator clamabat in templo dicens : *Qui sitit veniat ad me et bibat, qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* VII); et in eodem loco infert : *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus;* non quo non esset Spiritus sanctus, dicente Domino Salvatore (*Matth.* XII) : *Si autem ego in Spiritu sancto ejicio dæmonia,* sed qui erat in Domino, necdum totus in apostolis morabatur, quamobrem deterrentur ad passionem ejus, et negant, et Christum se nescire jurant : postquam autem baptizantur Spiritu sancto, et effunditur in eos Spiritus sancti gratia, tunc libere loquuntur ad principes Judæorum : *Obedire magis oportet Deo, an hominibus?* (*Act.* V.) Mortuos suscitant, et inter flagella lætantur, fundunt sanguinem, et suis suppliciis coronantur. Nondum erat Spiritus in apostolis, nec de ventre eorum fluebant gratiæ spiritales, quia Dominus necdum fuerat glorificatus. Quæ sit autem gloria ipse in Evangelio ait : *Pater, clarifica me gloria quam apud te habui priusquam mundus esset* (*Joan.* XVII), gloria Salvatoris patibulum triumphantis est; crucifigitur ut homo, glorificatur ut Dominus. Denique sol fugit, luna mutatur in sanguinem, terra motu insolito contremiscit, aperiuntur inferi, mortui ambulant, saxa rumpuntur, hæc est gloria, de qua loquebatur in psalmo : *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara* (*Psal.* CVII). Ipsaque de se respondit, gloria et dispensatio carnis assumptæ, *exsurgam diluculo,* ut impleatur vicesimi primi psalmi titulus, *pro assumptione matutina.* Hæc dicimus, non quo alium Deum, et alium hominem esse credamus, et duas personas faciamus in uno Filio Dei, sicut nova hæresis calumniatur, sed unus atque idem Filius Dei, et filius hominis est, et quidquid loquitur, aliud referimus ad divinam ejus gloriam, aliud ad nostram salutem, pro quibus non rapinam *arbitratus est esse se æqualem Deo, sed seipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, et mortem crucis* (*Phil.* II); et *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Miror autem Montanum et insanas feminas ejus, abortivos prophetas, Domino promittente atque dicente : *Vado et alium paracletum mitto vobis,* et postea Luca evangelista narrante quod apostoli acceperunt quod promissum est, id multo post tempore in se diceret fuisse completum : apostolis enim promissum est : *Ego mittam sponsionem Patris mei in vos, et vos sedebitis in civitate, quoad usque induamini virtutem ex alto* (*Luc.* XXIV), et resurgens in apostolos insufflavit, et non in Montani Priscillæ, et Maximillæ, et illis ait : *Quorum remiseritis peccata, dimittentur, quorum retinueritis, retenta erunt,* apostolis, inquam, præcepit ne recederent de Jierosolymis, sed exspectarent promissionem Patris, et postea quod promissum est expletum legimus : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto et cœperunt loqui aliis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui eis.* Spiritus enim sanctus spirat ubi vult, et quando dicit Dominus, *alium paracletum mittam vobis,* et se ostendit esse paracletum, qui appellatur *consolator.* Unde et Deus Pater hoc censetur nomine, Deus miserationis et totius consolationis. Si autem Pater consolator et Filius consolator, et Spiritus sanctus consolator, et in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti quod intelligitur Deus baptizantur credentes, quorum unum divinitatis et consolatoris est nomen, ergo et una natura est. Hic Spiritus sanctus non solum in apostolis, sed et in prophetis fuit, de quo David orabat dicens : *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (*Psal.* L); et Daniel Spiritum Dei habuisse narratur (*Dan.* IV, V), et David in Spiritu loquitur dixisse Dominum Domino suo : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX). Nec sine Spiritu sancto prophetaverunt prophetæ, et, *verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII), et quidquid Patris et Filii est, hoc idem et Spiritus sancti est, et ipse Spiritus cum mittatur a Patre, et pro Filio veniat, in alio atque alio loco Spiritus Dei Patris et Christi Spiritus appellatur. Unde et in Actibus apostolorum qui Joannis baptismate fuerant baptizati et credebant in Deum Patrem et Christum, quia Spiritum sanctum nesciebant, iterum baptizantur, imo tunc vere accipiunt

Digitized by Google

baptismum; absque Spiritu enim sancto imperfectum est mysterium Trinitatis. Et in eodem volumine Petrus Ananiæ et Saphiræ dixisse narratur (*Act.* v), quod mentientes Spiritui sancto non sint hominibus mentiti, sed Deo.

Sicut enim corpus unum est, membra autem habet multa, omnia autem membra ex uno corpore cum sint multa, unum sunt corpus, ita et Christus, etenim in uno spiritu nos omnes, in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Græci, sive servi, sive liberi, et omnes unum Spiritum potavimus. (Ambr.). Per hæc docet nullius personam quasi despecti contemnendam, neque alicujus quasi perfecta sit præferendam, nec gloriam quæ soli Deo debetur hominibus tribuendam, quando in omnibus unus atque idem Deus sit gloriosus : quippe cum omnes et unum baptisma habeamus et unum atque eumdem Spiritum sanctum, hoc propter supradictam causam, quia in aliquibus gloriabantur, aliquos vero velut contemptibiles spernebant. (*Aug.*) Loquens de membris Christi, hoc est de fidelibus, non ait sic et membra Christi, sed totum hoc quod dixit Christum appellavit : sicut enim corpus unum et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa unum est corpus, sic et Christus membra multa unum corpus Christi, ergo simul omnes nos cum capite nostro Christus, sine capite nihil valentes. Quare quia nos cum capite nostro vitis sine capite nostro, quod absit, sarmenta præcisa, non alicui agricolarum, sed igni tantummodo destinata. Ideo et ipse in Evangelio ait : *Ego sum vitis, vos estis palmites et Pater meus agricola est; sine me*, inquit, *nihil potestis facere* (*Joan.* xv).

Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. (Ambr.) Hoc dicens ostendit unitatem habere varietates officiorum, et diversitatem hanc non discrepare in unitate potestatis, quando corporis unitas non in singularitate consistit, sed in multis membris, ut invicem sibi præstent quod debent. *Si dixerit pes, quia non sum manus, non sum de corpore, num propterea non est de corpore.* Hoc est, non posse eum qui infirmus videtur inter fratres negari esse de corpore, quia non est potens. *Si dixerit auricula, quia non sum oculus, num propterea num est de corpore?* Non debere dicit illum qui paulo inferior est non necessarium putari corpori, propterea quod de primis non sit, id est, si omnes unius essent officii et operis, quomodo impleretur reliqua necessitas corporis cum constet multis officiis opus esse ad gubernacula corporis. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus?* Voluntatem Dei, quia provida et rationabilis est, membra dicit corpori aptasse, ut nihil desit multis membris perfectum.

Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum sicut voluit in corpore. Manifestum est, quia si omnes unius fuissent dignitatis, non dicerentur membra, neque corpus, ideoque variis membrorum officiis gubernantur. Omnia enim unum membrum esse non poterant. Ideo autem multa sunt quia ab invicem differunt dignitate. *Quod si essent omnia unum membrum ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.* Hoc dicit, quia multa membra cum invicem sui egeant, non discrépant in unitate naturæ, quamvis diversa sint, quia diversitas hæc in unum concurrit ut corporis utilitas expleatur. Sicut et ea quibus mundus ipse constat, cum sint diversa non solum officiis, sed et naturis, ad unius tamen mundi proficiunt perfectionem, et ex omnibus his nascitur temperies quædam in fructibus, qui humanæ proficiunt utilitati.

Non potest autem dicere oculus manui : Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarii. Hoc est, non potest potior dicere inferiori, non mihi opus es, quia oculis quidem videt, sed manus sunt quæ operantur. *Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt.* Id est, major gradu et dignitate non potest sine illo qui humilis est, quia est quod humilis potest quod non potest sublimis, quia ferrum potest quod non potest aurum, ac per hoc honorem capiti faciunt pedes. *Et quæ putamus ignobiliora membra corporis esse, his abundantiorem honorem circumdamus.* Manifestum est quia quamvis aliquis dignitate sublimis sit, si subjectus tamen defuerit, qui obsequiis suis illum faciat gloriosum, ipsa dignitas contemptibilis erit : officium est enim per quod dignitas constat. Tale est si imperatori desit exercitus; quamvis ergo magnus sit imperator, necessarium tamen habet exercitum, membrum est enim corporis ejus, ante se habens tribunos, comites, magistros : his omnibus inferiores sunt milites, et magis necessarii sunt sicut membra corporis, quæ cum inferiora videntur, plus utilia sunt : sine oculis enim manus operatur, et pes ambulans victum quærit. *Et quæ inhonesta sunt nostra, his majorem honorem circumdamus.* Similis sensus est, quia qui putantur sine dignitate esse, invenimus in eis quod laudemus, sicut et in membris, et plus nobis placeat quam quod in cæteris invenimus : quo enim honore dignæ sunt manus, quando quod volumus tenemus, vel pedes cum quo volumus imus? propterea et nos addimus eis honorificentiam, utputa pedibus, quos quia humiles sunt et sine dignitate calceamentis ornamus. *Et quæ inhonesta sunt nostra abundantiorem honestatem habent.* Manifestum est quia pudenda nostra, quæ turpia videntur, dum aspectus publicos vitant, honestate se contegunt ne per irreverentiam horreant. Simili modo et quidam fratrum cum sint egestate et habitu inhonesti, non tamen sunt sine gratia, propter quod membra sint corporis nostri : nam solent succincti vesticula tetrica pede nudo incedere; cum ergo videantur contemptibiles, magis honori sunt, quia solent vitam habere mundiorem . quod enim hominibus videtur despectum, solet a Deo pulchrum judicari. *Honesta autem nostra nullius egent. Sed Deus temperavit corpus ei cui deerat, abun-*

Digitized by Google

dantiorem tribuendo honorem. Apertum est quia caput non eget, neque facies neque manus, ut his addatur per quod decorentur, ita et fratribus, in quibus studium peritiæ et conversationis viget honestas, nihil est quod a nobis addatur, debitus enim illis redditur honor, despectis vero vel humilibus exhortatio necessaria est, per quam addatur illis aliquis honor, ut fiant utiles, si quominus, ipso contemptu negligentiores circa se erunt in quibus magis proficiendum est. *Ut non sit schisma in corpore, sed pro invicem sollicita sint membra.* Sic dicit a Domino moderatum humanum corpus, ut omnia membra ejus necessaria sint, ac per hoc pro se invicem sollicita, quia aliud sine altero non potest, et quod inferius putatur, magis necessarium est, sicut et de fratribus expositum est vel disputatum, quia nullus debet velut inutilis despici. (*Greg.*) Quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundantiorem circumdamus, et quæ inhonesta sunt nostra abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra nullius egent, sicut enim inhonesta membra in corpore, ita quidem sunt intra sanctam Ecclesiam potentes et protervi, qui dum aperta invectione feriri nequeunt, quasi honore tegminis velantur, sed de occultis hæc potentum delictis loquimur. Nam quando et aliis cognoscentibus peccant, aliis etiam cognoscentibus, increpandi sunt, ne si prædicator tacet culpam approbasse videatur, atque hæc crescens in exemplum veniat, quam pastoris lingua non secat. *Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* (Amb.) Hoc de membris corporis carnis ambiguum non est. Quia si oculus, aut pes, vel manus capiatur ægritudine aliqua infirmitatis, totum condolet corpus, ita et nos decet condolere fratribus, si aliquid hujusmodi, aut necessitates emerserit. *Sive glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Manifestum est, quia lætum est caput, sive cætera membra, si pedes fuerint accurati vel sani: sic debemus alacres fieri, si fratrem aliquem viderimus cultiorem, et actum honestate morum, hoc est sanum esse consilio. *Vos estis autem corpus Christi, et membra de membro.* Ostendit aperte nostram causam se per membrorum carnalium rationem tractasse, quia non omnes eadem possumus, sed singuli pro qualitate fidei et gratiam habemus concessam. (*Cass.*) Si habuerimus hanc scientiam, imo fidem, quam superius comprehendi, ut et omnia per Deum fieri, et pro utilitate animarum dispensari universa credamus, non solum nequaquam despiciemus eos, sed etiam pro ipsis tanquam pro membris nostris incessanter orabimus, eisque totis visceribus ac pleno compatiemur affectu: cum enim patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, scientes nos absque illis ut pote membris nostris omnimodis consummari non posse, quemadmodum legimus ne anteriores quidem nostros sine nobis repromissionis summam consequi potuisse, ita de illis Apostolo pronuntiante (*Hebr.* xi): *Et hi omnes testimonio fidei comprobati non acceperunt repromissionem Deo pro nobis, melius aliquid providente, ne sine nobis consummarentur.*

Et quosdam quidem potuit Deus in Ecclesia, primum apostolos. (Ambr.) Caput itaque in Ecclesia apostolos posuit, qui legati sunt Christi, sicut dicit idem Apostolus (*II Cor.* vi), *pro quo legatione fungimur;* ipsi sunt episcopi, firmante istud Petro apostolo et dicente inter cætera de Juda, *et episcopatum ejus accipiat alter.*

Secundo prophetas. Prophetas duplici genere intelligamus, et futura dicentes, et Scripturas revelantes, quamvis sint et apostoli prophetæ, quia primus gradus omnia subjecta habet. Denique pessimus Caiphas propter quod princeps sacerdotum erat prophetavit (*Joan.* xi), ordinis utique causa, non proprii meriti: tamen specialiter erant prophetæ, et Scripturarum interpretes, et futura dicentes; sicut erat Agabus (*Act.* xi, xxi), qui exitia et vincula huic Apostolo prophetavit, futura Jerosolymis, et famem cecinit quæ facta est sub Claudio. Ideo, quanquam sit melior apostolus, aliquando tamen eget prophetis, et quia ab uno Deo Patre sunt omnia, singulos episcopos singulis ecclesiis præesse decrevit. *Tertio doctores.* Illos dicit doctores qui in Ecclesia litteris et lectionibus retinendis pueros imbuebant more Synagogæ, quia traditio illorum ad nos transitum fecit. *Deinde virtutes, exinde gratias curationum;* potest enim aliquis non esse episcopus et habere in se donum virtutis sanitatum. *Opitulationes, gubernationes,* ut in rebus divinis vigilet intellectu, ita tamen ut in aliquibus, quæ implere non conceditur, ab alio sumat quod non habet, quia totum uni concedi non potest. Sunt et gubernatores qui spiritalibus retinaculis hominibus documento sunt. *Genera linguarum.* Ut donum Dei sit multas linguas scire, ut alicui hoc gratia Dei impertiat, ut linguarum interpretandarum habeat peritiam. *Nunquid omnes apostoli?* Verum est, quia in Ecclesia unus est episcopus. *Nunquid omnes prophetæ?* Non est ambiguum non omnibus concedi prophetiam. *Nunquid omnes doctores?* Ille doctor est, cui conceditur. *Nunquid omnes virtutes?* Hic potest habere virtutem cui dat Deus dæmonia ejicere. *Nunquid omnes gratium habent curationum?* Quomodo potest fieri ut omnes habeant dona curationum? *Nunquid omnes linguis loquuntur?* Non utique nisi qui accipit donum in hac re. *Nunquid omnes interpretantur?* Ille potest linguas interpretari cui dat Deus; in supra dictum sensum hæc inserenda; explanavit enim, reddita ratione, omnes habere diversas gratias, et nec totum alicui concedi, exemplo membrorum. Exemplo enim corporis carnis spiritale corpus insinuat, ac per hoc in omnibus Deum benedicendum, et in ipsius nomine gloriandum cujus gratia est, hanc rationem etiam in rebus physicis invenimus. Aurum autem cum melius argento sit, plus tamen in usu argentum est, et cum æs necessarium sit, plus tamen ferro opus est, nihil pene sine ferro fit cum sit inferius. Et post hæc: *Æmulamini autem charismata meliora.* Hoc mox in

Digitized by Google

subjectis absolvit : *Et adhuc excellentiorem vobis viam demonstro.* Gradatim, illos ad utiliora provehit, ostendens illis gratiam supra dicti omnis doni, quæ in hominibus videntur, sive loquendi, aut curandi, vel prophetandi, non ad meritum hominis pertinere, sed ad honorificentiam Dei. Ideoque nunc viam illis dicit se ostendere planiorem, qua itur ad cœlum, quæ meritum collocat apud Deum. Nam quia supradicta non semper ad meritum pertinent, dicit Salvator : *Multi mihi dicent in illa die*, id est, judicii, *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? et dæmonia ejecimus? et virtutes multas fecimus?* (*Matth.* VII) et quia non hoc ad meritum pertinet, sed officia sunt Ecclesiæ, ad confusionem gentilium, et Dei honorificentiam protestandum, dicit Dominus eis : *Recedite a me, non novi vos, operarii iniquitatis.* Securi enim, quod Dei in illis operatio cernebatur, negligentes erga se fuerunt. Nam et Septuaginta duobus discipulis gaudentibus quod dæmonia illis subdita fuerant, dicit Salvator : *Nolite in hoc gaudere, quod dæmonia vobis subjecta sunt, sed in hoc gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* X). Quare? nisi quia nomini Dei subdita sunt, non hominis merito ; et quare nunc non ita fit ut habeant homines gratiam Dei? inter initia fieri oportuit, ut fundamenta fidei acciperent firmitatem; nunc autem non est opus quia populus populum adducit ad fidem, cum videntur eorum opera bona et prædicatio simplex. (*Aug.*) *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulavit, et ille ambulare* (*I Joan.* II). Quæ est ista via, in qua Christus ambulavit? quæ est alia nisi charitas, de qua dicit Apostolus : *Adhuc supereminentiorem viam demonstro vobis.* Si ergo Christum volumus imitari, per ipsam viam debemus currere, quam Christus et in cruce pendens dignatus est ambulare. In cruce enim fixus erat, et charitatis viam currens pro suis persecutoribus supplicabat. Denique sic dixit : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII); et nos ergo pro omnibus inimicis nostris hoc jugiter supplicemus, ut illis Dominus emendationem morum, et indulgentiam tribuat peccatorum.

A et asina locuta est humana lingua ad Balaam filium Beor (*Num.* XXII), ut addisceret Dei majestatem, et pueri infantes prorumperent in laudem Dei ad confusionem Judæorum. Salvator autem non solum istos, sed et istos lapides ad condemnationem perfidorum, et gloriam Dei clamare posse ostendit, et inter ipsa primordia ad commendationem fidei, qui baptizabantur linguis loquebantur. (*Greg.*) *Si linguis*, inquit, *hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens.* Bona quippe loquens, sed per amorem eadem bona non sequens, velut æs aut cymbalum sonitum reddit, quia ipse non sentit verba, quæ ipse facit. *Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* (Ambr.) B Vere nihil prodest, ad Dei enim gloriam prophetatur, sicut dicit Propheta : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII). Nam et Balaam prophetavit cum propheta non esset, sed ariolus, et Caiphas prophetavit, non merito, sed dignitate ordinis sacerdotalis, et Saul prophetavit cum jam inobedientiæ causa spiritu malo fuisset repletus, sed propter Dei causam ne posset comprehendere David, et occidere quem volebat. *Et si sciero omnia mysteria.* Judæ enim nihil profuit cum apostolis et didicisse mysteria, cum charitatis hostis tradidit Salvatorem, et propheta Ezechiel diabolum mysteria cœlestia scire ostendit, quando increpita voce in paradiso illum Dei fuisse et pretiosos C lapides habuisse testatur, quos lapides idem Apostolus doctrinæ divinæ mysteria significavit, et nihil illi profuit, quia charitatis immemor, in superbiam prosilivit. *Et si habeam omnem scientiam.* Nihil prodest scientia si charitas non sit. Denique scribis et Pharisæis nihil profuit, dicente Salvatore : *Vos habetis clavem scientiæ, et neque vos intratis, neque alios sinitis introire* (*Luc.* VI) : per invidiam enim charitatem corrumpentes, scientiam ejus ad nihilum deduxerunt. Nam et Tertullianus et Novatianus non parvæ scientiæ fuerunt, sed quia per zelum charitatis fœdera perdiderunt, in schisma versi, ad perditionem sui hæreses creaverunt. *Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam.* Virtutes facere, aut dæmonia per fidem ejicere, Dei virtus et gloria D est, nec hoc ad meritum proficit, nisi quis bonæ conversationis fuerit æmulus, sicut supra memoravi. *Et si erogavero omnem substantiam meam.* Apertum est, quia si omnis substantia impendatur, nihil proficit, charitate neglecta, quia caput religionis charitas est, et qui caput non habet, vitam non habet. *Et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, nihil mihi prodest.* Sine charitate nihil prodest, quia fundamentum religionis est charitas. Quidquid ergo sine charitate fit caducum est. (*Cass.*) Sine qua ad perfectam puritatem cordis et ad contemplationem Dei nemo conscendere poterit. Hinc namque est quod nonnullos mundi hujus maximas facultates et non solum multa auri atque argenti talenta, verum etiam

CAPUT XIII.

De charitatis excellentia, utilitate et stabilitate.

Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum resonans, aut cymbalum tinniens. (Ambr.) Magna utique videtur gratia diversis loqui linguis, plus autem aliquid est etiam angelorum, si possit, linguam scire. Id est, si spiritaliter cognitum possit habere angelicum motum, sed hoc ad meritum non ascribi, sed ad Dei gloriam subjectis ostendit dicens, sic esse ut « æramentum resonans, aut cymbalum tinniens : » quia sicut æramentum impulsu alterius resonat, et cymbalum tinnit, ita et hic qui linguis loquitur, Spiritus sancti effectum habet et motum, ut loqui possit. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* X). Nam

Digitized by Google

prædiorum magnificentiam contemnentes, post hæc vidimus pro scalpello, pro grafio, pro calamo commoveri, qui si contemplationem cordis mundi fixam tenerent, nunquam utique pro parvis rebus admitterent, quod ne pro magnis ac pretiosis incurrerent opibus, easdem penitus abjicere maluerunt, nam et plerumque nonnulli tanto zelo codicem servant, ut eum ne leviter quidem legi, vel contingi ab aliquo sinant, et inde occasiones impatientiæ ac mortis incurrant; unde moventur stipendia patientiæ et charitatis acquirere. Cumque omnes divitias suas pro Christi amore disperserint, pristinum tamen cordis affectum in rebus minimis retentantes, et pro ipsis nonnunquam mobiliter irascentes, veluti qui non habeant apostolicam charitatem, ex omnibus infructuosi sterilesque redduntur, quod in spiritu beatus Apostolus prævidens: *Et si distribuero*, inquit, *in cibos pauperum omnes facultates meas, et tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Unde liquido comprobatur, perfectionem non statim nuditate et privatione omnium facultatum, seu dignitatum abjectione contingi, nisi fuerit charitas illa, cujus Apostolus membra describit, quæ in sola cordis puritate consistit. Nam quid est aliud non æmulari, non inflari, non irritari, non agere perperam, non quærere quæ sua sunt, non super iniquitate gaudere, non cogitare malum, et reliqua, nisi cor perfectum atque mundissimum Deo semper offerre et intactum a cunctis perturbationibus custodire. Omnia igitur hujus gratiæ gerenda, appetendaque sunt nobis, pro hac jejunia, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem, cæterasque virtutes debere nos suscipere noverimus, ut scilicet per illas ab universis passionibus noxiis, illæsum parare cor nostrum, et conservare possimus et ad perfectionem charitatis istis gradibus innitendo conscendere. Videtis ergo nihil pretiosius, nihil perfectius, nihilque sublimius, et ut ita dixerim, nihil charitate perennius inveniri: charitas enim nunquam excedit, sine qua non solum illa præcellentissima charismatum genera, sed etiam martyrii ipsius gloria vacuatur. Quisquis igitur fuerit in hujus charitatis perfectione fundatus, necesse est ut ad sublimiorem illum charitatis timorem gradu excellentiore conscendat, quem non pœnarum terror, nec cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo, quo vel filius indulgentissimum patrem vel fratrem, frater, vel amicum, amicus, vel conjugem, conjux sollicito reverctur affectu, dum ejus non verbera, neque convicia, sed vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solum actibus, verum etiam verbis attonita semper pietate distenditur, ne erga se quantulumcunque fervor dilectionis illius intepescat; cujus timoris magnificentiam unus prophetarum eleganter expressit (*Isa.* XXXIII): *Divitiæ*, inquiens, *salutis sapientia et scientia, timor Domini, ipse thesaurus ejus*, non potuit timoris istius dignitatem ac meritum magis evidenter exprimere, quam divitias salutis nostræ, quæ in vera sapientia Dei scientiaque consistunt, dicere, nisi a timore Domini non posse servari. Ad hunc igitur metum non peccatores sancti prophetiis invitantur eloquiis, dicente Psalmographo: *Timete Dominum, sancti ejus, quia nihil deest timentibus eum;* qui hoc timore metuit Deum, perfectioni ejus certum est nihil deesse.

Charitas magnanima est, jucunda est: charitas non æmulatur, non inflatur, non perperam agit, non ambitiosa est, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitatem: congaudet autem veritati, omnia tolerat, omnia credit, omnia suffert, omnia sperat, charitas nunquam excedit. (Ambr.) Tanta præconia charitatis edocuit, ut non immerito hanc cæteris anteponere videretur, et incassum laborare eos qui aliis mandatis operam dant, huic non obtemperantes. Hinc et ait Joannes apostolus, *Deus charitas est*, et qui charitatem non habet, sciat se Deum non habere, unde in alia Epistola idem Paulus ait (*Ephes.* II): *Deus autem qui dives est in misericordia propter multam misericordiam misertus est nostri.* Qui ergo charitatem non habet, ingratus est misericordiæ Dei, quia non diligit per quod salvatus est, ut perinde discerent, quia graviter delinquebant, qui escam fraternæ charitati præponebant. Nam hæc est quæ et in præsenti prodest et in æternum cum Deo permanet. (*Cass.*) Omnia namque dona pro usu ac necessitate tribuuntur ad tempus, consummata dispensatione mox procul dubio transitura; charitas vero nullo intercipietur tempore, non solum enim in præsenti mundo utiliter operatur in nobis, sed etiam in futuro sarcina corporeæ necessitatis abjecta efficacior multo atque excellentior permanebit nullo unquam corrumpenda defectu, sed per incorruptionem perpetuam flagrantius Deo atque intentius adhæsura. (*Aug.*) Quid tam magnanimum quam pro impiis mori? quid tam benignum quam et inimicos diligere? sola est quam felicitas aliena non premit, quia non æmulatur: sola est quam felicitas sua non extollit, quia non inflatur; sola est, quam scientia non compungit mala, quia non agit perperam, omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia suffert. Ideo tolerat omnia in præsenti vita, quia credit omnia de futura vita; et suffert omnia quæ hic immittuntur, quia sperat omnia quæ ibi promittuntur. Non quærit quæ sua sunt, neque enim essent etiam homines amatores pecuniæ nisi eo se putarent excellentiores, quo ditiores, cui morbo contraria charitas, non quærit quæ sua sunt, id est, non privata excellentia lætatur. Merito ergo et non inflatur, charitas omnia credit, inter eos utique quos connexos sibimet unum facit. (*Greg.*) *Charitas*, inquit, *patiens est, benigna est, non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitatem, congaudet autem veritati, patiens quippe est charitas*, quia illata mala æquanimiter tolerat; *benigna* vero *est*, quia pro malis bona largiter ministrat, *non*

Digitized by Google

æmulatur, quia per hoc quod in præsenti mundo nihil appetit invidere terrenis successibus nescit; *non inflatur*, quia cum præmium internæ retributionis anxia desiderat, de bonis se exterioribus non exaltat. *Non agit perperam*, quia quo se in solum Dei ac proximi amorem dilatat, quidquid a rectitudine discrepat, ignorat. *Non est ambitiosa*, quia quo ardenter intus ad sua satagit, foras nullatenus aliena concupiscit. *Non quærit quæ sua sunt*, quia cuncta, quæ hic transitoria possedit velut aliena negligit, cum nihil sibi esse proprium, nisi quod secum permaneat, agnoscit. *Non irritatur*, quia et injuriis lacessita, ad nullos se ultionis suæ motus excitat, dum pro magnis laboribus majora post præmia exspectat. *Non cogitat malum*, quia in amore munditiæ mentem solidans, dum omne odium radicitus eruit, versare in animo quod inquinat nescit. *Non gaudet super iniquitatem*, quia quo sola dilectione erga omnes inchoat, nec de perditione adversantium exsultat. *Congaudet autem veritati*, quia ut se cæteros diligens, per hoc quod rectum in aliis conspicit quasi de augmento proprii profectus hilarescit. (*Aug.*) Inter cæteras virtutes ejus quas commemorat apostolus Paulus, quod *charitas non æmulatur, non agit perperam, non irritatur, non cogitat malum*, etc. In ultimo quatuor ejus virtutes comprehendit, dicens: *Omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, charitas nunquam excedit.* Ex his igitur quatuor virtutibus sanctæ charitatis loqui convenit sanctitati vestræ, delectatque primitus intueri quemadmodum velut quatuor cardines orbis continens, totum possederit mundum. Requiramus igitur si placet aliquorum exempla sanctorum, eorum scilicet qui his virtutibus sanctæ charitatis possessi sunt, et eis singulis, ita singula tribuamus, ut omnes in omnibus esse noscamus. Quoniam omnis qui pie tolerat recte credit, et omnis qui recte credit aliquid sperat, et qui sperat sustinet ne abs spe cadat. Sed jam quinam isti sunt videamus, quorum fidem in quantum desuper adjuvamur, assequi valeamus. Virtus charitatis quæ omnia tolerat, eminuit in sancto Noe; quæ omnia credit in sancto Abraham; quæ omnia sperat in Patribus nostris, id est, in populo Israel. Unde ipse noster exhortatus est Dominus; quæ omnia sustinet in ipso capite nostro Domino Jesu Christo, qui est vera charitas, quæ nunquam cadit, nec cæteros sanctos ab his virtutibus vestra charitas deputet alienos, quos pro brevitate temporis, et pro sermone suscepto, ita prætermissos esse cognoscite, ut tamen certissime noveritis, omnes esse in Christo, et in omnibus Christum. Sed jam videamus quemadmodum sanctus Noe possederit, vel possessus sit virtute charitatis, quæ omnia tolerat. Prædixit ei Deus, quod iniquitate hominum crescente diluvio perderet mundum, statim ille admonitus confugit ad lignum, et post camporum amœnorum faciem angustiis se recludit arcæ, tolerat cœli fremitum, sonitum aquarum, fragorem nimborum, et post ista omnia qui solet gaudere consortio hominum, socius quodammodo efficitur serpentum ac ferarum; nec expavescit vir iste, quod cum eo sint feræ in arca: imo ubi agnoscit ordinem suum feritas, quia se cognovit humanitas, et jubenti homini obediunt, quia hominem superiori domino obedisse cognoscunt, ostensum est, in Noe, quid Adam præceptum contemnendo perdiderit, et demonstratum est posse homines bestiis etiam dominari, si subdant obedientiam conditori. Exspectat et tolerat sanctus iste finem diluvii, nec antequam finiatur causa ferarum arca relinquitur. Tolerat bonus mala, et donec in fine etiam corpore separetur intus manens corde, non corpore separatur. Si qua es anima quæ cupis possidere virtutem charitatis, quæ omnia tolerat, relinque mundum, confuge ad crucis lignum, non metuas procellas et turbines hujus diluvii, non mergeris si ligno portaberis, novit gubernare qui dignatus est creare; tantum adsit virtus charitatis, quæ omnia tolerat, nulla res te ab arcæ soliditate evellat, permane bonus et tolera malos: melius est enim ut intus positus propter bonos toleres malos, quam foras exiens et periens et bonos relinquas et malos. Si ergo sunt tecum feræ, id est, si sunt tecum in Ecclesia, prava docentes, falsa sentientes hæretici vel schismatici, aut etiam ipsi mali catholici, more ferarum animas devorare quærentium, tolerentur usque ad finem sæculi, tanquam finem diluvii, rugiant licet et fremant dentibus, atque ipsam arcam confringere conentur, non expavescas, finito diluvio illos capiat inanis ac spinosa silva, te fertilis suscipit terra. Post finem sæculi impii rapientur ad tenebras exteriores, ibi est fletus et stridor dentium, pios suscipit terra viventium; nam et ipse sanctus Noe post finem diluvii obtulit sacrificium Deo, sed de animalibus mundis non de immundis; simul enim et munda et immunda animalia in arca natare potuerunt, sed mali ad Dei sacrificium non pervenerunt. Sed jam hinc aliquando transeamus, ut cætera perscrutari valeamus. Procedat in medium sanctus ille Abraham, et suo nos doceat exemplo possidere virtutem charitatis, quæ omnia credit, qui non est cunctatus ad unam vocationem relinquere patriam sedem, domum, familiam, omnia relinquuntur ut Domino præcipienti pareatur. *Exi*, inquit ei Deus, *de cognatione tua, et de domo tua, et veni in terram quamcunque tibi ostendero* (*Gen.* XII). Nec apud se iste sanctus cogitavit, aut dixit, quo eam? cui me committam? in quam terram vadam? sed statim audit, surgit, currit, festinat, accelerat. Terram promissam non videt, sed credendo eam firmiter tenet, ambulat recto itinere, nec oberrantibus vestigiis alibi, quam debuit declinavit: quia qui eum ad ignotam terram mittebat, ipse qui mittebat, non dimittebat, nec eum ipse fefellit, redditur merces credenti, ad terram pervenit, dilatatur, multiplicatur, ex paupere efficitur dives, ex ignobili potens, ditatur omnibus bonis, et in illo impletur quod Dominus in Evangelio suis discipulis promisit, dicens: *Si quis dimiserit domum, aut agrum, aut parentes causa nominis mei.*

Digitized by Google

in hac vita centuplum accipiet, et in futuro sæculo vitam consequetur æternam. Cumulatur adhuc hujus fidei merces, et seni promittitur filius. Adest virtus charitatis, quæ omnia credit, audit, exsultat, amplius diligit. Suscipit filium ex conjuge sterili, quam spes pariendi destitutam, sterilitas, ætasque jam fecerat, atque in illo benedictionem omnium Gentium promissam firmissime tenet. Sed adhuc eum charitas probat, probatumque commendat, et quemadmodum nihil Deo præferat, posteris monstrat. Vocat eum Dominus de cœlo dicens (*Gen.* XXII) : *Abraham, Abraham*, et ille tanquam servus obediens, *Ecce adsum ait*, et Dominus, *Accipe filium tuum illum, quem diligis Isaac, et vade in terram excelsam, et offerens eum holocaustum in uno montium, quem dixero tibi.* Nec hac quidem jussione turbatur aut frangitur servus fidelis. Adest enim ei virtus charitatis, quæ omnia credit; surgit, domum pergit, asinum sternit, ligna condidit, gladium et ignem sumit, puerum simul adducit, et pergit ad locum. Tunc intentus factus Isaac patrem interrogabat dicens : *Pater*, ait, *et ille, quid est, fili?* et filius, *Ecce*, ait, *ignis et ligna, ubi est ovis quam immolaturus es ad holocaustum?* et pater respondit : *Deus providebit sibi ovem ad sacrificium, fili.* Magnum hic et grande video sacramentum : aliud Abraham corde gestabat, aliud filio promittebat, sed neque quæ promittebat filium fallebant, neque aliqua infirmitas cor ejus a proposito immutaverat. Aliam virtutem charitatis quæ omnia sperat, placet inspicere, hanc superius plebi Israel et patribus nostris assignasse cognoscimus. Ejus namque virtutis vox est in usu illo prophetico : *In te speraverunt patres nostri, speraverunt et liberasti eos* (*Psal.* XXI). Et ipsi ex Ægypto fugere jubentur, terra eis lac et mel fluens promittitur, per mare Rubrum transeunt, ad eremum veniunt, ducebat eos spes charitatis, ut discerent Deum amare gratis, redditur et his merces fidei: non enim potest non reddere, qui se dignatur facere debitorem. Post eremum mella de petra suxerunt, panem cœli manducaverunt, non sunt privati a desiderio suo quod speraverunt, terram etiam promissionis acceperunt. Exsurgant omnia, quæ hujus charitatis virtute comprehensa est effugiat ex Ægypto, id est, ex hujus sæculi desiderio, pergat ad mare Rubrum, scilicet Christi baptismum, ideo rubrum quia Christi sanguine purpuratum, persequantur hostes, peccata cum suo diabolo auctore, tanquam Ægyptii cum suo rege Pharaone, sæviant, sequantur fugientes, quid metuis? Usque ad aquam sæviunt. Ingredieris tu, ingrediuntur et illi post te : sed aqua conversa illis erat in perniciem, tibi proficiet ad salutem; illos obruit, te abluet; illos damnabit, te liberabit. Posthac suscipiens mel de petra, quo sitim tuam saties : *Petra enim erat Christus*, ex cujus præceptis tanquam ex fontibus dulcedinis satieris; gustabis et panem illum, scilicet, qui dixit: *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI). Gustabis et videbis quam suavis est Dominus. Et si in te eminet virtus charitatis quæ omnia sperat, per eremum te necesse est transire, id est, utaris hoc mundo tanquam non utens, et in hac via peregrinum te noveris esse, si terram promissionis cupis intrare. Hæc terra est de qua Propheta cantat, et dicit : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* XXVIII). Ultima virtus charitatis restat, quæ omnia sustinet et nunquam cadit, hanc ipsi capiti nostro Domino Jesu Christo convenire videmus. Ideo in ultimo, quoniam finis legis est Christus. Quanta autem ipse pro nobis sustinuerit, puto charitatem vestram ignorare non posse, tamen exinde aliquid dicam, tamen de tanto aliquid digne dicam, prius illud quod Deus homo, quod verbum caro factum est, quod multa bona fecit, et mala perpessus est, quod mortuos suscitavit et mortuus est, quod singularis illa patentia pertulit diabolum tentatorem, discipulum traditorem, quod ipsum Judam, priusquam ostenderet traditorem, pertulit furem, et ante experimentum vinculorum crucis ac mortis, labiis ejus dolosis non negavit osculum pacis. In ipsa autem morte quanta sustinuit? pertulit odiorum flammas, ministros pessimi cordis linguas, clamaverunt Judæi, Crucifige, crucifige, et ut rei remanerent Judæi, innocens ab eis crucifixus est, Filius Dei, ad crucem ducitur et expalmatur, qui est vera palma victoriæ; spinis coronatur qui spinas peccatorum venit confringere; ligatur qui solvit compeditos : ligno suspenditur qui erigit elisos : aceto potatur fons vitæ : disciplina cæditur, salus vulneratur, vita moritur, occidit ad tempus vitam mors, ut in perpetuo a vita occideretur mors. Quid hic Judæi in hac morte Christi exsultaverunt quasi victores? et dum terrenum et caducum regnum timuerunt perdere, Regem cœli et terræ non dubitaverunt occidere. Sed nec sicut putaverunt, victores exstiterunt. Si enim vicerunt, quomodo regnum perdiderunt? quomodo nunc usque servi remanserunt? ista namque causa est, quia ab eis Christus occisus est. Dixeruntque apud se principes Judæorum, ut evangelista narrat : *Videtis*, inquiunt, *quia totus mundus abiit post eum, si dimiserimus illum vivere, venient Romani et tollent nobis et locum et regnum* (*Joan.* XI), et Christum occiderunt, et locum regnumque perdiderunt. Quid vobis profuit, o insani Judæi, quod tantum scelus admisistis? Nunquid quia Christo Domino ut decuit servire noluistis, ideo dominio ejus caruistis : dum illi serviunt reges, quibus vos servitis, facti estis mali servi bonorum servorum Christi, per ipsos conterit, contumaciam vestram per ipsos dissipat, consilia vestra per ipsos retribuet scelera in capita vestra. Hactenus Augustinus.

Sive autem prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur; ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus, cum autem venerit quod perfectum est, evacuabuntur quæ ex parte sunt. (*Ambr.*) Omnia charismatum dona evacuari dixit, quia non tantum possunt comprehendere, quantum ipsa veritas habet, neque nos aut capere,

Digitized by Google

aut narrare possumus plenitudinem veritatis. Qui enim fieri potest ut lingua humana omne complectatur quod Dei est? Ideo destruetur imperfectio nostra, non id quod verum est evacuabitur, sed dum additur imperfecto quod deest, destruetur. Destructio enim imperfectionis est, quando id quod imperfectum est impletur in verum. *Cum essem parvulus quasi parvulus loquebar, quasi parvulus sapiebam, quasi parvulus cogitabam : cum factus sum vir ea quæ parvuli erant, destruxi.* Hoc dixit quia exeuntes sancti de hoc mundo plus necesse est inveniant, quam nunc putant, sicut Joannes apostolus de Salvatore dixit : *Tunc videbimus illum sicut et est.* In hac ergo vita parvuli sumus, ad comparationem futuræ vitæ quia sicut vita hæc imperfecta est, ita et scientia. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc vero facie ad faciem.* Apertum est nunc imagines videri per fidem, tunc res ipsas. (*Greg.*) Videamus Paulum quadam caligine quasi infantiæ pannis obvolutum. Ait, *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem : nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut et cognitus sum.* Qui si se ad comprehendenda cœlestia infantem non cerneret ætatis suæ, ad hæc comparationem nullo modo præmisisset, dicens : *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus.* Tunc ergo ad robur juvenile conscendimus cum forti sensu, eam ad quam tendimus vitam videmus : nunc autem quia intentionis nostræ acies per infirmitatem suam ab interna luce retunditur mens nostra, ligata infantiæ pannis tenetur. (*Aug.*) Nam in psalmo scriptum est : *Mirificata est scientia tua ex me, convaluit, non potero ad illam* (*Psal.* CXXXVIII), ex me, quippe intelligo quam sit mirabilis et incomprehensibilis scientia tua, qua me fecisti, quando nec meipsum comprehendere valeo quem fecisti : et tamen *in meditatione mea exardescet ignis* (*Psal.* XXXVIII), ut quæram faciem tuam semper. Incorporalem substantiam scio esse sapientiam, et lumen esse, in quo videntur, quæ oculis carnalibus non videntur, et tamen vir tantus tamque spiritalis, *Videmus nunc*, inquit, *per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quale sit et quod sit hoc speculum si quæramus, profecto illud occurrit quod speculo nisi imago non cernitur. Hoc ergo facere conati sumus ut per hanc imaginem, quod nos sumus videremus, utcunque a quo facti sumus tanquam per speculum : quia vero addidit, *in ænigmate* multis hoc incognitum est, qui eas litteras nesciunt in quibus est, doctrina quædam de locutionum modis, quos Græci τρόπους vocant. Singulorum autem modorum, sive troporum nomina, difficillimum est et insolentissimum Latine enuntiare. Unde quidam interpretes nostri quod ait Apostolus, quæ sunt in allegoria, nolentes Græcum vocabulum ponere circumloquendo interpretati sunt dicentes : *Quæ sunt aliud ex alio significantia.* Hujus autem tropi id est allegoriæ plures sunt species, in quibus est et quod dicitur ænigma. Quid est ergo allegoria, nisi tropus, ubi aliud ex alio intelligitur? quale illud est ad Thessalonicenses : *Itaque non dormiamus sicut et cæteri, sed vigilemus et sobrii simus : nam qui dormiunt nocte dormiunt, et qui inebriantur, nocte ebrii sunt. Nos autem, qui diei sumus sobrii simus* (*I Thes.* v). Sed hæc allegoria non est ænigma : nam nisi multum tardis iste sensus in promptu est; ænigma est autem, ut breviter explicem obscura allegoria, sicut sunt, sanguisugæ tres erant filiæ, et quæcunque similia. Sed ubi allegoriam nominavit Apostolus non in verbo eam reperit, sed in facto, cum ex duobus filiis Abrahæ, uno de ancilla, altero de libera, quod non dictum, sed etiam factum fuit, duo testamenta intelligenda monstravit (*Gal.* IV), quod antequam exponeret obscurum fuit, ideo allegoria talis, quod est generale nomen, posset specialiter ænigma nominari. Proinde, quantum mihi videtur, sicut nomine speculi imaginem voluit intelligi, ita nomine ænigmatis quamvis similitudinem, tamen obscuram et ad perspiciendum difficilem. Cum igitur speculi et ænigmatis nomine quæcunque similitudines ab Apostolo significatæ intelligi possint, quæ accommodatæ sunt ad intelligendum Deum, eo modo quo potest, nihil tamen est accommodatius quam id quod imago ejus non frustra dicitur. Nemo itaque miretur etiam in isto videndi modo, qui concessus est huic vitæ per speculum, scilicet in ænigmate laborare nos, ut quomodocunque videamus : nomen quippe hic non sonaret ænigmatis, si esset facilitas visionis. In Evangelio quoque Dominus ad discipulos ait : *Dico enim vobis quod angeli eorum semper in cœlis vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*, sicut ergo illi vident, ita et nos visuri sumus, sed nondum ita videmus; propter quod ait Apostolus : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Præmium itaque fidei nobis visio ista servatur. De qua et Joannes loquens : *Cum apparuerit*, inquit, *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III). Facies autem Dei manifestatio ejus intelligenda est, non aliquod tale membrum, quale nos habemus in corpore, atque isto nomine nuncupamus. Itaque visuri sunt Deum sancti in isto corpore, sed utrum per ipsum sicut per corpus nunc videmus solem, lunam, stellas, mare ac terram, et quæ sunt in ea, non parva quæstio est. Durum est enim dicere quod sancti talia corpora tunc habebunt ut non possint oculos claudere atque aperire cum volent. Durius autem, quod ibi Deum quisquis oculos clauserit, non videbit. Si enim propheta Elisæus puerum suum Giezi absens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit ei Naaman Syrus (*IV Reg.* V), quanto magis in illo corpore spiritali videbunt sancti omnia, non solum si oculos claudant, verum etiam unde sunt corpore absentes; et illud, inquit, quod ait Apostolus facie ad faciem. Non cogit ut Deum per hanc faciem corporalem ubi sunt oculi corporales nos visuros esse credamus, quem Spiritu sine intermissione videbimus. Nisi enim esset etiam interioris hominis

Digitized by Google

facies, non diceret idem Apostolus (*II Cor.* III): *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur de gloria in gloriam tanquam a Domini Spiritu.*

Nunc scio ex parte, tunc vero cognoscam, sicut et cognitus sum. (*Amb.*) Id est, videbo quæ promissa sunt sicut videor, hoc est, præsentem esse ad Deum, ubi Christus est. (*Aug.*) Ad illam visionem Dei, quæ nobis in resurrectione promittitur, non ex hoc mundo istam concupiscentiam oculorum transferre conemur. Sed mundandis cordibus pio studeamus affectu, nec corporalem faciem cogitemus, cum dicit Apostolus : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, præsertim quia expressius dixit : *Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Si ergo tunc corporali facie Deum cognoscemus, corporali nunc ejus facie cogniti sumus : *tunc enim cognoscam*, inquit, *sicut et cognitus sum.* Unde quis eum non intelligat eo loco etiam faciem nostram illam significare voluisse, de qua dicit alio loco : *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tanquam a Domini Spiritu.* De gloria scilicet fidei in gloriam contemplationis æternæ, hoc quippe ait, hæc transformatio qua interior homo renovatur de die in diem. (*Greg.*) In Job quoque ita scriptum est : *Quasi furtive suscipit auris mea venas susurri ejus* (*Job.* IV). Venas superni susurri auris cordis furtive suscipit, quia subtilitatem locutionis intimæ afflata mens, et raptim et occulte cognoscit; nisi enim se ab exterioribus desideriis abscondat, interna non penetrat. Occultatur autem ut audiat, et audit ut occultetur, quia et subtracta visibilibus invisibilia conspicit, et repleta invisibilibus visibilia perfecte contemnit. Notandum vero, quando non ait quasi furtive suscipit auris mea venas susurri ejus, susurrus quippe occulti verbi est, hæc ipsa locutio aspirationis internæ, venæ autem susurri dicuntur causarum origines, quibus hæc ipsa aspiratio ad mentem dicitur, quasi enim venas susurri sui aperit, cum nobis Deus latenter insinuat, quibus modis ad nostræ intelligentiæ aurem venit. Aliquando enim nos amore, aliquando terrore compungit, aliquando præsentia, quia nulla sint ostendit, ad æterna desiderio diligenda erigit : aliquando prius æterna indicat, ut post temporalia vilescant, aliquando nostra nobis mala aperit, et ad hoc nos usque, ut alienis etiam malis doleamus, extendit, aliquando aliena mala nostris obtutibus objicit, et compunctos mirabiliter a nostra pravitate corrigit. Venas itaque divini susurri furtim audire, est occultos divinæ aspirationis modos tenuiter et latenter agnoscere, quamvis adhuc vel susurrum, vel venas susurri intelligere aliter valeamus : qui enim susurrat, occulte loquitur, et vocem non exprimit, sed imitatur. Nos igitur quousque carnis correptione premimur, nullo modo claritatem divinæ potentiæ, sicut ipse incommutabilis manet videmus, quia acies infirmitatis nostræ non sustinet et hoc quod de ejus æternitatis radio super nos intolerabiliter fulget. Cum ergo se nobis omnipotens Deus per rimas contemplationis indicat, nequaquam nobis loquitur, sed susurrat : quia etsi plene non intimat, quædam tamen de se humanæ menti manifestat. Tunc autem nequaquam jam susurrit, sed loquitur cum ejus nobis species certa revelatur. Hinc est enim quod in Evangelio Veritas dicit : *Palam de Patre annuntiabo vobis* (*Joan.* XVI); hinc quod Joannes ait : *Videbimus eum sicut est* (*I Joan.* III); hinc Paulus dicit : *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum :* Nunc autem divinus susurrus tot ad nos venas habet, quot creatis operibus ipsa divinitas præsidet : dum enim quæ sunt cuncta creata cernimus, in Creatoris admiratione sublevamur. Nam sicut aqua æqualiter fluens rimata per venas quærit ut augeatur, tantoque se vastius fundit, quanto venas apertiores invenerit : ita nos dum studiosæ divinitatis notitiam ex creaturæ ejus consideratione colligimus, quasi susurri illius ad nos venas aperimus, quia per hoc quod factum cernimus, virtutem factoris admiramur, et per ea quæ sunt, in publico, illud ad nos emanat, quod latet in occulto. *Manent autem fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas.* (*Ambr.*) Digne major est charitas, quia ut fides prædicaretur, et spes esset futuræ vitæ, charitas præstitit, sicut supra memoravi. Unde et Joannes apostolus : *Ex hoc cognoscimus*, inquit, *charitatem ejus, quia ipse pro nobis animam suam posuit* (*II Joan.* III). Juste igitur major charitas, per quam reformatum est genus humanum. (*Aug.*) Itaque tria sunt hæc, quibus et scientia omnis et prophetia militat, fides, spes, charitas. Sed fidei succedit species quam videbimus, et spei succedit beatitudo ipsa, ad quam perventuri sumus : charitas autem etiam istis decidentibus augebitur potius. Si enim credendo diligimus quod nondum videmus, quanto magis cum videre cœperimus ; et si sperando diligimus, quo nondum pervenimus, quanto magis cum pervenerimus : *Manent*, inquit, *fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum charitas.* Quia et cum quisque ad æterna pervenerit, duobus istis decidentibus charitas auctior et certior permanebit. Fides namque est quæ futuri judicii, ac suppliciorum metu vitiorum facit contagia declinari ; spes quæ mentem nostram de præsentibus avocans universas corporis voluptates cœlestium præmiorum exspectatione contemnit ; charitas quæ nos ad amorem Christi et spiritalium virtutum fructum, mentis ardore succendens, quidquid illis contrarium est, toto facit odio detestari, quæ tria licet ad unum finem tendere videantur. Provocant enim nos a rebus illicitis abstinere, magnis tamen excellentiæ suæ gradibus ab invicem disseparantur. Duo namque superiora proprie hominum sunt eorum, qui ad profectum tendentes, necdum affectum concepere virtutum. Tertium specialiter Dei est, et eorum qui in sese imaginem Dei ac similitudinem receperunt. Ille nam-

Digitized by Google

que solus ea quæ bona sunt, nullo metu, nulla remunerationis gratia provocante, sed solo bonitatis operatur affectu. *Omnia* enim, ut ait Salomon, *operatus est Dominus propter semetipsum* (*Prov.* XVI), suæ namque bonitatis obtentu omnem bonorum copiam dignis indignisque largitur, quia nec fatigari injuriis potest, nec iniquitatibus hominum passibiliter permoveri, semper scilicet manens perfecta bonitas, immutabilisque natura.

CAPUT XIV.

Ostendit eminentiam prophetiæ super donum linguarum, et quomodo utroque dono sit utendum.

ectamini charitatem, æmulamini spiritalia, magis autem ut prophetetis: Post charitatem prophetandi studium magis habendum hortatur, quia quamvis magni sint spiritales gradus, quos enumerat, hic tamen melior, qui ad utilitatem Ecclesiæ proficit, ut discant omnes divinæ legis rationem. In quo enim quis animum dederit, in eo ipso accipit donum, dicente Salomone: *Scire legem sensus est optimus.* Scientia enim subnixa charitati non inflatur, sed est mansueta, proficiens omnibus ad utilitatem. *Qui enim loquitur linguis, non hominibus loquitur, sed Deo; nemo enim audit, Spiritu autem loquitur mysteria.* (Amb.) Hoc est quod dicit, quia qui loquitur incognita lingua, Deo loquitur, quia ipse omnia novit, homines enim nesciunt: ideoque nullus est ex hac re profectus, Spiritu autem loquitur, non sensu, quia ignorat quod dicit. *Qui enim prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, et exhortationem, et consolationem.* Ædificatur enim quando quæstionum solutionem addiscit, exhortatio autem fit illi ut desiderium patiatur prophetandi: consolatur vero quia contemptum disciplinæ in spe videt: scientia enim legis firmat animos, et provocat ad spei melioris profectum. *Qui loquitur lingua seipsum ædificat, qui vero prophetat Ecclesiam ædificat.* Per id enim quod solus forte scit quod loquitur, se solum ædificat, nam qui prophetat omnem plebem ædificat. Intelligitur ab omnibus quid loquatur. Prophetas interpretes dicit Scripturarum, sicut enim propheta futura dicit, quæ nesciuntur, ita hic dum Scripturarum sensum, qui multis occultus est, manifestat, dicitur prophetare. *Volo autem vos omnes loqui linguis, magis autem ut prophetetis.* Non poterat prohibere loqui linguis, quia superius dixit, donum istud esse Spiritus sancti: sed ideo prophetandi magis studium habendum quia utilius est. *Major est enim qui prophetat, quam qui loquitur lingua, nisi interpretetur.* Quia si interpretari poterit, non erit minor quia ædificat Ecclesiam, hoc enim majus est, quod omnibus prodest: hic enim per donum Dei linguis loquitur, qui etiam interpretatur, sicut et illi duodecim in Actibus apostolorum (*Act.* IV). *Nunc, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero? Si non loquar vobis, aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina.* Hæc omnia unum significant, docere enim nemo poterit, nisi intelligatur: possunt tamen hæ quatuor species ad quadrifariam sacræ Scripturæ intelligentiam, hoc est, historiam, tropologiam, allegoriam, anagogen, transferri. De his quatuor interpretationum generibus beatus Apostolus ita dicit: *Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar? aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina.* Revelatio namque ad allegoriam pertinet, per quam ea quæ tegit historica narratio spiritali sensu et expositione reserantur; ut verbi gratia, si illud aperire tentemus. Quemadmodum patres nostri, *omnes sub nube fuerunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari* (*I Cor.* X), et, quemadmodum *omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt* (*Ibid.*), et eumdem spiritalem de consequenti petra biberunt potum; *petra autem erat Christus.* Quæ expositio præfigurationi corporis et sanguinis Christi, quem quotidie sumimus, comparata, allegoriæ continet rationem, scientia vero quæ similiter ab Apostolo memoratur, tropologia est, qua universa quæ ad discretionem pertinent actualem, utrum utilia, vel honesta sint, prudenti examinatione discernimus, ut est illud cum apud nosmetipsos judicare præcipimur, utrum deceat mulierem non velato capite orare Deum? Quæ ratio, ut dictum est, moralem continet intellectum. Item prophetia quam tertio Apostolus intulit loco anagogen sonat, per quam ad invisibilia ac futura sermo transfertur, ut est illud: *Nolumus autem ignorare vos, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quoniam Christus mortuus est et resurrexit. Ita et Deus eos per Jesum adducet cum eo, hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quoniam nos, qui vivimus in adventu Domini, non præveniemus eos qui dormierunt in Christo, quoniam ipse Dominus in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cælo, et mortui qui in Christo sunt resurgent primi* (*I Thes.* IV). Quia exhortationis specie anagoges figura præfertur. Doctrina vero simplicem historicæ expositionis ordinem pandit, in qua nullus occultior intellectus, nisi qui verbis resonat continetur, sicut est illud: *Tradidi enim vobis imprimis quod et accepi quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die, et quia visus est Cephæ* (*I Cor.* XV); et: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret* (*Gal.* IV). Sive illud: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est* (*Deut.* VI).

Tamen quæ sine anima sunt, vocem dantia, sive tibia, sive cithara, si distinctionem sonitus non dederint, quomodo cognoscetur quod per tibiam canitur, aut quod citharizatur; etenim si incertam vocem tuba dederit, quis se parabit ad prælium? Quoniam exempla facilius suadent quam verba, exemplis commendat, per quæ facile assequantur non debere illos in Ecclesia loqui linguis, qui interpretari non possunt; ad quid enim loquitur, quem nemo intelligit?

Digitized by Google

Ita et vos per linguam nisi significantem sermonem dederitis, quomodo scietur quod loquimini ? eritis enim in aera loquentes (hoc est, nihil proficientes), *ut puta, genera linguarum sunt in hoc mundo et nihil sine voce.* Multa quidem sunt genera linguarum, inquit, sed habent vocum significationes proprias, ut intelligantur. *Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquar barbarus, et is, qui loquitur, mihi barbarus.* Non utique id studendum monet, ut invicem per incognitam linguam barbari sibi videantur, sed quia concordiæ res est, his nitendum est, ut per unanimitatem intellectus communi lætitia glorientur. *Sic et vos, quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite, ut prophetetis.* Quia prodest Scripturas explanare. Nam incitatur et gaudet animus, quando aliquid de Scripturis percipit, et quantum propensior in hac parte fit, tantum deserit vitia ; propterea ad hanc partem studium monet applicandum. *Ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur.* Eum qui linguis loqui desiderat, dicit orare debere, ut accipiat donum interpretandi, ut proficiat cæteris studium ejus. *Si oravero lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.* Manifestum est ignorare animum nostrum si lingua loquatur quam nescit, sicut solent Latini homines Græce cantare, oblectati sono verborum, nescientes tamen quid dicant. Spiritus ergo qui datur in baptismo, scit quod oret animus, dum loquitur, aut perorat lingua sibi ignota : mens autem quæ est animus sine fructu est. Quem enim potest habere profectum qui ignorat quæ loquatur ?

Quid est ergo ? orabo spiritu, orabo et mente, psalmum dicam spiritu, psalmum dicam et mente. Hoc dicit, quia cum quis hac lingua loquitur quam novit, tam spiritu quam mente orat, quia non solum spiritus ejus, quem dixit datum in baptismo, scit quod oratur, sed et animus (*Aug.*) simili modo et de psalmo non ignorat. Spiritus a mente distinguitur evidentissimo testimonio : *Si enim oravero*, inquit lingua, *spiritus meus orat, mens autem mea infructuosa est ;* cum ergo lingua intelligatur hoc loco dicere obscuras et mysticas significationes, a quibus si intellectum mentis removeas, nemo ædificatur audiendo quod non intelligit. Unde etiam dicit : *Qui enim loquitur lingua non hominibus loquitur, sed Deo, nemo enim audit ; spiritus autem loquitur mysteria*, satis indicat eam se linguam hoc loco appellare, ubi sunt significationes velut imagines rerum ac similitudines, quæ ut intelligantur indigent mentis obtutu, cum autem intelliguntur in Spiritu eas dicit esse, non in mente. Unde apertius ait : *Si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem, quandoquidem nescit quid dicas.* Quia ergo etiam lingua, id est membro corporis, quod movemus in ore, cum loquimur, signa utique rerum dantur, non res ipsæ proferuntur, propterea translato verbo linguam appellavit quamlibet signorum prolationem priusquam intelligantur. Quo cum intellectus accesserit, qui mentis est, proprius, fit revelatio vel agnitio, vel prophetia, vel doctrina ; proinde ait : *Si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi si loquar vobis in revelatione, aut in agnitione, aut in prophetia, aut in doctrina*, id est, cum signis, hoc est, linguæ accesserit intellectus, ut non spiritu tantum, sed etiam mente agatur quod agitur. Proinde, quibus signa, per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accesserat mentis officium ut etiam intelligerentur, nondum erat prophetia, magisque propheta erat qui interpretabatur, quod aliud vidisset, quam ipse qui vidisset. Unde apparet magis ad mentem pervenire prophetiam, quam ad istum spiritum, qui modo quodam proprio vocatur spiritus, vis animæ quædam mente inferior, ubi corporalium rerum similitudines exprimuntur. Itaque magis Joseph propheta, qui intellexit quid significarent septenæ spicæ, et septenæ boves, quam Pharao qui eas vidit in somnis (*Gen.* XLI), illius enim spiritus informatus est ut videret ; hujus mens illuminata, ut intelligeret, ac per hoc in illo erat lingua, in isto prophetia, quia in illo rerum imaginatio, in isto imaginationum interpretatio. Minus ergo propheta, qui rerum quæ significantur sola ipsa signa in spiritu per rerum corporalium imagines videt ; et magis propheta qui solo earum intellectu præditus est ; sed maxime propheta qui utroque præcellit, ut videat in Spiritu corporalium rerum significativas similitudines, et eas vivacitate mentis intelligat. Sicut Danielis excellentia tentata est et probata, qui regi et somnium, quod viderat dixit, et quid significaret, aperuit (*Dan.* IV, V), et ipsæ quippe imagines corporales in spiritu ejus expressæ sunt, et earum intellectus revelatus in mente. *Cæterum si benedixeris spiritu.* (Ambr.) Hoc est si laudem Dei lingua loquaris ignota audientibus. *Quis supplet locum idiotæ ? Quomodo dicit Amen, super tuam benedictionem, quoniam quid dicas nescit ?* Imperitus enim audiens quod non intelligit, nescit finem orationis, et non respondet amen, id est verum, ut confirmetur benedictio ; per hos enim impletur confirmatio precis, qui respondent amen, ut omnia dicta veri testimonio in audientium mentibus confirmentur. *Nam tu quidem bene gratias agis.* De eo dicit qui cognita sibi loquitur, quia scit quid dicat. *Sed alter non ædificatur.* Si utique ad ædificandam Ecclesiam convenitis, ea debent dici, quæ intelligant audientes, nam quid prodest, ut quis lingua loquatur, quam solus scit, ut qui audit nihil proficiat ? Ideo tacere debet in Ecclesia, ut hi loquantur, qui prosint audientibus. *Gratias ago Deo meo quod omnium vestrum lingua loquor.* Quoniam superius linguis loqui donum esse dixit Spiritus sancti, ideo ad Deum refert, quod omnium lingua loqueretur, et ne forte quasi æmulus per invidiam hoc dicere videretur, ostendit omnium quidem horum se loqui linguis, et quia non valde prodest, addit : *Sed in Ecclesia volo quinque verba loqui, ut et alios sensu*

Digitized by Google

meo instruam quam decem millia verborum lingua. Utilius dicit paucis verbis in apertione sermonis loqui, quod omnes intelligant quam prolixam orationem habere in obscuro : hi ex Hebræis erant, qui aliquando Syra lingua, plerumque Hebræa in tractatibus aut in oblationibus utebantur ad commendationem. Gloriabantur enim se dici Hebræos propter meritum Abrahæ, quod idem Apostolus pro nihilo habuit dicens : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.*

Fratres, nolite pueri effici sensibus. Sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote. Perfectos esse vult illos, ut sciant quid ad instructionem Ecclesiæ sit necessarium, ut recedentes a malitia et erroribus, his studerent, quæ proficerent ad utilitatem fratrum : hic est enim sensu perfectus, qui agit ut prosit alicui, maxime fratri. *In lege enim scriptum est : Quia in aliis linguis, et in labiis aliis loquar populo huic, et nondum me exaudiet, dicit Dominus.* Hoc Dominus de his dixit, quos præsciit nec Salvatori credituros : in aliis enim linguis et in aliis labiis loqui, Novum Testamentum est prædicare, sicut dicit Jeremias propheta : *Ecce venient dies, dicit Dominus, et consummabo domui Israel, et domui Judæ Testamentum Novum, non secundum quod disposui patribus illorum* (*Jerem.* XXXI), hoc est, immutata ratione aliter loqui, quam se legis veteris verba habebant. Dum audivit Sabbatum solvi, neomenias evacuari, circumcisionem cessare, sacrificia immutari, escas dudum prohibitas licere edere, Christum de Deo, Deum prædicari, hoc est, aliis labiis, et aliis linguis loqui, nec perfidi Deum obaudire voluerunt. Potest et sic intelligi, quia multi Judæorum malevoli erant, et propterea dignum non erat his in revelatione loqui Evangelium. In parabolis loquebatur ad eos, ut intelligerent, ideo sibi non revelari, quia mali erant, nec se corrigerent ut merentes se facerent per explanationem audire verba Dei. Unde dicunt discipuli ad Dominum : *Domine, quare in parabolis loqueris illis?* Et Dominus, quia *vobis datum est*, inquit, *nosse mysterium regni Dei, illis autem non, ut videntes non videant, et audientes non intelligant* (*Luc.* VIII), ne indigni salutem perciperent, quod animadvertentes pro meritis suis factum, nec sic conversi Deo satisfacere voluerunt. *Itaque linguæ in signum sunt.* Hoc est velamine incognitæ linguæ obscurati sunt sermones Dei, ne videantur a perfidis, ut cum audiuntur incognitæ linguæ, signum sit quia propter perfidiam factum est, ne audiens intélligat. *Non fidelibus, sed infidelibus.* Hoc est, quod dixit, quia ad occultandos sensus incredulis proficiunt linguæ. *Prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus;* hoc est, non competit fidelibus audire linguas, quas non intelligunt, sed infidelibus, qui non sunt digni intelligere, sicut dicit Isaias propheta : *Vade et dic populo huic, Aure audietis et non intelligetis*, etc. (*Isa.* VI).

Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum et omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles, nonne dicent quod insanitis? Manifestum est, quia si omnes diversis linguis loquantur, tumultus fit quidam inconditus populi, quasi phrenesim patientis. *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, aut idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, occulta cordis etiam ejus manifesta fiunt, et tunc cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.* Dum enim intelligit et intelligitur audiens laudari Deum, et adorari Christum, pervidet veram esse, et venerandam religionem, in qua nihil fucatum, nihil in tenebris videt geri, sicut apud paganos, quibus velantur oculi, ne quæ sacra vocant perspicientes, variis se vanitatibus cernant illudi. Omnis enim impostura tenebras petit, et falsa pro veris ostendit; ideo apud nos nihil astute, nihil sub velamine, sed simpliciter unus laudatur Deus, ex quo sunt omnia, et unus Dominus Jesus per quem omnia. Si enim nullus sit, qui intelligat, aut a quo ipse discutiatur, potest dicere seductionem esse quamdam et unitatem, quæ ideo linguis canitur, quia pudoris est, si reveletur. Prophetia de præsenti est quam Paulus apostolus dicit : *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, occulta cordis ejus manifesta fiunt, et tunc cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.* (Greg.) Cum igitur occulta cordis ejus manifesta fiunt, profecto monstratur, quia per hunc modum prophetiæ Spiritus non prædicit quod futurum est, sed ostendit quod est. Quo autem pacto prophetia dicatur Spiritus, qui nihil futurum indicat, sed præsens narrat? qua in re animadvertendum est, quod recte prophetia dicitur, non quia prædicit ventura, sed quia prodit occulta, rem quippe quamlibet sicut ab oculis nostris in futuro subtrahunt tempora, ita ab oculis nostris in præsenti subtrahet causa. Ventura etenim res occultatur in futuro tempore, præsens autem cogitatio absconditur in latenti corde. Est etiam prophetia præsens, cum res quælibet non per animum, sed per absentem locum tegitur, quæ tamen per Spiritum denudatur, et ibi fit præsens prophetantis animus, ubi per præsentiam non est corpus. Nam Giezi longe a propheta recesserat, cum Naamam Syri munera percipiebat, cui tamen idem propheta dicit : *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de cursu suo in occursum tibi?* (*IV Reg.* V.)

Quid ergo est, fratres, cum convenitis unusquisque vestrum psalmum habet? (Ambr.) Id est, laudem Dei per canticum eloquitur. *Doctrinam habet,* hoc est, sensuum per spiritalem prudentiam habet expositionem. *Apocalypsin habet,* id est, subest ei prophetia occultorum quæ ad omnium mentem perveniat, favente Spiritu sancto. *Linguam habet;* ut eos, qui lingua loqui poterant non contristaret, permisit eos loqui linguis : ita tamen ut interpretatio sequeretur. Ideo ait, *interpretationem habet*, ut si interpres

Digitized by Google

adesset, daretur locus loquentibus linguis. *Omnia ad ædificationem fiant.* Conclusio hæc est, ut nihil incassum in Ecclesia geratur, hocque elaborandum magis, ut et imperiti proficiant, ne quid sit corporis per imperitiam tenebrosum. Idcirco omnes paratos vult convenire, diversis donis spiritalibus, ut ipsa aviditate animi vigilantes invicem se exhortantes meliora dona æmularentur, ad illuminationem fratrum. *Sive enim lingua quis loquitur, secundum duos aut, ut multum, tres, et per partes unus interpretatur.* Hoc est, duo aut tres, plus non linguis loquantur, sed singuli, non simul omnes, ne insanire viderentur; ideo ergo « ut multum, tres, » ne occuparent diem linguis loquentes, et interpretes illorum non haberent, atque prophetæ tempus Scripturas disserendi, qui sunt totius Ecclesiæ illuminatores. *Si autem non* B *erit interpres, taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur et Deo.* Hoc est, intra se tacite oret, aut loquatur Deo, qui audit muta omnia : in Ecclesia enim ille debet loqui, qui omnibus prosit. *Prophetæ duo aut tres dicant et alii dijudicent.* Ipsum modum tenuit dicendo : « Duo aut tres loquantur, » singuli autem sicut supra, cæteros autem interrogare permisit de his quæ fortè in ambiguis veniunt, aut quæ assequi aliquis non potest, quia diversa sunt ingenia, ut disputatione planiore dilucidentur. *Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat.* Id est, permittat potior inferiori, ut si potest, dicat nec ægre ferat, quia potest et illi dari donum, ut dicat, cum videtur inferior, quod potiori concessum non est. Sicut enim totum uni concedi non potest, licet potiori, C ita et non potest alicui quamvis inferiori nihil impertiri, ut nemo sit vacuus a gratia Dei. *Potestis enim per singulos prophetare, ut omnes discant et omnes exorent.* Hæc traditio Synagogæ est, quam nos vult sectari, quia Christianis quidam scribit, sed ex gentibus factis, non ex Judæis, ut sedentes disputent, seniores dignitate in cathedris, sequentes in subselliis, novissimi in pavimento super mattas, quibus si revelatum fuerit, dando locum dicendi præcepit, nec despiciendos, quia membra corporis sunt. *Et Spiritus prophetarum prophetis subjectus est.* Quia enim unus atque idem spiritus est qui tam prophetis futura dicentibus, quam his qui revelant Scripturas, infundit se pro ratione et qualitate causarum, idcirco dixit, *subjectus est prophetis*, ut ingenia accenderet hac spe, quod spiritus contradicendo non resisteret, ne discordia fiat in corpore : qui enim in pace vocantur, patientiæ debent studere, ne pacis jura solvantur. *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis : sed sicut in omnibus ecclesiis sanctorum doceo.* Hoc dicto hortatur illos, ut quæ præcepit faciant, quando similiter se ecclesiis sanctorum prædicare testatur. *An a vobis verbum Dei processit, aut in vos solos pervenit.* Arguentis verba sunt, sic enim inflati erant, quasi ipsis promissa fuisset hæc salus, et exemplo eorum cæteræ gentes vocarentur ad fidem, aut non essent aliqui, qui possent suscipere gratiam Dei, apostolis prædican- A tibus. Sic enim se jactabant, quasi beneficium darent magis, quasi acciperent, accedentes ad fidem; unde dicit : *Aut in vos solos devenit verbum Dei?* Omnis enim qui vult aliquid emere, quod scit ab aliis non requiri, cum quodam fastidio accedit ad emptionem quasi beneficium præstiturus vendenti. Ideo hoc Apostolus arguit in Corinthiis qui tales se premebant elatione vanitatis, quasi ipsi, si non obedirent verbis fidei, nemo esset qui crederet, sicut dicit Judæis : *Vobis primum oportebat loqui verba vitæ hujus, sed quia repulistis ea indignos vos facientes æternæ vitæ, ecce convertimus nos ad gentes* (*Act.* XIII).

Si quis videtur propheta esse, aut spiritalis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata. B Hoc dicens, tangit supra memoratos falsos apostolos a quibus fuerant depravati, qui pro desideriis hominum non divina, sed terrena docebant. Ideo nihil suum tradere se dicit, sed Domini, ut quibus suadet, Deo acquisiti, non hominibus videantur, qua fiducia et constanter prædicat, liberam habens conscientiam, quia non hominibus placere vult, sed Deo; unde peccatoribus non blanditur ut crescant, sed admonet ut desinant. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Recte, quia qui nescit Domini esse, quæ loquitur Apostolus, et ipse a Domino ignorabitur in die judicii, dicente Domino : *Amen dico vobis, quod nescio vos* (*Matth.* XXV).

Itaque, fratres, æmulamini prophetare. Quamvis arguat hos, et in multis reprehendat, et corripiat, C eo quod recesserant a traditione ejus, tamen fratres hos vocat, quia dicit Isaias ad plebem Domini, *Dicite his qui non recte ambulant in viis meis, fratres nostri estis vos.* Ut ergo consolaretur istos post correctiones, fratres illos vocat, et ad æmulationem prophetiæ hortatur, ut assidua disputatione et explanatione legis divinæ fierent structiores, ut possent discere perversas esse pseudoapostolorum prædicationes. *Et loqui linguis nolite prohibere.* Et propter charitatem, ut qui possunt loqui linguis, et qui interpres fuerit præsens non vetentur ne fiat dissensio. *Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant.* Hoc est secundum ordinem supra dictum, honeste autem illud fit, quod cum pace et disciplina fit.

D *Mulieres in ecclesia taceant.* Nunc tradit quod prætermiserat : superius enim velari mulieres in ecclesia præcepit, modo ut quietæ sint et verecundæ ostendit, ut operæ pretium sit quia velantur. Si enim imago Dei vir est, non femina, et viro subjecta est lege naturæ, quanto magis in Ecclesia debent esse subjectæ propter reverentiam ejus, qui illius legatus est, qui etiam viri caput est! *Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse sicut et lex dicit.* Quid dicit lex? *Ad virum tuum conversio tua, et ipse dominabitur tui.* Lex hæc specialis est. Hinc Sara Dominum vocabat Abraham virum suum (*Gen.* XVIII), ac per hoc in silentio jubentur esse, ne supradictæ legis sententia infirmetur, cujus me-

Digitized by Google

mor Sara viro suo erat subjecta, sicut dictum est, quamvis una caro sit : sed duabus ex causis jubetur esse subjecta, quia et ex viro est et per ipsam intravit peccatum. *Si autem quid volunt discere domi, viros suos interrogent : turpe est enim mulieres loqui in Ecclesia.* Turpe est, quia contra disciplinam est, ut in domo Dei, qui eas subjectas viris suis esse præcepit, de lege loqui præsumant, cum sciant, illic viros habere primatum, et sibi magis competere ut in domo Dei precibus vacent, linguam retinentes, aures aperiant, ut audiant quomodo misericordia Dei mortem vicit per Christum, quæ per eas regnavit. Nam si audeant in Ecclesia loqui, dedecus est, quia idcirco velantur ut humiliatæ appareant. Illæ autem se inverecundas ostendunt, quod et viris opprobrium est : in mulierum enim insolentia etiam mariti notantur.

CAPUT XV.

Tractat Apostolus de gratia resurrectionis, præmittendo commendationem doctrinæ evangelicæ.

Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium quod prædicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini : qua ratione prædicaverim vobis si tenetis, nisi frustra credidistis. (Ambr.) Ostendit illis, quia si in hac causa quæ subjecta est, a traditione ejus seducti sunt, perdiderunt quod crediderunt. Omnis enim spes credentium in hoc sensu est, quia mortui resurgent. Quod autem dicit, « in quo et statis, » de his dicit, qui firmi erant in fide traditionis hujus; promiscuis enim loquitur, ut et hi qui fixi in fide sunt gaudeant, et qui nutant corripi se doleant et corrigantur. *Tradidi enim vobis imprimis, quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas.* Scripturas Testamenti Veteris memorat, quæ futuram passionem Domini cecinerunt; dicit enim Isaias propheta (*Isa.* LIII) : *Ut ovis ad immolandum ductus est*, et inter cætera, *Quoniam tolletur a terra vita ejus ; ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem.* Hæc in Christo reperta noscuntur : sed quia præteriti temporis significatio videtur, non est adversum, quia apud Deum, qui omnium præscius est, nihil futurum est; ideo sic dicit, quod futurum est nobis, quasi factum sit. Nam in Apocalypsi Joannis apostoli dicitur (*Apoc.* XVII) : *Agnus*, inquit, *qui occisus est a constitutione mundi :* quia enim aliter non fiet, quam scit Deus, factum dicitur : nobis enim fit non Deo, quia apud Deum nihil est, quod futurum dicatur. Et in psalmo ait : *Dominus regnavit a ligno* (*Psal.* XCV); et Moyses de cruce ejus ita significavit dicens : *Tunc videbitis vitam vestram pendentem ante oculos vestros, et non credetis* (*Deut.* XXVIII). Idcirco ergo in eadem causa, et futuri temporis aliquando significantia ponitur ne a perversis non de Christo dictum defendatur, si totum quasi præteritum significaret. *Et quia sepultus est.* Nulli dubium mortuum sepultum esse, sicut dicit Isaias propheta (*Isa.* LIII) : *Et dabo malos pro sepultura ejus.*

Et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas. Omnia in fide clausa sunt, ideo sub persona populi resurrectio Domini tertio die futura descripta est; dicit enim Osee propheta : *Post biduum et in tertio die resurgemus, et vivemus in conspectu ejus* (*Ose.* VI). In Christo enim omnes resurrexisse, sicut in Adam mortuos esse, nemo fidelium denegat. Simili modo et in Psalmo sub persona hominis etiam de Christo significat dicens : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, gloria et honore coronasti eum.* (*Psal.* VIII).

Et quia visus est Cephæ, id est, Petro, hoc etiam Cleophas et Emaus testantur in Evangelio juxta Lucam, quod apparuit soli Petro. *Et post hæc undecim.* Et hoc in Evangelio continetur. *Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul.* Hoc sua fide loquitur. *Ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt.* De his quibus post resurrectionem apparuit Dominus tunc multos dicit fuisse in corpore. *Deinde visus est Jacobo.* Singulariter Jacobo apparuit sicut et Petro, quod ideo puto factum, ut multifaria apparentia fidem resurrectionis firmaret. *Deinde apostolis omnibus.* Iterum omnibus apostolis visus est in monte, ubi constituerat illis Jesus, sicut refert Matthæus Evangelista. Ante in Jerusalem post dies octo resurrectionis suæ, id est, Dominica die, januis clausis, intravit ad discipulos ut Thomæ animus firmaretur, sicut dicit Joannes apostolus : In monte enim intelligitur mandata illis dedisse. (*Aug.*) Non dixit primo apparuit Cephæ, nam esset contrarium, quod primo mulieribus apparuisse in Evangelio legitur. Postea, inquit, undecim quibuslibet, qua hora libet, ipso tamen resurrectionis die. Deinde apparuit plus quam quingentis fratribus simul, sive isti cum illis undecim erant congregati clausis ostiis propter metum Judæorum, unde cum exisset Thomas, venit ad eos Jesus, sive post octo illos dies quando libet nihil habet adversi. Postea, inquit, apparuit Jacobo. Nam tunc primum accipere debemus visum esse Jacobo, sed aliqua propria manifestatione singulariter. Deinde apostolis omnibus, nec illis tunc primum, sed jam ut familiarius conversaretur cum eis usque ad diem ascensionis suæ. *Novissime autem omnium, tanquam abortivo visus est et mihi.* (Ambr.) Apparuit illi primum in cœlo, post oranti in templo. Abortivum se dixit, quia extra tempus natus in Christo apostolatum accepit jam Christo in cœlos recepto in carne. *Ego enim sum minimus apostolorum.* Humiliat se, et temporis causam sibi ascribit : tempore enim minor est, non dignitate. Sed quia et persecutor fuit, inclinat se dicens. *Qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* (Greg.) Videamus Paulum quomodo apostolorum alis tactus, atque ad pœnitentiam excitatus fuerat, qui mala præteritæ persecutionis suæ, et apostolorum innocentem vitam considerans, dicebat . *Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* Consideravit quippe apostolorum innocentiam, et propter præce-

Digitized by Google

dentem malitiam vilis in ejus oculis facta est omnis quam exhibebat in Ecclesia sollicitudo sua, et quam multos ex accepto intellectu præcederet non attendit, quia illorum innocentiam pensans persecutorem aliquando se fuisse doluit. Sed videamus, si quis ex apostolis eum, qui Paulo datus est intellectum miratur. Ipse nobis apostolorum primus requirendus est, qui discipulos admonens ait : *Sicut et charissimus frater noster Paulus secundum sibi datam sapientiam scripsit vobis : Sicut et in omnibus Epistolis loquens in eis, de his in quibus sunt, quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant* (*II Petr.* III) Miratur itaque in omnibus apostolis Paulus innocentiam; miratur apostolus primus in Paulo sapientiam. Alis ergo se tangunt, qui inde vicissim se ad profectum excitant, unde volant. Hoc itaque omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus terrarum. Poterat namque unicuilibet regioni fructus omnes tribuere. Sed si unaquælibet regio alterius regionis fructibus non indigeret, communionem cum altera non habuisset. Unde fit ut huic vini, alii vero olei, abundantiam tribuat; hanc multitudine pecudum, illam ubertate abundare faciat frugum : ut cum illa defert quod ista non habet, et ista reddit quod illa non detulit, per communionem gratiæ sibi simul etiam divisæ terræ conjunctæ sint. Sicut ergo regiones terrarum, ita sunt mentes sanctorum, quæ dum vicissim sibi conferunt quod acceperunt, quasi fructus suos regiones regionibus impendunt, ut in una omnes charitate jungantur. Sed inter hæc sciendum est, quia sicut electi quique hoc semper in aliis attendunt quod a Deo melius acceperunt quam ipsi, ut eos sibi in cogitatione præferant, seque illis in humilitate substernant; ita reproborum mens nunquam considerat, quid alter boni amplius, quam ipse, sed quid boni ipse amplius quam alter habeat; neque pensant, quæ bona spiritus alter acceperit, et ipsis desint, sed quæ bona ipsis et quæ mala adsint alteris; et cum omnipotens Deus ad hoc singulis virtutes dividat, ut alterum alteri in cogitatione humiliet, ad hoc reprobi pertrahunt bonum quod acceperunt, ut ex eo in elatione perdantur, dum semper considerant bona quæ ipsi habent et alii non habent, et nunquam perpendere student quanta bona alii habent, et ipsi non habent. Quod ergo divina pietas in augmentum disponit humilitatis, hoc mentes reprobæ in augmentum vertunt elationis, et ex diversitate munerum a bono deficiunt, unde crescere in humilitatis bono debuerunt. Propterea ergo necesse est, fratres charissimi, ut in vobis hoc semper debeatis aspicere quod minus habetis; in proximis vero quod vobis amplius acceperunt, quatenus dum super vosmetipsos eos pro bono quod ipsi habent et vos non habetis aspicitis, ad hoc quoque obtinendum etiam vos ex humilitate crescatis. Si enim et vos in illis accepta bona perpenditis, et illi in vobis considerant dona quæ habetis, vicissim vos alis tangitis, ut excitatis semper ad cœlestia voletis : *Gratia autem Dei sum id quod sum.* (Ambr.) Deo dat gloriam, qui eum elegit, et dignitatem suam non sibi defendit, sed indignum se dicit; unde vere plus meretur, sciens dixisse Dominum : *Qui se exaltat humiliabitur* (*Luc.* XIV).

Et gratia ejus in me vacua non fuit. Hoc dicit, quia non propter quod persecutus est, minorem gratiam in apostolatu accepit. *Sed abundantius illis omnibus laboravi.* Addit causam, quia non solum minoratus non est, sed et amplius propter constantiam, qua vigebat in Christo afflictus est, quod non ægrè ferens dignior factus est. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Ne se extulisse jactanter putaretur, statim se humiliat, cum hoc ipsum non magis sibi, sed Dei gratiæ ascribit, ut semper omnem gloriam reportet ad Deum, unde jure exaltandus est. (*Aug.*) Non quia ipse nihil boni agebat, sed quia nihil ageret, si ille non adjuvaret. (*Cass.*) Nam cum dicit, *laboravi*, conatum proprii significat arbitrii; cum autem dicit, *non ego, sed gratia Dei*, virtutem divinæ protectionis ostendit; cum dicit, *mecum*, non otioso neque securo, sed laboranti ac desudanti eam cooperatam fuisse declarat; quod etiam in Job probatissimo athleta suo, cum eum diabolus expetisset ad singulare certamen divinam legimus providisse justitiam. Si enim contra inimicum non sua virtute, sed Dei solius fuisset gratia protegente congressus, et absque ulla virtute patientiæ suæ, divina tantum opitulatione suffultus, multiplices illas ac tota inimici crudelitate quæsitas tentationum moles et exitia pertulisset, quomodo non illam calumniosam diabolus quam prius emiserat vocem adversus eum justius iterasset : *Nunquid gratis Job colit Deum, nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, et universam substantiam ejus per circuitum, sed aufer manum tuam*, id est, sine eum suis mecum viribus decertare, *nisi in faciem tuam benedixerit tibi?* (*Job.* I.) Sed cum nullam hujuscemodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum audeat iterare, non Dei, sed illius se victum viribus confitetur. (*Greg.*) Superna ergo pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequenter quoque nostro libero arbitrio bonum, quod jam appetimus, agat nobiscum, quod tamen per impensam gratiam in extremo judicio, ita remuneret in nobis, ac si solis processisset ex nobis. Quia enim divina nos bonitas, ut innocentes faciat prævenit, Paulus ait : *Gratia autem Dei sum id quod sum.* Et quia eamdem gratiam nostrum liberum arbitrium sequitur, adjungit, *et gratia ejus in me evacuata non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi.* Qui dum se de se nihil esse conspiceret, ait : *Non autem ego;* et tamen quia se esse aliquid cum gratia invenit, adjunxit, *sed gratia Dei mecum.* Non enim diceret *mecum*, si cum præveniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet. Ut ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait, *non ego*, ut vero secum gratiam operatam esse per liberum arbitrium demonstraret, adjungit, *sed gratia Dei mecum.*

Digitized by Google

Sive enim ego, sive illi sic prædicamus et sic credidistis. (Ambr.) Hoc est quod supra significavit, quia non inferiorem gratiam in prædicatione accepit, quam cæteri apostoli, sed unam atque eamdem : unde magis arguit perfidiam Corinthiorum, quia cum manifestata esset credulitas hæc apud omnes Ecclesias, hi ab hac fide et spe desciverant, quam subjecit dicens : *Si autem Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo dicunt quidam in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit : si autem Christus non resurrexit, inanis est fides vestra, inanis est et prædicatio nostra.* Hæc a falsis apostolis erant tradita, qui Christum neque natum, neque in carne passum, neque resurrexisse asserebant, quos et Joannes apostolus denotat, quod Christum in carne venisse negabant; unde dicit : *Qui negat Christum in carne venisse, hic est Antichristus; et qui negat Filium, nec Patrem habet* (*I Joan.* II). Isti ambulabant et quorumdam fidem ne imprudentes a mundi sapientibus judicarentur subvertebant, quia prudentes sæculi stultum judicant, cum audiunt resurrectionem mortuorum. Quod si, inquit, verum est, quia Christus non resurrexit, falsi sumus prædicatores, et fides vestra inanis erit. Hoc enim crediderunt Apostolo prædicante, quia mortui resurgent, et hac spe attracti sunt ad fidem. Quod utique ad detrimentum illorum proficere asserit, si crediderunt quod futurum non est; et pudoris est, ut aliquis profiteatur hoc se credidisse, quod falsum est. Et verecundiam ergo illis incutit, et labores illorum dicit infructuosos, si quod a falsis apostolis audierunt, verum est, quia mortui non resurgent, quod nemo utique de se patitur audire, ut videntes hoc contra se esse reverterentur ad primam fidem. *Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversum Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit.* Qui asserit quod Christum Deus a mortuis suscitavit, falsus est testis, si non est factum; virtutem tamen Dei prædicat, non utique ut inimicus, qui tam admirabile factum virtuti ejus ascribit. Quod si verum est, quia excitavit Christum a mortuis, quid huic dicendum est, qui et testis contra Deum falsus est, et opus ejus stultitiam asserit? *Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris, ergo qui dormierunt in Christo, perierunt.* Terret illos, ut, quia nemo sibi male vult, doleat illis, hoc cœpisse credere, quod contra ipsos est : quis enim peccata sibi remissa nolit audire? Et qui dormierunt in Christo, perierunt. Addit ad terrorem, quia charorum suorum excessum nolunt æstimare perditionem : qui enim sub hac spe de sæculo exierunt, sive occidi non timuerunt, quia resurgere exemplo Christi crediderunt, et non est verum, perierunt. Hoc illis dicit, quod amore suorum defunctorum nolunt audire, ut illis amputet quod prius per errorem volebant audire. (*Aug.*) Sunt etiam veræ connexiones ratiocinationis, falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius, cum quo agitur, quæ tamen ad hoc inferuntur a bono et docto homine, ut in his erubescens ille, cujus errorem consequuntur, eumdem relinquat errorem, quia si in eodem manere voluerit, necesse est, ut etiam illa quæ damnat tenere cogatur : non enim vera inferebat Apostolus cum diceret : *Neque Christus resurrexit*, et illa alia, *inanis est prædicatio nostra, inanis et fides vestra*, et deinceps alia, quæ omnino falsa sunt, quia et Christus resurrexit, et non erat inanis prædicatio eorum, qui hoc annuntiabant, nec fides eorum, qui hoc crediderant, sed ista falsa verissime connectebantur illi sententiæ qua dicebatur non esse resurrectionem mortuorum; ipsis autem falsis repudiatis, quoniam vera erant, consequens erit resurrectio mortuorum. Cum ergo sint veræ connexiones non solùm verarum, sed etiam falsarum sententiarum, facile est veritatem connexionum etiam in scholis discere, quæ præter Ecclesiam sunt : sententiarum autem veritas in sanctis libris, et in Ecclesiasticis investiganda est; ipsa tamen veritas connexionum non instituta, sed animadversa est ab hominibus et notata, ut eam possint vel discere, vel docere, nam est in rerum ratione perpetua, et divinitus instituta. Sicut enim qui narrat ordinem temporum, non eum ipse componit : et locorum situs, aut naturas animalium vel serpentium, vel lapidum qui ostendit, non res ostendit ab hominibus institutas : et ille qui demonstrat sidera eorumque motus, non a se vel ab homine aliquo rem institutam demonstrat; sic etiam qui dicit, Cum falsum est quod consequitur, necesse est, ut falsum sit quod præcedit, verissime dicit, neque ipse facit ut ita sit, sed tantum ita esse demonstrat. Ex hac regula illud est, quod de Apostolo commemoravimus, præcedit enim non esse resurrectionem mortuorum, quod dicebant illi, quorum errorem destruere volebat Apostolus. Porro illam sententiam præcedentem, qua dicebant non esse resurrectionem mortuorum necessario sequitur, neque Christus resurrexit, hoc autem quod sequitur, falsum est, Christus enim resurrexit; falsum est ergo, quod præcedit, præcedit autem, non esse resurrectionem mortuorum. Est igitur resurrectio mortuorum, quod totum breviter ita dicitur : Si non est resurrectio mortuorum, neque Christus resurrexit. Christus autem resurrexit : est igitur resurrectio mortuorum. Hoc ergo quod consequenti ablato, auferatur etiam necessario quod præcedit, non instituerunt homines, sed ostenderunt, et hæc regula pertinet ad veritatem connexionum, non ad veritatem sententiarum. Sed in hoc loco de resurrectione cum ageretur, et regula connexionis vera est, et ipsa in conclusione sententia.

Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. (Ambr.) Manifestum est, quia in hac vita præsenti, et in futura speramus in Christo; nec enim hic deserit servos suos Christus, sed dat illis gratiam, et in futuro erunt in gloria æterna : sin autem futuræ vitæ spes

Digitized by Google

non esset, omnibus hominibus, quod dixit miserabiliores essemus; ut quid enim jejunia, vigiliæ, exitus, munda vita, justitia, misericordia, mors, si pro his nulla merces erit in futuro? Increduli autem vel hac vita fruuntur. (*Cass.*) Hæc quæstio ipsorum solet animos permovere, qui parum fidei, vel scientiæ possidentes, merita sanctorum vel præmia quæ non in præsenti redduntur, sed reposita sunt in futurum, arbitrantur in hujus temporalis vitæ brevitate restitui. Cæterum, nos, qui non sumus in hac vita tantum sperantes in Christo, ne secundum Apostolum miserabiliores simus omnibus hominibus, quia scilicet in hoc mundo nihil promissionum recipientes, etiam in futuro eas pro hac incredulitate perdamus, opinionibus eorum non debemus errare, ne ignorata veræ definitionis sententia, titubantes ac trepidi tentationibus moveamur, cum eisdem quoque nos traditos viderimus, vel inconstantiam scilicet, vel incuriam humanarum rerum Deo, quod dictu quoque nefas est, ascribentes : quia sanctos vivos recteque viventes in tentatione non protegat, nec bonis ea, quæ bona sunt, nec malis mala retribuat in præsenti, et cum illis damnari mereamur, quos Sophonias propheta castigans : *qui dicunt*, inquit, *in cordibus suis, Non faciet Dominus bene, sed neque faciet male* (*Soph.* I); vel certe cum illis inveniamur, qui hujusmodi querimoniis Deum blasphemasse dicuntur, Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent; aut certe ubi est Deus justitiæ? illam quoque blasphemiam quæ in subsequentibus describitur, similiter adjungentes : *Vanus est qui servit Deo, aut quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus? et quia ambulavimus tristes coram Domino?* (*Mal.* III.) Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, si quidem ditati sunt facientes impietatem, et tentaverunt (*sic*), et salvi facti sunt. Quamobrem, ut hanc ignorationem, quæ pravissimi hujus erroris radix et causa est, possimus evadere, primum nosse debemus, quid vere sit bonum, quid malum, et ita demum super his non falsam vulgi, sed veram Scripturarum definitionem tenentes minime infidelium hominum decipiemur errore. Tria sunt omnia quæ in hoc mundo sunt, id est, bonum, malum, medium. Debemus itaque nosse quid proprie bonum, quid malum, quidve sit medium, ut nostra fides, vera scientia communita, in cunctis tentationibus inconcussa perduret. Nihil igitur in rebus duntaxat humanis principale bonum esse credendum est, nisi virtus animi solaque fides sincera nos ad divina perducens, illi immutabili bono facit jugiter inhærere; et econtrario nihil malum esse dicendum est, nisi peccatum solum, quod a bono Deo nos separans malo diabolo facit copulari. Media sunt quæ inter utramque partem pro affectu et arbitrio utentis depravari possunt, ut puta, divitiæ, potestas, honor, robur corporis, sanitas, pulchritudo, vita ipsa, vel mors, paupertas, infirmitas carnis, injuriæ, et cætera his similia, quæ pro qualitate et affectu utentis, vel ad bonam possunt partem proficere, vel ad malam. Nam et divitiæ proficiunt frequenter ad bonum secundum Apostolum (*I Tim.* VI), qui divitibus hujus mundi præcepit, ut facile tribuant, communicent indigentibus, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut per has apprehendant veram vitam : et secundum Evangelium (*Luc.* XVI) bonæ sunt illis qui faciunt sibi amicos de iniquo mammona. Quæ rursum retorquentur ad malum, cum ad recondendum tantummodo, vel ad luxuriam congeruntur, et non ad usus indigentium dispensantur. Potestas quoque et honor, corporisque robur ac sanitas, quam sint media et utrobique convenientia, etiam ex hoc facile comprobatur, quod multi sanctorum in Veteri Testamento positi, his omnibus et in summis divitiis et culmine dignitatum, et fortitudine corporis constituti, Deo quoque acceptissimi fuisse noscuntur; e diverso qui his male abusi sunt, et ea ad ministerium suæ nequitiæ detorserunt, non immerito vel puniti sunt, vel exstincti, quod frequenter Regnorum liber indicat factum. De ipsa etiam morte ac vita, quia mediæ sunt, vel sancti Joannis, vel Judæ nativitas protestatur : unius namque in tantum sibimet vita profuit, ut aliis quoque gaudium ortus ejus contulisse dicatur, secundum illud : *Et multi super nativitate ejus gaudebunt* (*Luc.* I). De alterius vero dicitur vita : *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille* (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV). De morte etiam Joannis, omniumque sanctorum dicitur : *Pretiosa in conspectu Domini, mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV). De Judæ autem ac similium, *mors peccatorum pessima* (*Psal.* XXXIII). Infirmitas etiam carnis interdum quam sit commoda, Lazari ipsius pauperis ulcerosi beatitudo demonstrat, cujus cum nulla alia virtutum merita Scriptura commemoret (*Luc.* X), pro hoc solo quod egestatem et infirmitatem corporis patientissime toleravit, sinum Abrahæ possidere beatissima sorte promeruit. Egestas quoque ac persecutiones et injuriæ, quæ mala esse totius vulgi opinione censentur, quam sint utiles ac necessariæ etiam ex hoc liquido comprobatur, quod sancti viri non solum eas nunquam vitare voluerunt, verumetiam virtute summa vel appetentes, vel fortiter tolerantes amici Dei effecti, æternæ vitæ stipendia sunt consecuti, beato Apostolo concinente : *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus* (*II Cor.* XII), in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo *Cum enim infirmor, tunc potens sum*, quia *virtus in infirmitate perficitur;* et idcirco illi, qui summis sæculi hujus divitiis, et honoribus, ac potestatibus extolluntur, non ex his principale bonum obtinuisse credendi sunt, quod in solis esse virtutibus definitur, sed medium quiddam : quia sicut justis ac ad necessaria utentibus utilia hæc esse reperiuntur, et commoda, occasionem namque operis boni fructusque in illius vitæ parturiunt æternitate, ita illis qui male opibus abutuntur inutiles sunt atque incommodæ, et occasionem peccati mortisque concinnant. *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* (Ambr.) Hoc

Digitized by Google

dicens tangit pseudoprophetas, qui Christum natum negabant, ac per hoc non resurrexisse carnem, quia qui natus non est, nec moritur. Sic autem probat Christum resurrexisse a mortuis, quia homo fuit, ut dubium non sit hominem a Deo a mortuis excitatum, ut quia peccato hominis mors inventa est, Christi justitia resurrectionem meruerit mortuorum.

Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Hoc dicit, quia sicut Adam peccans mortem invenit, et omnes ex ejus origine tenuit ut dissolvantur, ita et Christus non peccans et per hoc vincens mortem, quia qui non peccat, vincit mortem, quia mors ex peccato, omnibus qui sunt ex ejus corpore acquisivit vitam, id est resurrectionem. Quamvis ergo generalem tribuerit resurrectionem, ut sicut in Adam omnes, sive justi sive injusti, moriuntur, ita et in Christo tam omnes credentes, quam diffidentes resurgant, licet ad pœnam increduli; tamen vivificari videntur, quia corpora sua recipient, jam non morituri, sed passuri pœnam in eis sine fine, quod credere noluerunt. (*Aug.*) *Sicut in Adam*, inquit, *omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Quia sicut in regno mortis nemo sine Adam, ita in regno vitæ nemo sine Christo; sicut per Adam homines, ita per Christum omnes justi homines; sicut per Adam omnes mortales in pœna facti sunt filii sæculi, ita et per Christum omnes immortales fiunt in gratia Filii Dei. *Unusquisque autem in suo ordine.* (Ambr.) Nunc ordines resurrectionis vult exponere, ne ideo putarent fabulosum esse, quia factum adhuc non est in cæteris, ordines illis exponit, et tempora, quando factum sit, et quando futurum est, ut resurgant mortui. *Primitiæ Christus.* Sicut et in Actibus apostolorum testatur scriptum esse in Moyse Si passibilis Christus, si prior surgens ex mortuis, et cætera. Prior ergo resurrexit, ut forma fieret credentibus sibi. *Deinde hi qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt.* Hoc duplici modo intelligendum, quia et in adventu ejus secundo sancti resurgent juxta fidem Apocalypsis Joannis, sicut et in primo adventu cum surrexit, multa corpora sanctorum resurrexerunt ad protestationem evictæ mortis ac spoliatæ. Sub una ergo significatione duplicem adventum Domini comprehendit.

Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et dominationem. ¶Cass.) Idcirco dici principatus, vel potestates, evidenti possumus ratione colligere, quod scilicet vel diversis gentibus dominentur, ac præsint, vel certe quod in inferiores spiritus, atque dæmonia, de quibus etiam Evangelicæ legiones esse propria ipsorum confessione testantur, suos exerceant principatus; non enim Dominationes dici possunt, nisi habeant, in quos ditionem suæ dominationis exerceant; nec potestates ac Principatus vocari queunt, nisi fuerint super quos sibi vindicent principatus, quod etiam in Evangelio designari a blasphemantibus Pharisæis manifestissime reperimus: *In Beelzebub principe dæmoniorum hic ejecit dæmones* (*Luc.* xi). Nam rectores tenebrarum legimus appellari, et alium mundi hujus principem nuncupari, quos tamen gradus beatus Apostolus in futurum cum omnia fuerint Christo subjecta asserit evacuandos: *Cum tradiderit*, inquiens, *regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem et dominationem.* Quod utique non aliter fit, nisi fuerint de ipsorum ditione sublati, supra quos in hoc sæculo potestates, seu dominationes, vel principatus administrare noscuntur.

Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors; omnia enim subjecit sub pedibus ejus. (Ambr.) Hoc dicit, quia tradito regno finis erit mundi, impleta resurrectione, quod quidam territi asperitate sermonis, dum quasi pie volunt sentire, a proprietate sensus declinant; horrent enim sonum verbi audientes: « cum tradiderit regnum Deo et Patri, » putantes traditionem hanc regni, si juxta sonum verbi intelligatur, vacuam remanere, ut si tradit, jam ipse non habeat, quasi Pater tradens omnia Filio evacuaverit se. Nam ipse Dominus ait: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Luc.* x). Et post ea: *Hæc est autem*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum et verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* xvii). Ecce regnante Filio regnat et Pater. Quomodo autem tradens regnum Filius evacuare se crederetur, cum dicat angelus ad Mariam: *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis* (*Luc.* i). Et Daniel de eodem regno dicit inter cætera: *Deus cœli excitavit aliud regnum quod nunquam corrumpetur, et hoc regnum erit æternum* (*Dan.* ii). Nemo ergo dubitet Filium semper regnaturum cum Patre. Traditio autem hæc est regni, ut cum omnia Filio fuerint subjecta et adoraverint illum ut Deum; destructa morte, tunc Filius ostendet illis non se esse ex quo sunt omnia, sed per quem sunt omnia, et hoc erit tradere regnum Deo et Patri, ostendere ipsum esse ex quo omnis Paternitas in cœlis et in terra nominatur, et tunc erit finis. Destructio quidem mortis, est resurrectio mortuorum. (*Aug.*) Deinde finis cum tradiderit regnum Deo et Patri. Tradet itaque regnum Deo et Patri Dominus noster Jesus Christus, non se inde separato, nec Patre, nec Spiritu sancto, quoniam perducet credentes ad contemplationem Dei, ubi est finis omnium bonarum actionum, et requies sempiterna et gaudium, quod non auferetur a nobis. Hoc enim significat Dominus in eo quod ait: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (*Joan.* xvi). Fideles quippe ejus quos redemit sanguine suo dicti sunt regnum ejus. *Cum evacuaverit*, inquit, *omnem principatum, et omnem potestatem et virtutem.* Id est, ut necessario non sit dispensatio similitudinum per angelicos principatus, et potestates, et virtutes, ex quarum persona non inconvenienter intel-

Digitized by Google

ligitur dici in Cantico canticorum ad sponsam : *Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoadusque rex in recubitu suo est* (*Cant.* I), id est, quoadusque Christus in secreto suo est, quia *vita nostra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus*, inquit, *apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria* (*Coloss.* III). Nec sic arbitremur Christum traditurum regnum Deo et Patri, ut adimat sibi ; nam et hoc quidam vaniloqui crediderunt. Cum enim dicitur tradere regnum Deo et Patri, non separatur ipse, quia simul cum Patre unus Deus est. Sed divinarum Scripturarum incuriosos et contentionum studiosos fallit verbum, quod positum est, *donec*, ita namque sequitur, *oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*, tanquam cum posuerit non sit regnaturus ; nec intelligunt, ita dictum sicut est illud : *Confirmatum est cor ejus, non commovebitur, donec videat super inimicos suos* (*Psal.* CXI) ; non enim cum viderit jam commovebitur

Cum autem dicat : Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subjecit ei omnia : cum autem subjecta illi fuerint omnia, tunc ipse Filius subjectus erit illi, qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. (Ambr.) Idem sensus est, quem nunc aperit ut manifestet quid sit tradere filium regnum Deo et Patri, hoc tamen addit ad sensum, quia tradens Pater filio regnum non se subjecerit ei, sicut filius Patri se subjecit, incongruum est enim, ut Pater subjiciatur filio. Omnia ergo subjecit Pater filio, ut similiter honorificetur filius, sicut honorificatur et Pater. Cum ergo omnia confessa fuerint Christum Deum, substrata pedibus ejus, tunc et ipse Christus Dominus subjicietur Deo Patri, ut sit Deus omnia in omnibus. Hoc dicit quia cum omnium Principum et Potestatum, et Dominationum fuerit pressa superbia, et adoraverint Christum quasi Deum, tunc et Christus propter unicam auctoritatem Patris Deum quidem se ostendet sed de Deo, ut unius principii sublimis et ineffabilis auctoritas maneat : hoc est, subjicere se Filium Patri. (*Aug.*) Cum autem dixerit, quia omnia subjecta sunt ei, manifestum est quod præter eum, qui subjecit sibi omnia. Ita ergo quilibet existimet de Patre intelligendum quod subjecerit omnia filio, ut ipsum filium sibi omnia subjecisse non putet : inseparabilis enim est operatio Patris et filii, alioquin nec ipse Pater subjecit sibi omnia, sed filius ei subjecit, qui ei regnum tradit, et evacuat omnem principatum, et omnem potestatem et virtutem. De filio quippe ista dicta sunt, *cum tradiderit*, inquit, *regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et omnem potestatem et virtutem ;* ipse enim subjecit qui evacuat. Illud autem quod ait : *Cum autem ei omnia subjecta fuerint, tunc et ipse subjectus erit ei qui illi subjecit omnia*, ideo dictum est, ne quisquam putaret habitum Christi qui ex humana creatura susceptus est, conversum postea in ipsam divinitatem, velut certius expresserit deitatem quæ non est creatura, sed est unitas Trinitatis incorporea, et incommutabilis, et sibimet consubstantialis, et coæterna natura. (*Ambr.*) Hoc est Deum esse omnia in omnibus, quia cum discit omnis creatura caput suum esse Christum, Christi autem caput Deum Patrem, omnia in omnibus est Deus Pater. Hoc est, ut creatura omnis unum sentiat, et una voce omnis lingua cœlestium et terrestrium et infernorum confiteatur unum esse Deum, ex quo sunt omnia. Si autem dixisset, ut sit Deus in omnibus, intelligeretur quidem in omnibus esse, sed per affectum aut communem sensum, non tamen ea ipsa ex ipso esse. Sed cum dixit, *omnia in omnibus*, hoc significavit, quia et ex ipso sunt, et ipsis est : ex ipso, quia ab ipso creata sunt : in ipsis autem, quia in omnium confessione unus est Deus. Non tamen sic subjicitur filius Patri sicut filio creatura. *Ut sit Deus*, inquit, *omnia in omnibus.* (Aug.) Quid est enim aliud quod per prophetam dixit : *Ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi plebs?* (*Jer.* XI.) nisi ego ero unde satientur, ego ero quæcunque ab hominibus honeste desiderantur, et vita, et salus, et victus, et copia, et gloria, et honor, et pax, et omnia bona ; sic enim et illud recte intelligitur quod ait Apostolus, *ut sit Deus omnia in omnibus.* Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profecto erit omnibus sicut ipsa vita omnis æterna. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgent.* (Ambr.) In tantum ratam et stabilem vult ostendere resurrectionem mortuorum, ut exemplum det eorum qui tam securi erant de futura resurrectione, ut etiam pro mortuis baptizarentur, si quem forte mors prævenisset, timentes, ne aut male, aut non resurgeret, qui baptizatus non fuerat, vivus nomine mortui tingebatur ; unde subjecit : *Quid et baptizantur pro illis?* Exemplo hoc non factum illorum probat, sed fixam fidem in resurrectione ostendit. *Quid et nos periclitamur omni hora? quotidie morior pro gloria vestra, quam habeo in Domino.* Dicendo quid et nos periclitamur? discrevit personas, ostendens non Catholicos esse, qui pro mortuis baptizabantur. Denique supra dixit : *Quid et baptizantur pro illis?* Nunquid et baptizamur pro illis? nam et Jephte, quamvis in re quæ accepta fieri non posset fidelis inventus est, offerens filiam suam, secundum votum suum quod stulte voverat (*Judic.* XI). Non ergo factum probatur, sed perseverantia fidei in exemplum profertur. Prædicantium pericula et labores memorat dicens :

Quid et nos periclitamur? et subauditur, nisi quia speramus futuram resurrectionem, sicut supra memorat. Securi enim, quia post istam mortem vera vita sequetur, pericula non timent illata ab infidelibus propter zelum illorum, quos quia crediderunt perdidisse, dolent. Sollicitudinem ergo suam ostendit quam habebat erga salutem illorum, propter gloriam promissam a Domino, sicut et in lege dictum est : « Exalta sicut tuba vocem tuam, si te audierint lucraveris

Digitized by Google

animas illorum. » Ad hoc festinabat Apostolus semper sollicitus, ut gloria illi cresceret apud Deum acquisitæ salutis multorum. (Aug.) *Quotidie*, inquit, *morior per vestram gloriam, fratres.* Hoc ne quis existimet ita dictum, tanquam si diceretur, vestra gloria me fecit quotidie mori, sicut dicitur, per illius magisterium doctus factus est, id est, illius magisterio factum est, ut perfecte doceretur, Græca exemplaria dijudicant, in quibus scriptum est, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, quod non nisi a jurante dicitur. Ita ergo intelligitur præcepisse ne juretur, ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, et assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem dilabatur. Itaque Dominus docet nihil esse tam vile in creaturis Dei, ut per hoc quisque pejerandum arbitretur. Quando a summis usque ad infima divina providentia creata regantur, incipiens a throno Dei usque ad capillum album et nigrum; et hinc etiam cætera intelliguntur, quæ omnia utique dici non poterant, sicut illud, quod commemoravimus dictum ab Apostolo: *Quotidie morior per vestram gloriam*, quam jurationem, ut Domino se debere ostenderet addidit; *quam habeo in Christo Jesu Domino nostro.*

Si secundum hominem, ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest si mortui non resurgent? (Ambr.) Hoc est, si secundum humanum sensum (qui videns hoc in rerum naturam non cadere, ut caro jam soluta reformetur ad vitam, minime credit futuram resurrectionem mortuorum), bestiis offerri non timui, nihil profeci. Sed non hoc est, quia certus de promissa vita, non solum non timuit, sed et libenter bestiis offerri se passus est, sicut inter cætera ait in Actibus apostolorum: *Ego enim non solum ligari, sed et mori paratus sum in Hierosolyma pro nomine Domini nostri Jesu Christi* (*Act.* XXI).

Manducemus et bibamus, cras enim moriemur. Hoc ab Isaia propheta dictum est (*Isa.* XXII), propter hos qui quasi nihil futurum esset post mortem, ventri tantum studebant quomodo pecora, sicut et hi qui Corinthios depravabant. *Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Significat confabulatione malorum hominum everti posse bonum propositum, assiduitas enim pravi colloquii vitiat mentem, ac per hoc ab ipsis cavendum. Quicunque enim acceptam fidem custodire vult, maxime inter ipsa initia perstrepentes debet vitare, ut impleat quod utile judicavit. *Sobrii estote, vigilate justi, et nolite peccare.* Vigilandum monet ne circumventione pravi sensus capti, et a fide abducti depravarentur mortuorum resurrectionem non credendo. Justos esse præcepit, ut non solum terrenam justitiam excolant, sed et cœlestem, quia terrena justitia meritum non facit, sicut et non facit reum. Quid enim magnum est aliena non tollere, quippe cum hoc timoris sit? magnum autem est de proprio non habenti largiri, hæc est vera justitia. Et ut non peccent, subjecit, unde intelligi voluit non se justitiam temporalem servandam mandasse, sed divinam, quia qui cœlestem justitiam servat sine dubio in hac præsenti perfectus est. *Ignorantiam enim Dei quidam habent: ad reverentiam vobis loquor.* Propositum Dei ignorantes hi, qui inter eos convertebantur, mortuos resurrecturos stultum esse dicebant credere. Ideo pudorem illis incutit quasi imprudentibus, credebant enim eis, qui ignorantiam Dei habentes contra Dei statuta docebant. *Sed dicit aliquis: Quomodo resurgunt mortui, quali autem corpore veniunt?* Hos dixit ignorantiam Dei habere quorum depravatæ sententiæ verba protulit dicens: Quemadmodum resurgent mortui, quo autem corpore venient? cui congrue respondit, dicens: *Insipiens, tu quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur.* Cum animali homine non utique legis auctoritate agit, ut exemplis suadeat, quæ si reciperet non erraret: sed physica ratione, de qua sibi blanditur, ut non credat resurgere resoluta et emortua corpora. Ostendit enim mortua rursum reparari ad vitam, et multiplicata, ut confundatur error humanus. *Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, ut puta tritici aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illis corpus prout vult, et unicuique seminum proprium corpus.* (Greg.) Paulus apostolus dicens: Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, hoc insinuat quod videmus, quia granum cum culmo et foliis nascitur, quod sine culmo et foliis seminatur. Ille itaque in augmento gloriæ resurrectionis, non dixit, grano seminis deesse quod erat, sed illi esse quod non erat. (*Ambr.*) Si ergo nudum granum seminatur, et Dei nutu quodammodo elementorum ministerio vestitum resurgit, multa secum habens incrementa utilitatis humanæ, cur ergo non credibile Dei virtute sit mortuum posse resurgere, meliorata tantum substantia, non numero multiplicatum? Quid ergo requiritur ab infideli quo corpore resurgant mortui, cum exempla prædicant ad fidem, hanc melioratæ resurrectionis, non amissæ substantiæ, qua proprium corpus recipiet, in quo creatus Adam est? (*Aug.*) Secundum hoc ergo dixerat *non corpus quod futurum est seminas*, neque enim non triticum erit ex tritico, sed quia nemo seminat herbam, vel stipulam, et multiplicia in palea tegumenta granorum, cum quibus tamen semina exsurgunt, ideo ait, *sed nudum granum*, hinc volens ostendere: quia si Deus potest addere quod non erat in nudo semine, multo magis potest reparare quod erat in hominis corpore. Jam vero quod adjungit ad differentiam pertinet resurgentium propter diversas glorias fidelium atque sanctorum.

Non omnis caro eadem caro. Alia quidem hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia piscium, et corpora cœlestia, et corpora terrestria. Sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum: stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum. In his omnibus iste sensus est, si genera carnis, cum sint cuncta mortalia, differunt tamen inter se pro diversitatibus animantium, et si

Digitized by Google

corpora cum sint omnia visibilia, differunt tamen inter se pro diversitatibus locorum, unde alia est cœlestium gloria, alia terrestrium, et si in locis sublimibus cum sint cuncta cœlestia, differunt etiam ipsa claritatibus luminum, non mirum est quod in resurrectione mortuorum, distabit gloria meritorum. (*Ambr.*) Cum ex eadem massa omnis caro sit : unde et quomodo in his tanta diversitas est, ut una impensa faceret genera diversa? Dicant nunc sophistæ mundi et scrutatores siderum, si valent comprehendere, quæ extra se sunt, cum quid intra se sit nesciant? Denique omnes mundani philosophi, qui mentem suam legi Dei humiliare, ut fidem ejus susciperent, noluerunt, diversa semper et contraria asserentes, inanissimis disputationibus invicem se confoderunt, quia in nullo horum testificatæ veritatis signum agnitum est, quod antepositum verbis commendaret doctrinam, sicut et Deus decrevit disciplinæ nostræ, quæ non verbis probatur, sed virtute, cui non possunt verba resistere. Quemadmodum ergo ex una impensa diversa animantium caro est, ita et unius carnis hominis diversæ erunt dignitates in resurrectione, ut talis unusquisque appareat, qualis fuerit meriti, quippe cum etiam hic diversitatem corporum videamus. Et corpora, inquit, cœlestia et terrestria. Sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Cœlestia corpora sunt resurgentium, terrestria autem antequam moriantur, aut surgant, ut quia Christus cœlestis est, ex eo corpora cœlestia dicantur; ex Adam vero, quia terrestris est, terrestria corpora. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, stella enim a stella differt in claritate.* Unius naturæ comparatione utitur ad indiscretæ substantiæ reddendam rationem : quia sicut sol et luna et stellæ cum sint unius quidem naturæ, diversæ tamen claritatis sunt; ita et homines cum sint unius generis, merito tamen dissimiles erunt in gloria, ut claritati solis illorum dignitas exæquetur, qui centesimum numerum habent, qui ut perfecti essent primi gradus æmuli fuerunt, de quibus dictum est : *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui* (*Matth.* XIII). Lunari autem claritati hi comparandi sunt, qui sexagesimum numerum bonis operibus mercati sunt, ut secundi gradus meritum haberent. Stellis autem clarioribus eorum merita comparanda sunt, qui trigesimum numerum, tertii gradus dignitatem justis laboribus quæsierunt. Sequentibus vero stellis, quæ inter claras et obscuriores mediæ sunt, peccatores homines coaptandi sunt, qui de tribus nullius gradus honorem adipisci voluerunt. Tetricis autem stellis et omnium novissimis, perfidorum resurrectio similis est, quia errorem secuti, stellis in errorem ducentibus comparandi sunt; sicut dicit in Epistola sua Judas apostolus. Infidelitas enim non potest claram resurrectionem habere, quia sicut carbo cinere suo coopertus obcæcatur, ita et hi perfidia sua erroris tenebris circumdati luce carebunt. Ita erit et resurrectio mortuorum. Exempla dat, ut non sit dubium resurrectionem futuram mortuorum, ut accepta ratione nemo ambigat.

Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione. Seminare est sepelire, ut corrumpatur : resurgere autem in incorruptela jam exsuscitatum non posse corrumpi, sed habere claritatem immortalitatis. *Seminatur in ignominia, resurgit in gloria.* In ignominia seminatur, quia dum in tetrico punitur, fit fetidum, et scatet vermibus : surget autem in gloria quia exsuscitatum et lumen erit et nullam squaloris injuriam patietur. *Seminatur in infirmitate, surgit in virtute.* In infirmitate seminatur, quia immobile est et irregibile : surgit autem in virtute, quia jam totum vivum erit ac vegetum. *Seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale* (*Cass.*) Licet enim pronuntiemus nonnullas esse spiritales naturas, ut sunt Angeli, Archangeli, cæteræque virtutes, ipsa quoque anima nostra, vel certe aer iste subtilis, tamen incorporeæ nullatenus æstimandæ sunt, habent enim secundum se corpus, quo subsistunt. Licet multo tenuius quam nostra sunt corpora secundum Apostoli sententiam ita dicentis, *et corpora cœlestia, et corpora terrestria;* et iterum, *seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale;* quibus manifeste colligitur nihil esse incorporeum, nisi Deum solum, et idcirco ipsi tantummodo posse penetrabiles omnes spiritalesque atque intellectuales esse substantias, eo quod solus, et totus, et ubique et in omnibus sit, ita ut et cogitationes hominum, et internos motus, adita mentis universa inspiciat, atque perlustret. De ipso siquidem solo pronuntiavit beatus Apostolus, dicens (*Hebr.* IV) : *Vivus enim est sermo Dei et efficax, et acutior super omnem gladium ancipitem, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretura cogitationum, et intentionum cordis, et non est creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus;* et beatus David (*Psal.* XXXII) : *qui fingit,* inquit, *singillatim corda eorum;* et iterum : *Ipse enim novit occulta cordis* (*Psal.* XLIII.) [Ambr.] Animale corpus est, dum cibis sustentatur, ut vivat : spiritale autem cum horum nihil indigebit conversum in vitam. Omnia supradicta hoc sensu clauduntur, non enim corpus animale semper hic habere potest Spiritum sanctum; tunc vero, id est in resurrectione, semper manebit in sanctis : surget corpus spiritale quod possit ire obviam Christo. *Sicut scriptum est : Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Notandum est, quod cum duos Adam dicit, ejusdem naturæ utrosque demonstrat, quod contra Manichæos, et Apollinaristas facit, qui negant Dei Verbo perfectum hominem esse susceptum.

Et non prius, quod spiritale est, sed quod animale est, deinde, quod spiritale, primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis, qualis terrenus tales terreni. Cœlestis dicitur, quia non humanæ fragilitatis ritu, sed divinæ majestatis nutu, et con-

Digitized by Google

ceptus est, et enixus. Nam usque adeo naturam nostram habuit, ut secundus Adam dicatur, et homo.

Et qualis cœlestis tales et cœlestes. Si ideo, ut hæretici volunt, nostri generis assumptus homo non fuit, qui cœlestis dicitur, ergo nec isti naturæ nostræ sunt qui cœlestes appellantur : si vero de his nemo dubitat, nec de illo est ambigendum. (*Aug.*) In his ergo verbis Apostoli quibus ait : *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptionem*, et reliqua, nunquid fas est putare melius corpora nostra resurrectura, quam Christi, cum de illo sit propositum exemplum, quod fideliter intendere, et per ejus gratiam sperare debeamus, ac per hoc nullo modo potuit corpus Christi cum corruptione resurgere, si nostrum in incorruptione resurrecturum promittitur. Constat itaque nec dubitandum est, corpus Christi, quod licet corruptionem putredinis in sepulcro non viderit, unde scriptum est, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, clavis tamen et lancea perrumpi potuit, nunc omnino in incorruptione consistere ; et quod in contumelia passionis, mortisque seminatum est, nunc esse in gloria vitæ æternæ ; et quod infirmitate potuit crucifigi, nunc in virtute regnare : et quod erat corpus animale quoniam ex Adam sumptum est, nunc esse spiritale, quod spiritui jam inseparabiliter copulatum est. Cum enim vellet Apostolus de corpore animali adhibere testimonium Scripturarum, illud posuit, quod in Genesi legitur : *Si est*, inquit, *corpus animale, est et spiritale, sicut et scriptum est : Factus est primus Adam in animam viventem*, ut in animam vivam, recoles certe, quemadmodum scriptum est : *Et insufflavit Deus in faciem ejus flatum vitæ, et factus est homo in animam viventem* (*Gen.* II.) Dictum est autem de animalibus : *Producat terra animam vivam* (*Gen.* I.) Intelligitur ergo corpus animale dici simile cæteris animalibus, propter mortis dissolutionem et corruptionem, quæ quotidie cibis reficitur, et postea superata animantis compago dissolvitur : spiritale autem corpus quod jam cum spiritu immortale est : quamvis nonnulli arbitrentur, tunc fieri corpus spiritale, cum jam et ipsum corpus mutatur in spiritum, et quod homo erat ex corpore et spiritu utrumque ac totum spiritui erit, quasi dixerit Apostolus, seminatur corpus surget spiritus. Dixit Apostolus, seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Proinde sicut animale corpus non est anima, sed corpus : ita et spiritale corpus, non spiritum debemus putare, sed corpus. Quis porro audeat opinari vel Christi corpus non spiritale resurrexisse, vel si spiritale resurrexerit, non jam corpus fuisse, sed spiritum, cum jam opinionem discipulorum refellat? ubi eum videntes existimarent se spiritum videre, ait : *Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV) ; jam ergo illa caro spiritale erat corpus, nec tamen spiritus erat, sed corpus nulla alterius morte ab anima resolvendum atque separandum, sicut corpus animale, quale animatum est Dei flatu, cum factus est homo in animam vivam, etiam ipsum ex animali spiritale sine mortis interventu futurum, nisi transgressio præcepti prius commisso peccato infligeret pœnam, quam Deus servatæ justitiæ daret coronam. Unde Dominus Christus per nos ad nos venit, cum peccatores justus invenit, per statum quodammodo humilitatis nostræ. Nam per animale nobis, hoc est, per mortale corpus apparuit, qui utique, si voluisset, cum corpore immortali primitus advenisset : sed quia nos humilitate Filii Dei sanari oportebat, usque ad nostram infirmitatem descendit, et fidei nostræ meritum ac præmium virtute suæ resurrectionis ostendit. Ideo sequitur, Apostolus dicit : *Novissimus Adam in spiritum vivificantem* : sive intelligatur primus Adam, qui de pulvere ante formatus est, sive novissimus Adam, qui de virgine procreatus est ; sive in unoquoque homine utrumque compleatur, ut primus Adam sit homo in corpore mortali, novissimus Adam idem ipse in corpore immortali : tamen inter animam viventem, et spiritum vivificantem hoc interesse voluit, ut illic sit corpus animale, hic spiritale. Anima quippe in corpore animali vivit quidem, sed non vivificat usque ad auferendam corruptionem ; in corpore vero spiritali, quoniam perfecte adhærens Domino unus spiritus est, sic vivificat, ut spiritale corpus efficiat, absumens omnem corruptionem, nullam metuens separationem ; proinde sequitur : *Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale, postea spiritale. Primus homo de terra, terrenus, secundus homo de cœlo, cœlestis : qualis terrenus, tales et terreni, et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est.* Quid est qualis terrenus, tales et terreni? nisi mortales ex mortali ; et quid est, qualis cœlestis, tales et cœlestes? nisi immortales per immortalitatem, illud per Adam, hoc per Christum. Dominus autem ad hoc terrenus factus est, cum esset cœlestis, ut eos qui terreni erant faceret cœlestes, hoc est, ideo ex immortali mortalis factus est, assumendo servi formam, non Domini mutando naturam, ut eos qui mortales erant, faceret immortales impertiendo dominicam gratiam, non servilem injuriam retinendo. *Igitur sicut portavimus imaginem illius terreni, portemus et imaginem hujus cœlestis* (*Ambr.*). Peccator imaginem Adæ portat, justus vero imaginem Christi. Ergo sicut portavimus veterem hominem ante baptismum, ita et post baptismum portemus novum.

Hoc autem dico, fratres, quoniam caro et sangu regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incor ruptelam possidebit. Frequenter Scriptura carnem pro operibus nominat carnis, ut ibi : *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu* (*Rom.* VIII). [*GR.*] Aliter caro, sicut est, regnum Dei non possidebit, nisi immortalitate vestita. In sacro eloquio, aliter caro dicitur juxta naturam, atque aliter juxta cul pam, vel corruptionem. Caro quippe juxta naturam sicut scriptum est : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et*

Digitized by Google

caro de carne mea (*Gen.* II). Et : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I); caro vero juxta culpam sicut scriptum est : *Non permanebit in hominibus istis spiritus meus, eo quod sunt caro* (*Gen.* VI), et sicut Psalmista ait : *Memoratus est, quia caro sunt, spiritus vadens et non rediens* (*Psal.* CII). Unde et discipulis Paulus dicebat : *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu.* Neque in carne non erant, quibus Epistolas transmittebat, sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, jam liberi per virtutem spiritus in carne non erant. Quod ergo Paulus apostolus dicit : *Quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt,* carnem vult secundum culpam intelligi, non carnem secundum naturam. Unde et mox, quia carnem secundum culpam diceret, ostendit subdens : *Neque corruptio incorruptelam possidebit.* In illa ergo cœlestis Regni gloria, caro secundum naturam erit, sed secundum passionis desideria non erit, quia devicto mortis aculeo in æterna incorruptione regnabit. (*Aug.*) Cum igitur de resurrectione corporis Apostolus disputans doceret, nostra corpora futura ex corruptibilibus incorruptibilia, ex contemptibilibus gloriosa, ex infirmis fortia, ex animalibus spiritalia, hoc est ex mortalibus immortalia, subjecit, atque ait : *Hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt;* et ne quisquam putaret secundum substantiam carnis hoc Apostolum definisse, aperuit quid diceret, subjungendo, *neque corruptio incorruptionem possidebit;* tanquam diceret, quod dixi, caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, ideo dixi, quia corruptio incorruptionem non possidebit. Hoc ergo loco nomine carnis et sanguinis, corruptionem mortalitatis intelligi voluit. Denique, tanquam ei diceretur, quomodo caro erit, et caro non erit? respondet, caro quippe erit, quoniam Dominus post resurrectionem ait : *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV) : caro autem non erit, *quoniam caro et sanguis regnum Dei non possidebunt,* exponit quod dixerit adjiciens : *Ecce mysterium dico vobis, omnes quidem resurgimus, sed non omnes immutabimur.* Vel sicut Græci codices habent : *Omnes quidem dormiemus, non tamen omnes immutabimur.* (*Aug.*) Hanc immutationem utrum deterius, an in melius intelligi voluerit, inferiora demonstrant. Ecce mysterium dico, obscuritatem significat nominando mysterium. *Omnes,* inquit, *resurgemus, non omnes immutabimur.* (*Ambr.*) Omnes autem homines resurgent, sed soli qui regnaturi sunt in gloriam mutabuntur. Sive ita, omnes resurgimus, qui in adventu Christi mortui invenimur, non omnes immutabuntur, qui in corpore sunt reperti, quia sancti soli beatitudinis gloriam consequentur. *In momento, in ictu oculi.* Per ictum oculi, nimiam brevitatem vult significare momenti, ut quanta sit Dei potentia ex resurrectionis celeritate cognoscas. *In novissima tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Novissimus adventus intelligitur Christi, mortui autem vel peccatores intelligendi sunt, qui etiam viventes mortui esse dicuntur ut ad pœnam, aut immortales, ut absque aliqua membrorum diminutione resurgant; vel certe simpliciter omnes mortuos resurgere, dicit, et solos sanctos cum his, qui vivi justi inventi fuerint in gloriam immutari. (*Aug.*) In atomo, inquit, hoc est, in puncto temporis, quod dividi non potest; in ictu oculi, hoc est, in summa celeritate; in novissima tuba, hoc est, in novissimo signo, quod dabitur, ut ista compleantur. Quid sit atomus multi vestrum non norunt : atomus est τόμι sectio, atomus est, Græce, quod secari non potest; sed atomus in corpore corpusculum est breve, quod jam non habet ubi secetur; atomus in tempore momentum breve, quod jam non habet ubi dividatur, verbi gratia lapis est, divide eum in partes et partes ipsas divide in lapillos, lapillos divide in grana arenæ, grana arenæ divide in minutissimum pulverem, perveni ad aliquam minutiam, quam jam secare non potes, hoc ergo in corpore quomodo sit atomus. In tempore vero, quemadmodum annus verbi gratia secatur in menses, menses dividuntur in dies, dies adhuc in horas dividi possunt, horæ adhuc in partes momentorum quasdam productiores admittunt divisiones, usquequo venias ad tantum punctum temporis, et quamdam momenti stillam, ut produci non possit, cum nihil habeat medium, iste est atomus in tempore. Cum dixisset in atomo, subjecit, quantum potest fieri actionis et motus in isto atomo temporis : In ictu, inquit, oculi, quantus est ictus oculi, non quo palpebram moventes claudimus oculum, vel aperimus, sed ictum dicit oculi emissionem radiorum ad aliquid videndum; mox ut enim aperueris oculum emittitur radius tuus, non dico ad parietem proximum, sed ad montem longe distantem; nec dico ad montem qui in terra ideo videtur quia proximus est, in sidera, in solem, in lunam, quæ tam magno intervallo distant a terra, mox ut radium emiseris, ibi est, quia spatia quam cito transvolat in atomo, in ictu oculi, in novissima tuba; signo illo dato de cœlo in die judicii. *Canet enim tuba et mortui resurgent incorrupti, et nos commutabimur.* Ergo istam commutationem in melius sine dubitatione oportet intelligi, quia omnes, et justi et injusti, resurrecturi sunt, sicut Dominus in Evangelio loquitur : *Qui bene fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui male egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* V), judicium appellans pœnam sempiternam, sicut alio loco : *Qui non credit,* inquit, *jam judicatus est* (*Joan.* III). Proinde illi, qui ad judicium resurrecturi sunt, non commutabuntur in illam incorruptelam quæ nec doloris corruptionem pati potest, illa namque fidelium est atque sanctorum : isti vero perpetua corruptione cruciabuntur, *quia ignis eorum non exstinguetur, et vermis eorum non morietur* (*Marc.* IX). Quid sibi ergo vult ista distinctio, *et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur,* nisi quia omnes incorrupti resurgent, sed ex his justi etiam immutabuntur in illam incorruptelam, cui omnino nulla possit nocere corruptio, ac per hoc qui in eam

Digitized by Google

non commutabuntur, incorrupti quidem resurgent integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore pœnarum, cum audierint : *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV), a quo auditu malo justus non timebit. De illa vero commutatione justorum cum dixisset *nos commutabimur*, tanquam quæreremus quomodo istud fiat, vel qualis illa commutatio futura sit, adjungit et dicit : *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, et mortale hoc induere immortalitatem.* Non, ut opinor, dubitandum est secundum hoc dictum : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*, quia non ibi erit corruptio et mortalitas carnis et sanguinis : secundum has enim qualitates hoc loco carnem et sanguinem nuncupavit. (*Ambr.*) Est quod induit, et est similiter indumentum. (*Aug.*) Cum ergo nec resurrectio fieri, nisi mors præcesserit, nec dormitionem possimus illo loco intelligere nisi mortem, quomodo omnes vel dormient vel resurgent, si tam multi quos in corpore inventurus est Christus, nec dormient, nec resurgent? Si ergo sanctos qui reperiuntur Christo veniente viventes, eique in obviam rapi, crediderimus in eodem raptu, de mortalibus corporibus exituros, et ad eadem mox immortalia redituros, nullas in verbis Apostoli patiemur angustias, sive ubi dicit : *Tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur;* sive ubi dicit : *Omnes resurgemus, aut dormiemus omnes*, quia nec illi per immortalitatem vivificabuntur, nisi quilibet paululum tamen ante moriantur, ac per hoc et a resurrectione non erunt alieni, in qua dormitione præcedunt, quamvis brevissima non tamen nulla. *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria.* (Ambr.) Ut evacuatis causis mortis per divinam victoriam ac si absorpta mors pereat. *Ubi est mors stimulus tuus, ubi est mors victoria tua?* (Aug.) Propheta ex persona justorum loquitur insultantium morti. *Tunc*, inquit, *fiet sermo, qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria, ubi est mors contentio tua? ubi est mors aculeus tuus? aculeus autem mortis est peccatum.* Mortem significari arbitror hoc loco carnalem consuetudinem, quæ resistit bonæ voluntati delectatione temporalium fruendorum : non enim diceretur, ubi est contentio tua, si non restitisset et repugnaret. Ipsius contentio etiam illo loco describitur (*Gal.* v) : *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem, ut non quæ vultis faciatis.* Fit ergo per sanctificationem perfectam, ut omnes carnales appetitus, spiritu nostro illuminato et vivificato, eidem bonæ voluntatis subjiciantur. Hanc autem mortem peccato meruimus, quod peccatum erat omnimodo in libero arbitrio, cum in paradiso nullus dolor denegatæ delectationis voluntati bonæ hominis resistebat. *Stimulus autem mortis est peccatum.* (Ambr.) Sagitta mortis peccatum per quod animæ jugulantur. *Virtus vero peccati lex.* Dum fortius et majus fit per scientiam peccatum, ergo aculeus mortis peccatum est, quia peccato facta est delectatio, quæ jam posset resistere voluntati, et cum dolore cohibere, quam delectationem, quia in defectu est animæ deterioris effectæ, jure mortem vocamus. Virtus autem peccati lex est, quia multo sceleratius et flagitiosius quæ lex prohibet committuntur, quam si nulla lege prohiberentur. Tunc itaque absorpta erit mors in victoria, cum per sanctificationem in omni hominis parte perfecta delectatione spiritalium delectatio carnalis obruetur. Aculeus autem mortis peccatum est, cujus punctione facta est mors : peccatum quasi scorpius est, pupugit nos et mortui sumus. Sed quomodo est, ut dicatur, ubi est mors victoria tua? hoc enim nobis non in hac vita sed in resurrectione promittitur, tunc dabitur sanctis ut peccare nec velint omnino, nec possint. *Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Victoriam illius peccati, in quo lex per carnalem nostram voluntatem fuerat infirmata, quam Christus cruce extemplo destruxit. *Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini, semper scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Reddita resurrectionis ratione, de qua hæsitabant, hortatur eos in Dei opere permanere, jam certos de retributione futura.

CAPUT XVI.

Docet Apostolus quomodo conversandum est cum extraneis et vicinis, ac in fine Epistolæ annectit salutationem.

Nam de collectis quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite. Per unam sabbati. (Ambr.) De sumptibus dicit qui per singulas Ecclesias collecti Jerosolymam sanctis pauperibus mittebantur. Una sabbati Dominica dies est, sicut in Evangelio dicitur Dominum una sabbati surrexisse. *Unusquisque vestrum apud se recondens quod ei bene placuerit, ut non cum venero, tunc collectæ fiant.* Ut paulatim reservantes non una hora gravari se putent, ut hilares datores diligantur a Deo. *Cum autem fuero præsens, quoscunque probaveritis per epistolam, hos mittam perferre gratiam vestrom Jerusalem, quod si dignum fuerit, ut ego eam, mecum ibunt.* Per se clarum est, quia utrumque eorum arbitrio derelinquit, ut et quod dederint portetur, et per quos direxerint, ipsi eant. *Quod si dignum*, inquit, *fuerit ut et ego eam, mecum ibunt.* Id est, si talis fuerit oblatio vestra, quæ mea quoque prosecutione debeat deferri. *Veniam autem ad vos cum Macedoniam pertransiero, nam Macedoniam pertransibo, apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo, ut vos me deducatis quocunque iero. Nolo enim vos nunc in transitu videre, spero enim me aliquantum temporis mansurum apud vos, si Dominus permiserit.* Quia ita se agunt Macedones, ut non sit necesse mihi apud eos diutius remanere, apud vos necesse est, ut maneam, vel hiemem : multa enim sunt quæ corrigantur a vobis, sicut medicus ibi moram habet, ubi plures ægrotant. *Manebo autem Ephesi usque ad Pentecosten, ostium autem mihi apertum est magnum, et evidens, sed ad-*

Digitized by Google

versarii multi. Ideo ibi permanebo, quia cum mihi evidens datus sit aditus prædicandi, sunt plurimi qui resistant. *Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos, qui opus Domini operatur sicut et ego, ne quis illum spernat.* Sine tribulationis formidine, vel etiam vestri contemptus. *Deducite autem illum in pace, ut veniat ad me, exspecto enim illum cum fratribus.* Nihil admittentes, quod ad animi ejus proficiat læsionem. *De Apollo autem fratre notum vobis facio, quia multum illum rogavi venire ad vos cum fratribus, et utique non fuit voluntas ut nunc veniret, veniet autem cum opportunum fuerit. Vigilate, state in fide, viriliter agite, confortamini, omnia vestra cum charitate fiant. Vigilate* enim mentis oculis, ad diaboli astutias præcavendas, *State*, quia stantibus difficile somnus obrepit. *Viriliter agite*, mulieris enim omnis inconstantia et varietas judicatur. *Confortamini*, ut sit in vestra virtute profectus, omnia non inanis gloriæ causa, sed charitatis gratia facere festinate.

Obsecro autem vos, fratres, nostis domum Stephanæ, et Fortunati, et Achaici, quoniam sunt primitiæ Achaiæ, et in ministerium sanctorum se ordinaverunt, ut vos subjecti sitis talibus, et omni cooperanti et laboranti in vobis. Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, et Fortunati, et Achaici quoniam id quod vobis deerat ipsi adimpleverunt. Quia præsentes sunt apud vos, et illis magnum potestis habere profectum : sive quia mihi venerunt pro vobis ministrare officium charitatis. *Refecerunt autem et meum spiritum et vestrum.* A Charitate pro vobis, vestrum, pro mea lætitia, meum refecerunt. *Cognoscite ergo hujusmodi.* Unde alibi ait (*Philip.* III) : *Cognoscite eos qui ita ambulant, ut habeatis formam nostram*, hos cognoscite, honorate, cognoscentes eorum studium vel laborem.

Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multum Aquila et Priscilla, cum ea quæ in domo eorum est Ecclesia, apud quos etiam hospitor. Domesticam congregationem fraternitatis Ecclesiam nominavit. *Salutant vos fratres omnes. Salutate invicem in osculo sancto. Salutatio mea manu Pauli. Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema maranatha.* (Aug.) Simul et Græco et Syro utitur verbo. *Si quis*, inquit, *non amat Dominum sit anathema maranatha.* Anathema Græco sermone B dixit *condemnatus*, maranatha definivit *donec Dominus redeat.* (Ambr.) Sicut illis qui eum amant, redemptio venturus est Christus, ita illis, qui eum non amant, anathematizabit, id est, ut illos abominetur et perdat. *Maranatha* magis Syrum est quam Hebræum, tametsi ex confinio utrarumque linguarum aliquid Hebræum sonat, et interpretatur *Dominus noster venit. Gratia Domini vobiscum.* Propriæ manus consueta subscriptio. *Charitas mea cum omnibus vobis.* Ut quomodo vos ego diligo, ita et in Christo invicem diligatis. *In Christo Jesu.* Non secundum sæculi charitatem. *Amen.* Confirmatio est benedictionis hic sermo, sicut superius ipse demonstrat, Quomodo, inquiens, dicet : Amen super tuam benedictionem?

LIBER DUODECIMUS.

EXPOSITIO IN EPISTOLAM AD CORINTHIOS SECUNDAM.

ARGUMENTUM.

Apostolus Paulus post actam a Corinthiis pœnitentiam consolatoriam eis scribit Epistolam a Troade, et collaudans eos hortatur ad meliora, contristatos quidem, sed emendatos ostendens. Hujus ergo Epistolæ principalis est causa, quoniam in prima pro quorumdam peccatis doctores eorum præcipue corripuerat, et multum fuerant contristati : nunc eos consolatur, suum eis proponens exemplum, et docens non debere ægre ferre quod pro aliorum sunt salute correpti, cum ipse pro aliena salute periculis quotidie et morti subjaceat.

CAPUT PRIMUM.

Captat benevolentia Corinthios per suas tribulationes ad excitandam attentionem, et excusat se de promissione eis facta.

Paulus Apostolus Christi Jesu, per voluntatem Dei. (Aug.) Amat Paulus disci a nobis peccata sua ut glorificetur ille qui talem morbum sanavit, magnitudinem enim vulneris manus medici secuit, et sanavit. Vox illa de cœlo prostravit persecutorem, et erexit prædicatorem, occidit Saulum et vivificavit Paulum, C Saul enim persecutor erat viri sancti, inde nomen habet iste quoniam persequebatur Christianos, postea de Saulo factus est Paulus. Quid est Paulus? modicus. Ergo quando Saulus, superbus, elatus; quando Paulus, numilis, modicus, ideo sic loquimur : paulo post videbo te, id est, post modicum. Audi quia modicus factus est, *ego enim sum novissimus apostolorum* (*I Cor.* XV), et, *mihi minimo sanctorum omnium*, dicit alio loco (*Ephes.* III). Sic erat in apostolis tanquam fimbria vestimenti, sed tetigit Ecclesia gentium tanquam fluxum patiens, et sanata est. (*Ambr.*) Quæritur cur in omnibus epistolis contra usum epistolarum, primo suum nomen ponat, quam eorum ad quos litteræ destinantur, sed hoc autoritatis est apostolici ordinis, qua minoribus scribit, sicD ut etiam judices sæculi solent, ad eos quos regunt scripta dirigere. *Per voluntatem Dei.* Dei, non hominum voluntate, simul ut ostendat non sine Patris voluntate se missum a Christo. *Et Timotheus frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi.* Non dixit Paulus et Timotheus, quia non ambo apostoli. Ad Philippenses vero, ubi non erat tanta auctoritas neces-

Digitized by Google

saria, servi ambo ponuntur. *Cum omnibus sanctis.* Hic sancti possunt accipi sacerdotes, qui in prima ponuntur Dominum invocantes, et ad Philippenses cum Episcopis et Diaconibus, ideo autem postea nominantur, ne parum intelligentes eos præmissos esse putarent, cum jam sint in Ecclesia comprehensi. *Qui sunt in universa Achaia.* Cujus est metropolis Corinthus. *Gratia vobis et pax a Deo.* Gratias agunt Deo gaudentes se ideo consolari ut ipsi alios consolentur. *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum.* Quia ex ipso omnis misericordia. *Et Deus totius consolationis.* Id est, perfectæ consolationis, quia non est minus in tribulatione solatium. *Qui consolatur nos in pressura nostra.* Non in aliquibus, sed in omnibus. *Ut possimus et ipsi consolari eos qui sunt in omni angustia, per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo.* Propterea liberamur, ut et nos alios consolari et de tristitia liberare possimus, aut ita formam nobis dat alios consolandi, et per exhortationem, qua ipsi a Deo consolamur, agnoscimus quod Deus timentium se neminem derelinquat, et multo magis in futuro remuneret, quos etiam in præsenti non deserit. *Quoniam sicut abundant passiones Christi, ita et per Christum abundat etiam consolatio nostra,* ut et Petrus est de carcere liberatus (*Act.* XII); et ipse Paulus visione Domini et voce confirmatus in templo (*Act.* XXII). *Sive autem angustiam patimur pro vestra exhortatione, et salute.* Quia vos ad salutem hortamur, sive ut vobis exemplum tolerantiæ præbeamus : nam manifestum est, quia pro quo patimur, ipse nobis adest consolans nos, per liberationem eripiens nos de pressura interventu majestatis suæ. *Sive autem pressuram patimur, pro vestra exhortatione et salute: sive exhortationem consequimur, pro vestra exhortatione, quæ operatur per patientiam earumdem passionum, quas et nos patimur, et spes nostra certa est pro vobis, quia scimus quod si socii estis passionum, sic et consolationis.* Generaliter loquitur, ut quia credentium causa persecutiones patiebantur a perfidis subjecti injuriis et cædibus, sic iterum auxilio Dei liberarentur ad consolationem credentium ne scandalum passi a fide exciderent, quia injuriæ apostolorum tentationes erant credentium, sicut scriptum est in propheta Zacharia : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis* (*Zach.* XIII). Quamvis futura credant fideles, tamen inter ipsa primordia pressuræ novellis faciunt scandalum, putant enim inanem esse promissionem, si vi oppressum viderint prædicantem. Sed si jam firmus est credens, compatitur cum suo magistro, fidens de spe futura, ut simul consoletur, cum quo et patitur.

Non enim volumus ignorare vos, fratres, de pressura nostra, quæ facta est in Asia, quia supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. Ideo passiones pressurarum indicat prope usque ad mortem allatas, ut ostendat quæ mala salutis illorum causa patiebantur, ut non gravius ferrent, si corriperentur errores illorum ab his, qui hæc tam aspera tolerabant pro illis. Quis enim medicorum non arguat susceptum suum negligentius se tractantem, ne curæ medicinæ ejus sine effectu remaneat.

Sed ipsi in nobis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos. Tantam insolentiam iniquitatis significat insurrexisse contra fidei prædicatores, ut mortem ante oculos haberent, denique erepti de ipsa pressura resuscitatos se dicunt. Sic enim afflicti fuerant, ut desperarent de præsenti vita. Sed quia Deus præsidia sua non negat in necessitate positis, maxime suis, eripuit illos desperantes de semetipsis, fidentes autem de Deo; nimia enim pressura deficere se profitebantur, nisi adesset Deus. *Qui de tantis periculis eripuit nos et eruit : in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet, adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis ut ex multorum personis ejus quæ in nobis est donationis per multos gratiæ agantur pro nobis.* Hoc dicit, quoniam gratia Dei multorum causa consolata est apostolos, id est, omnium credentium, quorum causa et pressuræ eis ingerebantur. Ac per hoc quia omnium causa est, cuncti Deo gratias referant, cum cessat tentatio, aut oritur, simul obsecrentur. *Gloria enim nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Hoc dicit, quia de sua conscientia præsumebant, quæ pura erat ab omni simulatione, quamobrem de Dei auxiliis non diffidebant. (*Greg.*) Sancta Ecclesia in Evangelio (*Matth.* XXV) decem virginibus similis denuntiatur, in qua quia mali cum bonis et reprobi cum electis admixti sunt, recte similis virginibus prudentibus et fatuis esse perhibetur : sunt namque plerique continentes, qui ab exteriori se appetitu custodiunt, et spe ad interiora rapiuntur, carnem macerant, et toto desiderio ad supernam patriam anhelant, æterna præmia expetunt, pro laboribus suis recipere laudes humanas nolunt, hi nimirum gloriam suam non in ore hominum ponunt, sed intra conscientiam contegunt; et sunt plerique qui corpus per abstinentiam affligunt, sed de ipsa sua abstinentia humanos favores expetunt, doctrinæ inserviunt, indigentibus multa largiuntur, sed fatuæ profecto sunt virgines, quia solam laudis transitoriæ retributionem quærunt, unde et aperte subditur : *Quinque fatuæ non sumpserunt oleum secum, prudentes autem acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus,* per oleum quippe nitor gloriæ designatur, vascula autem nostra sunt corda, in quibus ferimus cuncta quæ cogitamus. Prudentes vero oleum in vasis habent, quia nitorem gloriæ intra conscientiam tenent, Paulo attestante qui ait : *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ :* fatuæ autem virgines oleum secum non sumunt, quia gloriam intra conscientiam non habent, cum hanc ab ore proximorum quærunt. *Quia in simplicitate et sinceritate, non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo, abundantius autem ad vos.* (Amb.) Hæc est gloria conscientiæ quam dixit

Digitized by Google

simplicitas et sinceritas, et quia hæc de Dei doctrina sunt, adjecit, « non in sapientia carnali, sed in gratia Dei; » ut ostenderet non humanæ sapientiæ sed Evangelicæ prædicationi liberam se conscientiam exhibuisse. Præterita refricat, hoc enim significat, quod in prima epistola arguit fucatam prædicationem juxta humanum sensum aptatam, cujus prædicatores duplici genere in sapientia carnali accusat, quia et juxta mundi sensum prædicabant, ne facile offenderent homines et quæstus causa hoc agebant propriis lucris carnalibus studentes. Unde et Apostolus nunquam a Corinthiis sumptus voluit accipere, ne his occasionem daret, eo quod similis eis esset in hac re. Hinc est, quod dicit, « abundantius apud vos simpliciter sumus conversati, » quia cum ab aliis acceperit, ab his noluit, ne arguendi eos auctoritatem amitteret. *Non enim alia scripsimus vobis, quam quæ legistis et cognoscitis.* Ea se dicit scribere, quæ non solum litteris cernerent, sed et operibus ejus manifesta haberent, ut probaret ea quæ loquitur gestis se implere, quibus uniuscujusque mens et propositum discat. *Spero autem quod usque in finem cognoscitis, sicut et cognovistis nos ex parte, quia gloria vestra sumus, sicut et vos nostra in die Domini Jesu Christi.* Proficere illos sperat ex eo, quod jam cœperant meliores effici, cognito affectu circa se Apostoli, et gloriabantur in eo velut filii in patre charissimo, unde et Apostolus gloriam suam videri testatur in filios obedientes, et tunc debere videri quando prodest, id est, in die judicii Dei. Hoc dicens, perseverandum monet.

Et hac fiducia volueram prius venire ad vos ut secundam gratiam haberetis, et per vos transirem in Macedoniam, et iterum a Macedonia venirem ad vos, et a vobis deduci in Judæam. Hæc fiducia ex emendata est vita illorum. Jam enim et desiderare se illos significat, quos ante indignum erat videre. Plenam ergo gratiam habuissent de adventu ejus, quia imago est epistola, præsentia autem veritas. Non est itaque otiosum, quia voluerit ire et non iit, intelligi enim vult esse aliquos inter eos, quorum causa voluntatem suam non implevit, ut adhibita opera purificarentur.

Hoc ergo cogitans, nunquid levitate usus sum, aut quæ cogito secundum carnem cogito, ut sit apud me, est, est, non, non. Quoniam dixit, volueram venire ad vos, et non iit, idcirco, *nunquid levitate usus sum*, inquit, *aut quæ cogito secundum carnem cogito ut sit apud me est et non.* Ac si aperte dicat idcirco mutabilitatis aura non moveat, quia levitatis vitio non succumbo, quia videtur qui dicit aliquid, et non facit levitate uti. Ideo ne forte istud de Apostolo arbitrarentur, hoc purgat, quia non istud leviter, sed cum consilio fecit, ut non impleret quod disposuerat. *Aut nunquid quæ cogito*, inquit, *secundum carnem cogito?* qui enim secundum carnem cogitat, tunc non implet quæ disponit, quando aut personis amplioribus defert, aut certe lucris, aut apparatibus vincitur, quod Apostolus semper sprevit. Spiritale autem tunc dispositum non impletur, quando providentius aliquid pro salute animæ meditatur, sicut et Apostolus ideo non implevit quod voluerat, ut per hoc ipsum meliores efficerentur, scientes ideo distulisse eum, quia quidam adhuc inter eos non se purificaverant a peccatis. *Ut sit*, inquit, *apud me, est, est, non, non*, hoc significat quia non aliud egit quam sit agendum, quia utilitas anteponenda est voluntati. Hic sensus spiritalis est : carnalis autem sensus sic mutatur, ut anteponat voluntatem utilitati. *Fidelis autem Deus quia sermo noster qui fuit apud vos non est in illo, est et non. Sed est in illo, est.* Hoc est quod dicit et ad Galatas : *Si quæ destruxi, hæc eadem ædifico, prævaricatorem me constituo* (*Gal.* II). Ideo ergo fidelem in se dicit Dei prædicationem, nam hæc faciunt adulatores, frequenter enim ne homines offendant, quæ vera sunt prætermittunt. *Dei enim Filius Jesus Christus qui in vobis per nos prædicatus est, per me et Silvanum et Timotheum, non fuit in illo, est, et non : sed est, in illo fuit.* (*Amb.*) Quantum ad idoneos prædicatores pertinet, hoc debet esse, ut sit apud eos, est, est, non, non, ut non aliud faciant, quam sciunt utile : quia enim frequenter aliud volumus, quam est utile, ne voluntas vincat utilitatem, ideo Apostolus voluntati suæ utilitatem præposuit, ne iret ad illos. In Christo enim Jesu non fuit est, et non, sed est in illo fuit, quia nunquam aliud voluit quam quod est utile, semper enim voluntas ejus cum utilitate est; nec est immutatus, ut faceret invitus, sicut homo, quod est utile, aut ambigeret de aliquibus, aut mutaret voluntatem. *Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est. Ideo et per ipsum amen Deo ad gloriam nostram.* Manifestum est quia semper in Deo veritas est, hoc est, amen, manifestata per Christum, post per apostolos prædicata ad gloriam Dei, signorum virtutibus testimonium perhibentibus vera esse, quæ promisit Deus per Christum Dominum nostrum. Gloria enim Dei est, cum ab illo omnia, et per illum, et in illo esse dicuntur. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, et qui signavit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Christum dicit confirmare gentes in fidem promissam Judæis, quia ipse est qui fecit utraque unum, id est, circumcisionem et præputium, in uno novo homine faciens pacem. Dominus ergo confirmat et Deus, *qui unxit nos*, id est, qui dedit regiam honorificentiam, sicut dicit Petrus apostolus, *quia sumus*, inquit, *genus regale* (*I Petr.* II), per unctionem spiritalem, cujus typus fuit in regibus Judæorum. *Qui et signavit nos*, dando spiritum suum nobis pignus, ut non ambigamus de promissis ejus. Si enim adhuc mortalibus spiritum suum credidit, dubium non est, quin jam immortalibus addat ad gloriam. Unum tamen opus dicit Patris et Filii, quia et Christum dicit confirmare et Deum. Quem enim confirmat filius, confirmat et Pater, et cum dat Spiritum Pater, dat et Filius, quia

Digitized by Google

utriusque est Spiritus sanctus, sicut dicit ad Romanos: *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII). Quoniam ergo de perfectione hominis locutus est, Trinitatis hoc loco fecit mentionem : omnis enim summa perfectionis in Trinitate consistit. *Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis non veni ultra Corinthum.* Nunc manifestat, qua causa cum voluisset ire ad illos, distulit, ut tunc iret, quando jam prope omnes emendatos inveniret. His enim nunc loquitur, qui videbantur velle se corrigere, sed operam non dabant ut hoc implerent : quia ergo corripere illos necesse erat, iter suum ad alios convertit, ne contristaret multos, et hoc fuit illis parcere. Quod ut mentibus eorum commendet, Deum testem dat, ne putarent indignos se esse, et contemni ab illo, quo comperto ut præsentiam ejus mererentur, emendarent se. *Non quia dominemur fidei vestræ, sed adjutores simus gaudii vestri, nam fide statis.* Quoniam fides non necessitatis, sed voluntatis res est, ideo dicit, *non quod dominemur fidei vestræ*, dominatus enim necessitatis causa est. *Adjutores enim*, inquit, *sumus gaudii vestri*, hoc est, quia sicut in malo opere tristitia est, ita et in emendatione gaudium. Hujus gaudii adjutores sumus, inquit, quia volentibus eis emendare se offerunt occasiones ut quod velle cœperant possint implere. *Non quia dominamur*, inquit, *fidei vestræ sed adjutores simus gaudii vestri*, atque illico adjunxit, *fide enim statis*, ac si id quod protulerat aperiret dicens, ideo non dominamur fidei vestræ quia fide statis, æquales enim vobis sumus in quo vos stare cognoscimus, quasi prælatum se fratribus esse nesciebat, cum diceret, *facti sumus parvuli in medio vestrum* (*I Thes.* II); et rursum : *Nos autem servos vestros per Christum* (*II Cor.* IV).

CAPUT II.

Duplex causa cur Apostolus non venerit ne constristaret eos, et alibi fructum majorem faceret, quem fructum deinde ostendit.

Statui autem hoc ipse apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos. (Amb.) Apertum est, quia ideo noluit ire, ne forte corripiens paucos, multos contristaret, ipse etiam contristatus : compatiuntur enim omnia membra unius mœrori. *Si enim ego contristo vos, et quis est, qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me ?* Hoc dicit, quia non vult eos contristare, sed quia peccatis studuerant, necesse erat illos contristari invito Apostolo, ita tamen, ut de cætero obaudientes facti, lætificarent eos, qui contristabantur cum eis, ut qui corripiendo contristaverat eos, lætaretur ex his dum se corrigunt. *Et hoc ipsum scripsi vobis, ut non cum venero tristitiam super tristitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere, confidens in omnibus vobis, quia gaudium meum omnium vestrum est.* Idcirco dicit, hoc se scripsisse, ut postea veniens, non esset, unde contristaretur, sublatis vitiis, sed gauderet cum eis, quasi cum charissimis filiis, ut qui ab infidelibus tribulationibus afficiebatur, ab his utique gauderet qui crediderant. Gaudium enim Apostoli, purificatio est populi. Ideo enim gaudet, quia vituperatio non est in eis, quos simul oportet gaudere.

Nam ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas, non ut contristemini, sed ut sciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis. Manifestum est, quia quando hoc affectu quis aliquem corripit, ut plus illo doleat peccatis ejus, non utique, ut illum contristet corripit, sed ut ostendat illi, quo amore diligat eum ; qui enim non hoc affectu corripit fratrem, contristat : insultat enim, qui non condolet fratri. *Si quis autem contristavit me, non me contristavit, sed ex parte, ut non onerem vos omnes.* Omnes hos, quos dicit *ex parte* sancti sunt, duæ enim partes in populo sunt, sicut in prima epistola memoravi. Hi ergo ex parte sanctorum sunt, quos contristatos in errore fratris significat, sicut et semetipsum. Hoc dicens oneravit peccantem, vel eum qui peccaverat : plus enim fit reus, in cujus delicto multi tribulantur, ac per hoc : *Sufficit illi qui ejusmodi est objurgatio hæc, quæ fit a pluribus.* Magnum dolorem utique patitur, qui delictum suum pluribus videt displicere. *Ita ut econtra magis donetis et consolemini, ne forte abundantiore tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est.* Afflicto homini peccati proprii causa subvenire præcepit, quia pœnitentia, si de vero animo est, hoc est, si correptus statim in animo doleat, protinus habet fructum. Denique in Regnorum habetur historia, quia Achab cum arguisset eum propheta, commotus animo statim meruit veniam (*III Reg.* XXI); et David in causa Uriæ Hethæi correptus, quia cognovit peccasse se, delictum ejus deletum est (*II Reg.* XII) : ita et Apostolus illum, qui incestum commiserat, habens uxorem patris, objurgatum et abjectum dolentem revocari jubet, ne diu videns se contristatum sperni, desperans de se, daret animam ad mundum fruendum, quasi qui locum apud Deum jam non haberet. Hoc est, majore tristitia absorberi, desperantem de se converti ad admittenda peccata, quibus gravatus absorbeatur a secunda morte : hæc enim vera pœnitentia est, jam cessare a peccato; sic enim probat dolere se sibi, si de cætero desinat. *Propter quod obsecro vos ut confirmetis in illum charitatem. Ideo scripsi vobis, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis.* Quantum datur intelligi, obedientes hos factos in cæteris probat, emendaverant enim quæ ad ordinem Ecclesiasticum pertinent : unde etiam in hoc vult illos esse obedientes, ut confirment fratrem in charitate, suscipientes eum in communionem. *Cui autem aliquid donastis, et ego.* Manifestum est quia, quod jubet fieri, ipse facit, nec potest hoc abnuere quod etiam obsecrans ut fiat, scribit, cum haberet potestatem jubendi. Sed in prima epistola grave ejus crimen detulit, ut horrerent illum omnes : nunc recipi illum vult, orat ne adhuc exulcerato animo adversum illum durum illis esset habere cum illo communio-

Digitized by Google

nem Ecclesiæ. Neque enim tanta in eis erat, quanta in Apostolo providentia, ut statim intelligerent faciendum esse quod dicebat Apostolus in causa hujus duntaxat, ideo obsecrat ut dimittant illi, significans Deum illi ignovisse, quia nihil sine Dei spiritu agebat Apostolus. (*Greg.*) Bene autem in visione Ezechielis (*Ezech.* XL) cum mensarum labia metiuntur, et mensura palmi dicitur, additur *unius*, ut ex doctorum prædicatione sicut unitas tenetur in fide, ita quoque mentium unitas servetur in opere, ne per opus bonum quod alter agit, alter ad discordiæ malum prorumpat. Ita enim bona facere opera debemus, ut per hæc quoque cum his cum quibus vivimus unanimitatem, in quantum recte possumus, conservemus, id est, non deserendo bonum, quod agimus, sed præveniendo bonis persuasionibus malum discordiæ quod timemus. Sic in suis operibus unitatem palmi custodiens Paulus discordiam generari prohibebat, cum quemdam jam lapsum atque ab Ecclesia abjectum, jam velle recipere Corinthios videret, dicens : *Si cui aliquid donastis, et ego, nam et ego si quid donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana.* Qui videlicet solet de bonis mala generare, et hoc quod per charitatem agitur, ad discordiam contrahere. Unde et mox de ipso subjecit dicens : *Non enim ignoramus cogitationes ejus.* Doctor autem qui per bona quæ prædicat in suis auditoribus rectam operationem format, si mentes operantium ad unanimitatem non ligat, in labiis palmum habet, sed eam quæ dicta est, palmi unitatem non habet. *Nam et ego quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi.* (Amb.) Hoc dicto gravat illos, quia si [*Al.* quasi] magister, petentibus discipulis donavit, cui voluerunt peccatum, quanto magis obaudire debent discipuli magistrum? et ut ratum ei, cui donavit ostenderet apud Deum, ait, *in persona Christi* se donasse quod donavit, hoc est accepto tulisse Christum, cujus legatione fungebatur, ut factum Apostoli, factum sit Christi, sicut dixit : *quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo* (*Matth.* XVIII). Si vero huic pro quo petiverunt per Apostolum Christus ignovit, quanto magis huic jam ignotum erat, cui ut donent etiam ipse hortatur? *Ut non circumveniamur a Satana, non enim ignoramus cogitationes ejus.* Hoc dicit quod supra memoravi, quia consolatio debet subsequi fratrem delictum flentem, ne diu contristatus et contemptus a charitate Ecclesiæ, incipiat desperare de se; et videns, qui semper in insidiis est subtilis diabolus, mentem ejus vilem effectam, accedat et suggerat ei, ut vel præsentibus fruatur, qui de spe futuri præmii dejectus est, et pereat frater possessus a diabolo, cui ad hoc pœnitentia data erat, ut conversus reformaret se, sicut dicit Ezechiel propheta : *Nolo mortem morientis, sed magis ut revertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII); et iterum : *Convertantur*, inquit, *et replantabo eos* (*Ezech.* XXXII). [Greg.] Magna quippe arte magisterii ipsi est traditus coactus in pœnam, cui sponte est substratus in culpa, ut qui auctor fuerat ad vitium nequitiæ, ipse flagellum fieret disciplinæ. Qua tamen bene gesta pœnitentia, dum cognovisset Corinthios super eum jam misericorditer motos, ait : *Cui aliquid donastis, et ego. Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Communionis itaque gratiam cogitans ait, *cui aliquid donastis et ego.* Ac si diceret, A bono vestro non dissentio, meum sit quidquid ipsi fecistis, atque mox subdidit, *et ego si quid donavi propter vos*, ac si diceret, vestris actibus bonum addidi, quidquid propter vos misericorditer feci, vestra ergo est utilitas, bonitas mea : mea utilitas bonitas vestra. Qui ipsam mox compagem cordium, in qua sic tenetur, adjungens subdidit, *in persona Christi :* cui, velut si dicere præsumamus, Quare te ita caute discipulis copulas? quare te vel illorum, vel illos tuis actibus tam sollicita mente conformas? illico subjunxit, *ut non circumveniamur a Satana.* Cujus Satanæ [*Al.*, sagaces] insidias quam acuto sensu transfigat, insinuat subdens : *Non enim ignoramus cogitationes ejus*, ac si verbis aliis dicat : Acutæ auctore Domino sudes sumus, et nares Behemoth istius subtiliter circumspiciendo penetramus, ne hoc quod bene mens inchoat ipse in malitiæ finem convertat.

Cum venissem autem Troadem propter Evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum ; sed valefaciens eis profectus sum in Macedoniam. (*Hier.*) Narrat Corinthiis quæ fecerit, quæ passus sit, et quomodo in cunctis agat gratias, ut sub exemplo sui, illos provocet ad certandum. Veni, inquit, Troadem, quæ prius Troja appellabatur, ut Evangelium Christi in Asia prædicarem. *Cumque ostium mihi apertum esset in Domino*, id est plurimi credidissent, sive per signa atque virtutes, quæ in me operabatur Deus, spes esset nascentis fidei, et in Domino succrescentis, *non habui requiem spiritui meo*, hoc est, speratam consolationem invenire non potui, eo quod Titum fratrem meum non invenerim, sive, quem ibi reperiendum putabam, sive quem ibi audieram degere, vel qui illuc venturum esse se dixerat. Quæ autem fuit tanta consolatio, et quæ requies spiritui in præsentia Titi, quem quia non invenit, valefaciens eis profectus est in Macedoniam? Aliquoties diximus apostolum Paulum virum fuisse doctissimum et eruditum ad pedes Gamaliel, qui in apostolorum Actibus concionabatur, et dicit : *Et nunc quid habetis cum hominibus istis? si enim a Deo est, stabit, si ex hominibus, destruetur* (*Act.* V). Cumque haberet sanctarum scientiam Scripturarum, et sermonis diversarumque linguarum gratiam possideret, unde ipse gloriatur in Domino et dicit : *Gratias Deo ago quod Dominum vestrum magis linguis loquor* (*I Cor.* XIV), divinorum sensuum majestatem, digno non poterat Græci eloquii explicare sermone. Habebat ergo Titum interpretem sicut et B. Petrus Marcum, cujus Evangelium Petro narrante et illo scribente compositum est. Denique et duæ epistolæ quæ feruntur Petri, stylo inter se et

Digitized by Google

charitate discrepant, structuraque verborum, ex quo intelligimus pro necessitate rerum diversis eum usum interpretibus. Ergo et Paulus apostolus contristatur quia prædicationis suæ impræsentiarum fistulam organumque per quod Christo caneret, non invenerat, perrexitque in Macedoniam. Apparuerat enim ei vir Macedo, dicens : *Transiens adjuva nos* (*Act.* XVI), ut ibi inveniret Titum et visitaet fratres, vel persecutionibus probaretur. Potest et hoc aliter intelligi, ut (*Amb.*) Troadem perrexisset ad prædicandum Evangelium Christi, et cum cœpisset prædicare, fuissentque qui caperent verbum fidei, sed quia solatium Titi defuit, intolerabilis erat labor perstrepentium causa. Quamvis enim quidam eorum aperuerant corda sua ad recipiendum sermonem Dei, tamen impudentia infidelium non minima existebat, insurgens in Apostolum zelo credentium, et hæc duo ab uno impleri non poterant, ut aut fideles instrueret, aut incredulis repugnaret : ideoque vale illis facto qui susceperant eum, profectus est in Macedoniam.

Deo autem gratias qui semper triumphat per nos in Christo Jesu. Pro eo, quod est, triumphat de nobis sive triumphum suum agit per nos, qui in alio loco dixerat : *Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. Nam cum venissem in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi foris pugnæ, intus timores. Sed qui consolatur humiles consolatus est nos Deus in adventu Titi : non solum autem in adventu ejus, sed etiam in solatio* (*I Cor.* IV, *II Cor.* VII). Ergo propterea vale faciens Trojanis, sive Troadensibus, profectus est in Macedoniam, ut inveniret ibi Titum et haberet interpretationis Evangeliique solatium, quem intelligimus non ibi repertum, sed per tribulationes et persecutiones Apostoli supervenisse. Prius ergo quam veniret Titus multa perpessus, agit gratias omnipotenti Deo, in Christo Jesu, quem gentibus prædicabat : quod dignum se elegerit, in quo egerit triumphum Filii sui. Triumphus Dei est passio martyrum, in Christi nomine cruoris effusio, et inter tormenta lætitia, cum enim quis viderit tanta perseverantia stare martyres, atque torqueri, et in suis cruciatibus gloriari, odor notitiæ Dei disseminatur in gentes, et subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur : neque enim delicata et divitiis studens ac secura confessio est, sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame, et nuditate, et siti hic triumphus est apostolorumque victoria. Sed poterat audiens respondere, quomodo ergo non omnes crediderunt? priusquam ergo interroget solvit, et juxta morem suum quidquid alius objicere potest antequam objiciatur edisserit. *Et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco : Quia bonus Christi odor sumus Deo, in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam ;* (*Hieron.*) et est sensus, nominis Christi in omni loco, bonus odor sumus Deo, et prædicationis nostræ longe lateque spirat fragrantia : sed quia homines suo arbitrio derelicti sunt, neque enim bonum necessitate faciunt, sed voluntate, ut credentes coronam accipiant, increduli supplicio mancipentur : ideo odor noster, qui per se bonus est, virtute eorum et vitio qui suscipiunt, sive non suscipiunt, in vitam transit, aut in mortem : ut qui crediderint salvi fiant, qui non crediderint pereant. (*Amb.*) Odor notitiæ Dei in Christo et per Christum est. Odorem autem idcirco dixit, quia sicut quædam res, quæ cum non videantur, per odorem tamen cognoscuntur, et intelligis in loco aliquo esse, quod non vides ; ita et Deus, quia invisibilis est, per Christum se voluit intelligi, ut prædicatio Christi, quæ utique invisibiliter, sicut ad nares odor, ita ad aures pervenit, Deum Patrem insinuaret creaturæ, et Filium ejus unigenitum, cujus rei legatione fungentes apostoli, (sicut dicit Dominus ad Deum, Filius ad Patrem, sicut me misisti in hunc mundum, ita et eos mitto in hunc mundum) odorem notitiæ Dei et Christi per signa et prodigia manifestarent. Vera esse de Deo et Christo prædicatio virtutis testimonio probatur, quæ ideo in odore significata est, quia cum Deus non videatur, per hanc, quæ invisibiliter operatur, in apostolis esse intelligitur ut veritas doctrinæ manifestetur. Qui ergo recte asserit Christum, bonus odor est Deo, laude dignus in eo qui credit, nec vituperabilis in illo qui non credit ; qui vero non recte asseri. Christum, malus odor est Deo tam in his qui fidi sunt, quam in illis qui diffidunt ; pro utrisque enim reus erit : qui enim diffidit idcirco videtur non credere, quia perversum est quod audit, et qui credit, male credit. Apostolus ergo rationem legis locutus est, ut sicut in lege qui hostias bono voto offerebat, bonus odor erat Deo et acceptabilis, ita et nunc prædicationis vis doctrinæ odorem præstat fragrantem Deo. Quam ob causam auxiliis suis totus præstabat Deus apostolis, ut verba cognitionis ejus infunderent patentibus auribus, sive Judæis, sive gentibus, addito his sacramento nativitatis Domini Jesu secundum voluntatem Dei et patris ejus in unitate fidei salutaris ad salutem credentium, et perditionem diffidentium. *Aliis*, inquit, *quidem odor mortis in mortem*, hoc dicit, quia incredulis prædicatio crucis Christi odor mortis est ; audientes enim verbum Dei sic accipiunt, quasi pestem, ex qua oritur mors, et necesse est ut juxta fidem illorum fiat eis. *Aliis autem odor vitæ ad vitam*, verum est quia fidei sermo auditus Dei nuntius est salutis æternæ, et secundum fidem eorum continget eis. Sive ergo in his qui pereunt, sive in his qui salvi fiunt, Christi bonus odor Deo erant apostoli, quia sinceriter prædicabant : qui enim non credebant, ipsi sibi laqueum circumdabant. His, sicut dicit Dominus ad Ezechiel prophetam : *Tu prædica ; si te audierint, lucraveris animas eorum ; sin quominus, ipsi sibi viderint, tu tamen liber eris a perditione illorum.* (*Greg.*). Sicut bonus odor ex virtute est, Paulo attestante qui ait, odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, qui Christi bo-

Digitized by Google

nus odor sumus Deo, ita e contrario fetor ex vitio. Radix enim omnium malorum est cupiditas, et quia quodlibet malum per avaritiam gignitur, dignum est, ut domus avaritiæ in fetore construatur, felices qui bono odore vivunt, quid autem infelicius illis qui bono odore moriuntur? (*Aug.*) Et quis est, ait aliquis, quem bonus odor occidit? hoc est, quod ait Apostolus, et ad hæc quis idoneus? Quomodo ea fecit Deus miris modis, ut bono odore et boni vivant et mali moriantur: Paulum apostolum bene agentem, bene viventem, justitiam verbo prædicantem, opere demonstrantem, doctorem mirabilem, fidelem dispensatorem fama usquequaque disseminabat, quidam diligebant, quidam invidebant. Amasti bene agentem, vixisti bono odore, invidisti bene agenti, mortuus es bono odore: ecce unde gratias agit miles acerrimus, et defensor invictissimus gratiæ. Ecce unde gratias agit, quia Christi bonus odor sunt apostoli Deo, et in his qui salvi fiunt gratia ejus, et in his qui pereunt judicio ejus. Sed ut minus succenseatur hoc parum intelligentibus, ipse admonet et dicit :

Et ad hæc quis tam idoneus? non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur. (Amb.) Pseudoapostolos tangit hic versus qui corrupta doctrina verba Dei per malam interpretationem adulterabant, tollentes divinum sensum ponebant humanum; ex quibus quidam zelum habentes traditionis Judaicæ, nec de Christo bene docebant, ideo minus idoneos hos dicit: apostolos autem sinceriter prædicasse, sicut ex Deo datum est, ante Deum, id est, quomodo Deus dedit, ipso teste, in Christo loquebantur, non suam quærentes gloriam, sed Dei. Hoc est in Christo loqui ejus honorem, et potentiam prædicare, (*Hier.*) quia difficile dignus præco virtutum Christi inveniri potest, qui in annuntiandis illis non suam quærat gloriam [a] quem prædicat; in eo autem quod negat non se esse, sicut multos, qui venditant verbum Dei, ostendit esse quamplurimos qui quæstum putant esse pietatem, turpis lucri gratia omnia faciunt, qui devorant domus viduarum, se autem ex sinceritate quasi missum a Deo, et præsente eo qui se miserit omnia in Christo, et pro Christo loqui, ut causa prædicationis Dei triumphus Christi ejusque sit gloria. Et notandum quod mysterium Trinitatis in hujus capituli fine monstretur. Ex Deo enim in Spiritu sancto, coram Deo Patre in Christo loquimur. (*Greg.*) Adulter quippe in carnali coitu, non prole, sed voluptate tenetur, et perversus quisque ac vanæ gloriæ serviens recte adulterari verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium non Deo filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostendere. Quem enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis, quam generationi operam impendit. Adulterare namque est verbum Dei, aut aliter sentire de illo, quam est, aut ex eo non spiritales fructus, sed adulterinos fetus quærere laudis humanæ, ex sinceritate vero loqui est nihil in eloquio extra quam oportet aequirere. Sicut ex Deo autem loquitur, qui scit non se a se habere, sed ex Deo accepisse, quod dicit: coram Deo vero loquitur qui in omni quod dicit, non humanos favores appetit, sed omnipotentis Dei præsentiæ intendit, non suam, sed auctoris gloriam requirit. Qui autem scit quid est ex Deo se accepisse, quod et tamen dicendo propriam gloriam quærit, sicut ex Deo loquitur, sed non coram Deo, quia eum quem cordi suo non proponit cum prædicat, quasi absentem putat. Sed sancti viri et ex Deo loquuntur et coram Deo, quia et ab eo se sciunt habere quod dicant et ipsum suis sermonibus adesse judicem, auditoremque considerant. Unde fit ut cum se a proximis despici agnoscunt, suaque dicta vitæ audientium non prodesse, abscondunt quantæ virtutes sunt, ne si secretum cordis inutiliter sermo prolatus aperiat, ad inanem gloriam prorumpat.

CAPUT III.

Ostendit Apostolus se commendatione hominis non egere, nec eam quærere. Commendat ministros Christi Ecclesiæ quantum ad officii dignitatem et cognitionis excellentiam.

Incipimus iterum nosmetipsos commendare. (Amb.) Quoniam pseudoapostolos notat, prava eorum commendata designans, se autem verum prædicatorem testatur, videtur iterum commendare se, sicut in prima Epistola, et ne hoc versutia aliqua terrestris lucri gratia facere videretur, adjecit: *Nunquid egemus, sicut quidam, commendatitiis Epistolis ad vos, aut ex vobis.* Hæc dicens et suum sensum purgat, et adhuc pseudoapostolos notat, quos proprii honoris et quæstus causa circuire ecclesias probat, ad auferendam, non ad tribuendam salutem. Ex his erant quibus dicit Dominus: *Comeditis domus viduarum et pupillorum, oratione longa orantes, propterea accipietis majus judicium* (*Matth.* XXIII), hic enim et res eorum non tangebat, et veritate doctrinæ animas eorum salvabat; non ergo scandaliter, sed spiritaliter se commendabat ad profectum salutis illorum, ut hoc de illo crederent, quod erat: quia qui de bono male sentit peccat, ac per hoc commendatio hæc istis magis proficit. *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris.* Epistola salutis indicium est, recte ergo ait quia salus Corinthiorum in corde erat apostoli et eorum qui cum illo erant; semper enim de salute eorum cogitabat. Cum ergo in corde sunt apostoli et eorum qui cum ipso erant, Epistola sunt scripta in cordibus eorum, quia qui semper alicujus memor est, scriptus est in animo ejus. *Quæ scitur et legitur ab omnibus hominibus: manifestati quoniam Epistola estis Christi ministrata a nobis.* Apertum est qui cum dicuntur Christiani, Epistola Christi sunt, indicantes salutem quam dedit Deus in Christo omnibus hominibus, scribentibus apostolis: dum enim docent, scribunt. *Et scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi.* Quoniam quæ promissa sunt æterna sunt, idcirco Deo spiritu scripta dicuntur, qui semper est, temporalia autem atramento, quod obsolescit,

[a] Hic deesse videtur membrum phrasis hujusmodi : *Potius quam gloriam ejus...* EDIT.

Digitized by Google

et perdit memoriam. *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Nunc legem veterem pulsat, quæ primum data in lapideis tabulis abolita est, fractis tabulis sub monte a Moyse : nova autem lex in animo scribitur, hoc est in corde, non per calamum, sed per Spiritum : quia fides æterna res est, ab Spiritu scribitur ut maneat : vetera autem præcepta, deficiente mundo, cessabunt. Quomodo ergo differt lex a lege, ita differunt dispensatores illius legis a dispensatoribus legis fidei.

Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum. Quanta dignitas sit in apostolis manifestat cum dicit : *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum*, ut ostendat veteres non hanc habuisse fiduciam ad Deum, quia minor fuit administratio. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi a nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non littera sed spiritu : littera enim occidit, spiritus autem vivificat.* Quamvis præferat apostolicam dignitatem, in Dei tamen laudes prorumpit, non istud meritis humanis ascribens, sed ejus gratiæ qui dignatus est pro vita humana salutarem prædicationem ordinare, quæ, quos lex vetus reos tenebat, salvaret, data remissione peccatorum per Christum Dominum nostrum. Litteræ enim ad hoc datæ sunt Moysi, ut contemnentes legem occideret, secundum jus naturæ; Spiritus autem, id est, lex fidei, quæ non scribitur, sed animo continetur, vivificat reos mortis, convertentes tamen se, ut justificati de cætero non peccent. Recte ergo data lex fuerat, ut timor esset peccandi, sed quia fragile est genus humanum, misericordia Dei data est in prædicatione apostolis, ut donatis peccatis evaderent mortem, credentes in Christo. Hæc est prædicatio Novi Testamenti, quod promiserat Deus per prophetas. Doctor quoque gentium non ignorans idoneum se factum ministerio Novi Testamenti, non suo merito, nec sudore, sed Dei miseratione proclamat. (*Cass.*) *Non quod simus*, inquit, *idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi a nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*, quod minus Latine, sed expressius dici potest, idoneitas nostra ex Deo est. Denique sequitur : *Qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti.* In tantum autem universa quæ ad salutem pertinent apostoli sibimet a Domino largita senserunt, ut ipsam quoque fidem præstari sibi a Domino postularent dicentes : *Adauge nobis fidem* (*Luc.* XVII), plenitudinem ejus, non libero arbitrio præsumentes, sed Dei sibi credentes munere conferendam. (*Aug.*) Lex enim tantummodo lecta, et non intellecta, vel non impleta, utique occidit, tunc enim appellatur littera; spiritus autem vivificat, quia plenitudo legis est charitas, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. *Quod si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur, quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* Manifestum est majorem gratiam esse legis fidei, quam legis Moysi : quamvis enim ad hoc data sit lex Moysi ut prodesset, contempta tamen, facta est lex mortis, ergo quia peccatoribus providere non potuit; lex fidei, quæ hos salvaret non solum ignoscens, sed et justificans eos, data est. Multum ergo erat inter legem et legem : tunc enim maculati peccato vultum Moysi descendentis de monte cum lege accepta in tabulis intueri non poterant (*Exod.* XXXIV), quia gloriosa facta erat facies ejus, ne a peccatoribus posset aspici, quia digni erant morte; quæ nunc gloria evacuatur per legem Spiritus, cum accepta remissione peccatorum, facti justi, digni sunt aspicere et possunt gloriam Dei sicut viderunt in monte Petrus, et Joannes, et Jacob, gloriam Christi (*Matth.* XVII). (*Aug.*) Cur ministratio mortis dicitur si bona est lex, quia *peccatum ut appareat peccatum per bonum mihi operatum est mortem* (*Rom.* VII), nec mireris, cum de ipsa prædicatione Evangelii dictum sit : *Christi bonus odor sumus in his qui salvi fiunt et in his qui pereunt, aliis quidem odor vitæ ad vitam, aliis autem odor mortis ad mortem.* Ad Judæos enim dicta est lex ministratio mortis, ad quos et in lapide scripta est; ad eorum duritiam figurandam, non ad eos qui legem per charitatem implent : *plenitudo enim legis charitas; qui enim diligit alterum, legem implevit, nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Rom.* XIII). Quia et hoc in eadem lege scriptum est, cavendum est ne figuratam locutionem ad litteram accipias, et ad hoc enim pertinet quod ait Apostolus : *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Cum enim figurate dictum sit, accipiatur tanquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur, neque ulla mors animæ congruentius appellatur, quam cum id etiam quod in ea bestiis antecellit, carni subjicitur sequendo litteram, qui enim sequitur litteram, si sabbatum audierit, verbi gratia, non intelligit nisi unum diem de septem, qui continuo volumine repetuntur; et cum audierit sacrificium, non excedit cogitatione illud quod fieri de victimis pecorum terrenisque fructibus solet. *Nam si ministratio damnationis gloria est, multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria.* (Ambr.) Hoc dicit, quia amplius est donum justitiæ Dei per fidem Christi, quam legis veteris : quia magis gloria in salute est, quam in morte; quamvis juste damnet, tamen ad laudem proficit magis si indulgeat, ut possit reus corrigere se. (*Aug.*) Lex enim, quamvis justa, et sancta et bona, prævaricatoribus intulit mortem, quos Dei gratia non adjuvit ad justitiam legis implendam. Oportebat enim ut testamento vetere lex imponeretur superbis, et de suæ voluntatis fidentibus virtute quæ non daret justitiam, sed juberet, ac si morte prævaricationis impliciti ad gratiam confugerent, non jubentem tantummodo, sed juvantem, quæ Novo Testamento est revelata; quid ergo mirum si illa dicta est ministratio mortis, ubi littera occidit, malum prohibendo quod fit, malum non imperando quod fit? Ista vero dicta

Digitized by Google

est ministratio Spiritus, utique vivificantis, ut a prævaricationis morte surgamus et justitiam non rei legamus in tabulis, sed liberi et in cordibus et in moribus habeamus, hoc est, Testamentum Novum distans a Vetere, quod ibi vetus homo formidinis coarctetur angustiis, hic novus homo spatiatur latitudine charitatis. Quod autem dictum est de ministro Veteris Testamenti Moyse, quod non poterant intendere filii Israel in faciem ejus, propter gloriam vultus ejus, signum erat, quod in lege Christum intellecturi non erant, et ideo velamen in faciem Moysi ad ipsos positum erat, ut non intenderent, sicut scriptum est, filii Israel usque in finem; finis autem legis quis est? ad hoc non ego, sed Apostolus ipse respondeat: *Finis enim legis*, inquit, *Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* x); finis perficiens non interficiens. Finis quippe dicitur propter quem fiunt omnia, quæcunque alio fiunt officio: nam inter officium et finem hoc distat, quod officium est in eis quæ facere debemus, finis propter quem facimus, quod utique illa omnia propter Christum fiebant, quem filii Israel in eis quæ fiebant, non intelligebant. Hoc significabat velamen quod eos utique usque in finem non sinebat intendere, id est, usque ad faciem Moysi, quæ significabat Christum. Sed ideo dictum est quod evacuetur hæc gloria, quod omnes umbræ significantes evacuantur cum res quæ significatur advenerit. Quemadmodum enim scientia, quæ nunc est evacuabitur, sicut idem dicit Apostolus, cum venerit illa, quam dicit, facie ad faciem (*I Cor.* XIII): sic et ista, quæ in umbris tradita erant Judæis in Vetere Testamento, necesse fuit evacuari revelatione Testamenti Novi. Nec sane omnes in illo populo non intelligebant, Christum per illas umbras Testamenti Veteris figuratum, neque enim ipse Moyses et cæteri prophetæ non intelligebant, qui eum cæteris prænuntiabant. *Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam.* (Ambr.) Manifestum est non esse factum gloriosum, quod visum est in vultu Moysi gloriosum: quando enim nulli profuit gloria vultus ejus, non habuit fructum gloriæ, sed magis obfuit, licet non suo vitio, sed peccantium, tamen in hac parte gloria non est; illa est autem magis gloria quæ abundat in gratia, ut purificati homines dono Dei abstersa caligine possint videre gloriam Christi. *Si enim quod evacuatur per gloriam est, multo magis quod manet in gloria est.* Non negat gloriam fuisse in lege, vel in vultu Moysi, sed non permansit in Moyse quia figura erat quæ apparuit; veritas manet semper, ut quantum interest inter imaginem et veritatem, tantum intersit inter gloriam vultus Moysi et gloriam Christi. Ideo supra dixit *propter excellentem gloriam*: illa enim tanta erat gloria, quanta debuit credi servo; hæc vero tanta, quanta est genitoris ejus, quia *Dominus Jesus in gloria est Dei Patris*: sicut enim vespere stellæ gloriosæ sunt, oriente autem sole evacuatur earum claritas, ita et Moysi gloria evacuatur apparente gloria Christi. *Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur.* Spem habere nos dicit videndi gloriam, non talem qualis fuit in vultu Moysi, sed eam quam viderunt tres apostoli in monte, revelante se Domino; hinc igitur conjicere debemus quantum nobis contulerit divina clementia, quantumque nos superioris gratiæ dono ditare dignata est quam dederat Judæis. Judæi ergo, cum minor esset gloria vultus Moysi, eam speculari non poterant; nos vero non Moysi gloriam quæ inferior est, sed excellentem Salvatoris gloriam visuros nos credimus. Judæi ergo servi gloriam non meruerunt videre, nos autem Domini communis gloriam sumus visuri, ideoque et nos vicem reddere in quantum possumus, debemus benevolentiæ Dei, ut propensiores simus in ejus amore, qui nobis fiduciam dedit, abluens nos a peccatis, videndi gloriam Dei. Nunc itaque opus est ut crescat in nobis fiducia bonis actibus parata, tantum enim videbimus quantum credimus. *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus, quæ evacuatur.* Quoniam digni facti sumus per gratiam Dei videre gloriam Christi, idcirco *et non sicut Moyses*, ait, *ponebat velamen super faciem suam, ne intuerentur filii Israel*, ideo ponebat velamen, quoniam splendorem vultus ejus ferre non poterant causa peccati, quo sublato potestas datur videndi gloriam Dei usque ad finem ejus, quia tam diu non revelatur, donec relicta lege convertantur ad gratiam fidei, et sic evacuatur; accedente autem dignitate per fidem evacuatur indignitas. *Sed obtusi sunt sensus eorum usque in hodiernum diem.* Tandiu obtuses dicit, quandiu non credunt; quæ obtusio infidelitatis causa obvenit, ideo conversis ad fidem acuitur acies mentis ut videant divini luminis splendorem. *Idipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur.* Obtusio, ait, hæc in lectione Exodi manet, quandiu credunt, non enim revelatur nisi credant. In Christo enim evacuatur, hoc est, per fidem Christi auferetur velamen: amoto enim delicto incipient videre quod, obstante peccato, videre non poterant. *Sed usque in hodiernum diem cum legitur Moyses velamen est positum super cor eorum.* Manifestum est, quia cum legitur hæc pars legis, sententia illorum recitatur qui sunt sub lege. (*Greg.*) Unde in Job scriptum est: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc* (*Job.* I). Redemptoris mater juxta carnem Synagoga existit, ex qua ad nos per corpus visibilis processit: sed hunc intra se tegmine litteræ adopertum tenuit, dum ad spiritalem ejus intelligentiam oculos aperire neglexit; hunc quia in carne humani corporis latentem videre Deum noluit, quasi in divinitate nudum conspicere contempsit. Sed nudus de utero matris exiit, quia a Synagogæ carne prodiens conspicuus ad gentes venit. Quod bene Joseph relicto pallio fugiente signatum est: dum enim mulier adultera male illo uti voluisset, relicto pallio fugit foras, quia dum synagoga Dominum purum hominem credens quasi adulterino complexu constringere voluit, ipse tegmen litteræ ejus oculis reliquit, et ad cognoscendam divinitatis suæ potentiam cou-

Digitized by Google

spicuum se gentibus præbuit. Unde et Paulus dicit: *Usque hodie dum legitur Moyses, velamen est super cor eorum*, quia videlicet adultera mulier apud semetipsam pallium tenuit, et quem male tenebat, nudum amisit. Quia ergo a Synagoga veniens, fidei gentium conspicuus apparuit, ex utero matris nudus exiit.

Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. (Ambr.) Converti ad Dominum, hoc est, credere in Christum, ut agnoscens Dominum veniam mereatur accipere, hoc est, auferri velamen, sententiam evacuari, qua tenebatur reus sub lege.

Dominus autem Spiritus est: ubi autem Spiritus Domini ibi libertas. Quoniam Deus spiritus est, per Christum legem dedit spiritus, non litteris utique scriptam, sed per fidem animis intimatam; non quæ visibilia doceat, sed invisibilia credi suadeat, quæ animus spiritaliter colligat, non quæ oculus cernat: hæc lex dat libertatem, solam fidem poscens, ut quia quæ non videt credit, de conditione erui mereatur. Sed nulla est libertas in culpa quia scriptum est, ubi spiritus Domini ibi libertas. *Nos vero omnes, revelata facie, gloriam Dei speculantes, in eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu.* Nos dicit omnes, qui libertatem sumus consecuti dono gratiæ Dei, gloriam Domini per fidem speculantes, ad eamdem imaginem transformari, quam speramus, id est, ut similes inveniamur transacta hac vita imagini gloriæ Christi, sicut dicit Joannes apostolus: *Scimus*, inquit, *quia cum apparuerit, similes ei erimus* (*I Joan.* III). *A gloria in gloriam, sicut a Domini spiritu*, id est sublati beneficio Dei gloriæ Moysi quam reatus causa cernere nequibamus, transformamur ad gloriam, quam credimus dari nobis a Domini Spiritu: tantum enim dabitur gloriæ, quantum dignum est dare Deum per spiritum suum. Ideo enim dixit, *sicut a Domini spiritu*, ut ostenderet talem gloriam dari, quæ sublimitati congruat dantis. Moysis enim gloria nec tanta fuit, nec perennis, pro modo enim legis et gloriam percepit; ita et pro modo legis fidei, in qua spiritus Dei est, dabitur gloria credentibus, tantum enim concessit Deus fidelibus, ut spiritum suum det eis, pignus illius gloriæ quam promisit. (*Aug.*) *Videmus nunc*, inquit, *per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (*I Cor.* XIII). Quale sit hoc speculum, et quod sit si quæramus, profecto illud occurrit, quod speculo nisi imago non cernitur, hoc ergo facere conati sumus, ut per hanc imaginem quod nos sumus videremus utcunque a quo facti sumus, tanquam per speculum. Hoc significat etiam illud quod ait idem apostolus: *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu.* Speculantes dixit, per speculum videntes, non de specula prospicientes, quod in Græca lingua non est ambiguum, unde in Latinam linguam translatæ apostolicæ litteræ; ibi quippe speculum ubi apparent imagines rerum, ab specula de cujus altitudine longius aliquid intuemur, etiam sono verbi distat, ut omnino satisque appareat Apostolum ab speculo non ab specula dixisse, *gloriam Domini speculantes.* Quod vero ait, *in eamdem imaginem transformamur*, utique imaginem Dei vult intelligi, eamdem dicens, istam ipsam scilicet, id est, quam speculamur, quia eadem imago est et gloria Dei, sicut alibi dicit (*I Cor.* XI): *Vir quidem non debet velare caput cum sit imago et gloria Dei.* Transformamur ergo dixit de forma in formam, mutamur atque transimus de forma obscura in formam lucidam, quia et ipsa obscura imago Dei est, et si imago, profecto etiam gloria in qua homines creati sumus præstantes cæteris animalibus. De ipsa quippe natura humana dictum est: *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei*, quæ natura in rebus creatis excellentissima cum a suo Creatore ab impietate justificatur, a deformi forma formosam transformatur in formam, est quippe et in ipsa impietate quanto magis damnabile vitium, tanto certius natura laudabilis, et propter hoc addidit *de gloria in gloriam*, de gloria creationis in gloriam justificationis. Quamvis possit hoc et aliis modis intelligi, quod dictum est *de gloria in gloriam*; de gloria fidei in gloriam speciei, de gloria, qua filii Dei sumus, in gloriam qua similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est. Quod vero adjunxit, *tanquam a Domini spiritu*, ostendit gratia Dei nobis conferri tam optabilis transformationis bonum. Verum hæc hujus imaginis est quando quæ futura perfectio ad hanc consequendam nos erudit Magister bonus fide Christiana, pietatisque doctrina, ut revelata facie a legis velamine, quod est umbra futurorum gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformemur, de gloria in gloriam tanquam a Domini spiritu. In qua enim facie velamen habent Judæi, non transeundo ad Christum, quoniam cum transierit quisque ad Christum, auferetur velamen, ea nos facie revelata in eamdem imaginem transformamur. Apertissime autem dicit, *velamen super cor eorum positum est.* Ibi est igitur facies, qua revelata nunc in fide, quamvis per speculum et in ænigmate, contuemur, tunc autem facie ad faciem.

CAPUT IV.

Commendat Apostolus ministerium Novi Testamenti, et quantum ad operationem boni et quantum ad tolerantiam mali.

Ideo habentes hanc administrationem juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus. (*Amb.*) Tantam spem dicit administrationis hujus, ut non deficiat in pressuris confortatus, si de promissionum solatio, unde superius dicit, multa fiducia utatur: fidentes enim in his quæ promissa sunt, quidquid adversum acciderit, tolerant, quod non humanis meritis deputat, sed misericordiæ Dei, quæ hominem primo abluit, deinde justificat, adoptans filium Deo, ut donet ei gloriam similem gloriæ Filii proprii Dei. *Sed renuntiamus occultis dedecoribus*, ut illius gloria

Digitized by Google

dignus sit homo, omnia turpia et polluta quæ fieri et cogitari possunt, amovenda docet, ut non solum de opere, sed et de cogitatione pellantur. Invitantis verba sunt, sub sua enim et suorum persona ad meliorem vitam hortatur propter supradicta vitia, quæ in his sæpe reprehendit; possunt et hæc occulta dedecoris esse, quæ pravo sensu ad prædicandum meditantur, ut fallant, unde subjecit: *Non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei.* Ad dedecus enim et deformationem ejus proficit, qui subdola mente confringit doctrinam ad decipiendum corda simplicium: turpis enim invenietur in die judicii Dei; astutia enim malæ mentis, ut id quod sibi libitum est expleat, verba Dei adulterat, ut sensum invertat. Adulterare est autem verum sensum per falsum velle excludere. *Sed in manifestatione veritatis, commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo.* Hoc dicit quia in prædicatione evangelica nulli se fecit suspectum, addens amplius, cum dicit *coram Deo*, ut hoc ipsum non solum hominibus manifestum probet, sed etiam Deo, cui nihil occultum est; testimonium ergo Dei implorat, ut vel ipsi credatur quia ita prædicat sicut datum est ab auctore, et Deus hoc mundo testis est, dum dat signa et prodigia fieri per manus ejus. *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in his qui pereunt.* Verum est, quia increduli non vident perfidia obcæcantes splendorem virtutis Dei, velamen enim est super cor eorum, et obtusio infidelitatis, Judæis maxime. *In quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Evangelii, gloria Christi, qui est imago Dei.* Deum dicit sæcularium hominum, quia malevoli sunt erga fidem Christi, sensus obcæcare ut non videant veritatem Evangelii majestatis Christi, hoc ergo illis præstat quod volunt. Quia enim malevoli sunt homines, et non intelligentes, verum dicunt esse falsum, in eo ipso adjuvantur ne possint credere quod volunt, Christum autem, cum sit imago Dei, corporeum tantum asserunt, relinquentes gesta ejus, solius carnis faciunt mentionem; de quibus dixit Isaias: *Obcæcavit oculos eorum ne videant et ne audiant auribus usque in hodiernum diem* (*Isa.* VI). [*Aug.*] Quam quidem sententiam pleriqne nostrum ita distinguunt, ut Deum verum dicant excæcasse infidelium mentes; cum enim legerint *in quibus Deus* suspendunt pronuntiationem, ac tunc inferunt, *sæculi hujus, excæcavit mentes infidelium*, quia etsi ita non distinguas, sed exponendi gratia ita verborum ordinem mutes, *in quibus Deus excæcavit mentes infidelium sæculi hujus.* Item qui in illa distinctione sensus elucet; potest enim etiam talis operatio qua excæcantur mentes infidelium secundum quemdam modum pertinere ad verum Deum, quod non facit malitia, sed justitia, sicut idem Paulus alibi dicit (*Rom.* III): *Nunquid iniquus Deus, qui infert iram?* præcedit enim aliquid occultum in occultis ubi Deus agit justissimum examen judicii sui, ut quorumdam mentes excæcentur, quorumdam illuminentur, cui verisA sime dictum est: *Judicia tua abyssus multa* (*Psal.* XXXV).

Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum. (*Ambr.*) Hoc est, non nostram gloriam annuntiamus, ne quis nos dicat propter nos ipsos evangelizare, ut nobis proficiat forte ad tempus, sed Jesum Dominum nostrum annuntiamus, subjicientes nos virtuti majestatique ejus. Quando ergo nullum concutimus, nullum gravamus, et Christum Dominum nostrum fatemur, quid est ut elati judicemur, quasi pro nostra propria utilitate prædicare, ut gloriosi appareamus?

Nos autem servos vestros per Jesum. In tantum se servum Christi esse probat, ut jubente ipso, ministrum se horum in prædicatione testetur, ut pro B utilitate horum subjecti sint in ministerio Evangelii, servos ergo dicens ministros significat, sed ut humiliter loqueretur, sic dixit, ut vere ostenderet non ad suam gloriam prædicari a se Evangelium, sed ad claritatem Domini Christi, cui obedit, cui servit, sicut ipse Dominus ait (*Luc.* XXII): *Ego sum in medio vestrum non ut ministrer, sed ut ministrem*, non merito horum quibus ministrat, sed propter imperium Domini. (*Greg.*) In sublimi quippe humiles ponuntur, quia cum se ex humilitate substernunt, alto mentis judicio cuncta temporalia mente transeunt; cumque indignos se in omnibus æstimant, rectæ cogitationis examine hujus mundi gloriam transcendentes calcant. Videamus humilem Paulum, ecce discipulis dicit: *Non enim nosmetipsos prædicamus,* C *sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Christum.* Videamus hunc humilem positum in sublimi, nam ait: *An nescitis quia angelos judicabimus?* (*I Cor.* VI.) Et rursum: *Conresuscitavit et consedere nos fecit in cœlestibus* (*Ephes.* II). Fortasse hunc exterius tunc catena religabat, mente tamen positus in sublimibus fuerat, qui jam per spei suæ certitudinem in cœlestibus sedebat. Sancti itaque viri foris despecti sunt, et velut indigni omnia tolerant, sed dignos se supernis sedibus confitentes, æternitatis gloriam cum certitudine exspectant, cumque laborant foris adversitate persecutionis, ad munitam recurrunt intrinsecus arcem mentis, et inde cuncta sub se respiciunt inter quæ transire corporaliter etiam semetipsos cernunt. D

Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ charitatis Dei in facie Christi Jesu. (*Ambr.*) Hoc dicit, quia misericordia Dei factum est, ut nos, inquit, qui fuimus incredibiles in ignorantia, hoc est in tenebris, per nos daret Deus lumen cæteris gentibus. Vide quantum se adhuc humiliat ut Dei solius et Christi gloriam præferat: illuminantur enim ut cognitionem habeant gloriæ Dei per Christum, ideo gloriæ Dei ait cognitionem, id est, non Dei solius, sed et Christi qui est gloria ejus, ut significaret non Deum solum cognosci, sed et opera ejus, et misericordiam, et providentiam qua et condidit et salvavit

Digitized by Google

genus humanum, visus in Christo per gloriam virtutis suæ. (*Aug.*) Quin etiam stultitiæ scribentis assignat quod tenebras dixerit sine initio semper fuisse, lucem vero initium sumpsisse de tenebris, quasi legerit in eo libro cui calumniatur tenebras sempiternas, cum scriptum sit: *In principio creavit Deus cœlum et terram, terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum* (*Gen.* I), ex illo ergo tenebræ esse cœperunt, ex quo confusa moles cœli esse cœpit ac terræ, antequam facta lux esset, qua illuminaretur quod sine luce fuerat tenebrosum. Quid autem inconveniens si mundanæ materiæ fuerant tenebrosa primordia ut accedente luce melius quod factum est redderetur, et tanquam proficientis hominis, quod postea futurum erat hoc modo significaretur affectio. Porro si huic displicet lucem initium sumpsisse de tenebris, eidem Apostolus hoc dicat, qui scribens ad fideles ait: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V). Quis enim hoc fecit, nisi ille qui, cum tenebræ essent super abyssum, dixit: *Fiat lux, et facta est lux.* Quod apertius alio loco idem apostolus Paulus expressit, dicens: *Deus qui dixit de tenebris lucem clarescere, claruit in cordibus nostris.*

Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtus Dei et non ex nobis. (*Ambr.*) Thesaurum sacramentum significavit Dei in Christo, quod credentibus manifestatur, incredulis vero quodam velamine tectum est, quia sicut thesaurus in occulto ponitur, ita et sacramentum Dei intra hominem, id est in corde humano absconditur. Hunc ergo thesaurum in animo et corpore dicit esse a Deo datum, ut eminentia virtutis ejus appareat per homines prædicatores duntaxat, ut reconcilietur omnis lingua Creatori suo, non ad honorificentiam hominum, sed Dei, qui se manifestat per homines. Qui cum humiles et imperiti essent, acceperunt potestatem a Deo, et loquendi magnalia et agendi. Fictilia ergo vasa dicens, infirmitatem naturæ significat, quæ nihil potest, nisi a Deo acceperit virtutem, ut ad laudem suam Deus per hæc se prædicet, quæ infirma sunt, ut gloria illi detur, non homini qui ex luto fictus est. (*Greg.*) Has in se Paulus scientiæ divitias contemplatus, et contemplationem suam consideratione humanæ fragilitatis humilians ait, *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Multas itaque apud nos divitias reperimus, cum dona abundantis intelligentiæ sacra eloquia investigando percepimus, atque in his plura, nec tamen sibimet diversa sentimus. Non est autem secura lætitia in divinis paginis, vel fortia, vel multa cognoscere, sed cognita custodire. Nam qui bene intelligit, quid intelligendo debeat agnoscit; quanto enim intellectu latius extenditur, tanto ad explenda opera enixius ligatur. Unde in Evangelio Veritas dicit: *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo, et cui commendaverunt multum plus repetent ab eo* (*Luc.* XII). Deputemus igitur intelligentiam datam quasi pecuniam mutuam, quo plus nobis creditur ex benignitate, eo debitores amplius tenemur in opere, et plerumque eadem intelligentiæ accepta pecunia, cum ad usuras auditoribus datur, amittitur, nisi caute tribuatur.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur. Nunc ostendit propter quod idonei erant prædicatores, quia semper illis in necessitate adfuit Deus, *ideo pressuram*, ait, *passi, sed non coangustati*, hoc est, non permisit Deus tantum nos opprimi, ut crederemus; *inopiam passi, sed non destituti*, id est, in inopia positis adfuit pastor Deus. *Persecutionem patimur, sed non derelinquimur.* Verum est quia consulebat eis Deus, ne satis sibi facerent de his inimici. *Dejecti, sed non perimus.* (*Ambr.*) Id est, verberibus prostrati, sed obstante Deo non mortificati: sive enim clausi, sive vinculati, adjutorio Dei manus hostium evadebant. Denique Paulus et Silas cum essent clausi, jam cæsi et pedes eorum essent in nervo conclusi, alacres hymnum canebant Deo (*Act.* XVI), fortiores his facti qui non erant cæsi. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu in corporibus nostris manifestetur.* Dubium non est, quia in martyribus Christus occiditur, et in his qui pro fide patiuntur aut exitus, aut vincula, aut verbera Christi passiones sunt, ut et vita ejus in corpore eorum palam fiat: passiones enim sunt, quæ ostendunt meritum ad futuram vitam, quam promisit Christus. Unde alio loco dicit (*II Cor.* XII): *Cum infirmor tunc potens sum;* et iterum (*Act.* XIV): *Per tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Apertum est quod dicit, quia ideo, inquit, in mortem tradi propter Jesum non recusamus, cum possimus vivere, ut vita qua resurrexit a mortuis Christus, huic mortali carni nostræ præstetur, hoc est, non timere mori propter resurrectionem promissam. *Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.* Hoc dicit, quia pro salute eorum morti subjiciebantur: gentibus autem prædicantes, inimicitias sibi excitabant tam a Judæis quam a gentilibus usque ad mortem. *Habentes autem eumdem spiritum fidei*, hoc est, communem spiritum per quem firmatur fides, habemus vobiscum; ideo enim pro ipsis tanta patiebantur mala, ut invicem copularentur in fide. *Sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum; et nos credimus propter quod et loquimur.* Exemplum ideo dedit de psalmo CXV, ut ostenderet se ideo promptum esse ad omnia toleranda, quia credidit futuram resurrectionem. Securus ergo de futura vita, præsentis vitæ non habet curam: quippe cum hoc credatur, ut tunc illa beata vita speretur, si hæc comtemnatur. Securus ergo, quia quod credidit, verum est, audet hoc prædicare ut cæteros spei suæ participes faciat. (*Aug.*) Non diceret eumdem spiritum fidei, nisi admonens etiam antiquos justos ipsum habuisse spiritum, hoc est, incarnationis Christi, sed quia illis futura prænuntiabatur, quæ jam facta

Digitized by Google

nobis annuntiatur, et tempore Veteris Testamenti revelabatur, quæ tempore Novi Testamenti revelabitur, ideo ejus sacramenta variata sunt, ut alia essent in Veteri Testamento, alia in Novo, cum fides ipsa varia non sit. Beatus apostolus Paulus adhibuit testimonium de Scripturis, in quo nobis gloriam martyrum commendavit. *Propter quod scriptum est*, inquit, *credidi propter quod locutus sum; et nos credimus propter quod et loquimur.* Si enim tantummodo credidissent, et non loquerentur, non paterentur, credendo apprehenderunt et loquendo invenerunt mortem : sed mortem in qua corpus corruptibile seminaretur, et incorruptio meteretur, istum sensum, id est quod credimus, propter quod et loquimur, alio loco idem apostolus sic explicavit : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x), eadem fides Mediatoris salvos faciebat antiquos, pusillos, cum magnis, non Vetus Testamentum, quod in servitutem generat. *Scientes quoniam qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit, et constituet vobiscum.* (*Amb.*) Hac spe dicit laborari propter fidem, quia exemplum præcedit resurrectionis Domini Jesu, quid futuri erunt, qui credunt; quia *sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Adam enim forma mortis est, causa peccati, Christus vero forma vitæ propter justitiam, *quia peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* (*I Petr.* II), et quia participes hos communis fidei dixit, *resuscitatos*, inquit, *constituet vobiscum*, ut unius fidei, in una sint domo pacis; cum enim intelligunt quia pro ipsis patiuntur exitia, et isti solliciti sunt de passionibus horum, velut compatientes simul et participes erunt in vita promissa, ut simul contristati, simul gaudeant : propter illos sic loquitur qui resurrectionem negabant, quos et in prima Epistola exprobrat. *Omnia enim propter vos, ut gratia abundans per multos, gratiarum actione abundet in gloriam Dei.* A munere suo Deus nullum voluit esse alienum, et quia non omnes capiunt verbum fidei, Apostolus Dei voluntatem sciens, persecutiones et pericula pati non timuit, dummodo omnibus fideliter prædicaret, ut plures possent credere, ut abundans donum Dei non per paucorum gratiarum actionem minueretur ad contumeliam Dei, sed multis proficiens afflueret per multorum gratiarum actionem ad gloriam Dei : quanto ergo hic dignus honore est, qui animam suam semper morti subjecit, ne donum Dei longe aliter proficeret, quam datum est! nunquid non magna contumelia ejus est, qui cœnam faciens opulentam, ac multos invitans, paucos habet in summa?

Propter quod non deficimus. Manifestum est hæc ad superiorem sensum pertinere ; ut enim devotionem suam adhuc propensiorem in Dei rebus ostendat, hæc subjicit, quibus nullo genere deficere se probat, quominus id quod Deo placitum est impleatur, securus tamen de resurrectione promissa.

Sed licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem. Pressuris, plagis, fame, siti, frigore, nuditate caro corrumpitur, sed anima spe futuri præmii renovatur, quia assiduis tribulationibus purgatur, proficit enim in pressura, non interit, ita ut accedentibus tentationibus quotidie acquirat ad meritum, quia et corpori corruptio hæc proficit ad immortalitatem merito animæ. (*Aug.*) Sane ista renovatio non momento uno fit ipsius conversionis, sicut momento uno fit illa in baptismo renovatio remissione omnium peccatorum, neque enim vel unum quantulumcunque remanet, quod non remittatur, sed quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta est revalescere : item aliud est infixum telum de corpore demere, aliud vulnus quod eo factum est secunda curatione sanare : ita prima curatio est, causam removere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum. Secunda ipsum sanare languiorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus imaginis. Quæ duo demonstrantur in psalmo, ubi legitur : *Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis* (*Psal.* CII), quod fit in baptismo ; deinde sequitur, *qui sanat omnes languores tuos* (*Ibid.*), quod fit quotidianis accessibus, cum hæc imago renovatur. In agnitione igitur Dei justitiaque et sanctitate veritatis, qui de die in diem proficiendo renovatur, transfert amorem a temporalibus ad æterna, a visibilibus ad intelligibilia, a carnalibus ad spiritalia, atque ab istis cupiditatem frenare atque minuere, illisque se charitate alligare diligenter insistit. Imago vero, quæ renovatur spiritu mentis in agnitione Dei, non exterius, sed interius de die in diem ipsa perficietur visione, quæ tunc erit post judicium facie ad faciem : nunc autem proficit per speculum in ænigmate. (*Greg.*) Sciendum vero est quia aliquando nos adversarius, aliquando autem conteret Deus, ex contritione autem adversarii a virtute deficimus : per contritionem vero Domini fracti a vitiis in virtute roboramur, hanc contritionem propheta conspexerat, cum dicebat : *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli conteres eos* (*Psal.* II). In virga nos Dominus regit et conterit, quia dispensationis suæ forti rectitudine, cum nos interius reficit, exterius affligit : nam quo virtutem carnis humiliat, intentionem spiritus exaltat, unde et hæc eadem contritio figuli vasi cooperatur, sicut per Paulum dicitur : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*, qui simul contritionem et regimen exprimens ait : *licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem.*

Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. (Ambr.) Præsentis temporis tribulationes, quæ causa fidei ingeruntur, momentaneas et leves dicit, quia sunt temporales, supra modum tamen in sublimitate æternum pondus gloriæ operari patientibus, parvis enim laboribus magna redditur merces, et pro levi tribulatione supra modum sublimitas gloriæ pensabitur perpetuæ.

Digitized by Google

Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt. Desiderium cœlestium et spiritalium habentes, hæc præsentia et terrena spernere profitetur, qui ad comparationem spiritalium hæc nulla sunt; sic enim sunt hæc ad superna, quomodo figura ad veritatem : figura deperit, veritas manet, ac per hoc de sæculo isto exire non metuunt justi, sed gaudent.

CAPUT V.

Agit de præmio justorum, et desiderio et præparatione ad illud.

Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quia ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. (Greg.) Sancti enim prædicatores Ecclesiæ in præsentia spiritus gaudium futurum contemplantur, qui posteaquam de corporibus transeunt, non per morarum spatia, sicut antiqui patres a cœlestis patriæ perceptione differuntur, mox quippe ut a carnis colligatione exeunt, in cœlesti sede requiescunt, Paulo attestante, qui ait : *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* Prius enim quam Redemptor noster morte sua humani generis pœnam solveret, eos etiam qui cœlestis patriæ vias secuti sunt, prius egressum carnis inferni claustra tenuerunt, non ut pœna quasi peccator plecteretur, sed potius in locis remotioribus quiescentes, quia necdum intercessio mediatoris advenerat, ab ingressu regni reatus primæ culpæ prohibuerat. Unde juxta idem Redemptoris testimonium, dives qui apud inferos torquetur, in sinu Abrahæ requiescere Lazarum contemplatur (*Luc.* XVI), qui profecto, si adhuc in imis non esset, hoc ille in tormentis positus non videret. Unde et idem Redemptor pro nostræ culpæ debito occumbens inferna penetrat, ut suos, qui ei inhæserunt, ad cœlestia reducat : sed quo nunc homo redemptus ascendat, illuc profecto si peccare noluisset, etiam sine redemptione pertingeret. Sederet ergo vir sanctus quia si non peccasset illuc etiam non redemptus ascenderet, ad quod prædicatores sanctos post redemptionem necesse est cum magno labore pervenire. (*Ambr.*) Hac fiducia dicit Apostolus non timendum dissolvi de corpore violentia infidelium, aut sorte vitæ, quia præparata est hujusmodi hominibus habitatio in cœlis æterna, ut de temporali et terrena expulsi, in perpetuam domum recipiantur. Unde hoc et optandum est, sed quia optandum non est, ne in tua gloria alius pereat, si tamen acciderit, libenter ferendum est. Terrestrem enim domum carnem hanc dicit, quia mortalis est, ut si de hac dissoluti fuerimus, ædificatam inveniemus in cœlis domum æternam : hæc domus corpus immortale significat, in quo resurgentes semper erimus, cujus forma jam in cœlis est in Domini corpore declarata. (*Aug.*) Quanquam Christo inhærere cupiamus, mori tamen nolumus, et ideo libenter vel potius patienter patimur pro Christo, quia alius transitus non datur, ut ei cohæreamus : nam si possemus aliter pervenire ad Christum, quis vellet mori ? naturam quippe nostram, id est, consortium animæ quoddam et corporis, et quamdam in his duobus familiaritatem congeminationis atque compaginis exponens Apostolus ait, habere nos domum non manufactam, æternam in cœlis, id est, immortalitatem præparatam nobis, qua induendi sumus in fine, cum resurrexerimus a mortuis.

Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cœlo est superindui cupientes : si tamen vestiti, et non nudi inveniamur. Nam et qui sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. (Ambr.) Propterea dicit in precibus ingemisci, ut gloria promissa de cœlis possit resurgentes induere, hoc ergo desiderantes insistunt precibus ne surgentes; recepto utique corpore, nudi, id est, alieni a promissa gloria inveniantur ; hoc enim opus est, ut induta anima corpore Dei judicio superinduatur gloria, quæ est immutatio in claritatem : mors enim de terra est, resurrectio autem de cœlis, si tamen immutemur in gloriam; aliqui codices sic habent, *siquidem exspoliati, non nudi inveniamur*, id est, si exeuntes de corpore Christum vestiti fuerimus : quia quicunque in Christo baptizatur, Christum induit. Si itaque in forma baptismi et traditione manserimus exspoliati corpore, non nudi inveniemur : quia in interiore homine habitat Christus, quem cum induti, sive Spiritu sancto dato nobis, videbimur, erimus digni superindui promissa gloria, in illum enim decidit promissa claritas, quem viderit signum adoptionis habere. *Nam cum sumus*, inquit, *in isto corpore*, id est mortali, *ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exui, sed superindui, ut absorbeatur mortale hoc a vita.* Idem sensus est. Ideo enim dicit gravatos nos passionibus corporis et ipsius mundi tempestatibus postulationes ad Deum dirigere, ne immutemur victi, et indigni efficiamur, sed et ut contigerit exitus, perseverantes in fide, induti inveniamur sancto Spiritu, qui in substantia Christus est ; tunc enim superindui promissa gloria poterimus, si exuti corpore, non despoliati a sancto Spiritu fuerimus ; sic mortale absorbetur a vita, id est, ut resurgentes superinduamur immortalitate cum gloria, ne ultra mori possit, aut passionibus implicari, hoc est, absorberi a vita, quia ad hoc surgit ne pœnis agatur. *Qui autem perficit nos in hoc ipsum, Deus est qui dedit nobis pignus Spiritum.* Hoc quod ingemiscentes poscimus, id est, non ut exui, sed ut superindui mereamur, juxta supradictum sensum in die judicii Deum perficere dicit, quia promisit et fidelis est, dans hujus rei implendæ pignus Spiritum, ipse est enim signaculum adoptionis nostræ. (*Aug.*) Aggravamur ergo corruptibili corpore, et ipsius gravationis causam non naturam substantiamque corporis, sed ejus corruptionem scientes, nolumus corpore spo-

Digitized by Google

liari, sed ejus immortalitate vestiri : tunc enim erit corpus, sed quia corruptibile non erit, non gravabit. Nam in psalmo scriptum est : *Salvam fecisti de necessitatibus animam meam* (*Psal.* xxx). Quid jam dicam de necessitate ipsius mortalitatis? mori necesse est, et nemo vult quod necesse est, dura necessitas, nolle quod non potest vitari. Nam si sic fieri posset nollemus utique mori et effici quod angeli vellemus, sed commutatione quadam non morte sicut dicit Apostolus : etenim qui sumus in hac habitatione ingemiscimus gravati, eo quod nolumus spoliari, sed supervestiri, volumus pervenire ad regnum Dei, sed mortem nolumus, ingemiscimus gravati, secundum illud Scripturæ alio loco : *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* ix). Ergo. ait, ingemiscimus gravati, sub sarcina scilicet corruptibilis carnis ingemiscimus gravati. Si ingemiscis, libenter pone sarcinam istam, certe ingemiscere se dixit sub hoc onere, gravari se dixit sub sarcina corruptibilis corporis, vide utrum velit hoc onere spoliari, sub quo gravatur, sub quo ingemiscit, non hoc sequitur, sed quod ait, *in quo nolumus exspoliari*. O vocem naturæ, confessionem pœnæ, grave corpus est, onerosum corpus est, corruptibile corpus est, gemit sub illo, et non libenter deseritur ; nolumus, inquit, sic remansurus es gemens? et si ingemiscis gravatus, quare spoliari non vis? non inquit, vide quod sequitur, *nolumus spoliari, sed supervestiri*, sub terrena tunica gemo, ad cœlestem vestem festino ; illam volo accipere, istam nolo ponere, in qua nolumus spoliari, sed supervestiri. Ergo Paule intelligam te, quid dicis, fiet injuria tanta illi cœlesti vestimento, ut veniat tibi super hos pannos mortalitatis et corruptionis, ut hoc sit inferius, illud superius, hoc interius, illud exterius. Absit, inquit, non sic dico, *nolo spoliari, sed supervestiri*, non tamen ut sub incorruptione lateat corruptio, sed ut absorbeatur mortale a vita, bene exclamasti qui Scripturas nosti, sed ne aliquis ignarus Scripturarum verba mea putet, subsecuta Pauli sunt verba, omnia ista apostolica verba sunt, ingemiscimus gravati, *in quo nolumus spoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale a vita*, bene tenes, quod alibi dicis de resurrectione corporis loquens : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria* (*I Cor.* xv). Quod illo loco ait, *ut absorbeatur mortale a vita*, hoc isto loco, *absorpta est mors in victoria*, nusquam mors non infra, non supra, non intra, non extra, absorpta est enim mors in victoria. Ubi est mors contentio tua? *Qui autem*, inquit, *perficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus Spiritum*. Jam responsum est, cum de distantia præsentis et futuri sæculi locuti sumus : hic enim accipimus per pignus Spiritum, et certandi et vincendi vires, ibi autem sine hoste ullo externo et interno, ineffabili ac sempiterna pace perfruemur. (*Greg.*) Quisquis ergo omnia quæ ibi habenda sunt, hic vult habere, fidem se indicat non habere, in Scriptura sacra appellatione pignoris aliquando dona Spiritus sancti, aliquando vero signatur confessio peccati. Pignus namque accipitur donum Spiritus sancti sicut per Paulum dicitur, *qui dedit nobis pignus Spiritum*, at hoc enim pignus accipimus, ut de promissione quæ nobis fit, certitudinem teneamus. Donum ergo Spiritus sancti pignus dicitur, quia per hoc nostra anima ad interioris spei certitudinem roboratur. Rursus pignoris nomine peccati confessio solet intelligi, sicut in lege scriptum est : *Cum debet tibi quippiam frater tuus, et abstuleris pignus ab eo, ante solis occasum pignus restitue* (*Exod.* xxii), qui enim peccatum quod commisit fatetur, et veniam petit, jam quasi pro debito pignus dedit, quod nimirum pignus ante solis occasum reddere jubemur, quia priusquam in nobis per dolorem cordis sol justitiæ occidat, debemus ei confessionem veniæ reddere, a quo confessionem accepimus culpæ.

Audentes igitur semper et scientes quoniam dum sumus in hoc corpore peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus, et non per speciem. (*Ambr.*) Manifestum est, quia per fidem cum Domino sumus, non per præsentiam, ac per hoc peregrinamur non fide, sed specie. Et quare, cum idem dicat in Actis apostolorum : *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus* (*Act.* xvii), hoc loco peregrinari nos a Domino dicat; si ubique est, quomodo hic positi peregrinamur a Domino? sine dubio ubique, imo omnia in Deo sunt, sed quia sedes Dei in cœlis est, et illic semper videtur, ideo hic positi, ubi non videtur, peregrinari ab eo dicimur. Quando enim non eum videmus, licet præsens sit, absentes ab eo sumus. *Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum*. Recte ait, *audemus*, habentes enim fiduciam promissionis Dei, et scientes multum expedire illic esse, quam in sæculo, consentiunt et optant excedere de corpore, ut requiescant usque ad diem resurrectionis sub altare Dei. *Et ideo contendimus, sive absentes, sive præsentes placere illi*. Id agendum dicit, et bonis operibus insistendum, ut sive in hac adhuc vita positi, sive ante tribunal Christi præsentes, placeamus ei. Unde si disciplina servetur, et hic et illic ei placebimus, quia qui hic placet, illic non displicebit. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*. Igitur si judicante Christo, unusquisque nostrum facta corporis recipiet, non utique sine corpore adjudicabitur bono aut malo, et non dixit facta carnis, quia carnis vitia punienda semper sunt, sed facta corporis, quia aliquando spiritaliter, aliquando carnaliter operatur. (*Aug.*) Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequenter Ecclesiæ illi apostolicæ sunt adversa sententiæ, qua dictum est : *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum*. Quia etiam hoc meritum sibi

Digitized by Google

quisque cum in corpore viveret comparavit, ut ei possent ista prodesse, non enim omnibus prosunt. Quare non omnibus prosunt? nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore; faciendum est judicium atque justitia, quod nobis prosit in posterum, quando recipit quisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum, per corpus quippe ibi dixit Apostolus, per tempus, quo vixit in corpore, neque enim si quis maligna mente atque impia cogitatione blasphemet, neque id ullis membris operetur, ideo non erit reus, quia id non motu corporis gessit, cum hoc per illud tempus gesserit, quo gessit et corpus. Intueri convenit Apostoli verba, quia non dixit referre oportere eum qui judicatur, prout gessit ante corpus; manifestum est, quia non ante corpora animæ exstiterunt: si enim ante exstitissent, diceret utique Apostolus, sicut per corpus, ita et ante corpus. *Scientes ergo timorem Domini hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus.* (Ambr.) Quoniam ergo judicium Dei futurum est per Christum ad singulorum discriminanda opera, idcirco Apostolus suadere se dicit ad bonum sensum et vitam, ut auditores ejus securi sint de pœna futura, et ipse glorietur in his habens fructum labiorum suorum, quia quorumdam praviloquio dies judicii Dei in dubium deducitur: *Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala* (*I Cor.* xv). *Hominibus suademus*, ait, ut credant et provideant ne incurrant et tunc pœniteant, quando pœnitentia fructum non habet. *Deo autem manifesti sumus.* Hoc enim prædicabat quod Deus jusserat, et hoc scire dicitur Deus quod bonum est. Denique male agentibus dicit, *Nescio vos* (*Matth.* xxv).

Spero enim et in conscientiis vestris manifestos nos esse. Manifesta erat puritas eorum Corinthiis, quia neque aliquando in adulatione fuerant deprehensi, neque prædicatio illorum displicuerat sanctis, nec ab aliquo illorum quidquam, ut assolet, occulte elicere tentaverant, ut foris simplices apud turbas, intus vero impostores essent. Ideo conscientias illorum pulsat, ut ipsi sibimet testes essent de veritate illorum.

Non iterum nos commendamus vobis. Quoniam superius veram prædicationem suam obtestans, laudare se visus est, nunc eadem significat, non ad laudem suam hoc dicere se, sed ad eorum gloriam, ut gaudeant integram se prædicationem addidicisse, his annuntiantibus. *Sed occasionem damus vobis gloriandi de nobis, ut habeatis aliquid in eos qui in facie gloriantur, et non in corde.* Hoc dicit, quoniam multi per elationem gloriabantur in se de apostolis, profitentes se ab his doctos, qui semper cum Domino fuerunt, ideoque et hic dicit dare se his rationem, per quam et ipsi gloriarentur adversus eos, quia apostolus erat, a quo isti didicerant. Unde in alio loco dicit (*II Cor.* xii): *Nihil minus feci ab his qui valde sunt apostoli*, quod quidem coactus dicit, ne silentium ejus istis obesset. Qui enim in corde gloriatur, superbiam reprimit, sciens quia *humilibus Deus dat gratiam, superbis autem resistit* (*Jac.* iv); superborum enim mens fructum non facit de Deo dignum.

Sive ergo mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis. Hoc dicit, quia si elate vel superbe putatur locutus, quia laudare se visus est, verum dicens, Deo hoc remittendum; si autem non superbe intelligitur, sed ad gloriam audientium esse locutus, Corinthiis proficere dicit, ut tunc sanum sit dictum audientibus, si ita intelligatur ut dictum est; si autem jactanter putetur dictum, velut insanum a Deo dimittendum: omnis enim superbia velut insania habetur. Unde ipsa Veritas in Evangelio ait: *Videbitis cœlum apertum, et angelos ascendentes et descendentes supra Filium hominis* (*Joan.* i). Audi uno loco ipsum Apostolum ascendentem et descendentem in una sententia: *Sive enim*, inquit, *mente excessimus, Deo; sive temperantes sumus, vobis.* Quid est mente excessimus? ut illa videamus quæ non licet homini loqui. Quid est temperantes sumus vobis? *Nunquid judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum et hunc crucifixum?* (*I Cor.* ii.) Si ipse Dominus ascendit et descendit, manifestum est quia et prædicatores ipsius ascendunt in illuminatione, descendunt prædicatione. Verbum extasis Græcum, Latine quantum datur intelligi, verbo uno exponi potest, si dicatur, excessus; in excessu vero mentis duo intelliguntur, aut pavor, aut intentio ad superna, ita ut quodammodo de memoria labantur inferna. In hac extasi fuerunt omnes sancti, quibus arcana Dei mundum istum excellentia revelata sunt. De hoc mentis excessu, id est, extasi, Paulus cum loqueretur, se ipsum insinuans ait; *Sive enim*, inquit, *mente excessimus, Deo, sive temperantes sumus, vobis, charitas enim Christi compellit nos:* hoc est, si ea tantum agere velimus, et ea tantum contemplari quæ mentis excessu intuemur, vobiscum non essem, sed essem in supernis, tanquam contemptis vobis; et quando nos ad illa superiora et interiora infirmi passu sequeremini, nisi rursus compellente nos charitate Christi, *qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Phil.* ii). Et nos consideremus nos esse servos, et non ingrati ei a quo accepimus altiora propter eos qui infirmi sunt, non contemnéremus inferiora, et temperaremus nos eis qui non possunt nobiscum videre sublimia. Hoc ergo ait, *sive mente excessimus Deo*, ille enim videt quod videmus in mentis excessu, ille solus revelat secreta sua, quippe ille hoc loquitur qui se dicit abreptum esse et ablatum usque ad tertium cœlum, et audisse ineffabilia verba quæ non licet homini loqui. Tantus autem fuit ille mentis excessus ut diceret *sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit* (*II Cor.* xii).

Charitas enim Christi urget nos, æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est. Quoniam Christus diligens genus humanum, ut eos redimeret, morti se dedit, ideo apostoli, ut vicem ei reddant, homines ex aliqua parte exhortantur ad ejus obse-

Digitized by Google

quium, et ut eos attrahant necesse est ut verum se prædicare testentur, aliis prava docentibus, nec suum meritum taceant, ut malorum doctorum pœnam designent. Non ergo elatione mentis hæc agebant, sed ut donum Christi intelligeretur ab hominibus, et fideliter devoti ei gratiarum actiones referrent. Propter Christi ergo charitatem quæ et quanta ejus dona circa diligentes eum sint non tacent, non jactantiæ causa, sed ut invitent audientes ad ejus devotionem, ne mors Christi infructuosa videretur, non ut laus apostolorum nosceretur. Per meritum enim et gloriam apostolorum agnoscitur Christi gratia et beneficium Dei. *Ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt jam non sibi ipsi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* Quia omnes necesse est mori causa Adæ pro omnibus mortuus est Christus, ut eos a secunda morte liberaret; ideoque qui vivunt in corpore, scientes Christum mortuum esse pro se, sint ei subditi profitentes hunc Dominum; quia enim prodest mors ejus, testimonium perhibet resurrectio ejus. Igitur hic sibi non vivit qui paratus est domini sui facere voluntatem. (*Aug.*) Omnibus bonum est audire vocem Filli Dei, et vivere ad vitam pietatis, ex impietatis morte transeundo, de qua morte ait apostolus Paulus: *Ergo omnes mortui sunt et pro omnibus mortuus est, ut et qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, sive originalibus, sive etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod justum est, et pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus, id est, nullum omnino habens peccatum, ut qui remissione peccatorum vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro omnibus *mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV).

Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem, et si cognovimus secundum carnem Christum, nunc jam non novimus. (Ambr.) Verum est quia, Christo resurgente a mortuis, jam cessat in eo carnalis nativitas, cessat infirmitas corporis, cessat passio mortis. Usque ad crucem enim suspicio fuit infirmitatis in Christo, post autem apparuit esse quod non credebatur, sicut et ipse ait: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quoniam ego sum* (*Joan.* VIII). Hoc ergo idcirco Apostolus memorat ut ostendat qua devotione obsequendum est Christo: pro salute enim hominum non solum hominem se nasci non dedignatus est, sed et injuriis agi et mori voluit; ut intelligentes quam pretiosa sit mors ejus, propensius illi serviant, non quasi homini vicem reddentes, sed Deo: quia unicuique pro persona ejus et meritis refundenda obsequia sunt. *Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt nova.* Manifestum est quia per Christum renovata sunt omnia, si animadvertant dignitatem ejus: novus enim fit his quibus prius homo tantum videbatur, cum intelligitur esse Deus, ut recedente infirmitate agnoscatur divinitas, et cessante errore vetere, qui introducta multorum deorum opinione, ab unius Dei veri fide transduxerat genus humanum, revertantur omnia ad simplicitatis professionem, unum Deum adorantia in Trinitate. *Nos*, inquit, *amodo neminem novimus secundum carnem, et si noveramus secundum carnem Christum, sed jam non novimus.* (*Aug.*) Certe jam nunc cuivis apparet, propter resurrectionem Christi hoc dixisse Apostolum, quandoquidem ista verba illud præcessit, ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. Quid est enim aliud *non sibi, sed illi vivant*, nisi non secundum carnem vivant in spe terrenorum et corruptibilium bonorum, sed secundum Spiritum in spe resurrectionis, quæ jam ex ipsis in Christo facta est. Itaque eorum pro quibus Christus mortuus est et resurrexit, et qui jam non sibi, sed illi vivebant, neminem secundum carnem Apostolus noverat, propter spem futuræ immortalitatis, in cujus exspectatione vivebant, quæ in Christo non spes, sed res erat: quem etsi noverat secundum carnem cum adhuc moriturus esset, jam tamen non noverat, quia eum resurrexisse noverat, et ultra ei mortem non dominaturam, et quia omnes in illo etsi nondum re, jam tamen spe, hoc sumus. Sequitur et dicit: *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, et ecce facta sunt nova.* Omnia autem ex Deo qui reconciliavit nos sibi per Christum. Omnis ergo nova creatura, id est, populus innovatus per fidem, ut habeat interim in spe, quod in re postea perficiatur in Christo, habet jam quod in se sperat. Itaque nunc vetera transierunt secundum spem, quia jam modo non est tempus Veteris Testamenti, quo temporale atque carnale regnum exspectetur a Deo, et facta sunt omnia nova secundum spem, ut regnum cœlorum, ubi nulla erit mors atque corruptio, promissum teneamus. In resurrectione autem mortuorum non jam secundum spem, sed secundum rem, et vetera transibunt, *cum inimica novissima destruetur mors* (*I Cor.* XV), et fient omnia nova, *cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem* (*II Cor.* IV), quod jam factum est in Christo, quem secundum rem jam non noverat Paulus secundum carnem, eorum vero pro quibus mortuus est et resurrexit, non secundum rem, sed secundum spem neminem noverat secundum carnem, quia illius gratia, sicut idem Ephesiis dicit, sumus salvi facti. *Etsi noveramus*, inquit, *secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus*, etiam ipsam quippe carnem Christi, non secundum carnem novit, qui Verbum carnem factum spiritaliter novit.

Omnia autem ex Deo. (Ambr.) Quamvis Christus nos redemerit, omnia tamen ex Deo, quia ab ipso est omnis paternitas, ideoque necesse est præferri personam Patris. *Qui reconciliavit nos sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum. Et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione*

Digitized by Google

fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo : eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. Deus omnipotens genitor Christi, cum omnia quæ per Christum fecerat, errore caduca fuissent effecta, Creatoris sui oblita, Christum Dominum nostrum de sacris sedibus ad terrena mittere dignatus est, factum carne in specie hominis, ut forma esset hominibus, quemadmodum sibi Deum creatorem suum pacificum facerent. Deus ergo erat in Christo, quomodo? quasi in vicario aut legato, sicut fuit in prophetis, aut aliter? non sicut fuit in prophetis, sic intelligi potest et fuisse in Filio? Filius enim naturaliter legatus est Patris Dei, unde dicit : *Quia Pater in me est, et ego in Patre* (*Joan.* XIV). Pater enim per id intelligitur esse in filio, quod una eorum sit substantia : ibi est enim unitas, ubi nulla est differentia, ac per hoc invicem sunt, quia et imago et similitudo eorum una est, ut videns Filium, vidisse dicatur Patrem : *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV). Recte ergo dicitur : *Deus erat in Christo*, hoc est, Pater in Filio, *mundum reconcilians sibi*, non reputans illis delicta eorum, quoniam creatura peccavit in Deum, nec pœnituit ut reverteretur ad eum. Deus opus suum nolens perire, misit Filium suum, per quem, prædicata eis remissione peccatorum, reconciliaret eos sibi per ipsum, per quem nos creaverat. Sive ergo per Filium, sive per servos Deus exhortatur populum, quia ad ipsum omnis summa referenda est, cujus voluntate et providentia Christus incarnatus est ad salutem hominum redimendam, qui cum revèrti vellet ad Patrem, dispensationem acceptam a Patre dedit discipulis. *Orantes pro Christo reconciliari Deo*, hoc est quod dixi, quia pro Christo vicarios dedit apostolos, ut pro ipso prædicarent reconciliari Deo. (*Aug.*) *Pro Christo*, inquit, *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo*, id est, tanquam Christus obsecret nos, *reconciliari Deo.* Si exhortatur et obsecrat Apostolus, ut reconciliemur Deo, inimici eramus Deo : nemo enim reconciliatur, nisi ex inimicitiis; inimicos autem nos non natura, sed peccata fecerunt. Quomodo autem reconciliamur nisi solvatur quod inter nos et ipsum separat, est enim medium separans, sed contra est mediator reconcilians; medium separans est peccatum, mediator reconcilians est Dominus Christus : *Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* (*I Tim.* II). Ut ergo tollatur materia separans, quod est peccatum, venit ille mediator, et factus sacrificium sacerdos ipse, et quia sacrificium factus est pro peccato offerens scipsum in holocaustum in cruce passionis. Sequitur Apostolus et dicit, cum dixisset, *obsecramus pro Christo reconciliari Deo*, quasi diceremus, quomodo poterimus reconciliari, obsecramus, inquit, pro Christo reconciliamini Deo. (*Greg.*) Ecce inter nos et Deum discordiam peccando fecimus, et tamen ad nos Deus suos legatos prior misit, ut nos ipsi qui peccavimus, ad pacem Dei rogati veniamus. Erubescat ergo humana superbia, confundatur quisque si non satisfaciat prior proximo, quando post culpam nostram, ut ei reconciliari debeamus, et ipse qui offensus est legatis intervenientibus obsecrat Deus. *Eum qui non noverat peccàtum pro nobis peccatum fecit.* (Ambr.) Deum dicit Patrem peccatum fecisse Filium suum Christum, cum utique qui peccatum nesciebat, id est, qui non peccaverat, quia factus caro non immutatus, sed incarnatus factus est peccatum. Sicut qui fit præfectus non amittit quod erat, sed assumit utique quod non erat. Homo ergo factus est Christus causa peccati, quem non tangebat sors, neque dignitas nasci hominem : propter quod enim omnis caro sub peccato est, ideo factus caro, factus est peccatum, et quoniam oblatus est pro peccatis, non immerito peccatum factus dicitur, quia hostia in lege, quæ pro peccatis offerebatur, peccatum nuncupabatur, *ut nos essemus justitia Dei in ipso* qui peccatum nesciebat, dicente Isaia : *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* (*Isa.* LIII ; *I Petr.* II), quasi peccator occisus est, ut peccatores justificarentur apud Deum in Christo. Zelum enim passus est Satanas adversus Salvatorem, videns eum docere homines quomodo sibi propitium facerent Deum, abrenuntiantes diabolo, et propter hoc occidit eum nesciens futurum adversus se. Christus enim post crucem descendens ad inferos, devicta morte, quia qui peccatum nesciebat, teneri a morte non poterat, quia mors per peccatum exinanivit infernum, ut mors justi peccatoribus proficeret, ut de cætero mors eos qui signum crucis habent, tenere non possit. (*Aug.*) In Vetere quippe Testamento peccata vocabantur sacrificia pro peccatis, quod vere iste factus est, cujus umbræ erant illa : hinc Apostolus cum dixisset, *obsecramus pro Christo reconciliari Deo*, continuo subjunxit atque ait, *eum qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso.* Non ait, ut in quibusdam mendosis codicibus legitur, *is qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit*, tanquam pro nobis Christus ipse peccaverit; sed ait, *eum qui non noverat peccatum*, id est Christum, *pro nobis peccatum fecit Deus*, cui reconciliandi sumus, hoc est sacrificium pro peccatis, per quod reconciliari valeremus : ipse ergo peccatum, ut nos justitia : nec nostra, sed Dei; nec in nobis, sed in ipso : sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum : nec in se, sed in nobis, constitutum similitudine carnis peccati in qua crucifixus est demonstravit, ut quoniam peccatum ei non inerat, ita quodammodo peccato moreretur dum moritur carni, in qua erat similitudo peccati.

CAPUT VI.

Hortatur ad bonum suos Apostolus in futuro agendum, quantum ad exteriorem conversationem interiorem devotionem, ac infidelium vitationem.

Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. (Ambr.) Duplici genere Apostolus humanæ salutis curam subjicere contendit, ut et

Digitized by Google

Dei providentiæ devotus existeret, et hominibus charitatis officium exhiberet. *Ait enim : Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te.* Hoc scriptum est in Isaia propheta, prædestinatam docet gratiam Dei in tempore Christi : sic enim discrevit Deus affluere misericordiam suam, ut in nomine Christi poscentibus auxilium largiretur. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.* Tempus adesse dicit, quo possint ad indulgentiam proficere peccatores : tempus adesse dicit, quo morbis mortalibus medicina possit infundi, et ideo se sollicitum esse circa ægrorum salutem, ne forte negligentia aliqua medicinæ gratiæ effectu careret bonæ voluntatis suæ. Fide ergo et vigilantia sua omnem offensionem negligentibus amputat, ne horum forte segnitia occasionem offensionis pareret discipulis, ac per hoc liberos se significant, quia quod salutare est simpliciter omni instantia prædicant : unde subjecit, *ne vituperetur ministerium nostrum :* vituperaretur enim ministerium ipsorum si ea quæ verbis docebant, operibus suis ut fierent, exempla non darent. *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros.* Dei ministri sine adulatione docent, ut ei cujus ministri sunt, placeant : non sicut pseudoapostoli scientes non se a Deo missos, præsenti utilitati studebant. *In multa patientia.* Patientia est, quæ salvat homines, nisi enim patientia abusus esset, quomodo salvasset Corinthios, quos post prædicationem suam tantis vitiis morum et erroribus diversarum sectarum invenerat involutos, quos patientia sua paulatim ad veram doctrinam revocat? *In tribulationibus.* Pressuras pertulit, sciens quid a Deo pro his sit promissum. *In necessitatibus.* Necessitas erat etiam in pressura positum docere, quia a Domino erat missus. *In angustiis.* Spe futuri angustiatus perfidorum oppositionibus non cessit. *In plagis.* A Judæis et gentilibus cæsus frequenter, non tacuit gratiam Christi. *In carceribus.* Sæpe in carcerem missus contempta salute sua, etiam illic donum Dei prædicavit. *In seditionibus.* In tantum Deo devotus erat, ut nec perturbatio fiduciam quam in Deo habebat, minueret. *In laboribus.* Laborare non destitit manibus suis, ne cui gravis esset, certus, hoc sibi proficere apud Deum. *In vigiliis.* Tam sollicitus erat circa officium delegatum sibi, ut nec nocte cessaret. *In jejuniis.* Aliquando voluntaria, aliquando necessitatis jejunia pertulit causa penuriæ, et Deo gratias egit spiritaliter se pascenti, quia ideo contentus erat, ne ventris causa inclinaretur. *In castitate.* Castitatem sive corporis, sive Evangelii vindicans, non paucos fecit inimicos. *In scientia.* Legis et Evangelii scientiam, non in sapientia humana neque in simulatione asserens, Deo se fidelem dispensatorem Christi exhibuit. *In longanimitate.* Grandis animi erat in bajulandis infirmitatibus fratrum, et in contemptu mundi hujus, unde alio loco dicit (*Gal.* VI) : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. In benignitate,* benignus erat, quia sicut arguebat, ita et blandiebatur, ut post correptionem leni exhortatione consolaretur. *In Spiritu sancto.* Spiritus sanctus effugit fictum : quoniam ergo sinceriter docebat, in Spiritu sancto Dei donum tradebat. *In charitate non ficta.* Simulata charitas in his est qui in necessitate deserunt fratres ; unde hic semper necessitates fratrum suas faciens, simplex erat in charitate ; compatiebatur enim omnibus, sicut alio loco dicit (*II Cor.* XI) : *Quis scandalizatur, et ego non uror ?* Hæc enim vera charitas est, si sua utilitate contempta ejus curam habet, quem diligere se profitetur, quod semper fecit Apostolus. *In verbo veritatis.* Verbum veritatis erat in ejus doctrina, quia non aliud tradebat quam a Domino acceperat. *In virtute Dei.* Virtus in eo Dei erat, quæ per signa atque prodigia Dei hunc idoneum ministrum probabat. *Per arma justitiæ a dextris et sinistris.* (Cass.) Per arma justitiæ quæ a dextris sunt et a sinistris recto moderamine transeundum est, et ita inter utrasque nimietates discretione moderante gradiendum, ut nec a tradito continentiæ tramite nos acquiescamus abduci, nec rursum remissione noxia in gulæ ventrisque desiderium concidamus. Libram se significat fuisse et fidelibus, et infidelibus, et incredulis, arma justitiæ enim perimunt iniquitatem. (*Greg.*) Non hunc adversa frangebant, non prospera in mentis timore sublevabant : hinc et inde ergo gestabat palmam, quia et in adversitate fortis, et in prosperitate humilis permanebat. Quisquis enim de prosperis extollitur habere in parte dextra palmam nescit : quisquis in adversitatibus frangitur, portare palmam a sinistro latere ignorat. Ut ergo hinc et inde palma gestetur, in fronte adesse semper nostris mentibus debet, et in adversis fiducia, et in prosperis timor, ne aut adversa in desperationem pertrahant, aut prospera animum in sui fiducia extollant. Item, cum ad sola quæ interiora sunt nititur, in nullo dilectionis infimæ latere flectatur, ne hunc prospera elevent, non adversa perturbent, non blanda usque ad voluntatem demulceant, non aspera ad desperationem premant, ut dum nullis passionibus intentionem mentis humiliat, quanta in utroque humero superhumeralis pulchritudine tegatur ostendat, quod recte etiam superhumeralis ex auro hyacintho, purpura distincto cocco et torta fieri bisso præcipitur, ut quanta sacerdos clarescere virtutum diversitate debeat, demonstretur. Sæpe enim laus bene agentis auribus insolenter admota dum foras sermonibus perstrepit, intus quamdam menti pertacitam elationis tempestatem gignit ; fitque ut hoc, quo animus de humanis favoribus gaudet, non facile exterius ostendat, sed tamen corruptionis vim non tenuiter interius sentiat. (*Cass.*) Itaque via regia volentem incedere per arma justitiæ, quæ a dextris sunt et a sinistris oportet apostolica disciplina transire per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, et tanta cautione, ne intumentes tentationum fluctus, gubernante discretione, et flante nobis Spiritu Domini iter dirigere virtutis, ut dextra lævaque si paululum de-

Digitized by Google

flectamus, sciamus nos perniciosis morum cantibus illidendos. Itaque per sapientissimum Salomonem monemur: *Ne diverteris ad dexteram, neque ad sinistram* (*Prov.* III), id est, nec tibi virtutibus blandiaris, et dextris successibus ac spiritalibus extollaris, nec deflectens ad sinistram tramitem vitiorum secundum Apostolum, gloriam tibi ex eis in tua confusione conquiras. *Per gloriam, et ignobilitatem.* (Amb.) His qui Evangelium Dei gloriam æstimabant, manifeste integrum et fidelem se prædicatorem dicit; simili modo et eis, qui verba divinæ doctrinæ ignobilitatem et deformationem putabant, fidelem se Dei ministrum exhibuit, dum non terretur neque pudorem patitur ea illis loqui quæ horrerent audire. *Per infamiam et bonam famam.* Etiam his integrum se Dei dispensatorem præbuit, qui fidei bonam opinionem faciebant, et qui malam, dum non metuit hanc invidiam, sed constans est. (*Cass.*) Omnia igitur quæ prosperare putantur, et dextræ dicuntur partes, quæ sanctus Apostolus gloriæ et bonæ famæ vocabulo designavit. Illa etiam quæ existimantur adversa, quæ per ignobilitatem et infamiam evidenter expressit, quæque a sinistris esse describit, efficiuntur viro perfecto arma justitiæ, si in lato sibi magnanimiter sustentaverit, quod videlicet per hæc dimicans, et istis ipsis quibus impugnari putatur, adversis tanquam armis utendo eisque velut arcu et gladio scutoque validissimo contra illos qui hæc ingerunt, communitus, profectum sibi patienti æac virtutis acquirat, gloriosissimum constantiæ triumphum ex ipsis quæ lethaliter inferuntur, capiens hostium telis, nec prosperis duntaxat elatus, nec dejectus adversis, sed itinere plano et via regia semper incedens, ab illo tranquillitatis statu nequaquam lætitia superveniente quasi in dextera motus, nec ingruentibus adversis tristitiaque dominante velut ad lævam rursus impulsus. *Pax* enim *multa diligentibus nomen tuum, et non illis scandalum* (*Psal.* CXVIII).

Ut seductores et veraces. (Ambr.) Increduli seductores eos vocabant, fideles contra veraces eos et simplices pronuntiabant, nec hoc odio cedit ut superducat fucum veritati. *Sicut qui ignoti, et cogniti.* Malis ignoti erant, bonis noti, agnoscebant enim in his veritatem. *Quasi morientes, et ecce vivimus.* Odio illos habentes quotidie putabant non evadere minas iniquitatis. Isti autem qui a Deo propitio docebant auxilio Christi tuti præstolabantur a morte præsenti et futura. *Ut castigati, et non mortificati.* Tentati videbantur, quando sic tractabantur ut credere putarentur, et quia non vincebantur, morti non addicebantur: hic enim addicitur morti, qui in fide non permanet, sed morti non huic, sed futuræ. Potest et de præsenti morte intelligi: tentari enim eos patiebatur Deus, ut pressuris crescerent merito, non tamen permittebat eos occidi. *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Verum est, quia tristitia hæc gaudium operatur, et qui eos injuriis contristabant gaudium eorum exaggerabant. *Sicut egentes, multos autem locupletantes.* Quantum ad præsentem vitam pertinet, pauperes videbantur, sed spiritales divitias credentibus largiebantur, egeni in terris, in cœlis divites. *Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes.* Hoc fuit in apostolis gloriosum, ut sine sollicitudine et nomine possidendi, non solum ea quæ in possessionibus erant, sed et ipsos eorum dominos possiderent. Omnia enim necesse erat ante pedes eorum poni causa virtutum, sicut legimus in Actis apostolorum (*Act.* IV). [*Greg.*] Libet inter hæc oculos mentis attollere ad electos Dei exterius oppressos, quantæ intrinsecus arci præsideant videre, cuncta quippe quæ foris eminent, occultis eorum obtutibus per despectum jacent. Nam super se interius rapti, in alto animum figunt, et quæque in hac vita patiuntur, quasi longe infra labentia atque a se aliena conspiciunt, utque ita dixerim, dum mente extra carnem fieri decertant, pene ipsa quæ tolerant, ignorant. In horum profecto oculis, quidquid temporaliter eminet altum non est; nam vel ut in magni vertice montis siti præsentis vitæ plana despiciunt, seque ipsos per spiritalem celsitudinem transcendentes subjecta sibimet intus vident, quæque per carnalem gloriam foris tument. Unde et nullis contra veritatem potestatibus parcunt, sed quos attolli per elationem conspiciunt, per Spiritus auctoritatem premunt. *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii.* (Ambr.) Hoc libertatis causa loquitur, et puræ conscientiæ, male enim sibi conscia mens loqui trepidat, sensum perdit, in verbis errat. *Cor nostrum dilatatum est*, eorum cor dilatatur qui fiducia bonæ conversationis gaudent in sese, aut certe spe futuri præmii in tribulationem non angustantur, quia sicut in hac vita nisi præcesserit labor, redditus non sequetur, ita et in rebus divinis, si non exitia antecerint, præmium non consequetur.

Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris, eamdem mercedis habentes retributionem. Hoc dicit quia non oberat magistris, si discipuli male verterentur, contemnentes vigorem doctrinæ, quia unusquisque pro operibus suis mercedem accipiet, quia quod ad magistros pertinet non tacuerunt dicente Domino ad Ezechiel prophetam: *Exalta vocem tuam et loquere ad plebem, et si te audierint, lucraberis eos* (*Ezech.* III). [Greg.] Si quominus tu animam tuam salvabis. Cum ab infirmis auditoribus se intelligi non posse conspiciunt, solent plerumque etiam justi laudati bona quæ dicunt, non quod ipsi suis inhiant, sed quo auditores suos ad audiendi sollicitudinem accendant, ut dum eorum voce proferuntur ab illorum cordibus arcanis, et multa dixisset, adjunxit, *os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est*, sed arrogantes dum cor bonorum nesciunt, et solas aliquando voces imitantur, efferunt laudando quæ dicunt, non quod eis torpor audientium displicet, sed quod sibi inhiant placent; justorum voces imitantes simulant, sed vim vocis ignorant, vident quod justi proferunt, sed nesciunt quod requirunt.

Digitized by Google

Tanquam filiis dico : Dilatamini et vos, et nolite jugum ducere cum infidelibus. (*Amb.*) Ad bonam conversationem et spem eos hortatur, ut fidentes et purgantes conscientias suas, possint in semetipsis gaudere, habentes fiduciam puræ mentis, sicut et eorum magistri, separantes se ab infidelium societate in operibus malis ; et bene ergo agendo et futura sperando dilatari vult illos animo, qui enim laborat et futura non credit, sicut infidelis angustiatur desperatione futuri. (*Aug.*) Latitudo mandati charitas est, quia ubi charitas, non sunt angustiæ. In ipsa latitudine erat Apostolus, cum diceret : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est, non angustiamini in vobis*, ideo ergo latum mandatum tuum valde. Quod est latum mandatum? *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis ;* charitas ergo non angustatur. Vis non angustari in terra? in lato habita : quidquid enim tibi fecerit homo, non te angustat, quia illud diligis Dei quod non nocet, homo Deum diligis, fraternitatem diligis, legem Dei diligis, Ecclesiam Dei diligis ; sempiterna erit, laboras in terra, sed pervenies ad fructum promissum, quis tibi tollit quod diligis?

Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci cum tenebris? quæ autem conventio Christi cum Belial? aut quæ pars fideli cum infidele? qui autem consensus templo Dei cum idolis. (*Amb.*) Manifestum est hæc quæ enumerat esse contraria, ac per hoc fugiendum ab his docet quia dicit Dominus, *Nemo potest duobus Dominis servire*, lex etenim justitiam prædicat, ut fugiatur iniquitas. Lumen ostendit, quod est veritas, ut ab ignorantia, quæ tenebræ sunt, recedatur. Christum in Dei mysterio annuntiat, ut a diabolo, qui se Deum mentiri vult, abscedatur; credentibus vitam pollicetur æternam, ut perfidia exuti, ab omni infidelium errore sint alieni. Idola prohibuit coli, quia templo Dei sunt inimica. (*Cass.*) Habet unumquodque vitium in corde nostro propriam stationem, quam sibi vendicans in animæ nostræ recessu exterminat Israelem, id est, contemplationem rerum summarum atque sanctarum, eisque semper adversari non desinet : non enim possunt virtutes cum vitiis pariter morari. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci cum tenebris? sed cum ab Israelis populo, id est, a virtutibus contra se dimicantibus fuerint vitia superata, locum quem sibi in corde nostro concupiscentiæ vel fornicationis Spiritus retinebat, deinceps castitas continebit, quem furor ceperat, patientia vendicabit, quem tristitia mortem operans occupaverat, salutaris et plena gaudio, tristitia possidebit, quem acedia vastabat, incipiet colere fortitudo, quem superbia conculcabat, humilitas honestabit, et ita singulis vitiis expulsis eorum loca, id est, effectus virtutes contrariæ possidebunt, quæ filii Israel, id est, animæ videntes Deum, non immerito nuncupantur, qui cum universas cordis expulerint passiones, non tam alienas possessiones pervasisse, quam proprias recuperasse credendi sunt. *Vos enim estis templum Dei vivi.* (Ambr.) Nihil tam inimicum homini, quam idola, quia ab unius Dei fide cogunt recedere.

Sicut dicit Deus : Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens. Interim primæ causæ sensum explicemus, ut cujus personæ verba sint declaremus dicentes : *Quoniam inhabitabo in illis et inter eos ambulabo, et ero illorum Deus et ipsi erunt mihi populus.* Hæc verba Christi sunt, hoc est enim quod et inter cætera Jeremias testatus est, dicens : *Post hæc in terris visus est, et inter homines conversatus est* (*Baruch* III). Hic enim habitavit in nobis, dicente apostolo Joanne : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Et quia Deus noster est, dicit iterum Jeremias : *Hic est Deus noster*, et quia populus ejus sumus, dubium non est, Ecclesia enim Christi est ; ideoque separari nos vult ab omni contaminatione, ut suscipiat nos in filios, sicut dicit : *Filioli, adhuc modicum tempus vobiscum sum* (*Joan.* XIII), et quia omnipotens est, puto ambigi non debere ; si enim sicut ipse dicit : *Quæcunque facit Pater, eadem et Filius facit similiter* (*Joan.* V), hoc est Filium omnia posse quæ potest et Pater. Si quid non potest Pater, non potest et Filius, sed idoneus est Filius qui dicit de Patre : *Apud Deum autem omnia possibilia sunt* (*Matth.* XIX); hoc testimonio et nos ad puram vitam exhortatus est, et Dominum nostrum Jesum, jam olim Deum nostrum et susceptorum nos in affectu charitatis suæ prædestinatum ostendit.

CAPUT VII.

Monitio utilis Apostoli præmittitur, atque Corinthii de præteritis bonis commendantur.

Has igitur habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. (Ambr.) Manifesta sunt quæ dicit : inquinamentum tamen carnis multifarie intelligendum est. Ideo etenim non dixit, ab inquinamento carnis, sed *ab omni inquinamento*, ut tota vitia carnalia fugiamus. Omne enim quod lex prohibet carnale est, *ut perficiamus sanctitatem Spiritus in timore Dei.* Sanctitatem sic perficimus Spiritus, si in timore Dei recta sequamur, ut sub nomine Christi a peccatis nos abstinentes sancti simus; qui enim sine promissione Christi a vitiis se cohibere videntur, sanctificati sunt juxta mundum, non secundum Dei Spiritum, quia secundum Deum hi mundi sunt, qui fideles sunt, cæteri vero qualescumque sint, immundi sunt : quidquid enim sine Christo est, immundum est, sicut dicit ad Titum : *quia infidelibus nihil mundum est, inquinata est enim eorum mens et conscientia* (*Tit.* I).

Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus. Considerare vult illos

Digitized by Google

quæ dicit, ut receptis his in animum, conferant secum vera esse quæ loquitur, et spernentes hos quos tangit, omnem animum transferant ad eos quos vident vero affectu se diligere. Pseudoapostoli enim erant, qui et nocebant illis corrumpentes sensum illorum, et gravabant sacculos eorum circumventione serpentinæ astutiæ. *Non ad condemnationem dico.* Hoc est, non vos abjicio, sed ut corrigatis moneo; qui enim aliquem contemnet, non illi dimittit. *Prædiximus enim quod in cordibus nostris estis ad commoriendum, et ad convivendum.* Ex prædictis vult illos cognoscere, quo animo loquatur ad eos: quos enim participes vult habere, et ad præsentes passiones pro Christo, et ad futuram vitam non utique illos abjicit, sed ut participatione dignos se faciant, exhortatur. *Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Fiducia hæc de primæ Epistolæ correptione est, quam quia non aspere susceperunt fiduciam dederunt admonendi se. Visi sunt enim velle corrigere se, unde gloriatur: pro his animum etiam suum consolatum ex hac parte pronuntiat, in tantum, ut in omni pressura superabundare se gaudio protestetur. Videns enim esse spem in his pro quibus angustias patitur gaudet, cum contribulatur, certus mercedem se a Deo accepturum acquisitæ salutis eorum. *Etenim cum venissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra.* Pressuras et cædes memorat quas patiebantur causa credentium, ut magis provocet eos ad charitatem. *Nullam*, inquit, *requiem habuit caro nostra.* Ut compaterentur eis, certi, quia pro salute fidelium animas suas traderent usque ad mortem. Antequam enim digereretur tribulatio et corporalis injuria, altera veniebat, ut requies patienti non esset. Nam et quoniam sensu bruta est omnis caro, nullam requiem hanc habuisse vel habere in passione significat: animam autem, quanquam ipsa patiebatur in corpore, ex hac tamen parte requiem habere, qua sperat pro tribulationibus his, quæ pro fide irrogantur a perfidis, daturum Deum mercedem: denique in ipsa pressura Deo hymnos canebant. *Sed omnem tribulationem passi.* Juxta historiam Domino vocante intraverunt Macedoniam, et cum non pauci credidissent invenissentque solatium Lydiæ mulieris, quæ cum omnibus suis credidit, tunc factum est, ut Spiritum pythonem, id est, divinum, fugaret de ancilla quorumdam, qui videntes perdidisse se, non minimum quæstum, quem puella referebat divinando, concitaverunt seditionem Paulo et Silæ, et traxerunt eos ad forum ad magistratus, qui multas eis plagas imponentes miserunt eos in imum carceris, ita ut et pedes eorum in nervo concluderent. Hæc est pressura quam passi sunt in Macedonia, et hinc est unde dicit: *Nullam requiem habuit caro nostra. Foris pugnæ, intus timores.* Pugnæ erant corpori dum cædebatur, animo timores: illic enim timor est ubi et intellectus est; sed timor hic propter eos erat, qui crediderant, ne passione ejus scandalizarentur; nam

A sibi quid jam timeret, qui patiebatur, præterea, cum dicat in Actis apostolorum (*Act.* xxi) non solum ligari sed et mori paratum se pro nomine Domini Jesu Christi? Videtur ergo totum hominem afflictum in carne significasse, ut ex parte Spiritus qui homini datur, ut maneat, quia est impassibilis, affligi potuisse minime intelligatur, sed ut homo totus ex parte corporis et animæ afflictus in carne dicatur: ex parte vero Spiritus impassibilis. Potest et sic intelligi, ut foris pugnæ, id est, in publico a perfidis fierent contra fidos, dum furore pleni resistebant veritati, cujus rei nuntius intus timores generabat, ubi erat Apostolus. (*Greg.*) Quis enim homo non timeat angustias, sed quia in Dei rebus propensior erat, timorem hunc spe superabat. Sancti viri tribulationum
B bello deprehensi, cum uno eodemque tempore alios ferientes, atque alios suadentes feriunt, illis opponunt scutum patientiæ, istis jacula intorquent doctrinæ, atque ad utrumque pugnandi mira virtutis arte se erigunt, quatenus et perversa intus sapienter doceant, et foras fortiter adversa contemnant: hos docentes corrigant, illos tolerantes premant. Insurgentes namque hostes patiendo despiciunt; infirmantes vero cives compatiendo ad salutem reducunt, illis resistunt, ne et alios subtrahant, istis metuunt ne vitam rectitudinis funditus perdant. Videamus castrorum militem Dei, contra utraque præliantem? Ait enim *foris pugnæ, intus timores*, innumera bella quæ extrinsecus tolerat dicens: *Periculis fluminum,*
C *periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus* (*II Cor.* xi). Pensemus ergo, cujus laboris sit uno eodemque tempore foris adversa tolerare, intus infirma protegere: foris pugnas patitur, quia verberibus scinditur, catenis ligatur; intus metum tolerat, quia passionem suam non sibi, sed discipulis obesse formidat. Unde et eisdem scripsit dicens (*I Thess.* iii): *Nemo moveatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus;* aliorum quippe casus in propria passione metuebat, ne dum ipsum discipuli afflictum pro fide verberibus agnoscerent, fideles se profiteri recusarent. O immensa charitatis viscera? despicit quod ipse patitur, et curat ne quid pravæ persuaDsionis discipuli in corde patiantur; in se contemnit vulnera corporis et in aliis vulnera medetur cordis. Habent quippe hoc justi proprium, ut in dolore positi tribulationis suæ, curam non deserant utilitatis alienæ, et cum de se adversa patientes dolent, aliis necessaria docentes prævident, et quasi percussi quidam magni medici ægrotant, ipsi tolerant scissuras vulneris, et aliis proferunt medicamenta sanitatis.

Sed qui consolatur humiles, consolatus est et nos Deus in adventu Titi. (*Ambr.*) Quoniam Deus suorum non est immemor, semper dat eis in tribulatione solatium, acceleravit adventum Titi, ut refrigerio esset positis in fervore: magna enim consolatio est patientis, si secum habeat consolantem. *Non solum autem in ad-*

Digitized by Google

ventu ejus, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis. Plus addit ad consolationem, quia audisse se a Tito significat conversionis eorum promptam voluntatem, in tantum, ut Titus, qui dolorem habebat inobauditionis illorum, consolationem acciperet de pœnitentia eorum. Quantum affectum se circa eos habere ostendit Apostolus, ut nec imum carceris, nec plagarum dolorem computaret scissi corporis, neque nervum quo pedes ejus conclusi erant, sed audita correctione eorum lætaretur, et immemor factus passionum, Deo gratias ageret pro horum salute, sic hoc æstimans, quasi remunerationem tribulationum. *Referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum.* Nuntiavit Titus desiderium habere illos emendandi se: addiscentes enim quæ promissa sint bene viventibus incitati sunt ad desiderium horum. Vestrum inquit fletum, correpti flebant dolentes, quia peccaverant, nec excusare nisi sunt, unde gloriatur in his. *Vestram æmulationem pro me.* Addiscentes enim charitatem Apostoli erga se, cœperunt illum defendere contra adversarios. *Ita ut magis gauderem. Quoniam etsi contristavi vos in Epistola, non me pœnitet.* Manifestum est non debere pœniteri ex hac re, quam secutus talis effectus est, quoniam severius in prima Epistola corripuit errores eorum. Non, inquit, me pœnitet asperius scripsisse, quia hoc causa poposcit. *Et si pœniteret videns, quod Epistola illa etsi ad horam vos contristavit, nunc gaudeo.* Hoc dicit, quia si me pœniteret, inquit, propter charitatem, quia vos contristavi, consolatio succederet gaudii, quia profuit quod vos contristavi. *Non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam: contristati enim estis secundum Deum.* Idcirco gavisum se dicit, quia cum pudore contristati sunt, non cum ira: qui enim reprehensus pudorem patitur, corrigere se promittit; qui autem irascitur, pejorem se futurum ostendit. *Ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis.* Ut omnia, inquit, nostra effectum habeant in vobis, etiam quod contristavimus vos, pro vobis est.

Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Manifestum est, quod qui tristis est, quia peccavit, secundum Deum tristis est: dolet enim quia fecit quod odit Deus, hoc ad stabilitatem salutis pertinet. (*Cass.*) Unde illa tristitia qua pœnitentiam ad salutem stabilem operatur obediens est, affabilis, humilis, mansueta, suavis, ac patiens, ut puta ex Dei charitate descendens, et ad omnem dolorem corporis ac Spiritus contritionem infatigabiliter semetipsam desiderio perfectionis extendens, et quodammodo læta, ac spe profectus sui vegeta, cunctam affabilitatis et longanimitatis retinet suavitatem, habens in semetipsa omnes fructus Spiritus sancti, quos enumeravit idem Apostolus: *Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, benignitas, continentia* (*Gal.* v): hæc vero asperrima, impatiens, infructuosa, plena rancore et mœrore, dura, ac desperatione pœnali cum quem complexa fuerit ab industria ac salutari A dolore frangens et revocans, ut puta irrationabilis et intercipiens non solum orationum efficaciam, verumetiam universos quos prædiximus fructus spiritales evacuans, quos novit illa conferre: quapropter absque illa, quæ vel pro salutari pœnitentia, vel pro studio perfectionis seu pro desiderio suscipietur futurorum, omnis tristitia, tanquam sæculi et quæ mortem inferat, æqualiter repellenda est, ac sicut fornicationis, seu Spiritus philargyriæ vel iræ, de nostris cordibus penitus extrudenda. Hanc ergo perniciosissimam passionem ita de nobis expellere possumus, ut mentem nostram spiritali meditatione jugiter occupatam futura spe et contemplatione repromissæ beatitudinis erigamus: hoc enim modo universa tristitiarum genera, sive quæ ex præcedente ira descendunt, quæ amissione lucri vel detrimenti illati nobis adveniunt, seu de irrogata generantur injuria, sive quæ in rationabili mentis confusione procedunt, seu quæ nobis lethalem desperationem indicunt, valebimus superare, cum æternarum rerum ac futurarum intuitu semper læti atque immobiles perdurantes, nec casibus dejecti præsentibus, nec prosperis fuerimus elati, utraque velut caduca et mox transeuntia contemplantes. *Sæculi autem tristitia mortem operatur.* Hoc dicit, quia secundum Deum tristitia vitam operatur, pœnitet enim, et sperat Dei misericordiam: ita secundum mundum tristitia mortem operatur, detectus enim peccator tristis est, quasi puniendus non habens a quo speret misericordiam, et si forte ad præsens qui vindicet defuerit, Dei tamen judicium evadere non poterit.

Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos quantam in vobis operatur sollicitudinem. Verum est, quia qui pœnitet sollicitus est ne denuo peccet. *Sed defensionem.* Recte, quia pœnitentia non habet excusationem, sed confusionem. *Sed timorem.* Ostendit timorem in peccatore, qui delicti sui causa veniam postulat. *Sed desiderium.* Desiderat reformari se, qui se scit factum per peccatum deformem. *Sed æmulationem.* Zelum incipit pati bonorum operum perficiendorum, qui intelligit pro se esse, quod corripitur. *Sed vindictam.* Necesse est, ut quis vindicet eum, cujus erga se sentit affectum, et in seipsum vindicat qui se causa delicti affligit. *In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio.* Quando omnia quæ ad profectum melioris spei pertinent, meditari videntur, zelum habentes Apostoli, et præceptoris sui in omnibus officiis humanæ conversationis duce fide probos se videri contendunt. *Igitur etsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit injuriam.* Inique versatum et injuriosum dicit illum, qui incestum admiserat, necnon etiam hos tangit, quos injurias et fraudes fratribus in prima Epistola fecisse significat. *Nec propter eum, qui passus est.* Hi inique tractati sunt, quia fratribus contraria passi sunt; hic sensus est, quem in capite Epistolæ memorat, ubi dicit si cui *aliquid donatis, et ego.* Ostendit enim non magis horum causa qui peccaverunt scripsisse

Digitized by Google

se remitti illis debere, sed magis propter Ecclesiam ; quia in uno male agente multi sunt qui confundantur, et in uno contumeliam aut fraudem patiente, multi sunt qui indignentur : quia si patitur aliquid unum membrum compatiuntur omnia membra. *Sed ad manifestandum sollicitudinem nostram, quam pro vobis habemus ad vos coram Deo.* Emendando injustos et pollutos sanctificando et Ecclesiæ reconciliando totius populi sollicitudinem se habere demonstrat, secundum quæ supra memoravi. *Ideo et consolationem accepimus.* Accepisse se, ac per hoc dare dicit consolationem ; accepit autem cum didicit corrigere velle, quos arguebat, ut per patientiam se reformarent ; dat autem dum eos revocat ad Ecclesiam, ne diu contristati desperarent de se, et ad publicam et funestam vitam declinarent. *In consolatione autem nostra abundantius magis gavisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est Spiritus ejus ab omnibus vobis.* Correptos per primam Epistolam audiens se velle corrigere, consolationem accepit ; a Tito autem addiscens, quia dolorem paterentur erroris sui, auctus est in consolatione, gaudio repletus, quia voluntas eorum in opere cœperat probari, Tito hoc idoneo teste cum lætitia animi referente. *Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus.* Antequam pergeret Titus ad Corinthios audivit ab eis, id est, ab Apostolo et qui erant cum eo, bonam voluntatem esse Corinthiorum A in emendandis vitiis, ac per hoc regresso et eadem referente non utique confusus est Apostolus, sed lætior factus est, quia non aliter invenerat Titus quam audierat ab eis. *Sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus : ita et gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est.* Exsultans in Spiritu hæc scribit Apostolus, sic gaudens in his, ut efficaciam eorum tam veram probet, quam est et prædicatio ejus ad eos in correptione duntaxat ; veritas enim arguentis in eo ipso tunc videtur esse manifesta, si hi qui arguuntur incipiant emendare se. Dum enim correpti immutantur, testimonium perhibent arguenti. *Et viscera ejus abundantius in vobis sunt.* Animum et affectum Titi dicit esse in eis, quia vidit profectum illorum. Sancti enim animus in omni bono est. *Re-* B *miniscentes omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore et tremore excepistis illum.* Scientes Corinthii ab Apostolo missum esse Titum ad se, qui in tantis vitiis ab Apostolo fuerant correpti, territi sunt in adventu ejus, et quia vitam suam cœperant emendare, solliciti erant obedire præceptis ejus, ut regressus animum Apostoli mitigaret eis ; quamobrem Titum laudasse significat : in Tito enim apostolum reveriti sunt. *Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.* Non solum in bona voluntate eorum lætatus est, sed in operibus bonis quibus quæ peccaverant emendabant ; ideo *in omnibus*, inquit, *confido in vobis.*

LIBER DECIMUS TERTIUS.

CAPUT VIII.

Ad eleemosynam in Hierusalem mittendam Corinthios hortatur Apostolus, et agit de collectoribus hujus eleemosynæ.

Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ, quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit. (Amb.) Quoniam Macedones devoto animo perceperunt verbum fidei, idcirco gratiam eis datam dicit a Deo, ut in tribulatione Pauli et Silæ quam supra memoravi, scandalum non paterentur : sed in exsultatione mentis acciperent, confidentes de spe promissa, ut probatos se horum passionibus demonstrarent. *Et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum.* Votum eorum prædicat, quia cum tenui essent substantia facultatum, animus ipsorum D dives inventus est in ministerio sanctorum. Pura enim conscientia operati sunt, non ut hominibus, sed ut Deo placerent. *Quia secundum virtutem testimonium illis reddo : et supra virtutem voluntarii fuerunt.* Quantum dignum fuit et Deo placitum qui vires illorum scit, in facultatibus dederant ad ministerium, et quia ex toto corde Deo se dederant, amplius volebat offerre, quam eorum vires admittebant. *Cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam et communicationem ministerii, quod fit in sanctos.* Tam C simpliciter et devoto animo obtulisse illos ministerium, quod ultra vires eorum erat, prædicat, ut cum lacrymis deprecantes offerrent, ut vel sic cogerent accipi a se, quod accipiendum non videbatur, quia plus erat quam poterat eorum substantia, ne forte eis postea egestas boni operis pœnitentiam suaderet. Sed quia tales ostenderunt ut puro animo jam præsentia postponentes, futuris se promissionibus confidentia fidei confirmarent, accipi ab eis visum est, ne boni cordis gratia fructum amitteret. *Et non sicut speravimus, sed semetipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei.* Idcirco, inquit, ab his accipi debuit, quia prius emendantes errores pristinos et vitæ vitia, ac morum, ultra quam sperabatur, Deo se voverunt : visum est enim simpliciter illos hoc agere, ut nec timeret, cui offerebatur accipere, quia non utique hoc animo offerebant, ut redimentes præpositos suos vitia eorum paterentur, nec arguerent : quia munera excæcant oculos, et vim auctoritatis inclinant. Dantes ergo se Deo, dum emendant vitia, deinde fratribus dum offerunt sumptus, contristari non debuerunt, qui ante prope, quam inciperent, perfecti esse voluerunt. Horum igitur exemplo invitat Corinthios, ut ea quæ cœperant hac exhortatione aucti, mente sedula consummarent. *Ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum*

Digitized by Google

cæpit, ita et perficiat in vobis etiam gratiam istam. Quoniam Titi affectum sincerum sciebat circa istos, nec non hos obedientes ei, idcirco per ipsum etiam ad hoc opus exhortari illos facilius posse significat, ut quomodo in cæteris rebus exhortationis suæ habuit fructum in eis, haberet etiam in hac gratia ut ad ministerium sanctorum promptos eos faceret, ut quia jam vitia emendabant, hujus largitatis fructum haberent. Qui enim ad hoc dant, ne arguantur, nullum fructum hujus rei habebunt. *Sed sicut in omnibus abundatis fide et sermone, et scientia, et omni sollicitudine, et charitate vestra in nos: ut in hac gratia abundetis.* Exhortatur illos, ut glorietur de his apud cæteras ecclesias. Hæc est enim probatio emendationis eorum, si prompti sint ad ministerium sanctorum. *Non quasi imperans dico, sed per aliorum sollicitudinem, etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans.* Manifestum est, quia non imperat sed exhortatur ut penuriæ patientibus mittant sumptus, et relevent sollicitudinem illorum. Bonum animum suum Deo et hominibus ostendentes pro qua re sine dubio mercedem accipient. *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi quoniam propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Pauperem Christum dicit factum, quia Deus nasci dignatus est homo, virtutem potestatis suæ humilians, ut hominibus divinitatis divitias acquireret, ut sicut dicit Petrus apostolus divinæ essent consortes naturæ. Homo ergo factus est, ut hominem in Deum assumeret, sicut scriptum est: *Ego dixi: Dii estis* (*Psal.* LXXXI). Hoc modo exhortatur ut largiendo quasi pauperes fiant, ut prosit paupertas eorum, sicut Christi paupertas profuit nobis: et Christus quidem nostri non sui causa pauper factus est, nos autem ut nobis proficiat.

Et consilium in hoc do, hoc vobis enim utile est, qui non solum facere sed et velle cœpistis ab anno priore. Nunc vero et facto perficite. Ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo quod habetis. Hoc dicit, ut voluntas illorum in opere appareat, si vera est, secundum vires, ut tantum det, quantum potest et vult animus, ut munda fiat conscientia, non in simulatione ut hominibus placeat, et mercedem apud Dominum non habeat. *Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum quod non habet.* Quoniam Corinthii ad hoc opus ministerii provocantur hoc eis indicitur, ut non plus tribuant quam possint, ne plus forte offerentes coacti, non voluntarii, gravati viderentur sine mercede futuri, quia qui coactus aliquid fecit mercedem non habet. Ecclesiæ enim Macedoniæ ultro obtulerunt cum precibus. Ut probarent tota se voluntate hoc facere, ut plus offerrent quam poterant, ideoque acceptabile fuit. Quanto enim amplius obtulerunt, tanto plus accepturi sunt: nam si tantum quis det quantum vult, aut potest, acceptum est: judicio enim videtur hoc facere, ac per hoc tantum det, quantum potest et vult animus, ut rei hujus possit habere mercedem. *Non enim ut aliis sit remissio, nobis tribulatio.* Verum est, quia sic dandum est, ut non egestatem præstet dantibus. *Sed ex æqualitate in hoc tempore præsenti.* Hoc dicit ut quantum habet ad tempus dividat sanctis, non enim plus exigitur, quam sibi debet retinere. (*Greg.*) Quia *diliges*, inquit, *proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* XIX). Unde Zachæus: *Ecce dimidium*, inquit, *bonorum meorum do pauperibus* (*Luc.* XIX); ut videlicet sollicite perpendamus, quia et eos, quos nunc inopes cernimus, abundantes quandoque videbimus, et qui abundantes aspicimur, si largiri negligimus, quandoque inopes erimus. Qui itaque nunc temporale subsidium pauperi tribuit, ab eo postmodum perpetua recepturus, ut ita dicam, quasi ad frugem terram excolit, quæ quod acceperit, uberius reddit. Restat ergo, ut nunquam elatio surgat ex munere, quando videlicet dives ex eo quod pauperi tribuit, agit, ut in perpetuum pauper non sit. *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* (Ambr.) Hoc est, quod dicit, ut quia juxta tempus sancti inopiam patiuntur, deserentes omnia mundi, et se in divinis solis operibus constituentes, ut doctrinæ atque orationi insisterent, ad profectum multorum hi qui credunt, quique artibus aut negotiis insistunt, aut certe facultates paternas habent, ministrent sanctorum inopiis: ut iterum sancti illis ubi divites sunt, et isti inopes communicent eis, quasi vice rependentes ministerio illorum, sicut dicit Dominus: *Quandiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV).

Ut fiat æqualitas sicut scriptum est. Hæc est æqualitas, ut quia isti in hoc tempore ministrant sanctis, reddantur illis vices in futuro: debitores enim sibi faciunt sanctos. *Qui multum habet, non abundabit: et qui modicum, non minorabit* (*Exod.* XVI). Hoc in Exodo legitur, plus enim habent sancti in spe futuri sæculi, et magis quam hi qui in hoc tempore videntur divites, et tamen æquabuntur illic utrique, ut sicut beneficio horum sanctorum inopia sustentatur, ita et beneficio sanctorum divites fiant hi in futuro sæculo in quo videntur pauperes: non enim totos se dederunt Deo, ut hic pauperes, illic essent divites, sed ex hac parte quia hic divites sunt, illic pauperes, sanctorum suffragio, qui hic positi jam illic mente sunt, ditabuntur: non enim qualecunque meritum est de justis laboribus ministrare sanctis. Qui multum, inquit, habuit, non abundabit, quia quod plus habebat dedit indigenti. Et qui modicum, non minorabit ille qui accepit ab illo qui abundavit, ut fiat, inquit, æqualitas. (*Greg.*) Multum vero ad edomandam dantis superbiam valet, si cum terrena tribuit, verba sollicite magistri cœlestis penset, qui ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc.* XVI). Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes procul dubio pensare debemus, quia patronis potius munera offerimus, quam egenis dona largimur. Huic per Paulum dicitur: *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum*

Digitized by Google

abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut videlicet, sicut superius dictum est, sollicite perpendamus quia et eos, quos nunc inopes cernimus, abundantes quandoque videbimus, et qui abundantes aspicimur, largiri negligimus, quandoque inopes erimus. Beatus igitur Job, ut diligenter ostenderet, humilitas atque misericordia, quanta in eum fuerint consideratione sociata, ait : *Si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem, si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est* (*Job.* XXXI); ac si diceret : In amore proximi uno eodemque ordine et superbiæ vitium et impietatis premens prætereuntem quempiam et humiliter aspiciens non despexi, et misericorditer calefeci. Quisquis enim, super eum cui aliquid tribuit, fastu se elevationis extollit, majorem culpam intrinsecus superbiendo peragit, quam extrinsecus largiendo mercedem, fitque ipse bonis interioribus nudus, cum nudum despicit vestiens, eoque agit ut seipso deterior fiat, quo se indigenti proximo meliorem putat, minus quippe inops est, qui vestem non habet, quam qui humilitatem. Unde necesse est, ut cum naturæ nostræ consortes exteriora non habere conspicimus, quam multa nobis desint bona interiora pensemus, quatenus sese super inopes cogitatio nostra non elevet, cum solerter videt quia nos tanto verius quanto et interius indigentes sumus. (*Hieron.*) O quanta beatitudo pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris semper viventia, et habere Dominum debitorem. Si qua autem vidua habet liberos, et maxime si nobis familia est, egentes filios non dimittat : sed ex æqualitate, ut meminerit primum animæ suæ, et ipsam putet esse de filiis, et partiatur potius cum liberis, quam omnia filiis derelinquat; imo Christum laborum suorum faciat cohæredem. Respondebis, difficile est, durum est, contra naturam, sed Dominum tibi audies respondentem (*Matth.* XIX) : *Qui potest capere capiat;* et : *Si vis esse perfectus*, non tibi jugum necessitatis imponit, sed potestati tuæ liberum concedit arbitrium. Vis esse perfectus, et in primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerunt apostoli, *vende omnia quæ habes, et da pauperibus*, et sequere Salvatorem, et nudam solamque virtutem nuda sequaris et sola : non vis esse perfecta, sed secundum gradum tenere virtutis, dimitte omnia tua quæ habes, et da filiis, da propinquis, nemo te reprehendit, si inferiora secteris, dummodo scias tibi illam jure prælatam, quæ elegerit prima. Dicis hoc apostolorum est et virorum, mulierem autem nobilem non posse omnia vendere, quæ multis adjumentis vitæ hujus indiguit. Audi Apostolum commonentem : *Non ut aliis refrigerium, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate vestra abundantia illorum sustentet inopiam, et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* Unde et Dominus : *Qui habet*, inquit, *duas tunicas, det alteram non habenti* (*Luc.* III). Quid si Scythiæ frigora sint, et Alpinæ nives? non duabus aut tribus tunicis, sed vix pecudum pellibus repellun- A tur. Quidquid ergo corpora nostra defendere potest, et humanæ succurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit, hoc una appellanda est tunica; et quidquid in præsentibus alimentis necessarium est, hoc unius diei victus appellatur. Unde præceptum est : *Ne cogitetis de crastino* (*Matth.* V), hoc est de futuro tempore, et Apostolus : *Habentes*, inquit, *victum et vestitum, contenti sumus* (*I Tim.* VI), si plus habes, quam tibi ad victum et vestitum necessarium est, illud eroga, in illo debitorem esse te noveris. Ananias et Saphira apostoli meruere sententiam, quia sua timide servaverunt (*Act.* V). Ergone, inquies, puniendus est, qui sua non dederit? minime : puniti sunt quia mentiri voluerunt Spiritui sancto, et reservantes necessaria victui suo, quasi perfecte B sæculo renuntiantes, vanam gloriam sectabantur; alioquin licet libere vel dare, vel non dare : quanquam et cui cupiat esse perfectus, præsens paupertas futuris divitiis compensanda sit. Quomodo autem vidua vivere debeat, brevi sermone Apostolus comprehendit, dicens : *Quæ in deliciis est vivens, mortua est* (*I Tim.* V).

Gratias autem Deo qui dedit eamdem sollicitudinem pro vobis in corde Titi, quoniam exhortationem quidem suscepit. (Ambr.) Deus qui justus est sciens Corinthios velle proficere, Titi affectum incendit circa eos, ut adimpleret exhortatione sua voluntatem illorum in opere bono, qui videns profectum illorum consolatus est, lætatusque in eis. *Sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos.* Hoc est, vi- C dens proficere illos circa actus bonos, sollicitior factus est circa affectum illorum, ita ut voluntarius proficisceretur ad eos, qui prius etiam rogatus excusarat ab eis propter vitia illorum. *Misimus etiam cum illo fratrem nostrum, cujus laus in Evangelio per omnes Ecclesias : non solum autem, sed et ordinatus ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ, in hac gratia quæ ministratur a nobis ad Domini gloriam et destinatam voluntatem nostram.* Istum commendant quia ignorabatur ab his, ut scirent in quanta jam essent boni opinione, ad quos tales viri mittebantur, ut congauderent cum eis, augentes eos in fide operationis Dei, ad cujus gloriam sollicite hoc agebant vicarii Christi, ut conditor Deus cœli et terræ agnosceretur in his. *Devitantes hoc, ne quis* D *nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis in gloriam Dei.* Quoniam de ministerio agebatur, ideo hoc subjicit, ne negligens circa curam pauperum vel sanctorum judicaretur, si hoc segnius ageret : de hac enim re constituerant inter se apostoli, ut memores essent pauperum, quod ad Galatas significat. Cum ergo invituperabilis esset in omnibus apostolus, ne in hac causa indiligens judicaretur, idcirco hoc se præmonere significat, ut hoc opere impleto in omnibus sollicitudo ejus et providentia appareret. *Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Providet bona coram Deo, dum quod jubet Deus circa ministerium sanctorum, vel pauperum fieri docet; coram

Digitized by Google

hominibus vero sic providet bona, quia tales mittit ad hoc opus exhortandum, qui probitate sua non faciant eis scandalum, sed provocent eos, ne bona doctrina apostoli per improvidos ministros ejus in vituperationem caderet. *Misimus autem cum illis, et fratrem nostrum quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse: nunc autem multo sollicitiorem, confidentia multa in vos, sive pro Tito qui est socius meus, et in vobis adjutor, sive fratres nostri apostoli ecclesiarum, gloria Christi.* Titum ideo socium suum vocat, quia et ipse episcopus erat, cui ministerium dedit notum in omnibus ecclesiis ipsius provinciæ, quibus addit et tertium fratrem probatum in multis operibus bonis atque sollicitum : per Titi autem relationem referentes bonam voluntatem Corinthiorum et cæterorum missorum quos apostolos ecclesiarum gloriæ Christi appellat. Sollicitiorem se factum esse ostendit videndi illos et exhortandi ad ministerium sanctorum : fiduciam enim accepit audiens meliores esse factos Corinthios. Unde satagebat venire ad eos, certus, quod obaudirent sibi ut bona opera facerent. *Ostensionem ergo quæ est charitatis vestræ et gloriæ nostræ pro vobis in illos ostendite in facie ecclesiarum.* Commonet eos ut in his quos mittit dilectionem suam ostendant, ut bona quæ de ipsis audierant vera probarent. Sic enim ostendebant profecisse se monitis Apostoli, si missos ab eo cum honore exceperint, ut cæteræ ecclesiæ agnoscerent vera esse bona, quæ de eis dici cœperant. Provocat ergo animos eorum, quia de quo bene sentitur, solet se meliorem præbere.

CAPUT IX.

Apostolus, suspicionem excludens, docet eleemosynam dandam esse velociter, hilariter et abundanter.

Nam de ministerio quod fit in sanctos, ex abundantia est mihi scribere vobis : scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones. (Ambr.) Et hæc oblectantis verba sunt : superfluum enim esse dicit scribere de ministerio, quod fit in sanctos, ut de his bene sentire videatur. Superfluum est enim si commoneas eum, quem scias facturum, sed ut diligentiam suam ostendat, necessarium est ut scribat, et ut hos promptiores faciat, et quid de his cæteris prædicet, manifestet : quia superflua solent majorem parere sollicitudinem. Nam et Dominus non dubitans de amore erga se Petri apostoli, tertio dicit ei : *Simon Joannis, amas me?* (*Joan. ult.*) Quæ trina repetitio quasi superflua videtur, sed prodest ad perfectionem monitionis, ut sciat se cum magna diligentia debere curare, quod frequenter mandat. *Quoniam Achaia parata est ab anno præterito.* (Greg.) In quibus enim non tam opera, quam pia vota requirebat, in eis procul dubio plus laudat pia vota, quam opera. Notandum tamen est, quia habet improperium hæc ipsa consolatio cum dicitur, *ab anno priore;* bonum quidem, sed tarde fecerat, atque ideo hoc magister non sine reprehensione laudabat : medicus quippe est, medicamentum vulneri apponit, quod et ea quæ purgata sunt, refovet, et ea quæ putrida inveniuntur, mordet. (*Ambr.*) Post Macedones Achaia, id est, ecclesiæ provinciæ Achaiæ, non tamen omnes quia et Corinthii Achaici sunt, præparaverant se æmulatione ducti Macedonum, ut ministrarent sanctis, quo dicto plus exhortatur Corinthios cum dicit illos paratos ab anno priore, sed exspectare jam hoc, ut divideretur ministerium illorum, pro uniuscujusque necessitate. *Et vestra æmulatio provocavit plurimos.* Post Macedones Achaiam paratam dicit. Deinde ut et Corinthii fiant parati secundum promissum suum. Cæteræ vero ecclesiæ æmulatione Corinthiorum, dum audiunt illos prius multis erroribus fuisse implicatos, post autem corrigentes se bonæ voluntatis effectos, incitati sunt ad bonum opus; quia si hi qui post acceptam fidem male versati sunt hanc cœperant habere voluntatem, quanto magis isti, in quibus hæc vitia non sunt reperta! *Misimus autem fratres, ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, ut quemadmodum dixi parati sitis.* Hos fratres memorat, quos supra, id est, Titum et quos ei adjunxit adjutores, qui impensius exhortarentur eos ad promissionem implendam in ministerio sanctorum, ut non solum litteris, sed et facie ad faciem oblectarent eos crebris admonitionibus, ne exsultatio Apostoli, qua in splendore animi eorum gloriabatur, evacuaretur. Sæpius ergo hoc memorans, sollicitudinem suam circa eos ostendit, nolens illos confundi. *Ne cum venerint mecum Macedones et invenerint vos imparatos erubescamus nos, ut non dicamus vos, in hac substantia.* Manifestum est, quia si non hoc inventum fuerit quod testificatus est de his, et ipse erubescat in ipsis, et ipsi amplius confundantur, qui nec propter quod testis eis exstitit Apostolus, id agere nisi sunt, quod verum illud facerent, vel propter tanti viri personam. *Necessarium ergo existimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, ut præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non quasi avaritiam.* Ut sollicitudinem suam adhuc manifestet, rogasse se dixit fratres, per quos admoniti id implerent quod promiserant, et non implebant. Cum supra Titum voluntarium dicat profectum, hoc est, non illi fuisse extortum, sed mox ut audivit libenter amplexus est, ut videatur voluntarius ad illos profectus propter spem illorum : nunc non ideo se rogasse hos significat, quasi nolentes ire, sed suum affectum probat circa illos, quando volentes ire insuper rogat, ut sine aliqua mora fiat, quod et illi volunt, et hic precatur. Hoc ergo agit cum his, ut in promissione sua fideles sint, et se ideo commonere propter existimationem illorum, non circumvenire, sed ut tantum offerant, quantum non pœniteat. *Hoc autem dico quia qui parce seminat, parce et metet.* Parcum avarum significat, cui extorquetur, ut inferat, pœnitet enim, quia promisit; hoc et de tarditate eorum colligit, qui olim promiserant, et diu deliberabant. Huic parco perparva messis est, quia cum dubitatione seminat, nescit enim prodesse quod facit. *Et qui seminat in bene-*

Digitized by Google

dictionibus, de benedictionibus et metet. (Greg.) Hic in benedictione seminat, qui bona voluntate, sub spe futuræ retributionis hoc agit. Unde et prædicator egregius, ut ad largitatis gratiam viscera nostræ compassionis accenderet, dixit : *Propter nos egenus factus est cum dives esset*, qui si etiam dicit, *non ut aliis sit remissio, nobis autem tribulatio*, hæc procul dubio condescendendo infirmis intulit, quoniam quibusdam inopiam ferre non valentibus tolerabilius est minus tribuere, quam post largitatem suam ex inopiæ angustia murmurare. Nam ut ad magna largiendi studia audientium mentes accenderet, paulo post intulit dicens : *Hoc autem dico, qui parce seminat, parce et metet :* plus autem nonnunquam esse dicimus, compati ex corde, quam dare; quia quisquis perfecte indigenti compatitur, minus æstimat omne quod dat, nisi enim dantis manum bona voluntas vinceret, idem prædicator egregius discipulis non dixisset, *qui non solum facere, sed et velle cœpistis ab anno priore.* Facile quippe est in bono opere obedire etiam nolentem, sed hæc magna in discipulis virtus exstiterat, eos bonum, quod illis præceptum est, et ante voluisse. *Unusquisque prout destinavit corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus.* (Ambr.) Docet illos tunc prodesse hoc in futurum, si læto animo fiat : ex his enim qui inferunt, hunc elegit Deus cui retribuat, qui devoto corde operatur, quasi thesaurizans sibi apud Deum : quia qui invitus facit, propter præsentem pudorem ne aliis inferentibus turpis inveniatur, mercedem non habet. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Dei potentiam ad esse illis exoptat, ut sicut in emendandis vitiis, et doctrinæ veritate compungit corda illorum, ita et in hoc faveat cœptis illorum, ut abundent in omni bono per gratiam Dei. *Ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum.* (Ambr.) Hoc dicit et optat, ut in omni semper sufficientes sibi sint Dei nutu, nec indigeant his quæ ad salutem necessaria sunt. Si ergo sufficientiam sibi solam eligant, poterunt in Dei opere abundare : illud enim sibi retinendo quod sufficit, cætera in usus sanctorum, vel pauperum impendant necesse est, et hoc erit abundare in omni opere bono; licet enim exigui hominis sit parvum quod tribuit, abundat tamen quia recto judicio fit, et non solum quæritur quantum, sed et de quanto, et quo animo detur. Denique illa vidua in Evangelio de parvo laudata est, et qui multa mittebant laudati non sunt, illius enim parvum multum est, quia plus misit quam poterat : divites autem minus miserunt, cum plus possent, ac per hoc modicum illius, quia ultra vires suas misit, plus inventum est quam divitum multum, quia de eo quod abundabat eis miserunt, qui ergo tantum dat, quantum potest, recte facit, viduam tamen illam ante se habet, quia hæc omne quod habuit misit (*Luc.* xxi). *Sicut scriptum est : Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Hoc in Psalmo scriptum est cxi; per exemplum addit ad curam pauperum, ut in omni opere bono abundent. Si enim hujus qui pauperibus largitur justitia manet in æternum, quanto magis ejus qui ministrat sanctis? pauperes enim possunt dici, qui publice egeni sunt; sancti enim discernuntur ab his, quia hi servi Dei sunt, insistentes orationibus et jejuniis, puram vitam agentes. Sicut et Anna prophetissa quæ *non discedebat de templo, jejuniis et orationibus serviens die ac nocte* (*Luc.* II), omnem mundi curam postponens. Misericordia ergo hæc appellata est justitia, quia sciens qui largitur omnia Deum communiter omnibus dare, quia sol ejus omnibus oritur, et pluit omnibus, et terram omnibus dedit, idcirco dividit cum his, qui copiam terræ non habent, ne beneficiis Dei privati videantur. Justus ergo est, qui sibi soli non detinet, quod scit omnibus datum, et justus non solum nunc, sed et in æternum, quia in futuro sæculo hanc habebit secum in perpetuum.

Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ, ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem. Omnia Dei sunt, et semina, et nascentia Dei nutu crescunt, et multiplicantur ad usus hominum : Deus ergo qui hæc dat, ipse et jubet de his communicari eis qui indigent, ac per hoc non poterit qui tribuit juxta Dei voluntatem, Dei nutu non augeri incrementis hujusmodi ad amplificandum fructum justitiæ, danti enim addit, ut eo amplius habeat, unde largiretur. Hæc est justitia, ut quia Deus dat, retribuat ex eo et homo ei, cui deest; hos enim vult ministros esse eorum, qui potiora eligentes copias præsentis temporis spernunt, totos se Dei rebus obligantes. Unicuique enim secundum bonam voluntatem Deus præstat auxilium. Sancti enim qui nihil volunt hic possidere, nisi victum habere et vestitum, hos qui hæc habere volunt tutores illorum Deus esse disposuit, ut qui bene et simpliciter eis ministraverit, amplificetur Dei nutu, ut habeat unde semper largiatur, et ad præsens locupletatus, et in futurum. Semel enim seminans bis metet, ita ut si futuris spebus consulit, nolit eos subjectos habere, sed magis se eis inclinet, quia a Deo hujus rei accipiet mercedem. Si enim ad præsens humiliari eos sibi voluerit, spem futuri amittit. Hic enim accepit mercedem operis sui, non simpliciter hoc agens, sicut dicit Dominus : *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam.* (*Matth.* VI).

Quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo, quoniam ministerium hujus officii, non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem ministerii hujus, glorificantes Deum in obedientiam confessionis vestræ, in Evangelium Christi, et simplicitate communicationis in illos, et in omnes, et in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. Gratias Deo super inenarrabili dono ejus. Hoc dicit quia quicunque operatur per dispensatores doni Dei hoc opus unde gratiæ agantur Deo, ab his qui necessarios sumptus

Digitized by Google

accipiunt sub nomine Christi, non mendicitati subjecti, sed Deo, de cujus bonis ali se norunt, non tantum ab eis gratiæ illis referuntur, sed a reliquis fratribus, qui pro his gratias agent Deo, commendantes factum ipsorum Domino, ut paucis tribuentes a multorum obsecrationibus commendentur Deo : probantes enim mentem eorum in hoc opere, magnificant in eis Dominum, cujus spe firmati, obediunt Evangelio Christi in subjectione mentis, ne velint eos sibi humiliari, ut præbeant quæ necessaria sunt sanctis; et hoc erit in simplicitate agere gratias communicationis illorum, commendantes se orationibus ipsorum et desideriis eorum. Quis enim non cupiat oculis videre necessitatibus suis propter Dei nomen subjectos? Denique Dei dona vocantur : Deo enim dat, qui his ministrat, quia qui jubet fieri, ipsi imputatur, quod datur. Gratias autem Deo in his agentes, et super ineffabili dono ejus; donum enim Dei est quod incitat bonum opus homines, spes enim promissa lacessit ad ministerium supradictum.

CAPUT X.

Excusat se Paulus de sibi false impositis per facti evidentiam, per rationem et exempla.

Ipse autem ego Paulus, obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi, qui in facie quidem humilis inter vos, absens autem confido in vobis. (Ambr.) Hoc est quod dicit nunc, quia talis est absens, qualis et præsens, nec enim humilis erat ad faciem adulatione, aut subjectione alicujus rei, qui constantiam suam sic zelabatur, ut aliquando etiam a licitis temperaret ne inclinaretur; unde dicit in alia Epistola (*I Cor.* VI) : *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate : esca ventri et venter escis, et hunc et hanc Deus destruet.* Ideo ergo absens obsecratur, et modestiam Christi interponit, ne præsens durior inveniatur, causa vitiorum eorum, quam est in Epistola, ut componentes se qui adhuc non emendaverant, mollirent sibi rigorem Apostoli, ut moderatos eos inveniens pressa severitate lætaretur in eis. Confidentiam itaque fiduciam severitatis significavit, quam forte in Epistola tantum habere putabatur, non tamen præsens facie, quia in prima Epistola severus, et nimis rigidus videtur, et ideo commonet ne eadem severitate præsens utatur, sicut non sperabant. *Rogo autem ne præsens audeam per eam confidentiam, qua existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos, tanquam secundum carnem ambulemus.* Idem sensus est, quem ut delucidet, repetit : orat enim ut tales illos inveniat, ne cogatur irasci, sed ut requiescat cum eis. Hic ergo aperuit quod supra significavit, et adhuc in subjectis plenius manifestat, hanc esse confidentiam, quam hic fiduciam dixit, datæ sibi potestatis a Christo, cujus vicarius est, ut vindicet in eos qui sub nomine Christi agentes non obaudiunt ut corrigant, in quibus reprehenduntur. Hos dicit, qui non recipiendo spiritalia quæ ab Apostolo dicebantur, sic eum existimabant, quasi carnalia loqueretur, quæ recipienda non essent. Ideo dicit : *Qui nos arbitrantur secundum carnem ambulare*, quia qui spernit spiritalia, putat illa carnalia. *In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus.* Hoc est, in corpore positi, spiritaliter vivimus : spiritaliter enim vivit, qui facit quod placet Deo, hic ergo secundum carnem militat, qui desideriis obtemperat. Omnis enim error caro dicitur : Christo autem ipse militat, qui obaudit eum in fide et disciplina. *Nam arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo.* Ideo fortia quia incorrupta, omnia enim carnalia corrupta sunt, arma ergo ideo, quia repugnant vitiis, signum habentia imperatoris sui Christi, qui hostis est vitiorum. Sicut enim imperator per milites vindicat suum regnum, ita et Salvator per nos servos suos defendit unius Dei professionem et disciplinam. *Ad destructionem munitionum consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Arma spiritalia fides est incorruptæ prædicationis, per hæc Deus vincit principes et potestates, quos constat ut sibi usurpent imperium extolli contra fidem Christi, cogitationibus se hominum inserentes, ut avocent eos a Dei dominio, quas cogitationes destruit veritas fidei. Munitiones ergo principes dicit, et potestates, et spiritalia nequitiæ, qui se extollunt, et armant infidelium animos ad contradicendum Christo, contra quos pugnat Dei lex, dissipans consilia eorum. *Et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Captivat intellectum, dum contradicentem rationem vincit, et ad fidem Christi, cui prius repugnaverat, numilem et mansuetum inducit, et parat. *Et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia.* Manifestum est, quia vindicat inobedientiam, cum illam condemnat per obedientiam, tunc illam destruens, quando eos qui resistunt perducit ad fidem, ut perfidia ab his, quibus defendebatur, damnetur. *Quæ secundum faciem sunt, videte.* Nunc vult eos quæ palam sunt considerare, id est, ea quæ edicturus est, quia sunt aperta dijudicare. Dicit ergo : *Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se, quia sicut ipse Christi est, ita et nos.* His loquitur quorum tangit superbiam, qui de se præsumentes inflatione animi, minus quam dignum erat de Apostolo sentiebant, quasi non egerent præceptis ejus; quos commonet, ut si de se confiderent, quia erant servi Christi, non utique deberent de Apostolo dubitare : sed et de eo quamvis impar sit, vel similiter sentire, cum utique magis præferre sibi deberent magistrum gentium; sed hic humilitatem illos in se docet æquans se illis, cum esset vas electionis, et magister gentium in fide et veritate. Hoc ergo vult illos considerare, quod utique clara luce videtur, quia de Apostolo nemo credentium non plus æstimet, quam de se, quanto magis nemo minus, quam de se debeat æstimare? hos ergo contestatur ac docet ne elatione mentis, bonæ vitæ meritum perderent, qui enim scit se aliquid esse, humiliat se ut amplior fiat. *Nam et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit Dominus, in ædificationem, et non in destructionem vestram, non erube-*

Digitized by Google

scam. Nunc significat quia superius se humiliavit, ipsis se comparando, cum si se erigat, non erubescat quia a Domino accepit potestatem prædicandi, ut salvet, non ut perdat obaudientes. Si ergo hic, qui a Domino missus est, inclinat se et comparat se inferioribus, quanto magis hi qui nullius erant testimonii, comparare se non deberent, non dicam præferre majoribus? *Ut autem non existimer tanquam terrere vos per epistolas.* Ille potest videri terrere per epistolas, qui neque auctoritatis alicujus est, neque præsens fiduciam habet arguendi, absens autem ideo audet, quia præsens timet. *Epistolæ, inquiunt, graves sunt et fortes, præsentia autem corporis infirma et sermo contemptibilis, hoc cogitet qui ejusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales et præsentes in facto.* Ideo non se alium esse absentem, quam præsens est, probat, quia non erat præsumptor, a Domino enim acceperat potestatem : cui enim non est data potestas absens potest audere, præsens autem pudorem patitur. Ideo Apostolus non erubescit dum corripit, quia fiducia potestatis hoc agit. Hæc propter hos loquitur qui non missi prædicabant adulantes quia seipsos commendare volebant. (*Greg.*) Sed plerumque prædicatores sancti ostendere semetipsos, ut prosint, cupiunt, nec tamen possunt, plerumque ut quieti sint appetunt, nec tamen permittuntur. Nemo igitur scit quando lucem nubium pluviæ ostendant, quia nemo comprehendet quando Deus virtutem prædicationis dat, ut prædicantium gloria claresçat. Unde Dominus ad Job ait : *Nunquid scis quando præceperit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium ejus?* (*Job.* XXXVII.) Ac si aperte dicat, nunquid si venturos in mundo prædicatores jam conspicis, quando eos ad prædicandum Dominus repletione spiritus impellat, quibusve modis eorum vitæ claritatem modo innotescat, apprehendis? unde adhuc apte subjungitur : *Nunquid nosti semitas nubium magnas, et perfectas scientias?* (*Ibid.*) Habent istæ nubes semitas subtilissimas, scilicet sanctæ prædicationis vias, angusta quippe porta est quæ ducit ad vitam. Eos ergo per semitas astringunt, qui ab intentionis eorum tramite per lata mundi desideria evagando non exeunt : arcta enim bene vivendi censura non est ampla via, sed semita, in qua prædicator quisque studiose constringitur, qui se sub præceptorum custodia sollicite coangustatur.

Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant. (Amb.) Hi sunt qui semetipsos commendant, qui non accepta potestate dominari volunt, nomini suo vindicantes auctoritatem; qui enim mittitur non sibi, sed ei a quo mittitur vindicat potestatem, per quod etiam ostendit se a Domino dispensatorem electum. Sic ergo non se conjungit, aut comparat his qui non missi prædicant, dum nihil ultra concessum præsumit. *Sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, et comparantes nosmetipsos nobis. Nos autem in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, quam mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos.* Tanta se uti dicit potestate, quanta concessa est ab auctore, nec mensuram egredi vult; idcirco non superba, inquit, erit gloria nostra, quando non egreditur terminum datæ potestatis. Gloriam pro auctoritate posuit, qua utebatur in correptionibus peccatorum, ut salvos eos faceret, nec tamen se gloriari dicit in extollentia potestatis, sed ad ædificationem illorum : ostendit enim potestatem, de qua si gloriari vellet, non illum puderet, quia data est illi a Domino. Sed hic sic illa utitur, ut non glorietur nisi in profectu credentium, corripiens constanter vitiosos, ut glorietur in salute illorum, ut potestas data saluti proficiat, non elationi. Duplici igitur genere non se in immensum gloriari testatur, et quia secundum datam potestatem, sicut dixit, et quia non ultra quam prædicatio ejus personabat, vindicabat sibi auctoritatem. De his enim confidebat quos ipse fundaverat in fide Christi; partitum enim dicit unicuique ad quos in prædicatione dirigeretur, ut singuli aliquas civitates proprias haberent, de quorum fide gloriarentur. Dei enim nutu Macedonibus prædicare advocatus est hic Apostolus, et ut Corinthiis evangelizaret a Domino monitus est. His ergo audenter loquitur, quos ipse fundavit, et ad quos Dei nutu pervenit : cæteris non tali fiducia, quia in aliena regula erant, hoc est in parte alterius evangelistæ. *Non enim quasi non pertingentes ad vos superextendimus nos.* Hoc est, non quasi non missi pervenimus ad vos in prædicatione, sed destinati Deo mittente nos ad vos. Superextendi autem est ultra extendi, quam conceditur, sed non ultra, quia mensuram dedit Deus, quam servarent evangelistæ ejus, quam hic se custodisse testatur. Ideo enim hoc ostendit, ut sciant quoniam a Deo ad hos directus est, ac per hoc obaudire illos debere monita ejus, ne contemnentes Deo a quo missus est resistere viderentur. *Usque ad vos enim pervenimus in Evangelio Christi, non in immensum gloriantes in alienis laboribus.* Hic manifestius apparet quod dicit, quia ipse illos fundaverat, ideo tanta fiducia ad hos loquitur : nec enim labore alterius acquisiti fuerant ad fidem, sicut in alia Epistola ait (*I Cor.* IV) : *In Christo enim per Evangelium ego vos genui.* Non ergo extra mensuram gloriatur, qui in labore suo gloriatur. *Spem autem habentes crescentis fidei vestræ in vobis magnificari.* Quia fructum laboris sperat quæsitæ fidei eorum, idcirco non negligenter hoc agere se profitetur ne tædiis et molestiis cederet, quia magnificari se credit apud Deum, si augeantur in fide auditores ejus, sicut dicit Dominus : *Pater, sicut misisti me in hunc mundum, et ego misi eos in hunc mundum, et pro eis sanctifico meipsum* (*Joan.* XVII): hoc dicit, quia testimonium magistri est in discipulis obaudientibus. Unde ait. *In vobis magnificari, secundum regulam nostram in abundantiam, etiam in illa quæ ultra vos sunt evangelizare.* Lætior de fide eorum, ultra eos prædicaturum se necessario profitetur, ad augendam gloriam prædicationis, ubi non adhuc fuerat prædicatum. *Non in aliena regula in his, quæ præparata sunt gloriari.* Manifestum est quia vir pru-

Digitized by Google

dens, non in his confidit, neque gloriam sperat, quæ in aliorum laboribus constant. Ideo et Apostolus non audet in hos qui aliis prædicantibus crediderunt, ne in alienis laboribus gloriari videretur : sed hoc nititur, ut eis prædicet quibus non erat annuntiatum, ut gloriam labore suo quærat. *Qui autem gloriatur in Domino glorietur.* Hoc dicto significavit ipsam confidentiam, et gloriam Domino dandam, cujus gratia est, ut qui in potestate evangelica confidit, Deo auctore confidat, ut quæstus omnis negotii divini Domino in lucrum veniat. Sed qui non accepit potestatem a Deo non potest in Domino gloriari, quia suam gloriam quærit. *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Verum est, quia illum Dominus commendat, et ille probatus est, quem dignum habet, ac mittit ut prædicet donum ejus. Quem autem non mittit, non illum commendat : ipse autem se commendat qui non missus prædicat, ac per hoc idoneus non est, sed præsumptor et reprobus.

CAPUT XI.

Præmittendo rationem suam ponit commendationem Apostolus, ex suis operibus, et malis perpessis.

Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed et supportate me. (Ambr.) Incipiens vera de semetipso narrare, insipientem se dicit, quia ad laudem ejus videtur pertinere. Propter quod dictum est, « non te laudent labia tua, sed proximi tui : » sed hic dolore compellitur propter hos, qui cum de eo præ cæteris bene sentire deberent, indigne sentiebant. *Æmulor enim vos Dei æmulatione : despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quæ locuturus est amore eorum dicturum se ostendit, ut non magis ad laudem ejus proficiat, sed ad horum profectum, ut discant, quemadmodum parenti suo in Evangelio faveant : quia vituperatio patris, detractio filiorum est, et laus filiorum gloria patris est. Virgines ergo eos esse in fide, unde et corruptores fidei zelatur ab his, ut in die judicii incontaminatos eos assignet judici Christo. Hinc est unde et in Apocalypsi Joannis legitur : *Illi sunt*, inquit, *qui cum mulieribus se non coinquinaverunt, virgines enim permanserunt : hi sequuntur Agnum quocunque vadit* (*Apoc.* XIV). In mulieribus errorem significavit, quia error per mulierem cœpit, sicut et Jezabel mulierem dicit propter uxorem Achab, quæ zelo Baal Dei prophetas occidit (*III Reg.* XVIII), cum intelligatur idololatria, qua corrumpuntur mores, et fidei veritas. Nam si mulieres intelligas, ut ideo putes virgines dictas, quia corpora sua incontaminata servaverunt, excludis ab hac gloria sanctos, quia omnes apostoli exceptis Joanne et Paulo uxores habuerunt, et vide an conveniat accusare apostolum Petrum, qui primus inter apostolos est, quanto magis inter cæteros! (*Aug.*) Quod vero in evangelica parabola (*Matth.* XXV) sponso dixit obviam venire virgines, sic intelligendum puto, ut ex ipsis virginibus constet ea, quæ dicitur sponsa, tanquam si omnibus Christianis in Ecclesiam concurrentibus, filii ad matrem concurrere dicantur, cum ex ipsis filiis constet ea, quæ dicitur mater ; nunc enim desponsata est Ecclesia et virgo est ad nuptias perducenda, id est, cum se continet a corruptione sæculari ; illo autem tempore nubet, quo universa mortalitate prætereunte immortali conceptione fetatur : *Desponsavi*, inquit, *vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Vos, inquit, virginem a plurali ad singularem concludens : ideo et virgines dici possunt, et virgo. *Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo.* (Ambr.) Ostendit qua causa cogitur vera de se protestari, ad hoc enim gloriam sibi datam profitetur, non ut se laudet, sed ut illos deformet qui sub nomine Christi contra Christum prædicabant, a quibus Corinthii seducebantur, et veritas hæc his magis quam ei proficeret. Hoc enim agit, ne audiantur seductores, quos diabolo comparavit propter astutiam malitiæ eorum, quia corrumpere fidelium corda a veritate Christi conantur. Hoc ergo timens semper sollicitus de eis est ne violentur. (*Aug.*) Virginitatem corporis paucæ feminæ habent in Ecclesia, sed virginitatem cordis omnes fideles habent in ipsa fide. Virginitatem cordis timebat Apostolus corrumpi a diabolo, quam qui perdiderint, sine causa sunt virgines corpore. Mulier catholica præcedit virginem hæreticam ; illa enim non est virgo in corpore, illa mulier facta est in corde, et mulier, non a marito, sed a serpente. Quid autem Ecclesia ? *Super aspidem*, inquit, *et basiliscum ambulabis* (rex est serpentium basiliscus, sic diabolus rex est dæmoniorum), *et conculcabis leonem et draconem* (*Psal.* XC).

Nam si is qui venit, alium Christum prædicat quem non prædicavimus, aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis, aut aliud Evangelium, quod non recepistis, recte pateremini. (Ambr.) Quare ait : *Recte pateremini*, si alius vobis Christus prædicatus fuisset, aut si alius spiritus, vel aliud Evangelium traditum vobis fuisset, cum dicat Galatis : *Si quis vobis annuntiaverit præterquam quod accepistis, anathema sit ?* (*Gal.* I.) Si Galatis perversum erat aliud accipere, quam ab apostolis fuerat traditum, quomodo Corinthiis rectum erat, si alius Christus prædicatus illis fuisset? Sed sciens Apostolus nunquam alium Christum, quam hunc qui crucifixus est prædicari, idcirco ait, *Recte pateremini*, si vobis alius potior Christus ab his qui veniunt prædicatus fuisset ; Galatis autem anathema dixit, si aliud audirent quod non utique majus esset, sed contrarium. Porro autem, inquit, ipse Christus prædicatur ab his, qui a nobis annuntiatur, et hoc Evangelium, quid causæ est, ut nos inferiores habeamur, cum nihil amplius ab illis addiscatur ? Superius de pseudoapostolis loquitur, fidei corruptoribus, hoc loco autem de veris prædicatoribus, quia

Digitized by Google

plebs Corinthiorum variis erroribus fluctuabat, ut aliqui faverent pseudoapostolis, quidam eis a quibus compositis verbis eadem audiebant quæ ab Apostolo audierant, alii autem apostolis favebant, quia cum Domino fuerant, apostolum suum Paulum deformantes, quia in carne non viderit Dominum.

Existimo enim me nihil minus fecisse a magnis apostolis. Non vult gratiam Dei inferiorem in se videri, quia similiter docuit et eadem fecit, quæ faciebant apostoli qui propensiores videbantur, quia priores cœperant docere et fuerant cum Domino. Unde majoris auctoritatis esse putabantur, cum hujus Apostoli electio cum testimonio sit, et amplius cæteris laboraverit, et Dominum in templo orans viderit, et locutus sit ei. *Et si imperitus sermone, sed non scientia.* Hoc non ad apostolos pertinet, quia non erant eloquentes, ut puta sine litteris, pleni tamen sancto Spiritu, sed hos tangit, quos præferebant Corinthii causa accurati sermonis, cum in religione vis sermonis necessaria sit, non sonus dulcis. Quomodo tamen se humiliat ut imperitum se esse dicat in sermone, et ubi est illud, quod Festus ait : *Paule*, inquit, *Paule, multæ litteræ te faciunt extorrem* [*excordem*]? (*Act.* XXVI.) Hoc ergo dicens non se loqui nescire voluit intelligi ; sed propter eos qui non per fidem, sed per eloquentiam commendari volebant, et in eo tamen dixit se imperitum, quod non habet crimen. In eo autem quod non caret crimine, et acquirit salutem, non se imperitum pronuntiavit, quia qui imperitus est in sermone, reus non est apud Deum, qui autem scientiam Dei non habet, reus est ignorantiæ, quia non licet ignorare, maxime quod pertinet ad salutem. Quamobrem Apostolus, spreta eloquentia, id agebat, ut fides teste virtute acceptabilis esset, ut non fidem eloquentia commendaret, sed virtus, cui cedit eloquentia. *In omnibus autem manifestus sum vobis.* Manifestum se dicit esse Corinthiis in omnibus, quia non ignorabant etiam loquendi habere illam peritiam, et hoc scientes alii favebant in eo, quo istum inferiorem nesciebant, ideoque commotus loquitur, quia hoc pejus erat, ut cum scirent illum in nullo deesse, humiliarent illum cæteris, cum vidissent per eum non solum impleri prædicationem, sed signa ac prodigia fieri apostolica. *Aut nunquid peccatum feci meipsum humilians, ut vos exaltemini. Quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis ?* Quoniam inflati erant eo quod sumptus ab eis accipere noluit, et propter hoc alios ei præponebant, idcirco, nunquid peccavi, ait, quia me humiliavi, ut me indignum ad accipiendum judicarem ? quia inde mihi irascimini, cum hoc non peccati sit, sed gloriæ. Itaque sic se humiliavit, cum id quod sibi debebatur, non exegit : debitum enim erat, ut sumptus ab his acciperet, quibus prædicabat Evangelium Dei, sicut Dominus constituit dicens : *Dignus est operarius mercede sua* (*Luc.* X) ; sed ut ad utilitatem eorum proficeret, refutavit : duabus enim ex causis oblatos sumptus refutavit, ne et pseudoapostolis similis inveniretur, qui non ad gloriam Dei, sed ad suam utilitatem prædicabant, ut non occasionem acciperent deprædandi ; alio enim non accipiente, non potest alter multum expetere, et ne vigor evangelicæ potestatis torpesceret ; qui enim a peccantibus accipit, arguendi auctoritatem amittit. Sic ergo exaltantur, cum ideo ab eis non accipitur, ut correpti emendentur, a morte elevati ad vitam. *Alias ecclesias exspoliavi accipiens stipendia ad ministerium vestrum, et cum essem apud vos et egerem, nulli onerosus fui.* Ostendit enim non solum noluisse se ab eis accipere, sed et ab aliis accepisse, et eis ministrasse, et ut multum hoc ostendat fuisse, non parum, ait : *Alias exspoliavi ecclesias ad ministerium vestrum.* Non parva ergo significat se in eos impendisse : cum enim dicit, *exspoliavi*, multa accepta et data significat, non extorta ; unde subjicit, accepto stipendio, stipendium enim est quod militans accipit ad sumptus vice mercedis. Ruborem ergo incussit eis, quia non utique dolo refutavit, quando ipse eis ministravit, et ut per hoc ministerium, quod promiserant facilius implerent, scientes se esse debitores, ut non valde jam gloriosum sit ministerium eorum, sed debitum, ne vel inde se jactarent. *Et cum essem*, inquit, *apud vos, et cum egerem nulli onerosus fui*, in tantum eis proficere voluit, ut egestatem suam consolaretur propter eorum salutem : passus enim egestatem contentus fuit, ne illi aliquod scandalum paterentur ; qui enim dat putat se exaltari, et jam non se patitur argui. *Nam quod mihi deerat suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia.* A Macedonibus semper accepit, quia prius vitia sua correxerunt ; et sicut a Corinthiis accipiendum non erat, ne illis in scandalum proficeret : sic iterum a Macedonibus accipiendum erat, ne bene seminantes fructum amitterent. *Et in omnibus sine onere me vobis servavi et servabo.* In eo se permansurum dicit, ut si se corrigant, propter pseudoapostolos, qui occasionem quærebant deprædandi eos. (Greg.) Pensemus ergo si possumus, Paulus apostolus, qui tantum patiens inter persecutores, quantum mansuetus inter discipulos fuerit, certe Corinthum veniens ab idolorum servitio Corinthios retraxit, quis esset verus Deus innotuit, æternæ eis vitæ gaudia prædicavit, et cum magnam multitudinem populi in fide collegisset, tantam illic inopiam pertulit, ut victus sui gravi necessitate laboraret, et panem terræ a discipulis non accepit, quibus panem cœli prædicavit, instabat verbo pro vita audientium, instabat labori manuum pro vita corporis sui, de terris quoque aliis ei stipendia a discipulis mittebantur, ut Corinthiis prædicare sufficeret ; ipse quippe ad eosdem Corinthios post per Epistolam loquitur, dicens : *Cum essem apud vos et eguerim, nulli onerosus fui : nam quod mihi deerat suppleverunt fratres qui venerunt a Macedonia*, quibus ad magnum quoque improperium præmisit, dicens : *Alias Ecclesias exspoliavi. acciviens stipendium ad*

Digitized by Google

ministerium vestrum. Pensemus ergo si possimus, cujus hoc mansuetudinis fuerit, panem spiritus prædicare, et panem carnis non accipere, corda audientium de divitiis æternis instruere, et inter eosdem discipulos fideles et abundantes fame laborare; inter satiatos pati inopiam, nec tamen quod patiebatur dicere; quæ patiebatur non dicere, nec tamen dolere; videre dura erga se corda auditorum tenacium, nec a prædicatione desistere. Nam sicut apostolorum Acta testantur, anno et sex mensibus continue in eadem civitate prædicavit (*Act.* XVIII); cumque ab eisdem Corinthiis recessisset, ad eos postmodum scribit, quod apud eos positus pertulit: quare autem hoc eis cum inter eos viveret nunquam dixit? ne quod erga eum factum ex bona voluntate non fuerat, fieret ex jussione, et eum innotesceret eorum misericordia, remaneret voluntas ignota. Quare autem hoc postmodum longe positus scribit? ne omnimodo discipuli incorrecti remanerent, et quales magistro in tenacia fuerant, aliis quoque fratribus tales essent. Vere et in hoc Paulus, vere magister gentium sua negligens, aliena curans, implevit quod prædicaverat, Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius, et non quæ sua sunt singuli cogitantes, sed ea quæ aliorum. Quanta itaque ista mansuetudinis virtus est, quanta tranquillitas spiritus? quis autem nostrum, si unum hujus mundi vitæ ad omnipotentis Dei servitium convertisset, seque egere conspiceret, et illum sibi vitæ suæ subsidia non præbere, non protinus de ejus vita desperasset? quis non incassum laborasse se diceret? quis non ab ejus exhortatione obmutesceret quem in semetipso primum ferre fructum boni operis non videret. Sed Paulus per mansuetudinem in virtutum vertice solidatus perstitit, prædicavit, dilexit, et bonum quod cœperat explevit, atque portando et persistendo discipulorum corda ad misericordiam perduxit. Nam eorum profectum postmodum scire se judicans in eadem Epistola scribit (*Supra cap.* IX): *De ministerio quod fit in sanctis ex abundanti est mihi scribere vobis: scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones, quomodo Achaia parata est ab anno priore, et vestra æmulatio provocavit plurimos. — Est veritas Christi in me, quoniam hæc gloria non infringetur in me in regionibus Achaiæ.* (Ambr.) Hortatur omnem Achaiam ut ministrent sanctis, sibi autem non permittere, ne cœptam gloriam non impleret: gloria est enim a licitis abstinere, maxime ad aliorum salutem. In Achaiæ ergo regionibus noluit uti, in cæteris usus est, et amplius promittit sub testimonio Christi, dicens, in eo mansurum, ne aliquando ab Achaiæ regionibus acciperet: *Quare? quia non diligo vos? Deus scit.* Reddita ratione etiam Dei scientiam testem dat dilectionis suæ, quam habebat erga eos, quia non ideo nolebat accipere, quia non illos diligebat, sed ideo magis, quia amabat eos, ut hoc ipsum prodesset illis, sicut dixi. *Quod autem facio, et faciam, ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos.* Gloria pseudoapostolorum in pecuniis erat accipiendis, ideo Apostolus hoc refutavit, ne illis similis videretur, quia nisi hoc ab Apostolo vitatum fuisset, major occasio illis data fuisset accipiendi, aut magis extorquendi, quando in hac re formam ab Apostolo datam ostenderent.

Nam ejusmodi pseudoapostoli operarii subdoli sunt, transfigurantes in apostolos Christi. Subdoli sunt quia in avaritia, et non religiosa mente, neque missi prædicant Christum, nomen sibi apostolicum usurpantes. *Et non mirum: ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis.* Manifestum est, quia frequenter multos fallit Satanas, ostendens se illis, quasi angelum Dei, ut decipiat eos; unde Jesus Nave sollicitus quæsivit, quis esset qui ei apparuit (*Jos.* V); et apostoli in nave perterriti, putabant phantasma esse, unde Petrus apostolus dicenti Domino: *Nolite timere, ego sum*, facile credens, ait: *Si tu es, jube me venire ad te super aquam* (*Matth.* XIV), ut si firmiter posuisset pedem super aquas, sciret verum esse; quia non erat phantasma quod apparebat. *Non est ergo magnum si ministri ejus transfigurentur, velut ministri justitiæ.* Ministri justitiæ apostoli sunt, quorum se hi socios mentiebantur, ut deciperent audientes. *Quorum finis erit secundum opera ipsorum.* Sine dubio, quia judicabuntur hujusmodi, secundum animi sui nequitiam, quia non propter Deum, sed propter suum ventrem simulant se ministros Dei, finem tamen illorum secundum opera illorum dixit, ut sicut opera et cura ventris interit, ita et hi interire intelligantur. (*Greg.*) Antiquus hostis ille aliter religiosas hominum mentes, aliter vero huic mundo deditas tentat. Nam pravis mala, quæ desiderant aperte objicit, bonis autem latenter insidians sub specie sanctitatis illudit. Illis velut familiaribus suis, iniquum se manifestus insinuat; istis vero velut extraneis cujusdam quasi honestatis prætextu se palliat, ut mala quæ eis publice non valet, tecta bonæ actionis velamine subintromittat. Unde et membra ejus sæpe cum aperta nequitia nocere non possunt, bonæ actionis habitum sumunt, et prava quidem se opere exhibent, sed sancta specie mentiuntur. Iniqui enim si aperte mali essent a bonis recipi omnino non possent, sed sumunt aliquid de visione bonorum, ut dum boni viri in eis recipiunt speciem quam amant, permistum sumant etiam virus, quod vitant. Unde quosdam Paulus apostolus intuens sub prædicationis velamine ventris studio servientes ait: *Ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis* (*II Cor.* XI). Quid ergo mirum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ? *Iterum dico, ne quis me putet insipientem, alioquin velut insipientem accipite me, ut et ego modicum quid glorier.* (Ambr.) Supra jam dixit, « utinam sustineretis pusillum imprudentiam meam, » hoc nunc repetit, semper enim proponit quod postea multis interpositis prosequatur. Quod ergo supra posuit, modo incipit enarrare, nam vera dicturus, velut

Digitized by Google

insipientem se dicit, quia videntur ad laudem ejus pertinere, *ut et ego*, inquit, *modicum glorier*, modicum hoc dicit, quia in verbis, non in sensu est. Non ergo vere ad gloriam suam hæc loquitur, sed vult illis ostendere, quia quos putant gloriosos, nihil plus ab hoc habent, ac per hoc si putantur hi gloriosi, et ego inquit, ideo insipientis hoc esse dicit, ut ad laudem suam aliquid prosequatur, se autem coactum hæc loqui, dolet enim ei, ut illos putarent sublimes, hoc contempto, qui nihil plus ab eo haberent. *Quod loquor, non loquor secundum Deum.* Secundum Deum non loquitur, quia ad carnis tumorem hæc pertinent, nec de inflatione apud Deum surgit gloria, quia apud Deum humilitas gloriosa est. *Sed quasi in insipientia in hac substantia gloriæ.* Non plenam dixit insipientiam, sed ex parte, veritas enim est, sed quia elatio vitiosa res est, ideo quamvis verum sit quod dicitur, quasi in insipientia tamen est unumquemque laudare se, plena autem insipientia est, si se falsis quis laudet, ille enim superbus de vero est, hic stultus de falso: substantia tamen gloriationis in hac causa carnalitas est, quia sicut flos feni, ita decidit gloria ista. *Quia multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor.* Hoc dicit, quia jam aliqui ex Judæis credentes præsumebant sibi, quod essent filii Abrahæ, hoc est, secundum carnem gloriari, nobilitatem sibi carnis vindicare; inde enim sibi defendunt generis prærogativam; quia filii ejus dicuntur, qui Deo credidit, cum anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Si ergo hæc gloria est, inquit, et ego gloriabor, quia et ego filius sum Abrahæ, sed nihil prodest apud Deum filium esse Abrahæ, quia fides est, quæ salvat, non propago generis Abrahæ, ideoque gloria hæc carnis est, gloria, ut puta, si dicatur nobilis hominis filius. *Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes.* Insipientes appellat, qui de carnis circumcisione gloriantur, et quia a Corinthiis portabantur ut gloriosi viderentur, ideo Apostolus etiam sustineri se ab his vult, ut et ipse hoc se esse ostenderet, quod erant hi, et non tamen gloriari ex hac parte secundum Deum. Unde gloriam hanc insipientiam vocat: gloriari enim se dicit secundum carnem, sed hoc stultum esse profitetur, ut et gloriam hanc inaniret, et se coactum in laudem carnis erupisse doceret. Igitur ironia est hæc, nam quomodo prudentes sunt, qui sæpe reprehenduntur? nonne plus sapit insipientia Apostoli, quam horum prudentia? hic enim sapiens sustinet imprudentes, qui patientia sua suffert eos, ut possint proficere, ne provocans, aut abjiciens eos, pejores illos faciat, aut certe si in illis proficere non potuerit, suam modestiam custodit, horum in Corinthiis nihil est. Quomodo ergo libenter sufferunt imprudentes, cum ipsi sint sapientes, nisi quia non sic vult intelligi, sicut sonant verba? hoc in sensu, et in pronuntiatione est, quia eadem quidem verba non eumdem habent sensum, aliter pronuntiat, aliter sentit, nam aliquando confirmat, aliquando negat quod dicit; hi enim ut imprudentes insipientes sufferebant falsos apostolos. *Sustinetis enim, si quis vos in servitutem redigit.* Hoc verum est, quia redigebantur in servitutem, non per prudentiam, sed per stultitiam ut famularentur pseudoapostolis. *Si quis devorat.* Nec hoc falsum est quia contenti erant devorari res suas a falsis doctoribus. *Si quis accipit.* Accipere est aliquem dolo capere ideoque significat hos capi a dolosis magistris, et ferre quod non expedit. *Si quis extollitur.* Extollentia superbia est, hos ergo tangit, qui superbi erant, male taxantes Apostolum, et his non displicebant. *Si quis in faciem vos cædit.* In faciem cæditur, in cujus os injuria irrogatur, nunc hos significat, qui eo quod essent ex genere Abrahæ obtrectabant eis, quod essent incircumcisi, se præferentes, hos humiliantes. (*Aug.*) Facies autem est qua quisque cognoscitur, et legimus apud Apostolum: *Toleratis enim, si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.* Deinde continuo subjecit, *secundum ignobilitatem dico*, ut ostendat, quid sit in faciem cædi, hoc est contemni ac despici, quod quidem non ideo dicit Apostolus, ut illos non sustinerent, sed ut se magis, qui eos sic diligeret, ut se ipsum pro eis vellet impendi. *Secundum ignobilitatem dico.* Ignobilitatem dicit, hoc quod supra ait, et ego gloriabor secundum carnem. non enim dicit ad laudem pertinere, quia infirmus non erat, in quo se jactabant, quos occulte tangit. Unde adjecit: *Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte.* (Ambr.) Manifestum est, quia non erat in hac gloria infirmus, in qua se præferebant credentes judæi, quos hi patiebantur, quasi Apostolus eorum in hac re esset dissimilis, quia et ipse erat ex semine Abrahæ, ac per hoc infirmi non erant in hac gloria carnis. Infirmi autem hi judicabantur qui applicati fuerant generi Abrahæ. Isti enim quasi firmi in eo quod illi se præferebant, eo quod essent Israelitæ, in hoc ipso volunt se sufferri, ut ostenderent in hac gloria carnis non se esse dissimiles et infirmos, cum de sua causa loquitur subinducit, et Barnabæ personam socii sui, unde et in prima dicit Epistola (*I Cor.* IX): *Aut ego solus et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi:* non ergo minores erant in hac gloria, in qua se Judæi jactabant, sed non inde plaudebant; denique dicit: *In quo quis audet in insipientia dico, audeo et ego.* Hoc est, non fuisse infirmum in gloria, qua se jactabant Israelitæ, nec quidem ex hac re prudentem judicari, præferre enim se nolunt prudentes. In insipientia ergo dicit audere in eo, quod audent hi, qui se jactant, eo quod sint filii Abrahæ, ut gloriam illorum inaniat, imprudentem se pronuntiat, ne illi prudentes viderentur, in hac parte aut nobiles, *Hebræi sunt et ego, Israelitæ sunt et ego, semen Abrahæ sunt et ego.* In his parem se eorum, de quibus supra significavit, ostendit, ut detractationes eorum, quibus indignus ab his judicabatur, falsas ostenderet. *Ministri Christi sunt et ego: ut minus*

Digitized by Google

sapiens dico, plus ego. Vera de se dicens insipientem se pronuntiat, ut intelligatur coactus in laudem suam prorupisse. Nam qui sponte ea refert, quæ ad laudem ejus proficiant, imprudentem se non dicit. Ostendit ergo quæ sint, quæ faciant illum ministrum Christi magis esse, quam sunt reliqui prædicatores: occasione enim inventa omnium tangit, personas etiam apostolorum, dolens quia Dei gratia minor in hoc judicabatur, cum eadem operaretur, quæ cæteri apostoli, et fidei causa majora exitia toleraret. Unde et in alia Epistola dicit (*I Cor.* xv) : *Plus illis omnibus laboravi.* (*Greg.*) Hinc est ergo, quod prædicatores boni, et honorem propter elationem fugiunt, et honorari tamen propter imitationem volunt. Sic nimirum Paulus apostolus discipulis loquens honorem fugit, et tamen quantum esset honorandus, ostendit. Nam cum Thessalonicensibus diceret: *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis sicut scitis, neque in occasione avaritiæ, Deus testis est*, secutus adjunxit: *Nec quærentes ab hominibus gloriam neque a vobis neque ab aliis, cum possimus oneri esse, ut Christi apostoli, sed facti sumus parvuli in medio vestrum* (*I Thess.* ii). Rursus Corinthiis fugiens honorem dicit: *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum, Dominum nostrum: nos autem servos vestros per Jesum Christum* (*II Cor.* iv). Quos tamen videns falsorum apostolorum persuasionibus a veræ fidei tramite deviare, eis se summopere, quantum esset honorandus, ostendit dicens: *In quo quis audet, in insipientia dico, audeo et ego, Hebræi sunt et ego, Israelitæ sunt et ego, ministri Christi sunt et ego, ut minus sapiens dico, plus ego*, quibus etiam subjungit, quod ei quoque tertii cœli secreta patuerint, quod raptus etiam paradisi arcana penetravit, ecce honorem fugiens servum se discipulorum prædicat, ecce honorem pro utilitate audientium quærens falsis apostolis vitæ suæ merita superponit: egit quippe doctor egregius, ut dum ipse qualis esset agnoscitur, et vita et lingua male prædicantium ejus comparatione vilesceret. Illos videlicet commendaret, si se absconderet, cumque se non ostenderet errori locum dedisset; miro igitur modo et humilitatis exhibet gratiam et utilitatis quærit incrementa, ut et servum se discipulorum prædicet, et adversariis potiorem demonstret, ostendit discipulis, quid humilitatis acceperit, ostendit adversariis quid sublimitatis. Innotescit contra adversarios quid haberet ex munere: innotescit discipulis qualis apud se maneat in cogitatione. Innotescit adversariis qualis foris appareat in operatione. Sancti enim viri dum coguntur bona narrare quæ faciunt, non elationi serviunt sed utilitati. *In laboribus plurimis.* (Amb.) Ideo in pluribus ait laboribus quia, et illi laboraverunt, sed non tantum: hic enim a mane usque ad quintam horam victum manibus quæritabat, et exinde usque ad decimam horam disputabat publice tanto labore, ut contradicentibus suaderet. *In carceribus abundantius.* Apertum est frequentius istum missum fuisse in carcerem quam illos. *In plagis supra modum.* Ideo supra modum, quia ultra quam oportuit: nam et illi cæsi sunt, sed non tantum. *In mortibus frequenter.* Verum est, quia frequentius hic pericula sustinuit, quam cæteri. *A Judæis quinquies quadragenas*, una minus, accepi. Hoc dicit, quia quinquies flagellatus est a Judæis secundum legem Moysi accipiens plagas triginta novem, sicut scriptum est in Deuteronomio (*Deut.* xxv) quod per quinque ergo vices factum est, hic summatim refert. *Ter virgis cæsus sum.* Hoc a gentibus passus est. *Semel lapidatus sum.* A Judæis lapidatus est in civitate Lycaonia (*Act.* xiv). *Ter naufragium feci.* Qui omni tempore legitur navigasse adversis procellis, facile fuit ter naufragium facere. *Nocte et die in profundo maris fui.* Hoc factum est quando missus est Romam, cum appellasset Cæsarem. Tunc desperationem vitæ in alto, hoc est profundum maris fuit, mortem ante oculos habens, sic enim scriptum est ipso loco: *Ita ut desperaremus nos etiam vivere* (*II Cor.* i).

In itineribus sæpe. Nunc alia memorat pericula ut terra marique pro Christo vexatum se secundum carnem ostendat. *Periculis fluminum.* Si itinerum pericula recitat, quid est, ut dicat, periculis fluminum? sed hieme iter faciens, quia utique imbres assidui sunt, egredientibus fluminibus incurrebat periculum. *Periculis latronum.* Cum in civitate diabolus eum occidere posset, latrones illi excitabat in via, cum nihil ferret quæ latrones cuperent. *Periculis ex genere.* Judæorum dicit persecutiones, qui fratres ejus erant secundum carnem: dolebant enim quia deserta lege ad Evangelium Christi se converterat. *Periculis ex gentibus.* Agentibus persecutiones passus est propter mysterium incarnationis Domini Jesu Christi et unius Dei prædicationem. *Periculis in civitate.* Usque adeo in periculo fuit in civitate ut per fenestram effugeret manus insidiantes sibi. *Periculis in solitudine.* Periculum hoc a Judæis fuerat procuratum, quando eum factis insidiis in via volebant occidere. *Periculis in mari.* Jam superius dixerat, « ter naufragium feci nocte et die in profundo maris fui, » quod aliud fuit periculum in mari? sed hoc est periculum quando in mari, hoc est, in navi milites cogitaverant omnes custodias occidere, ne quis enatans effugeret, quod periculum centurio prohibuit inferri, ne Paulus occideretur, ut vivum eum Romam perduceret (*Act.* xxvii). *Periculis in falsis fratribus.* (Aug.) Falsi fratres hi sunt de quibus dicit ad Galatas: *Propter subintroductos autem falsos fratres qui subintraverunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu* (*Gal.* ii). Hi enim partim Christiani erant, partim Judæi, in neutro perfecti, qui zelo legis Apostolo invidiam excitabant, eo quod prædicato Christo legem jam cessare dicebat. Denique his perurgentibus Timotheum compulsus est circumcidere. Fictus ergo Christianus est, qui æmulatione legis persequitur Christianum, hic est falsus frater : si enim tantum

Digitized by Google

Judæi erant hi, et propter Judaismum fratres eos falsos appellat, quid opus erat iterare? jam enim superius dixit. *Periculis ex genere*, sed secundum carnem non sunt falsi fratres, in Christo autem falsi sunt, quia non tota mente Christiani sunt, fuerunt, et alii falsi fratres sicut Demas et Hermogenes. (*Greg.*) Undique enim sanctus vir persecutionibus et flagellis circumdatus erat, sicut per beatum Job dicitur: *Saltem nunc intelligite quia Deus non æquo judicio afflixerit me, et flagellis suis me cinxerit* (*Job.* XIX). Aliud quippe est flagellis percuti, aliud cingi, flagellis namque percutimur, cum consolationem et in doloribus ex rebus aliis habemus, nam cum tanta nos afflictio deprimit, ut ex nullius rei consolatione respirare animus possit, non jam flagellis solummodo ferimur, sed etiam cingimur, quia tribulationum verbere ex omni parte circumdamur. Cinctus enim flagellis Paulus fuerat, cum dicebat: *Foris pugnæ, intus timores* (*II Cor.* VII); cinctus flagellis fuerat cum dicebat: *Periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine*, etc. Quæ ita enumerat ut nunquam se habuisse requiem ostendat. Sancta vero Ecclesia cum tribulationum suarum flagellis cingitur, in ea infirmi quique in pusillanimitatis casum rediguntur: ita ut se eo jam desperatos existiment, quo se exaudiri tardius vident. *In labore et ærumna.* (*Ambr.*) Verum est, quia potest esse labor sine molestia, sed hic ideo addit, et in molestia, ut laborem ipsum exitiosum ostenderet. *In vigiliis multis.* Multæ fuerunt ejus vigiliæ, sed aliæ voluntariæ, alteræ ex necessitate. In pressura enim positus, necesse erat, ut vigilaret, Dei quærens auxilium, et non solum diebus, sed et noctibus docebat, sicut dicit in Actibus apostolorum. *In fame et siti:* fugatus frequenter Judæis persequentibus, necesse erat ut famem pateretur, et sitim per inopiam. *In jejuniis multis.* Sæpius jejunavit, ut Dei adminiculo protegi mereretur: jejunat enim, qui non habet quod edat et abstinet. *In frigor et nuditate.* In frigore fuit et nuditate, quando naufragium passus est, denique ignem fecerunt, ait, et refecerunt nos propter pluviam imminentem et frigus barbari in insula Mitylena (*Act.* XXVIII). *Præter illa quæ intrinsecus sunt instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum.* Sollicitudo hæc quam dicit quotidianam de traditionis usu descendit, ut omnibus diebus commissum sibi populum instruat: illa autem, quæ supra memorat, superinducta sunt necessitate cogente: dies enim ad opera datus est, Nox ad requiem. Sed quia instabat necessitas, ut omnibus occurreret, etiam nocte docebat, se enim affligere non dubitabat, ne Dei gratia esset in otio. *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* Compati se dicit omnibus et condolere eo affectu, quo provideat vulneri medicinam; hoc autem ideo prosequitur, ut ostendat qua cura commissam sibi Ecclesiam tueatur, et regat, ac per hoc in nullo se minorem debere judicari cæteris apostolis: quippe qui secundum quod claruit plus illis omnibus laboraverit: majore enim invidia laborabat apud Judæos præ cæteris apostolis. Quia cum persequeretur Ecclesiam, subito immutatus factus est defensor ejusdem, testificans atque affirmans quod Christum, quem prius ut hominem mortuum æstimabat, de cœlo secum locutum audierit, cujus testimonium necessario multi sequerentur, scientes eum de persecutore, non utique sine ratione, factum defensorem, hac causa excruciabantur Judæi, et quærebant eum semper interficere. *Quis scandalizatur, et ego non uror?* Scandalizari est, carnis pati desiderium, quantum ad locum hunc pertinet, et quia etiam inviti solent scandalizari, illecti forma aut pulchritudine corporis, aut propriæ carnis calore, Apostolus autem necessitatem humanæ naturæ considerans, uri se dicit, ut consulat talibus compatiens infirmitati eorum. Nec hos condemnans sed commonens in humilitate sermonis, ut spe promissi præmii repugnent stimulis carnis, ne quis eorum qui eum audiunt desideriis carnis victi, desperantes de se, putantes jam non accepto ferre Deum si corrigant et in eisdem manentes depereant. (*Greg.*) Per viscera charitatis, quidquid in damno parvulorum sustinet se perpeti animus perfectorum dolet. Infirmorum enim damna ad corda fortium per compassionem transeunt, unde per Paulum dicitur: *Quis infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalizatur et ego non uror?* Tanto enim quisque perfectus est, quanto perfecte sentit dolores alienos. Unde sancta Ecclesia infirmis tunc cadentibus angustata, cum horum reminiscitur temporum jure dictura est. *Si gloriari oportet quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.* Hoc dicit, quia si gloriandum est Christiano, in humilitate gloriandum est, de qua crescitur apud Deum, unde alio loco dicit (*II Cor.* XII): *Cum infirmor tunc potens sum*, hoc est, cum humilior pro salute fratris, tunc exaltor. Hinc gloriandum est, non de carnis progenie, quia est quis ex semine Abrahæ. (*Ambr.*) *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi scit, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior.* Deum testem dat, ut quæ dicit facile credantur, propter hos duntaxat, qui eum non ut verum apostolum honorificabant. *Damasci præpositus gentis Aratæ regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet. Et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus ejus.*

Si gloriari oportet (*non expedit quidem*). Princeps Damasci, videns Judæos insidias tendentes Apostolo, implere voluit per potentiam malam cogitationem illorum, ut ipse eum si posset comprehenderet, et ut Judæis placeret, et ut diligens in officio sibi credito videretur, si eum quem publice perturbatorem audiret, causa quietis interficeret, hoc inter ipsa primordia, tunc quando apparuit illi in via Dominus eunti Damascum, incensi sunt Judæi, videntes eum, qui vinctos credentes in Christum venerat perducere in Jerusalem, prædicare sectam, quam venerat condemnare. Sic factum est ut a discipulis per fenestram, per murum, in sporta demissus, effugeret. Quod quidam indigne factum dicunt, quia non Dei

Digitized by Google

auxilio liberatus est, sed quod ab hominibus fieri potuit, quid opus erat, ut Dei suffragio liberaretur, cum Dei suffragium tunc sit necessarium, si humanum auxilium deficiat? Quo pacto non sibi dicit expedire gloriari, quia præsentis vitæ gaudium fragile est : si enim non evasisset, martyrium fecerat, sed quia fugiendum in persecutione mandatum est, data opera effugit, nec enim debet aliquis exspectare, ut in semetipsum peccetur. Ergo gloriandum dicit, quia evasit, *sed non expedit*, inquit, propter superbiam, quia de humilitate crescitur, et auxilium Dei mitibus proficit non elatis. Præterea, quia qui gloriabatur mortem se evasisse, quæ pro fide infertur, inane videri significat pati pro Christo, ideo non expedit gloriari. (*Aug.*) Recolimus verba Domini dicentis : *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam* (*Matth.* xx). Quis autem credat ita hoc Deum fieri voluisse, ut necessario ministerio sine quo vivere nequeunt, desererentur greges, quos suo sanguine comparavit? Nunquid hoc fecit ipse, quando portantibus parentibus in Ægyptum parvulus fugit, qui necdum ecclesias congregaverat, quas ab eo desertas fuisse dicamus? Nunquid quando apostolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus, per fenestram in sporta submissus est, et effugit manus ejus, deserta est, quæ ibi erat ecclesia, necessario ministerio, et non ab aliis fratribus ibidem constitutis, quod oportebat completum est? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, ut seipsum servaret ecclesiæ, quem proprie persecutor ille quærebat. Faciant ergo servi Christi, ministri verbi et sacramenti ejus, quod præcepit, sive permisit : fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt. Cum autem omnium, id est, episcoporum et clericorum, et laicorum est commune periculum, hi qui aliis indigent non deserantur ab his quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui habent necessitatem remanendi, non relinquantur ab eis per quos illorum est ecclesiastica supplenda necessitas : ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant, quod eos Paterfamilias volet perpeti.

CAPUT XII.

Recommendat se Apostolus ex visionibus, et ponit ibi remedium contra periculum superbiæ. etc.

Veniam autem ad visiones et revelationes Domini. (Amb.) Nunc ostensurus est quo sublatus est, ut perinde quanta et qualia sint, quæ illi ostensa et dicta sunt, possint intelligi, ne, sicut quibusdam videbatur, minor cæteris apostolis crederetur. *Scio*, inquit, *hominem in Christo ante annos quatuordecim sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum.* Utrumque confirmavit, quia utrumque posse fieri non negavit, ut et sine corpore rapi potuisset, et in corpore. Et forte quibusdam videatur non magnum esse si homo Christi raptus est usque ad tertium cœlum, cum in tertio circulo dicatur luna esse, sed non ita est, quia ultra omnia mundi sidera raptus intelligitur, et ideo magnificum et mirabile est, quod narrat : significat enim supra firmamentum in tertio numero cœlum de spiritalibus cœlis raptum semetipsum. *Et scio hujusmodi hominem, sive in corpore sive extra corpus nescio, Deus scit. Quoniam raptus est in paradisum et audivit arcana verba quæ non licet homini loqui, pro ejusmodi gloriabor.* Bis se raptum dicit, id est, hinc usque ad tertium cœlum, deinde in paradisum cœlestem, in quo latroni dixit Dominus quod futurus esset cum eo. In paradiso inquit Patris, illic ubi et civitas dicitur esse Hierusalem mater nostra. Quid ergo mirum, si post resurrectionem corpus jam expiatum atque tenuatum factum immortale futurum credatur in cœlis, quando non dubitat Apostolus adhuc mortale corpus potuisse levari ad cœlos, et tolli in paradisum Dei Patris cœlestem? pro hujusmodi homine, id est, qui tam dignus est Deo, ut hoc experiretur, gloriari se dicit, et non vult aperte dicere quia de se loquitur, ne laudare se videatur. Et Joannes apostolus cum de se sciatur loqui : *Hic est*, ait, *discipulus quem diligebat Jesus, qui et recubuit in cœna supra pectus ejus* (*Joan. ult.*), ne de se gloriose effari videretur. (*Greg.*) Quia nonnunquam in virtutibus proficere conamur, et quædam dona percepimus, a quibusdam vero repulsi in imis jacemus : nemo enim est qui tantum virtutis apprehendat, quantum desiderat, quia omnipotens Deus interiora discernens ipsis spiritalibus profectibus modum ponit, ut ex hoc homo, quod apprehendere conatur et non valet, in illis se non elevet, quæ valet. Unde ille quoque egregius prædicator qui raptus ad tertium cœlum fuerat, paradisi arcana penetraverat, esse post revelationem tranquillus, atque intentatus nolebat. Sed quia omnipotens Deus terminos constituit homini, qui præteriri non poterunt, et elevavit hunc ad cognoscenda sublimia, et reduxit iterum ad infirma toleranda, ut modi sui mensuras aspiciens, dum securitatem comprehendere conaretur, et non posset, ne per elevationem extra se iret, per humilitatem cogeretur intra suos semper terminos redire. Sic rector singulis compassione proximus præ cunctis contemplatione suspensus, ut et per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum transferat, et per speculationis altitudinem, semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat, ne aut alta petens proximorum infirma despiciat, aut infirmis proximorum congruens appetere, alta derelinquat, hinc est namque quod Paulus in paradisum ducitur, cœlique tertii secreta rimatur, et tamen illam invisibilium contemplatione suspensam, ad cubile carnalium mentis aciem revocat, atque in occultis suis qualiter debeant conversari dispensat, dicens : *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat, uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro* (*I Cor.* vii); et paulo post : *Nolite fraudare invicem,*

Digitized by Google

tiet forte ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum, *Revertimini in idipsum* (*I Cor.* VII). Ecce jam cœlestibus secretis inseritur, et tamen per condescensionis viscera carnalium cubile perscrutatur, et quem sublevatus ad invisibilia erigit, hunc miseratus ad secreta infirmantium oculum cordis flectit. Cœlum contemplatione transcendit, nec tamen stratum carnalium sollicitudine deseruit, quia compage charitatis summis simul et infimis junctus, et in semetipso virtute Spiritus ad alta valenter rapitur, et pietate in aliis æquanimiter infirmatur. Hinc etenim dicit : *Quis infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalizatur et ego non uror* (*I Cor.* IX) ; hinc enim rursus ait : *Factus sum Judæis tanquam Judæus* (*Ibid.*), quod videlicet exhibeat non amittendo fidem, sed ostendendo pietatem : ut in se personam infidelium transfigurans, ex semetipso disceret qualiter aliis misereri debuisset : quatenus hoc illis impenderet, quod sibi ipsi, si ita esset, impendi recte voluisset. Hinc iterum dicit : *Sive mente excidimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis* (*II Cor.* V), quia et semetipsum noverat contemplando transcendere, et eumdem se auditoribus condescendendo temperare.

Pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis. Sic de se non gloriatur, dum non aperte de se profitetur. In infirmitatibus sane, inquit, meis gloriabor ; exponere enim pressuras passionum et infirmitates angustiarum non videtur gloriosum, sed flebile. Idcirco se in his gloriari dicit : sciens tamen quia ad profectum perducunt remunerationum cœlestium. Quid enim tam gloriosum in futurum Christiano, quam exitia pro Christo illata sibi narrare. *Nam et si voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam.* Hoc dicit, quia si meritum suum profiteatur quod habet apud Deum, non erit imprudens, vera enim loquitur. Ergo si quis pro meritis suis, quæ sibi ostensa sunt, loquitur, non est utique stultus : si autem taceat, est etiam prudens. Sed qua causa hic nunc palam gloriatur, nunc subjecit dicens : *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt me, aut audit ex me.* Ostendit igitur qua causa non aperte gloriatur, ne quis me existimet, inquit, ultra gloriam meam tendere, quam limes meritorum admittit. Hos significat, quos obtrectatores habebat causa legis, sicut supra memoravi : nam utique meritorum gloriam bonum est non tacere ut invitentur credentes. (*Greg.*) Habebat ergo adhuc de se dicendum aliquid, quæ parcit dicere ; sed agit utrumque doctor egregius, ut et loquendo quæ egerat discipulos instrueret, et tacendo se intra humilitatis limitem custodiret. Nimis namque esset ingratus, si de se tota vel discipulis taceret, et fortasse nimis incautus, si de se tota vel discipulis proderet. Sed mirabiliter, ut dictum est, egit utrumque, ut loquendo erudiret vitam audientium, tacendo custodiret suam. Sciendum vero est quod sancti viri, quoties de se aliquid sequentibus innotescunt, morem sui Creatoris imitantur. Nam Deus, qui nos prohibet ne proprio ore laudemur, per Scripturam sacram laudes suas loquitur, non quia ipse eis indiget, qui proficere laudibus nescit, sed dum suam nobis magnitudinem narrat, nostram ad se imperitiam sublevat ; et bona sua loquendo nos edocet, quem omnino homo non cognosceret, si de se tacere voluisset. Idcirco laudes suas indicat, ut valeamus eum audientes cognoscere, cognoscentes amare, amantes sequi, sequentes adipisci, adipiscentes vera ejus visione perfrui. Unde Psalmista ait : *Virtutem operum suorum annuntiavit populo suo, ut det illis hæreditatem gentium* (*Psal.* CX) : ac si aperte dicat : Idcirco fortitudinis suæ operationes insinuat, ut eum qui audierit donis ditescat. Morem ergo sui creatoris imitantes sancti viri nonnunquam quædam de se, ut audientes instruant, non ut ipsi proficiant, manifestant : et tamen in his alta se consideratione custodiunt, ne dum alios a terrena intentione erigunt, ipsi in terrenæ laudis appetitione mergantur. Quorum plerumque dicta imitantur hypocritæ, sed dictorum sensum penitus ignorant, quia quod justi agunt ad utilitatem proximi, hoc ipsi faciunt ad extensionem nominis sui. Sanctus autem Job hypocritas intuens, nequaquam gloriam futuram appetere, sed capere præsentem tenere ait : *Quæ enim spes est hypocritæ* (*Job.* XXVII)? quia dum præsentia diligit, futura minime sperat. Scriptum namque est : *Quod enim videt quis, quid sperat* (*Rom.* VIII)? Idcirco ergo ab hypocrita ad æterna præmia per spem minime tenditur, quia quod alio quærendum fuerat, hic se tenere gloriatur. Cujus quia culpa prolata est, etiam pœna subjungitur, cum protinus subinfertur : *Non liberet Deus animam ejus*, et reliqua.

Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, ut me colaphizet. (Ambr.) Deum bonis meritis providere testatur, dum permittit tentationibus bonos deprimi, non solum ne laborum suorum fructibus abdicentur, verum etiam ut augeantur his ad cumulum possessionis æternæ. Hoc ergo remedium datum est Apostolo, ut injuriis pressus, animo non possit extolli pro magnitudine revelationum, quia otiosum pectus necesse habebat in his quæ viderat extolli. (*Aug.*) Nempe hic agnoscis Apostolum habentem magnitudinem revelationum, et timentem elationis præcipitium. Ut ergo noveris, quia et ipse Apostolus, qui volebat alios salvos facere, adhuc curabatur, si magni pendis ipsius honorem, audi quid ei medicus apposuerit ad tumorem : Et ne magnitudine, inquit, revelationum extollar. Ecce, jam possum dicere Paulo apostolo : Ne extollaris, sancte Apostole? Tu ne extollaris adhuc cavendum est? tu ne extollaris adhuc timendum est? Quid mihi, inquit, dicis? Tu audi quid sim, et noli altum sapere, sed time. Audi quomodo brevis agnus ingrediatur, ubi acies sic periclitatur. In magnitudine, inquit, revelationum mearum ne extollar ; *datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Qualem tumorem timuit, qui mordacissimum epithema accepit? Jam ergo modo dic quia tanta erat in isto justitia, quanta est in angelis san-

Digitized by Google

ctis. An forte et angelus in cœlo sanctus, ne extollatur, accipit stimulum angelum Satanæ, a quo colaphizetur? Absit hoc de sanctis angelis suspicari. Homines sumus, apostolos sanctos homines agnoscamus; vasa electa, sed adhuc fragilia; adhuc in hac carne peregrinantes, nondum in cœlesti patria triumphantes. (*Greg.*) Percussio alia est qua peccator percutitur, ut sine retractatione puniatur. Alia, qua peccator percutitur, ut corrigatur. Alia, qua nonnunquam quisque percutitur, non ut præterita corrigat, sed ne ventura committat. Alia per quam nec præterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur: sed ut, dum inopinata salus percussionem sequitur, salvantis virtus cognita ardentius ametur; cumque innoxius flagello atteritur, et per patientiam summa cumuletur. Aliquando peccator percutitur ut absque retractatione puniatur, sicut perituræ Judææ dicitur: *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli* (*Jer.* xxx); et rursum: *Quid clamas ad me super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus* (*Ibid.*). Ut corrigatur autem aliquando peccator percutitur, ut ait in Evangelio: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare* (*Joan.* v). Verba enim salvantis indicant, quia peccata præcedentia habiti vim doloris exigebant. Aliquando quisque non pro præterita culpa diluenda, sed pro futura vitanda percutitur; quod aperte Paulus de semetipso dicit: *Ne magnitudo revelationum extollat me.* Non ait extollit, sed ne extollat; apte indicat quod percussione illa, ne eveniat, compescitur, non quæ evenit culpa purgatur. Nonnunquam vero quisque nec pro præterita, neque pro futura iniquitate percutitur, sed ut sola divinæ virtutis potentia ex amputata percussione monstretur. Unde cum Domino in Evangelio de cæco nato dicitur: *Hic peccavit, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* respondit Dominus dicens: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo* (*Joan.* ix). In qua manifestatione quid agitur, nisi ut ex flagello meritorum virtus augeatur; et cum nulla præterita iniquitas tergitur, magna de patientia fortitudo generetur? *Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet ame, et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* (Amb.) Stimulus diaboli, quem perfide mentibus inserit ad nocendum Dei servis, instigans ut cessarent ab eo, ter Dominum deprecatum se fuisse, et non impetrasse testatur: non quia despectum se dicit, sed quia inscius contra se petebat, ut cessarent ab eo tentationes, per quas perfectior se fiebat. Ideo ad Romanos dicit: *Nam quid oremus sicut oportet nescimus* (*Rom.* viii). Unde hoc dicit sibi responsum, ut sufficeret sibi gratia Dei, qua aut vires tolerandi addebantur, aut tempus pressuræ abbreviabatur, ut devotio, dum infirmitate pressuræ accidentis non frangitur, probata videatur. (*Aug.*) Invenimus malos petisse et accepisse, et bonos petisse et non accepisse. Quid enim pejus dæmonibus? et tamen porcos petierunt et acceperunt, et invenitur Deus non fecisse desiderium dæmoniorum (*Marc* v). Quid ergo dicimus, *nisi quia novit Dominus qui sunt ejus* (*II Tim.* ii), et eorum qui petit accipit. Sed adhuc de Apostolo scrupulus restat. Numquid ipse non erat inter eos qui sunt ejus, qui hanc sententiam dixit: *Novit Dominus qui sunt ejus?* Ergo omnes qui sunt ejus petunt et accipiunt. Sed quærimus, quid ea quippe quæ propter istam vitam temporalem petuntur, aliquando prosunt, aliquando obsunt, et quando ea scit Deus obesse, non ea dat desiderantibus et petentibus suis, quomodo nec medicus dat quidquid æger petierit, et amando negat, quod non amando concederet. Exaudit ergo omnes suos ad æternam salutem: non omnes exaudit ad temporalem cupiditatem: et ideo non exaudit ad hoc, ut exaudiat ad illud. Denique etiam ipsa verba considera, quando non accepit, propter quod Dominum rogavit, ait illi: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Quid a me desideras ut auferatur a te stimulus carnis, quem accepisti, ne in tuis revelationibus extollaris? Utique propterea hoc poscis, quia tibi prodesse nescis; crede medico: quod imposuit acre est, sed utile: facit dolorem, sed parturit sanitatem. *Virtus in infirmitate perficitur.* Tolera enim infirmitatem, si desideras sanitatem; tolera infirmitatem, si desideras perfectionem: quia virtus in infirmitate perficitur. (*Greg.*) Ecce dum passione aliqua vel molestia carnis afficimur, scire fortasse occultas causas ejusdem passionis vel molestiæ optamus, quatenus in eo quod patimur, ex ipsa rerum scientia consolemur. Sed quia de specialibus tentationibus nostris nequaquam nobis singulis specialiter respondetur, ad Scripturam sacram recurrimus, ibi videlicet invenimus quod Paulus carnis infirmitate tentatus audivit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur;* quod idcirco illi in infirmitate proprie dictum est, ne sigillatim nobis omnibus diceretur. In Scriptura igitur sacra vocem Dei afflicto Paulo audivimus, ne cum fortasse affligimur, singuli audire eam privata consolatione quæreremus. Non ergo Dominus ad omnia nobis verba respondit, quia semel loquitur, et secundo idipsum non repetit, id est, in his quæ per Scripturam sacram ad patres nostros protulit, nos erudire curavit. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* (Ambr.) Apertum est quia tunc gloriandum docet, quando injuriis humiliatur. A Christo autem virtus tolerandi præbetur, ut quia prius asperæ ac per hoc fastidiendæ injuriæ videbantur, postea libenter suscipiendæ, ut Christi auxilio lenirentur. Libenter ergo cædi se dicit, dummodo a Christo curetur, sciendo plus addere medicinam Christi ad salutem quam infirmitas detrahit sanitati. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis, pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum.* Verum est quia tunc vincit Christianus, cum perdere putatur: et perdit tunc perfidia, cum se vicisse gratulatur. Plaudit ergo cum illi insultatur, et surgit cum premitur. (*Cass.*) Egestas quoque ac persecutiones et injuriæ, quæ malæ esse totius vulgi

Digitized by Google

opinione censentur, quam sint utiles ac necessariæ, etiam ex hoc liquido comprobatur, quod sancti viri non solum eas nunquam vitare voluerunt, verum etiam virtute summa vel appetentes, vel fortiter tolerantes, amici Dei effecti æternæ vitæ stipendia sunt consecuti, beato Apostolo concinente : *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum ; quia virtus in infirmitate perficitur.* Et idcirco illi qui summis sæculi hujus divitiis, et honoribus ac potestatibus extolluntur, non ex his principale bonum obtinuisse credendi sunt, quod in solis esse virtutibus definitur, sed medium quiddam ; quia sicut justis ac necessaria utentibus utilia hæc esse reperiuntur et commoda : occasionem namque operis boni fructusque in illius vitæ æternitate parturiunt : ita illis qui male opibus abutuntur, inutiles sunt, atque incommodæ et occasionem peccati mortisque concinnant. Quid enim grave poterit esse, quid durum ei qui jugum Christi tota mente susceperit ? qui vera humilitate fundatus, semperque ad Domini respiciens passiones, in omnibus quæ sibi fuerint irrogatæ lætatur injuriis, dicens : *Propter quod complaceo mihi in infirmitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo; cum enim infirmor tunc potens sum.* Quo, inquam, familiaris rei cruciabitur damno, qui perfecta nuditate gloriosus, voluntarie pro Christo offerens, universas hujus mundi respuit facultates, omnesque ejus concupiscentias generaliter arbitratur ut stercora, ut Christum lucrifaciat ? Evangelici illius præcepti meditatione continua cunctorum dispendiorum æstus despiciens, et excludens : *Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua ?* (*Matth.* XVI.) Super cujus rei privatione tristabitur qui omnia quæ ab aliis auferri possunt, sua non esse cognoscit, illud invicta virtute proclamans : *Nihil intulimus in hunc mundum, nec dubium quia nec auferre quid possimus* (*I Tim.* VI). Cujus aut inopiæ necessitate ejus superabitur fortitudo, qui peram in via, æs in zona, vestem intemporalem habere non novit, sed cum Apostolo gloriatur in jejuniis multis, et fame, et siti, in frigore, et nuditate.

Factus sum insipiens, vos me coegistis. (Ambr.) Compulsum se dicit ut quid esset ostenderet. Et non utique stultus est qui de se vera locutus est : sed inclinat se ut manifestat quia non voluntate merita sua ostendit. *Ego enim debui a vobis commendari.* Manifestum est quia hi debuerant testimonium ei perhibere adversus obtrectatores ejus, apud quos Ecclesiam constituit, et signorum prodigia apostolatus ostendit, ut hoc tacente, illi eum defenderent, quem Patrem habebant in Evangelio Christi. *Nihil enim minus fui ab his, qui sunt valde apostoli. Valde* hoc est nimis, sicut quibusdam videtur. Nam hoc erant, quod et apostolus Paulus. Hoc ergo dicit quia minor non est, neque in prædicatione, neque in signis faciendis, apostolis præcessoribus suis, non in dignitate, sed tempore. Nam si de tempore præscribendum putatur, ante cœpit Joannes prædicare quam Christus, et non Christus Joannem, sed Joannes Christum baptizavit. Num ergo sic judicat Deus ? Denique prior secutus est Andreas Salvatorem quam Petrus, et non tamen primatum accepit Andreas, sed Petrus. Quare ergo apostolus quibusdam non videbatur, cum eadem posset per Dei gratiam, quæ et apostoli ? Ideo dolet, et compulsus ostendit, quid a dignatione Domini mereatur. Hinc est unde non solum minorem se non esse coactus est profiteri, sed et plus omnibus laborasse. His ergo displicebat, et non videbatur esse apostolus, qui æmulatione paternæ legis prædicationem ejus respuebant, quasi inimici traditionis Moysi ; quia eam jam cessare dicebat, apostolis magis faventes, et istum his humiliantes, quia illi non tam constanter contra legem aliquid asserebant. *Et si nihil sum, signa tamen apostoli facta sunt per vos in omni patientia, signis, et prodigiis, et virtutibus.* Sic se humiliat ut erigat; patientiam tamen primum memorat, quia diu illos portabat quasi impatientes ægros, ut adhibita medicina signorum atque virtutum, curaret vulnera erroris illorum. *Quid est enim quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos ? Donate mihi hanc injuriam.* Adhuc per humilitatem se commendat ; ostendit enim non minus illos aliquid habuisse præ cæteris Ecclesiis, sed et amplius : Evangelium enim Dei gratis his prædicavit, quod nullis concessum est Ecclesiis, dicente Domino : *Dignus est enim operarius mercede sua* (*Luc.* X). Si ergo pro bono opere injuria, inquit, dignus sum, ignoscite mihi. Omnis enim stultus boni accusator est. Ut hos ergo imperitos ostendat, veniam ab his postulat ejus facti, de quo laude dignus est. *Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos, et non ero gravis vobis.* Ne forte hoc inter initia fecisse putaretur ad commendationem suam, post autem mercedem evangelicæ prædicationis velle accipere, ostendit in ea se voluntate durare, ne factum suum post emendare videretur, et esset quod ab obtrectatoribus reprehenderetur. *Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos.* Ostendit ideo se nolle accipere ab eis, ut illos ipsos lucraretur, ut intelligentes quia pecuniæ præponeret eos, tandem cognoscerent affectum illius erga se. *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Patrem se eorum spiritualem, sicut in prima Epistola dicit : *Per Evangelium ego vos genui* (*I Cor.* IV), carnales tamen parentes sunt qui filiis thesaurizant : nam spiritales a filiis dignum est ut accipiant sumptus ad sustentandam vitam præsentem. Non enim magnum est ut spiritalia tradentes, consequantur carnalia. Hic enim in tantum probat se nolle accipere, ut transferat causam carnalis patris ad spiritalem, ut non solum non ab eis accipiat, sed et si potest fieri, ipse illis tribuat, sicut supra jam dixit : *Alias ecclesias exspoliavi, accepto stipendio ad ministerium vestrum.* Hoc dicto tangit eos, ut intelligant quantus sit, et

Digitized by Google

quid hi mereantur, qui tanti apostoli providentiam neglexerunt. *Ego autem libentissime impendam, et super impendar pro animabus vestris.* Nunc aperte affectum et charitatem, quam circa eos habebat ostendit, quando non solum sua pro eis impendere paratum se dicit, et propensius impendere, sed et seipsum pro salute animarum eorum etiam mori, sicut et apostolus Joannes dicit : Quia exemplo Salvatoris pro fratribus, inquit, etiam animas nostras debemus ponere. *Licet plus vos diligens, minus diligar.* Provocat eos ad amorem, quia ipsi plus illum deberent diligere, maxime per quem didicerunt viam salutis, per quem acquisiti sunt Deo, ex infidis facti fideles, et ex contaminatis purificati. *Sed esto, ego vos non gravavi; sed cum essem astutus, dolo vos cepi.* Omnia quæ possent ex adverso proponi non tacet, ut se purget per omnia; quia nihil per circumventionem egit apud eos, sed in simplicitate, semel sibi prospiciens, his duplici genere; ut et apud Deum providerit eis, et hic censum illorum non quæreret : sibi autem hoc sufficere quod a Deo promissum est in futurum. Forte enim suspicarentur ideo illum contempsisse, quia parva erant quæ offerebantur, ut majora consequerentur; ut circumspiciens merita sua, non pecuniam refutaret, sed numerum indignum sibi æstimans contemneret. *Nunquid per aliquem illorum, quos misi ad vos, circumveni vos?* Hoc est, quod dicit, quia quos misit, non illis hoc intimarunt, ut si vellent, pacatum habere Apostolum, dignam quantitatem personæ illius offerrent, quia ideo noluisset accipere, quia minus quam dignum erat offerebatur : quod compositum Apostoli astutia intelligerent, ut quod egit, non per contemptum, sed per avaritiam egisse probaretur. *Rogavi Titum et misi cum illo fratrem; nunquid Titus vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis?* Apertum est quia quando ab his quos misit nihil tale dictum, aut factum est, una eorum sententia probatur in bono, exclusa suspicione avaritiæ. *Iterum putatis quod excusemus nos apud vos?* Hoc est, quod dicit : Olim de nobis dubitatis, arbitrantes quia non simpliciter agamus vobiscum : a pseudoapostolis enim exagitabantur, quia volentes deprædari eos, tergiversatione hoc agere Apostolum asserebant. *Coram Deo in Christo loquimur. Omnia autem, charissimi, propter ædificationem.* (Greg.) Ex Deo enim coram Deo loquitur, qui prædicationis verbum, et quod accipit intelligit, et placere per illud Deo, non hominibus quærit, audiant quod scriptum est : *Abominatio Domini est omnis arrogans* (*Prov.* XVI), quia videlicet dum in verbo Dei gloriam propriam quærit jus dantis invadit, eumque laudi suæ postponere nequaquam metuit, a quo hoc ipsum quod laudat accipit. (*Ambr.*) Sic illos cupit verum et bene de se sentire, ut et ratione et testificatione satis illis faciat, quia non ut sibi prosit talem se præbet, sed ut ædificationem eorum perficiat; ut vel sic amorem illorum circa se provocet, dum non gravat censum illorum, et auctoritatem potestatis in arguendis vitiis non inclinat : sine dubio enim prodest ei qui corripitur ut emendetur, si præpositus ideo oblata refutet, ut libere arguat. *Timeo enim ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos.* Quoniam non omnes adhuc quos in prima Epistola corripit emendaverant se, in quibus fuerant vitiis reprehensi, ideo cum auctoritate vult videri iturus ad illos, ut territi corrigantur, ut tales illos inveniat, quales vult. *Et ego inveniar a vobis, qualem non vultis.* Hoc dicit, ut tales se præbeant, ut conveniat eis cum Apostolo, ut invicem congaudeant sibi : ille enim invenit aliquem qualem non vult, qui se talem facit ut discordet ab illo. *Ne forte sint inter vos contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones.* Nunc errores memorat, quos in superiore Epistola reprehendit, quando personis deferentes et alterum alteri præponentes dissidebant ab invicem. *Ne iterum, cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia et fornicatione, et impudicitia, quam gesserunt.* Hoc præmonet ut non illos tales inveniat, quales dudum invenerat, cum vitiis diversis operum immundorum, vel magis nominum, quia omne opus sine crimine est, sed inordinationis nomen facit crimen : tunc enim est illicitum, cum aliter fit quam concessum est. Illis ergo peccantibus, se humiliari dicit, quia incipit, ut pius pater, peccata filiorum deflere. Quis enim pater non gaudeat bene agentibus filiis? sicut iterum necesse est lugeat, si prave versentur. Ideo admonet, ut si qui præteritarum fornicationum, aut alterius immunditiæ, vel impudicitiæ non egerunt pœnitentiam, sicut quidam quos significat non egisse, nunc agerent, ut veniens sine tristitia esset cum eis. Cum enim dicit, *Et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam*, probat quosdam ex his egisse pœnitentiam, quosdam non egisse : quod Novatiano adversum est, qui dicit fornicatores non posse peragere pœnitentiam, et recipi in communionem. Hic probat peregisse, ac per hoc receptos esse in pace Ecclesiæ. Tres ergo formas peccatorum probat, cum fornicationem et impudicitiam, et immunditiam nominat.

CAPUT XIII.

Vituperat Apostolus adhærentes prophetis falsis, commendando persistentes in vera doctrina : sub finem vonitur salutatio.

Ecce tertio hoc venio ad vos. (Ambr.) Superius præparatum se dixit, nunc jam venturum. *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.* Hoc secundum legem dixit, ut aliquis duobus, aut tribus testibus, aut purgetur, aut condemnetur, ita et hi tertio adventu Apostoli ut purgati inveniantur commonet. *Prædixi enim et prædico, ut præsens vobis et nunc absens scribo his qui ante peccaverunt, et cæteris omnibus. Quoniam si venero iterum, non parcam.* Pridem se significat dixisse præsentem, ut corrigerent se, ne cum pudore corriperentur; et nunc iterum

Digitized by Google

absentem se eadem dicere contestatur, ut post secundam correptionem si se non emendaverint, parci illis non debeat. *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Probationem quærunt Christi loquentis in Apostolo, dum præceptis non obediunt, volentes probare, si audet vindicare, ut per id intelligatur esse fidæ auctoritatis, ut de cætero timeatur. Qui enim magistrum contemnit, emendari se quærit. (*Cass.*) Illud sane præ omnibus nosse debemus, tria cogitationum nostrarum esse principia, id est, ex Deo, et diabolo, et ex nobis. Et ex Deo quidem sunt, cum Spiritus sancti illustratione nos visitare dignatur, erigens nos ad sublimiorem profectum, et in quibus vel minus acquisivimus, vel desidiose agentes superati sumus, saluberrima compunctione castigat, vel cum reserat nobis cœlestia sacramenta et propositum nostrum ad meliores actus, voluntatemque convertit, ut ibi, cum rex Assuerus castigatus a Domino libros annuales instigatur inquirere, quibus (*Esther.* VI) Mardochæi beneficia recordatus, summo eum gradu honoris exaltat, ac protinus crudelissimam supernæ gentis Judææ sententiam revocat (*Esther.* VI), vel cum Propheta commemorat: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIV). Alias quippe dixit: *Angelus qui loquebatur in me* (*Joan.* XIV), vel cum Dei Filius venturum se una cum fratre, et mansionem apud nos facturum esse promittit. *Et non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* X). Et vas electionis: *Experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Ex diabolo vero cogitationum nascetur series, cum subvertere nos tam vitiorum oblectatione, quam etiam occultis conatur insidiis, subtilissima calliditate mala pro bonis fraudulenter ostentans, et transfigurans se nobis in angelum lucis, vel cum Evangelista refert: Et cœna facta cum diabolus jam immisisset in corde Simonis Judæ Iscarioth ut traderet Dominum; et iterum: *Post buccellam*, inquit, *introivit in illum Satanas* (*Joan.* XIII). Petrus quoque ad Ananiam: *Quare*, ait, *tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto* (*Act.* V)? Et illud quod in Evangelio multo ante per Ecclesiasten prædictum legimus: *Si Spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimittas* (*Eccle.* X). Illud quippe quod dicitur ad Deum contra Achab in tertio Regnorum libro ex persona spiritus immundi: *Egrediar, et ero spiritus mendax, in ore omnium prophetarum ejus* (*III Reg.* XXII). Ex nobis autem oriuntur, cum eorum quæ gerimus vel gessimus, vel audivimus naturaliter recordamur: de quibus beatus David: *Cogitavi*, inquit, *dies antiquos, et annos æternos in mente habui, et meditatus sum nocte cum corde meo exercitabar et scopebam spiritum meum* (*Psal.* LXXVI); et iterum: *Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt* (*Psal.* XCIII). In Evangelio quoque Dominus ad Pharisæos: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris* (*Matth.* IX)? Hanc igitur tripartitam rationem oportet nos jugiter observare, et universas cogitationes, quæ emergunt in carne nostra, sagaci discretione discutere, origines earum et causæ auctores primitus indagantes, ut quales nos eis præbere debeamus, ex illorum merito qui eas suggerunt considerare possimus. *Qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis.* (Amb.) Potens est in his Christus, quia viderunt in nomine ejus mortuos excitatos, dæmones fugatos, paralyticos convaluisse, surdos audisse, mutis redditum affatum, claudos cucurrisse, cæcos vidisse. Hæc omnia virtutis sunt, non infirmitatis; denique hac causa attracti ad fidem sunt. *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Verum est, quia propter peccata nostra crucifixus est Christus, ut mortem destruens, credentes sibi liberaret ab ea. Infirmari ergo passus est propter nos, ut mortem vinceret nobis. Descendens enim ad inferos, qui omnino peccatum nesciebat, et quasi peccator occisus est, chyrographum Adæ delevit, ut de cætero defuncti sub ejus nomine a morte non tenerentur, sed haberent fiduciam eundi ad cœlos. Propter infirmitatem ergo nostram occisus revixit virtute Patris, ut discipulis probaret quæ docuerat esse vera, exemplo in se ostenso. (*Greg.*) Inde per beatum Job dicitur: *Scio enim quod Redemptor meus vivat* (*Job.* XIX); ac si apertis vocibus dicat, infidelis quisque illum flagellatum, derisum, palmis cæsum, corona spinea coronatum, sputis illitum, crucifixum, mortuum, noverit, illum post mortem vivere: certa fide credo, libera voce profiteor, quia Redemptor meus vivit, qui inter impiorum manus occubuit. *Nam et nos infirmi sumus in illo.* (Amb.) Hoc ad apostolorum personam pertinet, qui eum, id est, Christum prædicantes infirmabantur; dum injuriis agebantur, claudebantur, cædebantur. *Sed vivimus cum eo ex virtute Dei in nobis.* Manifestum est quia si a perfidis infirmabantur apud credentes, non erat infirmitas, sed profectus, quia hinc potentiores fiunt fideles, dum infirmantur. Illata ergo mors a perfidis, vita est erga credentes: virtute enim Dei resurgent, ut vivant cum Christo. *Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate.* Invicem ut se fratres discutiant, præcipit: sollicitiores enim fiunt, si secum invicem conferant. Tentationem ergo hanc probationem voluit intelligi, quia omnis probatio tentatio est, non tamen omnis tentatio, probatio. Si enim Deus tentare dicitur, probatio est; si autem diabolus tentare dicatur, tentatio est: quia evertere nititur. Et homo aliquando tentat, ut probet, aliquando ut capiat. (*Greg.*) Malum namque quod consilio prævenitur, decertanti contra se animo ex ratione subjicitur, quia tanto quisque minus adversitate vincitur, quanto contra illam præsciendo paratior invenitur. Sæpe enim grave timoris pondus usu lævigatur; sæpe mors ipsa sicut inopinata perturbat, ita deliberatione præventa lætificat. Unde apud Job recte de boc equo dicitur: *Fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem: ubi audierit buccinam, dicit; Vah;* nam subjungitur: *procul odoratur bellum;* ac si apertius dicatur. Idcirco quodlibet cer-

Digitized by Google

tamen exsuperat, quia mentem certamini ante certamen parat. Bellum quippe procul odorari, est adversa quæque adhuc longe posita cogitando prænoscere, ne fortasse valeant improvisa superare. Hoc bellum procul odorari discipulos Paulus admonebat, cum diceret : *Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate.* Ac si aperte præciperet dicens : Persecutionum certamina ad mentem reducite, et cordis vestri intima atque occulta pensantes, quales inter supplicia existere valeatis, invenite. Hoc bellum sancti viri procul odorantur, quando et in pace universalis Ecclesiæ positi, vel hæreticorum bella, vel imminentia ab infidelibus persecutionum tormenta conspiciunt. Qui dum recte vivunt, sæpe pro bonis mala recipiunt, detractionum contumelias æquanimiter ferunt : ut si persecutionis occasio suppetat, tanto illos fortiores aperti hostes inveniant, quanto eos et intra Ecclesiam falsorum fratrum jacula non expugnant. Nam qui ab statu patientiæ ante linguarum vulnera corruit, ipse sibi testis est quia contra manifestæ persecutionis gladium non subsistit. *An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est, nisi forte reprobi estis ?* (Ambr.) Hoc dicit, quia si probare vos invicem nescitis, non cognoscitis quia Jesus Christus est in vobis, et hoc est reprobum esse, nescire religionis et professionis suæ fidem : qui enim fidei suæ sensum in corde habet, hic scit Christum Jesum in se esse. *Spero autem quod cognoscetis quod nos non sumus reprobi.* Provocat eos ad scientiam fidei et rectæ vitæ : cum enim cœperint scire apostoli sui certam auctoritatem et meritum apud Deum, poterunt et circa se esse solliciti. *Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est facialis, nos autem ut quasi reprobi simus.* Eo affectu quo semper orat pro eis ut a malis temperent. *Non ut nos*, inquit, *probati appareamus*, id est, non ut in auctoritate videamur, vobis peccantibus. *Sed ut vos quod bonum est faciatis : nos vero ut quasi reprobi sumus.* Quid est hoc ? Orat Apostolus, ut reprobus sit ? Non sane ; sed hoc orat, ut his bene agentibus, dum non auderent corripere, quasi humilientur, ut humiliati vel reprobi apparcant. Probati enim a Deo videntur, dum judicant peccatores, auctoritate concessa. Si ergo quos judicent, non sint, cessante in his auctoritate, quasi reprobi videntur. *Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.* Hoc dicit quia potestas non est data contra veritatem, ut arguant bene viventem, sed pro veritate, ut vindicent in eum qui inimicus legis est ; ideoque cessabit potestas, si quod bonum est fecerint. Unde ad Romanos ait : *Vis non timere potestatem ? Bonum fac, et habebis laudem ex illa* (*Rom.* XIII). Cum ergo non timet bonum operando, evacuata est apud eum potestas ; hoc est, quasi reprobum esse, quia hoc in eo cessat unde probatur potestas. *Gaudemus autem quando nos infirmi sumus, vos autem potentes estis.* Hoc est infirmari, non exercere potestatem ; hos autem optat fortes esse, ut bene agentes vitia vincant, et prohibeant a se vindictam aut correptionem. Et quid mirum, si vas electionis pro Christi gloria, et fratrum suorum conversione, gentisque privilegio anathema fieri optet a Christo, cum Michæas quoque propheta vellet se mendacem fieri, et ab inspiratione sancti Spiritus alienum, dummodo plagas illas et captivitatis exitia, quæ sua vaticinatione prædixerat, plebs Judaicæ nationis evadat ? *Utinam*, inquiens, *non essem vir habens Spiritum, et mendacium potius loquerer !* (*III Reg.* XXII.)

Hoc et oramus vestram consummationem. Petit orans, ut in eo perficiantur, ne peccent consummati in virtute bonæ vitæ et incorrupta fide. *Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam.* Apertum est quia ideo absens commonet ut correctiores illos inveniat, et non illic positus increpet cum pudore, ut erubescat qui peccat in cœtu fraterno. *Secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem et non in destructionem.* Hæc potestas est, quam superius optat esse otiosam, his agentibus bene : si quo minus exercere se in hac ut ædificeantur correpti, non mortificati peccatores ; non enim destruuntur, qui arguuntur ut corrigantur, sed ædificantur ad vitam.

De cætero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus dilectionis et pacis erit vobiscum. Gaudium hoc de emendatione erit, unde et poterit provenire perfectio ; sed ante erit consolatio, ut spe futurorum deserant præsentem oblectationem. *Idem*, ait, *sapite :* hoc ait propter veterem discordiam, ut jam unum sentiant. *In pace agite.* Cum concordes fuerint, habebunt pacem. *Et Deus pacis et dilectionis erit*, inquit, *vobiscum.* Deus pacis Christus est, qui dixit : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV) ; ipse est et Deus dilectionis, qui iterum ait : *Novum mandatum do vobis, ut diligatis invicem. Et in hoc*, inquit, *cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem*, qua dilexi vos, *habueritis ad invicem.* Alia tamen pax Dei, alia mundi est, quia et maligni et spurici habent pacem, sed ad damnationem : Christi enim pax libera est a peccatis ; perfidiam enim fugit, dolum spernit, factis malis repugnat. Hæc Deo placita est et amica, diabolo autem inimica ; hanc qui habuerit, habebit et dilectionem simul et Deum eorum ad tuitionem perpetuam. *Salutate invicem in osculo sancto.* Hæc salutatio ecclesiastica est, quia oscula hæc non carnalia, sed spiritalia sunt, quæ complexu corporum animos copulant, non desiderio carnis, sed spiritus. *Salutant vos sancti omnes.* Provocat eos ad sanctitatem, ut et ipsi audeant reddere vicem sanctis in salutatione ; ideo enim a sanctis salutantur, ut illos imitentur. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.* Trinitatis hic complexio est, et unitas potestatis, quæ totius salutis perfectio est. Dilectio enim Dei misit nobis salvatorem Jesum cujus gratia salvati sumus. Ut possideamus hanc

Digitized by Google

gratiam salutis, communicatio facit sancti Spiritus: hic enim dilectos a Deo et salvatos gratia Christi

A tuetur, ut trium perfectio, consummatio sit hominis in salutem.

LIBER QUARTUS DECIMUS.

EXPOSITIO IN EPISTOLAM AD GALATAS.

ARGUMENTUM.

(*Ambr.*) Omnis credens in Christum et observans legem factorum, male intelligit Christum: sicut et Symmachiani, qui ex Pharisæis originem trahunt, qui servata omni lege Christianos se dicunt, more Photini Christum non Deum et hominem, sed hominem tantummodo definientes. Si enim Deum intelligerent Christum, nihil de lege factorum sperarent, id est, de neomeniis, sabbato, circumcisione et discretione escarum; quia qui Deum et Dominum legis colit, supra legem est: nec potest judicari a lege, qui cum legislatore concordat. Denique non illorum causa lex data est, qui Deum colebant, sed eorum qui male et credebant et agebant ad contemptum Creatoris. Unde dicit ad Timotheum: *Nec enim justo lex posita est, sed injustis et male versantibus* (*I Tim.* 1). Et Moyses sic inquit: *Timentes facietis filios Israel.* Inde et Galatæ vel qui eos subvertebant, adhuc erroris nebula contectum cor habentes, non cernunt sensum Isaiæ prophetæ inter cætera dicentis: *Verbum enim consummans et brevians in æquitate, quia verbum breviatum faciet Dominus super terram* (*Isa.* x). Si ergo hæc dicta intelligerent, a lege recederent, scientes a prædicatione Joannis Baptistæ legem jam cessare, ut sola fides sufficiat ad salutem abbreviata ex lege. In lege enim et de Deo Patre, et Christo Filio ejus, et de Spiritu sancto continetur. (*Aug.*) Causa propter quam scripsit Apostolus ad Galatas hæc est, ut intelligant gratiam Dei id secum agere, ut sub lege jam non sint. Cum enim prædicata eis esset Evangelii gratia, non defuerunt quidam ex circumcisione, quamvis Christiani nomine, nondum tamen tenentes ipsum gratiæ beneficium, et adhuc volentes esse sub oneribus legis, quæ Dominus Deus imposuerat, non justitiæ servientibus, sed peccato: justam scilicet legem injustis hominibus dando ad demonstranda peccata eorum, non auferenda. Non enim auferet peccata nisi gratia fidei quæ per dilectionem operatur. Sub hac ergo gratia jam Galatas constitutos illi volebant constituere sub oneribus legis, asseverantes nihil eis prodesse Evangelium nisi circumciderentur, et cæteras carnales Judaici ritus observationes subirent; et ideo Paulum apostolum suspectum habere cœperant a quo illis Evangelium prædicatum erat, tanquam non tenentem disciplinam cæterorum apostolorum, qui gentes cogebant judaizare. Cesserat enim talium hominum scandalis apostolus Petrus, et in simulationem ductus erat, tanquam et ipse hoc sentiret nihil prodesse gentibus Evangelium nisi onera legis implerent. A qua simulatione idem apostolus Paulus eum revocat, sicut in hac ipsa Epistola docet. Talis quidem quæstio est in Epistola ad Romanos, verumtamen videtur aliquid interesse, quod ibi contentionem ipsam dirimit, litemque componit, quæ inter eos qui ex

B Judæis, et eos qui ex gentibus crediderant orta erat, cum illi tanquam ex meritis operum legis sibi redditum Evangelii præmium arbitrarentur, quod præmium incircumcisis tanquam immeritis nolebant dari: illi contra Judæis se præferre gestirent, tanquam interfectoribus Domini. In hac vero Epistola ad eos scribit qui jam commoti erant auctoritate illorum qui ex Judæis erant, et ad observationes legis cogebant: cœperant enim eis credere, tanquam Paulus apostolus non vera prædicasset, quod eos circumcidi noluisset. (*Hier.*) Ad Galatas hoc proprium habet, quod non scribit ad eos qui ex Judæis in Christum crediderant, et paternas putabant cæremonias observandas, sed ad eos qui ex gentibus

C fidem Evangelii receperant, et rursum retro lapsi, quorumdam fuerant auctoritate deterriti, asserentium Petrum quoque et Jacobum, et totas Judææ Ecclesias Evangelium Christi cum lege veteri miscuisse: ipsum etiam Paulum aliud in Judæa facere, aliud nationibus prædicare: et frustra eos in Crucifixum credere, si id negligendum putarent quod apostolorum princeps observaret. Quamobrem ita caute inter utrumque et medius incedit, ut nec Evangelii prodat gratiam, pressus pondere et auctoritate majorum, nec præcessoribus faciat injuriam, dum assertor est gratiæ; oblique vero et quasi per cuniculos latenter incedens, ut Petrum doceat pro commissa sibi circumcisionis plebe facere, ne ab antiquo repente vivendi more descisceus, in crucem

D scandalizata non crederet, et sibi prædicatione gentium credita, æquum esse id pro veritate defendere, quod alius pro dispensatione simularet; et ideo sic cœpit: *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gloriam Christi, in aliud Evangelium.* (*Aug.*) Hoc ergo exordio causæ quæstionem breviter insinuavit, quanquam et ipsa salutatione, cum dicit se apostolum « non ab hominibus neque per hominem, » quod in nulla alia Epistola dixisse invenitur, satis ostendit, et illos qui talia persuadebant, non esse a Deo, sed ab hominibus, et cæteris apostolis, quantum ad auctoritatem testimonii Evangelici pertinet, imparem se haberi non oportere, quandoquidem non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem se apostolum noverit. Singula igitur ab ipso Epistolæ vestibulo,

Digitized by Google

permittente Domino et adjuvante studium nostrum, sic consideranda et tractanda suscepimus.

CAPUT PRIMUM

Redarguit Apostolus Galatas de veloci translatione ab Evangelio Christi, quod tum Apostolus non ab homine accepit, sed a Christo.

Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem qui suscitavit eum a mortuis. (*Ambr.*) Apostolum se non ab hominibus electum, et missum ad prædicandum testatur: sicut erant quidam qui electi ab apostolis mittebantur ad Ecclesias roborandas; neque sicut alii qui a Judæis mittebantur ad disturbandas Ecclesias, quos pseudoapostolos vocat, sed a Filio Dei missum se, quem in hac causa idcirco hominem negare videtur: quia præcepta quasi Deus dedit, non quasi homo, et quem elegit, divino judicio elegit. Per quod idoneum et firmum se prædicatorem significat: quia multo utique melior est quem Deus, quam quem homo eligit. *Neque*, inquit, *per hominem*, sicut arbitrabantur de Christo qui hos cogebant circumcidi, *sed per Jesum Christum*, id est, per eum qui Deus et homo est. Quod statim aperit cum dicit: *Et Deum Patrem qui suscitavit eum a mortuis.* Hoc dicto duas hæreses damnavit, et Manichæi et Photini; quia Manichæus Christum hominem negat, et non negat crucifixum: et Photinus Christum Deum esse non concedit, et tamen ipsum se, hoc est, corpus suum excitasse a mortuis negare non audet; ut Manichæus cum crucifixum non negat, stulte eum hominem non fateri videatur; et Photinus impietate quadam Deum negare, quem seipsum a mortuis excitasse fatetur. Legit enim dixisse Dominum: *Solvite templum hoc, et ego tribus diebus excitabo illud: hoc autem dicebat de templo corporis sui* (*Joan.* II). Igitur ipse excitans se a mortuis, corpus suum significat a mortuis se excitasse, et nihilominus tamen a Patre suo dicitur excitatus, propterea quod omnis virtus Filii de Patre est, ut gesta Filii facta sint Patris, ex quo sunt omnia. (*Hier.*) Nec prætermittendum quod Hebræi aiunt inter ipsos quoque prophetas et sanctos viros esse quosdam qui et prophetæ et apostoli sint, alios vero qui tantum prophetæ. Denique Moysen, cui dicitur: *Ecce ego mittam te ad Pharaonem* (*Exod.* III); et ipse respondeat: *Provide alium quem mittas* (*Ibid.*); et Isaiam cui loquitur Deus: *Quem mittam, et quis ibit ad populum istum?* (*Isa.* VI.) esse et apostolos et prophetas. Unde et nos possumus intelligere Joannem quoque Baptistam et prophetam et apostolum appellandum, siquidem, ait Scriptura: *Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes* (*Joan.* I). Et in Epistola ad Hebræos propterea Paulum solita consuetudine, nec nomen suum, nec apostoli vocabulum præposuisse, quia de Christo erat dicturus: *Habentes ergo principem sacerdotum et apostolum confessionis nostræ Jesum* (*Hebr.* III), nec fuisse congruum ut ubi Christus apostolus dicendus erat, ibi etiam Paulus apostolus poneretur. Quatuor autem genera apostolorum sunt: unum quod neque ab hominibus est, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem: aliud, quod a Deo quidem est, sed per hominem: tertium, quod ab homine et non a Deo: quartum, quod neque a Deo, neque per hominem, neque ab homine, sed a semetipso. De primo genere potest esse Isaias, et cæteri prophetæ, et ipse apostolus Paulus, qui neque ab hominibus neque per hominem, sed a Deo Patre et Christo missus est. De secundo, Jesus filius Nave, qui a Deo quidem est apostolus constitutus, sed per hominem, Moysen. Tertium genus est, cum hominum favore et studio aliquis ordinatur, ut nunc videmus plurimos non Dei judicio, sed redempto favore vulgi in sacerdotium subrogari. Quartum est pseudoprophetarum et pseudoapostolorum, de quibus Apostolus: *Istiusmodi*, inquit *pseudoapostoli, operarii iniquitatis, transfigurantes se in apostolos Christi qui dicunt: Hæc dicit Dominus: et Dominus non misit eos* (*II Cor.* XI). Verum non talis Apostolus Paulus, qui neque ab hominibus neque per hominem, sed a Deo Patre per Jesum Christum missus est. Ex quo approbatur Ebionis et Photini etiam hinc hæresis retundenda, quod Dominus noster Jesus Christus Deus sit, dum Apostolus qui a Christo ad prædicationem Evangelii missus est, negat se missum esse ab homine. Subrepunt hoc loco cæteræ hæreses, quæ putativam Christi carnem vindicantes, Deum aiunt Christum esse, non hominem. Nec non et nova hæresis, quæ dimidiatam Christi asserit dispensationem. Atque ita Ecclesiæ fides inter tanta falsorum dogmatum naufragia constituta, si Christum fateatur hominem, Ebion Photinusque subrepunt: si Deum esse contenderit, Manichæus et Marcion, et novelli dogmatis auctores ebulliunt. In commune itaque audiant Christum et Deum esse et hominem: non quod alius Deus sit et alius homo: sed quod qui Deus semper erat, homo ob nostram salutem esse dignatus est. (*Aug.*) Qui ab hominibus mittitur, mendax est; qui per hominem mittitur, potest esse verax: quia et Deus verax potest per hominem mittere. Qui ergo neque ab hominibus, neque per hominem, sed per Deum mittitur, ab illo verax est: qui etiam per hominem missos veraces facit. Priores ergo apostoli veraces, qui non ab hominibus sed a Deo per hominem missi sunt, et per Jesum Christum scilicet adhuc mortalem. Verax etiam novissimus apostolus, qui per Jesum Christum totum jam Deum post resurrectionem ejus missus est. Priores sunt cæteri apostoli per Christum adhuc ex parte hominem, id est mortalem: novissimus est Paulus apostolus per Christum jam totum Deum, id est, omni ex parte immortalem. Sit ergo testimonii ejus æqualis auctoritas, in cujus honore implet clarificatio Domini, si quid habet ordo temporis minus. Ideo enim cum dixisset, *et Deum Patrem*, addidit, *qui suscitavit illum a mortuis*, ut etiam ex hoc modo jam a clarificato missum se esse breviter commemoraret. *Et qui mecum sunt fratres Ecclesiæ Galatiæ* (Ambr.) Postquam auctoritatem suam com-

Digitized by Google

mendavit, adhuc auget ad causam, ut cæteros qui secum erant, omnes commotos adversus eos ostenderet. Quamvis sufficeret auctoritas ejus, nec posset refutari, tamen ut gravet factum illorum, quo a prima fide destiterant, multos secum accensos ad errorem illorum arguendum designat: facile enim poterit quis intelligere errare se, si a multis se videat reprehendi. (*Hier.*) In aliis Epistolis Sosthenes et Silvanus, interdum et Timotheus in exordio præponuntur: in hac tantum, quia necessaria erat auctoritas plurimorum, omnium fratrum nomen assumitur: qui et ipsi forsitan ex circumcisione erant, et a Galatis non contemptui ducebantur. Plurimum quippe facit ad populum corrigendum, multorum in una re sententia atque consensus. Quod autem ait, *Ecclesiis Galatiæ*, et hoc notandum, quia hic tantum generaliter non ad unam Ecclesiam unius urbis, sed ad totius provinciæ scribat Ecclesias [Epistolas], et Ecclesias vocet, quas postea errore arguat depravatas. Ex quo noscendum dupliciter Ecclesiam posse dici, et eam quæ non habeat maculam, aut rugam, et vere corpus Christi sit, et eam quæ in Christi nomine absque plenis perfectisque virtutibus congregetur. Quomodo sapientes bifariam nuncupantur, tam hi qui sunt plenæ perfectæque virtutis, quam illi qui incipiunt et in profectu positi sunt. De perfectis dicitur: *Mittam in vos sapientes* (*Matth.* XXIII). De insipientibus: *Argue sapientem, et diliget te* (*Prov.* IX). Qui enim plenæ consummatæque virtutis est, correptione non indiget. Juxta hunc sensum de cæteris quoque virtutibus intelligendum, quod scilicet fortis et prudens, pius, castus, justus et temperans, interdum plene, interdum abusive accipiantur. *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.* (*Aug.*) Gratia Dei est qua nobis donantur peccata: ut reconciliemur Deo: pax autem qua reconciliamur Deo. (*Ambr.*) Utriusque beneficio tam Patris quam Filii genus hominum sublevatum ostendit. Nec minorem Filium significat, cum eum Dominum nostrum vocat: neque Patrem majorem, quia eum Deum nostrum appellat; quia non erit verus Deus Pater, nisi et Dominus sit; neque, verus Dominus Filius, nisi et Deus sit. Si ergo una gratia Patris et Filii erga nos est, quid est, inquit, ut de Filio minus sentientes, legem illi æquetis, ut partim Christo, partim legi serviatis, cum legeritis Dominum dicentem: *Quia Dominus est filius hominis etiam sabbati?* (*Luc.* VI.) ut per hoc videant quanta contumelia ab eis Domino irrogetur, cum comparant Dominum famulæ. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo maligno.* (*Aug.*) Sæculum præsens malignum, propter malignos homines; qui in illo sunt, intelligendum est, sicut dicimus et malignam domum, propter malignos inhabitantes in ea. (*Ambr.*) Aperte ostendit nihil prodesse legem, quando Christum dicit obtulisse se, ut pro nobis pateretur, ut nos justificaret, quos lex reos tenebat; ut eruti a lege per fidem Christi, jam non peccatores essemus, sed justificati secunda nativitate, filii Dei appellati. Cum enim in conditione diaboli genus hominum teneretur, Salvator obtulit se volenti diabolo, ut illudens eum potestate virtutis suæ, cum accipere eum voluit, quem detinere non potuit, auferret ei, quæ malo jure tenebat obnoxia. Exspoliatis itaque inferis, tropharum animarum pertulit ad Patrem, ex quo sunt omnia; quod lex utique facere non potuit. Quanquam profutura data sit, nobis tamen peccantibus conversa est ut fieret inimica, et cœpit occidere, non vivificare: Christus autem donans delicta, non solum vivificavit nos, sed et sibi sociavit, ut filii Dei vocemur facti per fidem. Quantus ergo error est post gratiam reverti sub legem, hoc est post acceptam libertatem velle servire, ut ereptus gladio, immemor beneficii, denuo se vendat lanistæ? Accusator est enim emptoris, qui relicto eo, rursus ad priorem dominum redit. *Ut liberaret*, inquit, *nos, de præsenti sæculo maligno.* Hoc dicit, quia ideo morti se concessit Dominus, ut nos ab errore sæculi liberaret, id est ut ab intelligentia hujus sæculi, quod curriculis senescente ætate devergit in finem, alieni facti, futuri sæculi quod occasum nescit, participes simus in sensu unius Dei. Præsentis enim sæculi hæc est malignitas, quia non reddit congruam reverentiam creatori Dei et restauratori Christo, dum multos sibi confingit deos error humanus, aut dum Christo a credentibus debita honorificentia non reservatur. *Secundum voluntatem Dei Patris, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.* (Aug., Quanto igitur magis homines non debent arroganter ad seipsos referre, si quid operantur boni, quando et ipse Dei Filius in Evangelio, non gloriam suam se quærere dixit, neque voluntatem suam venisse facere, sed voluntatem ejus qui eum misit. Quam voluntatem, gloriamque Patris nunc commemoravit Apostolus, ut ipse quoque Domini exemplo a quo missus est, et non se quærere gloriam suam significaret, nec facere voluntatem suam in prædicatione Evangelii, sicut paulo post dicit: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* (Ambr.) Ut firmum sit plenumque auctoritate quod dicit, quia Christus nos liberavit, addit, quia istud Patris fecit cum voluntate. (*Hier.*) Nec Filius se dedit pro peccatis nostris absque voluntate Patris, neque Pater tradidit Filium sine Filii voluntate. Sed hæc est voluntas filii voluntatem Patris implere, ut ipse loquitur in psalmo: *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui* (*Psal.* XXXIX). Dedit se autem Filius, ut injustitiam quæ erat in nobis, justitia ipse subverteret; tradidit se Sapientia ut insipientiam expugnaret; sanctitas et fortitudo se obtulit, ut spurcitiam infirmitatemque deleret. Atque ita non solum in futuro sæculo juxta promissas spes quas credimus, sed etiam hic de præsenti nos sæculo liberavit: dum commortui Christo transfiguramur in novitatem sensus, et non sumus de hoc mundo, a quo merito nec amamur. Quæritur quomodo præsens sæculum malum dictum sit. Solent quippe hæretici hinc capere occasiones, ut alium

Digitized by Google

lucis et futuri sæculi, alium tenebrarum et præsentis asserant conditorem. Nos autem dicimus non jam sæculum ipsum quod die et nocte, annis currit et mensibus, appellari malum, quam ὁμωνύμως, ea quæ in sæculo fiant : quomodo sufficere dicitur diei malitia sua. Et dies Jacob modici esse scribuntur et pessimi (*Gen.* XLVII) : non quo spatium temporis in quo vixit Jacob, malum fuerit, sed quo ea quæ sustinuit per varia eum exercuerint tentamenta. Denique eo tempore quo ille pro conjugibus serviebat (*Gen.* XXIX), et multis conflictabatur angustiis, Esau in requie erat, atque ita idem temporis spatium, alii bonum, alii malum fuit. Nec scriptum esset in Ecclesiaste (*Eccle.* VII) : *Ne dixeris quia dies mei pejores erant boni super istos*, nisi ad distinctionem malorum. Unde Joannes ait : *Mundus omnis in maligno positus est* (*I Joan.* V), non quod mundus ipse sit malus, sed quod mala in mundo fiant ab hominibus, *manducemus et bibamus*, dicentibus, *cras enim moriemur* (*Isa.* XXII); et ipse Apostolus : *Redimentes*, inquit, *tempus, quia dies mali sunt.* Infamantur et saltus, cum latrociniis pleni sunt, non quod terra peccet et silvæ, sed quod infamiam homicidii loca quoque traxerint. Detestamur et gladium quo humanus effusus est cruor : et calicem in quo venenum temperatum est, non gladii calicisque peccato; sed quod odium mereantur illi qui his male usi sunt. Ita et sæculum quod est spatium temporum, non per semetipsum aut bonum aut malum est, sed per eos qui in illo sunt, aut bonum appellatur, aut malum. Quapropter Valentini deliramenta et fabulæ contemnendæ sunt, qui triginta αἰῶνας suos, ex eo quod in Scripturis sæcula legantur affinxit, dicens eos esse animalia, et per quadrigas [quadradas] et ogdoadas ; decadas quoque et duodecadas, tot edidisse numeros sæculorum quot Æneia fetus scropha generavit. Quærendum quoque quid sit inter sæculum et sæculum sæculi, sive sæcula sæculorum, et ubi pro brevi temporis spatio, ubi pro æternitate ponatur, quia in Hebræo sæculum, id est, *olam*, ubi *vav* litteram positam habuerit, æternitatem significat, ubi vero sine *vav* scribitur, annum quinquagesimum, quem illi jubilæum vocant. Ob hanc causam et ille Hebræus qui propter uxorem et liberos amans dominum suum aure pertusa servitio subjugatur, servire jubetur in sæculum, hoc est, usque ad annum quinquagesimum : et Moabitæ et Ammonitæ non ingrediuntur Ecclesiam Domini usque ad quintam decimam generationem et usque in sæculum, quia omnis dura conditio jubilæi solvebatur adventu. Quidam dicunt eumdem esse sensum in sæculis sæculorum, quem in sanctis sanctorum, in operibus operum, in Canticis canticorum : et quam habent differentiam cœli ad eos quorum cœli sunt, et sancta quæ sanctorum comparatione sunt sanctiora, et opera quæ operum prælatione meliora sunt, et Cantica quæ inter cantica universa præcellunt : eamdem habere et sæcula, quæ sæculorum collatione sunt sæcula. Præsens itaque sæculum ita edisserunt, ut dicant ex eo tempore illud esse numerandum, ex quo cœlum et terra sunt condita, et currere usque ad consummationem mundi, quo Christus judicaturus est omnia. Revocant quoque ultra et in priora promovent gradum, de præteritis et futuris sæculis disputantes, bona an mala fuerint, seu futura sint, et in tam profundas incidunt quæstiones, ut libros quoque et infinita volumina super hac dissertatione condiderint. Quod autem prologus Pauli *Amen*, Hebræo sermone concludatur, *Amen*, Septuaginta transtulerunt γένοιτο, id est *fiat :* Aquila, πεπιστωμένως, *vere* sive *fideliter :* quod etiam in Evangelio a Salvatore semper assumitur, sua per *Amen* verba firmante.

Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi Jesu, in aliud Evangelium quod non est aliud. (Aug.) Evangelium enim si aliud est præter id quod, sive per se, sive per aliquem Dominus dedit, jam nec Evangelium recte dici potest. Vigilanter autem cum dixisset, *transferimini ab eo qui vos vocavit in gloriam Christi :* quam volebant illi evacuare, quasi frustra venerit Christus, si jam circumcisio carnis atque hujusmodi opera legis tantum valebant, ut per illa homines salvi fierent. *Nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi.* Non quemadmodum istos conturbant, ita etiam convertunt Evangelium Christi, quia manet firmissimum : sed tamen convertere volunt, qui ab spiritalibus ad carnalia revocant intentionem credentium. Illis enim ad ista conversis, manet Evangelium non conversum, et ideo cum dixisset *conturbantes vos*, non dixit et convertentes, sed *volentes*, inquit, *convertere Evangelium Christi.* (*Hier.*) Miratur itaque Paulus primum, quod translati sint ab Evangelii libertate, in legalium operum servitutem : deinde quod tam cito translati, quia non ejusdem reatus est transferri ab aliquo, et difficultate transferri : ut in martyrio non eadem pœna plectitur, qui absque colluctatione et tormentis statim prosilivit ad negandum et ille, qui inter equuleos, fidiculas, ignesque distortus, compulsus est quod credebat, negare. Recens adhuc erat Evangelii prædicatio, non grande tempus in medio, quo Galatas Apostolus ab idolis ad Christum transduxerat; miratur itaque quomodo tam cito recesserint ab eo, ad cujus nomen dudum facti fuerant Christiani. Habet autem et locus ipse hyperbaton, quod ita suo ordine legi potest. Miror quod sic tam cito transferimini a Christo Jesu, qui vos vocavit in gratiam dicens : *Non veni vocare justos, sed peccatores* ad pœnitentiam (*Luc.* XIX); gratia quippe salvi facti sumus, et non per legem. Translati autem, inquit, estis in aliud Evangelium quod non est aliud : quia omne quod falsum est, non subsistit, et quod veritati contrarium est, non est : uti illud : *Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his qui non sunt* (*Esther.* XIV) : et ea quæ non erant vocavit Deus, ut faceret esse quod non erat. Si autem hoc de his qui eumdem Deum et easdem Scripturas habebant, dicitur, quod translati sint in aliud Evangelium, quod

Digitized by Google

non est Evangelium, quid de Marcione et cæteris hæreticis, qui conditorem respuunt et alterius Dei Christum simulant, æstimare debemus? Qui non interpretatione legis et litteræ, vel pugna carnis et spiritus labuntur et corruunt, sed de toto Ecclesiæ jure discordant. Pulchre autem ait : *Nisi sunt aliqui qui vos conturbent, volunt convertere Evangelium Christi.* Volunt, inquit, Evangelium Christi mutare, convertere, turbare, sed non valent, quia hujus naturæ est, ut non possit aliud esse quam quod verum est : Omnis qui Evangelium alio interpretatur spiritu et mente quam scriptum est, credentes turbat et convertit Evangelium Christi, ut id quod in facie est, post tergum faciat, et ea quæ post tergum sunt vertat in faciem. Si quis tantum litteram sequitur, posteriora ponit in faciem. Si quis Judæorum interpretationibus acquiescit, post tergum mittit ea, quæ ex natura sua in faciem constituta sunt. Nec non et illud congrue quod translationis verbum Galatis coaptatum est : Galatia enim *translationem* nostra in lingua sonat.

Sed licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizamus vobis, anathema sit; sicut prædiximus et nunc iterum dico : Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathemata sit. (*Aug.*) Veritas propter se ipsam diligenda est, non propter hominem, aut propter angelum, per quem annuntiatur : qui enim propter annuntiatores diligit eam, potest et mendacia diligere, si qua forte ipsi sua protulerint. *Sicut prædiximus*, inquit, *et nunc iterum dico : si quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit.* Aut præsens hoc prædixerat, aut quia iteravit quod dixit, propterea voluit dicere, *sicut prædiximus :* tamen ipsa iteratio saluberrime intentionem movet ad firmitatem retinendi eam quæ sic commendatur fidem. (*Hier.*) Potest et hyperbolice dictum accipi, non quod aut Apostolus, aut angelus potuerint aliter prædicare, quam semel dixerant : sed etiamsi hoc posset fieri ut et apostoli et angeli mutarentur : tamen non esse ab eo, quod semel acceptum fuerat, recedendum : maxime cum ipse Apostolus in alio loco firmitatem fidei suæ ostendat dicens (*Rom.* VIII) : *Scio quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura, poterit nos separare a dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea.* Hæc quippe dicta non sunt ejus qui possit a Christi fide et dilectione aliquando discedere (*Ambr.*) In aliud ergo Evangelium vocati fuerant, quam quod hi prædicabant, qui eos subverterant, non tamen aliud ab eo quod apostoli annuntiabant, quod pseudoapostoli aliud esse asserebant, ad invidiam apostoli qui eos instruxerat : et ut Galatas per hanc fallaciam circumvenirent, necesse erat ut Evangelium Apostoli aliud esse dicerent, quam quod ratio Salvatoris docebat : hoc autem esse verum quod ab eis cum legis veteris concordia prædicabatur. Hi sunt qui quæstiones fecerunt Paulo et Barnabæ de hac re, sicut continetur in Actibus apostolorum. Isti enim docebant ex gentibus credentes quia nisi circumciderentur more Moysi et judaizarent, salvi esse non possent. *Nisi*, inquit, *aliqui sint qui conturbant vos, et volunt convertere Evangelium Christi.* Apertum est quia hoc aiebant, ut converterent Evangelium Christi, immutantes traditiones, ut sub nomine Christi essent Judæi; id est, convertere Evangelium Christi in legem. Nemo miretur Apostolum, qui feritatem morum mansuetabat, sic esse commotum. Pro Galatarum enim salute indignatur adversus inimicos disciplinæ Christianæ : indignatio enim hæc ostendit non leve peccatum esse post acceptam fidem converti ad legem; nam tam firmum et verum Evangelium, quod eis prædicaverat, asserit, ut etiam seipsos, id est apostolos, si immutati forte aliter prædicarent, non audiri diceret; quorum utique fama quod essent apostoli Christi peragraverat omnem locum. Aut si forte diabolus angelum Dei se fingens ut facile possit audiri, de cœlis appareret, contra hæc prædicans, sciretur esse contrarium et abominatio haberetur. (*Hier.*) Porro *anathema* verbum proprie Judæorum est, et positum tam in Jesu Nave quam in Numeris, quando omnia quæ erant in Jericho, et Madianitarum detestationi et anathemati habenda Dominus imperavit (*Num.* XXI, *Jos.* VI). Interrogemus eos qui Christum et apostolum Paulum, boni Dei et usque ad illud tempus ignorati, vel filium asserunt esse vel servum, qui maledicere nesciat, nec noverit aliquem condemnare : quomodo nunc Apostolus ejus verbo Judæorum, id est, Creatoris utatur, et perire vel angelum vel apostolum velit, cum ipse non soleat ulcisci? Quod autem addidit : *Sicut prædiximus, et nunc iterum dico :* ostendit se et in principio hoc ipsum caventem, denuntiasse anathema eis qui aliter prædicaturi erant, et nunc postquam prædicatum est, id anathema decernere, quod ante prædixerat. Propterea autem et sibi quem aliud in Judæa facere, aliud docere in gentibus criminabantur, et angelo, quem majorem etiam præcessoribus suis apostolis esse constabat, anathema nuntiavit; ut non magna Petri et Joannis putaretur auctoritas, cum nec sibi liceret qui eos ante docuerat, nec angelo aliter prædicare, quam semel didicerant. Se itaque et angelum nominatim posuit, alios vero absque nomine : *Si quis*, inquit, *vobis evangelizaverit* ut in generali vocabulo nec præcessoribus faceret injuriam, et tamen nomina eorum latenter ostenderet. *Modo enim hominibus suadeo an Deo? aut quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* (Ambr.) Significat igitur hos a quibus fuerant eversi, non Deo, sed hominibus placere in Galatarum subversione. Ut enim laudari a Judæis possent, secundum voluntatem illorum, legem servandam dicebant, ne si verum Evangelium Christi prædicarent, inimicos eos facerent. Hic autem apostolus Paulus, qui omni devotione

Digitized by Google

Deo placere docebat, non timebat homines offendere, dummodo Dei gloriam commendaret : omnia enim præsentia postponens, futuris, se commendabat spebus, ut Christi idoneus servus : idonei autem servi esse non possunt, qui sub nomine Domini propriis lucris student. (*Hier.*) Non putemus ab Apostolo nos doceri, ut exemplo suo hominum judicia contemnamus, qui in alio loco dixerit (*II Cor.* v) : *Scientes ergo timorem Dei, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus;* et illud (*I Cor.* x) : *Sine offensione estote Judæis et gentibus, et Ecclesiæ Dei, sicut et ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salventur.* Sed si fieri potest, ut pariter et Deo et hominibus placeamus, placendum est et hominibus. Sin autem aliter non placemus hominibus, nisi Deo displiceamus : Deo magis quam hominibus placere debemus : alioquin et ipse infert, cur omnibus per omnia placeat, *non quærens*, inquiens, *quod mihi utile est, sed quod multis ut salventur.* Qui autem ex charitate, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliena, placet omnibus, ut salventur; utique Deo primum placet, cui salus hominum curæ est. Habet autem et verbum quod hic specialiter additum est, *modo*, vel placendum esse pro tempore hominibus vel displicendum, ut quo modo non placet propter Evangelii veritatem, placuerit quondam ob salutem plurimorum. Placuerat Paulus aliquando Judæis, cum æmulator existens paternarum traditionum (*Gal.* i), sine querela ante in lege versatus est : et tantum habuit in majorum cæremoniis ardoris et fidei, ut in Stephani nece particeps fieret, et Damascum perrexerit ad eos qui a lege desciverant, vinciendos (*Act.* ix). Sed postquam in vas electionis de persecutore translatus est, et cœpit prædicare fidem, quam quondam expugnaverat, cœpit pariter displicere Judæis, quibus ante placuerat. Hoc est ergo quod ait : Nunquid quæro Judæis placere, quibus displicendo, Deo placui? Si enim illis placerem, adhuc Christi servus non essem : assererem quippe legem, et Evangelii gratiam destruerem. Nunc autem propterea nec in simulationem quidem observandæ legis adducor : quia non quæro et Deo placere pariter et Judæis, quibus quicunque placet, Deo displicet. Et ipsum quoque verbum *suadere*, de humano usu sumptum est, cum quis id quod ipse habet et semel imbibit, etiam cæteris conatur inserere : et in plurimis Scripturarum locis legitur, ex quibus illud est : *Suasio hæc non est ex eo qui vocavit vos* (*Gal.* v); nec non et in Actibus apostolorum : *Venerunt ergo ad eum Judæi in hospitium multi, quibus exponebat, contestans eos de regno Dei, suadensque eis de Jesu, ex lege Moysi et prophetis, usque ad vesperum* (*Act.* xxviii). Hoc autem totum ideo quia diffamatum de eo fuerat, occulte illum custodire legem et Hierosolymis cum his qui judaizabant consortium miscuisse. (*Aug.*) Nemo Deo suadet, quia manifesta sunt illi omnia; sed hominibus ille bene suadet, qui non se illis placere vult, sed ipsam quam suadet veritatem. Qui enim placet hominibus, non ab ipsis suam gloriam quærens, sed Dei ut salvi fiant, non jam hominibus, sed Deo placet; aut certe jam cum et Deo placet, simul et hominibus, non utique hominibus placet; aliud est enim placere hominibus, aliud et Deo et hominibus. Item, qui hominibus propter veritatem placet, non enim ipse illis, sed veritas placet; *placere* autem dixit, quantum in seipso est, quantum ad ejus voluntatem attinet, ac si diceret, placere vellem : non enim si hoc eo non agente placeat alicui, quasi propter seipsum, et non propter Deum atque Evangelium, quod annuntiat, superbiæ ipsius potius quam errori ejus, cui perverse placet, tribuendum est. Iste itaque sensus est : Modo ergo hominibus suadeo an Deo, aut quia hominibus suadeo, quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus quærerem placere, Christi servus non essem. Jubet enim ille servis suis, ut discant ab ipso mites esse et humiles corde (*Matth.* xi) : quod nullo modo potest, qui propter se ipsum, id est, propter suam quasi privatam et propriam gloriam placere hominibus quærit, dicit autem et alibi : *Hominibus suademus, Deo autem manifestati sumus* (*II Cor.* v); ut intelligas quod hic ait, *hominibus suadeo, an Deo;* non utique Deo, sed hominibus suadendum. Non ergo moveat quod alibi dixit : *Sicut et ego omnibus per omnia placeo* (*I Cor.* x); addidit enim, *non quærens quod mihi prodest, sed quod multis, ut salvi fiant.* Nulli autem prodest ut salvus fiat, si homo ei propter seipsum placeat, qui non placet utiliter, nisi cum propter Deum placet, id est, ut Deus placeat et glorificetur per eum, cum dona ejus attenduntur in homine, aut per ministerium hominis accipiuntur. Cum autem sic homo placet, jam non homo, sed Deus placet; utrumque ergo recte dici potest, et, Ego placeo, et non ego placeo; si enim adsit bonus intellector, piusque pulsator, patebit utrumque, et nulla inter se repugnantia repellet intrantem.

Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem : neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. (Ambr.) Nunc principia Epistolæ aperit; ipsum enim sensum vult manifestari, quia non ea quæ docebat ab homine didicerat, ne forte dubitaretur de his quæ docebat : neque secundum humanum judicium aptata erat prædicatio, ut indigna divina auctoritate videretur; sed a Dei Filio dicit se didicisse per revelationem, cum jam post resurrectionem esset in cœlis. (*Aug.*) Evangelium quod secundum hominem est, mendacium est, *omnis* enim *homo mendax* (*Psal.* cxv); quia quidquid veritatis invenitur in homine, non est ab homine, sed a Deo per hominem. Ideo jam quod secundum hominem est, nec Evangelium dicendum est, quale illi afferebant, qui in servitutem ex libertate attrahebant eos, quos Deus ex servitute in libertatem vocabat. (*Hier.*) Et ex hoc loco Ebionis et Photini dogma conteritur, quod Deus sit Christus, et non tantum homo. Si enim Evangelium Pauli non est secundum hominem, neque ab homine accepit

Digitized by Google

illud, aut didicit, sed per revelationem Jesu Christi, non est utique homo Jesus Christus qui Paulo Evangelium revelavit. Quod si non est homo, consequenter Deus est; non quod hominem negemus assumptum : sed quod tantum hominem renuamus. Nec putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu : non in superficie, sed in medulla : non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Dicitur in propheta de Deo : *Sermones ejus boni sunt cum eo.* Tunc Scriptura utilis est audientibus, cum absque Christo non dicitur, cum absque Patre non profertur, cum sine Spiritu non eam insinuat ille qui prædicat : alioquin et diabolus qui loquitur de Scripturis, et omnes hæreses secundum Ezechiel (*Ezech.* XIII), inde sibi consuunt cervicalia, quæ ponant sub cubito universæ ætatis. Grande periculum est in Ecclesia loqui, ne forte interpretatione perversa, de Evangelio Christi, hominis fiat Evangelium, aut, quod pejus est, diaboli. Inter accipere autem et discere, hoc interest, quod ille accipit Evangelium cui primum insinuatur, et ad fidem ejus adducitur, ut credat vera esse quæ scripta sunt; discit autem is, qui ea, quæ in illo per ænigmata et parabolas figurata sunt, explanata et disserta cognoscit, et cognoscit non homine revelante, sed Christo, qui revelavit Paulo, aut per Paulum in quo loquitur Christus. Verbum quoque ipsum ἀποκαλύψεως, id est, revelationis, proprie Scripturarum est, et a nullo sapientium sæculi apud Græcos usurpatum. Unde mihi videntur quemadmodum in aliis verbis quæ de Hebræo in Græcum Septuaginta interpretes transtulerunt, ita et in hoc magnopere esse conatos, ut proprietatem peregrini sermonis exprimerent, nova novis rebus verba fingentes : et sonare, cum quid tectum et velatum, ablato desuper operimento, ostenditur et profertur in lucem. Hoc ut manifestius fiat, accipite exemplum : Moyses cum Deo revelata et aperta facie loquebatur, id est, absque velamine : ad populum autem loquens, quia vultum ejus attendere non valebant, velamen ponebat in facie. Ante arcam quoque testamenti velum oppansum erat : quod cum fuisset reductum, ea quæ ante abscondita fuerant, prodebantur, et ut ipso verbo utar, *revelabantur. Paulus apostolus non ab hominibus neque per hominem*, ita et in præsenti loco oblique in Petrum accipi, et in cæteros præcessores ejus, quod nullius pro lege et auctoritate moveatur, qui Christum solum Evangelii habeat præceptorem. Porro revelationem illam significat, cum Damascum vadens in itinere Christi vocem meruit audire, et cæcatis oculis, verum lumen mundi intuitus est (*Act.* IX).

Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo. quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. (Ambr.) Propositum suum quod prius juxta carnem vigebat, repugnans Ecclesiæ, breviter memorat. (*Hier.*) Sed plurimum prodest Galatis ista narratio, quomodo Paulus, vastator quondam Ecclesiæ, et Judaismi acerrimus defensator, ad Christi fidem repente conversus sit, et hoc eo tempore, quo crucifixus primum annuntiabatur in mundo, quo novum dogma et a gentibus et a Judæis totius orbis finibus pellebatur. Dicere enim poterant : Si ille qui a parva ætate Pharisæorum institutus est disciplinis, qui omnes coætaneos suos in Judaica traditione superabat, nunc defendit Ecclesiam, quam quondam validissime persequebatur; et magis Christi gratiam et novitatem vult habere cum invidia omnium, quam vetustatem legis cum laude multorum; quid nos facere oportet, qui ex gentilitate cœpimus esse Christiani? Pulchre vero adjunxit, *supra modum persequebar Ecclesiam Dei*, ut hinc quoque admiratio nasceretur, quod non unusquisque de his qui leviter persequebantur Ecclesiam, sed ille qui cæteros in persecutione vincebat, conversus ad fidem sit. Et prudenter dum aliud narrat, interserit non tam Dei se servisse legi quam paternis, id est, Pharisæorum traditionibus, qui docent doctrinas et mandata hominum, et rejiciunt legem Dei ut statuant traditiones suas. Quam elegans autem observatio, pondusque verborum est : *Audistis enim*, inquit, *conversationem meam aliquando in Judaismo?* (Aug.) Si persequendo et vastando Ecclesiam Dei, proficiebat in Judaismo, apparet contrarium esse Ecclesiæ Dei, non per illam spiritalem legem, quam acceperunt Judæi : sed per carnalem conversationem servitutis ipsorum Et si æmulator, id est, imitator paternarum suarum traditionum persequebatur Paulus Ecclesiam Dei; paternæ ipsius traditiones contrariæ sunt Ecclesiæ Dei. Non autem legis illius culpa est : lex enim spiritalis est, nec carnaliter se cogit intelligi; sed illorum vitium est, qui et illa quæ acceperunt, carnaliter sentiunt, et multa etiam sua tradiderunt, dissolventes, sicut Dominus dicit, mandatum Dei propter traditiones suas. (*Hier.*) *Conversationem*, non gratiam; *aliquando*, non modo; *in Judaismo*, non in lege Dei. *Quomodo supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et devastabam illam.* Non persequebatur ut cæteri, sed supra modum : nec sufficiebat quamvis vehemens persecutio, sed quasi quidam grassator Ecclesiam et prædo vastabat. Nec ait, *Ecclesiam Christi*, ut tunc putabat, quem ducebat contemptui, quem persequebatur : sed ut nunc credit, *Ecclesiam Dei*, vel ipsum Christum Deum esse significans; vel ejusdem Dei esse Ecclesiam, qui quondam legis dator fuit. *Et proficiebam*, inquit, *in Judaismo supra multos coætaneos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Rursum profectum non legis Dei, sed Judaismi vocat; nec super omnes, sed super plurimos; nec super senes, sed super coætaneos, ut et studium suum referret in lege, et jactantiam declinaret : paternas autem traditiones, non Domini mandata commemorans, et se Pharisæum, ex Pharisæis indicavit, et habuisse quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam. Usque hodie autem qui Judaico sensu Scripturas intelligunt, per-

Digitized by Google

sequuntur Ecclesiam Christi, et populantur illam, non studio legis Dei, sed traditionibus hominum depravati. *Cum autem placuit ei, qui me segregavit de utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizem illum in gentibus.* Non solum in hoc loco, sed et ad Romanos Paulus segregatum in Evangelium Dei esse se scribit. Et Jeremias, antequam formaretur in utero et conciperetur in vulva matris suæ, notus Deo (*Jer.* I), sanctificatusque perhibetur. Et ex justi, sive ut quidam putant, ex Salvatoris persona dicitur: *In te projectus sum ex vulva, ex utero matris meæ Deus meus es tu* (*Psal.* XXI). Contra de peccatoribus David canit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis concepit me mater mea* (*Psal.* L); et in alio loco: *Abalienati sunt peccatores a vulva* (*Psal.* LVII). Et in utramque partem, antequam parvuli nascerentur, *Deus Jacob dilexit, Esau autem odio habuit* (*Malac.* I; *Rom.* IX). Inveniunt locum hæretici, qui diversas naturas esse prætendunt, spiritalem videlicet et animalem, et choicam [χοϊκην], et aliam salvari, aliam perire, aliam in utramque consistere, quod nunquam aut justus eligeretur antequam aliquid boni faceret, aut peccator odiretur ante delictum, nisi esset pereuntium et salvandorum natura diversa. Ad quod potest simpliciter responderi, hoc ex Dei præscientia evenire, ut quem scit justum futurum, prius diligat quam oriatur ex utero: et quem peccatorem, oderit antequam peccet: non quod et in amore aut in odio iniquitas Dei sit, sed quod non aliter eos habere debeat, quos scit vel peccatores futuros esse, vel justos: nos ut homines tantum de præsentibus judicare, illum cui futura jam facta sunt de fine rerum, non de exordiis ferre sententiam. Non est autem ipsum, quod dicit, *ut revelaret Filium suum in me*, quasi diceret, *ut revelaret Filium suum mihi:* cui enim quid revelatur, huic illud potest revelari, quod ante in eo non erat. In quo vero revelatur, illud revelatur quod prius fuit in eo, et postea revelatum est. Simile est illud in Evangelio: *Medius in vobis stat, quem vos nescitis* (*Joan.* I); et alibi: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Ex quo perspicuum fit, natura omnibus Dei inesse notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, et non habere semina in se sapientiæ et justitiæ reliquarumque virtutum. Potest et aliter accipi, in Paulo Dei Filius revelatus, quod prædicante illo agnitus sit gentibus quem ante nesciebant. *Continuo non acquievi carni et sanguini* (sive ut in Græco melius habet), *Non contuli cum carne et sanguine.* (Ambr.) Præscientia ergo Dei segregatus est de utero matris suæ, id est, antequam nasceretur, vel statim natum scit Deus futurum bonum, sicut dicit ad Jeremiam prophetam: *Priusquam te formarem in utero, novi te*, et cætera (*Jer.* I); ita et apostolum Paulum, sciens quis esset futurus, prævenit eum, ut antequam converteretur, vocaret eum, quia erat necessarius. Denique statim suscepit dispensationem doni Dei, omni postposita cura carnali: nec enim consilium cujusquam petiit, aut ad aliquem retulit quid esset acturus: sed protinus prædicavit Christum, quia hic est Filius Dei: nam sicut futuri mali frequenter ante sunt boni, ita et solent futuri boni prius esse mali. (*Hier.*) Scio plerosque de apostolis hoc dictum arbitrari: nam et Porphyrius objicit, quod post revelationem Christi, non fuerit dignatus ire ad homines, et cum eis conferre sermonem, ne post doctrinam videlicet Dei, a carne et sanguine instrueretur. Sed absit ut ego Petrum, Joannem et Jacobum, carnem et sanguinem putem, quæ regnum Dei possidere non possunt. Non contulit Paulus post revelationem Christi cum carne et sanguine, quia noluit margaritas projicere ante porcos, nec dare sanctum canibus. Dicat quispiam. Si statim non contulit cum carne et sanguine Evangelium, tamen subintelligitur, quod postmodum cum sanguine et carne contulerit: et sensus hic, quo apostoli excusantur, ne caro et sanguis sint, stare non poterit: dum nihilominus qui in principio cum carne et sanguine non contulit, postmodum, ut dixi, cum sanguine et carne contulerit. Quæ præpositio nos coarctat, ut sic distinguamus, ne *statim* sive *continuo* cum carne jungamus et sanguine, sed cum superioribus hærere faciamus, et legatur: *Cum autem placuit ei qui me segregavit de utero matris meæ*, ac deinde, *ut revelaret Filium suum in me:* et ad extremum, *ut evangelizarem illum in gentibus continuo*, ut a proprio incipiat exordio, *Non contuli cum carne et sanguine.* (Aug.) Segregatur quodammodo de ventre matris, quisquis a carnalium parentum consuetudine cæca separatur. Acquiescit autem carni et sanguini, quisquis carnalibus propinquis et consanguineis suis carnaliter suadentibus assentitur. *Neque veni Hierosolymam ad præcessores meos apostolos, sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum in Damascum.* (Amb.) Non fuisse dicit necessitate electum se a Deo pergendi ad præcessores suos apostolos, ut aliquid forte disceret ab eis, quia Deus ei revelavit per Filium suum quomodo doceret. Hoc ideo loquitur ut ostendat non aliud tenendum esse quam quod docet, nec hominibus credi, sed Deo, a quo se didicisse testatur; ac per hoc eos qui illos in legem induxerant, esse falsos doctores, quia non a Deo traditum erat quod docebant. A Damasco ergo in Arabiam profectus est ad prædicandum, ubi nullus erat apostolorum, ut ipse illic fundaret Ecclesias, ne subrepentibus pseudoapostolis, Judaismus seminaretur. Et inde iterum regressus est Damascum, ut visitaret quibus rudis prædicaverat Evangelium gratiæ Dei. *Deinde post annos tres ascendi Hierosolymam videre Petrum, et remansi apud illum diebus quindecim.* Dignum fuit ut cuperet videre Petrum, quia primus erat inter apostolos, cui delegaverat Salvator curam Ecclesiarum: non utique ut aliquid ab eo disceret, qui jam ab auctore didicerat, a quo et ipse Petrus fuerat instructus, sed propter affectum apostolatus, et ut sciret Petrus hanc illi datam licentiam, quam et ipse acceperat. Veniens ergo ad eum hospitio receptus est et apud eum mansit diebus quindecim,

Digitized by Google

quasi unanimis coapostolus. Hæc ideo manifestat, ut ostendat concordiam se cum apostolis habuisse, nec in aliquo dissensisse, sicut susurrabant de eo pseudoapostoli : ut eum apud Ecclesias gentium deformarent, et sua mala simplicioribus insererent, dicentes ea convenire cum doctrina apostolorum majorum. (*Hier.*) Non sibi videtur historiæ ordo concinere, referente Luca in Actibus apostolorum, quod cum Paulus post fidem Christi per dies multos Evangelium Damasci loqueretur audenter, factæ fuerint ei insidiæ, et in sporta per murum nocte dimissus sit, et venerit Hierosolymam tentans se jungere discipulis. A quibus cum vitaretur et timerent ad eum accedere, a Barnaba ad apostolos illum esse perductum, et ibi narrasse quomodo Dominum viderit in itinere, et Damasci fiducialiter egerit in nomine Jesu : *Erat*, inquit, *cum illis intrans et exiens in Hierusalem, et fiducialiter agens in nomine Domini. Loquebatur quoque et disputabat cum Græcis; illi autem quærebant occidere eum. Quod cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream et dimiserunt Tharsum* (*Act.* IX). Hic autem dicit se primum isse in Arabiam, et iterum reversum Damascum : post triennium venisse Hierosolymam, vidisse Petrum, et cum eo mansisse diebus quindecim, nec præter Jacobum fratrem Domini, alterum convenisse. Quæ ut vera credantur (dubia quippe videri absentibus poterant,) sub testatione confirmat dicens : *Quæ autem dico vobis, ecce coram Deo quia non mentior.* Possumus igitur æstimare, isse quidem Paulum, secundum Lucæ historiam, Hierosolymam, non quasi ad antecessores apostolos, ut aliquid ab illis disceret, sed ut persecutionis impetum declinaret, qui sibi Damasci propter Evangelium Christi fuerat concitatus : et sic venisse Hierosolymam quasi ad quamcunque aliam civitatem : inde eum statim propter insidias recessisse, et venisse Arabiam sive Damascum, atque inde post triennium ad videndum Petrum Hierosolymam revertisse. Vel certe ita : Statim ut baptizatus sit, et accepto cibo confortatus, fuisse eum cum discipulis qui erant Damasci per dies aliquot, et stupentibus cunctis in synagogis Judæorum prædicasse continuo quod Jesus esset Filius Dei, et tunc isse in Arabiam, et de Arabia Damascum revertisse, et ibi fecisse triennium : quos dies multos Scriptura testatur dicens : *Cum implerentur autem dies multi, consilium fecerunt Judæi, ut eum interficerent : notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum, et custodiebant portas die ac nocte, ut eum interficerent. Accipientes ergo discipuli ejus nocte per murum dimiserunt eum submittentes in sporta. Cum autem venisset Jerusalem, tentabat jungere se discipulis.* Lucam vero idcirco de Arabia præterisse, quia forsitan nihil dignum apostolatu in Arabia perpetrabat, et ea potius compendiosa narratione dixisse, quæ digna Christi Evangelio videbantur. Nec hoc segnitiæ Apostoli deputandum, si frustra in Arabia moratus sit, sed quod aliqua dispensatio et Dei præceptum fuerit ut taceret. Nam et postea legimus Paulum cum Sila egressum prohibitum esse a Spiritu sancto verbum in Asia loqui. Aliter : *Sed abii in Arabiam et iterum reversus sum Damascum.* Quid mihi prodest ista relatio, si legam quod Paulus post revelationem Christi statim ierit in Arabiam, et de Arabia statim Damascum fuerit reversus, nec sciam quid ibi gesserit, quidve utilitatis habuerit itus ac reditus ? Dat mihi occasionem altioris intelligentiæ in hac eadem Epistola ipse Apostolus, cum de Abraham, Agar et Sara disputans, *quæ quidem sunt*, inquit, *per allegoriam dicta : hæc enim sunt duo testamenta : unum quidem a monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar : Sina enim mons est in Arabia, qui junctus est ei quæ nunc est Jerusalem* (*Gal.* IV) ; et docet Vetus Testamentum, hoc est, ancillæ filium in Arabia, quæ interpretatur humilis et occidua, constitutum. Statim itaque ut credidit Paulus ad legem, ad prophetas, ad Veteris Testamenti jam in occiduo positi sacramenta conversus, quæsivit in eis Christum, quem jussus fuerat in gentibus prædicare : et reperto illo non est ibi diutius commoratus. sed reversus est Damascum, hoc est ad sanguinem et passionem Christi, et inde prophetica lectione firmatus pergit Hierosolymam, locum visionis et pacis : non tam disciturus aliquid ab Apostolis, quam cum eis Evangelium quod docuerat collaturus. *Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum.* Non ut oculos, genas, vultumque ejus aspiceret, utrum macilentus, an pinguis, adunco naso esset, an recto; et utrum frontem vestiret coma, an, ut Clemens in Periodis ejus refert, ut calvitium haberet in capite. Nec puto apostolicæ fuisse gravitatis, ut post tantam triennii præparationem aliquid humanum in Petro voluerit aspicere : sed his oculis aspexit eum, quibus et modo in Epistolis suis videtur. His oculis Paulus vidit Cepham, quibus nunc a prudentibus quibusque Paulus ipse conspicitur. Quod si cui non videtur, cum superiori sensu jungat hæc omnia, quod nihil sibi apostoli contulerint. Nam et quod visus sit ire Hierosolymam, ad hoc isse, ut videret Apostolum, non discendi studio, quia et ipse eumdem prædicationis haberet auctorem : sed honoris priori Apostolo deferendi. *Et mansi apud eum diebus quindecim :* Non grandi indiguit magisterio, qui tanto se ads videndum Petrum tempore præparavit. Et licet quibusdam superfluum videatur numeros quoque qui in Scripturis sunt observare, tamen non abs re arbitror quindecim dies quibus apud Petrum Paulus habitavit, plenam significare scientiam, consummatamque doctrinam : siquidem quindecim sunt carmina in Psalterio, et quindecim gradus per quos ad canendum Deo et in atriis ejus consistendum justus ascendit. Ezechias quoque quindecim annorum spatio sibi ad vitam dato, signum accipere meretur in gradibus; et solemnitates Dei a quinto decimo die incipiunt. Necnon quia duplicem intelligentiam sequimur, propterea quindecim ponit dies, ut ostendat non fuisse grande tempus quo potuerit aliquid a Petro discere, ut ad illum sensum a quo cœpit, cuncta

Digitized by Google

referantur, se non ab homine doctum esse, sed a Deo. *Alium autem apostolorum vidi neminem nisi Jacobum fratrem Domini.* (Ambr.) Jacobum vidit Hierosolymis, quia illic erat constitutus ab apostolis episcopus, qui et ipse prius fuerat incredulus, sicut dicit evangelista (*Joan.* VII), quia *nec fratres ejus*, inquit, *adhuc credebant in eum.* (Hier.) Potest et hoc aliter intelligi, quod propter egregios mores et incomparabilem fidem, sapientiamque non mediam, frater dictus sit Domini, et quod primus ei Ecclesiæ præfuerit, quæ prima in Christum credens, ex Judæis fuerat congregata. Dicuntur quidem et cæteri Apostoli fratres Domini, sicut in Evangelio : *Vade, dic fratribus meis : Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*Matth.* XVIII, *Joan.* XX). Et in psalmo : *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in media Ecclesia cantabo* [*laudabo*] *te* (*Psal.* XXI). Sed præcipue hic frater dicitur, cui filios matris suæ ad Patrem Dominus vadens commendaverat. Et quomodo Job et cæteri patriarchæ dicti sunt quidem famuli Dei, sed quasi egregium quiddam Moyses habuit (*Hebr.* III), ut scribitur de eo : *Sed non sicut Moyses famulus meus;* sic et beatus Jacobus specialiter frater Domini, ut ante diximus, appellatus est. *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior.* (Hier.) Sive simpliciter accipiendum, ut sit : Quæ scribo vobis vera sunt, et Deo teste confirmo, quia nulla arte verborum, nullo sunt fucata mendacio. Sive altius, ut legatur : Quæ scribo vobis coram Deo sunt, id est, Dei digna conspectu. Quare autem Dei digna conspectu? Quia scilicet non mentior. Et quomodo, *Oculi Domini super justos* (*Psal.* XXXIII), avertit autem faciem suam a conspectu impiorum : Ita nunc ea quæ scribuntur coram Domino sunt, me non mentiente qui scribo; quæ non essent coram Domino si mentirer. Hoc aut non solum de his quæ nunc scribit ad Galatas potest accipi; sed et generaliter de omnibus Epistolis, quia non sunt falsa quæ scribat, et cor ejus verbaque non discrepent. (*Aug.*) Qui dicit : *Ecce coram Deo non mentior :* jurat utique. Et quid sanctus hac juratione? Sed non est contra præceptum juratio quæ *a malo est*, non jurantis, sed incredulitatis ejus cui jurare cogitur; nam hinc intelligitur ita Dominum prohibuisse a jurando, ut quantum in ipso est quisque non juret. Quod multi faciunt, in ore habentes jurationem tanquam magnum aut suave aliquid. Nam utique noverat Apostolus præceptum Domini, et juravit tamen. Non enim audiendi sunt qui has jurationes esse non putant : quid enim facient de illa : *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro* (*I Cor.* XV), quam Græca exemplaria manifestissimam jurationem esse convincunt? Quantum ergo in ipso est, non jurat Apostolus, non enim appetit jurationem cupiditate aut dilectione jurandi, *amplius est* enim, quam, *Est est : Non, non*, et ideo *a malo est;* sed infirmitatis aut incredulitatis eorum qui non aliter moventur ad fidem. *Deinde veni in partes Syriæ et Ciliciæ.* (Hier.) Post Hierosolymæ visionem venit ad Syriam, quæ nobiscum dicitur *excelsa* atque *sublimis.* Deinde transiit ad Ciliciam, quam in fide Christi cupiebat assumere, evangelizans ei vocationem pœnitentiæ; Cilicia quippe interpretatur *assumptio*, sive *vocatio lamentabilis. Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo Jesu.* (Aug.) Animadvertendum non in sola Hierosolyma Judæos in Christo credidisse; nec tam paucos fuisse, ut Ecclesiis gentium miscerentur, sed tam multos ut ex illis Ecclesiæ fierent. *Tantum auditum habebant, quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam quondam expugnabat, et in me glorificabant Deum.*(Aug.) Hoc est quod etiam Dominus dicit (*Matth.* V): *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra; et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* (Hier.) Ecclesiæ, quæ erant in Judæa, Paulum tantum rumore cognoverant, ex quibus pleræque eum magis persecutorem quam Apostolum viderant : Syria vero et partes Ciliciæ, Arabia et Damascus, ex vultu quoque eum forsitan noverant, quia doctor gentium Evangelium Christi non Judæis, sed gentibus prædicabat. Totum autem quod agit, illud est, ut doceat se nunquam de persecutore apud eos ipsos quos prius persecutus fuerat, potuisse existere gloriosum, nisi prædicatio ejus eorum quoque, qui ante eum male noverant, esset judicio comprobata. Et ad propositum occulte rediit, tam breve tempus se in Judæa fecisse confirmans, ut etiam vultu credentibus esset ignotus. Ex quo ostendit non Petrum, non Jacobum, non Joannem se habuisse doctores, sed Christum, qui sibi Evangelium revelasset. Simul autem notandum quod supra dicatur Ecclesiam expugnasse, hic fidem. ibi homines, hic rem; ut nunc opportunius inferretur : *Evangelizat fidem quam aliquando expugnabat.* De Ecclesia enim similiter sonare non poterant. (*Amb.*) Cum Christi lex aliud impenderet quam Judaismus; illic enim circumcisio carnis est, hic cordis : illic sub elementis servitur neomeniis et sabbato, hic soli Deo in Spiritu, quia corde creditur; illic conditio est causa peccati, hic libertas ex remissione peccatorum. Multa itaque distantia est.

CAPUT II.

Ostendit Apostolus circumcisionem non esse necessariam ex approbatione et auctoritate aliorum apostolorum. Et restitit apostolo Petro, qui videbatur circumcisionem aliqualiter palliare, concludens legalia non esse servanda.

Dehinc post annos quatuordecim rursum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito. Ascendi autem secundum revelationem, et contuli cum eis Evangelium, quod prædico in gentibus. (Cass.) Quis ergo tam præsumptor et cæcus sit, qui se audeat suo judicio discretionique committere, cum vas electionis indiguisse se coapostolorum suorum collatione testatur? Unde manifestissime comprobatur, nulli a Domino viam perfectionis ostendi, qui habens unde valeat erudiri, doctrinam seniorum,

Digitized by Google

vel instituta contempserit, parvipendens illud eloquium, quod oportet diligentissime custodiri : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi : seniores tuos, et dicent tibi* (*Deut.* XXXII).

Seorsum autem his qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem. (*Hier.*) Ascendit igitur post quatuordecim annos Hierosolymam, et qui prius ad videndum tantum perrexerat Petrum, et diebus quindecim manserat apud eum, nunc se dicit ideo perrexisse, ut conferret cum Apostolis Evangelium, assumpto Barnaba circumciso, et Tito ex gentibus habente præputium, ut sub ore duorum et trium testium staret omne verbum. Aliud est autem conferre, aliud discere. Inter conferentes æqualitas est, inter docentem et discentem, minor est ille qui discit. In principio fidei, in transitu Apostolos videt : post annos, ut ipse ait, decem et septem plene cum eis loquitur; et se humiliat, et ne forte in vacuum aut curreret aut cucurrisset, inquirit; duplicem ob causam, quo et humilitas ostenderetur Pauli, qui doctor in toto orbe jam Gentium ad præcessores apostolos cucurrisset, et Galatæ discerent, non reprobasse Evangelium ejus, eos quoque qui in Judæa Ecclesiis præsidebant. Simul autem et illud docet, quod pro Christi fide et Evangelii libertate, ad eos ipsos qui de eo plura cognoverant, quod legem infringeret, Moysen destrueret, circumcisionem penitus auferret, ausus sit ducere Titum hominem incircumcisum, et inter tantam Judæorum multitudinem et inimicos suos, qui quasi ob zelum legis sanguinem ejus haurire cupiebant; nec ipse nec Titus aliquo sint terrore superati necessitati cedere, quæ potuit habere veniam, vel pro loco, vel pro auctoritate majorum, vel pro numero Ecclesiarum, quæ ex Judæis in Christo credebant, vel pro tempore, ne tantam simul invidiam sustinerent. Quidam post quatuordecim annos eum Hierosolymam ascendisse tunc dicunt, quando in Actibus apostolorum de quæstionibus observandæ vel prætermittendæ legis, inter credentes Antiochiæ orta dissensio est, et placuit iri Hierosolymam et sententiam majorum præstolari : quando ipse quoque Paulus et Barnabas missi sunt. Et hoc esse quod in codicibus latinis legatur : *Quibus ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii perseveraret apud vos.* Quod scilicet Paulus et Barnabas de re manifesta quasi dubia se mitti passi sint Hierosolymam, ut majorum quoque judicio Evangelii gratia confirmata credentibus probaretur, et nulli resideret ultra dubitatio circumcisionis omissæ, cum apostolorum esset litteris imperatum, jugum legis ab his qui in Christum ex gentibus crediderant auferendum. (*Aug.*) Quod seorsum exposuit Evangelium eis qui eminebant in Ecclesia, cum jam illud exposuisset coram omnibus, non ideo factum est, quod aliqua falsa dixerat, ut seorsum paucioribus vera diceret : sed aliqua tacuerat, quæ adhuc parvuli portare non poterant, qualibus se ad Corinthios lac dicit dedisse non escam (*I Cor.* III); falsum enim dicere nihil licet, aliquando autem aliquid veri tacere, utile est. Perfectionem ipsius opus erat ut scirent cæteri apostoli. Non enim sequebatur ut si fidelis esset, veramque et rectam teneret fidem, jam etiam apostolus esse deberet. Illud autem quod subjungit, *Ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem*, non ad illos cum quibus seorsum contulit Evangelium, sed ad istos, quibus scribit, quasi per interrogationem dictum intelligendum est, ut ex eo appareret non eum in vacuum currere, aut cucurrisse : quia jam etiam attestatione cæterorum, nihil ab Evangelii veritate dissentire approbatur. (*Ambr.*) Nam quoniam multo tempore fama ejus crebrescebat apud omnes Judæos, facie autem non videbatur; perambulabat enim fundare et roborare ecclesias solita constantia inter gentes, a Judæis autem causa legis, mala illi fiebat opinio, quasi discordaret a prædicatione cæterorum apostolorum, et hinc fiebat multis scrupulus, ita ut gentes possent perturbari, ne in aliud inducerentur ab eo, quam tradebant apostoli, qui cum Domino fuerant. Nam hac ipsa occasione subversi sunt Galatæ a Judæis dicentibus, quia aliud tradebat Paulus quam Petrus. Hinc factum est, ut admonitus revelatione Domini, ascenderet Hierosolymam cum testibus prædicationis suæ, id est, Barnaba et Tito, uno ex Judæo, et altero ex gentili, ut si qui de eo haberent scandalum, horum testimonio tolleretur, adaperiens illis sensum prædicationis suæ; cum apostolis vero secreto contulit, ut scirent non illum discordare a regula evangelica : hoc est ne putarent illum in vacuum currere aut cucurrisse, sicut æstimabant aliqui ex Judæis credentibus. Nec enim aliquid ab eis discere poterat, quia a Deo fuerat instructus. Sed propter concordiam et pacem, Dei nutu factum est ut tolleretur scrupulus aut suspicio fratribus aut coapostolis ejus, et ut gentibus proficeret cognoscentibus quia concordabat Evangelium ejus cum apostolis. Præterea cum legem dedissent non molestari eos qui ex gentibus credebant : sed ut ab his tantum observarent, id est, a sanguine et fornicatione et idololatria. Nunc dicant sophistæ Græcorum qui sibi peritiam vendicant, naturaliter subtilitate ingenii se vigere, quæ tradita sunt gentibus observanda? quæ ignorabant, an quæ sciebant? Sed quomodo fieri potest, ut aliquis ea discat quæ novit? Ergo hæc illicita esse, ostensa sunt gentibus quæ putabant licere, ac per hoc non utique ab homicidio prohibiti sunt, cum jubentur a sanguine observare; sed hoc acceperunt quod Noe a Deo didicerat, ut observarent se a sanguine edendo cum carne. Nam quomodo fieri poterat, ut Romanis legibus imbuti, quorum tanta auctoritas in servandis mandatis est, nescirent homicidium non esse faciendum; quippe cum adulteros et homicidas et falsos testes et fures et maleficos et cæterorum malorum admissores puniant leges Romanæ? Denique tria hæc mandata ab apostolis et senioribus data reperiuntur quæ ignorant leges Romanæ, id est, ut abstineant se ab idololatria, a sanguine, sicut Noe, et a fornicatione : quæ sophistæ Græcorum non intelli-

Digitized by Google

gentes, scientes tamen a sanguine abstinendum, adulterarunt Scripturam, quartum mandatum addentes et a suffocato observandum, quod, puto, nunc Dei nutu intellecturi sunt, quia jam supradictum erat quod addiderunt. *Sed neque Titus qui mecum erat, cum esset ex gentibus, compulsus non est circumcidi.* Hoc est, illo tempore ipso quo fui, inquit, Hierosolymis, Titus qui mecum erat compulsus non est circumcidi, cum utique inter apostolos et eos qui ex Judæis crediderant essemus, nemo illum, id est, Titum compulit circumcidi. Et subintelligitur, quid est ut vos circumcidamini, cum Titus ab apostolis, qui videbantur aliquid esse, non est compulsus circumcidi, sed susceptus est incircumcisus? *Propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintraverunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu. Ut nos in servitutem subjicerent, ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.* Titum, quia Græcus erat sicut Galatæ, negat circumcisum : quo dicto hos arguit, qui paterentur se circumcidi cum essent Græci. Sed ne forte opponeretur ei, quia ipse circumciderat Timotheum, nunc causas exponit cur fecerit, quod faciendum negabat, dicens : *Propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintraverunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem subjicerent, ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.* Græci e contra dicunt, *nec ad horam cessimus.* Et hoc aiunt convenire causæ, quia qui fieri prohibebat, non oportebat, inquiunt, dicere se fecisse, ne probaret esse faciendum. Sed Apostolus vir divinus, sciens posse hoc opponi, ipse illud proponit, ut præveniat calumniosos, et reddit causas quibus compulsus est facere quod nolebat. *Propter subintroductos autem*, inquit, *falsos fratres.* Subintroductos dicit, quia cum dolo intraverunt, ostendentes se fratres, cum essent inimici. *Qui subintraverunt*, hoc est, cum humilitate intraverunt fingentes amicitiam, *explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem subjicerent.* Explorare est sic intrare, ut aliud fingat et aliud quærat quo possit accusare *libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu.* Libertas in Christo Jesu, hæc est, non subjici legi. *Ut nos in servitutem subjicerent*, hoc est, ad hoc intraverunt cum dolo et fallacia, ut nostram libertatem in servitutem subjicerent, cogentes nos subjici legi circumcisionis. *Ad horam cessimus subjectioni*, hoc est, ad horam nos subjecimus servituti, humiliantes nos legi, ut circumciso Timotheo cessaret dolus et scandalum Judæorum. Parati enim erant, sicut datur intelligi, commovere illi tumultum et seditionem. Fuit enim causa quomodo haberent aditum calumniæ faciendæ, quia Timotheus erat matre quidem Judæa, patre autem Græco. Unde factum est ut secundum legem circumcisus infans non esset. Volens autem Apostolus eum assumere ut ordinaret illum episcopum sicut fecit, *quia testimonium ei*, inquit, *bonum perhibebant omnes loci illius*, insidias passus est Judæorum. Explorabant enim, si filium Judææ incircumcisum susciperet, parantes seditionem, quia si de Græcis contradicebat non esse circumcidendos, sicut et Epistola ab apostolis de hac re fuerat data, vel filios Israel circumcidi non vetaret, quia nihil de his in Epistola eadem significaverant apostoli, ex cujus auctoritate plus insæviebant credentes Judæi, quia non prohibebat Judæos filios suos circumcidere ipsa Epistola. *Tunc*, inquit, *accipiens circumcidit eum propter Judæos qui erant in locis illis :* de gentilibus autem scandalum non habebant, unde Titus non est compulsus circumcidi. Ad horam ergo cessit, ut veritas Evangelii permaneat apud gentes, cum se non subjiciunt circumcisioni. Apud Judæos autem non erat veritas Evangelii, quia credentes circumcidebant filios suos : *In Christo enim Jesu neque præputium neque circumcisio valet aliquid, sed fides per dilectionem operans* (*Gal.* VI). [Aug.] Potest et ita legi secundum id quod habent Græci codices, hoc est, *Quibus neque ad horam cessimus subjectioni*, quia Timotheum propterea circumcidit ne Judæis et maxime cognationi ejus maternæ sic viderentur qui ex gentibus crediderunt in Christum detestari circumcisionem, sicut idololatria detestanda est, cum illam Dominus fieri præceperit, hanc Satanas persuaserit; et Titum propterea non circumcidit, ne occasionem daret eis qui sine illa circumcisione dicebant gentes salvas esse non posse, et ad deceptionem gentium hoc Paulum sentire jactarent. Quod ipse satis significat ubi ait : *Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Græcus, compulsus est circumcidi, propter subintroductos falsos fratres qui subintroierunt explorare libertatem nostram ut nos in servitutem redigerent, quibus neque ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.* Hinc apparet quid eos captare intellexerit, ut non faceret quod in Timotheo fecerat, et quod ea libertate facere poterat, quam ostenderet, illa sacramenta, nec tanquam necessaria debere appeti, nec tanquam sacrilega debere damnari. *Ab his autem qui videbantur aliquid esse, quales aliquando fuerunt, nihil mea interest. Deus personam hominis non accipit.* (Amb.) Hoc significat quia apostoli prius simplices homines erant, et imperiti, nullius dignitatis in lege, sed hoc non obesse; quis enim accuset eum quem Deus excusat? Quia non quæritur, quis quid fuerit, sed quid sit. Præterita enim nec condemnant nec vindicant : sed tamen vult intelligi, quia et peritus erat in lege, et clarus vita, ac per hoc, et dispensatione Evangelii præcipuus minister. *Mihi enim qui existimantur aliquid esse nihil contulerunt.* Nihil se dicit ab apostolis consecutum, sed a Deo; quia qui imperitis tribuit sensum disciplinæ Christianæ, ipse et mihi, inquit, cum essem legis peritus, dignatus est impertire sensum rationis hujusmodi. Quomodo ergo fieri poterat ut hic ab his disceret, quem peritum inveniens, peritiorem fecit gratia Christi? *Sed e contra cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis; qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis,*

Digitized by Google

operatus est et mihi inter gentes; et cum cognovissent gratiam Dei, quæ data est mihi, Petrus et Jacobus, et Joannes qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem. (Aug.) Quia et qui videntur esse aliquid, carnalibus hominibus videntur esse aliquid; nam non sunt ipsi aliquid, et si enim boni ministri Dei sunt, Christus in illis est aliquid, non ipsi per se. Nam si ipsi per se essent aliquid, semper fuissent aliquid, quales aliquando fuerint, id est, quia et ipsi peccatores fuerunt. Nihil sua dicit interesse, quia Deus hominis personam non accipit, id est, sine personarum acceptione omnes ad salutem vocavit, non reputans illis delicta eorum. Et ideo absentibus illis qui priores facti sunt apostoli, Paulus a Domino perfectus est, ut quando cum eis contulit, nihil esset quod perfectioni ejus adderent, sed potius viderent eumdem Dominum Jesum Christum, qui sine personarum acceptione salvos facit, hoc dedisse Paulo, ut ministraret gentibus, quod etiam Petro dederat, ut ministraret Judæis. Non ergo inventi sunt in aliquo dissentire ab illo, ut cum ille se perfectum Evangelium accepisse diceret, illi negarent et aliquid vellent tanquam imperfecto addere; sed e contrario pro reprehensoribus imperfectionis, approbatores perfectionis fuerunt, et dederunt dextras societatis, id est, consenserunt in societatem, et paruerunt voluntati Domini, consentientes ut Paulus et Barnabas irent ad gentes : ipsi autem in circumcisionem, quæ præputio, id est, gentibus contraria videtur. Nam etiam sic potest intelligi quod ait, *econtrario*, ut ordo iste sit : Mihi enim qui videntur aliquid esse nihil apposuerunt, sed e contrario, ut nos quidem in gentes iremus, quæ sunt contrariæ circumcisioni, ipsi autem in circumcisionem, consenserunt mihi et Barnabæ, hoc est dexteras societatis nobis dederunt. Neque in contumeliam præcessorum ejus putet quis ab eo dictum, *qui videntur aliquid esse, quales aliquando fuerint nihil mea interest;* et illi eum tanquam spiritales viri, volebant resisti carnalibus, qui putabant aliquid ipsos esse, et non potius Christum in eis : multumque gaudebant cum persuaderetur hominibus et seipsos præcessores Pauli, sicut eumdem Paulum, ex peccatoribus justificatos esse a Domino, qui personam hominis non accipit, quia Dei gloriam quærebant, non suam. Sed quia carnales et superbi homines, si quid de vita ipsorum præterita dicitur, irascuntur, et in contumeliam accipiunt, ex animo suo conjiciunt apostolos : Petrus autem et Jacobus, et Joannes honoratiores in apostolis erant, quia ipsis tribus se in monte Dominus ostendit in significatione regni sui, cum ante sex dies dixisset : *Sunt hic quidam de circumstantibus, qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis in regno Patris sui* (*Matth.* XVI, *Marc.* IX); nec ipsi erant columnæ, sed videbantur : noverat enim Paulus sapientiam ædificasse sibi domum, et non tres columnas constituisse, sed septem : qui numerus vel ad unitatem Ecclesiarum refertur. Solet enim pro universo poni, sicut in Evangelio dictum est : *Accipiet in hoc sæculo septies tantum;* ac si diceret : *Quasi nihil habentes, sed omnia possidentes* (*II Cor.* VI). Unde etiam Joannes ad septem scribit Ecclesias (*Apoc.* I), quæ utique universitatis Ecclesiæ personam gerunt; vel certe ad septenariam operationem Spiritus sancti, magis refertur septenarius numerus columnarum : sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, et timoris Dei (*Isa.* XI), quibus operationibus domus Filii Dei, hoc est Ecclesia continetur. Quod autem ait : *Tantum ut pauperum memores essemus, quod et studui hoc ipsum facere.* Communis cura erat omnibus apostolis de pauperibus sanctorum, qui erant in Judæa : qui rerum suarum venditarum pretia ad pedes apostolorum posuerant. Sic ergo ad gentes missi sunt Paulus et Barnabas, ut Ecclesiæ gentium quæ hoc non fecerant, ministrarent oratione ipsorum eis qui hoc fecerant, sicut ad Romanos dicit (*Rom.* XV) : *Nunc autem pergam Hierusalem ministrare sanctis : placuit enim Macedoniæ et Achaiæ communionem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem; placuit enim illis, et debitores eorum sunt. Si enim spiritalibus eorum communicaverunt gentes, debent et in carnalibus ministrare eis.* In nulla ergo simulatione Paulus lapsus erat, quia servabatur ubique quod congregare videbat, sive Ecclesiis gentium, sive Judæorum, ut nunquam auferret consuetudine regnum Dei : tantum admonens, ne quis in superfluis poneret spem salutis, etiam si consuetudinem in eis propter offensionem infirmorum custodire vellet : sicut ad Corinthios dicit (*I Cor.* VII) : *Circumcisus quis vocatus est, non* adducat præputium, in præputio quis vocatus est, non *circumcidetur? Circumcisio nihil est, et præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei, unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Hoc enim ad eas consuetudines vel conditiones vitæ retulit quæ nihil obsunt fidei, bonisque moribus. (*Hier.*) Non enim si latro erat quisque cum vocatus est, debet in latrocinio permanere. Hyperbaton est, et multis quæ in medio sunt interjecta sublatis, sic breviter legi potest : *Mihi enim qui videbantur aliquid esse nihil contulerunt : sed econtra dextras dederunt et Barnabæ societatis.* (Aug.) Dicit venisse se Hierosolymam, et Evangelium cum apostolis contulisse, dextras sibi datas fuisse, id est, signum concordiæ, signum consonantiæ, quod ab eis quæ ipsi didicerant, in nihilo discrepabat. (*Hieron.*) Aut certe ille absque jactatione sui occultus est sensus, mihi qui videbantur aliquid esse nihil contulerunt : sed econtra a me eis collatum est, dum fiunt in Evangelii gratia firmiores. Totum autem quod dicit, hoc est, unus atque idem mihi Evangelium præputii, et Petro circumcisionis credidit; me misit ad gentes, illum posuit in Judæa : nec gentes poterant adulta jam ætate non profuturo circumcisionis dolore cruciari, et abstinere se ab escis quibus semper adsueverant, et quas Deus creaverat ad utendum; nec hi, qui ex Judæis crediderant et circumcisi erant, et ex consue-

Digitized by Google

tudine quasi secunda natura putabant se a cæteris gentibus plus habere, facile contemnere poterant ea in quibus gloriabantur. Providentia itaque Dei alius apostolus circumcisis datus est, qui legis umbris videretur acquiescere; alius in præputio constitutis, qui Evangelii gratiam non putaret esse servitium, sed liberam fidem, ne sub aliqua occasione impedimentum fidei nasceretur, et propter circumcisionem sive præputium, non crederetur in Christum. Nec hoc dicimus, quod Petrus qui et ipse in Actibus apostolorum (*Act.* x), nullum hominem communem esse testatus est, et in illo vase quod quatuor angulis de cœlo dimissum viderat edocetur nihil interesse Judæus sit aliquis an gentilis, quasi oblitus priorum, super Evangelii gratiam legem putaverit observandam; sed ut ipse quoque legem custodire se simulans, paulatim Judæos ab antiquo vivendi more deduceret. Non enim poterant tantum observationis laborem, et veteris vitæ cautissimam conversationem quasi purgamenta subito et damna contemnere. Ex quo perspicimus, propterea dextras datas Paulo et Barnabæ societatis a Petro et Jacobo, et Joanne, ne in observatione varia diversum Christi Evangelium putaretur, sed et circumcisorum et habentium præputium esset una communio. Pulchre autem præstruxit dicens : *Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis*, ne quis eum putaret detrahere Petro, sed ut laudibus ejus ante præmissis intelligeretur Petrus ideo circumcisionem aliqua ex parte suscipere, ut eos qui sibi ex Judæis crediti fuerant lucrifaceret, et in Christi fide et Evangelio custodiret. Subintelligit etiam quod si ille absque culpa faceret et ad tempus observando quod non licet, ne sibi creditos perderet, se magis pro Evangelii veritate facere debere, quod sibi creditum est in præputio, ne gentes legis onere et difficultate deterritæ a Christi fide et credulitate discederent. (*Ambr.*) Petrum solum nominat et sibi comparat, quia primatum ipse accepit ad fundandam Ecclesiam; se quoque pari modo electum ut primatum habeat in fundandis gentium Ecclesiis; ita tamen ut et Petrus prædicaret gentibus si causa fecisset, et Paulus Judæis, nam uterque invenitur utrumque fecisse : sed tamen plena auctoritas Petri in Judaismi prædicatione data dignoscitur, et Pauli perfecta auctoritas in prædicatione gentium invenitur; unde et magistrum se vocat gentium in fide et veritate, unusquisque enim pro viribus suis et dispensatione sortitus est : difficilius enim fuit eos qui longe erant a Deo ad fidem suam attrahere quam proximos. (*Hieron.*) *Petrus*, inquit, *et Joannes, et Jacobus qui videbantur columnæ esse.* Ter supra dictum de apostolis legimus, *Seorsum autem his qui videbantur* : Et, *Ab his qui videbantur esse aliquid* : Et, *Mihi enim qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt*, sollicitus itaque requirebam quidnam esset quod diceret, *qui videbantur.* Sed nunc me omni scrupulo liberavit, adjiciens, *qui videbantur columnæ esse.* Columnæ igitur sunt Ecclesiæ apostoli, et maxime Petrus, Jacobus et Joannes, e quibus duo cum Domino ascendere merentur in montem, quorum unus in Apocalypsi Salvatorem introducit loquentem : *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei* (*Apoc.* III), docens omnes credentes qui adversarium vicerint posse columnas Ecclesiæ fieri. Ad Timotheum vero Paulus scribens ait : *Ut sciat quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna autem et firmamentum veritatis* (*I Tim.* III). His et cæteris instruimur tam apostolos, omnesque credentes, quam ipsam quoque Ecclesiam columnam in Scripturis appellari, et nihil interesse de corpore quid dicatur, an membris, cum et corpus dividatur in membra, et membra sint corporis. Dederunt itaque Petrus et Jacobus, et Joannes qui videbantur columnæ, dextras Paulo et Barnabæ societatis, sed Tito qui cum eis erat, dextras non dederunt : necdum quippe ad eam mensuram pervenerat, ut Christi possint ei mercimonia ex æquo cum majoribus credi, et eumdem tenere negotiationis locum, quem Barnabas tenebat et Paulus. *Ut nos*, inquit, *in gentibus, ipsi autem in circumcisione, tantum ut pauperum memores essemus. Quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.* (*Hieron.*) Sancti pauperes quorum præcipue ab apostolis Paulo et Barnabæ cura mandatur hi sunt, qui ex Judæis credentes, pretia possessionum suarum ad pedes apostolorum deferebant, egentibus largienda : vel quia contribulibus, cognatis et parentibus suis, quasi desertores legis, et in crucifixum hominem credentes, detestationi et piaculo ducebantur. In horum ministerio sanctus apostolus Paulus quanto labore sudaverit, epistolæ ejus testes sunt ad Corinthios, ad Thessalonicenses, ad omnes gentium Ecclesias, ut præparent munus hoc per se, vel per alios, qui eis placuissent Hierosolymam deferendum. Unde nunc confidenter dicit, *quod etiam sollicitus fui facere hoc ipsum.* Possunt autem et alio genere pauperes accipi, de quibus in Evangelio dicitur : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V); merentur quippe tales in memoria esse apostolorum. Necnon et illi pauperes de quibus in Salomone scribitur : *Redemptio viri animæ propriæ divitiæ, pauper vero non sustinet comminationem* (*Prov.* XIII) : non enim potest futurum pœnarum audire terrorem, pauper in fide, pauper in gratia, non habens divitias spiritales, nec scientiam Scripturarum, quæ auro et argento, et pretioso lapide comparatur. Quoniam igitur non egent sani medico, sed hi qui male habent (*Luc.* V), propterea et apostolis in dexterarum communicatione convenit : ne spernerent pauperes, nec despicerent peccatores, sed semper meminissent eorum, sicut Paulus Corinthii illius meminit, quem cum in priori epistola contristasset ad tempus, ut corpore per pœnitentiam laborante, spiritus salvus fieret, in secunda, ne in majori tristitia absorberetur, revocat ad Ecclesiam, petitque cunctos ut confirment in eum charitatem, et donent fratri, sicut ipse unicuique eorum in facie Christi donaverat, implens

Digitized by Google

pactum quod Hierosolymis fecerat, ut semper pauperum recordaretur.

Cum autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat (*Ambr.*) Post concordiam societatis et honorificentiam primatus quam sibi invicem per Dei gratiam detulerunt, nunc interveniente causa negligentiæ, vel erroris, dissidere inter se videntur Apostoli, non in propria causa, sed in sollicitudine Ecclesiæ. *In faciem illi*, inquit, *restiti:* Quid est hoc? nisi in præsentia ei contradixi? Et qua causa subjunxit, dicens: *Quia reprehensibilis erat.* Reprehensibilis utique ab evangelica veritate, cui hoc factum adversabatur. Nam quis eorum auderet Petro primo apostolo, cui claves regni cœlorum Dominus dedit, resistere, nisi alius talis, qui fiducia electionis suæ, sciens se non impasem, constanter improbaret, quod ille sine consilio fecerat. (*Greg.*) Sunt vero nonnulli, qui non Petrum apostolorum principem, sed esse quemdam alium eo nomine, qui a Paulo est reprehensus, accipiunt: qui si Pauli apostoli studiosius verba legissent, ista non dicerent. Dicturus etenim Paulus, *Cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti*, ut de quo Petro loqueretur ostenderet, in ipso suæ narrationis initio præmisit dicens: *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis; qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes.* Patet ergo de quo Petro Paulus loquitur, quem et apostolum nominat, et præfuisse Evangelio circumcisionis narrat. Et fuerunt quidam qui secundam Petri epistolam, in qua epistolæ Pauli laudatæ sunt, ejus dicerent non fuisse, sed si ejusdem epistolæ verba pensare voluissent, longe aliter sentire poterant: in ea quippe scriptum est, « voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* XVIII); » atque subjungitur: *Et hanc vocem nos audivimus, cum essemus cum ipso in monte sancto.* Legant itaque Evangelium, et protinus agnoscent quia cum vox ista de cœlo venit, Petrus apostolus in monte cum Domino stetit. Ipse ergo hanc epistolam scripsit, qui hanc vocem in monte de Domino audivit. *Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat se, timens eos qui ex circumcisione erant, et simulationi ejus consenserunt et cæteri Judæi, ita ut et Barnabas duceretur ab his in illa simulatione.* (Ambr.) Hi omnes Judæi qui consenserunt simulationi Petri et Barnabæ, bonæ fidei fuerunt; sed propter scandalum illorum qui veniebant a Jacobo (erant enim æmulatores legis, qui et legem et Christum æquo jure venerarentur, quod contra fidei disciplinam est), præsentibus eis non commiscebantur gentibus. Timebant enim impetum audaciæ eorum qui æmulabantur legem. Quod si solum fuisset, non erat reprehensibile, sed in quo erratum est in subjectis ostendit: nam et ipse utique cessit animositati et audaciæ Judæorum, timens ne per hoc quod facile est subreperet scandalum, quod difficile sedaretur, quia et secundum legem purificavit se coactus, et Timotheum circumcidit invitus. *Sed cum vidissem quia non recta via incedebant ad veritatem Evangelii, dixi Petro coram omnibus.* Ideo in solum Petrum invehitur, ut in eo qui primus est discerent cæteri. *Si tu cum Judæus sis, gentiliter et non judaice vivis, quomodo gentes cogis judaizare?* Nunc aperuit causam reprehensionis: non enim aliquid fuisset erroris, si præsentibus Judæis dissimulasset a gentilibus, timens scandalum: sed hic tota causa reprehensionis est, quia advenientibus Judæis a Jacobo, non solum segregabat se ab eis, cum quibus gentiliter vixerat, sed et compellebat eos judaizare, causa timoris illorum, ut quid horum verum esset, ignorarent gentiles; sciebant enim ipsum secum non quasi Judæum vixisse: post autem audientes ab eo quia Judæorum instar sequendum erat, hæsitabant utique quid esset verum. Si hoc verum erat ut judaizarent, ipsum prævaricatorem tenebant, quia gentiliter vixerat: si autem illud melius erat, et verum, ut simpliciter viverent, eversio erat gentilium per ejus ignaviam, quibus adempto bono, res laboriosa et inefficax tradebatur. Apostolus autem Paulus quando ad horam cessit, non hoc et suasit, sed rem se superfluam et inanem facere clamitavit, propter furorem Judæorum. Cui quidem rei non succubuisset, nisi causa interluisset, qua audacia Judæorum plurimorum se jactaret. Erat autem Timotheus filius mulieris Judææ, patre autem Græco; unde factum est, ut infans secundum legem minime circumcideretur. Insidiabantur ergo explorantes si eum qui Judæus natus erat, incircumcisum assumeret, quod illicitum putabant Judæorum generi: occasionem quærentes, qua eum eversorem tenerent legis: hac causa ad horam cessit furori eorum. (*Hieron.*) Utilem vero simulationem et assumendam in tempore, Jehu regis Israel nos doceat exemplum, qui non potuisset interficere sacerdotes Baal, nisi se finxisset velle idolum colere, dicens: *Congrega mihi omnes sacerdotes Baal: Si enim Achab servivit Baal in paucis, ego serviam in multis* (*IV Reg.* X); et David quando mutavit faciem suam coram Abimelech, et dimisit eum et abiit. Nec mirum, quamvis justos homines, tamen aliqua simulare pro tempore, ob suam et aliorum salutem, cum et ipse Dominus non habens peccatum nec carnem peccati: simulationem peccatricis carnis assumpserit, ut condemnans in carne peccatum, nos in se faceret justitiam Dei. Legerat utique Paulus in Evangelio Dominum præcipientem: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corrige eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucrifeceris fratrem tuum* (*Matth.* XVIII, *Luc.* XVII). Et quomodo cum etiam de minimis fratribus hoc faciendum jusserit, ausus est apostolorum maximum, in publicam faciem tam procaciter, tam constanter arguere, nisi et Petro sic placuisset argui, et Paulus non ei faceret injuriam, de quo ante dixerat: *Veni Hierosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim;*

Digitized by Google

alium autem apostolorum vidi neminem (*Galat.* I). *Si tu*, inquit, *cum Judæus sis, gentiliter et non judaice vivis, quomodo gentes cogis judaizare?* Indissolubili argumento constringit Petrum, imo per Petrum eos qui pugnantia illum inter se facere cogebant: Si, inquit, Petre, tu natura Judæus, circumcisus a parva ætate, et universa legis præcepta custodiens, nunc ob gratiam Christi, scis ea nihil per se habere utilitatis, sed exemplaria esse et imagines futurorum, et cum his qui ex gentibus sunt cibum capis, nequaquam ut ante superstitiose, sed libere et indifferenter victitans, quomodo eos, qui ex gentibus crediderunt nunc recedens ab eis, et quasi a contaminatis te separans et secernis, en compellis judaizare? Si enim immundi sunt a quibus recedis, idcirco autem recedis quia non habent circumcisionem, compellis eos circumcidi et Judæos fieri, cum tu ipse natus Judæus gentiliter vixeris. Et latenter ostendit causam quare adversus eum disputavit, quia scilicet gentes simulatione sua judaizare compelleret, dum eum cupiunt æmulari. (*Aug.*) Petrus autem cum venisset Antiochiam, objurgatus est a Paulo, non quia servabat consuetudinem Judæorum, in qua natus atque educatus erat, quamquam apud gentes eam non servaret, sed objurgatus est quia gentibus eam volebat imponere, cum vidisset quosdam venisse a Jacobo, id est, a Judæa, nam Ecclesiæ Hierosolymitanæ Jacobus præfuit. Timens ergo eos qui adhuc putabant in illis observationibus salutem constitutam, segregabat se a gentibus, et simulate illis consentiebat ad imponenda gentibus illa onera servitutis, quod in ipsius objurgatione verbis satis apparet, non enim ait, *Si tu, cum Judæus sis, gentiliter et non judaice vivis*, quomodo rursus ad consuetudinem Judæorum reverteris? Sed *quomodo*, inquit, *gentes cogis judaizare?* Quod autem hoc ei coram omnibus dixit, necessitas coegit, ut omnes illius objurgatione sanarentur. Non enim utile erat errorem qui palam noceret, in secreto emendare. Huc accedit quod infirmitas et charitas Petri, cui ter a Domino dictum est, *Petre, amas me? pasce oves meas*, objurgationem talem posterioris pastoris pro salute gregis libentissime sustinebat. Nam erat objurgatore suo ipse qui objurgabatur mirabilior, et ad imitandum difficilior; facilius est enim videre quid in alio corrigas atque id vituperando vel objurgando corrigere, quam videre quid in te corrigendum sit, libenterque corrigi ve. per te ipsum, nedum per alium; adde posteriorem, adde coram omnibus. Valet autem hoc ad magnum humilitatis exemplum, quæ maxima est disciplina Christiana, humilitate enim conservatur charitas, nam nihil eam citius violat quam superbia. Et ideo Dominus non ait: *Tollite jugum meum et discite a me*, quoniam quatriduana de sepulcris cadavera exsuscito, atque omnia dæmonia de corporibus hominum, morbosque depello, et cætera hujusmodi, sed, *Tollite*, inquit, *jugum meum, et discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI): illa enim signa sunt rerum spiritalium. Mitem autem esse et humilem charitatis conservatorem, res ipsæ spiritales sunt, ad quas per illa ducuntur, qui, oculis corporis dediti, fidem invisibilium, quia jam de notis usitatisque non possunt, de novis et repentinis visibilibus quærunt. Si ergo et illi qui cogebant gentes judaizare, didicissent mites esse et humiles corde, quod a Domino Petrus didicerat, saltem correcto tanto viro ad imitandum invitarentur, ne putarent Evangelium Christi justitiæ suæ tanquam debitum redditum: sed scientes quoniam non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Christi Jesu, ut impleat opera legis, adjuvante infirmitatem suam, non merito suo, sed gratia Dei, non exigerent de gentibus carnales legis observationes, sed per ipsam gratiam fidei, spiritalia opera legis eos implere posse cognoscerent; quia *ex operibus legis* cum suis viribus ea quisque tribuit, non gratiæ miserantis Dei, *non justificabitur omnis caro* (*Rom.* III), id est, omnis homo, sive omnes carnaliter sentientes: et ideo illi, qui cum jam essent sub lege, Christo crediderunt, non quia justi erant, sed ut justificarentur, venerunt ad gratiam fidei. Peccatorum autem nomen gentibus imposuerant Judæi, jam vetusta quadam superbia, tanquam ipsi justi essent, videndo stipulam in oculo alieno, et non trabem in suo. Secundum eorum morem locutus Apostolus ait. *Nos natura Judæi et non ex gentibus peccatores.* (*Aug.*) Id est, quos appellant peccatores, cum sint et ipsi peccatores. Nos ergo, inquit, natura Judæi, cum gentiles, non essemus, quos ipsi peccatores appellant, tamen et nos peccatores in Christo Jesu credidimus ut justificemur per fidem Christi, non autem quærerent justificari, nisi essent peccatores. An forte quia in Christo voluerunt justificari peccaverunt? quia, si jam justi erant, aliud quærendo utique peccaverunt. *Scientes autem quod non justificetur homo ex operibus legis nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur in fide Christi, et non ex operibus legis.* (Hieron.) Natura Judæus est, qui de genere est Abraham: et a parentibus die octava circumcisus est; non natura Judæus, qui postea est factus ex gentibus. (*Ambr.*) Manifesta ratione circumventos eos ostendit ut servarent legem, in qua nemo justificatur apud Deum, quippe cum hi ipsi qui natura Judæi sunt, volentes justificari, relicta lege, confugiant ad fidem Christi, quoniam *ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Nullum hominum justificatum dicit ex operibus legis; quicumque enim justi sunt, ex fide justificati sunt, sicut Abraham, Isaac, et Jacob, et cæteri sancti. (*Hieron.*) Ut autem totum argumentum brevi sermone comprehendam, sensus est iste qui texitur: nos, id est, ego et tu, Petre (miscuit enim personam suam, ne illi facere videretur injuriam), cum essemus, inquit, natura Judæi, ea facientes quæ lege præcepta sunt, et non ex gentibus peccatores, qui vel generaliter quia idolis serviunt peccatores sunt, vel quos nunc putamus immundos; scientes quod

Digitized by Google

non possemus ex legis opere, sed Christi fide salvari, credidimus in Christum, ut quod lex nobis non dederat, fides tribueret, quam habebamus in Christo. Quod si recedentes a lege in qua salvari non potuimus, transcendimus ad fidem, in qua non carnis quæritur circumcisio; sed cordis pura devotio; et nunc a gentibus recedendo hoc agimus, ut quicumque non est circumcisus, immundus sit: ergo fides in Christum in qua nos putabamus ante salvari, magis peccati est ministra, quam justitiæ, quæ aufert circumcisionem: quam qui non habuerit immundus est. Sed absit, ut quod semel destruxi et scivi mihi non profuisse, rursum vindicem. Semel a lege discedens legi sum mortuus, ut in Christo viverem, crucique ejus adfixus, et in novum renatus hominem, fide magis quam carne subsisterem, et cum Christo egrederer e mundo; quod semel adorsus sum teneo; non mihi gratis Christus est mortuus, in quo frustra credidi, si potui absque fide ejus in veteri lege salvari. *Scientes autem*, inquit, *quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi. Et nos in Christo Jesu credidimus, ut justificemur in fide Christi, et non ex operibus legis.* Aiunt quidam, si verum sit hoc quod Paulus affirmat: ex operibus legis neminem justificari: sed ex fide Jesu Christi, patriarchas et prophetas et sanctos qui ante Christi adventum fuerunt imperfectos fuisse. Quos admonere debemus, eos hic dici justitiam non consecutos, qui tantum ex operibus justificari posse se credunt: sanctos autem qui antiquitus fuerunt, ex fide justificatos Christi, siquidem Abraham vidit diem Christi et lætatus est (*Joan.* VIII); et Moyses majores divitias existimavit thesauro Ægyptiorum improperium Christi (*Hebr.* XI), aspiciebat enim in remunerationem: et Isaias vidit gloriam Christi, ut Joannes evangelista commemorat (*Joan.* XII); et Judas de omnibus generaliter: *Commonere*, inquit, *vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundos eos qui non crediderunt perdidit* (*Jud.* 5). Unde non tam legis opera damnantur, quam hi qui tantum ex operibus justificari se posse confidunt: Salvatore quoque ad discipulos loquente: *Nisi superabundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* V). Considerandum in hoc loco quanta in lege præcepta sint, quæ explere nullus queat; et e contrario dicendum, quædam legis etiam ab his fieri, qui ignorent eam, sed ideo non justificari operatores ejus, quia absque fide Christi fiant: verbi gratia, non dormire cum viro dormitione mulieris, non adulterare, non rapere, sed magis honorare patrem et matrem et cætera, quæ imperata sunt, facere. Quod si de sanctis viris nobis exempla protulerint, quod in lege versati, ea quæ legis fuerant perpetrarint, dicimus *quia justo lex non est posita, sed iniquis, et non subditis, impiis et peccatoribus, contaminatis et immundis* (*I Tim.* I); qui autem a Deo doctus sit, non habere eum necesse ut saltem de charitate doceatur, Paulo dicente: *De charitate autem non necesse habeo scribere vobis: ipsi enim vos a Deo docti estis ut diligatis invicem* (*I Thess.* IV).

Propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro. (Hieron.) Non justificabitur ex operibus legis caro illa, de qua scribitur: *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni* (*Isa.* XL). Justificatur autem per fidem Jesu Christi caro illa, de qua in resurrectionis dicitur sacramento: *Omnis caro videbit salutare Dei* (*Luc.* III); sed et juxta humiliorem intellectum, justificabitur quondam ex lege non omnis caro, sed tantum hi homines qui in Palæstina erant: nunc autem ex fide Christi justificatur omnis caro: dum Ecclesia ejus in toto orbe fundatur.

Quod si quærentes justificari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores: nunquid Christus peccati minister est? Absit. (Amb.) Quomodo Christus potest peccati minister esse, qui donat peccata? ideo *absit*, inquit, sed si justificari volentes per fidem Christi, legi servimus, sub peccato nos esse profitemur, quia fides extrahit hominem a lege ut justus sit. Ergo si damus nos legi, peccatores invenimur, quia qui sub lege sunt, sub maledicto sunt, sed si ita est inquit, *ergo Christus peccati minister est?* (Aug.) Quod utique non possunt dicere, quia et ipsi qui nolebant nisi circumcisis gentibus tradi Evangelium in Christo crediderant: et ideo quod dicit *Absit*, non solus, sed cum ipsis dicit: Destruxit autem superbiam gloriantem de operibus legis, quæ destrui et deberet et posset, ne gratia fidei videretur non necessaria, si opera legis etiam sine illa justificari crederentur. Et ideo prævaricator est, si rursus illa ædificat, dicens, quod opera legis etiam sine gratia justificant, ut Christus peccati minister inveniatur. *Si enim quæ destruxi hæc iterum ædifico, prævaricatorem me constituo* (Amb.) Absolutum est, quia accedens ad Christum relinquit legem, de servo enim fit liber: quod si iterum redeat ad legem, ipse sui accusator existit, quia factum suum condemnat (*Aug.*) Quid ergo, quia fidem Christi oppugnabas, o Paule, antea, quam nunc ædificas, prævaricatorem te constituis? Sed illam non destruxit, quia destrui non potest, hanc autem superbiam vere destruxerat, constanterque destruebat, quia destrui poterat. Et ideo non ille prævaricator est qui rem veram cum conaretur destruere, et postea veram esse ac destrui non posse cognosceret, tenuit eam ut in ea ædificaretur: sed ille prævaricator est, qui cum destruxerit rem falsam, quia destrui potest, eam rursus ædificat.

Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam. (Amb.) Hoc dicit, quia per legem fidei mortuus est legi Moysis: moritur enim legi, qui liberatur ab ea, et vivit Deo, cujus fit servus emptus a Christo. (*Aug.*) Mortuum autem se legi dicit, ut jam sub lege non esset, sed tamen per legem, sive quia Judæus erat, et tanquam pædagogum legem acceperat, sicut postea manifestat: hoc autem agitur per pædagogum, ut non sit necessarius pædagogus, sicut per ubera nutritur infans, ut jam uberibus non

Digitized by Google

indigeat, et per navem pervenitur ad patriam, ut jam navi opus non sit. Sive per legem spiritaliter intellectam, legi mortuus est, ne sub ea carnaliter viveret. Nam hoc modo per legem legi ut morerentur volebat, cum eis paulo post ait : *Dicite mihi sub lege volentes esse, legem non legistis ? Scriptum est enim quod Abraham duos filios habuit*, etc. (*Gal.* IV, *Gen.* XXI), ut per eamdem legem spiritaliter intellectam morerentur carnalibus observationibus legis. Quod autem adjungit, *ut Deo vivam*, Deo vivit, qui sub Deo est, legi autem qui sub lege est, sub lege autem vivit, in quantum quisque peccator est, id est, in quantum a vetere homine non est mutatus : sua enim vita vivit, et ideo lex supra illum est, quia qui eam non implet, infra illam est. *Nam justo lex posita non est*, id est, imposita ut supra illum sit : in illa est enim potius quam sub illa, quia non sua vita vivit, cui coercenda lex imponitur, ut enim sic dicam, ipsa quodammodo lege vivit, qui cum dilectione justitiæ juste vivit, non proprio ac transitorio, sed communi ac stabili gaudens bono. Et ideo Paulo non erat lex imponenda, qui dicit : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* Quis ergo audeat Christo legem imponere, qui vivit in Paulo ? Non enim audet quis dicere, Christum non recte vivere, ut ei coercendo lex imponenda sit. (*Hieron.*) Aliud est per legem mori, et aliud legi mori : qui legi moritur, vivebat ei antequam moreretur, observans sabbata, neomenias, et dies festos, et victimarum typicam curiositatem, et fabulas Judaicas, et genealogias; postquam autem venit Christus, et lex de qua scriptum est : *Scimus autem quia lex spiritalis est* (*Rom.* VII), per Evangelicam legem, legi pristinæ mortuus est, et anima quæ secundum id quod scribitur ad Romanos : *Viro vivente si nupsisset, adultera vocabatur* (*Ibid.*), mortuo viro suo, id est, lege veteri, nupsit legi spiritali, ut fructificaret Deo, unde in Osee ad eam dicitur : *Ex me fructus tuus inventus est* (*Ose.* XIV). Cui pulchre mysticum illud infertur, *quis sapiens et intelliget ista ? Aut intelligens et cognoscet ea ?* Qui per legem igitur spiritalem legi litteræ moritur, Deo vivit, cum non sit sine lege Dei, sed in lege sit Christi : qui vero legi moritur, ob peccata, mortuus quidem est, sed non potest de eo dici, quod sequitur, ut « vivat Deo. » Esse autem legem aliam spiritalem extra legem litteræ, et alibi Apostolus docet dicens (*Rom.* VII) : *Itaque lex quidem sancta et mandatum sanctum et justum et bonum.* Et Ezechiel ex persona Dei : *Et eduxi*, inquit, *eos*, id est populum Judæorum, *de terra Ægypti, et adduxi eos in desertum, et dedi eis præcepta mea, et justificationes meas ostendi eis, quas faciet homo, et vivet in eis* (*Ezech.* XX). De ea vero lege quæ iram operatur, cui et Apostolus mortuus est, postea infert : *Et ego dedi eis præcepta non bona, et justificationes, in quibus non vivent in eis.* Idipsum significatur et in Psalterio, *quoniam non cognovi litteraturam, introibo in fortitudinem Domini.*

Christo confixus sum cruci. Quia dixerat per legem legi se mortuum, quomodo mortuus fuerat ostendit, *Christo confixus sum cruci :* tollens crucem suam, et Christum sequens, et in ipsa obsecrans passione : *Memento mei cum veneris in regnum tuum :* statimque audiens : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII). Si quis mortificatis membris super terram, et mundo mortuus configuratus fuerit morti Jesu Christi, crucifigitur cum Jesu, et tropæum mortificationis suæ in ligno Dominicæ passionis affigit. (*Amb.*) Qui enim non agit quæ mundi sunt, vel erroris, mortuus mundo est.

. Vivo autem jam non ego : vivit vero in me Christus : non est ambiguum in eo qui per fidem liberatur a morte Christum vivere : morte enim digno dum donat peccata, ipse vivit in illo, ejus enim præsidio ereptus morti (Hieron.) Non vivit ille qui quondam vivebat in lege, quippe qui persequebatur Ecclesiam, vivit autem in eo Christus, sapientia, fortitudo, sermo, pax, gaudium, cæteræque virtutes ; quas qui non habet, non potest dicere : *Vivit autem in me Christus.* Hoc autem totum sub sua persona adversus Petrum de Petro disputat. (*Aug.*) Audi apostolum Paulum negantem se, *Mihi*, inquit, *mundus crucifixus est, et ego mundo.* Audi adhuc negantem se, *Vivo*, inquit, *non ego :* vivo non ego, aperta sui negatio. Sed jam sequitur gloriosa Christi confessio, *vivit vero in me Christus.* Quid est ergo nega te ? noli tu ipse vivere in te. Quid est, noli tu ipse vivere in te ? noli facere voluntatem tuam, sed illius qui habitat in te.

Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. (Amb.) Quoniam futura vita promissa est Christianis, ideo qui nunc in hac vita auxiliis Dei munitus vivit, in fide vitæ promissæ vivit : hic enim imaginem illius contemplatur, quasi pignus habens vitæ futuræ, quæ per Dei nutum Christi amore nobis quæsita est. (*Hieron.*) Aliud est in carne esse, et aliud in carne vivere. *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt*, unde ad bene viventes dicitur : *Vos autem non estis in carne* (*Rom.* VIII). « In fide, inquit, vivo Filii Dei et Christi, qui dilexit me, et tradidit seipsum pro me. » Ad Romanos de Deo loquitur, quod Filio suo non pepercerit, sed pro nobis tradiderit eum : nunc vero de Christo, quod seipsum tradiderit, *qui dilexit me*, inquit, *et tradidit seipsum pro me.* In Evangelio vero, ubi apostoli enumerantur, infertur, *et Judas Iscariotes qui tradidit eum ;* et rursum in eodem : *Ecce appropinquavit qui me tradet* (*Marc.* X, *Matth.* XXVI) : de principibus vero sacerdotum et senioribus populi Scriptura commemorat, quod condemnaverint Jesum morti, et ligantes eum duxerint et tradiderint Pilato præsidi : et deinceps de Pilato : *Dimisit eis Barrabam, Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigerent eum* (*Matth.* XXVII). Igitur et Pater tradidit Filium, et Filius ipse se tradidit, et Judas, et sacerdotes eum principibus tradiderunt, et ad extremum traditum sibi, tradidit ipse Pilatus : sed Pater tradidit ut salvaret perditum

Digitized by Google

mundum, Jesus ipse se tradidit, ut Patris suamque faceret voluntatem, Judas autem, et sacerdotes, et seniores populi, et Pilatus, vitam morti nescii tradiderunt. (*Aug.*) Quæ cum ipsa quoque se pro nostra salute tradiderit, videtis quia non quid faciat homo considerandum est, sed quo animo et voluntate faciat. In eodem facto invenimus Deum Patrem, in quo invenimus Judam : Patrem benedicimus, Judam detestamur, benedicimus charitatem, detestamur iniquitatem. Quantum enim præstitum est generi humano tradito Christo, nunquid hoc cogitavit Judas ut traderet ? Deus cogitavit salutem nostram, quia redempti sumus : Judas cogitavit pretium quo vendidit Dominum ; Filius ipse pretium quod dedit pro nobis, Judas cogitavit pretium quod accepit, ut venderet. Diversa ergo intentio diversa facta facit, cum sit una res ex diversis intentionibus, eam si metiamur, unum amandum, alterum damnandum, unum glorificandum, alterum detestandum invenimus. « Quod autem nunc vivo, inquit, in carne, » quia non posset dicere Christum adhuc mortaliter vivere, vita autem in carne mortalis est, *in fide*, inquit, *vivo Filii Dei*, ut etiam sic Christus vivat in credente, habitando in interiore homine per fidem, ut postea per speciem impleat eum, cum absorptum fuerit mortale a vita. Ut autem ostenderet quod vivit in illo Christus et quod in carne vivens in fide vivit Filii Dei, non meriti sui esse, sed gratiæ ipsius, *qui me*, inquit, *dilexit et tradidit seipsum pro me*, pro quo utique, nisi pro peccatore, ut eum justificaret? Et dicit hoc, qui Judæus natus et educatus erat, et abundantius æmulator exstiterat paternarum suarum traditionum. Ergo et si pro talibus se tradidit Christus, etiam ipsi peccatores erant. Non ergo meritis justitiæ suæ datum dicant, quod non opus erat justis dari. *Non* enim *veni vocare* justos, ait Dominus, *sed peccatores*, ad hoc utique ne sint peccatores. (*Hier.*) Beatus multumque felix qui vivente in se Christo, per singulas cogitationes et opera, potest dicere : *In fide vivo Filii Dei qui dilexit me et tradidit seipsum pro me. — Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* (Amb.) Hic ergo non est ingratus Christo, qui in fide ejus perdurat, sciens nullius se habere beneficium nisi hujus, et ad contumeliam ejus proficere, si alterum ei comparet, cujus auxilium habere non potuit. *Si enim*, inquit, *per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Nihil tam apertum, quia si per legem potuisset homo justificari, Christum non oportuerat mori. Sed quia lex dare remissionem peccatorum non poterat, neque secundam mortem triumphans exspoliare captivos quos tenebat causa peccati, idcirco Christus mortuus est ut ea præstaret, quæ lex non poterat, ac per hoc non gratis mortuus est, mors enim ejus justificatio peccatorum est. (*Hieron.*) Abjicit gratiam Dei, tam ille qui post Evangelium vivit in lege, quam is qui peccatis post baptismum sordidatur : qui autem potest cum Apostolo dicere : *Gratia ejus in me non fuit vacua* (*I Cor.* xv), iste et hoc loquitur confidenter : *Non abjiciam gratiam Dei.* Quod autem sequitur, valde necessarium est adversum eos qui post fidem Christi, putant legis præcepta servanda. Dicendum quippe eis, si per legem justitia est, quod Christus gratis mortuus sit, aut certe doceant quomodo non Christus gratis mortuus sit, si opera justificent. Sed quamvis sint hebetes, dicere non audebunt Christum sine causa mortuum. Ad particulam itaque syllogismi, quæ hic proponitur, id est, *si enim per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est*, debemus illud assumere quod consequenter infertur, et negari non potest : Christus autem non est gratis mortuus, et concludere : non igitur per legem justitia. Hucusque contra Petrum, nunc ad Galatas revertitur.

CAPUT III.

Increpantur Galatæ, ostendensque Apostolus imperfectionem legis Mosaicæ, dicit justitiam esse ex fide, annectendo legis utilitatem.

O insensati Galatæ, quis vos fascinavit ? (Amb.) Irascentis cum miraculo verba sunt, quia sic fuerant depravati, ut nec se agnoscerent circumventos. Proœmio usus est, omnis enim qui fascinatur, de bono transit ad malum, sicut et hi de libertate et securitate ad servitium et sollicitudinem transierunt. (*Hieron.*) Dupliciter hic locus intelligi potest ; vel ideo insensatos Galatas appellatos, a majoribus ad minora venientes, quia cœperint spiritu, et carne consummentur : vel ob id quod unaquæque provincia suas habeat proprietates. Cretenses semper mendaces : malas bestias, ventres pigros, vere ab Epimenide poeta dictos, Apostolus comprobat : vanos Mauros, et feroces Dalmatas Latinus pulsat historicus, timidos Phrygas omnes poetæ lacerant. Athenis expeditiora nasci ingenia philosophi gloriantur ; Græcos leves apud Caium Cæsarem suggillat Tullius dicens, « aut levium Græcorum aut immanium barbarorum. » Et pro Flacco, *Ingenita*, inquit, *levitas et erudita vanitas*, ipsum Israel gravi corde et dura cervice omnes Scripturæ arguunt. In hunc ergo modum arbitror et Apostolum Galatas regionis suæ proprietate pulsasse : licet quidam profundis se quæstionibus inserentes, quasi sub obtentu vitandæ hæreseos quæ diversas naturas infert dicant Tyrios quoque, Sidonios, Moabitas et Ammonitas et Idumæos, Babylonios et Ægyptios, omnesque gentes quæ in Scripturis nominantur, habere quædam idiomata ex causis præcedentibus et merito operum pristinorum, ne justitia Dei veniat in dubium, cum unaquæque gens vel bonum vel malum habere asseratur, quod alia non habeat. Nos istas altitudines declinantes, superiora sectabimur, aut stultitiæ eos argui, dicentes, per quam spiritum legis et litteram dijudicare non possint, aut vitio gentis corripi, quod indociles sint et vecordes, et ad sapientiam tardiores. Quod autem sequitur : *Quis vos fascinavit ?* digne Paulo, qui, etsi imperitus est sermone, non tamen

Digitized by Google

scientia, debemus exponere : non quod scierit esse fascinum, qui vulgo putatur nocere : sed usus sermone sit trito, et ut in cæteris, ita in hoc quoque loco, verbum quotidianæ sermocinationis assumpserit. Legimus in Sapientia : *Donum invidi cruciat oculos* (*Eccli.* xx); qui apud nos *invidus*, in Græco, significantius, ponitur *fascinator*. Et in Sapientia quæ Salomonis scribitur : *Fascinatio malignitatis obscurat bona* (*Sap.* iv). Quibus docemur exemplis, quod vel invidus aliena felicitate crucietur, vel is in quo bona sint aliqua, alio fascinante, id est, invidente noceatur. Dicitur fascinus proprie infantibus nocere et ætati parvulæ, et his qui necdum firmo vestigio figant gradum. Unde et quidam e gentilibus :

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Hoc utrum verum necne sit, Deus viderit; quia potest fieri ut et dæmones huic peccato serviant, et quoscunque in Dei opere cœpisse, vel profecisse cognoverint, eos a bonis operibus avertant. Nunc illud in causa est, quod ex opinione vulgi sumptum putamus exemplum, ut quomodo tenera ætas noceri dicitur fascino, sic etiam Galatæ in Christi fide nuper nati et nutriti lacte et non solido cibo, veluti quodam fascinante sint nociti, et stomacho fidei nauseante, spiritus sancti cibum evomuerint. Quod si aliquis contradicit, exponat quomodo de communi opinione sit sumptum, Vallis Titanorum in Regnorum libris (*II Reg.* xxiii), sirenæ et onocentauri in Isaia (*Isa.* xiii, xxxiv), Arcturus et Orion et Pleiades in Job (*Job.* xxxviii), et cætera his similia, quæ utique vocabula gentilium fabularum et causas et origines habent. *Ante quorum oculos Jesus Christus proscriptus est.* (Amb.) Manifestum est quia stultorum oculis Christus proscriptus videtur, id est, exspoliatus, vel condemnatus : prudentium vero oculis et sensibus non solum non condemnatus, sed ipse mortem cruce sua damnasse videtur. Passio enim Domini vita nostra est, et destructio mortis est. Sed quia hi indigne cœperant sentire translati ad legem, idcirco mentibus eorum Christum condemnatum videri conqueritur, ideo et subjecit : *In vobis crucifixus est.* Hoc est, sensu vestro crucifixus est quasi homo, in quo enim spes plena non est, homo est, ideo hi non putabant plenam salutem esse in Christo, quia legem illi æquabant. In his vero qui congrue intelligunt Christum, vivit in eis Christus. In Photino crucifixus est, hic enim vere mortuus est in quo Christus dicitur crucifixus, quia istud loco accusationis objicitur. (*Hier.*) Aliter, « in vobis crucifixus est : » nobis enim recte præscriptus est Christus, de cujus patibulo et passione, alapis et flagellis, omnis prophetarum prædicit chorus, ut crucem ipsius, non de Evangelio tantum in quo crucifixus refertur, sed multo antequam descendere dignaretur ad terras, et hominem, qui est crucifixus assumeret, noverimus. Nec parva laus Galatarum est, quod ita crediderint in crucifixum, ut eis fuerit ante præscriptus, quod scilicet lectitantes Prophetas, et omnia veteris legis sacramenta noscentes, via et ordine venerint ad credendum. (*Aug.*). Cum autem dixisset : *Jesus Christus proscriptus est*, addidit, *crucifixus*, ut hinc eos maxime moveret, cum considerarent quo pretio emerit possessionem, quam in eis amittebat, ut parum esset gratis eum mortuum, quod superius dixerat. Illud enim ita sonat, tanquam non pervenerit ad possessionem pro qua sanguinem dedit. Proscripto autem, etiam quæ tenebat, aufertur; sed hæc proscriptio non obest Christo qui etiam sic per divinitatem Dominus est omnium, sed ipsi possessioni, quæ hujus gratiæ cultura caret. Hinc jam incipit demonstrare, quemadmodum gratia fidei sufficiat ad justificandum sine operibus legis, ne quis diceret non se quidem operibus legis tantum totam hominis justificationem tribuere, sed neque tantum gratiæ fidei, ex utroque autem perfeci salutem. Sed hæc quæstio ut diligenter tractetur, ne quis fallatur ambiguo, scire prius debet opera legis bipartita esse. Nam partim in sacramentis, partim vero in moribus accipiuntur : ad sacramenta pertinent circumcisio carnis, sabbatum temporale, neomeniæ, sacrificia atque omnes hujusmodi innumerabiles observationes. Ad mores autem, non occides, non mœchaberis, non falsum testimonium dices, et talia cætera. Nunquidnam ergo Apostolus ita potest non curare utrum Christianus homicida, aut mœchus sit, an castus, atque innocens, quemadmodum non curat utrum circumcisus carne, an præputiatus sit? Nunc ergo de his operibus maxime tractat quæ sunt in sacramentis, quanquam et illa interdum se admiscere significet. Prope finem autem epistolæ de his separatim tractabit, quæ sunt in moribus, et illud breviter, hoc autem diutius. Hæc enim onera potius imponit gentibus, quorum utilitas in intellectu est, nam hæc omnia exponuntur Christianis, ut quid valeant tantum intelligant, etiam facere non cogantur. In observationibus autem, si non intelligantur, servitus sola est, qualis erat in populo Judæorum, et est usque adhuc. Si autem et observentur illa et intelligantur, non modo nihil obsunt, sed etiam prosunt aliquid si tempori congruant, sicut ab ipso Moyse, prophetis quoque observata sunt congruentibus illi populo, cui adhuc talis servitus utilis erat, ut sub timore custodiretur. Nihil enim tam pie terret animam, quam sacramentum non intellectum : intellectum autem, gaudium pium parit, et celebratur libere si opus est tempori, si autem non est opus, cum suavitate spiritali tantummodo legitur et tractatur. Omne autem sacramentum cum intelligitur, aut ad contemplationem veritatis refertur, aut ad bonos mores. Contemplatio veritatis in solius Dei dilectione fundata est, boni mores in dilectione Dei et proximi, in quibus duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ. Nunc igitur quemadmodum circumcisio carnis et cætera hujusmodi legis opera, ubi jam gratia fidei est, non sint necessaria, videamus. *Hoc solum volo a vobis discere : ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Respondetur utique ex auditu fidei : ab Apostolo enim prædicata est eis fides,

Digitized by Google

in qua prædicatione utique adventum et præscientiam sancti Spiritus senserant, sicut illo tempore in novitate invitationis ad fidem, etiam sensibilibus miraculis præsentia sancti Spiritus apparebat, sicut in Actibus apostolorum legitur. Hoc autem factum erat apud Galatas, antequam isti ad eos pervertendos et circumcidendos venissent. Iste ergo sensus est, si in illis operibus legis esset salus vestra, non vobis Spiritus sanctus nisi circumcisis daretur. Deinde intulit: *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis; nunc carne consummemini?* Hoc est quod superius in exordio dixerat, *nisi aliqui sunt conturbantes vos et volentes convertere Evangelium Christi.* Conturbatio enim ordini contraria est. Ordo est autem, a carnalibus ad spiritalia surgere, non ab spiritalibus ad carnalia cadere: sicut istis acciderat. Et hæc est Evangelii conversio retrorsus, quod quia bonum non est, non est Evangelium cum hoc annuntiatur. *Sic stulti,* inquit, *estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?* (Amb.) Adhuc cum stomacho loquitur: dolet enim valde super errore eorum, quia fabricam suam qua eos per Evangelium ædificaverat, videbat esse destructam. Non sic de Corinthiis motus est, quia quamvis carnales illos appellet, non tamen usque adeo fuerant mente capti, ut circumcidi se paterentur. Ideo et hi stulti et sine intellectu esse dicuntur, quia nec dolori carnis suæ consulere valuerunt, usque ad hoc enim solet quis induci quod delectat, aut dolorem non præstat. Interrogantis ergo verba sunt, et quod interrogat ex parte confirmantis, cum dicit: *Hoc solum volo discere a vobis, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Hoc ab eis quærit, in quo et gloriabantur, et negare non poterant, quia Spiritum sanctum per fidem acceperant, non per legem, ut resipiscentes agnoscerent quia donum Dei, in quo gloriantur, non ex opere legis acceperant, sed credentes in Christum, ut vel sic grati Christo legem quam sibi in nullo prodesse didicerant relinquerent. Hoc proponit, quod illo in tempore negari non poterat, spiritum Dei inesse credentibus. Ad rudimenta enim fidei commendanda, donum hoc Dei manifestabatur hominibus, sicut inter ipsa initia factum est in Apostolis et cæteris discipulis: nec non et in illis duodecim, quos, quia in adulterino baptismate, sub nomine baptismi Joannis fuerant non tincti, sed sordidati, Paulus Apostolus in Trinitatis nomine baptizari præcepit, quibus impositis manibus, decidit in eos Spiritus sanctus, et diversarum linguarum ministrabat eloquia, cum interpretatione earum, ut nullus auderet negare Spiritum sanctum inesse in eis. Quamobrem sine intellectu Galatas esse appellat, qui hujus rei gnari et conscii degradantes se, carnis curæ se subjecerunt. *Incipientes,* inquit, *spiritu, nunc carne consummemini?* Hoc dicit, quia cum ab inferioribus ad summa fidei ascensus sit, hi contra, de summis in ima delapsi sunt. Per fidem enim spiritales effecti, conversi ad legem, perdiderant gratiam Spiritus quam fuerant consecuti, consummatio enim perditionem significat, id est, fidem. (*Hieron.*) Consideremus diligenter, quia non dixerit: *Volo a vobis discere, utrum ex operibus Spiritum accepsistis,* sed adjecerit, *ex operibus legis;* sciebat enim Cornelium centurionem (*Act.* x) Spiritum ex operibus accepisse, sed non ex operibus legis, quam nesciebat: si autem econtrario dicitur: ergo et sine auditione fidei accipi Spiritus potest? Nos respondebimus accepisse quidem eum Spiritum, sed ex auditu fidei et naturali lege, quæ loquitur in cordibus nostris, bona quæque facienda, et vitanda mala; per quam dudum quoque Abraham, Moysen, et cæteros sanctos justificatos retulimus, quam augere deinceps potest operum observatio, legisque justitia, non tamen carnalis legis quæ præteriit, sed spiritalis. Lex enim spiritalis est. Neque vero, quia fidem præferimus, legis opera destruimus, nec dicimus secundum quosdam, *faciamus mala donec veniant bona* (*Rom.* III), quorum damnatio justa est, sed servituti gratiam anteponimus, dicimusque quod Judæi propter metum faciunt, id nos facere propter charitatem: illos servos esse, nos filios. Illos cogi ad bonum, nos bonum sponte suscipere. Non ergo in fide Christi licentia nascitur delinquendi, sed ex dilectione fidei voluntas boni operis augetur: dum bona ideo facimus, non quia judicem formidamus, sed quia scimus ea ei placere in quem credimus. Quærat quispiam, si fides non est nisi ex auditu, quomodo qui surdi nati sunt, possunt fieri Christiani: Deum quippe Patrem ex magnitudine et pulchritudine creaturarum potest quis intelligere, et a conditionibus conditor consequenter agnoscitur: Christi autem nativitas, crux, mors, resurrectio, nisi ex auditu, sciri non potest; aut surdi igitur Christiani non sunt, aut si surdi sunt Christiani, falsum est quod alibi ab Apostolo dicitur: *Itaque fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei* (*Rom.* x). Ad quod qui simplici responsione contentus est, dicit, non eum generaliter dixisse, fides omnium ex auditu est, sed *fides ex auditu,* quod et in parte et in toto accipi potest: eorum scilicet fides ex auditu qui audiunt, qui credunt. Qui autem huic scrupulo satisfacere conatur, prius illud tentabit asserere, quod nutibus quoque et quotidiana conversatione, et ut ita dixerim, totius corporis loquente gestu, surdi possunt Evangelium discere, deinde etiam hoc quod Dei sermo, cui nihil surdum est, ad eas magis loquatur aures, de quibus et ipse ait in Evangelio: *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XI); et in Apocalypsi: *Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis* (*Apoc.* II). Et Isaias: *Dominus addidit mihi auriculam.* Iste est alter homo, cui Deus loquitur in occulto, qui clamat in corde credentis, *Abba Pater.* Et ut frequenter exposuimus, quomodo corpus omnia membra et sensus habet, ita animam quoque universos sensus et membra habere, et inter cætera, aures etiam; quas qui habuerit, non magnopere indigebit his auribus corporis ad Christi Evangelium cognoscendum. Si-

Digitized by Google

mul autem etiam illud attendite, quod hic spiritus absque ullo additamento sanctus intelligatur, quem ex dono Dei consequimur, et non hominis, de quo alibi scribitur : *Incorruptus Spiritus est in omnibus* (*Sap.* XII). Et : *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro* (*Rom.* VIII); et in alio loco : *Nemo scit ea quæ in homine sunt, nisi spiritus hominis qui in ea est.* Et in Daniele : *Benedicite, spiritus et animæ justorum, Dominum* (*Dan.* III).

Sic stulti estis, inquit, *ut cum Spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?* Si sanctum Spiritum acceperant Galatæ, quomodo stulti erant? verum statim solvitur, cœpisse quidem eos Spiritu, sed cum carne consummarentur, Spiritum ab eis fuisse sublatum. Unde sine causa passi sunt tanta quæ passi sunt. Quod ne sibi post peccatum eveniret, David precatur dicens : *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (*Psal.* L). Diligenter attendite, quod qui scripturas juxta litteram sequitur, consummari carne dicatur, quamobrem illud quod ad Gorinthios scriptum est : *In carne viventes, non juxta carnem militamus* (*II Cor.* X), melius sic intelligi potest, ut hi militare in carne dicantur, qui Vetus Testamentum humiliter edisserunt, qui vero sequuntur intelligentiam spiritalem, sunt quidem in carne, quia eamdem habent litteram, quam Judæi : sed non juxta carnem militant, a carne ad spiritum transcendentes.

Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa. (Amb.) Multa eos passos pro fide significat ab infidelibus. Tunc enim qui credebant cæteris opprobrio erant, sive domesticis sive extraneis, nam digito signabantur quasi rei majestatis. Unde similiter Galatæ multa passi sunt, insaniores experti : cujus rei meritum perdiderant, sub legem mittentes se. (*Aug.*) Multa jam pro fide toleraverant non timore tanquam sub lege positi : sed magis in ipsis passionibus charitate timorem vicerant, quia charitas Dei diffusa est in cordibus eorum, per Spiritum sanctum quem acceperant. *Sine causa* ergo, inquit, *tanta passi estis*, qui ex charitate quæ in vobis tanta sustinuit, ad timorem relabi vultis? Sed quia addidit, *si tamen sine causa*, ostendit sperare se posse illos reformari. (*Hieron.*) Consideremus infelices Judæos quanta superstitione et observationis labore vivant, inter cæteras nationes, dicentes, ne tetigeris, ne gustaveris, neque attrectaveris, et probabimus verum esse quod dicit, *tanta passi estis sine causa :* sed non statim ad eos sententia temperatur et dubia fit, *si tamen sine causa :* quia de his dicitur qui possunt post legem ad Evangelium reverti. Melius autem sic intelligi potest, quod primum credentes Galatæ in Crucifixum, a Judæis et gentibus opprobria multa perpessi sint, et persecutiones non minimas sustinuerint; quas frustra arguuntur fuisse perpessi, si a gratia Christi recedant, propter quam tanta passi sunt : simul et illa spes, quod quicunque ob Christi fidem laboraverit, et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa dicitur passus fuisse dum peccat, sic rursum non perdat ea, si ad pristinam fidem et ad antiquum studium revertatur. *Qui ergo tribuit vobis spiritum et operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei?* Tribuit, hoc est, administrat, præsentis temporis est legendum, ut ostendatur per singulas horas atque momenta, semper dignis Spiritum sanctum ministrari. Et quanto quis in Dei opere et amore profecerit, tanto magis sancti Spiritus in se habere virtutes, quas auditus fidei et non legis opera consummant, non quod legis opera contemnenda sint, et absque eis simplex fides appetenda : sed quod ipsa opera fide Christi adornentur. Scita est enim sapientis viri illa sententia, *non fidelem vivere ex justitia, sed justum ex fide.* Simul ostenditur Galatas, accepto post fidem sancto Spiritu, dona habuisse virtutum, id est, prophetiam, genera linguarum, morborum curationes, et cætera, quæ ad Corinthios in donis spiritalibus enumerantur. Et tamen post tanta, quia forsitan gratiam discernendorum spirituum non habebant, a falsis doctoribus irretiti sunt. (*Amb.*) Adduntur virtutis insignia quæ testimonium perhibent fidei, quod sit spes fida et rationabilis. Legem autem nulla virtus comitatur, quæ attrahat ad ejus spem : quia quæ videntur non sperantur, sed sunt temporalia, sicut lex factorum, quam supra ostendimus.

Sicut scriptum est : Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam. (Amb.) Ostendit exemplo Abrahæ, qui pater fidei est, justitiam non ex operibus legis imputari, sed per fidem, credens enim justificatus est, ac per hoc stulte et improvide legi eos se subjecisse, quæ non ad justificationem data est, de quo in Epistola ad Romanos uberius apertiusque dissertum est. (*Aug.*) Hoc enim maxime in eo victoriosum est, quod antequam circumcideretur, deputata est fides ejus ad justitiam, et ad hoc rectissime refertur quod ei dictum est, *quia benedicentur in te omnes gentes :* imitatione utique fidei ejus, quia justificatus est etiam ante sacramentum circumcisionis, quod ad fidei signaculum accepit, et ante omnem servitutem legis, quæ multo post data est. (*Hieron.*) Credidit autem Abraham Deo, exiens de patria sua in terram quam nesciebat, Saram nonagenariam et sterilem confidens esse parituram; et audita repromissione Dei quod in Isaac vocaretur semen ejus, ipsum Isaac offerens victimam, et tamen de Domini repromissione non dubitans : recte tali reputatur fides ad justitiam, qui legis opera supergressus, Deum, non metu, sed dilectione promeruit. *Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ.* (Amb.) Verum est, quia credentes filii sunt Abrahæ, quia si Abraham ex fide justificatus est primus, quotquot post hunc credunt, filii ejus sunt, sive ex judæis, sive ex gentibus. (*Hieron.*) Plenius de hoc in epistola ad Romanos disputat, quod fides Abrahæ reputata est ad justitiam, non in circumcisione, sed in præputio; et diligenter observans, docet eos filios esse Abrahæ, quicunque hac mente crediderunt, qua incircumcisus credidit Abraham, qui exsultavit ut videret diem Domini, et vidit, et lætatus est unde; et ad infideles

Digitized by Google

Judæos dicitur : *Si filii estis* [*essetis*] *Abraham, opera Abrahæ facite* [*faceretis*] (*Joan.* VIII). Quæ autem alia illo in tempore cum hæc dicebantur ab eis Dominus opera exspectabat, nisi credulitatem in Filium Dei, quem Pater miserat, loquentem ? *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui me misit* (*Joan.* XII). Unde et in alio loco de generis sibi antiquitate, et nobilitate plaudentibus, respondetur : *Ne dixeritis, quia patrem habemus Abraham : potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham* (*Matth.* III) ; lapides ibi nemo ambigit dura significari corda gentilium, quæ mollita sunt postea, et fidei recepere signaculum.

Providens autem Scriptura quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ. Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham. (Amb.) Hoc dicit, quia forma est Abraham omnium credentium, ut hi benedicti in eo sint, qui credunt. Sequentes enim fidem ejus, participes fiunt et benedictionis ejusdem. Manifestum est, quia fideles cum fideli benedicentur : quomodo infideles cum infidelibus puniuntur. *Providens autem*, inquit, *Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus*, etc. (Hieron.) Non quod ipsa Scriptura, atramentum videlicet et membranæ quæ insensibiles sunt, possint futura prænoscere, sed quod Spiritus sanctus et sensus qui in litteris latet, multis post sæculis ventura prædixerint. Porro exemplum quod de Genesi sumptum est, ita in proprio volumine continetur. *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ* (*Gen.* XXVII). Quod Apostolus super Christum interpretans ait : *Non est scriptum, Ex seminibus, quasi in multis : sed quasi in uno : et semine tuo, qui est Christus.* Hoc autem in omnibus pene testimoniis, quæ de veteribus libris in Novo assumpta sunt Testamento, observare debemus, quod memoriæ crediderint evangelistæ vel apostoli, et tantum sensu explicato, sæpe ordinem commutaverint, nonnunquam vel detraxerint verba vel addiderint. Nulli vero dubium, quod in Isaac, et Jacob, sive in duodecim Patriarchis et cæteris, qui de Abraham stirpe descendunt, non fuerint benedictæ universæ nationes, sed in Christo Jesu, per quem omnes gentes laudant Deum, et benedicitur novum nomen super terram. Potest autem Apostolus et de alio Geneseos loco exemplum seminis usurpasse, ubi scribitur : *Eduxit autem foras*, haud dubium quin Abraham, *Deus, et dixit ei, Aspice in cœlum, et numera stellas, si poteris dinumerare eas ; et ait illi : Sic erit semen tuum* (*Gen.* XV). *Et credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam.* Quicunque ergo credunt benedicentur cum fideli Abraham, qui ob egregiam in Deum fidem, primus in eum credidisse narratur. Sicut et Enos ob principalem in Deum spem, et inter cæteros eminentem, sperasse scribitur (*Gen.* IV) invocare Dominum Deum. Non quod et Abel, de quo Dominus ait, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me* (*Gen.* IV), et cæteri deinceps Deum non speraverint invocare : sed quod ex ea parte, unusquisque appelletur, quam vel maxime habet.

A *Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt legis.* Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt legis, (Aug.) sub timore vult intelligi, non libertate, ut scilicet corporali, præsentique vindicta vindicaretur in eos qui permanerent in omnibus quæ scripta sunt in libro legis ut facerent ea, huc quoque accederet, ut in ipsa corporum pœna, etiam maledicti ignominiam formidarent. Ille autem justificatur apud Deum, qui eum gratis colit ; non scilicet cupiditate appetendi aliquid ab ipso, præter ipsum, aut timore amittendi. In ipso enim solo vera nostra beatitudo atque perfecta est, et qui invisibilis est oculis carneis, fide colitur quandiu in hac carne vivimus, sicut supra dixit : *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei ;* et ipsa est justi-
B tia, quo pertinet quod dictum est : *Quia justus ex fide vivit.*

Scriptum est enim : Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt, in libro legis ut faciat ea. (Hieron.) Hunc morem habeo, ut quotiescunque ab apostolis de Veteri Instrumento aliquid sumitur, recurram ad originales libros, et diligenter inspiciam quomodo in suis locis scripta sint : inveni itaque in Deuteronomio (*Deut.* XXVII) hoc ipsum apud Septuaginta interpretes ita positum : *Maledictus omnis homo qui non permanserit in omnibus sermonibus legis hujus, ut faciat illos, et dicet omnis populus, Fiat, fiat.* Apud Aquilam vero sic : *Maledictus qui non statuerit verba legis hujus, ut faciat ea.*
C *Et dicet omnis populus : Vere.* Symmachus : *Maledictus qui non firmaverit sermones istos ut faciat eos. Et dicet omnis populus : Amen.* Porro Theodotio sic transtulit : *Maledictus qui non suscitaverit sermones legis hujus facere eos. Et dicet omnis populus : Amen.* Ex quo intelligimus Apostolum, ut in cæteris, sensum magis testimonii posuisse quam verba : et incertum habemus utrum Septuaginta interpretes addiderint : *Omnis homo*, et *in omnibus*, an in veteri Hebraico ita fuerit, et postea a Judæis deletum sit : In hanc me autem suspicionem illa res stimulat, quod verbum, *Omnis*, et *in omnibus*, quasi sensui suo necessarium, ad probandum illud, quod *quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sint*, Apostolus vir Hebrææ peritiæ et in lege doctissimus, nunquam pro-
D tulisset nisi in Hebræis voluminibus haberetur. Quam ob causam Samaritanorum hebræa volumina relegens inveni *Chol :* quod interpretatur omnis, sive omnibus, scriptum esse, et cum Septuaginta interpretibus concordare. Frustra igitur illud tulerunt Judæi, ne viderentur esse sub maledicto, si non possent omnia complere quæ scripta sunt : cum antiquiores alterius quoque gentis litteræ, id positum fuisse testantur. Quoniam autem nemo possit explere legem et cuncta facere quæ jussa sunt, et alibi testatur Apostolus dicens (*Rom.* VIII) : *Quod enim erat impossibile legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato condemnavit peccatum in carne.* Quod

Digitized by Google

si verum est, potest nobis objici : Ergo et Moyses et Isaias et cæteri prophetæ qui sub operibus legis fuerunt, sub maledicto sunt : quod non timebit annuere qui dicentem Apostolum legerit : *Quia Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum ;* et respondere, unumquemque sanctorum suo tempore maledictionem factum esse pro populo, nec statim hoc tribuens et justis viris videbitur detrahere Salvatori, quasi nihil præcipuum et excellens habuerit, factus pro nobis maledictum, cum et cæteri pro aliis maledictum facti sint. Nemo enim illorum quamvis factus fuerit ipse maledictio, de maledicto quempiam liberavit, absque solo Domino Jesu Christo, qui pretioso sanguine suo, et nos omnes et ipsos, Moysen dico et Aaron, prophetasque cunctos et patriarchas, de maledicto legis redemit, nec hoc ex meo sensu dictum putetis. Scriptura testis est : *Quia Christus gratia Dei* (*II Cor.* v), sive ut in quibusdam exemplaribus legitur, *absque Deo pro omnibus mortuus est :* si autem pro omnibus, et pro Moyse, et pro universis prophetis, e quibus nullus potuit delere chirographum vetus quod adversum nos scriptum erat, et affigere illud cruci (*Coloss.* II) : *Omnes peccaverunt et indigent gloria Dei* (*Rom.* III); Ecclesiaste quoque hanc firmante sententiam : *Homo non est justus in terra, qui faciat bonum et non peccet* (*Eccle.* VII). Denique et inferius Apostoli dictum manifeste docet nec Moysen, nec illustrem aliquem de antiquis virum apud Deum justificari potuisse per legem, sequitur enim : *Quia autem in lege nemo justificabitur apud Deum, manifestum est, quia justus ex fide vivit.* (Ambr.) Ac per hoc recedendum a lege docet : ne justitia per fidem quæsita pereat.

Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in eis. Non est ex fide lex, quia nihil mandat credendum : Omnia enim ejus manifesta sunt, ut servans legem vivat, si quominus, necesse est plectatur, quia, quod scivit vitandum, admisit. Potest opponi e diverso et dici. Si in lege nemo justificatur, quid est ut maledicatur, qui aliquid præterit legis? verum est quia nemo per legem justificatur apud Deum : justificatur autem apud mundum, ut securus sit in vita præsenti. Si autem apud Deum justificari vult ut illi ad meritum proficiat in die judicii Dei, sequatur fidem, alioquin hic securus, reus erit in futurum. Prodest ergo lex, sed quæ in tabulis scripta est, nam cætera, sicut dixit, ut oneri essent data sunt. (*Hier.*) Exemplum quo probatur justum ex fide vivere, et non ex operibus, de Abacuc propheta tulit (*Habac.* II), quod ita Septuaginta interpretes ediderunt : *Justus autem ex mea fide vivit.* Aquila et Theodotio : *Justus autem ex ejus fide vivit*, id est, Dei. Considerandum utique quia non dixerit, homo aut vir, ex fide vivit, ne occasionem tribueret ad virtutum opera contemnenda, sed, justus ex fide vivit, ut quicunque fidelis esset et per fidem victurus, non aliter posset ad fidem venire, vel in ea vivere, nisi prius justus fuisset, et puritate vitæ quasi quibusdam ad fidem gradibus ascendisset. Potest ergo fieri ut sit aliquis justus, et tamen non vivat absque fide Christi. Si legenti scrupulus commovetur, Pauli verba suscipiat, in quibus ipse de se ait : *Secundum justitiam quæ in lege est sine reprehensione* (*Philip.* III). Erat igitur Paulus tunc justus in lege, sed necdum vivere poterat : quia non habebat in se Christum loquentem : *Ego sum vita* (*Joan.* XI). In quem credens postea cœpit vivere. Faciamus et nos aliquid simile huic quod dicitur, *Justus ex fide vivit*, et dicamus : Castus ex fide vivit, sapiens ex fide vivit, fortis ex fide vivit, et a cæteris virtutum partibus, vicinam sententiam proferamus adversum eos qui in Christum non credentes, fortes et sapientes, temperantes se putant esse vel justos, ut sciant nullum absque Christo vivere, sine quo omnis virtus in vitio est. Potest præsens testimonium et sic legi, « quia justus ex fide, » ut deinceps inferat, « vivit. » Quod autem inquit : *Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in illis*, manifestissime demonstratur, non simplicem dici vitam, sed eam quæ referatur ad aliquid, *justus quippe ex fide vivit :* et non additur, in his, sive in illis. Vivens autem in lege, qui fecerit ea, vivet in illis : hoc est in his quæ fecit, quæ putavit bona : mercedem laboris sui habens ea tantum opera, quæ fecit, sive longitudinem vitæ, ut Judæi putant, sive declinationem pœnæ, per quam transgressor legis occiditur : « vivere autem in illis » non putemus Apostoli verba esse, sed Ezechielis prophetæ, qui ait : *Et eduxi eos in desertum, et dedi eis præcepta mea et justificationes meas demonstravi eis quas faciet homo, et vivet in eis* (*Ezech.* XX). [Aug.] Itaque intellige legem in hoc loco pro ipsis operibus positam. Qui autem vivebant in his operibus, timebant utique ne, si non ea fecissent, lapidationem vel crucem vel aliquid hujusmodi, paterentur. Ergo qui fecerit ea, inquit, vivet in illis, id est, habebit præmium, ne in ista morte puniatur. Non ergo apud Deum, cujus ex fide si quis in hac vita vixerit, cum hinc excesserit, tunc enim magis habebit præsentissimum præmium. Non itaque ex fide vivit quisquis præsentia quæ videntur, vel cupit, vel timet, quia fides Dei ad invisibilia pertinet, quæ post dabuntur. Nam est ista quædam in operibus legis justitia, quando sine suo præmio relicta non est, ut qui fecerit ea, vivet in eis. Unde et ad Romanos dicit : *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum* (*Rom.* IV). Aliud est ergo non justificari, aliud non justificari apud Deum : qui omnino non justificatur nec illa servat quæ temporale habent præmium, nec illa quæ æternum : qui autem in operibus legis justificatur, non apud Deum justificatur, quia temporalem inde exspectat visibilemque mercedem, sed tamen est etiam ista ut dixi quædam ut sic dicam terrena carnalisque justitia : nam et ipse Apostolus eam justitiam vocat, cum alibi dicit, « justitiam quæ in lege est, conversatus qui fuerim sine querela. » Propterea Dominus Jesus jam libertatem daturus credentibus quædam earum observationum non serva-

Digitized by Google

vit ad litteram, unde etiam cum sabbato esurientes discipuli spicas evulsissent, respondit indignantibus, Dominum esse filium hominis etiam sabbati (*Luc.* VI). Itaque illa carnaliter non observando, carnalium conflagravit invidiam, et suscepit quidem pœnam propositam illis qui eam non observassent : sed ut credentes in se talis pœnæ timore liberaret, quo pertinet quod adjungit : *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno, ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut repromissionem spiritus accipiamus per fidem.* (Amb.) Cum nemo poterat implere legem, rei erant omnes maledicto legis, ut vindicaret in eos, Christus autem homo natus, oblatus a patre pro nobis, redemit nos a diabolo. Morti enim volentem offerens illum pro his qui maledicto legis erant obnoxii, maledictum illum fecit hoc modo, sicut in lege hostia pro peccatis oblata peccatum nuncupabatur, propterea pro maledictis oblatus, factus est maledictum, dum quasi peccator occiditur. Ideo non dixit, factus pro nobis maledictus, sed maledictum. Is enim qui propter peccatum proprium morti offerebatur, maledictus fiebat, in sua enim causa moriebatur. Et si propius aspicias, videbis Christum, maledictum eorum factum a quibus occisus est : crux enim Salvatoris peccatum et maledictum est Judæorum, *quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno* (*Deut.* XXI). Hoc Moyses dixit in Deuteronomio de reis mortis ; ut sufficeret suspensis in ligno illic esse usque ad vesperam et deponi ad sepulturam, quia « maledictus omnis, inquit, qui pendet in ligno, » ut reo mortis sufficeret hoc, quia suspensus moriebatur in ligno, ne diutius, si esset suspensus, majus haberet opprobrium mors ejus quam deberet, et fieret macula generi ejus, si amplius mors ejus publicaretur. Ac per hoc Salvator innocens suspensus in ligno, non est maledictus, sed maledictum illorum a quibus suspensus est. Quantum tamen ad Judæos pertinet, quasi peccatorem illum occidendum Pilato offerentes, maledictum illum fecerunt, ut quasi reus occideretur cum esset innocens, quia dignus morte maledictus est juxta legem. Videntes enim multos aggregari doctrinæ ejus, zelati sunt dicentes : *Ecce totus mundus abiit post illum* (*Joan.* XII), ac per hoc, pro nobis occisus dicitur, et duplici genere pro nobis. Cum autem putant illum occidi debere ne doceret, nihil profecerunt, quia et doctrina ejus crevit, et mortem evacuavit in passione sua. Descendens enim ad inferos genus hominum liberavit, qua causa et occidi se permisit, sciens pro nobis esse et contra diabolum. (*Aug.*) Ille neget Christum maledictum, qui negat et mortuum, qui autem confitetur mortuum, negare non potest mortem de peccato esse, et ob hoc etiam ipsum peccatum vocari, audiat ipsum Apostolum dicentem, *quia vetus homo noster simul cum illo crucifixus est* (*Rom.* VI), et intelligat quem maledictum Moyses dixerit. Ideoque secutus Apostolus ait de Christo, *factus pro nobis maledictum* : sicut non timuit dicere, *pro nobis omnibus mortuus est.* Hoc est enim, mortuus est, quod maledictum, quia mors ipsa ex maledicto est. Et maledictum est omne peccatum, sive ipsum quod fit ut sequatur supplicium, sive ipsum supplicium, quod alio modo vocatur peccatum, quia fit ex peccato. Suscepit autem Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum, et finiret etiam supplicium nostrum. *Misit Deus*, inquit, *Filium suum in similitudine carnis peccati* (*Rom.* VIII), eo ipso quo mortalis erat, similitudinem habebat carnis peccati, hoc appellat etiam peccatum consequenter dicens, *Ut de peccato damnaret peccatum in carne* (*Ibid.*). Cur ergo timeret Moyses dicere, maledictum quod Paulus non timuit dicere peccatum. Quod autem additum est, *omnis qui in ligno pependit*, non sane Moyses minus prævidit etiam justos in cruce futuros, sed bene prævidit hæreticos, veram mortem Domini negaturos, et ideo volentes ab hoc maledicto Christum sejungere, ut a mortis etiam veritate sejungerent. Si enim vera illa mors non erat, nullum maledictum Christo crucifixo pependit in ligno, quia nec vere crucifixus est : ac per hoc additum est, *omnis*, ne Christus ad veram mortem non pertinere diceretur, si a maledicto quod morti conjunctum est, insipienti honorificentia separaretur. Nam quod quidam nostri minus in Scripturis eruditi, sententiam istam nimis timentes, et Scripturas veteres debita pietate approbantes, non putant hoc de Deo dictum esse, sed de Juda traditore ejus, aiunt enim propterea non esse dictum, *Maledictus omnis qui figitur in ligno*, sed *qui pendet in ligno*, quia non hic Dominus significatus est, sed ille qui se laqueo suspendit, nimis errant nec attendunt se contra Apostolum disputare, qui ait : *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum :* quia scriptum est, *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Qui ergo pro nobis factus est maledictum, ipse utique pependit in ligno, id est Christus, qui nos liberavit a maledicto legis, ut non jam timore justificaremur in operibus legis : sed fide apud Deum, quæ non per timorem, sed per dilectionem operatur. Spiritus enim sanctus qui hoc per Moysen dixit, utrumque providit, ut et timore visibilis pœnæ custodirentur qui nondum poterant ex invisibilium fide vivere : et ipse timorem istum solveret suscipiendo quod timebatur, qui timore sublato, donum dare poterat charitatis. Nec in hoc quod maledictus est appellatus, qui pendet in ligno, contumelia in Deum putanda est ; ex parte quippe mortali pependit in ligno : mortalitas autem unde sit, notum est credentibus, ex pœna quippe est, et maledictione peccati primi hominis : quam Dominus suscepit, et peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Si ergo diceretur, mors maledicta est, nemo exhorresceret, quid autem nisi mors Domini pependit in ligno, ut mortem moriendo superaret ? Eadem igitur maledicta quæ victa est. Item, si diceretur, peccatum maledictum est, non miraretur ; quid autem pependit in ligno, nisi peccatum veteris hominis, quod Do-

Digitized by Google

minus pro nobis in ipsa carnis mortalitate suscepit? unde nec erubuit nec timuit Apostolus dicere peccatum eum fecisse pro nobis addens, *ut de peccato condemnaret peccatum :* non enim et vetus homo noster simul crucifigeretur sicut idem Apostolus alibi dicit (*Rom.* VI), nisi in illa morte Domini peccati nostri figura penderet, ut evacuetur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. In ejus peccati et mortis figura etiam Moyses in eremo super lignum exaltavit serpentem (*Num.* XXI); persuasione quippe serpentis homo in damnationem mortis cecidit. Itaque serpens ad significationem ipsius mortis convenienter in ligno exaltatus est, in illa enim figura, mors Domini pendebat in ligno. (*Hieron.*) Subrepit et in hoc loco Marcion, de potestate Creatoris, quem sanguinarium, crudelem infamat, et vindicem, asserens nos redemptos esse per Christum, qui alterius boni Dei Filius sit; qui si intelligeret, quo differunt emere et redimere (quia qui emit, alienum emit, qui autem redimit, id emit propriæ quod suum fuit, et suum esse desivit), nunquam Scripturarum verba simplicia in calumniam sui dogmatis detorqueret. Redemit ergo nos Christus de maledicto legis quod peccantibus constitutum est, quos ipse increpat per prophetam dicens: *Ecce peccatis vestris venditi estis, et in iniquitatibus vestris dimisi matrem vestram* (*Isa.* L); et Apostolus hoc ipsum replicat dicens : *Ego autem carnalis sum, venditus sub peccato* (*Rom.* VII). Maledicta quoque legis, quæ in Levitico, et in Deuteronomio scripta sunt, non Deo auctore complentur, sed prophetico spiritu his qui peccaturi erant, ea quæ eventura sunt eis nuntiantur. Quod si Apostoli voluerit nos testimonio coarctare dicentis : *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim : Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea;* et asserere omnes qui sub lege fuerint, fuisse maledictos, interrogemus eum, utrum hi qui sub Evangelio Christi sunt, et ejus præcepta non faciunt, maledicti sint, an non? Si maledictos dixerit, id habebit in Evangelio, quod nos habemus in lege : Si maledictos negaverit, frustra ergo Evangelii præcepta sunt posita, et absque mercede erunt hi, qui illa compleverint. Solvitur itaque utrumque hoc modo, quomodo Christus Jesus ex maledicto nos legis liberavit, factus pro nobis maledictum; ita de maledicto quoque Evangelii quod statutum est super eos qui ejus præcepta non fecerint, eruit nos, factus pro nobis ipse maledictum : sciens talenti quoque minimam non dimittere portionem, et novissimum exigere quadrantem. (*Ambr.*) Hoc dicit, quia exprobratis et maledictis Judæis, cum sibi de justitia legis blandirentur occiso Salvatore, quasi sabbati violati reo, benedictio promissionis Abrahæ transitum fecit ad gentes per fidem Christi Jesu. Unde dicit Dominus Judæis : *Tolletur a vobis regnum, et dabitur genti facienti fructum ejus.* (*Hieron.*) Hæc famosissima quæstio est, et nobis solet a Judæis pro infamia objici, quod Salvator noster et Dominus sub Dei fuerit maledicto. Primum igitur intuendum est, quod non quicunque in ligno pependerit, maledictus sit apud Dominum, sed qui peccaverit, et propter scelus morti fuerit adjudicatus, sublatusque in crucem; non ideo maledictus quia crucifixus est, sed quia in talem inciderit reatum, ut meruerit crucifigi. Deinde illud opponendum quod inferius causa patibuli plenius exponatur, Scriptura referente, ob maledictum et blasphemiam Dei eum esse crucifixum. Quod apertius Symmachus transtulit dicens : *Quia propter blasphemiam Dei suspensus est.* Ad extremum interrogemus eos, si Ananias, Azarias et Misael, nolentes adorare idolum Nabuchodonosor (*Dan.* III), fuissent in ligno suspensi; Eleazarus quoque nonagenarius sub Antiocho rege Syriæ (*II Mac.* VI), et cum septem filiis gloriosa mater (*II Mac.* I), utrum maledictos eos æstimaturi fuerint, an omni benedictione dignissimos; certe si crucem quam Aman paraverat Mardochæo (*Esther* VII), non ipse suo merito conscendisset, puto Mardochæus in eam non ut maledictus, sed ut sanctus ascenderet. His et cæteris similibus comprobatur, illum esse maledictum qui dignum facinus patibulo perpetravit : non cum qui iniquitate judicum et inimicorum potentia vel clamore vulgi, aut virtutum invidia, aut regis ira fuerit crucifixus. Hæc adversum Judæos. Cæterum ut ad nos redeat disputatio, scire non possumus quare Apostolus in eo quod scriptum est : *Maledictus a Deo omnis qui pendet in ligno*, vel subtraxerit aliquid, vel addiderit. Si enim semel auctoritatem Septuaginta interpretum sequebatur, debuit sicut ab illis editum est, et Dei nomen adjungere. Si vero ut Hebræus ex Hebræis id quod in sua lingua legerat, putabat esse verissimum, nec *omnis* nec *in ligno*, quæ in Hebræo non habentur, assumere. Ex quo mihi videtur aut veteres Hebræorum libros aliter habuisse quam nunc habent : aut Apostolum, ut ante jam dixi, sensum Scripturarum posuisse, non verba; aut quod magis est æstimandum, post passionem Christi et in Hebræis, et in nostris codicibus ab aliquo Dei nomen appositum, ut infamiam nobis inureret, qui in Christum maledictum a Deo credimus. Audaci itaque pede in hoc procedo certamine, ut ad libros provocem, nullo loco scriptum a Deo quempiam esse maledictum, et ubicunque maledictio ponitur, nunquam Dei nomen adjunctum. *Maledictus tu ab omnibus bestiis*, dicitur ad serpentem; et ad Adam : *Maledicta terra in operibus tuis;* et ad Cain : *Maledictus tu super terram;* et alibi : *Maledictus Chanaan puer, famulus erit fratribus suis*, nec non in alio loco : *Maledictus furor eorum, quia audax, et ira eorum quia dura.* Nullum autem debet movere, quod Christus pro nobis maledictum factus sit, quia et Deus qui eum dicitur fecisse maledictum, ipse, cum non sciret Christus peccatum, pro nobis eum peccatum fecit; et Salvator de plenitudine Patris exinanivit se, formam servi accipiens (*Phil.* II), vita

Digitized by Google

mortuus est, et sapientia Dei, fatuitas appellata, ut quod stultum erat Dei sapientius fieret hominibus. Et in LXVIII psalmo de se loquitur : *Deus, tu scis insipientiam meam;* et *delicta mea a te non sunt abscondita.* Injuria itaque Domini, nostra gloria est : ille mortuus est ut nos viveremus : ille descendit ad inferos, ut nos ascenderemus in cœlum : ille factus est stultitia, ut nos sapientia fieremus : ille se de plenitudine et de forma Dei evacuavit, formam servi accipiens, ut in nobis habitaret plenitudo divinitatis, et Domini fieremus nos servi; ille pependit in A ligno, ut peccatum quod commiseramus in ligno scientiæ boni ac mali, ligno deleret appensus. Crux ejus amaras aquas vertit in dulcem saporem (*Exod.* xv); et securim perditam in profundumque demersam, missa in fluente Jordanis levavit (*IV Reg.* VI). Ad postremum, factus est ille maledictio, factus, inquam, non natus, ut benedictiones quæ promissæ fuerant Abrahæ, ipso auctore et prævio transferrentur ad gentes, et spiritus repromissio per fidem illius compleretur in nobis.

LIBER QUINTUS DECIMUS.

SEQUITUR CAPUT III.

Fratres, secundum hominem dico. (Ambr.) Hoc dicit, quia exemplo humanæ causæ commendare vult rationem divinæ promissionis. Unde etiam testamenti humani mentionem facit, quod utique multo est infirmius quam divinum. *Tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat.* Verum est quia testamentum defuncti jure factum non potest scindi. (*Aug.*) « Tamen hominis testamentum confirmatum, inquit, nemo irritum facit aut superordinat, » quia cum testator mutat testamentum, non confirmatum mutat : testatoris enim morte confirmatur. Quod autem mors testatoris valet ad confirmandum testamentum ejus, quia consilium mutare jam non potest, hoc incommutabilitas promissionis Dei valet ad confirmandam hæreditatem C Abrahæ, cujus fides deputata est ad justitiam. *Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus, non dicit, et seminibus quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo, qui est Christus.* (Ambr.) Hoc est quod scriptum est in Genesi ad Abraham : *Et in semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII). Quod utique in Christo impletum est; in cujus nomine omnes gentes benedicentur per fidem. Ideo non in multis, sed in uno firmata est promissio, qui est Christus. Hac disputatione sua Apostolus quasi reos falsati testamenti designat, qui credentes in Christum, etiam de lege aliquid sperant, ut non solum salus promissa in Christo, sed et in lege sit, ideo probat promissionem benedictionis in solo Christo factam. (*Aug.*) Unus est Christus caput et corpus, docente Apo- D stolo atque dicente de semine Abrahæ : *Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis*, cum dixisset superius : *Non dicit et seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in uno, et semini tuo, quod est Christus.* Si ergo semen Abrahæ, hoc est Christus, quid aliud dictum est quibus dictum est, ergo *Abrahæ semen estis*, nisi, Ergo Christus estis? Et ideo semen Abraham cui dictæ sunt promissiones, Christum dicit Apostolus, hoc est omnes Christianos fide imitantes Abraham. Quod ad singularitatem redigit commendando, quod non dictum est, et seminibus, sed semini tuo : quia et una est fides : et non possunt B similiter justificari qui vivunt ex operibus carnaliter, cum his qui vivunt ex fide spiritaliter. *Hoc autem dico testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit, ad evacuandam promissionem.* (Ambr.) In solo Christo firmatam benedictionis promissionem docet, ut legem post CCCC et XXX annos datam ostendat. Constituta enim promissione, postea data lex est, quæ non utique infirmaret promissionem, sed quod futura et quando ventura esset significaret. (*Hieron.*) Apostolus qui omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret, debitor Græcis ac Barbaris, sapientibus, Galatis quoque quos paulo ante stultos dixerat, factus est stultus, non enim ad eos his usus est argumentis quibus ad Romanos, sed simplicioribus, et quæ stulti possent intelligere, et pene de trivio. Quod ne videretur imperitia et non arte fecisse, prudentem placat ante lectorem, et quæ dicturus est, temperat præfatione præmissa : *Fratres, secundum hominem dico*, quod enim dicturus sum, non dico secundum Deum, non dico secundum reconditam sapientiam, et eos qui solido possunt vesci cibo; sed secundum eos qui ob teneritudinem stomachi lacteo rore pascuntur, et nequaquam valent audire quæ grandia sunt. Unde et ad Corinthios, in quibus audiebatur fornicatio, et talis fornicatio quæ nec inter gentes quidem, ait : *Ego dico, non Dominus* (*I Cor.* VII). Et ad eosdem in secunda : *Quod loquor, non secundum Deum loquor, sed quasi in insipientia* (*II Cor.* XI). Putant aliqui quod de testamento hominis, et de testatoris morte, et cæteris humanæ similitudinis disputaturus exemplis dixerit : *Fratres, secundum hominem dico;* mihi autem videtur, et propter hoc quidem quod illi arbitrantur, sed maxime propter illud quod sequitur esse præmissum, id est, *non dicit et seminibus quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo qui est Christus.* Omnes scripturas sensu ac memoria peragrans, nunquam plurali numero semina scripta reperi, sed sive in bonam, sive in malam partem, semper singulari. Necnon et illud quod infert, *Hoc autem dico testamentum confirmatum a Deo*, si quis diligenter Hebræa volumina et cæteras editiones cum LXX interpretum transla-

Digitized by Google

tione eontulerit, inveniet ubi testamentum scriptum est, non testamentum sonare, sed pactum, quod in Hebræo sermone dicitur Berith. Unde manifestum est id fecisse Apostolum quod promisit, nec reconditis ad Galatas usum esse sensibus, sed quotidianis et vilibus, et quæ possent, nisi præmisisset *secundum hominem dico*, prudentibus displicere. Supputandi in hoc loco anni ab eo tempore quo Dominus ad Abraham locutus est dicens : *Et in semine tuo benedicentur omnes gentes*, usque ad legislatorem Moysen, utrum quadringenti triginta sint, vel quomodo in Genesi ipsi Abrahæ Dominus polliceatur. Quod post quadringentos annos de terra servitutis filii ejus exituri sint. Non enim parva res est, et a multis quæsita, nescio an ab aliquo sit inventa. Vincibiliter autem quod lex infert nondum data erat, nec posset post tot annos ita dari, ut antiquas Abrahæ promissiones irritas faceret. Si enim lex justificat, non est justificatus Abraham, qui multum ante legem fuit : quod quia dicere non possunt, coguntur fateri, legis operibus non justificari hominem, sed fide. Simul etiam nos cogit intelligere, omnes antiquos qui justificati sunt, ex ipsa fide justificatos : quod enim nos ex parte præteritum, id est primum adventum Domini, ex parte futurum, id est, secundum adventum Domini credendo, salvi efficiemur, hoc totum illi, id est, utrumque adventum futurum credebant, revelante sibi Spiritu sancto, ut salvi fierent. Unde est etiam illud : *Abraham concupivit diem meum videre, et vidit et gavisus est* (*Joan.* VIII).

Si enim ex lege hæreditas, jam non ex promissione, Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus. (Ambr.) Duas causas sibi contrarias defendunt Judæi, nullo enim pacto, nulla ratione suaderi potest Judæis Abrahæ promissionem evacuatam per legem, et recte : sed aliud adversum improvida præsumptione defendunt, putantes justificationem sine opere legis provenire non posse ; cum sciant Abraham, qui forma ejus rei est, sine operibus legis per solam fidem justificatum. Sed æmulatione quadam cæcati non intelligunt, neque considerant, quia si per legem justificatio, excluditur promissio. Et si exclusa fuerit promissio, sine dubio frustrabitur fides Abrahæ. Quod ne audire quidem se patiuntur Judæi, scientes quia promissio ex fide est Abrahæ, quæ promissio per fidem justificat, non per legem, sicut et Abraham justificatus ex fide est. Hi ergo hæredes sunt promissionis Abrahæ qui illi succedunt, suscipientes fidem, in qua benedictus et justificatus est Abraham. Testimonium ergo promissionis Abrahæ, testamentum appellatur, ut post mortem ejus hæredes essent in promissione, filii ejus facti per fidem. Quæ causa cucurrit usque ad Christum Abrahæ repromissum, ut post mortem Christi credentes, hæredes essent fidei Abrahæ per testamentum sanguinis Christi. Donum ergo quod promissum est Abrahæ, filiis ejus in Christo solutum est ; quamvis et ipse Abraham consecutus sit donum hoc illic ubi inventus est. (*Hieron.*) Simplex autem sensus qui in hoc loco texitur, hanc vim habet, ut doceat Apostolus non posse per legem, quæ postea data est, repromissiones quæ ante factæ sunt ad Abraham destrui, et posteriora prioribus præjudicare, cum repromissiones ad Abraham ante quadringentos triginta annos datæ sint, quod benedicerentur in illo universæ nationes. Legis autem observatio, quod qui fecisset eam, viveret in ea, post quadringentos triginta annos Moysi data sit in monte Sina. E contrario hic dici poterat : Quid ergo necesse fuit legem post tantum tempus repromissionis dari, cum et data lege, suspicio destructæ sponsionis putaverit oboriri, et manente repromissione, non profutura lex data sit ? Quam prævidens Apostolus quæstionem, in sequentibus ipse sibi proponit, et explicat dicens :

Quid igitur lex ? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est, Deus autem unus est. Quia manente repromissione quæ facta fuerat ad Abraham, lex postea data per Moysen frustra videbatur illata, cur data sit explicat : *propter transgressiones posita est*, inquit : post offensam enim in eremo populi, post adoratum vitulum, et murmur in Dominum, lex transgressiones prohibitura successit : *Justo quippe lex non est posita, iniquis autem et non subditis, impiis et peccatoribus* (*I Tim.* I). Et ut altius repetam post idololatriam, cui in Ægypto fuerant mancipati, ita ut Deum patrum suorum obliviscerentur et dicerent : *Isti sunt dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti* (*Exod.* XXXII) ; ritus colendi Deum, et delinquentium pœna sancita est, in manu mediatoris Christi Jesu, quia *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I), non solum cœlum, terra, mare, et universa quæ cernimus, sed etiam illa quæ per Moysen duro populo quasi jugum legis imposita sunt. (*Ambr.*) Lex factorum, id est, Moysi, posita est in medio inter cœptam promissionem et semen, cui facta promissio est, hoc est inter Abraham et salvatorem. Ideo longe data post factam promissionem, ut ipsa distinctione aliud lex, et aliud promissio videretur : ut populum Dei a gentibus segregatum erudiret sub Dei timore, ut dignus fieret ad excipiendam promissionem, quæ est Christus. Lex tamen factorum ideo dicitur, quia docet quæ, Deo jubente, corporaliter fiant, de sacrificiis, de primogenitis, de decimis, et de cæteris talibus. *Disposita per angelos in manu mediatoris.* Angelos dicit Dei nuntios, id est Moysen, et filium Nave, et cæteros prophetas usque ad Joannem Baptistam, de quo dicit Deus : *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam* (*Malach.* III). Per hos ergo, lex ordinata, disposita est a Deo *in manu*, id est, potestate Salvatoris : ipse est mediator vel reconciliator Dei et hominum, ut salvet quos vult ex his qui legem per supra memoratos angelos acceperunt ; ipse enim ait : *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* (*Joan.* V).

Mediator autem unius non est. Sine duobo mediator. hoc est, arbiter, non est unius, sed duorum ;

Digitized by Google

cum enim duo populi invicem adversus se dimicarent semper dissidentes, et inimici diversitate doctrinæ, Salvator horum arbiter venit, amputans utrisque populis per quod discordabant, ut possent esse pacifici. Abstulit ergo gentilibus numerum Deorum, et famulatum elementorum, quod scandalum erat Hebræis; abstulit et Judæis opera legis, id est, neomenias, circumcisionem, et curam sabbati, et discretiones escarum et cætera quæ abominabantur gentiles; et sic facti sunt pacifici, qui prius fuerant inimici. Si ergo hæc ita se habent, quid est ut Galatæ hebetudine mentis arbitrium istud corrumpant, conversi ad Judaismum? Judicium enim Salvatoris in irritum ducunt, quando post factam pacem, quasi pœnitentes de ea, subjiciunt se illis, quæ prius paci fuerant inimica. Juxta sensum ergo Galatarum, Christus arbiter non est, quia inducti in lege de duobus populis unum fecerunt, et unius utique populi arbiter nemo est. Hunc eumdem sensum ad Ephesios prosequitur dicens : *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua; legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem* (*Ephes.* II). Si in uno novo homine fecit pacem, ambobus utique abstulit, per quod dissidebant, et hoc eis statuit data sua lege, per quod essent pacifici; hoc Galatæ irruperunt, conversi ad Judaismum. *Deus autem unus est.* Hoc dicit, ne Christum prædicando Deum, quem arbitrum dicit uni Deo, prædicasse putaretur contra legem et prophetas. Arbitrum ergo hunc per assumptionem carnis intelligi docet, sicut dicit ad Timotheum : *Arbiter Dei et hominum homo Christus Jesus* (*I Tim.* II). Juxta autem quod Deus est, a Patre hunc non separari, sed unum esse cum Patre : sive enim Pater, sive Filius Deus unus est. Deus enim naturæ nomen est et potestatis, quam in Patre et Filio individuam manere ipsa nominum ratio docet. (*Hieron.*) Postquam ob nostram salutem de virginis utero dignatus est nasci mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, sequester est dictus : antequam vero humanum corpus assumeret, et esset apud Patrem in principio Deus verbum, ad omnes sanctos ad quos factus est sermo Dei, Enoch videlicet, Noe, Abraham, Isaac et Jacob, et postea Moysen et cunctos prophetas, quos Scriptura commemorat, sine additamento hominis, quem necdum assumpserat, mediator tantummodo nuncupatur. Quod autem ait : *Lex ordinata per angelos :* hoc vult intelligi, quod in omni Veteri Testamento, ubi angelus primum visus refertur, et postea quasi Deus loquens inducitur, angelus quidem vere ex ministris pluribus, quicunque sit visus, sed in illo mediator loquatur qui dicat : *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III). Nec mirum si Deus loquatur in angelis, cum etiam per angelos qui in hominibus sunt loquatur Deus in prophetis, dicente Zacharia : *Et ait angelus qui loquebatur in me* (*Zach.* II, IV, V); ac deinceps inferente : *Hæc dicit Dominus omnipotens.* Neque enim angelus qui esse dictus fuerat in propheta, ex sua persona audebat loqui : *Hæc dicit Dominus omnipotens.* Manum mediatoris, potentiam et virtutem ejus debemus accipere : qui cum secundum Deum, unum sit ipse cum Patre, secundum mediatoris officium alius ab eo intelligitur. Quia vero lectionis ordo confusus est, et hyperbato perturbatur, sic nobis reddendus videtur : lex posita est per angelos in manu mediatoris, propter transgressiones ordinata per angelos, donec veniret semen cui repromissum erat. Semen autem haud dubium quin Christum significet, qui ex Matthæi quoque principio comprobatur esse filius Abraham, Scriptura referente : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham.* (Aug.) Invenimus inter quid et quid sit mediator, ipso Apostolo dicente : *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Si non jaceres, mediatorem necessarium non haberes; quia vero jaces et surgere non potes, mediatorem quodammodo Deus tibi porrexit brachium suum : *Et, brachium Domini, cui revelatum est?* (*Isai.* LIII.) Oritur quæstio satis necessaria. Si enim fides justificat, et priores sancti qui apud Deum justificati sunt, per ipsam justificati sunt, quid opus erat legem dari. Quam quæstionem tractandam sic intulit interrogans et dicens : *Quid ergo?* Hucusque enim interrogatio est : deinde infertur responsio, *lex transgressionis gratia proposita est, donec veniret*, inquit, *semen cui promissum est, dispositum per angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est, Deus vero unus est.* Mediatorem Jesum Christum secundum hominem dici ex illa ejusdem Apostoli sententia fit planius cum ait : *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* (*I Tim.* II.) Mediator ergo inter Deum et Deum esse non posset, quia unus est Deus. *Mediator autem unius non est*, quia inter aliquos medius est. Angeli porro qui non lapsi sunt a conspectu Dei, mediatore non opus habent, per quem reconcilientur. Item angeli qui, nullo suadente, spontanea prævaricatione sic lapsi sunt, per mediatorem non reconciliantur. Restat ergo, ut qui mediatore superbo diabolo superbiam persuadente dejectus est, mediatore humili Christo, humilitatem persuadente, erigatur. Nam si Filius Dei in naturali æqualitate Patris manere vellet, nec se exinaniret, formam servi accipiens, non esset mediator Dei et hominum, quia ipsa Trinitas unus Deus est, eadem in tribus, Patre et Filio, et Spiritu sancto, deitatis æternitate et æqualitate constante; sic itaque unicus Filius Dei mediator Dei et hominum factus est, cum verbum Dei, Deus apud Deum, et majestatem suam usque ad humana deposuit, et humilitatem humanam usque ad divina subvexit, ut mediator esset inter Deum et homines, homo per Deum ultra homines. Ipse est enim speciosus forma præ filiis hominum, ut unctus oleo exsultationis præ participibus suis (*Psal.* XLIV). Sanati sunt ergo ab impietate superbiæ ut reconciliarentur Deo quicunque homi-

Digitized by Google

nes humilitatem Christi et per revelationem antequam fieret, et per Evangelium posteaquam facta est, credendo dilexerunt, diligendo imitati sunt. Sed hæc justitia fidei, quia non pro merito data est hominibus, sed pro misericordia et gratia Dei, non erat popularis antequam Deus homo inter homines nasceretur. *Semen* autem cui *promissum est*, populum significat, non illos paucissimos, qui revelationibus eam futuram cernentes, quamvis per eamdem fidem salvi fierent, populum tamen salvum facere non poterant. Qui populus sane si per totum orbem consideretur (nam de toto orbe Ecclesiam Hierusalem cœlestem congregat), pauci sunt, quia via angusta paucorum est, in unum tamen congregati quotquot existere potuerunt ex quo Evangelium prædicatur, et quotquot poterunt usque in finem sæculi per omnes gentes, adjunctis sibi etiam illis quamvis paucissimis, qui ex fide Domini per prophetiam ante ambos adventus ejus salutem gratiæ perceperunt, implent sanctorum beatissimum civitatis sempiternæ statum. Superbienti ergo populo lex posita est, ut quoniam gratiam charitatis, nisi humiliatus, accipere non posset, et sine hac gratia nullo modo præcepta legis impleret, transgressione humiliaretur, ut quæreret gratiam : nec se suis meritis salvum fieri, quod superbum est, opinaretur, ut esset non in sua potestate et viribus justus, sed in manu mediatoris justificantis impium. Per angelos autem ministrata est omnis dispensatio Veteris Testamenti agente in eis Spiritu sancto, et ipso verbo veritatis nondum incarnato, sed nunquam ab aliqua veridica administratione recedente : quia per angelos disposita est illa dispensatio legis, cum aliquando suam, aliquando Dei personam, sicut prophetarum etiam mos est, agerent, perque illam legem morbos ostendentem, non auferentem, etiam prævaricationis crimine contrita est superbia; dispositum est per angelos, sed in manu mediatoris, ut ipse liberaret a peccatis, jam per transgressionem legis coactos confiteri, opus sibi esse gratiam et misericordiam Domini, ut sibi peccata dimitterentur, et in nova vita per eum qui pro se sanguinem fudisset, reconciliarentur Deo. In istis enim erat per transgressionem legis confringenda superbia, qui gloriantes de patre Abraham, quasi naturalem se jactabant habere justitiam, et merita sua in circumcisione cæteris gentibus tanto perniciosius quanto arrogantius præferebant; gentes autem facillime etiam sine hujusmodi legis transgressione humiliarentur : homines enim nullam ex parentibus originem justitiæ se trahere prævidentes simulacrorum etiam servos invenit Evangelica gratia. Non enim sicut istis dici poterat, non fuisse illam justitiam parentum eorum in colendis idolis, quam esse arbitrabantur : ita etiam Judæis dici poterat falsam fuisse justitiam patris Abraham : itaque illis dicitur : *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, et ne dixeritis vobis, Patrem habemus Abraham : potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham* (*Matth.* III). Istis autem dicitur : « Propter quod memores estis, quia vos aliquando gentes in carne, qui dicimini præputium, ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manufacta, quia eratis illo tempore sine Christo, alienati a societate Israel, et peregrini testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. » Denique illic infideles de oliva sua fracti, hic autem fideles de oleastro in olivam illorum inserti esse monstrantur. Illorum ergo erat de legis transgressione atterenda superbia, sicut ad Romanos cum Scripturarum verbis peccata eorum exaggerasset : *Scitis autem*, inquit, *quoniam quæcunque lex dicit, his qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, et reus fiat omnis mundus Deo* (*Rom.* III); Judæi scilicet de transgressione legis et gentes de impietate sine lege : Unde et iterum ait : *Conclusit enim Deus omnia in incredulitatem, ut omnibus misereatur* : hoc et nunc dicit, refricans ipsam quæstionem. *Lex ergo adversus promissa Dei? Absit.* (Ambr.) Absit utique quia non est lex inimica promissionis, quippe cum confirmet eam; nam primus Moyses dixit : *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris* (*Deut.* XVIII). Hoc de Christo dictum Petrus apostolus probat in Actis apostolorum (*Act.* III): *Si enim data esset lex quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia.* Justitiam hanc dicit, quæ apud Deum imputatur justitia, id est fidei, quia et lex habuit justitiam, sed ad præsens, non quæ justificaret apud Deum : remittere enim peccata non potuit, ut de peccatoribus faceret justos : sed ad hoc data est, ut terrori esset, provocans homines ad bonam vitam, irreverentes puniens, ideoque non est data lex, quæ posset vivificare, sed condemnare.

Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Hunc sensum et ad Romanos posuit dicens : *Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur* (*Rom.* XI). Hoc dixit quod supra memoravi, quia lex ad hoc data est, ut peccatores reos se scirent apud Deum. Manifestatis enim peccatis suis conclusi sunt, ut se excusare non possent, sed quærerent misericordiam, ut veniens qui promissus fuerat Abrahæ, fidem solam ab eis posceret, quam habuit Abraham, ut malorum suorum veniam et justificationem mererentur. Hoc enim manifestaverat Deus per Isaiam prophetam dicens : *Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem a Jacob, et hoc erit illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum* (*Isa.* LIX). [Aug.] Quando audis promissionem, exspecta factorem. Idonea fuit humana natura per liberum arbitrium vulnerare se, sed jam vulnerata et sauciata, non est idonea per liberum arbitrium sanare se. Bona est lex si quis ea legitime utatur. Quid est ergo legitime uti lege? Per legem agnoscere morbum suum, et quærere ad sanitatem divinum adjutorium : quia sicut dixi : Si data esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia, nec quæreretur Salvator, nec veniret Christus, nec sanguine suo ovem perditam quæreret. Sic dicit alio loco idem Apostolus : *Nam si per legem*

Digitized by Google

justitia, ergo Christus gratis mortuus est (*Gal.* II). Non ergo lex data est, ut peccatum auferret, sed ut sub peccato omnia concluderet : lex enim ostendebat esse peccatum, quod illi per consuetudinem cæcati, possent putare justitiam, ut hoc modo humiliati cognoscerent, non in sua manu esse salutem suam, sed in manu mediatoris; maxime quippe humilitas revocat, unde nos dejecit superbia : et ipsa humilitas est accommodata percipiendæ gratiæ Christi, qui singulare humilitatis exemplum est. Nec quisquam hic tam imperite dixerit, Cur ergo non profuit Judæis quod per angelos legem ministrantes in manu mediatoris dispositi sunt? Profuit enim quantum dici non potest : quæ enim gentium Ecclesiæ venditarum rerum suarum pretia ad pedes apostolorum posuerunt? quod tot millia hominum tam repente fecerunt, nec turbæ infidelium considerandæ sunt, omnis enim area multis partibus ampliorem habet palearum partem, quam frumenti. Unde etiam autem illa ejusdem Apostoli verba ad Romanos, nisi de sanctificatione Judæorum : *Quid ergo? Nunquid repulit Deus plebem suam? Absit. Nam ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam quam præscivit* (*Rom.* XI). Cum autem laudaret præ cæteris Ecclesiis gentium Ecclesiam Thessalonicensium, similes eos factos dicit Ecclesiis Judææ, quia multa a contribulibus suis pro fide passi erant, quomodo et illi a Judæis. Hinc est et illud quod paulo ante commemoravi, quod ait ad Romanos : *Si enim spiritalibus eorum communicaverunt gentes, debent et in carnalibus ministrare eis* (*Rom.* XV).

Prius enim quam veniret fides, sub lege custodiebantur, conclusi in eam fidem quæ revelanda erat. Hoc est quod dicit, quia antequam veniret Salvator, sub legis custodia agebamus ne peccaremus, ut venienti promissione digni essemus. Hac enim spe lex tutos præstabat nos, ut venienti Christo offerret nos, id est Judæos. (*Hieron.*) Sicut mediator Dei et hominum, inter dantem et accipientem legem, medius fuit; sic lex ipsa quæ post repromissionem data est, inter repromissionem et completionem ejus media subrepsit, quæ non idcirco arbitranda est promissionem excludere, quia postea subsecuta eam, quæ prius fuit, videtur abolere; sed ex eo quod non potuit vivificare, nec id tribuere quod repromissio prima pollicita est, manifestum est in custodiam eam repromissionis, non in subversionem datam. Si enim data lex esset quæ posset præstare vitam, et id quod repromissio sponderat exhibere, vere promissio per legem putaretur exclusa. Nunc autem propter transgressiones, ut supra diximus, posita, magis eos arguit peccatores, quibus post repromissionem in custodiam, et, ut ita dicam, in carcerem data est, ut quia per arbitrii libertatem, noluerant innocentes exspectare promissum, legalibus vinculis præpediti, et in servitutem mandatorum redacti, custodirentur in adventum futuræ in Christo fidei, quæ finem repromissionis adferret. Nec vero æstimandum Scripturam, auctorem esse peccati, quia omnia sub peccato conclusisse dicatur, cum mandatum quod ex jure præcipitur, ostendat potius arguatque peccatum, quam sit causa peccati; quomodo et Judex non est auctor sceleris nequam homines vinciendo : sed concludit eos, et nocentes sententiæ suæ auctoritate pronuntiat, ut debitos pœnæ indulgentia postea si voluerit principalis absolvat. (*Aug.*) Ut enim tam prope invenirentur, et tam de proximo ad Deum, venditis suis rebus accederent, quod Dominus eis præcepit qui vellent esse perfecti, lege ipsa factum est, sub qua custodiebantur conclusi in eam fidem, id est, in adventum ejus fidei, quæ postea revelata est. Conclusio enim erat tum timor unius Dei, et quod prævaricatores ipsius legis inventi sunt, non ad perniciem, sed ad utilitatem valuit eis qui crediderunt. Cognitio enim majoris ægritudinis, et desiderari medicum vehementius fecit, et diligi ardentius : *Cui enim plus dimittitur, plus diligit* (*Luc.* VII).

Itaque lex pædagogus noster erat in Christo Jesu, ut ex fide justificemur. (Ambr.) Idem sensus est, quia sub cura legis eramus, donec veniret Christus, qui nos credentes justificaret. *At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Jesu.* Sub pædagogo qui agit, potestatis suæ non est. Parvulus enim et lubricus ad peccandum, sub pædagogi cura habetur. Veniente autem Christo, qui quasi de minoribus facit majores, liberati de potestate pædagogi, per ablutionem peccatorum facti sumus filii Dei, cum essemus servi peccati. (*Hieron.*) Pædagogus parvulis assignatur, ut lasciviens refrenetur ætas, et prona in vitia corda teneantur, dum tenera studiis eruditur infantia : et ad majores philosophiæ ac regendæ reipublicæ disciplinas metu pœnæ coercita præparetur. Non tamen pædagogus, magister et pater est, nec hæreditatem et scientiam pædagogi, is qui eruditur, exspectat : sed alienum custodit filium pædagogus, ab eo, postquam ille ad legitimum capiendæ hæreditatis tempus advenerit recessurus. Denique et nomen pædagogi hoc ipsum sonat, et est compositum a παῖς et ἄγω, quod pueros agat, id est, ducat; itaque et Moysi lex, populo lascivienti ad instar pædagogi severioris apposita est, ut custodiret eos, et futuræ fidei præpararet; quæ postquam venit et credidimus in Christum, jam non sumus sub pædagogo, tutor a nobis, curatorque discedunt, et legitimum ætatis tempus ineuntes, vere Dei Filii nominamur, cui nos generat non lex abolita, sed mater fides, quæ est in Christo Jesu. (*Aug.*) Qui sequitur litteram translata verba sicut propria tenet, neque illud quod proprio verbo significatur refert ad aliam significationem : sed si sabbatum audierit, verbi gratia, non intelligit nisi unum diem de septem, qui continuo volumine repetuntur, et cum audierit sacrificium, non excedit cogitatione illud, quod fieri de victimis pecorum terrenisque fructibus solet : quæ tamen servitus in

Digitized by Google

Judæo populo longe a cæterarum gentium more distabat, quandoquidem rebus temporalibus ita subjugati erant, ut unus in eis omnibus commendaretur Deus. Et quanquam signa rerum spiritalium pro ipsis rebus observarent, nescientes quo referrentur, id tamen insitum habebant, quod servitute tali, uni omnino quem non videbant, placerent Deo, quam custodiam tanquam sub pædagogo parvulorum fuisse scribit Apostolus, et ideo qui talibus signis pertinaciter inhæserunt, contemnentem ista Dominum, cum jam tempus revelationis eorum venisset, ferre non potuerunt, atque inde calumnias quod sabbato curaret moliti sunt. *Quicunque enim baptizati estis, Christum induistis.* (Ambr.) Hoc dicit, quia credentes, dum immutantur, Christum induunt, quando hoc appellantur quod credunt. *Non est Judæus, neque Græcus : non est servus, neque liber : non est masculus, neque femina : omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Nullam distantiam dicit credentium, ut nulli præjudicetur quid fuerit antequam crederet, omnibus enim his unum decretum est donum: apud Deum enim nulla discretio est personarum, nisi morum et vitæ : ut homines unius fidei meritis distinguantur, non personis. (*Hieron.*) Quod autem Christus sit indumentum, non solum de præsenti loco, verum etiam de alio comprobatur, Paulo eodem cohortante : *Induite vos Dominum Jesum Christum* (*Rom.* XIII). Si igitur qui in Christo baptizati sunt, Christum induerunt, manifestum est eos qui non sunt induti Christum, non fuisse baptizatos in Christo; ad eos enim qui fideles, et baptisma Christi consecuti putabantur, dictum est, *Induite vos Dominum Jesum Christum.* Si quis hoc corporeum, et quod oculis carnis aspicitur, aquæ tantum accipit lavacrum, non est indutus Dominum Jesum Christum. Nam et Simon ille de Actibus apostolorum, acceperat lavacrum aquæ, verum quia Spiritum sanctum non habebat, indutus non erat Christum: et hæretici vel hypocritæ, et hi qui sordide victitant, videntur quidem accipere baptismum, sed nescio an Christi habeant indumentum. Itaque consideremus, ne forte et in nobis aliquis deprehendatur, qui ex eo quod Christi non habet indumentum, arguatur non baptizatus in Christo. Cum autem quis semel Christum fuerit indutus, et missus in flammam Spiritus sancti ardore canduerit, non intelligitur aurum sit, an argentum; quandiu calor massam possidet, unus igneus color est, et omnis diversitas generis, conditionis et corporum aufertur istiusmodi vestimento : *Non est enim Judæus, neque Græcus.* Pro Græco, gentilem accipere debemus : quia Ἕλλην et Græcum et ethnicum utrumque significat. Nec Judæus idcirco melior est, quia circumcisus est, nec gentilis ideo deterior, quia præputium habet; sed pro qualitate fidei, vel Judæus, vel Græcus, melior sive deterior est. Servus quoque et liber non conditione separantur sed fide, quia potest servus libero esse melior, et liber servum in fidei qualitate prævertere. Masculus similiter et femina, fortitudine et imbecillitate corporum separantur : cæterum fides pro mentis devotione censetur, et sæpe evenit, ut et mulier viro salutis causa fiat, et mulierem vir in religione præcedat. Cum autem res ita se habeat, et tota diversitas generis, conditionis et corporum, Christi baptismate et indumento illius auferatur, omnes unum sumus in Christo Jesu, ut quomodo Pater et Filius in se unum sunt, ita et nos in ipsis unum simus. (*Aug.*) Nunquidnam igitur fideles feminæ sexum corporis amiserunt? sed quia ibi renovantur ad imaginem Dei, ubi sexus nullus est, ibi factus est homo ad imaginem Dei, ubi sexus nullus est, hoc est, in spiritu mentis suæ, omnes apud eam vestiti sunt. Nunquid de nuditate servorum suorum sollicitus erit vir ejus cum alicubi demoratur, habens conjugem talem? Quis est iste vir, nisi Christus? Aut conjux, nisi Ecclesia? Vestiti sunt et optime, quam optime, vultis nosse? *Quotquot in Christo baptizati estis*, vestiti estis, *Christum induistis.* Omnes omnino apud eam vestiti sunt qui Christum induerunt. Non tantum ad formam sacramenti, sed etiam in opere exempli, sequentes vestigia Domini sui. Induunt autem homines Christum, aliquando usque ad sacramenti perceptionem : aliquando et usque ad vitæ sanctificationem. Atque illud primum et bonis ac malis potest esse commune : hoc autem alterum proprium est bonorum ac piorum. *Itaque lex*, inquit, *pædagogus fuit noster in Christo.* Hoc est quod ait : *Sub lege custodiebamur, conclusi in ea : posteaquam venit fides, jam non sumus sub pædagogo.* Eos ergo non reprehendit qui faciunt irritam gratiam Christi, quasi enim nondum venerit qui vocaret in libertatem, sic adhuc volunt esse sub pædagogo. Quod autem, filios Dei dicit esse omnes per fidem, quia induerunt Christum, quicunque in Christo baptizati sunt, ad hoc valet ne gentes de se desperarent, quia non custodiebantur sub pædagogo : et ideo se filios non putarent, sed per fidem induendo Christum omnes fiunt filii : non natura sicut unicus filius, qui etiam sapientia Dei est, neque potentia et singularitate susceptionis ad habendam naturaliter et agendam personam sapientiæ, sicut ipse mediator, unum cum ipsa suscipiente sapientia sine interpositione alicujus mediatoris effectus; sed filii fiunt participatione sapientiæ, id præparante atque præstante mediatoris fide, quam fidei gratiam nunc indumentum vocat. Ut Christum induti sunt qui in eum crediderunt, et ideo filii Dei, fratresque ejusdem mediatoris effecti sunt, in qua fide non est distantia, Judæi neque Græci, non servi neque liberi, non masculi et feminæ. In quantum enim omnes fideles sunt, omnes unum sunt in Christo Jesu. Et si hoc facit fides, per quam in hac vita juste ambulatur, quanto perfectius atque cumulatius id species ipsa factura est, cum videbimus facie ad faciem : nam nunc quamvis primitias habentes spiritus, qui vita est propter justitiam fidei, tamen quia adhuc mortuum est corpus propter peccatum, differentia ista vel gentium, vel conditionis vel sexus jam quidem ablata est ab uni-

Digitized by Google

tate fidei, sed manet in conversatione mortali : ejusque ordinem in hujus vitæ itinere servandum esse, et apostoli præcipiunt, qui etiam regulas saluberrimas tradunt, quemadmodum secum vivant pro differentia gentis, Judæi et Græci, et pro differentia conditionis, domini et servi, et differentia sexus, viri et uxoris : vel si qua talia cætera occurrunt; et ipse prior Dominus, qui ait : *Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt* (*Matth.* XII; *Luc.* XX). Alia sunt enim quæ servamus in unitatem fidei sine ulla distantia, et alia in ordine vitæ hujus tanquam in via, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur. Et hoc non solum propter iram, ut effugiamus offensionem hominum, sed etiam propter conscientiam, ut non simulate quasi ad oculos hominum ita faciamus : sed pura dilectionis conscientia, propter Deum, *qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire* (*I Tim.* II).

Si autem vos unum estis in Christo Jesu, ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes. (Ambr.) Semen Abrahæ sunt omnes credentes, quia Abraham pater est omnium credentium. Et si filii sunt, necessario promissionis ejus hæredes, ut consequantur per fidem, quod promissum est Abrahæ, ut participes simus justificationis ejus in regno cœlorum. (*Hieron.*) Quia repromissiones ad Abraham et ad semen ejus factæ sunt, quod est Christus Jesus, consequenter hi qui Christi filii, id est, semen ejus sunt, semen quoque dicuntur Abraham, cujus sunt semen ex semine : verum quotiescunque Dominus noster Jesus Christus semen Abrahæ nominatur, corporaliter sentiendum est, quod ex ejus stirpe generetur; quoties autem nos, qui Salvatoris sermone suscepto credidimus in eum, et nobilitatem generis Abrahæ ad quem promissio est facta suscepimus, spiritaliter semen fidei et prædicationis accipere debemus. Deinde etiam hoc considerandum, quod quando de Domino loquitur, *Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus*, hoc est, Christo Jesu, repromissiones pluraliter ponat : quando vero de his qui per Christum semen sunt Abrahæ, singulariter repromissio nuncupetur, ut in præsenti loco : *Ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes.* Decens quippe erat, ut quod in Christo uno pluraliter dicebatur, id in multis hominibus singulariter poneretur. (*Aug.*) Superius enim dixerat : *Non dicit, et seminibus tanquam in multis, sed tanquam in uno, et semini tuo, quod est Christus*, hic ergo ostendit unum semen Christum, non tantum ipsum mediatorem intelligendum esse : verum etiam Ecclesiam, cujus ille corporis caput est, ut omnes in Christo unum sint et capiant secundum promissionem hæreditatem per fidem, in quam conclusus erat, id est, in cujus adventum tanquam sub pædagogo custodiebatur populus, usque ad ætatis opportunitatem : quia in libertatem vocandi erant qui in eodem populo secundum propositum vocati sunt, id est, qui in illa area frumentum inventi sunt.

CAPUT IV.

Ostendit Apostolus cessationem legalium per duas similitudines, interposita Galatarum ingratitudine.

Dico autem, quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit Dominus omnium; sed sub tutoribus et actoribus est, usque ad præfinitum tempus a patre. (Ambr.) Verum est quia jus patris ordinaverunt et usque ad quam ætatem subjectus debeat esse adultus statuerunt, ita ut quandiu parvulus est, libertate sua uti non possit, neque dominari, quasi hæres : sed similis prope servis in conditione est curatorum vel actorum. Hoc exemplo probat eos qui sub lege fuerunt, parvulos fuisse circa meritum, nec libertatem habuisse, quia in conditione legis erant subjecti causa peccati. *Ita et nos cum essemus parvuli, sub elementis hujus mundi eramus servientes.* In elementis, Neomenias significat et sabbatum : Neomeniæ enim, dies sunt lunares, quos observant Judæi, Sabbatum vero dies requietionis. Antequam veniret ergo promissio, id est, donum gratiæ Dei purificans justificaret credentes, quasi imperfecti et parvuli per legem Dei subjecti eramus conservis, quasi pædagogis : libertas enim nostra obnoxia erat causa peccati. Nihil tamen de elementis sperabant Judæi sicut et pagani, sed creatorem Deum venerabantur in creatura. (*Hieron.*) *Hæres* iste *parvulus* qui *nihil differt a servo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus et actoribus est, usque ad præfinitum tempus a patre*, totum humanum genus usque ad adventum Christi, et, ut amplius dicam, usque ad mundi consummationem significat. Quomodo enim omnes in protoplasto Adam necdum nati moriuntur : ita etiam omnes hi qui ante adventum Christi nati sunt, in secundo Adam vivificantur. Atque ita fiet, ut et nos legi servierimus in patribus, et illi gratia salventur in filiis. Iste intellectus Ecclesiæ Catholicæ convenit, quæ Veteris et Novi Testamenti unam asserit providentiam, nec distinguit in tempore, quos conditione sociavit. Omnes ædificati sumus super fundamentum apostolorum et prophetarum, continente nos angulari lapide Jesu Christo Domino nostro, qui fecit utraque unum, et medium parietem dissipans, inimicitiam utriusque populi in sua carne destruxit, et antiquæ legis difficultatem Evangelicorum dogmatum integritate mutavit. Tutores autem et actores possunt et prophetæ accipi, quorum verbis quotidie in adventu Salvatoris erudiebamur, sicut pædagoga Moysi lex supra edisserta est. Et angeli parvulorum qui quotidie vident faciem Patris, et interpellant pro eis, de quibus dictum est : *Immittet angelum Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos* (*Psal.* XXXIII). Possunt intelligi et sacerdotes et principes, qui tum populo dominati, nunc formam præbere censentur. Recte hi sub tutoribus esse dicuntur, qui habentes spiritum timoris, necdum meruerunt spiritum libertatis et adoptionis accipere : Ætas enim infantiæ ad peccata formidat, pædagogum metuit, non confidit esse se liberam, licet per natu-

Digitized by Google

ram nomina sit. Et secundum utramque intelligentiam, qua tutores et actores, vel prophetas, vel angelos diximus, parvulus iste tandiu sub actoribus est atque tutoribus, donec legitimum perfecti viri tempus impleverit. Legitimum autem tempus, sicut Romanis legibus viginti quinque annorum spatio terminatur, ita ad humani generis perfectionem, Christi reputatur adventus, statim ut ille venerit, et omnes in virum perfectum creverimus, pædagogus a nobis tutorque discedunt. Tunc auctoritate Domini et hæreditatis possessione perfruemur, in qua prius nati, quodammodo putabamur alieni. *Ita et nos*, inquit, *cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes.* Elementa mundi, eosdem quos supra tutores et actores dixerat, appellavit: quod sub ipsis primum præsidibus constituti, quia necdum Dei Filii capere ad nos poteramus adventum, erudiebamur in medio. Nonnulli eos esse angelos arbitrantur, qui quatuor mundi elementis præsideant, terræ videlicet, aquæ, igni et aeri, et necesse esse, ut priusquam quis credat in Christo, illis arbitris gubernetur. Elementa mundi, cœlum et terram, et ea quæ intra hæc sunt, plerique appellata putant, quod videlicet solem, lunam, maria, silvarum et montium deos et sapientes Græciæ, et barbaræ nationes, Romanique, omnium superstitionum sentina, venerentur, a quibus cum Christus venerit liberamur: intelligentes ea creaturas esse, non numina. Alii elementa mundi, legem interpretantur Moysi, et eloquia Prophetarum, quod per hæc quasi initia, et exordia litterarum, Dei timorem, qui sapientiæ principium est, suscipiamus. Denique ad eos, qui jam deberent esse perfecti, et veritate neglecta adhuc disciplinarum principiis inhærebant, scribit in Epistola ad Hebræos Apostolus: *Etenim cum debueretis esse magistri propter tempus, rursum necesse habetis ut doceamini quæ sint elementa principii sermonum Dei* (*Hebr.* v). [Aug.] Quæri autem potest quomodo secundum hanc similitudinem, sub elementis hujus mundi fuerunt Judæi, cum illis per legem quam acceperunt, unus Deus qui fecit cœlum et terram colendus commendaretur: sed potest esse alius exitus capituli hujus, ut cum superius legem pædagogum fecerit, sub quo erat ille populus Judæorum, nunc procuratores et actores dicat elementa mundi, sub quibus serviebant gentes, ut filius ille parvulus, id est, populus, propter unam fidem ad unum semen Abrahæ pertinens, quia et de Judæis et de gentibus congregatus est, partim fuerit sub pædagogo legis tempore pueritiæ suæ, id est, ex ea parte qua de Judæis congregatus est: partim sub elementis hujus mundi, quibus tanquam procuratoribus et actoribus serviebat, ex ea parte qua de gentibus congregatus est, ut quod miscet Apostolus personam suam, non dicens: Cum essetis parvuli sub elementis hujus mundi eratis, sed dicens: *Cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes*, non pertineat ad significationem Judæorum, ex quibus Paulus originem ducit, sed magis ad gentium, hoc duntaxat loco, qui et eorum personæ decenter se potest annectere, quibus ad evangelizandum missus est. Deinde jam dicit, veniente plenitudine temporis, Deum misisse Filium suum ad liberandum parvulum hæredem servientem ex parte legi tanquam pædagogo, ex parte elementis hujus mundi, tanquam procuratoribus et actoribus.

At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. (Ambr.) Plenitudo temporis est completum tempus quod præfinitum fuerat a Deo Patre, quando mitteret Filium suum, ut ex virgine factus quasi homo nasceretur, subjiciens se legi usque ad tempus baptismi, ut formam daret quomodo peccatores abluti, et a jugo legis erepti, dignatione Dei, filii ejus adoptarentur, sicut promiserat, redempti sanguine Filii ejus. Salvatorem autem necesse erat fieri sub lege, quasi filium Abrahæ juxta carnem, ut circumcisus appareret is esse, qui promissus Abrahæ, venerat gentes justificare, per fidem, signum habens ejus cui promissus fuerat: ideo ultra neminem oportuit circumcidi, quia tandiu cucurrit signum, quoadusque veniret qui promissus fuerat restaurare fidem, in qua justificatus est Abraham in præputio, ut credentibus non opus sit circumcisio; Abraham autem ideo circumcisus est, quia filium se credidit habiturum, in quo omnes gentes benedicerentur. (*Hieron.*) Diligenter attendite, quod non dixerit, factum per mulierem, quod Marcion et cæteræ hæreses volunt, quæ putativam Christi carnem simulant; sed *ex muliere*, ut non per illam, sed ex illa natus esse credatur. Quod autem sanctam et beatam matrem Domini, mulierem, non virginem nominavit, hoc idem et in Evangelio κατὰ Matthæum scriptum est, quando uxor appellatur Joseph, et ab ipso Domino quasi mulier increpatur: non enim necesse erat semper quasi caute et timide virginem dicere, cum mulier sexum magis significet, quam copulam viri. Quomodo sub lege factus est, ut eos qui sub lege erant redimeret: sic propter illos qui nati fuerant ex muliere, ex muliere nasci voluit. Nam et baptismum in Jordanis fluento idcirco quasi pœnitens, cum esset a peccatis liber, accepit, ut cæteros edoceret mundandos esse per baptismum, et in filios nova spiritus adoptione generari. Quod nequaquam intelligens Joannes Baptista, eum ad lavacrum prohibebat accedere, dicens: *Ego a te debeo baptizari* (*Matth.* III), et statim sacramentum docetur: *Sine modo, sic enim nos decet adimplere omnem justitiam* (*Marc.* I; *Joan.* I), ne qui ob hominum salutem venerat, aliquid de conversatione hominum præteriret (*Aug.*) Sed offendit, *factum ex muliere*, quia natum confitemur ex virgine, factum non confitemur nisi hominem: Deus autem semper faciens est, fieri nescit ut sit, fieri nescit Deus, sed fit ut aliquid alicui sit, quomodo dicitur: *Domine, refugium factus es nobis* (*Psal.* LXXXIX); Et: *Dominus factus est auxiliator meus* (*Psal.* XXIX). Quando

Digitized by Google

factus qui nunquam est factus? Dominus autem Christus homo factus est, ut esset, ut qui creator semper erat, creatura esset. Manens enim Deus, factus est homo, ut fieret quod non erat, non ut periret quod erat. Hoc ergo de virgine quod factum est, quare ex muliere? Quod apud Hebræos, ubi est prima lingua Scripturæ, mulier nomen est significandi sexus, non amissæ integritatis. Lege quando mulier formata est. *Extraxit*, inquit Deus, *unam e costis ejus*, id est, viri, *et ædificavit eam in mulierem*. Sic mulier Maria, sic ei dictum est antequam pareret, antequam conciperet : *Beata tu inter mulieres* (*Luc.* 1). Cum itaque ait : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*, satis ostendit eo ipso missum Filium quo factus est ex muliere. Quod ergo de Deo natus est, in hoc mundo erat : quod autem de Maria, natus est in hunc mundum, missus advenit. Itaque cum sine ullo initio temporis, in principio esset verbum, et verbum esset apud Deum, et Deus esset verbum, sine ullo tempore in verbo ipso erat, quo tempore verbum caro fieret et habitaret in nobis. Quæ plenitudo temporis cum venisset, *misit Deus Filium suum factum ex muliere*, id est factum in tempore, ut incarnatum verbum hominibus appareret. (*Hieron.*) Alius vero ipsum verbum, *redimeret*, acutius intuebitur, et dicet, eos significari redemptos, qui primum de Dei parte fuerint, et postea esse cessaverint : illos vero qui sub lege non fuerint, non tam redimi quam emi, unde et ad Corinthios, in quibus audiebatur fornicatio et talis fornicatio quæ neque inter gentes quidem, scribitur : *Pretio empti estis* (*I Cor.* VII), non redempti, sub lege quippe non fuerant. (*Aug.*) Ecce ad hoc venit Christus ut eos qui sub lege erant redimeret, ut jam non simus sub lege, sed sub gratia. Quis ergo dedit legem? ille dedit legem, qui dedit et gratiam : sed legem per servum misit, cum gratia ipse descendit. Et unde facti erant homines sub lege? non implendo legem. Qui ergo legem implet, non est sub lege, sed cum lege : qui autem sub lege est, non sublevatur, sed premitur lege. Omnes itaque homines sub lege constitutos, reos facit lex, et ad hoc illis super caput est, ut ostendat peccata, non tollat. Et quoniam suis viribus implere non poterant legem, facti rei sub lege imploraverunt liberatoris auxilium, et reatus legis fecit ægritudinem superbis, ægritudo superborum facta est confessio humilium. Jam confitentur ægroti quia ægrotant, ut veniat medicus et sanet ægrotos. Medicus quis? Dominus noster Jesus Christus. Adoptionem propterea dicit, ut distincte intelligamus unicum Dei filium; nos enim beneficio et dignatione misericordiæ ejus, filii Dei sumus. Ille natura est filius, qui hoc est, quod Pater. Nec dixit accipiamus, sed recipiamus, ut significaret hoc nos amisisse in Adam, ex quo mortales sumus. Hoc ergo quod ait : *ut eos qui sub lege erant redimeret*, et ad liberandum eum populum pertinet, qui parvulus sub pædagogo serviebat, et refertur ad id quod dixit, *factum sub lege*. Illud autem quod ait, *ut adoptionem filiorum recipiamus*, refertur ad id quod dixit, *factum ex muliere*. Hinc enim adoptionem recipimus quod ille unicus non dedignatus est participationem naturæ nostræ, factus ex muliere ut non solum unigenitus esset, ubi fratres non habet, sed etiam primogenitus in multis fratribus fieret. Duo enim proposuit, *factum ex muliere*, et, *factum sub lege*, sed mutato ordine, respondit, jam illum populum adjungens, qui parvulus sub procuratoribus et actoribus serviebat, id est, elementis hujus mundi, ne putarent se non esse filios, quia non erant sub pædagogo.

Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem : Abba, Pater. (Ambr.) Ab his cœpit quibus et scribit dicens : *Quoniam autem estis filii Dei*, et subjungit Judæos, dum ait : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra*. Quando autem gentes dixit filios Dei credentes in Christum, quæ prius fuerant inimicæ, dubium non erat Judæos credentes dici filios Dei, quos constat jam pridem hoc nomine nuncupatos : nomen enim olim acceperunt, velut in imagine, ut postea confirmaretur per Christum, quia sine spiritu non erat plenum. Hoc est quod dicit et ad Romanos : *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei* (*Rom.* VIII); ut enim probaremur adoptati esse a Deo in filios, spiritum suum dedit nobis, qui signum patris ostendat in filios, ut quia hoc non auderemus dicere in infirmitate et indignitate nostra, suggerat, ut audeamus dicere, *Abba*, quod est *Pater*, denique Judæis hoc jam dudum non est concessum dicere. (*Hieron.*) Manifeste apostolus Paulus tres spiritus nominat : Spiritum Filii Dei ut in præsenti loco, *misit Spiritum Filii sui in corda nostra*; et Spiritum Dei, ut in illo : *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt* (*Rom.* VIII); et Spiritum sanctum, ut ibi : *Corpora vestra templum sancti Spiritus sunt, qui est in vobis* (*I Cor.* VI). Alium autem Spiritum sanctum esse quam Filium Dei, manifestissime in Evangelio comprobatur : *Qui dixerit verbum contra Filium hominis, dimittetur ei : quicunque autem dixerit contra Spiritum sanctum, nec hic nec in futuro dimittetur ei* (*Luc.* XII). De quinquagesimo psalmo tres spiritus nominatos breviter ostendam, Propheta dicente : *Cor mundum crea in me, Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.* Principalem Spiritum, Patrem appellat, quia Filius ex Patre, et non Pater ex Filio; Spiritum autem rectum, veritatis atque justitiæ, Christum Dominum significat; quia *Pater omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V). Et est in Psalmis : *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis* (*Psal.* LXXI). Porro Spiritum sanctum aperto nomine vocat : quæ quidem cum vocabulis personisque dissentiant, substantia naturaque sociata sunt, et indifferenter idem Spiritus ob naturæ societatem, nunc Patris dicitur

Digitized by Google

esse, nunc Filii. Argumentum autem quo adserere conatur, nos jam non esse sub lege, sed sub gratia Domini Jesu, tali fine concludit. Superius dixerat, *ut adoptionem filiorum reciperemus :* nunc Dei esse nos filios, ex spiritu probat quem habemus in nobis. Nunquam enim, inquit, auderemus dicere : *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum,* nisi de conscientia Spiritus habitantis in nobis, et magna sensuum et dogmatum voce clamante : *Abba Pater.* Abba, Hebraicum est, idipsum significans quod Pater, et hanc consuetudinem in pluribus locis Scriptura conservat, ut Hebraicum verbum cum interpretatione sua ponat. Notandum etiam quia clamor in Scripturis non magnæ vocis emissio, sed scientiæ intelligatur, et dogmatum magnitudo : nam et in Exodo respondit Dominus ad Moysen : *Quid clamas ad me?* (*Exod.* XIV) cum penitus Moysi vox nulla præcesserit ; verum compunctum cor, et pro populo lacrymabiliter ingemiscens, Scriptura clamorem vocavit. Quomodo igitur qui Spiritum Filii Dei habet, Filius Dei est ; sic in reciprocum, qui Spiritum Filii Dei non habet, Dei Filius non potest appellari. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus : Abba, Pater* (*Rom.* VIII). [Aug.] Ecce hic non dixit quod ipse Spiritus clamet orando, sed, *in quo clamamus, Abba, Pater.* Alio tamen loco ait : (*Gal.* IV) *Quoniam filii estis, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem Abba Pater,* non hic ait, *in quo clamamus,* sed ipsum Spiritum clamantem dicere maluit, quo efficitur ut clamemus. Sicut sunt illa : *Ipse Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus ;* et : *Spiritus Patris vestri est qui loquitur in vobis.*

Itaque jam non est servus, sed filius. (Ambr.) Non est servus, quia sublatus de potestate legis, socius factus est benedictionis proprii filii Dei. *Quod si filius, et hæres per Deum.* Dubium non est, quia ideo quis adoptat sibi filium, ut hæredem illum relinquat : sed hæreditas ex morte alicujus provenit : quid est ergo ut mortales ejus hæredes dicantur, qui semper vivit? Sed Scriptura more nostro loquitur, ut intelligere possimus ; ut enim ostendat daturum patrem filiis de bonis suis, hæc quæ daturus est hæreditatem appellat. (*Hieron.*) Quod autem in hoc loco dicimus, in cæteris quoque observare debemus, de toto genere hominum singulari numero disputari. Omnes enim credentes unum sumus in Christo Jesu, et membra corporis ejus : et in perfectum virum redacti, illum habemus caput, quia *caput viri Christus est.*

Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui natura non sunt Dii, serviebatis. (Ambr.) Quoniam prius per ignorantiam peccabant, idolis serviente, facile illis ignotum significat, sicut dicit in Genesi Abimelech ad Deum : *Domine,* inquit, *nunquid gentem ignorantem perdes?* (Aug.) Satis probabile est etiam superius de gentibus dictum, quod sub elementis hujus mundi erant servientes, tanquam sub procuratoribus et actoribus. Nam ipsa elementa utique non sunt naturaliter dii sive in cœlo sive in terra ; A quemadmodum *multi dii et domini multi, sed nobis unus Deus Pater, per quem omnia et nos in ipso, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (*I Cor.* VIII). Cum autem dicit, *his qui naturaliter non sunt dii servistis,* satis demonstrat unum verum Deum natura esse Deum, quo nomine, Trinitas fidelissimo et catholico gremio cordis accipitur. Eos autem qui natura non sunt dii, propterea superius procuratores actoresque appellat, quia nulla creatura est, sive quæ in veritate manet, dans gloriam Deo : sive quæ in veritate non stetit, quærens gloriam suam. Nulla ergo creatura est quæ, velit nolit, non divinæ providentiæ serviat, sed volens facit cum ea quod bonum est ; de illa vero quæ hoc non vult, fit quod justum est. Nam si etiam ipsi B prævaricatores angeli cum principe suo Diabolo non recte dicerentur procuratores vel actores divinæ providentiæ, non Dominus magistratum hujus mundi Diabolum diceret, nec uteretur illo ad correptionem hominum ipsa potestas apostolica, eodem Paulo alibi dicente (*I Tim.* I) ; *quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare ;* et alio loco (*I Cor.* V), ad salutem, ait enim : *Ego quidem sicut absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi quasi præsens eum qui sic operatus est in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum potentia Domini nostri Jesu Christi, tradere ejusmodi Satanæ in interitum carnis ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu.* Sed magistratus sub tanto imperatore non facit, nisi quantum illi permittitur, C et procuratores actoresque hujus mundi nihil faciunt, nisi quantum Dominus sinit. Non enim latet eum aliquid sicut hominem, aut in aliquo est minus potens, ut procuratores atque actores qui sunt in ejus potestate aliquid, ipso sive non permittente, sive nesciente, in subjectis sibi pro suo gradu rebus efficiant. Non eis tamen rependitur quod de ipsis juste fit, sed quo animo ipsi faciunt : quia neque liberam voluntatem rationali creaturæ suæ Deus negavit, et tamen potestatem quæ etiam injustos juste ordinat, sibi retinuit. Quem locum latius et uberius in aliis libris tractavimus. Sive ergo solem et lunam, et sidera, et cœlum, et terram cæteraque hujusmodi, gentes colebant, sive dæmonia, recte sub procuratoribus et actoribus fuisse intelliguntur. Verumtamen D ea quæ sequuntur, jam quasi explicatam quæstionem rursus implicant. Cum enim per totam Epistolam non ab aliis ostendat sollicitatam fuisse Galatarum fidem, nisi ab eis qui ex circumcisione erant, et ad carnales observationes legis, tanquam in eis salus esset, adducere cupiebant ; hoc tantum loco ad eos loqui videtur qui ad gentilium superstitiones redire tentarent.

Nunc autem cum cognoveritis Deum, imo cogniti sitis a Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis? (Ambr.) Grave illorum admissum adnotat, quia post cognitionem Dei, ea quæ paganorum sunt sequi cœperant, et plus addidit : « Quia non isti cognoverunt Deum, sed magis cogniti a Deo sunt. » Cum

Digitized by Google

enim hi non quærerent Deum, advocavit eos ad suam gratiam, et hi ingrati ad ea converti cœperant, quæ tunc colebant quando ignorabant Deum, ut venerarentur infirma et egena elementa, et non tota mente Christum in quo omnis inhabitat divinitas. Infirma et egena dicit elementa, quia imperfecta sunt; ad regendum enim mundum invicem egent sui : in Christo enim perfecta salus est. (*Hieron.*) Puto itaque quandiu quis parvulus est, nec statutum tempus a patre implevit, ut filius et hæres appellari queat, sub elementis eum mundi, lege videlicet esse Moysi. Cum autem post libertatem, adoptionem et hæreditatem filio debitam rursum reversus fuerit ad legem, circumcidi volens et totam Judaicæ superstitionis litteram sequi; tunc, quæ prius ei mundi tantum fuerant elementa, infirma quoque et egena dicuntur exordia. In tantum enim nihil prosunt cultoribus suis, ut ne hoc quidem eis exhibere valeant, quod ante præstiterant, Hierosolyma, templo, altarique destructis. Respondeat aliquis et dicat : Si lex et præcepta quæ in lege conscripta sunt, infirma et egena elementa sunt, et hi qui cognoverunt Deum, magis autem cogniti sunt ab eo, legem observare non debent, ne incipiant non tam Deum colere, a quo cogniti sunt, quam ad eos reverti qui natura non sunt dii; aut legem observaverunt Moyses et prophetæ, et non cognoverunt Deum, nec cogniti sunt ab eo : aut si cognoverunt Deum, mandata legis minime compleverunt; quod utrumque periculosum est dicere : aut illos non fecisse quæ legis sunt, et sic cognovisse Deum : aut non cognovisse Deum, dum infirma, et egena legis elementa custodiunt. Quod quidem sic solvi potest, ut dicamus illos quomodo Paulus factus est Judæis Judæus, ut Judæos lucrifaceret; et in Cenchris ex voto comam totondit, et nudipedalia atque calvitium Hierosolymis in templo exercuit (*Act.* x), ut eorum sedaret invidiam qui catbechizati de eo fuerant, quod contra legem Moysi et Deum faceret prophetarum : ita et sanctos viros fecisse quidem ea quæ legis erant, sed sensum magis legis secutos esse, quam litteram, qui non minus quam Abraham, sublato de facie velamento, cupierunt videre diem Christi, et viderunt et lætati sunt (*Joan.* viii), facti infirmo populo infirmi, ut infirmos lucrifacerent : et his qui sub lege erant, quasi essent ipsi sub lege, ut eos ab idolis quibus in Ægypto assueverant, separarent. Lex Moysi quæ ante Evangelium dives et opulenta et clara fuit, post adventum Christi, ad comparationem ejus quasi infirma et egena, imminuta atque destructa est ab eo qui major fuit Salomone, et templo, et Jona (*Matth.* xii). Alias autem, infirma et egena elementa Judæorum traditiones, et secundum litteram vilem intelligentiam confirmabimus, quæ sunt justificationes non bonæ, et præcepta non bona; robusta quippe et dives est legis intelligentia spiritalis, ita ut aut penitus elementum non debet appellari; aut elementum quidem sit comparatione futuri sæculi et vitæ in Christo Jesu, qua

A nunc vivunt angeli, supernæ que virtutes; sensui vero Judaico comparata, non tam elementum, hoc est, initium, quam perfectio nuncupatur. Quod autem ait : « Nunc vero cognoscentes Deum, magis autem cogniti ab eo; » illud ostendit, quod post idolorum cultum, Deum intellexerint Galatæ, vel potius ipsi cognitione ejus digni sint judicati; non quod Deus creator omnium aliquid ignoret, sed quod eos tantum scire dicatur, qui errorem pietate mutaverint : *Cognoscit enim Dominus qui sunt ejus* (*II Tim.* ii). Et Salvator in Evangelio : *Ego sum*, ait, *Pastor bonus, et cognosco meas et cognoscunt me meæ* (*Joan.* x); contra ad impios : *Nescio vos, recedite a me, operarii iniquitatis* (*Luc.* xiii); et ad stultas virgines : *Nescio vos*, quæ sitis (*Matth.* xxv).

B *Dies observatis et menses et tempora et annos.* (Ambr.) Quæ elementa dixerit nunc declaravit; diem sol facit, menses cursus lunæ; tempora vero sunt ver, æstas, autumnus, hiems, quatuor hæc, completo numero proprio faciunt annum. Dies ergo observant qui dicunt, ut puta : Crastino proficiscendum non est, post crastinum enim non debet aliquid inchoari, et sic solent magis decipi. Hi autem colunt menses, qui cursus lunæ perscrutantur dicentes, ut puta, Septima luna instrumenta confici non debent. Nona iterum luna ut puta, emptum servum domum duci non oportet. Et per hæc facilius solent adversa provenire. Tempora vero sic observant cum dicunt : Hodie veris initium est, festivitas est,

C post cras Vulcanalia sunt; et talia iterum aiunt : Posterum est, domum egredi non licet. Annos sic colunt cum dicunt : Kalendis Januariis novus est annus : quasi non quotidie anni impleantur, sed ut illius memoriam recolant Jani bifrontis, hac superstitione utuntur, quæ longe debet esse a servis Dei. Si enim Deus ex toto corde diligatur, ipso propitio nulla debet esse formido, neque suspicio harum rerum. Aliter : (*Hieron.*) Qui non adorat Patrem in spiritu et veritate, nescit sabbatismum sanctis repositum, de quo loquitur Deus : *Si introierit in requiem meam* (*Psal.* xciv); et non de illis temporibus recordatur de quibus scriptum est : *Recordamini dierum sæculi* (*Isa.* xlvi); et alibi : *Memoratus sum dies antiquos, et annos æternos in mente habui* (*Psal.*

D lxxvi). Dies Judaicos observat, et menses, et tempora, et annos : dies, ut sabbati, neomeniæ, et a decima mensis primi usque ad quartam decimam, que agnus corporeus victimæ reservatur : et a quarta decima usque ad vicesimam primam ejusdem mensis, quando azyma comeduntur, non sinceritatis et veritatis (*I Cor.* v), sed in fermento veteri malitiæ et nequitiæ Pharisæorum. Septem quoque septimanas, qui ritu Judaico post azyma computat, dies Istaeliticæ Pentecostes colit. Nec non clangorem tubarum mense septimo, prima mensis. Decima quoque ejusdem mensis expiationem et jejunium, et scenopegias ex more figentes, Judaicos observant dies. Menses autem custodiunt, qui primum et septimum mensem, non intelligentes mysterium veritatis, obser-

Digitized by Google

vant. Tempora quoque colunt, qui ter per annos singulos Hierosolymam venientes, putant se Domini implere præceptum dicentis : *Tribus temporibus anni diem festum agetis mihi, solemnitatem azymorum, et solemnitatem messis primitivorum, et solemnitatem consummationis in exitu anni* (*Exod.* XXIII). Et alibi : *Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui* (*Exod.* XXXIV). Quod autem ait, *et annos*, puto de septimo remissionis anno dici, et de quinquagesimo, quem illi jubilæum vocant. Dicat aliquis : Si dies observare non licet, et menses, et tempora, et annos, nos quoque simile crimen incurrimus, quartam Sabbati observantes, et parasceven, et diem Dominicam, et jejunium quadragesimæ, et Paschæ festivitatem, et Pentecostes lætitiam, et pro varietate regionum, diversa in honore martyrum tempora constituta. Ad quod qui simpliciter respondebit, dicet, non eosdem Judaicæ observationis dies esse, quos nostros. Nos enim non azymorum pascha celebramus, sed resurrectionis et crucis. Nec septem juxta morem Israel numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritus sancti veneramur adventum. Et ne inordinata congregatio populi, fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter veniremus; non quod celebrior sit dies illa qua convenimus; sed quod quacunque die conveniendum sit, et aspectu mutuo lætitia major oriatur. Qui vero oppositæ quæstioni acutius respondere conatur, illud affirmat : Omnes dies æquales esse, nec per parasceven tantum Christum crucifigi, et die Dominica resurgere, sed semper sanctæ resurrectionis esse diem, et semper eum carne vesci Dominica : jejunia autem et congregationes inter dies, propter eos, a viris credentibus constituta, qui magis sæculo vacant, quam Deo, nec possunt, imo nolunt toto in Ecclesiam vitæ suæ tempore congregari : et ante humanos actus Deo orationum suarum offerre sacrificium. Quotus enim quisque est, qui saltem hæc pauca, quæ statuta sunt, vel orandi tempora vel jejunandi semper exerceat? Itaque sicut nobis licet vel jejunare semper vel semper orare, et diem Dominicam accepto Domini corpore indesinenter celebrare gaudentibus; non ita et Judæis fas est omni tempore immolare agnum, Pentecostem agere, tabernacula figere, jejunare quotidie. (*Aug.*) Sunt quædam quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim æstimaretur, quam magnum peccatum sit dies observare et menses et annos et tempora, sicut observant, qui certis diebus, sive mensibus, sive annis, volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora? nisi hujus mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait :

Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis. (Ambr.) Duplici genere subversi fuerant Galatæ, ut post Dei gratiam, non solum ad legem converterentur, sed ad errores pristinos. Inducti enim vel eversi, A in legem facile declinarant ad observantiam dierum et mensium, sabbati enim observantia et neomeniarum attraxerunt illos ad hæc : ideoque, « timeo, inquit, vos ne sine causa laboraverim in vobis; » sic enim videbat eos in pejus proficere, ut possent etiam a Christo penitus recedere. (*Hier.*) Satis vero caute inter auctoritatem Apostoli et sancti hominis lenitatem, verba moderatus est, inferens : *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis;* si enim abrupte condemnare voluisset, dixisset utique : *Timeo vos, sine causa enim laboravi in vobis.* Nunc autem videns eos zelum Dei habere, sed non secundum scientiam (*Rom.* X), nec penitus eorum desperavit salutem. qui pio fuerant errore decepti : nec rursum irreprehensos reliquit, ne et ipsis perseverandi in errore, et cæteris occasionem similiter tribueret errandi. *Timeo* autem *vos*, posuit pro eo quod est, timeo de vobis. Sine causa laborat magister, cum ipse provocat ad majora discipulos, et illi retrolapsi, ad minora et humilia revolvuntur. (*Aug.*) Plena sunt conventicula nostra hominibus, qui tempora rerum agendarum a mathematicis accipiunt. Jam vero ne aliquid inchoetur, aut ædificiorum aut hujusmodi quorumlibet operum, diebus, quos Ægyptiacos vocant, sæpe etiam nos monere non dubitant, nescientes, ut dicitur, ubi ambulant. Quod si locus iste de Judæorum superstitiosa observatione intelligendus est, quam spem habent cum Christianos se dici velint, ex ephemeridis vitam naufragam gubernantes, quando de divinis Libris quos Deus adhuc carnali populo dedit, si more Judæorum tempora observarent, diceret eis Apostolus : *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis;* et tamen si deprehendatur quisquam vel catechumenus Judaico ritu Sabbatum observans, tumultuatur Ecclesia. Nunc autem innumerabiles de numero fidelium cum magna confidentia in faciem nobis dicunt : Die post Kalendas non proficiscor; et vix lente ista prohibemus, arridentes, ne irascantur, et timentes ne quasi novum aliquid mirentur. Væ peccatis hominum quæ sola insuetata exhorrescimus· usitata vero pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamlibet magna sint, et omnino claudi contra se faciant regnum Dei, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando, nonnulla etiam facere cogimur; atque utinam, o Domine, non omnia quod non potuerimus prohibere, faciamus! Sed jam videamus quæ sequuntur, sane præterieramus quod dictum est : *Nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti a* Deo. Videtur enim certe hoc loco etiam Apostolica locutio congruere velle infirmitati hominum; neque tantummodo in Veteris Testamenti libris, usque ad terrenas hominum cogitationes, modus divini eloquii descendisse videatur. Nam quoniam correxit quod dixerat, *Cognoscentes Deum*, nihil nos movere debet : manifestum est enim quandiu per fidem ambulamus, non per speciem, nondum nos cognovisse Deum, sed ea fide purgari, ut opportuno tempore cognoscere valeamus. Sed quod in ipsa correctione

Digitized by Google

ait; *imo cogniti a Deo*, si proprie accipitur, putabitur Deus quasi ex tempore aliquid cognoscere, quod ante non noverat. Translate ergo dictum est, ut oculos Dei accipiamus ipsam dilectionem ejus, quam commendavit mittendo pro impiis occidendum unicum Filium. Sic enim de his qui diliguntur dicere solemus, quod ante oculos habeantur. Hoc est ergo *cognoscentes Deum*, *imo cogniti a Deo*, quod et Joannes dixit: *Non quod nos dilexerimus Deum, sed quia ipse dilexit nos* (*I Joan.* IV).

Estote sicut et ego, quia et ego sicut vos. (Ambr.) Hoc dicit ut dent operam corrigendi ea, quia non est impossibile ut sint sicut ipse, quia et ipse erat hoc, id est, homo, quod et illi; et cum fuisset in errore persequens Ecclesiam, correptus convertit se. (*Hier.*) Quod dicit tale est: quomodo ego vobis infirmis sum factus infirmus, et non potui loqui ut spiritalibus, sed quasi carnalibus et parvulis in Christo, et quia necdum poteratis solido cibo vesci, Evangelico tantum lacte potavi, nolens in ætate vos semper infantiæ permanere, sed paulatim ad adolescentiam, et juventutem usque perducere, ut solidum cibum possetis accipere: ita et vos debetis esse sicut ego sum: perfectiora videlicet sapere, dimisso lacte, ad fortiores cibos et ad pabula transire majora. Hoc autem loquitur quasi Salvatoris imitator, *qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed seipsum exinanivit formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo* (*Phil.* II), ut nos dii fieremus ex hominibus, et non ultra moreremur; sed conresurgentes Christo, amici ejus diceremur, et fratres, ut esset discipulus sicut magister, et servus sicut dominus. Potest autem et ita intelligi: obsecro vos, inquit, fratres, ut Judaica observatione contempta, dierum, mensium, temporum atque annorum, quæ sunt umbræ futurorum, me imitemini, qui sine querela in lege versatus, omnia arbitratus sum quasi purgamenta atque quisquilias, ut Christum lucrifacerem (*Philip.* III). Fui quippe et ego sicut vos nunc estis, cum eisdem observationibus strictus tenebar, et Ecclesiam Christi, quia ista non faceret, persequens, devastabam.

Fratres, obsecro vos, nihil me læsistis. (Aug.) Tanquam si diceret: Ne ergo putetis quod ego lædere vos cupiam. (A b r.) Nunc mitius agit cum eis, et bona eorum incipit memorare, ut post magnas correptiones, bona opera sua audientes, recrearentur, et data opera reformarent se, ne objurgationibus diutius pressi asperioribus fierent exacerbati. Nihil tamen sibi nocuisse illos dicit, ipsis enim oberat delictum illorum: Apostolus enim impleverat officium dispensationis sibi creditæ, ut omni cum diligentia prædicaret eis, sicut dicit Dominus ad prophetam Ezechiel: *Tu*, inquit, *prædica, si te audierint, lucraveris eos: si quo minus, tu salvabis animam tuam* (*Ezech.* III).

Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem, et tentationem vestram quæ erat in carne mea non sprevistis, neque respuistis, sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum. In memoriam revocat illis tempus quando primum prædicavit illis Evangelium Dei. Ipso enim tempore injuriis agebatur Apostolus et cædibus infirmabatur: infirmus enim videtur, quia humiliatur, et non resistit propter Evangelium Dei. Et in hoc laudat constantiam eorum, quia non sunt abstracti a fide; injuriæ enim Apostoli tentatio erat Galatarum, in qua firmi inventi sunt non dubitantes fide. Possent enim scandalum passi, dicere: Quæ est virtus aut spes in hac fide, quando minister ejus sic humiliatur? Sed quia jam animum futuris spebus infecerant: præsentes exitus pro Christi nomine non pertimescebant, certi fidem nostram non in terris, sed in cœlis habere dignitatem, et pro his tribulationibus magna rependi præmia. (*Hier.*) Hæc quidem et nos ad humilitatem provocant, et supercilium decutiunt episcoporum, qui velut in aliqua sublimi specula constituti, vix dignantur videre mortales, et alloqui conservos suos. Discant ab Apostolo errantes et insipientes Galatas, fratres vocari; discant post increpationem blanda verba dicentis, *Obsecro vos.* Quod autem obsecrat illud est, ut imitatores ejus sint sicut ipse Christi. Imo ut præsentem locum sequar, nihil est grande quod postulat, ut quomodo ipse propter illos de majori factus est minor: sic illi a minoribus ad majora conscendant. *Nihil me*, inquit, *læsistis.* Lædit discipulus magistrum, si per negligentiam suam præcepta ejus laboremque disperdat. Non læserant Galatæ Apostolum, usque in præsens tempus Evangelium ejus ac mandata servantes. Aut certe ita: quando vobis primum Evangelium annuntiavi, et propter infirmitatem carnis vestræ, quia non poteratis sacramenta suscipere majora, prædicavi vobis quasi parvulis, et me ipsum infirmum esse simulavi, ut vos infirmos lucrifacerem, nonne quasi angelum suscepistis me, quasi Christum Jesum? Cum igitur in nullo me tempore læseritis, et me vestri causa humilem atque dejectum similem Dei Filio putaveritis, quomodo ad majora vos provocans lædor a vobis, perdendo laborem meum, et dispensationem illam qua me parvulum esse simulaveram irrito opere nunc lugetis? Per infirmitatem autem carnis non suæ, sed audientium, Galatis Paulus annuntiat, qui non poterant carnem subjicere verbo Dei: sed quasi carnei nequaquam recipiebant intelligentiam spiritalem. Quod ut evidentius fiat, aliquod ponamus exemplum: per infirmitatem carnis docet qui dicit: *Si se non continent, nubant* (*I Cor.* VII); et: *Mulier, si mortuus fuerit vir ejus, libera est; cui vult nubat, tantum in Domino* (*Ibid.*); nequaquam vero per infirmitatem carnis docet, ista commemorans: *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem;* et: *Tempus est ut et qui habent uxores, sic sint quasi non habentes.* Alia quippe præcepta ad spiritales, alia dantur ad carnales. Et aliud est quod juxta imperium, aliud quod juxta indulgentiam præcipitur. *Et tentationem*, inquit, *vestram in carne mea non sprevistis.* Obscurus locus est, acrius attendendus: ego quidem, ait, quasi parvulis vobis atque lactentibus per infirmitatem carnis vestræ jam pridem

Digitized by Google

evangelizavi, a minoribus incipiens, et, ut ita dicam, apud vos pene balbutiens; quæ dispensatio et prædicationis infirmæ simulatio, mea quidem gubernatio erat, sed vestra tentatio, an vobis placerent, et magna viderentur ea quæ pro conditione sui minora erant, et a me quasi humilia promebantur: quæ quidem vos non ut parva sed ut magna capientes, in tantum admirati estis, ut me qui ea loquebar quasi angelum, et, ut plus dicam, quasi Dei Filium suscipere.tis. Hæc ergo vestra tentatio qua ego vos in carnali mei sermonis annuntiatione tentabam, non fuit contempta nec vilis, sed plus quam æstimabam, habuit dignitatis. Potest locus iste et ita disseri: Quando veni ad vos, non veni in sermone sapientiæ, sed homo humilis atque contemptus, nihil magnum deferens, crucifixum. Cum igitur me videritis in corpore infirmitatibus obnoxio constitutum, regna cœlestia pollicentem, non irrisistis, nec æstimastis dignum esse contemptu: intelligebatis quippe humilitatem carnis meæ, et ipsius habitus vilitatem ad vestram tentationem fieri; an videlicet contemneretis eum qui ab incredulis miserabilis putabatur; sed econtra illum humilem, vilem atque contemptum, ita ut angelum et plusquam angelum suscepistis. Aut certe suspicari possumus Apostolum, eo tempore quo primum venit ad Galatas, ægrotasse, et aliqua corpusculi infirmitate detentum; non cessasse tamen, nec vocem silentio repressisse, quo minus cœptum Evangelium prædicaret. Nam tradunt eum gravissimum capitis dolorem sæpe perpessum; et hunc esse angelum Satanæ, qui appositus ei sit, ut eum colaphizaret in carne ne extolleretur (*II Cor.* XII). Hæc infirmitas, et languor hic corporis, apud eos quibus annuntiabatur Evangelium tentatio fuit, an contemnerent eum sublimia promittentem, quem languoribus corporis subjectum videbant: nec non et illud dici potest, quod in principio adventus sui ad Galatas, contumelias et persecutiones et plagas corporis ab his qui contraibant Evangelio sustinuerit. Et hanc fuisse tentationem vel maximam Galatis, Apostolum Christi cernentibus verberari. Quod autem ait: *Sicut angelum, sicut Christum Jesum suscepistis me*, et angelo Christum ostendit esse majorem, quem secundum dispensationem corporis minorem Psalmista cantaverat dicens: *Minorasti eum paulo minus ab angelis* (*Psal.* VIII). Et tantum sua verba in principio valuisse demonstrat, ut angeli putarentur et Christi. *Ubi est ergo beatitudo vestra?* (Ambr.) Beatos hos fuisse dicit, apud cæteras Ecclesias per id, quod Apostoli injuriis non frangebantur, sed crescebant in fide. *Testimonium enim perhibeo vobis: quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi.* (Aug.) Cur enim hoc fieri non posset, nisi quia juste fieri nullomodo posset? Sic et Job ait: Utinam possim me occidere! (*Job.* X) sic et Dominus ad Loth: *Non potero*, inquit, *facere rem donec tu illuc introeas* (*Gen.* XVIII). Non posse dixit se, quod sine dubio poterat per potentiam, sed non poterat per justitiam. (*Ambr.*) Votum eorum circa religionem tam plenum ostendit fuisse, ut non solum bene ab eis susceptus sit, sed et fortes in fide inventi sunt, et quod ad laudem magis proficit, omnia pene sua illi obtulerint profliganda. Hinc plus dolet, quia tanta charitas subversa fuerat prava doctrina.

Ergo inimicus vobis factus sum verum dicens vobis? Hoc dicit, quia non potest fieri, ut inimicus, inquit, vobis sim, quorum tanta sensi obsequia. Sed quia nemo se argui vult errantem, idcirco vobis inimicus videor juste vos reprehendens. (*Hieron.*) Beatus est qui ambulat in virtutum via, sed si ad virtutes usque pervenerit, nec prodest a vitiis recessisse, nisi optima comprehendas; quia non tam initia sunt in bonis studiis laudanda, quam finis. Sicut enim in vinea multi usque ad prelum uvæ gradus sunt, et primum necesse est ut vitis germinet in pampinis, spem promittat in floribus; dehinc ut flore decusso futuri botri species deformetur, paulatimque turgescens uva parturiat, ut pressa torcularibus dulcia musta desudet: ita et in doctrina singuli beatitudinum sunt profectus, ut audiat quis verbum Dei, ut concipiat, ut in utero animæ ejus adolescat, et ad partum usque perveniat; et cum pepererit, lactet, enutriat, et per infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventutem, ad perfectum virum usque perducat. Cum ergo singuli, ut diximus, gradus juxta profectus suos habeant beatitudinem, si finis, et, ut ita loquar, extrema manus operi defuerit, totus labor irritus fiet, et dicetur, *Ubi est ergo beatitudo vestra?* Quamvis, inquit, vos eo tempore quo Evangelium juxta carnem susceperatis, beatos dicerem, quod in initiis fervebatis: tamen nunc, quia non video ædificio culmen impositum, et pene nequidquam jacta fundamina, cogor dicere, *Ubi est ergo beatitudo vestra*, qua vos beatos arbitrans ante laudabam? Vere enim et ipse fateor, quia sic me vobis humilia prædicantem, vel persecutionibus conflictatum, in principio dilexistis, ut si fieri posset (hyperbolice autem sunt accipienda quæ loquitur), eruissetis vobis oculos, et mihi ut omnium vestrum luminibus plus cernerem, dedissetis. Optabatis quippe vos cæcos esse per ineffabilem in me charitatem, ut plus in meo corde Evangelii lumen oriretur. Emolumentum meum vestris damnis crescere volebatis, et hoc illo tempore, quo vobis quasi parvulis atque lactentibus, sive propter infirmitatem carnis vestræ, parva et humilia annuntiabam, sive propter meæ carnis injurias non dignus videbar fide: nunc vero quia ab elementis et syllabis et lectione puerili, cœpi vos ad majora studia provocare, ut libros teneatis in manibus, ut plena eruditionis et sensuum verba discatis, recalcitratis, irascimini, gravis vobis videtur esse perfectio doctrinarum, et in tantum mutati estis in alios affectus, ut me, quem quasi angelum et Christum susceperatis, cui volebatis oculos vestros tradere, nunc habeatis inimicum, quia vobis plenam annuntio veritatem. Eleganter enim sententiam terminavit, dicens: *Ergo inimicus vobis factus sum, veritatem dicens vobis?* ut ostenderet initia prædicationis non tam veritatem fuisse, quam umbras et imagi-

Digitized by Google

nam veritatis. Similis est huic, illa sententia nobilis apud Romanos poetæ,

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Sed vide quanto hic melius quam ille : Apostolus enim his quos stultos dixerat, quos parvulos appellarat, hanc sententiam temperavit, et specialem fecit, dum proprie ad personas, Galatasque direxit : ille vero et generalem, et ita se apud omnes habere pronuntians, vehementer erravit. Obsequium enim quo putavit amicos fieri, veritate dempta, non tam obsequium est, quam adulatio et assentatio, quas clandestinas magis inimicitias, quam amicitias dici debere perspicuum est. Simul autem et illud considerandum, quod hodieque quandiu parvulis atque lactentibus, et his in quorum cordibus nunquam Christus adolevit, nec proficit ætate, et sapientia, et gratia apud Deum et homines, juxta litteram Scripturas explanamus, laudamur, suspicimur, admirationi habemur. Cum autem paululum cœperimus eos provocare ut transeant ad meliora, de præconibus nostris inimici fiant et maligni. *Æmulantur vos non bene, sed excludere vos volunt ut illos æmulemini.* (Aug.) Id est, invident vobis, qui vos carnales de spiritalibus volunt facere, hoc est, *æmulantur non bene, sed excludere*, inquit, *vos volunt, ut illos æmulemini*, hoc est imitemini; et quomodo? nisi ut servitutis jugo atteneamini sicut ipsi attenentur. *Bonum autem æmulamini in bono semper : et non tantum cum præsens sum apud vos.* (Ambr.) Invidia Judæorum subversos eos significat : Videntes enim sic illos proficere in Evangelio, et tantam habere charitatem in Apostolo, id egerunt quatenus eos deciperent; erant enim legis causa Apostoli inimici, ut manente nomine Salvatoris, facerent eos Judæos, gaudentes in eversione illorum. Non enim patiebantur ut gratiam sibi promissam audirent incircumcisis gentibus datam, ideo imitatores suos voluerunt illos fieri, ut more eorum circumciderentur. *Æmulamini autem meliora dona : bonum æmulamini semper, et non solum cum præsens apud vos sum.* Meliora dona spiritalia sunt, quæ imitati habebunt affectum apud Deum. Hæc spiritalia et bona sunt, quæ vult ut semper imitentur, non ad tempus, sicut pridem : aut se præsente tantum, post autem ad aliud convertantur : sed vult illos de cætero perseverare in bono. (*Hier.*) Æmulantur autem non bene qui non tam ipsi cupiunt esse meliores, ut imitentur eos qui æmulatione digni sunt, quam illos ipsos volunt facere pejores et retrorsum trahere æmulatione perversa : verbi gratia, dictum sit, Christianus est quispiam, legit Moysen, et Prophetas : scit omnia in umbra et in imagine illi populo præcessisse, scripta autem esse propter nos in quos fines sæculorum decurrerunt, circumcisionem non tam præputii, quam aurium et cordis intelligit : resurrexit cum Christo, ea quærit quæ sursum sunt; liberatus est ab onere et servitute legali, ne tangas, ne gustes, ne attamines, imperante. Huic si quis Scripturarum verbis voluerit persuadere, ut non per tropologiam sed occidentem litteram quæ sunt scripta suscipiat, ut in manifesto fiat Judæus, non in occulto, æmulatur eum non bene, sed concito cursu ad majora gradientem retrahere festinat, ut se potius æmuletur, qui retrorsum vadit, aut certe ut multum ultra non promovet. Loquitur itaque Galatis, qui ab assertoribus legis inducti fuerant ut eos imitarentur, cum illi potius Galatas debuerint imitari : quia naturale est majorem de minori, non minorem fieri de majore. Et dicit : *Bonum æmulamini in bono*, id est, nolite assertores Judaicæ observationis imitari, sed ea quæ bona sunt imitamini. Quomodo enim qui divitias, potentiam, dignitatem alicujus imitatur, non tam bona quam ea quæ fugienda sunt æmulatur : ita et vos, econtrario, bonum æmulamini in bono, magis autem quærentes spiritalia quam carnalia, ut non illi vos Judæos, sed vos illos Christianos esse doceatis : hoc autem facite semper, ut perseveranti gradu ad finem boni operis pervenire possitis. Æmulabamini siquidem bonum in bono prius cum apud vos essem, qui postquam a vobis recessi, omnia quæ tradideram perdidistis, de statione certa et fido portu, rursum in altum unda relabenti subtracti. Nec mirum si recedente Apostolo vase electionis, et in quo Christus Dominus loquebatur, Galatæ sunt mutati, cum etiam nunc cernamus in Ecclesiis idipsum fieri : si quando enim doctor quis in Ecclesia contigerit, sermone ornatus et vita, qui audientes quasi stimulis quibusdam concitet ad virtutes, videmus omnem plebem circa eleemosynas, jejunia, castitatem, susceptionem pauperum, sepulturas et cætera similia festinare, fervere, discurrere; cum autem ille recesserit, paulatim emarcescere, et subtracto cibo tenuari, pallere, languescere, et interitum sequi omnium quæ prius vigebant.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. (Ambr.) Primum per fidem illos genuerat, in baptismo, sed quia velut per abortum nati, deformati et infirmi inventi sunt, nunc cum dolore consilii reformat eos in Christum. Concipientes enim fidem et sensum fidei minime advertentes, formatum Christum in animis suis negantur habere. Si enim intellexissent gratiam Dei in Christo, post fidem in Judaismum transducti non essent. (*Aug.*) Magis hoc ex persona matris Ecclesiæ locutus est; nam et alibi dicit (*I Thes.* II) : *Factus sum parvulus in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos.* Formatur autem Christus in credente per fidem in interiore homine vocato in libertatem gratiæ, miti et humili corde, non se jactante de operibus et meritis, quæ nihil et nulla sunt, sed ab ipsa gratia aliquod meritum inchoante. Potest movere quod dictum est : *Quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis*, nisi parturitionem hanc pro curarum angoribus positam intelligamus, quibus eos parturivit ut nascerentur in Christo : et iterum parturit, propter pericula seductionis, quibus eos conturbari videt. Sollicitudo autem talium de illis curarum quæ se quodammodo parturire dicit, tandiu esse poterit donec perveniant in mensuram ætatis plenitudinis

Digitized by Google

Christi, ut jam non moveantur omni vento doctrinæ. Non ergo propter initium fidei, quo nati erant, sed propter robur et perfectionem dictum est, *quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Hanc parturitionem aliis verbis etiam alibi commendat ubi dicit (*II Cor.* XI) : *Incursus in me quotidianus, sollicitudo omnium Ecclesiarum.* (Hier.) Quantis difficultatibus et dolore fetus promantur ex utero, maledictio prima declarat dicens : *In tristitia paries filios* (*Gen.* III); volens igitur Paulus ostendere magistrorum pro discipulis sollicitudinem, quos patiantur affectus ne sectatores sui excidant a salute, ait, *Filioli mei, quos iterum parturio.* Qui enim in alio loco quasi Pater dixerat (*I Cor.* IV) : *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres;* jam, non quasi pater, sed ut mater, loquitur in Christo, ut utriusque anxietatem et pietatem in se parentis agnoscant. Tale quid et Moyses de populo loquebatur : *Nunquid ego in utero accepi* [*concepi*] *omnem populum istum?* (*Num.* XI.) Quis, putas, nostrum ita de discipulorum anxius est salute, ut non paucis horis aut ut multum biduo triduove, sed toto vitæ suæ tempore torqueatur donec Christus formetur in eis? Formatur quoque Christus in corde credentium, cum omnia illis sacramenta panduntur, et ea quæ obscura videbantur perspicua fiunt. Sed et illud est intuendum, quod qui per peccatum quodammodo homo esse desierat, per pœnitentiam concipitur a magistro, et rursum in eo Christi formatio repromittitur. Hoc adversum Novatianos est qui nolunt reformari eos, quos semel peccata contriverint.

Vellem autem esse apud vos modo, et mutare vocem meam, quia confundor in vobis. (Hier.) Scriptura divina ædificat et lecta, sed multo plus prodest si de litteris vertatur in vocem, ut qui per Epistolam docuerat, præsens instruat audientes. Magnam siquidem vim habet vox viva, vox de auctoris sui ore resonans, quæ illa pronuntiatione profertur atque distinguitur, qua in hominis sui corde generata est. Sciens itaque Apostolus majorem vim habere sermonem qui ad præsens fiat, cupit vocem Apostolicam, vocem litteris comprehensam in præsentiam commutare, et quia hoc magis expediebat his qui in errorem fuerant depravati, vivo eos ad veritatem retraherc sermone, hoc autem ideo, quia confundatur in illis; quod quidem Græce magis proprie dicitur; ἀποροῦμαι enim non tam confusionem quæ apud illos αἰσχύνη sive σύγχυσις appellatur, quam indigentiam et inopiam sonat. Sensus itaque iste est, Vellem apud vos nunc adesse, et litterarum vocem præsens ipse proferre, quia indigeo in vobis. Non quippe habeo fructus quos solent de discipulis habere doctores, et sine causa semen jactum est doctrinarum, cum penitus in vobis patiar egestatem : ita ut in Jeremiæ possim vocem prorumpere : *Non profui, neque profuit mihi quisquam* (*Jer.* VII). Potest autem et simplicius intelligi : Blandis apud vos modo verbis usus sum dicens : *Fratres, obsecro vos;* et : *Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Sed ego blandus et lenis qui ad vos quasi pater locutus sum pro ea charitate qua filios meos perire non patior, et errare perpetuo, vellem nunc præsens esse, si confessionis me vincula non arctarent, et blandam vocem in objurgantis verba mutare. Nec levitatis est si nunc blandiar, nunc irascar : impellit me charitas, impellit me dolor diversis affectibus loqui : nescio enim in quæ primum verba prorumpam, et quo vos debeam sanare medicamine, quia confundor in vobis.

Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non audistis? (*Hier.*) Notandum legem hic dictam esse Geneseos historiam, non ut vulgo æstimant quæ facienda sint, quæve vitanda, sed totum quod de Abraham et ejus uxoribus, liberisque contexitur legem appellatam. Legimus et in alio loco, prophetas quoque legem vocari. Audit ergo legem, qui juxta Paulum non superficiem sed medullam ejus introspicit : non audit legem, qui similis Galatis exteriorem tantum corticem sequitur. (*Ambr.*) Hoc in Genesi habetur, quia cum Sara generare non posset (erat enim sterilis), Agar ancillam suam obtulit viro suo Abrahæ in concubinam, ut quod generasset, adoptaret sibi (*Gen.* XXI). Sic factum est, ut de Agar nasceretur Ismael. Post autem nutu Dei promissus est Abrahæ filius de Sara uxore ejus quæ erat sterilis, hæc peperit Abrahæ Isaac, tunc cœpit duos Abrahæ habere filios, unum de ancilla et unum de libera; *Sed* quidem, *qui de ancilla secundum carnem natus est, qui autem ex libera per repromissionem : quæ sunt per allegoriam dicta.* Ismael qui ex ancilla Agar natus est, secundum carnem natus est; Isaac vero non secundum consuetudinem, sed secundum providentiam, Dei virtute natus est, quippe cum Sara et anus esset et sterilis. In typum enim Christi natus est Isaac, ideo hæc per allegoriam asserit dicta, ut aliud ex alio significent personæ Ismael et Isaac : Ismael enim Judæorum significat nativitatem, vel eorum qui servi peccati sunt : Isaac vero Christianorum, quia in libertate nascuntur. Liber enim fit, qui accipit remissionem peccatorum. *Scriptum est enim, quia Abraham duos filios habuit, unum de ancilla et unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem. Hæc enim sunt duo testamenta, quæ sunt per allegoriam dicta.* Moyses accipiens sanguinem vituli in cratera, aspersit populum dicens : *Hic est sanguis testamenti quod disposuit Deus ad vos* (*Exod.* XXIV). Hoc est quod dixit : *Unum quidem a monte Sina in servitutem generans quæ est Agar.* Lex enim in monte Sina data est, quam Moyses recitans populo librum hunc Testamenti appellavit, et tunc aspersit populum sanguine, sicut dixi. Hæc lex reos tenuit peccatores, et cœperunt esse servi peccati facti filii Agar, quasi ancillæ. *Sina autem mons est in Arabia quæ conjungitur huic quæ nunc est Hierusalem, serviens cum filiis suis.* Causam Agar significare dicit Hierusalem terrenam, id est, synagogam quæ in servitutem generat, quos enim generat sub pec-

Digitized by Google

cato sunt. *Illa autem quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ est mater nostra.* Hæc quam matrem nostram dicit, regula est Dominici mysterii per quam renascimur in libertatem, sicut et ipsa libera est, et ideo cœlestis dicitur, quia cœlum sedes ejus est, et quos generat, ibi erunt cum ea, sicut dicit Dominus: *Pater, quos dediști mihi volo ut ubi ego fuero* [*sum*], *et hi sint mecum* (*Joan.* XVII). Hæc est et vita, quia immortalitate donantur, qui credentes renascuntur per eam: sic enim de Domino dictum est (*Joan.* I, V): *Quia quod factum est in illo, vita est: sicut enim Pater habet vitam, ita dedit et Filio vitam. Et vita erat lux hominum.* Hæc vita et lux, mater est fidelium. *Sicut scriptum est.* In Isaia enim hoc habetur quod subjectum est: *Lætare, sterilis quæ non paris, erumpe et exclama, quæ non parturis: quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum* (*Isa.* LIV). Hanc terrenam Hierusalem virum habere dicit, quia secundum carnem generat: illam autem cœlestem Hierusalem quam dicit matrem nostram, sterilem appellat: quia non parit secundum carnem, nec dolores patitur, hoc est non parturit, generat autem sine passione, spiritaliter, exclamans in lætitiam, quia deserta aliquando (a quo, nisi ab Adam? quia deserta vita, secutus est mortem), nunc plures filios habet quam hæc quæ habet virum, id est, quæ carnaliter generat: multo enim plures sunt Christiani Judæis, sicut dicit in Apocalypsi (*Apoc.* VII): *Et vidi turbam magnam quam numerare nemo poterat ex omni tribu et gente* (Hier.) Nimiæ difficultatis est demonstrare, Isaac tantum qui de Sara natus est, fuisse de repromissione generatum, et non etiam Ismael, qui de Agar ancilla est ortus Ægyptia. Scriptura quippe refert quod cum persequente Sara, Agar feta fugisset, et venisset ad eam angelus in deserto, moneretque ut subjiceretur dominæ potestati, idem ipse angelus etiam hæc locutus sit: *Multiplicans multiplicabo semen tuum, et non numerabitur præ multitudine* (*Gen.* XVI); et postea de Ismael, quæ utique repromissionis verba nemo dubitarit: *Iste erit rusticanus* [*ferus*] *homo, manus ejus super omnes, et manus omnium super eum, et contra faciem omnium fratrum suorum habitabit.* Sed responderi potest minoris auctoritatis esse repromissionem angeli, quam ipsius Dei: sicut enim stella, orto sole non rutilat, ita et angeli verba ad comparationem repromissionis Dei obscurari et evanescere et pro nihilo computari. Videtur quidem hæc responsio aliquid habere momenti, sed statim sequentis Scripturæ auctoritate conteritur. Scriptum est enim (*Gen.* XVII): *Abraham autem dixit ad Deum: Ismael utinam vivat in conspectu tuo; et Deus respondit ad eum: Ecce Sara uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Isaac: et statuam testamentum meum ad eum in testamentum æternum, et semini ejus post eum. De Ismael autem: Ecce exaudivi te, et ecce benedixi eum, et augebo eum, et multiplicabo illum vehementer: duodecim gentes generabit, et dabo eum in gentem magnam. Testamentum autem meum statuam ad Isaac quem generabit tibi Sara in tempore isto anno venturo.* Ex quibus evidens est, ipsius quoque sermonibus Dei, Ismael secundum repromissionem esse generatum. Sed et hoc ita solvitur, repromissionem proprie in testamenti datione compleri, et aliud esse benedicere, augere, multiplicare vehementer, quod in Ismael scriptum est: aliud hæredem facere per testamentum, quod de Isaac dicitur: *Statuam testamentum meum ad eum in testamentum æternum, et semini ejus post eum;* et in sequentibus: *Testamentum autem meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara.* Et quomodo aliud sunt dona, aliud substantia, aliud legata, aliud hæreditas (legimus enim (*Gen.* XXV) filiis concubinarum Abrahæ dona tradita, filio autem Saræ totius substantiæ hæreditatem relictam): ita aliud esse, ut diximus, benedictionem atque legata, aliud testamentum. Sed et hoc dici potest de Ismaele, post conceptum ejus vel angelum, vel Deum locutum, de Isaac vero antequam in Saræ utero conciperetur Deum fuisse pollicitum. Nunc breviter ad altiora tendendum est, ut dicamus unumquemque nostrum primum non juxta repromissionem nasci, quandiu Scripturarum verbis simplicibus instruitur, et judaicis adhuc expositionibus delectatur: quando vero ad sublimiora transcenderit et legem intellexerit spiritalem, tunc eum de repromissione generari: et ut apertius loquar, quotidie eos qui faciunt opera Abrahæ, de Abraham nasci: verum illos qui habent Spiritum servitutis iterum in timore, ex ancilla generari Ægyptia, eos autem qui Spiritum adoptionis acceperint, ex Sara libera, qua libertate a Christo donati sumus. *Quæ* quidem, inquit, *sunt per allegoriam dicta.* Allegoria proprie de arte grammatica est, et quod a metaphora, vel cæteris tropis differat, in scholis parvuli discimus. Aliud prætendit in verbis, aliud significat in sensu. Pleni sunt oratorum allegoriis et poetarum libri. Scriptura quoque divina per hanc non modica ex parte contexta est. Quod intelligens Paulus apostolus, quippe qui et sæculares litteras aliqua ex parte contigerat, ipso verbo figuræ usus est, ut allegoriam sicut apud suos dicitur appellaret, quo scilicet sensu magis loci hujus Græci sermonis abusionem monstraret. Scisse autem Paulum, licet non ad perfectum, litteras sæculares, ipsius verba testantur: *Dixit quidam ex eis proprius eorum propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri* (*Tit.* I). Hic versus heroicus Epimenidis poetæ est, cujus et Plato, et cæteri scriptores veteres recordantur. Apud Athenienses quoque cum Areopago verba faceret, hæc addidit: *Sicut et quidam de vobis poetæ dixerunt: Ipsius enim et genus sumus* (*Act.* XVII). Hoc hemistichium fertur in Arato, qui de cœlo stellisque conscripsit. Nec non et illud: *Corrumpunt mores bonos confabulationes pessimæ* (*I Cor.* XV). Trimeteriambicus de comœdia sumptus est Menandri. Ex quibus et aliis evidens est Paulum non ignorasse litteras sæculares, et quam hic allegoriam dixit, alibi vocasse intelligentiam spiritalem. (*Cass.*) Sciendum

Digitized by Google

vero est quod practica erga multas professiones ac studia derivatur, theoretica in duas dividitur partes, id est, in historicam interpretationem et intelligentiam spiritalem. Unde etiam Salomon cum Ecclesiæ multiformem gratiam enumerasset, adjecit : *Omnes enim, qui apud eam sunt, vestiti sunt dupliciter* (*Prov.* XXXI). Spiritalis autem scientiæ genera, sunt tria, tropologia, allegoria, anagoge. De quibus in Proverbiis ita dicitur : *Tu autem describe ea tibi tripliciter, super latitudinem cordis tui* (*Prov.* III, *et* XXII). Itaque historia præteritarum ac visibilium agnitionem complectitur rerum, quæ ita ab Apostolo replicatur : *Scriptum est enim, quia Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et alium de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est ; qui autem de libera, per repromissionem.* Ad allegoriam autem pertinent quæ sequuntur, quia ea quæ in veritate gesta sunt, alterius sacramenti formam præfigurasse dicuntur, *hæc enim*, inquit, *sunt duo Testamenta : unum quidem a monte Sina in servitutem generans, quod est Agar : Sina enim mons est in Arabia, qui comparatur huic quæ nunc est Hierusalem, et servit cum filiis suis.* Anagoge vero de spiritalibus mysteriis ad sublimiora quædam et sacratiora cœlorum secreta conscendens ab Apostolo ita subjicitur : *Quæ enim sursum est Hierusalem libera est, quæ est mater omnium nostrorum. Scriptum est enim : Lætare sterilis quæ non parturis : quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum.* Tropologia est moralis explanatio ad emendationem vitæ et institutionem pertinens actualem, velut si hæc eadem duo testamenta intelligamus practice et theoreticam disciplinam hominis velimus accipere : vel certe si Hierusalem aut Sion animam hominis velimus accipere : secundum illud : *Lauda, Hierusalem, Dominum : lauda Deum tuum, Sion* (*Psal.* CXLVII). Igitur prædictæ quatuor figuræ in unum ita si volumus confluunt, ut una eademque Hierusalem quadrifariam possit intelligi, secundum historiam civitas Judæorum : secundum allegoriam Ecclesia Christi : secundum anagogen civitas Dei, illa cœlestis, quæ est mater omnium nostrum; secundum tropologiam anima hominis, quæ frequenter hoc nomine aut increpatur aut laudatur a Domino (*Hier.*) Notandum quoque est, quod pene cunctorum super hoc loco ista est explanatio; ut Agar ancillam interpretentur in lege et in populo Judæorum : Saram autem liberam in Ecclesia quæ de gentibus congregata est, quæ mater sanctorum sit, Paulo dicente, *quæ est mater omnium nostrum.* Hæc diu non peperit, antequam Christus de virgine nasceretur, et sterilis fuit, necdum risu mundi Isaac de electo patre cum voce sublimium dogmatum resonante, siquidem Abraham in nostra lingua, *pater electus cum sonitu* refertur : Agar autem quæ interpretatur *paræcia*, id est, incolatus sive peregrinatio, sive mora, generat Ismaelem, qui tantum audiat Dei præcepta, nec faciat hominem rusticum, sanguinarium, deserta sectantem : qui universis fratribus suis de libera procreatis inimicus sit, et adversa fronte resistat. Nec mirum Vetus Testamentum quod in monte Sinai, qui est in Arabia et confinis est ei quæ nunc est Jerusalem, constitutum est atque conscriptum, non esse perpetuum, cum et incolatus a perpetua possessione diversus sit, et Sinai montis nomen tentationem sonet, et Arabia significet occasum. Et e contrario, quæ sursum est Hierusalem quæ est libera, materque sanctorum, demonstret hanc Hierusalem quæ in præsentiarum est deorsum esse, et in humili infimoque demersam. Sunt qui duo testamenta et aliter intelligant, ut Scripturam divinam tam veterem quam novam juxta diversitatem sensus eorumque sententiam qui legunt, aut ancillam interpretentur, aut liberam, et eos qui adhuc litteræ serviant et spiritum timoris habeant in servitutem, de Agar Ægyptia velint esse generatos : eos autem qui ad superiora conscendant, et allegorice velint sentire quæ scripta sunt, filios esse Saræ, quæ in lingua nostra ἄρχουσα, id est princeps, interpretatur, genere feminino. Et hoc ob illam necessitatem se asserunt usurpare, quia iniquum sit Moysen et cunctos prophetas de ancilla, quoslibet vero Gentilium de libera, intelligere procreatos. Unde melius esse, ut non solum de his qui in Ecclesia sunt, pro diversitate, ut supra diximus, intellectuum, alios servos, alios liberos arbitremur; sed etiam de uno eodemque homine quandiu sequitur historiam, ancillæ eum esse filium : cum autem aperiente Jesu Scripturas, incensum fuerit cor ejus, et in fractione panis inspexerit eum quem antea non videbat, tunc et ipsum Saræ filium nominari. *Lætare*, inquit, *sterilis quæ non paris, erumpe et clama, quæ non parturis : quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum.* Virum habuit Synagoga legem, et juxta Annæ quoque prophetiam (*I Reg.* II), fetosa quondam in liberis fuit, sterilis vero Ecclesia sine viro Christo, sine ullo sponsi sermonis alloquio, quia diu jacuit in deserto : sed postquam accepit illa libram repudii in manus suas, et omnia ornamenta viri in idoli vertit ornatum, tunc maritus priori cingulo putrescente (*Jer.* XIII), alium lumbis suis balteum, aliud de gentibus lumbare contexuit, quæ statim ut est viro juncta, concepit et peperit. Et in Isaac exclamat Dominus per prophetam : *Si est gens nata simul* (*Isa.* LXVI). Quando una die in Actibus apostolorum tria millia et quinque millia hominum crediderunt (*Act.* II *et* IV). Nec puto necesse esse, ut de multitudine Christiana et Judæorum paucitate dicamus : cum in toto mundo crucis vexilla resplendeant, et vix rarus atque notabilis in urbibus Judæus appareat.

Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus. (*Ambr.*) Hoc est non carnis filios esse, sed Dei, quia Isaac in typum natus est Filii Dei, et vult eos subintelligere, quia facti filii Dei, conversi sunt, ut essent filii carnis : si vero resipiscant, sunt filii Dei. *Sed quomodo tunc qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiri-*

Digitized by Google

tum, ita et nunc. Non solum Ismael secundum carnem natus est, sed et Esau, quia et ipse in populi Judaici typum natus est. De quo in Malachia propheta scriptum est : *Jacob dilexi, Esau vero odivi* (*Malach.* I); hic persequebatur Jacob, qui in populi Christiani figura natus, vocatus est Israel, hoc est homo videns Deum. Similiter et Judæos per invidiam persequi significavit Christianos. Unde data opera Galatas everterant carnali astutia. *Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam et filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Hæc verba Saræ sunt, quæ typum habet Hierusalem cœlestis, de promissione generans Isaac : ut ejecto filio ancillæ, id est Judæo populo, incredulitatis causa abjecto, (servi enim peccati sunt, quibus data remissio non est), hæres sit filius liberæ illius Hierusalem supernæ, qui est populus novus regni cœlorum. *Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit.* Fuimus igitur ancillæ filii dum peccatis eramus obnoxii : sed accepta remissione peccatorum a Christo, liberati sumus. (*Hier.*) Non puto invenire nos posse ubi Ismael persecutus fuerit Isaac : sed tantum illud, quod cum filius Ægyptiæ qui major natu erat luderet cum Isaac, indignata sit Sara, et dixerit ad Abraham : *Ejice ancillam et filium ejus : non enim hæreditabit filius ancillæ cum filio meo Isaac* (*Gen.* XXI). Et utique simplex lusus inter infantes, expulsione et abdicatione indignus est. Verum Apostolus quasi Hebræus ex Hebræis, et ad pedes magistri Gamalielis edoctus, qui quondam furentes adversus Dominum Pharisæos consilio refrenarat, ex verbis Saræ dicentis, *Non enim hæreditabit filius ancillæ cum filio meo Isaac,* intellexit lusum illum simplicem non fuisse : sed quia forsitan Ismael quasi major natu et eo tempore circumcisus quo jam poterat intelligere et sentire quod passus est, sibi primogenita vindicabat, Scriptura jurgium parvulorum lusum vocavit. Unde et Sara hæc verba non sustinens, et consuetudinem sibi primogenita vindicantis ancillæ filii a parva ætate non patiens, erupit in vocem : *Ejice ancillam cum filio suo : non enim hæreditabit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Quod cum durum visum fuisset Abrahæ (semper enim primogenitis majora debentur), non solum Ismaelem priorem esse desinere, sed nec æqualem quidem cum minore fratre accipere portionem, Deus qui liberam intus esse, et foras expelli volebat ancillam, Saræ verba confirmat, et loquitur ad Abraham : *Non durum sit coram te de puero et ancilla. Omnia quæ dixerit tibi Sara audi vocem ejus, quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Sicut ergo tunc major frater Ismael lactantem adhuc et parvulum persequebatur Isaac, circumcisionis sibi prærogativam, sibi primogenita vindicans : ita et nunc secundum carnem Israel, adversum minorem fratrem, de Gentibus populum Christianum sustollitur, inflatur, erigitur. Consideremus insaniam Judæorum qui et Dominum interfecerunt, et prophetas et apostolos persecuti sunt, et adversantur voluntati Dei, et videbimus multo majores persecutiones quas nos etiam historiæ docent, a Judæis in Christianos, quam a Gentibus concitatas (*Aug.*). Quæramus quid ait in Genesi : *Et factum est cum luderent Ismael et Isaac, vidit eos ludentes.* Quis persecutus est? quem persecutus est? Ludentes eos vidit Sara, et ait : *Ejice ancillam et filium ejus.* Quare? Quia vidit eos ludentes. Sed lusum illum Paulus persecutionem vocat; quia lusio illa, illusio erat : si illusio, seductio et deceptio est : omnis lusus puerorum, simulacrum est negotii majoris; et quando major ludit cum minore, quasi ut seducatur, sciens se habere negotia alia quæ intendit, et simulat, quædam puero, id est infirmo, ludens cum illo. Major erat Ismael et roboratus in malitia; sed ludens cum puero Isaac, seducebat Isaac, et quasdam fraudes ludendi cum infirmo faciebat; animadvertit mater lusum illum, intelligit Ecclesia lusum illum. Sara dixit : *Ejice ancillam et filium ejus, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Ecclesia dicit : Ejice hæreses et filios earum : non enim hæredes erunt hæretici cum catholicis. Sed quare non erunt hæredes? nonne de semine Abrahæ nati? Et quomodo baptismum Ecclesiæ habent? Baptismum habent, hæredem faceret semen Abrahæ, nisi ab hæreditate superbia excluderet. Eodem verbo nasceris, eodem sacramento, sed ad eamdem hæreditatem vitæ æternæ non pervenis, nisi ad Ecclesiam catholicam reversus fueris. Ex semine Abrahæ nasceris : sed filius ancillæ foris propter superbiam.

CAPUT V.

Inducuntur Galatæ legalia non observare propter evasionem malorum, et consecutionem bonorum : et distinguuntur opera carnis et spiritus.

State ergo, et nolite iterum servitutis jugo cohiberi. (Amb.,) Standum monet in accepta gratia, ne redeuntes ad vetera, amittant donum libertatis quod fuerant consecuti. (*Hier.*) Quod autem ait, *state,* firmam et stabilem in Christo hortatur fidem, ut Ecclesiæ Galatiæ fixo in Salvatore permaneant pede. De quo et in alio loco justus loquitur : *Statuit super petram pedes meos* (*Psal.* XXXIX); pro eo quod est *super Christum*, ne scilicet circumferantur omni vento doctrinæ, et in diversa rapiantur. Jugum autem servitutis, legem vocat duram, difficilem, laboriosam, quæ die ac nocte cultores suos gravi opere consumit; sicut et Petrus in Actibus apostolorum : *Quid tentatis,* inquit, *imponere jugum grave super collum fratrum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuerunt?* (*Act.* XV.) Quod autem apposuit, *nolite iterum,* non quo prius legem Galatæ custodierint, sed quo et idololatriæ jugum grave sit, quo Ægyptiorum populus oppressus, ad instar plumbi in Rubrum mare mersus est : juxta quem sensum et supra dixerat : *Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus rursum servire vultis, dies observantes, et menses, et tempora, et annos?*

Digitized by Google

Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. (Amb.) Nunc apertæ veritatis et auctoritatis suæ vim non tacet, dicens : *Ecce ego Paulus dico vobis :* id est, ego magister Gentium, cujus opus estis in Christo, palam vobis dico : *quia nihil vobis proderit Christus, si circumcidamini*, ipse enim Dominus ait : *Lex et prophetæ usque ad Joannem, ex quo regnum cœlorum prædicatur* (*Luc.* XVI). Antequam ergo nova inciperet prædicatio, oportuit circumcidi : nunc autem lege fidei succedente, ea sequenda sunt quæ rudis veritas jubet : quia vetus et novum admisceri non debent, auctoritate Domini prædicantis, ait enim : *Nemo additamentum panni rudis assuit vestimento veteri; tollit enim fortitudinem ejus a vestimento, et major fit scissura* (*Matth.* IX). Ac per hoc non solum nihil proderit fideli addita circumcisio, sed et oberit : majus enim malum est ex libero servum fieri, quam nasci. (*Hier.*) Nam cum et in prima ad Corinthios præmisisset : *His autem qui nupti sunt denuntio, non ego, sed Dominus* (*I Cor.* VII), et statim intulisset : *Cæteris autem ego præcipio*, ne vilis sua putaretur auctoritas : *Puto*, inquit, *quod et ego Spiritum Dei habeo;* ut Spiritu et Christo in se loquente, non contemptui duceretur, qui prophetas imitans diceret : *Hæc dicit Dominus omnipotens.* Majus autem fiet id quod dictum est : *Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest*, si cum principio copuletur, in quo ait : *Paulus apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum*, et reliqua, ut audientes, non tam missi, quam mittentis auctoritate moveantur. Potest aliquis dicere : Contrarium est huic loco illud quod ad Romanos scribitur (*Rom.* III) : *Circumcisio quidem prodest, si legem custodias;* et infra : *Quid ergo amplius est Judæo, aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum : primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei.* Si enim his qui circumcisi fuerint Christus nihil prodest, quomodo legem custodientibus prodest circumcisio? Quod quidem hac responsione solvetur, ut dicamus Epistolam, quæ ad Romanos scripta est, ad eos esse dictatam, qui ex Judæis gentilibusque crediderant; et hoc egisse Paulum, ut neuter populus offenderetur, quo scilicet suum utraque plebs privilegium possideret, ut nec Gentiles circumciderentur, nec circumcisi adducerent præputium. Ad Galatas autem scribens, alio usus sit argumento : non enim erant ex circumcisione, sed ex Gentibus qui crediderant, nec poterat eis prodesse circumcisio, qui post Evangelii gratiam iterum ad legalia reverterentur elementa. Subtilius intelligenda sententia, *Si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest :* quod non solum in eo si circumcidantur non eis prosit ipsa circumcisio; sed etiamsi cæteras videantur extra circumcisionem in Christo habere virtutes, universæ pereant, cum post fidem Christi fuerint circumcisi. Quid igitur? nihil profuit Timotheo circumcisio? *Multum per omnem modum.* Non enim tam ideo circumcisus est, ut ex ipsa circumcisione aliquid emolumenti æstimaret posse se consequi, quam ut cæteros lucrifaceret, factus Judæis Judæus, ut Judæos ad fidem Christi sua circumcisione transduceret. Tunc siquidem non prodest circumcisio, cum aliquid per semetipsam putatur utilitatis afferre. (*Aug.*) Dico ergo circumcisionem præputii, et cætera hujusmodi priori populo per testamentum quod vetus dicitur divinitus data ad significationem futurorum quæ per Christum oportebant impleri : quibus advenientibus remansisse illa Christianis legenda tantum ad intelligentiam promissæ prophetiæ, non autem necessario facienda, quasi adhuc exspectandum esset ut veniret fidei revelatio, quæ hic significabatur esse ventura; sed quamvis Gentibus imponenda non essent, non tamen sic debuisse auferri a consuetudine Judæorum tamquam detestata, atque damnata, sensim proinde atque paulatim fervente sane prædicatione gratiæ Christi, qua sola nossent credentes se justificari salvosque fieri, non illis umbris rerum antea futurarum, tunc jam venientium atque præsentium, ut in illa Judæorum vocatione quos præsentia carnalis Domini et apostolica tempora sic invenerant, omnis illa actio consumeretur umbrarum : hoc ei suffecisse ad commendationem ut non tanquam detestanda et similis idololatriæ vitaretur : ultra vero non haberet progressum, ne putaretur necessaria, tamquam vel ab illa salus esset, vel sine illa esse non posset : quod putaverunt hæretici, qui dum volunt esse Judæi et Christiani, nec Judæi, nec Christiani esse potuerunt. Christum autem nihil eis profuturum esse dicit si circumcidantur, sed illo modo quo eos isti volebant circumcidi : id est, ut in carnis circumcisione ponerent spem salutis. Non enim Timotheo non profuit Christus, quia Paulus ipse illum jam Christianum juvenem circumcidit : fecit autem propter scandalum suorum, nihil simulans omnino, sed ex illa indifferentia qua dicit, *Circumcisio nihil est, præputium nihil est :* nihil enim obest ista circumcisio ei, qui salutem in illa esse non credit.

Testificor autem omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ legis faciendæ. (Amb.) Possunt aliqui legem aliquatenus servare, et non circumcidi : nam multi Romanorum in Judæa servabant legem incircumcisi. Unde dicit Paulus apostolus ad Agrippam regem Judææ : *Credis, rex Agrippa, prophetis? Scio quia credis* (*Act.* XXVI). Et centurio cujus servus erat moriturus, qui mittens ad Jesum rogabat ut veniret et sanaret servum ejus, cui testimonium perhibentes Judæi dicebant ad Jesum : *Dignus est ut hoc præstes ei : diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis* (*Luc.* VII). Nemo tamen circumcisus non totam legem servat : debitor est enim, quia lex circumcisis data est. Hoc ideo dixit, quia tam hebetes se ostendebant, ut digni essent omnia onera legis portare. (*Hier.*) Deus qui circumcisionem primo ad Abraham, deinde per Moysen in lege præcepit, non solum circumcisionem, sed et alia multa observanda constituit : dies festos Hierosolymis frequentandos, hostiarum holocausta mane

Digitized by Google

semper et vespere, immolationem in uno tantum loco agni, terræ septima ætate ferias, quinquagesimum remissionis annum, et cætera quæ facile est de Scripturis excerpere sibi unumquemque lectorem. Coarctabimus itaque Ebionem et sectatores ejus, qui post Evangelium credentes in Christo, circumcidendos putant, aut ut circumcisionem faciant, et cætera quæ præcipiuntur in lege; aut si impossibile est cuncta fieri, cesset et circumcisio, quæ cum cæteris quasi inutilis prætermissa est. Quod si responderint possibilia tantum debere se facere (non enim Deum ea a nobis exigere quæ non possimus, sed quæ possimus implere); dicemus eis, non ejusdem esse Dei custodire velle legem, et eos, qui legem custodiant, derelinquere. Aut quomodo propter intermissam legem reos eos faciet, qui etiamsi velint, universa complere non possint? Nos vero legem sequi spiritalem, quæ dicat : *Non infrenabis os bovi trituranti* (*Deut.* xxv); et cum Apostolo intelligere : *Nunquid de bobus cura est Deo?* (*I Cor.* ix.) Sed propter nos utique dicit, et observare sabbata delicata, non ut bos et asinus noster et vilia pecora lætentur in sabbato, sed illi homines et pecora, de quibus scriptum est : *Homines et jumenta salvos facies, Domine* (*Psal.* xxxv), homines rationabiles quosque et spiritales viros; animalia vero eos qui tardioris ingenii sunt, et spiritalibus ad agenda Domini sabbata erudiuntur. Nec contrarium esse id quod supra dictum est : *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Et quod sequitur : *Testificor omnem hominem circumcidentem se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ*, Huic, quod infertur a nobis. *Neque enim auditores legis justi sunt apud Deum; sed factores legis justificabuntur* (*Rom.* ii), quia factor ille sit legis, qui potest dicere : *Nos sumus circumcisio;* et *In occulto Judæus;* et *Scimus quia lex spiritalis est.* Qui autem concisionem et interfectricem sequatur litteram, eum non legis esse factorem, sed veræ legis inimicum, maxime post Salvatoris adventum, qui ad se convertentibus tollat de corde velamen, ut omnes revelata facie gloriam Domini contemplantes transfiguremur de vetustate litteræ in novitatem spiritus (*II Cor.* iii). *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis.* (Amb.) Quibus nihil prodest Christus, evacuati sunt a Christo, erant enim gratia ejus pleni, qua recedente, evacuati sunt. His enim loquitur, qui post acceptum donum gratiæ Dei circumcidi se maluerunt. « Qui in lege gloriamini, a gratia excidistis. » Justitia legis est, si serventur, quæ data sunt : ideoque qui in his justificari se vult post fidem, amittit gratiam : quia ad hoc venit donum Dei, ut cessantibus oneribus legis, justificaret credentes apud Deum. (*Hier.*) Quomodo nemo potest duobus dominis servire, sic umbram pariter et veritatem legis implere difficile est. Umbra in lege veteri est, donec aspiret dies, et amoveantur umbræ. Veritas in Evangelio Christi : *Gratia enim et veritas per Jesum Christum factæ sunt.* Perdit ego gratiam Christi, et Evangelium, quod tenuerat, amittit, qui in aliqua observatione legis se justificari putat; et cum gratiam amiserit, a Christi fide destituitur, et in ejus opere conquiescit : κατηργήθητε enim ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, non ut in Latino male interpretatum est, *evacuati estis a Christo*, sed *in Christi opere cessastis.* Magis intelligitur, ut id quod supra spiritaliter de circumcisione præceperat, dicens, *Si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest,* nunc de tota lege generaliter comprehendat, nihil eos in Christi opere proficere, qui in quacunque observatione legis se crediderint justificandos.

Nos enim spiritu ex fide, spem justitiæ exspectamus, nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. (Amb.) Apertum est, quod dicit; quia spes justificationis in fide est per Spiritum, non per opera legis, in fide enim spiritaliter Deo servitur devotione mentis et puritate cordis. Unde dicit Dominus ad Samaritanam : *Deus Spiritus est, et adorantes eum, in Spiritu et veritate adorare oportet* (*Joan.* iv), ac per hoc neque præputium valet quidquam, neque circumcisio, sed sola fide opus est in charitate ad justificationem. Fides enim charitate fraterna debet muniri, ut perfectio sit credentis. Denique salvator, quod primum mandatum esset, interroganti scribæ respondit, dicens : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et proximum tuum tanquam teipsum. In his,* inquit, *duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ* (*Luc.* x). Imperfecta sunt itaque cætera, quando in his duobus mandatis perfectio continetur. (*Hier.*) His qui in Christo Jesu volunt vivere, virtutes appetendæ sunt, vitia fugienda; media vero, quæ inter virtutes et vitia sunt, nec fugienda sunt, nec appetenda, ut circumcisio et præputium, et cætera his similia. Igitur in Christo Jesu nec circumcisio valet, nec præputium corporale; quia in medio, id est, inter vitia virtutesque sunt posita; sed fides, quæ per charitatem operatur, ut et fides quæ reputata est Abrahæ in justitiam, comprobetur, et omne opus fidei in charitate ponatur, tota lege et prophetis ex charitate pendentibus. In his siquidem duobus præceptis : *Diliges Dominum Deum tuum, et diliges proximum,* Salvator asseruit legem prophetasque consistere. Et Paulus in alio loco : *Etenim non adulterabis, non furaberis, non concupisces, et si quod est aliud mandatum in hoc sermone recapitulatur : Diliges proximum tuum sicut te* (*Rom.* xiii). Si ergo omne mandatum recapitulatur in eo quod dictum est : *Diliges proximum tuum tanquam te,* fides autem per charitatem operata valet plurimum, manifestum est operationem fidei per charitatem, plenitudinem mandatorum omnium continere. Quomodo autem juxta apostolum Jacobum : *Fides absque operibus mortua est* (*Jac.* ii); sic absque fide, quamvis bona opera sint, mortua computantur. Qui igitur in Christo non credunt, et sunt probis moribus, aliud quid magis habent quam opera virtutum? Exemplum fidei, quæ per charitatem operatur, de Evangelio illa meretrix

Digitized by Google

tribuat, quæ cum in domo Pharisæi accumbenti Domino pedes lavisset lacrymis, tersisset crinibus, linisset unguento, et Pharisæo murmuranti Dominus parabolam quinquaginta et quingentos denarios debitoris proposuisset (*Luc.* VII) adjecit : *Propter quod dico tibi, dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*, et ad ipsam mulierem conversus ait : *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.*

Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire? (Amb.) Exercitium illorum in opere fidei bonum fuisse testatur, sed nequitia malorum hominum detentos, ne cursum suum efficacia perseverante consummarent. Unde ut resipiscant hortatur, de cætero nulli eorum credentes, qui ut opera legis servanda suaderent, Evangelicæ veritati non eos obedire sinebant. *Nemini consenseritis, persuasio hæc non est ex eo qui vocat vos.* Verum est, quia humano consilio hoc agebant Judæi, ut mitterent eos sub jugum legis, non Dei judicio, qui vocabat eos per Apostolum suum ad gratiam. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Hoc dicit, quia licet quippiam legis admiscentes fidei, violant fidem, ne habeat fructum, aut sit acceptabilis. Hoc ideo adjecit, ne forte incolumem se reputarent habere gratiam fidei, si pauca legis servarent. (*Hier.*) Aliud quippe Dei opus est, aliud hominum. Dei opus est vocare : hominum vel credere, vel non credere. Et sic ubi alibi de Scripturis liberum hominis affirmatur arbitrium, ut ibi : *Si volueritis et audieritis me*, et iterum : *Et nunc, Israel, quid petit a te Dominus Deus tuus?* (*Deut.* X), et ex hoc loco vel maxime comprobatur. Verum simpliciores quique putantes se deferre Deo, ut persuasio quoque nostra in ejus sit potestate, abstulerunt partem orationis *non*, et sensum contrarium Apostolo reddiderunt. Sive ergo in bonam, sive in malam partem, nec Deus, nec diabolus in causa est : quia persuasio nostra non est ex eo qui vocavit nos, sed ex nobis, qui vel consentimus, vel non consentimus vocanti. Aliter : Persuasio hæc quam nunc sequimini, non est ex Deo, qui in principio vos vocavit, sed ex his qui vos postea turbaverunt. *Modicum fermentum totam conspersionem fermentat.* (Hier.) Porro quæ est ista Pharisæorum alia doctrina, nisi legis secundum carnem observatio? Sensus itaque iste est : Nolite putare paucorum hominum, qui de Judæa venientes aliud docent, insidias contemnendas. Scintilla res parva est, et pene dum cernitur, non videtur; sed si fomitem comprehenderit; et nutrimenta sui, quamvis parvus ignis, invenerit, mœnia, urbes, saltus, regionesque consumet. *Ego confido de vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis.* (Amb.) Hac spe se dicit fidere de his, quia non sponte, sed circumventi erroris viam intraverant : inde ostenso vero itinere, facile eos posse reverti confidit. (*Hieron.*) Non per conjecturam, ut quidam volunt, sed prophetico spiritu Paulus pronuntiat Galatas ad veritatis viam, quam amiserant, regressuros. Etenim qui alios hortabatur, ut æmularentur charismata, magis autem ut prophetarent, ipse quoque eadem plenus gratia loquebatur : *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus* (*I Cor.* XIII). Prævidens igitur spiritu, quia nihil aliud essent crediturі, nisi quod per Epistolam docebantur, ait : *Ego confido de vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis.* Nam et additio Dominici nominis idipsum significat : si enim per conjecturam hoc æstimabat, potuerat dicere : *Ego confido de vobis* : nunc autem apponens *in Domino*, divino quodam confidens spiritu, quod futurum cognoverat prophetavit. *Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicunque est ille.* (*Amb.*) Quomodo qui errantem converti facit, remunerandus est, dicente Jacobo apostolo in Epistola sua : *Qui converti fecerit peccatorem, salvabit animam ejus, et operiet multitudinem peccatorum* (*Jac.* V); ita et qui recta incedentem via iter in devium cogit flectere, damnationem consequitur, quicunque fuerit. Hoc propter hos subjicit, ne qui sibi meritum defenderent, eo quod filii essent Abrahæ secundum carnem; denique exaltantes se dicunt ad Jesum, *Nos filii Abrahæ sumus* (*Joan.* VIII). [Hieron.] Portare autem judicium, id est, quod aliis verbis in sequentibus dixit, *Unusquisque proprium onus portabit.* Et puto in Scripturis onus et in bonam et in malam partem posse accipi, hoc est, et in his qui peccatis gravibus opprimuntur, et in illis qui virtutum levia onera sustentant. De peccatis in psalmo pœnitens loquitur : *Iniquitates meæ elevatæ sunt super caput meum, quasi onus grave gravatæ sunt super me* (*Psal.* XXXVII). De virtutibus doctrinaque virtutum Salvator ait : *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI). Quod autem et doctrina pro onere accipiatur, perspicuum fit in Evangelio : *Alligant* quippe Pharisæi *onera gravia et quæ portari non possunt, et superponunt ea super humeros hominum, ipsi autem uno ea digito nolunt contingere* (*Matth.* XXIII). Quam grave sit aliquem de tranquillitate turbare et serena corda hominum quibusdam quasi fluctibus concitare, Salvatoris ad apostolos verba testantur dicentis : *Ne conturbetur, cor vestrum, neque timeatis* (*Joan.* XIV); expedit quippe ei qui conturbat et scandalizat quemplam in Ecclesia, ut lapis molaris circumdetur collo ejus et mittatur cum eo in mare, quam ut scandalizet unum de his minimis qui a Salvatore monstrantur (*Matth.* XVIII). Turbati ergo fuerant Galatæ inter spiritum et litteram, circumcisionem et concisionem, Judaismum occultum et manifestum, quid agerent ignorantes. Brevius autem et sic accipi potest : Quicunque est ille, qui vos ad Pharisæorum doctrinam retrahit, et in carne desiderat circumcidi, quamvis sit eloquens, et in legis eruditione se jactet, nihil amplius dico, nisi hoc, quod etiam vos abnuere non potestis, quod portabit pro hoc opere judicium et consequetur pro suo labore mercedem. (*Aug.*) Hæc est illa conturbatio contraria ordini, ut de spiritalibus carnales fiant, et quoniam intelligendum est, fuisse quosdam, qui cum vellent eis

Digitized by Google

istam servitutem persuadere, et viderent eos Pauli apostoli auctoritate revocari, dicerent etiam ipsum Paulum id sentire, sed non eis facile aperire voluisse, sententiam suam opportunissime subjecit: *Ego autem, fratres, si circumcisionem prædico, quid adhuc persecutionem patior?* (Amb.) Apertum est quod dicit; ideo enim quasi inimicus a Judæis audiebatur et non desinebant a persecutione ejus: quia circumcisionem jam cessare docebat. Denique Judæis compellentibus et sæpenumero falsas accusationes contra eum deferentibus obliquum judicem videns coactus appellavit Cæsarem. *Ergo evacuatum est scandalum crucis.* Scandalum erat Judæis prædicatio crucis, quia sabbatum et circumcisionem evacuabat; si autem admitteret circumcisionem, non esset scandalum, et pacifici nobis essent Judæi. Nam dicebant de Salvatore: *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit* (*Joan.* IX). [Hieron.] Legimus in Actibus apostolorum, et ipse quoque apostolus Paulus in Epistolis suis sæpe commemorat, se a Judæis persecutiones creberrimas sustinuisse, propterea quod doceret eos qui ex Gentibus crediderant in Christo, non debere circumcidi. Hi itaque, de quibus supra ait: *Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicunque est ille,* ut deciperent Galatas, etiam hoc addebant: Non solum Petrus et Jacobus et Joannes et cæteri in Judæa apostoli circumcisionem et alia præcepta legis observant, sed ipse quoque Paulus, qui vos aliter docuit quam se rei veritas habet, Timotheum circumcidit, Judæis frequenter Judæus factus est, veritate cogente. Quam opinionem de Galatarum mentibus Paulus nunc volens tollere, ait: *Ego autem, fratres, si circumcisionem prædico, quid adhuc persecutionem patior?* Omne, inquit, in me odium Judæorum, et qua adversus me furiunt insania, ob nihil aliud est, nisi quod doceo Gentes non debere circumcidi et legis onera superflua et jam abolita custodire. Cum autem persecutionem patiar, manifestum est me circumcisionem non prædicare, quam destruo. Non enim tam persecutionem patior a Judæis, quia prædico crucifixum, et Jesum esse dico Christum, quem lex et prophetæ prænuntiaverunt, quam quia doceo legem esse completam. Quod autem crux Judæis scandalum sit, Gentibus stultitia, ipse Dominus noster ostendit, qui lapis dicitur offensionis et petra scandali: propter nihil aliud puto, nisi quia prædicatio cum plenis velis apud audientes processerit, statim ut ad crucem venerit, impingit; et nequaquam libero cursu potest ultra procedere. Sed hæc crux, quæ apud Judæos scandalum est et apud Gentes stultitia, nobis qui credimus virtus est et sapientia « Christus enim Dei virtus est et Dei sapientia » (*I Cor.* I), ut propter id quod stultitia dicebatur, fatuum Dei sapientius fieret hominibus, et propter id quod infirmitas et scandalum, infirmum Dei fortius fieret hominibus. *Ergo evacuatum est scandalum crucis: utinam et abscindantur, qui vos conturbant!* (*Amb.*)

B Utinam abscindantur hi qui vos subvertunt! Tale est hoc, quale et illud ad Corinthios in prima: *Qui non,* inquit, *amat Dominum Jesum, anathema sit* (*I Cor.* XVI). Ex ipso grege morbido sunt et hi quos sociat sententiæ eorum, ut abscindantur a misericordia Dei, qui Galatas Dei gratia exuerunt; et non solum spiritaliter, sed et carnaliter hos maledicit, ut quia circumcidi Galatas cogebant, ipsi abscinderentur, ut multiplicaretur his dolor corporis. (*Aug.*) *Utinam,* inquit, *abscindantur qui vos conturbant!* non tantum, inquit, circumcidantur, sed abscindantur: sic enim fient spadones propter regnum cœlorum, et carnalia seminare cessabunt. (*Hieron.*) Quæritur, quomodo Paulus, discipulus ejus qui ait: *Benedicite maledicentibus vobis* (*Luc.* XVI); et ipse loquens: *Benedicite et nolite maledicere* (*Rom.* XII); et in alio loco. *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI), nunc et maledixerit eis qui Ecclesias Galatiæ conturbabant, et cum optantis voto maledixerit, *Utinam et abscindantur qui vos conturbant!* Tam enim detestanda abscisionis est passio, ut et qui invitis eam intulerit, legibus publicis puniatur, et qui seipsum castraverit, infamis habeatur. Ut enim illud, aiunt, verum sit, *vivit in me Christus* (*Gal.* II); et hoc: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* (*II Cor.* XI) certe maledictionis vox non potest ejus intelligi, qui dicit: *Discite a me quia humilis sum, et mitis, et mansuetus corde* (*Matth.* XI). Et magis putatur Judaico furore et quadam effrenata insania se non potuisse cohibere, quam imitatus C esse eum qui tanquam agnus coram tondente se non aperuit os suum, et maledicentibus non remaledixit: tradidit se morti condemnatus. Ad quod qui pro Paulo respondebit, hæc dicet: non tam furoris in adversarios, quam dilectionis in Ecclesias Dei verba esse quæ locutus sit. Videbat quippe totam provinciam, quam ipse suo sanguine et periculis ab idololatria ad Christi transduxerat fidem, subita persuasione turbatam, et dolore apostolico, dolore patris, se tenere non poterat: mutabat vocem, et quibus blanditus fuerat, irascebatur, ut quos nequiverat lenitate, saltem objurgatione retineret. Nec mirum esse si Apostolus, ut homo et adhuc vasculo clausus infirmo, videnque aliam legem in corpore suo captivantem se et ducentem in lege peccati, semel fuerit D hoc locutus, in quod frequenter sanctos viros cadere perspicimus. Sed et illud dici potest, licet superfluum quibusdam esse videatur, quod Paulus non tam maledixerit eis, quam oraverit pro illis, ut eas partes corporis perderent, per quas delinquere cogebantur; et quomodo in Evangelio dictum est (*Matth.* XVIII), melius esse aliquem sine oculo et sine manu, et sine pede, et qualibet alia parte membrorum intrare in regnum cœlorum, quam totum ire in gehennam: ita et nunc optare eis magis unam partem corporis perdere, quam per occasionem integri corporis perpetuo igne damnari. Hic locus, quando ab ethnicis reprehenditur, quomodo eis responderi possit, ostendimus. Nunc a nobis contra

Digitized by Google

hæreticos proleratur, Marcionem videlicet et Valentinum et omnes, qui contra vetus latrant Testamentum, qua ratione illi qui creatorem sanguinarium, severum bellatorem, et tantum judicem criminantur, hoc in apostolo Dei boni valeant excusare. Et certe nullam puto in veteri lege tam trucem, tam cruentam in aliquos esse sententiam, quam *utinam abscindantur, qui vos conturbant!* Nec possunt dicere orasse Apostolum pro inimicis Christi, qui ejus Ecclesias conturbabant; nec ex dilectione prolatum quod tumore et indignatione plenum ipso verborum pondere demonstratur. Quidquid ergo illi pro Apostolo excusationis attulerint, hoc non pro lege veteri defendemus. (*Aug.*) Maledicta enim et prophetica dicuntur, non sunt de malo voto imprecantis, sed de præscio Spiritu denuntiantis; nam illud tanquam stomachatus et indignatus etiam male optasse videtur Apostolus, *Utinam et abscindantur qui vos conturbant!* Quod utique, si consideres personam scribentis, magis eum elegantissimo ambiguo bene optasse intelliges: sunt spadones, qui seipsos abscinderunt propter regnum cœlorum.

LIBER SEXTUS DECIMUS.

SEQUITUR CAPUT V.

Vos enim in libertatem vocati estis, fratres; tantum, ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem servite invicem. (*Amb.*) In libertatem vocati sunt, quia, cum peccatis essent obnoxii, Dei gratiam accipientes remissam delictorum liberati sunt. *Tantum ne libertatem in occasionem carnis detis.* Hoc dicit, ne acceptam libertatem occasio carnis adimat: ad hoc enim circumcidi eos volebant, ut in conditionem legis intrarent. Ideo monet, ne sit occasio consentiendo eis. « Sed per dilectionem Spiritus servite vobis invicem, » non per affectum carnis charitatem habendam, sed per Spiritum exhortatur, ut invicem sibi subjecti sint. « Universa enim lex in vobis uno verbo impletur, *diliges proximum tuum, sicut teipsum.* » Hoc scriptum est in Levitico, quod supra dictum est, quia perfectio salutis per dilectionem operatur, quia qui non diligit fratrem, non diligit Deum, dicit Joannes apostolus (*I Joan.* IV). *Quod si mordetis invicem et criminatis, videte ne ab invicem consumamini*; manifestum est, quia dissensio fratrum inimica est dilectionis, ideo monet ut pacifici sint proficientes in bono. Contentiones enim generant jurgium, cujus fructus est vitæ consumptio. (*Theod.*) Quisquis ergo perfectionem evangelicæ studuerit tenere doctrinæ, hic sub gratia constitutus, peccati dominatione non premitur: hoc est enim esse sub gratia, quæ a gratia mandantur implere; quicunque vero perfectionis Evangelicæ plenitudini subjectus esse noluerit, non ignoret se, quamvis baptizatus sibi videatur ac monachus, non esse sub gratia, sed sub legis adhuc vinculis præpeditum peccati pondere pergravari. Propositum namque est ejus, qui omnes, a quibus receptus fuerit, gratia adoptionis assumit, non destruere, sed superædificare, nec evacuare, sed adimplere Mosaicas sanctiones; quod nonnulli penitus ignorantes et consiliorum atque exhortationum Christi magnificentiam negligentes, ita præsumptivæ libertatis securitate solvuntur, ut non solum Christi præcepta tanquam ardua non attingant, verum etiam ipsa illa, quæ illis insipientibus parvulisque Mosaica lege mandata sunt velut antiquata contemnant, illud quod Apostolus exsecratur, noxia libertate dicentes: *Peccavimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia* (*Rom.* VI). Qui ergo nec sub gratia est, quia nequaquam ad Dominicæ doctrinæ culmen ascendit, nec sub lege, quia etiam ipsa illa parvula legis mandata non suscipit, hic duplici peccatorum oppressus imperio ob solam gratiam Christi percepisse se credit, ut per noxiam libertatem ab eo fieret alienus, in illud incidens, quod apostolus Petrus, ne incurramus enuntiat: *Quasi liberi*, inquit, *agite, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem* (*I Petr.* II). Beatus quoque apostolus Paulus: *Vos enim*, inquit, *in libertate vocati estis, fratres*, id est, ut absoluti sitis a dominatione peccati, *tantum, ne libertatem in occasione carnis detis*, id est, frustrationem legalium præceptorum credatis esse licentiam vitiorum. Hæc vero libertas, quia nusquam, nisi ibi sit tantum, ubi Dominus commoratur, Paulus apostolus docet: *Dominus*, inquiens, *spiritus est: ubi autem spiritus Domini, ibi libertas* (*II Cor.* III). Quapropter ignoro utrum hunc beati apostoli sensum, sicut hi qui experti sunt sapiunt, exprimere atque elucidare potuerim; unum scio, apertissime illum etiam sine expositione cujusquam omnibus servari, qui practicem, id est, actualem perfecte tenuerint disciplinam. Non enim laborabunt, ut quod jam operando didicerunt intelligant disputando. *Sed per charitatem*, inquit, *servite invicem.* (Aug.) Qui enim per charitatem servit liber, et servit, et sine miseria obtemperat Deo cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur. Tunc enim nos charitas a jugo culpæ liberos reddit, cum vicissim nos nostrum per amorem servitio subjicit, et cum aliena nostra bona credimus, et nostra aliis quasi sua offerentes exhibemus. (Hieron.) Hunc locum quo dicit: *Vos enim in libertatem vocati estis, fratres*, etc., quia valde obscurus est, de decimo Stromatum libro transferri placuit ad verbum: non quod singula non possint suis locis et sensibus explanari: sed quod a superiori negotio separata, unum difficile corpus efficiant: et si sic intelligantur ut resonant, inconsequenter et abrupte

Digitized by Google

repugnare inter se, et scatere videantur. (*Orig.*) Origenis itaque hæc verba sunt : Difficilis locus est, et ita nobis disserendus videtur. Qui liber est, et altiori sensu spiritum et veritatem sequitur, præcedentes et typos contemnit et litteram; non idcirco debet minores despicere, et occasionem dare his, qui non possunt sentire sublimius, de se penitus desperandi; licet enim infirmi sint et caro comparatione spiritus appellentur, caro tamen Christi sunt. Si enim intelligit mysterium charitatis infirmioribus servientis, faciat aliquid propter infirmos, ne in scientia sua frater pereat, pro quo Christus est mortuus. Diligenter itaque attende, an ex consequentibus sensus iste texatur. *Vos*, inquit, *fratres, in libertatem vocati estis.* Forsitan ideo, quia non omnes vocationem poterant capere libertatis; propter quod nunc auditis, *tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.* Per dilectionem enim oportet minoribus servire majores, quia qui vult esse major, erit omnium servus. Neque ergo spiritalis laceret Christi carnes, neque occasionem illis tribuat, ut se remordeant provocantem, ne ab invicem consumantur. (*Aug.*) Hæc est spes nostra, ut a libero liberemur, et liberando servos nos fecit : servi enim eramus cupiditatis, liberati efficimur servi charitatis. Hoc et Apostolus dicit : *Vos, fratres, in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem servite invicem.* Non ergo dicat Christianus : Liber sum, in libertatem vocatus sum; servus eram, sed redemptus sum, et ipsa redemptione liber effectus sum; faciam quod volo, nemo me prohibeat a voluntate mea si liber sum. Sed si ista voluntate peccatum facis, servus es peccati. Noli ergo libertate abuti ad libere peccandum, sed utere ad non peccandum : erit enim voluntas tua libera, si fuerit pia; eris liber, si fueris servus : liber peccati, servus justitiæ. *Sed per charitatem*, inquit, *servite invicem :* quod fieri non potest, nisi alterius infirmitatem quisque habeat, quasi suam, ut eam æquanimiter ferat, donec ab ea liberetur ille cujus curat salutem. *Omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Quæri autem potest, cur Apostolus et hic solam commemoravit proximi dilectionem, qua legem dixit impleri, et ad Romanos, cum in eadem quæstione versaretur : *Qui enim diligit alterum*, inquit, *legem implebit : nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces, et si quod est aliud mandatum in hoc sermone recapitulatur : Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Dilectio proximi malum non operatur : plenitudo autem legis charitas* (*Rom.* XIII). Cum ergo nisi in duobus præceptis dilectionis Dei et proximi, perfecta sit charitas, cur Apostolus, et in hac, et in illa epistola solam proximi dilectionem commemorat? nisi quia de dilectione Dei possunt mentiri homines, quia rariores tentationes eam probant. In dilectione autem proximi facilius convincuntur eam non habere, cum inique cum hominibus agunt. Consequens est autem, ut qui ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente Deum diligit, diligat et proximum tanquam seipsum : quia hoc jubet ille quem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligit. Item, diligere proximum, id est, omnem hominem tanquam se ipsum, quis potest, nisi Deum diligat, cujus præcepto et dono dilectionem proximi possit implere? Cum ergo utrumque præceptum ita sit, ut ne unum sine altero possit teneri, etiam unum horum commemorare plerumque sufficit, cum agitur de operibus justitiæ : sed oportunius illud, de quo quisque facilius convincitur. Unde Joannes dicit : *Qui enim non diligit fratrem quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* (*1 Joan.* IV.) Mentiebantur quidam dilectionem se Dei habere, et de odio fraterno eam non habere convincebantur, de quo judicare in quotidiana vita et moribus facile est. (*Hieron.*) Apostolus ergo, cum esset liber ex omnibus, omnium se propter charitatem servum fecit, ut plures lucrifaceret. Unde recte hortatur et cæteros, ut per charitatem sibi serviant, quæ non quærit quod suum est, sed quod proximi. Qui enim vult fieri primus, erit omnium servus, ut quomodo Salvator in forma Dei constitutus, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed seipsum exinanivit formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo, humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Phil.* II); ita et nos quæcunque ante sub lege necessitate facere videbamur, nunc sciamus nobis liberis magis per charitatem esse facienda. Tantum autem bonum est charitas, ut omnis lex in illa recapituletur. Enumerat et in alio loco Apostolus charitatis bona dicens : *Non zelatur, non agit perperam* (*1 Cor.* XIII); multisque in medio replicatis, in fine concludit : *Omnia sperat, omnia sustinet; charitas nunquam excidit;* et Salvator in Evangelio hoc signum sui ait esse discipuli, si diligat proximum : quod quidem puto non solum hominibus, sed etiam angelis convenire. Aliis verbis id ipsum dicitur : *Quod vobis fieri non vultis, alteri ne feceritis : et quæ vultis, ut faciant vobis homines, hæc eadem et vos eis facite similiter* (*Matth.* VII). Nolo adulterari uxorem meam, nolo substantiam diripi, nolo me falso opprimi testimonio, et ut cuncta brevi sermone comprehendam, indigne fero aliquid mihi fieri quod injustum est. Hæc eadem si per charitatem in me operantem, vel fecero alteri, vel voluero, lex omnis impleta est. Nec difficile est docere quomodo universa præcepta, non occides, non adulterabis, non furaberis, non falsum testimonium dices, et cætera his similia, una charitatis observatione teneantur. Hoc ostendere arduum est, quomodo hostiæ quoque, quæ in Levitico sunt præceptæ, et ciborum vel abstinentia, vel permissio cum alia munda, alia dicantur immunda, solemnitatem quoque jugis per annos recursus, in uno charitatis præcepto recapitulentur : nisi forte quis illo se transferat, ut affirmet legem spiritalem esse, et imaginibus et exemplaribus nos cœlestium deservisse, antequam verus pontifex adveniret : qui postquam

Digitized by Google

semel seipsum offerens victimam, suo sanguine nos redemit, omnis illa priscæ legis varietas et difficultas in ipsius super homines dilectione completa est. In tantum quippe Pater amavit mundum, ut Filium suum charissimum et unigenitum daret pro nobis (*Joan.* III). Ei autem qui semel spiritu vivens opera carnis mortificavit, et a Salvatore dilectus, nequaquam servus, sed amicus vocatur (*Joan.* XV), non est ultra lex posita, quæ impiis et peccatoribus, et non solum subjectis et nefariis constituta est. At nunc, cum omnia quæ difficiliora sunt, vel modica ex parte faciamus, hoc solum non facimus, quod et facto facilius est, et absque quo cassa sunt universa quæ facimus. Jejunii corpus sentit injuriam, vigiliæ carnem macerant, eleemosynæ labore quæruntur, sanguis in martyrio, quamvis ardeat fides, tamen sine timore et dolore non funditur. Hæc omnia sunt qui faciant : sola charitas sine labore est. Et quia sola cor mundum efficit a diabolo expugnatur in nobis, ne Deum pura mente videamus. Quando enim sedens loquor contra fratrem meum et contra filium matris meæ pono scandalum, quando aliena torqueor felicitate, et alterius bonum meum malum facio, nonne hoc, quod sequitur, in me expletur? *Quod si invicem mordetis, et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Charitatis rara possessio est. Quis vult ipse anathema esse a Christo pro fratribus suis Apostolum sequens? quis cum lugentibus lugens, cum gaudentibus gaudens, alieno vulnere vulneratur? quis fratris morte percutitur? Omnes magis amatores nostri, quam amatores Dei sumus. Vide quantum bonum sit charitatis. Si ita martyrium fecerimus, ut nostras velimus ab hominibus reliquias honorari, si opinionem vulgi sectantes intrepidi sanguinem fuderimus, et substantiam nostram usque ad mendicitatem propriam dederimus, huic operi non tam præmium quam pœna debetur, et perfidiæ magis tormenta sunt quam corona victoriæ. *Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Potest hoc simpliciter accipi, ne detrahamus invicem, ne maledicto nos putemus ulcisci, ne contristati contristare cupiamus, et similes bestiarum, mordere pariter et remorderi, ut post morsus sequatur interitus atque consumptio.

Dico autem : Spiritu ambulate, et concupiscentiam carnis non perficietis. (Ambr.) Postquam a lege factorum eos prohibuit, in qua sunt præcepta carnalia, nunc ut a vitiis carnis se contineant præcipit : hic enim spiritu ambulat, qui fugit peccata. *Nam caro concupiscit adversus spiritum, spiritus vero adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis.* Duas leges proponit, sicut facit et in Epistola ad Romanos, quæ invicem adversantur, unam Dei, alteram peccati : quæ ideo in carne significatur, quia visibilibus oblectatur, cupida peccatorum, ut his sibi adversantibus medius homo non ea, quæ vult, agat. Divina enim lex premit et fugat legem peccati consulens homini, ut vigorem naturæ suæ custodiat, ne capiatur illecebris : illa e contra in insidiis agens, lacessit hominem blanditiis, ut spernat præceptum legis divinæ. Cum ergo consenserit homo legi Dei, contradicit lex peccati suadens homini, ne faciat quod imperat lex divina. E diverso autem lex Dei revocat hominem, ne faciat quod suggerit lex peccati. Quod quidem homo non videt esse absurdum : scit enim naturæ suæ congruere, si faciat quod imperat lex Dei, denique gaudet quando hæc agit. Cum autem ea operatur quæ suggerit lex peccati, videt se turpem et horret post factum. Ideoque legis spiritus præcepta servanda sunt et carnalia fugienda. Ipsa enim conscientia accusat, si ei consentiat, sciens horrori esse quæ suggerit lex peccati. (*Hieron.*) *Dico*, inquit, *Spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis.* Et hoc secundum superiora dupliciter accipiendum, ut dicamus eos, qui spiritu opera carnis mortificaverint et seminaverint in spiritu, ut de spiritu metant vitam æternam. Quotiescunque voluptatem carnis senserint titillare, non perficere desiderium ejus, quod quidem si expletum fuerit blandiri videtur ad tempus; sed spiritu refrenare, et secundum sententiam historici, animi imperio, corporis servitio, magis vivere; nec non et illud, quia lex spiritalis est, et non qui in manifesto Judæus, sed qui in occulto et circumcisio cordis in spiritu, non littera, eos ambulare spiritu et carnis desiderium non perficere dicimus, qui spiritaliter egrediuntur Ægyptum, et spiritalem escam potumque de spiritali hauriunt petra, qui non judicantur in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ et sabbati; sed ambulant in omnibus spiritaliter, non perficientes carneæ legis litteræve desiderium, sed fructus metentes intelligentiæ spiritalis. Tertia quoque interpretatio a quibusdam in hoc loco dicta est, sed quæ non multum discrepat a secunda, ut desiderium carnis in his asserant esse, qui parvuli in Christo sunt : iter autem spiritus in perfectis viris, et esse sensum : In gravitate spiritus, id est, in itinere viri ambulate perfecti, et non facietis desideria parvulorum. *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem. Hæc enim invicem adversantur, ut non, quæcunque vultis, illa faciatis.* Caro præsentibus delectatur et brevibus : spiritus perpetuis et futuris. Inter hoc jurgium media anima consistit, habens quidem in sua potestate bonum et malum, velle vel nolle, sed non habens hoc ipsum velle ac nolle perpetuum, quia fieri potest, ut cum carni consenserit et opera ejus fecerit, rursum per pœnitentiam se remordens spiritui copuletur et opera ejus efficiat. Hoc est ergo quod ait : *Hæc enim invicem adversantur*, id est, caro et spiritus, *ut non quæcunque vultis, illa faciatis :* non quod proprium nobis tulerit arbitrium, quo vel carni, vel spiritui assentiamus, sed quia quod facimus non est nostrum proprie, sed opus ipsum vel carni, vel spiritui deputatur. Grandis laboris et disputationis est nimiæ, ostensis carnis operibus et spiritus, media aliqua reperire, quæ nec ad

Digitized by Google

carnem videantur pertinere, nec ad spiritum. Carnales dicimur, quando totos nos voluptatibus damus : spiritales quando sanctum Spiritum prævium sequimur, id est, cum ipso sapimus instruente, ipso docemur auctore. Animales reor esse philosophos, qui proprios cogitatus putant esse sapientiam, de quibus recte dicitur : *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus : stultitia quippe ei est* (*1 Cor.* II). Quod, ut manifestius fiat, aliquod sumamus exemplum : Caro, terra, anima, aurum, spiritus, ignis vocentur. Quam diuaurum fuerit in terra, perdit vocabulum suum, et a terra, cui commistum est, appellatur : cum vero separatum ab humo, auri et speciem et nomen acceperit, aurum quidem dicitur, sed necdum probatum. Si autem per ignem excoctum fuerit et purgatum, tunc auri splendorem et ornatus sui accipit dignitatem. Ita et anima inter humum et ignem, hoc est inter carnem spiritumque consistens, quando sese tradiderit carni, caro dicitur, quando spiritui, spiritus appellatur. Quod si proprio crediderit cogitatui, et absque gratia Spiritus sancti invenire se æstimaverit veritatem, quasi aurum sordidum, animalis hominis appellatione signabitur. (*Cass.*) Caro luxuriis ac libidine delectatur, spiritus ne ipsis quidem naturalibus desideriis acquiescit. Illa cupit satiari somno, repleri cibo : hic ita vigiliis et jejuniis saginatur, ut ne ad ipsum quidem necessarium vitæ usum somnum cibumque vellet admittere; illa universis exuberare copiis concupiscit : hic ne ipsius quidem exigui panis quotidianam substantiam habere contendit. Lavacris illa nitescere et quotidianis adulantium cuneis appetit constipari; hic squalore sordium et inaccessibilis eremi vastitate congaudet; honoribus illa et laudibus hominum confovetur : hic irrogatis sibi injuriis ac persecutionibus gloriatur. Inter has igitur utrasque concupiscentias, animæ voluntas in meditullio quodam vituperabiliore consistens, nec vitiorum flagitiis oblectatur, nec virtutum doloribus acquiescit : sic quærens a passionibus temperare carnalibus, ut nequaquam vellet dolores necessarios sustinere, sine quibus desideria spiritus nequeunt possideri; absque castigatione carnis castimoniam corporis desiderans obtinere; sine vigiliarum labore cordis acquirere puritatem; cum requie carnis spiritalibus exuberare virtutibus; absque ullius exasperatione convitii patientiæ gratiam possidere; humilitatem Christi sine honoris mundani exercere jactura; religionis simplicitatem cum sæculari ambitione sectari; Christo cum hominum laude ac pavore servire; districtionem veritatis sine cujuspiam vel tenui offensione proferre. Postremo sic mavult futura consequi bona, ut præsentia non amittat : quæ voluntas nunquam nos ad perfectionem veram faceret pervenire, sed in tempore quodam teterrimo collocaret, talesque faceret, quales illi sunt, qui in Apocalypsi increpatione Domini castigantur : *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus; utinam frigidus esses, aut calidus! nunc autem tepidus es, et incipiam te evomere ex ore meo* (*Apoc.* III), nisi hunc tepidissimum statim altrinsecus hæc insurgentia bella disrumperent. Nam cum famulantes huic voluntati nostræ ad hanc voluerimus nosmetipsos paululum relaxare, confestim aculei carnis insurgunt, suisque nos vitiis et passionibus sauciantes, nequaquam in illa qua delectamur puritatis qualitate stare permittent, atque ad illam quam horremus frigidam voluntatum plenamque sentibus pertrahunt viam. Rursum spiritus fervore succensi opera carnis volentes extinguere, sine ullo respectu fragilitatis humanæ totos nosmetipsos tentaverimus ad immoderata virtutum studia cordis elatione conferre, nisi interpellans caro ab illa reprehensibili nimietate spiritus revocat, ac retardat, et ita fit ut utraque concupiscentia tali colluctatione alterna sibimet repugnante, animæ voluntas, quæ nec totam se carnalibus desideriis debere, nec virtutum vult laboribus desudare, quodammodo justo moderamine temperetur, dum hæc inter utraque contentio illam pernitiosiorem excludens animæ voluntatem, quamdam æqualitatis libram in stateram nostri corporis collocat, quæ spiritus carnisque confinia justo discernit examine, nec a dextris mentem spiritus ardore succensam, nec a læva carnem vitiorum aculeis præponderare permittens. Hæc pugna quotidianis diebus utiliter exagitatur in nobis, ad illud statum, quod nolumus, salubriter venire compellimur, ut puritatem cordis non otio, nec securitate, sed jugi sudore et contritione spiritus acquiramus, castitatemque carnis districtis jejuniis, fame, siti, ac vigilantia retineamus : directionem etiam cordis lectione, vigiliis, oratione continua et solitudinis squalore capiamus, patientiam tribulationum exercitiis retentemus, cum blasphemiis et opprobriorum saturitate nostro serviamus auctori; veritatem cum invidia mundi hujus et inimicitiis, si necesse fuerit, exsequamur, et tali colluctatione in nostro corpore militante, protractis nobis ab hac ignavia et securitate, atque ad istum quem nolumus laborem ac virtutum studia provocatis, æquitas optime media retentetur, et tepidum nostræ voluntatis arbitrium, hinc spiritus fervor, hinc carnis gelidissimus rigor moderatissimo calore contemperent; ac neque ad effrenata vitia mentem pertrahi concupiscentia spiritus sinat; nec rursum ad virtutum irrationabiles appetitus fragilitas carnis spiritum patiatur extolli; ne vel illius omnigenum pullulent fomites vitiorum : vel hinc elatio morbi principalis emergens, telo nos superbiæ graviore confodiat; sed horum pugna æquilibratione justa succedens, sanam et moderatam inter utraque virtutum reseret viam, itinere regio docens militem Christi semper incedere.

Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. (*Amor.*) Non est obscurum, quia qui ducem habet sanctum Spiritum, non errat. Lex enim errantibus dominatur, sicut alio loco dicit (*1 Tim.* I) : *Justo lex non est posita.* (Hieron.) Notandum ergo, quod hic spiritus non cum articulo et cum additamento aliquo, sicut in

Digitized by Google

cæteris legimus, spiritum mansuetudinis. et spiritum fidei, sed simpliciter spiritus appellatur : quæ quidem minutiæ magis in Græco quam in nostra lingua observatæ, qui ἄρθρα penitus non habemus, videntur aliquid habere momenti. Quæritur in hoc loco, si quicunque spiritu ducitur, non est sub lege, utrum Moyses et prophetæ vel spiritu acti sint, et sub lege vixerint, quod Apostolus negat, aut habentes spiritum sub lege non fuerint, quod Apostolus hic affirmat : aut quod est tertium, sub lege viventes spiritum non habuerint, quod de tantis viris nefas est credere. Ad quod nos breviter respondebimus, non idem esse sub lege esse, et esse quasi sub lege, quomodo non idipsum est in similitudine carnis peccati et in carne esse peccati. Nec idem sonat verus serpens, et ærei similitudo serpentis, quem Moyses in eremo suspendit. Sic igitur et sanctos prophetas, et Moysen ambulantes spiritu, et spiritu viventes, non sub lege, sed quasi sub lege vixisse, ut ipsi viderentur quidem esse sub lege; sed eos, qui sub lege erant, lucrifacerent, et ab humilitate litteræ ad altitudinem spiritus provocarent. Nam et Paulus, qui Judæis Judæus factus est, et omnibus omnia, ut omnes lucrifaceret (*I Cor.* IX), non dixit *factus sub lege*, sed, *factus quasi sub lege*, ut ostenderet se non veritatem legis, sed similitudinem custodisse. Videmur nobis solvisse propositam quæstionem. Sed quid faciemus de illo Pauli capitulo dicentis : *Cum autem venerit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret?* Si enim Christus sub lege fuit, et non quasi sub lege, tota illa superior disputatio vacua fiet. Verum et hæc oppositio de suo solvetur loco. Qui enim propterea factus sub lege est, ut eos, qui erant sub lege, redimeret, utique cum esset liber a lege, legi se subdidit voluntate, et multo erat Paulo liberior, qui non sub lege, sed quasi sub lege se fuisse testatus est. Et quomodo in cœnum et barathrum mortis propter nos descendit, qui orabamus dicentes : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII) ita et ex muliere nasci voluit, et esse sub lege, et eos, qui erant nati de muliere et vivebant sub lege, salvaret. (*Aug.*) *Spiritu*, inquit, *ambulate et concupiscentias carnis ne perfeceritis.* Non ait, Ne feceritis, quia eas non habere non poterant; sed, *ne perfeceritis*, id est ne opera eorum consensu voluntatis impleatis. Quod ergo est ad Galatas : *Concupiscentias carnis ne perfeceritis*, hoc contrario est ad Romanos : *Perficere autem bonum non invenio;* quia nec illæ perficiuntur in malo, quoniam eis non accedit nostræ voluntatis assensus, nec nostra voluntas perficitur in bono, quamdiu illarum, cui non consentimus, permanet motus. *Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Hæc enim invicem adversantur sibi, ut non quæcunque vultis, illa faciatis.* Cum caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem, ut non ea, quæ volumus, faciamus, nec carnis perficiuntur concupiscentiæ, quamvis fiant, nec nostra perficiuntur bona opera, quamvis fiant. Sicut enim tunc perficitur carnis concupiscentia, cum consentit et spiritus ad opera mala, ut non concupiscat adversus illam, sed cum illa : sic et bona opera. Nam tunc perficientur, quando ita spiritui caro consenserit, ut adversus eum etiam ipsa non concupiscat. Hoc enim volumus, cum perfectionem justitiæ concupiscimus. Verissime quippe ac veracissime scriptum est, *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem;* sed tantum carnem sine anima concupiscere nihil posse puto, quod omnis doctus indoctusque non dubitet; ac per hoc ipsius concupiscentiæ carnalis causa non est in anima sola, sed multo minus est in carne sola : ex utroque enim fit, scilicet ex anima, quod sine illa delectatio nulla sentitur : ex carne autem, quod sine illa carnalis delectatio non sentitur. Carnem itaque concupiscentem adversus spiritum dicit Apostolus, carnalem procul dubio delectationem, quam de carne et cum carne spiritus habet, delectationem quam solus habet : solus quippe habet, nisi fallor, desiderium, non cum carnis voluptate, vel carnalium rerum cupiditate commistum, quo desiderat et deficit anima in atria Domini (*Psal.* LXXXIII). Solus habet etiam illud, de quo ei dicitur, Concupisti sapientiam, serva mandatum, et Dominus præbet eam tibi. Nam cum spiritus imperat membris corporis, ut huic desiderio serviant, quo solus accenditur, velut cum assumitur codex, cum aliquid scribitur, legitur, disputatur, auditur, cum denique panis frangitur esurienti et cætera humanitatis ac misericordiæ præstantur officia, obedientiam caro exhibet, non concupiscentiam movet. His itaque hujusmodi desideriis, quibus sola anima concupiscit, cum adversatur aliquid, quod eamdem animam secundum carnem delectat, tunc dicitur caro concupiscere adversus spiritum et spiritus adversus carnem. *Quod si spiritu*, inquit, *ducimini, non estis sub lege.* Magna mihi videtur quæstio, quid sit esse sub lege, sic quemadmodum Apostolus culpat; neque enim hoc eum propter circumcisionem, aut illa sacrificia, quæ tunc facta a patribus, nunc a Christianis non fiunt, et cætera hujusmodi : sed hoc ipsum etiam, quod lex dixit, *Non concupisces :* quod fatemur certe Christianos observare, atque evangelica maxime illustratione prædicare, legem dicit esse sanctam, et mandatum sanctum et justum et bonum. Deinde subjungit : *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit, sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum peccator, aut peccatum per mandatum* (*Rom.* VII). Quod autem hic dicit peccatum per mandatum fieri supra modum, hoc alibi : *Lex subintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem delictum abundavit, superabundavit gratia* (*Rom.* V). Et alibi, cum superius de dispensatione gratiæ loqueretur, quod ipsa justificet, velut interrogans ait : *Quid ergo lex?* atque huic interrogationi continuo respondit : *Prævaricationis gratia posita est, donec veniret semen, cui repromissum est.* Hos damnabiliter dicit esse sub lege, quos reos facit lex, non implentes legem, dum non

Digitized by Google

intelligendo gratiæ beneficium ad facienda Dei præcepta, quasi de suis viribus superba elatione præsumunt : *Plenitudo enim legis charitas* (*Rom.* XIII) : *charitas vero Dei diffusa est in cordibus nostris*, non per nosipsos, sed *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V). Sic ergo illud quod lex ait : *Non concupisces*, si humana fragilitas gratia Dei adjuta non fuerit, sub se reum tenet, et prævaricatorem potius damnat, quam liberat peccatorem, quando illa, quæ significationis causa præcepta sunt circumcisio, et cætera quæ gratiæ revelatione latius innotescente necesse fuerat aboleri, justificare neminem poterant, non tamen ideo fuerant tanquam diabolica gentium sacrilegia fugienda, etiam cum ipsa gratia inciperet revelari, quæ umbris talibus fuerat prænuntiata, sed permittenda paulum eis, maxime ex illo populo cui venerant, postea vero tanquam cum honore sepulta sint Christianis omnibus irreprehensibiliter deserenda.

Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. (*Ambr.*) Hæc omnia et his similia legis peccati membra sunt, quæ Apostolus opera carnis appellat, quia errores isti ex mundo sunt, ex quo et caro; omnia namque peccata de foris oriuntur, ex parte carnis, non ex parte spiritus, ideo non absurde opera carnis dicuntur. (*Aug.*) Totus iste epistolæ locus consideratus poterit hanc dissolvere quæstionem, quid sit secundum carnem vivere. In operibus carnis namque, quæ manifesta esse diximus eaque commemorata damnavit, non illa tantum invenimus quæ ad voluptatem pertinent carnis, sicuti est, fornicatio, immunditia, luxuria, ebrietates, comessationes : verum etiam illa quibus animi vitia demonstrantur, a voluptate carnis aliena. Quis enim servitutem, quæ idolis exhibetur, veneficia, inimicitias, contentiones, animositates, dissensiones, hæreses, invidias, non potius intelligat animi vitia esse quam carnis ? quandoquidem fieri potest, ut propter idololatriam, vel hæresis alicujus errorem, a voluptatibus corporis temperetur, et tamen etiam tunc homo, quamvis carnis libidines continere atque cohibere videatur, secundum carnem vivere hac apostolica auctoritate convincitur, ut in eo quod abstinet a voluptatibus carnis, damnabilia opera carnis agere demonstretur. Quis inimicitias non in animo habeat, aut quis ita loquatur, ut inimico suo, vel quem putat inimicum, dicat, Malam carnem, ac non potius malum animum, habes adversus me? Cur ergo hæc omnia et his similia doctor gentium in fide et veritate opera carnis appellat, nisi quod eo locutionis modo, quo totum significatur a parte, ipsum hominem vult nomine carnis intelligi. Quod si quis quidem dicit carnem causam esse malis moribus quorumcunque vitiorum, eo quod anima carne affecta sic vivit, profecto universam hominis naturam diligenter advertit. Nam corruptio corporis, quæ aggravat animam, non peccati primi est causa, sed pœna; nec caro corruptibilis peccatricem animam, sed anima peccatrix fecit esse corruptibilem carnem; ex qua corruptione carnis licet existant quædam incitamenta vitiorum et ipsa desideria vitiosa, non tamen omnia vitæ iniquæ vitia tribuenda sunt carni, ne ab his omnibus purgemus diabolum, qui non habet carnem. Quis autem illo est inimicior? scis; quis adversus nos contentiosior, animosior, et magis æmulus atque invidus invenitur? et hæc omnia, cum habeat sine carne, quomodo sunt ista opera carnis, nisi quia opera sunt hominis, quem, sicut dixi, nomine carnis appellat? Non enim habendo carnem, quam non habet diabolus; sed vivendo secundum seipsum, hoc est secundum hominem factus est similis diabolo. (*Hieron.*) Sed et illud eleganter, quod in carne opera posuit, fructus in spiritu : quia vitia in semetipsa finiuntur et pereunt; virtutes frugibus pullulant et redundant. Ne putemus animæ nullum esse opus, si vitia carni, virtutes spiritui deputentur; quia anima, ut supra diximus, in quodam meditullio posita vel carni jungitur et dicitur de ea : *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt* (*Gen.* VI); vel spiritui copulatur, et in spiritus vocabulum transit; *qui enim adhæret Domino unus spiritus est* (*I Cor.* VI). Primum itaque carnis opus est, fornicatio. Manifesta in exordio posuit, ne de mediis ambigamus. *Omne* enim *quodcunque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in carne sua peccat* (*Ibid.*). Et non sumus nostri, empti enim sumus pretio, glorificemus et portemus Deum in corpore nostro. In eo fornicator majoris est criminis, quia tollit membra Christi, et facit ea membra meretricis : erunt quippe duo in carne una. Qui non est fidelis, nec credit in Christo, sua membra facit membra meretricis : qui credit et fornicatur, Christi membra facit membra meretricis. E contrario infidelis in fornicatione sua utrum violet an ædificet templum idolo, nescio; per vitia quippe vel maxime dæmones coluntur. Hoc unum scio, quod qui post fidem Christi fornicatur, violat templum Dei. Secundum opus carnis immunditia nuncupatur, et eam comes luxuria sequitur. Quomodo enim in veteri lege de nefandi criminibus, quæ in occulto fiunt, et ea nominare turpissimum est, ne et dicentis os et aures audientium polluerentur, generaliter Scriptura complexa est dicens : *Verecundos* (vel *reverentes*) *facite filios Israel ab omni immunditia* (*Lev.* XV) : sic in hoc loco cæteras extraordinarias voluptates, ipsarum quoque opera nuptiarum, si non verecunde et cum honestate, quasi sub oculis Dei fiant, ut tantum liberis serviatur, immunditiam et luxuriam nominavit. Quartum in catalogo operum carnis, idololatria locum tenet. Qui enim se semel luxuriæ voluptatique permiserit, non respicit creatorem. Alias autem omnis idololatria, festivitate, gula, ventre, et his quæ infra ventrem sunt, delectatur. Et ne forsitan veneficia et maleficæ artes non viderentur in Novo prohibita Testamento,

Digitized by Google

ipsæ quoque inter carnis opera nominantur, quia sæpe magicis artibus et amare miseris evenit et amari. Inimicitia quoque, quæ post veneficia ponitur, quem habeat reatum manifesto crimini subjecta declarat: quantum enim in nobis est, nullius esse debemus inimici, et cum omnibus habere pacem. Quod si loquentes veritatem aliquos meremur inimicos, non tam nos inimici eorum sumus, quam illi inimici sunt veritatis. Nam quod in Genesi dicitur ad Abraham: *Inimicus ero inimicis tuis, et adversabor adversantibus tibi* (*Gen.* XII), sicut supra intelligendum est, non tam Abraham illis inimicum fuisse, quam illos virtutibus Abrahæ et religioni, per quam, calcatis idolis, cognitum venerabatur Deum. Illud quoque, quod populo præcipitur Israel (*Num.* XXV), ut odio sempiterno, et in posteros transmissa discordia, inimici sint Madianæis, quasi his dicitur, qui sub pædagogo erant, et in alio loco merebantur audire: *Odio habe inimicum tuum* (*Lev.* XIX). Aut certe non tam personarum, quam morum est facta dissensio, ut quomodo Deus utiliter inter serpentem et mulierem inimicitias posuit, ne amicitiæ eorum inutiles essent homini, per quas projectus est de paradiso: ita et in Israelitis et Madianæis vita magis dissimilis, quam gens una damnata est. Septimum locum inter carnis opera *contentio* possidet, quodam quasi sacrato et eminenti inter vitia numero collocata. *Servum autem Domini non oportet rixari, sed esse mansuetum ad omnes, doctorem, longanimem, cum mansuetudine erudientem etiam eos qui e contrario disputant* (*II Tim.* II). Post contentionem octava succedit æmulatio, quæ Græco sermone ζῆλος significantius et notius appellatur. Quo quidem malo, nescio quis nostrum careat. Zelati sunt enim et patriarchæ Joseph fratrem suum (*Gen.* XXXVII); et Maria et Aaron prophetes Dei et sacerdos contra Moysen tali passione decepti sunt: in tantum ut illa de qua Scriptura narraverat dicens: *Tollens autem Maria prophetes tympanum*, et cætera, postea extra castra projecta, lepræ vitio sordidata sit, et pœnitentiam longiorem septem dierum separatione signaverit (*Num.* XII). Ira deinde succedit, quæ *justitiam Dei non operatur* (*Jac.* I), et species est furoris. Inter iracundiam autem et iram hoc interest, quod iracundus semper irascitur, iratus pro tempore concitatur. Et nescio quis possit regnum Dei possidere, cum is qui irascitur, separetur a regno. Rixæ quoque, quas aliud Græci significanter ἐριθείας vocant, siquidem rixa μάχη dicitur, a regno Dei prohibent. Est autem ἐριθεία, cum quis semper ad contradicendum paratus, stomacho delectatur alieno, et muliebri jurgio contendit, et provocat contendentem. Hæc alio nomine apud Græcos φιλονεικία appellatur. Nec non et dissensiones opera carnis sunt; cum quis nequaquam perfectus eodem sensu et eadem sententia dicat: *Ego sum Pauli, et ego Apollo, et ego Cephæ, et ego Christi.* Sed et domorum inter se hæc eadem dissensio reperitur, mariti videlicet ad uxorem, patris ad filium, fratris ad fratrem, conservi ad conservum, militis ad contubernalem, artificis ad ejusdem operis artificem. Nonnum quam evenit, ut in expositionibus Scripturarum oriatur dissensio: e quibus hæreses quoque, quæ nunc in carnis opere ponuntur, ebulliunt. Si enim *sapientia carnis inimica est Deo* (*Rom.* VIII), inimica autem sunt omnia dogmata falsitatis Deo repugnantia), consequenter et hæreses inimicæ Deo ad carnis opera referuntur. Hæresis autem Græce ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. Quicunque igitur aliter Scripturam intelligit quam sensus sancti Spiritus flagitat, quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest, et de carnis operibus est, eligens quæ pejora sunt. Hæreses sequitur invidia, quam non putemus idem esse quod zelum: quia zelus et in bonam partem accipi potest, cum quis nititur ea, quæ meliora sunt, æmulari. Invidia vero aliena felicitate torquetur, et in duplicem scinditur passionem, cum aut ipse est aliquis in eo, in quo alium esse non vult, aut alium videns esse meliorem, dolet se ei non esse consimilem. Pulchre quidam de neotericis Græcum versum transferens elegiaco metro de invidia lusit dicens:

Justius invidia nihil est: quæ protinus ipsum,
Auctorem rodit excruciatque animum.

Scripsit et beatus Cyprianus librum de Zelo et Livore valde optimum: quem qui legerit, non dubitabit annumerare operibus carnis invidiam. Inter invidum autem et invidiosum hoc interest, quod invidus feliciori invidus est [invidet]; invidiosus est qui ab alio patitur invidiam. Quartum decimum locum inter carnis opera ebrietas tenet: *Ebriosi* quippe *regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* VI). Et Dominus ad discipulos: *Cavete*, ait, *ne forte graventur corda vestra in vino et crapula* (*Luc.* XXI). Vino hominis sensus evertitur, pedes corruunt, mens vacillat, libido succenditur. Unde Apostolus clamitat: *Et vinum, in quo est luxuria* (*Ephes.* V). Habet unusquisque suæ sententiæ potestatem. Ego Apostolum sequor, in vino esse luxuriam, in vino ebrietatem: ebrietatem autem et luxuriam inter carnis opera nominari. Nec ille potest negare, qui eisdem passionibus vincitur. Et licet me quidam in eo libro, quem de servanda virginitate conscripsi, reprehendendum putent, quod dixerim adolescentulas ita vinum debere fugere ut venenum, non me sententiæ pœnitebit. Opus quippe ibi magis vini, quam Dei a nobis creatura damnata est: et licentiam tulimus virgini proprio ætatis calore fervente, ne sub occasione parum bibendi plus biberet et periret; alioquin sciebamus et in Christi sanguine vinum consecrari; Timotheo vinum, ut biberet, imperatum (*I Tim.* V). Ebrietas autem tam ex vino quam ex cæteris bibendi generibus, quæ vario modo conficiuntur, potest accidere, ex quo et de sancto dicitur: *Vinum et siceram non bibet* (*Luc.* I): sicera interpretatur ebrietas. Et ne quis vinum non bibens, aliud sibi putaret bibendum, exclusa causatio est, dum omne quod inebriare potest, cum vino pariter aufertur. Quinta decima, quæ et extre-

Digitized by Google

ma inter carnis opera, comessatio est. *Manducavit populus et bibit, et surrexerunt ludere* (*I Cor.* x, *Exod.* xxxii). Semper ebrietati juncta luxuria est. Pulchre quidam non ignobilis orator, cum ebrium de somno scriberet excitatum ait : *Nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat.* Qua sententia expressit quodammodo nec mortuum eum fuisse, nec vivum. Longum erat universa carnis opera replicare, et catalogum facere vitiorum. Uno igitur omnia sermone conclusit dicens : *et his similia.* Quæ utinam tam facile vitare possemus, quam facile intelligimus. *Prædico*, inquit, *vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Ubi antea prædixerat : *Non regnet*, inquit, *peccatum in mortali vestro corpore ad obediendum desideriis ejus* (*Rom.* vi). Peccatum omnes istas species habet, in quibus nunc discriminandis plus forsitan, quam oportuit, immorati sumus. Ergo in anima, in qua peccatum regnaverit, non potest Dei regnare regnum. « Quæ enim participatio justitiæ et iniquitati? quæ communicatio luci ad tenebras? qui consensus Christo cum Belial? » (*II Cor.* vi.) Et putamus nos regnum Dei consequi, si a fornicatione et idololatria et veneficiis immunes simus? Ecce inimicitia, contentio, ira, rixæ, dissensio, ebrietas quoque et cætera, quæ parva arbitrabamur, excludunt nos a regno Dei. Nec refert uno quis a beatitudine excludatur, an pluribus, cum omnia similiter excludant. In Latinis codicibus adulterium quoque et impudicitiæ et homicidia in hoc catalogo vitiorum scripta referuntur. Sed sciendum non plus quam quindecim carnis opera numerata, de quibus et disseruimus. (*Aug.*) Agunt autem hæc, qui cupiditatibus carnalibus consentientes facienda esse decernunt, etiamsi ad implendum facultas non datur. Cæterum qui tanguntur hujusmodi motibus, et immobiles et in majore charitate consistunt, non solum non eis exhibentes membra corporis ad male operandum, sed neque nutu consensionis ad exhibendum consentientes, non hæc agunt, et ideo regnum Dei possidebunt. Non enim jam regnat peccatum in eorum mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus, quamvis habitet in eorum mortali corpore peccatum, nondum extincto impetu consuetudinis naturalis, qua mortaliter nati sumus, et propriæ vitæ nostræ, cum et nos ipsi peccando auximus quod ab origine peccati humani damnationisque trahebamus. Aliud est enim non peccare; aliud non habere peccatum. Nam in quo peccatum non regnat, non peccat, id est, qui non obedit desideriis ejus. In quo autem non existunt omnino ista desideria, non solum non peccat, sed etiam non habet peccatum. Quod etiamsi ex multis partibus in ista vita possit effici, ex omni tamen parte, non nisi in resurrectione carnis atque commutatione sperandum est. Potest autem movere quod ait: *Quæ dico vobis, sicut prædixi : quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*, si quæratur, ubi ista prædixerat, nam in hac Epistola non invenitur. Ergo aut præsens cum esset, hoc prædixerat, aut cognoverat, A pervenisse ad illos Epistolam, quæ missa est ad Corinthios. Ibi enim sic ait : *Nolite errare : neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* vi). Hic ergo cum enumerasset opera carnis, quibus clausum est regnum Dei, subjecit etiam opera spiritus quod spiritus fructus vocat.

Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, patientia, continentia : adversus hujusmodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis (*Ambr.*). Non dixit opera spiritus charitas est, sed fructus spiritus. Lex B enim spiritus, hæc, quæ supra memoravit, fructificat, ut ex his hæreditas regni cœlorum quæratur. Qui enim Christo devoti sunt, hos dicit Christos, id est, unctos. Hi carnem, id est, mundum crucifigunt, quando hæc, ex quibus errores oriuntur, condemnant, hunc sensum et Joannes apostolus secutus ait : *Nolite diligere hunc mundum, neque ea quæ in hoc mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in illo, quia omne quod in hoc mundo est, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum* (*I Joan.* ii). Qui ergo mundum, et quod in mundo est, non concupiscit, hic carnem crucifigit. Neque enim corpori humano hæc vitia ascribenda sunt, id est, idololatria, veneficia, hæreses, invidiæ, inimicitiæ, C iræ, rixæ et talia; sed ideo carnalia dicuntur, quia ex parte mundi sunt, sicut supra memoravi. Interea non amplius quam decem res posuit, quas fructus spiritus significat, ut in his omnia complexus videatur secundum tabulas testamenti Dei, in quibus non amplius quam decem verba mandatorum tradita sunt. (*Hieron.*) Et quæ alia inter fructus spiritus debuit tenere primatum, nisi charitas, sine qua virtutes cæteræ non reputantur esse virtutes, et ex qua nascuntur universa quæ bona sunt, siquidem et in lege et in Evangelio ipsa obtinet principatum : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua, et diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Quantis bonis referta sit charitas, et supra breviter perstrinximus, et nunc D vel parum dixisse sufficiat, quod dilectio non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliena. Et quamvis suo quis vitio inimicus sit diligenti, et tranquillitatem ejus ad odiorum fluctus concitare nitatur; tamen ille nunquam turbatur, nunquam creaturam Dei odio dignam æstimat : *charitas* enim *operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* iv). Illud quoque quod a Salvatore dicitur : *Non potest arbor bona fructus afferre malos, neque arbor mala fructus afferre bonos* (*Matth.* vii), non tam de hominibus, quam de fructu carnis et spiritus arbitror pronuntiatum, quia nec spiritus unquam potest ea vitia, quæ in carnis operibus numerata sunt, facere : nec caro his fructibus, qui oriuntur spiritu redundare. Potest autem fieri, per negligentiam possidentis, ut spiritus qui versa-

Digitized by Google

tur in homine fructus non habeat suos : et e contrario caro operibus suis mortificatis peccare desistat; non tamen illo usque procedunt, ut et neglecta arbor spiritus, opera carnis afferat, et arbor carnis exculta, fructus germinet spiritales. In secundo spiritalium fructuum loco gaudium positum est, quod Stoici quoque, qui distinguunt inter verba subtilius, aliud quid esse æstimant quam lætitiam. Gaudium quippe esse aiunt elationem animi super his quæ digna sunt exsultantis : lætitiam vero effrenatam animi elationem, quæ modum nesciat, et in his quoque quæ vitio sint mista, lætetur. Alii e regione gaudii voluptatem ponunt : non hanc quæ corpus ad libidinem concitat, titillat sensus, dulci blanditur affectu; sed aliam huic ὁμωνύμον, quæ sine moderatione et ullo decore lætitiæ in risu exaltat vocem suam. Quod si verum est, et eorum inter verba distinctio non fallit et fallitur, consideremus ne forsitan idcirco dictum sit : *Non est gaudere impiis, dicit Dominus* (*Isa.* XLVIII). Simul autem et illud notandum, quod post dilectionem gaudium sequitur. Qui enim diligit quempiam, semper in ejus felicitate lætatur; et si eum viderit aliquo errore deceptum et peccatorum lubrico concidisse, dolebit quidem et eruere festinabit; sed non poterit gaudium mutare tristitia, sciens nullam rationabilium creaturarum apud Deum perire perpetuo. Tertius fructus spiritus, est pax, a qua Salomon quoque, qui in typo Christi præcessit, nomen accepit; et de Ecclesia Psalmista canit : *Factus est in pace locus ejus* (*Psal.* LXXV); et inter octo Evangelii benedictiones scribitur : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V). In primo etiam Graduum psalmo cantatur : *Cum his qui oderant pacem eram pacificus* (*Psal.* CXIX). Nec putemus pacem tantum in eo esse quærendam, si cum alio non jurgemur : sed tunc pax Christi, hoc est, hæreditas nostra nobiscum est, si tranquilla mens nullis passionibus perturbetur. Post pacem sequitur longanimitas sive patientia, quia utroque modo μακροθυμίαν possumus interpretari. Huic contraria est pusillanimitas, de qua scribitur : *Pusillanimus vehementer insipiens. Qui vero patiens est, et universa sustentat, vir sapiens.* Et cum ὑπενόησε *multum sapiens* appellatur. Ut in Proverbiis quoque scriptum est : *Longanimus vir multus in prudentia.* Benignitas etiam sive suavitas, quia apud Græcos χρηστότης utrumque sonat, virtus est lenis, blanda, tranquilla, et omnium bonorum apta consortio, invitans ad familiaritatem sui, dulcis alloquio, moribus temperata. Denique et hanc Stoici ita definiunt : Benignitas est virtus sponte ad benefaciendum exposita. Non multum bonitas a benignitate diversa est, quia et ipsa ad benefaciendum videtur exposita. Sed in eo differt, quia potest bonitas esse tristior, et fronte severis moribus irrugata, bene quidem facere et præstare quod poscitur, non tamen suavis esse consortio, et sua cunctos invitare dulcedine. Hanc quoque sectatores Zenonis ita definiunt : Bonitas est virtus quæ prosit : ex qua oriatur utilitas; aut virtus propter semetipsam; vel affectus, qui fons sit utilitatum. Inter fructus spiritus septimum et sacratiorem locum fides possidet, quæ etiam alibi inter tres ponitur, spes, fides, charitas. Nec mirum si spes in hoc catalogo non referatur, cum in fide sit quod speratur, et ita eam Apostolus ad Hebræos scribens definiat : *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum necdum apparentium.* Siquidem id quod speramus esse venturum, et necdum est in præsenti, fide possidemus, sperantes nos tenere quod credimus. Quæritur quoque, quomodo fides in charitate sit posita. Qui diligit, nunquam se lædi æstimat, nunquam aliud, nisi quod diligit et diligitur, suspicatur; cum autem dilectio procul abfuerit, et fides pariter abscedit. Post fidem mansuetudo numeratur, quæ adversa est iræ, rixis, dissensionibus, et nunquam ad sui contraria provocatur, vere de bona spiritus arbore, bonos fructus et germinans. Per hanc famulus Dei Moyses testimonium Scripturæ meruit accipere, dicentis : *Moyses mansuetus erat plus quam omnes homines super terram* (*Num.* XII). Super terram, inquit; super eos enim, qui facie ad faciem Deum videbant, esse non poterat; quia multa sæpe compellimur per carnis facere infirmitatem. De David quoque, licet multi de Domino nostro æstiment prophetatum, quod nos etiam non negamus, Spiritus sanctus in typo venturi canit : *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus* (*Psal.* CXXXI). Cujus mansuetudo adversus Saul, Absalon et Semei, vel maxime claruit, cum alius eum vellet occidere; alius res novas molitus fraudare imperio niteretur; alius lapides in eum jaciens, et pulverem ventilans clamaret et diceret : *Egredere, egredere, vir inique* (*I Reg.* XIX *et seq.*; *II Reg.* XV, XVI). Extrema continentia in fructibus spiritus collocatur : quam non solum in castitate debemus accipere, sed etiam in cibo et potu, in ira quoque et vexatione mentis et detrahendi libidine. Inter modestiam autem et continentiam hoc interest, quod modestia in viris perfectis est, consummataque virtutis, de quibus Salvator ait : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V). Et de se ipso : *Discite a me quoniam mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Continentia vero in via quidem virtutis est, sed necdum pervenit ad calcem : quia cupiditates adhuc in ejus, qui se continet, cogitatione nascuntur, et mentis polluunt principale, licet non superent, nec ad opus pertrahant cogitantem. Non solum autem in desideriis, et cupiditate continentia necessaria est; sed etiam in tribus reliquis perturbationibus, dolore scilicet, lætitia et timore. Adversus hujusmodi fructus spiritus non est lex. *Justo* quippe *lex non est posita, iniquis autem et non subjectis, impiis et peccatoribus* (*I Tim.* I). Lex mihi dicit : « Non adulterabis, non occides, non falsum testimonium dices, non fraudabis, non desiderabis aliena, non pejerabis, non furaberis. » Si hæc omnia fructu in me spiritus charitate regnante non facio, superflua mihi sunt præcepta legis. Denique et sapientes mundi de philosophia, sic

Digitized by Google

opinati sunt, ut quod leges publice facere homines necessitate compellunt, hoc illa persuadeat fieri voluntate. (*Aug.*) Regnant ergo spiritales isti fructus in homine, in quo peccata non regnant : regnant autem ista bona, si tantum delectant ut ipsa teneant animum in tentationibus, ne in peccati consensionem ruat. Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est, ut, verbi gratia, occurrit forma speciosæ feminæ, et movet ad delectationem fornicationis : sed si plus delectat pulchritudo illa intima et sincera species castitatis per gratiam quæ est in fide Christi, secundum hanc vivimus, et secundum hanc operamur; ut, non regnante in nobis peccato ad obediendum desideriis ejus, sed regnante justitia per charitatem cum magna delectatione faciamus quidquid in ea Deo placere cognoscimus. Quod autem de castitate et de fornicatione dixi, hoc de cæteris intelligi volui. Recte igitur fornicationi opponitur charitas, in qua sola est custodia castitatis. Immunditiæ autem sunt omnes perturbationes, de illa fornicatione conceptæ, quibus gaudium tranquillitatis opponitur. Idolorum autem servitus, ultima fornicatio est animæ, propter quam etiam bellum adversus Evangelium cum reconciliatis Dei furiosissimum gestum est, cujus reliquiæ, quamvis contritæ sint diu, adhuc tamen recalent. Huic itaque pax contraria est, qua reconciliamur Deo, eademque pace etiam cum hominibus custodita, veneficiorum, inimicitiarum, contentionum, æmulationum, animositatum dissensionumque vitia sanantur in nobis : ut autem in aliis, inter quos vivimus, justa moderatione tractentur, et ad sustinendum longanimitas, et ad curandum benignitas, et ad ignoscendum bonitas militat. Jam vero hæresibus fides, invidiæ mansuetudo, ebrietatibus et comessationibus continentia reluctatur. Ne quis sane arbitretur hoc esse invidiam, quod est æmulatio; vicina enim sunt, et propter ipsam vicinitatem plerumque utrumlibet horum pro altero, vel æmulatio pro invidia, vel invidia pro æmulatione ponitur. Sed quia utrumque hic locis suis dictum est, utique distinctionem de nobis flagitant. Nam æmulatio est dolor animi, cum alius pervenit ad rem quam duo, pluresve appetebant, et nisi ab uno haberi non potest : istam sanat pax, qua id appetimus quod omnes qui appetunt, si assequantur, unum in eo fiunt. Invidia vero dolor animi est, cum indignus videtur aliquid assequi, etiam quod tu non appetebas : hanc sanat mansuetudo, cum quisque ad judicium Dei se revocans, non resistit voluntati ejus et magis ei credit recte factum esse, quam sibi, quod putabat indignum. Crucifixerunt autem carnem suam cum passionibus et concupiscentiis, sicut in consequentibus dicit, qui sunt in Christo Jesu. Unde autem crucifixerunt, nisi timore illo casto permanente in sæculum sæculi, quo cavemus offendere illum, quem toto corde, tota anima, tota mente diligimus? Non enim hoc timore timet adultera, ne custodiatur a viro, quo timet casta ne deseratur : illi tristis est præsentia viri, huic absentia. Et ideo timor ille corruptus est, et transire non vult hoc sæculum : iste autem castus permanet in sæculum sæculi. De quo timore crucifigi optat propheta cum dicit : *Confige clavis a timore tuo carnes meas* (*Psal.* CXVIII). Ista crux est, de qua Dominus dicit : *Tolle crucem tuam et sequere me* (*Marc.* VIII). [Hieron.] Igitur si corpora nostra membra Christi sunt, consequenter et caro nostra caro Christi est, quam crucifigimus, mortificantes per eam super terram fornicationem, immunditiam, passionem, desiderium malum, et avaritiam : et de nobis in laude nunc ponitur, qui Christi Jesu carnem crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis, et semper mortificationem Jesu circumferimus in corpore nostro, ut et vita ejus manifestetur in carne nostra. Non modici autem laboris est, sic in præsenti sæculo vivere, ut jam nunc vita Jesu manifestetur in carne nostra. Ita enim vivificabuntur et mortalia corpora nostra per inhabitantem in nobis spiritum. Pene oblitus sum interpretationis secundæ. Prædixeram enim omnia, quæ sequuntur, ad legem et ad circumcisionem esse referenda. Sensus itaque iste est : In quibus est fructus spiritus, charitas, gaudium et reliqua, hi corpoream Scripturæ intelligentiam, quæ nunc caro Christi appellatur, crucifixerunt cum passionibus ejus et desideriis, quæ generant parvulis atque lactantibus fomenta vitiorum. Crucifixit talem Christi carnem, qui non juxta carnem historiæ militat, sed spiritum allegoriæ sequitur prævientem. (*Aug.*) Congruit nostræ devotioni, ut qui Domini crucifixi passionem jam propinquantem celebraturi sumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsi faciamus, sicut dicit Apostolus : *Qui autem Christi sunt, carnem crucifixerunt cum passionibus et concupiscentiis.* In hac quidem cruce per totam istam vitam, quæ in mediis tentationibus ducitur, perpetuo debet pendere Christianus. Non enim est in hac terra tempus evellendi clavos, de quibus in psalmo dicitur : *Confige clavis a timore tuo carnes meas* (*Psal.* CXVIII) : carnes sunt carnales concupiscentiæ, clavi sunt præcepta justitiæ; his illas timor Dei configit, qui nos illi acceptabilem hostiam crucifigit. Unde item dicit Apostolus : *Obsecro itaque vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem* (*Rom.* XII). — [Greg.] *Qui autem sunt*, inquit, *Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Cum vitiis quippe et concupiscentiis carnem crucifigimus, si sic gulam restringimus, ut jam de mundi gloria nihil quæramus. Nam qui corpus macerat, sed honoribus anhelat, crucem carni intulit, sed mundo per concupiscentiam pejus vivit, quia sæpe per sanctitatis imaginem locum regiminis indignus assequitur, quem nisi aliquid in se virtutis ostenderit, nullo percipere

Digitized by Google

labore mereretur, sed transit, quod delectabiliter obtinet, et pœnaliter, quod sequitur, manet.

CAPUT VI.

Monet Apostolus Galatas ad mutuam supportationem, et confirmat dicta de cessatione legalium.

Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. (Amb.) Hoc dicit, quia si bene et honeste vivimus, bonos debemus habere et mores; hoc est enim spiritu vivere, incontaminatam vitam habere; et sic spiritu ambulamus, si paci studeamus; hæc enim parit charitatem. Inanis autem gloria est velle vincere, ubi præmium non est; ut quis studium non habeat contentionis, sciens quia hæc generant discordias et lites: *Servum autem*, inquit, *Domini non oportet litigare* (*II Tim.* II). Bonæ enim vitæ fructus aridos facit, perdens spem promissam castæ conversationis: bona enim et casta vita moribus ornanda est, et benevolentia locupletanda. (*Hieron.*) « Si vivimus spiritu, spiritui obtemperemus. » Utamur hoc testimonio adversus eos qui nolunt Scripturas spiritaliter intelligere. Quis est autem qui vivit spiritu, nisi absconditus homo noster, qui et juxta carnem interdum solet vivere? Sed cum spiritu vixerit, spiritu ambulat: cum in carne voluerit ambulare, vivens mortuus est. Vir perfectus in Christo, semper vivit in spiritu: spiritui obedit, nunquam vivit in carne. Contra, qui se totum carni dederit, et passionibus deputarit, nunquam vivit in spiritu. Inter hos medii sunt, quos nec spiritales possumus appellare, nec carnales; sed qui, inter virtutes et vitia fluctuantes, nunc ad meliora retrahuntur et spiritus sunt; nunc carnis lubrico supplantantur, et caro sunt. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Unum verbum apud Græcos κενόδοξοι, trium verborum circuitu Latinus interpres expressit. Quantas autem habeat definitiones et significantias gloria, et philosophorum innumerabiles libri, et Ciceronis duo volumina, quæ de gloria scripsit, indicio sunt. Verum nos, quia non verborum etymologias, sed Scripturæ sensum disserere conamur, ita hunc locum cum superioribus copulabimus: Si spiritu vivimus, spiritui obtemperemus, nequaquam per legem, sed per charitatem nobis invicem servientes: non debemus de Scripturarum interpretatione contendere, et dicere: Circumcisio melior est. Non, sed præputium. Contemnenda historia, et allegoria sequenda, imo allegoria vana est, et umbratica, et nullis veritatis fulta radicibus. Unde evenit ut invicem nascantur invidiæ. « Excludere enim, ait, vos volunt, ut illos æmulemini, » non tam veritatem legis volentes docere, quam vincere. Ne autem penitus verbum gloriæ prætermittamus intactum, suas philosophis ineptias relinquentes, de Scripturis aliqua retractemus. Opinionem vulgi, et laudem hominum favore quæsitam, gloriæ nomen sonat, ubi dicitur: *Omnia autem faciunt, ut ab hominibus glorificentur* (*Matth.* XXIII); et alibi: *Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem quærentes?* (*Joan.* V.) Porro in bonam partem in eodem loco, *et gloriam ab eo, qui solus est, non quærentes*, ex quo intelligimus idem verbum nunc virtutem significare, nunc vitium. Si ab hominibus quæro gloriam, vitium est: si a Deo, virtus est, qui et ad veram nos gloriam cohortatur dicens: *Eos autem qui me glorificant, glorificabo* (*I Reg.* II). — (Aug.) *Non efficiamur*, inquit, *inanis gloriæ cupidi, invicem invidentes, et invicem provocantes.* Prorsus magnifice et omnino divino ordine, postea quam eos instruxit adversus illos, a quibus in servitutem legis seducebantur, hoc in eis cavet, ne instructiores facti et volentes jam calumniis carnalium respondere, contentionibus studeant, et appetitu inanis gloriæ, legis oneribus non servientes, vanis cupiditatibus serviant. Nihil autem sic probat spiritalem virum, quam peccati alieni tractatio, cum liberationem ejus potius quam insultationem, potiusque auxilia quam convicia meditatur, et quantum facultas tribuitur suscipit; et ideo dicit: *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spiritales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris: alter alterius onera portate.* Nihil enim ad misericordiam sic inclinat, quam proprii periculi cogitatio: ita eos nec deesse voluit fratrum correptioni, nec studere certamini. Multi enim homines cum a somno excitantur, litigare volunt; aut rursus dormire, cum litigare prohibentur. Pax igitur et dilectio et communis periculi cogitatio in corde reservetur. Modus autem sermonis, sive acrius sive blandius proferatur, sicut salus ejus, quem corrigis, videtur postulare, moderandus est. Nam et alio loco dicit (*II Tim.* II): *Servum autem Christi litigare non oportet, sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem.* Et ne quisquam ex eo putet cessandum sibi esse a correptione erroris alterius, inde adjungitur: *In modestia corripientem diversa sentientes.* Quomodo in modestia? quomodo corripientem? nisi cum lenitatem corde retinemus et aliquam medicamenti acrimoniam verbo correptionis aspergimus. Nec aliter accipiendum video, quod in Epistola positum est: *Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, hortare, increpa in omni longanimitate et doctrina* (*II Tim.* IV). Importunitas enim opportunitati utique contraria est, neque omnino ullum medicamentum sanat, nisi quod opportune adhibueris. Quanquam et sic possit distingui, *insta opportune*, ut alius sensus sit: *importune argue*, deinde cætera contexantur: *hortare, increpa cum omni longanimitate et doctrina*, ut tunc opportunus sentiaris, cum instas ædificando, cum autem destruis, arguendo, non cures etiamsi importunus videaris, si hoc est talibus importunum:

Digitized by Google

ita duo quæ sequuntur, ad duo superiora possunt singillatim referri : *hortare*, cum importune instas : *increpa*, cum importune arguis; deinde cætera duo similiter, sed converso ordine referuntur, *cum omni longanimitate* ad sustinendas indignationes eorum, quos destruis, *et doctrina* ad instruenda eorum studia, quos ædificas : tamen etiamsi illo usitatiore modo distinguatur, *insta opportune*, quod si hoc modo non proficis, *importune*, ita intelligendum est, ut tu opportunitatem omnino non deseras, et sic accipias, quod dictum est, *importune*, ut illi videaris importunus, qui non libenter audit quæ dicuntur in eum. Tu tamen scias hoc illi esse opportunum, et dilectionem curamque sanitatis ejus animo teneas mansueto et modesto et fraterno. Multi enim postea cogitantes, quæ audierint, et quam justa audierint, ipsi se gravius et severius arguerunt. Et quamvis perturbatiores a medico viderentur abscedere, paulatim verbi vigore in medullas penetrante, sanati sunt : quod non fieret, si semper exspectaremus periclitantem putrescentibus membris, quando eum liberet aut uri aut secari; quod nec ipsi corporis medici attendunt, qui terrenæ mercedis intuitu curant. Quotus enim quisque reperitur, qui ferrum eorum aut ignem non ligatus expertus sit? cum et illi rariores sint, qui volentes ligari fuerint. Plures enim resistentes, et mori se malle clamantes, quam illo curari modo, vix lingua ipsa eorum relicta libera omnibus membris construxerunt [constrinxerunt]; neque ad suum, neque ad reluctantis, sed ad ipsius artis arbitrium : quorum tamen vocibus conviciisque dolentium nec commovetur curantis animus, nec quiescit manus. Medicinæ autem cœlestis ministri, aut per odiorum trabem cernere stipulam in oculo fratris volunt, aut tolerabilius mortem videre peccantis, quam verbum indignantis audire : quod non ita accidisset, si tam sanum animum curando alterius animo adhiberemus, quam sanis manibus illi medici aliena membra pertractant. Nunquam itaque alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquido nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere. Quod si convicium vel minæ, vel etiam persecutiones ejus, quem argueris, laceraverunt animum, si adhuc ille per te sanari posse videbitur, nihil respondeas donec saneris prior, ne forte carnalibus motibus tuis ad nocendum consentias, et exhibeas linguam tuam arma iniquitatis peccato, ad reddendum malum pro malo, aut maledictum pro maledicto. Quidquid enim lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis. Dilige et dic quod voles : nullo modo maledictum erit quod specie maledicti sonuerit, si memineris senserisque te in gladio verbi Dei liberatorem hominis esse velle ab obsidione vitiorum. Quod si forte, ut plerumque accidit, dilectione quidem talem suscipis actionem et ad eam cordis dilectione accedis, sed inter agendum subrepserit aliquid, dum tibi resistitur, quod te auferat ab hominis vitio persequendo et ipsi homini faciat infestum, postea te lacrymis lavantem hujusmodi pulverem, multo salubrius meminisse oportebit, quia non debeamus super aliorum superbire peccata, quando in ipsa eorum objurgatione peccamus, cum facilius nos ira peccantis iratos, quam miseria misericordes facit. (Greg.) *Alter*, inquit, *alterius onera portate*. Quia Veteris Testamenti custodia timorem habeat, non potuit apertius significari Novi Testamenti donum esse charitatem, quam hoc loco, ubi Apostolus dicit : *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi*. Hanc enim legem Christi dicere intelligitur, qua ipse Dominus præcepit, ut invicem diligamus; tantum in ea sententia præcepti pondus constituens, ut diceret : *In hoc cognoscitur, quoniam discipuli mei estis, si vos diligatis* (*Joan.* XIII). Hujus autem dilectionis officium est, *invicem onera vestra portate*. Sed hoc officium non est sempiternum : perducet sane ad beatitudinem sempiternam, in qua nulla erunt onera nostra, quæ invicem portare jubemur. Lex etenim Christi, quid congruentius intelligi quam charitas potest, quam tunc vere perficimus, cum fraterna onera ex amore toleramus? Sed hæc eadem lex multiplex dicitur, quia studiosa sollicitudine charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur : quæ a duobus quidem præceptis incipit, sed sese ad innumera extendit. Hujus namque legis initium dilectio Dei est ac dilectio proximi. Sed Dei dilectio per tria distinguitur : qua ex toto corde et ex tota anima, et ex tota fortitudine diligi conditor jubetur. Qua in re notandum est, quod divinus sermo, cum Deum diligi præcipit, non solum narrat ex quo, sed etiam informat ex quanto, subjungit ex toto, ut videlicet qui perfecte Deo placere desiderat, sibimet de se nihil relinquat. Proximi autem dilectio ad duo præcepta derivatur, cum et per quemdam justum dicitur : *Quod ab alio tibi odis fieri, vide ne tu alteri facias* (*Tob.* IV), et per semetipsam Veritas dicit : *Quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* (*Luc.* VI). Quibus duobus scilicet utriusque Testamenti mandatis per unum malitia compescitur, per aliud benignitas prærogatur, ut malum, quod pati non vult quisque non faciens, cesset a nocendi opere; et rursum bonum, quod sibi fieri appetit impendens, erga utilitatem se proximi exerceat ex benignitate. Sed hæc nimirum duo, dum sollicita intentione cogitantur, cor ad innumera virtutum ministeria tenditur, ne vel ad inferenda quæ non debet desideriis inquieta mens inferveat, vel erga exhibenda quæ debet otio resoluta torpescat. Nam cum cavet alteri facere quod nequaquam vult ab altero ipsa tolerare, sollicita se intentione circumspicit, ne superbia elevet usque ad despectum proximi et animum dejiciens exaltet : ne ambitio cogitationem laniet, cumque hanc ad appetenda aliena dilatat, angustet : ne cor luxuria polluat, et subjectum

Digitized by Google

desideriis per illicita corrumpat : ne ira exasperet, et usque ad proferendam contumeliam inflammet : ne invidia mordeat, et alienis felicitatibus æmula, sua se face consumat : ne immoderate linguam loquacitas protrahat, eamque usque ad lasciviam obtrectationis extendat : ne odium malitia excitet, et os usque ad jaculum maledictionis irritet. Rursum cum cogitat, ut ea alteri faciat, quæ ipse sibi fieri ab altero exspectat, pensat nimirum, ut malis bona, et bonis meliora respondeat, ut erga procaces mansuetudinem longanimitatis exhibeat : ut malitiæ peste languentibus gratiam benignitatis impendat, ut discordes pace uniat, ut concordes ad concupiscentiam veræ pacis accingat, ut indigentibus necessaria tribuat, ut errantibus viam rectitudinis ostendat, ut afflictos verbo et compassione mulceat, ut accensos in hujus mundi desideriis increpatione restringat, ut minas potentium ratiocinatione mitiget, ut oppressorum angustias, quantum prævalet, sublevet : ut foris resistentibus opponat patientiam ; ut intus superbientibus exhibeat cum patientia disciplinam ; ut erga errata subditorum sic mansuetudo zelum temperet, quatenus a justitiæ studio non enervet : sic ad ultionem zelus ferveat, ne tamen pietatis limitem fervendo transcendat ; ut ingratos beneficiis ad amorem provocet, ut gratos quosque ministeriis in amore servet, ut proximorum mala, cum corrigere non valet, taceat, utque cum corrigi loquendo possunt, silentium consensum esse pertimescat ; ut sic ea, quæ tacet, toleret, ne tamen in animo virus doloris occultet ; ut sic malevolis munus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam a jure rectitudinis excedat, ut cuncta proximis, quæ prævalet, impendat, sed hæc impendendo non tumeat, ut sic in bonis, quæ exhibet, tumoris præcipitium paveat, ne tamen a boni exercitio torpescat ; ut sic, quæ possidet, tribuat, quatenus quanta sit largitas remunerantis attendat : ne cum terrena largitur, suam plus quam necesse est inopiam cogitet, et in oblatione muneris hilaritatis lumen tristitia obscuret. Bene ergo lex Dei multiplex dicitur, quia nimirum cum una eademque sit charitas, si mentem plene ceperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit. Cujus diversitatem breviter exprimimus, si in electis singulis bona illius perstringendo numeremus. Hæc namque per Abel et electa Deo munera obtulit, et fratris odia non reluctando toleravit (*Gen.* IV). Hæc Enoch et inter homines vivere spiritaliter docuit, et ad sublimem vitam ab hominibus etiam corporaliter abstraxit (*Gen.* V). Hæc Noe, despectis omnibus, solum Deo placabilem ostendit, atque in arcæ fabricam studio longi laboris exercuit, et mundo superstitem pio opere exercendo servavit (*Gen.* VI). Hæc per Sem et Japheth humiliter verecunda patris erubuit, et superjecto dorsis pallio, ea, quæ non videbat, abscondit (*Gen.* IX). Hæc Abrahæ dexteram, quia ad mortem filii obediendo extulit, hunc prolis innumeræ, gentium patrem fecit (*Gen.* XXII). Hæc Isaac mentem, quia semper ad munditiam tenuit, caligantibus ætate oculis, ad videnda longe post ventura dilatavit (*Gen.* XXVII). Hæc Jacob compulit et amissum bonum filium medullitus gemere, et pravorum filiorum præsentiam subjecta humilitate tolerare (*Gen.* XXXVII). Hæc Joseph docuit a fratribus venundatum, et libertate animi infracta servitium perpeti, et eisdem post fratribus mente non elata principari (*Gen.* XLII *et seqq.*). Hæc Moysen, delinquente populo, et usque ad petitionem suæ mortis in precibus prostravit (*In Exod.*) : sic quoque ad interfectionem populi per zeli studium erexit, ut et pro pereunte plebe sese morti objiceret, et contra peccantem protinus vice Dei irascentis sæviret. Hæc Phinees brachium in ultionem peccantium erexit, ut arrepto gladio coeuntes transfigeret, et iram Domini iratus placaret (*Num.* XXV). Hæc Josue exploratorem docuit, ut et prius contra falsiloquos cives veritatem verbo defenderet, et hanc postmodum gladio contra hostes allegaret (*Josue* II *et seqq.*). Hæc Samuel et in principatu humilem præbuit, et integrum in dejectione servavit, qui cum persequentem se plebem diligeret, ipse sibi testimonium exstitit, quia culmen, ex quo dejectus est, non amavit (*I Reg.* III). Hæc David ante iniquum regem et humilitate commovit ad fugam, et pietate replevit ad veniam, qui persecutorem suum et timendo fugit ut dominum, et tamen cum potestatem feriendi reperit, non agnovit inimicum (*I Reg.* XXIV *et alibi*). Hæc Nathan et contra peccantem regem in auctoritatem liberæ increpationis sustulit, et cum regis culpa deesset, in petitione humiliter stravit (*II Reg.* XII *seq.*). Hæc per Isaiam nuditatem carnis in prædicatione non erubuit (*Isa.* XX), et subducto carnali velamine ad mysteria superna penetravit. Hæc Eliam, quia fervoris zelo vivere spiritaliter docuit, ad vitam quoque et corporaliter abstraxit (*IV Reg.* II). Hæc Elisæum, quia magistrum diligere simpliciter instituit, magistri spiritu dupliciter implevit (*Ibid.*). Per hanc Jeremias, ne in Ægyptum populus descenderet, restitit ; sed tamen et inobedientes diligens, quo descendere prohibuit et ipse descendit (*Jer.* XLII). Hæc Ezechielem, quia prius a terrenis desideriis sustulit, post per cincinnum capitis in aere libravit (*Ezech.* VIII). Hæc in Daniele, quia a regiis dapibus gulam compescuit, ei et esurientium ora leonum clausit (*Dan.* XIV). Hæc tribus pueris, quia in tranquillitate positis incendia vitiorum subdidit, tribulationis tempore et flammas in fornace temperavit (*Dan.* III). Hæc in Petro et minis terrentium principum fortiter restitit, et in circumcisione submovenda minorum verba humiliter audivit (*Act.* V). Hæc in Paulo et manus persequentium humiliter pertulit, et tamen in circumcisionis negotio longe se imparis prioris sensum audenter increpavit (*Act.* XV). Multiplex ergo ista lex Dei est, quæ singulis rerum articulis non permutata congruit, et causis se variantibus non variata conjungit. (*Hier.*) Sciens Paulus ejus Dei esse se cultorem, qui nollet mortem peccatoris, sed pœnitentiam, et excepta Trinitate, omnem creaturam.

Digitized by Google

licet non peccet, tamen posse peccare, eum quoque, qui spiritalis est, cohortatur sui timore, ne peccet, manum porrigere corruenti. Et pulchre præoccupatum in delicto hominem vocat, qui mori possit, ex ipso nomine fragilitatem conditionis ostendens, ut dignus sit venia, qui, velut homo errore deceptus et mersus in voraginem, seipsum sine auxilio et adjutore erigere non possit. Spiritali autem non additur homo: sed quasi Deo præcipitur, ut hominem præoccupatum in delicto instruat, sive, ut melius habetur in Græco, perficiat *in spiritu lenitatis*. Qui autem perficitur non ei desunt universa, sed aliqua. Denique si non peccatis pluribus, sed vitio aliquo præoccupatus erravit, lenitatis spiritum et mansuetudinis in correctione peccantis spiritalis adhibeat, ne rigidus, ne iratus et tristis corrigere cupiat errantem, sed provocet eum spondens salutem, veniam repromittens: Christi testimonium proferat, quod gravi legis et peccatorum onere depressos, ad jugum suum suave, et leve invitet onus: ut discant, quia humilis sit et mitis, et mansuetus corde et inveniant requiem animabus suis (*Matth.* xi). Utamur hoc testimonio adversum hæreticos, qui, diversarum fingentes fabulas naturarum, aiunt spiritalem bonam esse arborem, et non malos afferre fructus. Ecce Apostolus, cujus et ipsi auctoritatem sequuntur, dicit eos qui spiritales sunt posse peccare, si per altitudinem cordis sui inflentur et corruant: quod et nos quoque fatemur, et χοϊκοὺς, spiritales fieri, si ad meliora vertantur. Opponi nobis potest illud, quod ad Corinthios scribitur: *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis?* (*I Cor.* iv.) Si enim ibi ad pecatores non in spiritu mansuetudinis, sed in virga venire se dicit, quomodo nunc illis qui in aliquo peccato prævenli fuerint, non virgam adhibet, sed spiritum mansuetudinis? Verum ibi ad eos dicitur, qui post peccatum non sentientes errorem suum, nolebant majoribus subdi, et pœnitentia corrigi. Ubi vero peccator intelligens vulnus suum, tradit medico se curandum, ibi non est virga necessaria, sed spiritus lenitatis. Sed et illud forte quæratur, quod si propterea instruere quis debeat peccatorem in spiritu lenitatis, quia consideret se, ne et ipse tentetur; ergo justus, qui de sua certus est mente, qui scit non posse se labi, non instruere debet peccatorem in spiritu lenitatis? Ad quod dicimus: Et si vicerit justus, sciens quanto labore superaverit, magis peccanti veniam largietur. Nam et Salvator propterea tentatus est, juxta omnia nobis similis absque peccato (*Hebr.* iv), ut possit compati et condolere infirmitatibus nostris, suo doctus exemplo, quam difficilis sit in carne victoria. Si quis virgo ad senectam usque permanserit, ignoscat ei, qui adolescentiæ quondam calore deceptus est, sciens quantis difficultatibus illam transierit ætatem. Si quis pro nominis confessione cruciatus, alium in tormentis viderit fidem denegare, compatiatur vulneribus negatoris, et non tam illum victum quam se vicisse miretur. Cautelam quoque scribentis attendite, quia non dixerit: Considerans te, ne et tu cadas; sed, *ne et tu tenteris*. Vinci quippe vel vincere, nonnunquam in nostra est potestate: cæterum tentari, in potestate tentantis est: si enim Salvator tentatus est, quis potest esse securus intentatum se vitæ hujus maria transire? Qui putant Paulum juxta humilitatem et non vere dixisse: *Etsi imperitus sermone, non tamen scientia* (*II Cor.* xi), defendant hujus loci consequentiam. Debuit quippe secundum ordinem dicere: *Vos, qui spiritales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis*, considerantes vosmetipsos, ne et vos tentemini, et non plurali inferre numerum singularem. Hebræus igitur ex Hebræis et qui esset in vernaculo sermone doctissimus, profundos sensus aliena lingua exprimere non valebat, nec curabat magnopere de verbis, cum sensum haberet in tuto.

Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero. (Amb.) Verum est, nec latet quemquam, quia si actus nostros et mentem consideremus, nullis nos anteponimus, et nec facile quemquam judicamus: qui autem extollitur, quasi aliquid sit, errat: nescit enim quia de humilitate crescitur. Verba enim et gesta Salvatoris ante oculos non habet, qui cum sit omnium Dominus, humiliavit se, ut nobis formam daret, quid sequi deberemus, si crescere velimus, et si nos erigeremus, inclinaremur, quod facit imperitia cordis inflati, ut apud homines commendatior videatur. Spernens enim et despiciens peccatores, justum se videri contendit, sicut et Pharisæus ille quem Dominus denotat (*Luc.* xviii). Nunquid non vere hic imperitus est, qui præsentis gloriæ cupidus est? Nunquid non vere de futuris desperat, qui mercedem justitiæ in præsenti vult consequi? Quare? Quia non est justus in opere, sed per fallaciam fingit justitiam. Qui enim vult justus esse, alterum sibi præponit, ut vere justus sit. Unusquisque enim plus mala sua scit, quam alterius. « Unusquisque suam sarcinam portabit. » Ad postremum hoc voluit innotescere superbis, quia non coinquinatur quis alieno peccato, dummodo dissentiat, ut nemo vereatur jungere se peccatori, aut accedentem ad se suscipere, ut eum lucretur. *Nam si quis existimat se esse aliquid, cum nihil sit, se ipsum seducit.* (Hieron.) Si quis non vult onera aliena portare, et immisericors suo tantum opere et virtute contentus est, non quærens quæ aliena sunt, sed quæ sua, hoc est, sui tantum amator, et non etiam Dei, ipse se seducit. Dupliciter autem legi potest atque distingui: Vel, *si quis existimat se esse aliquid, cum nihil sit*, vel ita, *si quis existimat se esse aliquid*, ut postea inferamus, *cum nihil sit, ipse se seducit*. Et magis in Græco quam in Latino resonat ista distantia. Prioris distinctionis hic sensus est: Qui se aliquid existimat esse, et nihil est, ipse se decipit. Secundus sensus altior est, et qui nobis magis placet: Si quis existimat se esse aliquid, in eo quod se putat esse aliquid, et non ex clementia in proximum, sed ex suo opere

Digitized by Google

et labore se judicat, sua tantum virtute contentus, iste ex hac ipsa arrogantia nihil fit, et ipse se decipit, quod melius in Græco dicitur φρεναπατᾷ, hoc est, mentem suam decipit : pro quo Latinus posuit, *se ipse seducit*. Mentem autem suam decipit, qui se putat esse sapientem, et secundum Isaiam : *Sapiens in se est, et in conspectu suo intelligens*. Ad circumcisionem, et ad legem ita loci hujus connectitur intellectus : qui spiritalis est et misericordiam in proximum non habet, contemnens humilem, quia ipse sublimior est, ipse se decipit, nesciens hanc spiritus esse legem, ut nos invicem diligamus. *Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero*. Sensus iste est : Tu, qui te æstimas spiritalem, et de alterius infirmitate robustior es, non debes imbecillitatem jacentis, sed tuam fortitudinem considerare. Neque enim si alius perfecte non potest ad Christianismum a Judaismo transire, idcirco tu perfectus es Christianus; sed si te propria conscientia non remordet, habes in temetipso gloriam, et non in altero. Athleta non ideo fortis est quia vincit infirmum, et languida adversarii membra superavit, sed si robustus est, et in sua fortitudine, non in infirmitate alterius gloriatur. Intelligi potest et aliter : Qui conscientiam habet operis boni et seipsum considerans opus suum non reprehendit, non debet de hoc apud alium gloriari, et laudem suam foras fundere, et communicare cum cunctis, et ex hominum quærere favore jactantiam, sed in seipso habeat gloriam et dicat : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*. Qui gloriam quærit ab altero, huic nec mundus crucifixus est, nec crucifixus est ipse cum Christo : recepit quippe, quod quærebat ab hominibus, mercedem suam. *Unusquisque enim onus suum portabit*. Videtur superioribus contraire, ubi ait : *Alter alterius onera portate*. Si enim onus suum unusquisque portabit, alter alterius onera portare non poterit. Sed videndum, quod ibi præceperit, ut peccantes in hac vita nos invicem sustentemus, et in præsenti sæculo alterutrum auxilio simus : hic autem de Domini dicat in nos judicio, quod non ex alterius peccato et comparatione deterioris, sed juxta nostrum opus, aut peccatores ab eo judicemur, aut sancti, recipiente unoquoque secundum opus suum. Obscure licet docemur per hanc sententiolam novum dogma, quod latitat, dum in præsenti sæculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse nos adjuvari : cum autem ante tribunal Christi venerimus, nec Job, nec Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum. (*Aug.*) Revocemur ad conscientiam, de qua dicit Apostolus : *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I). Revocemur ad conscientiam, de qua dicit : *Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso habebit gloriam, et non in altero*. Opus ergo suum probet quisque nostrum, utrum de vena charitatis emanet, utrum de radice dilectionis A rami bonorum operum pullulent. *Opus autem suum probet unusquisque*, ait, *et tunc in semetipso gloriam habebit, et non in altero* non quando illi perhibet testimonium lingua aliena, sed quando perhibet conscientia propria. Interroga cor tuum, quid fecisti et quid ibi appetisti salutem tuam ad laudem hominum ventosam. Intus vide : nam homo judicare non potest quem videre non potest; nisi oneris nomen sub diversis significationibus proculdubio putabis, eumdem sibi in loquendo esse contrarium, et hoc in una sententia tam vicine positis verbis, qui cum paulo ante diceret, *alter alterius onera portate*, postea dixit, *unusquisque proprium onus portabit*. Sed alia sunt onera participandæ infirmitatis, alia reddendæ rationis Deo de actibus nostris : alia B cum fratribus sustentanda communicantur, hæc propria ab unoquoque portantur.

Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis. (Amb.) Hoc dicit, ut doctoribus audientes communicent in omnibus bonis. Si autem aliter agant quam docent, in his illis non communicandum, sed dissentiendum, ut magis lex tibi dux sit, quam homo : sibi enim oberit, non tibi; quia, quæ doceris, observas. (*Hieron.*) Marcion hunc locum ita interpretatus est, ut putaret fideles et catechumenos simul orare debere, et magistrum communicare in oratione discipulis; illo vel maxime elatus, quod sequatur, *in omnibus bonis*. Cum utique, si de oratione fuisset sermo, non debuerit ei præcipi, qui cathechizatur, sed ei qui C catechizat, id est, non discipulo, sed magistro. Deinde etiam cætera, quæ sequuntur, cum ejus expositione non congruunt : *Quæ seminaverit homo, hæc et metet*, et : *Bonum autem facientes, non deficiamus : tempore enim suo metemus, non deficientes*. Sensus itaque iste est : Quia superius spiritalibus præceperat, ut eos, qui præoccupati fuerant in aliquo delicto, instruerent in spiritu lenitatis, et alter alterius onera portarent, adimplentes legem Christi, nunc e contrario his, qui adhuc imbecilliores et discipuli et carnales erant, imperat, ut quo modo ipsi a magistris spiritalia metunt, sic magistris carnalia præbeant, qui totos se divinæ eruditioni et studio tradentes vitæ hujus necessariis indigent, et fiat illud D quod de manna scriptum est : *Qui multum, non abundavit, et qui modicum, non minoravit* (*Exod.* XVI). Bona autem in præsenti loco juxta vulgi consuetudinem, moremque communem, victum et vestitum, etc., quæ homines inter bona numerant, appellavit : *Habentes enim victum et vestitum, his contenti sumus*. Nec mirum, si Paulus ea quæ erant corpori necessaria boni appellatione signavit, cum etiam Salvator noster ad eos, qui necdum ad virtutum culmen ascenderant, sed adhuc humilius incedebant, et sibi addi poscebant fidem, dixerit : *Si ergo vos, cum mali sitis, scitis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater cœlestis dabit bona petentibus se?* (*Matth.* VII). Ego puto et Job, cum ad uxorem, quasi unam de insipientibus mulieribus loqueretur, respectu ejus,

Digitized by Google

quæ ita putabat, de corporalibus divitiis locutum : *Si bona accepimus de manu Domini* (*Job.* II); et rursum de angustiis et pressuris et tentatione, quæ victoriam ferant : *Quare mala non sustineamus?* cum utique mala et bona, non in divitiis et pressuris, sed in virtutibus ponantur et vitiis : ut justus loquitur in psalmo : *Quis est homo qui vult vitam, et cupit videre dies bonos? Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum : declina a malo et fac bonum* (*Psal.* XXXIII *et seqq.*). Proprie malum dicitur, quod vitandum est : bonum, quod facere debemus. Dives quoque ille in Evangelio, qui mali et boni scientiam non habebat, recte agrorum ubertatem bona arbitrabatur, dicens : *Anima, habes bona posita in annos multos, quiesce, comede, bibe, lætare* (*Luc.* XII); et alius, qui jacebat in purpura et deliciis affluebat, audit apud inferos ab Abraham : *Recepisti bona in vita tua* (*Luc.* XVI). Illud quoque attendendum, ne forte hoc possit intelligi, dari discipulis mandatum, ut eis, qui se instruunt, verbum communicent, obsequantur, dociles facilesque se præbeant, in his tamen quæ bona sunt, quæ spiritalia et non hæretica vel Judaica pravitate perversa. *Nolite errare, Deus non irridetur.* (Ambr.) Nemini dubium est Deo imposturam fieri non posse, sed hoc ab eo unumquemque consequi, quod meretur. *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem.* Hic carnalia vitia, quæ in carne admitti solent, significat, ut qui in carnem suam corruperit, sciat se corruptelæ futurum obnoxium. Corrumpit autem corpus, qui inconcessa præsumit. *Qui autem seminaverit in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* (Aug.) Seminatio in spiritu est, ex fide cum charitate servire justitiæ, et non obedire desideriis peccati, quamvis de mortali carne existentibus : messis autem vitæ æternæ, cum inimica novissima destruetur mors, et absorbebitur mortale a vita et corruptibile hoc induet incorruptionem (*I Cor.* XV). In hoc ergo tertio gradu, quo sub gratia sumus, seminamus in lacrymis, cum existunt desideria de animali corpore ; quibus non consentiendo renitimur, ut in gaudio metamus, cum etiam reformato corpore, ex nulla parte hominis ulla nos sollicitabit molestia, ullumve tentationis periculum. (*Ambr.*) Homo Christianus spiritu constat et carne : homo enim ad comparationem Spiritus sancti caro est. Cum ergo spiritui dat assensum cohibens se ab his quæ contraria sunt, spiritaliter seminat, ut possit metere vitam æternam. Testimonio enim spiritus accipit immortalitatem loco mercedis. Sicut enim qui corrumpit dehonestans corpus suum, non ad æternitatem, sed ad corruptionem pertinebit : ita et qui incontaminatum se custodit, vitam æternam consequetur. *Nolite, inquit, errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* (*Hieron.*) Prævidens spiritu eos, qui docentur, et debent magistris sumptus et vitæ necessaria ministrare, posse obtendere paupertatem et dicere : Ager meus hoc anno aruit siccitate ; vineam grando contrivit ; redditus, qui esse poterant tributa, rapuerunt ; non habeo unde tribuam quod jubetur, adjecit : *Nolite errare, Deus non irridetur.* Scit, inquit, corda vestra, non ignorat facultates. Excusatio verisimilis hominem potest utcumque placare, Deum non potest fallere : et simul cohortatur ad id quod præceptum est exhibendum, semen nominans, ne putet perditum, quod multiplicato fenore recepturus est. Ad Corinthios quoque rationem dati et accepti, simili docuit exemplo : *Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictione, de benedictione et metet. Unusquisque sicut propositum habet in corde, non ex tristitia, aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus.* (*II Cor.* IX.) — *Quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem : qui autem seminat ir spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Omne quod loquimur, agimus, cogitamus, in duobus seminatur agris, carne et spiritu. Si bona sunt, quæ de manu, ore, corde promuntur, seminata in spiritu, vitæ æternæ fructibus redundabunt : si mala, ab agro carnis excepta, corruptionis nobis segetem pullulabunt. Aliter : Qui legem carnaliter intelligit, repromissiones quoque carnales et quæ in præsenti sæculo corrumpuntur exspectat : qui autem spiritalis auditor est, seminat in spiritu, et de spiritu metet vitam sempiternam. (*Ambr.*) Hæc est enim æterna vita, vivere sine pœna, et habere gloriam. Nam si hic ad præsens qui in sollicitudine est, negat se vivere ; quanto magis, ubi alienus a Deo, ignem, tortoremque patietur? *Bonum autem facientes non deficiamus : tempore enim suo metemus non deficientes.* Hoc dicit quia qui fortis erit ad seminandum, fortis erit et ad metendum, id est, sic recipiet, quomodo facit. Ideo promptos nos ad benefaciendum esse hortatur, nec fastidium pati debere, securos quia pro parvis magna recipiemus, et pro terrenis æterna, tempore quo promisit Deus. (Hieron.) *Bonum autem*, inquit, *facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.* Cohortatur eos ad studium perseverantiæ, qui in hac vita mercedem boni operis exspectant, nescientes quia sicut in semine aliud sationis, aliud messis est tempus : sic et in præsenti vita sementis est opera [sementem esse opera], quæ nunc vel in spiritu, vel in carne metantur : messem vero operum futurum judicium, et pro qualitate vel diversitate sementis diversas nos facere messuras, centesimum et sexagesimum, et tricesimum fructum, quam segetem nemo potest metere deficiens : *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X). Et in alio loco : « esto, ait, non deficiens, » quale est autem? ut cum peccatores quotidie in malis operibus augeantur, nos in bono opere lassemur. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* (Ambr.) Gentiles tempus habent operandi malum : homines enim sine Deo, quomodo possunt operari bonum? Christiani autem facti, tempus habent operandi bonum ad omnes homines, ut post acceptam fidem bonum opus proficiat mercedi promissæ. Tempus enim

Digitized by Google

idcirco conceditur vitæ, ut jam juste versemur, exemplum dantes gentibus. *Maxime autem ad domesticos fidei.* (Aug.) Quos eum credendum est, nisi Christianos significare? Omnibus enim pari dilectione vita æterna optanda est : sed non omnibus eadem possunt exhiberi dilectionis officia. (*Ambr.*) Verum est, quia faciliores et propensiores in bono circa fratres esse debemus : quia invicem sumus membra. (*Hieron.*) Tempus sementis, ut diximus, tempus est præsens, et vita quam currimus. In hac licet nobis quod volumus seminare; cum ista vita transierit, operandi tempus auferetur. Unde et Salvator ait : *Operamini, dum dies est : veniet nox, quando jam nullus poterit operari* (*Joan.* IX). Ortus est nobis Dei sermo, sol verus, et congregatæ sunt bestiæ in cubilia sua : procedamus ut homines ad opus nostrum, et usque ad vesperam laboremus, sicut mystice canitur in psalmo : *Posuisti tenebras et facta est nox. In ipsa pertransibunt bestiæ silvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant et quærant a Deo escam sibi. Ortus est sol et congregati sunt, et in cubilibus suis dormierunt. Egredietur homo ad opus suum et ad opera sua usque ad vesperam* (*Psal.* CIII). Sive ægrotamus, sive sani sumus, humiles, vel potentes, pauperes, divites, ignobiles, honorati, esurientes atque vescentes, omnia in nomine Domini cum patientia et æquanimitate faciamus, et implebitur in nobis illud, quod scriptum est : *Diligentibus* autem *Dominum omnia cooperantur in bonum.* Ira ipsa et libido, et injuria, quæ desiderat ultionem, si me refrenem : si propter Deum taceam, si per singulos commotionis aculeos et incentiva vitiorum, Dei desuper me videntis recorder, fiunt mihi occasio triumphorum. Ne dicamus in largiendo : Ille est amicus, hunc nescio : hic debet accipere, iste contemni. Imitemur Patrem nostrum, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Math.* V). Fons bonitatis omnibus patet : servus et liber, plebeius et rex, dives et pauper, ex eo similiter bibunt. Lucerna cum accensa fuerit in domo, omnibus lucet æqualiter : quod si in cunctos indifferenter liberalitatis frena laxantur, quanto magis in domesticos fidei, et in Christianos, qui eumdem habent patrem, ejusdem magistri appellatione censentur? Videtur mihi locus iste posse et superioribus cohærere, ut domesticos fidei magistros nominet, quibus supra omnia, quæ putantur bona, ab auditoribus suis jusserat ministrari. Breve est vitæ istius curriculum. Hoc ipsum quod loquor, quod dicto, quod scribo, quod emendo, quod relego, de tempore meo mihi aut crescit, aut deperit. Titus, filius Vespasiani, qui in ultionem Dominici sanguinis, subversis Hierosolymis, Romam victor ingressus est, tantæ dicitur fuisse bonitatis, ut cum quadam nocte sero recordaretur, in cœna, quod nil boni die illa fecisset, dixerit amicis : *Hodie diem perdidi.* Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates, cum otiosum verbum loquimur, pro quo reddituri sumus rationem in die judicii. Quod si hoc ille sine lege, sine Evangelio, sine Salvatoris et apostolorum doctrina, naturaliter dixit et fecit, quid nos oportet facere, in quorum condemnationem habet et Juno univiras et Vesta virgines, et alia idola continentes? Beatus Joannes Evangelista, cum Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem, et vix inter discipulorum manus ad ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocem verba contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc : *Filioli, diligite alterutrum.* Tandem discipuli et fratres, qui aderant, tædio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt : Magister, quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Joanne sententiam : *Quia præceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit.* Hoc propter præsens Apostoli mandatum : *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.*

Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu. (Amb.) Obediri vult litteris his. Ubi enim olographa manus est, falsum dici non potest; ne forte circumventi excusarent de Epistola, quasi aut falsa esset, aut non esset Apostoli, nolentes se reprehendi. (*Hieron.*) Hi qui circumcidi Galatas volebant, disseminaverant alia Paulum facere, alia prædicare, et suum opere destruere sermonem, quod qui legem assereret abolitam, ipse inveniretur in lege. Hanc opinionem, quia non poterat Paulus apud omnes præsens subvertere, prohibebatur quippe vinculis, quæ ob Christi martyrium sustinebat, seipsum per litteras repræsentat. Et ne aliqua suppositæ Epistolæ suspicio nasceretur, ab hoc loco usque ad finem manu sua ipse perscripsit, ostendens superiora ab alio exarata. Quod autem sub nomine ejus a falsis doctoribus Epistolæ mitterentur, ad Thessalonicenses quoque demonstrat scribens : *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi et nostræ congregationis in idipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu, nec terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini, ne quis vos seducat ullo modo* (*II Thess.* II). Et ut totam Epistolam quam mittebat, suspicione erueret falsitatis, manu sua in fine subscripsit, dicens : *Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni Epistola, ita scribo : Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis.* Ad Colossenses etiam, quas dictaverat litteras, manu sua similiter subnotavit : *Salutatio mea manu Pauli : memores estote vinculorum meorum* (*Coloss.* IV). Et ubicunque sciebat falsos adesse doctores, qui possent per Apostoli auctoritatem nova dogmata seminare, Epistolam manu propria subscribebat. Denique et ad Corinthios scribens, in quibus erant schismata et hæreses, unoquoque dicente : *Ego sum Pauli, et ego Apollo, ego autem Cephæ*, Epistolam suam tali annotatione signavit : *Salutatio mea manu Pauli. Si quis non amat Dominum Jesum Christum, sit anathema, maranatha*, etc. (*I Cor.* XVI). Propter hoc igitur volens omnem occasionem falsis auferre do-

Digitized by Google

ctoribus, qui et Galatas a veritate Evangelii depravarant, finem epistolæ manus suæ annotatione complevit dicens : *Videte qualibus litteris scripsi vobis*, non quo grandes litteræ fuerint, hoc quippe in Græco sonat πηλίκοις, sed quod suæ manus essent eis nota vestigia, ut, dum litterarum apices recognoscunt, ipsum se putarent videre, qui scripserat. *Quicunque volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur.* (Hieron.) Superius ostendit ex quo loco sua scripserit manu, nunc quid scripserit replicat. Caius Cæsar et Octavianus Augustus, et Tiberius successor Augusti leges promulgaverant, ut Judæi, qui erant in toto Romani imperii orbe dispersi, proprio ritu viverent, et patriis cæremoniis deservirent. Quicunque igitur circumcisus erat, licet in Christum crederet, quasi Judæus habebatur a gentibus : qui vero absque circumcisione se non esse Judæum præputio præferebat, persecutionibus tam gentilium quam Judæorum flebat obnoxius. Has igitur persecutiones, hi, qui Galatas depravarant, declinare cupientes, circumcisionem pro defensione discipulis persuadebant, quam nunc Apostolus confidentiam in carne vocat, quod scilicet, tam gentilibus, quos timebant, quam Judæis, quibus volebant placere, circumcisionem in persecutione præponerent. Nam nec Judæi persequi eos poterant, nec gentiles, quos videbant et proselytos circumcidere, et ipsos legis præcepta servare. (*Amb.*) In carne placere, hominibus *placere* significat. Ut enim Judæis propitiis aut non infensis viverent, quos pseudoapostolos dicit, sic Christum prædicabant, ut et legem servandam docerent : quod Apostolus nunquam metuit, sed constanter, quod verum est, non tacuit, et sibi, et his providens quos docebat. Denique : *Ego*, inquit, *non solum ligari, sed et mori in Hierosolyma paratus sum, pro nomine Domini Jesu Christi* (*Act.* xxi). — (Hieron.) *Neque enim qui circumciduntur legem custodiunt, sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur.* Propter infirmitatem, inquit, carnis, lex impleri non potest. Unde et Judæi præcepta magis hominum et doctrinas, quam Dei mandata custodiunt, neque corporalem facientes legem, impossibile quippe est : neque spiritalem, quam non intelligunt. Unde hoc est, omne quod student, quod agunt, quod nituntur, ut apud Judæos de vestræ carnis injuria glorientur, et jactitent suo gentes magisterio circumcisas. Hoc autem totum faciunt, ut Judæis placeant, et expugnatæ legis invidia conquiescat. (*Amb.*) Tale est hoc, quale et illud dictum ad apostolum Petrum : *Si tu, cum sis Judæus, gentiliter viris, quomodo compellis gentes judaizare?* (*Gal.* ii.) Ita et hi, cum ipsi legem non custodirent, conversantes injuste, circumcisionem zelabantur, ut proinde vindices et amatores legis viderentur, cum constet hunc legem defendere et custodire, qui justitias ejus exsequitur, et mandatum quod ad vitam pertinens datum est, non prætermittit. Talis ergo Galatarum excusatio erat. Hæc dicit, ut vel sic intelligant, quia ludebantur velut stulti et hebetes, de quorum doloribus gloriarentur. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* (Aug.) Mundus mihi crucifixus est, ait, ut me non teneat ; et ego mundo, ut eum non teneam, id est, ut neque mundus mihi nocere possit, neque ego de mundo aliquid cupiam : qui autem in cruce Christi gloriatur, non vult placere in carne, quia persecutiones carnalium non timet, quas prior, ut crucifigeretur, ille sustinuit, ut vestigia sua sectantibus præberet exemplum. (*Amb.*) Quomodo pseudoapostoli tribulationes pro nomine Christi quasi nihil profuturas per hypocrisin redimebant, erubescentes in his ; ita et Apostolus gloriabatur de his, sciens magnam pro istis fore mercedem, quemadmodum et coapostoli ejus, sicut scriptum est in Actibus apostolorum : Tunc, inquit, cæsi *exierunt* apostoli *de concilio, gaudentes quia digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati* (*Act.* v). Cujus ergo omnis spes in Christo est, hic gloriatur in cruce ejus, huic et mundus crucifixus est, certus amorem crucis Christi vitam esse : mundi vero amorem parere mortem. (*Hieron.*) Solus potest in cruce Christi gloriari, qui tollit eam et sequitur Salvatorem, qui crucifixit carnem suam cum vitiis et concupiscentiis, qui mortuus est mundo, et non contemplatur ea quæ videntur, sed quæ non videntur ; videns mundum crucifixum et transeuntem figuram ejus. Crucifigitur autem justo mundus ille, de quo Salvator ait : *Ego vici mundum* ; et : *Nolite diligere mundum*, et, *Non accepistis spiritum mundi.* Crucifixus est mundus illi, cui mundus mortuus est ; venitque ei mundi consummatio, et dignus effectus novo cœlo, nova terra, et Novo Testamento, canit canticum novum, et accipit nomen novum scriptum in calculo, quod nemo novit, nisi qui acceperit illud (*Apoc.* ii). [Greg.] Bene ergo Paulus, cum sæculum perfecte despiceret, et talem se factum videret, quem jam hoc sæculum concupiscere omnino non posset, ruptis hujus vitæ vinculis liber dicit : *Mihi mundus crucifixus est et ego mundo.* Mundus quippe ei crucifixus fuerat, quia hunc cordi suo jam mortuum non amabat : sed et se ipsum mundo crucifixerat, quia talem se ei exhibere studuit, ut ab eo quasi mortuus concupisci non posset. Si enim in uno loco sint mortuus et vivens, etsi mortuus vivum non videt, vivus tamen mortuum videt : si vero utrique mortui sunt, alter alterum nequaquam videt. Ita qui jam mundum non amat, sed tamen ab illo vel non volens amatur, et si ipse velut mortuus mundum non videt, hunc tamen mundus adhuc non mortuus videt : si vero nec ipse in amore mundum retinet, nec rursum a mundi amore retinetur, vicissim sibi utrique exstincti sunt ; quia dum alter alterum non appetit, quasi mortuum mortuus non attendit. Quia igitur nec Paulus mundi gloriam quærebat, nec a mundi gloria ipse quærebatur, et se mundo et mundum sibi cruci-

Digitized by Google

fixum esse gloriatur. (*Hier.*) Sed quæritur, quomodo nunc Paulus dicat : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*, cum in alio loco de aliis glorietur, ut ibi ait : *Per vestram gloriam, quam habeo in Christo Jesu* (*I Cor.* xv); et iterum : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut habitet in me virtus Christi* (*II Cor.* xii); et in alio loco : *Bonum autem mihi est magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet* (*I Cor.* ix), et cætera quæ in hunc modum scripta sunt. Sed sciendum est quod omnis illa gloriatio ad crucem relata, gloria crucis sit, et quidquid dignum in virtutibus perpetratur, hoc fieri ob Domini passionem.

In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. Et quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia, et super Israel Dei. (Aug.) Novam creaturam dicit vitam novam per fidem Jesu Christi, et notandum verbum est : difficile enim inveniri creaturam vocari etiam eos, qui jam credendo in adoptionem filiorum venerunt. (*Ambr.*) Nova creatura est regeneratio nostra, hæc est quæ dat profectum permanentibus, super istos est enim pax Dei; qui enim cum Deo pacificus est, nullius inimicitiam metuit : tutus enim est protectione et misericordia Dei, quæ promissa est et manet super Israel Dei, non super Israel hominis : Judæi enim non credentes Israelitæ sunt secundum carnem. Duas ergo partes significavit, super quas manet pax et misericordia Dei, Judæorum credentium, et gentilium fidelium. (*Hier.*) Quomodo fidelis et infidelis, cum unus sit per substantiam, in duos dividitur juxta intelligentiæ diversitatem, Apostolo dicente : *Exspoliantes vos veterem hominem cum operibus ejus, et induentes novum, qui renovatur in agnitionem juxta imaginem Creatoris* (*Col.* iii); sic et mundus cum secundum substantiam unus sit, secundum sensum alius atque alius efficitur. Peccatori autem mundus vetus est, sancto novus. Cum enim sancto mundus fuerit crucifixus, nequaquam est ei circumcisio et præputium, non Judæus, neque Gentilis; sed nova creatura in quam transfiguratur corpus humilitatis nostræ conforme corporis gloriæ Christi. Vetera quippe transierunt, ecce facta sunt omnia nova, *et quomodo alia est gloria solis, et alia lunæ, et alia stellarum, et stella quippe a stella differt in gloria; sic et resurrectio mortuorum* (*I Cor.* xv) : de qua et Daniel pari voce concordat, dicens : *Plurimi dormientium de terræ pulvere surgent : hi in vitam æternam, et hi in opprobrium et in confusionem æternam* (*Dan.* xii); et : intelligentes *fulgebunt sicut splendor firmamenti* (*Matth.* xiii); et de justis : « Multi sicut stellæ in sempiternum. » Neque enim insole et in luna, firmamento et stellis, circumcisio aliquid valet aut præputium, sed est nova conditio sine his partibus corporum, quæ possunt secari. Ita igitur et nos, qui diligimus Deum, et præparata sunt nobis quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt (*Isa.* lxiv; *I Cor.* ii), cum de corpore humilitatis transformati fuerimus in corpus gloriæ Domini nostri Jesu Christi, illud habebimus corpus, quod nec Judæus possit incidere, nec cum præputio custodire Gentilis : non quod aliud juxta substantiam sit; sed quod juxta gloriam sit diversum. *Oportet enim mortale hoc induere immortalitatem, et corruptivum hoc incorruptione vestiri* (*I Cor.* xv). Huic quid simile et beatus evangelista Joannes sentiens est locutus : *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et necdum manifestum est quid futuri simus. Scimus quia si manifestatum fuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti ipse est* (*I Joan.* iii). Quia ergo necdum manifestum est illud corpus gloriæ Jesu Christi, quod et vestigia clavorum post resurrectionem habuit, et clausis januis est ingressum : nos qui jam in baptismate Christo consurreximus in novum renati hominem, nec circumcisioni, nec præputio serviamus : sed quod futuri sumus, jam nunc nos esse credamus. Et quicunque hanc regulam sequuntur, *pax super illos et misericordia et super Israel Dei.* Ad normam omnia diriguntur, et utrum prava rectave sint, cum regula apposita fuerit, arguuntur. Ita et doctrina Dei quædam quasi norma sermonis est, quæ inter justa judicat et injusta; quam, qui secutus fuerit, habebit pacem in semetipso, quæ superat omnem sensum, et post pacem, misericordiam quæ præcipua est in Dei Israel. Dei vero Israel dictus est, ad distinctionem ejus qui Dei Israel esse cessavit. Dicunt enim se esse Judæos, et non sunt; sed mentiuntur, cum sint *synagoga Satanæ* (*Apoc.* ii). Nec mireris, si ad imitationem spiritalis Israel carnalis sit Israel, qui nec pacem habeat, nec misericordiam, de quo et ad Corinthios scribitur : *Videte Israel secundum carnem* (*I Cor.* x), cum ad imitationem quoque Dei et Domini, multi sint dii et multi domini, sive in cœlo, sive in terra. Pulchre autem uno sermone, ut epistolam juxta propositionem argumenti finiret, Israel Dei vocavit, quo scilicet omnia, quæ supra dicta sunt, non extra causam, sed ex causa disputata doceantur. *De cætero nemo mihi molestus sit.* Non quasi defecerit in docendo, sed quod et agricola hunc habeat laborem, si quæ plantaverit, virgulta siccentur, et pastor sollicitudinem, si pecora, quæ congregaverat, dissipata lanientur. (*Ambr.*) Molestias sibi noluit de cætero fieri, ut iterum forte cogeretur scribere, sed jam correctiores illos vult fieri, ut, amputatis erroribus, post tanta tædia pausam haberet. Si autem duriores se præstarent et inflexibiles in convertendo, cessarent ab eo, ut illis operas suas et efficaciam impenderet, de quibus mercedem aut lucrum speraret. (*Hier.*) Melius ergo in Græco legitur : « De cætero labores mihi nemo exhibeat; » ne rursum scilicet in vobis necessitatem habeam laborandi. Laborem præstat magistro, qui aliter et vivit et sentit quam magister et docuit et fecit. Potest et contentionem eorum, si qui contradicere deinceps voluerint, prævenire, quod etiam ad Corinthios in velando mulieris capite et masculi non velando, post multa complexus est,

Digitized by Google

dicens : *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei* (*I Cor.* XI) : hoc est, nos diximus, quæ nobis honesta videbantur et justa : si quis autem nolens acquiescere veritati, quærit quid respondeat, et quibus nitatur e contra, sciat se responsione non dignum, qui magis contendere paratus est, quam doceri. *Ego enim stigmata Jesu in corpore meo porto.* (Aug.) Stigmata enim dicuntur notæ quædam pœnarum servilium : ut si quis, verbi gratia, servus in compedibus fuerit propter noxam, id est, propter culpam, vel hujusmodi aliquid passus fuerit, stigmata habere dicatur, et ideo in jure manumissionis inferioris est ordinis. Nunc ergo Apostolus stigmata voluit appellare, quasi notas pœnarum de persecutionibus quas patiebatur. Propter culpam enim persecutionis, qua persecutus erat Ecclesias Christi, hæc sibi retribui cognoverat : sicut ab ipso Domino dictum est Ananiæ, cum idem illum Ananias tanquam persecutorem Christianorum formidaret : *Ego illi ostendam*, inquit, *quæ oporteat eum pati pro nomine meo* (*Act.* IX). Verumtamen propter remissionem peccatorum, in qua baptizatus erat, omnes illæ tribulationes non ei valebant ad perniciem, sed ad coronam victoriæ proficiebant. (*Hier.*) Qui post adventum Christi in carne circumciditur, non portat stigmata Domini Jesu, sed habet gloriam in confusione sua ; qui vero in plagis super modum, in carceribus frequenter, ter virgis cæsus est, semel lapidatus est, cæteraque quæ in catalogo scripta sunt gloriandi : hic stigmata Domini Jesu in corpore portat. Forte et is qui macerat corpus suum et subjicit servituti, ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniatur (*II Cor.* IX), portat stigmata Domini Jesu in corpore suo. Lætabantur et apostoli (*Act.* V) quod digni fuerant pro nomine Jesu contumeliam compati. [*Ambr.*] Hoc dicit iratus, quia passiones, quas credentium causa patiebatur, inefficaces in his videbat, quoniam constantia et fide doctrinæ suæ pro Christo, plagas et vincula pati non timuit : sed passus est amore credentium cicatrices plagarum habere se in corpore, quo non minus fideliter eis prædicaret, sicut et pseudoapostoli, qui Galatas deceperant. Neminem itaque vult sibi molestum esse, qui huic rei devotus non est ; ista enim stigmata, id est cicatrices plagarum, testimonia sunt credentium eorum, qui patiuntur, quod digni sunt futura promissione. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum Spiritu vestro, fratres. Amen.* Non legis gratiam dicit, sed Domini nostri Jesu Christi esse cum spiritu illorum, quos spiritales fratres appellat ; neque enim penitus fuerant omnes eversi. (*Hier.*) Non dissensio, non legis servitus, non rixa, non jurgium, sed gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum spiritu vestro : nequaquam cum carne, nequaquam cum anima ; sive quia spiritales facti caro et anima esse desistis ; sive quod in principali etiam ea quæ minora sunt comprehendantur. Anima enim et caro subjecta sunt spiritui, de quo Ecclesiastes loquitur : *Spiritus revertetur ad eum qui dedit illum* (*Eccle.* XII). Et Paulus in alio loco (*Rom.* VIII) : *ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro.* Hæc autem gratia Domini Jesu non cum omnibus est, sed cum his qui fratres ab Apostolo merentur vocari, fratres fideles, fratresque germani, quod Amen verbum significat Hebræum. Amen enim Septuaginta interpretes, *Fiat ;* Aquila, Symmachus et Theodotio, *Fideliter* sive *vere* interpretati sunt : et quomodo in Veteri Testamento quadam jurandi consuetudine Deus sua verba confirmat dicens : *Vivo ego, dicit Dominus*, per sanctos quoque juratur ; *Vivit anima tua ;* ita et Salvator noster in Evangelio per verbum *Amen* vera esse quæ loquitur, ostendit. Quod autem *Amen* consensum significet audientis, et sit signaculum veritatis, ad Corinthios quoque prima nos docet, in qua Paulus ait : *Cæterum si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem, quoniam quidem nescit quid dicas ?* (*I Cor.* XIV.) Ex quo ostendit non posse idiotam respondere verum esse, quod dicitur, nisi intellexerit, quod docetur. Amen.

LIBER SEPTIMUS DECIMUS.

EXPOSITIO IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

ARGUMENTUM.

(*Ambr.*) Ephesios Apostolus non fundavit in fide, sed confirmavit, multa mala pro his passus a perfidis, sicut dicit : *Si enim secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt ?* (*I Cor.* XV.) Et quoniam pugnam suam non sine effectu profectionis illorum prævidet, gaudens in eis, ad meliora scriptis hortatur de urbis Romæ custodia ; quia veniens ab Hierosolymis in custodia sub fidejussore intelligitur degisse, manens extra castra in conductu suo (*Act.* XXVIII). [Hier.] Scribebat ad Ephesios Dianam colentes, non hanc venatricem, quæ arcum tenet atque succincta est, sed illam ultimam [multimammiam], quam Græci πολύμαστον vocant, ut scilicet ex ipsa quoque effigie mentirentur omnium eam bestiarum et viventium esse nutricem. Scribebat ad metropolim Asiæ civitatem, in qua ita idololatria, et quod semper idololatriam sequitur, artium magicarum præstigiæ viguerant, ut Demetrius diceret, *et magnæ deæ templum Dianæ in nihilum reputabitur, destruetur quoque magnitudo ejus, quam cuncta Asia et universus orbis colit* (*Act.* XXIX).

Digitized by Google

Denique triennio ibi Apostolus moratus est, nocte et die Evangelium prædicans, ut, idololatriæ arce destructa, facile minorum urbium templa caperentur. Hoc ipsum Scriptura refert, quomodo Paulus ad Ephesios sermocinetur dicens : *Quapropter vigilate, recordantes quia triennio nocte ac die non cessavi cum lacrymis monere unumquemque vestrum, et nunc commendo vos Deo et verbo gratiæ ejus, qui potens est ædificare et dare vobis hæreditatem in sanctificatis omnibus* (*Act.* xx). Indigebant enim commendatione Apostoli ad Deum, quos tanto tempore dæmonum error tenuerat, et sciebant esse spiritales ad quas [aliquas] potestates, et in extis atque auguriis et divinationibus quamdam similitudinem divinitatis agnoverant. Unde rursum ad eos loquitur : *Propter quod contestor vos in die hac, quia mundus sum ego a sanguine omnium. Non enim subtraxi, quo minus annuntiarem vobis omnem voluntatem Dei* (*Ibid.*). Et in eodem loco : *Quomodo nihil subtraxerim eorum quæ vobis proderant, quin annuntiarem et docerem publice et domestice* (*Ibid.*). Legerat in Ezechiele (*Ezech.* xxxiii) quod speculator qui populo hostium non prædixisset adventum, sanguis civium exigeretur de manibus ejus, et propterea omnem se voluntatem Dei, et universa quæ illis utilia forent annuntiasse memoravit, ut liber esset a sanguine eorum. Ut autem sciatis eos qui in Epheso crediderant, dæmoniacis præstigiis et magicæ fuisse arti obligatos, in iisdem apostolorum Actibus replicatur et dicitur : *Plurimi quoque eorum qui curiosa gesserant, comportaverunt libros, et combusserunt eos coram omnibus, et computato pretio illorum, invenerunt quinquaginta millia argenti : sic potenter verbum Domini crescebat et confortabatur* (*Act.* xix). Hæc idcirco universa replicavimus, ut ostenderemus quare Apostolus in hac vel potissimum Epistola obscuros sensus et ignota sæculis sacramenta congesserit, et de sanctarum Scripturarum contra morem docuerit potestate[a] : qui sint dæmones, quid valeant, quid ante fuerint, et quomodo post adventum Christi sint diruti atque destructi. De quibus ait : *Non est nobis pugna adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates, et adversus rectores tenebrarum istarum, adversus spiritalia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* vi). Et in alio loco : *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecostem. Ostium enim mihi apertum est magnum et efficax, sed adversarii multi* (*I Cor.* xvi). Permansit autem Ephesi usque ad Pentecosten, tempus lætitiæ atque victoriæ, in quo non flectimus genua, nec curvamur in terram, sed cum Domino resurgentes ad cœlorum alta sustollimur. Et permansit : quia apertum ei erat ostium, et non ostium modicum, sed magnum, ut vincto forti atque superato, domum ejus invaderet, spoliaret et everteret, et captivam captivitatem duceret (*Matth.* xii) : qui satellitum suorum agminibus congregatis, tota contra Apostolum acie dimicavit. Et [et victus est. Qui sint autem Ephesii et hinc] vel maxime comprobatur, quod sicut Joannes mysterium nativitatis antiquæ Domini relaturus, in pectus ejus recubuit, et de purissimo fonte hausit rivulum doctrinarum (*Joan.* xiii, xxi), ita et hi in abeuntis Pauli collum ruentes (*Act.* xx), oculis atque amplexibus suis indicaverunt unum se cum eo scientiæ habere thesaurum, et magistri desiderium lacrymis contestati sunt.

CAPUT PRIMUM.

Ponitur aliquorum divina prædestinatio, et recoluntur Dei beneficia collata apostolis et Ephesiis.

Paulus apostolus Christi Jesu per voluntatem Dei. (Ambr.) Solito more scribit : apostolum enim se esse Christi Jesu Dei voluntate testatur. (*Hier.*) Si *per* præpositio ministerium ejus, per quem res agitur, ostendit, videtur mihi in illam sententiam sensus iste congruere : *Nemo venit ad Patrem, nisi Pater meus attraxerit eum* (*Joan.* vi) : atque ita fiet, ut et illud, quod in Evangelio Joannis legitur : *Omnia per illum facta sunt :* haud dubium quin per Filium, non præjudicet Domino nostro Jesu Christo, quasi ex eo minor sit, quod Patris obtemperet voluntati : quomodo et nunc non præjudicat Patri, quod per voluntatem illius Paulus apostolus Jesu Christi sit. Alii vero ita locum istum intelligunt, ut Paulum apostolum Jesu Christi per voluntatem Dei, qui sit Christus, ostendi putent : ut sicut sapientia, et Verbum, et virtus Dei, et veritas, et resurrectio, et vita dicitur, ita etiam voluntas appelletur. Nonnulli nihil differre existimant, utrum per voluntatem Dei, an ex Dei dixerit voluntate, quia his præpositionibus indifferenter utatur, et idipsum significare per voluntatem Dei, quasi dixisset ex voluntate Dei : *Sanctis omnibus, qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu.* Quidam curiosius quam necesse est, putant ex eo quod Moysi dictum sit : *Hæc dices filiis Israel : Qui est misit me* (*Exod.* iii), etiam eos, qui Ephesi sancti sunt et fideles vocabulo essentiæ nuncupatos : ut quomodo a sancto sancti, a justo justi, a sapiente sapientes ; ita ab eo, qui est, hi, qui sunt, appellentur, et juxta eumdem Apostolum elegisse Deum ea quæ non erant, ut destrueret ea quæ erant. Ipsam etiam Scripturam quæ in testimonium adducta est, ita edisserunt, ut destructionem eorum quæ erant, ex consequentibus intelligamus : *Ut non,* inquit, *glorietur omnis caro in conspectu Dei.* Si enim, aiunt, quispiam ex eo quod non erat, in id quod est a Deo esse proficiens, non datori gratiam referat, sed sui meriti æstimet quod subsistit, statim quod est esse destruitur, et incipit non esse quod fuerat. Alii vero simpliciter, non ad eos qui sint, sed qui Ephesi sancti et fideles sint, scriptum arbitrantur. Et fidelibus in Jesu Christo. Quoniam sanctificata est mulier infidelis in viro fideli, et vir infidelis sanctificatus est in muliere fideli (*I Cor.* vii) : et sunt quoque vasa sancta, et mutæ pecudes quæ Deo mactantur in templo ; propterea eos, quos sanctos dixerat, vocavit et fideles, quia fides ex mentis propriæ descendit

[a] Apud Hieron. : *et de sanctarum contrariarumque virtutum docuerit potestate.*

Digitized by Google

arbitrio, sanctificatio vero ex sanctificantis interdum absque voluntate nostra sumitur largitate. Quod autem ait: *Fidelibus in Christo Jesu*, hoc ad distinctionem diligentissimæ observationis est positum; sunt quippe plures fideles, sed non in Christo Jesu: si quis reddat depositum, si quis commendata non abneget, fidelem se amicum exhibeat, animam magis quam fidem paratus sit prodere, quod de nonnullis philosophis legimus, iste et fidelis quidem est, sed non est fidelis in Christo Jesu. Fideles etiam dici possunt et catechumeni, sed non fideles in Christo, quia non sunt baptizati in Christo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (*Joan.* III).

Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu. (Ambr.) Gratiam Dei cum sanctis dicit esse et fidelibus, quem patrem nostrum appellat: quia ab ipso sunt omnia et condita et restaurata; Christum autem Dominum nostrum, quia redemit nos offerens se pro nobis. (*Hier.*) Sive ambo ad utrumque, hoc est, et gratia et pax a Deo, tam ad Deum patrem, quam ad Dominum Jesum Christum, sive ad singulos referenda sunt singula, ut gratia ad Deum Patrem, pax vero referatur ad Christum. Siquidem statim sequitur: *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in quâ gratificavit nos in dilecto*, ut gratia Patris in eo sit, quod Filium pro salute dignatus est mittere: pax vero Filii in eo, quod per ipsum Patri reconciliati sumus, et destructo medio pariete, inimicitias in carne sua evacuans, fecerit utraque unum. Aliter, tunc gratia Dei proficit nobis, si ingrati non erimus [*Forsan deest* auctori] salutis nostræ, meritis nostris deputantes bona nostra; pacem vero reconciliationis servabimus, si nihil contrarium facimus ejus voluntati, qui nos pacificavit in sanguine suo. *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus, in Christo Jesu.* (Ambr.) Benedixit nos in omni benedictione spiritali, id est, non mundana sed cœlesti benedictione, neque corruptibili, sed æterna, quia gloria Christianorum non in terra, sed in cœlo est, et est in Christo. Omne enim donum gratiæ Dei in Christo est, ut si quis spreto Christo benedici se a Deo putet, errare se sciat. (*Hier.*) Quomodo secundum substantiam atque naturam Deus bonus nos communione sui effecit bonos, et loquitur ad Israel: *Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum* (*Lev.* XX); ita et ipse benedictus nos præstat esse benedictos. Dat quippe legislator benedictiones, *et benedictio Domini super caput justi*, cujus benedictionis cognomentum habet Baruch, qui in lingua nostra *benedictum* sonat. Benedixit nos, non in una benedictione sed *cunctis*: non quod omnes omnia consequamur, sed dum singuli, vel singulas, vel plures ex omnibus habemus, omnes per singulas possidemus, et non in terrenis benedictionibus, sed in spiritalibus. Sunt quippe et terrenæ benedictiones, habere quempiam liberos, affluere opibus, honore et sanitate gaudere: quæ terrena benedictio usque ad irrationabilia jumenta descendit. Dictum quippe illis: *Benedixit eis Dominus, et dixit: Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I). Spiritales vero benedictiones in cœlestibus sunt: quia terra benedictionem spiritalem non capit, siquidem et benedictiones illæ, quæ in Deuteronomio Dei præceptum servantibus promittuntur (*Deut.* XXVIII): verbi causa, exteris gentibus tenerari, plena esse horrea frumentis, benedictos esse in urbibus, benedictos in agris, et cætera his similia, in prophetis non videmus impleta hominibus, qui in melotis et in caprinis pellibus erraverunt: in egestate et angustia, in desertis montibus, in speluncis, in cavernis petrarum, impetus persecutorum declinantes (*Hebr.* XI). Spiritaliter ergo omnia accipienda sunt, et spiritalia, non in terrenis locis, sed in cœlestibus exspectanda. Quod vero ait: *Benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus*, quasi jam in præterito factum sit, et non in futuro promissum, id est benedixit, et non benedicturus est; quæritur quomodo adhuc in terra nos positos cœlesti benedictione benedixerit: sive igitur, quod *conversatio nostra in cœlis est* (*Philip.* III), et non sumus de mundo isto, sed, deposita imagine choici, portamus imaginem supercœlestis, et in carne non vivimus, sed in spiritu (*I Cor.* XV), et thesaurizamus nobis in cœlis, ubi et cor habemus, dicimur nunc cœlesti benedictione benedicti, sive certe quod omnis benedictio spiritalis in Christo, licet in terra sit, tamen de cœlestibus computetur. *Benedixit nos*, inquit, *in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo*, in sermone Dei, et scientia, et veritate, cæterisque virtutibus. Dupliciter autem legendum: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi;* ut sit benedictus Deus, qui universorum conditor est et hucusque distinctio; deinceps inferatur: *Qui est et Pater Domini nostri Jesu Christi;* vel ita: ut Deus et Pater ad Dominum nostrum in commune referatur. Benedictus Deus ejus, qui assumptus est hominis, et Pater ejus, qui in principio apud Deum fuit Deus verbum: non quod alius assumptus homo, et alius sit sermo, qui assumpserit; sed quod unus atque idem pro varietate causarum, nunc sublimis, nunc humilis prædicetur. *Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, ut essemus sancti et immaculati coram ipso.* Pro constitutione mundi, in Græco scriptum est, πρὸ καταβολῆς τοῦ κοσμοῦ, non ipsum autem καταβολή, quod constitutio sonat. Unde et nos propter paupertatem linguæ, et rerum novitatem, et sicut quidam ait, quod sit Græcorum et sermo latior et lingua felicior, conabimur non tam verbum transferre de verbo, quod impossibile est, quam vim verbi quodam explicare circuitu. Καταβολή proprie dicitur, cum quid deorsum jacitur et in inferiorem locum mittitur de sublimi, vel cum aliqua res sumit exordium. Unde et hi qui ædium futurarum prima jaciunt fundamenta καταβολὴν ποιεῖσθαι, id est deorsum initia fundamentorum jecisse dicuntur. Volens itaque Paulus ostendere quod Deus universa sit machinatus ex nihilo non conditionem, non creaturam atque facturam, sed καταβολήν, id est, initium fundamenti ad eum retulit, ut non juxta Manichæum

Digitized by Google

(et cæteras hæreses quæ factorem et materiam ponunt) aliquid unde creaturæ sint factæ, antecesserit creaturas, sed omnia ex nihilo substiterint. Quod electos nos, ut essemus sancti et immaculati coram ipso, hoc est Deo, ante fabricam mundi testatus est, ad præscientiam Dei pertinet, qui omnia futura jam facta sunt, et antequam fiant universa sunt nota; sicut et Paulus ipse prædestinatur in utero matris suæ, et Jeremias in vulva sanctificatur. (*Ambr.*) Præscius omnium Deus scit, qui crediturі essent in Christum, sicut dicit ad Romanos : *Quos præsciit et vocavit nos* (*Rom.* VIII), non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus. Quos ergo Deus dicitur vocare, perseverant in fide : hi sunt quos elegit ante mundum in Christo, ut sint incontaminati coram Deo in charitate, hoc est, ut amor Dei sanctam illis faciat conversationem. (*Hier.*) Quod autem ait, *ut essemus sancti et immaculati coram ipso*, inter sanctum et immaculatum hoc interest, quod qui sanctus et immaculatus quoque intelligi potest, immaculatus vero non statim et sanctus : parvuli quippe immaculati sunt, quia integro corpore nullum fecere peccatum, et tamen non sancti, quia sanctitas voluntate et studio comparatur; et quod immaculatus dici potest ille qui peccatum non fecit, sanctus autem is qui virtutibus plenus sit, juxta id quod in quodam psalmo scribitur : *Qui ambulat sine macula et operatur justitiam* (*Psal.* XIV), et in Cantico canticorum : *Tota speciosa es, proxima mea, et macula non est in te* (*Cant.* IV).

In charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum. (Ambr.) Hoc dicit decrevisse Deum, ut credentes in Christum adoptarentur in filios Dei, ut caput ipsorum sit Christus verus Filius Dei. (*Hier.*) Quod autem ait : *In charitate prædestinans nos*, dupliciter legendum est, ut charitas vel cum superioribus vel cum inferioribus copuletur; cum superioribus ita : *ut sancti essemus et immaculati coram ipso in charitate*, et postea sequatur : *prædestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum;* cum inferioribus autem sic : *in charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipso*, id est, Christo, qui nunquam non fuit filius, nos vero non fuimus filii, antequam prædestinati essemus in ipso. Hoc prædestinavit, ut haberet potestatem filius Dei fieri omnis qui credere voluisset in ipsum, quia nemo filius Dei fieri poterit, nisi fidem et charitatem, quæ per dilectionem operatur, habeat. *Secundum propositum voluntatis suæ.* Sive secundum beneplacitum voluntatis suæ : verbum εὐδοκία, quod Latinus sermo interpretatus est *placitum*, apud Græcos compositum est ex duobus integris ἀπὸ τοῦ εὖ et τοῦ δοκεῖν, *bene* et *placito*, quod nos possumus dicere beneplacitum, quia non statim omne quod placet, et beneplacere potest : sed ibi tantum εὐδοκία, hoc est beneplacitum dicitur, ubi quod placuit, recte placitum comprobatur. (*Ambr.*) Tale placitum Deum habuisse dicit, ut ad laudem claritatis ejus proficeret gratia data hominibus. ut salus nostra gloria Dei sit. *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto.* Deus nobis gratiam dedit, propter quod credidimus in Filium ejus Christum. Diligens enim unigenitum suum amatoribus ejus divina dona largitur. (*Hier.*) Omnis ergo gratia, quam consequimur in gloriam et laudem ejus, qui nos gratificavit in dilecto, hoc in Domino Salvatore completur, quia absque sapientia et veritate, justitia, pace, redemptione cæterisque virtutibus nullum bonum intelligi potest : nec legendum est, sicut in Latinis codicibus habetur, *in dilecto filio suo*, sed simpliciter, *in dilecto*, ut sit sensus *in dilecto*, quasi subaudiatur *ab omnibus* [a]. Iste est dilectus, de quo in Isaia canitur : *Cantabo dilecto meo* (*Isa.* V). Quod vero ait, *gratificavit*, id est, gratos fecit in Christo, non solum redemit, sed etiam peccata remittens, sine nostro merito justos nos fecit. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum.* (Ambr.) Duplicem gratiam flagitat, quia et redemit nos sanguine suo et peccata nobis non imputavit, id est, redemit et manumisit. (*Hier.*) Ille redimitur, qui captivus est, et in hostium veniens potestatem liber esse desivit; ita et nos sub peccati jugo servivimus et vincti sumus, sicut in Evangelio ipsa Veritas ait : *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII); nec ante potuimus vinctas catenis explicare manus, et oculos attollere sursum, nisi redemptor adveniret, qui ruptis vinculis nostris, nos liberaret. Sed quis hæc potuit, nisi solus Jesus Dominus noster, qui in suo sanguine totum redemit mundum. Dupliciter vero sanguis Christi et caro intelligitur, vel spiritalis illa atque divina, de qua ipse dicit : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Joan.* VI); et : *Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam æternam* (*Ibid.*); vel caro et sanguis, quæ crucifixa est, et qui militis effusus est lancea. Juxta hanc divisionem in sanctis ejus diversitas sanguinis et carnis dicitur, ut alia sit caro, quæ visura est salutare Dei; alia caro et sanguis, quæ regnum Dei non queant possidere. Consequenter autem post redemptionem sanguinis Christi, remissionem accepisse scribimur peccatorum : quia, nisi redempti fuerimus, frustra nobis peccata donantur, nec veniam accipere possumus delictorum, et servi esse cessamus, nisi pretium pro nobis cruentus quondam victor acceperit. *Secundum divitias gratiæ ejus quæ superabundavit in nobis.* Superabundavit, dixit, ut non solum a morte liberaret, sed etiam tantam sapientiam nobis donaret, ut voluntates ejus occultaque mysteria nosceremus. Qui intelligit veritatem Dei in remissionem peccatorum nostrorum, maxime in Ecclesia de Gentibus congregata, quæ aliena fuit a testamento et promissionibus Israel, ipse intelligit qualis abundantia est gratiæ Dei in eos qui crediderunt in eum. Has divitias gratiarum in se non facit vacuas, qui quantum valet humana fragilitas nititur, laborat atque contendit, et cum Apo-

[a] Hæc Iusius apud Hieronymum leguntur.

Digitized by Google

stolo loquitur: *Gratia ejus in me vacua non fuit* (*I Cor.* xv). Qui vero beneficii magnitudinem non recordans, ad deteriora delabitur, in isto dives gratia Dei et opulenta largitio paupertate tenuatur. *In omni sapientia et prudentia.* Sapientiam possumus rerum invisibilium, prudentiam vero visibilium tantum accipere cognitionem. (*Ambr.*) Addit ad gratiam, quia post supra memorata beneficia, donum accedit sapientiæ et prudentiæ rerum spiritalium. *Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ.* Hoc placuit Deo, cujus consilium retractari non potest, ut in Christo ostenderet mysterium voluntatis suæ tempore, quo revelari illud voluit agnitione creaturæ. Voluntas autem ejus hæc fuit, ut tunc propitius fieret omnibus, qui in errore erant, sive in cœlis, sive in terris, quando Christum manifestavit, hoc donum esse credentium, ne illis imputarentur peccata suscipientibus fidem Christi. (*Hier.*) Sapientiam et prudentiam esse diversas, Stoici quoque opinantur dicentes: Sapientia est rerum divinarum humanarumque cognitio: prudentia vero tantum mortalium. Juxta hanc divisionem possumus sapientiam invisibilium et visibilium accipere, prudentiam vero tantum visibilium. Quæritur igitur quomodo nobis Deus in omni sapientia et prudentia notum fecerit mysterium voluntatis suæ? Et quidem primum simpliciter accipiendum, quod mysterium voluntatis suæ redemptio nostra sit per sanguinem Filii ipsius et remissio peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, quæ abundavit in nobis. Quod scilicet nos in Domini passione credentes, quæ est stultitia non credentibus, sapientiam possideamus atque prudentiam. Deinde, quod per Scripturas sanctas nobis nota fecerit universa mysteria, quomodo primum cœlum et terram machinatus sit, et omnia quæ intra ea sunt fecerit, ordinaverit atque distinxerit, ut plasmatus homo, et usque ad passionem Christi mundus impletus sit, quomodo ex visibilibus ea, quæ sunt invisibilia, cognoscantur. Ad extremum, quod etiam ea quæ in terra sunt sapientia indigeant atque prudentia.

Secundum bonum placitum ejus, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum. Supra dixerat secundum placitum voluntatis suæ, nunc secundum placitum suum, voluntate detracta. Ibi προόρισμον, id est, prædestinationem in adoptionem filiorum per Jesum Christum posuit; hic vero πρόθεσιν, id est propositionem. Inter prædestinationem et propositum, hi qui solent inter verba discutere, hoc asserunt interesse, quod prædestinatio alicujus rei multo ante in mente ejus qui destinet quid futurum sit, præfiguret: propositum autem, cum jam vicina sit machinatio, et pene cogitationem sequatur effectus. Quod vero ait, *proposuit in eo*, ad mysterium referendum est. Siquidem supra dixerat, *ut notum faceret nobis mysterium voluntatis suæ*, quod mysterium dispensatio est plenitudinis temporum, ut statuto tempore omnia compleantur, quæ ante in lege præsignata, vel in prophetis prædicta fuerunt. *Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terris sunt in ipso.* Restaurari non dicitur, nisi lapsum quid ut si dicamus restaurari in cœlis angelorum gaudium in salute hominum, quod ante habuerant, quam homines a justitia penitus declinarent. In terra vero genus hominum restauratum esse in Christo, nullus ignorat; vel etiam numerum angelorum restauratum esse credi potest, per animas sanctorum, quæ in cœlo allatæ sunt per redemptionem nostram. (*Aug.*) Instaurantur quippe, quæ in cœlis sunt, cum id, quod in angelis lapsum est, ex hominibus reddi tur. Instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines, qui prædestinati sunt in æternam vitam a corruptionis vetustate renovantur. (*Hieron.*) Quidam vero aiunt cœli nomine animas, terræ vero corpora accipienda; modo itaque animarum restauratio est in conversatione [conversione] ad Deum: corporis vero restauratio erit in resurrectione, quando resurgent mortui. Quidam vero codices habent pro instaurare recapitulare. Omnis quippe dispensatio, quæ et ante mundum et postea esse cœpit in mundo, tam invisibilium, quam visibilium creaturarum, adventum Dei Filii pollicebatur; quod Adam de paradiso ejectus per Salvatorem revocandus esset (*Gen.* iii), quod in fabricatione turris linguarum unitas scissa (*Gen.* xi), in Actibus apostolorum portendebat dona linguarum (*Act.* ii), quod Isaac in typo Domini crucem suam ipse portabat (*Gen.* iii), quod Samson sanctam comam nutriens, Dalilæ pauperis dilexit amplexus, et omnia cordis sui secreta confessus est (*Jud.* xvi): Salvatoris et Ecclesiæ ex gentibus vere pauperis et egenæ mysterium significabat. In cruce itaque Domini et in passione ejus recapitulata sunt omnia, id est, universa in hac ἀνακεφαλαιώσει supputata. Quod ut manifestius fiat, quotidianæ consuetudinis ponamus aliquod exemplum: verbi gratia, viginti denarios erogavi, rursum quinque et alios quindecim, triginta quoque et ter decies per diversa tempora dedi. Hæc si in unum voluero supputare, centenarii mihi numeri summa succrescit, et in uno numero habebo omnia, quæ ante descripsi; sic itaque universa mysteria et omnis dispensatio vetustatis, non solum quæ in terris, sed etiam quæ in cœlis gesta est, in Christi passione completur. Cum enim semel mihi Christus passus fuerit et sepultus, et resurrexerit, et ad Patrem victor ascenderit, non necesse habeo veterem numerum, quia in uno omnia teneo. Diligenter attendite, quod non solum omnes historiæ Scripturarum, quas in terra gestas Spiritus sanctus enumerat, sed etiam in cœlestibus, quæ nobis occultæ sunt, in Christi recapitulata passione teneantur. (*Ambr.*) Omnis enim creatura in cœlis et in terris, dum discit agnitionem Christi, restauratur ad id, quod est condita. Cum enim ad unius Dei fidem imbuitur, cognito mysterio Salvatoris, ab errore quem ceperat restauratur, pro certo habens creatorem suum unum esse et Deum et Dominum. Hinc est unde in Joannis Apocalypsi dicitur: *Vidi Michael et angeli ejus prœliabantur in cœlo cum dracone et cum exercitu ejus* (*Apoc.* xii). Hæc repugnantia partim de er-

Digitized by Google

rore est, partim de usurpatæ tyrannidis præsumptione.

In qua etiam sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ. (Aug.) Sortem dixit, quantum ego existimo, gratiam, qua salvi facti sumus; quare sortis nomine appellat gratiam? quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei. Nam ubi dicitur iste facit, iste non facit, merita considerantur, et ubi merita considerantur electio est, non sors. Quando autem Deus nulla merita nostra invenit, sorte voluntatis suæ nos salvos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus: *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est* (*Ephes.* II). Hæc quodammodo sors occulta est voluntas Dei in humano genere, apud quem non est iniquitas; non enim ille personas accipit, sed occulta illius justitia tibi sors est. (*Hier.*) Verbum hæreditatis et sortis, per quas in Christi partem venimus, ostendit nos de alia potestate ad aliam trañsmigrasse, id est, de angelorum potestate malorum translati in potestatem Dei, quoniam eos, qui ante captivi fuerant in perditionem, Christus cepit ad vitam, ut reduceret in excelsum. Et quodam modo est capta captivitas, dum per secundam captivitatem, qui prius captivi fuerant, liberantur. Considerandum, quod hic προορισμὸς et πρόθεσις, id est prædestinatio et propositum, simul posita sint, juxta quæ operatur omnia Deus, secundum consilium voluntatis suæ: non quod omnia, quæ in mundo fiunt, Dei voluntate et consilio peragantur, alioquin et mala Deo poterunt imputari, sed quod universa, quæ facit, consilio faciat et voluntate, quod scilicet et ratione plena sint et potestate. Vult itaque quæcunque ratione plena sunt atque consilio, vult salvari omnes et in agnitionem veritatis venire (*I Tim.* II), sed quia nullus absque propria voluntate salvatur (liberi enim arbitrii sumus) vult nos bonum velle, ut, cum voluerimus, velit in nobis et ipse suum implere consilium. *Ut simus in laudem gloriæ ejus, qui ante speravimus in Christo.* (Ambr.) Hoc est, quod dicit, quia dispensatio prædicationis his decreta est a Deo, qui ex Judæis crediderunt in Christum. Unde nullus ex gentibus ad apostolatum electus est: dignum enim erat ex his elegi prædicatores, qui ante speraverunt salutem, quæ illis promissa erat in Christo. (*Hier.*) Ante speraverunt in Christo, quibus Christus per legem vel prophetas prædictus est, quamvis ante ad omnes, qui in Christum credunt, pertinere posse videatur, ut qui ante in hac vita in Christum credunt, in futura vita sint in laudem et in gloriam ejus futuri. Sed alia est merces ejus, qui voluntate sperat in Christum, alia, qui necessitate credit in eum. *In quo et vos, cum audissetis verbum veritatis, Evangelium salutis vestræ, in quo credentes signati estis spiritu promissionis sancto.* In quo, haud dubium quin in Christo. Inter cæteros, qui audierunt, vos quoque, Ephesii verbum veritatis audistis, Evangelium salutis vestræ, cui credentes signati estis spiritu repromissionis sancto. Videtur autem juxta ordinem lectionis non stare sententia, nec ei quod prælatum est, *in quo et vos, audito verbo veritatis Evangelii salutis vestræ*, redditum aliquid, quod sequatur, quia statim secundo ponitur, *in quo*, quod quia superfluum est, sublatum e medio potest textum reddere lectioni. Hoc autem patiebatur Paulus de nimio amore Christi, ut eum semper, quem diligebat, etiam superflue et extraordinarie nominaret, quod potest absque nobis in omnibus epistolis ejus lector diligens invenire. Unde et nunc secundo positum, *in quo* ordinem deprehenditur turbasse sententiæ, et anteriorem propositionem reliquisse pendentem. Neque vero parva laus Ephesiorum est, non prædicationem tantum, sed verbum veritatis audisse. Quid est verbum veritatis, nisi Filius Dei, qui est veritas, quia ait: *Ego sum via et veritas* (*Joan.* X). Quid est audire hanc veritatem, nisi in Christum credidisse et obedisse ei, sicut in Evangelio dicitur: *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, quando mortui audient vocem Filii Dei* (*Joan.* V). Quid est mortuos audire, nisi peccatores credere in Filium Dei et voci ejus, hoc est, præceptis illius obedire, in quo nunc cognoscemini, vos gentes, unum esse nobiscum, quia eumdem spiritum accepistis, cujus dona arrha sunt hæreditatis futuræ. Si enim, arrha tanta est, quanta erit hæreditas promissionis æternæ? Signatur autem, si quis audierit verbum veritatis et crediderit in eo spiritu repromissionis sancto; quia multi sunt qui audierunt, et incredduli permanentes, nequaquam signaculum sancti Spiritus consecuti sunt. Dicitur et ad principem Tyri: *Tu es signaculum similitudinis Dei* (*Ezech.* XXVIII), signaculum autem Dei est, ut quomodo primus homo conditus est ad imaginem et similitudinem Dei: sic in secunda regeneratione, quicunque Spiritum sanctum fuerit consecutus, signetur ab eo, et figuram conditoris accipiat. Quærendum ubi alibi scriptum sit: spiritus repromissionis sanctus, vel quid significet? Ego enim æstimo, quia sicut Spiritus sanctus sanctum facit eum, cui fuerit infusus, et spiritus sapientiæ sapientem, et intelligentiæ intelligentem, et consilii cautum, atque consultum, et fortitudinis fortem, et scientiæ scientem, et pietatis pium, et timoris timidum, Deique timore trepidantem, ita et spiritus promissionis vel spiritus Dei, sponsorem et Deum facit eum, in quo habitaverit. Quomodo econtrario immundus spiritus immundum facit, et spurcam sibi domum præparat spurcus habitator; fornicationis quoque spiritus efficit scortatores, de quibus propheta loquitur: *Spiritu fornicationis seducti estis* (*Ose.* IV), et nequam spiritus facit homines nequam atque perversos, et dæmoniacus dæmones: qualisque fuerit liquor qui novæ testæ infusus est, talem diu testa et odorem retinet et saporem.

Qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem adoptionis, in laudem gloriæ ipsius. *Pignus* Latinus interpretator pro *arrhabone* posuit; non idipsum autem *arrhabo*, quod *pignus* sonat. Arrhabo enim futuræ emptioni quasi quoddam testimonium et obli-

Digitized by Google

gamentum datur : pignus vero, hoc est ἐνέχυρον, pro mutua pecunia opponitur ; ut cum illa reddita fuerit, reddenti debitum pignus a creditore reddatur. Quicunque igitur non tantum Spiritum sanctum [sed Spiritum sanctum] repromissionis acceperit, simul consequenter [consequetur] et arrhabonem hæreditatis, quæ hæreditas vita perpetua est. Et quomodo ex arrhabone æstimatur qualis emptio sit futura et quæ possessio, verbi causa, ex decem solidis centum solidorum villa, et ex centum solidis mille solidorum possessio ; ita ex varietate arrhabonis, hæreditatis quoque postea secuturæ magnitudo cognoscitur. Quamvis autem sanctus sit aliquis atque perfectus, et omnium judicio beatitudine dignus putetur, tamen ad futuram hæreditatem nunc arrhabonem est Spiritus consecutus : si autem arrhabo tantus, quanta erit possesssio? Quomodo autem arrhabo qui nobis tribuitur, non est extra nos, sed intra nos est, sic et ipsa hæreditas, hoc est regnum Dei quod intra nos est, in nobis versatur intrinsecus. Quæ enim potest esse major hæreditas, quam contemplari et videre sensu pulchritudinem Sapientiæ, et Verbi, et Veritatis, et Luminis, et ipsius ineffabilem substantiam, et magnificam Dei considerare naturam, omniumque quæ ad similitudinem condita sunt Dei, substantiam contueri? Iste autem spiritus repromissionis sanctus, qui est arrhabo hæreditatis nostræ, ideirco nunc sanctis datur, ut redimantur et copulentur Deo in laudem gloriæ ipsius ; non quod Deus alicujus laude indigeat, sed quod laus Dei laudatoribus prosit, et dum per singula opera majestatem ipsius magnitudinemque cognoscunt, ad laudandum eam miraculo stuporis erumpant. (*Ambr.*) Laus gloriæ Dei est, cum multi acquiruntur ad fidem, sicut gloria medici est si multos curet, ideoque ad gloriam Dei pertinet, quia gentes vocavit, ut salutis suæ medelam consequerentur per fidem promissam Judæis, signum habentes redemptionis atque hæreditatis futuræ, Spiritum sanctum datum post baptismum. Redempti enim hæredes designati sunt, si in regeneratione perdurent, ut fides prima veniam, sancta vero conversatio perdurans cum fide coronam mereatur.

Propterea et ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Jesu, et dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis. Quoniam juxta decretum Dei, quo statuit gentes participes fieri promissionis Judæorum, audito Ephesii verbo Dei, susceperunt fidem Christi, diligentes omnes sanctos, sicut mandavit Dominus. Hac de causa Deo gratias agit pro conversione et charitate eorum, quia dignatus est gentes concorporare Judæis. (Maurus.) Magnum ergo probamentum est fidei dilectio in sanctos Dei, pro qua etiam fide laudat Apostolus Ephesios. Igitur in alio loco dicit (*Gal.* v) : *Fides quæ per dilectionem operatur*, ostendens fidem nihil sine dilectione proficere in ætate rationabili. (*Hier.*) *Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis vestri.* Licet verbi ad verbum expressa translatio possit Apostolum diligenti excusare lectori, quod videatur omnis sententia scatere contextus, et solœcismus fieri ; tamen ut in Græco vitium sonat. Unde et nos calumniatoribus respondentes conabimur, ita juxta sensum temperare ordinem lectionis, ut dicamus : Audiens fidem vestram in Domino Jesu Christo et in omnes sanctos ejus, vidensque differentiam fidei vestræ in Dominum et in omnes sanctos ejus, non cesso gratias agere et memoriam vestri facere in orationibus meis, ut Domini nostri Jesu Christi Deus, pater autem gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis. Quod autem sequitur, *illuminatos oculos cordis vestri*, ita per hyperbaton reddi potest : propterea ego audiens fidem vestram in Domino Jesu Christo in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis vestri, et in omnes sanctos, non cesso, gratias agens pro vobis, memoriam vestri facere in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis in agnitionem, ut sciatis quæ sit spes vocationis vestræ, etc. (*Ambr.*) Manifestum est, quia ideo se orare dicit pro eis, ut fidei suæ spem cognoscant in remuneratione cœlesti ; qui cum plene scierint qui fructus est credentium, propensiores fient circa excolendam religionem. Tamen in ejusmodi videtur profectus fore, quia si antequam sciant promissionis gloriam, tam devoti sunt, propensiores fient necessario, cum cognoverint. Claritatis tamen patrem vocat Deum, et Christi Deum, cum verus pater Christi sit Deus, et Deus creaturæ. Sed et ipse Dominus eadem dicit : *Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* xx). Totius ergo claritatis pater est, quia ab ipso est omnis claritas, et potestas, et dignitas. Est et pater Christi, sed aliter, quia hic verus filius est et Deus omnium, sed non ita Christi Deus est. Sic enim Deus Christi est, quia Deus de Deo Christus est, cæterorum autem Deus est causa terroris ; sicut ipse dicit in Malachia propheta (*Malach.* 1) : *Si Deus ego sum, ubi est timor meus?* (Hier.) Porro Deus pater Domini nostri Jesu Christi, pater autem gloriæ ita intelligendus, ut quomodo Dominus noster Jesus Christus ipse est sermo sapientiæ, veritas, pax, justitia, fortitudo, ipse sit etiam gloria secundum illud, quod alibi dicitur. *Apparebit gloria Dei*, et in omni pene veteri lege scriptum est, super tabernaculum testimonii visam esse gloriam Dei, et Psalmista canit : *Exsurge, gloria mea* (*Psal.* cvii) ; quæ gloria illuminans suo fulgore mundum, templum sibi de virginali utero fabricata est ; cujus templi pater gloriæ efficitur Deus ; et ubi Christus est, ibi tantum pater dicitur ; ubi Jesus, ibi Deus ejus absque additamento aliquo nominatur. Iste igitur Deus assumpti hominis, pater vero gloriæ, sapientiæ, veritatis, dat credentibus in Filium suum spiritum sapientiæ et revelationis, ut sapientes fiant, et revelata facie gloriam Domini contemplentur. Quæ sapientia et revelatio cum eos sapientes fecerint, et mysteria illis occulta operuerint, statim sequitur ut habeant illu-

Digitized by Google

minatos oculos cordis. Et ex verbis præsentibus approbatur secundum exterioris membra hominis, etiam interioris hominis membra dici : ecce enim manifeste cordis oculos appellavit, quos absque sensu et mente intelligere non possumus. Huic illud Psalmistæ congruit : *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte* (*Psal.* XII). Et alibi : *Sapientis oculi in capite ejus* (*Eccle.* II). Si enim simpliciter oculos carnis accipimus, utique non solum sapientis, sed etiam insipientis oculi in capite ejus sunt. Caput itaque sapientis, sensus accipitur, quia alio verbo mens, et animus, et principale cordis appellatur. Quod vero ait, in agnitionem ejus, id est ἐπιγνώσιν αὐτοῦ, quidam sic intelligunt, ut inter γνώσιν et ἐπιγνώσιν, hoc est inter notionem et agnitionem illud intersit, quod notio sive notitia eorum sit quæ ante non sciebamus, et ea postea scire cœpimus; agnitio vero eorum, quæ prius scientes, deinceps scire desivimus, eorumque postea recordamur, et priorem quamdam vitam in cœlestibus suspicamur, postquam in corpora ista dejecti et obliti Dei patris, nunc cum per revelationem cognovimus, secundum illud : *Reminiscentur et convertentur ad Dominum omnes fines terræ* (*Psal.* XXI), et cætera his similia replicantes.

Ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis. Cui semel juxta orationem Pauli datus fuerit spiritus sapientiæ et revelationis, ut apertis oculis cordis aspiciat, iste sciet quæ reposita sunt vocatis, et quæ speranda sanctis Dei; quæ abundanter et large his, qui hæreditatem ipsius sustinent, est daturus : ad quam notitiam magnitudo virtutis Dei est necessaria his qui juxta similitudinem Pauli credentes vocantur; per quam operatus est Deus in Christo Jesu Domino nostro, quem a mortuis suscitavit. Dupliciter autem intelligenda hæreditas, sive quod primogenitus omnis creaturæ hæreditas sit animæ Domini nostri Jesu Christi, et ejus qui ex corpore et anima assumptus est hominis, nosque cum hæreditate animæ hæreditemus Verbum : sive quod in Christo hæreditas nostra sit Patris et Filii et Spiritus sancti una divinitas, ut quomodo vocantur hæreditas domorum atque villarum, ea ipsa quæ ab hæredibus possidentur, sic ipse Deus hæreditas credentium sit atque sanctorum. Scriptum est et in Veteri Testamento : *Filiis autem Levi non dabitis hæreditatem in medio fratrum suorum, quia ego pars eorum* (*Num.* XVIII). Et alibi : *Dominus hæreditas eorum*. Et sanctus, qui extra Deum nihil habere novit, audacter loquitur : *Pars mea Dominus*, et : *tu es pars hæreditatis meæ et calicis mei* (*Psal.* XV). Non ergo parvi studii est, ut sciamus spem vocationis et divitias gloriæ hæreditatis Dei in sanctis. Ea quippe indigemus ad hæc cognoscenda virtute, qua etiam in filio suo Deus usus est suscitando, quem suscitavit non semel, sed semper a mortuis, et fecit eum in mortuis liberum, nulla mortis contagione maculatum; quotidie Christus resurgit a mortuis; quotidie in pœnitentibus suscitatur; non quo non habuerit etiam juxta carnem potestatem animæ suæ ponendæ et iterum resumendæ (*Joan.* X), nemo quippe tulit eam, nisi ponat eam a semetipso; sed quo juxta dispensationem carnis et filii, homo et Filius a Deo Patre resuscitatus esse dicatur. *Et constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed et in futuro.* (Amb.) Exemplum salutis credentium et gloriæ in resurrectione Salvatoris consistere profitetur, ut ex ea cognoscant fideles quid eis promissum est, simili enim modo extollentur supra cœlos futuri cum Christo, sicut ipse dicit : *Pater, volo ut ubi ego fuero, et hi mecum sint, et videant gloriam meam* (*Joan* XVII); hoc propter incarnationem Filii Dei, ut etiam homo factus, super omnes cœlos esse dicatur, et super cunctam creaturam sedens ad dexteram Dei, habens nomen Dei per naturam, non per adoptionem, ut cognoscant esse illum Filium Dei, qui illum crucifixerunt; honor enim, quem illi dedit Pater per generationem, tunc manifestatus est, cum natus homo passus est, et, victa morte, resurrexit, ascendens unde descenderat, supra omnes cœlos. Unde dictum est, quia *veritas de terra orta est* (*Psal.* LXXXIV); quia enim omne judicium Pater Filio dedit, idcirco ad dexteram Dei sedere dicitur quasi judex. (*Hier.*) Per humanam similitudinem Dei potentiam demonstravit, non quo solium ponatur et Deus Pater in eo sedeat, secumque filium habeat residentem : sed quo nos aliter judicantem atque regnantem, nisi per nostra verba intelligere nequeamus. Ad hoc pertinet et illud quod in centesimo nono psalmo scriptum est : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis*, etc. Si enim juxta regnantis habitum Filius ad Patris dexteram sedet, necesse est ut juxta eamdem similitudinem major sit ab eo qui in læva parte consederit. Quod ut sciamus aliter intelligi quam littera resonat, idem psalmus in consequentibus docet, dicens : *Tu es sacerdos in æternum, Dominus a dextris tuis.* Quomodo enim, cum Filius Patris a dextris sedeat, rursum Pater a dextris ejus esse perhibetur? aut qua ratione terra scabellum est pedum ejus, et cœlum thronus ipsius, cum terram secundum Isaiam pugillo continere dicatur, et cœlum palmæ extensione metiri? Non enim potest intra id esse, quod ab eodem continetur, nec in manu inclusum tenere, a quo ipse juxta sedentis habitum circumdetur. Sicut ergo proximum esse Deo, vel ab eo procul recedere, non secundum locorum spatia, sed juxta merita sentiendum est, quod sancti juxta eum sint : peccatores vero, de quibus ait Propheta : *Ecce qui elongant se a te, peribunt* (*Psal.* LXXII), ab omni ejus vicinia submoventur; sic et in dextris aut in sinistris Dei esse accipiendum est, quod sancti a dextris ejus sint, peccatores vero a sinistris; Salvatore quoque id ipsum in Evangelio

Digitized by Google

comprobante (*Matth.* XXV), cum oves a dextris, hædos esse a sinistris memoret. Sed et ipsum verbum *sedere* regni significat potestatem, per quam beneficium eis Deus tribuit, super quibus sedere dignatur; quod scilicet et regat eos et in curru suo habeat, et ad nutum proprium vaga prius et libera colla convertat. Post hæc quæritur quomodo id quod sequitur possit intelligi: *super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro;* et quidem de dextris Dei ac sinistris, et de sessione jam dictum est. Nunc quærendum est ubi Apostolus hæc quatuor nomina, principatum loquor, et potestatem, et virtutem, et dominationem, scripta repererit, et in medium unde protulerit. Nec enim fas est eum qui divina lectione fuerat instructus, aliquid locutum putare, quod in sanctis voluminibus non habetur. Arbitror itaque illum aut de traditionibus Hebræorum ea quæ secreta sunt in medium protulisse, aut certe quæ quasi juxta historiam scripta sunt, cum intelligeret legem esse spiritalem, sensisse sublimius, et quod de regibus atque principibus et ducibus quoque, tribunis et centurionibus, in Numeris et in Regnorum libris refertur, imaginem aliorum principum regumque cognovisse: quod scilicet in cœlestibus sint principatus, sint potestates, sint dominationes atque virtutes et cætera ministeriorum vocabula, quæ nec nos possumus nominare, nec ipsum Paulum, puto, ut in gravi corpusculo constitutum enumerare valuisse. Si autem sunt principatus, et virtutes, et dominationes, et potestates, necesse est ut et subjectos habeant, et timentes se et servientes sibi, et eos qui sua fortitudine roborentur; quæ distributiones officiorum non solum impræsentiarum, sed etiam in futuro sæculo erunt, ut per singulos profectus et honores, ascensiones etiam et descensiones, vel crescat aliquis, vel decrescat, et sub alia atque alia potestate, virtute, principatu et dominatione fiat. Nos homunculi cito in cinerem et pulverem resolvendi, si consensu hominum levemur in reges, tantas habemus ministeriorum diversitates et similitudines, quantas facilius possumus sentire quam dicere. Verbi causa, quod præfectus in parte civili judices per provincias et ordinem suum habeat; rursum militia in tot comites, duces, tribunos et multiplicem scindatur exercitum; et putamus Dominum dominorum regemque regnantium simplici tantum ministerio esse contentum? *Et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput supra omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* (Hier.) Huic videtur esse contrarium, quod alibi scriptum est: *Necdum enim videmus ei omnia esse subjecta* (*Hebr.* II); sed et illud: *Oportet enim illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus ejus* (*I Cor.* XV). Si enim necdum ei subjecta sunt omnia, et oportet eum regnare donec ei subjiciantur omnia, quomodo nunc sub pedibus ejus Deus universa subjecit? maxime, cum in alio loco Paulus testetur: *Cum autem ei subjecta fuerint omnia, tunc et ipse Filius subjicietur ei qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XV). Ergo aut secundum præsentiam id quod futurum est, quasi jam factum esse commemorat, juxta sensum quem supra exposuimus, ubi ait: *Benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo Jesu:* aut certe, si de præterito sentiendum est, sic debemus accipere, quod etiam ea quæ non sunt ei voluntate subjecta, naturæ conditione deserviant, verbi causa, dæmones, Judæi atque gentiles: non enim serviunt Christo, nec subjecti sunt pedibus ejus, et tamen, quia ab eo in bonam partem creati sunt, subditi sunt potestati ejus inviti, tametsi adversum eum repugnent liberi arbitrii voluntate. Huic sensui et illud quod sequitur coaptatur: *Et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius.* Quomodo enim caput plurima sibi habet membra subjecta, e quibus sunt nonnulla vitiosa et debilia: ita et Dominus Deus noster Jesus Christus filius, cum sit caput Ecclesiæ, habet membra eos omnes qui in Ecclesia congregantur: tam sanctos videlicet quam peccatores, sed sanctos voluntate, peccatores vero sibi necessitate subjectos: atque ita fit ut etiam inimici subjecti sint pedibus ejus. Quapropter in eo quod ait *omnia*, videtur facere quæstionem. Nam illud quod dictum est: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum;* et alibi: *Oportet enim illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus ejus*, non magnopere quærit interpretem, ut ea quæ inimica sunt, cum fuerint superata, subjiciantur pedibus ejus, et in victoris transeant potestatem. Cur autem omnia, id est, angeli, throni, dominationes, potestates, et virtutes cæteræ, quæ nunquam fuerunt contrariæ Deo, ejus pedibus subjiciantur? Videtur obscurum. Potest itaque responderi, quod absque peccato nullus sit, et sidera illa non sunt munda coram Deo, omnisque creatura creatoris paveat adventum. Unde et crux Salvatoris non solum ea quæ in terra, sed etiam quæ in cœlis erant purgasse perhibetur: alius vero omnia, non ad universitatem, sed ad ea tantum refert de quibus disputatum est. Vel hoc modo, omnis civitas exclamavit, non quo aliquis tacens in urbe non fuerit, sed ex parte maxima etiam ea quæ minora sunt appellentur; et ipse Apostolus: *Omnes*, inquit, *sua quærunt, non ea quæ sunt Dei* (*Philip.* II); et: *Omnes me dereliquerunt*, non quod et Timotheus, et cæteri discipuli, qui illo tempore quo Epistolæ scribebantur, cum eo erant, illum reliquerint, sed idcirco quia a pluribus sit desertus, ab omnibus, id est a maxima parte desertum se esse conqueritur. Quod et in psalmo sonat: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII). Si enim omnes declinaverunt, ergo declinavit et ipse qui loquitur. Et alibi: *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax* (*Psal.* CXV). Aut enim verum est hoc omne quod dixit, aut falsum: si enim omnis homo mendax est, ergo mendax est et ipse qui loquitur. Si autem mendax est et ipse qui

Digitized by Google

loquitur, ne hoc quidem quod ait verum est, omnem hominem esse mendacem. Porro si vera sententia est, *omnes* sic accipiendum est, ut diximus, quod magna pars hominum mentiatur. Scribit et alibi Apostolus (*Coloss.* I *et* III), « docentes omnem hominem, » et rursum, « commonentes omnem hominem, » non quod omnes homines docuerit, quanti enim sunt qui usque hodie nec doctrinam Apostoli audivere, nec nomen? sed quod eos omnes doceat et admoneat qui in Ecclesia sunt, et cupiunt scire quæ Dei sunt. Sequitur, *plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur*. Quod quidem sic accipitur et illud « tunc ei subjicietur qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus : « nunc enim Deus Pater per partes in singulis est, hoc est, in alio justitia, in alio castitas, in alio temperantia, in alio sapientia, in alio fortitudo, et difficile est etiam in sanctis viris atque perfectis omnes pariter virtutes invenire. Cum autem in fine rerum, et in consummatione mundi ei fuerint universa subjecta, adimplebitur omnia in omnibus, ut juxta quod Deus est cunctis virtutibus plenus, omnia in omnibus adimpleatur, et sint universi habentes omnia, quæ ante singula singuli possidebant. Sed et hoc quod ait, *et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimpletur*, non solum hominum sed etiam angelorum cunctarumque virtutum et rationabilium creaturarum Ecclesia intelligi potest. Nec non et hoc : *Qui omnia in omnibus adimpletur*, nequaquam ita ut resonat accipiendum; non enim ait : Qui omnia in omnibus adimplet, sed : *qui omnia in omnibus adimpletur*. Si quidem aliud est implere, aliud impleri : quia in altero agentis, in altero patientis est verbum. Sicut ergo adimpletur imperator, si quotidie ejus augeatur exercitus, et fiant novæ provinciæ, et populorum multitudo succrescat : ita et Dominus noster Jesus Christus in eo quod sibi credunt omnia et per dies singulos ad fidem ejus veniunt, ipse adimpletur in omnibus : sic tamen, ut omnia adimpleatur in omnibus, id est, ut qui in eum credunt cunctis virtutibus pleni sint, et juxta Evangelium (*Luc.* II) faciant cum proficere ætate, sapientia et gratia. (*Ambr.*) Aliter Patrem dicit Filio omnem creaturam subjecisse, ut quia omnia per ipsum fecit, ipse omnium caput sit et Dominus. Tunc illi omnia subjecit, quando illum ante omnia genuit, ut per ipsum faceret quæ non erant. Omnem Ecclesiam dicens, summatim totum comprehendit quod in cœlo est et in terra, ut in novum hominem membra ejus efficiantur, dum confitentur hunc esse, per quem facti sunt a Deo. Subjiciuntur enim illi, quasi capiti membra, ex quo trahunt originem, ut omnia in omnibus adimpleantur. Cum enim regressi fuerint ad confessionem unius Dei flectentes genu Christo, adimpletur in omnibus, ut sit omnia, quia ab ipso sunt, ac per hoc ipse in eis est : quia virtute ejus subsistunt, recedentes enim a Deo, evacuare illum videntur; unde alio loco dicit (*Coloss.* II) : *Ut crescant omnia in incrementum Dei.*

A

B

C

D

CAPUT II.

Inducuntur Ephesii ad gratiarum actionem, quia sunt a peccato liberati et ab aliis gentibus separati.

Et vos cum essetis mortui delictis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum hujus mundi. (Ambr.) Mortuos dicit, quia errores sæculi sequuntur. Quidquid enim ab unius Dei professione recedit, mortuum habetur, quia non manet in radice, ex qua trahit originem. (*Hier.*) *Et vos*, inquit, *gentes cum essetis*, pro nimia peccatorum sarcina spiritaliter mortui, convivificavit vos in Christo, sicut in sequentibus dicit. Quid distet inter delicta et peccata, ita discernitur, quod delicta sint, cum ea quæ sunt facienda non agimus : peccata vero sunt, dum ea agimus quæ facere non debemus. *Secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus qui non operatur in filios diffidentiæ.* (Ambr.) Principem potestatis, id est diabolum, significat sæculi intelligentiam corrupisse, ut ab uno Deo recederent, multorum deorum opinionem suscipientes, ut socios illos suæ conspirationis efficeret, dum in eadem impietate inveniuntur negantes unum Deum. Principem ergo hunc erroris ideo aeris dicit spiritum, ut ostendat quia hanc partem sibi usurpavit ad exercendam dominationem. Aliud est enim aer, et aliud princeps, sed quia in mundo vel in aere dominatur, spiritus aeris appellatur. *In quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri.* (Cass.) Licet beatus Paulus omnia vitia generaliter pronuntiaverit esse carnalia, siquidem inimicitias et iras atque hæreses inter cætera carnis opera numeraverit, nos tamen ad illorum curationes atque naturas diligentius colligendas duplici ea divisione distinguimus. Nam et hæc quædam dicimus esse carnalia, quædam vero spiritalia, et illa quidem carnalia, quæ specialiter ad fomitem sensumque pertinent carnis, quibus illa ita delectatur ac pascitur, ut etiam quietas incitet mentes, invitasque eas nonnunquam pertrahat ad suæ voluntatis assensum; de quibus beatus Apostolus : *In quibus*, ait, *et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ facientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura filii iræ sicut et cæteri.* Spiritalia vero dicimus quæ instinctu animæ solius orta, non solum nihil voluptatis conferunt carni, sed etiam gravissimis eam languoribus afficientia miserrimæ jucunditatis pastu animam tantum nutriunt ægrotantem; et idcirco hæc quidem simplici cordis indigent medicina, quæ autem carnalia sunt, non nisi duplici, quemadmodum diximus, ad sanitatem curatione perveniunt. Unde puritati studentibus plurimum confert, ut harum carnalium passionum, ipsas materias sibi primitus subtrahant, quibus potest vel occasio vel recordatio earum ægrotanti adhuc animæ generari. Necesse est enim ut morbo duplici duplex adhibeatur curatio. Nam corpori ne concupiscentia in effectum tentet prorumpere, necessario effigies et

Digitized by Google

materia illiciens subtrahenda est, et animæ nihilominus, ne eam vel cogitatione concipiat, attentius meditatio Scripturarum et sollicitudo pervigilet. (*Ambr.*) Perfidiam significat, dum desideria carnis memorat. Voluptas enim carnis est visibilibus oblectari, ut elementa, quæ Deus gubernacula mundi instituit, deos appellet, cum hoc nomen uni Deo debeatur, ex quo sunt omnia, ut sicut nullum participem habet ex his in virtute, ita et nullum habeat consortem in nomine. Christo autem idcirco hoc nomen non negatur, quia sicut communis eis natura est, ita erit et nomen. Hoc tamen inter Patrem et Filium interest, quia Pater a nullo hoc acccepit : Filius autem per generationem omnia Patris accepit, ut in virtute et substantia et nomine nihil distet Filius a Patre; unde dicit, *omnia quæ habet Pater mea sunt, et mea Patris.* Non ergo indignum, neque contrarium est, si et Christus Deus dicatur? sed de Deo Patre, ut unius Dei auctoritas conservetur. Nam si quis aliud putat significare cum voluntatem carnis flagitat, sciat Apostolum mundam vitam habuisse, quia secundum justitiam legis conversatus est sine querela ; sed quia persecutus est fidem Christi, idcirco *conversati*, inquit, *sumus in desideriis carnis nostræ.* Omne enim peccatum caro dicitur, maxime perfidia, quæ est totius sceleris mater. Nulli opera bona et castitas proderit, si sit perfidus : perfidia enim hæc omnia maculat. Hinc est quod subdidit, *et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri.* Naturæ enim cum mala voluntas supponitur, fit natura iræ, id est, quæ ultioni subjicienda sit, immutata, non substantia, sed mala voluntate. Hoc enim deputatur naturæ, quod sequitur. Unde ait in Isaia : *Semen pessimum* (*Isa.* I), et quare sit semen pessimum, subjecit : *Reliquistis enim Dominum*, ait, *et ad iracundiam incitastis sanctum Israel*, ut natura quæ deserit Deum, semen pessimum dicatur. Degenerare enim est ab auctore recedere, et cum malum exemplum cæteris præbet, malum est semen : fructus enim pessimos facit, si vero redeat ad auctorem, bona erit natura secundum Apostolum, qui immutatus, dum agnoscit creatorem suum, vas electionis appellatur. (*Hier.*) Superius enim, quia duo pariter posuerat, *et vos, cum essetis mortui delictis et peccatis vestris*, et ad peccata retulerat dicens : *in quibus aliquando ambulastis*, ad delicta vero nihil tale videbatur secutum quod sensum posset explere, nunc ait : *in quibus delictis et nos omnes conversati sumus*, simulque, ne in eo quod dixerat : *et peccatis vestris in quibus et nos omnes conversati sumus*, se per superbiam a peccato videretur excipere, adjunxit : *In quibus et nos omnes conversati sumus.* Qui autem conversatum se esse dicit de præteritis delictis, et non de præsentibus confitetur : *conversati*, inquit, *sumus aliquando*, non in uno desiderio, sed *in desideriis carnis nostræ :* caro quippe desiderat adversus spiritum, et spiritus adversus carnem (*Gal.* v), facientes non unam voluntatem carnis, sed plures, et non solum voluntates carnis, sed etiam mentium, pro quibus in Latinis codicibus habetur *cogitationum.* Inter peccata autem carnis et mentium esse hoc puto, quod carnis peccatum est impudicitia atque luxuria, et ea quæ per ministerium ejus in libidinem explentur : mentium vero delictum ad dogmata pertinet contraria veritati et hæreticam pravitatem, ita ut possimusr dicere plerosque hæreticorum (quanquam hoc rarum sit) voluntates mentium facere, et non voluntates carnis, et multos contra ecclesiasticos carnis et non mentium facere voluntates, et esse plures qui carnis et mentium pariter faciant voluntates. Hæc autem diximus, non quod hæretici carnis non faciant voluntates ; plura quippe apud eos vitia corporis sunt, quam apud nostros; sed ut, exemplo posito, facilius, quod volebamus, possit intelligi. Et *eramus natura*, inquit, *filii iræ, sicut et cæteri.* Respondeant hæretici, qui diversas naturas esse contendunt, quomodo Paulus, quem utique spiritalis naturæ esse non dubium est, fuerit natura filius iræ, sicut et cæteri, qui adhuc in errore sunt positi? Nos vero dicimus esse primum omnes homines natura filios iræ, vel propter corpus humilitatis corpusque mortis, et quod ab adolescentia sua mens hominum apposita sit ad malitiam. Unde et Salomon ait : *Non est justus in terra qui faciat bonum et non peccet* (*Eccli.* VII) ; vel quod eo tempore, quo possumus habere notitiam Dei et ad pubertatem venimus, omnes aut opere, aut cogitatione peccemus. Eramus igitur natura filii iræ, sicut et cæteri et omnes sancti, qui ab ira sanguinis Christi redempti sunt. Si enim Paulus, qui juxta justitiam quæ in lege fuit, irreprehensibiliter est conversatus, dicit se natura fuisse filium iræ : cur timeamus etiam retro sanctos viros filios iræ fuisse testari? de quibus omnibus vere dici possit : « Cum autem venit mandatum, peccatum revixit, ipsi vero mortui sunt ; » filios autem iræ sic accipiendum, ut filios perditionis, filios iniquitatis, filios mortis : non quod aliqua ira, mors, iniquitas et perditio subsistat natura sua, quæ filios habeat, sed quod filii dicantur ejus rei, quæ operetur in singulis, sicut filii appellantur gehennæ, qui gehennæ ignibus consumendi sunt : alias filios iræ sic vocatos putatur, ut filios diaboli. Diabolus enim perditio est, et ira, et mors, « devoravit mors invalescens ; » et : « novissimus inimicus destruetur mors, » et ad ipsum diabolum : « perditio factus es : » factus, inquit, propria voluntate, non ab initio sic creatus. Quomodo igitur mors dicitur, eo quod *invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum* (*Sap.* II), et per illum sunt mortui, qui ante vivebant, et perditio, quod perdat quoscunque deceperit : sic et ira dicitur propter eam quam exercet adversus homines feritatem.

Deus autem qui dives est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis convivificavit nos in Christo. (Ambr.) Hæ veræ divitiæ sunt misericordiarum, ut non quærentibus ultro misericordia præstaretur, sicut dicit Isaias, *Palam factus sum non quærentibus me :* hoc est enim abundare misericordia, ut et non

Digitized by Google

postulantibus tribuatur; hæc tamen charitas Dei est erga nos, ut quia fecit nos, nolit perire nos : diligit enim opus suum. Ideo enim facit, ut amaret quod fecit : nemo enim laborem suum odio habet. *Et cum mortui essemus convivificavit nos in Christo.* (Hier.) propter charitatem suam qua dilexit hominum genus, et charitatem non simplicem, sed multam, cum essemus mortui propter delicta nostra, vivificavit nos : et non solum vivificavit, parum quippe hoc erat bonitati et magnitudini ejus, sed vivificavit cum Christo Jesu, unam atque eamdem tribuens vitam nobis habere cum Christo. (*Ambr.*) A Deo alienati mortui eramus, gratia autem sua revocavit, hoc est vivificavit nos in Christo : quia enim per ipsum nos fecit, iterum per ipsum nos reformavit in ipso, id est, ut ejus membra simus, ipse est autem caput nostrum, ipsum enim habemus, Deo præstante, auctorem vitæ nostræ, sicut dicit Petrus apostolus (*Act.* III) : *Auctorem vero vitæ interfecistis.* (Albert.) Quod itaque ait propter nimiam charitatem suam. Nimia charitas est rebelles servos quasi filios diligere. Unde considerandum est, quantum diligat jam sanctos effectos, qui tantum dignatus est diligere peccatores, ut etiam Filio suo proprio pro eorum non pepercerit salute. *Cujus gratia estis salvati.* (Hier.) Si non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII), gratia magis sumus, quam opere salvati. Nihil enim possumus Deo retribuere pro omnibus quæ retribuit nobis. *Et conresuscitavit et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu.* (Ambr.) Hoc dicit, quod supra memoravi, illic futuros sanctos etiam ex gentibus, ubi et Christus est caput eorum. (*Hier.*) Supra dixerat, quod Deus suscitaverit Christum a mortuis, et sedere fecerit ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem et omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, nunc vero addidit, quia et nos suscitaverit cum eo et sedere fecerit in cœlestibus ad dexteram suam. Quæritur ergo, quomodo Deus qui nos salvos fecit et suscitavit simul fecerit sedere cum Christo. Et quidem, qui simplicius est responsurus, hoc asserit, quod juxta præscientiam Dei id quod futurum est, quasi factum esse jam dixerit : et quia mos iste sit Scripturarum, ut interdum futura tempore præterito declinentur, verbi causa, de cruce Domini : *Foderunt manus meas, et pedes meos* (*Psal.* XXI); et alibi de passione ejus : *Quasi ovis ad occisionem ductus est* (*Isa.* LIII); et adhuc de injuriis flagellorum : *Livore ejus sanati sumus* (*Ibid.*); et alibi : *Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem* (*Ibid.*). Hoc autem ideo, ne quia futura incerta sunt hominibus, spes fluctuet et vacillet, ea quæ Deus futura cognovit, apud quem nihil ambiguum est, quasi jam facta memorantur, aut quia præterita secundum philosophos quoque fieri infecta non possunt, qui audierint, quasi jam facta habeant quæ futura sunt. Alius vero, qui resurrectionem et regnum Christi spiritaliter intelligit, non deliberavit dicere, jam sanctos sedere et regnare cum Christo. Quomodo enim nequaquam in carne sanctus est, cum vivat in carne, et habet conversationem in cœlestibus, cum gradiatur in terra, et caro esse desistens, totus vertatur in spiritum : ita eum in cœlestibus sedere cum Christo. Regnum quippe Dei intra nos est, et ubi fuerit thesaurus noster, ibi erit et cor nostrum (*Luc.* XVII), firmique et stabiles sedemus cum Christo, sapientia, verbo justitia, veritate. Potest autem et hoc dici, ut quomodo arrhabonem Spiritus sancti accepimus, necdum ejus totam plenitudinem consecuti, sic et sedere nos cum Christo atque regnare, necdum perfectam sessionem in cœlestibus obtinentes. (*Aug.*) Nam prædixit : *Convivificavit nos Christo*, hoc dixit ad Corinthios, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit; et illud, quod dicit : *cujus gratia sumus salvi facti*, jam velut perfectum sit, loquitur, quia in spe tenet. Nam apertissime alibi dicit : *Spe enim salvi facti sumus* : ideoque et hic sequitur, et tanquam perfectum enumerat, quod futurum est, *et simul*, inquit, *excitavit, et sedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu.* Certum enim quia in cœlestibus Christus jam sedet, nondum autem nos, sed quia spe certa, quod futurum est, jam tenemus, simul sedere nos dixit in cœlestibus, nondum in nobis, sed jam in illo; atque ut intelligamus adhuc futurum sequitur et dicit : *Ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu.* (Hier.) Quanta sit beneficii magnitudo et quam multiplex gratia, qua nos Dominus de sæculi istius perturbationibus liberatos sedere fecit et regnare cum Christo, hinc vel maxime comprobatur, quod in futuris sæculis non uni, sed omnibus suam cunctis rationabilibus creaturis super nos ostensurus est gloriam suasque divitias monstraturus; quod nos, qui quondam lege tenebamur inferni, et propter vitia atque peccata, ut operibus carnis, ita eramus et suppliciis destinati; nunc in Christo regnemus, sedeamusque cum eo, sedeamus non in humili quocunque loco, sed super omnem principatum et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Si enim Christus suscitatus a mortuis sedet ad dexteram Dei in cœlestibus super omnem principatum, et potestatem, et virtutem et cætera, et nos sedemus regnamusque cum Christo, necesse est super his, quæ sedet, sedeamus. Sed qui diligens lector est, statim requirit et dicet : Quid ergo? major homo angelis et cunctis in cœlo potestatibus? quod quia periculosum est respondere, principatus et potestates et virtutes, et dominationes, et omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, maxime, quia omnia subjecta sunt pedibus Christi, non ad bonam partem, sed ad contrariam referet, ut dicat eos esse angelos refugas, et principem mundi istius, et Luciferum, qui mane oriebatur, super quibus sancti cum Christo in fine sessuri sunt, illis quoque tri-

Digitized by Google

buentes beneficium, qui nunc infreni et male libertate sua abutentes passim vagantur et per præcipitia corruunt peccatorum. Cum autem tales habuerint sessores, juxta sedentium voluntatem incipient gubernari. Hoc vero, quod ait : *ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu*, ad illam intelligentiam transferet, quod non simus merito nostro, sed gratia ejus salvati, et majoris bonitatis indicium sit pro peccatoribus magis, quam pro justis mori, « pro bono enim forsitan quis audeat interire, » et daturus nobis sit, quæ nec oculus vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt : quæ omnia ex parte jam dederit in Christo Jesu, quia nullum absque Christo bonum dici potest. *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non est ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Ideo, inquit, abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate superventuris sæculis ostensurus est, quia gratia salvi facti estis per fidem, non per opera : et hæc ipsa fides, non ex vobis, sed ex eo, qui vocavit vos. Hoc autem ideo, ne forsitan nobis cogitatio occulta subreperet : si per opera nostra salvati non sumus, certe vel per fidem salvati sumus, et alio genere nostrum est, quod salvamur. Addidit itaque et dixit, fidem quoque ipsam non nostræ voluntatis esse, sed Dei muneris : non quod liberum homini tollatur arbitrium, et secundum illud Apostoli ad Romanos : Non sit volentis, neque currentis, sed Dei miserentis (*Rom.* IX) : verum quod arbitrii ipsa libertas Deum habet auctorem, ut ad illius beneficium cuncta referantur, cum etiam bonum nos velle ipse permiserit. Hoc autem totum propterea, ne quis glorietur a semetipso et non a Deo esse salvatum. (*Aug.*) Et ne ipsam sibi saltem fidem sic arrogarent, ut non intelligerent divinitus esse donatam, sicut idem Apostolus alio loco dicit, ut fidelis esset misericordiam consecutus. Hic quoque adjunxit atque ait : « et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur. » (*Ambr.*) Verum est, quia omnis gratiarum actio salutis nostræ ad Deum referenda est, qui misericordiam suam nobis præstat, ut errantes revocaret ad vitam et non quærentes verum iter ; ideoque non est gloriandum nobis in nobis ipsis, sed in Deo, qui nos regeneravit nativitate cœlesti per fidem Christi, ad hoc ut bonis operibus exercitati, quæ Deus nobis jam renatis decrevit promissa mereamur accipere. *Ipsius enim sumus factura creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* (Hier.) Reddit causas quare gratia salvati sumus per fidem, et hoc ipsum non ex nobis, sed ex munere Dei dicens : *Ipsius enim creatura sumus*, hoc est, quod vivimus, quod spiramus, quod intelligimus et credere possumus, ipsius est, quia ipse conditor noster. Sed diligenter observa, quia non dixerit, Ipsius figuratio sumus atque plasmatio, sed *ipsius factura sumus*. Plasmatio quippe originem de terræ limo trahit, factura vero juxta similitudinem et imaginem sumpsit exordium, quod in centesimo quoque octavo decimo psalmo simul positum diversa significat : *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me* : factura primum locum tenet, deinde plasmatio : et quia creationis et conditionis nomen ad magna semper solet opera copulari, verbi causa : illa urbs condita est, et ab initio creatus est mundus, et unusquisque sanctorum per varia dogmata atque virtutes in semetipso mundus est totus, propterea nunc creati in Christo dicimur, et creati in operibus bonis, sive quæ ipsi fecimus, vel facturi sumus, sive in aliis creaturis, ad quæ nostra conversatio transferenda est, ut quæ præparavit Deus, in illis ambulemus, spe magna jam nobis data, dum in his ambulaturi sumus, quæ Deus magnopere præparavit. Et quia semel ad nomen creaturæ venimus, et sapientia in Proverbiis Salomonis se creatam dicit initium viarum Domini (*Prov.* VIII), multique timore, ne Christum creaturam dicere compellantur, totum Christi mysterium negant, ut dicant non Christum in hac sapientia, sed mundi sapientiam significari. Nos libere proclamamus, non esse periculum eum dicere creaturam, quem vermem et hominem, et crucifixum, et maledictionem, tota spei nostræ fiducia confitemur, maxime, cum ex duobus versiculis qui præcedunt, ipsa sapientia promittat esse dicturam quæ post sæcula sunt ; cum autem Christus sæcula fecerit, et quæ deinceps loquitur, ea sint, quæ post sæcula dicturum se esse promiserit, ad incarnationis mysterium, non ad naturam Dei referenda sunt, quæ sequuntur, licet in Hebræis codicibus non habeatur : « Dominus creavit me initium viarum suarum, » sed : *Dominus possedit me.* Inter possessionem et creationem multa distantia est : quia qui possidetur, is utique est, atque subsistit, et est proprius, qui possidetur : creator vero ille, qui non erat antequam fieret, aut certe de eo quod erat, transfertur in aliud, sicut et nos nunc creati dicimur in Christo Jesu : utique non quia ante non fuimus, sed creati in operibus bonis. Quod David quoque in Psalmo deprecatur dicens : *Cor mundum crea in me, Deus* (*Psal.* L), et certe mundum cor ante conspectum Dei habuerat, quando de eo Dominus loquebatur : *Inveni David filium Jesse secundum cor meum* (*Act.* XIII) ; sed sicut ibi creatio instaurationem sonat, ita et in nobis et in Christo per singula opera et profectus creatura atque conditio accipi potest, ut quotidie in credentibus, qui varie secundum merita montes dicuntur et valles et colles atque campestria, Christus creatus, natus, conditus est.

Propter quod memores estote quod aliquando vos gentes eratis in carne, qui dicebamini præputium ab ea, quæ dicitur circumcisio in carne manu facta, quia eratis in illo tempore sine Christo alienati a conversatione Israel et hospites testamentorum promissionis, spem non habentes et sine Deo in hoc mundo. (Amb.) Commonet gentes, ut reminiscentes quid fuerint, erant enim carnales et sine spe, nullam promissionis communionem habentes Judæorum in Christo (Judæis enim promissus erat Christus, non gentibus), propensius gratias agant Deo per Christum, qui mi-

Digitized by Google

sericordia sua fecit illos participes spiritalium, cum essent carnales. Ideo tamen circumcisio, ait, in carne manu facta, ut significaret et aliam non manufactam spiritalem. (*Hier.*) Gentes Ephesios in carne vocans ostendit in spiritu esse non gentes, sicut econtrario Judæi in spiritu gentes sunt et in carne Israelitæ. Quadrifariam Judæi dividuntur et gentes : alii sunt in carne circumcisi et in spiritu, qualis fuit Moyses et Aaron, apostoli et Nathanael, cujus occultum Judaismum Dominus intuens ait : *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* I). Alii nec carne nec spiritu circumcisi sunt, qualis fuit Nabuchodonosor et Pharao et hodie barbararum et Romanarum gentium multitudo, quæ non credunt in Deum. Tertii, qui tantum in carne sunt circumcisi et spiritum incircumcisum habent, ad quos propheta dicit : *Circumcidimini Deo vestro, et nolite circumcidere carnem præputii vestri* (*Jer.* IV); et alibi : *Omnes gentes incircumcisi carne : domus vero Israel incircumcisi sunt corde* (*Jerem.* IX). Extremi, de quibus nunc dicitur, « quia aliquando vos gentes eratis in carne, qui dicebamini præputium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manu facta, » qualis hodie universa est turba credentium et totus ex Gentibus mundus est plenus. Ad distinctionem igitur spiritalium Gentium Judæorum, Ephesii Gentes vocantur in carne, quia secundum Spiritum Israelitæ sunt. Nam et in alio loco carneum Israel Scriptura commemorans ait : *Videte Israel secundum carnem* (*I Cor.* X), quia in spiritu non erat Israel. Pulchre autem etiam verba moderatus est : *Qui dicebamini præputium, et eratis ab ea, quæ dicitur circumcisio in carne manu facta*, non quo sit circumcisio, sed quo ipsa sibi hoc nomen assumat, et sit vere circumcisio manufacta, non Spiritu : simul et illud est attendendum, quod nos, quos sine Christo alienatos quondam a conversatione Israel esse memoravit, et peregrinos a promissionibus et testamento Dei, nunc postquam in Christum credidimus, sicut repromissiones et testamenta ejus accipimus, ita quoque conversationem habere dicamur Israel, quomodo conversatio universa legalis expletur in nobis. Quia videlicet lex spiritalis est, et magis circumcidamur et sabbatizemus in spiritu, spiritales victimas offerentes, illorum templo altarique destructis, nos Deo fructuum nostrorum decimas offeramus; nos immolemus agnum immaculatum, et accincti lumbos, expediti pascha comedamus; sicut enim circumcisio dicitur in carne manu facta; ita ad distinctionem ejus intelligitur alia esse circumcisio, quæ non sit, sicut diximus, manu facta, sed spiritu. Quod autem ait, « spem non habentes et sine Deo in hoc mundo, » non quo plures deos, antequam in Christum crederent, Ephesii non habuerint atque venerati sint, sed quo qui absque vero Deo sit, nullum deum habeat. Et significanter additum est, » sine Deo in mundo; habebant quippe Deum, quem eos habituros Deus ante cognoverat, et apud præscientiam Dei non erant sine Deo, sed in mundo erant absque Deo. *Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.* Deus unique est, et totus ubique est, a quo quis potest separari, cum in eo sint omnia? et ipse per prophetam loquatur : « Ego Deus appropinquans et non de longe. » Et Psalmista testatur : « Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades. » Cum igitur in ipso sint omnia, procul tamen ab impiis dicitur, juxta illud, « longe est Dominus ab impiis. »Iste, a quo impii longe sunt, vicinus est sanctis. Denique dum ab Ephesiis esset procul, in sanguine Jesu prope eis factus est. Et diligentius intuendum, quod absque cruore Domini Jesu nemo appropinquet Deo. (*Ambr.*) Adhuc donum et gratiam Dei commendat, cui nos semper velut obnoxios gratias vult referre. Idcirco enim sanguine Christi proximos nos Deo factos memorat, ut, quantum affectum circa nos habeat Deus, ostenderet, qui pro nobis Filium suum mori permisit, ut et nos in fide ejus durantes, omnibus exitiis pro illo nobis illatis, non cedamus, scientes plus illum de nobis mereri, quam quæcunque ab inimicis possunt inferri. Ille enim, cum sit Dominus et nullius egeat, obtulit se pro nobis, ut non illi, sed nobis proficeret. Nos enim etiamsi nobis non proficeret, forte cogeremur mori pro ipso Domino servi : quanto magis cum non solum illius, sed et nostra mors nobis præstet effectum!

Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum. (Hier.) Dicens : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Quomodo enim sapientia sapientes facit, et justitia justos, et sanctificatio sanctos, et vita viventes, sic et ipse pax facit nos pacatos, ut dicamus : *cum his qui oderunt pacem, eram pacificus* (*Psal.* CXIX). Si autem Christus credentium pax est, quicunque sine pace est, consequenter non habet Christum. *Qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua.* (Ambr.) Pacem fecit inter circumcisionem et præputium passio Salvatoris. Inimicitiam enim, quæ velut paries media erat, et dividebat circumcisionem a præputio, et præputium a circumcisione, hanc solvit Salvator, dans legem, ut neque Judæus præsumens de circumcisione reprobaret Gentilem, neque Gentilis fidus de præputio, id est, de paganitate abominaretur Judæum; sed ut ambo innovati, unius Dei fidem sequerentur in Christo. Omnia enim quæ docuit Salvator, tunc firmavit, quando surrexit; parietem tamen, qui medius erat, dividens inter legem factorum et gentilitatem, maceriam sive sepem significavit, id est, non parietem stabilem, neque robustum; quia neque Gentilitas firma res erat, quasi ab homine inventa, neque circumcisio et neomeniæ escarum et sacrificiorum, vel sabbatorum stabilis et fixa observatio; sic enim data sunt, ut cessarent, adveniente Christo : quamvis enim Deus hæc dederit, sed ad tempus, fidei autem firma et sine successore est prædicatio. *Legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso, in unum novum hominem faciens pacem.* Hoc est, quod supra summatim memoravi, quia legem, quæ data erat Judæis in circumcisione, et in neomeniis, et in escis, et in sacri-

Digitized by Google

ficiis, et in sabbato, evacuavit, hoc est, cessare jam ussit, quia oneri erat, et sic fecit pacem. Unde Petrus apostolus dicit in Actibus apostolorum : *Quid imponitis jugum supra cervicem fratrum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus ?* (*Act.* xv.)

Ut exhiberet et reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem. Sublata inimicitia morte sua, Christus prius populos inter se reconciliavit; deinde Deo patri pacificos fecit, ut homines naturæ unius, quia diversi facti fuerant per errorem, membra efficerentur unius corporis novi, cujus caput Christus est. *Interficiens inimicitias in semetipso, et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem his qui prope, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.* (Amb.) Idem sensus est, interfecit enim inimicitiam in se, dum pro omnibus tam Judæis quam gentilibus mortuus est : omnibus enim proficit mors Salvatoris. Resurgens enim a mortuis, damnata morte, quæ tenebat omnes, ostendit quam spem haberent credentes in eum. Hinc mandavit prædicationem, qua omnes convocarentur ad Deum patrem in unitate Spiritus, scissa discordia, ut sive Judæi, qui prope ideo dicuntur, quia ipsorum patribus facta promissio est; sive Gentiles, qui ideo longe dicuntur, quia Dei legem non receperunt datam per Moysen, sublato præterito ritu, susciperent fidem Christi, per quam efficerentur unum. (*Hier.*) Postquam ergo sapientiam carnis, quæ est inimica Deo, in sua salvator carne destruxit et præcepta legalia evangelicis dogmatibus commutavit, ut de Judæo atque Gentili unum populum faceret Christianum, Evangelizans nobis, qui longe eramus, et reliquiis Judæorum, qui de Israel per Apostolos crediderunt, pacem atque concordiam, tunc per ipsum accessimus ad Deum, et unum in Spiritu patrem nos habere cognovimus; completumque est illud, quod in Evangelio Dominus loquebatur dicens : *Ut fiat unus pastor et unus grex* (*Joan.* x). Et iterum : *Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili* (*Ibid.*); nos significans ex gentibus congregandos. Inimicitia autem, quæ in Salvatoris carne destructa est, etiam per crucem est interfecta. Scriptum est enim, *ut reconciliaret utrumque in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitiam in ea*, non ut in Latinis codicibus habetur *in semetipso*, propter Græci pronominis ambiguitatem, ἐν αὐτῷ enim, et *in semetipso*, et *in ea*, id est, in cruce, intelligi potest, quia crux, id est, σταυρὸς, juxta Græcos generis masculini est. Lex quoque mandatorum subversa est in dogmatibus, postquam circumcisio et sabbatismus, qui relictus est populo Dei, et Pascha et Pentecoste, et non apparere in conspectu Dei vacuum, sunt altius intelligenda, quam resonant, et ab occidente littera recedentes, cœpimus vivificantem Spiritum sequi. Quod autem ait, *veniens pacem evangelizavit vobis, qui fuistis longe*, hoc est, Gentibus, et pacem his qui prope, id est Judæis, videtur mihi de Isaia aliis verbis testimonium protulisse, et Scripturæ sententia abusum quasi sua. Scriptum est quippe in eo : *Vias ejus vidi et sanavi eum et consolatus sum eum, et dedi ei consolationem veram, pacem super pacem his qui longe erant et qui prope* (*Isa.* LVII), et hæc quidem juxta vulgatam editionem dicta sint. Cæterum qui illud Apostoli legit de Christo memorantis : *Pacem faciens per sanguinem crucis suæ his qui in terra erant, et his qui in cœlis*, et cætera quæ in eodem dicuntur loco, non putabit nos, qui juxta spiritum Israel vocamur fuisse longe, et Judæos, qui tantummodo Israel nuncupentur in carne, fuisse prope, et hanc totam intelligentiam ad angelos virtutesque cœlestes, et ad animas temperabit humanas, quod in suo Christus sanguine terrena et cœlestia copularit, quæ inter se antea dissidebant; et bonus pastor morbidam ad montes reportans ovem, fecerit esse cum cæteris, drachmam quæ perierat drachmis quæ salvæ fuerant copulaverit (*Luc.* xv), et mandata legalia ad illa retraxerit dogmata, ad quorum typum et imaginem Moyses quæ essent in tabernaculo fabricanda conspexit. Atque ita fieri, ut crux Domini non solum terræ, sed cœlo profuerit, non tantum hominibus, sed et angelis, et omnis creatura Domini sui cruore mundata sit. Quod autem ait, *ut duos conderet in semetipso in unum novum hominem*, et quod magis videtur superiori de Judæis atque Gentilibus sensui convenire, sic suæ intelligentiæ coaptabat, ut dicat hominem juxta imaginem et similitudinem Dei factum, eamdem post reconciliationem formam recepturum, quam et nunc angeli habent, et ipse perdiderit. Novum autem hominem esse dicit, qui quotidie renovatur, et habitaturus est in novo mundo, quando erit cœlum novum et terra nova, et bibiturus est calicem Jesu novum in regno Dei, et cantaturus canticum novum, et Veteris Novique Testamenti lectione gaudebit. Illud quoque quod alibi scribitur : *Ecce facio omnia, quæ nunc orientur* (*Isa.* XLIII), sic sentiet, ut principium innovationis in præsenti sæculo fieri æstimet. Cæterum, perfectam consummatamque novitatem necdum in isto sæculo putet compleri posse. Et quomodo nunc per speculum videmus in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* XIII) : sic et instaurationem novi hominis, tunc plene perfecteque complendam, cum cœlestia terrenaque fuerint copulata, et in uno Spiritu et sensu eademque sententia accesserimus ad patrem. Nescio quid tale et in Epistola alia, si quis tamen eam recipit, prudentibus quibusque lectoribus subindicat dicens : *Hi omnes testimonium accipientes fidei, non retulerunt promissionem a Deo pro nobis melius quid providente, ut non absque nobis consummarentur* (*Hebr.* XI); propterea et universa creatura congemiscit nobiscum, qui in tabernaculo isto ingemiscimus, et condolet, quia timorem Dei in utero concepimus, et dolemus, et præstolamur revelationem filiorum Dei, ut de vanitate servitutis, cui nunc subjecta est, liberetur, et fiat unus pastor et unus grex, et oratio Dei compleatur dicentis : *Fiat voluntas tua in cœlo et in terra.*

Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei. Ad id quod supra

Digitized by Google

dixerat, « peregrini testamentorum et repromissionis, » nunc respondet, *ergo jam non estis hospites*, id est, peregrini; et ad illud, quod præmiserat, « alienati a conversatione Israel, » modo respondet, *estis cives sanctorum et domestici Dei.* (Maurus.) Quia quī aliquando longe fuistis non habentes repromissiones de Christo vel salute vestra; nunc vero prope estis, non solum prope, sed etiam cives sanctorum. *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* (Ambr.) Hoc est supra novum et Vetus Testamentum collocati. Quod enim apostoli prædicaverunt, prophetæ futurum dixerunt, quamvis dicat ad Corinthios: *Deus*, inquit, *primum posuit in Ecclesia apostolos, secundo prophetas* (*I Cor.* XII); sed hi alii prophetæ sunt. Illo enim loco de ordinatione Ecclesiæ disputat; hic vero de fundamento Ecclesiæ; prophetæ enim disposuerunt, et apostoli fundamenta jecerunt. Unde dicit Dominus ad Petrum: *Super istam petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI), hoc est, in Catholicæ fidei confessione statuam fideles ad vitam. Nam et David disposuit domum Dei, et signavit locum, ubi fieret, Salomon vero fundavit eam. *In ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.* (Ex Hieron.) In quo et vos Ephesii ædificamini in templum ex vivis lapidibus Deo summo. Quod si universa ædificatio sive ex Judæis, sive ex Gentibus constructa, et compaginata per angularem lapidem, qui duos parietes conjungit, crescit in unum templum unius Dei: nonne nobis omni labore studendum est, ut fiamus illi lapides, de quibus scriptum est: *Lapides sancti volvantur super terram* (*Zach.* IX); et cum fuerimus vivi lapides ex omni parte dolati, leves, politi, nullam habentes scabredinem, ædificemur in templum et faciamus in nobismetipsis habitaculum Deo, ut dignetur in Spiritu sancto habitare in nobis. (*Amb.*) Duos enim populos in se suscepit Salvator et fecit unum in Domino, sicut et lapis angularis duos parietes continet in unitate domus firmatos. Fideles enim superficies sunt templi Dei in Spiritu conversantes, ut possint hæredes fieri cœlestis habitationis. (*Alban.*) Potest autem omnis ædificatio super fundamentum apostolorum prophetarumque constructa non solum nos, sed et cœlestes significare virtutes, ut universi pariter fiant habitaculum Dei in Spiritu sancto. Summus vero lapis per quem omnia conjuncta sunt, Christus est Dei Filius, lapis præcisus de monte sine manibus (*Dan.* II), de quo Psalmista testatur dicens: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, a Domino factum est istud* (*Psal.* CXVII): reprobatus est quippe a Pharisæis, qui videbantur legis Domini habere notitiam Deique templum legalibus ædificare mandatis, et assumptus a Deo in angularem lapidem, ut duos parietes ipse medius contineret, et per illum uterque populus ad Deum haberet accessum et Gentes coædificarentur populo Dei in unam domum spiritalem Deo dignissimumque habitaculum.

A

B

C

D

CAPUT III.

Præmittit Apostolus ad orandum pro Ephesiis dispositionem, et pro eis orat, totum bonum eorum Deo attribuendo.

Hujus rei gratia ego Paulus vinctus Christi Jesu pro vobis gentibus, si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis, quoniam secundum revelationem mihi notum factum est sacramentum, sicut supra scripsi in brevi, prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi. (Hier.) Quantum ad consequentiam sermonis textumque eloquii pertinet, ad id, quod præmisit, *hujus rei gratia ego Paulus vinctus Jesu Christi, pro vobis Gentibus*, diligentissime perquirentes, nihil quod ei reddiderit, potuimus invenire. Neque enim dixit: Hujus rei gratia ego Paulus hoc vel hoc feci, vel illud docui, sed suspensa manente sententia transgressus ad alia est, nisi forte ignoscentes ei, quod et ipse confessus est dicens: *Et si imperitus sermone, non tamen scientia* (*II Cor.* XI), sensuum magis quæramus in eo ordinem, quam verborum, qui sic reddi potest: Hujus rei gratia ego Paulus vinctus Jesu Christi et vinctus pro vobis, qui estis ex Gentibus, cognovi mysterium, ut vobis quoque illud traderem, sicut in hac eadem Epistola haud paulum [ante paululum] sum locutus. Debetis autem audire dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis, qui estis ex Gentibus, pro quibus et vinctus sum Jesu Christi: vinctum autem Jesu Christi Paulum esse pro gentibus, potest et de mysterio [martyrio] intelligi, quod Romæ in vincula conjectus, hanc Epistolam miserit, eo tempore, quo ad Philemonem, et ad Colossenses, et ad Philippenses in alio loco scriptas esse monstravimus; vel certe quia in pluribus locis lectum est, vinculum animi corpus hoc dici, quo quasi clausa anima teneatur in carcere, dicimus propterea Paulum corporis nexibus coerceri; nec reverti et esse cum Christo, ut perfecta in Gentes per eum prædicatio compleatur; licet quidam alium sensum in hoc loco introducant, quod Paulus prædestinatus et sanctificatus ex utero matris suæ ad prædicationem Gentium antequam nasceretur, postea vincula carnis acceperit. Puto autem, quod et vitiosa in hoc loco elocutio sit: pro eo enim quod debuit dicere, « hujus rei gratia ego Paulus vinctus Jesu Christi pro vobis Gentibus, cognovi mysterium, sicut scripsi in modico, prout potestis legentes intelligere, » ait, « hujus rei gratia ego Paulus vinctus secundum revelationem, cognitum factum est mihi ministerium [mysterium], » et reliqua. Si vero quis potest etiam juxta sermonis eloquiique contextum docere Apostolum fuisse perfectum, et in artis grammaticæ vitia non incurrisse, ille potius auscultandus est. Nos quotiescunque solœcismum, aut tale quid annotamus, non Apostolum pulsamus, ut malevoli criminantur; sed magis Apostoli assertores sumus, quod Hebræus ex Hebræis absque Rhetorici sermonis nitore et verborum compositione, et eloquii venustate nunquam ad fidem Christi totum mundum transducere valuisset, nisi Evangelizasset eum, non in sapientia verbi, sed in

Digitized by Google

virtute Dei. Nam et ipse ad Corinthios ait (*I Cor.* II): *Et ego, cum venissem ad vos, fratres mei, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi;* et rursum : *Et verbum meum et prædicatio mea, non in suasoriis sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum sed in virtute Dei.* Iste igitur, qui solœcismos in verbis facit, qui non potest hyperbaton reddere sententiamque concludere, audacter sibi vendicat sapientiam, et dicit : *quoniam secundum revelationem cognitum est mihi mysterium sicut scripsi in modico.* Vere enim si quis superiora hujus epistolæ contempletur, videbit ei revelata mysteria quorum partem quamdam modicam suo sermone perstrinxit, non tam totum, quod noverat proferens, quam ostendens ex modico quid taceret. *Prout potestis intelligere legentes,* inquit, *sensum meum, sive sapientiam in mysterio Christi,* hoc est illud quod in præfatione diximus : nullam Epistolarum Pauli tanta habere mysteria, tam reconditis sensibus involuta, quos et Apostolus nosse se gloriatur, et nobis indicatos breviter ostendit, ut attentius quæ sunt scripta legamus. (*Ambr.*) Quoniam dispensationem divinæ clementiæ, quæ fuerit ante mundum erga salutem gentium ostendit, nunc se legatione hujus doni fungi Dei provisione, Christo mittente, declarat. Dominus enim post resurrectionem suam Apostolos suos vice sua misit prædicare, hunc dirigens ad conversionem gentium, sic enim dixit ad eum : *Vade, ego longe ad gentes mittam te.* Dominico ergo verbo usus est, cum dicit, « pacem vobis qui longe, et pacem his qui juxta, » « si tamen audistis dispensationem gratiæ, quæ data est nobis in vos. Vult eos scire quia Dei judicio a Christo missus est prædicare gentibus mysterium gratiæ Dei. « Secundum revelationem, notum mihi factum est mysterium, sicut ante scripsi in modico, prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi. » Ostensam sibi significat revelationem mysterii Dei, de quo prius breviter se memorat scripsisse, hoc est temperate, prout poterant capere prudentiam Apostoli in sacramento Christi.

Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis apostolis ejus et prophetis in spiritu, esse gentes cohæredes et concorporales et participes promissionis in Christo Jesu, per Evangelium, cujus factus sum minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus. (Hier.) Mysterium Christi, quod ex parte supra Apostolus consecutus est, quomodo aliis generationibus fuerit ignotum plenius retractandum videtur, utrumne Abraham, Jacob, Moyses, Isaias, et cæteri Prophetæ illud ignoraverint, annon? A quibus esse prædictum adventum Domini et vocationem gentium Scriptura commemorat. Abraham quippe vidit diem ejus et lætatus est (*Joan.* VIII), et dicitur ei : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes* (*Gen.* XXII); et Jacob de eo qui oriundus esset ex Juda prophetice loquitur : *Et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX). Moyses quoque majores divitias Ægypti thesauris opprobrium Christi arbitratus est. Et Isaias : *Ecce,* inquit, *virgo in utero accipiet et pariet filium* (*Isa.* VII); et alibi : *Virga Jesse et qui exsurget ad regnandum in gentibus, in ipso gentes sperabunt* (*Isa.* XI); et ne longum fiat pauca de psalmis dixisse sufficiat : *Adorabunt in conspectu ejus omnes familiæ gentium* (*Psal.* XXI); et iterum : *Omnes gentes servient ei* (*Psal.* LXXI), et adhuc manifestius de populo Israel et de Domino Salvatore : *Visita vineam istam et perfice eam, quam plantavit dextera tua, et super virum, quem confirmasti tibi* (*Psal.* LXXIX). Cujus etiam corporis dispensatio indicatur in consequentibus : *fiat manus tua super virum dexteræ tuæ.* Aut igitur juxta Montanum patriarchas et prophetas in exstasi locutos accipiendum, et nescisse quid dixerint, aut, si hoc impium est, spiritus quippe prophetarum prophetis subjectus est, intellexerunt utique quæ locuti sunt. Et si intellexerunt, quæritur quomodo Paulus dicat quod aliis generationibus non fuit notum, fuisse Christi Apostolis revelatum. Aut igitur illud est respondendum, quod caute Apostolus signanterque testatus sit filiis hominum ignotum fuisse mysterium, non filiis Dei ad quos loquitur : *Ego dixi : Dii estis et filii excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI). Quod scilicet hi, qui spiritum adoptionis acceperunt, de quibus patriarchæ et prophetæ fuerunt, Dei scierint sacramentum, aut si hoc non recipitur, et si nimium violentum et coactum videtur, illuc sermo transibit, ut dicat, non definite et generaliter dixisse Paulum aliis generationibus fuisse ignotum omnino Domini sacramentum, sed sic quomodo nunc revelatum est sanctis et apostolis nescisse patriarchas veteres et prophetas. Aliud est enim in spiritu ventura cognoscere, aliud ea cernere opere completa. Unde et Joannes propterea major prophetis omnibus dicitur, quia quem cæteri prophetaverunt, ipse conspexit et digito demonstravit dicens : *Ecce Agnus Dei : ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Juxta quem sensum et illud exponi potest : *Multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt; et audire quæ audistis, et non audierunt* (*Luc.* X). Hæc igitur videre et audire cupiebant, quia futura cognoverant. Quod si nesciebant ventura, quomodo desiderare poterant, quæ penitus ignorabant? Legimus in regnorum libris Dominum Salomoni in somnio pollicentem atque dicentem : *Pro eo quod petisti a me verbum istud et non petisti tibi dies multos, neque postulasti divitias, neque animas inimicorum tuorum, sed petisti ut intelligeres et audires judicium, ecce feci verbum tuum et dedi tibi cor prudens, ut sapiens sis tu, et postea non surget similis tui* (*III Reg.* III). Et quomodo quidam putant apostolis Christi revelatum esse mysterium, quod ignotum fuerat Salomoni, cum apostolis omnibus sapientiorem fuisse Salomonem, et retro patriarchis vox divina pollicita sit? qui de se quoque ipso loquitur confidenter : *Deus docuit me sapientiam et intellectum sanctorum cognovi* (*Sap.* VII). Nec non et David de scientia occulti mysteri gloriatur dicens : *Incerta et occulta sapientiæ tuæ mani-*

Digitized by Google

festasti mihi, et ad eum qui sibi de sapientia supplaudebat Deus loquitur per prophetam : *Nunquid sapientior es Daniele* (*Ezech.* XXVIII)? Aut ille igitur, de quo supra jam disseruimus, tenendus est sensus, ita patriarchas et prophetas, ut nunc apostolis revelatum est, Christi ignorasse mysterium, quia aliud est tenere quid manibus, aliud in spiritu futurum prævidere. Aut dicendum, quomodo non sunt similes facies faciebus, sic nec esse corda cordibus, et juxta Apostolum diversa esse charismata, alium habere prophetiam, alium genera linguarum, alium dona curationum, alium opitulationes et gubernationes, illum esse sapientem, hunc fidelem, istum pollere conscientia secretorum, illum simplici tantum fide esse contentum. Neque enim omnes in exemplum Salomonis de naturis bestiarum et volucrum et herbarum, similiter sunt locuti, ut disputarent a cedro Libani usque ad hyssopum, quæ exiit per parietem, econtrario Salomon non ita forsitan viderit ut Moyses omnes species victimarum et culturæ Dei : nec ei facie ad faciem Dominus sit locutus, nec vasorum tantam vel habuerit, vel intellexerit supellectilem, quorum typum illi in monte Dominus ostendit. Et quomodo patriarchæ et prophetæ habuerunt aliqua, quæ apostolos non habuisse credendum est, sic econtrario pro opportunitate temporis et pro Evangelii prædicatione habuerunt apostoli magis notum mysterium Christi, quod scierunt quidem et sancti antiquitus viri, sed non ita ut apostoli, quibus prædicandi necessitas incumbebat. Quod autem hoc mysterium, quod sicut nunc aliis generationibus non fuit revelatum? utique illud, quod sequitur, « esse gentes cohæredes et concorporales, et comparticipes promissionis in Christo Jesu, per evangelium, » cujus factus est Paulus minister, secundum donum gratiæ Dei, quæ data est ei juxta operationem virtutis ejus. Scio appositionem conjunctionis *ejus*, per quam dicitur, *cohæredes, et concorporales, et comparticipes*, indecoram facere in Latino sententiam, sed quia habetur in Græco, et singuli sermones, syllabæ, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus, propterea magis volumus in compositione structuraque verborum, quam intelligentia periclitari. Gentes idcirco cohæredes sunt Israeli, sive, quod melius arbitramur, Christo cohæredes sunt, ut hæreditas nostra Deus sit, et cohæredes Christi. Quod et in alio loco scriptum est (*Rom.* VIII) : *Hæredes Dei, cohæredes autem Christi;* non quod aliqua inter nos possessio dividatur, sed quod ipse sit Dominus hæreditas nostra atque possessio. *Dominus* quippe, ait, *hæreditas nostra est.* Et alibi, *Dominus pars mea, et hæreditas mea* (*Psal.* XV). Concorporales autem illud significat, ut quemadmodum in uno corpore multa sunt membra, verbi gratia, oculi, manus, aures, pedes, venter et genua, et cum in uno sunt corpore, habent differentias suas, ut pro se invicem lætentur et doleant, sic scilicet diversas habent gratias hi qui in Christo crediderunt, in uno tamen sint Ecclesiæ corpore conglobati ; et in superioribus quidem duobus verbis, id est, in eo quod ait, *cohæredes et concorporales*, poterat in uno corpore diversum aliquid suspicari. Ex eo autem quod addidit « et comparticipes repromissionis in Christo Jesu, » omnis penitus diversitas amputata est. Ubi enim una comparticipatio est, universa communia sunt. Pulchre etiam addidit, *per Evangelium, cujus factus sum minister secundum dona gratiæ, quæ data est mihi juxta operationem virtutis ejus*, ut Dei gratiam, non suum meritum demonstraret, sciebat se namque persecutorem fuisse, et Christi Ecclesiam vastasse : ex qua humilitate arrogantiæ penitus crimen excluditur, super quam nonnulli eum reprehendendum putant, quia sibi dixerit mysterium revelatum, quod patriarchis et prophetis fuerit ignotum; nunquam enim humilitatis discipulus verbis arrogantiæ intumesceret, Evangelium, cujus minister est, non sui meriti dicens fuisse, sed gratiæ Dei. Qui volunt prophetas non intellexisse quod dixerunt, et quasi in exstasi locutos, cum præsenti testimonio, illud quoque quod ad Romanos in plerisque codicibus invenitur, ad confirmationem sui dogmatis trahunt legentes : *Ei autem qui potest vos roborare juxta Evangelium meum et prædicationem Jesu Christi secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti, manifestati autem nunc per scripturas propheticas et adventum Domini nostri Jesu Christi*, et reliqua (*Rom.* XVI). Quibus breviter respondendum est, temporibus præteritis tacitum fuisse Christi mysterium, non apud eos, qui illud futurum pollicebantur, sed apud universas gentes, quibus postea manifestatum est. Et pariter annotandum, quod sacramentum fidei nostræ, nisi per scripturas propheticas et adventum Christi non valeat revelari. Sciant igitur qui prophetas non intelligunt, nec scire desiderant, asserentes se tantum Evangelio esse contentos, Christi nescire mysterium, quod a temporibus æternis gentibus cunctis fuerit ignotum. (*Amb.*) Hoc Apostolus asserit ostensum a Domino tempore Christi, quod latebat, quia gentes participes futuræ essent gratiæ promissæ in lege ; quod ostensum dicit prædicatoribus sanctis et prophetis, id est, apostolis et legis explanatoribus, non prophetis veteribus ; quamvis enim admitterentur prius ad legem gentiles, sed circumcidi jubebantur ; et prophetæ scierunt gentes participes futuras doni Dei, nam hoc significaverunt multis in locis : sed hoc latuit, quia sine circumcisione et sabbatis et neomeniis et cæteris talibus, gratiæ Dei futuræ essent participes, ut absque lege susciperent fidem Christi et salvarentur. Hoc est, quod dicit, « spiritu esse gentes cohæredes et concorporatas et participes promissionis ejus in Christo. » Qui enim spiritu Deum colit opere legis opus non habet. *Per Evangelium ejus factus sum minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus.* Per prædicationem ministerii sui cognitum asserit donum, quod disposuit Deus gentibus juxta virtutis suæ operationem. Operatio enim virtutis ejus est, quia Christum suscitavit a mortuis, de-

Digitized by Google

vicia morte, in qua omnes salvavit : dispensatio tamen Evangelii ejus hæc est, qua agnita est voluntas Dei, quia gentes sine opere legis salvare decrevit. *Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia hæc.* (Amb.) Humiliat se, cum se minimum dicit, sciens humilitatem profectum habere. Nam tantam gratiam sibi datam dicit, ut donum hoc, quod ante ignotum fuit præteritis sæculis, sibi asserat concessum, ut hoc manifestaret gentibus. Unde enim minimus sanctorum omnium videri potest, qui antequam baptizaretur, vas electionis appellatus est. *Ut in nationibus evangelizem investigabiles divitias Christi.* Electum se probat ad prædicandum donum Dei in divitiis incomprehensibilibus Christi, quas gentibus jam desperatis largiri dignatus est, ut sine opere salvarentur per fidem. Et manifestum est, quia nemo egregium et maximum munus per indignam mittit personam. Ostendens ergo quantum a Deo mereatur, humiliat tamen se, ut meritum ejus crescat. *Et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit.* Missum se dicit duplici modo docere gentes mysterium, quod fuit in Deo, ex quo sunt omnia, ut per eum discant ac intelligant Christum semper in Deo et apud Deum, et quia sine circumcisione et cæteris legis mandatis disposuit salvare gentes. Indigni enim inventi sunt Judæi tantum ac talem habere doctorem, sic enim Judæi credebant in Christum, ut legem tamen servarent, quod odibile est apud Deum. Denique dicunt apostoli ad coapostolum suum Paulum : *Vides, frater, quot millia sunt in Judæa credentium, et omnes isti æmulatores sunt legis* (*Act.* xxi). Unde factum est, ut vas electionis ad gentes docendas missus esset, ut vel ipsi fidei sui plenitudinem haberent, nihil de lege, sed in solo Christo sperantes. Manifesto enim sacramento Christi tale donum datum est, quod perfectum salutis haberet effectum. Sicut enim in magna vota, maxima dantur apophoreta, ita et magnifico manifestato mysterio, gaudii et lætitiæ causa tam egregio munere donati sunt homines quod illis satis sit ad copiam salutarem. (*Hier.*) Non puto apostolum Paulum cum mentis suæ concordasse secreto, ut vere se omnibus sanctis infimum esse dixerit, verbi causa, his qui erant in Epheso, qui in Corintho, qui in Thessalonica, vel qui toto orbe crediderant, quod cum humilitatis indicium sit, se omnium sanctorum infimum dicere mendacii est reatus, aliud in pectore clausum habere, aliud in lingua promere. Reperiendum est ergo argumentum, quo et Paulus vere omnibus sanctis infimus fuerit, et tamen non de apostolica ceciderit dignitate. Loquitur Dominus in Evangelio ad discipulos : *Qui vult in vobis major esse, fiat omnium minor ; et qui vult esse primus, sit omnium novissimus* (*Marc.* ix), quod Paulus opere complebat dicens : *Puto enim quia Deus nos apostolos novissimos ostendit quasi morti destinatos.* Omnibus igitur, qui se propter Christum infirmos esse cupiebant, apostolus Paulus infirmior erat, et idcirco major. *Omnibus enim*, inquit, *illis plus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei, quæ mecum est* (*I Cor.* xv). Propter quam humilitatem, dum omnium sanctorum est infimus, data est ei gratia hæc in gentibus, ut evangelizaret investigabiles divitias Christi, et doceret dispensationem mysterii absconditi a sæculis in Deo, qui universa creavit. Si investigabiles divitiæ Christi sunt, quomodo evangelizantur in populo ? si absconditum est a sæculis mysterium in Deo, qua ratione per Paulum profertur in gentes ? sed investigabile et absconditum dupliciter sentiendum, aut quod investigabiles ante divitiæ fuerint, et nunc post Domini apertæ sint passionem, aut certe, quæ natura sua homini ininvestigabilia erant, hæc, Deo revelante, sunt cognita. Quia aliud est ad secretum curiositate propria pervenire : quod postquam inventum fuerit, desinit esse ininvestigabile, aliud propria diligentia illud quoque posse comprehendere, sed per gratiam Dei. Quod cum scieris et cæteris quoque ostenderis, nihilominus investigabile perseverat, dum tibi, quantum in te est, fuit antequam ostenderetur occultum. Divitias Christi investigabiles, ad ipsum quoque Christum, loquens Psalmista testatur dicens : *Quam infinita multitudo bonitatis tuæ, quam abscondit timentibus te !* (*Psal.* xxx.) Hæ bonitatis divitiæ ab omnibus retro sæculis absconditæ fuerant in Domino, qui creator est omnium. Ubi sunt Marcion et Valentinus et omnes hæretici, qui alterum mundi, id est visibilium, et alterum asserunt invisibilium conditorem, hunc justum esse dicentes, illum nescio quem semper ignotum, tantum bonum, qui Pater Christi sit ? Ecce Deus in quo mysterium Christi ab omnibus retro sæculis absconditum fuit, creator esse omnium prædicatur, ex quo ostenditur idem esse Deus Novi et Veteris Testamenti. Potest autem mysterium a sæculis absconditum et aliter intelligi, quod ipsa illud sæcula ignoraverint, hoc est, omnes spitales et rationabiles creaturæ, quæ in sæculis fuerunt ; sæculum quippe pro his frequenter, quæ in sæculo versantur, accipitur, sicut Paulus ad Galatas loquitur dicens : *Ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam* (*Gal.* i) ; et in alio loco (*Ephes.* ii) : *Ut ostenderet in venturis sæculis*, pro eo quod est, his omnibus, quæ in supervenientibus sæculis futura erant.

Ut innotescat principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro. (*Ambr.*) Tam bene de hoc sensit Deus, ut non solum gentibus hunc magistrum daret, verum etiam ut per eum veritas Christi innotescat spiritibus in cœlestibus, qui sunt principes et potestates. Potestates ideo, quia potentiores sunt inter cæteros spiritus : principes autem eo quod principentur potestatibus, ut agnoscentes per Ecclesiam, quæ multifarie ad vitam attracta est, in Christo unius Dei manere mysterium, desinant ab errore. Idem enim agitur, ut prædicatio ecclesiastica etiam his proficiat, et deserant assensum tyrannidis diaboli, qua se adversus Dei unius fidem impia præsumptione armavit. Qui sensus in psalmo vice-

Digitized by Google

sino tertio præscriptus est, ubi Deus universitatis Dominus demonstratur, dicente Dei Spiritu per David : *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo.* (Aug.) Sic ergo fuit absconditum hoc mysterium a sæculis in Deo, ut innotesceret tamen principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, quia ibi primitus Ecclesia, quo post resurrectionem et ista Ecclesia congreganda est, ut simus æquales filii Dei. (*Hieron.*) Juxta donum gratiæ, quæ data est Apostolo ut evangelizaret ininvestigabiles divitias Christi, et doceret in gentibus mysterium, quod a sæculis fuerat ignotum : idcirco idipsum sacramentum est ei revelatum, ut non solum gentibus, sed et principatibus et potestatibus per Ecclesiam manifesta fieret multiplex sapientia Dei, quæ juxta propositum veterum sæculorum olim destinata, nunc consummata videtur in Christo. Si autem principatibus et potestatibus in cœlis, quas sanctas ministrasque accipere debemus (licet quidam principem aeris istius et angelos ejus interpretentur), ignota fuit multiplex sapientia Dei, quæ nunc eis per Ecclesiam revelata est, quanto magis patriarchis et prophetis ignota fuit, quos supra non ignorasse mysterium Christi, sed ita ut apostolos, nescisse monstravimus! Multiplex quippe sapientia Dei, quæ sermone Græco πολυποίκιλος, et, ut ita dicam, multifaria appellatur, per Ecclesiam Dei nunc et principatibus et potestatibus revelata est, quam olim Deus futuram in sua mente decreverat, et nunc esse perfectam, ex eo quod videmus, agnoscimus. Crux itaque Christi, non solum nobis, sed et angelis cunctisque in cœlo virtutibus profuit, et aperuit sacramentum quod ante nesciebant. Denique ad cœlum cum corpore Dominum revertentem mirantur et dicunt : *Quis est iste qui ascendit de Edom, fulvida vestimenta ejus ex Bozor* [Al. *Bosra*], *sic formosus in stola candida?* (*Isa.* LXIII.) Et in alio loco : *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ* (*Psal.* XXIII). Non putemus igitur in Ecclesia esse simplicem fidem, sed multiplicem et multifariam esse sapientiam, ut non solum varia sit, sed multa varietate distincta. Respicis cunas Christi, vide pariter et cœlum. Vagientem in præsepe intueris infantem, sed angelos simul ausculta laudantes. Herodes persequitur, sed adorant Magi. Ignorant Pharisæi, sed stella demonstrat. Baptizatur a servo, sed vox desuper Dei intonantis auditur. Aquis mergitur, sed columba descendit, imo Spiritus in columba. Ad passionem venit et pati timet, vult transire calicem, et Petrum, quia calicem timebat, accusat. Quid hac stultitia prudentius, varietate distinctius, sapientia obscurius, quam fecit Deus in Christo Jesu Domino nostro? Licet enim a plerisque secundum ordinem junctaramque sermonis Ecclesia facta intelligi possit, et πρόθεσις, id est, *propositio*, quam genere neutrali in Latino sermone *propositum* habemus expressam, tamen sapientia magis in Christo facta potest resonare quam cætera. *Fatuum quippe Dei sapientius est hominibus* (*I Cor.* I). Quod si in Christo secundum mysticos intellectus dicitur facta sapientia, intelligant Ariani frustra se de illo testimonio gloriari, in quo sapientia in initio viarum Dei creatam se et genitam loquitur et fundatam. Et utique juxta illos si creata est, nata esse non potuit. Si autem nata est, quomodo et fundata dicitur et creata? *In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus.* Magnum est ergo non solum nos habere fiduciam, sed etiam habere eam in confidentia. Nec tantum habere accessum, sed ut ipse firmior sit accessus, habere illum in confidentia, cujus fiduciæ atque accessus, principium et origo, fides in Christo est. Qui igitur omnia ratione et ordine facit, iste credit in Christum sermonem atque rationem ; qui sapientiam potuerit comprehendere, credit in Christum sapientiam : qui intellexerit veritatem, credit in Christum veritatem : qui intellexerit justitiam, credit in eum justitiam. Nec opus est plura dicere, cum frequenter mihi necessitas incubuerit similiter de Christo disserendi.

LIBER OCTAVUS DECIMUS.

SEQUITUR CAPUT III.

Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra. (Greg.) Ecce in tribulatione positus alios exhortatur, et in hoc, quod ipse sustinet, alios roborat. Non enim filiorum suorum fuerat more struthionis oblitus, sed metuebat nimis, ne ejus discipuli in prædicatore suo tot persecutionum probra cernentes, fidem in eo Dei despicerent, contra quam innumeræ passionum contumeliæ prævalerent, et idcirco minus dolebat in tormentis, sed magis filiis de tormentorum suorum tentatione metuebat, parvi pendebat in se plagas corporis, dum formidaret in filiis plagas cordis; ipse patiendo suscipiebat vulnera tormentorum, sed filios consolando curabat vulnera cordium. Pensemus ergo cujus charitatis fuerit inter dolores proprios aliis timuisse. Pensemus cujus charitatis sit filiorum salutem inter sua detrimenta requirere et statum mentis in proximis etiam ex sua dejectione custodire. (*Ambr.*) Commonet ne scandalum patiantur propter tribulationes, quæ sanctis a perfidis irrogantur; ad gloriam enim pertinet illorum, si in tribulatione magistri non fuerint scandalizati discipuli, spe hac firmati, quia fidelium pressuræ futuri sæculi gloria erigentur. Hæc enim fidelium probatio est, si fidei suæ spem advertant. (*Hieron.*) Id quod Latinus translator expressit, *ne deficiatis*, potest juxta Græci sermonis ambiguitatem ita legi, *ne deficiam*, ut sit sensus : « propter quod peto ne deficiam in tribulationibus meis, etc. » Hoc est ergo, quod Apostolus rogat et a Domino magnopere deprecatur, ne deficiat in pressuris suis. Videbat quippe se de Hierusalem usque ad Illyricum Evange-

Digitized by Google

lium prædicasse, isse Romam, ad Hispanias vel perrexisse, vel ire disponere. Totus mundus ad doctrinam ipsius de potestate principis tollebatur, deserebantur idola, et cultoribus templa deserta squalore et sordibus replebantur, ob quam causam omnis exercitus demonum, omnis turba inimicarum fortitudinum contra ipsum, facto cuneo, dimicabat, ut per tribulationes et angustias Evangelium Christi desineret prædicare, et lassus aliquando requiesceret. Hoc est itaque quod ait : *Peto ne deficiam in tribulationibus meis pro vobis.* Totum enim quod patior, quod tribulor, quod coarctor, vestræ salutis est causa, dum vobis Evangelium annuntiare desidero, quæ tribulationes meæ vestra est gloria. Porro quasi imperitus locutus est, ut plurali tribulationum numero gloriam subjungeret singularem et diceret, *in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra*, pro eo quod est : *quæ sunt tribulationes gloria vestra*, nisi fortius quis altius per hyperbaton, vel ad fiduciam, vel ad accessum, vel ad fidem hoc æstimet esse referendum, et dicat : in quo habemus fiduciam et accessum et fidem, quæ fiducia, accessus et fides vestra gloria est, sed magis superior sectandus est sensus. Potest autem secundum id, quod Latinus expressit, *propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra*, illud exponi, quod pro Ephesiis petat, ne in pressuris apostoli lassescant atque deficiant, si quidem et quæ sequuntur huic magis sensui congruunt.

Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum ejus in interiorem hominem habitare Christum per fidem in cordibus vestris. (Amb.) Hoc flexis genibus precari se dicit, ut quia dignatus est advocare gentes ad cognoscendum mysterium voluntatis ejus, hoc etiam donet, quia dives est, ut nutu ejus firmentur in spiritu, hoc est ut non illos perturbent carnalia exitia illata a perfidis, sed sint stabiles, exspectantes in futuro hujus rei mercedem. « In interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris. » In eo petit eos magis firmari, ut non ambigant, sed magis credant Christum habitare in se, quem non vident his oculis, ut spiritus datus hoc eis per Dei donum infundat, ut certi sint de Christo, quod vivit et filius Dei est, et habitat per fidem in cordibus nostris, ut cum fidem ejus habemus in cordibus nostris, ipsum habere videamur ; quod eo proficit, ut securi simus de auxiliis ejus, quia non deserit nos, sed semper adest propter fidem suam, quam videt in nobis, quippe cum ideo spiritus ejus, qui et Dei Patris est, detur nobis, ut vice ejus tutos præstet nos, si ei assentiamus, ut et occulta revelet, per quem utique ipsum in nobis habitare ambigere non debemus. Est enim hic alius paracletus, inter quos personarum distantia est, non naturæ, quia et de eo accipit, et a Deo procedit : in quibus enim naturæ unitas est, invicem sui sunt. Unde dicit Dominus : « omnia Patris mea sunt, et mea omnia Patris. » *Propterea*, inquit, *curvo genua mea ad Patrem, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtutem confortari.* (Albert.) Recte igitur petit, ne deficiat fides Ephesiorum in pressuris suis atque angustiis, quas propterea patitur, quia Ephesiis Evangelium prædicabat, quæ quidem pressuræ apud incredulos pœnæ sunt, apud fideles gloria atque victoria : quia vicisse est adversariis in angustiis non cessisse. Notandum est igitur, quod quomodo quicunque subjectus est Salvatori, flectere ei genu dicitur, sic qui peccati servus est et habet spiritum servitutis iterum in timore, genu scribitur flexisse peccato. Hæc autem spiritaliter exponentes, non statim juxta litteram orandi consuetudinem tollimus, qua, fixo in terram poplite, Deum adoramus magisque quod ab eo poscimus, impetramus. *Ad patrem*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur.* Quærendum ergo est, quomodo ex Deo Patre omnis paternitas in cœlis et in terra sit nominata. Non dicit : ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nata est, vel creata, sed ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, quia aliud est appellatione paternitatis mereri nomen, aliud natura habere consortium, quod solus est filius Dei. Adam quem primum psalmavit Deus, et creator ipsius et pater est. Unde et in Evangelio secundum Lucam, cum paulatim a Christo David et Abraham sursum esset generatio supputata, ad extremum Scriptura ait : *Filii Seth, filii Adam, filii Dei* (*Luc.* III). Ut paternitas in terra, vocabulum a Deo primum ortum esse monstraret. Unde ab eo, qui summe est pater et proprie est pater paternitatis gratiam promerentur, qui dicti sunt filii Dei. Quæritur vero, quam ob causam et in cœlis ab eo omnis paternitas appellatur? Quomodo nos qui non sumus de genere Abraham, si fidem habuerimus, filii vocamur Abraham, patriarchas quoque et prophetas, si tamen nos ab eis peccata non separant, nostros patres dicimus, ita fortasse et angelos cæterasque virtutes habent principes sui generis in cœlestibus quos patres gaudeant appellare. Potest ergo et hoc dici ex eo quod Deus pater Domini nostri Jesu Christi juxta substantiam pater est, et unigenitus non est adoptione filius, sed natura, cæteræ quoque creaturæ paternitatis nomen adoptione possident. *Ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum ejus in interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Propterea, inquit, curvo genua mea ad Patrem, ad cujus similitudinem omnis in cœlo et in terra paternitas nominatur, deprecans eum atque obsecrans, ut tribuat vobis virtutem gloriæ suæ, id est, majestatis suæ habere cognitionem atque consortium, vosque roboret atque confirmet per Spiritum sanctum, quia nulla fortitudo absque Spiritu Dei est, roboret autem atque firmet in interiore homine (non enim corporis vires, sed animæ quærimus, nec exteriorem, sed interiorem hominem cupimus roborari), ut postquam habitaverit Christus

Digitized by Google

in interiore homine, in ipsius interioris hominis habitet principali, id est, in mente rationali, et in ea domicilium sedemque suam ponat : hoc autem totum per fidem fiet, si credamus in eum, habitatio autem ista, quæ per exordium fidei fabricatur, radices et fundamentum habuerat in charitate, de qua latius incipit disputare dicens : *In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo et longitudo, et sublimitas, et profundum.* (Greg.) Habet quippe Deus latitudinem, quia dilectionem suam usque ad collectionem persequentium tendit. Habet longitudinem, quia ad vitæ patriam nos longanimiter tolerando perducit. Habet sublimitatem, quia ipsorum quoque intelligentiam, qui recepti in superna fuerint congregatione transcendit. Habet profundum, qui damnatis inferius districtionis suæ judicium incomprehensibiliter exerit, quæ scilicet quatuor nobis in hac vita positis singulis exercet, quia et latitudinem amando et longitudinem tolerando, et celsitudinem non solum nostram intelligentiam, sed etiam vota superando, et profunditatem suam exhibet ante oculos et illicitos cogitationum motus districte judicando. Sed ejus celsitudo et profunditas quam sit investigabilis nullus agnoscit, nisi, qui vel contemplatione ad summa provehi, vel occultis motibus resistens, tentationum cœperit importunitate turbari, unde et beato Job dicitur : *Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces?* (*Job.* XI.) Ac si aperto dispectu diceretur, profunditatem ejus atque excellentiam quando tu cognoscere sufficis, qui vel virtute ad summa evehi, vel temetipsum reprehendere in tentationibus nescis? (*Amb.*) Sequitur, *Ut in charitate radicati*, etc. Hoc præstare dicit habitantem Spiritum vel Christum in nobis, ut fundati simus in charitate Dei, devincti beneficiis ejus, et possimus cum sanctis qui sunt apostoli et prophetæ immensum et inæstimabilem cognoscere Deum, omnia excedentem majestate virtutis suæ. Cum enim dicit, « latitudo, et longitudo, et altitudo, et profundum, hoc utique significat, ut sicut in sphæra tanta longitudo est quanta latitudo, et tanta altitudo quantum profundum : ita et in Deo omnia æqualia sunt immensitate infinitatis. Sphæra enim, definito modo concluditur. Deus autem non solum omnia implet, sed excedit, nec enim clauditur, sed omnia intra se habet, ut solus ineffabilis et infinitus habeatur, et gratiæ huic insufficienter agantur, qui, cum tantus sit, dignatus est per Christum hominem visitare, peccatis et morti subjectum. *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* (Amb.) Post Dei patris infinitam et incomprehensibilem cognitionem et inenarrabilem clementiam Christi quoque agnoscere nos vult charitatem, quia supereminentis est scientiæ, et subintelligitur humanæ, ut super scientiam hominum habeatur dilectio Christi. Quis enim potest coigere charitatis mysterii hujus rationem, ut et Deus hominis causa homo nasceretur, deinde moreretur, pro hominibus, pro servis Dominus, pro creatura Creator, pro impiis pius? propter quid ita dilexit nos? Aut ut quid nostrum haberet, qui nullius indiget? Nunquid non charitas hæc super scientiam hominum est? aut quis hominum hanc poterit charitatem alicui exhibere? quanquam impar sit, ac per hoc supereminet humana commenta? Hoc ergo vult nos scire, quia sensus noster assequi non potest, nec perspicere profunditatem beneficiorum Christi erga nos, ut perinde semper ei simus supplices et devoti, et qui de debitis nulla ratione satisfacere possumus, vel in fide ejus usque ad mortem perseveremus. Ille enim pro magnificentia majestatis suæ ea gessit pro nobis, quæ sibi indigna sunt, ut et nos, in quantum possumus, ei famulemur. *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* (Alb.) Cum autem radicati et fundati in charitate in interiore homine habitare Christum tota mentis fiducia noverimus, tunc incipiemus cum cæteris sanctis etiam ad illa nos tendere, ut sagaci animo comprehendamus quæ sit latitudo et longitudo, et profundum, et altitudo, et non solum hoc, sed etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi scire cupiemus, ut postquam hæc omnia fuerunt in nobis ordine et ratione completa, tunc impleamur in omni plenitudine Dei. Altitudinem angelos possumus intelligere supernasque virtutes, profundum vero inferos, et quæ infra eos sunt : longitudinem autem et latitudinem media, quæ inter superos inferosque consistunt. Et quia consequens est aut superis aliquem aut inferis esse vicinum, quæcunque incipiunt ad meliora proficere et ad cœlestia et ad alta consurgere, longitudo appellentur : quæ vero inferiori parti proxima sunt, et ad vitia dilabuntur, his latitudinis nomen impositum sit : *Lata quippe et spatiosa via quæ ducit ad mortem* (*Matth.* VII). Hæc universa et in cruce Domini nostri Jesu Christi intelligi queunt, ut sit latitudo in transverso ligno, ubi brachia extensa fuerunt : altitudo pars ligni, quæ supra latitudinem fuit, cui caput junctum est, longitudo vero, ubi inferior pars sub latitudine extenditur ligni, cui totum corpus hærebat, profundum vero illa pars crucis, quæ in terra fixa est. Latitudo vero extensio est charitatis, quæ etiam non solum ad amicos qui dextra significantur, sed etiam ad inimicos qui in sinistra intelliguntur, extendi jubetur : altitudo vero ad spem pertinet, quia omnia charitatis opera in spe æternæ retributionis solidantur. Longitudo itaque perseverantiam boni operis significat, de qua dicitur : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X). Profunditas vero crucis, quæ invisibilis est, divinam demonstrat gratiam, unde hæc omnia procedunt et crescunt. (Amb.) Quia fides neque in solo Patre integra est, neque in solo Filio perfecta, ideo adjecit : *ut impleamini*, ait, *in omnem plenitudinem Dei.* Ut confessione et gratiarum actione sicut Patri, ita et Filio honorificentia reservetur, et omnia, quæ a Deo Patre sunt, per Filium facta et restaurata credantur, ut sit plena perfectio divinitatis in professione credentium. Nihil deerit Christiano, quando Deum Patrem per omnia immensum esse cognoscit,

Digitized by Google

charitatem quoque Christi ineffabilem et supereminentem scientiæ humanæ profitetur. *Ei autem, qui potens est. omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quæ operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Jesu in omnes generationes sæculi sæculorum Amen.* (*Hieron.*) Ad id quod supra dixerat, *curvo genua mea ad Patrem*, etc., nunc infert, *Ei autem qui potest*, etc., hoc ostendens, se quidem juxta imbecillitatem hominis postulasse, quæ eis conducibilia videbantur, cæterum quantum ad rei ipsius pertinet veritatem, plus Deum valere retribuere, quam rogatur, quia secundum id quod oportet orare nescimus, et sæpe contra nos petimus, æstimantes esse pro nobis, veluti de ipso Paulo legimus, cui deprecanti, ut angelus, qui eum torquebat, recederet ab eo, dictum est: *Sufficit tibi gratia mea* (*I Cor.* XII). Potens est ergo Deus non solum super quod petimus, sed etiam super id, quod intelligimus tribuere. Præstabit igitur super quam petimus aut intelligimus, secundum eam virtutem quæ operatur in nobis, ut quomodo nunc non juxta meritum nostrum, sed supra vota dat nobis aliqua, quæ nec petere ausi fuimus, nec si petissemus, æstimavimus nos mereri: ita et cætera tribuat, quæ nec mens potest cogitare, nec lingua proferre. Ipsi itaque Deo sit gloria, primum in Ecclesia, quæ est pura, non habens maculam neque rugam, et quæ propterea gloriam Dei recipere potest, quia corpus est Christi, deinde in Christo Jesu, quia in corpore assumpti hominis, cujus sunt universa membra credentium, omnis divinitas inhabitet corporaliter; quæ quidem gloria non in præsens tantum tempus extenditur, et futuris sæculis terminatur, sed in omnes generationes et sæcula sæculorum ineffabili æternitate permanet, crescit et augetur. (Amb.) *Ei autem*, inquit, *qui potest super omnia facere abundantius, quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem quæ operatur in nobis, ipsi gloria in Christo Jesu et in Ecclesia, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.* Ad Patris personam hæc refert, ut quia melius scit quæ utilia et quæ non petenda sunt, et quando danda et qualia et quanta opus sint, ipse gubernet providentia et virtute sua sibi credentes; cui ideo *gloria in Christo Jesu*, quia per ipsum omnia præstat nobis, et quia honor Patris in Filio est et in Ecclesia, id est, in populo, quem sibi adoptare dignatus est; in claritate enim filiorum gloria Patris est, dicente Domino: *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona et magnificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V), in sæcula sæculorum Amen, id est, in æternum veritas.

CAPUT IV.

Instruit Apostolus Ephesios ad servandam unitatem ecclesiasticam in connexione et distinctione membrorum; ac deinde inducit ad morum honestatem.

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis. (Ambr.) Hortatur eos, ut recte incedentes in præceptis Domini, ad promissam gloriam possint venire, sicut enim peritus medicus obsecrat infirmos, ut bene se agentes possint salvam recipere valetudinem, ita et magister gentium hortatur, ut fidei suæ digna opera facientes possint percipere quæ promissa sunt, sanctis, sciens gloriæ suæ esse hujus rei profectum. *Cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* (Amb.) Nunc dissensionem prohibet: charitati autem studendum monet, ne spiritum virtutis et pacis amittant, ac per hoc, ut invicem se sufferant cum patientia. Modestia enim profectum parit, quia cum se invicem tolerant, cum lenitate animi monentes, corriguntur ad effectum, et pax in eis manebit, per quam filii Dei non immerito vocabuntur, quia dixit Dominus: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Perturbatio enim vel inquietudo contentionem facit, quæ solet etiam ea quæ mala novit velle defendere, ne cedere videatur. Hinc oritur discordia, quæ corrumpit pacis fœdera. (*Alb.*) Potest et Apostolus in Christi vinculis et in carcere pro martyrio constitutus hæc scribere, melius autem est, si vinctum Domini nostri in Jesu Christi charitate dicamus, cujus rei et Clemens ad Corinthios testis est scribens: *Vinculum charitatis Dei quis poterit enarrare?* (Amb.) Qui enim Christum diligunt, sequuntur eum charitatis vinculis colligati. Quod autem ait, *ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis*, digne vocatione ambulare credendus est, qui ingreditur per eum qui dicit: *Ego sum via*, et non declinat, neque ad dextram, neque ad sinistram, et avertit pedem suum ab omni via mala, completurque in eo: *A Domino gressus hominis diriguntur* (*Psal.* XXXVI). « Cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia. » Qui terram et cinerem esse se novit, et post paululum in pulverem solvendum, nunquam superbia elevabitur; et qui Dei æternitate perspecta, breve et pene ad puncti instar humanæ vitæ spatium cogitaverit, ante oculos semper habebit interitum, et erit humilis atque dejectus. Propter quod cum omni humilitate et veritate dicamus: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei* (*Psal.* CXXX). Omnis autem humilitas non tam in sermone, quam in mente est, ut humiles nos esse conscientia noverit, nunquam nos scire, vel intelligere, vel esse aliquid æstimemus. Mansuetudo quoque est illa, quæ nulla passione turbatur, et specialiter ira et furore non rumpitur, quam qui habuerit, beatitudinem, quæ Domini voce promissa est, consequetur, ut possideat terram, id est, imperet et dominetur corpori suo, quo subjecto hæc sit ejus prima hæreditas, in carne non carnaliter vivere. *Cum patientia supportantes invicem in charitate:* patiens nulli vicem reddet injuriæ, nulli malum pro malo restituet, implens autem hoc, quod alio loco idem dicit Apostolus: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (*Rom.* XII). Sufferre nosmetipsos invicem in charitate debemus, ut laudemur, sed ut illi prosit, quem sustinemus ad salutem, si quis alium adjuverit in quacunque tribulatione, alienum onus portasse in charitate laudabitur, qui autem nihil horum fecerit, charitatem fraternam non habet. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Hic locus vel maxime adversum hæreticos facit, qui,

Digitized by Google

pacis vinculo dissipato atque corrupto, putant se tenere spiritus unitatem, cum unitas spiritus in pacis vinculo conservetur. Nos vero diligenter custodire debemus unitatem spiritus in vinculo pacis, quia nihil sine pace placet Deo, nec munus ad aram. *Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* (Amb.) Propter pacem et concordiam hoc subjecit, ut quia unum corpus est Ecclesia, unum sapiat populus, quia unum est quod creditur. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, et Pater omnium, qui super omnes et per omnia et in omnibus nobis.* Adhuc unitatem commendat, ut quia unitas est, ad quam vocamur, in nullo dissentiamus; si enim unus est Dominus, id est Christus, sicut et ipse ait in Evangelio, *quia magister vester unus est Christus*, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium, qui super omnia est, et per omnes, et in omnibus credentibus, unus debet esse et animus et cor populi, quia hæc, quæ enumerat, unitatis sunt, concordant enim in omnibus; Patrem tamen Deum, quia nulli debet, quod est, super omnia esse dixit, et per omnes: ideo per omnes, quia ex eo omnes, et necesse est super hæc omnia sit, quæ ex eo sunt. *Et in omnibus nobis*, id est, fidelibus. In nobis est enim per confessionem, quia eum fatemur et quia spiritum suum dedit nobis, per quem sine dubio in nobis est. In paganis non est, quia Pater Christi esse negatur ab illis. (*Alb.*) Unus est Dominus et unus est Deus, quia Patris et Filii una dominatio, una est divinitas; propterea et fides una dicitur, quia similiter in Patrem et Filium et Spiritum sanctum credimus; et baptisma unum, eodem enim modo et in Patrem, et in Filium et in Spiritum sanctum baptizamur; et ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat sacramentum; et non baptizamur in nominibus Patris et Filii et Spiritus sancti, sed in uno nomine, quod intelligitur Deus. Diversitas autem harum præpositionum, id est, *super*, et *per* et *in*, distinctionem personarum in Deo demonstrant: super omnia Pater est, qui auctor est omnium; per omnes Filius, quia per Filium creata sunt omnia; in omnibus Spiritus sanctus, quia ipse credentibus datur et templum sumus Spiritus sancti, cum quo Pater et Filius habitant in nobis.

Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Licet Deus sancta Trinitas super omnia sit, et per omnes, et in omnibus, tamen gratia juxta mensuram datur credentibus, non quod mensuram habeat Spiritus sanctus, magnificentiæ enim ejus non est finis, sed quod juxta mensuram unicuique datur, secundum quod cuilibet expedit accipienti, id est, tantum muneris largitur, quantum potest ille cui donatur accipere: novit enim Deus largitor donorum, quid cui conveniat dari. (*Ambr.*) Nunc, ne, quia diversa in hominibus dona sunt, paterentur officere unitati, hoc purgat non esse contrarium, quia in donis officiorum diversitas est, non naturæ. Unicuique autem tantum dari dicit gratiæ, quantum donare dignatus fuerit Dominus, non tamen sine æquitatis mensura, quia unicuique pro viribus tribuet, ut tantum hauriat, quantum sitit. *Propter quod dicit: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Hoc scriptum est in psalmo LXVII: dona tamen hæc post triumphos cœpit largiri. Vincens enim mortem, exaltatus est in cruce, sicut ipse dixerat; ait enim: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me* (*Joan.* XII), exspoliavit inferos, cum captivos, quos ex prævaricatione Adæ, aut propriis captos peccatis in conditione tenebant, abstulit consentientes sibi, et ascendens inde in cœlos induxit, ex quibus aliquanti resurgentes in corporibus, multi apparuerunt ad testimonium evictæ mortis, ut qui forte Christi resurrectionem crediturі non essent, ex horum resurrectione quos mortuos scirent, rei fierent. Hos enim viderunt, quos agnoscerent dudum vixisse, quamvis captivi, inviti et alieni ducantur, Salvator tamen et suos duxit et voluntarios; apparentia enim sua dum lacessit desiderantes liberari, cepisse illos dicitur. (*Albert.*) Quia supra dixerat: *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, ut confirmet hæc ipsa dona, quæ post paululum quoque enumerat dicens: *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios evangelistas, alios pastores*, et a Salvatore esse data, testimonium de psalmo LXVII assumpsit, ut sciamus illas manubias hominibus distributas, quas Christus victor emeruit. *Ascendens* quippe *in altum captivam duxit captivitatem.* Nos qui nunc in Christum credimus de gentibus congregati, cum essemus creatura Dei, a diabolo capti fuimus et ejus satellitibus distributi. Venit igitur Dominus noster Jesus Christus secundum Ezechielem (*Ezech.* XII) vasa secum apportans captivitatis, et operto capite, ne ab adversariis cognosceretur, prædicavit his, qui captivi erant, remissionem, et qui tenebantur in vinculis solutionem, et nos de catenis hostium et compedibus liberavit, liberatosque nos et per novam captivitatem de captivitate veteri erutos secum duxit in cœlum, et his ipsis, quos de inimicorum manu victor eripuit, diversa gratiarum dona largitus est. Hoc autem totum ideo Apostolus replicat, ut quia superius dixerat: *Sufferentes invicem in charitate solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*, doceret in diversis charismatibus Ecclesiam esse concordem, id est, sicut unus Dominus est, et una fides, et unum baptisma, et unus Deus Pater, ita et nos in charitate idipsum simus in pacis vinculo, servantes spiritus unitatem.

Quod autem ascendit quid est, nisi quia et descendit in inferiores partes terræ? (Amb.) Verum est quia ideo descendit, ut ascenderet, non sicut homines, qui ad hoc descenderunt, ut illic remanerent: ex sententia enim tenebantur apud inferos, quæ sententia Salvatorem tenere non poterat, qui vicit peccatum. Triumphato ergo diabolo, descendit in cor terræ, ut ostensio ejus prædicatio esset mortuorum, et quotquot cupidi ejus essent liberarentur, nec poterat non ascendere, quia ad hoc descenderat, ut vi potestatis

Digitized by Google

suæ calcata morte, cum captivis, quorum causa pati se permisit, resurgeret. (*Hieron.*) Qui ascendisse nunc dicitur, propterea dicitur, *ascendit*, quia ante descenderat, hoc enim sonat, *quod autem ascendit quid est, nisi quia et descendit.* Requirendum itaque super eo, quod alibi scriptum est: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo* (*Joan.* III), quomodo ascenderit ante descendens? Quando enim hæc loquebatur post descensionem e cœlis, se quondam ad cœlos ascendisse monstrabat. Nec non et illud pariter retractandum, quomodo ipsa descensio et ascensio sentienda sit, utrumnam secundum corpus localiter, an supra corpus spiritaliter, vel certe utroque modo, inferiora terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster Salvatorque descendit, ut sanctorum animas quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cœlos victor ascendens abduceret. Unde et post resurrectionem ejus plurima corpora justorum in sancta civitate visa sunt; quod autem in inferiore parte terræ infernus sit et Psalmista testatur dicens: *Aperta est terra et deglutivit Dathan et operuit supra congregationem Abiron* (*Psal.* CV), et idipsum in Numerorum libro plenius explicatur. Alibi quoque legimus: *Veniat mors super eos, et descendant in infernum viventes* (*Psal.* LIV).

Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. (Amb.) Hoc est quod dicit Dominus: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo.* Quod quidem et in psalmo continetur, ait enim: *A summo cœlo egressio ejus, et egressus ejus usque ad summum ejus* (*Psal.* XVIII). Hic ergo descendens e cœlis in terram homo natus est, post mortuus descendit ad inferos, ex quibus tertio die resurgens ante omnes mortales ascendit super cunctos cœlos, ut illusam mortem ostenderet creaturæ. (MAURUS.) Dum ait, *ipse*, significat unam personam descendentis et ascendentis. (*Alb.*) Nunquid corporaliter omnes cœlos et universas sublimitates et cœlorum circulos, quos Philosophi sphæras vocant transiens atque transcendens, stetit in summo cœli vertice? an certe omnia corporalia transcendens atque superans et æterna contemplans super cœlos, id est, super invisibilia mansisse credendus est? quod ego melius puto. Descendit ergo in inferiores terræ et ascendit super omnes cœlos Filius Dei, ut non tantum legem prophetasque compleret, sed et alias quasdam occultas dispensationes, quas solus novit, ipse cum Patre perficeret. Neque enim pleniter scire possumus, quomodo et angelis et his, qui in inferno erant, sanguis Christi profuerit, et tamen quin profuerit nescire non possumus. (MAURUS.) *Quod autem ascendit, quid est, nisi qui descendit?* hoc contra hæreticos valet, qui dicunt Christum non esse ante partum B. Mariæ Virginis: non enim secundum profectum Deus est Christus, sed propter misericordiam, qua indigebamus, homo dignanter effectus est. *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas. alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii in ædificationem corporis Christi.* Exponit cur dicatur ascendisse, cum ubique esset, dubium non est secundum formam scilicet servi, ad quam non localiter, sed dignanter descenderat, subsequenterque demonstrat per eumdem dona accepisse electos Dei per varios gradus in Ecclesia. Primus ordo est in Ecclesia Christi apostolorum auctoritas, qui etiam ab ipso Domino Dei filio missi sunt, et ideo apostoli dicuntur, ad quos ipse Dominus post resurrectionem ait: *Euntes docete omnes gentes* (*Matth.* XXVIII). Secundo prophetas, non illos qui futura vaticinentur, quales veteris legis testamento, sed qui infideles et imperitos arguant atque dijudicent, futuramque illis inconversis perditionem prædicunt. Etiam et illi sunt prophetæ, qui suavitatem regni Dei animis hominum prædicatione inspirant. Tertio evangelistas, quorum speciosi pedes sunt ad annuntiandum pacem (*Rom.* X). Quisquis pacem Christi, quæ exsuperat omnem sensum, annuntiat fideliter, sive unicuilibet, vel etiam pluribus, evangelista est. Alios autem pastores et doctores, ut qui pastor est, esse debeat et doctor, ne quisquam, quamvis sanctus sit, pastoris sibi nomen et officium assumere audeat, nisi possit docere, quibus præesse videtur. (*Ambr.*) Apostoli episcopi sunt, prophetæ vero explanatores sunt Scripturarum, quamvis inter ipsa primordia fuerint prophetæ, sicut Agabus, et quatuor virgines prophetantes, sicut continetur in Actibus apostolorum (*Act.* XI, XXI), propter rudimenta fidei commendanda. Nunc autem interpretes prophetæ dicuntur, evangelistæ diaconi sunt, sicut fuit Philippus; quanquam non sint sacerdotes, evangelizare tamen possunt sine cathedra, quemadmodum et Stephanus et Philippus memoratus (*Act.* VIII). Pastores possunt esse lectores, qui lectionibus saginent populum audientem, quia « non in pane tantum vivit homo, sed in omni verbo (*Matth.* IV). » Magistri vero xorcistæ sunt, quia in Ecclesia ipsi compescunt, et verberant inquietos; sive hi, qui lectionibus imbuendos infantes solent imbuere, sicut mos Judæorum est, quorum traditio ad nos transitum fecit, quæ per negligentiam obsolevit. Inter istos post episcopum plus esse intelligitur, qui propter reseratum occultum Scripturarum sensum prophetare dicitur, præsertim quia futuræ spei verba depromit, qui ordo nunc potest esse presbyterii. Nam in episcopo omnes ordines sunt, quia primus sacerdos est, hoc est princeps sacerdotum, et propheta, et Evangelista, et cætera adimplenda officia Ecclesiæ in ministerio fidelium; tamen postquam omnibus locis Ecclesiæ sunt constitutæ et officia ordinata, aliter composita res est, quam cœperat. Primum enim omnes docebant, et omnes baptizabant quibuscunque diebus vel temporibus fuisset occasio. Nec enim Philippus tempus quæsivit aut diem quo eunuchum

Digitized by Google

baptizaret (*Act.* VIII), neque jejunium interposuit; neque Paulus et Silas tempus distulerunt quo custodem carceris baptizarent cum omnibus ejus (*Act.* XVI); neque Petrus clericos habuit, aut diem quæsivit, quando Cornelium cum omni domo sua baptizavit (*Act.* X), nec ipse, sed baptizare jussit fratribus qui cum illo ierant ad Cornelium ab Joppe : adhuc enim præter septem diaconos nullus fuerat ordinatus. Ut ergo cresceret plebs et multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est, et evangelizare et baptizare, et Scripturas in ecclesia explanare : at ubi omnia loca circumplexa est Ecclesia, conventicula constituta sunt et rectores et cætera officia in ecclesiis sunt ordinata, ut nullus de clero auderet, qui ordinatus non esset, præsumere officium, quod sciret non sibi creditum vel concessum, et cœpit alio ordine et providentia gubernari Ecclesia. Quia si omnes eadem possent irrationabile esset, et vulgaris res et vilissima videretur. Hinc ergo est unde nunc neque diaconi in populo prædicant, neque clerici vel laici baptizant, neque quocunque die credentes tinguntur, nisi ægri. Ideo non per omnia conveniunt scripta Apostoli ordinationi, quæ nunc in Ecclesia est, quia hæc inter ipsa primordia sunt scripta. Nam et Timotheum presbyterum a se creatum episcopum vocat, quia primi presbyteri episcopi appellabantur, ut recedente uno, sequens ei succederet, denique apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non sit episcopus. Sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente concilio, ut non ordo, sed meritum crearet episcopum, multorum sacerdotum judicio constitutum, ne indignus temerè usurparet, et esset multis scandalum. In lege nascebantur sacerdotes ex genere Aaron Levitæ : nunc autem omnes ex genere sunt sacerdotali, dicente Petro apostolo : *Quia estis*, inquit, *genus regale et sacerdotale* (*I Petr.* II) ; ideoque ex populo potest fieri sacerdos. *In ædificationem corporis Christi.* Ecclesiæ ordinationem ad compaginationem humani corporis in professionis unitatem dicit compositam, ut diversi dignitate in Christo omnes unum sint, unum caput habentes Christum, hoc est auctorem vitæ.

Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei. (Ambr.) Tandiu dicit manere ordinationem, quandiu cuncti destinati ad vitam unius sint fidei in cognitionem Christi. *In virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ita elaborandum hortatur, ut perfectio fidei apprehendatur, cujus hæc ratio est, ut Christum perfectum et plenum Deum fides teneat, nec mensura humana metiatur, sed in plenitudine divinitatis, quasi perfectus Deus habeatur. Nec enim perfectum dicens virum temporali ætate et mensura significat, sed per hoc dictum perfectos nos vult fieri in plenitudine intellectus divinitatis Filii Dei. (*Alb.*) Sunt enim qui putant ex hujus sententiæ apostolicæ ratione, omnes ad ætatem Christi, quam habuit, quando passus est, resurrecturos, ut sui corporis quisque recipiat mensuram, quam vel habuit in juventute etiamsi senex est mortuus, vel fuerat habiturus, si est ante defunctus quam ad dignitatem sui corporis pervenerit; aut si hoc non placet propter perfectionem, totius corporis Christi intelligamus esse dictum, in quam omnes sancti concurrere debent, ut sit unum corpus per diversa membra. Officium unius capitis est Christus, ideo præstruxit in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei. Hæc unitas corporis Christi non est, nisi in agnitione Christi, et in unitate fidei Catholicæ. Unde omni studio laborandum est, primum in fidei occurrere unitatem, deinde et in eadem unitate habere agnitionem Filii Dei, quorum cum fuerit secura possessio, parvuli esse cessantes et mensuram interioris hominis recipientes, quæ mensura plenitudinis mensura Christi est, perfecti viri vocabulum sortiemur; ita tamen, ut ad consummatam ætatem plenitudinis Christi omnis credentium turba perveniat, deinde confestim subjunxit dicens : *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* (Ambr.) Fundatos et stabiles nos esse vult in disciplina fidei Catholicæ, quam Petrus apostolus, revelante Deo, professus est, nec ventilari nos errantes per diversarum hæresium pestilentiosas asseverationes nequitia humana inventas, ut per has fallentis inimici sub veri nomine error possit afferri. Hoc enim remedium est falsitatis, ut sub prætextu veritatis inducat errorem, et non solum sub veri nomine, sed et ne, sicut ante acceptam fidem sensu humiles vagabamur per diversos errores, fideles facti discurreremus fragiles et dubii de spe promissa, commonet, quia jam Christiani facti, fundati esse debent, quia ambiguitas in fide nostra non est, commendatur enim virtute prodigiorum. (*Hieron.*) Quia vero ait, *ultra non simus parvuli fluctuantes*, et reliqua : se quoque fluctuantem et parvulum esse contestans, retractandum videtur, utrumne hoc secundum humilitatem locutus sit, an certe ex parte videns et ex parte cognoscens, intellexerit quantum a perfecta absit scientia, et in vera conscientiæ suæ verba proruperit. Si quis igitur vult eum secundum humilitatem locutum, ille utetur exemplo : *Quando eram parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus : quando vero factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Alius vero ad ista respondeat comparatione multorum in ætatem perfecti viri Apostolum pervenisse, ad ea vero quæ reposita sanctis sunt adhuc parvulum nuncupari. Siquidem omnes apostolos, qui in Christo credant, parvulos propheta commemorat, dicens : *Ecce ego et parvuli, quos mihi dedit Dominus* (*Gen.* XXXIII). Post hæc attentius disserendum, ne forte juxta humilitatem, non solum parvulum Apostolus esse se dixerit, sed fluctuantem et omni doctrinarum fluctu in diversa raptum, in fallaciam hominum, in nequitiam ad circumventionem erroris. Qui autem vult hæc eum non de humilitate, sed de conscientia protulisse, dicit : Paulus apostolus homo erat acuti et acris ingenii, et qui ad primos quosque disputantium conatus sagaci

Digitized by Google

mente quæ erant inferenda prænosceret. Videbat igitur sæpe ex utraque parte sic dici, et tam verisimilia in rebus contrariis asseri, ut ambigere facerent audientem, idcirco ut homo et adhuc in fragili corpusculo constitutus, circumferebatur quidem omni vento doctrinæ, sed non elidebatur. Stabat quippe in puppi gubernaculum tenens et spumantes hæreseωv fluctus fidei securitate frangebat, non tamen intrepidus et securus, nec quietus et placidus, prospiciebat ventos hinc inde perflantes, et sollicita aure captabat vincebatque contraria; sed non erat illi secura victoria. Quia igitur adversariorum verba atque rationes, quibus veritatem evertere nitebantur, videbat non facile posse superari et omni calliditate plenas, dialecticæ quoque, imo diaboli arte contextas, sperabat Dei auxilium, ut omnem deliberationem de mente sua propelleret, et certæ atque defixæ absque illa molestia crederet veritati, et augeret eam in dilectione Christi, quem sciebat esse et totius Ecclesiæ corporis caput. *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis faciens, in ædificationem sui in charitate.* In fine rerum, cum Deum facie videre cœperimus ad faciem, et in mensuram pervenerimus ætatis plenitudinis Christi, de cujus plenitudine nunc omnes accepimus, ita ut Christus non ex parte sit, sed totus in nobis, et relictis initiis parvulorum creverimus in eum virum, de quo propheta dicit : *Ecce vir, Oriens nomen ejus* (*Zach.* VI); et Joannes Baptista commemorat : *Post me venit vir qui ante me factus est, quoniam ante me erat* (*Joann.* I), tunc in occursum unius fidei et unius agnitionis Filii Dei, quem nunc pro varietate mentium, non una nec eadem scientia et agnitione cognoscimus, totum corpus, quod prius dissipatum fuerat et in diversa laceratum in suam compagem juncturamque redigetur, ita ut una subministratio et unius ætatis consummata perfectio totum crescere faciat corpus æqualiter, et omnia membra juxta mensuram incrementum ætatis accipiant. Hæc autem tota ædificatio, per quam corpus Ecclesiæ per partes augetur, mutua in se charitate complebitur, quando corpus totius Ecclesiæ nunc dispersum atque laceratum verus medicus Christus Jesus sanaturus advenerit unicuique membro propriam reddere dignitatem secundum meritorum qualitatem, ut in omnibus una charitas vigeat, et perfecta perficiatur beatitudo. Ista autem universa sic fient, ut invicem inter se charitate jungantur, et dum congaudet membrum membro, et in alterius gaudio lætatur, Christi corpus, id est, ecclesia sanctorum, inhabitet in cœlesti Jerusalem, quam in alio loco Apostolus matrem sanctorum vocat. (*Amb.*) Qua ratione Christum caput esse omnium dixerit docet, *ex ipso enim*, inquit, *omne corpus*, id est, omnis chorus archangelorum et potentiarum, principatuum, et potestatum subsistit. Quamvis enim singula hæc numeros proprios habeant, et sint legiones, ut ipse Dominus dixit, quia ab uno tamen et per unum sunt, simul omnia unum corpus appellat; sicut enim membra cum sint unius corporis, diversa tamen sunt actu et dignitate, ita et creatura condita est a Deo per Christum, ut a cherubin et seraphin potentes [potentiis] qui sub sede Dei sunt, et angelis quos ipse Dominus sanctos appellat, quasi quædam concatenatio sit usque ad firmamentum ordinata descendens, ut totum et junctum sit et meritis tamen discernatur. Meritis dico non solum officiorum, sed et naturarum. Nec enim quia juncta dicit omnia, unius erunt naturæ, sed quod in corpore membra faciunt discreta officiis, non natura, ita et in his omnibus non membra, sed naturæ ipsæ faciunt distinctiones. Hoc ergo est quod laboratur, ut ad unum sensum redigatur, et in sensu unum sit corpus, dum omnium creatura una professio est ut concordet in charitate Creatoris ad suum profectum, reædificat enim se in templum Domini : destructa enim fuerat dementia et furore diaboli.

Hoc igitur dico et testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis et avaritiæ. Manifestato creatore et ratione ostensa, quam sequi debeat creatura, in fide Dei sui duntaxat contestatur illos in Deum, ut non aliter incedant vel sentiant, quam docentur, ne similes gentibus inveniantur, qui nec fidem recipiunt, nec conversationem, quam mandat lex, obscurum habentes sensum, nec contemplantur divini nominis veritatem : vana enim sectantes quæ sunt idololatria, infrenantur a diabolo, ne unius Dei iter incedant, ut socios illos suæ perditionis efficiat : gentiles futuræ resurrectionis desperatione cæcitatem cordis habere significat. Quasi enim ultra non futuri vitam suam contaminant turpissima operatione, nolentes se subjicere legi fidei, quia prohibet voluptatem propter spem vitæ futuræ, quam idcirco ridendam censent, ut jure dehonestare se et aliena appetere avida cupiditate videantur, quasi post hanc transpunctionem nulla sit vita. (*Alb.*) Hoc ergo, ait, dico vobis, o Ephesii, vosque contestor, ut quia occursuri estis in mensuram ætatis plenitudinis Christi, non ambuletis sicut ambulant gentes, quæ idolis servientes et sensu et mente abutuntur prave muneribus Dei, quæ cum ideo acceperunt animam et intellectum, ut cognoscerent Deum, abalienati sunt a via ejus, quam aliam absque Christo non novimus, et in sui cordis ambulant cæcitate. Atque utinam peccasse sufficeret, et vel sero agerent pœnitentiam, damnarentque vitia, quibus jugiter inhiarunt, esset que remedium respicere [resipiscere] post errorem. Nunc vero desperantes se et ritu irrationabilium bestiarum cæno voraginique mergentes, tradiderunt se impudicitiæ atque luxuriæ, operantes quidquid corpus voluit, mens desideravit, libido suggessit; et

Digitized by Google

cum nihil omnino prætermiserint, quod immundum sit, hoc totum fecere in avaritia, dum nunquam luxuriando saturantur. Nec eorum voluptas terminum habet. Aut certe ultra concessam viro ad feminam conjunctionem ad majora conscendunt, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem erroris sui in semetipsis recipientes. (Maurus.) Duo quædam et hæc perniciosissima peccatorum genera introduxit, id est, luxuriam in libidine carnis, et avaritiam in ambitione sæculi, et his duobus malis tertium adjunxit desperationis voraginem, dum de talibus agere pœnitentiam noluerint, quod in omnibus peccatis perniciosissimum esse non est dubitandum. *Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu.* (Ambr.) Manifestum est Christianos non desperationem post mortem hanc didicisse, sed spem ad utrumque, fidelibus enim vita, perfidis vero promittitur mors, quæ est pœna æterna, ut sive mors, sive vita, in Christo discatur, quia qui eum sequitur per eum resurget ad vitam; qui vero discernit se ab eo, per eum mancipabitur gehennæ; ipso enim judicante, damnabitur. Et quoniam sunt quidam in Ecclesia, qui sub nomine Christi non sequuntur veritatem. Ideoque *sicut et est*, inquit, *veritas in Jesu*, ut si ita docti sunt, ut est veritas in Jesu, tunc Christum didicisse et illum audisse, et in illo docti esse videantur. Christus enim de se docet, quid sit, quantus credendus sit, et quæ spes in eo sit, et quales debeant esse credentes. Qui enim didicit Christum, scit illum a mortuis resurrexisse, ut forma esset fidelibus, ideoque magna spes est post istam mortem amantibus Deum. (*Alb.*) Discere autem Christum id ipsum est quod nosse, id est, virtutes sanctas scire et amare, ac si diceret, Christum discere est audire sapientiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam, et cætera, in quibus Christus intelligitur vel magis quia hæc omnia Christus est, hoc est scire Christum, hæc facere et alias hujusmodi virtutes, atque maxime charitatem, quæ est omnium virtutum caput et perfectio. Si quis ergo Christum audivit et didicit et amat, non ambulabit in vanitate sensus sui, nec obscuratus mente gradietur, neque erit abalienatus a vita Dei. Habebit etiam scientiam, ignoratione discussa, et immisso tenebris lumine, omnis de oculis cordis ejus cæcitas auferetur. Quod si habuerit, non se tradet immunditiæ carnali, nec ambitioni sæculari. *Sicut est veritas in Jesu*: in nullo enim patriarcharum aut prophetarum plenitudo veritatis habitavit, hoc est, tota veritas, nisi in solo Jesu: quia alii ex parte cognoscebant, et ex parte prophetabant, et per speculum in ænigmate in solo Jesu omnis veritas Dei apparuit, quæ loquitur confidenter: *Ego sum Veritas* (*Joan.* XIV). (Maur.) Potest et aliter intelligi, sicut umbra distat a corpore, et est signum quoddam veri corporis umbra: ita et lex umbra fuit, veritas vero Christus, de cujus plenitudine nos omnes accipimus, et gratiam pro gratia: quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. *Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.* (Amb.) Qui Christum audivit, hoc est didicit, ut recederet a conversatione pristina, quam veterem hominem nuncupat propter præteritum ignorantiæ tempus. Homo itaque unus atque idem est, qui si pristina vitia sequitur, vetus dicitur: si autem in novitate vitæ ambulat, alienus a sæculari errore, qui est sive in actu, sive in sensu, rudis dicitur, non utique substantia carnis et animæ, sed intellectu et conversatione vitæ. Corruptus tamen vetus homo dicitur propter adulterum sensum et turpem vitam. (*Alb.*) Quia videtur juxta ordinem textumque sermonis scatere sententia et esse hyperbaton; sic legendum est: *Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen audistis et in illo edocti estis, deponere vos secundum priorem conversationem veterem hominem, qui corrumpitur juxta desideria erroris, sicut est veritas in Jesu.* Ut sit sensus, quomodo est veritas in Jesu, sic erit et in vobis, qui didicistis Christum et audistis illum, et edocti estis deponere secundum priorem conversationem veterem hominem, qui corrumpitur juxta desideria erroris. Veterem autem hominem, quem præcipit deponendum inveteratum a malitia arbitror appellari. Iste enim secundum priorem conversationem et desideria erroris semper errans et in opere corruptionis deficiens, corrumpitur atque violatur, et quia in desideriis indesinenter versatur erroris, et nunquam cessat a vitio, nequaquam corruptus dicitur, sed corrumpi, quod per singulos dies, horas, punctaque et momenta corrumpitur, violatur, et semper pejor erit.

Renovamini autem spiritu mentis vestræ. (Greg.) Sed ad hæc agenda valde exempla patrum et sacri eloquii præcepta nos adjuvant, si enim sanctorum opera inspicimus, et divinis jussionibus aurem præbemus, alia nos contemplata, alia audita succendunt, et cor nostrum torpore non constringitur, dum imitatione provocatur. *Et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis.* (Ambr.) Justum et verum est rectam viam sequi. Hic autem rectam viam sequitur, qui devotus Creatori suo in voluntate ejus ambulat, quam gentilitas nescit. Innovatus enim spiritu mentis novum hominem dicitur indutus, qui est Christus: Christum enim induitur, qui per fidem renatus in Christo, æmulus est vitæ, quam tradidit Christus, ut juxta Deum creatus videatur; in eo enim quis creatus est, in quo sapit, et ideo veritas et justitia Dei a gentilibus ignoratur. Cum enim credentes Deum agnoscunt creatorem, servantes mandata ejus, in justitia et veritate creantur. (*Alb.*) Nec in sensu renovamur absque spiritu, nec in spiritu absque sensu, sed renovamur conjuncti in spiritu sensus nostri, ut quomodo psallimus spiritu, psallamus et sensu; oramus spiritu, oremus et sensu; sic in spiritu sensus nostri renovemur, ut cum sensus mundus fuerit atque purgatus, et ab omni macula sordidæ concreationis alienus, tunc

Digitized by Google

ei jungatur et spiritus, et ita quodam inter se unitatis glutino copulentur, ut nequaquam simplex spiritus, sed spiritus sensus esse dicatur. Cum autem renovati fuerimus spiritu, qui nostri sensus est spiritus, tunc induemur novum hominem, qui secundum Deum creatus est. Quod quidem aliis verbis id ipsum puto esse, quod in alio loco dicitur : *Induite vos Christum Jesum* (*Rom.* XIII). Iste quippe est novus homo, quo universi credentes debemus indui atque vestiri. Quid enim in homine, qui a Salvatore nostro assumptus est, non novum fuit ? conceptus, nativitas, partus, infantia, doctrina, vita, virtutes, ad extremum crux et passio exspoliantis in ea principatus et contrarias fortitudines ; resurrectio quoque et ascensus ad cœlum. Hic ergo vere creatus est, in justitia et sanctitate veritatis, quia Deus verus Dei veri filius fuit, et tota in illo religio atque justitia Dei in veritate completa est. (*Aug.*) Quod ait secundum Deum creatum, hoc alio loco dicitur *ad imaginem Dei*, sed peccando justitiam et sanctitatem veritatis amisit, propter quod hæc imago deformis et decolor facta est ; hanc recipit, cum reformatur atque renovatur. Quod autem ait *spiritu mentis vestræ*, non ibi duas res intelligi voluit, quasi aliud sit mens, aliud spiritus mentis : sed quia omnis mens spiritus est, non autem omnis spiritus mens est. Est enim spiritus et Deus, qui renovari non potest, quia nec veterascere potest, dicitur et spiritus in homine, qui mens non sit, ad quem pertinent imaginationes similes corporum, de quo dicit ad Corinthios, et ait : *Si autem oravero lingua, spiritus meus orat, mens autem mea infructuosa est* (*I Cor.* XIV). Hoc enim ait, quando id quod dicitur non intelligitur ; quia nec dici potest, nisi corporalium vocum imagines, imagines solium oris in spiritu cogitatione præveniunt. Dicitur et hominis anima spiritus. Unde est in Evangelio, *et inclinato capite tradidit spiritum* (*Joan.* XVIII), quo significata est mors corporis anima exeunte. Et paulo post, quia ergo tot modis dicitur spiritus spiritum mentis dicere voluit eum spiritum, quæ mens vocatur, sicut ait etiam idem Apostolus, « in exspoliatione corporis carnis, » non duas utique res intelligi voluit, quasi aliud sit caro, aliud corpus carnis, sed quia corpus multarum rerum nomen est, quarum nulla caro est. *Propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra.* (*Alb.*) Absit ut sic intelligamus tanquam loqui mendacium permiserit cum eis, qui nondum sunt membra corporis Christi, sed ideo dictum est, quia unusquisque nostrum hoc alium debet deputare, quod eum vult fieri sibi, etiamsi nondum factus sit. Proximum vere vocat hoc loco omnem hominem, qui ex eodem nobiscum parente, id est Adam generatus est, et hoc evangelica parabola designat in eo qui descendit ab Hierusalem in Jericho, et incidit in latrones, et sacerdote et Levita prætereuntibus, a Samaritano curatus et ad stabularium vectus est (*Luc.* X). Affirmat autem post hæc Dominus, cum esse proximum, qui illi misericordiam fecit, volens ostendere omnes homines omnibus esse proximos. Quod vero sequitur, *quoniam sumus invicem membra*, magis videtur mihi significare mysterium et de his dici, qui nobis fide et virtute sunt proximi, membra quippe alterutrum non sunt, nisi fideles fidelium, et Christiani Christianorum. Ergo hoc mandat, ut unusquisque ea quæ sunt Dei veritate plena prædicet alteri, et loquatur cum proximo suo veritatem, id est Christum prædicet, qui est veritas. (*Aug.*) Proximus est omnis homo, omnes proximi sumus conditione terrenæ nativitatis. Et aliter, illa spe cœlestis hæreditatis proximum tuum debes putare omnem hominem, et antequam sit Christianus ; non enim nosti, qualis sit futurus apud Deum. Qui modo aut Judæus, aut hæreticus, aut paganus est, forte per misericordiam Dei ita convertetur ad Dominum, ut inter sanctos primum locum habere mereatur. (*Ambr.*) Quia in veritate et justitia creati sumus renati in baptismo, idcirco, ut in eo maneamus, mendacium deponere jubemur, assumpta veritate, nec dolo aliquid cum fratre agere, ut quia unius corporis membra sumus, causis nostris in veritate invicem faveamus. *Irascimini et nolite peccare.* Quoniam irasci quis non potest prohiberi, quippe, cum ira motus sit naturalis conceptus ex causis, qui solet ad profectum pertinere delinquentis, idcirco irascendum dicit, sed commonet, ne per iram peccetur. Solemus enim modum egredi, dum irascimur et invenimur ipsi peccare, qui peccantes arguimus, dum plus irascimur et amplius oneramus peccantem, quam meretur. Hoc ergo docet, ut ipsa ira cum moderatione sit. Neque nimium quis justum se præbeat delinquenti : quia solent quidam sic peccare, ut tantis plagis afficiendi videantur, quantas non possunt ferre, et qui poterat forte corrigi, tollitur de vita, non sine peccato irascentis. Hinc et Salomon : *Noli*, inquit, *justus esse multum, quia est qui perit in sua justitia* (*Eccle.* VII), sed imitatores Dei esse debemus ; qui temperatam habet justitiam. Cum enim justum esset plecti iniquos, patientia sua suffert eos, ut aliqui ex eis corrigantur, nos ipsos servos suos peccantes patitur, nec cito aliquem percutit. (*Hieron.*) Quod autem ait, *Irascimini et nolite peccare*, de quarto psalmo usurpatum nulli dubium est, et videtur illi esse contrarium, quod alibi dicitur : *Nunc autem deponite vos omnem iram, indignationem et malitiam, et blasphemiam, et turpem sermonem ex ore vestro* (*Coloss.* III). Sed et simpliciter intellectum nocet, dum putantur iræ frena laxata. Duplex autem non solum apud nos, verum etiam apud philosophos iræ nomen accipitur ; vel cum injuria lacessiti, naturalibus stimulis concitamur ; vel cum, requiescente impetu et furore restincto, potest mens habere judicium, et nihilominus super eo qui putatur læsisse, desiderat ultionem. Arbitror itaque de priori ira nunc dictum, et nobis quasi hominibus esse concessum, ut ad indignæ alicujus rei faciem

Digitized by Google

moveamur tranquillitatemque mentis velut lenis quædam aura conturbet : nequaquam tamen intumentes gurgites furoris impetu sublevemur. (*Alb.*) Sed fortassis de utroque hoc loco intelligi potest : quia per vices ira magistri prodest discipulo, et ira patris erudit filium magis, quam soluta blandities. Ira homini naturalis ad irascendum propter peccata, et voluntas, ut concupiscat bonum : sed ambo hæc ratio quasi domina, quæ data est homini, temperare debet, ne ultra, quam necessitas exiget, transeat. Ideo subsecutus ait : *Sol non occidat super iracundiam vestram.* (Aug.) Proinde præcepit hic Apostolus ne sol rationis propter nimietatem iræ obscuretur, et plenæ cordis tenebris iracundiæ involvatur. Intelligitur quidem secundum tempus, quia si ex ipsa conditione et infirmitate mortalitatis, quam portamus, subripit ira Christiano, non debet diu teneri et fieri pridiana. Ejice illam de corde antequam occidat lux ista visibilis, ne te deserat lux illa invisibilis. Sed et aliter melius intelligitur, quia noster sol justitiæ et veritatis Christus est, cujus veritate anima humana illustratur, ad quem gaudent angeli ; hominum autem infirmatæ acies cordis etsi trepidant sub radiis ejus, ad eum tamen contemplandum per mandata purgantur. Cum ipse sol cœperit in homine habitare per fidem, non tantam in te videat iracundiam, quæ nascitur, ut occidat sol super iracundiam tuam, id est, deserat Christus mentem tuam, quia non vult habitare cum iracundia tua. (*Hieron.*) Quia igitur verus sol, sicut occidit super malos prophetas, juxta illud, quod scriptum est : *Occidit sol super prophetas vestros meridie* (*Amos.* VIII), ita etiam occidit super omnes peccatores, nequaquam eis ortus sui lumen indulgens : præcipit nunc Apostolus, ne talia faciamus furore superati, per quæ nobis sol occidat, et principale cordis tenebris obvolvatur. Quidam putant sic accipiendum hoc esse simpliciter, quomodo et illud quarti psalmi, unde idipsum sumptum videtur : *Quæ dicitis in cordibus vestris in cubilibus vestris compungimini*, id est, quæcunque in die vel opere, vel sermone, vel cogitatione peccatis, hæc succedente pœnitentia purgate per noctem et ira sit brevis, nec in diem crastinum differatur. *Neque locum dare diabolo.* (Ambr.) Iram transire vult, nec retineri in pectore, ut die orta cum die decidat : quia si in animo manserit, dat occasionem diabolo gloriandi : necesse est enim iratus animus mala cogitet, quod cupit diabolus : invenit enim mentem paratam ad malum, cui se inserens affectu suo decipit hominem factum ad vitam, quia homînis cogitare est, diaboli implere. *Nolite* itaque, ait, *locum dare diabolo,* (Hieron.) qui tanquam leo rugiens quærit aditum per quem possit irrumpere (*I Petr.* v). Quomodo enim Pater et Filius stant ante ostium et pulsant, ut introeant et cœnent cum eo, qui se receperit, ita et adversarius semper in nos est paratus irrumpere, et cum locum dederimus, ingreditur. Solet autem antequam veniat quædam jacula præmittere, et præcursorem adventus sui facere cogitationem, hanc si in corde nostro susceptam nutrierimus intrinsecus et crescere fecerimus, cum in nobis prolem suam auctam viderit, et ipse audebit intrare. Denique in Judæ Iscarioth cor primam jecit sagittam, ut traderet Salvatorem ; quam si exceptam ille miserabilis non fovisset, nunquam post intinctum panem in paropsidem intrasset in illum Satanas (*Joan.* XIII). Simulque et hoc diligenter attendite, quod non invenerit diabolus locum introeundi in Judam, cujus pectus jam ante percusserat, nisi in convivio Salvatoris ; quia tunc vel maxime in potestatem ei damur, quando nec humanitate, nec clementia, nec mansuetudine ejus vincimur, quem odimus indigne. Huic quod nunc præcipit : *Neque locum detis diabolo,* illud de Ecclesiaste comparatur : *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dederis ei* (*Eccle.* X) ; ille superbus et temerarius vult ascendere, vult subire, sed etiamsi te oppressum putaverit, et se extulerit, tu retinueris [ne dederis] locum tuum : potestas quippe diaboli non in temeritate illius atque jactantia, sed in tua est voluntate. (*Aug.*) Dant autem locum homines diabolo ex concupiscentiis suis : non enim vident diabolum homines cum quo pugnant, sed facile habent remedium : seipsos interius vincant, et de illo foris triumphant.

Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. (Hieron.) Quia hi qui in vitæ istius negotiis conversantur, propter emolumenta et usus necessarios coguntur aliqua vel emere, vel vendere, et lucra de negotiatione sectari ; et difficile est etiam eos, qui a cæteris passionibus liberi sunt, a fornicatione, videlicet, idololatria, adulterio et homicidio, hoc vitio non teneri. Propterea nunc Ephesios monet, ne sub occasione emolumenti furti crimen incurrant ; furtum nominans omne quod alterius damno quæritur ; justum autem esse, ut manibus suis unusquisque operans, et victum labore conquirens, impertiat non habentibus. Neque vero ait, *magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est,* ut non indigeat et habeat victum indigentibus, et nulli molestiam exhibeat, sed laboret, inquit, manibus suis, quod bonum est, *ut habeat, unde communicet indigentibus.* Qui igitur ad hoc tantum laborat, ut ipse non egeat, et a cæteris contrahit manum : quamvis applaudat sibi, tamen Apostoli præcepta non fecit. (*Ambr.*) Non solum ergo Christianus aliena non tollere jubetur, sed et de labore suo penuriam patientibus subministrare, ut bonis operibus deditus, rependat quæ prius abstulerat, et de cætero thesaurizet sibi in futurum. Qui enim cessat a furto, veniam potest habere, non gloriam. Quid enim magnum aut cujus meriti est ab alienis temperare ? ad meritum enim proficit, cum quis de proprio tribuit egenis. (*Hieron.*) Potest autem et alius intelligi, *qui furabatur, jam non furetur,* et reliqua ; propter illud quod scriptum est de pseudoprophetis, qui *furantur sermones Dei unus-*

Digitized by Google

quisque a proximo suo (*Jer.* XXIII) ; et in Evangelio : *Omnes qui venerunt ante me fures sunt et latrones* (*Joan.* X) ; et ad Romanos : *Qui prædicas non furandum, furaris* (*Rom.* II), quod furta prohibeamur facere spiritalia. Neque enim hoc quod sequitur : *Magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est*, ad vitæ hujus necessaria digne referri potest, ut bonum dicatur quodcunque periturum est, et ad mammonam iniquitatis pertinet. Quamvis enim justus labor opes habeat absque tergiversatione quæsitas, satis habebit, si non dicantur malum, cæterum bonum non valent appellari. Igitur operatur bonum, qui declinat a malo et facit bonum. et operatur in agro animæ suæ, ut spiritalibus panibus impleatur, et possit commodare esurienti, et necessitatem sustinenti, dans in tempore cibaria conservis suis. *Omnis* B *sermo malus non procedat ex ore vestro, sed si quis bonus ad ædificationem opportunitatis, ut det gratiam audientibus.* Bonus sermo est, qui docet virtutes sequendas, vitia fugienda, malus qui ad peccata provocat, et pronos magis incitat ad ruinam. Quotiescunque ex sermone nostro alius proficit. et juxta opportunitatem loci, temporis et personæ ædificat audientes, bonus de ore nostro sermo processit ; quoties vero loquimur, aut non in tempore, aut non in opportuno loco, aut non ut convenit audientibus, toties sermo malus procedit de ore nostro ad destructionem eorum qui audiunt. Consideremus itaque quid loquamur, quia pro omni otioso verbo reddituri sumus rationem in die judicii (*Matth.* XII), etiamsi non lædamus, non tamen ædificemus, C mali verbi nobis luenda sit pœna. (*Ambr.*) In Dei servo omnia bona debent videri, nec ex aliqua parte puritas ejus debet maculari. Quid enim prodest mundam vitam habere et os sordidum ? cum dicat Dominus, quod unusquisque verbis suis, aut justificabitur, aut condemnabitur. Nec credibile potest videri bene vivere eum qui male loquatur. Male enim loqui ad multa trahit vitia. Potest enim male loqui, qui turpiter fatur et qui detrahit bonis, et qui cum dolo fabulatur, et qui mentitur : hæc errorem præstant. Bonæ enim et sobriæ fabulæ dant gratiam et exemplum audientibus, ut honorificent Deum in verbis, ædificati in fide Christi. *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.* (Hieron.) Mœror sancti Spiri- D tus sic intelligendus, quomodo ira Dei et pœnitentia, et zelus et cæteræ in humana similitudine passiones, non quod contristari possit Spiritus Dei, et ullam perturbationem divinitas sentiat, sed quod ex verbis nostris Dei discamus affectus, quod mœreat quotiescunque peccamus, et defleat peccatores, (MAURUS.) vel eo genere locutionis, quo alio loco idem ait Apostolus : *Nam ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII). Non quod Spiritus sanctus ingemiscat, sed quod nos ingemiscere facit in precibus. (*Hier.*) Signati autem sumus Spiritu Dei sancto, et ut spiritus noster et anima imprimantur signaculo Dei, et illam recipiamus imaginem et similitudinem, ad

A quam in exordio conditi sumus. (MAURUS.) Dies vero redemptionis nostræ, in quo sacramento baptismatis redempti sumus Deoque in filios adoptati, vel etiam dies redemptionis nostræ est, quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (*I Cor.* XV). [Ambr.] Cum bene agimus, gaudet in nobis Spiritus sanctus datus nobis, videns monita sua proficere utilitatibus nostris, sicut dictum est a Domino : *Ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* XV). Gaudet ergo Spiritus sanctus saluti nostræ, non sibi, qui non indiget, lætitia ; ita e contrario, si obedientes ei non fuerimus, contristatur, quia non habet profectum in nobis. Vult enim nos pertinere ad vitam, non tamen sic contristatur, ut patiatur, quippe cum impassibilis B sit ; sed cum eum contristatum dicit, nostri causa hoc significat, quia deserit nos, eo quod læserimus eum contemnendo monita ejus. Contristatio itaque ejus indignitas nostra est, quæ filios nos Dei prohibet appellari. Ipse est enim Spiritus sanctus, qui sanctificat filios Dei manens in nobis. (*Aug.*) Neque ipsa Spiritus sancti, qua est, quidquid ipse est, substantia contristari potest, cum habeat æternam atque incommutabilem beatitudinem, magisque sit ipsa æterna et incommutabilis beatitudo, sed quia ita in sanctis habitat, ut eos impleat charitate, qua necesse est ut homines ex tempore gaudeant profectibus fidelium et bonis operibus, et ideo necesse est etiam contristentur lapsu vel peccatis eorum de quorum fide ac pietate gaudebant, quæ tristitia laudabilis C est, quia venit ex dilectione, quam Spiritus sanctus infundit, propterea ipse Spiritus dicitur contristari ab eis, qui sic agunt, ut eorum factis contristentur sancti, non ob aliud, nisi quia Spiritum sanctum habent : quo dono tam boni sunt, ut eos mali mœstificent. hi maxime, quos bonos fuisse, sive noverunt, sive credi derunt. Quæ profecto tristitia non solum non culpanda verum etiam præcipue laudanda ac prædicanda est

Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia (Alb.) Hic ostendit, pro quibus contristetur Spiritus sanctus, et relinquat cor, in quo habitabat per charitatem et modestiam. Amaritudo contraria est suavitati et dulcedini sancti Spiritus : furor vero incipiens ira est, et fervescens in anima perturbatio. D Indignatio ex superbia nascitur, cum aliquem judicamus indignum, et ideo eum nolumus sustinere. (*Hieron.*) Ira autem est, cujus amaritudo, et furor, et indignatio, species sunt, quæ furore restincto desiderat ultionem, et eum, quem nocuisse putat, vul lædere, unde a nobis omnis amaritudo, et furor, et indignatio, tollenda est. Post hæc omnia recte clamor quoque et blasphemia prohibentur in nobis, quia qui semel fuerit furore superatus, sæpissime erumpit ad clamorem, et turbide fremens ventilatur in modum folii. Blasphemia est, cum de Deo falsa finguntur, aut in fide catholica hæretica pravitate deceptus errare quis probatur. (*Aug.*) Blasphemia est, per quam de ipso Deo falsa dicuntur, et ideo pejus

Digitized by Google

est blasphemare, quam perjurare, quoniam perjurando falsus perhibetur testis Deus, blasphemando de ipso Deo falsa dicuntur. (Amb.) Timor enim temperare debet, et modum imponere accidentibus causis, sed quia possunt aliqui, pressa in animo ira et clamore, retinere malitiam ad retributionem nacta occasione, idcirco subjecit hæc auferri *cum omni malitia*, quia non solum blasphemare malitia est : verum etiam fingere pacem in facie et in animo meditari discordiam. (Cass.) Cum dicit, *omnis ira tollatur a vobis*, nullam penitus velut necessariam, et utilem nobis excipit, delinquentemque fratrem, si necesse est ita curare festinet, ne dum medelam leviori forsitan febricula laboranti procurat inferre, semetipsum iratus tetriori morbo cæcitatis involvat. Oportet namque illum, qui alterius vulneri mederi cupit omni languoris morbo alienum sanumque subsistere, ne illud evangelicum dicatur ei : *Medice*, prius *cura temetipsum* (*Luc.* IV), ac videns festucam in oculo fratris sui, trabem autem in oculo suo non videat; vel quomodo valebit ejicere festucam de oculo fratris sui, qui trabem furoris gestat in oculo suo? qualibet ex causa iracundiæ motus effervens excæcat cordis, et acumini visum exitialem validioris morbi ingens trabs solem justitiæ non sinit intueri. Nihil interest, utrum aurea lamina plumbive seu cujuslibet metalli oculorum obtutibus imponatur, differentiam cæcitatis non facit pretiositas metallorum. Habemus sane ministerium satis commode nobis insertum, ad quod solum eam recipere utile nobis est, ac salubre, cum contra lascivientes cordis nostri motus indignanter infremimus, et ea quæ agere confundimur coram hominibus vel proloqui, in latebras ascendisse nostri pectoris indignamur, angelorum scilicet ac Dei ipsius præsentiam ubique et omnia penetrantis, oculumque ejus tota formidine tremiscentes, quem nequaquam possunt conscientiæ nostræ latere secreta. *Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.* (Ambr.) Exemplo Dei Patris benignos et misericordes invicem fieri exhortatur, sicut et Dominus : *Estote*, inquit, *misericordes, ut similes sitis Patris vestri, qui in cœlis est* (*Luc.* VI). Si enim Dominus per Filium suum servorum misertus est, quanto magis servi ipsi invicem sui debeant misereri et donare, si alter in alterum peccet? (*Alb.*) Præcipit Apostolus nos clementes esse, et benignos, et blandos, et ad familiaritatem nostram ultro homines invitemus, ut nullus ad nos formidet accedere, quæ familiaritas maxime ex misericordia comparatur. Nec statim præstantes aliis, ipsi quod dedimus, habere desistimus. (*Hieron.*) Sequitur enim *donantes vobismetipsis*, quia quod bene in alium fit, magis ei reponitur, qui præstitit, quam cui donatum est; qui miseretur pauperis, ipse saturabitur, et qui dat ei feneratur Deo (XIV, *Prov.* XIX). Vel ita accipiendum est, quod in eo quod suaves et misericordes sumus et perturbationibus nos quæ incitabant relictis, ad mansuetudinem temperantiamque transivimus, ipsis nobis datum sit et donatum, dum de malis in bonos vertimur et hæc ipsa donamus nobis, quæ Deus Pater donavit in Christo. Si enim, omissis vitiis, virtutes habuerimus, ipsas nobis etiam nostro studio comparamus, et habere nos facimus, quas Deus nobis donavit in Christo. Alius vero hoc quod ait, *donantes vobismetipsis*, simpliciter accipiet, ut quomodo supra dicitur : *Estote autem invicem suaves*, sic et nunc dicatur, *donantes vobismetipsis*, pro eo quod est donantes vobis invicem, ut quomodo Deus nobis in Christo nostra peccata donavit, sic etiam nos eis qui in nos peccaverunt dimittamus, et ad probandum quod dimissio peccatorum in Scripturis donatio nuncupatur, illud sumet exemplum, quod in Luca scribitur (*Luc.* VII), ubi uni creditori alius debebat quingentos denarios, et alius, quinquaginta, quos utrisque concesserit, et ad interrogationem salvatoris ille, qui interrogatus fuerat, responderit majorem gratiam illum habere, cui plus donatum sit. Dicitur et in oratione Dominica, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Deus autem nobis donavit in Christo, non extra positus, sed habitans in eo : quia Pater in Filio, et Filius in Patre. Nec statim ille, in quo donatur, minor est ab eo, qui in se donat, quia et Apostolus dicit : *Et ego si quid donavi vobis, in facie Christi et Dei* (*II Cor.* II).

CAPUT V.

Inducit Ephesios ad sequendum Christum in fervore charitatis, in decore sanctitatis, ac veritate cognita, et instruit personas junctas matrimonio.

Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi. (Hieron.) Qui intelligit, quomodo dictum est : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* (*Matth.* V), iste sciet quomodo et nunc dicatur : *Estote imitatores Dei.* Et Corinthiis scribens ait : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*I Cor.* XI). Non enim poterant statim Christi fieri imitatores, sed grande illis erat, si imitatores possent Christi existere. Ephesiis vero quasi his, quos jam mysteria tanta docuerat, non ait : imitatores mei estote, nec imitatores Christi, sed *imitatores Dei*, non quod minus sit imitatorem esse Christi, quam Dei. Deus quippe Christus est : sed quod aliud sit secundum hominem illum imitari, aliud secundum Deum. Nam et si Christum secundum carnem ante esse noverarmus, nunc jam nequaquam eum novimus secundum carnem. Loquitur et Salvator, humilitatem dispensationis ostendens : « Quæcunque viderit Patrem facientem, hæc eadem Filius facit similiter; » non quod aliud cœlum et aliam terram Pater fecerit, et ad similitudinem eorum aliud cœlum et alia terra et elementa a Christo facta sint cætera; sed quod quæcunque operetur Pater, hæc eadem operetur et Filius. In quo autem similes Deo possimus fieri, supra testatus est dicens : *Donantes vobismetipsis, sicut et Deus in Christo donavit vobis.* Non enim puto, quod in cæteris quoque, quæcunque Deus fecit, homo Deum possit imitari. Sed verbi causa, ut quomodo ille clemens est et pluit super bonos et malos (*Matth.* V), et reliqua,

Digitized by Google

sic etiam nos bonitatem nostram super omnes homines effundamus: quod cum fecerimus, erimus filii dilecti. (*Ambr.*) Hic enim charissimus patris est filius, qui bonorum ejus imitator est. *Et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Sicut Dei Patris nos imitatores esse vult in benignitate et misericordia, ita et Christi filii ejus in dilectione, ut sicut ille dilexit nos, tradens se pro nobis, ita et nos invicem pro nobis etiam animas ponere debeamus, quod etiam Joannes Apostolus dixit exemplo Domini pro fratribus animas ponendas. (*Hieron.*) Qui pro aliorum salute usque ad sanguinem contra peccatum dimicat, ita ut et animam suam tradat pro eis, iste ambulat in charitate, imitans Christum, qui nos in tantum dilexit, ut crucem pro salute omnium sustineret. Quomodo enim ille tradidit se pro nobis, sic et ipse pro quibus potest, libenter occumbens, imitabitur eum qui oblationem et hostiam in odorem suavitatis se Patri tradidit, et fiet etiam ipse oblatio et hostia Dei in odorem suavitatis. (*Ambr.*) Si ergo Christi mors in odorem suavitatis est Deo, mortem ejus libenter accepit. Quod si verum est, non peccaverunt qui illum secundum Dei voluntatem crucifixerunt: sed non ita est, quia Christus Deo se dicitur obtulisse, dum occidi se passus est, in Dei patris sui voluntate perdurans, quia qui juste occiditur, diabolo se offert; voluntatem enim ejus facit, ut occidi mereatur: ita et Christus, dum Dei voluntati adhæret, diabolo displicuit: et ideo illum occidit, quia Deo se obtulit justitiam exsequendo; in oblatione enim justitia signatur et veritas. Hanc enim respicit Deus, et hoc est ejus sacrificium acceptum. Itaque immeritus, qui occiditur, placet Deo, non quia occiditur, sed quia usque ad mortem justitiam conservavit. Suscepit ergo hanc mortem Deus Christus ad vitam, unde et odor suavitatis appellatur Deo. Ad Romanos tamen dicit: *Quia Deus illum tradidit pro nobis omnibus* (*Rom.* VIII). Nunc quærendum est, quomodo Deus illum tradidit, aut quomodo seipsum obtulit Deo? Nam hoc, quantum ad verba pertinet, videtur contrarium. Deus illum tradidisse dicitur, dum illum occidi permisit, sicut dicit Dominus ad Pilatum: *Non haberes adversum me potestatem, nisi tibi data esset desuper* (*Joan.* XIX). Data est enim ei, sed volenti potestas: hoc est, permissum est illi facere quod voluit, et hoc est tradere: dum enim dissimulat, tradit. Si enim noluisset permittere, non fuisset occisus. Permisit ergo occidi eum, sed ab his qui eum volebant, non coacti, sed sponte occidere. Non ergo immunes a pœna sunt, quia hoc eis permissum est, quod volebant. Damnatio enim in eo competit, quia voluerunt; quod ideo tamen permisit Deus, quia scit istud adversum diabolum futurum pro multis: dignum enim fuit, ut quod inimicus inprescius futurorum contra se quasi pro se facere putabat, permitteretur ei, ut imprescientiam suam sibi imputans facti sui pœnitentia torqueretur. Quod autem Christus ipse obtulit, aut Deus illum tradidit, unum est, quia amborum una voluntas est.

Fornicatio autem et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. (Ambr.) Manifesta sunt quæ dicit; quam tamen gravis res sit avaritia, a qua dissimulamus, quando fornicationi et immunditiæ comparatur, et sic a nobis videtur, quasi quædam culpa nullius momenti, cum sit grave peccatum. (*Alb.*) Omnia enim crimina breviter comprehendit duas criminum designando radices: id est fornicationem et avaritiam, adjungens fornicationi immunditiam; alterius generis libidinem immunditiæ avaritiam sociavit, non solum pecuniæ cupiditatem demonstrans, sed etiam illam avaritiam, quam supra designat, ubi ait: *Ne quis supergrediatur fratrem suum* (*I Thess.* IV). — *Sicut decet*, inquit, *sanctos*. De quibus Dominus dicit per prophetam: *Sancti estote, quia ego sanctus sum* (*Lev.* XI). Omnis quippe immunditia carnalis, et omnis mentis instabilitas per varios voluntatum fluxus discurrens, vitanda est sanctis. Nec enim sanctus nominari recte potest, qui in hujusmodi sceleribus versatur. *Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio.* (Ambr.) Quoniam quidam solent, aliquid turpe agere, aut stultiloquiis jocum movere, quasi non sit peccatum, hoc prohibet, quia Dei servi semper sobrii et modesti debent videri. Omnia quæ risum et cachinnum movere solent, Christianæ non convenit gravitati, quia famulo Dei de cœlestibus cogitare convenit, vel quomodo coronandus ante tribunal Christi veniat, stultiloquium vero ad fatuas et ineptas fabulas transferendum esse puto. (*Hier.*) Inter stultiloquium autem et scurrilitatem hoc interest, quod stultiloquium nihil in se sapiens et corde hominis dignum habet; scurrilitas vero de prudenti mente descendit, et consulto appetit quædam vel urbana verba, vel rustica, vel turpia, vel fatua, quam nos jocularitatem alio verbo possumus appellare, ut risum moveat audientibus; verum et hæc a sanctis viris penitus repellenda, quibus magis convenit flere atque lugere, sicut in Evangelio ait: *Beati qui nunc fletis, quoniam consolabimini* (*Luc.* VI). [Ambr.] Per stultiloquia enim peccatur; unde Salomon: *Stultus*, inquit, *per risum agit mala* (*Prov.* X), et Dominus in Evangelio dicit: *Quia omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii* (*Matth.* XII). Nec inulta possunt discerni, quæ idcirco dicuntur, ut ad alicujus pertineant contumeliam: ideo ad rem salutarem non pertinent hæc. Quare hæc agenda et loquenda monet, quæ ad utilitatem proficiant nostram et Dei laudem, in cujus lege meditandum est die ac nocte, sicut scriptum est in psalmo primo. (*Alb.*) Dum hæc omnia abdicavit Christiano, quid vero ei conveniret subinfert, dicens: *sed magis gratiarum actio*, significans Christiani verba sale sapientiæ condita esse debere, ut gratiam dent audientibus, sicut superius locutus est. Hoc vero loco gratiarum actio magis pertinere videtur ad verba

Digitized by Google

loquentis et audientis sensum, quam ad illam gratiarum actionem, quæ Deo solet fieri pro beneficiis suis. (*Ambr.*) Ex conversatione enim et moribus Dei servi etiam tacentes intelligendi sunt, ut, quantum distat verum a falso, tantum distent Dei servi a servis diaboli.

Hoc enim scitote, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idololatria, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. Qua causa amovenda sunt hæc ostendit, quia qui talis fuerit, partem in regno cœlorum non habebit, quod est Patris et Filii. Ut avaritiam tamen rem periculosam esse doceret, idololatriam hanc nuncupat, qua nullum peccatum majus est. Videamus ergo, cur avaritia idololatria dicatur. Idololatria Dei honorificentiam usurpat et vindicat creaturæ, cum in nomine Deitatis, quod soli conditori competit, participem illi asserit ejus facturam; avaritia autem idcirco huic exæquata est, quia similiter ea, quæ Dei sunt, sibi usurpat et recondit avarus, ut quæ usibus omnium communiter concessit, avaritia deneget, quando idcirco hæc congregat apud se, ne alii utantur : quæ res facit, ut chare venundentur, ne pauperes vivant. Si enim minime reconderentur, abundantia omnium rerum faceret utilitatem. Denique apud veteres, quia avaritia non erat, nec charitas. Recte ergo idololatriæ comparata est, quia multos lædit. Creatori similiter inimica : vult enim Deus ac jubet de his quæ creavit subveniri pauperibus, avaritia contradicit. (*Hier.*) Notandum, quod sex vitiis supra prohibitis, fornicatione, immunditia, avaritia, turpitudine, stultiloquio, scurrilitate, nunc tantum tria posuerit, fornicationem, immunditiam, avaritiam, quibus qui fuerit obnoxius, hæreditatem in regno Christi et Dei habere non potest. Si enim stultiloquus et scurra alieni essent a regno Dei, quomodo in tres, quos specialiter separavit, videretur sententia esse crudelis, non ignoscere imbecillitati fragilitatis humanæ, cum etiam nos per jocum dicta damnarent : « qui enim in sermone non labitur perfectus est; » neque vero ista dicentes, locum stultiloquio damus et scurrilitati, dum non excludantur a regno, sed quoniam apud Patrem diversæ sunt mansiones (*Joan.* XIV), et stella a stella differt in gloria (*I Cor.* XV), sic et in resurrectione mortuorum; quamvis aliquis a fornicatione, immunditia atque lascivia alienus sit, tamen si stultiloquus et scurra fuerit, non tenebit eum locum, quem possessurus erat, si hæc vitia non haberet. Respondeat quis : stultiloquium et scurrilitas non eumdem habent reatum, quem fornicatio, immunditia et avaritia, nunquid non et turpitudinem cum tribus superioribus debuit nominare? ad quod dicendum, turpitudinem hic significare absconditam cogitationem, cum inflammatur sensus noster ad libidinem et carnis titillationibus anima ignita succenditur, et nihilominus Dei timore et mentis judicio refrenatur. Denique etiam supra absque turpitudine tria pariter appellavit dicens, *fornicatio autem et omnis immunditia et avaritia nec nominetur in vobis :* et deinceps turpitudo cum stultiloquio et scurrilitate nominata est; et quomodo stultiloquium et scurrilitas, sic et ista turpitudo non perdit, nec in perpetuum excludit a regno. Quia vero in superioribus ex eo, quod alibi legeramus : « ne supergrediatur avarus et fraudet in negotio fratrem suum, » dixeramus avaritiam pro adulterio positam, quærimus id, quod nunc dicitur, *aut avarus, quod est idolorum servitus*, utrum cum illa, an cum vulgata interpretatione consentiat. Invenimus in locis plurimis prophetarum, idololatriam fornicationem appellatam : *Fornicabantur*, inquit, *post idola sua*, et : *Spiritu fornicationis seducti sunt* (*Judic.* II; *Ezech.* XXIII, *et alibi*). Potest itaque fornicatio et super idololatria intelligi; sin vero avarus ille accipitur, qui pecuniam utcunque conquirens nummos per fas et nefas habere desiderat, et pleno sacculo delectatur, iste idololatra in eo est, quia sculpturam ipsius nummi colit, et idololatria in eis cælata veneratur; ut voracium deus venter est, ita cupidorum quoque justissime pecunia deus dici potest; maxime quod in alio loco Apostolus cupiditatem idololatriam vocet. Ad hæc videndum quid sentire voluerit dicens, *in Christi regno et Dei.* Utrum aliud regnum Christi et aliud Dei? an idem regnum sit Patris et Filii? et siquidem dixisset, in regno Filii et Patris, per Filium veniremus ad Patrem. Et licet esset diversitas personarum, tamen esset regnantium una majestas : tunc vero cum dixerit, *in regno Christi et Dei*, ipsum Deum et Christum intelligamus, quia et *cum tradiderit regnum Deo et Patri*, non erit Pater omnia in omnibus, sed *Deus omnia in omnibus;* ubi autem Deus est, tam Pater, quam Filius intelligi potest. Porro quod de Patre et Filio dicimus, hoc idem et de Spiritu sancto sentiamus. (*Aug.*) Quæro ergo quis peccet gravius, qui nesciens hæresin incurrerit, an qui sciens ab avaritia, id est idololatria non recesserit? secundum quidem illam regulam, qua peccata scientiæ peccatis ignorantiæ præponuntur, avarus cum scientia vincit in scelere; sed ne forte hoc faciat in hæresi sceleris ipsius magnitudo, quod facit in avaritia scientis amissio, hæreticus nesciens avaro scienti coæquetur.

Nemo vos seducat inanibus verbis, propterea enim venit ira Dei in filios diffidentiæ, nolite ergo effici participes eorum. (*Ambr.*) Inanes sermones vani sunt, vanitas autem idolorum cultura est, quæ utique non ex Deo initium habet, sed ex errore. Docet ergo, ne horum verbis assensus præbeatur : perstrepunt enim semper et seductione quadam fallaciæ contra fidem, consuetudinem antiquitatis obtendunt, rationem præsentium, non spem futurorum asserendam judicantes, ideo venit super hos vindicta de cœlis, ut sciant verum esse quod credere noluerunt, a qua vanitate Dei servos longe docet debere esse discretos, ne participes fiant pœnæ illorum. (*Hier.*) Verba quæ decipiunt atque supplantant inania sunt et vacua, quæ vero ædificant audientes, plena, cumulata, conferta. Quia igitur sunt plerique, qui dicunt, non futura pro peccatis esse supplicia, nec extrinsecus adhibenda tormenta, sed ipsum peccatum et conscientiam delicti esse pro pœna, dum vermis in corde non moritur (*Marc.* IX) et in animo ignis accendi-

Digitized by Google

tur, in similitudinem febris, quæ non torquet extrinsecus ægrotantem, sed corpora ipsa corripiens, punit, sine cruciatuum forinsecus adhibitione, quod possidet. Has itaque persuasiones et decipulas fraudulentas, verba inania appellavit et vacua, quæ videntur florem quemdam habere sermonum, et blandiri peccantibus, sed dum fiduciam tribuunt, magis eos ferunt ad æterna supplicia, quia de nullo sic irascitur Deus quomodo si peccator superbiat et erectus et rigidus non flectatur in fletum, nec misericordiam pro delicto postulet. *Propter hoc venit ira Dei super filios diffidentiæ*, sive insuasibilitatis. Insuasibilitatis autem sive diffidentiæ filii sic dicuntur, quomodo filii perditionis, et filii fornicationis, et filii mortis, et filii gehennæ, et cætera his similia, quæ in variis Scripturarum locis invenire perfacile est. *Nolite ergo effici comparticipes eorum.* Particeps sive comparticeps fit diffidentiæ filiorum, qui in fornicatione et immunditia, et avaritia, propter quæ venit ira Dei super filios diffidentiæ, reperitur. Et particeps quidem eorum est, ab eo quod participatur et communionem habet malorum operum. Comparticeps vero sic appellatur, qui cum aliis est particeps; et in comparticipi intelligitur et particeps; in participi vero non statim tenetur et comparticeps. Diligenter observa verba comparticipis atque participis, puto enim in Scripturis participem in bonam partem, comparticipem in malam semper accipi: verbi gratia, *propter quod unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV); et in alio loco: *Participes enim Christi facti sumus, si tamen principium substantiæ ejus usque ad finem firmum tenuerimus* (*Hebr.* III). Porro non memini alibi me legisse, excepto præsenti loco, comparticipem, et tamen hic manifestum non in bona parte, sed in contraria positum est. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* (Ambr.) Tenebræ ignorantia sunt, quia nemo videt in tenebris: ignorantia vero gentilitas est sive perfidia, a qua Dei gratia ad fidem tracti sunt, facti lux, id est veritas, quia in luce manifestantur, quæ sunt. Denique pagani in tenebris mystica sua celebrantes in spelæo velatis oculis illuduntur; ex his Christiani facti cognita veritate filii lucis dicuntur, quia Deus lux est, cujus fidem in veritate suscipiunt. (*Hier.*) Sicut autem justi sunt lumen mundi, sic impii consequenter tenebræ vocantur: et justi quidem, cum sint lumen, videbunt lumen in lumine, injusti autem, cum sint tenebræ, populus sunt, sedens in tenebris et nihil videns; quorum differentiam atque distantiam ex fructibus intelligimus. *Omnis enim qui operatur malum, odit lucem* (*Joan.* III), et non veniens ad lucem tenebrosus est, et filius noctis atque tenebrarum: qui vero operatur veritatem et in lucem venit, et lux est, et filius lucis et diei. Lucentes autem et tenebrosi de cordis vel lumine, vel tenebris cognoscuntur. Super hæc quæres, ne forte ob distinctionem eorum, qui lux sunt, sed non lux in Domino, de justis dicatur, *nunc autem lux in Domino.* Decenter quoque Ephesiis, qui ad scientiæ summam conscenderant, scribitur quod sint lux in Domino; neque vero tenebræ ipsæ vertuntur in lucem, aut lux in tenebras commutatur, sed hi qui ab eo quod sunt nomen quoque vel virtutis meruere, vel vitii, si conversi fuerint de alio in aliud, ὁμωνύμως his rebus, a quibus possidentur, vel tenebrarum vel lucis vocabulum sortientur. *Ut filii lucis ambulate, nam fructus lucis in omni bonitate et justitia et veritate est.* (Ambr.) Hoc dicit, ut sic conversentur, ut non immerito filii lucis dicantur: opera enim lucis palam sine timore fiunt, tenebrarum autem opera in occulto, quia illicita sunt: omne enim peccatum palam fieri timet. (*Alb.*) Si Deus lux est et tenebræ non sunt in eo, filii Dei filii lucis sunt, nec non si Christus lux vera est, et filii quoque ejus, ad quos loquitur dicens: *Filioli mei, adhuc modicum vobiscum sum* (*Joan.* XIII), filii veræ lucis sunt. Ex quo colligitur eosdem filios esse Dei Patris, qui sunt filii Christi Jesu. *Fructus*, inquit, *lucis est in omni bonitate, et justitia et veritate.* Hi sunt fructus, de quibus cognoscimur filii Dei. Fructus siquidem lucis non solum est in bonitate, sed et justitia et veritate. Ubi itaque bonitas est, ibi et justitia; ubi justitia, ibi consequenter et veritas: bonitas in charitate, justitia in operibus bonis, veritas in doctrina catholica cognoscitur. (*Hier.*) Adversus Marcionem, qui justum Deum a bono separat, et putat creatorem justum esse, alium vero nescio quem, cujus Christus iste, qui venit, sit filius, bonum tantummodo esse Deum, hoc testimonium proferamus: siquidem non solum fructus est lucis in bonitate, sed in justitia et veritate. Ubi itaque bonitas est, ibi et justitia, ubi justitia, ibi consequenter et veritas. Apud bonum ergo Christi patrem, ut ipsi quoque fatentur, est bonitas et veritas. Ubi autem bonitas et veritas, apud ipsumet non apud alium, ut nunc Apostolus docet, justitia est. Intelligat Marcion ipsum Christum bonitatem, veritatem et justitiam nuncupari: bonitatem in eo, quod non secundum opera, sed secundum misericordiam det gratiam credentibus in se, justitiam in eo, dum unicuique tribuit, quod meretur; porro veritatem, dum ipse solus causas creaturarum omnium rerumque cognoscit. *Probate, quid sit beneplacitum Deo.* (Alb.) Omnia cum consilio facere nos hortatur, ut cauti atque solliciti ea tantum, quæ intelligimus Deo placere, faciamus, quia vero in hoc loco contextus eloquii videtur esse turbatus et tota scatere sententia, sic ordini sermo reddendus est: *Nolite ergo fieri comparticipes eorum, probantes quid sit beneplacitum Deo, etsi enim eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino estis, quasi filii lucis ambulate, fructus luminis ostendentes in omni bonitate et justitia et veritate.* (Ambr.) Ex magnificentia sanctitatis et bonitatis perpendi potest, quibus Deus operibus delectetur, ipse enim dixit: *Sancti estote, sicut et ego sanctus sum Dominus Deus vester* (*Levit.* XI). Et Dominus: *Estote*, ait, *misericordes, sicut et Pater vester* (*Luc.* VI); hæc placent Deo. In sanctitate enim purificatio, in misericordia vero plena et perfecta justitia est. *Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* (Hier.) Et ad

Digitized by Google

Galatas (*Gal.* v) nomen fructus in spiritu, operis vero posuit in carne dicens. Manifestavit opera carnis, quæ sunt, *fornicatio*, et reliqua. *Fructus vero spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas*, etc. Porro impræsentiarum opera tenebrarum infructuosa appellantur, quibus qui ea fecerunt communione sociantur. (*Ambr.*) Monet, ne malorum actibus per consensum polluamur, quia sunt infructuosi erga bonum. (*Alb*) Opera enim infructuosa tenebrarum malas consuetudines in peccatis nominat, quibus communicare prohibet Christianos, sed magis ea arguere, ubicunque intelligantur esse, admonet: ideo subsequenter ait: *Magis autem et objurgate, quæ in occulto ab eis fiunt, turpe est etiam dicere.* (Ambr.) Jam non solum alienos vult eos esse a malis actibus, sed et arguere malefacta eorum, qui in occulto turpiter operantur: tunc enim probantur peccata, si arguuntur, ut admirentur filios lucis, a quibus, cum juste arguuntur, contradicere non poterunt, sed magis eos reverebuntur. (*Alb.*) Inter cætera mandata etiam peccantes posse arguere maximæ libertatis est, sed hoc ille potest facere, qui non meretur audire: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc poteris ejicere festucam de oculo fratris tui* (*Matth.* VII), ex quo animadvertendum eum arguere posse, qui ipse non redarguatur in semetipso. Quod vero hic dicit, « turpe est et dicere, » ad superiora respicit, ubi ait de filiis diffidentiæ, ut sonare possit: Quæ enim occulte fiunt a filiis diffidentiæ, turpe est dicere, quæ sunt fornicatio et immunditia et omnis avaritia. *Omnia autem, quæ arguuntur a lumine manifestantur, omne enim quod manifestatur, lumen est.* (Hier.) Omnia, haud dubium quin ea quæ occulte fiunt a filiis diffidentiæ, hæc enim a luce arguta manifestantur, lux autem arguit ea quæ prius erant tenebræ, et postea facta sunt lumen in Domino, ut ex eo quod corripiuntur, mutentur in melius, et mutata manifestentur in publico et publicata sint lumen, quia *omne quod manifestatur lux est.* (Ambr.) Verum est, quia tunc videntur peccata, cum objurgantur, quia qui peccat, quandiu non corripitur, minime sibi videtur peccare. Omne enim quod manifestatur lux est, in manifesto ambiguitas non est, nec excusari potest, quod palam delictum est, sicut enim apparente sole, diem esse negari jam non potest, ita et manifestato peccato, objurgatio falsa videri non potest. *Propter quod dicit, surge, qui dormis et exsurge a mortuis et illuminabit tibi Christus.* (Ambr.) Dormitionem hanc, stuporem mentis significat, quæ alienatur a vera via; alienatio vero hæc species mortis est, ex qua resurgere commonetur, ut resipiscens agnoscat veritatem, quæ est Christus. Perfidi ergo et vitiosi demersi in cœnum sub desperatione vitæ, ut resurgant, sive emergant ad monentur, et habeant partem cum Christo, ut de tenebris transeant ad lucem et a morte ad vitam (*Hier.*) Quoniam opera tenebrarum a luce arguta manifestantur in lucem, his quæ arguta fuerant transmutatis, dicitur dormientibus et mortuis eo quod opera facerent tenebrarum: *Surge qui dormis et exsurge a mortuis.* Quærat aliquis quisnam sit iste qui dicit: *Surge qui dormis et exsurge a mortuis*, aut cujus Apostolus testimonio sit usus? Et quidem qui simplici responsione contentus est dicet, in reconditis eum prophetis, et eis quæ vocantur Apocrypha hæc lecta in medium protulisse, sicut in aliis quoque locis illum fecisse manifestum est, non quod ἀπόκρυφα comprobarit, sed quod Arati et Epimenidis et Menandri versibus sit usus ad ea, quæ voluerat in tempore comprobanda; nec tamen Arati et Epimenidis et Menandri tota, quæ scripsere, sunt sancta, quia eos vere aliquid dixisse testatus est. Alius vero quasi προσωποποιΐας Spiritus sancti figuraverit ad hortationem pœnitentiæ, hæc dicta memorabit. Ego certe secundum paupertatulam meam omnes editiones veterum Scripturarum, ipsa quoque Hebræorum volumina diligenter eventilans, nunquam hoc scriptum reperi, nisi forte, et hoc dicamus, quomodo olim prophetæ in concione populi loquebantur: *Hæc dicit Dominus*, et: *Quoniam Dominus locutus est* ita et Apostolum Spiritu sancto plenum repente in verba, quæ in se Christus loquebatur, erupisse atque dixisse, *Hæc dicit Dominus.* Nec non et illud est disserendum, quomodo uni atque eidem dicatur, quasi dormienti, *surge qui dormis*, quasi mortuo, *exsurge a mortuis.* Igitur quia et spiritus est hominis, quem semper in bona parte scriptum meminimus, et anima, cujus et infirmitates et mortes legimus peccatorum, id quod nunc dicitur: *Surge qui dormis*, refertur ad spiritum, et quod sequitur, *exsurge a mortuis*, animæ coaptatur. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII), spiritus autem mortem nunquam omnino legimus. Christus ergo lux vera orietur ei qui surrexerit de somno et ex mortuis fuerit suscitatus. *Videte ergo quomodo caute ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes.* Recte Ephesiis dicitur, ut caute ambulent, qui habebant exercitatos sensus ad discernendum bonum et malum, et probantes omnia, id quod statuerant bonum esse, retinebant; qui autem vigilet quomodo ambulet, quam caute figat gradum, ne forte ad lapidem offendat pedem suum, et dicit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis* (*Psal.* CXVIII), utique sapiens est; non enim puto idiotem quempiam, etsi velit ambulare caute, posse hoc implere præceptum, quod sapientibus et insipientibus imperatum est. Ex quo intelligimus et præcepta moralia, quæ plerique manifesta arbitrantur, ex eo quod in Psalmo XVIII dicitur: *Mandatum Domini lucidum illuminans oculos*, indigere prudenti et circumspecta expositione, quia lucidum illud præceptum eorum illuminat oculos, qui insipientia derelicta, sapientiæ se studiis mancipaverint. *Redimentes tempus quoniam dies mali sunt.* (Ambr.) Quoniam superius perfidiam et vitia vitæ a Dei servis arguenda mandavit, nunc ut prudenter ea ipsa arguantur propter scandalum subjecit, ut inter perfidos cum prudentia conversandum sit, maxime tempore quo perfidi re-

Digitized by Google

gnant, præsumentes de rege profano, ut si viderit Christianus inquietum et iracundum contradictorem, dissimulet ab eo, ne eum quidem incitet ad blasphemiam et tempestatem movendam : illic autem verba faciat, ubi datur facultas. Quemadmodum enim inter potentes perfidos interrogatus quid sit, tacere non debet nec negare quod est, ita et si metus est inter eos disputare dissimulandum est, quippe cum detrimentum sit seminare super spinas : hoc est enim prudentis, scire quemadmodum unicuique respondeat. Est enim qui quamvis perfidus sit, non tamen penitus intractabilis est, ut nec audire se patiatur verba fidei. Est iterum, in quo sic fervet zelus perfidiæ, ut non tantum non cum illo, sed nec præsente illo tractetur de fide, perstrepente enim illo et blasphemante, multis fit scandalum. Unde Paulus et Barnabas, cum adversum se blasphemantes audirent (*Act.* XIII), excutientes vestimenta sua, recesserunt ab eis. (*Hier.*) Quando in bono opere tempus consumimus, redimimus illud, et proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat. Nemo autem vitæ hujus quærens necessaria, et de divitiis et sollicitudinibus quas Evangelium spinas nuncupat, cogitans, potest sibi tempus redimere. Redimentes autem tempus, quod in diebus malis est, quodammodo immutamus illud, et dies malos in bonos vertimus, et facimus illos, non præsentis sæculi, sed futuri. Potest et aliter locus iste disseri : o vos Ephesii, quibus de sæculi somno istius exsurgentibus sol justitiæ ortus est Christus, caute ambulate atque prudenter, et abjecta insipientia, tenete sapientiam, per quam possitis, non cum varietate temporum commutari, sed diversitatem temporum vobis unum tempus efficere. Et quia sunt plurimæ persecutiones, in principio quippe propemodum quotidie vexabantur ecclesiæ, unum tenete cursum, et hoc scitote servandum, ut non in morem stulti, quasi luna mutemini (*Eccli.* XXVII), sed quod semel cœpistis, firma mente teneatis; ne videlicet si persecutorem judicem videritis, et vos cum judicis voluntate mutemini. Rursum si alius dogmatis vestri laudator advenerit, vos fateamini Christianos, sed quod estis, omni tempore servate [reservate]. Aliquod de Scripturis ponamus exemplum, ut quod dicimus manifestius fiat. Joseph habebat propositum placere Deo (*Gen.* XXXVII *et seq.*). Hoc nulla varietate temporis immutatum est, nec fratrum invidia, nec conditione servitutis, nec ætatis illecebris, nec dominæ repromissis, nec squalore carceris, nec postea tumore Ægyptiæ potestatis; sed semper unus fuit, et varietatem, ut diximus, temporum sibi redimens, malos dies vertit in bonos. Hoc idem et de Job sentiendum est, quod per varia tentamenta vexatus, nec divitiis, nec damnis, nec orbitate, nec vulnere, nec exprobratione amicorum, nec solitudine, nec postea bonorum omnium restitutione mutatus est (*Job.* II *et seq.*). Redemerat enim sibi tempus, et dies malos fecerat bonos.

Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Domini. (Amb.) Dominus Jesus paci A studendum monet (*Joan.* XIV); et vas electionis : *Si potest*, inquit, *fieri, quod ex vobis est, cum omnibus pacem habete* (*Rom.* XII). Et ad Timotheum : *Servum*, ait, *Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes* (*II Tim.* II). Hæc est voluntas Domini, ut quæ agenda sunt a servis ejus cum modestia agantur. Perturbatio enim et strepitus seu contentio cum animositate inimicitiam generat. Hæc ergo propter superiora subdidit, in quibus vult Deus [Dei] servos corripere delicta hominum peccatorum, ut quia per hoc solet oriri dissensio et rixa, cum temperantia et mansuetudine arguant peccatores, ne ad iracundiam provocati, insiliant ad litem. Ideoque prudenter istud curandum monet, ut sit profectus. (*Hieron.*) Et quia tempus malum est, et, sicut supra B diximus, redimendum, appetenda ante sapientia est, ut per illam intelligere valeamus quæ sit voluntas Dei. Non enim possumus caute ambulare, nisi prius intellecta voluntate Dei. In omni ergo opere primum considerandum quid velit Deus, et habito judicio, id est postea faciendum, quod illi placere fuerit comprobatum. *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed impleamini Spiritu sancto.* (Ambr.) Sobrii possunt habere fiduciam arguendi : bona enim conversatio terrorem incutit delinquenti, nec poterit qui arguitur aspere ferre quia reprehenditur, quando scit optimam conversationem monentis se. Nam ubi ebrietas, ibi luxuria est, luxuria vero provocat turpitudinem : quamobrem sobrios esse convenit, ut bonæ conversationis jura serventur. (*Hieron.*) Quomodo non pos- C sumus duobus dominis servire, Deo et mammonæ (*Matth.* VI), sic non possumus Spiritu impleri pariter et vino : qui enim Spiritu impletur, habet prudentiam, mansuetudinem, verecundiam, castitatem; qui vino, habet insipientiam, furorem, procacitatem, libidinem. Hoc quippe æstimo uno verbo significare luxuriam. Frequenter annotavimus, nomen spiritus absque additamento in bona parte positum, quod quidem etiam nunc observandum videtur. *Loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritalibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* (Ambr.) Rationabilem vitam diligit Spiritus sanctus, quia si bene vixerimus, implebimur eo, ut memorat, ad confitendum et extollendum Dei donum diverso vocis canore, ut laus in Deum omni lingua canatur. D In quo enim est Spiritus, semper spiritalia meditatur, ut non in labiis tantum sit, sed de corde prorumpat propter vetus dictum Domini per prophetam. Ait enim : *Plebs hæc labiis me honorat, cor autem illorum longe est a me* (*Isa.* XXIX). [Hier.] Qui se abstinuerit ab ebrietate vini, in quo est luxuria, et pro hoc Spiritu fuerit impletus, iste omnia potest accipere spiritaliter psalmos, hymnos et cantica, et canere igitur et psallere et laudare Dominum magis animo, quam voce poterit. Hoc est quippe quod dicitur, *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino*, audiant hæc adolescentuli, audiant hi quibus psalendi in Ecclesia officium est, magis Deo corde, quam voce canendum esse. Sic cantet servus Christi, ut non

Digitized by Google

vox canentis, seu verba placeant Domini, quæ dicuntur. ut spiritus malus qui erat in Saule (*I Reg.* xvi) ejiciatur ab his qui ab eo similiter possidentur. Inter psalmos et hymnos et cantica hoc distare videtur, quod hymni in laude Dei dicuntur, psalmi vero moralem vitam demonstrant, cantica sunt, dum ex creaturis creator prædicatur. *Gratias agentes semper pro omnibus in nomine Jesu Christi Deo et Patri, subjecti invicem in timore Christi.* (Ambr.) Deo gratias in omnibus donis ejus agere jubemur, qui etiam adoptare nos dignatus est per Christum filium proprium, per quem cognovimus eum. et didicimus in Spiritu Deum, quia Deus Spiritus est, et in Spiritu adorandus, alter alteri se subjiciens propter timorem Christi, qui humilitatem exsequendam mandavit. (*Hier.*) Quod autem ait, *Gratias agentes semper pro omnibus,* B duplicitер intuendum est, ut et in omni tempore et pro omnibus quæ nobis accidunt Deo gratias referamus, ut non tantum pro his quæ bona putamus, sed etiam quæ nos coarctant et contra nostram veniunt voluntatem, in Dei præconium mens læta prorumpat. Hæc actio gratiarum apud prudentes viros, et generaliter et specialiter observatur : generaliter, ut gratias agamus Deo de omnibus bonis quæ nobis iste mundus ministrat. specialiter quando in Dei beneficiis, quæ nobis accidunt, gratulamur, vel etiam in adversis, si eveniant, gratias agamus Deo : quæ virtus tantummodo Christianorum est. Qui autem, sicut diximus, de omnibus gratias agit Deo Patri in mediatore Dei et hominum, referat per Christum Jesum; quia, nisi per illum, accedere non valemus ad Deum Patrem. C (*Alb.*) Quod autem ait : *Subjecti invicem in timore Christi.* Audiant episcopi, audiant presbyteri, audiat omnis ordo doctorum subjectis suis esse subjectos, et imitentur dicentem Apostolum : *Cum enim essem liber ex omnibus, omnibus meipsum servum feci, ut omnes lucrifacerem* (*I Cor.* ix). Hoc interest inter gentium principes et Christianorum, quod illi dominantur subditis, nos servimus, et in eo majores sumus, si minimi omnium fuerimus. Sed et hoc, quod ait *in timore Christi*, sic accipiendum est, ut ipsa subjectio non propter hominum gloriam, sed propter timorem Christi fiat, ut illum timeamus offendere. (*Hier.*) Alius vero sic interpretabitur, *Subjecti invicem in timore Christi*, ut hanc sententiam generalem in consequentibus dividi dicat atque partiri. *Mulieres* D *viris suis subditæ sint;* et, *Filii, obedite parentibus vestris in Domino;* et, *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore.* Ut non solum uxor viro et filii parentibus, et servi dominis, sed etiam viri mulieribus, juxta officium quod præceptum est, et patres filiis, ne illos ad iracundiam provocent, et domini servis, ut remittant minas, et præbeant his quæ habent necessaria, invicem sint subjecti; et hoc ex timore Dei faciant, ut quomodo servis suis fuit ille subjectus, sic et hi, qui majores videntur, subjiciantur minoribus suis reddendo officia quæ jubentur. Possumus hic timorem et pro εὐλάβεια, id est, *reverentia* accipere, quæ magis vicina est charitati. Nequaquam enim convenit Ephesiis, ut timore quid faciant, et non dilectione Christi.

Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut et Christus caput est Ecclesiæ. Hoc quod in Latinis exemplaribus additum est, *subditæ sint*, in Græcis codicibus non habetur, siquidem ad superiora refertur et subauditur, *subjecti invicem in timore Christi*, ut ἀπὸ κοινοῦ resonet subjectæ, et mulieres viris suis, sicut Domino. Sed hoc magis in Græco intelligitur, quam in Latino. Mulieres subditæ esse viris naturali lege jubentur, quia mulieris auctor vir est. Unde sicut Domino, inquit, ita viris subditæ esse debent : hinc Sara dominum vocabat Abraham (*Gen.* xviii). Sicut enim caput Ecclesiæ Christus, ita et vir mulieris. A Christo enim sumpsit Ecclesia initium, unde subjecta est illi, ita et viro mulier, ut sit subdita. In eo tamen distat, quia mulier consubstantiva viro est : Ecclesia autem in nomine potest non in natura participari Christo. (*Alb.*) Videndum est ut quomodo in Christo et in Ecclesia sancta conjunctio est, ita et in viro et in muliere sancta sit copula. Justa causa est, ut mulier viro sit subjecta, quia mulier ex viro in prima creatione, non vir ex muliere, ideo conversio ejus ad virum debet esse. Quidam vero hunc locum juxta anagogem ita interpretantur, ut dicant, uxorem in corpore, virum accipi in animo, et sicut Christo subjecta est Ecclesia, ita corpora subjici debere sensui et in unum spiritum redigi, si Domino fuerint copulata, quia « qui adhæret Domino unus spiritus est. » Ideo subjungitur : *Ipse Salvator corporis ejus.* (Alb.) Magis voluit Ecclesiam corpus Christi nominare, quam carnem. Porro manifestum est, quod quidquid caro est, consequenter et corpus sit, non autem quidquid corpus, hoc consequenter et caro. Proinde maluit nominare corpus Christ Ecclesiam, cujus corporis Salvator est Christus Jesus, id est, verbum, sapientia, cæteræque virtutes, in quibus intelligitur. *Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.* (Hier.) Ecclesia gloriosa est, non habens maculam neque rugam (*Ephes.* v), aut quidquid istiusmodi : qui ergo peccator est et aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici. Possibile autem est, ut quomodo Ecclesia, quæ prius rugam habuerat, et maculam, in juventutem et munditiam postea restituta est, ita et peccator currat ad medicum, quia non habent opus sani medico, sed male habentes (*Matth.* ix, *Luc.* v), ut curentur vulnera ipsius et fiat de Ecclesia quæ est corpus Christi. Satis quoque eleganter et caute ad Ephesios loquens ait, « ut Ecclesia subjecta est Christo, ita et uxores viris suis in omnibus. » Si enim uxor ita subjicienda viro est, ut Christo Ecclesia; inter virum et uxorem sancta conjunctio et nunquam corporis servient passionibus. Quod si nobis aliquis illud quod ad Corinthios scribitur opposuerit, virum uxori debitum reddere, et uxorem viro, animadvertat magnam distantiam inter et Corinthios et Ephesios

Digitized by Google

esse : illis quasi parvulis atque lactantibus scribitur, in quibus erant dissensiones et schismata, et audiebatur fornicatio, qualis nec inter gentes quidem (*I Cor.* v), et propterea conceditur eis, ut post orationem ad idipsum redeant, ne tententur a Satana, licet ibi in consequentibus non juxta voluntatem, sed juxta charismata hæc in eis dicat ignoscere : Ephesii vero, apud quos fecit triennium et omnia eis Christi sacramenta aperuit, aliter erudiuntur, et habet unusquisque arbitrii liberam potestatem, vel Corinthios sequi, vel Ephesios, et salvari, aut servitute Corinthii, aut Ephesii libertate. *Væ*, inquit Salvator, *prægnantibus in die illa* (*Luc.* XXI), id est judicii, quæ utique proprie opera nuptiarum sunt. Unde omni labore nitendum, ut magis Ephesios quam Corinthios æmulemur, nec deprehendamur quasi in diluvio ementes, nubentes et vendentes et matrimonio copulati, sed accinctis lumbis lucernas teneamus.

Viri, diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. (Greg.) Maculam quippe et rugam non habet, quæ et turpitudine operis et duplicitate sermonis caret · sed quia nunc intra sinum fidei multos etiam reprobos tenet, cum tempus persecutionis exarserit, ipsos hostes patitur quos prædicationis verbis alere ante videbatur. Dicat itaque sub persona Domini beatus Job : *Rugæ meæ testimonium dicunt contra me* (*Job.* XVI), id est, ipsi me insequendo increpant, qui nunc in meo corpore positi duplicitatis suæ in se malitiam non emundant. Unde bene adhuc subditur : *Et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam, contradicens mihi.* Etiam pacis suæ tempore sancta Ecclesia falsiloquium patitur, dum sunt in ea multi, qui de æternitatis promissione diffidunt, et tamen se fideles esse mentiuntur : qui dum prædicationi ejus aperte contradicere non præsumunt, falsiloquium non contra faciem, sed quasi post dorsum patitur; sed cum malitiæ tempus eruperit, is qui nunc metuens derogat ad contradicendum ante faciem venit, quia verbis veræ fidei apertis vocibus obsistit. (*Ambr.*) Mulieres subditæ esse jubentur et reverentiam habere virorum : viri vero ita diligere mulieres suas admonentur, ut etiam animas suas pro illis ponant, causa dilectionis zelum habentes circa affectum earum et disciplinam, ut religiosæ et sanctæ sint. *Seipsum diligit, qui uxorem suam diligit.* Naturali ratione mulier portio corporis viri est, ac per hoc vir in muliere seipsum diligit, quomodo si fornicetur in seipsum peccat, quia duo in carne una sunt. Non ergo personæ substantiam dividunt, ut per personas numerus fiat naturæ, sed sunt in unitate naturæ. (*Hier.*) Quamvis sui invicem maritus et conjux amore teneantur, qualis illa memoratur Asdrubalis, quæ, capto viro, in patriæ se jecit incendium, et cæteræ, quæ viris mortuis supervivere noluerunt, nunquam tamen dilectionem illam vir sapiens dilectioni Christi et Ecclesiæ comparabit. Sanctus igitur hic intelligendus est amor, quo et Isaac dilexit uxorem suam Rebeccam, quæ interpretatur *patientia :* et de terra Mesopotamiæ, quæ sæculi hujus ex omni parte fluctibus cingitur, in terram repromissionis induxit, ut consolaretur pro morte matris suæ. Interitum quippe Synagogæ conjunctione Ecclesiæ temperavit. (*Alb.*) Sanctum itaque amorem inter virum et uxorem Apostolus admonet, ne sint in passionibus desiderii inter se sic ut gentes, quæ ignorant Deum, sed sit sancta et immaculata et in fide castitatis copula inter eos, sicut tota castitas est in conjunctione Christi ad Ecclesiam, qui eam mundavit lavacro sanguinis sui, ut sit tota sine ruga et macula, ab omni vitiorum sorte purgata : sed considerandum, quando sit Ecclesia sponsa Christi absque omni macula et ruga, quod erit tunc utique quando gloriosa apparuerit cum Christo, cum ipse Christus apparuerit gloriosus. Nec enim ipse Christus glorificatus est ante resurrectionem in forma servi. Ideo dicit de eo Evangelista : *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus* (*Joan.* VII). [Hier.] Quia vero secundum tropologiam viros animas, et uxores corpora dixeramus, sic diligat anima corpus, quomodo Christus Ecclesiam ut semetipsum tradat pro salute ipsius et eam sanctificet verbo doctrinæ, ut exhibeat sibi eam non habentem maculam aut rugam aliquam vetustatis : maxime cum sciat illam in resurrectione salvandam et visuram esse salutare Dei. Talis vir caput habet Christum : et cum propter salutem carnis se humilians, factus fuerit cum uxore sua una caro, retrahit eam ad spiritum, et Domino copulatus, caro esse desistit. Pulchre quoque maculam aut rugam, quia de conjugio loquebatur, de exemplo mulierum ad decorem traxit Ecclesiæ. Sicut enim solent in mulierum corporibus vel sordere nervi [nævi], vel ruga contrahi, vel lentigo variari : et hoc est omne studium femina-rum, ut quod fœdare videtur abstergant, et exhibeant maritis corporum venustatem : ita et animæ omni peccatorum sorde purgandæ sunt, ut ruga veteris hominis juventa tendatur, et renovetur in novum hominem de die in diem. (*Aug.*) Non vis habere maculam? fac quod scriptum est : *Lavamini, mundi estote, auferte nequitias de cordibus vestris* (*Isa.* I); non vis habere rugam, extendere in crucem; non enim tantum opus est ut laveris, sed etiam ut extendaris, ut sis sine macula aut ruga : per lavacrum enim auferuntur peccata, per extensionem fit desiderium futuri sæculi, propter quod Christus crucifixus est. Audi ipsum Paulum lotum : *Non*, inquit, *ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* (*Tit.* III.) Audi eumdem extensum : *Ea*, inquit, *quæ retro sunt, oblitus, in ea quæ ante sunt extensus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis in Christo Jesu* (*Phil.* III). Merito ergo ipse sine macula iniquitatis et sine ruga duplicis cordis tanquam bonus et fidelis amicus sponsi.

Digitized by Google

Desponderat enim uni viro virginem castam exhibere Christo sine macula et ruga (*II Cor.* XI). Tunc ergo per ejus misericordiam justi plene perfecteque mundati fulgebunt in regno Patris sui, sicut tunc plene atque perfecte erit Ecclesia non habens maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi, quia tunc etiam erit vere gloriosa. Cum enim non tantum ait, *Ut exhiberet sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam*, sed addit *gloriosam*, satis significavit quando erit sine macula et ruga aut aliquid hujusmodi, tunc utique, quando gloriosa : non enim modo in tantis malis, in tantis scandalis, in tanta permistione hominum pessimorum, in tantis opprobriis impiorum, dicendum est eam esse gloriosam, quia reges ei serviunt, ibi est periculosior et major tentatio ; sed tunc potius gloriosa erit quando fiet, quod idem ait Apostolus, *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria* (*Coloss.* III).

Ita et viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. (Alb.) Dictum est in Genesi de conjunctione viri et mulieris : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II) ; similiter in Evangelio eamdem replicat Dominus sententiam dicens : *Qui creavit ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit : Propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Matth.* XIX). Cum igitur vir et uxor una caro sint, ita uxoribus ut nostris corporibus providendum est in omni castitate et honore. (*Hier.*) Nemo enim corpus suum turpiter amat, aut semetipsum propter coitum diligit, sed quasi vasculum animæ suæ fovet corpus et nutrit, ne, fracto vase, id quod retinebatur, effluat et erumpat. Nec non et juxta litteram quandiu mulier partui servit et liberis, hanc habet ad virum differentiam, quam corpus ad animam. Sin autem Christo maluerit servire quam sæculo, mulier esse cessabit, et dicetur vir ; quia omnes in perfectum virum cupimus occurrere. Quod si ad tropologiam et hæc referimus, amabimus nostrum corpus et corporis sensus, vilioris quidem conditionis ab animo, sed per quos ad mentem bonarum artium et virtutum transeant disciplinæ. *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit : nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.* (Ambr.) Exemplo Salvatoris viros uxores suas diligere hortatur, ut sicut Christus corpus suum nutrit et fovet, ita et vir mulierem, quia caro ejus est. (*Alb.*) Quantum ad simplicem intelligentiam pertinet, inter virum et uxorem sancta charitatis præcepta nunc jubemur, ut nutriamus et foveamus conjuges, scilicet ut eis victum atque vestitum et ea quæ sunt necessaria præbeamus. Illi vero, qui propter aliquem alicujus nimiæ infirmitatis dolorem mortem sibi inferre dicuntur, hoc non propter odium carnis, sed propter incommodum doloris agere nemini dubium est, cupientes longum doloris cruciatum cita morte finire, nec tamen sapientes eos vel bene de anima sua sentientes juste dicere possumus. (*Hier.*) Magis itaque ad tropicam intelligentiam sermo referatur, et dicamus, quod illam carnem quæ visura sit salutare Dei anima diligat et nutriat et foveat, eam disciplinis erudiens, et cœlesti saginans pane, et Christi sanguine irrigans, ut refecta et nitida possit libero cursu virum sequi et nulla debilitate et pondere prægravari. Pulchre etiam in similitudinem Christi nutrientis et foventis Ecclesiam et dicentis ad Hierusalem : *Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, et noluisti ?* (*Matth.* XXIII), animæ quoque fovent corpora sua, ut corruptibile hoc induat incorruptionem et alarum levitate suspensum in aerem facilius sublevetur. Foveamus igitur et viri uxores et animæ nostra corpora, ut et uxores in viros, et corpora redigantur in animas, et nequaquam sit sexuum ulla diversitas : sed quomodo apud angelos non est vir et mulier, ita et nos, qui similes angelis futuri sumus, jam nunc incipiamus esse quod nobis in cœlestibus repromissum est. *Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus.* (Amb.) Hoc spiritaliter intelligendum est : ideo enim nos dixit esse membra ejus, quia caput est ipse totius Ecclesiæ ; ut quia per ipsum esse cœpimus, caput nostrum dicatur, quasi ex quo omne corpus subsistat, ut membra ejus omnis spiritalis creatura sit, si tamen in nomine ejus genu flectat. (*Hier.*) Membra autem sumus corporis Christi non secundum naturam divinitatis æternæ, sed juxta quod hominem dignatus est assumere ; quanquam et homo ipse, qui assumptus est, habeat naturam nostrorum corporum, sed non habeat originem. Nos enim ex humano semine coagulamur, ille de Spiritu sancto natus est. Potest autem et aliter dici, quoniam corpus Christi Ecclesia est, et Ecclesia de cunctis credentibus congregatur, Paulus et Ephesii membra sunt corporis, id est Ecclesiæ Christi. *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* (Ambr.) Ad unitatem commendandam unitatis dedit exemplum, ut sicut vir et mulier unum sunt per naturam, ita et Christus et Ecclesia unum intelligantur esse per fidem. (*Hier.*) Igitur ad exhortationem mutui affectus inter uxorem et virum, Adam et Evæ sumpsit exemplum, ut quo modo costa tollitur de Adam et ædificatur in conjugem, et ipsa rursus conjux in unam viri carnem redigitur, quia qui uxorem diligit, seipsum diligit, sic et nos nostras amemus uxores. Idipsum autem per allegoriam in Christo interpretatur et in Ecclesia, ut Adam Christum et Eva præfiguraret Ecclesiam ; factus est enim novissimus Adam in spiritum vivificantem : et quomodo de Adam et uxore ejus omne humanum nascitur genus, sic de Christo et Ecclesia omnis credentium multitudo genarata est, quæ unum Ecclesiæ corpus effecta, rursum in latere Christi ponitur et costæ locum replet, et unum viri corpus efficitur, ipso Domino id in Evangelio postulante : *Pater, da, ut quomodo ego et tu unum sumus, sic et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* XVII).

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in

Digitized by Google

Christo et in Ecclesia. (Ambr.) Mysterii sacramentum grande in unitate viri ac feminæ esse significat. Nec hoc prodit, sed aliam causam, quæ non discordet, a memorato mysterio flagitat, quam scit ad profectum humani generis pertinere, hoc est Ecclesiæ et Salvatoris, ut sicut, relictis parentibus, homo uxori suæ adhæret, ita et relicto omni errore Ecclesia adhæreat et subjiciatur capiti suo, quod est Christus. (*Aug.*) Quis enim non agnoscat Christum eo modo reliquisse Patrem, *qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (*Phil.* II), reliquisse etiam matrem Synagogam Judæorum Veteri Testamento carnaliter inhærentem, et adhæsisse uxori suæ sanctæ Ecclesiæ, ut pace Novi Testamenti essent duo in carne una, quia cum sit Deus apud Patrem, per quem facti sumus, factus est per carnem particeps noster, ut illius corpus esse possemus. Fit ergo tanquam ex duabus una quædam persona ex capite et corpore, ex sponso et sponsa. Nam unitatem personæ ejus miram et excellentem commendat etiam Isaias propheta, nam loquens in eo etiam Christus ait: *Sicut sponso alligavit mihi mitram, et sicut sponsam ornavit me ornamento* (*Isa.* LXI). Se dixit sponsum, se dixit sponsam, quare? nisi quia *erant duo in carne una*, cur non duo loquantur in uno, quia in Christo loquitur Ecclesia, et in Ecclesia loquitur Christus et corpus in capite et caput in corpore. (*Hier.*) Tamen non ut plerique æstimant, omnis historia quæ de Adam et Eva in Genesi scripta est ad Christum et ad Ecclesiam facile referri potest, sed tantummodo quod in præsenti loco ponitur, id est, *Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Primus enim homo et primus vates Adam hoc de Christo et de Ecclesia prophetavit, quod reliquerit Dominus noster atque Salvator Patrem suum Deum et matrem suam cœlestem Hierusalem, et venerit ad terras propter suum corpus Ecclesiam, et de suo eam latere fabricatus sit, et propter illam verbum caro factum sit. Et quia non omnia æqualia sacramenta sunt, sed est aliud sacramentum majus et aliud minus, propterea et nunc dicit, *Sacramentum hoc magnum est*, simulque humilitatis ejus indicium est inferentis: *Ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Gregorius Nazianzenus, vir valde eloquens et in Scripturis apprime eruditus, cum de hoc mecum tractaret loco, solebat dicere: Vide quantum istius capituli sacramentum sit, ut Apostolus in Christo illud et in Ecclesia interpretans, non se ita asserat, ut testimonii postulabat dignitas, expressisse, sed quodammodo dixerit: Scio quia locus iste ineffabilibus plenus sit sacramentis, et divinum cor quærat interpretis. Ego autem pro pusillitate sensus mei in Christo interim illud et in Ecclesia intelligendum puto, non quod aliquid Christo et Ecclesia majus sit, sed quod totum, quod de Adam et Eva dicitur, in Christo et in Ecclesia interpretari posse difficile sit. *Verumtamen et vos singuli unusquisque suam uxorem sicut se diligat.* Æstimet aliquis eamdem inter maritum et uxorem sibi juberi ab Apostolo charitatem, quæ in proximum præcepta est, sic enim scriptum est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, et nunc dicitur: *Unusquisque suam uxorem sicut se diligat.* Ergo eadem in proximum et in uxorem charitas erit. Quod si proximus, juxta interpretationem Salvatoris, omnis homo est homini, nulla ergo erit inter uxorem et quorumlibet hominum dilectionem differentia charitatis, quod dicere valde absurdum est. In proximo enim similitudo ponitur, ut sic eum diligas sicut te, et cupias esse salvatum. In uxore autem comparationis adverbium, *sicut*, non similitudinem, sed approbationem et comprobationem, cum quodam pondere sonat. Quomodo dicimus de viro: quasi vir fecit, et de Salvatore scriptum est: *Vidimus gloriam ejus, quasi gloriam Unigeniti* (*Joan.* I), non quod ipse Salvator gloriam habuerit ad comparationem alterius unigeniti, ipse est enim unigenitus. Et unigenitus si et alter fuerit, unigenitus non potest appellari; unde alterius unigeniti non indigebat exemplo, sed quasi unigenitum, hoc est, ut semetipsum decebat gloriam habere, possedit. (*Alb.*) Quamvis enim figuraliter dicatur de Christo et Ecclesia: *Erunt duo in carne una*, tamen ad viros dicitur historialiter: Diligite in omni castitate et sanctitate uxores vestras. *Uxor autem ut timeat virum.* (Ambr.) Quoniam una natura in viro et femina est, idcirco vir quasi seipsum, ita mulierem diligere commonetur: mulier autem quia persona inferior est conditionis causa, non naturæ, viro subjecta timere eum jubetur. (*Hier.*) Et hoc attendendum quod vir diligere jubetur uxorem, mulier vero timere virum: congruit enim viro dilectio, mulieri timor; servo vero non solum metus, sed et tremor jungitur. Unde et in consequentibus ait: *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore. Mulier autem*, inquit, *ut timeat virum.* Si in Deum metus propter timorem supplicii, non sinit eum, qui metuit, esse perfectum, quanto magis imperfecta erit mulier non solum Deum, sed etiam virum metuens? Propter quod requirendum an carnaliter uxor intelligenda sit, et uxoris timor: cum frequenter multo meliores maritis inveniantur uxores, et eis imperent, et domum regant, et educent liberos, et familiæ teneant disciplinam; illis luxuriantibus et per scorta currentibus. Hæ viros suos utrum regere debeant, an timere, lectoris arbitrio derelinquo. Quod si juxta allegoriam, ut supra diximus, uxor in corpore accipitur, vir in animo, nihil incongruum est timere eam ut ancillam virum, in secundo gradu et in viliori substantia constitutam. Animi quippe, ut ait Crispus, imperio, corporis servitio magis utimur. Qui vero simplicem intelligentiam mulieris sequitur et mariti, duas significantias in verbo timoris esse monstrabit. Et dicet una, de qua Joannes dicit: *Qui timet, pœnam habet*; et: *Qui timet, non est perfectus* (*I Joan.* IV). Juxta quam et servi spiritum servitutis habent in timore, quem exiguntur a Domino dicente ad eos: *Et si Pater ego*

Digitized by Google

sum, ubi est gloria mea? et si Dominus sum, ubi timor meus? (*Malach.* I.) Alteram vero, quæ apud philosophos nominatur εὐλάβεια, et apud nos, licet non plene sonet, *reverentia* dici potest. Scit quoque et propheta perfectorum timorem, quem qui timuerit, perfectus est, in tricesimo tertio psalmo dicens: *Non est inopia timentibus eum* (*Psal.* XXXIII). Potest igitur uxori simpliciter intellectæ hic imperari metus, ut timeat, hoc est revereatur virum suum.

CAPUT VI

Docet Apostolus parentum ac filiorum mutuam conversationem, et redit ad instruendum Ephesios de omnibus virtutibus generaliter.

Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est. Honora patrem tuum et matrem. (Ambr.) Lex datur et filiis, ut quia parentibus auctoribus constant, obediant eis: justum est enim ut reverentiam exhibeant eis per quos sunt. (*Alb.*) Ambigue dictum est, utrum in Domino parentibus suis filii debeant obedire, qui eos in Domino genuerunt, sicut Paulus Ephesios, an parentibus carnalibus, si boni sint et contra Dei voluntatem filios suos non erudiant: quod utrumque faciendum esse intelligitur, et carnalibus in Domini voluntate et spiritalibus parentibus obtemperare jubemur. *Quod est mandatum primum in promissione: ut bene sit tibi, et sis longævus super terram.* (Ambr.) Promissio hæc in Exodo continetur (*Exod.* XX), ut honorifici sint parentes, ut bene essent et provectioris fierent ætatis. Quomodo tamen hoc primum mandatum dixit, cum constet primum mandatum ita contineri: *Non sint tibi alii dii præter me;* deinde: *Non facias tibi ullam similitudinem eorum quæ sunt in cœlo sursum, et in terra deorsum;* tertium: *Non sumes nomen Domini Dei tui in vanum;* quartum: *Observabis,* inquit, *sabbata mea;* quintum autem: *Honora patrem et matrem,* etc.? Sed quia prima quatuor mandata ad Dominum pertinent, hæc in prima tabula contineri subintelliguntur, cætera ad hominem, ut honoret parentes, non occidat, non fornicetur, non furetur, non falsum testimonium dicat, neque quidquam proximi sui concupiscat. Hæc sex mandata in secunda tabula videntur scripta, quorum primum est: *Honora patrem et matrem.* Hac causa ergo dixit, *quod est mandatum primum in promissione,* ut discerneret inter mandata quæ ad Deum, et inter ea quæ ad hominem pertinent. (*Alb.*) Fortassis hæc promissio Judæis carnaliter data est, nobis vero spiritaliter dicitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V), non hanc terram, in qua etiam impii nonnunquam et in parentes sunt scelesti et senescunt tamen, sed super illam terram, quam Dominus mitibus repromittit et in qua justi inhabitabunt, et cujus bona Psalmista visurum esse se credit dicens: *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* XXVI).

Et, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini. (Alb.) Peccatum filiorum est non obedire parentibus, et quia poterant parentes aliquid imperare perversum, adjunxit in Domino. Peccatum autem parentum est, parvulos filios atque lactantes ad iracundiam provocare, aut certe jam adolescentibus et maturioris ætatis ea imperare quæ gravia sunt. Sicut igitur in filiis obsequii et subjectionis est monstrata merces, ita in parentibus moderatum jubetur imperium, ut non quasi servis, sed quasi filiis patres præesse noverint, ne exasperati per impatientiam vestram pejores fiant, qui exemplo vestro patientiam discere debuerant. (*Ambr.*) In ira enim nemo agnoscit quid sit utile: idcirco temperantiam parentum exemplo debent addiscere, ut, quæ utilia sunt, sectentur. Meminisse enim debent patres quia et ipsi fuerunt filii, et noluerunt utique exacerbari a patribus. Filii quoque cognoscere debent, quod futuri sunt patres et nollent inhonorari ab eis: idcirco utrique exhibeant invicem, quod exquirunt ab invicem. (*Alb.*) Sed melius in Græco legitur *correptio,* quod admonitionem et eruditionem magis quam austeritatem sonat. Heli sacerdos ipse sanctus fuit, sed quia filios suos non erudivit in omni disciplina et correptione, supinus cecidit et mortuus est (*I Reg.* II).

Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo. (Ambr.) Quoniam omnium sublimior et sola potens est religio nostra, et quæ credentibus cœlorum regna pollicetur: ne hac igitur causa superbia nasceretur hominibus, omnes debita conditionum vel officiorum præsentium jubentur exsolvere, ut magis incitent perfidorum animos ad culturam Dei, quam vident et justam et humilem. Videntes autem domini meliorasse servos, et in reddendis obsequiis fideliter profecisse, quod merentur cum omni libertate exsolvunt. Servi quoque, dum cernunt mansuetudinem dominorum, omni aviditate concupiscunt fidem, cujus potestas tam placidis retinaculis gubernat humana officia. Nam et qui in conditione est, si habeat famulum, non vult contemni ab eo: ideoque nec ipse debet contemnere dominum suum, et sicut vult agere secum dominum suum, ita et ipse agere debet cum servo suo, et sic poterit placere Deo. (*Hier.*) Ad distinctionem Domini spiritalis, nunc carnalis dominus appellatur, ita ut servo quicunque crediderit in Deum et necdum ad scientiæ summam pervenerit, non indecens sit domino servire carnali cum timore et tremore in simplicitate cordis sui, et sic ei servire fideliter ut Christo; non ad oculum serviens, ut hi faciunt, qui hominibus placere desiderant, sed ut necessitatem in voluntatem vertat, et faciat de servitute mercedem: maxime cum dominus carnis a Domino spiritus diversa non imperet. Hoc est enim quod ait: *Non ad oculum servientes, ut hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Domini.* Sed et ipsam fidelitatem non coactam servus habeat, sed spontaneam et ex animo: sic serviens domino suo sicut Christo, a quo recepturus est fidelis præmium servitutis, non minus quam si liber voluntate servisset. *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes,*

Digitized by Google

sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo. Cum benignitate servientes sicut Domino, et non hominibus: scientes quoniam unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc consequetur a Domino, sive servus, sive liber (Ambr.) Propter timorem Dei justa et fidelia vult hominibus exhiberi servitia. Deo enim servit, cujus jura in obsequiis domini carnalis custodit, quem sibi pro justis actibus in diem judicii vicem reddere et cæteris omnibus audit testari. Quæ res potest proficere etiam ad salutem dominorum: videntes enim quod difficile est, servos per Dei gratiam factos fideles ministros, poterunt Dei gloriam collaudare. (*Hier.*) Quomodo autem ad Corinthios secundum tempus rescripserat (*I Cor.* VII), ne per occasionem fidei in Christo inter maritos et uxores divortia fierent, si e duobus unus credere voluisset, ita ad Ephesios et ad Colossenses, quia plurimi inter initia fidei putabant gentiles dominos contemnendos, nunc conditionum moderate præcepta constituit, ut et servitia non videatur contra dominos concitare, et rursum nequaquam dominos doceat audiendos, si vitiosa et nefanda præcipiant. Et hoc notandum, quod obedientiæ filiorum atque servorum diversa subjunxerit. Ad filios enim dicit: *Obedite parentibus vestris in Domino*; ad servos vero: *Obedite dominis carnalibus cum timore et tremore*, ut sicut inter servum et uxorem habet metus diversitatem, ita et inter filios et servos obedientia discreparet. Et pulchre imperans servis ut obediant dominis, adjecit *quasi Christo*, et iterum, *ut servi Christi facientes voluntatem Dei*, ut scilicet non audiat servus carnalem dominum, si contraria præceptis Dei voluerit imperare.

Et vos, domini, eadem facite ad illos remittentes minas, scientes quia et ipsorum et vester Dominus est in cœlis, et personarum acceptio non est apud Deum. (Ambr.) Non ignorantes utique carnales domini Deum omnium Dominum esse communem, talia exigant servitia, qualia a se exigi non ferant ægre; in qua enim quis mensura mensuraverit, remetietur illi: Dominus enim justus judex causas discernit, non personas. (*Hier.*) Quænam sunt hæc, quæ servis superius imperavit, ut diceret dominis eadem facienda quæ servis? Puto illa quæ dixerat, *in simplicitate cordis*, et, *facientes voluntatem Dei*, et, *ex animo*, et, *cum fidelitate* sive benevolentia in servos, quia εὔνοια utrumque sonare potest. Unusquisque enim, quod fecerit boni, hoc recipiet a Domino, sive famulus servierit, ut prædictum est, sive liber dominatus fuerit, ut oportet: ut non sit terribilis, non promptus ad verbera, sciens quia et ipse habet Dominum in cœlis, apud quem non est acceptio personarum, et qui solus tantum judicet voluntates, et juxta eas deteriori præferat meliorem, eligens facta, non homines, *De cætero confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus.* (Ambr.) Post omnia monita et hortamenta, et disciplinæ ordinem traditum religiose, et dispositionem mysterii manifestatam, robustos illos vult esse in fide fiducia potestatis Dei, ut scientes A firmam esse spem promissionis, prompti sint circa obsequia Dei, erigentes gubernacula contra fluctus excitatos imprudentia inimici. Tempestatem enim Dei servis commovet, sed ipse naufragium facit. (*Hier.*) Quod igitur ait, *Confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus*, totum sentitur in Christo, ut in omnibus virtutibus, quæ de eo intelliguntur, qui crediderint confortentur. Et prudenter post specialia mandata, quid viris et uxoribus, patribus et filiis, dominis et servis observandum sit, nunc generaliter omnibus in commune præcipit, ut in Domino et in ejus potentia confortati præparent se adversum diabolum, de quo in consequentibus scribit:

Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Ex his quæ infra legimus, et B his quæ in Scripturis omnibus de Domino salvatore dicuntur, manifestissime comprobatur omnia arma Dei, quibus nunc indui jubemur, intelligi Salvatorem, ut unum atque idem sit dixisse: Induite vos omnia arma Dei, quasi dixerit: Induite Dominum Jesum Christum; si enim cingulum veritas est, et lorica justitia est, Salvator autem et veritas et justitia nominatur, nulli dubium quin ipse cingulum sit et lorica. Itaque juxta Apostolum, ipse erit præparatio Evangelii pacis, et scutum fidei, et galea salutaris, et gladius Spiritus, quod est verbum Dei, et vivens sermo et efficax, et acutus super omnem gladium ex utraque parte acutum (*Hebr.* IV). Quæ autem alia arma Dei possumus æstimare, quibus induendus est qui habet adversus diaboli dimicare versutias, excepta virC tute, quæ est Christus. Hunc enim, qui juxta omnia quæ super eo intelliguntur, fuerit indutus, potens erit contra universas insidias diaboli repugnare: et secundum id quidem, quod veritate præcinctus est, non facile ad falsitatis dogmata deducetur: juxta hoc vero, quod lorica indutus est justitiæ, iniquitatis jaculis non poterit perforari: nec non cum calceatus fuerit calceamentis pulcherrimis in præparatione Evangelii pacis, quasi is qui præparavit in fine opera sua, et idcirco pacis homo factus est, nec bellicosum aliquid et tumultuosum agit, nec cum his, qui impræparati sunt, condemnabitur. Infidelitas quoque, quæ inimica fidei est, ubi scutum est fidei, nihil valebit. Caput etiam et principale cordis et animæ, in quo sensus omnes locuti sunt, salutis galea circumdatum D non quassabitur. Ad extremum, quasi vir bellator et fortis, omnes sectas contrarias veritati concidet, interficiet, jugulabit, gladium Spiritus, id est verbum Dei, manu tenens. Volens ergo Apostolus multimoda diaboli ingenia ostendere, quibus nos capere nititur, per ea loca in quibus non omn. custodia servemus cor nostrum, methodias ejus, id est, adinventiones, vel versutias nominavit. Si enim abstinuerimus nos a corporum voluptate, parum cautos in avaritia capit. Quod si et avaritiam cum voluptate contemnimus, per luxuriam irrepit, et facit nobis ventrem esse Deum, et per hanc etiam illa quæ fortia esse videbantur expugnat. Et quomodo solent sapientes exercituum principes, ea vel maxime op-

Digitized by Google

pugnare urbium loca quæ parum munita sunt, ut cum per illa irruperint, facile munita capiantur; ita et diabolus super ea quæ patere videt, aut certe non firmiter clausa, quærit irrumpere, et ad ipsam arcem cordis et animæ intrare. Et de cæteris ejus insidiis dicere non est necesse, cum ex his et cæteræ versutiarum ejus species cognoscantur. Διάβολος nomen Græcum est, quod interpretatur *criminator*. Juxta Hebræi vero sermonis proprietatem, quia et tribus Zabulon quamdam similitudinem hujus vocabuli habet καταρύων, id est, *deorsum fluens* dici potest: quod scilicet paulatim de virtute ad vitium fluxerit et de cœlestibus ad terrena corruerit. (*Amb.*) Arma Dei fides est stabilis, per quam solam semper victus est Satanas.

Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Certus Apostolus quia exitia, quæ a perfidis Dei famulis irrogantur, auctore diabolo, ministrantur, cujus altitudo grandis et hominibus impossibilis est, monet adversus hæc Dei arma sumenda, cujus solius virtute superantur et destruuntur omnia machinamenta ejus. Ipse est enim cujus satellites sunt, quos tenebrarum harum dicit rectores, spiritus nequissimi, qui degunt in cœlestibus, in firmamento mundi; hi sunt erroris duces, tenebrarum rectores, hoc est ignorantiæ et perfidiæ præpositi. (*Aug.*) Rectores enim tenebrarum in perversum intelligendi sunt gubernare, quasi incredulitatis magistri. Proinde Apostolus Paulus admonens nos quam cauti contra inimicos esse debeamus, ait servis Dei qui tribulationes patiebantur utique seditionibus, improbitatibus, inimicitiis hominum: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes, et potestates et rectores mundi.* Cujus mundi? Cœli et terræ? Absit. Hujus mundi non est rector nisi Creator. Sed quem dicit mundum? amatores mundi. Denique addit et exponit, quod dicit mundum. *Tenebrarum harum.* Quarum utique tenebrarum? nisi infidelium et impiorum: nam ex impiis et infidelibus cum essent facti pii et fideles, sic eos alloquitur idem Apostolus: *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Eph.* v). — *Adversus spiritalia*, inquit, *nequitiæ in cœlestibus*, adversus diabolum et angelos ejus dimicatis, hostes vestros non videtis, et vincitis. *Erue me de manibus inimicorum meorum et a persequentibus me* (*Psal.* CXLIII). Rectores eos mundi dixit, quia ipsi regunt dilectores mundi: non enim regunt mundum, quasi rectores sint cœli et terræ: sed mundum peccatores dicit, *et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I). Talem mundum illi regunt, qui non cognoscunt Christum. Quia quomodo eos, qui lux sunt, Christus gubernat et regit: sic eos, qui tenebræ sunt, ad omne malum diabolus præcipitat et instigat: hoc ergo nos hortatur Apostolus, ut non contra hominem malum, sed contra diabolum, qui cum illo operatur, oremus, et quidquid possumus faciamus, ut diabolus expellatur et homo liberetur. Quomodo enim, si ad aliquem in prælio constitutum de parte adversaria armatus equo sedens veniat, non equo, sed equiti irascitur, et quantum potest, hoc agere cupit, ut equitem percutiat, et equum possideat: sic circa homines malos agendum est, et non contra illos, sed contra eum, qui illos instigat, totis viribus laborandum, ut dum diabolus vincitur, infelix ille, quem possidere cœperat, liberetur? (*Hier.*) Non puto Paulum scribentem ad Corinthios dicere potuisse: *Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem*, qui ait: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana: fidelis autem Deus non permittet vos tentari supra id quod potestis sustinere* (*I Cor.* X). Existimo quippe adversus carnem et sanguinem esse certamina, quæ ibi tentationes appellantur humanæ, quando caro concupiscit adversus spiritum, et provocat nos facere opera sua, fornicationem, immunditiam, luxuriam, idololatriam, inimicitias, contentiones, hæreses, insidias, ebrietates, comessationes (*Gal.* V) et reliqua his similia. Porro non est humana tentatio, nec adversus carnem et sanguinem pugna, quando aut ipse Satanas transfiguratus in angelum lucis persuadere nititur, ut eum angelum lucis arbitremur: aut aliquid horum simile facit, in omni virtute, signis et portentis mendacibus, in omni deceptione iniquitatis. Nam cum aliquem illaquearit inimicus, ut recipiat se et loquatur in eo, *hæc dicit Dominus*, non quasi caro et sanguis eum decipit, aut humana tentatio, sed quasi principatus et potestas, rector tenebrarum, et nequitia spiritalis. Quamobrem non demus locum diabolo, sed et *si spiritus potestatem habentis ascenderit super nos*, juxta quod scriptum est, *locum non demus ei* (*Eccle.* X). Dicat quispiam hoc quod ait: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates;* et cætera quæ sequuntur, ideo dici, ut doceamur, ne ea quidem quæ nobis ministrari vitia putamus ex carne, carnis esse vel sanguinis, sed a quibusdam spiritalibus nequitiis suggeri. Sunt enim quidam dæmones amoribus et amatoriis canticis servientes, ut propheta quoque commemorat dicens: *Spiritu fornicationis seducti sunt* (*Ose.* IV). Nam et barbara quædam nomina eorum esse dicuntur, ut sæpe confessi sunt hi quos vere vulgus maleficos vocat et incantationes, et preces, et colores varii, et diversa vel metallorum genera, vel ciborum, ad quæ invocati assistere dæmones, et infelices animas capere memorantur. Alii vero iracundias et furores et bella committere; alii præesse inimicitiis et inter homines odia concitare. Quia vult ergo, aiunt, Apostolus nos docere non ex natura corporis et de materia carnis et sanguinis hæc vitiorum genera procreari, sed instinctu dæmonum, propterea ait: *Non est nobis colluctatio adversus sanguinem, sed adversus principatus et potestates*, et reliqua. Ideo autem nunc eorum qui magicis infelices artibus serviunt, et facere ista perhibentur [prohibentur], in medium exempla protulimus, ut recordemur [retundamus] eorum opinionem, qui

Digitized by Google

putant omnia vitia esse carnis et sanguinis, et nullam habere dæmones potestatem, ut nos incitent ad peccatum. Talem colluctationem et ad Jacob putamus fuisse, quod scilicet non adversus carnem et sanguinem contenderit, quando remansit solus, et luctabatur cum eo homo adjuvans eum et roborans adversus alium, sudore nimio dimicantem (*Gen.* xxxii). Et simul vide, ne forte ridiculi sint qui arbitrantur in ritum luctantium tota Jacob nocte luctatum. Quid enim grande, si, ut illi dicunt, luctans aut superaverit, aut victus sit? sed juxta rationabilem et convenientem patriarchæ luctam, talem illi colluctationem fuisse credendum est, qualem habent qui possunt dicere : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem.* Nec necesse est totum loci illius excutere sacramentum, cum in suo loco, si vixero, plenius disserendum sit. Quærimus autem ubi in Veteri Testamento Paulus hæc legerit, aut qua auctoritate, quæ minime scripta sunt, publicarit. Et conjicimus ex his, quæ de prœliis et singulari certamine, verbi causa, David adversum Goliath, et filiorum Israel contra alienigenas et cæteras gentes, scripta sunt in lege et in Jesu Nave, et libro Judicum et Regum, et Paralipomenon, altius intellexisse Apostolum, et spiritale bellum sensisse de carneo, quo pugnantes victi sint sive superaverint; et satrapas quidem uniuscujusque loci, supernarum fuisse indicia potestatum; reges autem Gentium singularum, imagines eorum qui nunc rectores mundi tenebrarumque dicuntur : malos vero homines spiritales nequitias in cœlestibus demonstrasse. Et videtur nobis Apostolus aliis verbis hæc dicere : O Ephesii, quæ de prœliis Israel adversum nationes audistis, videntur quidem carnem sonare vel sanguinem, verbi gratia Ægyptiorum, Idumæorum, Ammonitarum, Moabitarum et Gentium cæterarum, sed si vere vultis scire, cognoscite quia illa universa figuraliter contingebant illis. Scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum decurrerunt, ut intelligamus ex illis non esse nobis pugnam adversum carnem et sanguinem, sed adversus spiritales quasdam et invisibiles potestates, adversus rectores tenebrarum harum, quæ huic mundo incubant, et errorem hominibus incrudelitatis offendunt, et adversum spiritalia nequitiæ, quæ habitant in cœlestibus : non quod dæmones in cœlestibus commorentur, sed quod supra nos aer hoc nomen acceperit. Unde et aves quæ volitant per aerem, *volucres cœli* esse dicuntur (*Psal.* viii ; *Luc.* viii, ix, xiii). Nam et in alio loco de dæmonibus, quod in aere isto vagentur, Apostolus ait (*Eph.* ii) : *In quibus ambulastis aliquando juxta seculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ.* Hæc omnium doctorum opinio est, quod aer iste, qui cœlum et terram medius dividens inane appellatur, plenus sit contrariis virtutibus. Post hæc retractandum, a quo principatus et potestates et rectores mundi tenebrarum et spiritalia nequitiæ in cœlestibus, ut hoc sint, acceperint potestatem. Et quidem dicat alius apostatam diabolum satellitibus suis diversa officia commisisse, et non esse harum descriptionum auctorem Deum. Cui potest illud diligens lector opponere, et quomodo scriptum est : *Non est potestas, nisi a Deo* (*Rom.* xiii). Quod si de hominibus dicitur, quanto magis de his qui sunt subtilioris meliorisque naturæ? Nec statim quî hoc sentiat, blasphemiæ eum crimen incurrere : quia unusquisque juxta suam voluntatem diversa ministeria sortitus sit. Quomodo enim in urbibus eos qui aliquid commiserce flagitii, videmus, vel bestias alere, vel secare marmora, vel mundare spurcitias cloacarum, vel præesse gladiatoribus, et fundendo eorum sanguini destinari : ita et dæmones ex proprii arbitrii libertate, insidiarum, fraudum, scelerum atque perjurii, et reliquam vitiorum provinciam esse sôrtitos, ut sint rectores tenebrarum, quia esse lucis principes noluerunt. Hi ergo rectores mundi atque tenebrarum, cum adversum aliquem colluctantes supplantaverint eum, et fecerint corruere, statim illum suo mundo et suis tenebris quibus principantur, annectunt. Ob quam causam fortius laborandum, ut qui semel audivimus : *Ego elegi vos de mundo isto, et jam non estis de isto mundo : si enim essetis de mundo, mundus quod suum esset amaret* (*Joan.* xv), non redeamus ad mundum, nec subjiciamur ei, sed crucifigatur nobis mundus et nos ei, ut rector lucis Jesus proprio mundo nos copulet, et sub Patris sui esse ditione faciat, erutos de spiritalis nequitiæ potestate, et de cœlo eorum, quod transiturum est, nec Dei sedes appellari potest. Impium quippe est ut spiritalia nequitiæ in cœlestibus eum cœlum tenere credantur, de quo loquitur Deus : *Cœlum mihi sedes est* (*Act.* vii). Itaque qui intelligit quanta in isto mundo nobis et præsentibus et absentibus fiant, dum ea videre non possumus, sive propter corpus humilitatis nostræ hoc fragile atque terrenum, quo anima involvitur, sive quia carnalibus oculis subtilior natura non panditur, hic videbit quæ sint tenebræ quæ ab Apostolo nunc dicantur : quod scilicet aut tota ista vita terrena tenebræ nuncupentur : lux quippe lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt (*Joan.* i), aut animæ lumen et sensus, terrenum corpus, et corpus mortis et humilitatis obumbret, operiat et obcæcet. Sciamus autem quod, excepto præsenti loco, nec in Veteri nec in Novo Testamento κοσμοκράτορας, id est *mundi rectores*, nunquam legerimus : quod nomen idcirco Paulus finxit, quia necesse habebat ad Ephesios disputans, novis rebus et invisibilibus nova nomina coaptare. Adhuc propter hoc quod ait in cœlestibus, quia videtur ambiguum, dicendum, subaudiri posse illud ad omnia, ut sit sensus : Non est nobis colluctatio adversus potestates in cœlestibus, et rectores tenebrarum istarum in cœlestibus, et spiritalia nequitiæ in cœlestibus, et non tantum *adversum spiritalia nequitiæ in cœlestibus.* Maxime si intelligimus, ut jam supra expositum est,

Digitized by Google

quomodo cœlestia nuncupentur propter volucres cœli, et quod in usu dicitur, pluviam venire de cœlo : non quod pluvia e cœlo veniat. Philosophi quippe aiunt non amplius quam duobus millibus passuum a terra distare nubes, ex quibus fundantur pluviæ et imber irroret, juxta quem sensum cataractæ quoque cœli in diluvio apertæ esse feruntur. Verumtamen quanto quis pejor fuerit, tanto vicinior erit terræ locis et pinguiori substantiæ. Siquidem et terra et circumdatus nobis aer habent pinguedinem suam. Aiunt quidam et animas suis corporibus liberatas, si attenuatæ fuerint in præsenti vita, et lima, ut ita dicam, ἀσκήσεως atque virtutum in subtile corpus attritæ, non habitaturas in pinguioribus locis, sed Deo, qui incorporeus est, vicinas fore : si vero tales fuerint, de quibus dici possit : *Filii hominum, usquequo gravi corde* (*Psal.* IV), sive pingui corde, secundum crassitudinis suæ pondus ad infima detrahi et pinguedine prægravari. Post hoc et illud pariter disserendum, an hac terra et aere aliquis pinguior locus sit, qui a plerisque appellatur Infernus, in quo hi, qui dicuntur inferi, commorantur. Quinam vero isti sint et, quam vel cognitionem, vel diversitatem habeant, ad eos qui spiritalia nequitiæ in cœlestibus appellantur, non est præsentis temporis disputare. Reliquum est, ut quid inter colluctationem carnis et sanguinis, et inter rectores tenebrarum istarum et spiritalia nequitiæ in cœlestibus sit, in duobus apud Apostolum manifestius discamus agminibus. Quando enim vult humanas tentationes, hoc est colluctationem carnis et sanguinis indicare, despiciens eas atque contemnens loquitur : *Quis nos separabit a charitate Dei? Tribulatio, an angustia, an persecutio?* (*Rom.* VIII.) Quando vero docere nos vult de adversariis potestatibus, et rectoribus tenebrarum, et spiritalibus nequitiæ in cœlestibus, ab alio quasi capite sumit exordium et dicit : *Certus sum enim quia neque mors, neque vita*, et reliqua. Prolixius forsitan quam lector voluerit, de hoc capitulo disputatum sit : sed, quæso, det veniam difficultati illius loci et personæ Ephesiorum, qui post artes magicas scire debuerant a quibus fuissent aliquando decepti.

Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare. (Hier.) Diem malum aut præsens tempus ostendit, de quo supra dixerat : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*, propter angustias et vitæ hujus labores, quia non absque sudore et certamine pervenimus ad palmam : aut certe consummationis atque judicii, quando diabolus, inimicus et vindex, in sua nos cupiet parte retinere, de qua liberabitur, qui intelligit super egenum et pauperem : *In die enim mala liberabit eum Dominus* (*Psal.* XL). Hæc est dies de qua et alio loco scriptum est : *Ecce venit dies iræ Domini* (*Isai.* XIII) ; et alibi : *Dies enim Domini insatiabilis veniet furoris et iræ* (*Isai.* XXII) ; et rursum : *Væ desiderantibus diem Domini : ut quid vobis diem Domini et hæc est tenebræ et non lux; quemadmodum si fugiat homo a facie leonis, et incurrat in ursum; et introeat in domum suam et reclinet manus super parietem et mordeat eum coluber. Nonne tenebræ dies Domini et non lux, et caligo non habens splendorem?* (*Amos.* V.) Quomodo enim non mala est dies hæc, quæ tenebris et caligine involvitur, de qua Joel quoque propheta commemorat dicens : *Canite tuba in Sion : prædicate in monte sancto meo, et confundantur omnes qui habitant terram, quoniam dies adest Domini, quia prope est dies tenebrarum et turbinis, dies nebulæ et caliginis* (*Joel.* II) ; et Sophonias de eadem die loquitur : *Magna prope et velox nimis ; vox diei Domini amara, et dura, et fortis : dies iræ, dies illa, dies angustiæ et necessitatis* (*Soph.* I), et reliqua. Post quæ infert : *Et affligam homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt* (*Apoc.* XII). Ut igitur possit quis in hac die diabolo resistere, quia ipse est accusator fratrum nostrorum, assumat omnia arma Dei : hoc enim sonat πανοπλία, non ut in Latino simpliciter *arma* translata sunt, sed omnibus telis armisque succinctus, de quibus in sequentibus explicatur, sciat se tunc stare posse, si universa fuerit operatus, ut plenus cunctis virtutibus stabilem figat gradum, et non moveatur de acie, sitque ex his, de quibus Dominus ait : *Sunt quidam de hic astantibus* (*Matth.* XVI) ; et alio loco : *Etenim fide statis* (*II Cor.* I) ; et Psalmista : *Statuit*, inquit, *supra petram pedes meos* (*Psal.* XXXIX). Tertia quoque a quibusdam interpretatio subinducitur, dicentibus : non omne adversum diabolum prælium morte finiri, sed cum de sæculo isto exierimus, tunc nobis fortius et apertius præsentibus contra præsentes futurum esse certamen ; et sic illud quod paulo ante exposuimus, exponunt, *neque præsentia, neque futura* : ut futura hæc dicant esse, quæ post vitam istam sint ineunda certamina. Nec non et illud : *Quapropter contendimus, sive in præsenti, sive in futuro, placere illi* (*II Cor.* V), ut præsens tempus, hanc vitam, futurum, post mortem significari putent. Hoc quoque quod nunc dicitur : *Et omnia operati, stare*, ad eumdem sensum referent : quasi non possit aliquis omnia in præsenti vita operari, sed ex parte quid faciat, sicut ex parte videat, et ex parte prophetet : et tunc perfecte stare valeat, cum universa fuerit operatus. Alius vero simplicius hæc exponit, dicens : Ephesios ad futuras tentationes et persecutiones, quas illis Paulus Apostolus post hanc Epistolam prophetico spiritu videbat provenire, cohortari et monere, ut omnia faciant, per quæ possint in fide stare Evangelii, nec in persecutione corruere : diem autem malam proprie de quadragesimo octavo psalmo arbitramur esse nunc sumptam. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate.* Quod juxta membra carnis et corporis omnia membra animæ in Scripturis vocentur nulli dubium est, de quibus unum puto esse hoc membrum, *lumbos*, quos, ut accingamus veritate, præcipitur. Scriptum est quoque in Evangelio κατὰ Λουκᾶν : *Sint lumbi vestri accincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII). Quia igitur lumbi in generatione semper

Digitized by Google

accipiuntur et semine, secundum illud: *De fructu lumbi tui ponam super thronum tuum* (*Psal.* CXXXI), et alibi: *Adhuc in lumbis erat Levi patris sui Abraham, quando obviavit ei Melchisedech* (*Hebr.* VII), videtur nobis accinxisse lumbos suos, qui nequaquam uxori debitum reddit, nec servit libidini, sed imitatur ingenitum Deum, generationis negotiis non ministrans. Hoc idem reor et illud significare, quod Joannes zonam pelliceam habebat circa lumbos suos (*Matth.* III), et non erat de illis immundis, qui propter fluxum seminis extra castra projecti, cum arca Domini habitare non possunt; nec ex his, de quibus in Numeris scribitur: *Sint vestimenta ejus dissuta* (*Num.* VIII). Qui autem Christo accinctus est veritate, hæc vestimenta in altum colligit, et sursum trahit, et nudorum laterum fœditatem balteo spiritali velat, stringit, includit, et paratus ad prælium est, et opera habet lucentia, quæ lucernæ dicuntur ardentes. *Et induti lorica justitiæ.* Sicut difficile vulneratur in nis vel maxime locis quæ vitam tenent, qui confertam hamis et ferreis invicem circulis se tenentem loricam virtutis indutus est: ita qui est circumdatus multiplici veste justitiæ, nec ad similitudinem cervi in jecur accipiet sagittam, nec in desideria corruet et furores; sed erit mundo corde, habens artificem hujus loricæ Deum, qui unicuique sanctorum omnia arma fabricatur, et non sinit eum a jaculo volante per diem, et a sagittis ardentibus percuti pariter et exuri. *Et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.* Diligentius observate, quod virtutem quamdam animæ appellaverit pedes, quibus ingredimur in eo, qui dicit: *Ego sum via*, et quos nos oportet calceare præparatione Evangelii pacis. In horum calceamentorum figuram et illa calceamenta in Exodo præcesserunt, quæ habere pascha vescentibus imperatur, et his qui ad faciendum iter præparati sunt: *Sic enim*, ait, *manducabitis illud: lumbi vestri accincti et calceamenta vestra in pedibus vestris, et baculi vestri in manibus vestris; et comedetis illud in festinatione. Pascha est enim Domini* (*Exod.* XII). Signum siquidem præparationis est, cum festinatione et calceatis pedibus comedere, ut corroborati paschali cibo latam et horribilem possint eremum pertransire. Qui ergo adhuc ambulat, calcietur: qui vero jam Jordane transmisso terram repromissionis intravit, nudet pedem. *Solve*, ait, *calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Si quis non est Iesus nave, nec apostolus, calceat pedes suos in præparatione Evangelii pacis: si quis autem apostolus est, et inter duodecim numerari potest, nequaquam tollat in via calceamentum suum, nec ad scorpiones et colubros declinandos calcaneum tegat; sed jam consummatus atque perfectus stet in terra sancta, et vivat in Christo, et sequatur Agnum quocunque vadit. Quæritur utrumnam ad distinctionem Evangelii alterius, nunc dixerit, pacis Evangelium? an certe proprium sit hoc Evangelii, ut pacis Evangelium nominetur? Qui igitur habet pacem, calceatus est Christi Evangelio, et cum calceatus fuerit præparatus est, et præparatus non se putet esse perfectum, sed ad hoc præparetur, ut pergat, et pergens veniat ad finem. *Super omnia accipientes scutum fidei, in quo possitis omnia jacula maligni ignea exstinguere.* Quasi dixerit: In omni opere portate clypeum fidei, ut possitis tecti atque muniti excipere venientes sagittas, et huc atque illuc arte eas bellica declinare. Hæc est fides, quam et Abraham post multa opera atque virtutes vix potuit promereri, ut de eo Scriptura diceret: *Credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad justitiam* (*Rom.* IV). Perspicua sunt autem jacula maligni, quæ vult mittere in corda nostra per cogitationes pessimas, de quibus jecit in cor Judæ, ut traderet Salvatorem. Itaque nec principium quidem habere poterit inimicus animæ vulnerandæ, si tenuerimus scutum fidei: in quo non solum venientia tela franguntur, sed etiam telorum ipse ignis exstinguitur, de quo et propheta complorat dicens: *Omnes adulterantes, quasi clibanus corda eorum* (*Ose* VII). Qui hunc umbonem fidei manu forti tenuerit, et confisus in Domino, scierit se a venientibus jaculis esse securum, loquetur intrepidus: *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem, sicut passer? quoniam ecce peccatores tetenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde* (*Psal.* X). Cum ergo, inquit, confidam in Domino, qua mihi datis ratione consilium, ut non stem adversum inimicorum impetus, et jacula quæ contra me in pharetris præparaverunt, volentes non solum me, sed etiam omnes rectos corde percutere? Ecce sto super petram, et non transmigro in montes tenebrosos, et omnia tela hostium repulsa, in ipsos qui dirigunt convertuntur. *Et galeam salutis accipite.* Propter hanc galeam salutis omnes in capite nostro sensus integri perseverant: et maxime oculi, de quibus in Ecclesiaste Salomon ait: *Sapientis oculi in capite ejus* (*Eccle.* II). Sciebat enim quod esset viri caput, et quinam isti oculi in viri capite collocati. Si enim caput illius est Christus, et oculi sapientis in capite ejus sunt, sequitur ut omnis noster sensus, mens, cogitatio, sermo, consilium; si tamen sapientes fuerimus, in Christo sint. In Christo autem Verbo, lumine, veritate, justitia, cunctisque virtutibus. (*Amb.*) Quoniam contra atrocissimos hostes et omni tergiversatione callidos bellum gerimus, idcirco omni cautela et sollicitudine vigilare debemus, ut quæcumque tentaverint munitos nos et præparatos inveniant. Necesse est enim ut et Deus adjuvet quos viderit in precibus vigilare et de armis ejus exspectare victoriam. In hujusmodi ergo bello sobria mente opus est et pura conscientia, quia non contra carnalia nequitiæ, sed adversus spiritalia dimicatur. Contra terrigenos enim hostes corpus sagina roboratur, et poculis mens incenditur, ut repugnandi sumat audaciam: adversus enim spiritalia nequitiæ spiritaliter repugnandum est, et sobrietatis et abstinentiæ arma sumenda sunt, ut in-

Digitized by Google

fusi sancto Spiritu immundos et erraticos spiritus devincamus. Sic itaque succingemus lumbos nostros in veritate, si parati sumus errori resistere. Omnis enim qui operari vult succingit se, ut ablato impedimento diligentius operetur.

Et gladium Spiritus, quod est verbum Dei : per omnem orationem et obsecrationem, orantes omni tempore in Spiritu, et in ipso vigilantes in omni instantia et prece pro omnibus sanctis et pro me. (Hier.) Dei sermo de Spiritu sancto fluit : contrarius vero de terra loquitur, et inde sumit exordium. *Qui enim de terra est, de terra loquitur. Qui de cœlo venit super omnes est, et quod vidit et audivit, hoc testatur* (*Joan.* III). Porro sermo Dei gladius Spiritus est, de quo nunc Paulus ait : *Gladius Spiritus, quod est verbum Dei* (*Hebr.* IV). Vivens quippe sermo Dei et efficax, et acutus super omnem ancipitem gladium, et penetrabilis usque ad artus animæ, et ossium, et medullarum. Qui Spiritus præcidit et dividit, multum proficiens per orationem eorum qui in omni tempore Dominum deprecantur in Spiritu, juxta illud : *Orabo spiritu, orabo et mente* (*I Cor.* XIV), et in hoc proficiens, ut per vigilias et instantem precem Apostolus in Dei verbo doctrinæque ditetur, et hæc omnis opulentia ad aliorum proficiat salutem, ut eis quoque ipsis prosit qui pro eo obsecrant. Simulque Apostoli humilitas admiranda, petentis Ephesios, ut pro se faciant obsecrationes. Ait quippe : *In omni instantia et prece pro omnibus sanctis et pro me ;* ut seorsum sanctorum, et seorsum sui faceret mentionem.

Ut mihi detur sermo in apertione oris mei, in confidentia notum facere mysterium Evangelii, pro quo legatione fungor in catena : ita ut in ipso audeam, prout oportet me loqui. (Hier.) Hoc quod nunc ait : *In apertione oris mei ;* et alibi : *Aperiens os suum docebat discipulos, dicens* (*Matth.* V) ; et : *Os meum aperui et attraxi spiritum* (*Psal.* CXVIII) ; et : *Aperiam in parabolis os meum* (*Psal.* LXXVII), et cætera his similia, sic accipiendum, quasi dixerit : aperiantur thesauri et abscondita a sæculis sacramenta pandantur, ut Spiritus sanctus introeat ad ea proferenda quæ latitant. Nam quod hujus testimonii, id est, *ut detur mihi sermo in apertione oris mei*, iste sit intellectus, sequentia probant. *In confidentia*, inquit, *notum facere mysterium Evangelii.* Nequaquam in proverbiis et parabolis, sicut et prophetæ, et ipse Dominus adhuc constitutus in corpore loquebatur dicens : *Venit hora, quando nequaquam in proverbiis vobis loquar, sed confidenter de Patre annuntiabo vobis* (*Joan.* XVI). Hunc confidentiæ sermonem solus poterit obtinere, qui non habuerit cor se reprehendens : *Si enim cor nostrum non reprehenderit nos, confidentiam habemus ad Deum, et quodcunque petierimus, accipiemus ab eo* (*I Joan.* III). Rarus itaque est qui in confidentia notum faciat mysterium Evangelii, quia rarus est qui confidentiam habeat ad Deum. « Quis enim gloriabitur castum se habere cor, aut quis stabit dicens mundum se esse a peccatis ? » Post hæc quid sit ait, *pro quo legatione fungor in catena*, ut notum videlicet facerem mysterium Evangelii, breviter perstringendum. Et quidem qui simpliciter intelligit, dicet propter testimonium Christi eum de carcere et de catenis hæc Romæ positum scripta misisse : alius vero propter corpus humilitatis, et catenam istam qua circumdamur, et necdum scimus secundum illud quod oportet nos scire, et per speculum videmus in ænigmate, ista eum dixisse contendet, et tunc vere posse in confidentia Evangelii aperire mysteria, cum catenam deposuerit, et de carcere liber exierit, nisi forte et in vinculis absque vinculis computandus est, qui conversationem habet in cœlis, et de quo dici potest : *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis* (*Rom.* VIII). [Ambr.] Si recte conversamur, Spiritus sanctus manet in nobis, et quod postulamus possumus impetrare. Hoc est ergo in Spiritu semper orare, munda conscientia et fide integra precem ad Deum dirigere. In carne enim orat, qui polluta mente precatur, iterum peccaturus, non de eventu aut subreptione, sed de proposito ; sed potest non peccari ad mortem, si perseveranter oretur, ut animus sedula mente intentus sit semper in Dei legem, ea meditans die noctuque quæ amat Deus. Tunc et pro sanctis possunt orare, non est enim indignum ut pro invicem sollicita sint membra : nec temerarium poterit videri, si pro magistro discipuli idonei interpellent, adjuvantes eum, ut, postpositis impedimentis, libertate utatur ad prædicandum, sicut traditum est ab auctore, ne pressus vi tribulationum ipsa formidine acumen doctrinæ obtundat, amissa severitate. Duplici igitur genere pro se orandum hortatur, ut et sensus ejus impleatur Spiritu ad eloquendum plene mysterium, et facultas illi detur audaciæ in asserendo, quam utique precem libenter audit Deus ; videt enim legationem suam in apostolo suo despici, unde utique indignatus in causa sua non negabit effectum. Si enim consuetudo et lex est legatis hominum non inferre exitia, qua præsumptione et audacia legatis Dei non solum exitia, sed et mors irrogatur ! Quare et dicit, *Pro quo legatione fungor in catena :* non enim permittebatur libere loqui, sed in subjectione et necessitate verba Dei referens, vinculis et plagis subjiciebatur et mortibus, et lapidatus est, ipse enim et ad bestias pugnavit Ephesi (*I Cor.* XV).

Ut autem sciatis et vos quæ circa me sunt, quid agam, omnia nota vobis faciet Tychicus, dilectus frater, et fidelis minister in Domino, quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, et consoletur corda vestra. (Hier.) Dupliciter accipite : Vel ideo Tychicum missum Ephesum, ut nuntiaret eis vincula Apostoli nota facta esse in omni prætorio, et catenam illius ad fidem Evangelii profecisse, eo tempore quo ad Colossenses scripsit dicens : *Quæ circa me sunt, omnia nota faciet vobis Tychicus frater dilectus, et minister, et conservus in Domino, quem misi ad vos ob hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, et consoletur corda vestra cum Onesimo charissimo, et fideli fratre, qui est ex vobis,* etc. Unde

Digitized by Google

dis enim consolatio erat audire Paulum Romæ in domina urbium, et in arce Romani imperii, de carcere et de vinculis triumphantem. Vel certe ob id Tychicum missum esse, ut conversationem Pauli, quam ignorabant, aununtiaret eis, et quasi quoddam exemplar vivendi daret discentibus gesta Apostoli atque virtutes, et eum imitari volentibus. Nec parva esse poterat consolatio æmulari cupientium, quæ apostolum egisse cognoverant. (*Ambr.*) Per Tychicum Ephesii discunt quid agat Apostolus, et idem cognoscit quid agerent Ephesii. De Apostolo, quia divina erant quæ agebat, dubium non erat; sed hoc sciendum erat de eo, quid ageret inter perfidos et insidias eorum: de Ephesiis vero hoc cognoscendum, si proficerent nec ne. Ut ergo obedirent et libenter audirent verba Tychici, hunc commendat, et fratrem istum dilectissimum vocans et ministrum Dei idoneum. *Pax fratribus et charitas cum fide a Deo Patre et Domino Jesu Christo.* Pacem, quæ est janua dilectionis, optat esse cum fratribus et charitatem cum fide, ut ingressi per pacem possint manere in charitate, quæ est ex fide : hæc est enim Dei Patris et Filii ejus Domini nostri Jesu Christi. (*Hier.*) Nam si qua alia dona sunt, quæ tribuuntur a Deo Patre et Domino Jesu Christo, inter hæc pax non minimum possidet locum, quæ superat omnem sensum, et custodit corda intellectusque sanctorum, serenitas quædam atque tranquillitas animæ quiescentis et universam tempestatem et turbinem perturbationum fugans. Huic similis est charitas cum fide, quam et ipsam simul Deus Pater donat et Filius, ut diligamus Deum de toto corde, et proximos sicut nosmetipsos, et pro inimicis nostris precemur. Hanc pacem et charitatem, quam credentibus Apostolus imprecatur, hi tantum habent, qui fratrum nomine merentur vocari; *Pax* quippe *fratribus, et charitas cum fide et pace.* Igitur et charitatem et fidem sic Pater præstat ut Filius ; et hæresis obmutescit, quæ non vult eadem Filium posse, quæ Patrem. *Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum Jesum Christum in incorruptione.* (Amb.) Præscius Apostolus multos futuros desperatæ fidei sensum habentes de Domino Jesu Christo, cum his æternam gratiam dicit mansuram, qui diligunt Christum, recte de illo et cum Dei Patris voluntate sentientes : qui enim degenerem hunc dicunt, data illis gratia auferetur. (*Hier.*) Nonnulli hæc ita interpretati sunt, ut eum putarent diligere Dominum nostrum Jesum Christum, qui ab operibus corruptionis alienus sit, opera corruptionis in coitu sentientes. Unde et consuetudo et sermo vulgaris incorruptos, virgines vocat, eos qui coitum nesciant feminarum : corruptos, qui istiusmodi degustaverint voluptatem. Illudque testimonium coaptantes: *Si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus* (*I Cor.* III). Sed nescio an hoc valeant explanare, quod scribitur: *Unusquisque proprium habet donum a Deo, alius quidem sic, et alius sic* (*I Cor.* VII). Videamus igitur ne forte melius sit omne peccatum corruptionem animæ intelligere, et eos qui a peccato liberi sunt incorruptos vocari, ita ut diligentes Dominum Jesum Christum in incorruptione sint, dum peccati vinculis non tenentur, et cum eis est gratia Dei. Simulque arbitror ad distinctionem eorum qui diligunt Dominum Jesum Christum, sed non in incorruptione nunc positum, eos gratiam Dei habere Christi, qui diligunt eum in incorruptione. Quanti enim diligunt Dominum, parati exsilium, parati martyrium, parati inopiam et omnia pro eo contumeliarum genera sustinere, et nihilominus carnis passione superantur? sed his non imprecatur Apostolus gratiam, quia gratia Domini est cum omnibus qui diligunt eum in incorruptione.

LIBER NONUS DECIMUS.

EXPOSITIO IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

ARGUMENTUM.

Philippenses viri erant elegantes et contemplatione virtutum multis erant meliores, qui et ad usus necessarios beati Pauli multam semper expendebant sollicitudinem, debitores se ejus esse existimantes, ut pote apostoli, et quia ob aliorum utilitatem multum sustinere videbatur laborem : et hoc quis recognoscere poterit, ex illis quæ in fine epistolæ ab eodem Paulo sunt scripta. Sed evenit de primatu contentionem oboriri inter quosdam illorum, et hoc inter illos qui maxime virtutibus ornati esse videbantur; deducti vero sunt ad hanc contentionem sicut sæpe solet inter homines fieri, maxime dum illis affuerint illa quæ possunt primatum illis præstare. Virtus enim hoc vel maxime conferre potest, licet et alia aliqua sint quæ id præstare possint. Hæc tamen quantum aliis meliores se perspiciunt, tanto vehementius id vindicant sibi : si non quis naturæ perpendens infirmitatem ab animo suo omnem repulerit elationem. His additur quoniam illi qui ex circumcisione erant, suadere properabant illis fidelibus qui ex gentibus crediderunt, ut legem custodirent, de quibus Apostolus in secunda ad Corinthios epistola et ad Galatas plurima videtur scripsisse, ex quibus quidam venerunt et ad Philippenses tentantes surripere eis, qui etiam et docebant eos dicentes, quod illis qui Christo crediderunt non conveniat legem negligere : scribit ergo in præsenti epistola beatus Paulus de humilitate custodienda, illa quæ scribi conveniebant ; scribens eis simul et de illis qui custodire eos legem suadebant : ut non intenderent dictis eorum, complectens et aliqua, quæ ad ineundum consilium idonea illis esse existimabat ; demonstrabuntur vero cautius omnia ista in illa inter-

Digitized by Google

pretatione, quæ per partes futura est, cum et illis quæ his dicit, et residua omnia quæ in epistola dixisse videtur : tantum vero adjicere dictis dignum est ad manifestandum textum epistolæ, quoniam scribit ista ad eos ab urbe Roma, cum esset in vinculis, quando contigit eum Cæsarem appellare, et propterea a Judæa ductus est Romam, Nerone illo in tempore regnante.

CAPUT PRIMUM.

Apostolus agit gratias de bonis Philippensibus collatis, quibus significans suum statum, ponit distinctiones prædicantium, et suam charitatem, monetque suos ad tolerantiam persecutionis.

Paulus et Timotheus servi Jesu Christi. (Aug.) Sicut duo sunt timores, qui faciunt duo genera timentium; sic duæ sunt servitutes, quæ faciunt duo genera servorum. Est timor quem perfecta charitas foras mittit, et est alius timor castus, permanens in sæculum sæculi. In illo timore, quem foras charitas mittit, est etiam servitus simul foras cum ipso timore mittenda : utrumque enim junxit Apostolus, hoc est et servitutem et timorem, dicendo : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore* (*Rom.* VIII). Ad hanc servitutem servum pertinentem intuebatur et Dominus dicens : *Jam non dico vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus* (*Joan.* XV). Non ille utique servus ad timorem pertinens castum, cui dicitur : *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV) ; sed ille servus pertinens ad timorem foras a charitate mittendum, de quo alibi dicit : *Servus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum* (*Joan.* VIII). Quoniam itaque dedit nobis potestatem filios Dei fieri, non servi, sed filii Dei simus; ut miro quodam et ineffabili, sed tamen vero modo, servi non servi esse possimus : servi scilicet timore casto, ad quem pertinet servus intrans in Domini sui gaudium ; non servi autem timore foras mittendo, ad quem pertinet servus non manens in domo in æternum. *Omnibus sanctis qui sunt Philippis cum episcopis et diaconis gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.* (Amb.) Hæc est præscriptio epistolæ : sociavit vero Timotheum secum, eo quod et miserat eum aliquando in Macedoniam cum Erasto et quod notus esset illis. Notandum vero est illud, quoniam episcopos dixit illos, qui nunc presbyteri dicuntur, sic illos nominans, nec enim ordinis erat multos in una civitate esse illos, qui nunc episcopi nuncupantur : siquidem nec per singulas civitates erant antiquis temporibus functionem hanc adimplentes : sed episcopos dicens statim memoratus est et diaconos. Non utique relictis presbyteris diaconos dixisset inferiores eorum, sed ista quis melius recognoscet ex illis, quæ ad Titum scripta sunt, in quibus dicit : *Ut constituas per civitates presbyteros, sicut ego tibi præcepi* (*Tit.* I), et adjiciens quales : *oportet*, inquit, *episcopum irreprehensibilem esse* (*I Tim.* III), presbyteros episcopos evidenter nominans. Hoc vero in loco intendendum est, quoniam dixit *cum episcopis* : non sicut quidam intellexerunt coepiscopis dixit, sicut et nos et compresbyteris scribere consuevimus. Non enim ad suam personam rediens dixit coepiscopis ut intelligi possit coepiscopis nostris, sed ad illud quod dixit *omnibus sanctis in Christo Jesu.* Ut intelligi possit cum omnibus qui sunt Philippis, ut in sanctis illic suis coepiscopis et diaconis. Non absolute designans horum nomina : sed quia humilitatis exhortatio illis magis apta esse videbatur, qui et cæteros instruere poterant, et ante alios se ipsis formam cæteros præbere in his quæ conveniebant, vel agi debebant.

Gratias ago Deo meo super omni memoria vestra semper in oratione mea pro omnibus vobis cum gaudio. Et orationem meam faciens in communionem vestram in Evangelio a prima die usque nunc. Frequenter quidem a gratiarum actione incipit scribere : hoc vero in loco videtur etiam aliquam illis attestari virtutem, si tamen non solum pro illis gratias agere semper edicit super omni oratione, sed et jam gaudio pro illis facit orationem communem in Evangelio ex prima die usque nunc demirans. Nam quod gaudere se pro illis in orationibus edicit, indicium eorum virtutis habere videtur; et quod a prima die usque nunc dixit, immobilitatem eorum indicat probatissimam, eo quod nunquam mutabilitatem aliquam fuerunt perpessi : et quoniam incautum esse videbatur gaudere pro omnibus, quorum exitus erat incertus, adjicit : *Confidens hoc ipsum quoniam qui inchoavit in vobis opus bonum perficiet et usque in diem Christi Jesu.* Bene autem et principium et finem Christi gratiæ aptavisse perspicitur, non solum quoniam confirmabatur illa quæ in Christo est fides, quoniam et istos plus esse firmos erga bonum faciebat, dum discerent quia causa illorum quæ fiunt Deo convenit aptari, ipsi etiam pro præteritis debent gratiarum referre actiones. Nam ita in illis persistere, confirmationem illis de futuris præstare videbatur. *Sicut est justum mihi hoc sapere pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde meo et in vinculis meis et in omni defensione et confirmatione Evangelii comparticipes gratiæ omnes vos esse.* Hoc ad illud, quod in superioribus est dictum, retulit, ubi dixit, *Cum gaudio et orationem faciens super communionem vestram in Evangelium*, volens dicere, quoniam me vel maxime decet talia de vobis credere, qui semper vos in corde meo habeo, licet sim in vinculis, licet ob defensionem meam tenear pro opere meo : sic enim me affectari facit de vobis, ut sciam quoniam prædicationem et doctrinam meam confirmastis per vestram fidem, tribuit mihi gratiæ in apostolatum, comparticipes facti ut dicat, quoniam habeo vos in animo semper, eo quod credidistis : confirmationem enim in Evangelio illorum dicit credulitatem, eo quod credentes quantum ad illos pertinet confirmant prædicationem, quod vera habeatur, sicut et in Evangelio scriptum est : *Qui accipit ejus testimonium, signavit quoniam Deus verax est* (*Joan.* III), hoc est, credens confirmavit quantum ad se est, illa, quæ a Deo sunt, ut pote vera. Nam et comparticipes gratiæ meæ quia dixit, idipsum dicit, eo

Digitized by Google

quod ipse acceperat gratiam apostolatus, ut crederent alii, sicut et Romanis scribens dicit : *Per quem accepimus gratiam et apostolatum in obedientia fidei in omnibus gentibus* (*Rom.* 1). Qui credebat communicabat utique gratiæ, et copiose suum erga eos affectum ostendens dicit : *Testis enim mihi est Deus quemadmodum desidero omnes vos in visceribus Christi Jesu : et hoc oro ut charitas vestra magis magisque abundet in cognitione et omni sensu, ut probetis utiliora, ut sitis sinceri et sine offensione in die Christi, repleti fructu justitiæ per Jesum Christum, in gloriam et laudem Dei.* Nam quod dixit, *in visceribus Christi*, dicere voluit, in charitate illa quæ secundum Christum est, et quod dixit, *charitas vestra*, illa utique quæ et erga Deum et erga alterutrum est. Vult ergo dicere : quoniam testis est mihi Deus, qualiter erga vos affectum teneo, et oro per singula momenta abundare magis in vobis illam charitatem, quæ et erga Deum et erga alterutrum est. Scientiam vero convenientem habere vos cupio de illis quæ ad virtutem pertinent, probantes quæ sint utiliora, et erga illa magis sollicitudinem expendite, ita ut in futura die sine ulla appareatis reprehensione, plurimam directionum copiam obtinentes, pro quibus poterit et in præsenti vita glorificari in vobis Deus, omnibus supra vestra virtute illum collaudantibus, in cujus nomine hæc facitis. Ista quidem scripsit ad eos, affectum proprium quem erga eos habebat ostendens : et quidem in verissimis laudibus ad eorum est exhortationem abusus. Incipit vero in subsequentibus ea quæ de se erant nota facere illis simul quidem quasi affectuosis, et qui valde pro illo solliciti, siquidem sumptus misisse videntur : conveniebat enim talibus et illa quæ secundum se erant nota facere, simulque et ad doctrinam illis proficere poterant. Nam quia sub arcta erant necessitate, Apostolus pietatis contemplatione sufficiens erat erudire illos, ejus imitatione etiam graviora tolerare pro virtute. Incipit vero sic :

Scire autem vos volo, fratres, quoniam ea quæ erga me sunt magis ad profectum Evangelii pervenerunt, ita ut vincula mea manifesta in Christo Jesu fierent in toto prætorio et cæteris omnibus, et plures fratrum in Domino confidentes vinculis meis abundantius auderent sine timore verbum loqui. Beatus Paulus appellans Festum, eo quod volebat eum Judæis tradere, et postulans se mitti ad Cæsarem, ductus est in vinculis Romam. Inductus vero ante Neronem et et defensionem sui faciens, biennio illo demoratus plenariam adeptus est securitatem. Ideo et in secunda ad Timotheum Epistola quam a Roma ad eum scripsit, non tunc quando et Philippensibus scribebat : etenim tunc cum ipso ad illos scripsit, sed secunda vice, quando illic capite est punitus scribens dicit : *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me reliquerunt : non illis imputetur. Dominus autem astitit mihi et confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes, et liberatus sum ex ore leonis* (*II Tim.* IV). Neronem indicans. Tum quidem existimabant omnes beatum Paulum interfici a Nerone, eo quod crudelissimus erat : et maxime quia nova quædam illis temporibus docere videbatur, multum extranea illorum quæ apud Romanos tunc ritu deorum colebantur. Præter omnem vero spem introductus est defendens causam suam. Non solum quia nihil passus est, verum etiam et plenam securitatem est assecutus, ita ut et a Roma postea discederet, et consueto more doctrinæ immineret. Omnes vero ad demirationem impellebat illud, quod fuerat factum, et plurimam fiduciam fidelibus tribuebat, ita ut excepto omni terrore pacatus dogmata doceret. Nam quod dixit, *in toto prætorio*, ut dicat in regiis, et illis quæ circa eum sunt. Prætorium illud nominans, quod nunc ex consuetudine palatium nominamus. Hoc ergo dixit volo vos, inquit, scire, eo quod illa quæ doctrinæ meæ sunt in singulis diebus incrementum accipiunt. Nam vinctus ad omnium notitiam perveni, inductus defensione mea adfui, et sic ab omni periculo liberatus, ut multi fideles cum fiducia docerent illa quæ pietatis sunt, ex illis quæ erga me facta sunt fiduciam accipientes. *Quidam quidem et propter invidiam et contentionem ; quidam vero et propter bonum placitum Christum annuntiant.* Et latius significans quid sit quod dixerit propter invidiam et contentionem adjicit : Alii quidem ex contentione Christum annuntiant, non sincere existimantes tribulationem inferre vinculis meis. Quidam, inquit, invidentes rebus bene erga me gestis, et quoniam nihil mali passus sum inductus ante Neronem, sed et illa quæ erga me fuerunt edicens, solvi ab eo promerui, contra me suam contentionem exercentes discurrunt, non fiducia agentes id aliqua, sed nequitia, ut ita dixerim, impietatis, dogmata docere deproperant : ut illi qui in principatu et potestate sunt, ex illorum fiducia permoti secum reputent, quoniam horum omnium causa illa existit, quod ego sine periculo negotium transierim : ut iterum adversum me convertantur, et pœna mea cæteros corrigantur : hoc autem quis erga beatum Paulum effectum intelligens nequaquam demirabitur, quasi qui ob invidiam fuerit aliquid perpessus, deinde qui dixit, *et per bonum placitum Christum prædicant*, evidenter illud significavit dicens : *quidam quidem ex charitate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum*, hoc est, quidam charitatem illam quam erga Christum habebant prædicant, confidentes quidem meum esse opus ut prædicetur pietas, abutuntur vero fiducia eo quod ita erga me divina donante gratia sit dispensatum, ut fiduciam cuncti assequerentur, dicens evidentius horum quoque et illorum arbitrium ; *Quid enim ? dum omnimodo sive occasione, sive veritate Christus prædicetur.* (Aug.) Isti mercenarii erant, qui Paulo apostolo invidebant : quare invidebant ? nisi quia temporalia requirebant ? sed quid adjungat attendite, *Quid enim ? dum omnimodo sive occasione, sive veritate Christus annuntietur ; et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.* Veritas est Christus, veritas a mercenariis occasione an-

Digitized by Google

nuntietur, veritas a filiis in veritate annuntietur, filii æternam beatitudinem Patris patienter exspectant : mercenarii temporalem mercedem conducentis exoptant festinanter : mihi humana gloria, cui mercenarios invidere video, minuatur, et tamen per linguas mercenariorum et filiorum Dei Christi gloria diffametur. Videmus istos rem quidem sanctam et castam non caste annuntiasse, quare gaudet Apostolus non malo illorum, sed bono nominis Christi. (*Ambr.*) Multa demiratione dignum est id quod Paulo dictum est, licet sit et aliquid aliud simile : non, inquit, discutio arbitrium illorum, licet ad nocivitatem meam per invidiam fiat quod fit, tantum cunctos docceant Christo credere. Nec enim ut quidam existimaverunt licentiam in his beatus Paulus præstat illis qui intervertere pietatis cupiunt dogma, qui tantum nos vult erga hæreticos odium habere, sicut ipse scribens dicit : *Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita* (*Tit.* III); sed de illis hoc in loco loquitur, qui sanam quidem doctrinam docent dogmatum, faciunt autem illud non ob ipsam pietatem, sed ut commoveant contra eum insidias; et ostendens quoniam consequenti ratione, ita persistit de illis qui non integre illud faciunt, sed insidias ei commovere cupiunt, *et hoc gaudeo, sed et gaudebo ; scio enim quoniam hoc mihi proficiet in salutem per vestram orationem , et subministrationem spiritus Jesu Christi.* His ita affectis gaudio cumulor, sciens quoniam in futuro sæculo plus gratulabor quando pro his mercedem recipiam vobis orantibus, et Christo gratiam spiritus copiosam nobis pro istis præbente, eo quod et resurrectionem per Spiritum sanctum fieri exspectabant, et fruitionem futurorum bonorum, eo quod ante assequi sperabant. Evidens autem est, quoniam et futuræ gloriæ splendorem pro modo fidei vel laborum a spiritu sibi itidem dari exspectabant. Bene ergo subministrationem spiritus dixit, ut largam mercedem significaret et retributionum magnitudinem illam, quam decet spiritum tribuere, et quoniam licet magna sint illa quæ exspectantur, sed et tribulationes præsentes magnæ erant, siquidem et tales insidiæ adversus eum ab his qui ejusdem fidei erant præparabantur.

Secundum dispensationem et spem meam, quia in nullis confundar, sed in omni fiducia sicut semper et nunc magnificabitur Christus in corpore meo , sive per vitam, sive per mortem. Desperationem evidenter illud dicit, quod sperare non possit, vult enim dicere : quoniam licet in tantis constringar malis, ut desperem de præsentibus, et nullam subrelictam spem salutis existimem : sed tunc spero non confundi, valde edoctus, quoniam magnus per illa quæ erga me sunt videbitur Christus, sive vivam, sive moriar : neque mortem meam fieri Christo absolute concedente aut vane. Et quoniam dixit, quia *magnificabitur Christus,* hoc autem necdum probationem habebat illorum quæ erga eum erant, ostendens quoniam et hoc sufficiens sit sibi si Christus magnificabitur, adjecit : *Mihi autem vivere est Christus, et mori lucrum.* Nec enim si vivam, inquam, alterius alicujus rei curam habeo, nisi solum illam, quæ ad gloriam pertinet Christi; licet moriar pro eo magna me lucratum esse confido. Vado enim ut sim cum illo, unde et summa cum demiratione adjicit : *Si autem vivere in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam ignoro. Coarctor enim ex duobus, desiderium habens ut resolvar, et cum Christo sim, multo magis melius : permanere autem in carne necessarium est propter vos.* Itaque et in dubitationem vertor, ignorans, quid me conveniat eligere : oblectat enim me hujus vitæ exitus, eo quod Christo me facit adesse : gratum autem mihi est, et ut sim in vita, eo quod multis ex illis qui Christo extranei sunt ad ejus potero perducere fidem. Itaque etsi melius est mihi hinc discedere, ut sim cum Christo, sed tamen plus præsentiam meam propter vos necessariam esse judico, ut ducam vos qui ad fidem acceditis. (*Greg.*) Et tamen alibi dicit, *qui sumus in hoc habitaculo ingemiscimus gravati, eo quod noluimus exspoliari, sed supervestiri ut absorbeatur quod mortale est a vita* (*II Cor.* v). Ecce et mori desiderat, et tamen carne exspoliari formidat, cur hoc ? quia etsi victoria in perpetuum lætificat, ipsa nihilominus ad præsens pœna perturbat, et quamvis vincat amor subsequentis muneris, tangit tamen non sine mœrore animum pœnæ doloris, sicut enim vir fortis cum vicino jam belli certamine armis accingitur, palpitat et festinat, tremit et sævit, quasi pavere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer urgetur : ita vir sanctus cum passioni propinquare se conspicit, et naturæ suæ infirmitate contunditur, et spei suæ soliditate roboratur, et de vicina morte trepidat, et tamen quod moriendo verius vivat, exsultat, ad regnum quippe non potest nisi interposita morte transire, et idcirco et confidendo quasi ambigit, et quasi ambiendo confidit, et gaudens metuit, et metuens gaudet, quia scit quod ad bravium quietis non perveniat, nisi hoc, quod interjacet cum labore transcendat : sic nos cum morbos a corpore repellere cupimus, tristes quidem amarum purgationis poculum sumimus, certe autem de subsequenti salute gaudemus, quia enim pervenire corpus aliter ad salutem non valet, in potu libet etiam quod tædet, cumque amaritudini inesse vitam animus conspicit, mœrore turbatus hilarescit. (*Cass.*) Denique beatus Paulus cum se tantis ac talibus ditari fructibus cerneret, et econtrario theoriæ bonum corde pensaret, ac velut in una lance tantorum laborum profectum, in altera delectationem divinæ contemplationis appenderet, diu examine pectoris sui quodammodo castigato, dum illum hinc laborum stipendia immensa delectant, illinc desiderium unitatis et inseparabilis Christi societas etiam ad resolutionem carnis invitat, anxius tandem proclamat, et dicit : *Quid eligam ignoro. Coarctor autem in duobus desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse, multo enim melius : permanere, autem in carne magis necessarium propter vos.* Cum igitur multis modis boni hujus excellentiam cunctis

Digitized by Google

etiam prædicationis suæ fructibus prætulisset, tamen charitatis, sine qua nemo Dominum promeretur contemplatione submittitur, ac propter illos quibus adhuc lac velut nutricula uberibus evangelicis immulgebat divulsionem a Christo sibi quidem noxiam, sed cæteris necessariam, non recusat : etenim ad electionem hujus potissimum rei illa nimia pietatis virtute compellitur, qua pro salute fratrum suorum, si esset possibile, etiam ultimum anathematis malum optasset incurrere. (*Ambr.*) Et quoniam ista dixit suum arbitrium publicans, ut ne videatur vera ratione apparatus nec ea scire quæ secundum se sunt, vel in quibus sit, adjicit : *Et hoc confidens scio quoniam manebo et permanebo omnibus vobis ad vestrum profectum et gaudium fidei : ut gloriatio vestra abundet in Christo Jesu in me per meum adventum iterum ad vos.* Sed hæc quidem secundum meum affectum locutus sum, scio autem quoniam ero in hac vita, ita ut ad vitam iterum veniam, et profectum suum in fide etiam illa quæ secundum vos sunt habeant, adjuncta vobis multitudine copiosa, quæ per me ad fidem deducetur, ita ut et ampliorem habeam occasionem gloriandi de vobis secundum Christum. Nam *vestrum* dicens, non ad plenum de persona Philippensium dicit, sed ut dicat illos qui per eum sunt crediturі ex gentibus : ex illorum persona illud dicens, quasi quia et ipsi sic crediderunt. *Tantum digne Evangelio Christi conversamini.* Hinc incipit de concordia et humilitate cum illis disputare docens eos non de primatu concertare. Valde autem illos ad verecundiam invitat dicto illo, quo dixit, ita ut digne Evangelio Christi conversamini. Si igitur hoc quærit ab illis, ut promissione sive consentanea agant, cujus demiranda adjectio quam adjecit, ut sive veniens et videns vos sive absens audiero illa quæ de vobis sunt, licet præsens sit, licet absens, similiter sollicitus est de illis, ut illa quæ meliora sunt recognoscant, et propter hoc semper æquo studio diligentiam implere meliorem optent. Quod est autem ejus consilium? *quoniam statis in uno spiritu unanimes*, hoc est concordatis vobis, et quæ sit utilitas concordiæ explicans, concertantes in fide Evangelii et non terreamini in ullo ab adversariis, quæ est illis causa perditionis, vobis autem salutis. Poteritis, inquit, concordantes auxilium vobis invicem præstare in fide, ita ut non concedatis illis quæ ab adversariis vobis inferuntur, quæ illorum quidem perditionis habent probationem, qui justa ratione pœnas luent, pro quibus in vobis talia agunt : vobis vero salus ex hoc erit, quam acquiritis, pro quibus in præsenti vita contemplatione pietatis passionibus oblectamini, et provocans eos ad passionem ineundam : *Et hoc a Deo quoniam vobis datum est pro Christo non solum, ut in illum credatis, sed et pro illo patiamini.* Sufficienter illis et hisce dictis alacritatem præstitit, siquidem sic bonum est pati pro Christo, ita ut et dignum sit illi pro hoc etiam gratias agere ob illa lucra quæ illis hinc adnascuntur. (*Cass.*) *Et hoc*, inquit, *a Deo quoniam vobis datum est pro Christo non solum, ut in illum credatis, sed et pro illo patiamini.* Hic quoque et initium conversionis ac fidei nostræ et passionum tolerantiam donari vobis a Domino declaravit, quod intelligens David quoque similiter orat sibi hoc ipsum in miseratione concedi dicens : *Confirma, Deus, hoc quod operatus es in nobis* (*Psal.* LXVII), ostendens non sufficere sibi salutis principia dono Dei gratiaque collata, si non fuerint eadem miseratione ipsius et quotidiana operatione perfecta : non enim liberum arbitrium, sed *Dominus solvit compeditos*, non nostra virtus, sed *Dominus erigit elisos*, non lectionis industria, sed *Dominus illuminat cæcos*, quod Græce dicitur : « Dominus sapientes facit cæcos ; » non nostra cautio, sed *Dominus custodit advenas ;* non nostra fortitudo, sed *Dominus allevat*, sive suffulcit *omnes qui corruunt.* Hæc autem dicimus non ut studium nostrum vel laborem atque industriam, quasi inaniter et superflue impendendo vacuemus, sed ut noverimus nos sine auxilio Dei nec anniti posse, nec efficaces nostros esse conatus ad capessendum tam immane præmium puritatis, nisi nobis adjutorio Dei ac misericordia fuerit contributum. Deinde exemplo sui magis eos adhortatur. *Idem certamen habentes, quale et vidistis in me, et nunc audistis de me.*

CAPUT II.

Instruit suos in fidei unitate, vera humilitate et sanctitate, ad quos mittit nuntios suos.

Deinde sumit exhortationem dicens : *Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas Spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum.* (Ambr.) Bene quia dixit, si qua ergo, eo quod videbantur curam ejus habere propter imminentem ejus necessitatem, ita ut mitterent et illa quæ usui ejus sciebant esse necessaria : omnino, inquit, si vobis cura est de nostra consolatione, et diligentes nos, condoletis nobis talia patientibus, illa facite quæ perfectum nobis gaudium de vobis reddere poterunt. Quæ illa varie dixit, ut dicat concordantes et diligentes alterutrum, deinde et abdicans illa, quæ ab illis fiebant monuit : *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* Nec enim cupiditate vanæ gloriæ super primatu debetis contendere, sed quod magis convenit eos facere : *Sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* Melius est, inquam, per humilitatem etiam illos qui æquales nobis sunt meliores existimare, et sic omnem illis honorem impigre tribuere. Et quod maxime sciebat posse intercipere hujusmodi contentionem, adjecit consilium dans eis, ut non solum *sua unusquisque consideret, sed et quæ alterius sunt singuli.* Noli, inquit, considerare quemadmodum ipse primatum teneas, sed reputa quoniam si tibi jucundum est cæteris præesse, multo magis alteri intolerabile est, ut secundum locum teneat, cogitans autem similia, et de cæteris diligentiam magis ex æqualitate adhibebis. *Nihil per contentionem*, inquit, *neque per inanem gloriam, sed in humilitate mentis superiores*

Digitized by Google

vobismetipsis alterutrum arbitrantes, et illud, *honore alterutrum prævenientes*, ut plus unusquisque consorti suo scientiæ et sanctitatis ascribens summam discretionis veræ in alterius magis quam in suo credat stare judicio. Sæpe autem accidit sive illusione diaboli, sive intercessu erroris humani, quia nullus est in hac carne, qui non falli velut homo non possit, ut et ille interdum, qui acrioris ingenii scientiæque majoris est aliquid falsum mente concipiat, et ille qui tardioris ingenii ac minoris est meriti, rectius aliquid veriusque præsentiat : et idcirco nullus sibi quamvis scientia præditus inani tumore persuadeat quod possit collatione alterius non egere. Nam etiamsi judicium ejus diabolica non fallat illusio, elationis tamen et superbiæ graviores laqueos non evadet. Quis enim hoc sibi absque ingenti poterit usurpare pernicie? cum vas electionis in quo Christus, ut ipse professus est, loquebatur ob hoc solummodo se asserat Hierosolymam conscendisse, ut suis coapostolis Evangelium quod gentibus, revelante et cooperante Domino, prædicabat, secreta examinatione conferret, per quod ostenditur non solum unanimitatem atque concordiam per hæc præcepta servari, verum etiam cunctas diaboli adversantis insidias et illusionis ejus laqueos non timeri. (*Ambr.*, *Aug.*) Deinde exemplo admodum necessario utitur ad humilitatis doctrinam illam dicens quæ secundum Christum sunt. *Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu.* Non hoc ita debemus existimare, ut non existimemus, quasi nos existimare fingamus, sed vere existimemus posse esse aliquid occultum in alio, quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo videmur superiores esse, non sit occultum. Istæ cogitationes deprimentes superbiam, adjungentes charitatem, faciunt onera fraterna invicem non solum æquo animo, sed etiam libentissime sustineri, neque ulla res officiosum istum laborem ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, nisi cum cogitamus quanta pro nobis pertulerit Dominus. Hinc enim admonens Apostolus non quæ sua sunt unusquisque intendentes, sed quæ aliorum : *Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, et cætera. Ad hoc duntaxat, ut quemadmodum ille in eo quod Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et sine peccato cum esset, peccata nostra suscepit, non attendit sua sed nostra, ita et nos libenter ad ejus imitationem invicem onera nostra portemus. Et illi quidem dicunt minorem Filium esse quam Pater est, quia scriptum est ipso Domino dicente : *Pater major me est* (*Joan.* XIV), veritas autem ostendit secundum justum modum etiam seipso minorem Filium, quomodo enim non etiam seipso minor factus est, qui semetipsum exinanivit formam servi accipiens? Neque enim sic accepit formam servi, ut amitteret formam Dei; si ergo ita accepta est forma servi, ut non amitteretur forma Dei, cum et in forma servi, et in forma Dei ipse sit Filius unigenitus Dei Patris, in forma Dei æqualis Patri, in forma servi *mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (*I Tim.* II), quis non intelligat quod in forma Dei etiam ipse seipso major est? in forma autem servi etiam seipso minor est, in similitudine hominum factus et habitu inventus ut homo? Est ergo Dei Filius Dei Patri natura æqualis, habitu minor, in forma enim servi quam accepit minor est Patre, in forma autem Dei in qua erat, antequam hanc accepisset æqualis est Patri. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* (Greg.) Et ei semetipsum exinanivisse est ab invisibilitatis suæ magnitudine visibilem demonstrasse, ut servi formam tegeret, hoc quod incircumscripte omnia ex divinitate penetraret. (*Ambr.*) Rapere hominibus est moris illa, ex quibus aliquid acquirere sese posse existimant : dicimus enim frequenter, quoniam illam rem rapiendam esse existimavit, hoc est cum celeritate illud suscepit, quasi quia magnum illi lucrum possit conferre; hoc ergo dicit de Christo, *quoniam non rapinam arbitratus est, ut sit æqualis Deo*, hoc est non magnam reputavit illam quæ ad Deum est æqualitatem, et elatus in sua permansit dignitate, sed magis pro aliorum utilitate præelegit humiliora sustinere negotia, quam secundum se erant : et quidem cum in forma Dei exstaret, ut dicat Dei existens, hoc est Dominus et dominator et universitatis auctor. Hæc enim omnia quæ dicta sunt nuncupationem Dei subsequi videntur veraciter. Quid autem fecit? *Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Exinanitum divina Scriptura pro nihilum vocat, sicut alibi scriptum est (*Rom.* III) : *Evacuata est fides*, hoc est nulla esse ostensa est. Ut idipsum sapiatis, eamdem charitatem habentes unanimes unum sapientes. Evacuata est ergo prædicatio nostra, hoc est nulla est et vana. Nam quod dicit seipsum, formam servi accipiens, dignitatem illam abscondit, hoc solum a videntibus se esse existimabatur quod et videri poterat : divina enim natura cunctis erat occulta : formam autem servi, ut dicat naturam servi, humana sic vocatur natura; servilis enim est humana natura, sicut et illud quod dixit, in forma Dei, in divina natura dicit, hoc est divinæ naturæ existens, et quoniam dixit formam servi, commune autem erat hoc et hominibus et jumentis et angelis, formæ enim servorum sunt, et illi siquidem facti sunt, adjecit et illud quod proprietatem significaret, instruere volens, quod dixerat formam servi, *in similitudinem hominis* factus. *Factus* quod dixit, pro *habitus* posuit. Nam quod dixit in similitudinem hominis, ut dicat in homine, similitudo enim hominis homo est, hæc omnia conjunxit de Dei verbo dicens; unde adjecit : *In schemate vel specie inventus est ut homo.* Ad comparationem illius naturæ quæ in nulla specie vel schemate perspici potest. Schema et speciem posuit, ut dicat quoniam invisibilis et omni schemate liber existens sicut fas est voluit in homine videri. In quibusdam vero exemplaribus ita legitur, *et habitu inventus est ut homo.*

Digitized by Google

(*Aug.*) Habitus in ea re dicitur quæ nobis ut habeatur accidit; verumtamen hoc interest, quod quædam eorum quæ accidunt nobis, ut habitum faciant non mutantur a nobis : sed ipsa nos mutant in se ipsa integra et inconcussa manentia; sicuti sapientia cum accidit homini non ipsa mutatur, sed hominem mutat quem de stulto sapientem facit; quædam sic accidunt, ut et mutent et mutentur sicuti cibus, et ipse amittens speciem suam in corpus nostrum vertitur, et nos refecti cibo ab exilitate atque a languore in robur atque valentiam commutamur. Tertium genus est cum ipsa quæ accidunt mutantur et habitum faciunt, et quodammodo mutantur ab iis quibus habitum faciunt sicut est vestis : nam induta accipit formam quam non habebat exuta, cum ipsa membra, et cum induuntur et cum exuuntur, in suo statu maneant. Potest esse etiam quartum genus, cum ea quæ accidunt ad faciendum habitum, nec mutant quibus accidunt, nec ab eis ipsa mutantur, sicut annulus digito. Cum igitur Apostolus de unigenito Dei filio loqueretur, quantum pertinet ad divinitatem ejus, secundum id quod verissime Deus est, æqualem dixit esse Patri, quod non ei fuit tanquam rapina, id est quasi alienum appetere, si semper manens in ea æqualitate nollet hominem induere et hominibus ut homo apparere, sed semetipsum exinanivit, non formam suam mutans, sed formam servi accipiens : neque conversus aut transmutatus in hominem amissa incommutabili stabilitate, sed quanquam verum hominem suscipiendo ipse susceptor in similitudinem hominum factus non sibi, sed eis quibus in homine apparuit, et habitu inventus ut homo, id est habendo hominem, inventus ut homo est. Non enim poterat inveniri ut homo ab his qui cor immundum habebant, et verbum apud Patrem videre non poterant, nisi hoc suscipiendo quod possint videre, et per quod ad illud lumen interius ducerentur. Iste autem habitus non est ex primo genere : non enim manens natura hominis naturam Dei commutavit. Neque ex secundo, non enim immutavit homo Deum et mutatus ab illo est. Neque ex quarto, non enim sic assumptus est homo, ut neque ipse mutaret Deum, nec ab illo mutaretur, sed potius ex tertio : sic enim assumptus est ut commutaretur ineffabiliter, et excellentius atque conjunctius, quia vestis ab homine cum induitur, formam hominis accipit. Hoc ergo nomine habitus satis significavit Apostolus quemadmodum dixerit, *in similitudine hominum factus*, quia non transfiguratione in hominem, sed habitu factus est cum indutus est homine, quem sibi uniens quodammodo atque conformans immortalitati æternitatique sociaret; sed illum habitum qui est in perceptione sapientiæ et disciplinæ Græci nizin vocant, hunc autem secundum quem dicimus vestitum vel armatum schema potius appellant, ex quo intelligimus de isto genere habitus locutum Apostolum, quoniam quidem in Græcis exemplaribus σχῆμα scriptum est, quod nos in Latinis habitum habemus. Quo nomine oportet intelligi non mutatum esse verbum susceptione hominis, sicuti nec membra veste induta mutantur. Cum ejus obedientiam usque ad mortem factam commendaret Apostolus, parum illi fuit dicere, *factus obediens usque ad mortem :* non enim qualemcunque mortem, sed addidit, *mortem autem crucis*, illa morte pejus nihil fuit inter omnia genera mortium ; denique ubi dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocatur, a cruce nominatus, pendentes enim in ligno crucifixi clavibus ad lignum pedibus manibusque confixi producta morte necabantur; diu vivebatur in cruce, non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citius finiretur. Mori voluit pro nobis, parum dicimus; crucifigi dignatus de morte pessima occidit omnem mortem : pessima enim erat non intelligentibus Judæis, nam a Domino electa erat, ipsam enim crucem suam signum habiturus erat, ipsam crucem de diabolo superato tanquam tropæum in frontibus fidelium positurus, ut diceret Apostolus : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI).

Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. (Ambr.) Humiliavit, inquit, seipsum : usque in hunc locum, illa quæ divinæ naturæ condecebant visus est dixisse, in subsequentibus vero ad illa transit quæ humanæ possunt aptari naturæ. *Factus obediens usque ad mortem mortem autem crucis.* De homine quidem condecet ut ista dicantur, divinæ autem naturæ nequaquam aptari possunt ista : nec enim mortem pati natura illa potest, quæ et mortuum suscitare promisit, evidenter Domino ipso dicente : *Solvite templum hoc, in tribus diebus resuscitabo illud* (*Joan.* II), et solutionem quidem templo aptavit, resurrectionis vero operationem sibi aptavit, statim in ipso principio dicens : In Christo Jesu singulariter, et ut moris erat de una persona dicens, duarum et rationem memoratus est, et naturam dicens, *qui in forma Dei exstans formam servi accepit*, evidenter aliud quod dicens Dei formam, aliud etiam servi : illud quidem sumptum dicens, hunc vero sumentem. Ut autem divisio hæc dictorum non alterum aliquem ad plenum præter Christum faciat intelligi, servi formam unicuique reddidit. Secundum ut et in promptu perspici possit, illud quidem quod dixit qui in forma existens et reliqua omnia illa dixit quæ in persona intelliguntur Christi : formam vero servi ne aliud quid præter Christum esse existimetur reputasse, eo quod et ab eo sit accepta, dicens vero quæcunque oportebant, de divina dicit natura, ad humilitatis augmentum conjunxit, et illa quæ humanitatis sunt propria in una eademque persona dicens illum honorem qui erga eum post passionem existit, adjecit, *quoniam Dominus Jesus Christus*, evidenter ostendens quoniam non alium aliquem præter Christum existimat esse susceptum hominem et virtutem illorum, quæ significantur naturarum differentiam ostendit. Nam ex illo quo divina persona omnia dixit, copulationem sufficienter ostendit. Omnia quidem in loco ubi de Christo disputat quasi de una persona universa dicit, et illa

Digitized by Google

quæ virtute sunt differentia secundum naturarum divisionem in unum omnia collegit, ita ut divisam custodiat personæ copulationem. Hoc vero in loco et maxime hoc prudenter simul et necessario egisse videtur. Nam propter consuetudinem solam qua abutitur scrupulosam doctrinam dogmatis, sed et quantum ad præsens argumentum, valde hæc species narrationis illi conveniebat, propositum enim illi erat ut doceret et Philippenses, quoniam bona est humilitas, et valde sufficiens agenti illud lucra conferre, et hoc illo exemplo quod secundum Christum est confirmat. Conveniebat enim ad majorem doctrinam omni ex parte augeri exemplum. Quemadmodum si Deitatis solius fecisset mentionem, sufficienter ostendere poterat quod valde conveniat humilia sapere : etenim tantum divinam naturam ostendebat, humilitatem rem efficiens quæ multum a sua dignitate distare videbatur. Nam quæ erat res ipsa agenti lucrativa ostendere nullo modo poterat, eo quod nec poterat comprobare aliquid hinc illam naturam potuisse acquirere : si autem humanam naturam tantummodo fuisset memoratus, lucrativam rem esse ab illis quæ ei acquisita fuerant ostendebat, quod vero conveniat humilia sapere cum simili dignitate, huic non poterat confirmare. Nam et illud quod dixit : *factus obediens usque ad mortem*, homini autem aptatum nihil poterat illorum quæ ad humilitatem pertinent comprobare. Si non et divina natura inesse ei fuisset ostensa per quam licebat et hinc non subjici morti. Nam secundum se non obeditionis opus implebat morti succumbens : sustinebat enim mortem et nolens secundum dudum positum terminum naturæ. Prudenter vero sicut dixit quasi in una persona omnia retulit, colligens in unum illa quæ virtute differre videbantur, secundum naturarum divisionem, ita ut ex utroque quod utile erat deduceret ad exhortationem, de illis quidem sermonibus qui erant Deitatis, suadebat nobis ut necessario in nostris cogitationibus humilitatem ostenderemus, siquidem Deus verbum talia sponte fecisse videbatur, ita ut pro aliorum salute prænorandam omnibus existimaret humilitatem ; de illis vero quæ secundum humanitatem facta sunt ostendebat lucrativam esse rem agere volenti, ex quibus ille post passionem in tanta constitit gloria. Unde dicens : *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, quod quidem erat humanitatis proprium, quæ humanitas etiam et passionem suscepisse videbatur. Ostendebatur vero ex divinitatis sermonibus ad exhortationem humilitatis per quam licebat non pati si voluisset, adjecit :

Propter quod et Deus illum exaltavit. Nescio si aliquis sic stultus inveniri possit, ita ut post passionem exaltatum fuisse Dei verbum existimet. Quæ est autem ipsa exaltatio? *Et donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Nomen evidens est, quoniam non vocabulum, sed rem quamdam dicit acquisitam ei, sicut illi quod scriptum est : *Et cognoscant quoniam nomen tibi Dominus* (*II Par.* VI), hoc est, quoniam tu Dominus. Interpretatur vero ipse quid sit illud nomen. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium et terrestrium et infernorum : et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Hoc enim illi donavit, ut omnes illum adorent, et ut omnes Deum confiteantur Jesum Christum in gloria Dei Patris effectum, hoc est talem potitum gloriam, qualem fas est illum qui sibi patrem adscribit Deum potiri, propter illam copulationem quam habet ad unigenitum. Quoniam autem hæc post passionem acquisita sunt illi qui assumptus est, nemo qui nesciat, Deo autem verbo aderant a principio, utpote omnium factori, quod neminem æstimo contradicere, nisi forti valde cedat insaniæ. *Cœlestium* quidem dicit invisibilium virtutum : *terrestrium* vero vivorum hominum : *infernorum* etiam illorum qui mortui sunt, qui et ipsi per resurrectionem Dominum confitebuntur resurrectionis suæ auctorem. Illud inter cætera est explicandum quod quidam hæreticorum intervertere volentes testimonium illud quod dictum est, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, sic intellexerunt, quoniam existimabit, inquit Christus, convenire sibi, ut non raperet illam æqualitatem quam Deus habere videbatur : dictum ipsum multæ stultitiæ habet probationem, hoc enim quando excogitare potuit Christus, si tamen secundum illorum sententiam ejus factura est ex nihilo factus, qui et auctorem suum scit illum esse factorem suum et creatorem? nisi forte hoc dicant : quoniam secundum dæmones exæquare se Deo non usurpavit? quod hæreticos quidem convenit intelligere, qui et semper plena insaniæ verba loquuntur : Paulo vero non conveniebant hæc verba quasi ut quid magnum diceret de Christo, licet talia esse quis dicat illa, quæ secundum filium sunt; qualia illic dicunt. Videntur autem neque sensum Apostoli præspexisse dicentis : Humilitatem vos existimantes alterutrum vobis supereminere. Evidens est enim quoniam in hisce verbis non minores docet debitum honorem majoribus persolvere, sed exæquatos honore admonet, ut per humilitatem alterutrum se sibi supereminere existiment. Unde et alterutrum posuit, ut et isti erga illos, et illi erga istos paria sapiant. Ad hoc etiam et exemplum aptasse visus est, siquidem Christus ad Patrem secundum divinam naturam æqualitatem vindicans acquievit in homine habitare, et sic exiguam apud homines opinionem acquirere : ita ut nec æstimarent eum aliud quid tunc nec esse propter hominem solum, quod et esse videbatur, ultra vero non erat aptum si nullam habens ad Patrem æqualitatem, præceptum solummodo implebat natura ipsa, ut obtemperaret ei necessitate illi imponente. Itaque et ridiculum erat secundum Apostoli intentionem, ut diceret, quoniam et Christus non insurrexit adversus Patrem, neque conatus est rapere illam æqualitatem, quam cum Patre habebat, consilio illis dante, ut æquales sibi existimarent per bonorum actuum cooperationem, per humilitatem supereminere sibi existimarent. Itaque beatus Paulus sic per omnia exhortationem faciens adjicit.

Digitized by Google

Itaque, charissimi mei, sicut semper obedistis non ut in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini. Optime et memoriam præteritorum persuasit illis nihil indignum sibi sapere, sed talia facere qualia et primitus faciebant, coram ipso et animæquiores faciens eos super convenienti illis studio adjicit. *Deus enim est qui inoperatur in vobis et velle et inoperari pro beneplacito.* Sic enim alacritas vestra cooperariam invenerit sibi Dei gratiam; necessarie eo cooperante vobis ut cogitetis et agatis illa quæ sunt Deo placita, sic enim dicit *pro bono placito.* (Aug.) Deinde ad exhortationem perducit verbum. Mirum autem est quod prædicato crucifixo audiunt duo, unus contemnit, alter ascendit: qui contemnit imputet sibi, qui ascendit non arroget sibi, ne quod humilis meruit, superbus amittat. Nam etiam qui jam in via justa ambulabant non sibi eam tribuerint et viribus suis, ne pereant de illa. Ideo humilitatem nos docens sancta Scriptura per Apostolum loquitur, *cum timore et tremore vestram* ipsorumque *salutem operamini,* et ne inde sibi aliquid darent quia dixit *operamini,* continuo subjunxit: *Deus enim est qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate.* Deus est qui operatur in vobis, ideo cum timore vallem facite, imbrem suscipite, depressa implentur, alta siccantur, gratia pluvia est. Quid ergo miraris si Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam? ideo cum timore et tremore, id est cum humilitate, *noli altum sapere, sed time* (*Rom.* xi). Time ut implearis, noli altum sapere ne sicceris. *Omnia autem,* inquit, *facite sine murmurationibus et disceptationibus, ut sitis sine querela et simplices filii Dei sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi.* Sic enim inter medios homines illos qui deteriorem plurimam habent sollicitudinem apparebitis irreprehensibiles, et quales decet apparere illos qui in ordine sunt filiorum Dei effecti, ita ut virtutibus illustrati fulgentes inter illos ad similitudinem luminariorum et exspectantes illam æternam vitam in futuro illo die, in quo et mihi proveniet gloriari, et ostendens quod illorum profectus multam et illi præstabit fiduciam qui fiet in melius. *Quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi: sed etsi immolor supra sacrificium in obsequium fidei vestræ, gaudeo et congratulor omnibus vobis: idipsum autem et vos gaudete et congratulamini mihi.* (Ambr.) Vobis sollicitis de virtute existentibus gratulor et ipse spe illa, qua et in futuro sæculo sum de vobis exsultaturus: sciens quia non vane pro fide laboravi; sed justa ratione omnia sustineo, licet pro vobis etiam mortem subire sim paratus, vobis quasi aliquod sacrificium fidem vestram Deo offerentibus, me autem ad instar libationis proprium sanguinem vobis infundente. Bene autem dixit: *hoc ipsum et vos facite,* hoc et justum est et vos ex quibus agitis, ut socii appareatis gaudii mei. Deinde adjecit:

Spero autem in Domino Jesu Christo Timotheum me cito mittere ad vos, ut et ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt, neminem enim habeo tam unanimem qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi. Quoniam spero, inquit, cito mittere vobis Timotheum, ita ut magis bono animo sim per illum cautissime vobis instructis, eo quod neque habeo alium sic unanimem et affectiose de vobis sollicitum omnibus illa considerantibus quæ sua sunt. Indicat enim de illis qui ex circumcisione sunt, et ostendere cupiens quoniam ista non in gratiam Timothei dicit, ipsorum utitur testimonio, utpote scientibus cum, et dicit: *Experimentum autem ejus cognoscite, quoniam sicut patri filius mecum servivit in Evangelio.* Et iterum adjicit: *Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox ut videro quæ circa me sunt.* Confestim quoniam mittam illum vobis, at ubi illa quæ secundum me sunt videro et sciero, in quibus sunt, omni dilatione postposita. *Confido autem in Domino, quoniam et ipse cito veniam ad vos.* Adjicit autem quoniam et ipse valde credidit Deo venire ad eos, unde adjicit: *Necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem Apostolum et ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos, quoniam quidem omnes vos desiderabat, et mœstus erat propterea quod audieratis illum infirmatum, nam et infirmatus est usque ad mortem: sed Deus misertus est ejus; non solum autem ejus, verumetiam et mei, ne tristitiam haberem.* Quoniam nunc interim necessarium existimavi Epaphroditum mittere ad vos, qui operarius meus est secundum Evangelium. Apostolus autem vester est et minister necessitatum mearum, ut dicat per quem transmisistis illa quæ in usus meos necesse habebantur, deinde et commendans eum illis dicit: quoniam et ipse desiderabat vos, et maxime illa quæ de vobis sunt. Per neminem enim cognoscens, quoniam audistis eumdem infirmantem: tristabatur enim reputans tristitiam vestram, illam, quam pro eo habere videbamini, nam et vere infirmatus est, ita ut et propinquaret morti, misertus est autem ei Deus, magis autem et mihi et illi, liberans eum ab infirmitate, ut ne circumvallatus multa tristitia adjectionem alterius tristitiæ ex ejus sustinerem morte, quibus adjicit: *Festinantius ergo misi eum, ut videntes eum iterum gaudium habeatis.* De ejus velocitate, ut et vos videntes eum gaudio repleamini, et ego ultra non sim tristis, sciens quoniam consolabitur vos illius adventus. His ergo adjicit: *Suscipite ergo eum in Domino cum omni gaudio, et eos qui hujusmodi sunt in honore habete, quoniam propter opus Domini usque ad mortem appropinquavit, in incertum tradens animam, ut suppleret vestram minorationem ad meum ministerium.* Obsecrans eos ut suscipiant eum libenter, et consilium illis dat ut ad plenum in honore habeant eos qui tales sunt. Ostendit autem quoniam vera ratione dignus sit honore apud eos, ex quibus dicit quod

Digitized by Google

ministraverit vestræ voluntati, apportans illa quæ mihi a vobis missa sunt in tantum inciderit periculum. Opus quidem Domini ministerium ipsum vocans : supplementum vero eorum minorationis ad suum obsequium hoc idem vocans, ita ut cupientes mittere illa quæ ad usus erant necessaria, minime valerent, eo quod unusquisque quæcunque illi dare voluerant, per se perferre non poterant, hoc ergo dixit : ipse supplevit et quæ vobis deerant, ille ab omnibus accipiens, et omnium supplens vota, apportavit, et hæc dicens de Timotheo quidem memoratus est quoniam missurus sit eum : de Epaphrodito vero quoniam misit eum cum suis scriptis, adjecit vero ad omnia.

CAPUT III.

Ostendit evacuationem legalium verbo et exemplo : deinde se excusat, et eos ad imitandum se provocat.

De cætero, fratres mei, gaudete in Domino. (Amb.) Orans pro illis ista dicit. Hoc est, contingat vobis ita omnia pati per divinam gratiam ut semper gaudio sitis repleti in illis bonis quæ ab eo nobis sunt præstita. Bene autem posuit *in Domino*, eo quod est gaudere et non bene, quando quis in bonis præsentibus delectari videtur, erga possessiones et fruitionem earum id sibi bonum esse existimans. *Hæc eadem scribere vobis*, mihi quidem impigrum, *vobis autem cautum*. Hinc incipit illos reprehendere qui erant ex circumcisione, qui suadere illis conabantur ut secundum legem viverent. Nam quod dixit, hæc eadem scribere, non quia jam scripserat dicit : nullo enim in loco in Epistola id videtur dixisse, alteram autem quando scripsit ad eos Epistolam nullo modo didicimus, sed quia docuerat eos instantissime de his ipsis negotiis quando illo fuerat hoc dicit : Quoniam mihi de quibus frequenter vobis locutus sum, de illis ipsis scribere impigrum est, eo quod frequens commonitio cautelam vobis ampliorem præbere videtur. Quæ sunt ergo ista? *Videte canes, videte malos operarios*. Canes vocavit eos eo quod nullam haberent verecundiam, sed et frequenter reprehensi pro prava et vana doctrina, in iisdem persistere videantur ; malos autem operarios dicit, eo quod non illa docere festinent quæ pietatis conveniunt. Opus autem vocat doctrinam, sicuti et alibi dixit (*I Cor.* III) : *Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet, si cujus opus arserit, detrimentabitur*, de doctrinis enim illa dixisse evidenter cognoscitur : *Videte concisionem*. Bene autem concisionem dixit, eo quod quando id fieri Deo complacebat circumcisio erat, quia vero nunc non secundum Dei fit voluntatem, sed conciduntur tantum ad corporis nocivitatem, ideo ad suam illis comparat personam dicens : *Nos enim sumus circumcisio*. Hoc est, qui illa agimus quæ placita sunt Deo : et custodes cautissime sumus illorum quæ Deo placent, quod proprium est illorum qui se habere promittunt circumcisionem, ex ipsis rebus id confirmans, adjicit : *Qui Spiritu Deo servimus et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne confidimus quoniam carnalem Deo functionem reddimus*. Sed sicut est conveniens et gloriamur in Christo qui horum nobis auctor existitit, non tamen in illis quæ secundum carnem sunt pietatem esse definimus, sic et Dominus in Evangeliis dicit : *Etenim Pater tales quærit qui se adorent, spiritus est Deus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate debent adorare* (*Joan.* IV) ; qui et ad Samaritanam dicebat, quæ æstimabat in loco oportere adorare Divinitatem docens : quoniam incorporea est divina natura et tali arbitrio conveniet eam adorari. Maxime vero illo loco satis claret, quod Spiritus sanctus non sit creatura, ubi jubemur non servire creaturæ sed creatori. (*Aug.*) Non eo modo quo jubemur per charitatem servire invicem, quod est Græce δουλεύειν, sed eo modo quo tantum Deo servitur quod est Græce λατρεύειν. Unde idololatræ dicuntur qui simulacris eam servitutem exhibent quæ debetur Deo : secundum hanc enim servitutem dictum est : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV). Nam hoc distinctius Græca in scriptura invenitur, λατρεύσεις enim habet, porro si tali servitute creaturæ servire prohibemur, quoniam quidem dictum est : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. Unde et Apostolus detestatur eos qui coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori. Non est utique creatura Spiritus sanctus, cui ab omnibus talis servitus exhibetur dicente Apostolo : *Nos enim secundum circumcisionem spiritu Dei servientes*, quod est in Græco λατρεύοντες, plures enim codices etiam Latini sic habent, *qui spiritu Dei servimus*. Græci autem omnes, aut pene omnes, in nonnullis autem exemplaribus Latinis invenimus non *spiritu Dei servimus*, sed *spiritu Deo servimus*, sed qui in hoc errant, et auctoritati graviori credere detrectant, nunquid et illud varium in codicibus reperiunt : *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo?* (*I Cor.* VI.) [Ambr.] Et ut ne videatur ex superfluo ille incusare ipse nihil tale habens ad sui probationem illis habentibus unde glorietur.

Et quidem ego habens confidentiam et in carne si quis videtur alter in carne confidere eo magis. Si de his, inquit, bonum erat magna sapere, nulli eorum infirmior sum secundum hanc rationem. Deinde et per partes dicit omnia illa quæ videbantur esse magna illis qui secundum legem conversabantur. *Circumcisus octava die*. Bene posuit octavam diem, ut ostenderet non se fuisse advenam, in quibus solet postea celebrari circumcisio. (*Aug.*) Sed et ab initio et secundum legem, in veteribus sacramentis circumcisio parvulorum octavo die fieri præcepta est, quoniam Christus, in quo fit delicti carnalis exspoliatio, quam significat circumcisio, die Dominico resurrexit, qui post septimum octavus est. *Ex genere Israel*. Ex cujus genere descendere omnes videntur, qui in qualibet sunt tribu. *De tribu Benjamin*. Necessaria fuit etiam tribus adjectio, ad ostensionem quod non advena fuerit, sed a primordio inde originem traxerit. Unde et evidentius illud insinuans dicit. *Hebræus ex Hebræis*. Non dixit : Judæus ex

Digitized by Google

Judæis. Novella enim erat hæc nuncupatio, sed Hebræus ex Hebræis, de antiqua nuncupatione antiquitatem suæ originis confirmavit. Deinde et illa quæ sunt ejus propositi. *Secundum legem*, inquit, *Pharisæus*. Illi enim qui in hanc consistebant hæresim cauti interpretes legis esse existimantur, et illa docere properabant quæ in lege habere videbantur, hinc ostendit. *Secundum æmulationem persequens ecclesiam*. Et quoniam in persecutione habebat perfectam probationem, fieri enim poterat, ut hoc ferocitate sola faceret simulatione illa qua pro æmulatione pietatis id facere videbatur, adjicit: *Secundum justitiam quæ in lege est factus sine querela*. Bene autem dixit *quæ in lege est*, eo quod non erat possibile sine querela ad plenum posse aliquem invenire. Omnia vero decurrens et ostendens quoniam nihil deerat ei bonum, ex illis quæ secundum legem erant. *Sed quæcunque mihi erant lucra, hæc existimo propter Christum detrimenta :* lucra quidem dicens, ut ostendat quoniam necessario tunc agebantur: adjiciens vero illa quæ erant ad confirmationem, dicit quoniam lucra habebat illa sollicitudo quæ erga illos erant. Nunc vero magis sunt detrimenta in comparatione Christi reputata. Unde ad comparationem Christi: *Sed et existimo omnia detrimenta esse propter supereminentem scientiam Jesu Christi Domini mei*. Bene posuit *Domini mei*, quasi ex comparatione cognoscens ipsam differentiam. Unde et motus amore Dominum suum Deum dixit: ut post majorum bonorum illi causa existente. Deinde adjicit: *Propter quem omnia detrimentatus sum, et existimo ut stercora*. Et quoniam videbantur contumeliosa, ut stercora vocare illa quæ legis sunt, velociter adjicit: *Ut Christum lucrifaciam*. Ostendens quoniam comparatio illorum qui secundum Christum sunt ista talia faciunt videri, qualiter aut quomodo? *Et inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est : sed illam quæ ex fide est Christi, qui ex Deo est justitia ex fide*. Cupio, inquit, illam justitiam assequi quæ ex Deo est, quam assequi possumus per illam fidem quæ in Christo est, et ideo dispicio meam justitiam quæ ex lege est, sciens eam et laboriosam esse, et impossibilem ad directionem : facilius enim mihi ex lege peccare est, quam dirigi, et manifestius faciens quæ sit illa ex Deo justitia, quæ per illam fidem quæ in Christo est acquiritur in fidem. (*Aug.*) Hoc ergo Judæorum Paulus dixerat quod malum habebant et imprimis illud quod *ignorantes Dei justitiam et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* x); deinde quod post passionem ac resurrectionem Christi dato atque manifestato sacramento gratiæ secundum ordinem Melchisedech, adhuc putabant sacramenta vetera non ex consuetudine solemnitatis, sed ex necessitate salutis esse celebranda : quæ tamen si nunquam fuissent necessaria infructuose atque inaniter pro eis Machabæi martyres fierent. Postremo illud quod prædicatores gratiæ Christianos Judæi tanquam hostes legis persequebantur, hos atque hujusmodi errores et vitia dicit se damnare, et stercora arbitrari, ut Christum lucrifaceret, et non observationes legis si more patrio celebrarentur, sicut ab ipso celebratæ sunt, sine ulla salutis necessitate sicut Judæi celebrandas putabant, aut fallaci simulatione quod in Petro reprehenderat. Qui enim præcepta legis implere se putat per arbitrium propriæ voluntatis sine spiritu gratiæ, suam justitiam vult constituere, non justitiam Dei sumere. Nam unde dicit idem Apostolus : *ut inveniar in illo non habens justitiam meam, quæ ex lege est, sed justitiam quæ ex fide*, justitiam ex Deo, quare suam justitiam dicit quæ ex lege eamque justitiam probat, non autem suam, sed ex Deo justitiam, quæ est ex fide. Nunquid lex non est ex Deo? quis nisi infidelis hoc dixerit? sed ex lege dicit justitiam suam, in qua homo putat sufficere sibi legem ad facienda divina mandata, confidens in virtute sua. Ex fide autem justitiam ideo dicit esse ex Deo, quia Deus unicuique partitur mensuram fidei, et ad fidem pertineret credere quod in nobis Deus operetur et velle, sicut operabatur in illa purpuraria, cujus aperuerat Deus mentem, ut intenderet ea quæ a Paulo dicebantur. Ac per hoc nec ipsi Judæi qui crediderunt in Christum, in quibus et Paulus fuit, ex lege hæredes omnino dicendi sunt, sed potius ex promissione. Ideo enim dictum est : *In Isaac vocabitur tibi semen* (*Hebr.* xi), quia non qui filii carnis, hi Filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semine. *Ut cognoscam eum, et virtutem resurrectionis ejus*. Non dixit resurrectionem, *sed virtutem resurrectionis*. Quæ est autem resurrectionis ejus virtus? quoniam pro omnibus facta est, et ut omnes similem assequatur resurrectionem : credens enim Christo, credo etiam et virtutem resurrectionis ejus cognoscere, hoc est assequi resurrectionem, in qua effectus in immortali et impassibili natura ab omni peccato liber ero, ultra non indigens lege. Nec enim erant consentanea simul etiam et affectus ejus quam erga legem cum labore et sudore virtutem sum directurus, sed divina gratia custodibor in bonis eo quod tunc nec peccare ultra potero. *Et communicationem passionum ejus conformis factus morti ejus, si quomodo occurram in eam resurrectionem quæ est ex mortuis*. Propter hoc, inquit, et communicare passionibus ejus cupio, consimilis factus morti ejus, eo quod ad similitudinem ejus contemplatione pietatis ab alienis ad mortem pertrahor, spe illa qua confido particeps fieri ejus resurrectionis quæ etiam multa et immensa repleta est gloria. *Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim : persequor autem si et comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu*. Eo quod de sursum illi apparuit, et de cœlo Christus suam illi ostendit gloriam, hoc dicit in illud quod perfectum est necdum constituto, ex specto enim illud adhuc. Omnia autem facio enitescens assequi participationem eorum, in quibus ipse oculis meis perspexi esse Christum, quando me persequentem per suam revelationem præveniens in

Digitized by Google

suam me cognitionem convenerat, et insistens illis ipsis. *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse adhuc.* (Greg.) More itaque viatorum nequaquam debemus aspicere quantum jam iter agimus, sed quantum superest ut peragamus, ut paulisper fiat præteritum quod indesinenter et timide adhuc attenditur futurum. Amplius igitur debemus inspicere quæ bona necdum fecimus, quam ea quæ nos jam fecisse gaudemus. Sed habet hoc humana infirmitas proprium, ut plus ei intueri libeat, quod sibi in se placet, quam quod sibi in se displicet. Æger quippe oculus cordis dum laborem inconsiderationis sua metuit, quasi quoddam stratum delectationis in animo, ubi molliter lateat, requirit. Atque idcirco quæ commoda de peractis bonis sit assecutus intelligit, sed quæ damna de neglectis patitur nescit. Plerumque enim hoc vitio tentantur etiam electi, plerumque eorum cordi suggeritur ut bona quæque fecerunt ad animum revocent et securitatis jam lætitia exsultent, sed si vere electi sunt ab eo in quo sibi placent, mentis oculos divertunt, omnem in se de peractis bonis lætitiam deprimunt et de his quæ se minus egisse intelligunt tristitiam requirunt, indignos se æstimant, et pene soli bona sua non vident, quæ in se videnda omnibus ad exemplum præbent. Hinc est quod Paulus dum expleta in se bona postponeret et sola adhuc reliqua quæ essent explenda cogitaret, dicit : *Ego me non arbitror apprehendisse*, hinc est quod ut posset se de bonis quæ agebat humiliare, studebat ad animum præterita mala reducere dicens : *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus* (*I Tim.* I), qui etsi aliquando dixit : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi* (*II Tim.* IV), intuendum summopere est, quia eo illud tempore intulit, quo jam ex corpore discessurum se esse cognovit : ibi quippe præmisit dicens, *ego enim jam delibor, et tempus meæ resolutionis instat.* Tunc ergo ad memoriam perfectionem reduxit operis, cum jam prævidit ad largitatis spatium minime subesse tempus operationis.

Unum autem quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. (Amb.) Effectum me veraciter perfectum non prænuntio, necdum enim in fruitione consisto illorum quæ exspectantur : tamen sciens illorum magnitudinem veterum omnium nullam facio rationem, ad plenum illa oblivioni tradens, ad futura vero et quæ exspectantur meum cogitatum extendo, unam habens intentionem ad quam respiciens, omnia ago ita ut assequor proposita mihi præmia in superna vocatione, ut dicat cœlestem commorationem ad quam ut assequamur omnes sumus vocati, unde et regnum dicitur cœlorum : resurgentes enim incorrupti et immortales in cœlesti commorare secundum datum nobis promissum speramus. (*Aug.*) Nova ergo vita in fide nunc inchoatur et ipsa geritur. Nam tunc erit cum *absorbebitur mors in victoria*, cum illa *novissima inimica destruetur* (*II Cor.* XV), cum immutati fuerimus et æquales angelis facti : apprehensi enim sumus modo in timore per fidem, tunc autem apprehendemus in charitate per speciem : *Quandiu enim sumus in corpore, peregrinamur a Domino* (*II Cor.* V), per fidem enim ambulamus, non per speciem. Ipse itaque Apostolus, qui dicit, *apprehendam sicut apprehensus sum*, aperte se non apprehendisse confitetur, *fratres*, inquit, *ego me non arbitror apprehendisse* : sed tamen quia ipsa spes ex promissione certa nobis est, cum dicerat : *Consepulti enim sumus illi per baptismum in morte*, subjunxit et ait : *Ut quemadmodum resurrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.* VI). Ambulamus ergo in re laboris, sed in spe quietis : in carne vetustatis, sed in fide novitatis. (*Amb.*) Ex comparatione vero voluit ostendere quantum lege illa quæ nostra sunt præcellere videntur, et quoniam dixit suum erga ista propositum, docere nititur qualem oporteat de his habere sententiam, adjicit etenim hanc exhortationem : *Quicunque ergo perfecti sumus hoc sentiamus.* Itaque qui illud frui quod perfectum est concupiscimus, hæc debemus sapere, porro abjicientes illa omnia quæ sunt temporalia et futuro statui consentanea sentire debemus. *Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus* ; (Aug.) id est, quotquot perfecte currimus hoc sapiamus, quod nondum perfecti sumus, ut illic perficiamur quo perfecte adhuc currimus, ut cum venerit quod perfectum est, quod ex parte est destruatur (*I Cor.* XIII), id est, non jam ex parte sit, sed ex toto, quia fidei et spei jam res ipsa non quæ credatur et speretur, sed quæ videatur teneaturque succedat. Charitas autem, quæ in his tribus major est, non auferatur, sed augeatur et impleatur, contemplata quod credebat et quod sperabat adepta [indepta], in qua plenitudine charitatis præceptum illud implebitur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua.* Nam cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ quod vel continendo frenetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus : non enim caro sine anima concupiscit, quamvis caro concupiscere dicatur : quia carnaliter anima concupiscit. Tunc erit justus sine ullo omnino peccato, quia nulla lex erit in membris ejus repugnans legi mentis ejus, sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente diligit Deum, quod est primum summumque præceptum. Cur ergo non præciperetur hominis ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat ? Non enim recte curritur si quo currendum est nesciatur : quomodo autem sciretur si nullis præceptis ostenderetur? *Et si quid aliud sapitis et hoc vobis Deus revelavit.* (Amb., Aug.) Etenim si nescimus quantum futura et qualia sint, sed ipsis rebus nobis illa ostendit Deus. Si in quo pervenimus in eo ambulemus, non solum quod nescimus et scire debemus, sed etiam si quid aliter sapiamus, idem quoque nobis Deus

Digitized by Google

revelavit, pervenimus autem in viam fidei, hanc perseverantissime teneamus, ipsa perducit ad cubiculum regis, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Coloss.* II), ambulandum est, proficiendum est, credendum est, ut sint corda nostra capacia earum rerum quas capere modo non possumus; quod si nos ultimus dies proficiscentes [proficientes] invenerit, ibi discemus quod hic non potuimus. *Verumtamen ad id quod pervenimus ut idem sapiamus et in eadem permaneamus regula.* (Amb.) Interim, inquit, in quibus sumus et in quibus vocati sumus permanere debemus, consentaneum erga illos affectum ostendentes, et non discedentes ab exspectatione futurorum, sed secundum illam vitam nostram dirigere debemus, hinc enim præcedentium verborum sensus est, quidam vero non intendentes sequentiæ quasi Apostolo de virtute disputante sic illa susceperunt, et quod dixit illa quæ posteriora sunt obliviscens, ad illa vero quæ inante sunt me extendens, et cætera omnia similiter susceperunt, habent enim se non sic ab illo loco quo dixit, *hæc eadem scribere vobis, mihi quidem impigrum*, per omnia docet eos, eo quod non conveniat obtemperare illis qui secundum legem eos vivere suadent, sicuti et in interpretatione ostendimus et ostenditur id etiam ex subsequentibus melius.

Imitatores mei estote, fratres. Hoc est nolite sub lege vivere, sicuti nec ego vivo sub lege, et ostendens quoniam non sui causa ista dicit, sed talem vitæ conversationem eosdem habere cupit, adjecit : *Et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Ad plenum, inquit, ad illos respicite qui sic vivunt sicut nos, illis obtemperate, et illos imitari festinate. Deinde arguens adversarios vehementer illis insistit: *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi.* Sufficiens erat invitare Philippenses ad odium illorum, siquidem illa quæ contraria erant cruci docere tentabant. Unde et adjicit. *Quorum finis interitus.* Quid enim aliud erit suspicari de illis qui repugnant Christo et minorare properant? Illa quæ erga Christum sunt sollicitudinem erga legem impendentes. *Quorum Deus venter est.* Hoc manduca, illud noli manducare, et circa studia sua se vertunt quasi deo cuidam ventri suo intendentes et ad ipsum pietatem esse existimant, quod alia quidem illi offerre, alia minime offerre studeant, illud etenim quod ultra non secundum voluntatem Dei fit, observantia est pura nihil continens bonitatis, iniquitatem vero perficite videntem, unde illud et ex abundantia extenuat dicens. *Et gloria in confusione ipsorum.* Magnum aliquid esse existimant ut alia quidem manducentur, alia non manducentur, non considerantes quoniam omnis esca quæque illa fuerit insumpta in stercore vertitur quod et inspicere confundentur, ecce studiorum eorum qui est finis? et ad plenum eos incusans adjicit. *Qui terrena sapiunt.* Nam legitimæ observationes ad præsentem vitam sunt necessariæ sive circumcisio sit, sive sacrificium, sive escarum observantiæ, sive sabbatorum custodiæ; omnia autem hæc in futuro sæculo otiosa erunt, in quem constituti exspectantes jam secundum formam in illis esse existimantur. *Nostra autem conversatio in cœlis est. Unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua possit etiam subjicere sibi omnia.* Nostra autem conversatio non est terrena, sed cœlestis quo ire exspectamus, unde et nostras primitias exspectamus ipsum Christum, qui hoc corpus, quod nunc humiliatum est sub morte, ad immortalitatem transferet, simile illud suo corpori faciens, quia non solum hoc potest facere, sed omnia renovans sibi conjungit : ita ut omnis corruptela solvatur, et omnia ad illum inspiciant, quasi principatorem et auctorem incorruptionis sibi existentem, nam quod in hoc loco dixit subjicere non servituti illa quæ ex necessitate est dicit : non enim hoc in loco propositum est, sed quoniam conjungit sibi per illa beneficia quæ illis præbet, ita ut omnia ad illum inspiciant quasi principatorem et auctorem bonorum. Tale est et illud quod ad Corinthios scriptum est : *Tunc ipse Filius subditus erit.* (*I Cor.* XV), non quia serviet, sed manet conjunctus illi per se omnia offerens, de suscepto homine ista dicens. Deinde firmat exhortationem et consolationem in sequenti capite.

CAPUT IV.

Firmat patientiam Apostolus, suos ad lætitiam spiritualem hortando ac bonorum perseverantiam. Ponitur sub finem salutatio.

Itaque, fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino, charissimi. (Amb.) Hoc est, tali modo conversamini, ostendit in his quoniam multum eos diligebat, et venerabatur quasi industrios charissimos et desiderantissimos fratres nuncupans eos, et gaudium suum et coronam eos esse pronuntians, et omnibus illis adjiciens iteravit : Charissimi. *Evodiam rogo et Syntychen deprecor idipsum sapere in Domino.* Evidens est quoniam et ipsæ adversus alterutram decertabant contendentes super primatum utpote virtutibus adornatæ, et ut fieri solet in hujusmodi contentione provocabantur. Unde et nominatim earum memoratus est, sed cum multa reverentia, ita ut suaderet eis illa quæ bona erant simul ut et quod decebat personis earum redderet. Hoc in loco maxime illud possibile est conspicere quoniam nulla eo in tempore discretio virorum erat ac mulierum, quando similiter contemplatione pietatis accelerabatur, ubi et ad omnem plebem scribens nominatim memorare has non dubitaret, plurimam illis reverentiam in suis sermonibus attestans, nihil pertimescens, ne aliquam sibi reprehensionem ob ipsam causam provideret. Evidens est etiam, quoniam neque de mulieribus dubitabat, ne quando hæ doleant, eo quod coram omnibus sint reprehensæ, tanta erat commonitio apud illos qui

Digitized by Google

tunc erant, et sic omnia apud illos in charitate fiebant ut delectarentur potius coram omnibus reprehensæ quæ tamen opus habebant ut reprehenderentur, et nemo illa quæ fiebant secundum ullam incusabat rationem. *Etiam rogo et te, germane compar, adjuva illas.* Quidam beatum Paulum existimaverunt hinc uxorem habuisse et ad illam scribens rogasse, quasi Philippis commorantem. Neque ad illud inspicientes quoniam dixit affectiose et non affectiosa, quod viro quidem aptari potest, mulieri autem nequaquam ; quos conveniebat etiam illud cogitare, quoniam conjugalem divina Scriptura nullo in loco illum qui nuptiis sociatus est dicit, sed illum qui sub eadem fide es : nam et Dominus jugum vocat illam conversationem quæ sub lege est : *tollite*, inquit, *jugum meum, quoniam suave est* (*Matth.* XI). Videtur ergo ad aliquem scribere affectu et fide illis conjunctum quem et hortatur ut ad concordiam eas suo reducat studio, de qua pace disputat illis, ut et consilia illis tribuat bona, et omnia agat cum summa diligentia, ita ut ad unanimitatem illas faciat recurrere, et ostendens quoniam dignæ sunt multæ diligentiæ : *Quæ mecum laboraverunt in Evangelio.* Evidens est quoniam alicubi iter ejus secutæ sunt et ministraverunt ei implenti doctrinam pietatis, et ut ne videatur puram quamdam dicere decertationem addit. *Cum Clemente et cæteris operariis meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.* Hoc est, similiter sicut illi collaboraverunt mihi ad doctrinam pietatis ; evidens est enim hinc etiam illud quoniam quando dicit ad Corinthios : *Nunquid non habemus potestatem mulierem circumducere ?* (*I Cor.* IX.) Non quia nunquam circumduxerit dicit, sed quia non semper, quod et cautius nobis notatum est, et ostensum est in expositione ipsius Epistolæ, et iterum orat pro illis. *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.* Hoc est, semper vobis talia adsint a Deo, pro quibus gaudio possitis impleri. Deinde et ad exhortationem vertitur, quem aptari poterat illi exhortationi quæ humilitate fuerat facta. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Sicut et vos volo esse modestos, ita ut omnes super vestram modestiam de vobis gratulentur, et quoniam modesti frequenter solent noceri, adjicit : *Dominus prope est, nihil solliciti sitis.* Licet nocivitatem sustineatis, nolitè solliciti esse, prope est Deus qui vobis indigentibus ferat auxilium, qui et potens est eos qui nocent vos punire. Quid ergo convenit facere eos quibus nocetur ? *Sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* (Isaac.) Has quatuor supplicationum species illos docet : ita etiam Dominus exemplo suo nobis initiare dignatus est, ut in hoc quoque impleret illud quod ipsi dicitur : *Quæ cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I). Nam obsecrationis genus assumit cum dicit : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI), vel illud quod ex persona ejus cantatur in psalmo : *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti ?* (*Psal.* XXI), aliaque his similia. Oratio est cum dicit : *Clarificavi te super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem* (*Joan.* XVII) ; sive illud : *Et pro eis sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate* (*Ibid.*). Postulatio est, cum dicit : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum, ut videant gloriam meam quam dedisti mihi* (*Ibid.*). Vel certe, cum dicit : *Pater, ignosce eis, non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Gratiarum actio est : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et revelasti ea parvulis, ita, Pater, quia sic fuit placitum ante te* (*Luc.* X). Vel certe cum dicit : *Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me, sciebam autem quia semper me audis* (*Joan.* XI). Quæ tamen quatuor supplicationum genera licet singillatim ac diverso tempore secundum quem comprehendimus modum idem Dominus distinxerit offerenda, tamen etiam simul ea in supplicatione perfecta comprehendi posse idem suis ostendit exemplis, per illam scilicet orationem, quam ad finem Evangelii secundum Joannem legimus eum copiosissime profudisse, ex cujus textu quia longum universa percurrere, diligens inquisitor hæc ita esse lectionis ipsius serie poterit edoceri, quem sensum Apostolus quoque in Epistola ad Philippenses has quatuor supplicationum species aliquantum immutato ponens ordine evidenter expressit, ostenditque debere eas nonnunquam simul sub ardore unius supplicationis offerri, ita dicens : *sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* (Aug.) Per quod voluit nos in hac specialius erudire, quod et in oratione gratiarum actio debeat cum postulatione misceri. Quod autem ait : *Postulationes vestræ innotescant apud Deum*, non sic accipiendum tanquam Deo innotescant, qui eas, et antequam essent, noverat : sed pro nobis innotescant apud Deum per tolerantiam, non apud homines per jactantiam, aut forte innotescant etiam apud angelos, qui sunt apud Deum, ut quodammodo eas offerant Deo, et de his consulant, et quod Deo jubente implendum esse cognoverint, hoc nobis evidenter vel latenter reportent, dixit enim angelus homini : Cum oraretis, ego obtuli orationem vestram in conspectu claritatis Dei (*Tob.* XII). *Et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu.* Hoc est ipse vobis præstet perfectam pacem qui ab omnibus plus potest. Nam pacem Dei supereminere dixit omnia ut dicat Deum.

De cætero patres quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate quæ et didicistis et accepistis, et audistis et vidistis in me, hæc agite, et Deus Pacis erit vobiscum. (Amb.) Veritatis, inquit, diligentiam adhibete, pudicitiæ, justitiæ, castitatis, ut dicat, Abstinete vos a pravis negotiis sicuti et ibi dixit, in omnibus vos comprobastis castos esse, in negotio ut ageretis illa quæ omnibus pla-

Digitized by Google

cent, hoc est, illa quæ ab omnibus cognoscuntur esse bona. Nam et apud omnes similis est bonorum confessio, ex quibus operibus bona vos opinio subsequi poterit quæcunque sunt virtutum opera, quæcunque laudem vobis ab omnibus providere possunt, hoc videntes in nobis, hoc docti a nobis, hæc agite, et habebitis semper Deum vobiscum profundam vobis suam pacem præbentem. Consummans vero omnia illa quæ exhortationis fuerunt, scribit ultra de his quæ mista fuerant sibi ab illis. *Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut et sentiebatis, occupati autem eratis.* Bene, quia dixit, *in Domino*, ut non videretur ob pecuniam directam sibi lætari, sed propositum illorum qui miserunt, dicit quoniam lætatus sum pro quibus pertinuit vobis de me : sciebam etenim quoniam dudum vobis pertinebat, tempus vero non habebatis ut faceretis illud quod volebatis. Nam quod dixit *tempus non habuistis*, hoc dicit prohibiti estis tempus habentes ut faceretis illud quod volebatis. Neque enim et in illis qui præbent ista, ea quæ dant fructus est, sed quo animo dant. Itaque ille qui Deo serviebat non suo ventri, video plane unde gaudebat, video et congratulor ei valde. Acceperat enim a Philippensibus quæ per Epaphroditum miserant, sed tamen unde gaudebat video, unde gaudet, inde pascitur, quia in veritate loquens *gavisus sum*, inquit, *magnifice in Domino, quia tandem aliquando repullulastis sapere pro me in quo et sapiebatis*, tædium autem habuistis, isto ergo tædio diuturno marcuerant, et quasi exaruerant ab isto fructu boni operis et gaudet eis quia repullularent, non sibi, quod ejus indigentiæ subvenerint, ideo secutus ait : *Non quasi propter penuriam dico : ego enim didici in quibus sum sufficiens esse, scio humiliari, scio et abundare ubique, et in omnibus institutus sum, et satiari et esurire et abundare et penuriam pati, omnia possum in eo qui me confirmat, verumtamen bene fecistis communicantes tribulationi meæ.* (Aug.) Unde ergo gaudes, o Paule magne, unde gaudes, unde pasceris, quid est quod te pascit lætitia : quid sequitur audiamus : *verumtamen*, inquit, *bene fecistis communicantes tribulationi meæ*, hinc gaudet, hinc pascitur, quia illi bene fecerunt, non quia ejus angustia relaxata est, qui dicit tibi : *In tribulatione dilatasti me* (*Psal.* xc), quia et abundare et penuriam pati novit, in te qui confortas eum. (*Ambr.*) Hæc, inquit, non quia inopiam fero graviter, in consuetudinem enim meipsum constitui ut sufficiens sim illis quæ inveniuntur in præsenti, et quoniam nulla ex parte conturbatur ex illis quæ sibi accidebant : suscipiebat vero et illa quæ requiei erant, et illa quæ tristitiæ, prudenti ac sobrio intellectu et in duris quidem rebus consueverat, non illa ferre graviter, in prosperis vero non laxari deliciis, sed his ponere illa quæ erga se erant per omnia convenienter et ut ne videatur magna de se sapere hæc dicens : *Omnia prævideo in eo qui me confortat Christo*, ipse, inquit, est qui præstat mihi sic posse, ut et requiem convenienti arbitrio abutar et tristitias forti animo feram, et ut ne æstimetur contemnere illa quæ ab illis missa fuerant tale habens institutum adjicit. *Verumtamen bene fecistis communicantes tribulationi meæ*, vos quidem omni laude digni, pro quibus communicastis tribulationibus meis, mittentes sumptus sublevantes necessitatem meam, ex quibus necesse est ut et mercedis vobis adsit communio.

Scitis autem et vos, Philippenses, quod in principio Evangelii quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli, quia et Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis. (Aug.) Ad hæc bona opera ejus redisse nunc gaudet et repullulasse lætatur tanquam requiescente fertilitate agri. Nunquid propter usus suos, quia dixit usibus meis misistis? Nunquid propterea gaudet? non propterea, et hoc unde scimus? quoniam ipse sequitur dicens : Non quia quæro datum, sed requiro fructum, didici a te, Deus meus, inter datum et fructum discernere, datum est res ipsa quam dat qui impertitur, hæc necessaria veluti est nummus, cibus, potus, vestimentum, tectum, adjutorium : fructus autem bona recta voluntas datoris est. Datum, est suscipere prophetam, suscipere justum, porrigere calicem aquæ frigidæ discipulo, fructus autem in nomine prophetæ, in nomine justi, in nomine discipuli hoc facere, fructu pascitur Elias a vidua sciente quod hominem Dei pasceret (*III Reg.* xvii) : per corvum autem dato pascebatur, nec interior Elias, sed exterior pascebatur, qui posset etiam talis cibi egestate corrumpi. (*Ambr.*) Deinde dicit quoniam et quando imprimis vobis prædicavi pietatem cum cæteris Macedonibus et exinde sum egressus, neque dedit mihi quis saltem, neque suscepi ab altero, nisi a vobis solis, etenim et Thessalonicæ commoranti mihi et semel et bis illa quæ ad usus necesse habebantur misistis. Nunquid dixit communicastis in rationem dati et accepti, hoc dicit, non quia aliqua quidem ipse dedit, alia vero illi, sed quod illi quidem dederunt ipse vero acciperet, communionem dati et accepti hoc dixit, eo quod illi quidem dederunt : ipse vero accepit et iterum ostendens quoniam non pro illis quæ data sibi fuerant ista dicit. *Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.* Hoc dico, inquit, non propter illa quæ data sunt sed institutum vestrum collaudo, cujus evidentes sunt, et fructus, dantes enim multam vobis mercedem et retributionem providistis. A bonis ergo prædicatoribus non causa victus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis accipitur victus, et quoties prædicantibus necessaria ab audientibus conferuntur, non solent de rerum munere, sed de conferentium gaudere mercede, unde et per Apostolum dicitur, *non quæro datum, sed requiro fructum.* Datum quippe est res ipsa, quæ impenditur, fructus vero dati est, si benigna mente futuræ mercedis studio aliquid impendatur. Ergo datum in re accipimus, fructum in corde, et quia discipulorum suorum Apostolus mer-

Digitized by Google

cede potius quam munere pascebatur, nequaquam datum, sed fructum se quærere fatetur. Unde et subdit protinus dicens: *Habeo autem omnia et abundo, repletus sum autem acceptis ab Epaphrodito quæ misistis in odorem suavitatis hostiam acceptam, placentem Deo.* Quoniam omnia recepi quæ a vobis missa sunt, magis autem et ampliora suscepi, quæ per Epaphroditum a vobis fuerant missa, ostendens quoniam et multas illis refert gratias pro quibus dederunt, propositum illorum plus prælionorans quam illa quæ missa sunt. Orat autem pro illis ut sacrificium boni odoris illa ipsa ante Deum appareant quorum recipit quidem propositum, retribuit vero eis illam, quæ a se erat, gratiam. *Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum secundum divitias suas in gloria in Christo Jesu.* Orat pro illis ut et secundum præsentem vitam omnis illorum necessitas a Deo impleatur, nullam minorationem iisdem sustinentibus. *Deo autem et Patri nostro gloria in sæcula sæculorum, amen.* Quoniam pro omnibus Deo Patri gloriam referre dignum est. *Salutate omnem sanctum in Christo Jesu. Salutant vos qui mecum sunt fratres. Salutant vos omnes sancti maxime qui de Cæsaris domo sunt.* Salutat quidem omnem sanctum apud illos, salutat etiam eos, et ab illis fratribus qui secum sunt et ab omnibus qui Romæ sunt sanctis ut dicat fidelibus, et sunt de Cæsaris domo, erant enim qui exinde crediderant et super omnibus adjicit sibi consuetum finem Epistolis imponens. *Gratia Domini Jesu Christi cum omnibus vobis.*

LIBER VICESIMUS.

EXPOSITIO IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

ARGUMENTUM.

Scribit Colossensibus beatus Paulus sicut scripsit Ephesiis, quos antequam scriberet non viderat. Ostendit autem hoc ipse in suis scriptis: quando quidem dicens, *audientes fidem vestram in Christo et charitatem quam habetis in omnes sanctos.* Quando vero scribit, *volo autem vos scire quale certamen habeam pro vobis et his qui in Laodicia sunt, et quotquot non viderunt faciem meam in carne.* Est autem argumentum epistolæ tale. Consuetudo illi est, ubicunque vel ad quoscunque scribit, quos ante non viderat, illa quæ secundum Christum sunt extollere, et ostendere illorum magnitudinem, qui per eum directi sunt, eo quod nec possibile erat aliter magnum quid et utile ostendi illis, qui illam sectantur fidem quæ in eum est, hoc vero in loco non solum secundum hunc modum necessarium sibi hanc esse perspiciebat rationem, sed propter illos qui ex circumcisione erant, qui omni in loco peragrantes illos qui ex gentibus crediderunt, persuadere properabant, et cum illa fide quam in Christo habent etiam illis [legis] custodirent decreta, quia ergo et ad Colossenses venerant et paulo minus aliquibus illorum suaserunt ut legitimis inservirent decretis, nam dum ostendit illorum eminentiam quæ a Christo directa sunt, infirmam utique ostendebat esse legem, superfluam, simul et vanam ejus diligentiam et custodiam esse ostendens. Utraque ergo ex causa ita scribit, una quod apta illi esse poterat talia imprimis scribenti, altera quod illorum causa qui erant ex circumcisione extollere illa properabat quæ sunt secundum Christum, sicut et conveniens erat magnitudinem eorum quæ sunt gesta explicans. Deinde et post hoc evidenter exhortatur, ut suadenter ab illis qui talia eos docere præceptant omni ex parte pronuntians, quod non sit illis ultra necessaria legis custodia: et post hoc ad exhortationem egressus super multis et necessariis rebus omnibus illis loquitur: inchoabimus vero in subsequentibus eam facere narrationem, quæ per partes esse videntur, eo quod illa quæ ad argumentum epistolæ pertinebant in his sufficienter patefacta sunt.

CAPUT PRIMUM.

Captata benevolentia, auctoritatem Evangelii inducit, illi firmiter credendam.

Paulus servus Christi Jesu per voluntatem Dei et Timotheus frater his qui sunt Colossis sanctis et fidelibus fratribus in Christo Jesu. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro. (Ambr.) Hanc consuetæ epistolæ præscriptionem faciens incipit hoc modo. *Gratias agimus Deo et Patri Domini nostri Jesu Christi semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Jesu et dilectionem quam habetis in omnes sanctos.* Sic et illam epistolam quam ad Romanos scripsit a gratiarum actione inchoavit scribere eis. Adjicit autem in hac *pro vobis orantes*, ostendens quoniam non pro quibus crediderunt tantum gratias agit, sed et pro residuo tempore orat. Quæ est autem oratio ejus? *propter spem quæ reposita est vobis in cœlis*, ita ut assequi possitis cœlestia bona, quorum custoditur vobis spes firma, si tamen illa quæ a vobis sunt concurrerunt, et ostendens quoniam non aliud quid dicit, præterquam illam quam cognoverunt, *quam ante audistis in verbo veritatis Evangelii, qui venit in vobis.* Dico autem ista quæ cognovistis cum veritate Evangelii suscipientes doctrinam ad majorem exhortationem eorum, ostendens quoniam non soli illi ista præter cæteros cognoverunt homines, alioquin et magis eos continere in fide poterat, quod illa pietas quæ ab omnibus in commune tenetur, etiam ab his teneatur *sicut in omni mundo*, et rei magnitudinem ostendens, *et est fructificans et crescens.* Non solum, inquit, cognitum est illis qui in omni sunt orbe, sed et Evangelium suscepit per singulos dies Deinde ut ne videatur Evangelii quidem cognitio communis illis esse cum omnibus sicut dixit *in omnibus.* Ne

Digitized by Google

ergo illi æstimarent quod Evangelium non ad augmentum apud omnes consequitur adjicit: *Sicut in vobis ex ea die qua audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate.* Cognovistis, inquit, vos pietatem sicut et omnes, augmentum etiam suscepit omni in loco, per singulos dies: sicut et apud vos sic omni in loco Evangelium vim suam obtinet et augmentum per singulos accipit dies, et apud vos et apud omnes qui sunt in orbe terrarum, hoc autem sufficiens erat hos et adhortari et suadere ut in fide manerent, si tamen cum consensu omnes hæc vera esse cognovissent. Deinde indicat et a quo sint docti. *Sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu; qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu.* Evidenter enim in hisce ostendit, quoniam ab Epaphra Evangelium susceperunt, quem et justa ratione laudavit, venerabilem illis exhibens, quem etiam commendavit illis, eo quod nota sibi fecisset illa quæ de illis erant, scions quoniam necessarium quidem et utile est ad plenum, ut venerabilis et desiderabilis sit discipulis magister: maxime autem erga hunc aptissime illud fecisse videtur, ita ut deceat eos cum multo affectu persistere in ejus doctrina in his, et sequestrata lege tradiderat illis Evangelium: itaque non laudasset ejus doctrinam, si non hoc modo fuisset affecta: quo enim fieri poterat in his qui docebat illa non debere custodire. Deinde quod dixit *semper pro vobis orantes*, etc., resumens dicit: *Ideo et nos ex qua die audivimus non cessamus pro vobis orantes et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni sapientia et intellectu spiritali, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus in omni patientia et longanimitate cum gaudio.* Per omnia optasse illis bona videtur sub specie orationis, edocens eos illa quæ eis conveniebant: dicit autem quoniam ex quo illa quæ de vobis sunt audivimus sine dilatione orabamus, ut omni sensu spiritali repleti cognoscere possitis Dei voluntatem, digne ei conversantes et per omnia placere ei properantes: ita et boni actus multiplicentur in vobis per singulos dies cum Dei cognitione, qui poterit vos secundum suam potentiam respicientes ad se sua replere patientia, ita ut possitis ferre patienter universa illa quæ tristitiæ sunt, ita ut gaudium habeatis in illis propter illam mercedem quæ vobis in futuro sæculo pro his est retribuenda, hoc quidem, ut dixi, optasse se ei dixit, et in eo dum dicit illa quæ orationis sunt docet eos diligentiam convenientium adhibere, sumens vero et gratiarum actionem quam pro eis impleverat initium sumit doctrinæ sicut in Ephesiorum fecit epistola, ubi sub specie gratiarum actionis illa quæ sunt dogmatum eos visus est instruxisse, propter quod dicit: *Gratias agentes Deo Patri qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine:* Hæc, inquit, postulamus ante omnia gratias agentes Deo pro vobis, quoniam dignos vos per suam cognitionem sanctorum collegio esse pronuntiavit, cum essetis alieni a pietate et idolorum eratis sectatores. Nam quod dixit in lumine, ut dicat per suam cognitionem, et quod dixit qui dignos vos habuit, hoc est, dignos esse pronuntiavit, et quod illud est lucrum ut sanctorum jungantur collegio. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum filii dilectionis suæ.* Non solum, inquit, abstulit vos ab errore et dæmonum potentia, sed et participes vos pronuntiavit regni esse Christi. Nam quod dicit, *transtulit in regnum filii charitatis suæ*, hoc dicit, sicut et alio loco: *Si sustinemus, et conregnabimus* (*II Tim.* II). Unde bene quia non dixit, filii tantum, sed *filii charitatis suæ;* nec enim participes regni Dei verbi efficimur, quo enim fieri potest ut universitatis opifici jungamur? sed suscepto homini dicit, cujus et participabimus honori propter naturæ similitudinem quando affectum erga eum ipsis operibus ostendere valuerimus. (*Aug.*) Quod dictum est *filii charitatis suæ*, nihil intelligatur, quam filii sui dilecti, quia filii po stremo substantiæ suæ. Charitas quippe patris quæ in natura est ineffabiliter simplici, nihil est aliud quam ejus ipsa natura, ac per hoc filius charitatis ejus, nullus est alius quam qui de substantia ejus est genitus, unde et filium charitatis eum vocavit, eo quod non secundum naturam est filius, sed charitatem filiorum adoptionis est assecutus. (*Ambr.*) Per omnia enim propositum habet illa quæ secundum Christum sunt ostendere magna, sicut et in argumento prædiximus et comprobare properat illorum magnitudinem quæ ab eo correcta sunt. Unde et de suscepto homine disputat quasi de primitiis nostris, et quia provisor nobis bonorum exstiterit multorum. Unde et adjicit: *in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum.* Per ipsum enim omnem peccatorum securitatem sumus assecuti. Dicit autem futurum statum, in quo per resurrectionem effecti natura nostra immortali exstante peccare ulterius non poterimus, tale est et illud quod ad Ephesios dictum est, *ita ut simus sancti et immaculati.* Deinde dicit et illam dignitatem quæ erga eum est. *Qui est imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturæ.* Fides vero catholica quæ inter creatorem creaturamque distinguit nullam patitur in his duobus nominibus intelligendi difficultatem, unigenitum cum accipiens secundum id quod scriptum est: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I). Primogenitum autem universæ creaturæ secundum id quod Apostolus ait: *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (*Rom.* VIII), quos ei Pater ad fraternam societatem non æqualitate substantiæ, sed adoptione gratiæ generavit: ut Jesus Christus et Unigenitus sit secundum id quod Verbum Dei est, Deus apud Deum pariter incommutabilis et pariter æternus, non rapinam arbitrans esse se æqualem Deo, et primogenitus omnis creaturæ secundum id quod in ipso condita sunt omnia in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia. Bene *invisibilis* adjicit, non quod sit et vi-

Digitized by Google

sibilis Deus, sed ad ostensionem magnitudinis, si tamen in isto quasi in imagine invisibilem illam naturam videmus, eo quod copulatus est Deo verbo et judicabit omnem orbem terrarum, apparens ipse secundum suam, ut fas est, naturam in futuro sæculo cum magna gloria, veniens de cœlo in magnis ordinem nobis retinet, evidenter, quoniam omnes in eum quasi in imaginem quamdam divinam conjicimus naturam, in qua refertur magnitudo illorum, quæ efficiuntur non visibili naturæ judici auctoritatem reputantes. Demiratus sum autem illos qui in divinam naturam hoc susceperunt, qui primum quidem non viderunt, quoniam et beatus Moyses de homine dicit, quoniam *in imaginem Dei fecit eum* (*Gen.* II), et beatus Paulus: Vir quidem non debet velare caput, imago et gloria Dei exstans (*I Cor.* XI), quod nunquam de hominibus dictum fuisset, si divinæ naturæ proprium erat. Deinde neque illud prospexerunt, quoniam omnis imago dum ipsa videtur, illud ostendit quod non videtur. Fieri ergo potest ut talis fiat imago, quæ non videtur, cum sit evidens quoniam imagines propter hoc fieri consuetæ sunt apud illos qui aut honoris aut affectu gratiæ easdem faciunt, ita ut recordatio sit eorum qui non videntur illis qui tamen videre possunt. Deinde adjicit: *Primogenitus omnis creaturæ*. Hinc maxime quidam valde prudentium de divina natura dici illud, quod dixit, *imago Dei invisibilis*, astruxerunt, quasi quia non possit, primogenitus erga humanitatem aut videri aut recipi, cum conveniens esset eos perspicere, quoniam non potest hoc, vel maxime aptari divinæ naturæ; si enim sicut creatura primogenitus esset primo creatus debuerat utique dici: si autem genitum aiunt, multa dicti ipsius diversitas esse videbitur, si tamen is qui non est creatus creaturarum primogenitus esse dicatur. Nam primogenitus qui dicitur illorum utique dici poterit primogenitus, qui similitudinem illam quæ ad eum est necessario servare videntur, et hoc ostendit Apostolus evidenter dicens ad Romanos: *Quoniam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (*Rom.* VIII), evidenter fratrem eum primogenitum esse dicens eorum, et qui conformes illi sunt propter similitudinem illam, quam a Deo habent, justa ratione eum sibi adscribunt primogenitum, utpote supereminentem secundum hanc rationem: etenim illic non dixit *conformes* Filii, sed *imaginis Filii*. Imaginem Filii visibilem naturam evidenter dicens, sed interrogant quemadmodum susceptus homo primogenitus potest videri totius creaturæ, cum non sit ante omnem creaturam, sed ut esset, in novissimis accepit temporibus. Non intelligentes quoniam primogenitus non tempore dicitur solum, sed et præ honoratione frequenter, eo quod primogenitus dicitur veraciter illorum qui post illum geniti fuerint, ille tamen qui prior fuerit natus hunc sequitur necessario ut et prænoretur, sicuti et naturæ ratio et lex divinæ egit Scripturæ. Est quidem quando et in tempore utitur nominis hujus translatione, sæpe autem et honoris causa. Etenim beatus David quæ ad se facta fuerant commemorans in quibus promisit illos qui successione ejus sunt, ad familiaritatem suam recipere, quasi ipso Deo dicente ita ait: *Ipse invocavit me, Pater meus es tu, et ego primogenitum ponam eum* (*Psal.* LXXXVIII). Non hoc dicente Deo, quoniam unumquemque eorum cæteris tempore priorem faciam: sed quoniam plurimum illis feram auxilium. Apostolus vero ad Hebræos manifeste hoc idem ostendit sic dicens: *Sed accessistis ad Sion montem, et ad civitatem Dei vivi, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam et Ecclesiam primitivorum adscriptorum in cœlo* (*Hebr.* XII), ut dicat, illorum qui multo honore digni habiti sunt. Non enim vult dicere, aliquos anteriores esse aliorum filiorum. Et alibi: *Filius meus primogenitus Israel* (*Exod.* IV), hoc est honorabilis mihi. Nam erant et alii ante Israel, qui filiorum Dei nuncupatione digni fuerant habiti. De quibus Moyses dicit: *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi ex omnibus quas elegerunt* (*Gen.* VI), sic et in hoc loco, quod dixerat, *primogenitus totius creaturæ*, hoc est, super omnem creaturam honorabilis. Siquidem dixisset absolute primogenitus, honorabilem tantummodo dicebat. Nam quia adjecit *omnis creaturæ*, illum designavit qui ab omni honoratur creatura. Nam is, qui secundum carnem est Christus et tempore, primogenitus dicitur veraciter totius creaturæ, quæ in illum facta est, de qua beatus Paulus hoc in loco videtur dixisse. Unde et illud quod dixit primogenitus totius creaturæ, interpretans addit: *Quia in ipso condita universa*. Non dixit per ipsum, sed *in ipso*. Nec enim de prima dicit creatura, sed illam creaturæ separationem, quæ in eo facta est, secundum quam omnia dudum dissoluta in unum sunt consensu perducta, sicuti et alibi dicit. Recapitulari omnia in Christo. *Quæ in cœlis sunt et quæ super terram*. Propter hominum etenim malitiam omnis ut ita dixerim creatura disrumpi videbatur. Avertebant enim se nobis angeli et omnes invisibiles virtutes, propter indevotionem nostram, quam erga Deum exercebamus. Insuper etiam et nos ipsi morte solvimur, ex qua accedebat animam separare a corpore, etenim et omnis connexio creaturæ hinc solvebatur: fictus est enim homo a principio quasi aliquod animal cognatione omnibus junctum, eo quod corpus quidem generaliter ex omnibus consistebat, id est, ex quatuor elementis: anima vero ad invisibiles virtutes propinquitatem habere videbatur, una vero quædam universorum copulatio ex hinc fieri videbatur omnibus in idipsum concurrentibus, ita ut et uno consensu Deo redderent debitam culturam cum cauta sollicitudine, omnes etiam illas quæ illius legibus consentanea erant obtemperare properabant, quia propter peccatum facti sumus mortales, anima etiam a corpore separabatur. Sol-

Digitized by Google

vebatur hinc propinquitatis copulatio, ita ut nec ultra existimarent invisibiles virtutes aliquam sibi nobiscum esse communionem secundum corporis nostri diligentiam, adjecto illo quod et odibiles Deo eramus contemplatione peccati, qui etiam et avertebat se a nobis. Unde et hi, qui insistebant visibilibus naturis, et commovebant eas pro nostra utilitate secundum positum sibi terminum, nolebat ultra ea implere, si non promissione percepissent quod omnia aspera solverentur. Cessavit etiam mors et corruptio omnibus ad unum consensum redintegratis, sicuti ad Romanos scribit : *Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe, quoniam et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* VIII). In nostra igitur renovatione secundum quam et omnium redintegratur connexio, cujus primitiæ sunt his qui secundum carnem Christi, in quo optima quædam et, ut ita dixerim, compendiosa omnium recreatio efficietur, sicut beatus Paulus dicit, si qua in Christo nova creatura, antiqua transierunt, et ecce omnia facta sunt nova : omnium enim ultra existentium in incorruptibilitatem omnibus salvabitur consensus, et concordia, et connexio, et ultra diligent nos etiam invisibiles virtutes utpote familiares Dei. Bene ergo dixit *in ipso creata sunt omnia*, non solum quia per illa quæ erga eum facta sunt futurorum assecuti sumus promissionem, sed quoniam et perfecta omnibus copulatio in illo custodietur propter inhabitationem divinæ naturæ, ita ut nihil possit scissum ultra habere ex illis quæ communia nobis sunt. Una quidem ex parte diligentibus eum omnibus propter familiaritatem illam quam ad eum habere potuerunt, quasi ad hominem ex visibili natura et invisibili consistente Deo, altera vero cum multo timore ad eum conversis omnibus propter inseperabile Dei verbum, quod inest ei junctum, unde dicens, *omnia*, adjecit, *quæ in cœlis sunt et quæ super terram :* et quia incertum erat illud quod in cœlis erat, et quod super terram, uti cum de visibilibus diceret, aut de invisibilibus eo quod sunt et in cœlo quæ videntur, utpote sol et luna et stellæ, posuit enim illa in firmamento cœli, manifestam faciens ipsam divisionem, adjecit, *visibilia et invisibilia ;* hoc est, illa et ista omnia conjuncta sunt ulterius et colligata in ipso. Si vero propter cognitionem, sive et propter dignitatem, et quoniam illa quæ visibilia erant magis certa esse videbantur, utpote manifesta exstante familiaritate illa, quæ erat ad ipsum hominem, qui videtur, prætermittens hoc ad invisibilia transit, eo quod de illis dictum majus esse videbatur. Evidenter habens hic magnitudinis illorum probationem quæ per Christum sunt directa, et invisibiles naturæ in illo acceperunt recreationem. *Sedes, sive dominationes, principatus, sive potestates.* Unde non est memoratus angelorum, eo quod hoc nomen ministrationis significantiam habere videretur : sed sedes et dominationes, et principatus, et potestates dixit, quia et ipsæ vocantur quidem sic a functione illa, quam implere videntur : habent autem et aliquam significationem dignitatis illius, quæ est ad illos, eo quod susceperunt, ut invisibiles emineant. Et alii quidem eminent aeri, alii vero soli, alii autem lunæ, alii vero stellis : alii etiam stellis aliquibus, ut commoveant omnia secundum impositum sibi a Deo terminum ad hoc ut omnia consistere possint. Principatus et potestates hinc dicebantur eo quod principare et potestatem exercere alicujus negotii acceperant potestatem, sicut et Ephesiis scribens de diabolo dicit : *Secundum principem potestatis aeris spiritalis* (*Ephes.* I, III); et apud Daniel : *Princeps Persidis restitit mihi*, et *princeps vester* (*Dan.* X), illum angelum qui pro illis sollicitudinem expendit sic evocans. Unde dilatavit sensum, sedes, dominationes et principatus, et potestates dicens, id est, ipsum varie dicens. Si, inquit, est aliquid quod dominetur, sive dominium sibi vindicet, sive principatum teneat, sive potestatem exerceat, quomodocunque quis dicere voluerit de tributa illis a Deo potestate in ipso sunt omnia creata. Tædiantes etenim primum propter homines, et suum opus pro nobis perficere nolentes, nunc cum alacritate omnia perficiunt, proprietatem illam naturæ nostræ, quæ ei unita est venerantes, quam neque adorare dubitant, propter eam quæ inest ei naturam futuro sæculo, eo quod omnia copulationem quamdam in se rediens colligavit, eo vel maxime tempore, quo omnis solveretur corruptio, et mors, et quoniam videbatur insuadibile esse quodammodo de homine dicto quod in eo sint creata omnia, confirmans illud adjicit :

Omnia per ipsum et in ipso creata sunt. (Ambr.) Nolite mirari, inquit, non enim ex se illi est ista dignitas, sed propter inhabitantem naturam per quam omnia facta sunt, ad quem etiam omnia respiciunt, quæque facta sunt suum eumdem Dominum esse existimantes, et amplius illud augens, et ipse est ante omnes et omnia in ipso consistunt, ut dicat, ipse ante omnes exstans omnia produxit, et in ejus virtute omnia ut consistant habere videntur. (*Ser.*) Ante conditionem hujus visibilis creaturæ, spiritales, cœlestesque virtutes Domini fecisse, quæ pro hoc ipso quod scirent se ad tantam beatitudinis gloriam beneficio creatoris ex nihilo fuisse productas, perpetuas ei gratias referentes, indesinenter ejus laudibus inhærerent, nemo fidelium dubitat, nec enim existimare debemus creationis et principii sui principia ab hujus mundi constitutione Deum primitus inchoasse, quasi in illis interioribus atque innumeris sæculis ab omni providentia et dispensatione divina fuisset otiosus, ac tanquam non habens in quos bonitatis suæ exerceret beneficia solitarius, atque ab omni munificentia alienus fuisse credatur, quod de illa immensa ac sine principio et incomprehensibili majestate satis humile est incongruumque sentire, ipso Domino de illis potestatibus hæc dicente quando facta sunt simul sidera, laudaverunt me voce magna omnes angeli mei ; qui ergo intersunt creationi siderum ante istud principium in

Digitized by Google

quo factum dicitur cœlum et terra creati fuisse manifestissime comprobantur, quippe qui istis omnibus visibilibus creaturis quas videbant ex nihilo præcessisse creatorem magna voce referuntur cum admiratione laudasse. Ante istud ergo temporale principium quod a Moyse dicitur, quodque hujus mundi secundum historicum imo Judaicum sensum signat ætatem, salvo scilicet nostro sensu, quod nos interpretamur omnium rerum Christum esse principium, in quo omnia creaverit Pater secundum illud : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine eo factum est nihil* (*Joan.* I). Ante istud, inquit, Geneseos temporale principium, omnes illas potestates cœlestesque virtutes Deum creasse non dubium est, quas Apostolus per ordinem dinumerans, ita describit, *quia in Christo creata sunt omnia quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt visibilia et invisibilia; sive angeli, sive archangeli, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt.* De istorum quoque numero nonnullos principes fuisse collapsos lamentatio Ezechielis sive Isaiæ manifestissime docet (*Isa.* XIV; *Ezech.* XXVIII); in quibus principem Tyri vel illum Luciferum qui mane oriebatur flebili planctu cognoscimus lamentari. (*Amb.*) Non est autem mirandum si quasi de homine disputans ab humanis rebus ad doctrinam deitatis transivit. Hoc enim ostendemus fecisse Apostolum et Philippensibus scribentem ubi dicit : *Qui in forma Dei exstans*, etc. (*Philip.* II). Evidenter ibi Apostolus a divinis ad humanam transivit, et quidem quasi de uno eodemque omnia dicens. Sed ad Hebræos itidem dicens : *Locutus est nobis in Filio, quem posuit hæredem omnium* (*Hebr.* I). Evidenter de homine id dicens, cujus et loquelam audivimus, qui suscipit eorum quæ erant dominationem quam ante non habebat : transiit vero ad divinam, ut exinde horum confirmaret magnitudinem, et iterum recurrit ad humanam, et quidem quasi de uno omnia in illa parte epistolæ dicens, hoc et in Evangeliis eumdem Dominum sæpe fecisse invenietur qui in illis sermonibus quæ de se dixisse videtur, quod et cautius quis recognoscere poterit, si interpretationem nostram decurrere voluerit in illam partem Evangelii Joannis, quam super paralytico curato ad Judæos locutus fuisse videtur, sic et hoc in loco memoratus est divinæ naturæ ut ab illa magnitudine illorum confirmet, quæ ergo hominum sunt. (*Amb.*) Exinde vero iterum recurrit ad hominem dicens : *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Hoc est, istum in quo omnia creata sunt caput ascribit sibi in commune, Ecclesia corpus ejus per spiritalem regenerationem effecta, quæ formam habet futuræ resurrectionis, secundum quam communicare ei sperantes et participes ejus fieri immortalitatis baptizati quasi formam quamdam illorum implentes quorum princeps ipse nobis exstitit. Ea ergo ratione et caput illum ascribimus nobis. Unde adjicit *qui est primogenitus ex mortuis*, hoc est, ante omnes resurgentes primus in illa vita renatus. Nam quoniam primogenitum ex mortuis susceptum hominem vocat, manifestum est, sed et quia quasi de uno disputat, et illa, quæ in superioribus sunt, et ista dicta et hic evidenter ex ipsis est perspicere sermonibus; qui autem verba Apostoli non recte interpretari attentant et illud, quod dixit, *qui est imago Dei invisibilis primogenitus totius creaturæ*, in divinam suscipiunt naturam, nullo modo nostram interpretationem calumniis poterunt innodare, quibus diximus eum a natura divina ad humanam transire, aut iterum ab humana ad divinam, idipsum enim eos facere necessitas compellit. Illa enim quæ in superioribus dicta sunt in divinam accipere eos naturam res ipsa compellit. Nam hoc quod dixit *primogenitus ex mortuis*, licet ad omnia improbi contendere consciant, nequaquam id in divinam poterunt suscipere naturam. Apostolus vero evidenter ostendens, quoniam et in superioribus dixerat, *primogenitus totius creaturæ*, de hoc ipso iterum dixit, *primogenitus ex mortuis*, unde et adjicit : *Ut fiat in omnibus ipse primatum tenens.* Nam quod dixit, non ut causam dixit, sed illa quæ sequebantur consuete sibi edixit. Vult enim dicere quod est per omnia ipse primus, non solum quia inchoasse resurrectionem videtur, sed quod sit et per omnia primatum tenens. Omnia enim illa quæ in creaturis nominantur, quasi majorem honorem tribuent, et quasi interpretans illa quæ superius dixerat, et aperte illud quod dixerat ostendere cupiens, ait : *Quoniam in ipso creata sunt omnia*, etc. *Quoniam in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis.* Plenitudinem Dei Ecclesiam vocat, necnon et omnia, quasi qui et in omnibus sit et omnia impleat, et hoc est evidenter discere ex illis, quæ ad Ephesios scribens dixisse videtur : et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus, plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet. Hoc ergo dicit quoniam complacuit Deo in eo, hoc est, in Christo omnem habitare plenitudinem, ut dicat omnem creaturam quæ ab eo repleta est, probavit illi conjungere; et hoc idem latius dicens, et per eum conciliare omnia in ipso pacem faciens, per sanguinem crucis ejus per ipsum, sive illa quæ in terris sunt, sive illa quæ in cœlis sunt. Omnia, inquit, in sua morte : hoc enim dicit sanguinem, et crucem reconciliavit, et conjunxit et illa quæ super terram erant et quæ super cœlos : eo quod et mortuus est et resurrexit. Exsurgens vero commune omnibus præstitit promissum resurrectionis et immortalitatis. Omnia autem hinc connectuntur ad concordiam, sicut et in superioribus diximus, et ad illum inciplunt; ut puta concordiæ auctorem : hoc enim dicit *in eum* optime dixit, quoniam per mortem ejus omnia conjunxit, et in pace constituit per eam, quæ erga se est, copulationem. Evidenter illud, quod dixerat in ipso creata sunt omnia, quæ in cœlis sunt, et quæ super terram, hoc in loco iterasse videtur : et caute comprobabit,

Digitized by Google

quoniam de eodem etiam illic verbum fecisse videtur, de quo etiam et hoc in loco dixisse visus est, quem et primogenitum ex mortuis nominans manifestum est hominem susceptum a patre sic vocasse. In his igitur et illa quæ erga Christum sunt ostendens magna et supereminentia, et multo majora quam humana sibi vindicat natura et quidem et magnitudinem illorum quæ per eum sunt confecta, ex illis quæ generalia sunt sufficienter edocuit. Convertit vero ultra verbum ad eorum personam, eo quod potiti fuissent illud beneficium, quod in commune omnibus collatum est ita ut non solum ex communione eos ad reverentiam adduceret, ut ab illa fide quæ in Christo est non discederent, sed et de illis, quæ secundum eos sunt; siquidem et ipsi magni sunt beneficiis cum cæteris sublimati. (*Aug.*) Per illud singulare sacrificium, in quo mediator est immolatus, quod unum in lege multæ victimæ figurabant, pacificantur cœlestia cum terrestribus et terrestria cum cœlestibus, quoniam sicut Apostolus dicit, *in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, et per eum reconciliari omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis.* Pax ista præcellit, sicut scriptum est, omnem intellectum, neque sciri a nobis, nisi cum ad eam venerimus, potest, quomodo enim pacificantur cœlestia, nisi nobis, id est, concordando nobiscum? Nam ibi semper est pax et inter se universis intelleotualibus creaturis, et cum suo creatore, quæ pax, ut dictum est, præcellit omnem intellectum, sed utique nostrum, non eorum qui semper vident faciem Patris. Sive ergo dicam caput et corpus, sive dicam sponsus et sponsa, unum intelligite, ideoque idem Apostolus, cum esset adhuc Saulus, audivit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* (*Act.* IX.) quoniam corpus capiti ejus adjungitur, et quoniam prædicator Christi pateretur ab aliis quæ persecutor ipse fecerat. *Ut suppleam*, inquit, *quæ desunt pressurarum Christi in carne mea, ad pressuras Christi*, ostendens quia patiebatur, quod non potest intelligi secundum caput, quod jam in cœlo nihil tale patitur, sed secundum corpus, id est, Ecclesiam, quod corpus cum suo capite unus Christus est. Non dixit pressurarum mearum Christi quia membrum erat, et in suis persecutionibus quales Christum in toto corpore pati oportebat, etiam ipse pressuras ejus pro sua portione adimplebat.

Et vos cum essetis aliquando alienati et inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso. (Ambr.) Similem sequentiam illorum, quæ in Ephesiorum Epistola scripserat etiam hic servasse videtur: nam et in illis illa quæ de Christo sunt primitus magnifice referens, dein adjiciens illam Ecclesiæ copulationem, quæ ad eum facta est, ad illa quæ specialia sunt transiens, memoratus est personas illorum ad quos Epistolam scribebat dicens, *Et vos mortui cum essetis delictis et peccatis vestris in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus*, etc. Sic et in hoc loco referens illa quæ secundum Christum sunt, sicuti et referri conveniebant: deinde adjiciens illam Ecclesiæ copulationem, quæ ad eum facta est, ad specialia transit, id est, ad personam Colossensium dicens, quoniam talia quidem sunt illa quæ erga Christum sunt facta magna etiam bona et vos potiti estis: alienos enim vos exstantes a Deo et in parte inimicorum illic constitutos ob illam quam erga pravitatem habebatis diligentiam, reconciliavit vos Deo per suam mortem, auferens quidem a vobis mortalitatem, immortalitatem vero vobis donans in qua ultra constituti ab omni estis peccato securi effecti, et nihil agere potestis ex illis quæ non conveniunt. Permanetis autem nullam sustinentes incusationem, sed secundum omnem scrupulositatem illi placite conversamini: hoc enim in omnibus Epistolis notavimus, quoniam de futuris Apostolus magnitudinem illorum ostendit, quæ erga nos a Christo facta sunt, et quoniam omnis ejus correctio in promissionibus posita est, quæ est renovatio futura in futuro sæculo, idipsum et Ephesiis scribentem dixisse ostendimus. Et quoniam transivit ulterius ad suam personam, designans quod suasi fuissent ab illis, qui suadebant eis diligentiam adhibere super custodiam legis. *Si tamen permanetis in fide fundati et stabiles et non commoti a spe Evangelii quod audistis*, et reliqua. Et sicut in illis in quibus firmiter eos credere hortabatur, gratias agens pro illis commemoratus est, quoniam et per omnem orbem Evangelii gloria vim suam vindicat; sic et hoc in loco designans, quasi seducti fuerint ab illa gloria, quæ apud omnes firma esse videtur, quod et memoratur ut majus eos erubescere faciat. *Quod prædicatum est in omni creatura quæ sub cœlo est.* Grave admodum erat, ut discederent ab illa re quæ in commune ab omnibus bona esse conclamabatur, evidentius facere cupiens illud quod dicit, adjicit: *Cujus factus sum ego Paulus minister.* Hoc enim erat opus Dei ut prædicaret Evangelium in Gentibus excepta legitimorum observantia, sicut beato Petro cæterisque dividit prædicationem. Sicut ipse Galatis scribens memoratus est; et ostendens quemadmodum conscius sibi sit, quod bona doceat: *Qui nunc gaudeo*, inquit, *in passionibus pro vobis adimplebo, ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.* (Greg.) Redemptorem enim mundi totis suis allegationibus curat sacræ Scripturæ promittere, eumque per electos omnes ut per ejus scilicet studuit membra significare [signare]. Unde et ille beatus Job latino eloquio *dolens* dicitur, ut per ejus et nomen et vulnera redemptoris nostri passio designetur: de quo propheta ait: *Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* (*Isa.* LIII). Cui tentator, ablatis omnibus, et servos et filios occidit; quia non solum Judaicum populum ex timore servientem, sed ipsos quoque Apostolos in solo amore regeneratos; passionis ejus tempore telo perfidiæ percutit; vulnere beati Job corpus atteritur, quia redemptor noster confixi clavis in crucis patibulo hoc

Digitized by Google

dedignatur, a planta autem pedis usque verticem vulnera suscipit, quia sanctam Ecclesiam, quæ corpus ejus est, non solum per extrema et ultima, sed usque ad summa membra persecutione sæviens tentator affligit. Unde etiam Paulus dicit : *Complebo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea. Pro corpore ejus quod est Ecclesia, cujus factus sum ego Paulus minister.* (Ambr.) Itaque et delector patiens pro vobis quoniam præveniens ad conferendum vobis beneficium passus est Christus, ut corpus suum vobis per resurrectionem esse pronuntiaret illa, quæ deerant tribulationum ejus ab illis, quæ pro vobis erunt adimpleo ego. (Rab.) Quid erit quod deerant ut discentes, quæ sunt illa, quæ directa sunt pro vobis, suscipiatis de illis promissionem? hoc autem sine labore et tribulationibus fieri nequaquam potest : pro his ergo patior circumiens et prædicans omnibus illa quæ sunt correcta, ita ut vos credentes affectu animi propinquitatem illam quæ ad eum est accipiatis, horum enim ego exstiti minister. Et ut ne videatur alta sapiens sibi ipsi ministerii adscribere directionem, *secundum dispositionem*, inquit, *quæ data est mihi in vobis adimplere verbum Dei, mysterium quod absconditum fuit a sæculis et generationibus : nunc autem manifestum est sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in gentibus.* (Ambr.) Hæc quidem etiam ipsis sermonibus in illa Epistola quam Ephesiis scripserat posita esse quis inveniet, eo quod et illam et istam ad illos qui se non viderunt scribebat : ideo et multos sensus et in illa et in ista Epistola similiter posuisse videtur. Dicit ergo quoniam ministerium hoc commissum est mihi a Deo, ita ut omnes doceam illud, quod olim omnibus erat incertum; nunc vero sanctis ejus cognitum est, quod illud tale, quod ob multam suam bonitatem et gloriæ liberalitatem etiam et Gentibus similiter eorum præbuit fruitionem. Nam antiquis temporibus omnis pietas in Judæorum genere circumscripta habebatur; Gentibus vero nulla ad eos erat societas, Evangelium vero communem omnibus futurorum promisit donationem, quod et mysterium vocat, eo quod olim erat occultum, nunc autem est manifestum. Nam quia dixit *sanctis ejus quibus voluit Deus*, de Apostolis dicit, et illis qui tunc erant præpositi, de quibus et Ephesiis scribens evidenter dixisse visus est. Et quoniam dixit quæ sunt divitiæ gloriæ mysterii adjicit : *Quod est Christus in vobis spes gloriæ.* Hoc est, magnæ divitiæ, id est Christus, et ut in illum credamus : hic enim est futuræ gloriæ spes, qui et causa nobis bonorum exstitit, donans nobis ut illa exspectemus. *Quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, et docentes omnem hominem in omni patientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.* Hunc, inquit, prædicamus, omnem hominem docentes, ut in eum affectum habeant, ut in futurum assequi possint perfectionem per illam, quæ in eo est, fidem. Perfectionem etenim futurum statum vocat, et in illa Epistola quam ad Galatas et in ista quam ad Ephesios scripsisse videtur : cui statui nihil boni deesse videbitur. Et quoniam omnia ista ad illud retulit quod dixerat, nunc *gaudeo in passionibus pro vobis*, resumit iterum illud : In quo *et laboro certando secundum operationem ejus quam operatur in me in virtute.* Pro his, inquit, et laborare cupio omnimodo decertans propter tributam mihi ad hoc virtutem de cœlo : inveniet autem quis et hoc per omnia simile esse secundum sensum illius Epistolæ quam ad Ephesios scripsisse videtur ubi dixit : *Hujus rei gratia ego Paulus vinctus Christi Jesu*, etc. (*Ephes.* II.) Et quoniam ostendit evidenter sibi competere pro his doctrinam, siquidem Gentium ministerium commissum habere videtur, et in hoc a Deo creatus est, satisfacere. Properat eis, quoniam nondum venerat ad eos.

CAPUT II.

Docet præcavere deceptiones per falsam prophetiam, per legis auctoritatem, per sanctitatis simulationem.

Volo enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis et pro eis qui sunt Laodiciæ et quicumque non viderunt faciem meam in carne. (Ambr.) Nec enim illud volo, inquit, vos ignorare, quoniam etsi non vidi vos, sed valde et de vobis agonem sustineo, nec enim minus de vobis sum sollicitus, quam de illis quos vidi. Quid est autem illud quoniam agonem pro illis pateris? *Ut consolentur corda ipsorum instructi in charitate et in omnes divitias plenitudinis intellectus.* Ut et vos in illam charitatem, quæ erga Christum est, convenientes, firmo intellectu illorum bonorum quæ exspectantur, assequamini fruitionem. *In agnitione mysterii Dei patris Christi Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.* Et ut inenarrabilibus bonis communicetis, quæ a Deo donata sunt nobis, quæ etiam absconsa sunt nunc in Christo, cum quo, cum apparuerit in futuro sæculo, et illa quæ erga nos est liberalitas in ipsis tunc videbitur operibus; mysterium etenim sicut frequenter diximus, vocat illam gratiam, quæ erga Gentes est, eo quod et ignota erant primitus; cognitionem vero mysterii participationem ejus edicit esse. Absconsos vero omnes thesauros sapientiæ et scientiæ esse in Christo edicit, utpote cum multa prudentia institutos esse per Christum pro nostra utilitate, qui nunc quidem sunt incerti, videbuntur autem tunc cum apparuerit et ipse. Noverat Apostolus thesauros istos, quantum eorum penetraverat et in eis ad quanta pervenerat quis potest nosse? (*Aug.*) Ego tamen secundum id quod scriptum est (*I Cor.* XII) : *Unicuique autem nostrum datur manifestatio spiritus ad utilitatem, alii quidem datur per Spiritum sanctum sermo sapientiæ; alii sermo scientiæ, secundum eumdem Spiritum;* si ita inter se distant hæc duo, ut sapientia divinis, scientia humanis attributa sit rebus, utrumque agnosco in Christo, et mecum omnis ejus fidelis : et cum lego : *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*, intelligo in Verbo verum Dei Filium, in carne agnosco verum hominis filium, et utrumque simul in unam personam Dei et hominis ineffabili

Digitized by Google

gratiæ largitate conjunctum. Scientia ergo nostra Christus est, sapientia quoque nostra idem Christus est, ipse nobis fidem de rebus temporalibus inserit, ipse de sempiternis exhibet veritatem : per ipsum pergimus ad ipsum, tendimus per scientiam ad sapientiam, ab uno tamen eodemque Christo non recedimus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi. *Hoc autem dico ut nemo vos decipiat in subtilitate sermonum.* (Ambr.) Quid est autem, *hoc dico*, et qua ratione hunc habeo de vobis agonem? timeo enim ne quando mutabilitatem aliquam sustineatis suasoribus intendentes. Tunc enim poteritis, ut dixi, assequi vobis promissa, quando permanseritis erga pietatem firmi. Et ostendens quoniam et lætitiæ illorum participatur si bene se illa quæ erga illos sunt habuerint, ait : *Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens et videns ordinem vestrum, et firmamentum ejus, quæ in Christo est fidei vestræ.* Licet absens sum, sed vobiscum sum affectu animi, gaudens in vobis, si tamen firmo cogitatu in Christi fide permanere volueritis; et ultra incipit exhortationem facere evidenter. *Sicut ergo accepistis Christum Jesum, in ipso ambulate radicati et superædificati in ipso, et confirmati fide, sicut et didicistis, abundantes in illo gratiarum actione.* Per omnia hæc, illa dicere voluit : in illis manete, quæ accepistis, secundum illa conversantes, ita ut manifestum sit, quoniam extra observantiam legitimorum illa ab Epaphra susceperunt. Propterea et laudavit traditionem ejus in principio. Bene autem, quia et in gratiarum actionem adjecit, ostendens quoniam sic bona est doctrina, ita ut gratias agere conveniat eos, pro quibus eum cognoverunt. Deinde et adversarios improbans dicit : *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.* Philosophiam docuit verborum pomposam doctrinam, quæ ab adversariis cum quadam simulatione fieri solebat ad seductionem audientium. Inde et ostendens quoniam non vera erat philosophia, sed seductionis verba ad deceptionem auditorum et excogitata erant et adinventa. (*Greg.*) Docet nos igitur Deus juxta beati Job sententiam super jumenta terræ et volucres cœli, quia dum hoc quod sumus agnoscimus, nec carnis nos infirmitas dejicit, nec superbiæ spiritus elevat; nec defluendo imis subjicimur, nec superbiendo de sublimibus inflamur. Qui enim labitur carne, jumentorum appetitu prosternitur : qui vero extollitur mente, more volucrum quasi levitatis penna sublevatur, sed si vigilanter intenditur, ut et mentis humilitas et carnis castimonia teneatur, cito cognoscimus quia alterum custoditur ex altero. Nam multis sæpe superbia luxuriæ seminarium fuit, quia dum eos spiritus quasi in alto erigit, caro in infimis mersit : hi enim secreto prius elevantur, sed postmodum publice corruunt, quia dum occultis intumescunt motibus cordis, apertis cadunt lapsibus corporis. Sic sic elati justa fuerant retributione feriendi, ut quia superbiendo se hominibus præferunt, luxuriando usque ad jumentorum similitudinem devolvantur. *Homo* quippe, *cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII).

Secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi et non secundum Christi. (Ambr.) Secundum elementa mundi dicit dierum et temporum observantiam, eo quod ab elementis mundi perficiuntur ista. Elementum enim mundi solem dicit et lunam, ex quibus dierum quoque et temporum cursus effici videntur. Sic enim illud et Galatis scribens, dixit, traditionem autem hominum non ipsam legem vocavit, sed ipsam doctrinam illorum qui tunc erant, humanam dicens esse, eo quod nec secundum Dei sententiam fiebat. Unde et ostendens pravitatem ejus, adjecit, et non secundum Christum, Christi personam contra sistit, et ostendit pravitatem doctrinæ. (*Aug.*) *Cavete ergo*, inquit, *ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum elementa hujus mundi.* Ipsos enim tangebat qui quasi prudentius idola exponunt. Ideo cum diceret *per philosophiam*, in eodem loco ait, *secundum elementa hujus mundi.* Non quasi qualescunque adoratores simulacrorum, sed quasi doctiores interpretatores signorum cavendos esse admonens. *Quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Non ideo corporaliter, quia corporeus est Deus, sed aut verbo translato usus tanquam in templo manufacto non corporaliter habitaverit, id est, præfigurantibus signis. Nam illas omnes observationes umbras futurorum vocat, etiam ipso translato vocabulo. Summus enim Deus, sicut scriptum est (*Act.* XVII), non in manufactis templis inhabitat; aut certe corporaliter dictum est, quia et in Christi corpore, quod assumpsit ex virgine, tanquam in templo habitat Deus. Hinc est quod cum Judæis signum petentibus dixisset : *Solvite templum hoc et in triduo resuscitabo illud* (*Matth.* XIV), evangelista quid hoc esset consequenter exponens, ait, *hoc autem dicebat de templo corporis sui.* (Ambr.) Omnem plenitudinem Deitatis hoc in loco iterum dicit universam creaturam repletam ab eo, dicit enim illum sensum quem in superioribus posuisse visus est, quoniam omnis creatura in eo habitat, hoc est, ipsi conjuncta est, et quasi quoddam corpus in se retinet aptatum, propter illam copulationem, quæ ad eum est. Omnimodo ergo inconveniens est intendere illi, quia alia docet, præterquam quod ille docuit, in quem omnia coaptata sunt et copulata; hoc enim est a communi consensu seipsum extraneum facere, et evidentiorem ipsam inconvenientiam faciens adjecit : *Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis.* Evidenter illa, quæ in superioribus dicta fuerant, compendiose iterum ait : etenim et vos eum habentes in vobis digni estis habiti ejus copulationi, qui et omnibus invisibilibus virtutibus in ordine capitis consistit. Eo quod omnia ad cognitionem ad illum sicut corpus conjuncta sunt. Deinde et magnitudo donationum ad verecundiam eos adducens dicit : *In quo et circumcisi estis circumcisione non manu facta in exspoliationem*

Digitized by Google

corporis carnis in circumcisionem Christi. (*Aug.*) Non duas utique res intelligi voluit, quasi aliud caro sit, aliud corpus carnis : sed quia corpus multarum rerum nomen est, quarum nulla caro est ; nam multa sunt excepta carne corpora cœlestia et corpora terrestria. Corpus carnis dixit corpus quæ caro est : sic itaque spiritum mentis, spiritum quæ mens est : *Renovamini autem spiritu mentis vestræ* (*Ephes.* IV). [Ambr.] In ipso, inquit, et ea quæ in eo est fide ad impositam vobis mortalitatem estis eruditi, cum qua mortalitate etiam peccata vestra sustulit. Vult enim dicere : quoniam immortalitatem assecuti estis, in qua constituti ultra non peccabitis, quod ex mortalitate sustinebitis necessitatem. Itaque convenit et propter hoc non ingratos vos videri erga illum qui tantorum vobis bonorum exstitit provisor. Bene autem circumcisionem nominavit mortalitatis ablationem, ita ut ex comparatione ostendat ejus differentiam : siquidem ibi corporis ablatio exigua est nullam habens prodificationem ; hic vero tanta mortalitas aufertur in melius corpori nostro transformato. Unde et non manufactam circumcisionem vocavit eam, ita ut ex eo modo inoperationis ejus ostendat differentiam : siquidem illic humana manus est, quæ perfecit circumcisionem ; hic vero divina est gratia, qua inoperatur mortalitatis ablatio. Necessaria vero est et adjectio, quam adjecit dicens *in circumcisione Christi*, ut dicat, quia hac circumcisi estis circumcisione, cujus promissum vobis præstitit Christus, et quoniam magna erant quæ dicta fuerant necdum vero in opere erant effecta, *Consepulti*, inquit, *ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei qui suscitavit illum a mortuis.* Si autem necdum negotio id potiti estis, tamen jam in forma illorum effecti estis, commortui in baptismate et consurgentes ei, evidens est quoniam baptisma assecuti estis credentes. Primitus quod potens sit ista facere Deus, et fecerit jam, ex quibus et suscitavit ex mortuis Christum, in illo communis resurrectionis primitias operatus, multis vero in locis in apostolica doctrina inesse docuimus, quoniam probationes illorum quæ secundum Christum sunt de futuris semper facere consuevit. Commemoratur vero et forma illa, quæ ad præsens impletur, ita ut videantur illorum quæ exspectantur pignora aliqua in præsenti habere ; hinc etenim sancti Spiritus primitias in baptismate percipimus ; quoniam autem dixit formam, resumit illum quod dictum fuerat a se ut latius illam quam inde est gratiam explicet.

Et vos cum mortui essetis in delictis et præputio carnis vestræ convivificavit cum illo donans vobis omnia delicta. (*Aug.*, *Amb.*) Præputium vocavit quod significatur præputio, hoc est, delicta carnalia, quibus exspoliandi sumus. Præputium hoc in loco non corporis dicit, sed sicut circumcisionem ablationem vocavit mortalitatis, sic præputium illud vocavit, quod adhuc circumfert mortalitatem. Hoc ergo dicit : quoniam mortificatos vos peccatis propter circumpositam vobis mortalitatem, resuscitavit cum Christo, in ipso communem resurrectionem efficiens, ex qua omnis species peccati vestri exterminabitur. Hoc enim dicit, donans omnia vobis delicta, eo quod constituit nos extra facilitatem peccandi : per resurrectionem etenim, postquam immortales natura exstiterimus, peccare ultra nequaquam poterimus. Deinde conjungit et aliud bonum, quod hinc nobis acquisitum est, quod et ad præsens etiam argumentum sibi convenire existimabat : *Delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et idipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* (*Ambr.*) Cautionem legem dicit, cujus omnes actum implere debemus, utpote positæ a Deo, quod erat durum, imo impossibile ut secundum legis scrupulositatem justificaremur, quia lex qualitercunque et quandocunque peccantem punire præcepit ; non peccare vero ad plenum hominem existentem valde erat impossibile, ex quibus fiebat ut illi qui sub lege versabantur, securos a pœna effici minime possint. Cautionem ergo adversus nos legem vocat, eo quod erat contraria nobis, hoc est, non permittens justificationem assequi propter suam scrupulositatem, et hanc cautionem delevit decretis, ut dicat resurrectionem et immortalitatem : dogmata enim esse ista et Ephesiis scribens dixit, legem præceptorum in decretis destituens, quare ? quoniam lex necessaria erat illis qui subjacebant peccato, retinens ac prohibens eos a peccato, qui autem resurgentes sunt effecti immortales, peccare ultra non poterunt. Itaque et lex superflua est illis, qui hujusmodi sunt, et in hoc, inquit, nos securos facit, ut ne ulterius sub lege conversemur, unde vel maxime sub pœna facile incurrebamus. Bene autem dixit, *configens illam cruci*, eo quod secundum præsentem vitam lex utilis est nobis, quando et peccare possumus ; finis vero hujus vitæ mors est. Confixit, inquit, illam cruci : mortuus enim finem legi dedit. Nec enim in illis qui resurrexerunt locum aliquem ultra habere poterit lex. Nam et nos secundum hoc extra legem efficimur, secundum quod in illis quæ futura sunt transimus per formam baptismatis, secundum baptisma nostram conversationem ordinantes. Et quod majus est : *Exuens se principatus et potestates traduxit cum fiducia palam triumphans illos in semetipso.* Principatus et potestates hoc in loco contrarias dicit esse virtutes, quæ adversus nos nullam aliquando habuissent virtutem, si nos peccare minime potuissemus. Nam deponere inquit mortalitatem, quam pro communi omnium abstulit utilitate ; exuit et illos auctoritatem illam qua abutebantur adversus nos, magnam et indubiam adversus eos proferens victoriam, ita ut confundantur et illæ vanæ adversus nos tantum sustinuisse laborem ex quo nullum profectum habere potuerunt, in meliorem statum transeuntibus nobis, ita ut ultra nec peccare possimus. Omnia enim conjunxit resurrectioni. Postquam ablati a mortalitate in incorruptione sumus effecti, efficimur quidem extra peccatum, liberamur vero et a servitute legis : securi etiam efficimur et ab omni dæmonum impressione

Digitized by Google

quæ cuncta sequuntur necessario illos qui immortales fuerint effecti, et ab omni facti fuerint peccandi conditione securi, qui etiam divinam gratiam custodiunt in perpetuum bonitatis affectum, et quoniam ostendit per illa quæ per Christum facta sunt, et a legis conversatione nos securos effectos, adjicit :

Nemo ergo vos judicet in cibo aut in potu aut in parte diei festi, aut neomeniæ aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Et ostendens observationis horum differentiam adversus illam conversationem quæ secundum Christum est, quæ est umbra futurorum, corpus vero Christi, propemodum nihil aliud esse ostendit comparationis exemplo, in tantum illa illis quæ secundum Christum sunt infirmiora esse dixit, in quantum a corpore infirmior est umbra. Corpus equidem est substantia, umbra vero solummodo solet apparere ; sed et ipsa umbra si non corpus fuerit, apparere nequaquam poterit. Nam ut fiat umbra, aut videatur, corpus id solet præstare ; omnia ergo quæ in præsenti sunt, et horum observantia umbra sunt, si ad illa quæ Christi sunt comparentur, quoniam illa quæ Christi sunt stabilita sunt, finem nullum sustinentes, eo quod immortales et incorrupti post resurrectionem efficiemur ; illa vero quæ legis sunt, in comparatione futurorum tanquam umbra sunt aliqua, eo quod in præsentem vitam statum suum tantum obtinent. Nam esca et potus et festivitas et neomenia, et Sabbatum, ad modicum tempus custoditum pertransiit, eo quod illi qui semel mortui sunt ulterius hac non indigent observantia. Christi vero donatio ubi semel cœperit manere immobilis, nullam vertibilitatem unquam sustinens ; quod enim dixit *umbra futurorum*, hoc dicit quoniam in comparatione futurorum umbræ sunt ista omnia, unde ad significantiam umbræ corpus adjecit, hoc dicens, quoniam apud Christum veritas est perpetuam vitam habens. (*Aug.*) Cum dicit nemo vos in escis judicet, declarat quia non sit necesse ut jam observentur hæc ; cum autem dicit, quia est umbra futurorum, ostendit quam oportuerit ut illo tempore observarentur, quo ista quæ nobis jam manifesta eluxerunt per tales umbras figurarum futura prædicebantur.

Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei. In his verbis adhibenda est quædam pronuntiatio in vultu et in modo vocis. Per irrisionem quippe verba posuit eorum, qui dicunt : ne tetigeris, neque gustaveris, cum sint omnia munda mundis. (*Ambr.*) Hanc autem sub nomine scientiæ curam vanarum observationum [tangens], ab his qui philosophi nuncupati sunt et a judaismo cavendum esse cernebat, ubi erant umbræ futurorum removendæ ; quia jam lumen earum Christus advenerat, eo quod per angelos lex dicebatur data esse, quasi ministrantibus illis eo tempore quo lex A dabatur, sicuti beatus Paulus dicit (*Hebr.* II) : *Si enim quod per angelos narratum est verbum fuit firmum.* Illi ergo qui legem custodire suadebant, proponebant etiam angelos indignari, si non lex fuerit custodita, deinde et humilitatem quamdam simulantes ostendere properabant, quasi qui ob timorem ad observantiam legis contemptæ. Nolite, inquit, intendere illis qui humilitatem hanc ostendunt et volunt angelos proponere, elatione tamen sensu sui illa dicunt quæ nec sunt, et ostendunt, quia non juste dicunt, « et non tenens caput ex quo omne corpus per nexus et connexus subministratum et coaptatum crescit incrementum Dei, » cum conveniat vos illa sectari, quæ Christi sunt, in cujus effectum commune corpus continetur, secundum subministratam B illis illam gratiam, illud qui secundum Deum est potest facere incrementum. Et dein ab illis qui ante erant ostensa facere properat exhortationem. *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis, neque tetigeritis? Neque gustaveritis, neque contrectaveritis.* Si ergo sic instituti estis, quasi qui jam et commortui estis Christo, et consurrexistis, et extra statum istius vitæ estis effecti, hoc enim dicit ab elementis mundi hujus, qua ratione quasi in præsenti vita conversantes patimini illos qui leges vobis statuunt et dicunt, hoc manduca, hoc noli tangere, et alia quæ hujusmodi sunt? et arguens vanitatem traditionis eorum, ait : *Quæ sunt omnia in interitu ipso usu secundum mandata et doctrinas hominum.* C Quorum finis, inquit, corruptela est, et digestio, hoc enim solet fieri in omnibus escis : hæ sunt hominum traditiones, sicut et in superioribus dixit, non legis lationem dicit mandata et doctrinas hominum. *Sed quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione et humilitate et ad non parcendum corpori non in honore aliquo ad saturitatem carnis.* Obscure quidem est dictum : vult autem dicere, quoniam ut hæc tradantur videntur quidem quod aliquam ostensionem scientiæ doctorum habeant, et quasi qui humilitatem velint studere eos qui erga talia opportune habent. Ostendit vero quasi quia et corpori suo parcere nolint, et nihil honoris dignum existiment, ut ex omnibus repleant corpus, sed magis continentes a multis propter legis traditionem. D Hæc autem dicebat eo quod magna sapiebant illi super abstinentia, et quasi qui propter legem escas etiam contemnant ; in subsequentibus arguit negotii ipsius miserabilitatem. (*Greg.*) Qua in re notandum est, quod in disputatione sua prædicator egregius superstitioni humilitatis speciem jungit : quia dum plus quam necesse est per abstinentiam caro atteritur humilitas foras ostenditur, sed de hac ipsa humilitate graviter interius superbitur, et nisi mens aliquando plerumque ex abstinentiæ virtute tumesceret, nequaquam hanc velut inter magna merita, Pharisæus arrogans studiose enumeraret dicens : *Jejuno bis in sabbato* (*Luc.* XVIII). [Hier.] Illud quod crebro diximus, *et si imperitus sermone non tamen*

Digitized by Google

scientia (*II Cor.* XI), nequaquam Paulum de humilitate sed de conscientiæ veritate dixisse, etiam nunc approbamus. Profundos enim et reconditos sensus lingua non explicat, et cum ipse sentiat, quia cum quo loquatur in alienas aures puro non potest transferre sermone, quem cum in vernacula lingua habeat disertissimum, quippe ut Hebræus ex Hebræis, et eruditus ad pedes Gamalielis viri lege doctissimi (*Act.* XII), et ipsum interpretari cupiens involvitur, sin autem in Græca lingua hoc ei accedit, quam nutritus in Tharso Ciliciæ a parva ætate imbiberat, quid de latinis dicendum est, qui verbum de verbo exprimere conantes obscuriores faciunt ejus sententias? Nemo ergo vos superet atque devincat volens humilitatem litteræ sequi et angelorum religionem atque culturam : ut non serviatis spiritali intelligentiæ. sed exemplaribus futurorum, quæ nec ipse videt, qui vos superari desiderat, sive videt, utrumque enim habet in Græco ; præsertim cum tumens ambulet et incedat inflatus mentisque superbia et gestu corporis præferat, hoc enim significat ἐμβατεύων, frustra autem infletur, et tumeat sensu carnis suæ carnaliter cuncta intelligens, et traditionum Judaicarum deliramenta perquirens, et non tenens caput omnium Scripturarum illud, de quo dictum est : *Caput viri Christus est* (*I Cor.* XI), caput autem atque principium totius corporis eorumque qui credunt, et omnis intelligentiæ spiritalis, ex quo capite corpus Ecclesiæ per suos compages atque juncturas, vitalem doctrinæ cœlestis accipit succum, ut omnia paulatim membra vegetentur et per occultos venarum meatus fundatur defecatus sanguis ciborum, et ministretur, subcrescat, imo teneatur temperantia corporis, ut de fonte capitis rigati artus crescant in perfectionem Dei, ut impleatur Salvatoris oratio : *Pater, volo, ut sicut ego et tu unum sumus, sic et isti in nobis unum sint* (*Joan.* XVII), ut postquam nos Christus tradiderit Patri, sit *Deus omnia in omnibus* (*Ibid.*). Unde et supra Paulus ait : *Nemo vos judicet*, de his qui magistros legis esse se jactant, *in cibo et in potu* (*I Cor.* XV), quod alia munda sint, alia immunda, aut in parte diei festi, aut alios dies festos putent, alios non festos, nobis enim qui in Christum credimus resurgentem jugis et æterna festivitas est, aut Kalendarum et mensis novi, quando decrescens luna finitur et noctis umbris delegitur : Christianorum enim lumen æternum est, et semper solis justitiæ radiis illustratur. Aut in parte Sabbatorum, ut non faciant servile opus et onera non portent, quia nos Christi sumus libertate donati, et onera peccatorum gestare desivimus. Hæc, inquit, omnia umbræ sunt futurorum et imagines venturæ felicitatis, ut in quibus Judæi juxta litteram hæsitantes tenentur in terra, nos juxta Christum transeamus ad Christum, quia ad distinctionem umbrarum nunc corpus appellatur : quomodo enim in corpore veritas est, et in corporis umbra mendacium, sic in spiritali intelligentia mundus omnis cibus et potus, et tota festivitas, et perpetuæ Kalendæ et æterna requies exspectanda est.

A Quærimus quid dicere voluerit in humilitate et religione angelorum? aut quem sensum habet ex quo Dominus locutus est ad discipulos : *Surgite, abeamus hinc? et relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII), et locus in quo crucifixus est Dominus spiritaliter Ægyptus appellatur vel Sodoma. Omnis Judaicarum observationum cultura destructa est, et quascunque offerunt victimas, non Deo offerunt, sed angelis refugis et spiritibus immundis ; nec mirum, si hoc post passionem Domini faciunt, cum per Amos quoque prophetam dicatur ad eos : *Nunquid hostias et victimas obtulistis mihi quadraginta annis in deserto domus Israel et assumpsistis tabernaculum Moloch, et sidus Dei vestri Rempham, figuras quas fecistis ut adoretis eas?* (*Amos* V.) Quod plenius in contentione Judaica
B Stephanus martyr exponens et revolvens historiam veterem sic locutus est (*Act.* VII) : *Et vitulum fecerunt in diebus illis, et obtulerunt hostias idolo, et lætabantur in operibus manuum suarum. Conversus autem est Deus et tradidit eos, ut colerent militiam cœli, sicut scriptum est in libro prophetarum ;* militiam autem cœli non tantum sol appellatur, et luna et astra rutilantia, sed et omnis angelica multitudo, eorumque exercitus qui Hebraice appellatur Sabaoth, id est, virtutum sive exercituum, unde et in Evangelio juxta Lucam legimus : *Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum et dicentium : Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II) ; facit enim Deus angelos suos spiritus et ministros suos
C ignem urentem, et ut sciamus semper eos qui colebant idola, licet in templo hostias viderentur offerre, non Deo eas obtulisse, sed angelis, per Ezechiel plenius discimus : *Dedi eis justificationes non bonas, et præcepta non bona* (*Ezech.* XIII), non enim sanguinem hircorum et taurorum quærit Deus, sed sacrificium Domini est spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despiciet (*Psal.* L). Propterea qui vitulum fecerunt in Horeb et coluerunt sidus Dei Rempham, de quo in propheta Amos plenius disseruimus, adoraverunt figuras quas ipsi fecerunt, et tradidit eos Deus, ut servirent militiæ cœli quæ nunc ab Apostolo religio dicitur angelorum pro humilitate, in Græco, ταπεινοφροσύνη intelligitur, id est, humilitas mentis, sive
D sensus, et miseranda superstitio, Deum credere hircorum atque taurorum sanguine delectari, et nidore thymiamatis, quem sæpe homines declinamus. Quod autem sequitur :

Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis, quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præcepta et doctrinas hominum : quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione et humilitate, et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis. (RAB.) Hunc nobis habere sensum videtur, curramus per singula, et obscuritatem sensuum atque verborum Christo re-

Digitized by Google

sonante pandamus : si baptizati estis in Christo et cum Christo in baptismate consepulti, mortui autem ab elementis mundi, pro eo quod est elementum, cur mecum non dicitis : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo?* (*Gal.* VI.) Nec audistis Dominum dicentem. *De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo* (*Joan.* XVII), sed e contrario quasi viventes in mundo decernitis, Ne tetigeritis corpus hominis mortui, ne vestimentum et scabellum in quo sederit mulier menstruata : neque gustaveris suillam carnem, leporum, et sepiarum et loligmum, murenæ et anguillæ et universorum piscium, qui squamas et pinnulas non habent, quæ omnia in corruptione et interitu sunt ipso usu et stercore digeruntur : *Esca enim ventri et venter escis* (*I Cor.* V); et : *Omne quod intrat per os non communicat* [*coinquinat*] *hominem, sed ea quæ de nobis exeunt* (*Marc.* VII), secundum præcepta, inquit, et doctrinas hominum, secundum illud quod Isaias loquitur : *Populus hic labiis me honorat, cor vero ejus longe est a me : frustra enim colunt me docentes doctrinas et præcepta hominum* (*Isa.* XXVII). Unde et Dominus Pharisæos corripit dicens (*Matth.* XV) : *Irritum fecistis mandatum Dei ut traditiones vestras statueretis. Deus enim dixit : Honora patrem et matrem, et qui maledixerit matri et patri, morte moriatur. Vos autem dicitis : Quicunque dixerit patri vel matri, Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, et non honorificavit patrem suum aut matrem*, et reliqua, quibus infert, *et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Quantæ traditiones Pharisæorum sint, quas hodie δευτερόσεις vocant, et quam aniles fabulæ, revolvere nequeo, neque enim libri patitur magnitudo, et pleraque tam turpia sunt, ut erubescam dicere, dicam tamen unam ignominiam Gentis inimicæ, præpositos habent synagogæ sapientissimos quosque fœdo operi delegatos, ut sanguinem virginis sive menstruatæ mundum vel immundum, si oculis discernere non potuerint, gustu probent. Prætereaque jussum est ut die Sabbatorum sedeat unusquisque in domo sua et non egrediatur, nec ambulet de loco in quo habitat ; si quando eos juxta litteram cœperimus arctare, ut non jaceant, non ambulent, non stent, sed tantum sedeant : solent respondere et dicere, Barachibas et Simeon et Helles magistri nostri tradiderunt nobis, ut duo millia pedes ambulemus in Sabbato, et cætera istiusmodi, doctrinas hominum præferentes doctrinæ Dei, non quod dicamus sedendum esse semper in Sabbato, et de loco in quo quis fuerit occupatus penitus non recedendum : sed quidquid impossibile legis est, in quo infirmatur per carnem, spiritali observatione complendum sit. Sequitur : *quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ*, hoc loco, quidem, conjunctio superflua est, quod plerisque in locis propter imperitiam artis grammaticæ Apostolum fecisse reperimus, neque enim sequitur, vel, alia conjunctio quæ solet ei præpositioni, ubi, quidem, positum fuerit, respondere. Videntur igitur observationes Judaicæ apud imperitos et vilem plebecolam imaginem habere rationis humanæ ; sapientes et doctores eorum σόφοι, hoc est sapientes, vocantur, et si quando certis diebus traditiones suas exponunt discipulis solent dicere : sapientes docent traditiones. Pro superstitione, in Græco ἐθελοθρησκία posita est, falsa religio, et pro humilitate ταπεινοφροσύνη, quod magis virtutem solet sonare quam vitium : sed hoc sic intelligendum, quod humilia sentiant atque terrena. Ἀφειδία autem σώματος, cujus nomen latinus sermo non explicat, apud nos dicitur, ad non parcendum corpori. Non parcant Judæi corporibus suis in assumptione ciborum, contemnentes interdum quæ habent, et quærentes quæ non habent, ex qua necessitate et debilitates interdum, et morbos contrahunt, nec honorant semetipsos cum omnia munda sint mundis, nihilque possit esse pollutum, quod cum gratiarum actione percipitur (*I Tim.* IV), et idcirco a Domino sit creatum ut saturitate et adimpletione carnis humanos artus vegetent, atque sustentent. Per elementa autem mundi, quibus vivimus, imo quibus mortui sumus lex Moysi et omne vetus instrumentum intelligendum est, quibus quasi elementis et religionis exordiis Dominum discimus : quo modo et elementa appellantur litteræ, per quas syllabas ac verba conjungimus, et ad texendam rationem longa meditatione præcedimus. Ars quoque musica habet elementa sua et geometrica ab elementis incipit linearum, et dialectica atque medicina habent et rationes suas; sic elementis Veteris Testamenti ut ad Evangelicam plenitudinem veniant sancti viri eruditur infantia. Unde et centesimus octavus decimus psalmus et omnes alii qui litteris prænotantur per ethicam nos ducunt ad theologicam ; et ab elementis litteræ quæ destruitur transire faciunt ad Spiritum vivificantem. Qui ergo mundo et elementis ejus mortui sumus non debemus ea observare quæ mundi sunt quia in altero initium, in altero perfectio est.

CAPUT III.

Informat Apostolus de moribus generaliter deponendo vitia, et acquirendo virtutes, specialiter ad parentes, filios, conjugatos et servos.

Igitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens (Ambr.) Hoc est, miserabilis est in comparatione vestra illa quæ erga istos est sollicitudo, qui jam Christo secundum promissionem consurrexistis, quos convenit, expletis his omnibus sollicitos esse de cœlestibus, et illam quæ in cœlis est commemorationem imitari, ubi Christus in dextera Dei residere dignatus est, habitus ut dicam magnum assecutus est honorem. (*Aug.*) Nondum utique resurreximus sicut Christus, sed tamen secundum spem, quæ in nobis erga illum sive in ipsum est jam nos cum illo resurrexisse testatus est. Unde etiam dicit :

Digitized by Google

(*Tit.* III) : *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, tanquam jam data esset eadem salus, alio quippe loco dilucidissime dicit, *spe enim salvi facti sumus*. Commutatio vero, quæ corruptionem non habebit, sanctorum erit; illorum erit qui modo habent resurrectionem spiritus, de qua resurrectione dicit Apostolus : *Si autem resurrexistis cum Christo quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextra Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ terrena sunt; mortui enim estis et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo;* quomodo morimur secundum spiritum et resurgimus secundum spiritum, sic postea morimur secundum carnem, et resurgimus secundum carnem. Quæ est prima mors? non facere quod faciebas, non credere quod credebas. Idolis serviebat, unum Deum cognovit, mortuus est in idololatria, resurrexit in fide. Ebriosus erat, sobrius est; mortua est ebrietas, resurrexit sobrietas, omnia ergo facta mala quæ desininus facere quasi mors in nobis; tunc enim aliquid desiderio nostro non deerit, quando omnia in omnibus Deus erit : talis finis non habet finem : nemo ibi moritur, quo nemo pervenit nisi huic sæculo moriatur, non morte omnium, qua corpus ab anima deseritur, sed morte electorum, qua etiam cum in carne mortali adhuc morietur cor sursum ponitur : *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* (Ambr.) Et quoniam contrarium quemdam esse modum videbat illis qui super terram commorabantur, dicit ut illa saperent quæ in cœlis sunt. *Mortui enim estis et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* (Aug.) Hinc fortasse dictum est : *Valida est sicut mors dilectio* (*Cant.* VIII), hac enim dilectione fit ut in ista adhuc corruptibili carne constituti moriamur huic sæculo, et vita nostra cum Christo abscondatur in Deo, imo ipsa dilectio est mors nostra sæculo, vita cum Deo, si enim mors est, quando de corpore anima exiit, quomodo non est mors quando de mundo amor noster exiit? valida est ergo ut mors dilectio, quid ea validius qua vincitur mundus. (*Ambr.*) Mortui, inquit, estis præsenti huic vitæ, hoc enim natura sustinebit, sed resurrexistis : etenim et hoc in Christo effectum est, ut et in nobis fiat, de quibus nulla poterit esse ambiguitas, sed incertum est hoc interim, eo quod nec ipsum videmus Christum. In Dei ergo virtute, qui et hoc ipsum perficit, et cum ipso in Christo, qui horum est primitiæ, qui interim non videtur, sed nec illud videtur quod futurum est. (*Greg.*) Sancti igitur viri ab importunitate desideriorum corporalium, a tumultu inutilium curarum a clamore perstrepentium perturbationum, semetipsos sacri verbi gladio mortificare non desinunt. Atque intus ante Dei faciem in sinu mentis abscondunt. Unde recte per Psalmistam dicitur : *Abscondes eos in abdito vultus tui a conturbatione hominum* (*Psal.* XXX), quod quamvis perfecte postmodum fiat, etiam nunc ex magna parte agitur, cum a temporalium desideriorum tumultibus delectatione in interiora rapiuntur, ut mens eorum dum in amorem Dei tota tenditur, nulla inutili perturbatione laceretur. Hinc est quod Paulus per contemplationem mortuos et quasi in sepulcro absconditos discipulos viderat, quibus dicebat : *Mortui enim estis et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*, qui ergo mortem quærit, gaudet dum sepulcrum invenit : quia qui mortificare se appetit, valde ad inventam requiem contemplationis hilarescit. Ut exstinctus mundo lateat, et cunctis externarum rerum perturbationibus intra sinum se intimi amoris abscondat. Quid ergo? *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria.* (*Ambr.*) Sed ait, ubi ille de cœlo apparuerit, qui est principatus immortalitatis vitæ vestræ, apparebitis et vos in iisdem, æternæ vitæ et futuræ gloriæ fruitionem assecuti : sic et ejiciens illam conversationem quæ sub lege est, per illa quæ futura sperantur, egreditur iterum ad exhortationem, et ostendens quoniam non solum inconveniens illis sit peccare, eo quod non sint sub lege, sed multo magis eis aptum sit illa quæ veritatis sunt perficere, si tamen consequentia illis agere voluerint quæ per Christum fieri sperantur.

Mortificate igitur membra vestra quæ sunt super terram. Quia immortales post resurrectionem effecti, peccare ultra non poterimus, mortales vero sequitur, ut peccent. Sicuti ergo ex diversis membris peccatorum compositum mortalem hominem supponit, propter quod et mortales talia agere possint. Nam dixit *membra quæ sunt super terram*, ut dicat actus pravos quos solent mortales sequi. (*Aug.*) Mortificatis ergo istis membris resurgimus in fide prius, quomodo autem præcedit mors secundum spiritum resurrectionem quæ est secundum spiritum, sic præcessura est mors secundum carnem resurrectionem quæ futura est secundum carnem. *Fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus.* (*Hier.*) Neque enim beatus Apostolus ad abscisionem manuum aut pedum, aut genitalium inimici nos præceptione compellit, sed corpus peccati, quod utique constat ex membris, quantocius destrui zelo perfectæ desiderat sanctitatis, de quo corpore alibi, *ut destruatur*, inquit, *corpus peccati* (*Rom.* VI), et quæ sit ejus destructio consequenter exponit, *ut jam*, inquit, *non serviamus peccato*, a quo etiam se liberari cum ejulatu postulat dicens : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Hoc itaque peccati corpus multis vitiorum membris probatur exstructum et ad ejus attinet portionem, quidquid vel facto vel dicto vel cogitatione peccatur; cujus membra rectissime super terram esse dicuntur. Non enim possunt hi qui utuntur eorum ministerio veridice profiteri, *nostra autem conversatio in cœlis est*, hujus igitur corporis in hoc loco Apostolus membra describens, *mortificate*, inquit, *membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus.* Primo itaque loco *fornicationem* credit inferendam

Digitized by Google

quæ carnali commistione perficitur. Secundum etiam membrum *immunditiam* nuncupavit, quæ nonnunquam absque ullo mulieris attactu vel dormientibus, vel vigilantibus per incuriam incircumspectæ mentis obrepsit, et ideo notatur ac prohibetur in lege, quæ immundos quoque non solum sacrarum carnium participatione privavit, verum etiam ne contactu suo sancta polluerint a castrorum jussit congregatione secerni dicens : *Anima quæcunque comederit de carnibus sacrificii salutaris, quod est Domini, in qua est immunditia, peribit coram Domino, et quidquid tetigerit immundus immundum erit* (*Levit.* VII). In Deuteronomio quoque : *Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus est somnio, egredietur extra castra, et non revertetur priusquam lavet aqua, et post solis occasum regredietur in castra* (*Deut.* XXIII). Deinde tertium peccati membrum *libidinem* ponit, quæ in recessibus animæ coalescens accedere cuipiam sine passione corporis potest : libidinem enim ab eo quod libeat dictam esse non dubium est. Posthæc de majoribus peccatis ad minora descendens, quartum intulit membrum *concupiscentiam malam*, quæ non solum ad prædictam immunditiæ passionem, verumetiam ad omnes noxias cupiditates generaliter referri potest, quæ corruptæ tantummodo voluntatis est ægritudo, de qua Dominus in Evangelio, *qui viderit*, inquit, *mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Multo enim majus est etiam tunc mentis lubricæ desiderium continere, cum ei illecebrosi aspectus offertur occasio; quibus manifestissime comprobatur ad perfectionem puritatis, castimoniam continentiæ corporalis solam non posse sufficere, nisi ei etiam mentis integritas addatur. Post quæ omnia novissimum corporis illius membrum, *et avaritiam*, inquit, procul dubio ostendens, non solum ab appetitu rerum alienarum animum continendum, verum etiam propria magnanimiter contemnenda. Hoc enim et in Actibus apostolorum fecisse legitur credentium multitudo, de qua dicitur : *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dixerat, sed erant illis omnia communia : quotquot enim possessores agrorum erant aut domorum, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant et ponebant ante pedes apostolorum : dividebatur autem singulis prout cuique opus erat* (*Act.* IV). Et ne ad paucos pertinere videretur ista perfectio, avaritiam simulacrorum servitutem esse testatus est : nec immerito. Quisquis enim non communicat necessitatibus egenorum, et pecuniæ suæ quam infideli tenacitate conservat, Christi præcepta postponit, idololatriæ crimen incurrit, amorem scilicet materiæ mundialis divinæ præferens charitati. (*Ambr.*) Notandum quod idolorum culturam avaritiam vocavit, quasi quæ a similitudine Dei eos possit divellere : nec enim possibile est ut quis se a pravis negotiis abstineat, qui plus habendi cupiditate tenetur. (*Aug.*) Ideo avaritiam idolorum servituti comparat, *et avaritia*, inquit, *quæ est idolorum servitus*, quem sensum beatus Cyprianus sic exaggeravit in Epistola ad Antonium, ut eorum peccato qui tempore persecutionis per libellos se thurificaturos professi erant, avaritiam comparare non dubitaret, et tamen cum manifestissimum sit multo gravius peccare scientem, quam nescientem, vellem mihi aliquis diceret, si quis hæresim incurrat nesciens quantum malum sit, et alius ab avaritia non recedat sciens quantum sit malum, quis enim sit pejor ? possum etiam ita proponere, si alius nesciens in hæresim irruat, et sciens alius ab idololatria non recedat; quia et Apostolus dicit : *Avaritia, quæ est idolorum servitus.* (Serap.) Neque hoc silendum arbitror, quod sicut fornicationis genera sunt tria; primum quod per commistionem sexus utriusque perficitur, secundum quod absque femineo tactu, pro quo ter patriarchæ Judæ filius a Domino percussus legitur, quod in Scripturis sanctis immunditia nuncupatur, super quo Apostolus (*I Cor.* VII) : *Dico autem innuptis et viduis, bonum est illis si sic permanserint sicut et ego : quod si se non continent nubant, melius est enim nubere quam uri;* tertium quod animo ac mente concipitur, de quo Dominus in Evangelio : *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V); ita philargyriæ genera sunt tria · primum renuntiantes divitiis ac facultatibus suis spoliari non sinit : secundum quod ea quæ a nobis dispersa sunt, vel indigentibus distributa, resumere nobis majore cupiditate persuadet : tertium quod ea quæ ne antea quidem possidemus desiderare vel acquirere compellit. Et ut ostenderet quoniam non potest quis ista sine noxa facere : *Propter quæ*, inquit, *venit ira Dei super filios diffidentiæ.* (Ambr.) Non solum nos peccare absurdum est, sed et resurgentes si deliquerimus pœnam necessariam exspectabimus. *In quibus et vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis.* Dudum quidem agebantur a vobis, quando cum præsenti vita totam spem vestram dimetiebatis nihil amplius expectantes. *Nunc autem deponite et vos omnia.* Jam ultra secundum illa vivere vos non convenit, qui maxime in immortalitate eritis, in qua consistere nunc in formam existimamini, sed discedendum nobis est ab his omnibus, et deponere debemus *iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.* (Serap.) Sciendum autem quod iræ tria sunt genera, unum quod exardescit intrinsecus; aliud quod in verbum et opus effectumque prorumpit, quod odium nuncupatur, de quibus et Apostolus, *Nunc autem deponite*, inquit, *et vos omnem iram et indignationem* : tertium quod non ut illa fervens ad horam digeritur, sed per dies et tempora reservatur, quod annorum centum dicitur, quæ omnia æquali sunt a nobis horrore damnanda. Quapropter si illam summam divini præmii cupimus adipisci de quo dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V), non solum hæc e nostris actibus amputanda est, sed etiam de intimis animæ radici-

Digitized by Google

bus exstirpanda. Non enim valde proderit iracundiæ cohibitus furor in verbo, nec in effectum prolatus, si illam arcanis pectoris nostri Deus, quem secreta cordium non latent, inesse perspexerit : radices enim vitiorum potius excidi præcipit Evangelicus sermo, quam fructus, qui proculdubio evulsis fomitibus nequaquam ulterius pullulabunt : atque ita mens poterit jugiter in omni patientia et sanctitate durare, cum hæc non de superficie operationis et actuum, sed de cogitationum fuerint evulsa penetralibus, et idcirco ne homicidium perpetretur, ira odiumque succiditur, sine quibus homicidii crimen nullo modo valebit admitti · *Qui irascitur* enim *fratri suo, reus erit judicio* (*Matth.* v) ; et : *Qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III), in eo scilicet quo eum corde cupiat interire, cujus cruorem propria manu, vel telo apud homines minime fundisse cognoscitur, affectu iræ homicida pronuntiatur a Domino, quia non solum pro operationis effectu, sed etiam pro voluntatis ac voti unicuique aut præmium reddet aut pœnam. (*Albert.*) Hinc item Apostolus dicit scribens ad Ephesios : *Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia* (*Ephes.* v). Hic ostendit pro quibus contristetur Spiritus sanctus, et relinquat cor in quo habitabat per charitatem et modestiam. Amaritudo contraria est suavitati, et dulcedini sancti Spiritus ; furor vero insipiens ira est, et fervescens in ima perturbatio ; indignatio ex superbia nascitur, cum aliquem judicamus indignum, et ideo eum nolumus sustinere : ira autem est cujus amaritudo et furor et indignatio species sunt, quæ furore restincto desiderat ultionem, et eum quem nocuisse putat, vult lædere. Unde nobis omnis amaritudo et furor et ira et indignatio, et clamor tollendus est. Post hæc omnia recte clamor quoque et blasphemia prohibentur in nobis, quia qui semel fuerit furore superatus, sæpe erumpit ad clamorem et turbide fremens ventilatur in modum folii. Blasphemia est, cum de Deo falsa finguntur, aut in fide catholica hæretica pravitate deceptus errare quis probatur. Novissime addidit hæc vitia *cum omni malitia* a nobis esse tollenda : malitia est quidquid virtuti contrarium est, quæ alio nomine vitium dici potest. *Nolite mentiri in invicem.* (*Ambr.*) Non dixit alterutrum, sed *in invicem*, hoc enim vult dicere, quoniam non est justum ut cum simulatione vobis narretis, sed sincera mente, et quoniam membra nominavit, actus seipsum sequentes adjicit : *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus ejus.* Ex integro, inquit, convenit vos mortalem deponentes hominem deponere etiam et actus consequentes illum. *Et induite novum eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit eum.* Consentanea agere debetis huic novo quem induti estis renovati et facti secundum imaginem ejus, qui istius recreationis vobis auctor exstitit, ut dicat Christi : itaque enim inconvertibiles manere vos in bono per omnia convenit, hoc enim vobis in futuro aderit, pro possibilitate in præsenti vita : deinde et ostendens hujus recreationis bonum : *Ubi non est Gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus.* At ubi, inquit, in illa transformatione constiterimus, ultra non erit discretus Judæus et Gentilis. Nam circumcisionis et præputii discretio interempta est, eo quod immortales sumus effecti : ita ut neque barbarus neque liberi neque servi poterint ulterius perspici, Christo in omnibus apparente, ad cujus similitudinem immortalitate potiemur : illos ergo qui hujusmodi induti sunt hominem et in illo sunt effecti secundum formam, quæ conveniunt vult observare. (*Aug.*) Si ergo Spiritu mentis renovamur, et ipse est novus homo, qui renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum, nulli dubium est non secundum corpus, neque secundum quamlibet partem animi, sed secundum rationalem mentem, ubi potest esse agnitio Dei, hominem factum ad imaginem ejus qui creavit eum ; secundum hanc autem renovationem efficimur etiam filii Dei per baptismum Christi, et induentes novum hominem, Christum utique induimus per fidem. Quis est ergo qui ab hoc consortio feminas alienat, cum sint nobiscum gratiæ cohæredes ? et alio loco idem Apostolus dicat (*Gal.* III) ; *Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Jesu : Quicunque enim in Christo baptizati estis Christum induistis. Non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina : omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Nunquidnam igitur fideles feminæ sexum corporis amiserunt ? sed quia ibi renovantur ad imaginem Dei ubi sexus nullus est, ibi factus est homo ad imaginem Dei ubi sexus nullus est, hoc est, in Spiritu mentis suæ. Sicut enim post lapsum peccati homo in agnitione Dei renovatur secundum imaginem ejus qui creavit eum, ita in ipsa creatione creatus est antequam delicto veteresceret, unde rursus in eadem agnitione renovaretur ; ista renovatio reformatioque mortis secundum Deum vel secundum imaginem Dei : sed ideo dicitur secundum Deum, ne secundum aliam creaturam fieri putetur. Ideo autem secundum imaginem, ut in ea re intelligatur fieri hæc renovatio ubi est imago Dei, id est, in mente. Non itaque sic intelligamus, *secundum imaginem ejus qui creavit eum*, quasi alia sit imago secundum quam renovatur, non ipsa quæ renovatur.

Induite ergo vos sicut electi Dei sancti et dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. (Hier.) Et de sponsa dicitur in psalmo : *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* (*Psal.* XLIV). Quid hac varietate pulchrius ? de qua et Job loquebatur, *Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, aut varietatis disciplinam ?* (*Job.* XXXVIII) et pontifex semel in anno, quando pro populo adolebat incensum, et ingrediebatur in sancta sanctorum, variis vestibus utebatur. Certe si divitiæ varietatem vestium et non

Digitized by Google

sanctitas faceret diversitatem virtutum, Pharao et Nabuchodonosor hæc vestimenta habuisse scriberentur, et non Joseph, qui sub peregrino et pastorali patre vestes discolores et regias habere non poterat. (*Ambr.*) Per omnia ista suasit ut illam quæ invicem est charitatem in nobis custodiamus, charitatis enim opera sunt ista, et permanens in iisdem adjicit : *Supportantes invicem et donantes vobismetipsis si quis adversus aliquem habet querelam*, et exemplo illis suadere cupiens ait : *Sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos.* Deinde ad confirmationem dictorum super omnem hanc charitatem compendiose dicere vult, charitatis habete diligentiam, et ex qua horum directio efficitur, et ostendens charitatis utilitatem adjicit : *Quod est vinculum perfectionis.* Etenim, inquit, in futuro sæculo, ac ubi constiterimus, in illud quod præceptum est adhuc, id est charitate, colligati in invicem, permanebimus, nullam separationem ulterius sustinentes : tenebimur vero in concordia illa quæ erga alterutrum est idipsum alterutrum. *Et pax Christi exsultet in cordibus vestris.* Sciens enim beatus Paulus quoniam charitate manente omnia facile diriguntur, illis vero quæ contraria sunt tenentibus nihil efficitur ex illis quæ conveniunt, omni loco de charitate multum facere videtur sermonem, et ostendens exhortationis utilitatem adjicit. *In qua et vocati estis in uno corpore, et grati estote.* Unum quoddam corpus per regenerationem facti sumus : evidens est autem quoniam in pace sumus vocati, eo quod nec corpus sibi ipsi unquam scit dissentire. Ita convenit vos ob hanc ipsam vocationem operibus gratos habitu vos ostendi, custodientes illam erga alterutrum integram vocationem. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter.* Ditissime sit, inquit, in vobis larga Christi doctrina, quemadmodum in omni *sapientia docentes et commoventes vosmetipsos.* Sic illorum assiduam habete memoriam ut semper videamini vosipsos docere et admonere consequentem eis doctrinæ conversationem ostentantes ; sic enim erit ditissima in vobis ejus doctrina, si semper hæc eadem cogitantes in vestro sensu eam custodire volueritis. Nam quod dixit *in omni sapientia*, sapientiam vocavit illum intellectum qui de istis est : *Psalmis, hymnis, canticis spiritalibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* Semper, inquit, in sensu vestro gratias agite Deo pro quibus talia præstitit vobis. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu facite, gratias agentes Deo Patri per ipsum.* Et quodcunque, inquit, aut dicitis, aut agitis, intuentes in Christo, debitam gratiarum actionem Deo et Patri referre properate pro illis quæ per Christum vobis sunt præstita : etenim in psalmis et hymnis et canticis spiritalibus gratiarum actionem vocavit, hoc dicens, in cordibus vestris gratias agite Deo, aut quodcunque aut dicitis aut agitis, sic et dicite et agite sicut justum est dicere illos, qui talia assequi digni sunt habiti. Hæc enim est vera gratiarum actio : deinde et in hac parte imitans illa quæ ad Ephesios scripserat vertitur ad specialem consolationem dicens : *Mulieres subditæ estote viris sicut oportet in Domino.* Uxores jubet subditas esse maritis. *Viri diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas.* Viros admonet diligere suas uxores nec moleste erga illas versari. *Filii obedite parentibus per omnia : hoc enim placitum est in Domino.* Suadet filiis ut obaudiant parentibus. *Patres nolite ad indignationem provocari filios vestros ut non pusillanimes fiant.* Patribus suadet ut non superflue tristent filios suos. *Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum : quodcunque facitis ex animo operamini sicut Domino et non hominibus, scientes, quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis, Domino Christo servite.* Jubet et servos obedire suis dominis inspicientes in illam mercedis remunerationem, quæ a Deo illis retribuetur pro fideli servitio, et ita facite sicut et justum est facere eos, qui a Deo sibi mercedem tribui exspectant. Non sicut hominibus servientes, sed sicut illi a quo et mercedem vicissim sibi tribui exspectant quibus adjicit : *Qui enim injuriam facit, recipiet id quod inique gessit et non est personarum acceptio apud Deum.* Quoniam etsi aliqua ratione injuste eos domini affligere voluerint, non erunt innoxii, Deo scilicet nullius personam aut accipiente, aut reverente.

CAPUT IV.

Dominos instruit Apostolus ; et commendat se orationibus Colossensium, ostendens quomodo se ad infideles habere debeant ; et ponitur Epistolæ conclusio per salutationem.

Domini, quod justum est et æquum servis præstate, scientes quod et vos Dominum habetis in cœlo. (Amb.) Et dominis suadet ut illud quod condecet servis tribuant, humane erga eos agentes et in opere dilectionem illis præbentes, et diligentiam illorum adhibentes, prout potest, et veniam illis delinquentibus tribuant, cum eos peccare acciderit, hoc enim dicit justum et æquum, ut non æquales sibi eos esse existiment : fieri enim potest quando ut serviant servi, et cum integro serviant effectu. Tanta scripsit ; suadet autem et his hæc custodire illa memoria, quia et ipsi sint sub Domino illo qui in cœlis est : et iterum ad communionem vertitur, et ait : *Orationi instantes, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Præcepit sobria mente assidue orare, atque gratias agere pro illis bonis quæ sibi sunt a Deo tributa. *Orantes simul et pro nobis ut Deus aperiat nobis ostium verbi loqui mysteria Christi, propter quod et ligatus sum, ut manifestem illud sicut convenit loqui me.* Sed et pro nobis, inquit, orate ut cooperetur nobis Christus, et docere omnes possimus illam quæ in Christum est veritatem, pro quo et alligatus sum ad præsens. *In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes.* Cum prudentia, inquit, illis qui extranei sunt a fide disceptamini, præsens tempus prout conveniens est vobis abutentes, eo quod ille qui comparat aliquid, ad usum suarum utilitatum illud com-

Digitized by Google

parat. Hoc voluit dicere : præsenti tempore, in quo mala abundant, pro virium vestrarum qualitate illud agere properate quod vobis expedire cognoscitis, ut et mercedes vobis in futurum pro hac conversatione provideatis pro quibus in præsenti sæculo commoramini. *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo vos oportet unicuique respondere.* Properate, inquit, illa quæ prudentiæ semper plena sunt proloqui, considerantes quod oporteat unicuique dare responsum, convenienter disputantes, ita ut magis donum aliquid ex vestris sermonibus perfici videatur, his adjecit.

Quæ circa me sunt omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater et fidelis minister et conservus in Domino, quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt, ut consoletur corda vestra cum Onesimo charissimo et fideli fratre, qui est ex vobis : omnia quæ hic aguntur nota facient vobis. Propterea a me directus est cum Onesimo fratre, qui a vobis venerat, ut nota vobis faciant quæ erga nos sunt et oblectent vos per suum adventum, omnia quæ hic aguntur manifesta facientes vobis. *Salutat vos Aristarchus concaptivus meus et Marcus consobrinus Barnabæ de quo accepistis mandata ; si venerit ad vos, excipite illum.* Deinde salutat eos ab Aristarcho, quem et captivum suum edicit esse, utpote colligatum sibi, et a Marco quem nepotem dicit esse Barnabæ, de quo etiam mandatum eos accepisse edicit, ita ut venientem eum recipiant : dicit autem eis accepisse mandatum non ab alio aliquo, neque a se, sed ab illo qui prædicaverat eis Evangelium, neque a se, quod fieri quidem non poterat eo quod necdum viderat eos. *Et Jesus qui dicitur justus, qui sunt ex circumcisione, hi soli sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio.* Salutat eos et ab Jesu qui cognominatur justus, hos solos dicit de illis qui ex circumcisione crediderunt, cooperarios sibi esse in Evangelio, quos et solatium sibi præbuisse dixit : *Salutat vos Epaphras qui ex vobis est servus Christi, semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti et repleti in omni voluntate Dei, testimonium enim illi perhibeo quod habet multum laborem pro vobis et pro his qui sunt Laodiciæ et qui Hierapoli.* Deinde salutat eos ab Epaphra qui prædicavit eis, dicens multam sollicitudinem eum habere de eis, ita ut oret, ut firmi permaneant in fide ? Dicit enim Apostolus testimonium perhibere eis quoniam sollicitudinem de illis haberet, nec non et illis qui in Laodicia sunt et in Hierapoli. *Salutat vos Lucas medicus charissimus et Demas.* Salutat eos et a Luca medico qui Evangelium conscripsit, nec non et Dema. Deinde scribit eis : *Salutate fratres qui sunt Laodiciæ et Nympham, et quæ in domo ejus est, ecclesiam.* Salutate, inquit, illos qui in Laodicia sunt et Nympham cum omnibus suis qui in domo ejus sunt, et adjicit : *Et cum lecta fuerit Epistola apud vos, facite ut in Laodicensium Ecclesia legatur, et eam quæ Laodicensium est, vos legatis.* Itaque hanc Epistolam postquam ab illis fuerit lecta, legi et in Laodicensium Ecclesia præcipit. Dicit autem eis ut et illam quæ ex Laodicia est legant, non quia ad Laodicenses scribit. Unde quidam falsam Epistolam ad Laodicenses ex nomine beati Pauli confingendam esse existimaverunt, nec enim erat vera Epistola. Æstimaverunt autem quidam illam esse, quæ in hoc loco est significata. Apostolus vero non Laodicenses dicit, sed ex Laodicia quam illi scripserunt ad Apostolum, in quam aliqua reprehensionis digna inferebantur, quam etiam hac de causa jussit apud eos legi. Ut ipsi reprehendant seipsos discentes quæ de illis sunt scripta ; et propter hoc, ut datur intelligi, neque scribere eis dignum existimavit : sed illam quæ ad Colossenses scripta erat, legi et apud illos præcepit ut bonorum pariter suscipiant monitionem et in melius convertantur, eo quod sic reprehensi sunt a Paulo et neque scripta ab eo percipere digni fuissent existimati. Deinde dicit ad eos. *Et dicite Archippo : Vide ministerium quod acoepisti in Domino ut illud impleas.* Deinde dicit eis, dicite Archippo ut ministerium quod accepit impleat. Ut autem eis ex litteris existimare apud Laodicenses, id est, degens ministerium doctrinæ commissum habere videbatur, his adjicit : *Salutatio mea manu Pauli.* Quoniam sua manu salutationem scripsit dicens : *Memores estote vinculorum meorum.* Hoc est, ad meam imitationem etiam pro veritate pati nolite pigere. Adjecit consuetam conclusionem : *Gratia vobiscum amen.* In hac designatione Epistolæ consummationem fecisse videtur.

LIBER VICESIMUS UNUS.

EXPOSITIO IN EPISTOLAM I AD THESSALONICENSES.

ARGUMENTUM.

Beatus Apostolus Paulus peragrabat diversas civitates prædicans fidem quæ in Christo est : divina vero monitus revelatione venit ad civitates Macedoniæ : exinde vero venit et Thessalonicam, sicut est cautissime discere ex libro Actuum apostolorum, prædicavit ergo inter cæteras etiam Thessalonicensibus pietatis doctrinam. Adversariis vero super hoc indignantibus, evenit ut multa pateretur, id est, Apostolus, in eadem civitate Thessalonicensium in qua et illi qui crediderunt Christo multa sustinuerunt mala a contribulibus suis, ita ut cogeretur beatus Apostolus a Thessalonica discedens Athenas proficisci : pertimescens vero de illis qui crediderant, ne forte atrocitate adversariorum impulsi a suo deviarent proposito, coactus Timotheum misit ad eos

Digitized by Google

simul ut et illa quæ gesta fuerant disceret, et fidelium animos tam sua præsentia confirmaret, quam etiam ex oratione salubri moneret in fide persistere, qui etiam cuncta illa implens quæ sibi a beato Apostolo fuerant injuncta, reversus ad eum nuntiavit ei quoniam multa ab adversariis perpessi mala sustinuerint, nec a fide discesserint. Inter cætera vero nuntiavit ei esse aliqua apud illos, quæ corrigi debeant. Hæc a Timotheo discens Apostolus scribit ad Thessalonicenses primam hanc Epistolam, laudans eos quod in adversis rebus ita fideliter sustinuerunt pro fide decertantes; instruit vero eos et de illis, quæ apud eos inconvenienter geri cognoverat. Omnia vero avidissime ex illa interpretatione, quæ per partes fit, melius agnoscere poterimus.

CAPUT PRIMUM.

Apostolus agit gratias de Thessalonicensium bona inchoatione, et diffusione hujus bonitatis.

Paulus et Silvanus, et Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium. (Aug.) Judæorum proprie synagoga dici solet, quamvis et Ecclesia dicta sit: nostram vero Apostoli nunquam synagogam dixerunt, sed semper Ecclesiam, sive discernendi causa, sive quod inter congregationem, unde synagoga, et convocationem, unde Ecclesia nomen accepit, distet aliquid, quod scilicet congregari et pecora solent, convocari autem magis est utentium ratione, sicut sunt homines. *In Deo Patre et Domino Jesu Christo gratia vobis et pax.* (Ambr.) Hoc in loco vel maxime ostendit, quoniam *gratia vobis* sic ponit, sicuti nos in præscriptione Epistolæ solemus salutem ponere: posuit vero et *in Deo Patre* sicut et nos scribere consuevimus in Domino. *Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione memores operis fidei vestræ et laboris et charitatis et sustinentiæ spei Domini nostri Jesu Christi ante Deum et Patrem nostrum.* Et gratias, inquit, agimus pro vobis, et sine intermissione pro vobis oramus: memores enim sumus illa quæ pro fide estis operati et laborem illum, quem pro charitate Christi sustinuistis, et tolerantiam quam in tribulationibus ipsis operibus ostendistis, propter illa quæ sperant vobis adesse pro illa quam in Christum habetis, fide. Bene autem adjecit, *coram Deo et Patre nostro*, ut dicat: placite Deo ista faciatis, ita ut videatur fides illa, quæ erga Christum est, et affectus ille, secundum Dei fieri voluntatem, et docens eos quoniam juste omnia pro fide sustinent.

Scientes fratres dilecti a Deo electionem vestram, quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute et in Spiritu sancto et in plenitudine multa. Scitis, inquit, quemadmodum electi estis, hoc est, quemadmodum ad fidem accessitis, non puris sermonibus nostris credentes. Nec enim dicebamus tantum, sed et miracula magna et gloriosa per virtutem Spiritus effecta, ex quibus confirmabimini de his quæ a nobis ad vos dicebantur. Itaque ergo quæ cognovistis cautissime illa cum justitia retinete, neque ab illis quæ vobis accidunt malis a vestro discedatis proposito, deinde et ex illis quæ erga se erant suadens illis adjicit: *Sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos.* Sed et illa quæ erga nos sunt optime recognoscitis, in quibus et ipsi fuerimus pressuris, et quanta fuerimus vestri causa perpessi: bene posuit propter vos, ut eos magis ad reverentiam invitaret: si enim ipse pro illis patiebatur, multo magis illi ipsi pro se pati justa ratione debebant; quod et cum veritate dictum majus eos adhortari videbatur: amabilis etenim tunc est vel maxime laus, quando non fuerit gratis alicui tributa, sed ex præcedentibus negotiis animum ad virtutes soleat excitare. *Et vos imitatores nostri facti estis, et Domini.* Nam quia dixerat et illa quæ ab illis similiter erant, exstitisse, valde poterant suadere eos ut inde iidem permanerent. Unde optime et Domini faciens commemorationem majorem fecisse videtur exhortationem, siquidem in pressuris non solum imitari apostolos videtur, sed et ipsum Dominum: deinde et manifestam facit imitationem cum dicit: *Suscipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti.* Passus est, inquit, Dominus pro nobis per crucem salutem nobis expediens, et ipsi pro illa fide quæ in eum est tribulationem sustinentes, ut sciatis et nos et Deum imitari, quoniam illa quæ tristia erant ita sustinuistis cum gaudio, non graviter illa ferentes quæ vobis accidebant, sed bono animo fuistis ob illa bona, quæ hinc vobis retribui exspectantur. Et bene adjecit dicens: *Spiritus sancti:* nec enim erat aliter gaudere illos qui ad præsens tristabantur pro illis qui necdum videbantur, nisi illa miracula, quæ a Spiritu fiebant firmam illis fidem de futuris præparent, ut ad illas virtutes inspicientes facile ferre possint illa, quæ in præsenti tristitiæ plena esse videbantur, et augens in laudem eorum illa quæ ad exhortationem illorum illis ipsis poterunt convenire, *Ita ut*, inquit, *fieretis forma omnibus credentibus in Macedonia et Achaia.* Vos enim inspicientes illi qui in Macedonia sunt et Achaia, et credunt et sustinent persecutionem erubescentes ne dissimiles vobis in hoc sæculo videantur, et quodam modo formæ exstiterunt illorum qui se non viderant. *A vobis enim diffamatum est verbum Domini non solum in Macedonia et Achaia, sed et in omni loco fides vestra quæ ad Deum exivit.* Verbum Dei hoc in loco non fidem dicit, nec enim fides ab illis accepit principium, sed omnes, inquit, cognoverunt quanta pro fide passi estis, et omnes fidei vestræ firmitatem mirantur, ita ut et alteros adhortentur; et abundantius illa ipsa constringens ait: *Ita ut non necesse habeamus loqui aliquid: ipsi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos et quomodo conversi estis ad Dominum a simulacris, servire Deo vivo et vero et exspectare filium ejus de cœlis, quem suscitavit ex mortuis Jesum, qui eripiet nos ab ira ventura.* Nec enim indigemus ubicunque fuerimus aliquid de vobis dicere, eo quod cognita sunt omnibus illa quæ erga vos facta fuerunt, ita ut nulla sit invidia referentibus quemadmodum suscepti sumus a vobis cum celeritate, hoc enim dicit, *qua-*

Digitized by Google

lem introitum habuimus ad vos, et quemadmodum nostris placitis doctrinis, discessistis quidem a simulacrorum cultura, recognovistis vero vestrum Dominum, qui et vere vivit et est Deus verus : credidistis autem et illis quæ de Jesu dicta sunt vobis, quoniam resurrexit a mortuis, ut omnes nos qui in eum credimus ab exspectata liberet pœna, et quoniam de cœlo veniet omnibus nobis beneficia præstans. Bene autem primum dixit adventum ejus de cœlo, deinde resurrectionem, et quidem cum ordine id secundum esse videretur, eo quod ad fidei confirmationem illud vel maxime erat dignum, quod de cœlo sit in fine sæculi appariturus gloria. Notandum est autem quoniam in simulacrorum abdicatione Deum vivum et verum esse asseruit, ut e contrario ostendat simulacra neque vivorum, neque verorum esse deorum, sed tantum quia falso nomine id dicatur. Igitur ubicunque vocem hanc inveneritis, scire vos convenit, quoniam neque de Patre ad interceptionem dici possit Filii, neque de Filio ad interceptionem dici possit Patris : similiter et Patrem, et Filium Deum apud omnes pios esse creditum. Dicens autem ista ad exhortationem eorum memoratur ultra et illa quæ secundum se sunt, illa vel maxime dicens quæ illi ipsi apud se facta esse sciebant, et ut illa quæ de se erant cum illis commemorans, suaderet illis non cedere tristitiæ.

CAPUT II.

Consolatur suos in adversis per conformitatem ad ipsum atque ad Ecclesiam Hierosolymorum.

Ipsi enim nostis fratres introitum nostrum qui fuit ad vos, quoniam non inanis fuit, sed ante passi et contumeliis affecti, sicut nostis in Philippis, fiducialiter egimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangelium Dei in multa solitudine. (Ambr). Scitis, inquit, quoniam non absolute, nec fortuito ad vos venimus, sed licet multa mala Philippis passi fuerimus, tamen non defuimus ad vos venientes cum fiducia prædicare vobis pietatem, et quidem cum multa nobis a dextris incumberet necessitas : bene autem dixit, quia in Deo fiducialiter gessimus, ne sibi videretur ipsam fiduciam ascribere, ideoque eam cooperationi divinæ ascripsit. Demirandum est autem et illud, quod dixit Apostolus, quoniam non fuit inanis introitus noster, eo quod multa erat ante passus, quasi ergo qui in passionibus ipsis lucrum sibi collocet, dum nihil existimat se inane facere, quando et pati eum contigerit ob pietatem : et quoniam dixit passiones, dicit etiam et doctrinæ modum : *Consolatio enim nostra non ex errore, neque ex immunditia, neque ex dolo, sed sicut probati sumus a Deo ut crederetur vobis Evangelium, sic loquimur non tanquam hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra.* Consolationem vel exhortationem hoc in loco vocat doctrinam, sic enim vos, inquit, docuimus non sicut illi solent docere, qui seducere volunt illos quos docent, aut aliquid illis referre non verum, qui et dolo sæpe illa quæ dicunt occultant, sed dogma verum et plurima præditum cautela et munditia, quod et probabitis et nobis creditum esse videtur, unde et ipsi probatione consequenter perstetimus, agentes, sicque illud cum fiducia dicentes, sicuti conveniebat eos facere, qui non hominibus placere student, sed Deo, qui mentem cautissime cognoscit · hæc vero universa conjunxit ut ostendat quoniam justa ratione fiducia est abusus : persistens vero referre illa quæ secundum se sunt ad edocendos eos edicit :

Nec enim aliquando in verbo adulationis fuimus sicut ipsi scitis. Econtrario etenim dicebamus, quod illi qui pie vivere cupiunt tribulationes præsentis vitæ sunt passuri. Bene autem adjecit, *sicut scitis*, illos ipsos testes suorum verborum producere properat. *Neque in occasione avaritiæ, neque ad quæstum respeximus;* et hoc dicens non adjecit ultra, sicut scitis, sed Deus testis est, justa ratione vitæ suæ teste Deo est usus quasi plus idoneo. *Neque quærentes ex hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis.* Sed neque respeximus aliquando qualiter acquiramus laudem, aut a vobis aut ab aliis aliquibus. Cautissime enim posuit *non quærentes*, hoc est, non hoc auspicantes, nec hanc habentes actus nostri intentionem ; hoc enim est, quod a nobis fieri convenit, ut ne intuitu gloriæ humanæ aliquid faciamus. Nam nec ad nostrum crimen poterit pervenire cum illa faciamus, quæ conveniant cum lege divina, si nos ab hominibus gloria fuerit subsecuta, *Cum possimus oneri esse, sicut Christi apostoli.* Hoc ad illud reddidit, quod dixerat, *neque in occasione avaritiæ :* magis enim erat, ut et habentes potestatem quasi apostoli, illa quæ ad usum necesse habebant, sibi acciperent, nec hoc voluissent accipere. *Sed facti sumus quieti in medio vestrum.* (Greg.) Hoc est, omni mediocritate et humilitate sumus usi, nolentes graves aliquibus videri. Dux autem est impius qui a tramite veritatis exorbitat, et dum ipse in præceps ruit, ad abrupta sequentes invitat : dux est impius qui per tumoris exempla viam ostendit erroris. Paulus dux impius esse metuebat, cum potestatis suæ celsitudinem reprimebat dicens, nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis neque ab aliis, cum possumus oneri esse ut Christi apostoli, *sed* quia *facti sumus parvuli in medio vestrum.* Parvulus in medio eorum factus fuerat, quia timebat ne si inter discipulos honorem suæ celsitudinis vindicaret, exempla elationis ostenderet : timebat nimirum, ne dum ipse sibi potestatem pastoralis potentiæ quæreret, grex subditus per abrupta sequeretur, et ad impietatem sequentes duceret, qui pietatis officium suscepisset. Unde necesse est, ut is qui præest, quæ exempla subditis præbeat solerter attendat, et tantis se sciat vivere, quantis præesse vigilanter inspiciat, ne in eo quod prælatus est intumescat, ne jura debita potestatis immoderatius exigat, nec disciplinæ vis mutetur in rigorem superbiæ, et unde a perversitate subditos restringere poterat, inde intuentium corda pervertat, ne ut dictum est impietatis dux per officium pietatis existat. Non autem debet hominum ducatum sus

Digitized by Google

cipere, qui nescit homines bene vivendo præire, ne qui ad hoc eligitur ut aliorum culpam corripiat, quod resecari debuit, ipse committat. Hinc, inde se ergo qui præsunt circumspiciant, ut sibi et subditis vivant, ut bonum quod faciant, et intra sinum mentis abscondant, et tamen ex eo ad provectum sequentium exempla rectæ operationis impertiant; ut subditorum culpam animadvertentes corrigant, nec tamen per vim ejus animadversionis intumescant; ut quædam leniter correpta tolerent, nec tamen disciplinæ vincula eadem lenitate dissolvant; ut quædam tolerando dissimulent, nec tamen ea crescere dissimulando permittant. Laboriosa sunt ista, et nisi divina gratia fulciat ad custodiendum difficilia. Recte vero de adventu districti judicis per Sapientiæ librum dicitur, *horrende et cito apparebit, quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet.* (*Sap.* VI) Quia ergo plerumque per potestatem regiminis ad culpam prorumpitur elationis, atque apud districtum judicem, ipsa elatio impietas æstimatur, bene de Domino per Eliu dicitur, *Qui vocat duces impios:* de ipso quippe ducatu dum superbiunt, exemplo suo subditos ad impietatem trahunt. Unde magnopere curandum est, ut qui regendis hominibus præfertur, apud se intra secretarium mentis in cathedra præsideat humilitatis. Cumque judicanti ei cæteris foris assistitur, vigilanti oculo incessanter aspiciat, cui quandoque judici ipse de his judicandus assistat; ut quanto nunc ante eum quem non videt sollicitius trepidat, tanto eum cum viderit securior cernat. Penset ergo quia ad satisfaciendum districto judici de sua tantummodo anima fortasse vix sufficit, ut quod regendis subditis præsto est, reddendæ apud eum rationis tempore, ut ita dicam tot solus animas habet, quæ nimirum cogitatio, si assidue mentem excoquet, omnem tumorem superbiæ premit, et rector providus tanto jam neque rex apostata, neque dux impius vocabitur, quanto ei cogitatione sollicita potestas, quæ accepta est, non honor sed onus æstimatur. Nam cui esse nunc judicem libet, huic videre tunc judicem non libet: numerari enim culpæ nequeunt, quæ habendæ potestatis amore perpetrantur, tunc solum vero potestas bene geritur, cum non amando, sed timendo retinetur, quæ ut ministrare recte valeat, oportet primum ut hanc non cupiditas, sed necessitas imponat: percepta autem nec pro formidine debet deseri, nec ex libidine amplecti, ne aut pejus quis quasi ex humilitate superbiat, si divinæ dispensationis ordinem fugiendo contemnat, aut eo jugum superni rectoris abjiciat, quo eum super cæteros privatum regimen delectat. Potestas ergo cum percipitur non libidine amanda est, sed longanimitate toleranda: ut inde tunc ad judicium salubriter levis sit, unde nunc ad ministerium patienter gravis innotescit. *Sicuti si nutrix foveat suos filios, sic desiderantes vos, complacemus participare vobis non solum Evangelium Christi, sed nostras ipsorum animas, quoniam charissimi nobis facti estis.* (Ambr.) Vult equidem dicere, quoniam tantum longe sumus ut pondus tribulationum graviter feramus, ut in illis malis cum multo desiderio vos docere festinaremus, libenter pro vobis supponentes etiam animas nostras, eo quod fortiter vos diligebamus, et affectu integro erga vos tenebamur; demiratione vero digna illud quod volebat comprobavit prolati exempli qualitate: nam et matribus consuetudo est, ut suis filiis suum lac cum multa celeritate præbeant, existimantes se adjuvare, cum filios suos lactare potuerint. Nutricem vero hoc in loco matrem dixit, quæ filios suos nutrit, et hoc evidenter ostendit per illam, quæ adjecit dicens, *sicut foveat filios suos.* Deinde et quod magis augere ejus poterat intentionem, eo quod nihil ab illis accipere voluerit. (*Aug.*) Ideo non dixit mater quia aliquando matres vel deliciores sunt, vel minus amantes filios suos cum pepererint tradunt aliis nutriendos. Rursum si solum dixisset tanquam nutrix fovens et non addidisset filios suos, tanquam alia pariente nutriendos accepisse videretur, et nutricem se dixit quia alebat, et filios suos quia ipse pepererat dicens: *Filioli mei, quos iterum parturio, quoadusque Christus reformetur in vobis* (*Gal.* IV). Parit autem sicut parit Ecclesia utero suo non semine suo.

Memores enim estis fratres laboris nostri et lassitudinis, nocte enim et die operantes ad hoc ut ne gravaremus quemquam vestrum, prædicavimus Evangelium Dei. (Ambr.) Scitis et ipsi quantum sustinuimus laborem, ut ne graves vobis esse videamur pro nostra necessitate. Persistebamus enim, et non solum in die erga vestram doctrinam occupari videbamur, nec poteramus per totum diem operi insistere, ita ut sufficere nobis potuissemus, et pro omnibus his illorum ipsorum utitur testimonio Dei; *Vos*, inquit, *testes estis et Deus, quam sancte et juste, et sine querela vobis qui credidistis adfuimus: sicut nostis, quomodo unumquemque vestrum tanquam pater filios suos obsecrantes vos et consolantes.* Utitur quidem illorum ipsorum testimonio, eo quod ipsi sciebant qualiter eos ad instar patris patienter obsecrabat, et consolabatur super accedentibus illis tristitiis, deprecans eos non discedere a fide: memoratus est autem et Dei, quia dixit, *sancte et juste et sine querela vobis qui credidistis*, apud quem maxime de his cauta cognitio habere videbatur, et *testificati sumus, ut ambuletis digne Deo, qui vocavit vos in regnum suum, et gloriam.* Bene quippe posuit, *testificati sumus*, ita ut ostendat quoniam in principio hæc ipsa illis loquebatur, quod conveniat eos dignos habere actus quibus placere possint illi qui eos vocavit in suam cognitionem cum magna futurorum promissione; pro omni magnitudine etiam paria eos agere convenit, et dicens *sua*, iterum ad illorum transit personam, quando quidem illa quæ et erga se sunt, ad hoc commemorat, ut eos ad revelationem adducat, quando vero ad laudem eorum se aptat ut eorum alacritatem tali studio magis suscitare videatur? *Et propter hoc et nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum suscepissetis a nobis ver-*

Digitized by Google

bum auditus Dei, suscepistis non sicut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei, qui et operatur in vobis qui credidistis. Et aliorum quidem erant nostra : non deerant autem et illa quæ a vobis sunt. Unde et gratias agere Deo pro vobis non cessamus, quoniam suscipientes a nobis Dei doctrinam non sicut hominibus vobis loquentibus suscepistis, sed sicut conveniens erat suscipere eos qui divinam suscipiebant doctrinam, quæ etiam et ipsis operibus ostenditur esse apud vos, et quemadmodum in operibus ostendatur dicit :

Vos, inquit, *imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa Christo Jesu, quoniam eadem passi estis et vos a propriis contribulibus, sicut et ipsi a Judæis.* Similia, inquit, passi estis illorum qui in Judæa crediderunt Christo; sicut enim illi a Judæis multa sunt perpessi mala, sic et vos a propriis contribulibus ut dicat gentibus. Bene autem eos est adhortatus commemorans illos qui in Judæa crediderunt ut sustineant et ipsi magnanimiter laborem, siquidem non soli contemplatione pietatis patiuntur. Nam et Ecclesiæ integræ, quæ per totam sunt Judæam, diversis fluctuabantur persecutionibus. Unde et latius Judæorum explicans malitiam, ostendit hinc quanta et qualia patiebantur ab illis qui inter illos habitabant. *Qui et Dominum*, inquit, *occiderunt Jesum et vos, prophetas et nos persecuti sunt.* Bene in medio posuit *prophetas*, ex quibus comprobatur quod et Dominum sola malitia interimere usurpaverunt, et apostolos : siquidem et erga suos prophetas tales exstitisse videntur, et quod his majus est : *Et non Deo placent, et omnibus hominibus adversantur, prohibentes nos gentibus loqui ut salvæ fiant. Ut impleant peccata sua semper; pervenit enim ira Dei super illos usque in finem.* Nihil, inquit, mirum quodcunque facere adituntur, ita ut nihil illis deesse videatur mali, perfectam vero pro quibus agunt pœnam ab æterno judice accipiant. Hæc autem omnia conjunxit in personam Judæorum maximeque eos justa ratione accusans; necessario vero in præsenti memoriam eorum faciens simul, et ut ostendat quanta patiuntur fideles, qui sunt in Judæa, qui in certamine quasi medio conversantes, scilicet, ut ostendat Thessalonicenses nihil tam durum a gentibus sustinuisse, si tamen illa quæ patiuntur cum illis quæ in Judæa geruntur comparare voluerint. Hæc igitur omnia ad exhortationem Thessalonicensium posuit : quoniam vero inter cætera dixerat de suo ad eos adventu, hinc incipit illa quæ post profectionem sunt dicere, publicans pariter in his etiam suum affectum, quem habet erga illos. *Nos, fratres, desolati a vobis ad instar orphanorum ad tempus horæ facie, non corde, abundantius acceleravimus faciem vestram videre in multo desiderio, quoniam voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus et semel et iterum, sed impedivit nos Satanas.* Bene per omnia auxisse visus est suum erga illos affectum, in eo quod dixit, non corde a vobis discessimus, sed facie, et quod ad tempus ab illis segregatus, statim cupierit eos iterum videre super omnia; quod segregatum se ad instar orphanorum dixit, multum suum affectum ostendit, et quidem in superioribus dixerat quoniam sicut pater unumquemque vestrum obsecrabam, sed ibi quidem paterna imago aptata esse videbatur, in absenti vero exquisitione illud quod dixerat separatum se ad instar orphanorum. Nam hujusmodi vel maxime absentia etiam ad ipsam necessitatem coarctatur, ut patrem filii requirant. Et quæ est hujus concupiscentiæ probatio? propter quod *voluimus venire ad vos.* Et quia dixit *voluimus* pluraliter, de se dicens adjicit, *Ego quidem Paulus et semel et bis*, et quid obstitit? *sed impedivit nos Satanas*, eo quod erant adjuvandi Thessalonicenses ex ejus præsentia; ergo necessarie omnem nocivitatem Satanæ ascripsit, et quoniam non vane in eorum haberetur affectu ostendit. *Quæ est enim spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriandi : nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus? vos enim estis gloria nostra et gaudium.* Et omne quidquid boni in futura exspectamus die, tunc, quando adveniet Dominus noster Jesus Christus ad examinanda universa, tunc ob illos labores quos pro vobis sustinemus, mercedem nobis ab eodem venire exspectamus. Magna gloria est sacerdotis rectitudo subditorum. (*Greg.*) Unde bene egregius prædicator discipulis dicit, *quæ est nostra spes aut gaudium aut corona gloriæ, nonne vos ante Dominum?* Sed cum sacerdotes vitam discipulorum negligunt, et nullum de eorum profectibus ante Dominum fructum ferunt, quid aliud quam inglorii ducuntur, qui ante districtum judicem nimirum gloriam tunc non invenient, quam modo in subditorum suorum moribus prædicationis studio non exquirunt? Bene autem dicitur, « et optimates supplantat, » quia cum mentem regentium justo judicio deserit, hæc internum retributionis præmium non requirit, et in eo supplantatur quo fallitur, ut pro æterna gloria de principatu temporali gratuletur : supplantat igitur optimates, quia dum futura cœlestis patriæ prædicare negligunt in suis hic voluntatibus cadunt.

CAPUT III.

Apostolus mittit Timotheum ad consolandum Thessalonicenses : ponitur utilitas reversionis ejusdem, etc.

Propter quod non sustinentes amplius, placuit enim nobis remanere Athenis solis, et misimus Timotheum fratrem nostrum et ministrum Dei in Evangelio Christi. (Amb.) Hoc ad illud reddidit, quod addixerat, *volui venire ad vos*, quoniam ergo illud implere minime potui, elegi relinqui ipse solus Athenis, et mittere Timotheum ad vos : qua ex causa? *Ad confirmandos vos et consolandos pro fide vestra, ut nemo moveatur in tribulationibus istis :* ita ut vos confirmet exhortatione suorum verborum, et animæquiores sua præsentia faciat, ut non cedatis tribulationibus victi, commoveri enim dicit cedi : et ostendens quoniam justa sunt quæ dicit : *Ipsi enim*, inquit,

Digitized by Google

scitis quoniam in hoc positi sumus. Et unde sciunt? *Nam quando erumus apud vos prædicabamus vobis passuros nos tribulationem. Sicut et factum est, et scitis.* Ex quibus et prædixi vobis, quando negotiorum impedimenta Satanæ esse impedimenta dixit illorum, et quidem et opus subsecutum est.

Propter hoc et ego jam ulterius non sustinens. Iterum assumit illam causam dicens ob quam Timotheum miserat. *Misi ad cognoscendam fidem vestram, ne forte tentaverit vos is qui tentat, et inanis fiat labor vester.* Quid ergo cognovistis eo revertente? *Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis et annuntiante nobis fidem et charitatem vestram, et quoniam habetis memoriam nostram bonam semper desiderantes nos videre, sicut et nos vos: ideo consolati sumus, fratres, in vobis in omni tribulatione et necessitate nostra per vestram fidem.* Quoniam autem veniens nuntiavit nobis firmitatem quam erga nos habetis, et quoniam memores estis nostri semper desiderantes nos sicut et nos vos, sufficientem omnis tribulationis nostræ habemus consolationem nuntium illum quem de vobis cognoscimus, et quemadmodum oblectabant eum illa bona quæ de illis sunt cognoscere ostendens adjicit: *Quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino.* Nunc vivere nos existimamus, si vos in fide perstiteritis, vitam nostram et augens illud. *Quam,* inquit, *gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis super omni gaudio quo gaudemus propter vos coram Deo vestro.* Sic enim nostra existimamus illa bona quæ vestra sunt, ut quia talia audivimus de vobis Timotheo referente, magnum quoddam de vobis gaudium habemus, ut nec condigne pro his gratias agere Deo nostro posse existimemus, utque videatur ista dicens dixisse ab illo desiderio quo desiderabat ad eos venire, *Nocte,* inquit, *et die superabundantius deprecantes, ut videamus faciem vestram, et suppleamus ea quæ desunt fidei vestræ.* Persistimus, inquit, orantes ut et videamus vos, et suppleamus etiam si et deesse vobis aliquid videtur: et desiderium explicans suum adjicit: *Ipse autem Deus et Pater noster, et Dominus noster Jesus dirigat viam nostram ad vos.* Hoc vel maxime desiderat, ut et oratione postularet id fieri, sic et ad tolerantiam durissimarum tribulationum adhortans eos, oratione dicta sua confirmat. *Vos autem Dominus multiplicet et abundare faciat charitate in invicem, et in omnes, quemadmodum et nos in vobis, ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate ante Deum et patrem nostrum in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus.* Adjiciat, inquit, vobis et in invicem et erga omnes charitatem talem illam in vobis efficiens, qualis et in nobis de vobis est, et confirmet in fide mentem vestram, ita ut permaneatis sine crimine, ab omni vos cohibentes inconvenienti actu: hoc enim dicit *in sanctitate,* per quam poteritis in futuro die fiduciam ad Deum assequi cum cæteris omnibus qui placite conversantur in virtute.

CAPUT IV.

Increpat suos de vitio fornicationis, cupiditatis, otiositatis et immoderati luctus mortuorum.

De cætero, fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu sicut accepistis a nobis quemadmodum conveniat vos ambulare, et placere Deo ut abundetis magis. (*Ambr.*) Diximus et in argumento dudum, quoniam Timotheus a Thessalonica reversus nuntiarat sibi firmitatem fidei eorum quam in persecutionis necessitate incurrentes inviolatam servaverunt, nec non et quod sint aliqua apud illos quæ correctione indigeant: scribit ergo hinc Epistolam Apostolus ad illa quæ sibi nuntiata fuerant a Timotheo, illa quæ conveniebant dicens ad laudem eorum, pro quibus in adversis firmi perstiterunt: simul et exhortans eos in eadem perseverare sententia, quæ et in illis quæ ante dicta sunt a nobis consummasse visus est oratione suum concludens sermonem. Hinc vero incipit de illis disputare quæ inconvenienter ab illis agi didicerat. Hoc ergo dixit: obsecramus vos ut consequentem vitam vestram exhibeatis illius doctrinæ quam assecuti estis a nobis, festinantes placere Deo et promovere ad legis ejus directionem. Optime autem inchoavit ab illo dicto quod dixit, *De cætero ergo fratres,* postquam laudes consummavit, quas super fidei eorum dixerat firmitate, hoc vult dicere: quoniam illam quam convenit habere sententiam contemplatione pietatis ipsis negotiis demonstratis, agite igitur et de cætero vitæ vestræ diligentiam adhibeamus, ut nihil vobis deesse videatur ex illis quæ ad perfectionem vobis videntur esse utilia, necessaria vero et hoc in loco adjecit, *sicut accepistis a nobis,* demonstravit enim eo quod non nunc imprimis hæc audire a se videantur, sed et dudum de his fuerint instructi. Unde et augens illud, *scitis,* inquit, *quæ mandata dederim vobis per Dominum Christum.* Omni in loco ostendens quoniam nihil novi illis hodie scribit. *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra.* Necessario dixit, *hæc est enim voluntas Dei:* agere enim convenit illa quæ Deus vult fieri, eo quod sanctificatio ad plenum dicitur omnium inconvenientium abdicatio, evidentius vero explicans de quibus sit illi ad præsens sermo adjicit. (*Cassian.*) Et ne forte dubium nobis relinqueret, vel obscurum, quidnam sanctificationem voluerit appellare, utrum justitiam, an charitatem, an humilitatem, an patientiam, in omnibus enim istis virtutibus creditur acquiri sanctificatio, infert, et manifeste designat, quid proprie sanctificationem voluerit appellare, *hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos,* inquit, *a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in honore et sanctificatione non in passione desiderii sicut et Gentes quæ ignorant Deum.* Vide quibus eam laudibus prosequatur, honorem vasis, id est corporis nostri, et sanctificationem appellans eam, igitur econtrario qui in passione desiderii est et ignominia et immunditia consistit et alienus a sanctificatione versatur. Tertio quoque post pauca infert rursus eam sanctimo-

Digitized by Google

niam pronuntians, *non enim vocavit nos Deus in ignominiam, sed in sanctimoniam. Itaque qui hæc spernit non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum sanctum suum in nobis;* auctoritatem præcepto suo inviolabilem junxit dicens, qui hæc spernit, id est, quæ de sanctimonia præfatus sum, non hominem spernit, hoc est, non me, qui hæc præcipio sed Deum, qui in me loquitur, qui etiam Spiritu suo sancto cor nostrum habitaculum deputavit. Cernis simplicibus verbis, ac puris, quibus eam præconiis quantisque extulerit laudibus, primum virtuti huic sanctificationem proprie tribuendo; deinde per hanc asserens vas nostri corporis immunditia liberandum; tertio quod abjecta ignominia et contumelia in honore sit, et sanctificatione mansurum. Postremo quæ summa sit perfectio præmii ac beatitudinis remuneratio, per hanc habitationem pectoris nostri sanctum fore spiritum designavit. *Abstinete*, inquit, *vos ab omni fornicatione.* (*Ambr.*) Nuntiavit enim ei Timotheus inter cætera, quoniam indifferentes sunt erga permistionem, lascive viventes, ita ut quidam eorum etiam uxores habentes, non sint contenti suis uxoribus; quosdam vero eorum etiam alienis uxoribus permiscere nuntiavit, de quibus scribit nunc ad eos correctione optimæ conversationis hoc principium sumens. Nam dum dicit *ab omni fornicatione*, differentes fornicationis species evidentius ostendere voluit. Nec enim erat aliter possibile adjuvare eos qui delinquebant, si non specialiter dixisset de illis quæ corrigi conveniebant. *Scire unumquemque suum vas possidere in sanctitate et honore non in passione concupiscentiæ.* Hoc quidem de illis dicit, qui uxores habentes non erant illis contenti, dixit suum vas, propriam ejus uxorem sic nominans, in sanctitate possidere, illud dicens, tunc quando non adultera sordidatur, in honore autem dixit, eo quod non despecta sua uxore ad alteram alterius intueatur, apertius vero dixit, *non in passione concupiscentiæ*, eo quod ista agens non quasi uxori suæ junctus esse videtur, sed propter permixtionem solam id agit absolute, quam passionem concupiscentiæ nuncupavit. Concupiscentia enim in crimine vocari non potest, eo quod naturæ motum in suam exp'ere videtur uxorem. Passionem vero concupiscentiæ dixit, quod aliis feminis permixti etiam suas uxores ad similitudinem earum abuti velint; deinde comparatione contrarium opus ipsum sufficienter derogavit, « sicut et gentes quæ nesciunt Deum. » Hæc dicens de illis dixit, qui uxores habentes aliis mulieribus permiscebantur: in subsequentibus vero disputat et de illis qui usurpabant permiscere illis mulieribus quæ legitime maritali erant junctæ affectu. *Ut non supergrediatur et fraudet in negotio fratrem suum.* Pudicissime quidem dixit in negotio, per omnia vero iniquitatem operis enixus est arguere. Nam dum dicit non supergredi, quasi terminos quosdam positos invadentem arguit; eo quod dixit, fraudare, quasi qui alienam auferat possessionem; et quod dixit, fratrem, majus crimen aggeravit, si et cum uxore illius qui per fidem frater est permisceatur, quem et fratrem nuncupavit, ut majus ostenderet usurpationis ipsius crimen, eo quod et apud omnes in confusione deductum est, ita ut nec demortuorum fratrum uxorem quemquam alterius accipere liceat. Deinde et in timore redigere eos cupiens adjicit : *Eo quod vindex sit Dominus et de omnibus istis.* Bene *de omnibus* adjecit, ita ut et primis illud aptasse videatur, et iterum quasi contestans, quoniam et dudum hæc eadem dixerat illis, adjecit : *Sicut et prædiximus vobis, et contestati sumus*, et ostendens quoniam necessarius sit illis et de his sermo. *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* Itaque si ab his nos continemus, tunc illa egimus, quæ nostram agere conveniens est vocationem, vocavit enim nos ad sanctificationem possessionis, in qua et existere in futuro speramus sæculo, quando exsurgentes et incorrupti effecti neque peccare ulterius poterimus, quam et imitari nos secundum possibilitatem in præsenti vita convenit. Deinde adjicit : *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui et dedit Spiritum suum sanctum in nobis.* Itaque qui hæc agit, ipsum spernit Deum, dum ad altera vocatus altera agit; necessaria autem hoc in loco adjectio est, quam adjecit de Spiritu dato, eo quod ab illo nobis futura tribuuntur bona. *Seminatur, inquit, corpus animale, surgit corpus spiritale.* Accipientes ergo hanc arrham futurorum, id est, primitias Spiritus, si fecerimus alia præter illa in quorum spe sumus vocati, despectio est evidens Dei, qui nobis arrham dedisse videtur. Hæc de naturalibus permistionibus disputans, transit ad aliud.

De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis, ipsi enim a Deo docti estis, ut diligatis invicem : etenim facitis illud in omnes fratres qui in tota sunt Macedonia. Obsecramus autem vos, fratres, abundare magis, et studium habere quietos esse, et agere vestrum negotium, et operari manibus vestris, sicut et præcepimus vobis, ut ambuletis honeste ad eos qui foris sunt, et nullius necesse habeatis. Cognovit quosdam esse et apud illos qui valde videbantur esse indisciplinati, qui nihil operantes ex illis quæ ad aliorum pertinebant utilitatem, insuper otiose viventes aliorum discutiebant vitam et turbas quasdam ex tali commovebant ratione. (Rab.) De quibus et apertius in secunda disputavit Epistola, et hoc in loco de illis scribit, eo quod ipsa otiositas et operum securitas faciebat eos in nihil utile ipsam abuti otiositatem. Etenim dum bonitas aliorum sine discussione cunctis indigentibus solatia præbebat, tantum si ejusdem fidei esse existimarentur : laudat quidem primitus illos, qui præbebant ob tale propositum, et quod necessario illud explebant, simul etiam et collaudat eos, quoniam non solum erga suos sed et alios fideles, qui in aliis locis commorare videbantur tale accelerare studium adimplere. Præcepit ergo cæteris ut non abutantur illorum libertate ad illa quæ non conveniunt, qui ne-

Digitized by Google

que ullum opus facere volebant et otiositate ipsa ad ilia quæ non conveniebant sese exercere properabant. Sicut enim laudamus illos qui indigentibus ministrant et tale propositum erga fideles fratres suos ostendunt, sic et cæteros volumus assequi incrementum ut quieti sint, et illa quæ sua sunt agant, operantes manibus suis, ex quibus possibile sit eos non indigere alterius solatio, et apud exteros minime confundi pro opere indecente; et hoc in loco similiter adjicit : *Sicut præcipimus vobis*, etc. (*Ambr.*) Ostendens quoniam nec hoc novum illis nunc indicit; transit vero ulterius ad illa quæ dicti conveniebant, suadens, ut non inhoneste ferant de his qui ab hac vita excedunt, quamobrem et de futuro statu illic disputat et gloriam illam quæ erga sanctos tunc erit explicat, et ob necessitatem doctrinæ illa quæ competere sibi existimabat ad præsens argumentum enarrat. Nam in quantum magna erunt illa quæ exspectabantur, in tantum consolari magis poterant hi, qui profundo luctu tenebantur. (*Cass.*) Hunc morbum qui de acediæ spiritu nascitur beatus Paulus ut verus ac spiritalis medicus vel tunc jam conspiciens serpere, vel emersurum, Spiritu sancto revelante, prospiciens, salutaribus præceptorum suorum medicamentis prævenire festinat. Thessalonicensibus enim scribens, et primo ut peritissimus quidam perfectusque medicus infirmitatem susceptorum blanda lenique verbi curatione fomentans, ac de charitate incipiens, eosque in ea parte collaudans, quousque lethale vulnus leniori remedio delinitum, deposita tumoris indignatione, facilius medicamina austeriora sustineat, ita ait : *De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis, ipsi enim a Deo docti estis ut diligatis invicem : etenim facitis illud in omnes fratres in universa Macedonia.* Præmisit laudis fomenta lenia, fecit eorum aures ad curam salutaris verbi placidas, et paratas. Rursum infert : *Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis;* adhuc blanda eos verborum lenitate demulcet, ne forte necdum aptos ad perceptionem perfectæ curationis inveniat, quid est quod rogas, Apostole, ut abundent magis? scilicet in charitate, de qua superius dixeras : *De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis*, et quid necesse est ut dicas, « rogamus vos, ut abundetis magis, » qui super hac re, ne scribi quidem sibi aliquid indigent, cum præsertim et inferas causam ob quam hoc ipso non egeant, dicens, *ipsi enim vos a Deo docti estis, ut diligatis invicem?* Tertium quoque majus adjicias quod non solum a Domino docti sint, verum etiam compleant opere, quæ docentur? etenim *facitis illud*, inquit, non in uno vel duobus, sed *in omnes fratres*, nec in vestros tantummodo cives, vel notos, sed *in universa Macedonia*. Dic igitur tandem quid est quod tantopere hoc præmittis? iterum infert : *Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis.* Et vix aliquando in id quod olim moliebatur erumpit, *et operam detis, ut quieti sitis.* Dixit primam causam, deinde infert secundam, *et ut vestra negotia agatis.* Tertiam quoque, *et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis.* Quartam, *et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt.* Quintam, *ut nullius aliquid desideretis.* Ecce illa cunctatio quam tantis proferre præmissis differebat, quid in ejus pectore parturiret, agnoscitur, « et operam detis, ut quieti sitis, » id est, in vestris cellulis commorantes, nec diversis rumoribus, qui solent otiosorum vitiis [*Al.*, votis] vel fabulis generari inquieti effecti, aliis quoque inquietudines inferatis, « et ut vestra negotia agatis, non curiositate vestra actus mundi velitis inquirere, ac diversorum conversationes explorantes operam vestram non erga correctionem vestram sed virtutum studia, sed ad detractiones fratris velitis impendere; *et operemini manibus vestris, sicut præcipimus vobis*, cur illa fuerint quæ monuerat superius ne agerent, id est ne inquieti essent, vel aliena curarent negotia, vel inhoneste ambularent ad eos qui foris sunt, vel alterius aliquid desiderarent, nunc intulit, dicens : *et operemini manibus vestris sicut præcepimus vobis.* Ut enim fierent illa quæ superius reprehendit, otium causam esse evidenter expressit. Nullus enim potest vel inquietus esse, vel aliena curare negotia, nisi qui operi manuum suarum non acquiescit insistere. Quartum quoque intulit morbum, qui ex hoc ipso otio nascitur, id est, ut inhoneste non ambulent, dicens, *et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt.* Nunquam potest ne apud eos quidem qui sæculi homines sunt honeste incedere, qui nequaquam claustris cellæ et operi manuum suarum inhærere contentus est : sed necesse est eum inhonestum esse dum necessaria victus requirit, adulationi quoque operam dare, novitates etiam domorum sectari, causarum fabularumque occasiones conquirere, per quas sibimetipsi aditum paret ac facultatem, qua diversorum domos valeat penetrare. « Et nullius aliquid desideretis : » non potest non alienis donis et muneribus inhiare, qui non delectatur pio quietoque labore operis sui, quotidiani victus parare substantiam. Videtis tot causas, tam graves, tam turpes, una otii labe generari.

Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non sitis tristes sicut et cæteri qui spem non habent. (Ambr.) Bene quia non tristitiam admit, sed immensam eam esse prohibuit, comparationem, vel maxime adversariorum ad verecundiam eos devotans, eo quod illi non habent spem; etenim erat inconveniens ut illi qui post mortem meliora præsenti statui exspectant, ad similitudinem illorum tristentur qui nihil amplius post mortem exspectant, deinde et de illis qui in spe sunt dicit : *Si credimus quod Jesus mortuus est, et resurrexit, sic et Deus qui dormierunt per Jesum adducet cum eo.* (Greg.) Quid est quod prædicator egregius mortem Domini mortem vocat, mortem servorum Domini non mortem sed somnum nominat : nisi quia infirma corda audientium respiciens, medicamentum prædicationis suæ mira arte componit, et illum quem jam resurrexisse noverat eis mortuum insinuare non dubitat : eos vero qui necdum

Digitized by Google

resurrexerant, ut spem resurrectionis insinuet, non mortuos, sed dormientes vocat. Non enim verebatur dicere mortuum, quem auditores jam resurrexisse cognoverant, et verebatur dicere mortuos, quos resurgere vix credebant. (*Ambr.*) Si etenim resurrectionem Jesu credimus, necessario debemus et de dormientibus credere, quoniam et illos suscitabit per Jesum, ita ut et sint cum eo; hoc enim dicit, *adducet cum eo*, nam quod dixit *per Jesum*, sequentibus est reddendum, ubi dixit, « adducet cum eo. » Ut sit simile illi dicto, eo quod per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum, et intelligi debet quoniam per Jesum præstabit et nobis resurrectionem, utpote horum nobis causa existente. Intendendum vero est illi rei, quoniam de Jesu dicens, mortuum dicit, eo quod ibi quidem adhuc mors erat, nec enim fuerat soluta. Hoc vero in loco dormitionem dixit, eo quod jam ipsa mors erat soluta, sive secundum promissionem, sive secundum opus, quando tamen quis illud secundum Christum examinare voluerit ex mortuis resurgentem; et ad majorum dictorum confirmationem posuit voces : Si, inquit, mortuus Christus surrexit, et nihil ei obsistit ad resurrectionem, quia hoc voluit Deus, et quidem primitus necdum erat soluta mors, multo magis in nobis illud esse post solutionem justa credimus ratione. Etiam et illud intendendum est, quoniam de resurrectione disputans Christi, dormitionem resurrectionem relinquens dicere, de assumptione disputat : evidens quidem est quoniam assumptioni etiam resurrectionis confessio sit conjuncta. Nam de illis quæ supereminere videbantur magis eos in præsenti negotio suadere deproperat, quod et latius explicans futurorum ostendit magnitudinem : *Hoc enim dicimus vobis in verbo Domini.* Bene posuit *in verbo Domini*, hoc est, secundum revelationem quæ in operatione divina in nobis facta esse videtur, nec enim erat de futuris dicenti ei credere si non inde fuisset et dictum : *Quoniam nos qui vivimus, qui subrelinquimur in adventu Domini.* Quod dixit *nos*, non de se, neque de illis, qui in præsenti vita tunc habebantur dicit, sed de illis fidelibus, qui tunc victuri sunt, quando resurrectio est futura; *nos* dixit, hoc est, fideles, eo quod et ipse talis erat, et ad tales scribebat. Unde et adjecit, *qui subrelinquimur in adventu Domini*, ostendens quoniam non de illis qui ejus tempore vivebant dicit, sed de illis qui in consummatione sunt victuri. *Non præveniemus dormientes.* Vult dicere, quoniam tempore assumptionis illos fideles, qui jam sunt mortui, illi qui tunc in vita inventientur non prævenient, quod evidentius indicans adjicit : *Quoniam ipse Dominus in jussu, in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgunt primum, deinde nos qui vivimus, qui subrelinquimur, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Domino in aerem, et sic semper cum Domino erimus.* (Aug.) Hæc verba apostolica resurrectionem mortuorum futuram, quando veniet utique Christus ad vivos et mortuos judicandos prælarissime ostendunt, sed quæri solet utrum illi, quos hic viventes inventurus est Christus, quorum personam in se atque illos qui tunc secum vivebant, transfigurabat Apostolus, nunquam omnino morituri sint, an ipso temporis puncto quo cum resurgentibus rapientur in nubibus obviam Christo in aera, ad immortalitatem per mortem mira celeritate transibunt. Neque enim dicendum est fieri non posse, ut dum per aera in sublime portantur, in illo spatio et moriantur et reviviscant : quod enim ait, *et ita semper cum Domino erimus*, non sic accipiendum est, tanquam in aere dixerit nos semper cum Domino esse mansuros, quia nec ipse utique ibi manebit, quia veniens transiturus est; venienti quippe itur obviam, non manenti : sed ita cum Domino erimus, id est, sic erimus habentes corpora sempiterna, ubicumque cum illo fuerimus. Ad hunc autem sensum, quo existimemus etiam illos quos hic vivos inventurus est Dominus in ipso parvo spatio et passuros mortem et accepturos immortalitatem, ipse Apostolus non videtur arguere, ubi dicit : *In Christo omnes vivificabuntur*, cum alio loco de ipsa loquens resurrectione corporum dicat : *Tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur.* (Ambr.) Mortuos in Christo illos dicit qui et crediderunt in Christo, et pro Christo mortui sunt, quos resurgere dixit primos sicuti et Corinthiis scribens dixit (*I Cor.* xv) : *Primitiæ Christus, deinde hi qui sunt Christi, qui adventum ejus crediderunt, deinde finis.* Velocitatem vero resurrectionis ostendit evidenter in illa Epistola dicens, *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba, canet enim tuba et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Hoc ergo et in hoc loco dicit, quoniam descendet quidem de cœlo Christus cum tuba terribili, et voce quadam magna tunc perstrepente, secundum divinam inoperationem; ut moris est, tubam nuncupat archangelum præcedentem et præcipientem omnibus : *Surgite.* Jussum vero vocat vocem ejusdem archangeli, quia dicet, *Surgite.* His autem ita affectis omnia erunt compendiosa, ita ut illi qui pro fide mortui sunt priores cæteris resurgant, et cum illis fidelibus, qui tunc in vita hac inveniuntur super nubes quasi quibusdam vehiculis rapti ducantur, in aerem, obviam Domino, ita ut sint semper cum Domino. Validam autem et nimiam illorum esse velocitatem insinuavit quæ tunc erunt, siquidem Domino Christo apparente de cœlo, et tuba sonante, et angelo clamante, *Surgite*, sic omnia expedientur compendiose, ut pariter et mortui resurgant, et vivi cum illis rapiantur, neque prævenire illos ultra poterunt: sic omnibus simul in idipsum divinam quamdam et terribilem inoperationem effectis. Evidens est autem et illud, quoniam quando dicit, « mortui in Christo resurgent primum, » non ad interceptationem illorum dicit justorum qui ante Christi adventum venerunt, fieri enim potest ut is qui evidenter de illis Hebræis scribendo dixerat : *Et isti omnes testimonium assecuti per fidem non receperunt*

Digitized by Google

promissionem (*Hebr.* xi), Deo scilicet de nobis melius quid deliberante, ut ne sine nobis consummarentur, ex quibus patet quoniam cum illis et ipsi habent consummari; sed quoniam post Christi adventum ista scribebat, ad distinctionem illorum qui non crediderunt Christum, ista dixit, eo quod justi qui ante adventum ejus fuerunt, quantum attinet ad eos, secundum proprium tempus laboraverunt et propter hoc juxta ratione cum illis deputabantur. (*Hieron.*) Quod autem quidam interrogant de hoc, quod dicit Apostolus in adventu Domini Salvatoris rapi quosdam viventes obviam in nubibus, ita ut non prævenientur ab his qui in Christo dormierunt, voluntque nosse utrum sic occurrant in corporibus et non ante moriantur, cum et Dominus noster mortuus sit, et Enoch atque Elias secundum Apocalypsin Joannis moriturі esse dicantur, ne scilicet ullus sit qui non gustaverit mortem, hoc ex ipsius continentia loci sciri potest. Quod sancti qui in adventu Salvatoris in corpore fuerint deprehensi, in iisdem corporibus occurrant ei, ita tamen ut inglorium et corruptum et mortale, gloria et incorruptione et immortalitate mutetur, ut qualia corpora surrectura sint, in talem substantiam etiam vivorum corpora transformantur. Unde dicit in alio loco Apostolus: *Propter quod nolumus spoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale hoc a vita* (*II Cor.* v), ne scilicet corpus ab anima deseratur, sed anima habitante in corpore, fiat inclytum, quod ante inglorium fuit. De Enoch autem et Elia quos venturos Apocalypsis refert, et esse morituros, non est istius temporis disputatio, cum omnis ille liber aut spiritaliter intelligendus sit, ut nos æstimamus, aut si carnalem sequimur interpretationem, Judaicis fabulis acquiescendum sit, ut rursum ædificetur Hierusalem et hostiæ offerantur in templo, et spiritali cultu imminuto carnales obtineant cæremonias. (*Hier.*) Quamobrem illud quod de resurrectione Paulus ad Corinthios loquitur ita legendum est: *Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur*, si enim omnes in Adam moriuntur, et in morte dormitio est, omnes ergo dormiemus sive moriemur. Dormit autem juxta idioma Scripturarum, qui mortuus est, spe resurrectionis futuræ, omnisque qui dormit, utique exspergiscitur, si tamen non subita eum vis mortis oppresserit et mors somno fuerit copulata; cumque omnes ita dormierint lege naturæ, soli sancti et anima et corpore in melius mutabuntur: ita ut incorruptio omnium resurgentium sit, gloria atque mutatio proprie sanctorum. Quodque sequitur juxta Græcos, in atomo, in ictu oculi, utrumque enim legitur, et nostri interpretati sunt in momento et in ictu, sive in motu oculi ita explanavit, juncta simul omnium resurrectione rapientur obviam Christo, sed eos quos mors dissolverit. Verum quid ista perquiro et apostolicis dictis calumniam facio cum ipse manifestissime scribat, *qui residui sumus in adventu Domini*; qui sint autem residui verbis discimus Salvatoris (*Matth.* xxvi): *Sicut in diebus Noe ducebant uxores et nubebant, et repente venit diluvium et tulit omnes, sic erit adventus Filii hominis*, quibus sermonibus approbatur in fine mundi multos vivos et adhuc in corporibus reperiendos. Sequitur: *in jussu, in voce archangeli et mortui resurgent primi*, et hoc rursum Salvator loquitur in Evangelio: *Media autem nocte sponsus venit* (*Ibid.*), qui utique viventes in corpore deprehendet, quando *erunt duo in lecto uno, unus assumetur, et alius relinquetur: et duæ molentes, una assumetur et alia relinquetur* (*Matth.* xxiv), quibus dictis ostenditur medio noctis securis omnibus consummationem mundi esse venturam, ut ait Origenes in tertio voluminе suo. *Deinde nos qui vivimus qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Domino in aere, et ita semper cum Domino erimus.* De quo quamvis superior Acacii disputatio plenius ventilarit, tamen dicendum est quid videatur aliis, Theodoro videlicet, Appollinari et Diodoro, qui unam sequuntur sententiam, quorum Diodorus hæc scripsit: Residuos atque viventes Paulus apostolus vocat, non quod velit intelligi et se et alios resurrectionis in corpore reperiendos, sed nos dixit, pro eo, quod est justos, de quorum et ego sum numero: ipsi enim rapientur obviam Christo, et non peccatores. Viventes autem non juxta tropologiam sanctos accipimus, qui peccato non mortui sunt, sed omnes quos in corpore adveniens Christus invenerit; quodve sequitur, *non prævenimus eos qui dormierunt*, nequaquam ad peccatores, sed ad justos referre debemus, neque enim peccatores cum justis in illa resurrectione habebunt portionem. Nam Epistolæ Pauli ad Thessalonicenses primæ expositionem faciens, post multa quæ vario prudentique sermone disseruit, hæc intulit, de quibus nulli dubium est et Achatium pleraque libasse: quid est ergo quod scribunt Thessalonicensibus in verbo Dei Paulus et Silvanus et Timotheus, *nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini non prævenimus eos qui dormierunt*, qui sunt isti qui viventes talia loquuntur? Utique Paulus non ab hominibus nec per homines, Apostolus, et charissimus filius ejus in fide Timotheus, et Silvanus qui illis erat et affectione et virtutibus copulatus, et hoc non solum illi; sed quicunque Pauli et scientia et conversatione similis est, dicere potest, *nos qui vivimus*, quorum corpus mortuum est, propter peccatum, spiritus autem vita propter justitiam, et quorum mortificata sunt membra super terram, ita ut nequaquam concupiscat contra spiritum caro, si enim adhuc desiderat caro vivit, et quia vivit desiderat, et non sunt mortificata membra illius super terram; quod si mortificata sunt, nequaquam contra spiritum concupiscunt, quæ mortificatione sui hujusmodi desiderium perdiderunt. Sicut igitur, qui vita caruere præsenti, et ad meliora translati sunt, magis vivunt deposito mortis corpore, et vitiorum omnium incentivis; sic qui mortificationem Jesu in corpore suo circumferunt et nequaquam vivunt

Digitized by Google

juxta carnem, sed juxta spiritum vivunt in eo qui vita est : et vivit in eis Christus de quo scriptum est, *vivens sermo Dei et efficax*, qui est Dei virtus Deique sapientia. Vivunt enim in quibus vivit virtus Dei omni humana fragilitate deposita, et in quibus vivit sapientia, quæ abscondita est a Deo, et in quibus vivit et inoperatur justitia. Christus enim factus est nobis non solum justitia ex Deo, sed et sapientia, et omne, quod virtus est. Etsi quidem in præsenti loco se a dormientibus et in Christo mortuis qui hanc scribunt Epistolam separent, videbatur superflua annotatio, et ex uno loco testimonium assumptum non valeret : nunc vero eodem sensu, quia eodem et spiritu, et in prima ad Corinthios loquitur (*I Cor.* xv) : *Non omnes dormiemus, omnes autem immutabimur, in momento, in motu oculi, in novissima tuba : canet enim et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Hoc quod in præsenti loco scriptum est, in tuba Dei descendet de cœlo, comparat illi quod ad Corinthios dicitur *in novissima tuba, canet enim*, illi autem quod ad Thessalonicenses legitur, *et mortui in Christo resurgent primum*, hoc quod ad Corinthios scriptum est, *et mortui resurgent incorrupti.* Porro quod sequitur de nobis *qui vivimus qui residui sumus :* illi respondet, *et nos immutabimur*, quorum utrumque sic intelligi potest, *nos qui vivimus qui residui sumus, in adventu Domini, et nos qui immutabimur*, et non sumus ex his qui appellantur mortui, sed vivimus. Idcirco præsentiam Domini non in morte sed in vita præstolamur, quia de Israelitico genere sumus, et electæ sunt de nobis reliquiæ. De quibus Dominus olim loquebatur : *Dereliqui mihi septem millia viros, qui non curvaverunt genu Baal* (*III Reg.* x). In Joannis quoque Evangelio (*Joan.* xi) vivorum et non vivorum duplex ordo describitur : *Omnis qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet : et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.* Si vivos, ita intelligimus, ut jam a nobis dictum est, dormientes, et in Christo mortuos illos esse credamus, qui cum velint in Christo vivere, tamen peccato mortui sunt : sin autem reliquiæ et electio secundum gratiam appellantur viventes, qui non ita credunt nec de Israelitica nobilitate generati sunt, dormientes et mortui appellabuntur in Christo. (*Ambr.*) Tamen quia memoria dictorum sufficienter eos ad verecundiam induxit, instruit eos pariter, ut talia exspectantes bono animo pro illis non deficiant, qui ab hac vita discedunt, nisi tantum debent compati propter amicitiam et solitam consuetudinem. Unde et adjecit : *Itaque consolamini in verbis istis in invicem.* Hæc, inquit, in tribulationibus positi invicem vobis referte : sufficiet enim eorum memoriam audientibus ferre solatium, si tamen domestici sunt fidei et non dubitant de futuris.

CAPUT V.

Admonet suos de die mortis futuræ et judicii generalis : inducitque ut bene se habeant ad Deum et proximum.

De temporibus et momentis vero, fratres, non necesse habetis scribere vobis : ipsi enim cautissimi scitis quoniam dies Domini sicut fur in nocte venit. (Ambr.) Alterum iterum hic incipit capitulum : requirebatur enim ab illis quando erit hujus sæculi finis? Bene ergo illis scribit ut non requirant, neque existiment se posse dicere, qui semel audierunt quoniam incertum est tempus adventus Domini. Hoc enim dicit *tanquam fur in nocte*, eo quod et fur non prædicens venit ; et quia irridebant adversarii hoc ipsum quod ab illis dicebatur, dicentes, nequaquam fieri posse, adjicit : *Cum dixerint pax et securitas, tunc repente illis instat exterminium, sicuti dolor partus in utero habentis, et non effugient.* Non convenit, inquit, prospicere infideles, eo quod necessario erunt ea quæ a nobis dicuntur, etiamsi millies nihil tale fieri existiment; sed etsi æstiment se esse securos et libertate arbitrii agere quæ velint, subito illis instabit judex, sicuti et dolores prægnantibus, ita ut nec possibile sit eos evadere pœnam. Ad omnia ergo optime hoc abusus est exemplo, eo quod et gravi subdentur pœna. Gravis enim est partus prægnanti, et ut ostendat quoniam præfinitum est a Deo tempus consummationis, licet nobis, dum subito fit, incerta esse videatur. Nam et mulieribus tempus partus definitus esse videtur : secundum mensium enim curricula partum solent exspectare mulieres, verumtamen partus ipsius dies est illis incertus nec enim scire possunt, nisi cum repente dolor partus illis institerit. Deinde et ad exhortationem vertitur ex præcedentibus cum filiis sumens occasionem ait : *Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut dies illa vos tanquam fur comprehendat. Omnes enim vos filii luminis estis et filii diei, non sumus noctis neque tenebrarum.* Quoniam dixit *sicut fur in nocte sic veniet*, hoc in loco dicit, quoniam non estis in tenebris, cognovistis enim veritatem. Itaque etsi repente dies instat, sed non erga vos ordinem sibi vindicat furis, qui juvandi estis ex ejus adventu, sed illis qui noxam exspectant pœnalem ; et ut recognitionem sufficere sibi existiment adjicit : *Igitur non dormiamus sicut et cæteri : sed vigilemus et sobrii simus, qui enim dormiunt, nocte dormiunt, et qui inebriantur, nocte inebriantur. Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei et charitatis et galeam spei salutis. Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis ut sive vigilemus, sive dormiamus simul cum illo vivamus.* Convenit igitur nos tali remuneratos scientia vigilare et sobrios esse erga eorum diligentiam, quæ nobis conveniunt ad custodiendum ; nocturnum tempus nobis magis est necessarium et ad ebrietatem, latere enim poterit facile is qui talis est ; illos vero qui per cognitio-

Digitized by Google

nem tanquam in die jam consistunt sobrios esse convenit, et vigilantes erga studia virtutum, quasi qui et in diei tempore conversantur, in quo neque latere quemquam possibile sit, si tamen aliquid ex illis quæ non conveniunt perfecerit. Quæ sunt autem illa opera, quæ nobis ut in die conversantibus deputemus? Fidem ait, in quo et charitatem ponit: ex quibus spes nobis acquiritur salutis, quod et Dominus Deus per Christum, qui pro nobis suscipere voluit mortem, salutem nobis prodidit, non pœnam; ut licet secundum præsentem hanc vitam habeamur. Hoc enim dicit, Vigilemus etiamsi egressi fuerimus a vita hac, hoc enim dicit, Dormiamus. Vult enim dicere ut illi qui tunc vivunt in Christi adventu, et qui jam sunt mortui, omnes æternam vitam et incorruptam acquiramus, dum illi qui præcesserunt dudum in mortem, ita resurgunt, et illi qui tunc vivunt in incorruptibilitatem mutantur, sicut idem Apostolus alio in loco dicit, *quoniam omnes immutabimur*. Igitur nihil est quod prohibeat salute nos frui futura, si tamen illa quæ ex nobis sunt minime nobis obstiterint; et hinc dicens, adjicit: *Propter quod consolamini in invicem, et ædificate alterutrum, sicut et facitis*. Ab illo loco quo dixit non debere eos de consummatione sæculi et ejus tempore curiose agere, necessario hoc in loco istud adjecit, hoc est, relinquentes illa, hæc agite et de his estote solliciti, et de illis ad alterutrum disputate pro communi utilitate. Post hoc vero exhortatur eos dicens:

Rogamus autem vos, fratres, scire eos qui laborant in vobis, et præsunt vobis in Domino, et admonent vos, æstimate eos superabunde in charitate propter opus eorum, pacem habete in eos. Itaque illos qui doctrinæ injunctum opus habere videntur plurimo honore dignos æstimate, non resultantes illis, quando vos corrigere cupiunt. Hoc enim dicit, *pacem habete in eos*. Nam et fieri solebat hoc ab illis qui indisciplinate vivebant, ad quos scribens in superioribus videtur contumaciam eorum signasse, quoniam dum delinquentes eos corrigere cupiebat, docturus eos qui illa faciebant quæ non conveniebant, hi etiam gravari se doctorum arguitione existimabant, sicque ad illos disputans vertit suum sermonem ad doctores, docens: *Obsecramus autem vos, fratres, instruite indisciplinatos, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos, patientes estote ad omnes*. Necessarium erat hos exhortari, ut non discederent ab opere propter quorumdam contumaciam: omnia vero consequenter de illis quæ ipse prædixerat, præcepit etiam doctores facere, de quibus et ipse in Epistola sua scripserat, ut de his diligentiam adhiberent, et illis compendiose ut instruerent indisciplinatos, ad quos et ipse videtur scripsisse. *Consolamini* vero *pusillanimes*, qui ob illos qui decidebant flebiliter eorum separationem ferebant. *Sustinete infirmos*; dicit autem de illis qui fornicatione deturbabantur, docens non abdicare eos propter peccati ipsius exprobrationem, sed et diligentiam erga illos debitam adhibere, et curam magis illis facere ut convertantur.

Sic et alio in loco scribens (*II Cor.* XI): *Quis*, inquit, *infirmatur et ego non infirmor?* hoc est, mea esse aliorum peccata existimo. Bene autem adjicit, *patientes estote ad omnes*, eo quod hoc necessarium valde est magistris, ita ut non facile desperent propter peccata; patienter vero suam impleant doctrinam, exspectantes semper ut discipuli meliores sui efficiantur, lucrumque proprium esse existiment, etiamsi et serius aliquando eos potuerint ad id quod honestum est revocare; et iterum ad generalem exhortationem progrediens præcipit:

Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini in invicem et in omnes. Nulli malum pro malo debere retribui dicit, bonum sectare vero, in quantum virtus opitulatur, ut magis in invicem sibi beneficia præbeant, cum illis quæ ex terrena materia nobis esse videantur. (*Aug.*) Quando videt homo aliquem male viventem et forte aliquid Ecclesiæ præstantem, et non eum corripit, animo fugit. Quid est animo fugere? timere: timor est fuga interior: quare timet? quia mercenarius est, ne forte ille non accipiat quod corripitur, et non det quod solet. Videt lupum venientem, id est, diabolum male viventis colla frangentem, et fugit, animo abstinet ab utili correptione, plenus timore; qui autem pastor est, et est ei cura pro ovibus, non eum dimittit (*Joan.* X), et facit quod ait Apostolus: *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes*, etc. Non ergo putet quispiam pastor, vel qui se dicit pastorem, quia non reddet malum pro malo, cum reddet potius malum pro bono, ille enim etsi peccator et scelestus de bonis suis dat Ecclesiæ: ille autem malum pro bono ei reddit, cui subtrahit correptionem. Sed quoniam hoc totum de dilectione faciendum est, aliquando autem homines correptores suos putant inimicos suos, ideo cum dixisset, *corripite inquietos*, subjecit, *consolamini pusillanimes*. Forte enim de correptione incipit deficere et perturbatur, tunc te oportet consolari. *Suscipite infirmos*, ne per infirmitatem cadant; si titubare eum fecit infirmitas sinu suo suscipiat charitas; et cum ista dixisset, adjecit in novisssimo: *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat*. Ergo non est malum correptio si sit, sed bona ovis quando corripitur a præposito suo, quid dicit? *Emendabit me justus in misericordia* (*Psal.* CXL). Deinde adjicit: *Semper gaudete*. Hoc est pro omnibus tristitiis quæ vobis accidunt, bono animo estote, futurorum exspectatione animæquiores effecti, et post hoc præcipit: *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite, hæc enim est voluntas Dei in Christo Jesu in vobis*. Præcepit orare incessanter, gratias autem semper agere in orationibus, eo quod ista Deus velit, et ista a nobis vel maxime depostulet, ut grati illi simus, et ut gratias illi debitas agamus pro illis bonis, quæ ab ipso sunt donata nobis. (*Isaac in Collat. Cassiani.*) Et idcirco ut eo fervore ac puritate, qua debet, emitti possit oratio, hæc sunt omnimodo observanda; primum sollicitudo rerum carnalium generaliter abscindenda est: deinde

Digitized by Google

nullius negotii causa, non solum cura, sed ne memoria quidem penitus admittenda, detractiones, vaniloquia, seu mutiloquia, scurrilitates quoque similiter amputanda : iræ præ omnibus sive tristitiæ perturbatio funditus eruenda ; concupiscentiæ carnalis ac philargyriæ noxius fomes radicitus evellendus, et ita his ac similibus vitiis extrusis penitus, et abscissis, quæ hominum quoque possunt patere conspectibus, talique, ut diximus, repurgii emundatione præmissa, quæ simplicitatis et innocentiæ puritate perficitur, jacienda sunt primum profundæ humilitatis inconcussa fundamenta, quæ scilicet turrim intraturam cœlos valeant sustinere. Deinde superponenda virtutum spiritalis exstructio, et ab omni discursu atque vagatione lubrica animus inhibendus, ut ita paulatim ad contemplationem Dei ac spiritalis intuitus incipiat sublimari. Quidquid enim ante orationis horam anima nostra conceperit necesse est orantibus nobis per ingestionem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus : ex præcedenti enim statu mens in supplicatione formatur, eorumdemque Actuum procumbentibus nobis ad precem verborum quoque vel sensuum ante oculos imago præludens, aut irasci nos secundum præcedentem qualitatem, aut tristari, aut concupiscentias causasve præterlitas retractare, aut risu fatuo, quod etiam pudet dicere, cujusquam scurrilis dicti vel facti titillatione pulsari, aut ad priores faciet volitare discursus. Et idcirco quidquid orantibus nobis nolumus ut inhæreat, ante orationem de abditis nostri pectoris excludere festinemus : ut ita illud apostolicum possimus implere : *Sine intermissione orate*, et, *in omni loco levantes puras manus sine ira et disceptatione* (*I Tim.* II). Alias namque mandatum istud perficere non valebimus, nisi mens nostra ab omnium vitiorum contagione purificata virtutibus tantum, ut naturalibus bonis dedita, jugi omnipotentis Dei contemplatione pascatur. *Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere, omnia autem probate, quod bonum est tenete.* (Aug.) Non quia ille exstingui potest, sed quantum in ipsis est exstinctores ejus merito dicuntur, qui sic agunt ut exstinctum velint. (*Ambr.*) Multum existimantibus qui tunc spiritales gratias habebant. Erant etiam et alii qui et ad suasionem aliqua proponebant, quasi qui et ipsi ex divina revelatione illa esse simulantes quæ a se fiebant, sicuti et Judæos exorcizare et dæmoniacos in nomine Christi usurpasse per Actus didicimus apostolorum (*Act.* XIX). Quoniam ergo apud Thessalonicenses quidam erant qui non suscipiebant illa quæ secundum inoperationem spiritalem profitebantur, qui et confingebant seductorum se causa studio cautelæ id declinare, fiebant autem ista ab indisciplinatis, eo quod sæpe indisciplinatio eorum arguebatur ex illis, quæ a prophetis dicebantur, ideo dixit : prophetas nolite reprobare neque spiritalem operationem prohibere. Nam quod dixit reprobari prophetas, et illa nolle suscipere quæ ab illis dicebantur, hoc dicit spiritus spernere operationem, sed A si, inquit, seductores timetis, accipite illa quæ dicuntur, probantes illa, et si inventa fuerint aliqua divinis legibus contraria de illis quæ dicuntur, illa sola rejicite, tenete vero meliora. Deinde adjicit : *Ab omni specie mala vos abstinete*, quasi qui et hoc ipsum versute facerent, dicens :

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos perfectos et integer vester spiritus et anima et corpus sine querela in adventum Domini nostri Jesu Christi servetur. Orat pro illis ita ut sancti per omnia custodiantur, et sine querela, animo quoque sint et corpore, ita ut et tributa Spiritus sancti gratia integra in illis custodiatur nullam sustinens minorationem propter eorum malitiam, ita ut in Christi adventu assequi possint æternas mercedes. (*Hier.*) Formosa quæstio B hic oritur, sub brevi sermone tractanda. Supra dixerat *spiritum nolite exstinguere*, quod si fuerit intellectum, statim sciemus quis iste sit spiritus, qui cum anima et corpore in die adventus Domini conservandus est : quis enim possit credere quod instar flammæ, quæ exstincta desinit esse quod fuerat, exstinguatur Spiritus sanctus, et sustineat abolitionem sui, qui fuit quondam in Israel, quando per Isaiam et Jeremiam et singulos prophetarum dicere poterat : *Hæc dicit Dominus*, et nunc in Ecclesia per Agabum loquitur : *Hæc dicit Spiritus sanctus. Divisiones autem donorum sunt, idem autem spiritus, et divisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus, et divisiones operationum sunt, et idem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur* C *manifestatio spiritus ad id quod expedit : alii per Spiritum datur sermo sapientiæ ; alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu : alii gratia sanitatum in uno Spiritu : alii opera in virtutum : alii prophetia, alii discretio spirituum : omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XIII). De hoc Spiritu ne a se auferatur rogabat David dicens : *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (*Psal.* L), qui quando aufertur non in substantia sui, sed ei a quo aufertur exstinguitur. Ego puto unum atque idem significare *Spiritum nolite exstinguere*, et quod in alio loco scribit (*Rom.* XII) : *Spiritu ferventes*, in quo enim fervor spiritus multiplicata iniquitate et charitatis frigore non tepescet, in hoc spiritus nequaquam D exstinguitur. *Deus igitur pacis sanctificet vos per omnia vel in omnibus*, sive plenus atque perfectus, hoc enim ὁλοτελὴς sonat. Deus autem appellatur pacis, quia per Christum ei reconciliati sumus, *qui est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II), qui et in alio loco *pax* dicitur, *superans omnem sensum* (*Phil.* IV), quæ custodit corda cogitationesque sanctorum ; qui autem sanctificatur sive perfectus est in omnibus, in hoc et spiritus, et anima, et corpus in die Domini conservatur. Corpus singulorum membrorum utatur officiis, verbi gratia, si operetur manus, pes ambulet, oculus videat, auris audiat, dentes cibos molant, stomachus concoquat, alius digerat, aut si nulla membrorum parte truncatum est, et hoc quisquam

Digitized by Google

potest credere Apostolum pro credentibus deprecari, ut in die judicii integrum omnium Christus corpus inveniat, cum omnium corpora aut morte dissoluta sint, aut, sicut quidam volunt, reperta fuerint adhuc spirantia, habeant debilitates suas, et maxime martyrum, et eorum qui pro Christi nomine vel oculos effossos, vel amputatas nares vel abscissas manus habeant. Ergo integrum corpus est, de quo diximus in alia quæstione, et non tenens caput ex quo omne corpus connexum atque compactum accipiat augmentum in administrationem Christi. Hoc corpus Ecclesiæ et quicunque hujus corporis tenuerit caput, et cætera membra servarit, habebit integrum corpus, quantum potest recipere humana natura, juxta hunc modum et animæ integritas conservanda est, quæ dicere potest : *Benedic, anima mea, Dominum, qui sanat omnes infirmitates tuas* (*Psal.* CII); et de qua scriptum est : *Misit verbum suum et sanavit eos* (*Psal.* CVI), spiritus quoque integer conservatur, quando non erramus in spiritalibus, sed vivimus spiritu, acquiescimus spiritu, et opera carnis mortificamus spiritu, afferimusque omnes fructus ejus, charitatem, gaudium, pacem et cætera. Aliter præcipitur nobis Salomone dicente : *Tu autem describe ea tripliciter in consilio, in conscientia, ut respondeas verba veritatis his qui proponunt tibi* (*Prov.* XXII). Triplex in corde nostro descriptio et regula Scripturarum est, prima ut intelligamus eas juxta historiam : secunda juxta tropologiam, tertia juxta intelligentiam spiritalem : in historia eorum quæ scripta sunt ordo versatur, in tropologia de littera ad majora consurgimus, et quidquid in priori populo carnaliter factum est, juxta moralem interpretamur locum, et ad animæ nostræ emolumentum convertimus in spiritalia ; θεωρία, ad sublimiora transimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine et cœlestibus disputamus, ut præsentis vitæ meditatio umbra sit futuræ beatitudinis, quos tales Christus invenerit ut corpore et anima et spiritu integri conserventur, et perfectam in se habeant triplicis in se scientiæ veritatem, hos sua pace sanctificabit et faciet esse perfectos. Multi simpliciter hunc locum de resurrectione intelligunt, ut et spiritus et anima et corpus in adventu Domini integri conserventur ; alii in hoc loco triplicem in homine volunt affirmare substantiam, spiritus quo sentimus, animæ quo vivimus, corporis quo incedimus. Sunt qui ex anima tantum et corpore subsistere hominem disserentes, spiritum in eo tertium non substantiam velint intelligere, sed efficientiam, per quam et mens in nobis et sensus et cogitatio et animus appellatur, et utique non sunt tot substantiæ quot nomina. Cumque illud oppositum fuerit : *Benedicite, spiritus et animæ justorum Dominum* (*Dan.* III), scripturam non recipiunt, dicentes eam in Hebraico non habere. Nos autem in præsenti loco, ut supra diximus, spiritu, qui cum anima et corpore integer conservatur, non substantiam Spiritus sancti, quæ non potest interire, sed gratias ejus donationesque accipimus, quæ nostra vel virtute vel vitio et accenduntur et exstinguuntur in nobis. (*Aug.*) Aliud est esse sine peccato, quod de solo in hac vita unigenito dictum est, aliud est esse sine querela, quod de multis justis etiam in hac vita dici potuit, quoniam est quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in ista humana conversatione justa querela esse non possit. Quis enim juste queretur de homine qui nemini male vult, et quibus potest fideliter consulit, nec contra cujusquam injurias tenet libidinem vindicandi, ut veraciter dicat, « sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Et ut non de oratione dubii habeantur adjicit : *Fidelis qui vocavit vos, qui etiam faciet.* (Ambr.) Hoc est : verus est qui vocans vos bona promisit vobis, qui et replevit vos sua benedictione. *Fratres, orate, et pro nobis.* Scribit et post hoc ita ut et pro se orent, simul in charitate sua eos constringens ; nam et ut pro alterutro orent lex defigit charitatem : nec enim unquam orare patiemur pro illis quos non diligimus ; simul et instruit nos idipsum etiam ab invicem debere depostulare et facere pro alterutro. *Salutate fratres omnes in osculo sancto.* Deinde et præcepit eis omnes fratres salutare in osculo sancto, sanctum osculum dicens, quod cum perfecta efficitur charitate : *Adjuro vos per Dominum ut legatur Epistola omnibus sanctis fratribus.* Adjurat ut Epistola omnibus legatur sanctis fratribus, suspicans ex aliquibus quæ sibi fuerant delatæ, quoniam non ad omnium notitiam scripta ejus deferentur, et post hoc adjiciens : *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum, Amen.* Hoc enim verbo consummasse Apostolus videtur suam Epistolam.

LIBER VICESIMUS SECUNDUS.

EXPOSITIO IN EPISTOLAM II AD THESSALONICENSES.

ARGUMENTUM.

Beatus apostolus Paulus postquam primam ad Thessalonicenses scripserat Epistolam, cognovit quod, quamquam adversariorum pertinacia in eadem perstiterit sævitia, variis tentationibus aggressa eos qui crediderant, tamen ad omnia illa aspera quæ iisdem fuerant in fide persistentes superiores omni tentatione fuerint demonstrati. Cognovit vero quod a quibusdam suasi æstiment finem præsenti incumbere sæculo, hocque aliqui quasi ab ipso Apostolo edocti cæteris nuntiabant : adjecto illo, quod qui indisciplinate versabantur nulla ex parte ex litteris

Digitized by Google

prioribus Apostoli meliores sui fuerant effecti, sed perseveraverint in pristino suo pravo proposito. Scribit igitur secundam hanc Epistolam, primum quidem collaudans eos, quod contra omnes impetus adversariorum decertantes non fuerant superati : adhortatur vero eos etiam currenti tempore in eodem persistere proposito omnemque tempestatem ab adversariis illatam per patientiam superare. Deinde instruit eos, ut non existiment incumbere sibi consummationes temporum; inter cætera vero instruit eos de antichristi adventu, et qualiter vel quomodo sit apparitурus; de indisciplinatis scribens vehementer eos corripiens, eo quod nihil ex illis prioribus scriptis fuerint adjuti in quibus consilium illis dederat de illis quæ eos agere conveniebant. Cautius vere de omnibus instruemur ex illis quæ in subsequentibus habentur.

CAPUT PRIMUM.

Gratias agit Apostolus de bona Thessalonicensium conversatione, orando pro meliore consummatione.

« Paulus, et Silvanus, et Timotheus, Ecclesiæ « Thessalonicensium in Deo Patre nostro et Domino « Jesu Christo. Gratia vobis et pax a Deo Patre no« stro et Domino Jesu Christo. » (*Ambr.*) Hac præscriptione Epistolæ facta incipit sic : « Gratias agere « debemus Deo semper pro vobis, fratres, sicut di« gnum est. » A gratiarum actione incipere idem Apostolus sæpe est solitus, hoc vero in loco etiam dilatasse ipsam gratiarum actionem videtur non absolute dicens gratias agimus, sed quoniam « gratias agere debemus, » quasi qui et incusari sit dignus, si non debitum redderet pro illis, pro quibus et debent gratiarum actionem, eo quod necessarie debere illam videatur : et adjectio est perspicua quam adjecit dicens : « Sicut dignum est. » Quod et ipsum augmentum actionis, siquidem talia sunt quæ secundum eos sunt, ut juste Deo pro illis gratiarum actio referatur. Unde ostendens quia jure ista dicit, eo quod magna erant illa quæ secundum eos erant, ait : « Quoniam supercrescit fides vestra, « et abundat charitas uniuscujusque omnium ve« strum in alterutrum. » Etenim per omnia ostendit quoniam magna erant illa quæ secundum eos erant, ex quibus dixit fidem eorum augeri, quod habebant aliquid amplius a firmitate : firmitas enim dici potest, etsi in eodem statu maneat. Nam quod dixit supercrevit, ostendit quod et in ipsa fide augmentum suxpserint; et in alterutrum charitatem eorum abundare dicens, quod et ipsum ostendit in dies singulos meliorem illorum fuisse profectum : quod etiam majus asserere cupiens dixit, « uniuscujusque vestrum omnium in alterutrum; » omnes enim similiter dixit tales esse : et quæ est istius rei probatio? « Ita ut nos ipsi in vobis gloriemur in Eccle« siis Domini pro patientia vestra, et fide in om« nibus persecutionibus vestris et tribulationibus « quas sustinetis. » Denique et nos omni in loco de vobis gloriantes referimus, fidei vestræ firmitatem laudantes, eo quod et tormentis variis affecti in eodem statu permansistis. Bene autem dixit, « quas sustinetis, » eo quod hoc demiratione dignum erat, quod forti animo sustinerent illata sibi tormenta : deinde dicit et ipsius passionis utilitatem, « in demonstrationem justi judicii Dei, ut di« gni habeamini regno Dei, pro quo et patimini : » apparebitis etenim ob ista in futuro sæculo justa ratione regnum cœlorum fruentes : si tamen et pro illo pati acquiescitis, magnum quoddam bonum existimantes esse fruitionem. Et ostendens quoniam nec adversariis talia in illis facientibus erit impune, adjicit : « Si tamen justum est apud Deum retri« buere his qui tribulant vos tribulationem, et vo« bis qui tribulamini requiem nobiscum. » Nam quod dicit si justum est, hoc dicit, « si tamen justum est. » Vult enim dicere : quia justa tunc ratione Deus illos quidem qui talia in præsenti vita erga vos gesserunt subdet pœnæ, vobis vero, pro quibus patimini, magnam præbebit remunerationem largitatis; et pœnæ ipsius publicans pondus, dicit etiam qualis sit adventus ipsius judicis : « In revelatione « Domini Jesu de cœlo cum angelis virtutis ejus, « in flamma ignis dantis vindictam his qui non « noverunt Deum et qui non obediunt Evangelio « Domini nostri Jesu Christi. » Terribilem per omnia ejus adventum esse ostendit, et loci natura, siquidem de cœlo videtur; et ut ministrorum videatur fortitudo, cum angelis ejus virtutis venturum dicit; et tormentorum speciem flammam esse ignis dicit, asserens vero et de illis qui sunt tormentis subjacendi, aut eos qui non noverunt Deum, et qui non obaudierunt Evangelio, majorem tormentorum eorum præbuit probationem ; et siquidem illos si solummodo non obedierint fidei, pœna maneat, quanto magis illos, qui credentibus calumnias impressionesque irrogant? deinde et tormentorum speciem exaggerat prout potest, dicens : « Qui pœnas luent interitus æternas. » Nam ex qualitate ipsa gravia tormenta esse ostendit. Siquidem interitus sunt, et exterminii perditione perficientes, ex tempore, quod non ad tempus, sed æterna sunt : et iterum ad personam recurrit judicis pœnæ ipsius magnitudinem exinde ostendens : « A facie Domini, et a gloria fortitudinis. » Et quia per omnia magna ostendit esse tormenta quæ in adversarios sunt depromenda, dicit in quibus tunc erunt hi qui crediderunt. « Cum venerit glorificari in sanctis suis, « et mirificari in omnibus qui crediderunt, quo« niam creditum est testimonium nostrum in vo« bis in die illo. » Quod dixit : « in die illo » ad illud reddendum est, quod dixerat « et mirificari in omnibus qui crediderunt, » ut sit in medio positum « quoniam creditum est Evangelium nostrum in vobis, » et secundum sensum novissimum jacere videatur. Vult enim dicere : secundum illum diem gloriosus et mirabilis videbitur in his qui sibi crediderunt, per illa bona quæ erga eos faciet, quæ etiam et vos estis fruituri, eo quod doctrinam no-

Digitized by Google

stram recepistis, sic per omnia adhortans revelationem eorum, quæ exspectatur, eo quod adversariis magna inferrentur tormenta, et quod magnorum bonorum fruitionem exspectent potiri credentes. Adjicit : « In quo et oro semper pro vobis, ut vos dignos « vocatione sua Deus habeat, et impleat omne placitum bonitatis, et opus fidei in virtute, ut glorificetur nomen Domini nostri in vobis, et vos « in ipso secundum gratiam Dei nostri et Domini « Jesu Christi in vobis et vos in illo. » Pro his quæ talia sunt perseveramus pro vobis orantes, ita ut dignos vos bonorum illorum exhibeat Deus, in quorum et vocati estis fruitionem, implens vos omni bono, et confortans, ita ut et in operibus ostendatis fidem, et illa quæ ab adversariis inferuntur facile sustineatis : sic enim et Christus in vobis gloriosus secundum præsens sæculum videbitur : quando cum alacritate acquiescitis pati pro eo, vosque qui sic firmiter in eo credidistis futuram fruimini gloriam, quam sua gratia sibi credentibus repromisit : quæ ergo conveniebant dici ad laudem eorum, qui in adversis firmi perstiterunt, et ad exhortationem ut in eadem persisterent, scientiam in hisce visus est consummasse. Hinc vero incipit de consummatione sæculi disputare docens eos non existimare sibi finem mundanum imminere.

CAPUT II

De adventu Antichristi docet suos Apostolus, et ejus rei pluribus ostendit veritatem.

« Rogamus autem vos, fratres, per adventum Do- C « mini nostri Jesu Christi, et nostram congregatio- « nem in eum, ut ne cito moveamini, neque per spi- « ritum, neque per verbum, neque per epistolam « tanquam a nobis missam, quasi instet dies Do- « mini. » (*Greg.*) Cum Paulus Thessalonicenses in accepta prædicatione perdurantes, quasi de vicino mundi termino quadam cognosceret pusillanimitate turbatos, prius in eis quæ fortia prospicit laudat, et caute monendo postmodum quæ infirma sunt roborat, ait enim : Gratias agere debemus Deo semper pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra et abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem, ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra et fide. Qui cum blanda hæc vitæ eorum præconia præmisisset, paulo post subdidit dicens : « Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congregationis in ipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. » Egit enim verus doctor ut prius audirent laudati quod recognoscerent, et postmodum quod exhortati sequerentur : quatenus eorum mentem ne admonitio subjuncta concuteret, laus præmissa solidaret, et qui commotos eos vicini finis suspicione cognoverat, non jam redarguebat motos, sed quasi transacta nesciens, adhuc commoveri pro- A hibeat. Ut dum de ipsa levitate motionis prædicatori suo se incognitos crederent, tanto reprehensibiles fieri, quanto et cognosci ab illo formidarent. (*Ambr.*) Adveniente Domino justos omnes debere rapi in nubes in obviam ejus, et ut simul sint semper cum eo Apostolus in prima Epistola evidenter asseruit, hoc ergo dicit : « Et nostram congregationem ad eum; » dicit etenim Christi adventum et congregationem tunc ad eum futuram. (RABAN.) Nolite persuaderi ab illis qui vos seducunt, quasi prope sit illud tempus : sed sive quis de spiritali id inoperatione promittat dicere, sive quasi ex verbo et epistola nostra sit edoctus, nolite persuaderi ei; et vehementius eos cautos facere volens adjicit : « Ne quis vos seducat ullo modo. » Quod est taliter : B utcunque ista quis dixerit vobis, nolite ei credere. « Quoniam si venerit apostasia primum, et revelatus « fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversa- « tur, et superextollit se super omne quod dicitur « Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, « ostendens se tanquam sit Deus. » (*Amb.*) Vult quidem dicere, quoniam non possunt ita fieri priusquam antichristus veniat. Oportet enim primum illum venire, deinde consequenter illa quæ dicuntur. Apostasiam vero vocavit tempus illud, eo quod paulo minus omnes tunc discedent a pietate, et accurrent ad eum : hominem equidem eum nominavit justa ratione, eo quod homo erit dæmone in eo omnia inoperante, sicuti et in illum hominem qui pro nostra salute sumptus est Deus verbo perfecisse videtur. Tentat enim ille per omnia illa quæ Christi sunt imitari, utpote et Christum se esse dicens : peccati vero hominem eum dixit, eo quod peccatum ministrabit, et multis hominibus hujus causa existet : et filium eum perditionis dicit, utpote perditioni subdendum post hoc, sicut et in subsequentibus evidentius dicit; vocat autem eum adversarium quidem, quasi qui et adversa agat divinæ voluntati, et omnes ad se transducere annitatur : superextollentem vero se super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, eo quod omnes homines a propria eorum secta discedere suadens, se faciet adorare, seipsum dicens esse Christum, cui et ab omnibus honorem Dei tribui ut justum vindicabit : sic enim et in Dei templis, hoc est, in domibus orationum ingrediens sedebit D quasi ipse sit Christus et propter hoc debeat ab hominibus adorari in ordinem Dei. Et ostendens quoniam nihil nunc novi dicit ad eos : « Non estis, in- « quit, memores quoniam cum adessem apud vos « hæc dicebam vobis? » Deinde adjicit : « Et nunc « quod detinet scitis, ut reveletur in suo tempore. » Dicit autem quod nunc detinet, eo quod diabolus dudum quidem voluerit hoc idem facere, Deus vero interim retinet, eo quod tempus statuit consummationis sæculi istius, secundum quam videri concedit eum. Hoc Apostolus nominavit « quod nunc detinet, » Dei dicens definitionem detinere eum. Unde adjicit : « Ut reveletur idem suo tempore. » Quasi qui prohibeatur nunc videri usque tunc, eo quod divina defi-

Digitized by Google

nitione ad præsens teneatur. Videbitur vero tunc in A
sæculi fine, quando et concedit illi Dominus suam
ostendere malitiam, propter quod bene adjicit : « Mysterium enim jam inoperatur iniquitatis. » Hoc est,
etsi non aperte apostasiam operatur diabolus, sed
quasi in mysterio nunc peragit per singula momenta
per suos, a pietate tentans divellere eos qui ad fidem accedunt ; et hoc ipsum iterum resumens.
« Tantum ut qui tenet nunc, teneat donec de medio
« fiat, et tunc revelabitur ille iniquus. » Igitur Thessalonicensium animos vel occasio non intellectæ Epistolæ, vel ficta revelatio, quæ per somnum deceperat
dormientes, vel aliquorum conjectura Isaiæ et Danielis, Evangeliorumque verba de Antichristo pronuntiantia in illud tempus interpretantium, moverat
atque turbaverat, ut in majestate sua tunc Christum B
sperarent esse venturum. (*Hier.*) Cui errori medetur
Apostolus et exponit, quæ ante adventum Antichristi
debeant præstolari, ut cum illa facta viderint, tunc
sciant Antichristum, id est, hominem peccati, et filium perditionis, qui adversatur et extollitur super
omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, et qui in
templo Dei sedeat, esse venturum. Nisi, inquit, venerit discessio primum quod Græce dicitur ἀποστάσια,
ut omnes gentes quæ Romano imperio subjacent,
recedant ab eis, et revelatus fuerit, id est, ostensus,
quem omnium prophetarum verba pronuntiant,
homo peccati, in quo fons omnium peccatorum est,
et filius perditionis, id est, diaboli : ipse est enim
universorum perditio qui adversatur Christo, et ideo
vocatur Antichristus, et extollitur super omne quod C
dicitur Deus, aut cunctarum gentium Deus, sive omnium, sive omnem pravam et veram religionem suo
calcet pede, et in templo Dei vel in Hierosolymis ut
quidam putant, vel in Ecclesia, ut verius arbitramur,
sederit, ostendens se tanquam ipse sit Christus et Filius Dei. Nisi, inquit, ante Romanum imperium fuerit desolatum, et Antichristus præcesserit, Christus
non veniet, qui ideo venturus est, ut Antichristum
destruat. Meministis, ait, quod hæc ipsa, quæ nunc
scribo per epistolam, cum apud vos essem præsenti
sermone narrabam, et dicebam vobis, Christum non
esse venturum, nisi præcessisset Antichristus, et
nunc quid detineat scitis ut reveletur in suo tempore,
hoc est, quæ causa sit, ut Antichristus in præsentiarum non veniat, optime nostis : nec vult aperte di- D
cere Romanum imperium destruendum quod ipsi qui
imperant æternum putant. Unde secundum Apocalypsin Joannis in fronte purpuratæ meretricis
scriptum est nomen blasphemiæ, id est, Romæ
æternæ. Si enim aperte audacterque dixisset, non
veniet Antichristus, nisi prius Romanum deleatur
imperium, justa causa persecutionis in orientem
tunc Ecclesiam consurgere videbatur. Quodque sequitur, « jam enim mysterium iniquitatis operatur,
tantum ut qui tenet nunc teneat donec dimidium
fiat, et tunc revelabitur ille iniquus, » hunc habet
sensum : Multis malis atque peccatis, quibus impurissimus Cæsarum mundum premit Antichristi par-

turitur adventus, et quod ille operaturus est, postea,
in isto ex parte completur. Tantum ut Romanum
imperium, quod nunc universas gentes tenet, tenere
cedat, et dimidio [de medio] fiat, et tunc Antichristus veniet, fons iniquitatis, quem Dominus Jesus
interficiet Spiritu oris sui, divina videlicet potestate,
et suæ majestatis imperio, cujus jussisse fecisse est :
non in exercitus multitudine, non in robore militum, non in angelorum auxilio, sed statim ut ille
advenerit, interficietur Antichristus, et quomodo
tenebræ solis fugantur adventu, sic illustratione
adventus sui eum Dominus destruet, atque delebit,
cujus opera Satanæ sunt opera, et sicut in Christo
plenitudo divinitatis fuit corporaliter, ita et in Antichristo omnes erunt fortitudines et signa, atque
prodigia, sed universa mendacia : quomodo enim
signis Dei quæ operabantur per Moysen magi suis
resistebant mendaciis, et virga Moysi devoravit virgas eorum, ita mendacium Antichristi Christi veritas devorabit : seducentur autem ejus mendacio qui
perditioni sunt præparati. (*Aug.*) Alii vero, et quod
ait, « quid detineat scitis, » et mysterium operari iniquitatis, non putant dictum, nisi de malis et fictis qui
sunt in Ecclesia, donec perveniant ad tantum numerum, quanti Christo [qui Antichristo] magnum populum faciat, et hoc esse mysterium iniquitatis, quod
videtur occultum : hortari autem Apostolum fideles,
ut in fide quam tenent, tenaciter perseverent, dicendo,
« tantum qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat, »
hoc est, donec exeat de medio Ecclesiæ mysterium
iniquitatis quod nunc occultum est : ad ipsum enim
mysterium pertinere arbitrantur, quod ait in Epistola
sua Joannes : « Ex nobis exierunt, sed non erant ex
nobis (*I Joan.* II). » [Greg.] Idem Joannes dicit :
« Nunc Antichristi multi facti sunt, » quia iniqui
omnes jam membra ejus sunt, quæ scilicet perverse
edita caput suum male vivendo prævenerunt. Hinc
Paulus ait : « Ut reveletur suo tempore. Nam mysterium jam operatur iniquitatis, » ac si diceret :
tunc Antichristus manifestus videbitur, nam in cordibus iniquorum secreta sua jam nunc occultus operatur. Ut enim de apertioribus criminibus taceam,
ecce alius fratri in corde suo tacitus invidet, et si
occasionem reperiat, eum supplantare contendit,
cujus alterius membrum est, nisi de quo scriptum
est : « Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum?
(*Sap.* II.) » Alius magni meriti esse se æstimans,
per tumorem cordis cunctis se præferens, omnes
semetipso inferiores credit, cujus alterius membrum
est, nisi ejus de quo scriptum est : « Omne sublime
videt et ipse est rex super universos filios superbiæ?
(*Job.* XLI.) Alius mundi hujus potentiam quærit,
non quo aliis prosit, sed quo ipse alteri subditus
non sit, cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo
scriptum est, « qui dixit : Sedebo in monte Testamenti in lateribus Aquilonis ; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo? (*Isa.* XIV.) »
Solus quippe Altissimus ita dominatur super omnia,
ut alteri subesse non possit, quem Diabolus imitari

Digitized by Google

perverse voluit cum suum dominium quærens ei subesse recusavit : imitatur ergo Diabolum quisquis idcirco potestatem suam appetit, quia ei qui sibi est superna ordinatione præpositus subesse fastidit. (*Ambr.*) Intendendum vero est illi parti, quoniam revelationem Antichristi manifestationem vocavit, et superius dicens : « Cum revelatus fuerit homo, » et in hoc loco « Revelabitur iniquus, » eo quod Diabolus semper quidem ab adventu Domini meditatur illud facere ad nocivitatem hominum, et utique illud fecisset, si non secundum inenarrabilem suam providentiam continuisset Deus eum. Operabitur vero tunc, et perducet illud in aperto, quod dudum sibi videbatur, cum illi fuerit concessum suam voluntatem in opere producere; et ostendens quoniam nec ille sine pœna erit, addit : « Quem Dominus in- B « terficiet Spiritu oris sui, et destruet illustratione « adventus sui. (*Ambr.*) » Evidens est, quoniam de homine id dicit : nec enim Satanam expedit, quem æternæ est pœnæ traditurus, sed illum, eo quod organum sibi illum ad tantam explendam malitiam Dæmon opportunum cogitationibus suis esse reperit, et hoc in subsequentibus apertius manifestavit dicens : « Cujus est adventus secundum inoperatio- « nem Satanæ. » Alium quemdam insinuavit eum esse præter Satanam, cujus inoperatione seipsum demonstrabit. Terribile est autem quod dicit, illum enim talia agentem et per totum orbem omnes homines discedere a pietate suadentem, subito de cœlo apparens Christus, et solummodo clamans, cessare faciet ab opere, totum illum expendens : hoc enim C dicit, *Spiritu oris*, hoc est, voce, ex illis quæ apud nos sunt sumens illud, et dicens, eo quod nos spiritu cooperante abutimur ad articulatam loquelam. Quæ secundum illum sunt, referre incipit, cujus est adventus secundum inoperationem Satanæ, hoc est, apparebit illi Satanas ibi inoperante omnia : deinde adjicit et quid ille operatur in eo. « In omni « virtute et signis et prodigiis mendacibus. » Multa inquit et magna signa quoque et prodigia demonstrabit per eum. Bene autem adjicit, « mendacibus, » ostendens, quoniam in phantasmate magis quam in opere facit ea. Qua autem ratione hoc operatur? « Et in omni seductione injustitiæ in his qui pereunt, « eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut « salvi fierent. » Sic autem vocat eos qui sunt ei accipiendi, pro quibus charitatem veritatis non susceperunt ut salventur : cum convenerit, inquit, eos permanere in veritate charitatis, et non discedere ab ipsa ex qua et salvari poterant. « Ideo mittit illis « Deus operationem erroris ut credant mendacio, et « judicentur omnes qui non crediderunt veritati, « sed consenserunt iniquitati. » Evidens est, quoniam concessione Dei quasi opus ejus esse adscripsit, vult enim dicere, quoniam non permanentes in veritate, intendunt seductioni et credent mendacio, justam pœnam subeuntes, pro quibus relinquentes veritatem ad injustitiam declinaverunt, ut dicat : Diabolum adoraverunt, injustitiam eam vocans, eo A quod nec justa fiat ratione ab illis qui ea faciunt; et quoniam de illis qui tunc increduli erunt dixit, bene adjicit :

« Nos autem debemus gratias agere Deo semper « pro vobis, fratres, dilecti a Domino, quoniam « præelegit nos Deus ab initio in salutem in sancti- « ficatione Spiritus, et fide veritatis in quod et vo- « cavit vos per Evangelium, in acquisitionem gloriæ « Domini nostri Jesu Christi. » Itaque et propter hoc, inquit, pro vobis gratias agimus Deo, quoniam vos elegit, ita ut exspectatam fruamini salutem participans quidem vobis gratiam Spiritus, donans vero vobis veritatis fidem. Hoc enim vobis Evangelii præbuit vocatio, futuram gloriam : per illam fidem quæ in Christo est repromittens; et post hoc : « Ita- B « que, fratres, state, et tenete traditiones, quas di- « dicistis sive per verbum, sive per Epistolam no- « stram. » Hoc enim ad totum reddidit, hoc est, nolite persuaderi ab illis qui vos seducere volunt, sed manete in illis quæ vobis tradidimus, sive per verbum præsentes, sive et absentes per litteras : deinde iterum orat pro eis : « Ipse autem Dominus « noster Jesus Christus, et Deus et pater noster, qui « dilexit nos et dedit nobis consolationem æternam « et spem bonam in gratia, consoletur corda vestra « et constabiliat in omni verbo et opere bono. » Qui gratia, inquit, sua æternam illam consolationem nobis donavit, id est, futurorum bonorum spem, ipse et secundum præsentem vitam hanc prosperet et corda vestra vos confirmans, ut omne, quidquid C illud boni est, et dicere et facere possitis. (*Paphnut. in Collat. Cass.*) Deum quoque aptare sive confirmare animos nostros ad omne opus bonum et operari in nobis ea quæ sibi sunt placita idem Apostolus docet (*Hebr.* XIII) : « Deus autem pacis, qui « eduxit de tenebris pastorem magnum ovium in « sanguine Testamenti æterni Jesum Christum, aptet « vos in omni bono faciens in vobis quod placeat « coram se : » quod etiam Thessalonicensibus ut eveniat ita precatur, dicens : « Ipse autem Dominus « Jesus Christus et Deus pater noster qui dilexit nos « et dedit consolationem æternam et spem bonam in « gratia, exhortetur corda vestra et confirmet in om- « ni opere et sermone bono. » Post hoc scribit D eis.

CAPUT III.

Petit Apostolus orationem suffragii, informat eos in regeneratione mali, atque incitat ad laborem manuum.

« De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo « Domini currat et clarificetur sicut et apud vos, et ut liberemur ab importunis et malis hominibus. (*Ambr.*) Ita ut orent pro eo et pro ejus desiderio doctrina ubique profectum accipiat, sicuti et apud illos, ita ut ab omnibus insidiis adversariorum eripiatur : quibus adjicit : « Non enim omnium fides est. » Hoc est, quia non omnes credunt, sunt vero qui et contrasistant veritati; ut ergo ab insidiis horum eripi possit, dignum existimat orationes esse.

Digitized by Google

« Fidelis autem Dominus qui confirmavit vos, et « custodiet a malo. » Hoc ad verba orationis, quam fecerat, reddidit, fidei firmitatem adesse illis optans, simulque et dicens : quoniam verus est Deus qui vocavit vos in spe bonitatis, ipse vos confirmabit in fide, ita ut assequi possitis illa bona ab omni discedentes inconvenienti actu : quibus et adjungit : « Confidimus autem in Domino de vobis, quoniam « quæ præcipimus et facitis, et facietis. » Nam dum dicit se de eis bonam habere confidentiam, quoniam omnem ejus doctrinam cum sollicitudine efficiunt, sufficiens est et exhortare illos, ut opinionem suam opere firmam esse ostendant : et iterum orat pro illis dicens : « Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, et in patientia Christi. » Contingat vobis permanere in ea charitate, quæ erga eum est, tolerantes etiamsi et aliquid conveniat pro eo pati. Nam quod dixit Dei et Christi, in commune id positum esse videtur, id est, in charitate et patientia.

« Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine « Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab « omni fratre ambulante inordinate, et non secun« dum traditionem quam acceperunt a nobis. » Manifestum est hinc evidenter de indisciplinatis dicere, quos et vehementer corripit. Præcipiens etiam ut a colloquio eorum sese cohibeant. Hoc est enim, quod dicit : separate vel « subtrahite vos, » hoc est, accelerate secernere vos ab illis qui tales sunt, et ut ne videretur verbo tantum id tradere ait : « Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus in vobis : » et quoniam ista adhuc non erant magna adjicit : « Neque enim gratis panem manducavimus apud aliquem, » et quod his majus est, « sed in labore et lassitudine nocte et die operantes, ut non gravaremus quemquam vestrum. » Et quod majus extolli potest adjicit : « Non quia non habuerimus potestatem, sed ut nos formam daremus vobis ut imitemini. » Et quidem nobis licet accipere eo quod erga doctrinam vacare videmur, sed noluimus, ut ipso opere vos doceamus quemadmodum convenit facere : et ostendens quoniam talia agens apud illos permansit, memoratur iterum traditionem suam. « Nam et cum eramus apud vos hoc prædicabamus vobis, quoniam qui non vult operari, nec manducet. » Hæc et præsentes dicebamus, quod pigri neque manducare sint digni. Non generaliter hoc dicens, quod ille qui non operatur non debet manducare : videtur enim ipse Corinthiis scribens longa prosecutione id explicasse, quoniam illis debetur qui doctrinæ vacant ut a discipulis corporalium percipiant ministerium : sed illum dicit non esse operarium, qui neque de melioribus sollicitus est, neque corporale aliquid vult operari. Otiosus vero exstans aliorum vitam curiose discutit, de indisciplinatis etenim illi est sermo. (*Cassian.*) Denique hos ipsos quos in Epistola prima molli foverat palpatione verborum, qualiter in secunda, velut qui non profecerint ad remedia leniora austerioribus quibusdam et causticis medicamentis sanare aggreditur, nullaque jam mitium verborum fomenta præmittit. Non illam teneram vocem ac blandam, ut ibi : « Rogamus autem vos, fratres, sed, denuntiamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate. » Ibi rogat, hic denuntiat ; in illa blandientis affectus, in hac obtestantis severitas et minantis : « denuntiamus vobis, fratres, » quia prius rogantes contempsistis audire, saltem nunc denuntiantes obedite ; ipsamque denuntiationem non nudo verbo, sed cum obtestatione nominis Domini nostri Jesu Christi terribilem infert, ne forte simplicem velut humana voce prolatam rursum contemnerent, nec magnopere ducerent observandam ; statimque ut peritissimus medicus putridis membris quibus leni medicamento remedium ferre non potuit, mederi spiritalis ferri incisione pertentat, « ut subtrahatis vos » inquiens, « ab omni fratre ambulante inordinate et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis. » Itaque ab his qui vacare operi nolunt, jubet subtrahi et velut membra otii corrupta putredine desecari, ne inertiæ morbus velut lethale contagium etiam sanas membrorum partes tabo serpente corrumpat, dicturusque de his qui operari suis manibus nolunt, et panem suum cum silentio manducare, a quibus etiam præcipit subtrahendum, qualibus eos a principio opprobriis inurat, attendite. Imprimis inordinatos dicit, nec secundum traditionem ambulare, aliis verbis contumaces eos, utpote qui nolunt juxta institutionem ejus incedere, et inhonestos esse designans, id est, non processionis, non visitationis, non verbi, non temporis opportunitatem congruam honestamque sectantes, omnibus enim vitiis istis inordinatum quemque necesse est subjacere. « Et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis. » In hoc rebelles eos quodammodo et contemptores notat, qui traditionem quam acceperunt ab eo tenere contemnant, nec imitari velint id quod magistrum non solum verbo docuisse meminerint, sed etiam opere noverunt perfecisse. « Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos. » Immanem cumulum reprehensionis exaggerat cum hoc eos asserit non observare quod et memoriæ eorum inhæreat, et ad imitandum non solum verbo instruente didicerint, sed etiam exemplo operum provocante susceperint. « Quia non inquieti fuimus inter vos. » Cum se vult inquietum inter eos non fuisse per operis exercitium comprobare eos qui operari nolunt, abunde notat otiositatis vitio inquietos semper existere. « Neque gratis panem manducavimus ab aliquo. » Per singula verba interpretationis auxesim facit doctor gentium. Prædicator Evangelii, dicit se non gratis panem ab aliquo manducasse, qui novit Dominum præcepisse, ut qui Evangelium denuntiant de Evangelio vivant (*I Cor.* IX), et rursum : « Dignus est operarius cibo suo (*Luc.* X). Cum utique non gratis qui Evangelium prædicabat, tam sublime et spiritale opus exercens, cibum sibi Domi-

Digitized by Google

nicæ jussionis auctoritate præsumeret : quid nos faciemus quibus non solum nulla prædicatio verbi commissa est, sed nec ulla quidem nisi animæ nostræ solius cura mandatur ? qua fiducia otiosis manibus gratis panem comedere audebimus, quem vas electionis, Evangelica sollicitudine et prædicatione constrictus, sine opere manuum comedere non præsumit ? « Sed in labore » inquit, « et fatigatione operantes die ac nocte, ne quem vestrum gravaremus. » Adhuc additamenta suæ castigationis exaggerat. Non enim simpliciter dixit, non comedimus panem ab aliquo vestrum, et hucusque stetit. Poterat enim videri proprio otiosoque sumptu ac recondita pecunia, vel aliorum licet non istorum, collatione seu muneribus sustentatus fuisse, « sed in labore, inquit, et fatigatione nocte et die operantes, » id est, nostro opere specialiter sustentati : et hoc, inquit, non pro nostra voluntate perpetrabamus, nec pro delectatione, ut requies et exercitium corporis invitabat, sed ut necessitas et inopia victus non sine ingenti fatigatione corporis facere compellebat. Non solum namque per totum diei spatium, sed etiam tempore noctis, quod quieti corporis videtur indultum, hoc opus manuum pro escæ sollicitudine indesinenter urgebam. Nec tamen se solum totaliter inter eos conversatum fuisse testatur, ne forte non magna, nec generalis videretur hæc forma, si ipsius tantum traderetur exemplo : sed etiam omnes qui erant secum ad ministerium Evangelii deputati, id est, Silvanum et Timotheum, qui hæc eadem cum eo scribunt, asserit simili opere laborasse. In eo etiam, quod dicit : « ne quem vestrum gravaremus, » verecundiam eis incutit magnam : si enim ille qui Evangelium prædicabat signis illud virtutibusque commendans, ne gravaret quempiam, gratis panem manducare non audet, quomodo illi non æstiment se gravare qui quotidie eum otiosi vacantesque præsumunt ? « Non quasi non haberemus potestatem, ait, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. » Pandit causam, cur sibi tantum laboris indixerit, « ut, inquit, formam daremus vobis ad imitandum nos, » ut si forte doctrinam verborum auribus vestris frequenter ingestam oblivioni traderetis, saltem conversationis exempla sub oculorum fide vobis tradita memoriter retineretis : haud levior eorum et in hoc reprehensio, cum dicit, se nulla alia, quam exempli gratia laborem hunc et fatigationem die noctuque corporis exegisse, et eos nihilominus erudiri nolle, propter quos ipse necessitatem non habens, sibi tantum fatigationis indixerit. Et quidem, inquit, cum habuerimus potestatem, et paterent nobis facultates omnium fratrum, atque substantiæ, et utendi eis Domini nostri nossem me habere permissum, non sum tamen usus hac potestate, ne quod a me bene ac licite fieret, aliis otii noxii præberet exemplum ; et idcirco Evangelium prædicans meis manibus atque opere malui sustentari, ut vobis quoque volentibus iter virtutis incedere, viam perfectionis aperirem, et conversationis formam meo labore præberem. Sed ne forte tacitus operans et erudire eos volens exemplis, minime illos etiam præceptorum monitis instruxisse videretur, infert. « Nam et cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari nec manducet. » Adhuc illorum desidiam, qui scientes eum ut magistrum bonum doctrinæ gratia et institutionis obtentu suis manibus operatum, imitari contemnunt, et diligentiam cautionemque suam exaggerat, dicens, non tantum se hoc illis exemplo tradidisse præsentem, sed etiam verbis jugiter prædicasse, ut si quis scilicet non vult operari nec manducet. Non jam doctoris vel medici utitur ad eos consilio, sed districtione in eos judiciariæ pronuntiationis invehitur, et Apostolica potestate resumpta, velut e tribunali in contemptores sententiam dicit : illa nempe potestate, quam cum interminatione scribens ad Corinthios a Domino sibi asseruit datam, cum eos in delicto positos præmoneret, ut ante adventum suum semetipsos corrigere festinarent, ita præcipiens : « Rogamus vos ne præsens compellar audere in quosdam potestate illa quæ data est mihi in vobis (*II Cor.* x). » Et iterum : « Si enim voluero aliquid gloriari de potestate quam dedit mihi Dominus, in ædificatione, et non in destructione vestra, non erubescam (*II Cor.* XIII). » Illa inquam potestate pronuntiat, « Si quis non vult operari, nec manducet, » non gladio carnali eos addicens, sed auctoritate sancti Spiritus hujus vitæ eis interdicens substantiam, ut si forte pœnam futuræ mortis minime cogitantes adhuc vellent amore otii existere contumaces, saltem necessitate naturali constricti et metu præsentis interitus, salutaria præcepta suscipere cogantur. Quod apertius indicans dicit.

« Audivimus enim quosdam ambulantes in vobis inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. » (*Amb.*) Curiose agere dicens, quasi qui otio abusi, ad hoc vacant ut aliorum examinent vitam, quod fieri quasi inconveniens abdicabit, præcipiens quidem illis, ut separent se a talibus, dicens quoniam nec manducare sint digni si non operari voluerint : et abundantius illud pandens adjicit : « Illis autem qui hujusmodi sunt præcipimus, et obsecramus per Dominum nostrum Jesum Christum, ut cum modestia operantes suum panem manducent. » Non absolute dicens ut operentur, sed adjecit *cum modestia*, quod erant adimentes, ut ne vitæ aliena curiose agerent. Volebat enim ut sine ulla curiositate illa operentur, quæ poterant sibi ipsis sufficere ad sustentationem. (*Cassian.*) Post tantum itaque rigorem evangelicæ districtionis, nunc causam exponit cur hæc universa præmiserit : « Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes sed curiose agentes. » Nusquam eos qui dediti esse operi nolunt, uno tantum morbo corruptos pronuntiare contentus est : in priori namque Epistola inordinatos eos appellat, nec secundum traditionem illam ambulare, quam acceperunt ab eo. Inquietos etiam esse definit, et gratis panem manducare. Rursum hic,

Digitized by Google

« audivimus, inquit, quosdam inter vos ambulare inquiete, » et subjungit statim secundum languorem, qui inquietudinis hujus est radix, « nihil, inquit, operantes. » Tertium quoque morbum qui ex isto velut quidam ramunculus oritur, « sed curiose agentes. » Itaque fomiti vitiorum tantorum congruam nunc emendationem conferre festinat, et illa Apostolica qua usus fuerat paulo ante deposita potestate, iterum ad viscera pii patris vel clementis revertitur medici, et velut filiis susceptisque suis consilio salubri infert remedia sanitatis, dicens : « His autem qui hujusmodi sunt denuntiamus et obsecramus in Domino Jesu, ut cum silentio operantes panem suum manducent. » Causas tantorum ulcerum, quæ de radice otiositatis emergunt, uno operationis salutari præcepto curavit, ut peritissimus medicorum; cæteras quoque valetudines malas eodem cespite pullulantes sciens protinus exstinguendas origine morbi principalis exstincta. Et quoniam illi qui hujusmodi erant, et operari minime volebant, seditiose quæ non conveniebant, illa perficiebant, occasione ea, quia cæterorum liberalitas præstabat illis, cum omni celeritate, illa quæ erant necessaria quasi ejusdem fidei constitutis, quod et in prima Epistola interpretantes signasse visi sumus, adjicit ad illos qui præbebant :

« Vos autem, fratres, ne deficiatis bonum facien- « tes. » (*Amb.*) Hoc est, vos exsequimini proprium opus, et ne propter aliorum malitiam discedatis a bono opere : licet illi pravi sint suo proposito, sed vobis merces similis ob vestrum erit propositum, cum tribuitis. (*Cassian.*) « Nolite, inquit, deficere benefacientes : id est, humanitatem vestram erga eos, si forte neglexerint observare quod diximus, similiter impertite. Ut castigavit illos qui erant infirmi ne otio dissoluti inquietudini et curiositati operam darent, ita hos qui sani sunt præmonet, ut humanitatem, quam bonis ac malis impertire Domini præcepto jubemur, si forte quidam pravi ad sanam doctrinam converti noluerint, non abscindant ab eis, sed benefacere et fovere eos tam consolationis et correptionis sermone, quam beneficiis solitis et humanitate non desinant. Rursum tamen ne forte hac lenitate provocati quidam præceptis ejus obedire contemnant, intermiscet apostolicam severitatem, et ait : « Quod si quis non obedit verbo nostro, per Epistolam hunc notate, et nolite commisceri cum illo, ut confundatur. » Monensque eos, pro reverentia sua et utilitate communi, quid oporteat observare, quaque cautione apostolica mandata custodiant, subjungit confestim patris indulgentissimi lenitatem, et ut filios suos, quem erga prædictos pro charitate fraternitatis affectum debeant retinere, similiter docet. « Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. » (*Amb.*) Hoc, inquit, facere volo vos, ut non in parte inimici eum habeatis, sed ut modis omnibus increpatione, obsecratione, doctrina reducatis eum ad id quod honestum est. (*Cassian.*) Severitati judiciariæ paternam intermiscuit pietatem, et sententiam apostolico rigore prolatam, clementi mansuetudine temperavit. Nam et notari jubet eum, qui obedire suis præceptis contempserit, et cum illo non commisceri : et tamen hæc fieri non odii vitio præcipit, sed fraternæ dilectionis et eorum emendationis intuitu. « Nolite, inquit, commisceri cum illo ut confundatur, » ut qui non est meis præceptis mitibus emendatus, saltem publica omnium vestrum segregatione confusus, ad tramitem salutis incipiat aliquando revocari. « Ipse autem Deus pacis det vobis pacem semper in omni modo. Dominus cum omnibus vobis. Amen. » (*Amb.*) Deinde orat tribui eis pacem a Deo, ita ut semper eam habeant, et ut modis omnibus semper illis adsit a Deo. « Salutatio mea manu Pauli. » Salutationem vocavit subscriptionem : pro illo enim quod nos solemus ponere Incolumen, etc., ille semper ponit « gratia Domini nostri Jesu Christi. » Hanc ergo salutationem vocat : nec enim videtur aliquos in Epistola sua salutasse ; « Quod est signum in omni Epistola. Ita scribo. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen. » Hoc igitur quasi signaculo utor in omni Epistola, scribens illud mea manu quod et in hac Epistola feci, ita ut nemo dubitet meas esse litteras. Hoc autem videtur hoc in loco adjecisse non absolute, sed quia illi qui de consummatione sæculi loquebantur, et dicebant eam esse propinquam, persuadebant eis quasi qui et ex Epistola Apostoli hoc idem significantes dicerent, quodque et ipse in superioribus significavit, scribens eis non persuaderi ab illis qui per Epistolam Apostoli hæc se dicere promittebant; necessario ergo hoc in loco significavit in quibus scripserat de his ad eos, quoniam ejus es Epistola ob salutationem sufficientem ostendere, quod et hoc illi sit in consuetudine, et quod sua manu consuete subscribat, ut nihil contrarium recipiant illis quæ hic scripta sunt ad eos, si a quolibet iisdem suadeatur.

LIBER VICESIMUS TERTIUS.

EXPOSITIO IN EPISTOLAM I AD TIMOTHEUM.

ARGUMENTUM.

« Sanctus apostolus Paulus beatum Timotheum « Ephesi reliquit » scilicet, ut omnem peragrans Asiam universas quæ illic sunt Ecclesias gubernaret. Scribit igitur ad eum in prima Epistola quam ad præsens interpretari annitimur, in principio quidem

Digitized by Google

Epistolæ statim commonens eum, ut suos cautissime instruat, non intendere illis qui legis custodiam Christianis modo subintroducere volunt; docet vere eum in subsequentibus quæ conveniat eum facere, Ecclesiarum dispensationem indeptum. Unde et de omnibus illum instruit docens eum, qualem esse unumquemque conveniat eorum qui quolibet modo in ecclesiastico ordine deputantur, vel ministerio fungi videntur; quod et cautissime explicans instruit eum de illis quæ deceant presbyterum, quæve diaconum, quales etiam conveniat esse viduas, et de cæteris similiter omnibus, ea quæ conveniebant instruens, perfectam in ipsa Epistola doctrinam visus est deprompsisse; memoratus vero est et quædam de dogmate in media parte Epistolæ, de quibus vel maxime necessarium sibi doctrinam esse perspiciebat. Nihil vero ex illis reliquit quæ ad commune ornamentum pertinere poterant, si tamen quis scripta ejus cum competenti cautela vel legere vel custodire voluerit: hanc igitur Epistolam meo judicio omnes cautissime episcopos ediscere conveniebat. Sic enim diligenter instructi cognoscere poterant Ecclesias Domini Dei secundum ut decens est vel regere vel dispensare, beati Pauli legibus inservientes: ea enim quæ ad Timotheum tunc scripsit relinquens eum Ephesi omnibus eum Ecclesiis quæ secundum Asiam videbantur esse proponens, hæc omni episcopo, qui Ecclesiam Dei creditus est gubernare, aptari posse, nemo dubitet. Incipienda est ergo illa expositio quam per partes expedire nos convenit, eo quod argumentum in hisce sufficienter a nobis expressum esse videtur.

CAPUT PRIMUM.

Monet Timotheum Apostolus ne attendat genealogiis ac legalibus observantiis. Gratias agit Deo per vocationem ad apostolatum, et inducit eum ad resistendum doctoribus falsitatis.

« Paulus Apostolus Christi Jesu secundum impe-
« rium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu, spei
« nostræ Timotheo charissimo filio in fide, gratia
« misericordia et pax a Deo patre, et Christo Jesu
« Domino nostro. » (*Amb.*) Videtur beatus Paulus in præscriptione præsentis Epistolæ contra suam consuetudinem adjecisse gratiam et pacem, atque misericordiam, ab affectu majore, quem erga Timotheum habere videbatur, hac vocis adjectione fuisse abusum, consummans vero præscriptionem in his incipit sic: « Sicut rogavi te ut sustineres Ephesi,
« cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibus-
« dam non aliter docere, neque intendere fabulis,
« et genealogiis infinitis, quæ quæstiones præstant
« magis, quam dispensationem Dei, quæ est in fide. »
Ante omnia beati Pauli humilitas digna est demiratione quoniam discipulo suo scribens non dixit: Sicut præcepi, aut probavi, aut dixi, sed dixit simpliciter, sicut rogavi, vel obsecratus sum: sic sanctis illis studium erat universos obsecratione ad opus pietatis invitare, ita ut et alacritatem iisdem cum quadam animi oblectatione imponerent, eo quod obse-

A cratio quidem etiam valde desidiosos scit animare, præcepti vero pondus et illum qui alacritate tenetur pigrum sæpe fecisse videtur: intendendum est autem et sensui dictorum; nec enim hoc vult dicere, sicut sensus, qui in promptu est, significare videtur, quoniam rogavit eum ut sustineret Ephesi, ita ut præciperet quibusdam ne aliter docerent, nec enim pro hoc solo reliquit eum illic, sed ut omnia pro illa faceret sollicitudine, quam erga Ecclesias Dei expendere fuerat ordinatus, de quibus etiam omnibus scripsisse videtur ad eum in Epistola; sunt autem sensus duo complexi sibi invicem: primo sensu secundum exclamationem imperfecte expresso ut tali ratione etiam unum esse quod dictum est videretur. Vult enim dicere: Sicut te rogavi Macedoniæ, proficiscens, ut
B sustineres Ephesi, diligentiam illis adhibens qui illic sunt, quod et facite (*sic*) commissum tibi opus expediens, et omnia sollicite implens quæ ad communem pertinent correctionem. Hoc igitur est quod vult significare per illud quod dixit: « Sicut rogavi te ut sustineres Ephesi cum irem in Macedoniam, » quod et imperfecte dictum esse astruxi, B. Paulo consuetæ in illum loquelæ studium adhibentem, illud autem quod sibi videbatur pro sua virtute, ut poterat, explicante. Nam nec disciplinam dicendi studuerat, sed nec pro hoc studium accommodare conveniens sibi esse existimabat. Deinde adjecit: « Ut denuntiares quibusdam, » et reliqua, hoc dicens, quod vel maxime, ante omnia autem procurare volebat; quid ergo illud est? « Volo te, inquit, ante omnia ut de-
C « horteris illos qui in ecclesia alia cupiunt docere
« præterquam pietatis postulat ratio. » Evidens est enim quod dixit, « ut denunties quibusdam, » de suis enim id dicit et non de alienis. Nec enim exteris denuntiare erat Timothei tunc vel maxime magistris pietatis, non solum increpare contrariis minime usurpantibus, sed e contrario plurima ab illis male sustinentibus. Dicit autem non debere aliter docere, de illis dicens qui ex circumcisione crediderant, qui et multa quasi pro lege loquentes, eos qui ex gentibus erant docere annitebantur contra Christiani dogmatis ritum. Nam et in omnibus epistolis propemodo Beatum quis inveniet Paulum de illis plurima scribentem, eo quod et multi tunc erant qui hujusmodi
D proponebant doctrinam, quod et melius cognoscere quis poterit si interpretationem nostram, quam propemodum per omnes epistolas explicasse videmur, decurrere voluerit, in quibus ostendimus B. Paulum multa de his fuisse locutum. Nam quod dixit, « non intendere fabulis et genealogiis infinitis, » in commune quidem de omnibus dixit, maxime de illis qui ex gentibus sunt, qui intendentes illis quæ a Judæis dicebantur, sæpe in dogmate pietatis nocere videbantur, quod et Galatæ perpessi fuisse inveniuntur, qui cum observantia cæterorum quæ in lege fuerant definita, etiam nec a circumcisione sese cohibuerunt; genealogiis vero eos intendere minime convenire dixit, eo quod Judæi tunc multam expendebant sollicitudinem, ut ostenderent Christum non

Digitized by Google

promissorum sequentia ex Abraham et David descendisse, et propter hoc annitebantur etiam progenies veteres memorari, dicentes, quemadmodum ille ortus est ex illo, quemadmodum vero ille ab illo natus est : ex quibus etiam multos conturbari eveniebat, ex illis vel maxime qui ex gentibus crediderant, qui nihil cautissime ex antiquis libris scire poterant. His ergo præcipito, ait, ut genealogiis non intendant, quas bene et infinitas esse dixit, eo quod illi, qui talia explicabant, poterant modo hic, modo illic suum vertere sermonem, et nunc quidem hujus dicere progeniem, nunc vero alterius, et iterum ab isto transisse ad alterum, quod in genealogiis fieri solet necessario, quando quis progeniem ex multis descendentem voluerit interpretari : infinitas nominans, eo quod nullum finem habeant, sed nec deficere possint occasiones verborum in talibus vel maxime quæstionibus, quas etiam occasiones narrationum et fabulas esse dixit, eo quod nec aliquid habent in se necessarium, sed solam narrationem contineant vanam quamdam et fabulosam, quoniam ille illum ex illa genuit; et interpretans quid infinitum esse dicit, optime adjecit, « quæ quæstiones præstant magis « quam dispensationem Dei in fide. » Talium, inquit, narratio et sollicitudo, quæ de talibus est, quæstiones quidem copiosas quasdam et infinitas præstare videtur : prohibent vero divinam cognoscere dispensationem, secundum quam Deus nostram salutem per Christum operari dignatus est, cui vel maxime cum omni fide intendere convenit illos qui audiunt, qui et ipsis rebus veritatis habere possunt probationem, quorum doctrina minime prætermissa, successiones non convenit discutere generum, nam quia tunc mala erunt de hisce verbis, liquido id probatur ex Matthæi et Lucæ Evangelistarum narratione. Utrique explicaverunt enim quemadmodum Christi generatio ex antiquo descendit, non tamen pro illa ipsa generatione ad David utique venerunt, sed Matthæus ad aliam genealogiam ex David descendisse videtur : Lucas vero ad aliam coactus est venire narrationem, ab illis quæstionibus quæ tunc vel maxime moveri videbantur, quod etiam cautissime quis scire poterit interpretationem nostram decurrens, quam de Evangeliis expressisse visi sumus; et dicens illa quæ conveniebant præcipere eis, et a quibus se cohibere deberent, dicit compendiose et illa quæ emendare cum fidelibus videbat, ita ut diligentiam eorum adhiberet. « Finis, inquit, præcepti est charitas, ex mundo « corde et conscientia, bona et fide non ficta. » Præcipere autem te vel maxime cupio illis, quod et finis est nostræ doctrinæ, ut discedant ab omni quæstione vana, non intendant vero illis qui fabulosa quædam narrare cupiunt, salvam vero atque integram charitatem erga communem Dominum custodiant mundo corde et perfecta conscientia. Et ostendens quanta nocivitas adnascitur illis qui non ita erga dogma pietatis consistunt, adjicit : « A quibus quidam aber- « rantes conversi sunt in vaniloquium, volentes esse « legis doctores, non intelligentes neque quæ dicunt, « neque de quibus affirmant. » Horum, inquit, diligentiam quidam sic facientes a pietate quidem exteri facti sunt, erga vaniloquium vero vacantes, confingunt se illa, quæ legis sunt, docere, qui etiam quæ a se dicuntur minime intelligunt; et quoniam verisimile esse videbatur ut non intelligerent ipsi, de quibus dicunt, optime adjicit, « neque de quibus affir- « mant, » nam qui minime sciunt pro quibus loqui eos conveniat, hi propria videntur ignorare; et ut ne videretur legem incusare, adjicit :

« Scimus quoniam bona est lex, si quis ea legitime utatur. » Hæc autem assero, non legem incusans, sed insipientiam illorum arguens, qui nesciunt ea uti : si vero quis usus ea fuerit sicut convenit, valde et laude dignissimam et venerabilem legem esse recipio. Et ut ne videatur conversationem legis iterum subintroducere quasi usu aliquo, adjicit : « Sciens « hoc quoniam justo lex non est posita, sed injustis, « et non subditis, impiis, et peccatoribus, sceleratis, « et contaminatis, parricidis et matricidis, homicidis, « fornicatoribus, masculorum concubitoribus, plagia- « riis, mendacibus, perjuris. » Illud autem scio, quoniam lex actuum inconvenientium abdicationem continet, posita est enim ut prohibeat omnes iniquitates. Erga illos qui peccant necessaria est legis definitio, docet enim eos minime illa facere. Qui autem semel sunt justificati et ab omni peccato superiores effecti, superflua est illis lex, qui vel maxime legis possident directionem. Hoc autem est apud nos qui peccamus [exspectamus] resurrectionem et incorruptionem cum qua et invertibilitate perpetua persistemus, peccare ultra minime valentes, et propter hoc lege non indigemus : itaque nobis qui credidimus et per formam baptismatis in illis jam exstitimus, superflua est legis definitio, qui ultra a peccatis nos abstinere non ex lege instruimur, sed docemur imitari illas res, in quorum formam jam nunc consistimus. Et evidentius post enumerationem peccatorum adjecit : « Et si quid « aliud sanæ doctrinæ adversatur secundum Evan- « gelium gloriæ Beati Dei, quod creditum est mihi. » Ut dicat quoniam omnia, quæ prava sunt, contraria sunt nostræ doctrinæ, quam consequenter Evangelio gloriæ facimus; gloriam quidem dicens, illam dicit quæ in futuro sæculo post resurrectionem aderit hominibus, quasi qui et in meliorem transituri sunt statum. « Seminatur enim, ait, in corruptione, sur- « get in incorruptione; seminatur in infirmitate, sur- « get in virtute; seminatur in ignobilitate, surget in « gloria. » Evangelium vero vocat illam prædicationem, quæ de Evangelio est, quod et consequenter creditum sibi esse dixit, ut doceret omnes homines debere exspectare illa per eam fidem quæ in Christo est. Gloriam autem dixit Beati Dei, ut dicat quæ ab illo nobis tribuitur. Jure Beatum Deum hoc in loco vocat, eo quod idem in natura beatitudinem habeat propter suam invertibilitatem, nobis vero gratis id tribuat. Hæc ergo prædicatio est de futuris quæ exspectare omnes docemur, consequentem et facientes doctrinam, præparamus enim omnes illam vitam

Digitized by Google

in præsenti sæculo imitari, prout potest caventes a peccatis, eo quod licet eis credentibus per baptismatis formam consortes illorum fieri bonorum, talibus vero exstantibus superflua est illis lex, unum quidem quia rebus ipsis frui illam exspectant, in quibus existentes non habent necessariam legis diffinitionem, alterum vero quoniam omnem omni legitimæ doctrinæ formam præcellere videtur, et illa fides, quæ de illis est, ad omnem virtutum cautelam eos perducere potest, deinde quasi ex dictorum sequentia vertitur, ut gratias agat Deo, quoniam commissum est sibi Evangelium cum non esset dignus. Utitur vero illis quæ erga se erant, referens ad ostensionem dictorum simulque demonstrans quoniam universos Christus salvavit, in futuris illos constituens bonis, in quibus et persistentes invertibiles ultra sine peccato, ita ut et superflua illis necessaria lex esse videatur, quod et ipsis magis ostenditur verbis, dicens enim « secundum Evangelium gloriæ beati Dei quod creditum est mihi, » adjicit : « Et gratias ago ei qui « me confortavit Christo Jesu Domino nostro, qui « fidelem me existimavit, ponens in ministerium, « qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contu- « meliosus. » Gratias, inquit, multas refero pro his Christo qui in tali me opere confortavit, ita ut universo orbi Evangelium prædicarem. Nec erat autem possibile hoc posse, si non ejus cooperatione dignus fuissem effectus, et quoniam sua revelatione ad pietatem me tradens, ministerium aliud saluti imponere est dignatus, dignum me existimas quamvis adhuc studio tenerer persequendi, et blasphemandi et contumeliis afficiendi eos qui in illum credebant, et exaggerans illud ait. « Sed misericordiam consecutus « sum, quoniam feci in incredulitate : superabun- « davit autem gratia Domini nostri cum fide, et « charitate, quæ est in Christo Jesu. » Sed talis quidem eram ego, misericordiam vero assecutus, dignus habitus sum magnorum, Deo scilicet peccata quidem mea ignorantiæ meæ deputante, bonitati vero suæ in fidem et charitatem recipiente. (*Greg.*) Sancti quique etiam cum in virtutum arce consistunt, unde elati sunt considerant, nec alienæ infirmitatis abjecta contemnunt. Unde in Job legitur : « Qui præcipit nivi ut descendat in terram, et hiemis pluviis et imbri fortitudinis suæ (*Job.* XXXVII). » Quasi ergo aquæ ad terras de quibus sublatæ sunt redeunt, dum condescendentes justi peccatoribus reminisci non desinunt, quod fuerunt : certe in terris adhuc Paulus fuerat, cum legem carnaliter sapiebat, sed ductus ad cœlestia in nivem versus est, quia quod prius infirmum sapuit, ad soliditatem veræ intelligentiæ commutavit, et tamen condescendens fratribus, quasi nix ima repetiit, et quia post virtutum culmina, quam fuerit indignus agnoscit, dicens : « Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. » Ecce quam clementer suæ imbecillitatis reminiscitur, ut aliorum æquanimiter infirma patiatur; quasi enim ad terram de qua sumpta fuerat post cœlum aqua rediit, dum post tanta suæ contemplationis arcana peccatorem se Paulus meminit, ut prodesse humiliter peccatoribus possit. (*Ambr.*) Et postquam de se gratias ad demonstrationem prædictorum, sicut dixit illa, quæ de se fuerunt, visus est retulisse adjiciens ait :

« Fidele verbum et omni acceptione dignum, quia « Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores « salvos facere, quorum primus ego sum. » Verum est ergo quoniam Christus pro peccatorum venit salute, sicut ex me est id perspicere. Fidele autem verbum dicens, verum dicetur verbum : acceptione vero dignum ideo dixit, eo quod omnis quicunque fuerit ille recipiet, credens quia Deus homines misericordia salvat, cum sinit peccatores propter suam infirmitatem, acceptabilis vero est omnibus bonitas maxime Dei, quæ valde est magna, et multo copiosior erga nos effecta, omnis autem quicunque illi delectatur in hisce sermonibus, cum sit ipse homo, et bona de hominibus audire cupiat, et latius hoc consecutus sum idem dicens adjicit. « Sed propter « hoc misericordiam consecutus sum, ut in me pri- « mum ostendat Christus Jesus omnem patientiam ad « informationem eorum qui sunt crediturі illi in vi- « tam æternam. » Ideo me ministrum vocationis gentium de talibus elegit, ut ex me manifestum omnibus faciat, quoniam clementia Dei et bonitate omnes qui credunt in eum salvabuntur, æternam petituri vitam. Si autem doctrinæ minister talis sumptus est, quales erunt illi qui per eum ad pietatem vocantur? et quasi qui ostendit per hæc, quoniam vera ratione misericordia tunc omnes salvabuntur, quando a peccato exteri facti, lege ultra minime indigere videbuntur, ut ex hoc confirmet illud, quod propositum sibi fuerat, quoniam non convenit per legem litigare, credenti vero in Christum exspectare futuram et secundum illa pro virium suarum possibilitate in præsenti sæculo suam vitam regere : ita ut nec sit illis ad præsens adeo necessaria lex, si tamen ad futura respicientes virtutis habere curam voluerint, gratiarum actione suum conclusit sermonem, eo quod et magna adesse nobis bona ostendit, quapropter et dicit : « Regi autem sæculorum immortali, invisi- « bili soli Deo, honor et gloria in sæcula sæculorum. « Amen. » Hoc est, pro omnibus bonis illum laudari, justum est a nobis, qui tantorum nobis bonorum auctor exstitisse videtur : tamen et hymnus nullum nomen absolute posuit, sed regem quidem sæculorum vocavit Deum, propter futurorum æternitatem : incorruptibilem vero dixit, propter illam incorruptibilitatem quam nobis adesse exspectamus, invisibilem vero ait, eo quod non videantur illa bona, quæ exspectantur, ergo ab illis, quæ Deo adsint illa quæ nobis ab eo aderunt credi bene reinsinuavit, sicuti et in superioribus beatum eum dixit ad confirmationem beatitudinis illius, quæ nobis aderit. Verum quia nihil ex his Apostolus definitum pro suo posuit arbitrio, sed omnia sicut in interpretatione ostendimus, congregavit adversus eos qui pro legis doctrina

Digitized by Google

corrumpere dogmatis annitebantur simplicitatem, unde et scripsit illi, ut præciperet suis non debere sustinere illos qui docent, neque debere intendere illis qui talia doceri volunt, quod evidentius in subsequentibus ostendit postquam addidit.

« Hoc præceptum tibi commendo, fili Timothee. » Hoc, inquit, tibi commendavi, id est, præceptum, ut dicat injunxi tibi, ut, de his doceas, ut præcipias tuis, ita ut non intendant illis qui seducere eos volunt, et transducere ad legis sectam, et ostendens quoniam non absolute ista illi injungere visus est, adjicit, « Secundum præcedentes in te prophetias. » Hoc revelationem divinam tui faciens, electionem commisi tibi doctrinæ opus, deinde ut non videatur vane illi post prophetias consilium dare, quasi qui ulterius non indigeat, addit : « ut milites, inquit, « in illis bonam militiam, habens fidem et bonam « conscientiam. » Prophetiam quidem eleganter gratiam ostendit, erit vero tuo in opere ipsam electionem firmare. Nec autem electio vim inferre nostro consuevit arbitrio, eo quod nec Judam pravi arbitrii exstantem, electio aliquid potuit adjuvare, permanere ergo firmus in dogmate, hoc autem dicit, habens fidem cum bona conscientia in illis conversans, ita ut nec tu ipse transducaris, et alios docere non pigeas, etiamsi te aliquid pati pro illis convenerit, hoc enim magnum tibi providebit juvamen et consequenter eligent istæ gratiæ, et ostendens quanta sit ignobilitas, si non bonam erga dogmata habuerit conscientiam, ait, « quam quidam repellentes erga fidem naufragaverunt, » inconvenientem quidem de illis conscientiam habentes, suscipientes vero adversariorum doctrinam extra fidem sunt effecti, per partes autem dubii exstantes ab omni sunt pietate exteri demonstrati, et ut majus eum in timore redigat, nominatim memoratus est eorum qui tales fuerunt, quos vel maxime sciebat præter cæteros in deterius scripsisse. « Ex quibus est, » inquit, « Hymenæus et Alexander, » et quid de illis gestum est? « quos tradidi Satanæ ut discant non blasphemare. » Nam quod dicit « tradidi Satanæ, » hoc est, alienavi eos ab Ecclesia, sicuti et Corinthiis scribens dixisse videtur, tradere eum qui talis est Satanæ, eo quod illi qui ab Ecclesia excluduntur sub Satanæ positi potestate esse videntur, Ecclesiæ alienationem traditionem Satanæ vocans, ostendens per hoc quantum mali sit de Ecclesia excludi, et ut ne videretur severitate quadam eos tradidisse et quod nollet eorum recipere correctionem, adjicit, « Ut discant non blasphemare. » Non, ut causam posuit, sed consequenter secundum suam proprietatem illo est usus, Exclusi, inquit, eos ab Ecclesia, non intercludens eorum correctionem, sed et valde id fieri exspectans, si quomodo ab increpatione meliores sui effecti didicerint non blasphemare, sed reverti ad veritatem, sic et Corinthiis scribens adjicit : « In interitum carnis, ut spiritus salvus fiat. » Hoc dicens, quoniam ideo eum ab Ecclesia repuli, si quo modo per pœnitentiam secundum præsentem vitam seipsum affligens dignus fieri videatur, ut futuram salutem assequi possit, hucusque dicens illam quæ secundum præsentem vitam multis necessariam esse ad dogmatum existimabat cautelam, incipit ulterius de illis dicere quæ ad ornamentum commune pertinere videbantur, et de illis quæ debent necessario in Ecclesia impleri, hoc est orationes, et imprimis quidem ista dicit, eo quod necessarium existimabat primum debere docere illa, quæ eos convenienter facere decebat, deinde de proposito vitæ disputat illis incipiens tali modo.

CAPUT II.

Instruitur Timotheus de actu orandi et modo, loquiturque de oratione quoad populum subjectum.

« Obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, « orationes, postulationes, gratiarum actiones. » Ante omnia, inquit, illud obsecro quod vel maxime vos scire operis esse debet, ut convenientes scire possitis quid fieri conveniens sit. Dicit autem, orationes, obsecrationes, postulationes, secundum varietatem postulationum, etiam nominum abusus est mutabilitate : aut enim bona nobis a Deo dari postulamus, quod orationes vocavit, aut malorum solutionem, quod obsecrationes nuncupavit, nam quod et dixit postulationes, valde consequenter dixit, præ omnibus etenim accelerare nitimur ad virtutum opera, illa vero quæ ad hoc nobis sunt contraria, multa sunt, et assidua. Unum quidem, quia Dæmonum subreptio varie nos a bono avertere cupit, alterum vero molestia passionum, quæ nobis inesse videtur, a quibus et a bonis exclusi contra nostrum propositum, sæpe in illis quæ nobis non conveniunt concludimur, sed necessarium est nos, qui multam super hoc pugnam sustinemus, ad Deum recurrere, qui potens est suo auxilio sedare universa illa quæ ad nostram pertinent molestiam. (*Aug.*) Hoc postulationem dixit, eo quod pro illis quæ nobis repugnant Deo orationem assidue faciamus, quod factum viduæ assimilavit, quæ ab adversarii potentia se liberari postulabat. Multa hinc dici possunt, quæ improbanda non sunt, sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud quod est in Dei mensa incipiat benedici : orationes, cum benedicitur et sanctificatur, et ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia dominica oratione concludit; interpellationes autem, sive, ut vestri codices habent, postulationes, fiunt cum populis benedicitur. Tunc enim antistites vel advocati susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati; quibus peractis et participato tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis, ultimam commendavit Apostolus. Hæc autem causa præcipua fuit ista dicendi, ut his breviter perstrictis atque significatis non putaretur negligendum esse quod sequitur, « pro omnibus hominibus, pro regibus

Digitized by Google

et his qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et charitate, » ne quisquam, sicut se habet humanæ cogitationis infirmitas, æstimaret non esse ista facienda pro his a quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda. Unde adjungit et dicit, « Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et in agnitionem veritatis venire, » et ne quisquam diceret, posse esse salutis viam in bona conversatione et unius Dei omnipotentis cultu sine participatione corporis et sanguinis Christi. « Unus enim Deus, inquit, et unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, » ut illud quod dixerat, « omnes homines vult salvos fieri, » nullo alio modo intelligatur præstari nisi per mediatorem, non Deum, quod semper erat Verbum, sed hominem Jesum Christum, cum Verbum caro factum est et habitavit in nobis. (*Isaac.*) Universas orationum species absque ingenti cordis contritione, atque animæ puritate et illuminatione sancti Spiritus arbitror comprehendi non posse. (Bas.) Tot enim sunt, quot Deum anima una imo in cunctis animabus status queunt qualitatesque venerari, et ideo licet sciamus pro hebetudine cordis nostri universas orationum species non posse perspicere, tamen in quantum mediocritas experientiæ nostræ assequi prævaluerit digerere eas utrumque tentavimus, secundum mensuram namque puritatis in qua mens unaquæque proficit, et qualitatem status, in quo vel ex antecedentibus inclinatur, vel per suam renovatur industriam, ipsi quoque momentis singulis reformantur, et idcirco uniformes orationes emitti semper a nemine posse certissimum est. Aliter enim quisque supplicare assolet cum alacer est, aliter cum tristitiæ seu desperationis pondere prægravatur, aliter cum spiritalibus successibus viget, aliter cum impugnationum mole deprimitur, aliter cum veniam peccatorum, aliter acquisitionem gratiæ seu cujuslibet virtutis exposcit, vel certe exstinctionem cujusquam vitii deprecatur, aliter cum consideratione gehennæ futuri judicii timore compungitur, aliter cum spe futurorum bonorum desiderioque flammatur, aliter cum in necessitatibus ac periculis, aliter cum in hac tranquillitate ac securitate versatur, aliter cum sacramentorum cœlestium revelationibus illustratur. Aliter cum sterilitate virtutum, ac sensuum ariditate constringitur. Et idcirco his super orationum qualitate digestis licet non quantum exposcit materiæ magnitudo, sed quantum vel temporis admittit angustia, vel certe capere tenuitas ingenii nostri, et cordis prævalet hebetudo. Major nobis nunc imminet difficultas, ut ipsas singillatim orationum species exponamus, quas Apostolus quadripartita ratione distinxit, ita dicens. « Deprecor itaque primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, » quæ non inaniter ab Apostolo ita fuisse divisa minime dubitandum est, primitus indagandum quid obsecratione, quid oratione, quid postulatione, quid gratiarum actione signetur, deinde perquirendum utrum hæ quatuor species ab orante sint pariter assumendæ, id est, ut omnes unaquaque supplicationes, nunc autem postulationes seu gratiarum actiones oporteat promere, an certe alius quidem obsecrationes, alius vero postulationes, alius vero gratiarum actiones Deo debeat exhibere, secundum mensuram scilicet ætatis suæ, in qua unaquæque mens per intentionem proficit industria, et ideo primum proprietates ipsæ sint nominum verborumque tractandæ, ac discutiendum quid inter orationem et obsecrationem ac postulationem intersit, deinde similiter perscrutandum utrum singillatim sint an pariter exhibenda. Tertio indagandum utrum etiam ipse ordo, qui et ita est Apostoli auctoritate dispositus aliquid amplius instruat auditorem, an simpliciter accipienda sit ista distinctio, et indifferenter putanda sit ab illo taliter fuisse digesta. « Deprecor, inquit, primo omnium fieri obsecrationes, » obsecratio est imploratio, seu petitio pro peccatis, qua vel pro præsentibus vel pro præteritis admissis suis unusquisque compunctus veniam deprecatur. Orationes sunt, quibus aliquid offerimus seu vovemus Deo, quod Græce dicitur εὐχή, id est votum, quod ita ab unoquoque nostro implebitur, oramus cum renuntiantes huic mundo spondemus nos mortificatos cunctis actibus et conversationi mundanæ, tota cordis intentione Domino servituros, oramus cum pollicemur sæculari honore contento ac terrenis opibus spretis in omni contritione cordis ac paupertate spiritus nos Domino cohæsuros, oramus cum promittimus nos purissimam corporis castitatem seu immobilem patientiam exhibituros esse perpetuo, vel cum de corde nostro radices iræ, sive tristitiæ, mortem operantes vovemus funditus erutas, quæ cum desiderio soluti atque ad antiqua vitia recurrentes minime fecerimus, orationum nostrarum ac votorum recitetur quare nobis melius est non vovere, quam vovere, et non reddere, quod secundum Græcum dici potest, melius est, non orare te, quam orare et non reddere. Tertio loco ponuntur postulationes, quas pro aliis quoque, dum sumus in fervore spiritus constituti, solemus emittere, vel pro charis scilicet nostris, vel pro totius mundi pace, poscentes, et ut ipsius Apostoli verbis eloquar, cum pro omnibus hominibus pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt supplicamus. Quarto deinde loco gratiarum actiones ponuntur, quas mens vel cum præterita Dei recolit beneficia, vel cum præsentia complectur, seu cum in futurum, quæ et quanta præparaverit Deus, his qui diligunt eum prospicit, per ineffabiles excessus Domino refert, quæ qua intentione nonnunquam preces uberiores emitti solent, dum illa, quæ posita sunt in futuro præmia purissimis oculis intuendo, gratias cum immense gaudio spiritus noster instigatur infundere. Ex quibus quatuor speciebus solent occasiones supplicationum pinguium generari, nam et de obsecrationis specie, quæ de compunctione nascitur peccatorum, et de orationis statu quæ de fiducia oblationum et

Digitized by Google

consummatione futurorum pro conscientiæ profluit puritate et de postulatione, quæ de charitatis ardore procedit, et de gratiarum actione, quæ beneficiorum ac magnitudinis ac pietatis ejus consideratione generatur, ferventissimas sæpissime novimus preces ignitasque prodire, ita ut consistat omnes has quas prædiximus species omnibus hominibus utiles ac necessarias inveniri, ut in uno eodemque viro nunc quidem obsecrationum, nunc autem orationum, nunc postulationum puras ac ferventissimas supplicationes variatosque emittat affectus : tamen prima incipientibus videtur peculiarius pertinere qui adhuc vitiorum suorum aculeis, ac memoria remordentur ; secunda ad illos qui in provectu jam spiritali et appetitu virtutum quadam mentis sublimitate consistunt. Tertia ad eos qui perfectionem votorum suorum operibus adimplentes intercedere pro aliis quoque consideratione fragilitatis eorum charitatis studio provocantur. Quarta ad illos qui jam pœnali conscientiæ spina de cordibus pulsa in sæcularibus jam munificentias Domini ac miserationes, quas vel in præterito tribuit, vel in præsentia largitur, vel præparat in futuro mente purissima retractantes, ad illam ignitam, et quæ ore omnium nec comprehendi nec exprimi potest, orationem ferventissimo corde raptantur, nonnunquam tamen mens, quæ in illum verum puritatis proficit affectum, atque in eo jam cœperit radicari, solet hæc omnia simul pariterque concipiens atque in modum cujusdam incomprehensibilis ac rapacissimæ flammæ cuncta pervolitans, ineffabiles ad Deum preces purissimi vigoris effundere, quas ipse spiritus interpellans gemitibus inenarrabilibus ignorantibus nobis mittit ad Deum, tanta scilicet in illius horæ momento concipiens, et ineffabiliter in supplicatione profundens, quanta non dicam ore percurrere profundens, sed ne ipsa quidem mente valeat alio tempore recordari, et inde est quod in qualibet mensura quis positus nonnunquam puras intentasque preces invenitur emittere, quia de illo primo et humili ordine, qui est super recordationem futuri judicii his, qui adhuc sub terroris est pœna, ac metu ex animis constitutus, ita ad horam compungitur ut non minore spiritus alacritate de obsecrationis pinguedine repleatur, quam ille qui per puritatem cordis sui munificentias Dei perlustrans atque percurrens ineffabili gaudio, lætitiaque resolvitur. Incipit enim secundum sententiam Domini plus diligere, qui sibimet ampliora cognoscit indulta. (*Amb.*) Nam quia dixit gratiarum actionem evidens est, quoniam habere possit differentiam ab oratione, quoniam aliter quidem postulationem habet illorum, quæ desunt in usu, gratiarum vero actio pro his, quæ jam præstita sunt efficitur, et pro quibus hæc fieri conveniat doceris. « Pro omnibus hominibus. » In commune pro omnibus debere eos sollicitos esse præcepit. Nam is qui pro omnibus hominibus hæc facere jubetur, evidens est quoniam et pro omnibus sollicitudinem expendere jubetur, deinde ad illa quæ summa esse videntur inter homines transit.

A « Pro regibus, inquit, et omnibus qui in sublimitate sunt. » Et ostendens quoniam et hoc lucrum sit eorum, « ut quietam, inquit, et tranquillam vitam agamus cum omni pietate et sobrietate. » Si enim, ut conveniens est, in pace illi deguerint, possibile est et nos tranquillitatem faciens pietati intendere, et vitæ sobrietati, et suadens illi ista sic facere, sicut ipse præcepit, communem pro omnibus hominibus sollicitudinem qui per totum orbem esse videntur, expendere et communia bona debere existimari, ea quæ universorum sunt. « Hoc autem est bonum et acceptum coram Salvatore nostro Deo. » Sufficienter suasit eos sic sapere, siquidem et Deo sic placet. Unde et probationem faciens, quod Deo ista placent adjicit, « qui omnes homines vult salvos fieri, et ad cognitionem veri-
B tatis venire. » Nam quia Deus de omnibus hominibus ista velit, nemo poterit contradicere. Evidens autem est, quoniam omnes vult salvari, quia et omnes tuetur, necessarium est ergo, ut nos ejus tuitionem erga omnes imitemur, si tamen ad plenum acceleramus similia sapere Deo, et omni ex parte ostendens adjicit. « Unus autem Deus est. » Hoc est, quia est omnium Dominus, non aliorum quidem est. Dominus, aliorum vero non est. Itaque non est possibile eum despicere aliquos, quasi alienos sibi existentes. « Unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. » (*Aug.*) Fallax itaque mediator, hoc est, Diabolus quo per secreta judicia Dei superbia hominum meretur illudi, unum cum hominibus habet, id est, peccatum, aliud videri vult habere cum Deo, ut quia car-
C nis mortalitate non tegitur, pro immortali se ostentet, sed quia « stipendium peccati mors est » (*Rom.* VI), hoc habet commune cum hominibus, unde simul damnentur in mortem. Verax autem mediator quem secreta tua misericordia, Domine, demonstrasti hominibus et misisti ut ejus exemplo etiam ipsam discerent humilitatem. Mediator ille Dei et hominum homo Christus Jesus inter mortales peccatores et immortalem Justum apparuit mortalis cum hominibus, justus cum Deo, ut quoniam stipendium justitiæ vita et pax est, per justitiam conjunctam Deo evacuaret mortem justificatorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem, hic demonstratus est antiquis sanctis, ut ita ipsi per fidem futuræ passionis ejus sicut nos per fidem præteritæ salvi
D fierent. In quantum enim homo, in tantum mediator, in quantum autem Verbum, non medius, qui æqualis Deo, et Deus apud Deum, et simul cum Spiritu sancto unus Deus. (*Ambr.*) Sed et ille mediator, qui nos homines Deo annititur copulare unus et iste est, et hinc homo secundum naturam existens. Opportune vel maxime hoc in loco hominem eum vocavit, ut et a natura ostenderet donationis communionem omnibus necessario id confitentibus, quoniam universitatis pars existens secundum naturam communem omnibus potest per similitudinem naturæ donationem præstare. Unde illud quasi jam in confessionem deductam hinc accipiens adjicit : « Qui dedit seipsum redemptionem pro omnibus testimonium tem-

Digitized by Google

poribus suis. » Nam et pro omnibus dedit seipsum, nec enim pro aliquibus mortem subire acquievit, sed omnibus volens in commune conferre beneficium, passionem suscipere est dignatus, secundum illud tempus, quo passus est, testimonium enim vocat passionem ipsam, temporibus vero suis dicit, ut asserat secundum illud tempus quo passus est, et quia per omnia necessariam esse ostendit illis, quod conveniat in commune de omnibus hominibus sollicitudinem impendere, eo quod et Deus omnibus curam adhibet. Nam et quod in commune sit omnium Dominus, et quod majus est, qui et ipse Christus similiter omnibus appropinquare videtur proprietate naturæ. Nam et omnibus præbuit beneficium, pro omnibus passionem suscipiens, comprobat vero illud de cætero etiam et de illis quæ secundum se sunt.

« In quo positus sum, inquit, ego prædicator et « Apostolus, veritatem dico, non mentior, doctor « gentium, in fide et veritate. » Pro his ergo et ego constitutus sum Apostolus, ut et ipsam doctrinam ad omnium hominum notitiam deferam, et omnes ad fidem Christi accedere faciam, per quem ista nobis retributa sunt, et quidem ad horum doctrinam et insinuationem gentium creatus sum Apostolus, ut dicat, omnium hominum qui in omni loco sunt. Bene ergo interposuit dicens, « veritatem dico, non mentior, » ita et confirmationem suam credi faceret, id quod dicebat. Nam quod dixit « in fide et veritate, » ut dicat quoniam pro his constitutus sum magister gentium, ita ut et fidem eos doceam et veritatem, sicque per omnia comprobans, quod necessario conveniat illis in idipsum venientibus pro omnibus facere orationem communem, omnibus provisionem ad similitudinem Dei facientibus, incipit de cætero disputare, quale eorum vult esse institutum, discernens eos secundum sexum, in quem viros dividens et mulieres, et primum quidem secundum ordinem convenienter de viris loquitur, causam explicans ob quam discrevit eos et quidem communes illis leges virtutum statuere annitescens, sicut ex subjectione poterimus id melius discere.

« Volo ergo viros orare in omni loco levantes pu- « ras manus, » sive secundum aliam editionem, « extollentes manus sanctas, sine ira et disceptatione. » Nam quod dixit, « in omni loco, » reddendum est illi dicto, quod dixit « extollentes sanctas manus : » hoc enim dicit, quoniam volo eorum tale esse institutum, ita ut semper orantes in quocunque loco orationem facere videntur, sanctas ad Deum extollant manus. Nam sanctas manus ab arbitrio evidens est eum dixisse, unde et interpretans quemadmodum extensio manuum possit esse sancta, adjicit, excepta ira et disceptatione, compendiose perfectam in his definit virtutem. Nam quod dixit, excepta ira, hoc est, neminem hominem odientes : quod autem dixit « disceptatione, » ut dicat, fideli mente minime dubitantes illa accipere quæ postulant, ex altero enim charitatem quæ erga proximum est visus est confirmasse, ex altero vero erga Deum. Sic quidem ille qui firmiter credit Deo quoniam dat nobis sine invidia quæcunque postulaverimus ab eo, consequens est et ut diligat illum ut pote bonorum largitorem. (*Isaac.*) Idcirco quidquid orantibus nobis nolumus, ut interrumpat orationem de adytis nostri pectoris excludere festinemus, ut ita illud Apostolicum possimus implere, « Sine intermissione orate, et in omni loco levantes puras manus sine ira et disceptatione : » alias namque mandatum istud perficere non valebimus, nisi mens nostra ab omnium vitiorum purificata contagione, virtutibus tantum, ut naturalibus bonis dedita, jugi omnipotentis Dei contemplatione pascatur. Hæc cum puritate, si dici potest, sensu mentis absorpto, a terreno situ ad spiritalem atque angelicam similitudinem reformatur, quidquid inserere cœperit, quidquid tractaverit, quidquid gerit, purissima atque sincerissima erit oratio. Deinde dicens de mulieribus adjicit. « Similiter autem et mulieres. » (*Amb.*) Bene autem dixit « similiter, » ostendens quoniam discrevit eas non hac ratione. Nam ista similiter et viris adesse et mulieribus cupit, sed et cæterorum causam de quibus vel maxime exhortare mulieres necessario videbatur. Unde et adjicit : « In habitu, ornatu cum verecundia et pudicitia. » Ornare se ipsas non inflexis crinibus auro aut margaritis, aut veste pretiosa, sed, quod decet mulieribus promittentibus Deum colere per opera bona. Per omnia hæc vult dicere, quoniam convenit et mulieres illorum ipsorum diligentiam habere dicentem mulieribus, quæ Deum colere nituntur, ita ut in ipsa specie vestimentorum, et verecundiam et pudicitiam simul ostendant. Hoc enim dicit, « in habitu, ornatu cum verecundia et sobrietate. » Non sibi a foris ornamentum imponere properent, ita ut solet fieri, ex auro aut margaritis, aut flexu crinium, aut pretiosa veste. Quoniam autem super hoc necessarium erat exhortari mulieres magis quam viros evidens est. Nam quod dixit per opera in operibus bonis, bona illi loco reddidit quod dixit, ornare seipsas, et sit dictum, non illis se debere ornari, quæ superius sunt memorata, sed bonis operibus, quod ornamentum decens est illis qui Deum colere se promittunt, bene illi ornamento bona opera contrasistit, evidenter multam habentia differentiam ad illa ornamenta : siquidem illa ornamenta vituperatione magis digna sunt, hoc vero ornamentum necessario laudem acquirit. Intendendum est autem in Apostoli sermonibus, quoniam in abdicationem contrariorum, illud quod deterius erat primum posuit dicens. « Non in tortis vel plexis crinibus, » et tunc adjecit cætera, dicens. « Auro et argento aut margaritis aut veste pretiosa. » Hoc autem et propter inconvenientem vanitatem interea evenit fieri, illud vero propter solum ornatum. Dicens vero hoc, quod vel maxime proprie ad exhortationem mulieribus pertinere existimabat, adjicit et aliud, quod illis quidem poterat dicere, viris autem nequaquam ad ea

Digitized by Google

rum similitudinem. « Mulier in silentio discat cum omni subjectione, » et evidentius dictum suum interpretans adjicit. « Mulierem autem docere non permitto, neque dominari super virum suum, sed esse in silentio. » Evidens est, quoniam hoc de statu illo adjicit, qui in commune fiebat, eo quod non conveniat eas in Ecclesia docere. Necessaria autem erat illo in tempore hujusmodi præceptio, quando et prophetiæ divina gratia dignæ existimabantur, ex quibus non modicam dicendi fiduciam in commune assequi videbantur. Unde et instruebantur necessario, ut non ad deturbationem Ecclesiæ spiritali gratia abuterentur, quæ infra domesticos parietis illud ostendere ad aliorum utilitatem debebant. De domestica enim conversatione eorum hæc statuere nequaquam patiebatur Paulus, neque vetabat mulieres, ut impios maritos suos ad pietatem vel invitarent, vel docerent, aut pios inconvenienter conversantes ad opera invitarent virtutum. Nam ubi erit, quod dictum est : « Unde enim scis, mulier, si virum salvum facias? (*I Cor.* VII). » Dicit ergo illa ob communem, ut dixi, ornatum : nam ad plenum illa quæ in commune conveniunt, plurima in epistolæ parte visus est dixisse. Unde et copiose ostendens, quod in communi congregatione non deceat mulieres docere, sed esse in silentio, et primam quidem probationem facit ex natura asserens. « Adam enim primus plasmatus est, deinde Eva. » (*Amb.*) Secundo de illis quæ acciderant. « Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricationem facta est. Et quidem seductus est et ille. » Sed quoniam in commune disputabat, discernens, quæ quidem a mulieribus fuissent peccata admissa, quæ vero a viris, bene illum quidem non fuisse seductum, hanc vere seductam, eo quod illius seductionis mulier causa exstitisse videbatur, quia in illam causam vertere nequaquam poterant, et ut ne videretur de genere mulierum pronuntiare, quasi inutile ad pietatem quia ritus ille et jus in omni genere mulierum pertinere videtur. Seducta est illa, id ipsum justitia et ratio depostulat in omnibus videri mulieribus. « Salvabitur autem per filiorum procreationem, si manserit in fide, et charitate, et sanctificatione, cum pudicitia. » Sed non origo est repellenda, per filiorum enim dicens procreationem, in subsequentibus id demonstrabit mulieribus, ostendens quod salute digna esse videtur progenies per eas mulieres quæ ad pietatem respiciunt, et permanent in fide et charitate. Nec non et sanctificatione viventes cum pudicitia, et diligentiam suæ adhibentes vitæ. Nam quod dixit « salvabitur per filiorum generationem. » Non de Eva dicit, sed de genere loquitur, eo quod et de genere disputans ad personas recurrit Adam et Evæ, inde probans quod non conveniat ad instar virorum etiam has sibi actum in commune vindicare, et ne incusatio generis esse videretur, illud quod de personis dicebatur, bene ostendit non esse adjectum genus, neque reprobans ad pietatem esse mulieres, quæ volunt diligentiam adhibere convenientium, ut dicat quod ad pietatem similiter recipiendæ sunt, sicut et viri, in communi vero congregatione posteriorem eas oportet locum tenere, et quod ita debeat fieri ex multis id negotiis comprobavit, sicque sexus Ecclesiam dividens, memoratus est, seorsum quidem virorum, seorsum vero mulierum. Ubi visus est communi exhortatione etiam ea dixisse quæ proprie mulieribus aptari possent, sicque communi exhortatione comprehendit omnes, qui ad Ecclesiam pertinent, qui enim virorum memoratus est et mulierum, evidens est quoniam omnes in idipsum conclusit. Exinde vero pergit ad ordinum divisiones, quia, ut dixi, communi omnia disputat utilitate, et ordinem ipsorum secundum divisionem memoratus est, ostendens quia quædam sunt, quæ hunc agere deceant, quæ vero illum, ita ut nihil minus esse videatur ex illis quæ pro communi utilitate fieri debent.

CAPUT III.

Docetur Timotheus ordinare gradus Ecclesiæ, tam quoad Episcopos quam diaconos, et uxores eorum, ponitur que ratio prædictorum.

« Fidele verbum. » (*Amb.*) Simile est dictum quod in Evangelio est expressum, « Amen, amen dico vobis, » sicut enim illud affirmatione dictum, et ob majorem positum firmitatem, sic et hoc est dictum, ut dicat vera est et credi digna est, « fidele verbum, » dicens : « Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. » Bene opus dixit, et non dignitatem. Nec enim dignitates sunt Ecclesiasticæ functiones, sed opus, eo quod unumquodque horum pro communi est utilitate constitutum, sive episcopatus, sive diaconia, sive aliquid aliud, qui enim creatur in hoc, evidens est indicium operis, cum producitur in medium, pro aliorum est necessitate et utilitate functionem assequens. (*Greg.*) Itaque Apostolus laudans desiderium, in pavorem vertit protinus, quod laudavit cum repente subjungit. « Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse. » Cumque virtutum necessaria subsequenter enumerat, quæ sit irreprehensibilitas ista manifestat, et favet ergo desiderio, et terret et præcepto, ac si aperte dicat, Laudo quod quæritis, sed prius discite quid quæratis, ne, dum vosmetipsos metiri negligitis, tanto fœdior vestra reprehensibilitas appareat, quanto et a cunctis conspici in honoris arce festinatis. Magnus enim regendi artifex favoribus impellit, terroribus retrahit, ut auditores suos et descripto irreprehensibilitatis culmine restringat a superbia, et officium laudando, quod quæritis, componat ad vitam. (*Amb.*) Digna est in hoc loco providentia beati Pauli, quoniam dixit nemo concupiscit, ut ne alia ratione omni reverentia damnata omnes ad id currere hortaretur. Mediam vero emisit vocem. « Si quis episcopatum desiderat, bonum opus concupiscit. » Solum hoc non dicens, quoniam ego desiderantem non prohibeo. Nam et optimum annititur opus, qui hoc concupiscit. Ostendo vero qualem esse convenit illum, qui ista assequi cupit : protinus etenim et ab ipso primordio sollicitos faciens eos et hoc ipsum quod dixit, quoniam operam

Digitized by Google

concupiscit bonam : docuit enim eos interim scire, quoniam opus episcopatus, et ad opus quoddam vocatus quia ad hoc vocatus, et quod necesse est eum cum sollicitudine implere. In timorem vero redigit majorem, ex illis dictis quæ subsequuntur. Eo quod et singillatim ea expressit, insinuans quibus virtutibus vitæ ornatus debet concupiscere episcopatum. Hoc enim erat suadere, ut intelligerent non esse concupiscendum : debere vero scire quemadmodum conveniat concupiscere pro ejus doctrina. Quid ergo? « Oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse. » Evidens quoniam irreprehensibilem dicens, non ad calumniatorum respiciens intentionem dixit, sed ad ejus intuens vitam. Nam nec ipse Paulus calumniatorum potuit evadere accusationem.

« Unius uxoris virum. » Hoc differentes quidam acceperunt : ridiculum vere est illud, quod quasi a pluribus observatur : si enim quidam pudice vivens secundam acceperit uxorem, talem in clero non recipiunt; si autem quidam vivens luxuriose unam legitime acceperit uxorem, is in clero et recipitur et producitur, et quidem cum in cæteris beatus Paulus evidenter annuerit secundas debere nuptias fieri. Omnis vero permixtio quæ præter legitimas nuptias habetur, evidens fornicatio est, et interim prætermitto illud, quod et post duas uxores legitimas palam acceptas et baptizant et in clero, eos indiscrete producunt, et quidem cum in cæteris id observare existimantur, quasi quia baptisma faciat eum non habuisse duas uxores. Frequenter autem hoc idem agunt, et de illis, qui sunt pravi arbitrii, existimantes se optime facere si baptizantes illum, qui vita vixit luxuriosa, ad functionem clericatus produxerint, qui nulla nec virtutum nec pietatis diligentia præditus unquam fuisse videtur. Ut autem silentio præteream baptismi causam, ob quam datur, ad quam rationem plurimi neque inspicere volunt. Illud vero conveniebat eis scire, quoniam beatus Paulus de civilitate illa disputat, secundum quam, ut idem opinatur, oportet vixisse episcopum, non de concessione peccatorum disputat, quæ per gratiam gignitur illis, qui baptisma perceperunt. Sicut autem hoc ita fieri optimum esse existimant, superflua est omnis legislatio Pauli, dum res admittat illum, qui, qualitercunque vixit, baptizari, et protinus in clerum produci, quod a Paulo quidem abdicatum est. Vult enim ut ille qui in episcopatum adducitur, testimonium suæ bonitatis ex præterita vita habere videatur, qui et per omne tempus vitæ suæ virtutum studiis inhæsit, aut certe pœnitentia mediante ostendit quoniam a deteriori vita ad meliorem statum transiit. Quod et melius cognoscere poterimus ex illis quæ subsequuntur. Fit etiam id et ad præsens a plurimis, quia id faciunt, quasi qui magnum aliquod agunt bonum. Quod ergo dixit unius uxoris virum, quidam sic intellexerunt, quod et ego magis verum accipio, eo quod illo in tempore multi erant qui in idipsum duas uxores habebant legitimas, quod et Moysaica lege facere eos licenter eveniebat. Multi vero unam legitimam habentes uxorem, non erant ea contenti : permiscebantur vero et aliis, sive ancillis suis, sive et aliis mulieribus, absolute lascivientes, quod et usque ad præsens fit, qui pudicitiæ diligentiam nullam volunt adhibere. Aiunt ergo Paulum id dixisse, ita ut ille qui ejusmodi est ad episcopatum producatur, qui uxorem accipiens pudice vivebat cum ea, contentus ea tantum et usque ad illam naturæ motus sit ejus, qui si sic vivens post amissionem primæ secundam legitime acceperit eodemque modo et cum illa vivere perstiterit, non debere prohiberi eum ad episcopatum transire secundum Pauli diffinitionem. Hoc dixerunt quidam a beato Paulo et definitum esse et statutum, quorum ego dictum valde respuo nec suadeor ab illis, quod is qui secundas nuptias similiter præcepit, illum qui post amissionem primæ secundam uxorem suo ordine accipit, ad episcopatum produci prohibeat, qui enim dixit. « Dico autem innuptis et viduis, » et simul conjungens, utriusque unam legem visus est deprompsisse. Evidens est quod unum, inquit, esse utriusque existimabat, quid enim differt secundum naturæ motum aut ad plenum non habuisse, aut habuisse quidem et amisisse et non habere? Non hujusmodi ratio magis in eventu consistit, quam ad propositum respicit : nam is qui habuit multo tempore convenientem sibi uxorem, potius utique est eam inquantum voluit, qui vero post exiguum tempus eamdem amisit, necessario ad secundas accedit nuptias, accidunt autem ista eventu potius quam directione arbitrii, quæ discutiens ad plenum beatus Paulus qui vel maxime in episcopatum producatur, de tali vita cognosci debere intulit. Nam et ridiculum est beatum Paulum legem constituere, non arbitrium, vel propositum probantem, sed ex eventu et ex accidenti discretionem facientem. Si autem quis dicat, quoniam de eventu et de accidenti exiguum quid curans Apostolus cum magna diligentia et scrupulositate de episcopis voluit statuere, quod deberent in tantum coire uxori, audiant quoniam secundum hanc rationem neque post baptisma illum qui talis est produci justa ratione patietur. Nec enim baptisma facit illum non duabus coisse uxoribus, aut apud homines facit existimare, quasi qui unam habuerit uxorem, multo amplius vero eum qui unam legitimam habet uxorem multis aliis luxuriose vivendo permixtus est, et manifestatus est talis vitæ fuisse ad episcopatum non debere perduci, licet secundum eorum verbum baptisma fuerit assecutus : si enim ille qui legitime duabus junctus uxoribus et propositi sui arbitrio pudice cum illis convixit, non debet in episcopatum recipi : ob scrupulositatem vero vitæ, multo amplius eum qui luxuriose vixit indecens est ad hoc produci eum, ea ratione qua baptisma assecutus est. Hæc quidem dicta sufficiant de illo quod dixit : « Unius uxoris virum. » Cujus interpretationem evidentius dicere ipsa sumus necessitate impulsi, consuetudinem illam quæ apud plurimos tenere videtur despicientes. Nam plenio

Digitized by Google

rem sensum Apostoli in subsequentibus manifestabimus ex ipsis sermonibus, vel maxime dictorum facientes probationem. Nam virtutis et æquitatis ratio postulat ut is qui de tali negotio loquitur, non consuetudinem æquitati anteponat, sed Pauli leges discutiat, et illa Deo aptet, quæ ei decent aptari, qui semper cum justitia, et non eventu aut accidenti universa solet probare, sed secundum propositum et arbitrium hominum unumquemque scit judicare. Nam et illa quæ baptismi sunt frequenter eventus fieri solent, aliter assecutus ob infirmitatem, aut ob aliam aliquando occasionem ab infantia baptismi gratiam; aliter vero post senectutem longævam, qui et per omne tempus vitæ suæ vixit luxuriose, tempore vero mortis baptismi gratiam assecutus; ille vero qui ab infantia baptisma assecutus, diligentiam virtutibus adhibuit plurimam, deliquit vero et aliqua, ut pote homo, et ut solet fieri incurrit etiam et in grave peccatum, infirmitate magis lapsus quam affectu animæ, ridiculum erit si idem ex eventu noceatur nullum juvamen ob bonorum assequens diligentiam, eo quod in infantia baptismatis gratiam est assecutus; iste vero quanquam nihil sustinuerit, pro quibus peccavit, adhuc et clarus in futura videbitur vita, et hoc cum nullam bonitatis habuerit diligentiam, quia ita evenit, ut in finem vitæ suæ baptisma assequeretur : sed hæc ab illis intelligi debent, qui nesciunt rationem ob quam baptisma datur, sed nec divinas voluerunt examinare scripturas, ex quibus discere poterant quoniam Simonem nihil adjuvabit baptismi donum propter propositi pravitatem Spiritu sancto in eo non requiescente; Latroni vero, ut in paradisi habitationem transiret, nullum attulit impedimentum, ob propositi ejus virtutem, ea ratione qua non fuerat baptisma assecutus. Dico autem hæc non ad destructionem baptismatis, sed propter eos qui sub occasione baptismatis incuriam multam inducere annituntur judicio justi Dei. Nam et baptisma magnum eo quod tantorum bonorum continet largitatem, et propositum uniuscujusque necessario judicatur ex Domino Deo, a quo, vel maxime et baptismi donatio multum suscipientibus illud potest conferre juvamen. Nec aquæ naturam, sed suscipientium fidei perfectam Dei liberalitatem in baptisma attrahere solet. Videamus autem et cætera quæ de episcopo dicit : « Sobrium. » Ita ut cum sollicitudine prospiciat illa quæ geri conveniunt. « Pudicum. » Necessario, eo quod in commune et virorum et mulierum constituitur doctor. « Ornatum. » Conversatione, motu, specie, per omnia ostendit qualem conveniat esse episcopum. « Hospitalem. » Conveniat esse episcopum hospitalem, non absolute dici peregrinorum omnium, sed illorum qui ejusdem fidei sunt, quos notos exstantes sibi ut suos suscipere debet cum summa diligentia. « Docibilem. » Hoc ejus opus, ut doceat homines, et virtutem et pietatem ; si autem ista docere nescierit, ignorare videtur illud, quod profitetur edocere, sed non solum illum dicit docibilem, qui longam potest prosecutionem verborum in Ecclesia facere, hoc et perpauci solent implere, sed qui potest qualicunque sermone et in commune et singillatim unumquemque dogmata pietatis instruere, tam pietatem, quam virtutem, et quibus modis implere debeant ista, ex quibus vel maxime augmentum illa assequi poterant. Si ista episcopus nescierit, nihil a cæteris differre videbitur, superfluam speciem doctoris in se simulans, denique et cito scribens inter cætera quæ de episcopo dicebat, ait : Quoniam oportet eum retinere id quod secundum doctrinam fidele verbum, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere, sic vult nihil deesse episcopo illorum quæ ad doctrinam pertinent. « Non vinolentum. » Jure id dicit, si enim et omni homini hoc necessarium est, multo magis episcopo, qui omni tempore paratus debet esse ad actum illorum, quæ fieri conveniunt. « Non percussorem. » Ne absolute, aut sine causa, aut assidua increpatione feriat quemquam. Vult eum cum modestia magis de singulis agere, sicut et in secunda Epistola dicit. Modestum eum oportere ad omnes, non recordantem malitiam, in mansuetudine docentem eos, qui resistunt, licet si increpare aliquando sit necessarium, videatur ab ipsa necessitate illud facere, et non arbitrii sui ferocitate. Denique dicit, sed modestum esse. « Non litigiosum. » His adjicit et aliud. « Non cupidum pecuniarum. » Hoc præ cæteris omnibus necessarium est episcopo, quod si illi hoc non adfuerit, nunquam diligentiam adhibet convenientium, eo quod cupiditas pecuniaria : multa enim facere impellit ex illis quæ fieri non conveniunt. « Domum bene regentem. » Hoc est dispensantem et diligentiam adhibentem, denique et ipsum regimen ostendens quid dicit adjecit, filios habentem in subjectione, cum omni pudicitia, e. bis consequenter adjicit. « Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Qui suos convenienter regere nescit, multo magis Ecclesiam regere vel docere minime poterit. Nam quod dixit, « filios habentem in subjectione, » non de arbitrio filiorum dicit, sed de patris sollicitudine, ita ut ipse acceleret pudice eos instituere, et subditos eos habere obtemperantes sibi, in quibus de convenientibus dat illis consilium, si autem patris tali existente arbitrio filii in deterius persistere voluerint, arbitrii sui pravitate, non patris culpa est, eo quod ad præsens de ejus proposito loquitur, ita ut erga suos sollicitudinem expendat, ut cum modestia et disciplina et gravitate instituantur: ex hoc ostendi potest, quoniam eodem modo et de omnibus erit sollicitus. Nam et filii Samuelis perspiciuntur quod amore pecuniæ perdiderint justitiam, et non utique Samuelem incusamus ob eorum tale propositum. « Non neophytum, ut ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli. » Valde fatue quidem hoc in loco existimaverunt neophytum dicere Apostolum illum, qui secundum ætatem est juvenis, quos conveniebat etiam, etsi nihil aliud,

Digitized by Google

saltem illud prospiscere, quoniam ipse Timotheus, cui hæc scribebat non modo juvenis erat, verum etiam et nimium juvenis, ita ut per hoc contemni posse videretur, scripsit ergo ei (*II Tim.* IV) : « Nemo juventutem tuam contemnat; » nam et ipse juvenis cum esset, in Apostolatum electus est, sicut in Actibus Apostolorum Lucas insinuat : sed neophytum dixit, aut illum qui nuper credidit, aut illum qui nuper baptismum est assecutus. Nam fidem plantationem vocat, sicut et scribens dicit, hoc est ego plantavi, ad fidem adduxi : et de baptismate similiter scribit (*Rom.* VIII). « Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, » de baptismate dicens, etenim non adeo erant ista Apostolorum tempore divisa, ut et crederent, et baptizarentur, eo quod illi, qui non erant baptizati, nec fideles tunc nuncupabantur. Unde et ex eadem consuetudine adhuc et præsens illi, qui baptizati sunt, fideles vocantur; plurimis vero in partibus neque Christianos vocans eos qui non perceperunt baptisma. Nam et Apostolus sic dicit : (*Ibid.*) « Si quis autem Christi spiritum non habet, hic non est ejus. » Evidens est quoniam spiritum non habet qui baptisma non percipit. Vult ergo eum qui in episcopatum producitur ex multo tempore fidelem esse et baptizatum, unde et multas causas dicit huic rei necessarias et valde dignas; adjecit vero primam causam dicens : « Ut ne elatus in judicium incidat diaboli. » Elatio enim dicitur, qui in illis, quæ sibi non adsunt, extollitur magna de se sapiens. Nuper ergo credens et baptismi gratiam potitus, et necdum sui propositi probationem præbens, neque secundum ordinem doctus de illis, quæ ad se conveniunt, si productus fuerit ad hoc, ut alios ipse doceat, ab ipsa ordinatione elatus magna desipiat, qui et quasi magister discere ab aliquo interdum non patietur, eo quod doctor sit ipse constitutus; docere autem nescit eo quod non primitus didicit. Elatus vero exstitit in illis quæ sibi secundum veritatem minime adsunt. Vane vero extollens se propter impositam magisterii speciem nihil differre videbitur diabolo, qui minister Dei creatus, quæ magna est de se sapere annisus, Dei sibi adsciscens et nomen et honorem, in illis se extollens, quæ sibi non adhærent justam judicis pœnam exspectat, ita ut manifestum sit ex his illud, quod superioribus dicebamus, quoniam Paulus per omnia propositi probationem requirit. Talem esse et episcopum volens, qui in opere propositi sui documenta præstare possit, quod baptismati adesse nequaquam potest : remissionem enim peccatorum baptisma præstat, si sic absolute excepto proposito et hoc pronuntiare sit cautum, virtutem vero non gestam non inoperatur. Deinde et aliam dicit causam quod oporteat virtutibus exercitatum eum esse per omnia erga pietatem qui in episcopatum est producendus. « Oporteat autem eum et bonum te- « stimonium habere de his qui foris sunt. Ut non in « opprobrium incidat et laqueum diaboli. » Ab his qui foris sunt edicens, illos putat, qui extra Ecclesiam sunt, apud quos necessario convenit integram eum debere opinionem habere, prout potest, docens pariter ut opinionis suæ diligentiam habeat. Nam quod dicit tale est, sunt aliquæ professiones quæ secundum se illum quidem, qui eam profitetur reprehensioni subdi efficiunt, ut puta publicanus aut caupo, aut leno, aut aliud aliquid, quam a plurimis vel reprehendi possit vel vituperari. Videmus etenim frequenter homines de aliquibus non bonam habere existimationem, ea ratione vitæ suæ opinionem maculis inusserunt, et ad plurimorum pervenit notitiam, quia aut luxuriose vixerunt, aut erga pecunias avari exstiterunt, aut mercatum exercere voluerunt ob injusta et turpia lucra. Hoc ergo vult dicere, si aliqui fuerint tales, qui ex antiqua vita et professione apud homines existimati sunt pravissimi exstitisse arbitrii, ejusmodi homines convenit devitare, ne in episcopatum producantur, licet videantur fideliter accessisse, et vitam suam studio meliorum illustrare, donec per longum tempus vitæ suæ et conversationis documenta demonstrarent, ita ut opinionem suam in melius illustrare apud illos qui extra Ecclesiam sunt videantur, quare, eo quod licet tibi fideli contemplatione, fide, vel baptismate videatur esse dignus, tamen præcedens vita adimit ei fiduciam apud eos qui extra Ecclesiam sunt, ita ut non modo juvare possit exteros, sed exprobrari ob vitæ suæ turpitudinem. Nam quod dixit, « ut ne in opprobrium incidat » adjicit et tertiam causam dicens, « et in laqueum diaboli. » Hæc causa præ cæteris alia est nulla ex parte infirmior illorum quæ ante dicta sunt, eo quod est cautum, non est tali homini aliorum committere diligentiam, et tantam ei repente præbere potestatem, quare quia adhuc vitæ et morum suorum necdum cautum præbuit documentum, et incertum est, utrum nihil simile pristinæ perficiat vitæ, diabolo multas adversus eum machinas inveniente, ut et iterum eum in antiquis præcipitet delictis, eo quod nuper adhuc a deterioribus recessisse videtur, et non potest sub alterius cura non pertinens in melius corrigi, eo quod ipse videtur aliorum potius sollicitudinem habere commissam; sic per omnia ostendit illum qui in episcopatum producitur probabilem debere esse, et virtutibus illis, quæ secundum pietatem sunt, ornatum. Nec enim ob solam fidem aut baptismi gratiam dignum habere eum existimari istius esse loci, nisi et vitæ et conversationis suæ fultus fuerit testimonio. Tres causas necessarias exposuit, quod ita conveniat fieri, unam quidem eo quod facile extollatur ab illa potestate, qua docere cæteros statuitur : alteram vero quod oporteat eum bonum testimonium habere ab illis, qui foris sunt, et tertiam quod non caute de eo possent conjicere, eo quod incertum est an in proposito meliore consistat, nec ne, et in antiqua recurrens sui deterior existat, sed studio meliorum illustretur. Hæc quidem dicta sunt a Paulo quæ viro divina credito gratia dici debuerant. Hi vero qui Pauli decretis superiores esse existimant, nihil ho-

Digitized by Google

rum perpendere volunt, sed plurimos in episcopatum producunt, nec vitam eorum antiquam, nec propositum examine suadentes, sed ad defensionem suam hoc solum proferunt, quod aut nuper crediderit, aut nuper sit baptizatus, sed si quis vult differentiam recognoscere illam, quæ inter Pauli decreta, interque horum habetur prudentiam, intendat causas, ob quas non sic fieri oportere Paulus instruxit, et tunc perspiciet decreti ejus utilitatem; examinet vero jam ipsis negotiis, et perspiciat, si non de illis qui hoc modo facti sunt episcopi, aut omnes causas istas inveniet, aut saltem unam ex illis reperiet, aut inveniet eos elatione immensa extolli, ita ut eos qui in eamdem sunt gratiam accersiti, nec similes sibi, nec dignos esse existiment, et hoc de illis qui semper vitam suam studiis optimis illustraverunt, et non discesserunt ab illo optimo proposito, quod in anteriorem vitam expendisse videbantur, et maxime ob cupiditatem pecuniarum, et quod omni ex parte coadunare properent pecunias, si tamen antea tales fuerunt, aut certe ab illis qui extra Ecclesiam sunt improperiis pulsentur, pro quibus ante non multum temporis cum professionis esset talis, aut talis, nullum vitæ suæ vel integritatis testimonium habentes quod possent talia augere aliis, et diligentiam adhibere sui præpositi. Evidens vero illud ex his quæ a nobis ante dicta sunt, quoniam B. Paulus eum, qui de prava vita ad meliorem vitam transiit, et opere ipso vitæ suæ documenta præbuerit, in Ecclesiasticam recipit functionem, non ob primam conversationem reprobans eum, sed pro secunda dignum esse existimans. Nam illum qui hujusmodi fuerit, necessario testimonium bonum subsequitur, ob vitæ ejus correctionem, quia in melius se sponte transtulit et opprobrium pristinæ vitæ suæ a se dispulit. Et non est pertimescendum ne facile redeat ulterius, qui arbitrio suo ab illis sponte discedere præhonoravit, optimum esse existimans ut meliorum curæ studeat, secundum hunc modum etiam B. Matthæum ex publicano electum fuisse inveniemus, et ipsum in apostolum invenimus transisse, eo quod pristina vita eorum nullum illis attulit impedimentum, qui hoc officium sumerent, eo quod et perfecto affectu meliorum studiis se illustraverunt. Diaconos similiter, opinatur quisquis usum divinarum Scripturarum ignorat, beatum Paulum presbyteros prætermisisse, sed non ita se res habet : illa enim quæ de episcopo in anterioribus dixit, etiam et de illis dicit, qui nunc nominantur presbyteri, eo quod antiquis temporibus utrisque his nominibus vocantur presbyteri, et hoc notabamus de Philippensibus scribentes in ea epistola, cum scribens Apostolus cœpisset et coepiscopis et cum diaconis dixit, evidens quia non erat possibile ut multi essent episcopi in una civitate. Melius autem quis cognoscere illud poterit ex illis quæ ad Titum scripsit Apostolus; dixit etenim « ut constituas per singulas civitates presbyteros, sicut ego tibi præcepi, » et dicens quales debeant ordinare adjicit, « oportet episcopum irreprehensibilem esse sicut Dei dispensatorem (*Tit.* 1). » Cum convenerit utique illi, ut presbyterum eum diceret : sed evidenter et episcopum et presbyterum nominavit; quæ autem sit causa non est justum eam silentio præterire, ob illam immutationem nominum, quæ ad præsens esse videtur, et qua ex causa discreta sunt nec nunc nomina et neque episcopus dici potest presbyter, neque presbyter unquam episcopi nuncupationem poterit sibi vindicare usquedum presbyter esse sistit. Antiquis etenim temporibus quando pietati studebant presbyteri, omni in loco ordinabantur, hoc quidem nomen contemplationis honoris accipientes, sicut et apud Judæos presbyteri dicebantur, qui populo præerant. Vocabantur autem et episcopi ab illo opere, quod et implere videbantur, eo quod considerare omnia quæ ad cultum pertinent pietatis fuerant constituti : ita ut universorum dispensationem haberent commissam. Nam et perfectam dispensationem et auctoritatem ecclesiastici ministerii ipsi tunc commissam habebant, et omnia regebantur pro eorum arbitrio. Hoc autem poterit quis et a Luca discere manifestius, qui in Actibus apostolorum (*Act.* x) inter cætera dicit misisse Paulum Ephesi, et evocasse presbyteros ad se, cujus etiam et exhortationem ad eos factam exponit, quia iisdem advenientibus fecisse videtur, in quibus Paulus ita disserit : « Attendite vobis et omni gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos ad regendam Ecclesiam Dei. » Evidens est quia quos ipse nominavit presbyteros, hos a Paulo episcopos accersitos denuntiavit, hi vero qui ordinationis nunc habent potestatem, qui nunc nominantur episcopi, non hujus ecclesiæ creabuntur episcopi, sed provincias integras, et in tempore regebant, apostolorum nomine nuncupati, sic universæ Asiæ Timotheum præposuit beatus Paulus, et Cretæ Titum. Evidens autem est quoniam et alios aliis provinciis per partes illidem præposuit, ita et unusquisque eorum integræ provinciæ sollicitudinem indeptus percurreret ecclesias universas, et ad ecclesiasticam functionem, ubi deerant clerici, ordinarent, et quæcunque causæ duræ apud illos accedebant, dissolvebant, eos simul et verbo doctrinæ corrigens, eos et durissima peccatorum delicta repropitians Deus, dissolvere per gratiam videbatur, ad plenum etiam omnia faciens illa, quæ conveniebat facere eum, qui præpositus idem ad hoc fuerat. Nam et universæ civitates tunc presbyteros, ut dixi, habebant, qui suas ecclesias singuli : qui vero nunc episcopi nominantur, illi tunc apostoli dicebantur. Quoniam vero per singulas civitates aut possessiones, qui ordinationem episcopatus susceperunt, et tunc quidem hoc modo ecclesiæ regebantur; quoniam vero pietas incrementum sumpsisse videtur, et repletæ sunt non modo civitates credentium, sed regiones. Beatis vero apostolis decedentibus, illi qui post illos ordinati sunt, ut præessent ecclesiis illis primis exæquari non poterant, ac-

Digitized by Google

que miraculorum testimonium par illis habere, sed et in multis aliis infirmiores illorum esse videbantur, grave existimaverunt apostolorum sibi vindicare nuncupationem ; diviserunt ergo ipsa nomina, et illis id est, presbyteris presbyterii nomen reliquerunt. Alii vero episcopi sunt nuncupati, hi, qui et ordinationis prædicti sunt potestate, ita ut plenissime iidem præpositos se ecclesiarum esse cognoscerent; facta sunt vero et ampliores episcopi causa sic depostulante. Postea vero et illis adjecti sunt, alii liberalitate eorum qui ordinationes faciebant. Imprimis enim per singulas provincias duo aut multum tres fiebant episcopi, quod et in partibus etiam occiduis non ante multi temporis spatium in plurimis provinciis custodire videbantur, in aliquibus vero et usque ad præsens id inveniet quis custoditum : tempore vero promovente non solum per civitates ordinati sunt, et per singula loca, in quibus nec adeo necessitas flagitabat, ut ad hanc functionem explendam ordinarentur. Et hæc quidem ad manifestationem sensus apostolicæ Scripturæ a nobis sunt dicta, ut et illa quæ dudum fuerat vel consuetudo, vel demutationis causa in apertum consisteret.

Intendendum vero est de cætero illis quæ de diaconibus dicit, cum evidens sit illud, quoniam illa quæ de episcopis dicta sunt, de illis qui tunc presbyteros gubernabant, ita ut essent tunc per singulas provincias singuli, nuncupantes voluit significari, quæ vel maxime conveniunt ad præsens, et cum omni diligentia observantur ab illis qui nunc episcopi nuncupantur, tanto intentius quanto majorem functionem commissam habere videntur. Quid ergo dicit? diaconos similiter illum ordinem propemodum, et in hoc loco servasse videtur, quem de mulieribus dixerat et viris. Nam et illa quæ de viris primitus dicens adjecit, « similiter autem et mulieres, » ostendens quoniam illa quæ virtutum sunt, commune ad eos vult pertinere. Hoc idem vero fecit et in hoc loco, dicens illa quæ tunc de episcopis dixerat qui nunc nominantur presbyteri, adjicit, « diaconos similiter, » hoc est universa quæ ad virtutem pertinent, similiter et his adesse cupio. Deinde adjicit. « Pudicos. » (*Ambr.*) Justa ratione eo quod mediatores quidem et ministri functionis sacerdotalis, non solum erga viros erant, sed et erga mulieres : necessario ergo eos tales esse conveniebat. « Non bilingues. » Et hoc justa dicit ratione, si enim deferunt illa, quæ mandantur a presbyteris sive viris, sive mulieribus ad quos admittuntur, justum est eos sincero arbitrio, sicut convenit, implere, quæ sibi dicuntur, et quæ per eos mandantes audiunt. Nam utilitatem decretorum beati Pauli unusquisque tunc evidenter perspicere poterit, si rebus ipsis una examinare voluerit. « Non multo vino deditos, non turpe lucrum spectantes. » Utraque enim hæc necessaria sunt diaconibus, sicut et presbyteris. Nam et in persona presbyterorum et ipsum posuit dicens non vinolentum, non cupidum pecuniarum. in eo autem dum dicit « similiter, » sufficienter visus est hoc ipsum significasse, quoniam per omnia illis communia esse illa quæ virtutum sunt oportere existimet: adjicit vero et aliqua specialiter dicens, ut magis magisque ipsius rei faceret confirmationem, deinde adjicit generaliter. « Habentes ministerium fidei in conscientia pura. » Compendiose illa, quæ deceant diaconos observare dixit, justum est, inquit, eos fidei ministerio ministrantes, ut dicat dogmata pietatis : mysterium enim sæpe vocat illud dogma, quod de Christo est, sicut et in hac epistola ex subsequentibus melius cognoscere poterimus, ut mundam conscientiam habeant in ea functione quam implere videntur. Inde adjicit : Et hi probentur primum, et sic ministrent sine crimine constituti. » Nam quod dixit ministrent, hoc est, producantur in diaconia, eo quod nec poterat fieri ut ministrarent, si non primum fuerint ordinati, sic videtur per omnia beatus Paulus de illo, qui in ministerio est producendus, scribere, ut bonum testimonium habeat ex præterita vita, non tamen absolute et fortuito ministerio producatur, deinde quia diaconos dixit, commune vero hoc nomen est etiam et mulieribus quæ in hoc opere producuntur, optime adjicit. « Mulieres similiter pudicas. » Non hoc vult dicere in hoc loco, quoniam convenit eos tales habere uxores, sed quoniam et mulieres, quæ diaconis officium implere statuuntur similes esse convenit, ut virtutis studio æque sint illustratæ. Nam et in loco hoc ideo adjecit, « Non accusatrices. » Eo quod necessario fieri soleat, ut cæteræ mulieres confidenter illis ea quæ de se sunt referant : necessario ergo dicit non debere eas esse accusatrices, ita ut non duplicent illa aliis, quæ a quibusdam illis dicuntur, ne ex hoc contentiones aliquas adnasci faciant aut divortia. « Sobrias. » Hoc est argutas, ita ut impleant cum velocitate omnia illa quæ a se fieri conveniunt, deinde plenarie dicit. « Fideles in omnibus. » Media vero interponens illa quæ de mulieribus diaconiæ officium fungentibus propter nominis dixerat communionem, ita ut ostenderet, quod vult similiter, et istas studiis virtutum intendere, deinde resumit prosecutionem illam quam de diaconibus in præcedentibus dixerat residua adjiciens. « Diaconi, inquit, sint unius uxoris viri : filios bene regentes et domos suas. » Compendiose idipsum dixit, quod in superioribus et de presbyteris dixerat, per omnia ostendens quoniam commune illis vult adesse studium virtutis, deinde quia infirmiores esse videntur presbyteris secundum gradum, ostendens quia in nulla parte minorantur ab illis, si secundum, ut conveniens est, suum officium implere voluerint, adjicit. « Qui enim bene ministraverint, gradum sibi bonum acquirunt, et multam fiduciam, quæ est in Christo Jesu. » Qui enim convenienter functionem suam impleverint, licet si in præsenti infirmioris gradus esse videantur, si provisores sibi in futuro optimi gradus existunt fiduciam plurimam assecuturi a Christo, bonum gradum non in præsenti sæculo dicit, nec dixisset gradum sibi bonum acquirerent, nam et diaconiæ gradus bonus est, sed dixisset utique majorem ; nunc autem adjiciens bonum, non

Digitized by Google

quia non bonus gradus diaconiæ, sed quoniam illum quidem gradum confitetur esse bonum, et juvans eos qui eum assequi voluerint. Nam non posse quemquam juvare, si non et illa quæ conscientiam nostram possent integram reservare consenserint nobis, et adjecit. « Et multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu. » Evidenter ostendit, quoniam de illis quæ tunc erunt dicit: vult enim eos docere, quia nullum detrimentum afferre poterit infirmior gradus illis qui digni inveniuntur magna et perfecta assequi bona, si tamen conscientia eorum, prout convenit, illibata ab illis ipsis fuerit custodita. Percurrens vero hoc modo etiam illis ordines qui functione habentur ecclesiastica, adjicit: « Hæc tibi scribo, spe« rans venire ad te cito, si autem tardavero, ut scias, « quemadmodum conveniat te in domo Dei conver« sari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firma« mentum veritatis. » De his, inquit, scripsi tibi, sperans vel maxime cito venire ad te, si vero evenerit me tardare, ut scias quæ te agere conveniant, et quomodo debeas Ecclesiam Dei regere. Optime autem adjecit, « Dei vivi. » Ita ut ostendat ex hoc Ecclesiæ dignitatem, illud vero est cognoscendum quoniam domum Dei Ecclesiam, non domum orationis dicit secundum plurimorum opinionem, sed fidelium congregationem, sicuti et Hebræis scribens dicit, « quæ domus sumus nos »: Unde « et columnam illam, et firmamentum veritatis » vocavit; eo quod in ea veritatis firmitas habeatur, eo quod Ecclesia est fidelium congregatio, in hac pietatis necesse dogma salvari, qui si secundum, ut conveniens, in fide permanserint, illibatum utique permanet dogma pietatis: si autem hi qui Ecclesiæ sunt a suo proposito aversi fuerint, necessario vacillabit, et dogmatis scrupulositas, eo quod secundum præsentem vitam veritatis cognitio apud homines esse perspicitur. Illud vero dictis nostris adjici dignum est, quoniam non convenit demirari se, quod neque subdiaconum, neque electorum memoriam Apostolus fecisse videtur: illis etenim gradibus functionum, qui in Ecclesia necessario habentur, isti postea magis sunt adjecti propter utilitatem ministerii, quod propter multitudinem credentium per alteros postea implere debere necessitas flagitavit. Unde nec ordinationem ante altare assequuntur, eo quod nec mysteriis ministrare statuuntur, sed alii quidem eorum lectionum officium implent: alii vero infra diaconum illa præparant, quæ ad diaconorum pertinent ministeria, nec non sollicitudinem implent luminariorum. Nam mysterii ministerium presbyteri implent, et diaconi soli: alii quidem eorum sacerdotale opus implentes, alii vero sacris ministrantes. Et hoc quidem signavimus ne aliquis existimet Paulum oblivione quadam eos minime memorasse quorum memores esse conveniebat. Intendendum vero est et sequentiæ narrationis. Nam Apostolus eo quod Ecclesiam « columnam et firmamentum veritatis » vocavit, optimum esse existimavit etiam dogmaticos interserere sermones, ut ostendat ipsam veritatem, quæ sit. Præparat vero Timotheum etiam et de illis disputare ad illos: dogmaticorum vero memoratus est verborum illorum quæ vel maxime tunc memorari necessitas ipsa flagitabat, propter quod ait:

« Et manifeste magnum est pietatis sacramentum sive mysterium. » Ut dicat dogma, hoc erat quod in superioribus significavimus, quoniam mysterium sæpe illud dogma dicit, quod de Christo est, eo quod deitas Unigeniti inerat in homine, et propter hoc facile non ad cognitionem poterat venire multorum. Nam et mysteria consueverunt non ab omnibus cognosci similiter, sic etiam et Corinthiis scribens dixit: « Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio quod absconditum est (*I Cor.* VII). » Evidenter de prædicatione illa quæ secundum Christum est dicens, et post pauca adjicit, « quoniam si cognovissent, non utique Dominum gloriæ crucifixissent, » etiam hoc in loco. « Manifeste, inquit, magnum pietatis mysterium, » hoc non est dubium. Nam et habebat ex ipsis rebus indubiam probationem unde et adjicit: « Quod manifestum est in carne. » Hoc est, pietatis delectus ministerio, eo quod sit magnum et supereminens, quoniam is qui invisibilis est Deus, Verbum, Unigenitus Patris manifestavit se hominibus, in carne apparens pro communi omnium salute. Optime autem hoc in loco non dixit in homine, sed in carne: et quidem in superioribus evidenter dixerat. « Quoniam mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, » eo quod hoc erat, quod tunc dubie suscipiebamus, et hac de causa ad ista verba, descendere est compulsus. Nam illo in tempore contra pietatis doctrinam dogma si minus magis pullulare videbatur, quod dogma universa ista quæ videntur ob opificationem Dei alienare tentabat, propter hoc etiam carnis denegabat factam fuisse assumptionem: dicebat enim phantasmate solo Dominum apparuisse in carne, ita ut non videretur caro tali ratione, honore et diligentia digna videri: siquidem et in habitatione divina digna fuerit, deinde dicens, « qui manifestatus est in carne, » quod de Deo dici jure videbatur. Nam illa erat divinitas, quæ in carne Christi fuerat visa; transit et ad illa quæ de homine dici poterant, ut ampliore sermonum prosecutione confirmaret illud quod tunc vocabatur in dubium. « Justificatum est in spiritu. » Evidens hoc, quoniam ad deitatem nequaquam potest pertinere: humanæ vero naturæ evidenter potest aptari, qui et spiritus inhabitationem in baptismate accepit. Quando et in specie columbæ super illum venit: sed a spiritu in solitudinem ductus est, ut contra diabolum in agone decertaret; et in spiritu Dei ejiciebat dæmones, sicut ipse in Evangeliis dicit, et ad plenum illa quæ secundum inhabitantem in se spiritum gratiæ pro nostra expediebat salute. Primitiæ quidem salutis nostræ erant illa, quæ secundum Christum celebrantur. Unde et spiritus ad perfectionem omnium suscipit bonorum inhabitationem Dei Verbi, eo quod et nobis participatione spiritus omnium bonorum causa acquiritur, sive in præsenti sæculo, sive in futuro. Et illud non est miran-

Digitized by Google

dum si quasi de eodem ipso disputans de deitatis sermonibus ad humanitatem transisse videatur. Consuetudo hæc est divinarum Scripturarum, sicut non solum in apostolica interpretatione id ostendimus, sed et in Evangeliorum interpretatione videntibus his demonstravimus. « Apparuit angelis. » Hoc est perspicuus angelis factus est. Hoc enim dicit « apparuit, » ut ostendat quemadmodum magnitudo ejus et angelis existeret mirabilis. « Prædicatum est in gentibus. » Annuntiatus est, inquit, hominibus, deinde quod majus est : « Creditum est in mundo. » Nihil enim magnum erat quod prædicabatur secundum se, si non et fides auditorum subsecuta fuisset. Hoc autem dicebat magnitudinis ejus sufficientem probationem, eo quod homines qui in omnibus locis erant susciperent de eo fidem, qui nunquam paterentur cum consensu credere illis, quæ de eo dicebantur, si non rebus ipsis, de his quæ dicebantur, testimonium satisfactione percepissent. « Assumptus est in gloria. » Dicit enim de illa assumptione, qua de hominibus assumptus est. In ultimo autem illud posuit, quasi quia sufficiens esset ad fidem eos invitare, eo quod et angelis fuerit factus perspicuus et hominibus prædicatus, fide sit ab illis susceptus. Hæc de Christo dicens, quasi quia et necessarie, et cognosci et custodiri debeant, nec a veritate dimoveri : si tamen firma et non absolute horum confessio apud fideles permanserit.

CAPUT IV.

Excludit Apostolus modum docendi erroneum, et verum ponit docendi modum.

« Spiritus autem manifeste dicit, quoniam in « novissimis temporibus discedent quidam a fide, « attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmo- « niorum, in hypocrisi loquentium mendacium, cau- « teriatam habentium conscientiam, prohibentium « nubere, abstinere a cibis, » et cætera. (*Greg.*) Nam sunt nonnulli, qui ita virginitati carnis student, ut nuptias damnent : et sunt nonnulli qui ita abstinentiam laudant, ut sumentes alimenta necessaria detestentur, de quibus per Paulum dicitur : « Prohi- « bentium nubere, abstinere a cibis quos Deus crea- « vit ad percipiendum cum gratiarum actione fide- « libus. » Quia ergo eos a carnali intentione suæ superstitionis revocat, hæretici cum hos aspiciunt aliter vivere quam docuerunt, lacertos eorum ab operatione quam prius tenuerunt comminutos esse, ab Ecclesia testantur. Unde et in hoc tempore disciplinæ, si quid ei adversitatis evenerit, hoc evenisse ex digna peccatorum retributione suspicantur. (*Amb.*) Evidens quidem quoniam hæc dicit beatus Paulus, non quia tunc jam apud aliquos cœperant ista profiteri, sed quod postea ista erant ab hominibus principium sumptura. Nam et ista eo spiritu cognovisse designavit, et quod in novissimis temporibus sint futura, pronuntiavit. Conjunxit vero ea illis sermonibus, quæ de Christo fuerant dicta, non absolute, sed quoniam illos ipsos sciebat tales esse futuros, qui et nuptias et escas erant adempturi, simul negantes, et quod suscepta fuerit caro a Deo verbo. Optime ergo ea cum illis complexus est, ut videretur insistere ex utroque latere, quasi adversus unum propositum. Nam et Manichæos et Marcionistas, et eos qui de Valentiniani sunt hæresi, et omnes qui ejusmodi sunt similiter quis perspiciet, et nuptias damnare, et escarum usum quasi inhonestum criminari, et quod annitantur ostendere carnem a Deo non fuisse susceptam. Intendendum vero quemadmodum amarissime memoratus eorum, et ut vehementer instituat de illis, qui ista docere in novissimis temporibus incipient spirituum malignorum seductiones eas esse dicens, et doctrinas dæmoniorum vocans illas, sic gravem horum professionem esse existimabat. Bene autem quoniam dixit, « in hypocrisi loquentium mendacium. » Nam omnes isti Christianos se esse simulant, et doctrina sua majorem se tenere promittunt castitatem, multum vero pietatis contra eos qui sibi obtemperant de Christo docere annituntur. Omnia vero illa quæ luxuriæ sunt plena, quæ et omnem in se continent pravitatem, ipsi inter se agere cum omni properent sollicitudine, quæ in primis ad plenum silere videntur. At ubi per illam quam ineunt simulationem aliquem instanter suadere sibi per omnia fecerunt, tunc illa sermonibus quibusdam adducunt in medium suadentes, ut illa peragant, quasi pietatis opera perficientes, quæ omni sunt spurcitiæ plena. Et hoc inveniet quis, si illa omnia quæ prædicta sunt, cautissime considerare voluerit, licet non facile possint deprehendi, eo quod latere plurimos super talibus operibus annituntur. Consequenter autem adjecit, « cauteriatam habentium suam ipsorum conscientiam, » qui enim de castitate simulant, omnem spurcitiam in se perpetrare inveniuntur. Evidens est quoniam talia facientes non integritatem possunt habere, contraria enim specie suorum sermonum sibi ipsi conscii sunt, quæ et in se exercent et alios docent. Evidens autem quod dixit prohibentium nubere abstinere a cibis, ostendens quoniam non nubere, aut non sumere escas crimine dignum est, sed quod lege ista prohibere annitantur : ex arbitrio enim continere se aliquem ab istis non est inconveniens. Nam prohibere de his necessitatis est potius, non propositi, quod similiter dicere non potest, quoniam ubi propositum est ibi continentia, ista vero evidens execratio est. Notandum vero est in eo, quod dixit, « abstinere a cibis, » sicuti et imperfectionem notabimus eo quod nullam diligentiam eloquentiæ faciat multa dicens imperfecte. Nam et hoc in loco quod dixit, « prohibentium, » quasi per necessitatem illud fieri accipiens, sequentiam illorum reliquit imperfectam, quasi hinc possit etiam illud cognosci quo incusat eos qui cogunt abstinere a cibis, deinde dicens etiam sententiam quam et accusat, quia in ultimo erit apud homines, adjicit probationem, quod non convenienter ista proponant. « Quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione. « Nam et valdo

Digitized by Google

inconveniens erat Deum illa ad hoc facientem lege ab eorum usu homines prohibere. Necessario vero adjecit « cum gratiarum actione, dicens, ita ut et modus adjectus esse videatur ipsius usus secundum quæ facta sunt, sufficienter comprobans pravitatem prohibentium, si enim gratias agere Deo bonum est pro escis, impium est incusare eas, nullam de cætero gratiarum actionem subrelinquentes illis, qui ita eas sibi tributas esse existimant. Nam is qui ad hoc facta illa a Deo confitetur, licet contineat se suo proposito, tamen cognoscit quod conveniat de illis Deo gratias agere; et arbitrii eorum pravitatem latius explicans adjecit : « Fidelibus et his qui cognoverunt veritatem. » Non dixit absolute hominibus omnibus, similiter de usu escarum propositum esse videtur, eo quod ita eas universitatis fecerit Deus, sed ut majorem ostendat pravitatem eorum qui ita de escis sentiunt; siquidem et alia dicere usurpant de illis, quorum vel maxime usus omnibus videtur esse et necessarius et aptus. Accusat vero eos gravius adjiciens « cum gratiarum actione. » Nam ideo factæ sunt escæ, ut cum gratiarum actione unusquisque eas sumat : etenim justum est eos qui fruuntur illis gratias agere ei qui eas largiri dignatus est, sed hoc non de omnibus dicit, sed de solis fidelibus loquitur : nam infideles nec gratiarum actionem reddere sciunt. Itaque etsi pro ratione opificationis in commune omnibus usus escarum propositus esse videtur, sed ut oportet, convenienter fieri fidelibus magis videtur posse aptari. Multam ergo pravitatem eorum per hoc ostendit, qui cum gratias agere deberent pro largita sibi requie, utrum insumant eas, utrum se ab eis contineant, utpote fideles; e contrario incusant escas et quod non sint bene factæ et usum carum lege annitantur abdicare. Deinde dicens quia a Deo factæ sunt, consequenter adjecit : « Quia omnis creatura Dei bona et nihil rejiciendum. » Quemadmodum, inquit, incusatione dignum non possit videri illud quod a Deo factum est, bene autem generaliter illud dixit : « Quoniam omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum. » Omnia autem utilia sunt, itaque et illa quæ in usum escæ data sunt, non sunt rejicienda, sed potius recipienda, eo quod a Deo sint ad hoc facta. (*Theoph.*) Si enim tali sensu ac proposito jejunemus, ut peccatum contrahi in escarum participatione credamus, non modo nullos fructus pro abstinentia consequimur, sed etiam reatum maximum ac sacrilegii crimen secundum Apostolum contrahimus, abstinentes a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et his qui cognoverunt veritatem quia « omnis creatura Dei bona et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. » Qui enim putat quid commune esse, illi commune est, et idcirco ob solam perceptionem escæ neminem legimus condemnatum, nisi forte junctum quid fuerit, vel postea subsecutum, per quod meruerit condemnari. (*Ambr.*) Adjecit autem iterum et modum, secundum quem oportet easdem escas insumere. « Quod cum gratiarum actione percipitur. » Deinde adjecit, et quod ex illis lucrum possit adnasci. « Sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem. » Nam in sumptione escarum, quando cum gratiarum efficitur actione jam non communem escam facit participare, sed sanctam : in eo etenim dum gratiæ aguntur Deo, etiam escæ sanctificantur. Sic ad dogmaticos egressus sermones, ad confirmationem veritatis illos interserens, quorum et firmamentum Ecclesiam esse asseruit, dixitque illa vel maxime quæ tunc maxime dici oporterent, pro commotis tunc quæstionibus, ita ut Timotheus frequenter de his doctrinam faceret ad fideles, ideo illum his verbis admonet : « Hæc proponens fratribus bonus eris minister Christi Jesu. » Eris, inquit, minister Christi probabilis, si hæc cum sollicitudine eos, qui fide nobis juncti sunt, docueris, et ostendens simul quia et ipsi utilis sit hujusmodi sollicitudo ait : « Enutritus verbis fidei et bonæ doctrinæ quam assecutus es. » Proficiet, inquit, hoc et tibi in melius; nam quando cum debita sollicitudine docere alios illa quæ fidei sunt anniteris, majorem firmitatem ipse eorum acquiris, quasi qui et assidua meditatione nutriaris illis, ostendere volens quod aptum sit illi ut assidue alios doceat, quod secutus est, quasi diceret : Hæc quæ frequenter et audisti et didicisti semper mecum degens, hæc justum est te docere et alios, exhortans vero eum in hisce dictis sufficienter, ut doctrinæ immineant cum omni sollicitudine, dehortatur eum pariter ne illis quæ contraria sunt vel leviter intendant.

« Ineptas autem et aniles fabulas devita. » Hoc vel maxime præ cæteris commodo dictum est ab Apostolo, si igitur quis libris apocryphis intendere voluerit, illos quos habere videntur illi, qui ista dogmata profitentur, nomine quidem beatissimorum editos apostolorum, dæmoniacorum vero hominum conscriptione repletos, perspiciet dictorum Pauli commoditatem : ita autem et omnes profani sunt sermones illi, et aniles fabulæ, quæ in illis libris inseruntur, imo et fabulis anilibus plus sunt exsecrabiles, spurcitias enim et immunditias continent, quæ nec aures hominum sustinere potuerunt. Hæc vero super dehonorationem illorum quæ ab adversariis conficta sunt commode dicens, et consequenter præcedentibus, adjecit iterum. « Exerce teipsum ad pietatem. » In prioribus ait, doce ista cum debita sollicitudine : adjuvabit autem frequens eorum meditatio non solum eos, sed et te et quia interjecit illa, in illis sermonibus quos in dehortationem adversariorum fecerat, ad illa ipsa redit. Bene vero exercitationem pietatis diligentiam dixit esse doctrinæ, qua alios ita instruere deproperat, ita ut sit exercitatio pietatis ei, qui pietatis exsequitur opera; exercitationem vero dicit, ut allos cum omni diligentia ista instruat. Frequens autem meditatio pietatis labore solet exerceri, et quoniam exercitationem illam quasi ad corporalem agonem dixit ex comparatione illius ostendit illius differentiam, et ait : « Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad

Digitized by Google

omnia utilis est. Promissiones habens vitæ præsentis et futuræ. » Qui enim in agone sunt corporali, et ad hoc scipsos exercent usque in præsentem vitam, inde solent habere solatium. Nam pietatis agon et istius exercitatio ex multis partibus nobis magnum præbet juvamentum, promittitque nobis in futuro sæculo magna præbere : nam secundum præsentem vitam conferre nobis non minima potest. Quod vero dixit vitam præsentem, sic dixit, quod si pii etiam aliquando necessitatem sustinuerunt, plurimum juvamen etiam secundum præsentem vitam assequuntur. (*Moyses.*) Pietas autem quæ sine dubio charitas intelligitur, ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ. Quæ ergo dicitur ad modicum esse utilis, manifeste pronuntiatur nec per omne tempus exerceri, nec summam perfectionis per se solam laboranti posse conferre : modicum quippe ad utrumque referri potest, id est vel ad brevitatem temporis, quod scilicet homini tam in præsenti quam in futuro exercitatio corporalis ceterorum esse non possit; vel certe ad parvitatem utilitatis, quæ de carnali exercitatione conquiritur, eo quod afflictio corporalis initia quædam profectus, non ipsam perfectionem pariat charitatis, quæ promissionem habet vitæ et præsentis et futuræ; et idcirco exercitia operum prædictorum necessaria esse censemus, quia sine ipsis ad charitatis fastigia non posset ascendi. Hæc etiam quæ dicitis opera pietatis ac misericordiæ necessaria sunt in hoc tempore, dum adhuc inæqualis diversitas dominatur, quorum ne hic exspectarentur operationes, nisi inopum, indigentium, infirmorumque pars maxima redundaret, quæ iniquitate hominum facta est, eorum scilicet, qui ea quæ omnibus a communi Creatore concessa sunt, in suos tantum occupant usus, nec tamen utenda tenuerunt; donec ergo in hoc mundo inæqualitas ista grassetur, erit hæc actio necessario utilis exercenti, restituens quidem bono affectui et piæ voluntati retributionem hæreditatis æternæ, ipsa vero in futuro sæculo paritate regnante cessabit; cum jam non fuerit inæqualitas, propter quam hæc debeant exerceri, sed cuncti ab hac multiplici, id est, actuali operatione ad charitatem Dei et divinarum rerum contemplationem perpetua cordis puritate transibunt.

« Fidelis sermo, et omni acceptione dignus. » (*Ambr.*) Hoc est, vera hæc dixit, quæ nullam dubitationem suscipere poterant, eo quod pietas suis sectatoribus multorum bonorum largitatem præstare videtur, et post confirmationem suorum dictorum, iterum ad sequentiam exhortationis suæ convertitur, et ait : « In hoc laboramus, et maledicimur, quia « speravimus in Deum vivum, qui est Salvator om- « nium hominum maxime fidelium. » Itaque cum pietas multa bona possit providere, et mirum est, nos qui credimus Deo semper exstanti, pro ea et laborare et exprobrari pro quo, et pati optimum est, eo quod scit omnes salvare sua bonitate, fidelibus vero ob alacritatem animæ eorum etiam multas scit præstare mercedes. Et quoniam per omnia ostendit, necessarium esse horum studium et ut exerceantur ad pietatem cæteros docentes, resumit præpositam exhortationem et adjicit : « Præcipe hæc et doce. » Non absolute posuit præcipe, sed quod conveniat eum instanter insistere, si quando res ipsa eum id facere compulerit. Deinde quia juvenis erat, et videbatur ætas ipsa a plurimis contemni, adjecit : « Nemo adolescentiam tuam contemnat. » Idem, noli autem propter ætatem pusillanimis esse, neque caveas, quin cum auctoritate doceas, eo quod ad hoc sis in juventute electus. Admirabilis vero est adjectio quam adjecit dicens : « Sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. » Ad ætatem, inquit, tuam noli respicere, diligentiam vero adhibe horum, ut dicas et agas illa, quæ dici oportet, ut secundum quod decet conversentur, ut charitatem eam quæ erga omnes est teneant, ut firmi sint in fide, ut pudicitiæ diligentiam adhibeant, ita ut et ipse formam te præbeas fidelibus, pro quibus vitam regis tuam, instruens quemadmodum conveniat conversari, ita ut ex ipsis actibus tuis testimonium vitæ tuæ illis præbeas. Noli dignitatem doctrinæ ætati dimittere tuæ, cum fiducia vero omnia dicere properato. (*Greg.*) « Præcipe, inquit, hæc, et doce cum omni imperio, » non dominationem potentiæ, sed auctoritatem suadet vitæ : cum imperio quippe docetur, quod prius agitur, quam dicatur. Nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Non ergo ei potestatem datæ locutionis, sed bonæ fiduciam insinuavit actionis. Unde etiam de Domino scriptum est : « Erat enim docens sicut potestatem habens, non sicut scribæ et Pharisæi (*Marc.* 1). » Singulariter namque et principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate mala nulla commisit; ex divinitatis quippe potentia habuit id quod nobis per humanitatis suæ innocentiam ministravit : nos enim quia infirmi homines sumus, cum de Deo hominibus loquimur, debemus primum meminisse quod sumus, ut ex propria infirmitate pensemus quod docendi ordine infirmis fratribus consulamus. Consideremus igitur, quia aut tales sumus, quales nonnullos corrigimus, aut tales aliquando fuimus, etsi jam divina gratia operante non sumus : ut tanto temperantius corde humili corrigamus, quanto nosmetipsos verius in his quos emendamus agnoscimus, si autem tales nec sumus, nec fuimus, quales adhuc illi sunt, quos emendare cupimus, ne cor nostrum forte superbiat, et de ipsa innocentia pejus ruat, quorum mala corrigimus alia, eorum bona nobis ante oculos revocemus, quæ si omnino nulla sunt ad occulta Dei judicia recurramus : quia sicut nos nullis meritis hoc ipsum bonum quod habemus accepimus, ita illis quoque potest gratia supernæ virtutis infundere, ut excitari posterius etiam ipsa possint bona quæ nos ante accepimus pervenire. Quis enim crederet quod per apostolatus meritum Saulus lapidatum Stephanum præcessurus erat, qui in morte ejus la-

Digitized by Google

pidantium vestimenta servabat? his ergo primum cogitationibus humiliari cor debet, et tunc demum delinquentium iniquitas increpari. Deinde ex generalitate eum exhortans de his quæ sibi conveniunt adjicit : « Dum venio attende lectioni et exhortationi et « doctrinæ. » (*Ambr.*) Et sollicitudinem impende erga lectionem, ut discere possis, quæ te et facere, et alios doccre conveniat, ut assiduitate lectionum teipsum instruens insistere possis doctrinæ et exhortationi, non dicit enim absolute narrationem, sed exhortationem sive collationem, illam commotionem quæ ex aliquibus accedentibus fieri solet, quam interdum et in communi facere est necesse vel maxime cum illam narrationem inciderimus, quam singulis exponere res ipsa compellat. Permanere vero in doctrina et exhortatione diligenti suadens placabilitate, adjicit : « Noli negligere gratiam quæ in te est. » Nam et sufficienter poterat ei persuadere, ut cum sollicitudine doctrinæ opus impleret, eo quod ad divinam donationem ab hac ipsa causa dignus fuerit assequi unde et amplius datum ipsum augere cupiens, ut magis magisque eum adhortaretur, adjicit : « Quæ data est tibi per prophetiam cum impositione « manus presbyterii. » Nam et donum divinum propter hoc assecutus es, per revelationem illud accipiens, per, inquam, impositionem manuum plurimorum et hoc non vilissimorum, qui in tua ordinatione ipsi gratiæ visi sunt ministrasse. Itaque omni ex parte, non est auctum tibi, ut negligas illa quæ tibi sunt injuncta, sive propter revelationem, cum qua ea assecutus es, sive ob dignationem eorum qui ob hoc ipsum ministrantes manus tibi imposuerunt. Presbyteros vero hoc in loco non eos nominavit, qui nunc nominantur presbyteri : nec autem res admittebat istos manus imponere ad ordinationem ipsius functionis, sed apostolorum dicit conventum, qui aderat apostolo Paulo, et cum eo manus imponebant in ejus ordinationem. Presbyterium autem illud nominavit, contemplatione honoris, ista vero consuetudine etiam nunc agunt usque huc, ut in episcoporum ordinatione non unus, sed plurimi et hujusmodi ordinationem impleant, deinde et persistens in præbendo consilio, adjicit : « Hæc meditare, in his esto, ut « profectus tuus manifestus sit omnibus, attende « tibi et doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens et « teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt. » Et per omnia illud dicit, quoniam conveniat te tuam ipsius diligentiam habere, ac virtutibus illustrare, ita ut et ante omnia lectionibus intendas, et doctrinæ opus cum omni expedias sollicitudine, sic enim tibi ipsi et aliis multis eris bonitatis provisor, et quoniam de his consummavit exhortationem plurimis eam sermonibus explens scribit de cætero et qualem eum esse erga singulos conveniat.

CAPUT V.

Instruit Apostolus Timotheum de senioribus, juvenibus et viduis ; docet quæ veræ viduæ sint, ac loquitur de provisione ministrorum Ecclesiæ, etc.

« Seniorem ne increpueris, sed obsecra, ut patrem. » (*Ambr.*) Seniorem dicit, non secundum ordinationis rationem, sed secundum ætatem, hoc est, senem, ut dicat, senibus noli acerbus videri, sed cum modestia illis loquere, quasi patribus tuis. « Juvenes ut fratres. » In commune posuit illud quod dixerat, « obsecra, » vult enim dicere, nulli inveharis neque sis acerbus aut amarus : clementer vero et benigne erga omnes tuum exhibe affectum, longævos quasi patres diligens, juniores ut fratres, et quia ista de viris dixerat, volens ostendere quoniam paternum affectum convenit eum habere erga viros et erga mulieres, transit ad illam partem paria dicens : « Anus ut matres, » erga mulieres, inquit, talem te exhibe ut seniores earum matres tuas esse existimes. Deinde et de novellis similia dicens, adjicit : « Juvenculas ut sorores cum omni castitate. » Et has, inquit, sicut sorores proprias dilige, divisionem sexuum per ætatem fieri debere probavit, et quidem cum possit illa, magis et absolute et in communi dicere, sed hoc fecit, ut per partes ostenderet, quoniam similiter eum vult erga omnes tam viros, quam mulieres affectum ostendere suum sive senes sint, sive juvenes. Optime autem non solum secundum sexum viros et mulieres divisit, sed etiam et secundum ætates, quæ proprietate naturæ accidere solent. Unde et nomina secundum ætatem memoratus est, ita ut longævos quidem more parentum affectaret, juvenes vero more fratrum, et ut augeret ejus affectum in melius simile aliquid dixit illorum, quæ Dominus dixerat ad illum, qui sibi nuntiaverat, quoniam mater tua et fratres tui exspectant foris, respondit : « Mater, inquit, mea et fratres hi sunt, qui faciunt verbum meum ; » sic et ipse in eodem ordine fideles eum habere præcepit. Intendendum vero est illi cautelæ, quemadmodum de adolescentibus mulieribus loquens posuerit, « tanquam sorores, » et his adjecerit « in omni castitate, » simul et consilium suum erga personas memoraturum propter ætatem cautum ostendens, simul et illud instruens, quoniam possibile est affectum habere vehementem contemplatione pietatis erga mulieres, licet sint per ætatem novellæ, et hoc non in actum deducitur pessimum. Nam quod dixit « sicut sorores, » ex superiore sequentia etiam hoc in loco id posuit, consilium dans, ut non solum diligat eas, sicuti et in superioribus dixerat, sed et ad ostensionem integritatis adjecit, ut ne ab affectu jura violentur castitatis, si tamen non aliquis sponte meliora dispiciens in deterius serpere voluerit, siquidem et sorores sint mulieres et eamdem habeant naturam et similia perpeti possint, et diligemus propter naturæ propinquitatem, et cavebimus aliquid inconveniens in illas agere, propinquitatem venerantes naturæ cum debita reverentia.

« Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. » Omnia quæ in superioribus interjecisse videtur beatus apostolus Paulus, ab illo quo dixit, « manifeste magnum est pietatis mysterium, » usque ad hoc dictum quo dixit. « adolescentulas et sorores in omni castitate, »

Digitized by Google

illa quidem quæ dogmatica sunt, ad probationem veritatis posuit, eo quod Ecclesiam dixit esse columnam et firmamentum veritatis. Alia vero ad instructionem beati dixit Timothei, quæ et facere eum justum existimabat, sive ob illius ipsius causam, sive ob cæterorum juvamen. Cœpit autem ab illo loco quo dixit, « Obsecro ergo primum omnium fieri orationes, deprecationes, postulationes, gratiarum actiones, » quæ universa ad utilitatem et ad ornamentum communis Ecclesiæ pertinere videbantur. Nam quod dicit : « ante omnia, » illud vel maxime designat, quod communiter congregationem Ecclesiæ ab illis fieri oportere existimabat, scilicet ut omnis cultus Deo debitus restituatur, cum debita gratiarum actione, quæ ei debetur pro illis, quæ ab eo data sunt nobis : et quidem orationem facientes non pro nobis ipsis solis facere debemus, sed et pro omnibus hominibus. Unde et in subsequentibus necessario adjicit, quales eos esse conveniat, vel in vita, vel in moribus, vel in conversatione, et primum in communi naturæ adusus est divisione, alia dicens ad instructionem virorum, instruens quales eos oporteat esse; alia vero ad mulieres, sicque communiter ad omnes super virtutibus implendis consilium visus est dedisse, deinde ad ordinem transit illorum qui nec Ecclesiæ ministerium implere videntur, reputans quoniam privata hi indigeant exhortatione, eo quod in commune conveniens Ecclesia eorum impletur ministerio : et istis quidem bene agentibus multum possunt cæteri adjuvari : econtrario etiam istis illa quæ conveniunt minime procurantibus, plurima detrimenta multis videantur irrogari. Unde et de presbyteris primam videtur fecisse disputationem, instruens quales eos esse oporteat, deinde diaconibus, postea vero de viris et mulieribus, post consummationem vero horum ad hoc instructionem suam produxisse visus est, quam et interpositam et interjectam esse diximus. Conveniens autem erat post communem exhortationem, quam ad omnes fecisse videbatur, et proprie ad illos qui Ecclesiæ functionem implebant, conjungere etiam illa quæ de viduis dici conveniebant, quas etiam in suo ordine memorare par erat ob illam providentiam, quam erga eas implere oportebat. Hinc vero, ut dixi, ad propositam interjectionem ab illa egressus est sequentia; post sequentiam autem dictorum consuetudo est illi etiam et interjectiones facere, sicque ad illos sermones exiit, qui super viduis dici debebant, honora, inquit, « illas, quæ vere sunt viduæ, » non absolutam promissionem earum intendere voluit, sed quando promissio ipso opere impleri videtur. Nam quod hoc in loco dixit « honora, » hoc est, diligentiam illis adhibe, quod evidens fit ex illis dictis quæ sequuntur, quas quidem ita vera ratione existimat esse viduas, sicut in subsequentibus melius instruimur. Iterum vero de illis loquitur quæ non debent ecclesiastico sumptu ali, adjiciens de illis . « Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet, « discat [*discant*] primum omum suam regere, et « vicem reddere parentibus, hoc enim acceptum est « coram Deo. » Quod dixit, discant, de filiis et nepotibus dixit, non de viduis : properabat enim docere quoniam illæ solæ debent sumptu ecclesiastico nutriri, quæ aliunde alimoniam habere minime possint; si igitur vidua aut filios aut nepotes habet, discant illi qui ex ea nati sunt alere matrem sive aviam, quia hoc magis placitum est Deo, ut ab illis nutriantur, et non ecclesiastico indigeant solatio. Deinde dicit de illis viduis, quas vere viduas esse existimat, dicens : « Quæ autem vere vidua est et « desolata, sperat in Deum, et instat obsecrationi- « bus et orationibus, nocte ac die. » Evidens est quod veram viduam duabus ex causis ecclesiastico sumptu vult nutriri, unum ut, et moribus sit ordinata, et virtutibus illustrata; alterum eo quod ad plenum neminem videtur habere, qui diligentiam ei adhibeat. Hæc autem est vera vidua, quæ propinquum non habet, et per omne tempus vitæ suæ solis vacat orationibus. « Quæ autem in deliciis est, vivens mortua est. » Si aliqua amisso viro in viduitate se persistere promittit, et deliciosam exercet vitam, mortua est magis quam viva, licet si et vivere videatur. Nec autem altera maritali conscientia tenetur, neque virtutis studio illustratur, sed solis epulis ac deliciis vacare properans, nihil ex illis quæ sibi conveniunt facere poterit. (*Moyses*) Nam quemadmodum Zabuli regnum per conniventiam suscipitur vitiorum, ita regnum Dei per exercitationem virtutum puritate cordis ac spiritali scientia possidetur. Ubi autem regnum Dei est, ibi procul dubio et vita habetur æterna, et ubi regnum Zabuli est, ibi mortem atque infernum esse, non dubium est, in quo qui fuerit, nec laudare Dominum potest secundum Prophetæ sententiam dicentis : « Non mortui laudabunt te, neque omnes qui descendunt in infernum (*Psal.* cxiii), » sine dubio peccati, « sed nos, inquit, qui vivimus, » non vitiis, scilicet nec mundo huic, sed Deo, « benedicimus Dominum ex hoc nunc et usque in sæculum (*Ibid.*). » Non enim est in morte, qui memor est ei, in inferno autem peccati quis confitebitur Domino? id est, nemo : nullus enim tametsi militem semetipsum, vel Christianum, profiteatur esse, vel monachum, cum peccat, nullus confitetur Deum, nullus admittens ea, quæ Dominus exsecratur, reminiscetur Dei, nec servum se veraciter illius profitetur, cujus præcepta contumaci temeritate contemnit, in qua morte illam viduam quæ est in deliciis, beatus Apostolus esse pronuntiat, « vidua, inquiens, quæ in deliciis est, vivens mortua est. » Sunt ergo multi qui viventes in hoc corpore mortui sunt, et in inferno jacentes Deum laudare non possunt; et econtrario sunt, qui cum mortui sint corpore, Deum spiritu benedicunt atque collaudant secundum illud : « Benedicite, spiritus et animæ justorum, Dominum (*Dan.* III); » et « : Omnis spiritus laudet Dominum (*Psal.* CL). »

« Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. » (*Ambr.*) Hoc est, et his dicito, ut optime viventes maneant

Digitized by Google

irreprehensibiles. Deinde adjicit : « Si quis autem
« suorum, et maxime domesticorum, curam non ha-
« bet, fidem negavit, et est infideli deterior. » Hoc
ad illud retulit, si « qua vero vidua filios aut nepotes
habet, discant primum suam domum colere, » eo
quod dixit, quoniam oportet ut talis a filiis et nepo-
tibus nutriatur, ita ut nihil illis desit de his quæ eis
necessaria sunt. Hoc de illis dixit, admonens eos
ut erga parentum diligentiam sint solliciti, quoniam
oportet omnibus qui nobis propinquitate junguntur
diligentiam adhibere, maxime domesticorum, ut dicat
eorum qui nimia nobis propinquitate generis jungi
videntur, ut puta pater, mater, avus, avia : si quis
vero hos despiciat, manifestum est, quod nec fidei
curam habet ullam, sed infideli sit deterior, sive
quia illam legem quæ naturæ posita est illi qui se pie-
tatem servare promittit, custodire noluerit. Incipiens
vero docere ab illo loco quod dixit, « viduas honora
quæ vere viduæ sunt, » quales conveniat esse illas
quæ sub ecclesiasticorum diligentia habentur, inter-
posuit de illis viduis quæ filios vel nepotes habent,
ad quos hoc reddidit, implens illud quod in superio-
ribus minus dixerat : deinde ad suam recurrens se-
quentiam, manifeste exponit quales velit esse vi-
duas quæ et sub regula ecclesiastica et providentia
debent haberi : « Vidua eligatur non minus sexaginta
annorum. » Ante omnia, ætatem designandam esse
credidit, in qua constitutæ debent in ordinem recipi
viduarum, quidam vero non considerantes quam ob
causam ætatem voluerit significari, hæc statuerunt,
utrumnam mulieres diaconissas, ante hanc ætatem,
ordinare minime conveniat. Erga quas vel maxime
id debere observari æstimaverunt, eo quod in majori
ordine a viduis sint producendæ, neque illud intelli-
gentes, quoniam si in earum ordinatione id obser-
vari decrevit, multo magis erga presbyteros et
episcopos id custodire præcepisset, quod minime
perspicere potuerunt. Beatus autem Paulus nun-
quam per ætatem functionem credidit esse decer-
nendam ; nam Timotheum ipsum valde juvenem ex-
stantem tantis præposuit ecclesiis, magnum illi opus
et quod omnibus præcellere videtur, committens, et
hoc significatur per illas litteras, quas ad eum dirigit,
dicens : « Nemo juventutem tuam condemnet, » quid
ergo est quod hic dicit ? virtutis industriam non ex
ætate cupit firmari, cujus vel maxime probationem
facere videtur ; sufficit enim illa ætas, quæ ante hæc
tempora nimiam et cautam præbuerit probationem
uniuscujusque propositi. Quia veræ viduæ in ordine
constituebantur ecclesiastico, ut ecclesiasticam po-
tirentur providentiam, multæ autem erant, quæ vi-
ros amiserant, quæ non virtutum studio inter viduas
se commorari volebant, sed ut ecclesiastica fruentes
provisione, secure illa quæ ad usum pertinent cor-
porum habentes, vitam suam transigere possent, ex
hac ratione multa, ut assolent, mala adnascebantur,
eo quod nec ut decebat, vivere studebant, quia nec
ob contemplationem virtutis sese ascribi, ut vi-
tas cupiebant, sed solo securitatis desiderio, et ut
A sine aliquo labore vel opere facile quotidianum vi-
ctum haberent ; hæc ergo beatus Paulus cautissime
cupiens confirmare, ætate et virtute statuit debere
probari illam, quæ inter viduas se cupit ascribi ;
ætate quidem, eo quod ante hoc tempus ætatis pos-
sent etiam per opera manuum suarum sibi victum
acquirere ; virtute vero, eo quod justum non esse
existimabat, ut ecclesiastici sumptus absolute in
quaslibet viduas expenderentur, sed magis decere
existimans, ut virtute sint illustratæ, quæ ecclesia-
stica sunt tuendæ diligentia. Unde dicens de tem-
pore, adjicit in subsequentibus etiam de moribus
earum, quomodo vellet eas institutas habere, et pri-
mum dicit. « Quæ fuerit unius viri uxor. » Nunc au-
B tem hoc in loco dicens unius viri uxorem, illud di-
cit, non quæ secundum accepit maritum, ipse enim
id fieri dedit consilium, quod nequaquam aliqua ra-
tione incusari quasi indecens patiebatur, sed si pu-
dice cum suo vixerit viro, sive unum tantum habue-
rit, sive et secundo fuerit nupta tantum, si alteri nun-
quam intendit eo tempore quo maritum habebat :
pudicitiam etenim requirit ab ejusmodi viduis. Nam
pudicitiam exsequuntur etiam et illæ quæ in conju-
gio pudice suis viris convivunt, sive cum primo ma-
rito, sive cum secundo : inconveniens etenim erat
illas, quæ secundis nuptiis junctæ, virtutum studiis,
ut convenit, sunt adornatæ, deinde ad profundam se-
nectutem sunt redactæ, ab ecclesiastica excludi dili
gentia, ita ut egentes penuria conterantur ea ratione,
quia secundo fuerint junctæ marito, quod nullo in
C loco prohibuisse visus est Paulus ; ex contrario vero
excludens fornicationem id fieri annuerit. Deinde
adjicit : « In operibus bonis testimonium habens. »
Et hoc quidem summatim explicavit, in subsequen-
tibus vero illud per partes agit, dicens : « Si filios
educavit. » Illa autem, quæ suorum filiorum curam
non habuit, evidens est multam inhumanitatem in
animo habuisse suo. « Si peregrinos hospitio rece-
pit. » Non de peregrinis quibuslibet loquitur, sed
de fidelibus, et iis fidelibus qui virtuti student. De-
nique volens et in subsequentibus ipsius hospitali-
tatis speciem explanare, quam vel maxime eas exse-
qui cupit, adjicit : « Si sanctorum pedes lavit. » Non
peregrinos absolute dixit, sed sanctos, ut suadeat
D etiam pedes lavari eorum quos hospitio recipit, me-
moriam faciens sanctorum. Hoc, ut dixi, ad exhor-
tandas eas adjicit, ut ostendat quoniam summa di-
ligentia convenit eos hospitio recipi, nec aliquid ex
his quæ ad honestum pertinent obsequium despicere.
« Si tribulationem patientibus subministravit. » Ite-
rum summatim id dixit : « si omne opus bonum
subsecuta est : » evidens est quoniam pro virium
qualitate ista fieri suadet. Certum est autem ex his
dictis, quoniam illas quæ in matrimonio sunt fide-
les, tales cupit esse viduas : qui enim viduas dicit ta-
les vitæ debere fuisse, eo in tempore quo erant in
matrimonio, paria cupit implere ; alioquin, quemad-
modum potuerunt hujus vitæ inveniri, si non in ma-
trimonio constitutæ tales fuerint ? et ostendens quam

Digitized by Google

ob rem etiam ætatem designaverit, secundum quam illas in ordine viduarum recipi præcepit, adjicit : « Adolescentiores autem viduas devita. » Non quia non sit digna juventus exsequi virtutem, sed quam ob causam id dixerit, in subsequentibus pandit : « Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, « habentes damnationem, quia primam fidem irri- « tam fecerunt. » Bene luxuriatas in Christo dicit, hoc est, ut ubi inter viduas fuerint receptæ, ecclesiasticum assecutæ fuerint sumptum, securæ existantes super corporalibus necessitatibus, nihil aliud curant, nisi ut otiose vacent luxuriæ corporali, eo quod non habent de quibus sollicitæ sint; quæ etiam solent et intellectum humiliare humanum, otiosæ vero effectæ, despicientes professionem suam, de nuptiis incipiunt cogitare, gravissime se obnoxias facientes ea ratione qua promissum suum, quem promiserunt Christo, spernendum esse existimaverunt, primam duntaxat fidem irritam facientes. Nec autem de nuptiis istà dixit, sicut quidam a multà desipientia suspicati sunt, sed de professione dixit viduitatis, quia nec fas erat ut damnationi obnoxias diceret illas, quæ illud faciunt quod ipse fieri visus est annuisse; et otiositatis ipsius malitiam explicans adjicit : « Simul autem et otiosæ discunt circumire do- « mos, non solum otiosæ, sed et verbosæ et curiosæ, « loquentes quæ non oportet. » Hoc vult per ista omnia dicere, quoniam nullam habentes sollicitudinem corporalium, dum securæ assequuntur illa quæ usui sunt necessaria, discunt ex ipsa largitate studere otiositati. Nec autem est ulla res, quæ illas possit ultra ad opus cohortari : otiosæ vero exstantes, vacant verbositati, et properant horum dicta ad illas deferre, et illorum ad istas, et ex hoc adnascuntur tristitiæ, dum de alienis curiose agentes, loqui illa studeant quæ eloqui minime oportet. Ob hanc igitur causam significavit in superioribus et ætatem et mores, statuens, ut quæ erga studia virtutum curam non impendunt, ecclesiastico sumptu minime nutriantur. Nam illæ quæ in juventute adhuc tales sunt, debent erga victum corporis sollicitudinem expendere, eo quod possit talis sollicitudo etiam erga studium pietatis illis multum prodesse, eo quod ipsa sollicitudo alimentorum potest eas a nimia vanitate coercere, ut cogitatum suum humiliantes, de se sint sollicitæ. Propter hoc neque de presbyteris, neque de diaconibus dicens ætatis est memoratus, sed de viduis tantum quæ se ob illam causam quam dixi in ordine viduarum ascribi deproperant. Ostendit vero et causam ob quam juniores viduas præceperat minime recipi : non quia non sit fidelis et utilis juventus ad studia virtutum, sed quia non competenter inutile earum id exsequi videntur : simulant autem se persistere in viduitate spe illa sola, ut ecclesiastico sumptu nutriantur. « Volo ergo junio- « res nubere, filios procreare, matresfamilias esse. » Quare ? Ut juventutis impetus erga plurimam sollicitudinem occupatus possit compesci. Hoc autem erat, non ut juniores viduas a virtutum studiis ex

cluderet, sed ut magis eas invitaret : qui enim dixerat, non oportere illas quæ nec ætate nec virtutibus sunt ornatæ in ordinem recipi viduarum illarum quæ ecclesiastico sumptu aluntur, ista vero dicens, præparabat eas, ut id non attentarent. Convenienter, dicta enim illius illa cupiunt per omnia confirmare, ut illa quæ oportet custodiant. Unde non videretur ad plenum devitare juniores viduas, quæ caute vitam suam instituunt, sequitur : « Nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. » Non enim volo illas ob illam causam viduitatem simulantes postea in aliis inveniri, et ex hoc dare occasionem illis, qui nobis derogare properant, ob illam rationem, quia vitæ nostræ nullum studium adhibemus, sed specie tantum virtutem nos exsequi simulamus. Et ut ne videatur ipse suspicione id colligere, causam ipsam ponit et dicit : « Jam enim quædam « conversæ sunt retro Satanam. » Sic videtur modis omnibus illas quæ non bene utuntur ipsa viduitate excludere ab ordine viduarum, omnem simulationis occasionem ab ipsa adimens professione. Nam et risu dignum videtur virginitatem recipere, si quis eamdem profiteri nolit, sicut est id perspicere ex Epistola ejus quam ad Corinthios scripsisse videtur ; illas vero adolescentulas quæ viris sunt privatæ, non recipere, tametsi viduitatem ut convenit studere voluerint. Nec autem illæ quæ virginitatem profitentur, post senectutem erunt professuræ. Justum est hoc in loco memorare illorum qui omne studium in eo ponunt, ut a nuptiis excludant, qui et diversa facere conantur, ut aliquos in hac professione adducant, a quibus negotiis tantum videtur Pauli sermo distare, ut et ab ipsa professione prohibeat tandiu, donec quis plurimam virtutem, diligentiam in conversatione sua ostendat, addit ergo : « Si quis fidelis (vel si qua fidelis) habet « viduas, subministret illis, et non gravetur Ecclesia. » Etenim sicuti superioribus de illis dixit, quæ habent filios aut nepotes, ut ab illis nutriantur, sic et hoc in loco eos, qui fideles habent in domibus suis viduas, vult ut diligentiam illis adhibeant, ita ut ecclesia non multam sollicitudinem de talibus sustineret; et ut ne videatur hoc idem lege statuere, ut tali occasione hi qui præsunt ecclesiis pecunias possint colligere securi, exstantes a multitudine et sollicitudine viduarum, quibus necessaria præstent, bene adjicit : « Ut his quæ veræ viduæ sunt, sufficiat. » Veras viduas dicit illas, quæ ex omni parte sunt desolatæ, et neminem habent, qui diligentiam illis adhibeat, sic enim poterat illarum facere providentiam Ecclesia, quæ desolatæ sunt, quando non multarum sollicitudinem, sed paucarum auxiliantibus eis ad hoc fidelibus, si tamen præbere valuerint, ex opibus suis; illis vero viduis, quas in domos proprias singuli habent, provisionem illis facere adhortatur, si aut matrem habent, aut aviam, propter summam propinquitatem pro virium suarum qualitate diligentiam illis adhibeant. Tanta super alendis viduis disputans, quia in superioribus

Digitized by Google

dixerat quales esse conveniat presbyteros, de obsequiis vero eorum vel alimentis nihil fuerat memoratus; et quidem illis ipsis secundum illud tempus sollicitudinem ecclesiarum implentibus, bene adjicit et de his.

« Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur. » Duplicem dicens, multiplicem intelligit. Nam presbyteros, inquit, etiam majoris provisionis dignos oportere existimare justa deposcit ratio. Unde et adjicit, « qui bene præsunt, » sed nec de illorum providentia absolute dixit, qui in ordine et gradu tantum sunt presbyterorum, sed de illis qui gradus sui functionem implere, prout convenit, videntur. Unde et adjicit : « Maxime qui « laborant in verbo et doctrina. » Non absolute hos dignos esse providentia dixit, sed illa ratione qua plurimum laborem expendunt, si tamen, ut convenit, doctrinæ opus implere voluerint, ita ut in communi de omnibus sollicitudinem impendant, ac doceant eos illa facere quæ fieri oportet, et ut de singulis solliciti multum habeant agonem, ut unumquemque consiliis optimis et exhortationibus ad illud quod decens est adducant. Sic enim et beati apostoli videntur doctrinæ opus omnibus operibus anteposuisse. Unde et contemplatione viduarum aliquando oborta contentione (*Act.* VI), dixerunt non esse dignum relinquentes se verbum doctrinæ, ministrare mensis viduarum, quod doctrinæ opus se magis decere existimabant. Volens autem et Scripturarum testimonio Apostolus comprobare de presbyteris illa quæ dixerat, asserens, « qui maxime laborant in doctrina, » adjicit : « Dicit enim Scriptura : « Non infrenabis os bovi trituranti, » et, « Dignus est operarius mercede sua. » Ac si aperte diceret : Prædicatorem verbi ab stipendiorum suorum perceptione non prohibebis. (*Greg.*) Hac diligentiam debite præbendam illis dicens, adjicit : « Adversus « presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub « duobus aut tribus testibus. » (*Ambr.*) Omni demiratione dignus est Apostolus, quia et super hoc negotio sollicitus fuit. Nam et dictum fuerat generaliter : « In ore duorum et trium testium stabit omnis sermo (*II Cor.* XV) ; » sed hoc in loco contrario abdicans accusationem, dixit, « Noli suscipere nisi coram duobus aut tribus testibus, » eo quod super cæteris interea res patitur, ut et aliter de negotio judicetur; hoc vero in loco non debere ita fieri ob duas posuit causas. Una quoniam necesse est presbyterum, ut pote communem patrem, tam virorum quam mulierum curam adhibere, eo quod et similiter utriusque sexus sollicitudinem implens indiscrete et mulieres cogitur videre et loqui cum illis, prout ratio exigit pietatis : altera vero causa, eo quod multis et variis occasionibus diversæ [accusationes] contra eos exercebantur ea ratione qua iidem presbyteri coacti interdum increpant obnoxios pro admissis peccatis, et arguunt eos pro quibus non competenter agunt. Prospexit ergo Apostolus, quoniam facile adversus presbyteros ab hujusmodi hominibus accusationes adnasci possint, opitulante eis opere psorum, ut id quod volunt adversus eos dicere, verissima existimatur accusatio, propter quod licenter vel videant mulieres vel loquantur cum eis, quæ res malignis hominibus occasionem accusationis dare videatur. Quid ergo observari decernit? aliter, inquit, noli audire, nisi duo aut tres videantur testes esse negotii ipsius de quibus intenditur accusatio. Et ut ne videretur ista dicens delinquentium peccata velle contegere, adjicit : « Peccantes coram omnibus argue, « ut et cæteri timorem habeant. » Examen negotii de illis cum omni scrupulositate volo fieri, et non absolute adversus eos crimen ad punctum recipi : si vero aliqui vera ratione deliquisse fuerint detecti, aperte increpentur, ut et cæteri eorum exemplo pudici efficiantur. Optime autem et aliorum correctionem esse dixit : nec enim erat necessarium ut hoc ita fieret, nisi ob aliorum fieret emendationem, de quibus in Evangelio legitur : « Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum intra te et ipsum solum (*Matth.* XVIII). » [Greg.] Cum vero discipulo dictante peccans « coram omnibus » arguendus est, quid ipse magister veritatis « intra te et ipsum solum, » locutus est? Hanc quæstionem celerius absolvemus, si vim dictorum diligentius consideremus, ibi dixit peccantes, sed non addidit in quem, hic dixit, « si peccaverit in te. » Si ergo occulte in te peccaverit frater tuus, et vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor, peccantes autem in Deum « coram omnibus, » (hic respires) ut illud verbum, « argue, » ad sequentem vocem adjungas. Hinc Paulus ait (*Gal.* II) : « Cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem illi restiti, eo quod non recte incederet ad fidem Evangelii; » et post pauca : « Dixi Petro coram omnibus, » ac si dixisset, eo quod simulationem coram omnibus habuisset, « Si tu, inquit, cum sis Judæus gentiliter et non Judaice vivis, quomodo gentes cogis judaizare? » (*Ibid.*) Occulta ergo peccata possunt occulte corripi, et publicata peccata coram omnibus debent argui, « ut et cæteri timorem habeant. » Quidquid autem mentem movit aliorum, nequaquam reticendum, sed cum magna humilitate proferendum est. Deinde omnibus illis dicens terribiliter, adjicit :

« Testificor coram Deo et Christo Jesu et electis « angelis ejus, ut hæc custodias sine præjudicio, « nihil faciens in aliam partem declinando. » (*Ambr.*) Scilicet ut non facile contemplatione odii adversus aliquem pronunties, priusquam vera ratione convincatur, neque econtrario contemplatione amicorum aliquorum occultes peccata : hoc autem dicit, nihil faciens per declinationem. Nam hujusmodi contestatio in talibus negotiis admodum est necessaria. Deinde vertitur ad eum, dando ei consilium, et ait : « Manus cito nemini imposueris. » Omnino non facile ad ordinationem quemquam producas, sine plurima probatione : et pondus ipsius negotii grave ostendens, adjicit : « Neque communicaveris

Digitized by Google

« peccatis alienis. » Si, inquit, te, ut convenit, probante, ille deliquerit, non est tuum crimen; si vero tu facile et non cum cauta probatione ad ordinationem producis, particeps efficeris ejus delictorum : ille enim, pro quibus [peccavit] justa ratione punietur; tu vero pro quibus non caute egisti, nec perfectam arbitrii ejus colligens probationem ad ministerium eum produxisti, et adhuc in timorem eum redigens, adjicit : « Te ipsum custodi castum, » deinde et illa quæ de eo erant, dicit : « Noli adhuc aquam bibere, « sed vino modico utere propter stomachum tuum « et frequentes tuas infirmitates. » Evidens est, quoniam et super hoc consilium illi dat, eo quod valde infirmum eum corpore esse perspiciebat : contemplatione autem continentiæ adhuc aquam bibere persistebat; et quia frequenter aliorum causa talia agimus, ut ne videamur indifferentes esse erga conversationem, non ignorantes quoniam illa quæ ad usum nobis vel facta sunt vel tributa, nequaquam nos insumpta poterunt nocere. (*Greg.*) Paulus namque egregius prædicator Mitylenem veniens et plenam infidelibus insulam sciens, patrem Publii dysenteria febribusque vexatum orando salvavit (*Act.* XXVIII), et tamen ægrotante Timotheo præcepit, dicens : Modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates. » Quid est, Paule, quod ægrotum infidelem orando ad salutem revocas, et tantum adjutorem Evangelii more medici per alimenta curas? nisi quod idcirco fiunt exteriora miracula, ut mentes hominum ad interiora adducantur, quatenus per hoc quod mirum visibiliter ostenditur, ea quæ admirabiliora sunt, invisibilia credantur. Signo quippe virtutis pater Publii sanandus fuerat, ut mente revivisceret, dum miraculo ad salutem rediret : Timotheo autem adhibendum foris miraculum non erat, quia jam totus intus vivebat. Quid est igitur mirum, si propagata fide crebro miracula non fiunt, quando hæc ipsi Apostoli in quibusdam jam fidelibus non fecerunt? bene adjicit.

« Quorumdam hominum peccata manifesta sunt « præcedentia ad judicium : quosdam autem et sub« sequuntur. Similiter et facta bona manifesta sunt, « et quæ aliter se habent, abscondi non possunt. » (*Ambr.*) Vult dicere, quoniam delinquentium hominum et non recte viventium delicta manifesta sunt, quæ necessarias illis in futuro sæculo pœnas sunt provisura, licet si et faciant aliqua quæ multos latere poterunt. Sic et de illis qui recte vivere instituerunt plurima quidem illorum manifesta sunt hominibus, sunt etiam et aliqua quæ lateant multos, hæc enim significat, dicens similiter et quæ se aliter habent, nec enim possunt omnia incerta esse. Itaque nec hoc pertimescas, ne quando non bonam hinc opinionem acquiras, te ipsum aquæ potu expendens; utere vero exiguo vino pro ipsa infirmitatis necessitate, valde sciens quoniam et illa quæ homines conjiciunt, si tamen recte vivamus, bona esse plurima ex parte prospicientur. (*Greg.*) Nec ullam ex his nocivitatem sustinebimus, licet videantur multi actus nostri a multis ignorari. Paulus namque Apostolus cum dilectum discipulum de instituendis ecclesiæ officiis admoneret, ne quos forte ad sacros ordines inordinate proveheret, dixit : « Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis, te ipsum castum custodi, » qui ad infirmitatem ejus corporis protinus verba convertens, ait : « Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates, » statimque subjungit, dicens : « Quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium, quorumdam autem et subsequuntur. » Quid ergo ad illud pertinet quod ab infirmo aquam bibi prohibuit hoc quod de peccatis absconditis quorumdam hominum manifestisque subjunxit? nisi quod imposita de ejus infirmitate sententia ad hoc in extremo redit, quod superius dixit : « Manum cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. » Ut enim hæc eadem peccata, quanta sollicitudine perquirenda essent, ostenderet, imposita contra infirmitatis molestiam discretionis admonitione, protinus intulit, quod in aliis patescerent, in aliis laterent, dicens, « quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium, quorumdam autem et subsequuntur; » sicut ergo per hanc sententiam Paulus non eisdem verbis congruit quibus jam loquens de Timothei infirmitate subjunxit, post hoc, adjicit et de servis.

CAPUT VI.

Inducit Apostolus episcopos ad custodiam pauperum in servitio dominorum, atque inducit, ad sectandam humilitatem, pietatem et cæteras virtutes.

« Quicunque sunt sub jugo servi, dominos suos « omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Do« mini et doctrina blasphemetur » (*Ambr.*) Hæc de illis scribit, qui infideles habent dominos, præcipiens eis, ut omne obsequium suis præbeant dominis, licet sint a pietate alieni, ut non hinc blasphemia aliquando aut vituperium pietatis doctrinæ affingatur, existimantibus illis, quod ita eos instituamus ut contemnant dominos suos. Quoniam autem de illis servis dicit qui infideles dominos habent, evidens est, et ex quibus dixit, « ut ne doctrina Dei hinc blasphemetur. » Manifestius vero id ostenditur et ex illis quæ sequuntur, adjicit enim. « Qui « autem fideles habent dominos, non contemnant, « quia fratres sunt, sed magis serviant, quia fideles « sunt et dilecti, qui beneficiorum sunt participes. » Justum, inquit, est, ut et hos non contemplatione pietatis suos contemnant dominos, qui benigne cum illis agunt, sed multo magis debent eis servire, quasi fidelibus, qui et diligi propter ipsum debent ab eis, et illa vel maxime de causa, qua benigne illis utuntur. Hoc enim dicit, « qui beneficiorum sunt participes, » hoc est, qui beneficiis eos sublevare properant contemplatione pietatis quam exsequuntur. Igitur dominorum benignitas non debet servi oc-

Digitized by Google

casio fieri contemptus, sed magis eos in affectu ampliori debet retinere, et iterum adjicit. « Hæc doce et obsecra, » per omnia exsuscitans eum, ut cum multa sollicitudine de omnibus his doctrinam proponere deproperet; et quoniam omnia percurrit quæ ad correctionem Ecclesiæ in commune convenire existimabat, sicut scrupulosius significavimus in illis quæ antea interpretati sumus, memoratur iterum et de illis qui contraria pietatis docere conantur : dicit enim de illis qui ex circumcisione crediderunt, qui omnia agere adnitebantur volentes legis custodiam fidelibus imponere, de quibus et in principio Epistolæ plurima dixerat, sicque ad sermones correctionis, quæ in commune conveniunt, egressus, iterum de illis ipsis quæ in principio dixerat, dictum resumens in illis ipsis etiam finem concludit, cætera in media parte Epistolæ interjiciens. « Si quis, inquit, aliter docet et non acquiescit sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et « ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus « est et nihil sciens. » Bene elationi conjunxit nihil scire : elatio vera ratione dicitur illa esse, quæ homines magna sapere facit de illis quæ sibi non adsunt, et quidem maximum est illis opprobrium, ut alios docere promittant cum ipsi nihil sciant. Nam et de hoc ipso derideri digni sunt, dum alios docere promittentes ipsi nihil sciant. Hujus vero rei probatio ex præcedentibus apertius est manifesta, si enim non intendunt illi doctrinæ quæ secundum pietatem est, evidens est, quoniam nihil sciunt de illis quæ scire conveniunt : ergo inane docere promittunt, illa ignorantes quæ scire conveniunt. Dein opus eorum incusans adjicit : « sed languens circa quæstiones et verborum rixas [pugnas] : » quia et plurimum eveniebat eos quæstiones commovere, illa ratione, qua sua statuere cupiebant. Bene autem posuit languescere eos, languorem dicit cogitationem eorum, eo quod relinquentes pietatem, quæstiones inconvenientes evolvebantur; et ostendens quoniam et alia multa inhonesta studio quæstionum adnascebantur, adjicit : « Ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, « conflictationes hominum mente corruptorum, et « qui veritate privati sunt, existimantium quæstum « esse pietatem. » Efficiuntur hinc invidiæ, unoquoque invidente illi qui potest qualibet ratione in doctrina videri, rixæ etiam plurimæ quia loquuntur ex his quæ loqui non conveniunt, maxime cum et illi qui nobis non sunt communes in fide blasphemant nos, et inquirunt adversus nos causas etiam existentes, fitque et hoc necessario ut malam habeant de nobis suspicionem, maxime hi qui fide nobis exteri sunt, illos vero diligunt, oblectati verbis eorum, quos et imitari properant, illa agentes, quæ ab illis fieri videntur, homines corrupti mente, ullam veritatis habentes cupiditatem, qui et omnia lucri causa facere adnituntur. Quæstum sibi pietatem esse existimantes inhonestum, ex quo et alia plurima adnascebantur mala. Optime adjicit, Discede ab ejusmodi. Postquam autem ostendit pravitatem hominum, et illa quæ inhoneste ab illis efficiuntur, sufficiebat ut tantum consilium daret, separari ab eis; deinde relinquens cætera ad illam partem redit, atque insistit, qua pecunias colligere accelerabant, inque hac parte vel maxime suum sermonem latius exaggerat, eo quod nec facile posse existimabat eos despicere pecunias. Sciens vero et illud quia cupiditas pecuniaria nihil ex illis quæ fieri conveniunt facere permittit, despectus etenim pecuniarius facile illa expedire facit quæ meliora sunt, ait : « Quæstus est magnus, pietas cum sufficientia. » Magnum lucrum, magnæ divitiæ, lucrativa negotiatio pietas est, ut erga ea solliciti simus, necessitatibus nostris sufficientes. Bene vero adjicit, « pietas cum sufficientia, » ita ut et necessitatem non videretur intercipere, et nimietatis studium excludere, et omni ex parte sollicitudinem pecuniarum adimere. « Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus. » Multus ac potens sensus in compendio verborum horum contineri videtur : illi enim qui erga pecunias studium habent, pro illis quidem quæ adsunt sibi laborant, ut permanere possint et custodiri; pro illis vero quæ necdum habent, quemadmodum acquirere possint. Utrumque exclusit, ita ut pro illis quæ sibi adsunt minime laborem expendant. Nam quod dixit, « nihil intulimus, » sed nudi in hunc mundum, in hanc vitam venimus, de illis quæ nobis adsunt laborem expendere[vetat], quasi de propriis nostris, quæ quidem nos quando in hanc vitam ingredimur invenimus. Nam et laborem pro illis expendere vanum admodum esse ostendit, dicens : « quia nec auferre quid possumus, » quæ enim est utilitas laborem expendere, ubi etsi omnia acquirere possumus, hic illa relinquemus, quæ congregavimus? quid ergo fieri debet, quoniam et illud necessarium est, et hoc superfluum? « Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus. » Sufficit illa habere quæ ad usum nobis sunt necessaria, his enim fruemur solis : cætera vero etiam si cumulata fuerint aliis relinquimus in mundo. « Habentes autem alimenta et operimenta his contenti sumus. » Operimenta, inquiens, non vestimenta, ut in quibusdam latinis exemplaribus non proprie continetur, id est, quæ corpus operiant tantum, non quæ amictus gloria blandiantur. Superfluum enim est, inquit, nos qui nihil intulimus multa velle conquirere, ut hinc efferamus. Deinde ostendens quemadmodum nociva sit hujusmodi sollicitudo ei qui pietati studere cupit, adjicit, « Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et « desideria multa, inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. » Necesse est eum qui cupit divitias acquirere, multis implicari tribulationibus, multa eum sustinere pericula, et ad desideria prorumpere nociva, et stulta, ex quibus maxime augere solent, et abundare

Digitized by Google

poterunt, multam vero perditionem provident illis qui semel occupati fuerint eorum desiderio; et quis sufficienter poterit dicere illa mala quæ ex desiderio solent divitiarum adnasci? Unde et adjicit : « Radix enim omnium malorum est ava- « ritia. » Et ut compendiose, inquit, dicam, nihil indecens, malum nullum est, quod non per concupiscentiam admittatur pecuniarum. Et ostendens quoniam experimento doctus sit, sciens multos fuisse ex ipsa concupiscentia non leviter deceptos, adjicit : « Quam quidam appetentes erra- « verunt a fide, et inseruerunt se doloribus mul- « tis. » Ex hac, inquit, concupiscentia multi a fide cecidisse videntur, ut nec secundum præsentem vitam in melioribus potuerint inveniri, sed econtrario deflentes ac dolentes perstiterint pro illis quæ sibi ex his acciderunt tristitiis. (*Greg.*) Hinc quoque de peccatoribus per beatum Job dicitur : « Radix juniperorum erat cibus eorum (*Job.* XXX). » Quid vero per radicem juniperi nisi avaritia designatur, ex qua peccatorum omnium spinæ producuntur? de qua et per Paulum dicitur : « Radix omnium malorum cupiditas, » ipsa quippe latenter oritur in mente, sed punctiones omnium peccatorum patenter producit in opere, quas videlicet punctiones ab hac radice surgentes statim prædicator egregius insinuat cum subdit, « quam qui- « dam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. » Qui enim multos dolores dixit, quasi nascentes innotuit ex hac radice punctiones. In juniperis ergo peccata, in radice vero juniperorum quid aliud quam avaritiam, id est materiam, intelligimus peccatorum? (*Cassian.*) Quamobrem nulli vilis despectusque videatur hic morbus, qui sicut potest perfacile declinari, ita si quemquam possederit, ad sanitatis remedia vix pervenire concedit. Receptaculum namque est vitiorum malorum, quæ omnium radix et inextricabilis nequitiæ fomes efficitur, dicente Apostolo : « Radix omnium malorum » philargyria, id est, amor pecuniæ. Hæc igitur cum remissam tepidamque possederit hominis mentem, primitus eum in exigua summa sollicitans, justos quosdam et velut rationabiles ei colores, ob quos vel reservare sibi aliquid pecuniæ debeat, vel parare, describit. Nam et ea quæ præbentur in monasterio queritur non esse sufficientia, et sano robustoque corpore vix posse tolerari; quid faciendum, si valetudo mala carnis emerserit, et reconditum non fuerit aliquid peculiare, quo sustentetur infirmitas? præstationem monasterii esse pertenuem, et negligentiam erga ægrotantes maximam; si proprium aliquid non fuerit, quo cura corpori valeat adhiberi, misere esse moriendum fame; ipsum etiam vestimentum non sufficere quod præbetur, nisi procuraverit unde sibi aliud valeat exhiberi; postremo nec diu posse in eodem loco vel monasterio commorari : et nisi paraverit sibi viatici sumptus evectionisque transmarinæ mercedem, non posse cum voluerit transmigrare, et necessitate inopiæ coarctatam, laboriosam ac miserabilem absque ullo profectu vitam jugiter toleraturum, inopem se quoque semper ac nudum non sine improperio aliena substantia sustentandum. « Tu autem, homo Dei, hæc fuge. » (*Ambr.*) Apte visus est eum exhortasse, ut ista fugiat, hominem illum dicens esse Dei : aptum enim est ei qui talis est, ut ab omni malo sese custodiat. Deinde scribit ei, utpote charissimo discipulo, insinuans quæ eum agere oporteat.

« Sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. » Erga ista sollicitudinem, inquit, expende, et quoniam labor est necessarius illis qui virtutem exsequi adnituntur, adjicit : « Certa bonum certamen. » Fidei necessario adjicit bonum certamen vel agonem, ut hoc loco vel maxime ostendat, quod necessarius sit labor talis, qui pro multis expenditur bonis. Deinde laboris ipsius lucra pandens adjicit : « Apprehende vitam æternam. « Certaminum autem vel agonum horum merces vita æterna est, quibus poterit eam assequi, et suadens ei ut de his studiose agat, « in qua, ait, vocatus es et confessus bonam confessionem, ob hanc enim et credidisti. » Hoc enim dicit : « In qua vocatus es, et confessus bonam confessionem. » Ob hanc vocationem confessus es pietatem, ut dicat, quoniam pro hac passus es. Nam quod dixit « confessus es, » hoc est, passus es dicit. Unde et plus eum adhortans, ut pro hisce rebus sustineat laborem, adjicit, « coram multis. » Multi enim erant qui sciebant beatum Timotheum adjunctum fuisse Paulo contemplatione pietatis, atque is passus fuerat non pauca. Itaque tibi necessarium, inquit, est, ut omni ex parte pro æterna vita laborem sustineas, pro qua et credidisti, et confessus es pietatem, periculis frequenter adjectatus : justum etenim est, ut minime ex posteriori desidia illa exterminentur, quæ imprimis sunt acquisita. Deinde et plus eum adhortatus subdit : « Præcipio « in conspectu Dei, qui vivificat omnia, et Christo « Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, « bonam confessionem, ut serves mandatum sine « macula, irreprehensibile usque ad adventum Do- « mini nostri Jesu Christi. » Est mandatum, ut dicat, illa quæ mandavi tibi. Bene [monstrat] hoc in loco ob quam rem etiam et in agone pro fide certare eum præcipiebat. Unde et memoratus est Christi adventum confirmans, atque stabiliens, quod necessario utique erit, adjicit : « Quem suis temporibus ostendet beatus « et solus potens Rex regum, et Dominus dominan- « tium, qui solus habet immortalitatem, lucem ha- « bitans inaccessibilem, quem hominum vidit nullus, « nec videre potest, cui honor et imperium sempi- « ternum. Amen. » Ex magnitudine divinæ naturæ, et illa quæ erga eam habentur confirmavit futura, unde et ista quæ erga Deum sunt posuit in præsenti, quæ confirmationem quamdam futurorum habere poterant. Hoc ipsum autem et initio epistolæ fecisse videtur ubi dicit : « Regi autem sæculorum, incorrupto, invisibili, soli Deo honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen. » Unde etiam et in hoc loco

Digitized by Google

beatum illum vocat ad confirmationem futuræ advertibilitatis, quæ nobis aderit, quia ille talis est in natura beatitudinem habens, nec autem ullam poterit sustinere vertibilitatem. Potentem vero dixit, eum ut nemo dubitet, quoniam resurrectionem nobis poterit conferre, et quidem et Regem eum regnantium et Dominum dominantium dixit, ut ostenderet ex hoc, quoniam omnes subjugat, et potens est etiam dæmones subjugare, et mortem adimere, et omnia illa intercipere, quæ nos ad præsens affligunt. Ideo et solum dixit habere immortalitatem, eo quod sufficiens nobis sit hoc præstare quod ipse solus possidet in natura, a nullo alio assecutus, et quod dixit : « Lumen habitans inaccessibile, » confirmationem habet, quod immenso quodam lumine et inaccessibili persistat, qui etiam vera ratione justorum corpora lumine faciet illustrari; sed et illud dixit : « Quem videt hominum nemo nec videre potest, » ut ostendat quoniam nulla demiratione dignum est, si illa, quæ tunc erga nos erunt, ad præsens non videantur : siquidem et ipse, qui nobis ista collaturus est, invisibilis nobis exsistat per naturam, sicque suum sermonem futurorum confirmatione visus est consummasse, ut magis suaderet Timotheo invigilare de his quæ sibi sunt scripta. (*Greg.*) Videbimus igitur Deum, ipsumque erit præmium laboris nostri, ut post mortalitatis hujus tenebras, accessa ejus luce gaudeamus. Sed cum ejus lucem dicimus accessam, obsistit animo quod Paulus dicit : « Qui lucem habitat inaccessibilem, quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest. » Ecce rursum audio, quod Psalmista ait : « Accedite ad eum et illuminamini (*Psal.* XXXIII). » Quomodo ergo accedendo illuminamur, si ipsam lucem qua illuminari possumus, non videmus? Si vero accedendo ad eum, ipsam qua illuminamur lucem videmus, quomodo inaccessibilis esse perhibetur? qua in re pensandum est, quod inaccessibilem dixit, sed omni homini humana sapienti. Scriptura quippe sacra omnes carnalium sectatores humanitatis nomine notare solet. Unde idem Apostolus quibusdam discordantibus dicit (*I Cor.* III) : « Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? » Quibus paulo post subjecit : « Nonne homines estis? » et unde alias testimonium protulit : quod « oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se? (*Isa.* LXIV, *I Cor.* II), » et cum hoc hominibus dixisset absconditum, mox subdidit : « Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum : » ipsum se ab hominis vocatione discernens, qui raptus supra homines, divina jam saperet : ita etiam hoc loco, cum lucem Dei inaccessibilem perhiberet, ut ostenderet quibus, subdidit, « quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest, » more suo homines vocans omnes humana sapientes, qui divina sapiunt videlicet supra homines sunt. Videbimus igitur Deum si per cœlestem conversationem supra homines esse mereamur : nec tamen ita videbimus, sicut videt ipse seipsum; longe A quippe dispari modo videt Creator se, quam videt creatura creatorem. Nam quantum ad immensitatem, Dei quidam nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur, quo creatura sumus : sic profecto non ita conspicimus Deum, sicut ipse conspicit se, sicut non ita requiescimus in Deo, quemadmodum ipse requiescit in se. Nam visio nostra vel requies erit utcunque similis visioni vel requiei illius, sed æqualis non erit. Ne enim jaceamus in nobis, ut ita dicam, contemplationis penna nos sublevat, atque a nobis ad illum erigimur intuendum, raptique intentione cordis, et dulcedine contemplationis aliquo modo a nobis imus in ipsum : et jam hoc ipsum ire nostrum minus est requiescere; et tamen sic ire perfecte requiescere est. Et perfecta ergo B requies est, quia Deus cernitur, et tamen æquanda non est requiei illius, quia non a se in alium transiit, ut quiescat. Est itaque requies, ut ita dicam, similis atque dissimilis, quia quod illius requies est, hoc nostra imitatur. Namque ut æterni et beati simus in æternum, imitamur æternum, et magna nobis est æternitas, imitatio æternitatis, nec exsortes sumus ejus, quem imitari possumus, quia et videntes participamur, et participantes imitamur. Quæ nimirum visio nunc fide inchoatur, sed tunc in specie perficitur, quando coæternam Dei sapientiam, quam modo per ora prædicantium, quasi per decurrentia flumina sumimus, in ipso suo fonte biberimus. (*Ambr.*) Adjicit vero, et de divitibus, perspiciens quoniam hoc in media parte Epistolæ dicere prætermiserat, ubi de cæteris C disputaverat ad eum, et ait :

« Divitibus in hoc sæculo præcipe non altum sa-
« pere. » Bene dixit, in hoc sæculo, ut ostendat ipsas divitias temporales esse, pro quibus vel maxime non conveniebat ut alta saperent. « Neque sperare « in incerto divitiarum? » Et hoc adjicit, ut ostendat quoniam neque in hoc sæculo divitiæ a divitibus caute tenentur, « Sed in Deo vivo, qui præstat nobis « omnia abundare ad fruendum. » Optime contra posuit de divitiis temporalibus illam abundantiam, quæ a Deo nobis datur. Quis enim sic stultus est, ut dubitet quin melius sit in Deum sperare quam in divitiis? Unde et adjecit, « vivum, » ut magis illud exaggeret. Comparavit enim cum Dei sempiternitate divitiarum usum temporalem, et ipsum usum D dixit esse incertum. Et quod dixit « omnia nobis abunde præbet, » verum est, ab illo loco quo superius dixerat, evidens est quoniam omnibus ejus fruimur; et ut ostenderet quia oportet magis intueri Deum, a quo et bonorum omnium habemus fruitionem, despicientes illas opes, quæ nobis in præsenti adsunt, convenit vero nos semper gratias agere Deo, qui omnium, quæ potimur, bonorum auctor et donator esse videtur. Deinde et quod necessarium erat post hoc facere illos instruxit, dicens : « Bonum opus facere divites esse in operi-
« bus bonis, facile tribuere, communicare » (et quod erit ex hoc lucrum? dicito), « thesaurizantes « sibi ipsis fundamentum bonum in futuro, ut ap-

Digitized by Google

« prehendant vitam æternam. » Percipient autem in futuro sæculo mercedem magnam, pro quibus in hoc sæculo ista faciunt. Nam et mercedem percipient talem, quæ nunquam ullam poterit mutabilitatem sustinere. Nam quod dixit, « fundamentum, » firmamentum eorum voluit significare. Compendiose vero hoc voluit dicere : præcipe illis, ut non magna sapiant propter illa quæ possident, cognoscant vero Dominum horum sibi esse largitorem, et huic semper pro omnibus sibi tributis gratias debent referre, in bonis operibus sollicitudinem expendentes, quod parva dantes in præsenti vita magna in futuro sæculo recipiant. (*Greg.*) Aliter ergo admonendi sunt inopes, atque aliter locupletes, illis namque conferre consolationis solatium contra tribulationem, istis vero inferre metum contra elationem debemus. Inopi quippe a Domino per prophetam dicitur : « Noli timere quia non confunderis (*Isa.* LIV), » cui non longe post blandiens, dicit : « Paupercula, tempestate convulsa, » rursumque hanc consolatur, dicens : « Elegi te in camino paupertatis; » at contra Paulus discipulo de divitibus dicit : « Divitibus hujus sæculi præcipe non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum suarum. » Ubi notandum valde est, quod humilitatis doctor memoriam virtutum faciens, non ait, roga, sed *præcipe*, quia etsi impendenda est pietas infirmitati, honor tamen non debetur elationi. Talibus ergo rectum quod dicitur, tanto rectius adhibetur, quanto et in rebus transitoriis altitudine cogitationis intumescunt. De his in Evangelio Dominus dicit : « Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram (*Luc.* VI), quia enim quæ sunt æterna gaudia nesciunt, ex præsentis vitæ abundantia consolantur. Offerenda ergo eis est consolatio, quos caminus paupertatis excoquit, atque illis inferendus est timor, quos consolatio gloriæ temporalis extollit; ut et illi discant quia divitias, quas non convenit, possident, et isti cognoscant quia eas quas conspiciunt nequaquam possunt tenere. (*Paphnut. in Collat.*) Tripartito enim modo in Scripturis sanctis intelliguntur divitiæ, id est, malæ, bonæ, mediæ : et malæ quidem sunt, de quibus dicitur : « Divites eguerunt et esurierunt (*Psal.* XXXIII). » Et : « Væ vobis, divites, quia recepistis consolationem vestram. » Quas etiam divitias abjecisse summa perfectio est. Ad quarum distinctionem pauperes illi sunt, qui in Evangelio Domini voce laudantur : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V); » et in psalmo : « Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum (*Psal.* XXXIII). » et iterum : « Pauper et inops laudabit nomen tuum (*Psal.* LXXIII). » Sunt etiam bonæ, quas acquisisse magnæ virtutis ac meriti est, quas vir justus possidens collaudatur, dicente David : « Generatio rectorum benedicetur. Gloria divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi (*Psal.* CXI); » et iterum : « Redemptio animæ viri propriæ divitiæ (*Prov.* XIII). » De quibus divitiis in Apocalypsi dicitur ad illum qui eas non habens vituperabiliter pauper et nudus est, « incipiam te, in- A quit, evomere ex ore meo, quia dicis quod dives sum et locuples, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus et nudus : suadeo tibi emere a me aurum ignitum ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuæ (*Apoc.* III). » Sunt quoque mediæ, id est, quæ bonæ possunt esse vel malæ, ad utramque enim partem pro arbitrio vel qualitate utentium transferuntur. De quibus beatus Apostolus : « Divitibus, ait, mundi hujus præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo qui præstat nobis abunde omnia ad fruendum, benefacere, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam; » quas iterum dives ille in Evan- B gelio (*Luc.* XVI) retinens, ac nequaquam indigentibus subministrans, de cujus micis satiari pauper Lazarus ante fores ejus expositus cupiebat, intolerandis gehennæ ignibus et æterno deputatur ardori. Has igitur visibiles mundi divitias relinquentes, non nostras, sed alienas abjicimus facultates, quamvis eas gloriemur vel nostro labore quæsitas vel parentum ad nos hæreditate transmissas, nihil enim, ut dixi, nostrum est, nisi hoc tantum, quod corde possessum, atque animæ nostræ cohærens a nemine potest prorsus auferri. De illis autem visibilibus divitiis ad eos, qui illas tanquam proprias retentantes, communicare indigentibus nolunt, increpans loquitur Christus; « Si in alienis fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? (*Luc.* XVI.) Evidenter C igitur has divitias alienas esse, non solum quotidiana experientia docet, verumetiam sententia Domini ipsa appellatione signavit. De invisibilibus vero pessimisque divitiis loquitur Petrus ad Dominum : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? » (*Matth.* XIX.) Quos utique nihil amplius quam vilissima, conscissaque retia certum est demisisse, quæ omnia nisi in hac abrenuntiatione vitiorum, quæ vere magna et summa esse fuerint intellecta, nec pretiosum aliquid invenimus apostolos reliquisse, nec Dominum habuisse, propter quod illis tantam beatitudinis gloriam largiretur, ut ab eodem mererentur audire : « In regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis D suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. » Si igitur hi qui perfecte terrenas istas visibilesque abdicant facultates certis ex causis, ad illam Apostolicam charitatem pervenire non possunt, nec illum sublimiorem paucorumque admodum renuntiationis tertium gradum expedito queunt vigore conscendere, quid illi de semetipsis judicare debebunt, qui ne primum quidem, quæ perfacilis est, perfecte arripientes atque antiquas pecuniarum suarum sordes cum infidelitate pristina retentantes, nudo tantum sibimet autumant hominum vocabulo gloriandum? Ergo prima quam diximus abrenuntiatio rerum alienarum est, ideoque per se solam perfectionem renuntianti conferre non sufficit, nisi pervenerit ad secundam, quæ vere ab-

Digitized by Google

renuntiatio rerum nostrarum est, quam adepti expulsione omnium vitiorum, tertiæ quoque abrenuntiationis fastigia conscendemus, per quam non solum omnia, quæ in hoc mundo geruntur, vel particulatim ab hominibus possidentur, verumetiam ipsam cunctorum elementorum plenitudinem, quæ putatur esse magnifica, tanquam vanitati subjectam et mox transituram, transcendentes animo ac mente despiciemus, intuentes duntaxat secundum Apostolum, « Non ea quæ videntur, sed quæ non videntur : quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna (*II Cor.* IV); » ut ita demum illud supremum mereamur audire, quod dicitur ad Abraham, « Et veni in terram quam monstravero tibi (*Gen.* XII). » Per quod evidenter ostenditur quod, nisi qui tres superiores illas abrenuntiationes omni impleverit mentis ardore, ad quartum hoc pervenire non possit, quod remunerationis ac præmii vice perfecte renuntianti tribuitur, id est, ut terram repromissionis mereatur intrare, nequaquam sibi jam vitiorum spinas ac tribulos germinantem, quæ post expulsionem passionum cunctarum puritate cordis in hoc corpore possidebitur, quam non virtus vel industria laborantis monstrabit ei, sed ipse Dominus ostensurum se esse promittit, « Et veni, inquiens, in terram quam monstravero tibi. » Per quod manifeste probatur et initium nostræ salutis Domini vocatione fieri dicentis, « Exi de terra tua, » et consummationem perfectionis ac puritatis ab eodem similiter tribui, cum dicit « Et veni in terram, quam monstravero tibi, » id est, non quam tu ex temetipso vel industria tua valeas reperire, sed quam ego tibi non solum ignoranti, sed etiam non inquirenti monstravero. (*Ambr.*) Dicens autem de divitibus iterum ad Timothei se vertit personam, illi quæ prædicta fuerant competenter adjiciens.

« O Timothee, depositum custodi devitans profa« nas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis « scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem « exciderunt. » De illis enim hoc in loco dicit, tu, inquit, custodi fidem omni virtute declinans eos, qui contraria docent, et semper excogitant aliquid novi dicere, et inconveniens, qui et controversias contra veritatem excogitant sub nomine scientiæ quam mentiti insimulant, promittuntque se scientiam habere, longe autem multumque distant a fide. Bene autem et commendationem dixit dogmatum scrupulositate, ut ostenderet magis, quod necessarium sit ei ut custodiat illa, quæ ab eo accepit, quia et exigenda sunt illa quæ sibi sunt commendata. (*Greg.*) Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est ut causarum origines a sacris paginis sumat, ut omne quod loquitur, ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium suæ locutionis firmet, ut enim prædiximus sæpe hæretici dum sua student perversa astruere, ea proferunt quæ profecto in sacrorum librorum paginis continentur. Unde et discipulum suum prædicator egregius admonet dicens : « O Timothee, depositum custodi devitans profanas vocum novitates : » quia dum laudari hæretici tanquam de excellenti ingenio cupiunt, quasi nova quædam proferunt, sicque fit ut dum videri sapientes desiderant miseris suis auditoribus stultitiæ semina spargunt. (*Cass.*) De istis ergo qui imaginem quamdam scientiæ videntur acquirere, vel de his qui dum sacrorum voluminum lectioni ac memoriæ scripturarum diligenter insistunt, carnalia tamen vitia non relinquunt, in proverbiis eleganter exprimitur. « Sicut inauris aurea in naribus suis, ita mulieris male moratæ species (*Prov.* XI). » Quid enim prodest quempiam ornamentum eloquiorum cœlestium et illam pretiosissimam Scripturarum speciem consequi, si eam lutulentis operibus vel sensibus inhærendo, quasi immundissimam subjiciendo confringat, aut cœnosis libidinum quarum polluat volutabris ? Fiet enim ut id quod recte utentibus decori esse consuevit, non solum istos ornare non possit, verumetiam majoris cœni colluvione sordescat : ex ore enim peccatoris non est pulchra laudatio, cui dicitur per Prophetam · « Quare tu enarras justitias meas et sumis testamentum meum per os tuum (*Psal.* XLIX) ? » [*Ambr.*] Consummans vero in his Epistolam, consuetam adjicit salutationem in ultima parte Epistolæ dicens : « Gratia tecum. Amen. »

LIBER VICESIMUS QUARTUS.

EXPOSITIO IN EPISTOLAM II AD TIMOTHEUM.

ARGUMENTUM.

Epistolam Pauli ad Timotheum secundum sensum explicaturus, argumentum ejus, ut moris est nobis, primitus explicabimus; evidens est enim illud, quod non post primam Epistolam etiam hanc protinus scripserit, sed et nec de iisdem scripserit locis, de quibus primam illam scripserat Epistolam. Primam enim scribens, dicit : « Sicut rogavi te sustinere Ephesi (*I Tim.* I) », ostendens quoniam illic eum reliquerat et sic Epistolam ad eum scribit, quasi adhuc in illis locis commorantem; in hac vero Epistola in fine scribit : « Tychicum, » inquit, « Ephesi direxi ad te (*II Tim.* IV), » quasi Ephesi adhuc Timotheus moraretur, quando et hanc ad eum scribebat Epistolam. Et primam quidem sic scripsisse ad eum manifestavit, ut et insinuaret quod non multo post tempore sit ipse ad eum venturus; dicit enim : « Hæc tibi scribo, sperans me venire ad te cito (*I Tim.* III) »;

Digitized by Google

hanc vero scribens designat, quia non multo post tempore ad Christi confessionem istius vitæ transitum exspectet; ait namque : « Ego enim jam delibor, et tempus meæ resolutionis instat (*II Tim.* IV). » Jubet autem eum cito venire ad se, dicens : Festina, inquit, venire ad me cito. Scribit autem hanc Epistolam ad eum ex urbe Roma, in illo tempore quando Felicem appellans vinctus Romæ ex Judææ partibus fuerat ductus (*Act.* XXIV). Duobus etenim annis tunc, sicut Lucas dicit, Romæ commorans, qui ante Neronem introductus pro se satisfaceret, ex sententia ejus laxatus est auctoritate, eo quod nihil aliud ab eo crimine dignum gestum fuisse Nero repererat, qui dimissus protinus suum opus implebat. Percurrens enim orbem terræ pietatis rationem omnibus tradere properabat, et illud non incertum est, quoniam ubicunque tunc Timotheus commorabatur, pro voluntate B. Pauli, ad aliorum utilitatem commorabatur. Nam nec erat possibile Apostolum sic scribere ad eum in quibus laudaret eum, et opus ejus reciperet, et de singulis quæ erga illum erant affectaretur, si contra voluntatem Apostoli relinquens eum, aliis locis, ubi sibi placitum fuerat, fuisset commoratus. Scribit igitur ad eum hanc Epistolam ; non sicut in prima instruit eum, quemadmodum conveniret eum de singulis facere illis quæ ad commune ornamentum Ecclesiæ poterant pertinere, sed quasi qui sufficienter eum in prima Epistola de omnibus instruxerat, quæ eum instrui conveniebat, hanc ad eum fecit Epistolam, consilium dans ei simulque et commonens eum, ut cum summa diligentia ea quæ aliis essent C utilia expediret, et cum omni alacritate, et ut pro ipsa prædicatione, etiam si res exigeret, nec periculis se dubitaret objectare. Nam et plurima pars hujus Epistolæ hoc idem videtur exprimere, quamobrem etiam de se, qualia et quanta multis in locis fuerat perpessus, referre aditur, ut ad similitudinem sui etiam illum hortetur paria sustinere. In media vero parte Epistolæ, in qua eum vel maxime exhortari videtur, memoratus est etiam illos qui in deterius serpere adnitebantur, non leviter arguens eos. Adhuc etiam et illud significans quod tempore proficiente inter homines malitia plurima sumat incrementum, docens eum non discedere ab opere propter eos qui in deterius serpunt. In finem vero Epistolæ illa quæ secum ferat insinuat, in quibus fuerit. D vel sit. Interea vero et mandat de illis de quibus mandare ei conveniebat, utpote qui et ad charissimum scribebat discipulum suum, sed cautissime de singulis cognoscemus ex illa interpretatione quæ per partes efficietur, quorum etiam interpretationem tempus nos facere admonet, sufficienter argumento in his explanato.

CAPUT PRIMUM.

Inducit Apostolus Timotheum ad constanter prædicandum Evangelium Christi ex pontificali dignitate ac prædicantium paucitate.

« Paulus apostolus Christi Jesu per voluntatem A « Dei, secundum promissionem vitæ, quæ est in « Christo Jesu, Timotheo, charissimo filio, gratia, « misericordia, pax a Deo Patre et Christo Jesu Do« mino nostro. » (*Ambr.*) Quod dixit, « secundum pro« missionem vitæ quæ est in Christo Jesu » ad illud redit quod dixerat « apostolus ; » hoc est, apostolus creatus sum, ut prædicarem promissam omnibus in futuro sæculo vitam immortalem per Christum, qui et primus pro omnibus visus est resurrexisse, et docere universos homines qui per omnem sunt orbem terrarum, ita ut suscipientes de his doctrinam, possint etiam promissorum bonorum assequi fruitionem ; et ista quidem sunt in præfatione Epistolæ scripta, incipit vero sic : « Gratiam habeo Deo cui servio a proavis meis in munda conscientia, » hoc B est, cui accelero servire in conscientia munda. Nec enim quasi testimonium sibi ipsi perhibens ista dixit, licet veraciter profitetur quod hæc ita se haberent. Unde et adjecit : « Quemadmodum sine intermis« sione memoriam tui habeo in orationibus meis no« cte et die, et cupiens te videre. » Hoc vero totum in consummato sensu interjectum esse videtur. Ad illud autem redit jam Apostolus quod dixerat, « gratiam habeo Deo, » etc., « memor lacrymarum tuarum ut gaudio implear. » Vult autem dicere : quia semper memoriam tui facio in oratione mea, sive in nocte orem, sive in die, multas pro te Deo gratias refero, memor lacrymarum illarum quas effundebas eo tempore quo a me discedebas. Gaudium autem mihi plurimum confertur ex memoria illarum lacrymarum. Nam quod dixit, « ut gaudio implear, » illud *ut*, non causam dicit, sed consuete illud significat, quod sequitur ; et ut ne videatur absolute gaudere super lacrymas, « Memoriam, inquit, accipiens ejus fidei, quæ in te est sine simulatione : » excogito autem hinc quemadmodum sinceram Deo exhibeas fidem ex illis vel maxime, et quibus tantum erga nos exhibeas affectum, qui magistri tibi verborum pietatis exstitimus, ita ut nec separationem nostram magnanimiter ferre possis. Et ostendens quoniam necessaria sit ei multis ex partibus pietatis diligentia, adjecit : « Quæ inhabitavit primum in avia tua Loide et matre « tua Eunice. » Et quia hoc necdum ad laudem Timothei pertinere videbatur, si avi, vel parentes ejus tales fuissent, adjicit : « Certus sum autem quia, et in te. » Hoc est, talis es et ipse ; et ut ex omni parte doceret ei esse pietatis diligentiam, siquidem et ab avis et a parentibus ad eumdem descenderat, et ipse similia iisdem exsequebatur, ait : « Quam « ob causam magis commoneo te, ut resuscites gra« tiam Dei, quæ est in te per impositionem ma« nuum mearum. » Itaque omni ex parte competit mihi sermo is qui ad te fit, ita ut in opere ipsam gratiam ostendas, quam per ordinationem manuum mearum assequi dignus repertus es. Sufficienter vero eumdem adhortatur ut omni nisu alios adjuvare deproperaret, gratiam vocans ordinationem ejus. Nam nec justum erat eum qui divinam donationem fuerat hac de causa assecutus, negligeret

Digitized by Google

commissam sibi gratiam; et quia sufficienter eum in his omnibus ad id quod ei conveniat exhortatus est memoria avorum et parentum, et proprii ejus propositi vel arbitrii, nec non et gratiæ illius quam in ordinatione fuerat assecutus, laboriosum vero negotium ipsum esse videbatur et maxime ea de causa, quia multa pericula illis ab adversariis eo in tempore inferebantur, ideo adjecit: « Non enim « dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, « et dilectionis, et sobrietatis. » Nec enim formidare nos convenit de illis malis, quæ ab exteris nobis inferuntur. Quare? quoniam illa gratia spiritus, quæ est in nobis, sufficiens est per omnia nos confortare, et in Dei constringere charitate, nec non et pudicos nos etiam ipsis efficere cogitationibus. Denique beatus Apostolus, qui servilem illum timoris gradum olim charitatis Dominicæ virtute transcenderat, inferiora despiciens, majoribus se ditatum bonis a Domino profitetur. « Non enim, inquit, dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis. » Eos etiam qui perfecta cœlestis illius Patris dilectione flagrabant, quosque ex servis filios adoptio divina jam fecerat, hoc adhortatus eloquio, ait: « Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus: Abba Pater (*Rom.* VIII). » De hoc etiam metu cum illam septiformem Spiritus sancti gratiam propheta describeret, quem in homine illo Dominico secundum incarnationis dispensationem descendisse non dubium est, dixissetque « Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis (*Isa.* XI), » novissime velut quiddam præcipuum intulit dicens, « Et replebit eum spiritus timoris Domini. » In quo primitus illud est diligentius intuendum, quod non dixerit, et requiescet super eum Spiritus timoris Domini, sicut de illis prioribus dixerat, sed « replebit eum, » inquit, « spiritus timoris Domini: » tanta enim ubertatis ejus est magnitudo, ut quem semel sua virtute possiderit, non partem, sed totam ejus occupet mentem. Nec immerito, illi etenim quæ nunquam excidit cohærens charitati, non solum replet, sed etiam perpetua et inseparabili eum, quem carpserit, possidet jugitate, nullis lætitiæ temporalis, vel voluptatum oblectationibus imminutus, quod nonnunquam illi qui foris mittitur timori evenire consuevit. Hic est igitur perfectionis timor, quo homo ille Dominicus, qui non solum redimere humanum genus, sed etiam præbere venerat perfectionis formam, atque exempla virtutum, repletus fuisse narratur, illum enim servilem suppliciorum timorem verus Dei filius, qui peccatum non fecit nec dolus inventus est in ore ejus, habere non potuit. Deinde ad verecundiam eum invitans adjicit:

« Noli itaque erubescere testimonium Domini « nostri Jesu Christi, neque me vinctum ejus. » Nam valde eum ad verecundiam in hisce dictis attraxit, dicens, ne erubescas, quasi qui erubescere deberet illa quæ pietatis sunt, si non et aliqua contemplatione pietatis sponte perpeti vellet. Unde non dixit, « ne erubescas » Dominum, sed « testimonium Domini, » hoc est, passionem; et non sufficit ut ista diceret, sed adjecit, et se vinctum, sufficienter admonens, ut memorans Christum, et illa quæ secundum se sunt, non pigeret pati, si tamen et cum Apostolo, et cum Christo communionem habere affectaret pro hisce passionibus. Unde et adjicit: « Sed collabora Evangelio. » Itaque per passiones ipsum Evangelium est perfectum, necessarium est ut communices ei per passiones, quas pateris pro aliorum utilitate, ostendens quoniam tale est Evangelium, ut pati pro eo dignum sit.

« Secundum virtutem Dei, qui salvos nos fecit, « et vocavit vocatione sancta non secundum opera « nostra, sed secundum suum propositum et gra- « tiam. » Similis est autem hæc species narrationis, qua dixit, « secundum virtutem Dei, » illi dictioni, quam dixerat, « secundum propositionem vitæ, quæ est in Christo Jesu, » quod in præfatione posuit hujus Epistolæ. Sicut autem illic secundum propositionem vitæ dicit, hoc est, ut promissam vobis vitam, creatus sum Apostolus, ut hanc prædicarem, sic et in hoc loco, « secundum virtutem, inquit, Dei, » hoc est, per virtutem « Dei, qui salvos fecit nos. » Adnitere ergo et labora et passionibus te subjice, ut omnibus ad notitiam deferas illa quæ pro nobis sunt dispensata. Vult autem dicere, quoniam magnum est Evangelium: virtus enim est Dei in eo, qui salvavit nos, et vocavit in sanctificatione et in incorruptela illa, quam exspectamus, quod et fecit non ob nostrum meritum, sed ob suam misericordiam. Tale est illud quod dictum est ad Romanos (*Rom.* I): « Nec enim erubesco Evangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti. » Labora ergo digne pro magnitudine promissorum bonorum. Deinde ostendens Evangelii magnitudinem, et etiam de antiquitate vult illud extollere, ait enim: « Et gratiam, « quæ data est nobis, in Christo Jesu, ante tempora « sæcularia, manifestata est autem nunc per illumi- « nationem salvatoris nostri Jesu Christi. » Si enim exitu negotiorum novum esse perspicitur Evangelium, sed arbitrio donantis antiquum est. Nam dudum hæc in Christo fieri probaverat Deus; nunc ergo quando ipse Christus nobis apparuit in opere illud produxit; et magnitudinem illorum bonorum quæ pro nobis fuerant dispensata, ad confirmationem Evangelii, adjicit: « Qui destruxit quidem, « mortem, illuminavit autem vitam, et incorruptio- « nem per Evangelium. » Hoc, inquit, fecit: destruxit quidem mortem, vitam vero quamdam nobis novam revelavit, quæ omni libera est corruptela. Talis enim est illa vita, quam per resurrectionem nobis tribui exspectamus. Et quoniam sufficienter magnitudinem dogmatum in eumdem incitavit, adjicit: « In quo positus sum ego prædicator Apostolus et

Digitized by Google

« magister gentium. » Et ut ad similitudinem incitaret Timotheum, pro his, inquit, ego constitutus sum Apostolus, ita ut et tu hæc ita agens particeps mihi esse videaris; et ultra de suis eumdem plenarie adhortans, adjicit. « Ob quam causam hæc patior, sed non confundor. » Bene posuit « non confundor, » quia et in superioribus dixerat ad eum, « non ergo erubescas, » et ostendens quoniam justa ratione docet non erubescere, ait: « Scio cui credidi, et « certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. » Nam et valde, inquit, certus sum quoniam qui spe futurorum arrham spiritus quasi quamdam commendationem mihi dedit, custodiet hanc inviolatam, ut perfectam tunc spiritus gratiam assequi possimus, in qua spe ad præsens hanc spiritus gratiam ut arrham assecuti sumus. (*Greg.*) Sancti igitur viri quot labores nunc veritati commendantes exhibent, tot etiam remunerationis suæ pignora intra spei cubiculum clausas tenent, sed gravis nunc sentitur æstus in opere, ut quandoque refrigerium percipiatur ex quiete.

« Formam habes sanorum verborum, quæ a me « audisti, in fide et dilectione in Christo Jesu. » (*Ambr.*) Memor esto doctrinæ meæ, et eorum quæ a me sæpe audisti, dicente tibi de fide illa quam Deo exhibere debemus, et charitate illa, quæ secundum Christum est. Bene autem dixit, « formam habes doctrinæ meæ. » Deinde quod dixit de se, hoc etiam et illi suadet consilium dans ei. « Bonum de« positum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat « in nobis. » Quam accepisti gratiam spiritus, hanc illibatam custodire depropera sollicitudine et diligentia eorum quæ conveniunt; et iterum sua memorans suadet ei, ut impigre doctrinam impleat, nullius momenti existimans illas esse tristitias quæ per singulos dies accidere ei videntur. « Scis hoc « quod aversi sunt a me omnes qui in Asia sunt, ex « quibus est Philetus et Hermogenes. » Hoc in loco memorati esse existimantur qui simulabant se fidem tenere, qui etiam in Asia eo degente aversi sunt ab eo. Nam et omni pugnæ exteriori gravior est interior, hoc est, ut sui se relinquant. Nihil, ait, debet te tristem facere ex illis quæ accidunt tristitiis; reputa autem illa quæ erga me fiunt, et quoniam qui videntur communes nobis esse in fide, omnes me in Asia reliquerunt, ex quibus Philetus est et Hermogenes: meminit autem horum nominatim eo quod forte omnium deterius arbitrium erga Apostolum in Ephesum ostenderunt; hoc quidem ad consolationem, instructionem dixit Timothei, et ut non graviter ferat super illis tristitiis, quæ sibi accidunt. Adhortans vero eum ad meliora, meminit etiam illius qui dissimile arbitrium habuit, et ait: « Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, « quia sæpe me refrigeravit, et catenam meam non « erubuit, sed cum Romam venisset, sollicite me « quæsivit, et invenit, det illi Dominus invenire mi« sericordiam a Domino in illa die, et quanta Ephesi « ministravit tu melius nosti. » Nam dum memoratur Onesiphorum, hortatur et Timotheum erga pietatem diligentiam adhibere. Unde et hoc in loco posuit, « et catenam meam non erubuit, » consequenter ista junxit illis quæ ad ejus exhortationem dixerat, Ne ergo erubescas testimonium Domini; confidens vero de procedente exhortatione, adjicit.

CAPUT II.

Sollicitat Apostolus Timotheum ad exsequendum prædicationis officium, ac monet juvenilia desideria fugere.

« Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in « Christo Jesu, et quæ audisti a me per multos « testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui « idonei erunt et alios docere. » (*Ambr.*) Omni ergo ex causa gratiam illam, quæ data est tibi a Christo, ob aliorum utilitatem rebus ipsis ostende: studium tuum sit ut omne, quodcunque magnum est, cum sollicitudine illud agas, et quæ a me audisti frequenter, dum alios docerem; hoc enim dicit « per multos testes, » hæc propterea et ipse docere, non quoslibet, sed quos discere ista idoneos existimans qui poterint lucrum horum et in alios proferre. Deinde et exemplo eum adhortans dicit: « Labora sicut bonus miles in Christo Jesu. » Imitare milites istius sæculi et militem te Christi existimans omne quod durum est et laboriosum contemplatione pietatis ferre depropera; et ipso exemplo dans ei consilium, adjicit: « Nemo militans Deo, implicat se negotiis, ut ei « placeat cui se probavit. » Scito, inquit, quoniam qui voluntate bona in militia sua probabiles inveniuntur, ab omni negotiatione sæculari seipsos cohibent, opere suo tantum intendentes. Bene autem dixit, « implicat se, » et valde proprie illud dixit, eo quod ille qui talis est, et de his studium habet, nec attendere potest in melius, eo quod semel sæcularibus implicatus est. Deinde et ad illud transit exemplum. « Nam et qui certat in agone, non coro« natur nisi legitime certaverit. » Et quidem ad beatas coronas assequi impossibile est, si non solum ad justitiæ disciplinam intenderint, sed etiam in ejus perstiterint legibus, sic multo magis decens est, te, sive quasi athletam, sive quasi militem Christi, cohibere a corporalibus negotiis, intendere vero solæ pietati. Et quia exhortatus est eum, ut nullam sollicitudinem de sæcularibus habeat negotiis, sed et illa tantum intendat quæ ad utilitatem pertinent aliorum, necessitas flagitat humana etiam de illis perquiri quæ erga escam sunt et indumentum. (*Greg.*) Angelicos vero spiritus recte Dei milites dicimus, quia decertare eos contra potestates aereas non ignoramus, quæ tamen certamina non labore, sed imperio peragunt: quia quidquid agendo contra immundos spiritus appetunt ex adjutorio cuncta regentis possunt. De hac namque militia nascente rege nostro scriptum est: « Subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis (*Luc.* II), » cui tamen militiæ electorum quoque hominum numerus jungitur, qui per sublime mentis desiderium a terrenæ servitutis conversatione liberantur, de quibus per Pau

Digitized by Google

lum dicitur : « Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, » qui licet nunc pauci appareant, in invisibili tamen patria innumerabiles regnant, quia etsi ex comparatione pravorum pauci sunt, in congregationis suæ frequentia metiri nequaquam possunt. Sæpe namque nonnulli velut obliti, quod fratribus animarum causa prælati sunt, toto cordis adnisu sæcularibus curis inserviunt, has cum adsunt se agere exsultant, ad has etiam cum desunt, diebus ac noctibus cogitationis turbidæ æstibus anhelant, cumque ab his, cessante forsitan opportunitate, quieti sunt, ipsa deterius sua quiete fatigantur. Voluptatem namque censent, si actionibus deprimuntur, laborem deputant, si in terrenis negotiis non laborant, sicque fit ut dum mundanis tumultibus gaudent, interna, quæ docere alios debuerant, ignorant. Unde subjectorum quoque procul dubio vita torpescit, quia cum proficere spiritaliter appetit in exemplo ejus, qui sibi prælatus est, quasi in obstaculo offendit itineris : languente enim capite, incassum membra vigent, et in exploratione hostium frustra exercitus velociter sequitur, si ab ipso duce itineris erratur, nulla subditorum mentes exhortatio sublevat, eorumque culpas increpatio nulla castigat, quia dum per animarum præsulem terreni exercetur officium judicis, a gregis custodia vacat cura pastoris, et subjecti veritatis lumen apprehendere nequeunt, quia dum pastorum sensus terrena studia occupant, vento tentationis impulsus Ecclesiæ oculos pulvis cæcat. Quo contra recte humani generis Redemptor cum nos a ventris voracitate compesceret, ait : « Attendite, ut non graventur corda vestra crapula et ebrietate (*Luc.* XXI). » Illico adjunxit aut in curis hujus mundi vitæ, ubi pavorem quoque protinus intente adjiciens, « ne forte superveniat repentina dies illa, » cujus adventus etiam qualitatem denuntiat dicens : « Tanquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem orbis terræ (*Ibid.*). » Hinc iterum dicit : « Nemo potest duobus dominis servire (*Matth.* VI). » Hinc Paulus a mundi consortio contestando ac potius conveniendo suspendit religiosorum mentes, dicens : « Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit. » Hinc Ecclesiæ rectoribus et vacandi studia præcipit, et consolandi remedia ostendit dicens : « Sæcularia igitur negotia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad judicandum (*I Cor.* VI), » ut ipsi videlicet dispensationibus terrenis inserviant, quos dona spiritualia non exornant, ac si apertius dicat, quia penetrare intima nequeunt, saltem necessaria foris operantur.

« Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere : intellige quæ dico : dabit enim Dominus tibi in omnibus intellectum. » (*Ambr.*) Vult autem dicere « quæ ad usum tuum necessario pertinent, indiscrete assequere a fidelibus qui præstant tibi. Busuit vero ei ipso exemplo vel maxime : sicut enim agricola quidam ipse tu tua doctrina instituis ac doces fideles, quem virtutis et boni operis fructus Deo offerre justum est et ante omnes assequi, cujus labore etiam cæteri assequi videntur. Unde et dicit : « Intellige quæ dico, » quasi qui occultius illud dixerit, simul etiam et optat de omnibus ei tribui intellectum. « Memor esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum Evangelium meum, in quo laboro « usque ad vincula, quasi male operans. » Bene autem dixit, « ex semine, » ut corporis magis assumptionem factam insinuaret. Nec autem absolute ista posuit, sed necessario, eo vel maxime tempore, ista docere admitebatur. Nam Simon, et qui ex ejus sunt hæresi omnes tunc inchoaverant dicere, quoniam Christus non fuit in carne, sed in phantasmate quodam apparuit, ita ut nec resurrectio vera facta esse susciperetur, quia enim fieri poterat, ut vera crederetur resurrectio, si caro vera ratione fuisset sumpta. Hoc ergo idem dicit : memor esto docere, pro virium tuarum possibilitate, quoniam ex semine natus est David Jesus Christus, homo vera ratione secundum naturam factus, qui et resurrexit a mortuis, quod etiam cunctis futurum esse Evangelium testatur. Hac de causa acquiesco illa sustinere, quæ sustinent malefactores, eo quod magnum lucrum scio ex hoc posse acquiri. Et ut ostendat quoniam ex illis tristitiis quæ ei accedunt, pietati nulla ex parte noceri potest, adjicit : « Sed verbum Dei non est alligatum. » Hoc est licet ergo plurima sustineam mala, sed nulli ex hoc adnascitur nocivitas veritati negotiorum : manet enim Dei promissio illibata, si innumeris ego videar subjici tormentis. Consequenter vero præcedentibus adjungit. « Ideo omnia sustineo « propter electos, ut ipsi salutem consequantur, quæ « est in Christo Jesu cum gloria cœlesti. » Propter eos qui ad hoc sunt electi et segregati omnia pati sustineo, ita ut per Christum salutem assequantur in perpetua gloria degentes, et ad exhortationem Timothei dicens, adjicit :

« Fidelis sermo, nam si commortui sumus, et convivemus, si sustinemus et conregnabimus. » Non est dubium, inquit, hoc nos, qui communicamus in illis quæ deteriora sunt, necessario communicabimus ei et in illis quæ meliora sunt ; et ostendens lucra quæ ex compassione solent acquiri, dicit etiam illud detrimentum, quod illis solet evenire, qui in fide persistere noluerunt. « Si negaverimus, et ille negabit « nos. » Deinde ne videretur, secundum æquam partem, et ipsi, nobis negantibus, hoceri, adjicit : « Si non credimus, ille fidelis manet, negare seip- « sum non potest. » Nam illa quæ a nobis inconvenienter fiunt nobis nocent, illi vero nulla ex parte nocetur : manet etenim in sua gloria stabilis ac firmus, nec etiam possunt ista negari, quæ in ipsis perspiciuntur negotiis. « Hæc commune, testificans coram Domino. » Bene dixit « testificans, » ut in timorem eum redigat : « Noli verbis contendere, ad « nihilum enim utile est nisi ad subversionem au- « dientium. » Commone, inquit, ut ista sectentur, Dei

Digitized by Google

illis proponens judicium : noli autem contentioni studere, ex contentione enim nihil adnascitur, nisi quod aliqui mendacia confirmare cupiunt, ad plurimorum subversionem.

« Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo : « operarium inconfusibilem : recte tractantem verbum veritatis, profana autem et inaniloquia devita. » Cautelæ dogmatum intende, et ea quæ veritatis sunt commone, recto edoce instituto, et non pigeas laborem pro his subire. Nam adversariorum novitates vocum, quæ omni immunditia plena sunt, et ad novitatem multorum sunt excogitata, repelle. « Multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo « eorum ut cancer serpit, ex quibus est Hymenæus « et Philetus qui a veritate exciderunt dicentes re- « surrectionem jam factam et subvertunt quorum- « dam fidem. » Vult dicere, noli novum aliquid existimare, et secundum pietatem provectum eos ad præsens habere prospicias, eo quod multi eos subsequantur. Ad similitudinem autem passionis sicut cancer qui solet serpere in gregem, etiam ipsi multos fidelium suis sermonibus inescantes attrahant ad impietatem, sicut Hymenæus et Philetus, qui veram Christi resurrectionem abnegantes, aliam quamdam resurrectionem somniant, quam et in succensionem constare necesse est. Et ista ad consolationem ejus dixisse videtur Apostolus, eo quod valde consuevit tristes facere eos, qui ad utilitatem aliorum prospiciendam sunt ordinati, si plurimos fidelium viderint in deterius serpere. Unde et persistens suadere ei, ut non afflictus animo deficiat, et ob aliorum malitiam in stuporem vertatur, adjicit : « Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, cognovit Dominus qui sunt ejus. » Hæc, inquit, te duo consolentur, primum quidem, quoniam aliorum seductio non exterminat rerum veritatem, secundo quoniam suos qui veri sunt ejus olim cognovit Deus. Itaque eos quos nunc perspicis seduci, hos Deus olim reprobos esse sciebat; nihil ergo fit, novum, ut in stuporem vertaris, sed illud fit, quod olim fieri sciebat Deus; nam cujus rei curam habere debemus institut dicens : « Et discedat ab iniquitate « omnis qui nominat nomen Domini. » Ut hujusmodi homines discedant ab omni impietate. Et quia hoc modo optimos magistros sciebat valde de his affligi, qualis erat et beatus Timotheus, ea ratione, quia multos ex suis videbat in deterius prorupisse, hac de causa adjecit et aliam ei consolationem, et ait : « In magna « domo non sunt sola vasa aurea et argentea, sed et « lignea et fictilia, et quædam quidem sunt in honorem, alia vero in contumeliam. Magna, inquit, domus est Ecclesia ex multis consistens hominibus; necesse est ergo non omnes ibi esse æquos. Nam et in magna domo non possunt omnia vasa similia reperiri, licet sit domus valde magna, sed inter aurea et argentea vasa perspiciuntur et lignea, et fictilia, et alia quidem multa digna sunt honore, alia vero sunt contemptibilia, et ad certum usum discreta : deinde quia naturalis erat vasorum divisio, ut ne quid tale apud hos existimaret, adjicit : « Si enim « quis mundaverit se ab his, erit vas in honore sanctificatum, et optimum, Domino ad omne opus bonum præparatum. » Sed quod illic materia naturalis, facit hic arbitrium : qui enim se a deterioribus segregaverit, est vas utile; hoc autem in nostro est positum arbitrio et potestate, et ostendit illud esse propositi, iterum vertit se ad ejus exhortationem, paulo minus hanc habens intentionem per omnem hanc epistolam; unde et inquit : « Juvenilia autem « desideria fuge. » Omnem delectationem et vanam voluptatem, quæ tibi non convenit, longe a te facito, quibus vel maxime rebus capi consuevit juventus : « Sectare vero justitiam, fidem, cha- « ritatem, pacem cum his qui invocant Dominum « de corde puro. » Diligentiam adhibe justitiæ, et eam quæ in Deum est fidem, et charitatem, et pacem cum illis qui vitæ virtutibus student. Optime de his dicens, suadet, ut in quibus deceret et possibile esset pacem servare adnitatur. « Stultas autem et sine « disciplina quæstiones devita, sciens quia generant « lites. » Stultas et indoctas vocavit quæstiones quæ non ob aliquam fiunt utilitatem. Declina, inquit, ab illis qui absolute solis quæstionibus operam suam splendere cupiunt. Rixæ autem ex his adnascuntur, quorum nec recta est intentio; et quia res ista nec conveniat, nec deceat eum ostendit. « Servum, in- « quit, Domini non oportet litigare. » Deinde et modum illi exponens quomodo debeat doctrinæ intendere, ait : « Sed modestum esse ad omnes, docibi- « lem, non litigiosum, cum modestia docentem eos qui resistunt veritati. » Et utilitatem ipsius rei ostendens; et quanto melius sit sic docere resistentes, adjicit : « Ne quando det eis Deus pœnitentiam ad « agnitionem veritatis, et resipiscant a diaboli laqueis, « a quo captivi tenentur ab eo in ejus voluntate. » Ex contentione autem placari adversariis impossibile est, doctrina vero mansuetudine probata sæpe scit suadere, et duritiam animi mollire. Præparat etiam, ut et ad veritatem perspicere possint, discedentes a præsumptione, a qua et anticipati, quasi quodam laqueo diabolico constricti tenentur, protractum quidem in deterius, correctionem vero in melius nullam volentes suscipere. Deinde et futurorum in novissimis temporibus memoria consolatur beatum Timotheum, ut non animo deficiat pro pravissimis temporibus et hominibus, sicut sequitur in subjecto capite.

CAPUT III.

Propter falsorum prædicatorum multiplicationem hortatur Apostolum ad prædicandum, ponitur que ad Timotheum monitio de firmitate.

« Hoc autem cognosce quoniam in novissimis die- « bus instabunt tempora periculosa; (*Ambr.*) consuevit namque deteriorum memoria consolare eos qui in moribus malis sunt; et quæ sint tempora periculosa ostendens, adjicit. « Erunt, inquit, homines seipsos amantes. » Omnia ad suam facientes utilitatem vel pro defectione. « Cupidi pecuniarum. » Quia et studium omne expendunt in colligendis pecuniis « Elati. » Qui jactant se illa habere quæ non habent.

Digitized by Google

« Superbi. » Qui magna sapiunt pro illis, quæ habere videntur. « Blasphemi. » Derogationi studentes et omnem curam erga derogationem habentes. « Parentibus non obedientes. » Evidens est quod adjicit : « Ingrati. » Ad eos, qui bene sibi faciant, nam in parte pravorum ponit etiam eos qui beneficio sunt sublevati, si non gratias agant illis qui beneficia contulerunt « Scelesti, » illos dicit qui justitiæ nullam adhibent diligentiam. « Sine affectu, » illos dicit qui nullam erga quemquam affectum volunt habere sponte. « Criminatores. » Qui istorum verba ad illos et aliorum ad istos referunt, ut illos inter eos commoveant. « Incontinentes, » illos dicit, qui in passionibus infirmiores sunt. « Immites, et illos putat qui nullius boni diligentiam volunt habere. « Ingrati, » qui non libenter bonorum studia exsequuntur. « Proditores. » Ut dicat amicorum. « Protervi, » parati ad malum. « Inflati, » quoniam magna sapiunt in his, quæ sibi minime adsunt. Est autem differentia inter elatum et inflatum, quoniam inflatus ab arbitrio designatur, elatus vero qui in sermonibus se jactare consuevit. « Amatores voluptatum « magis, quam Dei. » Qui voluptates pietati præhonorandas esse existimant. Hæc autem non de exteris dicit, sed de domesticis Ecclesiæ, qui tales erunt. Nam et ab initio sermo ille de talibus fuit, qui in deterius solent serpere, ex illo loco quo dixit : « Me« mor esto Jesum Christum resurrexisse ex mor« tuis, » in exhortatione ea qua consilium dans ipsi Timotheo, adversarios arguere est adnisus, qui et multos ex illis qui Ecclesiæ sunt subvertere nituntur, pro quibus eum et ad plenum consolatur ut non graviter valde ferat, sed intendat quidem suo operi, segreget vero se ad plenum a pravis hominibus. Unde et nunc quasi qui de talibus dicat, quæ sunt quidem aliquando in novissimis diebus vel temporibus, qui sub specie domesticorum acturi sunt illa quæ non oportet fieri. (*Greg.*) Ex hoc corde hoc gignitur superborum, qui nisi Deum superbiendo contemnerent, nequaquam tot lubrica lasciviendo penetrarent, quibus nimirum herbis Behemoth pascitur, qui in eis pœnam æternæ mortis esuriens eorum perditis moribus satiatur, superbi enim hujus sæculi et si quando æternæ dispensationis ordine præpediti ab expletione pravorum operum cessant, prava tamen in cogitatione multiplicant, modo ut se potentiores cæteris rebus et honoribus ostendant, modo ut eamdem suam potentiam in studio alienæ læsionis exerceant, modo ut lubricis motibus ducti per facta se levia voluptatesque dissolvant, qui dum rebus divinitus acceptis nequaquam recta, sed prava semper agere cogitant, quid aliud faciunt nisi suis contra Dominum donis pugnant : quia igitur Behemoth iste in superborum mentibus sua semper per desideria recognoscit, quasi herbas in montibus invenit, quibus refectum suæ malitiæ ventrem tendit. Unde optime adjicit : « Habentes formam pietatis, virtutem au« tem ejus abnegantes. » (*Ambr.*) Et simulantes quidem se tenere pietatem, a negotio vero ipso multum distantes; et quia tales erunt illi qui tunc erunt de quibus ei sermo : « Et hos, inquit, devita, ex his « autem sunt qui penetrant domos et captivas du« cunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur « variis desideriis semper discentes et nunquam ad « scientiam veritatis pervenientes. » Itaque talibus exstantibus illis, qui in novissimis erunt diebus, quorum in ænigma isti sunt, declinare ab eis pro virium tuarum possibilitate accelera, qui sua pravitate in domos sese aliorum immergunt, ut seducentes aliquas in deterius attrahant, non illas mulieres quæ vere sunt piæ, et fideles, hoc enim fieri impossibile est, sed illas quæ æstimantur esse nostræ : repletæ sunt vero omni pravitate, et a nobis quidem semper discunt illa, quæ agere oportebant, jamen vero nullum ex doctrina nostra recipiunt propter pravitatem propositi et arbitrii sui, quia hac vel maxime de causa intendunt illis, eo quod verba eorum suis perspiciunt concurrere desideriis. Terrens vero eum memoria futurorum, consolatur etiam ex illis quæ antea jam facta fuerunt. « Quemadmo« dum, inquit, Jamnes et Mambres restiterunt Moysi, « sic et hi resistunt veritati, homines corrupti men« te, reprobi erga fidem. » Memor esto, inquit, ea quæ secundum Moysem olim facta fuerunt, cui malefici viri restiterunt. Itaque nulla demiratione dignum est, si et nunc homines corrupti mente veritati resistant, et quia quadam ratione hi qui ejusmodi sunt, maxime in principio fidem simulantes latere multis videntur, qui vel quales sint. « Sed non pro« movebunt, inquit, amplius, insipientia autem eorum « manifesta erit, sic ut et illorum fuit. » Non poteunt denuo se occultare quicunque sunt illi. Manifestos autem faciet eos tempus sicuti et illorum insipientiam manifestam fecit, et tempore subsequenti. Nam, quod interrogant quidam, unde potuit beatus Paulus cognoscere nomina illorum, qui restiterunt Moysi, multæ stultitiæ dignum est. Ridiculum etenim est : Moysem quidem, tanta ante se facta videatur edixisse illa, quæ multis erant incerta, memorari etiam tantorum quos nemo tunc scire poterat : Paulum vero demirari si duorum hominum nomina, qui ante fuerant, valuerit dicere. Nam et secundum traditionem antiquorum ista illum scire nihil novi fuit. Illud vero notatu dignum est, quod videtur apud multas quæstionem movere, quemadmodum in superioribus dixerit, « multum proficiant, » hoc vero in loco dixit, « sed non proficient amplius. » Dicit autem ista non secundum vanam eam denique rationem, illic enim dicit, proficient, de illis dicens, qui sequuntur, et quod nunquam poterint deficere hi, qui secundum dicta eorum faciunt. Adjicit denique, dicens : « et sermo eorum ut cancer serpit : » hoc vero in loco apud eos qui depravare sufficiunt veritatem, dixit, non proficere eos, quia in principio frequenter multi homines de illis nescientes, speciem eorum ac schema solum agnoscunt, qui tempore currenti necessario dogmatum eorum subversionem cognoscentes habere in his poterunt; quod ergo

Digitized by Google

dixit « non proficient, » secundum illud dixit, quod error eorum latere possit ad tempus, unde et adjecit : « Insipientia enim eorum manifesta erit. » Per omnia ergo ista consolatus est Timotheum ut ne nimium affligeretur pro illis qui in deterius serpunt : suis vero consiliis incitat eum dicens :

« Tu autem assecutus es meam doctrinam, meum « institutum, propositum, fidem, longanimitatem, cha- « ritatem, pietatem, patientiam, persecutiones, pas- « siones. » Semper, inquit, mecum commorans horum experimentum accepisti, docens, qualia quidem ipse alios docere consueveram, quemadmodum vero me ipsum instituebam, vel quia illa per singulos dies agere properabam erga fidem, quemadmodum in ea sine ulla persistebam malitia, et diligens cunctos et sustinens, et quod cum multa oblectatione persecutiones illas, quas mihi adversarii inferebant, sustinuerim. Hæc ergo imitare, et erga ista sollicitudinem expende, nullius momenti adversarios esse existimans. Deinde dicit et passiones ipsas ad exhortationem Timothei. « Qualia mihi sunt facta in Antiochia, « in Iconia, in Lystris, quales persecutiones sustinui. » Et quod magis poterat eum animiquiorem erga passiones tolerandas facere, adjecit : « Et ex omnibus « me liberavit Dominus. » Non ignoras, inquit, etiam in diversis rebus Dei erga nos probatam providentiam, a qua non debes discedere, si tamen in hæc ipsa patiens persistere volueris. « Et omnes qui vo- « lunt pie vivere in Christo Jesu, persecutiones « patientur : mali autem homines et seductores proficient in deterius, errantes, et in errorem mittentes. » Iterum hoc in loco, proficere, dixit de illis qui seducuntur, eo quod nunquam deficere possint hujusmodi homines. Nam et in utroque quicunque voluerit rebus ipsis examinare, inveniet per omne tempus fieri, eo quod et omnis hæresis imprimis apparens multis fit in suspectationem, arguitur vero tempore, eo quod in adventione novi dogmatis non possunt minus inveniri qui seducantur. « Tu vero permane « in his quæ didicisti et credidisti. » Et suadens illum tenere ac permanere, adjecit : « Sciens a quo didiceris. » Sufficiens autem est ad hortationem discipulorum magistri dignitas. Deinde et aliud dicit : « Et quia a pueritia sacras litteras didicisti. » Nam et hoc sufficiens erat exhortari eum. Rubore autem dignum videtur, ut is qui a pueritia in bonis fuerat enutritus, in ultimo post longi temporis meditationem indigna incipiat agere. Nam et ipsam doctrinam admodum sublimem ostendit, dum dicit sacras litteras divinas esse Scripturas, quibus omni ratione credi convenit. Unde et qualitate ipsam doctrinam cumulans, adjicit. « Quæ te possunt instruere ad « salutem, per fidem Jesu Christi. » Nam et ostendens necessarium esse ut maneat in doctrina pietatis, una quidem ex causa ex magnitudine doctoris. Altera vero quia et a pueritia illa didicerit, et quod ipsa doctrina sit divina, et quod magna possit præstare illis qui Christo credere voluerint dum illam salutem quæ ex fide est assequuntur. (*Hieron.*) Ad sacerdotis pertinet disciplinam interrogatum respondere de lege, qui si ignorantiam in cæteris diligentem, in Scripturis sanctis obtenderit negligentem, frustra jactat dignitatem, cujus opera non exhibet. Hoc est, quod apostolus Paulus scribit ad Titum, ut potens sit et contradicentes revincere. Et ad Timotheum : « Quoniam ab infantia sacras litteras nosti, « quæ te possunt instruere ad salutem, » ut peccantes coram omnibus arguat. Et quia dixit, « sacras « litteras quæ te possunt instruere, » adjecit : « Om- « nis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad doctri- « nam, ad argutionem, ad correctionem, ad eruditionem, quæ est justitia, ut perfectus sit homo « Dei, ad omne opus bonum paratus. » (*Ambr.*) Talis est, inquit, omnis Scriptura, quæ a divino est data Spiritu, ut sufficiens sit omnia prospicere utilitati, sive docere conveniat de illis quæ agi debeant, sive peccantes debeant argui, sive pœnitentibus debeat inferri aliqua correctio, sive erudire oporteat de illis quæ possunt adducere homines ad justitiam : ita ut quicunque se Deo voluerit dicare, per Scripturarum utilitatem per omnia possit esse perfectus. Et postquam de omnibus est eum exhortatus, terribilem cupiens suam facere exhortationem, adjicit in sequenti capite.

CAPUT IV.

Prædicit Apostolus multiplicationem malorum auditorum, cum denuntiatione sui martyrii. Expetit Timothei adventum, et amicos salutat.

« Testificor ergo ego in conspectu Dei, et Domini « nostri Jesu Christi, qui judicaturus est vivos ac « mortuos, secundum revelationem suam et regnum « suum. » (*Amb.*) Hoc est, tunc omnes est judicaturus quando apparuerit secundum suam dignitatem in qua consistit. « Prædica verbum, insta opportune, « importune. » Non hoc dicit ut importune instet, nam inopportunum, quodcunque est illud, nulla ratione agi debet, sed dicit nullum tempus relinquas doctrinæ, omne tempus opportunum tibi ad hoc esse existimes. Hoc quidem de illis dicit qui instrui debent : quoniam autem evenit aliquos desidiæ causa non permanere in doctrina, « Argue, ait, increpa, « obsecra. » Argue eos qui persistunt in peccato, ut intelligere possint suum peccatum; « increpa » sentientem, inquit, suum peccatum, et sub definitione constitue; « obsecra, » reduc iterum ad antiquum statum post pœnitentiam. Et modum quo hoc fieri conveniat docet : « In omni patientia et doctrina. » Neque ad argutionem, neque ad increpationem, nulla omittas de illis quæ agi conveniunt; et quoniam eveniebat aliquos hæc non suscipere, propter morum suorum pravitatem, iterum meminit de illis hominibus. « Erit, inquit, tempus cum sanam do- « ctrinam non admittent, sed secundum sua desideria « sibi ipsis coacervabunt sibi magistros, prurientes « auribus, et a veritate quidem auditum avertent, « ad fabulas autem convertentur. » Fabulas dixit illa verba esse quæ contraria sunt pietati. Necessa-

Digitized by Google

ria vero ei fuit in præsenti negotio horum memoria. Postquam enim exhortatus est eum arguere, increpare, et obsecrare, ne animo deficeret ipse, si hæc facientem minime velint aliqui intendere, in deterius prorumpentes, ideo insinuat quod horum multo deteriores erunt hi qui in ultimis erunt temporibus, majorem suis doctoribus providentes laborem. Unde et adjecit:

« Tu autem sobrius esto, in omnibus labora, opus « fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. » Hoc est, si non adjuventur aliqui, tu illa quæ te oportet agere, age, et cum omni age sollicitudine, sustinens pro Evangelio laborem, et illud quod ad te pertinet facito: pro hoc enim et rationem reddit, non pro aliorum arbitrio. Bene autem dixit « ministerium « tuum imple, » hoc est commissum tibi opus diligenter imple, matura contentus opere tuo, licet si illa, quæ discipulorum sunt, minime concurrere videantur. Et quia testificatus est de his, post exhortationem ostendere cupit, quod tempus opportunum sit ei a contestatione. Unde et dicit: « Ego enim jam deli- « bor, et tempus meæ resolutionis instat. » Propinquus mihi est exitus vitæ præsentis et jam ultra non habebo tempus commonere te de his quæ fieri conveniant. Unde et hanc feci ad te exhortationem, sub teste Deo. Non absolute dixit, delibor, sed quia pro Christi confessione mortem erat subiturus, libationem dixit; nam libatio vini dicitur effusio, quæ fit in divini honoris expiatione. « Bonum certamen cer- « tavi, cursum consummavi, fidem servavi. » Non plaudens ista dicit, sed ad exhortationem dicit Timothei: hoc est, secundum tempus quod in hac vita habebam, omnia quæ ad me pertinere videbantur implebam. (*Cass.*) Et quia se noverat post odorem unguentorum Christi præpeti conscientiæ devotione infatigabiliter cucurrisse, et spiritalis agonis certamen carnis castigatione vicisse, cum fiducia infert: « De cætero reposita est mihi corona justitiæ, quam « reddet mihi Dominus in illa die justus judex. » (*Greg.*) Quia enim contra mala transeuntia de fructu certaverat, de mansuris nimirum gaudiis sine dubietate præsumebat. (*Amb.*) Bene justitiæ coronam vocavit illam, quæ contemplatione laborum datur, et justum judicem nominavit, ad confirmationem illorum quæ illi aderunt pro labore, et ostendens quoniam non solum ipse luctam hujusmodi assequatur, sed et omnes qui ad ejus sollicitudinem laborare pro Evangelio voluerint, unde et dicit: « Non solum « autem mihi, sed et omnibus qui diligunt adven- « tum ejus. » (*Cass.*) Participes nos coronæ suæ in diem judicii fore pronuntians, si diligentes adventum Christi, non illum tantum qui etiam nolentibus apparebit, sed etiam hunc, qui quotidie fit in sanctis animabus, victoriam certaminis, castigatione corporis acquiramus. De quo adventu Dominus in Evangelio: « Ego, inquit, et Pater meus veniemus ad eum « et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV); » et iterum: « Ecce ego sto ad ostium et pulso; si « quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, « introibo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse me « cum, (*Apoc.* III). » [Amb.] Itaque propositum est, inquit, et tibi coronæ præmium, si tantum valueris laborare. Miraculo vero dignum est quod non dixit illis qui laboraverunt, aut passi sunt, sed qui diligunt adventum ejus, eo quod certaminum et passionum tempus non semper est, charitatis vero tempus est, si ea etiam in tempore pacis prout oportet salutare quis deproperaverit, nullam fraudem assequens si tempus certaminum minime adfuerit. In hisce dictis suum consummans consilium exhortationem sua sub testificatione concludens doctrinæ, quam ad eum fecisse videtur, scribit ultra de his rebus, de quibus scribere eum ratio exigebat, ut pote ad suum discipulum, et maxime sibi dilectum. « Festina ad « me venire cito. » Et causam explicans qua cito eum ad se venire jusserat: « Demas, inquit, me « dereliquit diligens præsens sæculum, et abiit in « Thessalonicam. » Hoc est, in deterius versus est, totum se negotiis præsentis vitæ implicans: hoc enim dicit præsentis sæculi delectationem. « Crescens in « Galatiam; » Galatiam dixit, quam nunc nominamus Gallias, sic etiam antiqui omnes loca illa nominabant, sicut recognoscere quis poterit et ex multis aliis, et ex historia Judaica, quam Josephus descripsisse videtur. Nam et hi qui nunc dicuntur Galatæ ita nuncupantur, quos ex illis partibus ad ista loca venisse antiquorum insinuat narratio. « Titus in Dalmatiam. » Hos non ad similitudinem discessisse a se memoratus est, aut in deterius versus, sed hac sola ratione, quod non sint præsentes. « Lucas est mecum « solus. Marcum assumens adduc tecum. » Et quæ sit ratio, ut Marcus veniat, « est mihi, inquit, utilis in ministerio. » Opportunus mihi est, eo quod cum summa sollicitudine universa adimplere deproperat. « Tychicum misi Ephesum. » Deinde præcepit ei etiam illa exsequi, quæ oporteat eum facere servientem. « Penulam, quam reliqui Troadæ apud Carpum, « veniens affer et codices, maxime autem et mem- « branas. » Latina lingua volumina dixit membranas, secundum illam consuetudinem qua Romæ loquebantur, indiscrete usus est hoc sermone, ex qua urbe etiam Epistolam hanc scripsisse visus est. In voluminibus, antiquis temporibus habebant consuetudinem divinas scribere Scripturas, sicuti et usque ad præsens Judæi multa in voluminibus scripta habere videntur; libros autem dixit secundum communem usum, eo quod in alia specie erant libri. Risui vero dignum est de illis, qui hoc in loco penulam Apostolum non indumentum significasse existimaverunt, sed speciem quamdam libri; qui non intenderunt illa quæ subsequuntur: superfluum enim erat dicere, et libros, si tamen et illud libri species erat, quod poterat etiam cum cæteris significari.

« Alexander ærarius multa mala mihi ostendit. « Reddet illi Dominus secundum opera ejus. Quem « et tu devita; valde enim restitit verbis nostris. » Hoc posuit ad custodiam et cautelam Timothei, non ad accusationem Alexandri; nihil enim pertinebat ad

Digitized by Google

eum de hoc, propter quod posuit etiam illam pœnam, quæ ei manebat a Deo, pro quibus talia faciebat, non maledicebat ei sicut quidam existimaverunt, sed ut hortaretur Timotheum multa ab eo sustinentem mala patienter sustinere. Hac ergo de causa necessario memoratus est virum, præcipiens Timotheo ut pro virium suarum possibilitate declinare ejus insidias deproperet. Non convenit vero mirari si ab ærario tanta tunc fiebant indisciplinate, quia et vulgares homines insurgebant adversus eos qui pietatem prædicabant, vulgus autem vel maxime omnes commovere videbatur seditiones. « In prima mea « defensione nemo mihi astitit, sed omnes me dere- « liquerunt: non illis imputetur. » In prima defensione dicit, quando in primis ductus Romam est vinctus ex Judæa, quando et appellationem fecerat. Bene autem precatus est, ut illis non imputetur peccatum hoc, eo quod perspexerit alios ob infirmitatem, alios ob imminentem sibi necessitatem loco cessisse : « Dominus autem astitit mihi, et confortavit « me, ut per me prædicatio impleretur, et audiant « omnes gentes et liberatus sum ex ore leonis. » Leonem hoc in loco Neronem regem per ænigma vocat. Vult enim dicere, quoniam assecutus sum Dei judicium, a quo et confortatus de illis quæ erga me fuerunt satisfaciens, dimitti jussus sum, ita ut cursum meum peragerem, et multis pietatis insinuarem dogmata, quod etiam et fecisse videor. « Et « liberavit me Dominus ab omni opere malo, et salvum me faciet in regnum suum cœleste, cui gloria « in sæcula sæculorum, amen. » Non ultra dixit liberavit me ab eo; prædixerat autem in superioribus quoniam non post multum temporis erat interficiendus, quod et passus est, capitali a Nerone addictus sententiæ, eo tempore quo secunda vice Romam accesserat : sed dixit « ab omni opere malo liberavit me, » hoc est ab omni pressura præsentis vitæ liberavit me, in suum me salvans regnum, quod et exspecto. Post hoc præcepit ei : « Saluta, inquit, Priscillam, et « Aquilam, et Onesiphori domum. » Indicat etiam ei et de aliis, ait enim : « Erastus remansit Corinthi. » Designans quoniam Erastus Corinthi remanserit. « Trophymum autem reliqui apud Myletum infirmum. » Trophymum vero quod ipse infirmantem reliquerit Myleti insinuavit, quibus adjicit. « Festina ante hiemem venire. » Deinde significat scribens ei quoniam et fratres salutant eum, dicens : « Salutant te Eubolus, et Prudens [Pudens], et Linus, « et Claudia, et fratres omnes. » Fratres, inquit, omnes: eos dicit qui utique eo tempore Romæ erant, et illos quidem quos affectu justos sibi esse cernebat nominatim credidit memorandos, cæteros vero fratres in communi salutatione comprehendit, et primum quidem pro ipso Timotheo orans dicit : « Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo. » Post hoc vero consueto fine claudit Epistolam : « Gratia « vobiscum, amen. » In fine consueta salutatione etiam seipsum illis censuit connumerandum.

LIBER VICESIMUS QUINTUS.

EXPOSITIO IN EPISTOLAM AD TITUM.

ARGUMENTUM.

Beatus Apostolus Cretam accedens pietatis rationem illis qui illic habitabant tradidit : quia vero ad alias provincias transire eum ipsa pietatis ratio compellebat, ut universos per diversa loca habitantes pietatis instrueret rationem, beatum Titum Cretæ reliquit, sicuti et Timotheum Ephesi, præponens eum illi ecclesiis quæ illic erant. Scribit ergo ad eum, ut compendiose dicam, de ordinatione faciendа, instruens eum quemadmodum conveniat ipsas facere ordinationes; simul et de cæteris omnibus consilium tribuit, et docens qualiter de singulis agere oporteat eum. Memoratur vero et eorum qui ex circumcisione erant, sicuti et in Epistola memoratus est quam ad Timotheum imprimis scripserat, vehementer instruens eum, ut ne quid pietati contrarium aut ipse doceret, aut alios pateretur docentes. Denique et multam similitudinem hæc Epistola ad illam videtur habere Epistolam. Nam et una causa erat, pro qua et ad istum et ad illum scribebat. Differre vero sibi Epistolæ videntur hac sola ratione, qua Timotheo latius et cautius de omnibus scripsit; in hac vero Epistola quam ad Titum direxerat, compendiose de omnibus visus est explicasse. Epistolæ equidem argumentum in his consistit. Ego vero prædicationem de singulis arripiens compendiose eam explicare admitar : moris siquidem nostri est, ut non absolute prolongemus narrationem quando sufficienter sensus veritatis in paucis poterit explicari.

ALIUD ARGUMENTUM.

Ex Hieronymo.

Licet non sint digni fide, qui fidem primam irritam fecerunt, Marcionem loquor et Basilidem, et omnes hæreticos qui Vetus laniant Testamentum, tamen eos aliqua ex parte ferremus, si saltem in Novo continerent manus suas, et non auderent Christi, ut ipsi jactitant, boni Dei Filii vel evangelistas violare, vel apostolos. Nunc enim cum Evangelia ejus dissi paverint, et apostolorum Epistolas non apostolorum Christi fecerint esse, sed proprias, miror quomodo sibi Christianorum nomen audeant vindicare. Nunc vero cum hæretica auctoritate pronuntient et dicant : Illa Epistola Pauli est, hæc non est; ea auctoritate refelli se pro veritate intelligant, qua ipsi non eru-

Digitized by Google

bescunt falsa simulare. Sed Tatianus Encratitarum patriarcha, qui et ipse nonnullas Pauli Epistolas repudiavit, hanc vel maxime, hoc est, ad Titum, Apostoli pronuntiandam credidit, parvipendens Marcionis et aliorum, qui cum eo in hac parte consentiunt, assertionem. Scribit igitur Apostolus, o Paula et Eustochium, de Nicopoli quæ in Actiaco littore sita, nunc possessionis vestræ pars vel maxima est; et scripsit ad Titum discipulum suum, et in Christo filium quem Cretæ reliquerat ad ecclesias instruendas: præcepitque ei, ut cum e duobus Artemas seu Tychicus Cretam fuerit appulsus, ipse Nicopolim veniat. Justum quippe erat ut ille qui dixerat « sollicitudo mea omnium ecclesiarum, » et qui Evangelium Christi usque ad Illyricum de Hierosolymis proficiscens fundaverat, non pateretur et sui et Titi absentia Cretenses esse desertos, a quibus primum idololatriæ semina pullulaverunt: sed mitteret eis pro se et Tito Arteman vel Tychicum quorum doctrina et solatio confoverentur.

CAPUT PRIMUM.

De Domino Patre, quod ante æterna tempora Dominum Filium nobis promiserit, quem postea suis temporibus declaravit. — De episcopi formula; et quod iidem quondam episcopi fuerint qui et presbyteri dicebantur. Et de seductoribus ecclesiarum.

« Paulus servus Dei, apostolus autem Christi Jesu. » (*Hier.*) In Epistola ad Romanos ita orsus: « Paulus servus Jesu Christi vocatus apostolus: » in hac autem servum se Dei dicit, apostolum vero Christi Jesu. Si enim Pater et Filius unum sunt, et qui crediderit in Filium credit et in Patrem, servitus quoque indifferenter Apostoli Pauli vel ad Patrem est referenda, vel ad Filium. Hæc autem servitus non est illa de qua Apostolus ait (*Rom.* VIII): « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba, Pater; » verum nobilis servitus de qua et David ad Deum loquitur: « Ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ (*Psal.* CXV); » et beata Maria ad angelum: « Ecce ancilla Domini: fiat mihi juxta verbum tuum (*Luc.* I). » Hanc servitutem habuit et Moses, de quo Dominus ad Jesum filium Nave (*Jos.* I, XI, XII, XIII): « Moyses, inquit, famulus meus mortuus est. » Et in alio loco: « Mortuus est Moyses famulus Domini, in terra Moab per verbum Domini. » Absit quippe ut spiritum servitutis Mosen et Mariam in timore, et non in dilectione Dei habuisse credamus. Nec mirum quamvis sanctos homines, tamen Dei servos nobiliter appellari, cum per Isaiam prophetam Pater loquatur ad Filium: « Magnum tibi est hoc vocari te puerum meum (*Isa.* XLIX). » Non est itaque impium credere eum qui formam servi assumpserat, hæc fecisse, quæ servi sunt, ut paternæ voluntati servisse dicatur, cum servis suis ipse servierit. Hæc autem servitus charitatis est, per quam invicem nobis servire præcipimur. Et ipse Apostolus cum liber esset ex omnibus, omnium se servum fecit. Et in alio loco: Vester, inquit, « servus propter Christum. » Servus Dei ille est, qui non est servus peccati. Apostolus igitur qui peccati non fuit servus, recte Dei Patris servus vocatur et Christi. Porro quod ait: « Apostolus autem Christi Jesu; » tale mihi videtur quale si dixisset: præfectus prætorio Augusti Cæsaris, magister exercitus Tiberii imperatoris. Ut enim judices sæculi hujus quo nobiliores esse videantur, ex regibus quibus serviunt, et ex dignitate qua intumescunt, vocabula sortiuntur: ita et Apostolus grandem inter Christianos sibi vindicans dignitatem, apostolum se Christi titulo prænotavit, ut ex ipsa lecturos nominis auctoritate terreret, indicans omnes qui in Christo crederent, debere sibi esse subjectos. « Secundum fidem electorum Dei, et cognitionem veritatis, quæ est juxta pietatem in spe vitæ « æternæ, quam promisit non mendax Deus ante « sæcula æterna: manifestavit autem temporibus « suis verbum suum in prædicatione quæ credita est « mihi, secundum imperium Salvatoris nostri Dei, « Tito charissimo filio juxta communem fidem, gra« tia et pax a Deo Patre et Christo Jesu Salvatore « nostro. » (*Ambr.*) Longam fecit præscriptionem Epistolæ propter multitudinem illam, quam necessario interjecisse videtur, hoc etiam et alio in loco frequenter fecisse noscitur. Sicuti et in illa fecit Epistola quam ad Romanos dudum scripserat. Præscriptionis igitur ratio in his contineri videtur. « Paulus servus Dei apostolus autem Christi Jesu Tito charissimo filio, » et cætera quæ subsequuntur; interposuit vero ab illo loco quo dixerat « secundum fidem electorum Dei, » usque ad illum locum quo dixit, « Tito charissimo filio. » Simile est autem illi principio Epistolæ, quam secundo ad Timotheum visus est scripsisse, ubi dixit: « Paulus apostolus Christi Jesu per voluntatem Dei secundum promissionem vitæ, quæ est in Christo Jesu. » Hoc enim et in hoc loco dicit: quoniam apostolus constitutus sum, ita ut per me credant omnes qui olim a Deo ob propositi sui bonitatem sunt ad hoc electi, qui et cognoverunt pietatis veritatem, ita ut perpetuam illam vitam, quam exspectamus, assequi possint, quam dudum Deus se repræsentari promiserat. « Paulus servus Dei, apostolus autem Jesu Christi secundum fidem electorum Dei. » (*Hier.*) Id est, eorum, qui non tantum vocati sunt, sed et electi. Electorum quoque ipsorum magna diversitas est pro varietate operum, sensuum, atque sermonum. Nec statim qui electus Dei est, vel juxta electionem possidet fidem, vel juxta fidem habet scientiam veritatis. Unde et Salvator ad Judæos qui in eum crediderant est locutus. « Si permanseritis in verbo meo, cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos (*Joan.* VII). » Et evangelista testatur quod hæc credentibus quidem dixerit, sed nescientibus veritatem, quam consequi possent, si in sermone ipsius permanerent, et liberi effecti, servi esse desinerent. Quæritur quare ad id quod ait, « secundum fidem

Digitized by Google

electorum et cognitionem veritatis, » junxerit, « quæ juxta pietatem est. » Utrumnam sit aliqua veritas quæ non in pietate sit posita, et nunc ad distinctionem illius inferatur cognitio veritatis, quæ juxta pietatem est? Est plane veritas, quæ non habet pietatem. Si quis grammaticam artem noverit, vel dialecticam ut rationem recte loquendi habeat, et inter falsa et vera dijudicet. Geometrica quoque et arithmetica, et musica habent in sua scientia veritatem : sed non est scientia illa pietatis. Scientia pietatis est noscere legem, intelligere prophetas, Evangelio credere, apostolos non ignorare. Et e contrario multi sunt qui habent pietatis veram cognitionem, sed non statim et cæterarum artium, et earum de quibus supra mentionem fecimus, veritatem. Hæc igitur veritas, cujus cognitio juxta pietatem est, in spe vitæ æternæ posita est : quia statim ei, qui se cognoverit, præmium tribuit immortalitatis. Absque pietate vero notitia veritatis delectat ad præsens : sed æternitatem non habet præmiorum, quam promisit non mendax Deus ante sæcula æterna, et manifestavit eam temporibus suis in Christo Jesu. Cui autem ante promisit, et postea fecit esse perspicuam, nisi sapientiæ suæ quæ erat semper cum Patre (*Prov.* VIII), cum lætaretur orbe perfecto, et gauderet super filiis hominum, et repromisit eos quicunque in illa crediturі essent, habituros eos vitam æternam? Antequam orbis jaceret fundamenta, antequam maria diffunderet, montes statueret, cœlum suspenderet, terram dejecta mole solidaret, hæc promisit Deus, in quo mendacium non est. Non quia possit mentiri, et nolit in falsitatis verba prorumpere, sed quia qui pater sit veritatis, nullum in se habet mendacium. Sed nec hoc silentio prætereundum est, quomodo non mendax Deus, ante æterna sæcula, æternam spoponderit vitam. Ex quo juxta historiam Geneseos factus est mundus, et per vices noctium ac dierum, et mensium pariter et annorum, tempora constituta sunt. In hoc curriculo et rota mundi tempora labuntur et veniunt, et aut futura sunt aut fuerunt. Unde quidam philosophorum non putant esse tempus præsens, sed aut præteritum aut futurum : quia omne quod loquimur, agimus, cogitamus, aut dum fit, præterit, aut si nondum factum est, exspectamus. Ante hæc igitur mundi tempora, æternitatem quamdam sæculorum fuisse credendum est, quibus semper cum Filio et Spiritu sancto fuerit Pater, et ut ita dicam, unum tempus Dei est omnis æternitas : imo innumerabilia tempora sunt, cum infinitus sit ipse qui ante tempora omne tempus excedit. Sex mille necdum nostri orbis implentur anni : et quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus angeli, throni, dominationes, cæteræque virtutes servierint Deo, et absque temporum vicibus atque mensuris, Deo jubente, substiterint! Ante hæc itaque omnia tempora, quæ nec sermo eloqui, nec mens comprehendere, nec cogitatio tacita audet attingere, promisit Deus Pater sapientiæ suæ verbum suum, et ipsam sapientiam suam, et vitam eorum qui crediturі erant, mundo esse venturam. Diligenter attendite textum et ordinem lectionis, quoniam vita æterna quam non mendax Deus ante sæcula æterna promisit, non alia sit absque verbo Dei. « Manifestavit enim, inquit, temporibus suis verbum suum. » Ergo quam promiserat vitam æternam, ipsa est Verbum suum, quod in principio erat apud Patrem : « et Deus erat Verbum, et Verbum caro factum est et habitavit in nobis (*Joan.* I). » Quod autem Verbum Dei, hoc est Christus, ipse sit vita, in alio loco testatur dicens. « Ego sum vita (*Joan.* XIV). » Vita vero non brevis, non aliquibus circumscripta temporibus, sed perpetua, sed æterna : quæ manifestata est in novissimis sæculis, per prædicationem quæ credita est Paulo doctori gentium et magistro, ut annuntiaretur in mundo, et hominibus nota fieret, juxta imperium Salvatoris Dei, qui nos salvos esse voluit, id quod pollicitus fuerat implendo. Scribit autem Apostolus Tito « charissimo filio » quod Græce dicitur γνησίῳ τέκνῳ, et latino sermone non potest explicari : γνήσιος enim hoc potius sonat, cum quis fidelis, et proprius, et ut ita dicam legitimus, sive germanus, absque comparatione alterius appellatur. Ex quo intelligimus fuisse et in filiis Pauli plurimam differentiam, quod alios haberet γνησίους, id est germanissimos et sibi conjunctos et de vero matrimonio ac de libera procreatos : alios vero quasi ex ancilla et ex Agar, qui non possent hæreditatem accipere cum liberæ filio Isaac (*Gal.* IV). Sermo quippe et sapientia et doctrina, qua Titus Christi ecclesias instruebat, efficiebant eum proprium Apostoli filium, et ab omni aliorum consortio separatum. Videamus post hæc quod sequitur, « secundum communem fidem, » utrumnam omnium qui in Christo credebant, communem dixerit fidem : an communem suam tantum et Titi? Quod quidem mihi melius videtur apostoli Pauli et Titi fidem fuisse communem, quam omnium credentium; in quibus pro varietate mentium fides quoque communis esse non poterat, sed diversa. Ad extremum, præfatio Epistolæ et salutatio præfationis Apostoli ad Titum tali fine completur : « Gratia et pax a Deo Patre et Christo Jesu Salvatore nostro. » Sive quod et gratia et pax tam a Deo Patre sit quam a Christo Jesu, et utrumque ab utroque datum possit intelligi : sive quod gratia ad Patrem, et pax referatur ad Filium. Non absque scrupulo transeundum est quod quibusdam Apostolus imprecatus est, ut eis gratia et pax multiplicarentur : nunc vero ad Titum pax et gratia sine multiplicatione sint positæ. Noe vir justus et e naufrago orbe solus servatus, non dicitur plures gratias, sed unam gratiam invenisse in conspectu Dei. Et Moses ad Dominum, « si inveni, inquit, gratiam apud te. » Perfectorum quippe est unam margaritam et unum thesaurum omnibus margaritis et totius substantiæ suæ emere commercio : incipientium vero et adhuc in itinere positorum, nedum unam et solam habere, sed plures.

Digitized by Google

« Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, » ut ea quæ deerant corrigeres. Apostolicæ dignitatis est Ecclesiæ jacere fundamentum, quod nemo potest ponere, nisi architectus. « Fundamentum autem non est aliud præter Christum Jesum. » Qui inferiores artifices sunt, hi possunt ædes super fundamenta construere. Paulus itaque ut sapiens architectus, et hoc omni labore contendens, ne in præparatis gloriaretur, sed ubi necdum Christus fuerat annuntiatus, postquam dura Cretensium ad Christi fidem corda mollierat, et tam sermone quam signis edomuerat, et edocuerat eos non in vernaculum Jovem, sed in Deum Patrem, et in Christum credere, reliquit Titum discipulum Cretæ, ut rudimenta nascentis Ecclesiæ confirmaret, et si quid videbatur deesse, corrigeret, ipse pergens ad alias nationes, ut rursum in eis Christi jaceret fundamentum. Quod autem ait, « ut ea quæ deerant corrigeres, » ostendit necdum ad plenam venisse scientiam veritatis: et licet ab Apostolo correcti fuerint, tamen adhuc indigere correctione. Omne autem quod corrigitur imperfectum est. (*Ambr.*) Bene dixit « quæ desunt: » nisi pietatis ratio omnibus erat tradita ab Apostolo, restabat ut dispensatio erga credentes impleretur, ita ut et ad consensum instruerentur per ordinationes ecclesiasticas, et quæ sit correctio necessaria insinuat. « Et constituas per civitates presbyteros, sicut ego tibi disposui. » (*Hier.*) Audiant episcopi, qui habent constituendi presbyteros per urbes singulas potestatem, sub quali lege ecclesiasticæ constitutionis ordo teneatur: nec putent apostoli verba esse, sed Christi, qui ad discipulos ait: « Qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui me misit (*Luc.* x). » Sic et, « qui vos audit, me audit: qui autem me audit, audit eum qui me misit (*Ibid.*). » Ex quo manifestum est eos qui, Apostoli lege contempta, ecclesiasticum gradum non merito voluerint alicui deferre, sed gratia, contra Christum facere, qui qualis in Ecclesia presbyter constituendus sit, per Apostolum suum in sequentibus exsecutus est. Moses amicus Dei, cui facie ad faciem Deus locutus est, potuit utique successores principatus, filios suos facere, et posteris propriam relinquere dignitatem; sed extraneus de alia tribu eligitur Jesus, ut sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos qui possunt Ecclesiæ plus prodesse, in Ecclesiæ erigere columnas, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti: vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, et, ut deteriora taceam, qui ut clerici fierent muneribus impetrarunt. Diligenter Apostoli attendamus verba dicentis: « Ut constituas per civitates presbyteros. » (*Ambr.*) Sicut autem errantibus pietatis cognitio est necessaria, sic et illis qui crediderunt necessaria esse videtur commonitio pietatis, quod non aliter fieri potest, nisi omnes in unum conveniant, sintque ad hoc certi electi, qui possint sua doctrina communionis implere officium. Hoc vero implere poterat ex presbyteri ordinatione, qui convenientibus illis disputare ac docere eos poterat de his quæ discere eos conveniebat. Unde et in præsenti horum solummodo est memoratus, eo quod ob hanc ipsam causam plurimum utilitatis in communi possint conferre. Et quidem evidens est, quoniam et cæteri erant necessarii, qui simul in ordine clericorum suum officium implerent, per quos explicari poterant illa quæ ad communem pertinent utilitatem. Deinde iterat illud quod dixerat, « sicut ego præcipio tibi, » docens quales debeant presbyteri ordinari. « Si quis autem sine crimine est, » qui non ex crimine peccatorum, sed ex vitæ suæ cognoscitur integritate, ita ut ipsa vera ratione sine crimine esse cognoscatur, omnes calumniatorum insidias superans.

« Oportet enim episcopum sine crimine esse, tanquam Dei dispensatorem. » (*Hier.*) Idem est ergo presbyter qui et episcopus, et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: « Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ (*1 Cor.* I), » communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis cura Ecclesiæ pertineret, et schismatum semina tollerentur. Putet aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, episcopum et presbyterum unum esse, et aliud ætatis, aliud esse nomen officii: relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis: « Paulus et Timotheus servi Christi Jesu, omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis cum episcopis et diaconis. Gratia vobis et pax, » et reliqua. (*Philip.* I.) Philippis una est urbs Macedoniæ, et certe in una civitate plures, ut nuncupantur, episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem episcopos illo tempore quos et presbyteros appellabant: propterea indifferenter de episcopis quasi presbyteris est locutus. Adhuc alicui hoc videatur ambiguum, nisi altero testimonio comprobetur. In Actibus apostolorum scriptum est (*Act.* XX), quod cum venisset apostolus Paulus Miletum, miserit Ephesum et vocaverit presbyteros ejusdem Ecclesiæ, quibus postea inter cætera sit locutus: « Attendite vobis et omni gregi in quo vos « Spiritus sanctus posuit episcopos pascere Ecclesiam Domini, quam acquisivit per sanguinem « suum. » Et hic diligentius observate, quomodo unius civitatis Ephesi presbyteros vocans, postea eosdem episcopos dixerit. Si quis vult recipere eam Epistolam quæ sub nomine Pauli ad Hebræos scripta est, et ibi æqualiter inter plures Ecclesiæ cura dividitur. Si quidem ad plebem scribit: « Parete principibus « vestris et subjecti estote: ipsi enim sunt qui vigilant pro animabus vestris, quasi rationem reddentes, ne suspirantes hoc faciant, siquidem hoc « utile vobis est. » Et Petrus, qui ex fidei firmitate nomen accepit, in Epistola sua loquitur de-

Digitized by Google

cens : « Presbyteros ergo in vobis obsecro compresbyter et testis Christi passionum, qui et ejus gloriæ, quæ in futurum revelanda est socius sum, pascite eum qui in vobis est gregem Domini, non quasi cum necessitate, sed voluntarie (*I Petr.* v). » Hæc propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros quos et episcopos : paulatim vero ut dissensionum plantaria vellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subjectos : ita episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Mosen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit cum quibus populum judicaret (*Num.* xi). Videamus igitur qualis presbyter sive episcopus ordinandus sit.

« Si quis est sine crimine unius uxoris vir, filios « habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non « subditos. » (*Greg.*) Hoc inter peccatum distat et crimen, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen ; et in hac vita multi sine crimine, nullus vero esse sine peccatis valet. Unde et prædicator sanctus cum virum dignum gratiæ sacerdotalis describeret, nequaquam dixit, Si quis sine peccato, sed « si quis sine crimine. » Quis vero esse sine peccato valeat ? cum Joannes dicat : « Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* i). » In qua videlicet peccatorum et criminum distinctione pensandum est quia nonnulla peccata animam polluunt, nam crimina exstinguunt. Unde beatus Job crimen luxuriæ definiens ait : « Ignis est usque ad perditionem devorans (*Job.* xxxi) ; » quia nimirum reatus facinoris non usque ad inquinationem maculat, sed usque ad perditionem vorat. Et quia quælibet alia fuerint bona opera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate hujus criminis obruuntur, secutus adjunxit, « et omnia eradicans germina. » Germina quippe sunt animæ operationes bonæ, cui tamen si perverso ordine caro dominatur, igne luxuriæ omnia bene prolata concremantur : nulla quippe ante omnipotentis Dei oculos justitiæ pietatisque sunt opera, quæ corruptionis contagio monstrantur immunda. Quid enim prodest si pie quispiam necessitati compatitur proximi, quando impie semetipsum destruet habitationem Dei ? Si ergo per cordis immunditiam libidinis flamma exstinguitur, incassum quælibet virtutes oriuntur.

« Oportet enim episcopum sine crimine esse, tan- « quam Dei dispensatorem, non protervum, non ira- « cundum, non vinolentum, non percussorem, non « turpis lucri appetitorem. » (*Hier.*) Primum itaque sine crimine sit : quod puto alio verbo ad Timotheum « irreprehensibilem » nominatum : non quod eo tantum tempore quo ordinatus est, sine ullo sit crimine, et præteritas maculas nova conversatione deleverit : sed ex eo tempore, quo in Christum renatus est, nulla peccati conscientia mordeatur. Quomodo enim potest præses Ecclesiæ auferre malum de medio ejus, qui in delictum simile corruerit ? Aut qua libertate corripere peccantem, cum tacitus sibi ipse respondeat, eadem se commisisse quæ corripit ? Itaque « qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat (*I Tim.* iii). » Opus inquit, non honorem, non gloriam. « Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli. » Quod autem ait, « unius uxoris vir, » sic intelligere debemus, ut non omnem monogamum digamo putemus esse meliorem : sed quod is possit ad monogamiam, et continentiam cohortari, qui sui exemplum præferat in docendo. Esto quippe aliquem adolescentulum conjugem perdidisse, et carnis necessitate superatum accepisse uxorem secundam, quam et ipsam statim amisit, et deinceps vixerit continenter ; alium vero usque ad senectam habuisse matrimonium et uxoris usum ut plerique æstimant felicitatem, nunquam a carnis opere cessasse : quis vobis videtur e duobus esse melior, pudicitior, continentior ? Utique ille qui infelix etiam in secundo matrimonio fuit, et postea pudice et sancte conversatus est, et non is qui ab uxoris amplexu, nec senili est separatus ætate ? Non sibi ergo applaudat quicunque quasi monogamus eligitur, quod omni digamo sit melior, cum in eo magis sit electa felicitas quam voluntas. Quidam de hoc loco ita sentiunt : Judaicæ, inquiunt, consuetudinis fuit, vel binas uxores habere, vel plures : quod etiam in veteri lege de Abraham et Jacob legimus : et hoc nunc volunt esse præceptum, ne is qui episcopus eligendus est, uno tempore duas pariter habeat uxores. Multi superstitiosius magis quam verius, etiam eos qui cum gentiles fuerint, et unam uxorem habuerint, qua amissa, post baptismum Christi alteram duxerint, putant in sacerdotium non legendos : cum utique si hoc observandum sit, illi magis ab episcopatu arceri debeant, qui vagam per meretrices ante exercentes libidinem, unam regenerati uxorem acceperint : et multo detestabilius sit fornicatum esse cum pluribus, quam digamum reperiri : quia in alio infelicitas matrimonii est, in alio ad peccandum prona lascivia. (*Aug.*) Quod est cibus ad salutem corporis, hoc est concubitus ad salutem generis : et utrumque non est sine delectatione carnali, sed diversa opera Patrum non faciebat, nisi diversitas temporum. Sic autem necesse erat ut carnaliter coirent etiam non carnales prophetæ, sicut necesse erat ut carnaliter vescerentur etiam non carnales apostoli Ecclesiæ. Dispensatorem non licere ordinari nisi unius uxoris virum, acutius intellexerunt, qui nec eum qui, catechumenus, vel paganus, habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt : de sacramento enim agitur, non de peccato, nam in baptismo peccata omnia dimittuntur. Sed qui dixit, « si acceperis uxorem non peccasti, et si nupserit virgo non peccat, et quod vult faciat, non peccat si nubat (*I Cor.* vii), » satis declaravit nuptias.

Digitized by Google

nullum esse peccatum. Propter sacramenti autem sanctitatem, sicut femina etiamsi catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari : ita non absurde visum est eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessarium ; ac per hoc sicut plures antiquorum patrum uxores significaverunt futuras nostras ex omnibus gentibus ecclesias uni viro subditas Christo, ita noster antistes unius uxoris vir significat ex omnibus gentibus unitatem uni viro subditam Christo, qua et nunc perficietur, cum revelaverit occulta tenebrarum, et cætera ; nunc autem sunt manifestæ, sunt latentes dissensiones, etiam salva charitate, inter eos qui unum et in unum futuri sunt, quæ tunc utique nullæ erunt. Itaque sicut duobus dominis pluribusve servire, sic a vivo viro transire in alterius connubium nec tunc licuit, nec nunc licet, nec unquam licebit ; apostatare quippe ab uno Deo, et ire in alterius adulterinam superstitionem, semper est malum. Nec causa ergo numerosioris prolis fecerunt sancti nostri quod Cato dicitur fecisse Romanus, ut traderet vivus uxorem etiam in alterius domum, et sic filiis impletæ sunt ; in nostrarum quippe nuptiis plus valet sanctitas sacramenti quam fecunditas uteri. (*Hier.*) Et quidem esse sine crimine episcopum, sive presbyterum, et unam uxorem habere, in nostra est potestate. Cæterum illud quod sequitur, « habere filios fideles, non in accusatione luxuriæ, ac non subditos, » extra nostram est voluntatem. Esto quippe parentes bene instituisse liberos suos, et a parva ætate semper Dominicis erudisse præceptis : hi si postea luxuriæ se dederint et superati vitiis libidini frena permiserint, nunquid culpa ad parentes redundabit, et sanctitatem patris filii peccata maculabunt ? Si quis bene erudivit filios suos, in his puto fuisse et Isaac, qui utique Esau filium suum bene instituisse credendus est. Verum Esau fornicarius et profanus pro una esca vendidit primogenita sua (*Gen.* XXV, XXVI, *seq.*). Samuel quoque, qui talis fuit ut invocaret Dominum et Dominus exaudiret eum, et in tempore messis pluviam hiemis impetraret, habuit filios qui declinaverunt post avaritiam, et accipiebant munera, et tam iniqui judices exstiterunt, ut populus nequaquam ferens, regem sibi in similitudinem cæterarum gentium postularet (*I Reg.* VIII). Ergo si electio fieret sacerdotum et Isaac propter Esau, et Samuel propter filios suos, indigni sacerdotio putarentur. Et cum peccata parentum filiis non imputentur, nequaquam jam illa vigente sententia : « parentes uvam acerbam manducaverunt, et dentes filiorum obstupuerunt (*Ezech.* XVIII), » filiorum vitia parentibus præjudicabunt ? Primum itaque dicendum est quod tam sanctum nomen sit sacerdotii, ut nobis etiam ea quæ extra nos sunt posita, reputentur, non quod propter vitia nostra episcopi non fiamus : sed quod propter filiorum incontinentiam ab hoc gradu arcendi simus. Qua enim libertate possumus alienos filios corripere, et docere quæ recta sunt, cum nobis statim possit qui correptus est ingerere : Ante doce filios tuos ? Aut qua fronte extraneum corripio fornicantem, cum mihi conscientia mea ipsa respondeat : Exhæreda ergo filium fornicantem, abjice filios tuos vitiis servientes ? Cum autem nequam filius in una tecum conveniat domo, tu audes de alterius oculo festucam detrahere, in tuo trabem non videns ? (*Luc.* VI.) Non itaque justus polluitur ex vitiis filiorum, sed libertas ab Apostolo Ecclesiæ principi reservatur, ut talis fiat, qui non timeat propter vitia liberorum extraneos reprehendere. Deinde etiam illud est inferendum adversum eos qui de episcopatu intumescunt, et putant se non dispensationem Christi, sed imperium consecutos, quia non statim omnibus his meliores sint quicunque episcopi non fuerint ordinati, et ex eo quod ipsi electi sunt, se magis existiment comprobatos. Sed intelligant propterea quosdam a sacerdotio remotos, quia eos liberorum vitia impedierint. Si autem peccata filiorum ab episcopatu justum prohibent, quanto magis se unusquisque considerans, et sciens, quia « potentes potenter tormenta patientur » (*Sap.* VI), retrahet se ab hoc non tam honore quam onere, et aliorum locum qui magis digni sunt non ambiet occupare ! Ad extremum, hoc dicendum est in Scripturis per filios λογισμούς, id est *cogitationes ;* per filias vero, πράξεις, id est *opera*, intelligi, et eum nunc præcipi debere episcopum fieri, qui et cogitationes et opera in sua habeat potestate, et vere credat in Christo, et nulla subrepentium vitiorum labe maculetur. « Oportet enim episcopum sine crimine esse, tanquam Dei dispensatorem. » Quæritur ergo inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur et non comedens et bibens cum ebriosis, percutiat servos et ancillas, sed incertum Domini exspectet adventum, et det conservis in tempore cibaria. Inter villicum autem et familiam hæc sola distantia est quod conservus præpositus est conservis suis. (*Ambr.*) Duo hoc in loco ostendit quæ a nobis jam dicta sunt in prima Epistola Timothei, quoniam illos qui nunc nominantur presbyteri, non presbyteros solum, sed et episcopos tunc dicebant. Nam dum dicit, « ut constituas per civitates presbyteros, » et de presbyteris disputans adjicit : « Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse, sicut Dei dispensatorem ; » et quod dixerat per civitates presbyteros debere constitui, qui ecclesiarum possint implere dispensationem, provincias etenim integras in idipsum committebant illis, quibus ordinandi potestatem præbebant, qui civitates peragrantes, sicut episcopi regiones suas, eos qui in ministerium Ecclesiæ minus esse videbantur, ordinabant, et docebant quæ eos facere conveniebat, ordinantes simulque instituentes singulos, sicut expedire existimabant. Tunc vero isti ipsi qui ordinationi præerant apostoli dicebantur, contemplatione quidem reverentiæ hoc nomine se vocari grave existimantes, prælegerunt, ut se-

Digitized by Google

cundum consuetudinem quæ ad præsens habetur, episcoporum sibi vocabula vindicarent: eo quod apostolorum nomine se vocari sui meriti majorem esse censebant. Si autem non hoc ita se haberet, non utique diceret: ut constituas per civitatem presbyteros, sed diceret: ut constituas per civitatem episcopum, qui ordinatus cuncta quæ illo minus habebantur poterat adimplere. (*Hier.*) Sciat itaque episcopus et presbyter sibi populum conservum esse, non servum. Cætera vero quæ sequuntur in nobis posita sunt. « Non protervum, » id est, non tumentem et placentem sibi quod episcopus sit, sed, quasi bonum villicum, id requirentem quod pluribus prosit. « Non iracundum. » Iracundus est qui semper irascitur, et ad levem responsionis auram atque peccati, quasi a vento folium commovetur. Et vere nihil est fœdius præceptore furioso, qui cum debeat esse mansuetus, et secundum illud quod scriptum est: « Servum autem Domini non oportet rixari, sed humilem esse ad omnes, doctorem, patientem et mansuetudine erudientem eos qui contra veniunt: » ille e diverso torvo vultu, trementibus labiis, rugata fronte, effrenatis conviciis, facie inter pallorem ruboremque variata, clamore perstrepat: et errantes non tam ad bonum retrahat, quam ad malum sua sævitia præcipitet; inde est quod et Salomon ait: « Ira perdit etiam sapientes (*Eccli.* VII); et: « Ira viri justitiam Dei non operatur (*Jacob.* I). » Neque vero qui aliquando irascitur iracundus est, sed ille dicitur iracundus, qui crebro hac passione superatur. Prohibet quoque episcopum esse « vinolentum. » De quo ad Timotheum scribitur: « Non multo vino deditum. » Quale est autem episcopum videre vinolentum, ut sensu occupato vel exaltet risum contra gravitatis decorem, et labiis dissolutis cachinnet; vel si paululum tristis cujusdam rei fuerit recordatus, inter pocula in singultus prorumpat et lacrymas. Longum est ire per singula, et insanias quas ebrietas suggerit explicare. Videas alios pocula in tela vertentes, scyphum in faciem jacere convivæ; alium scissis vestibus in vulnera aliena proruere; alios clamare, alios dormitare; qui plus biberit, fortior computatur, accusationis occasio est, adjuratum per regem, frequentius non bibisse. Vomunt ut bibant, bibunt ut vomant. Digestio ventris et guttur uno occupantur officio. Hoc nunc dixisse sufficiat, quod secundum Apostolum (*Ephes.* V), in vino luxuria est: et ubicunque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominetur. Specta ventrem et genitalia, pro qualitate vitiorum est ordo membrorum. Nunquam ego ebrium castum putabo, qui etsi vino consopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum. Miramur autem Apostolum in episcopis, sive presbyteris damnasse vinolentiam, cum veteri quoque lege præceptum sit (*Levit.* X; *Num.* VI), sacerdotes cum ingrediuntur templum ministrare Deo, vinum omnino non bibere; et Nazareum quandiu sanctam comam nutriat, et nihil contaminatum, nihil mortale conspiciat, et a vino abstinere, et ab uva passa, et a dilutiore, quæ solet ex vinaceis fieri, potione, omnique sicera quæ mentem ab integra sanitate pervertit. Dicat quisque quod volet: ego loquor conscientiam meam. Scio mihi abstinentiam et nocuisse intermissam, et profuisse repetitam. Post vinolentiam etiam hoc præcepit, ne percussor sit: quod quidem simpliciter intellectum ædificat audientem, ne facile manum porrigat ad cædendum, ne in os alterius verberandum insanus erumpat. Melius autem est, ut non percussorem illum esse dicamus, qui mansuetus et patiens, scit in tempore quid loquendum sit, quidve tacendum, nec sermone inutili conscientiam percutit infirmorum. Non enim Apostolus Ecclesiæ principem formans, vetat esse pugilem et pancratiasten, quod etiam in plebeio et quocunque gentili si fuerit, reprehenditur: sed hoc, ut dixi, ne contumeliosus et garrulus perdat eum, quem potuit modestia et lenitate corrigere. Turpis quoque lucri appetitus ab eo qui episcopus futurus est, esse debet alienus. Sunt enim multi docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia: qui totas domos subvertunt, et putant quæstum esse pietatem (*I Tim.* VI). Melior autem est juxta Salomonem (*Prov.* XVI) « modica acceptio cum justitia, quam multa genimina cum iniquitate; » et magis eligendum in paupertate nomen bonum quam in divitiis nomen pessimum (*Psal.* XXXVI). Episcopus qui imitator esse Apostoli cupit, habens victum et vestitum, his tantum debet esse contentus (*I Tim.* VI). Qui altario serviunt, de altario vivant (*I Cor.* IX); vivant, inquit, et non divites fiant. Unde et æs nobis excutitur ex zona, et una tantum tunica induimur, nec de crastino cogitamus (*Marc.* VI). Turpis lucri appetitio est plus quam de præsentibus cogitare. Hucusque quid non debeat habere episcopus, sive presbyter, Apostoli sermone præceptum est: nunc e contrario quid habere debeat explicatur.

« Sed hospitalem, bonorum amatorem, castum, « justum, sanctum, continentem, abstinentem, obti- « nentem eum qui secundum doctrinam est fidelem « sermonem, ut potens sit consolari in doctrina sana, « et contradicentes arguere. » (*Ambr.*) Hospitalem, inquit, hoc est, eos peregrinos qui fide sibi sunt juncti libenter recipientem. « Benignum, » ut erga bonitatem sit studiosus. « Pudicum, » ut ab omni lascivia sese superiorem contineat. « Justum, » ut justitiæ studeat. « Sanctum, » ut ab omni se malo superiorem reservet. « Continentem, » qui non voluptatibus delectetur. « Amplectentem id quod secundum doctrinam fidele verbum, » hoc est, diligentem erga doctrinam pietatis, et quæ nihil prosit, si sit diligens erga doctrinam, si non etiam et possibilitate ipsius doctrinæ fuerit præditus; « ut potens sit consolari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. » Oportet autem adesse ei virtutem, ut non solum docere copiose possit pietatem pios, sed ut et potens sit arguere eos qui resistunt, dogmatum fultus veritate. (*Hier.*) Ante omnia hospitalitas futuro episcopo denuntiatur. Si enim om-

Digitized by Google

nes illud de Evangelio audire desiderant : « Hospes fui, et suscepistis me (*Matth.* xxv), » quanto magis episcopus, cujus domus omnium commune esse debet hospitium! Laicus enim unum, aut duos, aut paucos recipiens, implebit hospitalitatis officium. Episcopus nisi omnes receperit inhumanus est. Sed vereor ne quomodo regina Austri veniens a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, judicatura est homines temporis sui ; et viri Ninivitæ actu pœnitentia ad prædicationem Jonæ condemnabunt eos qui majorem Jona Salvatorem audire contempserint (*Matth.* xii); sic plurimi in populis episcopos judicent subtrahentes se ab ecclesiastico gradu, et ea quæ episcopo non conveniunt exercentes ; de quibus puto et Joannem ad Gaium scribere : « Charissime, fideliter facis quodcunque operaris in fratribus, et hoc peregrinis qui testimonium dederunt dilectioni tuæ coram Ecclesia : quos optime facis si præmiseris Deo digne ; pro nomine enim Domini exierunt, nihil accipientes a gentilibus (*III Joan.* 5, 7). » Et vere sancto Spiritu in se loquente quod futurum erat ecclesiis, jam tunc reprehendit dicens : « Scripsi etiam Ecclesiæ : sed qui primatus agere cupit eorum Dioprepes non recipit nos. Propterea cum venero amovebo ejus opera quæ facit malis verbis detrahens de nobis : et non sufficit ei quod ipse non recipit fratres, sed et volentes prohibet, et de Ecclesia ejicit. » Vere nunc est cernere quod prædictum est in plerisque urbibus episcopos sive presbyteros, si laicos viderint hospitales, amatores bonorum ; invidere, fremere, excommunicare, de Ecclesia expellere, quasi non liceat facere quod episcopus non faciat : et tales esse laicos damnatio sacerdotum sit. Graves itaque eos habent et quasi cervicibus suis impositos, ut a bono abducant opere variis persecutionibus inquietant. Sit autem episcopus et pudicus quem Græci σώφρονα vocant : et Latinus interpres verbi ambiguitate deceptus, pro pudico, prudentem transtulit. Si autem laicis imperatur, ut propter orationem abstineant se ab uxorum coitu, quid de episcopo sentiendum est, qui quotidie prò suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas? Relegamus Regnorum libros, et inveniemus sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse prius dare David et pueris ejus, nisi interrogaret utrum mundi essent pueri a mulieribus (*I Reg.* xxi); non utique alienis, sed conjugibus ; et nisi eos audisset ab heri et nudiustertius vacasse ab opere conjugali, nequaquam panes quos prius negaverat concessisset. Quantum interest inter propositionis panes et corpus Christi? quæ differentia inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum, et ea ipsa quæ per exemplaria præfigurabantur? Quomodo itaque mansuetudo, patientia, sobrietas, moderatio, abstinentia lucri, hospitalitas quoque et benignitas præcipue esse debent in episcopo, et inter cunctos laicos eminentia, sic et castitas propria est, ut ita dixerim, pudicitia sacerdotalis, ut non solum ab opere se immundo abstineat, sed etiam a jactu oculi et cogitationis errore mens Christi corpus confectura sit libera. Justus quoque episcopus esse debet et sanctus, ut justitiam in populis, quibus præest, exerceat, reddens unicuique quod meretur, nec accipiat personam in judicio. Inter laici autem et episcopi justitiam hoc interest, quod laicus potest apparere justus in paucis, episcopus vero in tot exercere justitiam potest, quot et subditos habet. Sanctus autem, quod Græce ὅσιος dicitur, magis id significat, cum ipsa sanctitas est mista pietati, et ad Deum refertur; quem enim nos sanctum, Græci ἅγιον vocant : quem illi ὅσιον, nos pium in Deum possumus appellare. Sit quoque episcopus et abstinens : non tantum, ut quidam putant, a libidine et ab uxoris amplexu, sed ab omnibus animi perturbationibus ; ne ad iracundiam concitetur, ne illum tristitia dejiciat, ne terror exagitet, ne lætitia immoderata sustollat. Abstinentia autem in fructibus spiritus ab Apostolo memorata est. Et si exigitur ab omnibus, quanto magis ab episcopo? qui patiens et mansuetus debet vitia ferre peccantium, consolari pusillanimes, sustentare infirmos, nulli malum pro malo reddere, sed vincere in bono malum. Ad extremum, obtineat eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut quomodo sermo Dei fidelis est, et omni acceptione dignus (*I Tim.* i), sic et ille talem se præbeat, ut omne quod loquitur fide dignum existimetur, et verba ipsius sint regula veritatis. Potens quoque sit eos, qui sæculi istius turbinibus exagitantur, consolari, et per sanam doctrinam infirma præcepta destruere. Sana autem doctrina dicitur ad distinctionem languidæ infirmæque doctrinæ. Talis quoque sit, ut contradicentes arguat hæreticos sive Judæos, et sæculi istius sapientes. Et superiora quidem quæ in episcopi virtutibus posuit, ad vitam pertinent. Hoc vero, quod ait, « ut potens sit consolari in doctrina sana et contradicentes arguere, » referendum est ad scientiam. Quia si episcopi tantum sancta sit vita, sibi potest prodesse sic viveus. Porro si et doctrina et sermone fuerit eruditus, potest cæteros quoque instruere, et non solum instruere et docere suos, sed et adversarios repercutere, qui nisi refutati fuerint atque convicti, facile queunt simplicium corda pervertere. Hic locus adversus eos facit qui inertiæ se et otii somnio dantes, putant peccatum esse, si Scripturas legerint ; et eos qui in lege Domini meditantur die ac nocte (*Psal.* i), quasi garrulos inutilesque contemnunt : non enim advertunt Apostolum post catalogum conversationis episcopi, etiam doctrinam similiter præcepisse.

« Sunt enim multi et non subditi, vaniloqui, et « mentium deceptores : maxime qui de circumci- « sione sunt, quibus oportet silentium indici, qui « universas domos subvertunt, docentes quæ non « oportet turpis lucri gratia. » (*Ambr.*) Multi, inquit, sunt qui obtemperare veritatis doctrinæ nolunt : omnem vero verborum subsequentes vanitatem seducunt multos. Tales autem sunt hi qui ex circum-

Digitized by Google

cisione sunt, qui volunt legis doctrinam Christianorum subintroducere dogmati. Unde necesse est ut vehementius arguantur, ut pote contra æquitatem docentes, ita ut ab eorum seductione simplices liberentur. Nec autem possibile est eos aliter a sua separari dementia, qui omne opus expendunt, ut verborum suorum vanitate universas domus subvertant, et in deterius deducant: quod maxime illa faciunt ratione, ut cupiditatem pecuniæ expleant, et tali ratione acquirere possint pecunias. (*Hier.*) Qui Ecclesiæ futurus est princeps habeat eloquentiam cum vitæ integritate sociatam, ne opera absque sermone sint tacita, et dicta factis deficientibus erubescant. Maxime cum sint non pauci, sed plures, nec subditi, sed protervi, qui non curent illud Psalmistæ dicere: « Nonne Deo subjecta est anima mea? (*Psal.* LXI). » Sed bonam mentium sementem quæ naturaliter habet notitiam Dei, inani persuasione pervertant. Hoc quippe mihi Paulus videtur sensisse, cum dicit, φρεναπάται: non, ut simpliciter Latinus interpres transtulit, deceptores, sed mentium deceptores. Et quidem sine Scripturarum auctoritate garrulitas non haberet fidem, nisi viderentur perversam doctrinam etiam divinis testimoniis roborare. Hi sunt de circumcisione Judæi, qui tunc temporis nascentem Christi Ecclesiam subvertere nitebantur, et introducere præcepta legalia: de quibus ad Romanos et ad Galatas plenius Paulus exsequitur. Et nos ante paucos menses, tria volumina in Epistolæ ad Galatas explanatione dictavimus. Tales homines doctor Ecclesiæ, cui animæ populorum creditæ sunt, Scripturarum debet ratione superare, et silentium illis testimoniorum pondere imponere: qui non unam aut paucas domos, sed universas cum dominis familiisque subvertunt, docentes de ciborum differentiis, de sabbati jam olim abolitione, de circumcisionis injuria; atque utinam hoc ipsum zelo fidei facerent, ex parte aliqua posset ignosci, dicente Apostolo: « Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam (*Rom.* X). » Verum nunc id faciunt quia Deus est venter ipsorum (*Philip.* III), turpis lucri gratia volunt proprios facere discipulos, ut quasi magistri a sectatoribus suis alantur. Possumus autem et aliter interpretari hoc quod dictum est, « turpis lucri gratia, » ut putemus Apostolum communi verbo usum, quo omnes hæretici cum perversa docent, se hominum solent asserere lucratores, cum non lucrum sit, sed perditio, animas interficere deceptorum. Contra qui errantem fratrem suum juxta Evangelium corripuerit, si fuerit ille conversus, lucratus est eum. Quod enim majus lucrum potest esse, aut quid pretiosius, quam si humanam animam quis lucretur? Omnis igitur doctor Ecclesiæ, qui ad Christi fidem recta ratione persuadet, honestus lucrator est: et omnis hæreticus qui quibusdam præstigiis homines fallit et fallitur, loquitur quæ non oportet turpis lucri gratia.

« Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta: « Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. (*Hier.*) » Quantum ad textum sermonis et ad continentiam loci pertinet, hoc quod ait, « Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta, » videtur ad eos referri, de quibus superius est locutus, « maxime qui de circumcisione sunt: quos oportet refrenari, qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia, » ut sequatur, « dixit quidam ex illis proprius eorum propheta. « Quia vero in nullo prophetarum, qui apud Judæam vaticinati sunt, hic hexameter versiculus reperitur, videtur mihi dupliciter legendum, ut hoc quod ait: « Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta, » cum superioribus copuletur, « Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deerant corrigas, » et sequatur, « dixit quidam ex illis proprius eorum propheta, » id est, Cretensium. Sed quia multa in medio sunt, et hoc absurdum videtur, et forte nemo recipiat: propterea cum superioribus, quæ magis vicina sunt, aliter aptandum est, ut legamus: « Sunt enim multi et non subditi, vaniloqui et mentium deceptores, maxime autem qui de circumcisione sunt. Quos multos et non subditos, vaniloquos et mentium deceptores, cum his qui de circumcisione sunt, oportet refrenari, qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta; » ut id quod ait, « proprius eorum propheta, » non specialiter ad Judæos, et eos maxime qui de circumcisione sunt, sed ad multos referatur, qui non subditi sunt, et vaniloqui et mentium deceptores, qui utique, quia in Creta erant, Cretenses fuisse credendi sunt. Dicitur autem iste versiculus in Epimenidis Cretensis poetæ oraculis reperiri; quem in præsentiarum sive alludens prophetam vocavit, quod scilicet tales Christiani, tales mereantur habere prophetas, quomodo et prophetæ erant Baal, et propheta confusionis, et alii offensionum, et quoscunque vitiosos prophetas, scriptura commemorat. Sive vere, quia de oraculis scripserit atque responsis, quæ et ipsa futura pronuntient, et ea quæ ventura sunt multo ante prædicant. Denique ipse liber Oraculorum titulo prænotatur: quem quia videbatur divinum aliquid repromittere, propterea Apostolum arbitror inspexisse, ut videret quid gentilium divinatio polliceretur: et in tempore abusum esse versiculo, scribentem ad Titum qui erat Cretæ: ut falsos Cretensium doctores proprio insulæ auctore contereret. Hoc autem Paulus non solum in hoc loco, sed etiam in aliis fecisse deprehenditur. In Actibus quippe apostolorum, cum concionaretur ad populum, et in Areopago, quæ est curia Atheniensium, disputaret, inter cætera ait: « Sicut et quidam de vestris poetis dixerunt: Ipsius enim et genus sumus (*Act.* XVII). » Quod hemistichium in Phænomenis Arati legitur, quem Cicero in Latinum sermonem transtulit, et Germanicus Cæsar et nuper Avienus et multi, quos enumerare perlongum est. Ad Corinthios quoque, qui et ipsi Attica facundia expoliti, et propter loco-

Digitized by Google

rum viciniam Atheniensium sapore conditi sunt, de Menandri comœdia versum sumpsit iambicum : « Corrumpunt mores bonos colloquia mala (*I Cor.* xv.) » Nec mirum si pro opportunitate temporis gentilium poetarum versibus abutatur, cum etiam de inscriptione aræ aliqua commutans ad Athenienses locutus sit : « Pertransiens enim, inquit, et contemplans sculpturas vestras, inveni et aram in qua scriptum est : IGNOTO DEO. Quod itaque ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. » Inscriptio autem aræ, non ita erat ut Paulus asseruit, « Ignoto Deo, » sed ita : « Diis Asiæ, et Europæ, et Africæ, diis ignotis et peregrinis. » Verum quia Paulus non pluribus diis indigebat ignotis, sed uno tantum ignoto Deo, singulari verbo usus est, ut doceret illum suum esse Deum quem Athenienses in aræ titulo prænotassent : et recte eum scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, et nescire non poterant. Hoc autem Paulus faciebat raro, et ut loci potius quam ostentationis opportunitas exigebat : in morem apium, quæ de diversis floribus solent mella componere, et favorum cellulas coaptare. Sunt qui putent hunc versum de Callimacho Cyrenensi poeta sumptum, et aliqua ex parte non errant. Si quidem et ipse in laudibus Jovis adversum Cretenses scriptitans, qui sepulcrum ejus se ostendere gloriabantur, ait : « Cretenses semper mendaces, qui et sepulcrum ejus sacrilega mente fabricati sunt. » Verum, ut supra diximus, integer versus de Epimenide poeta ab Apostolo sumptus est et ejus Callimachus in suo poemate est usus exordio. Sive vulgare proverbium, quo Cretenses fallaces appellabantur, sine furto alieni operis in metrum retulit. Putant quidam Apostolum reprehendendum, quod imprudenter lapsus sit ; et dum falsos doctores arguit, illum versiculum comprobarit : quod propterea Cretenses dicuntur esse fallaces, quod Jovis sepulcrum inane construxerint. Si enim, loquitur Epimenides sive Callimachus, propterea Cretenses fallaces et malas bestias arguunt, et ventres pigros, quod divina non sentiant, et Jovem qui regnet in cœlo in sua insula fingant sepultum, et hoc quod illi dixerunt, verum esse Apostoli sententia comprobatur, sequitur Jovem non mortuum esse, sed vivum. Imperite igitur Paulus idololatriæ destructor, dum adversum perversos doctores agit, Deos quos impugnabat asseruit. Quibus breviter respondendum est, sicut in eo quod ait : « Corrumpunt mores bonos colloquia mala. » Et in illo, « Ipsius enim et genus sumus, » non statim totam Menandri comœdiam, et Arati librum probavit, sed opportunitate versiculi abusus est, ita et in præsenti loco, non totum opus Callimachi sive Epimenidis, quorum alter laudes Jovis canit, alter de Oraculis scriptitat, per unum versiculum confirmavit, sed Cretenses tantum mendaces vitio gentis increpavit ; non ob illam opinionem qua sunt arguti a poetis, sed ob ingenitam mentiendi facilitatem de proprio eos gentis auctore confutans. Denique ut sciamus Apostolum non fortuito, ut illi arbitrantur, sed considerate et circumspecte, et ex omni parte se protegentem adversum Cretenses locutum, « Testimonium, inquit, hoc verum est, » non totum carmen de quo testimonium sumptum est, non universum opus, sed tantum hoc testimonium, hic versiculus, quo mendaces vocantur. Et utique qui in una tantum poematis parte consensit, cætera confutasse credendus est. Quomodo autem vel Cretenses mendaces, et stulti Galatæ vel dura cervice Israel, vel unaquæque provincia proprio vitio denotetur, in Epistola Pauli ad Galatas disseruimus. Et quia nihil amplius est quod hic possimus afferre, illo contenti sumus, (*Ambr.*) « Hoc, inquit, testimonium verum est : » hoc est, verum est illud de Cretensibus dictum ab aliquo qui apud illos dudum magnus esse æstimabatur. Hoc idem assero, inquit, et ego de ipsis, eo quod dogmate veritatis nullam expendunt sollicitudinem, sed econtrario intendunt mendaciis eorum qui ex circumcisione sunt, qui nihil verum docere eos adnituntur. Quid ergo fieri debeat, quia tales sunt illi?

« Ob quam causam argue eos vehementer, ut « sani sint in fide, non intendentes Judaicis fabulis, « et mandatis hominum, qui aversi sunt a veri- « tate. » Vehementer arguere eos præcepit, ut in fide sana persistant, ne ab illis seducantur, qui fabulas quasdam et deliramenta referunt composita, docentes eos legem servare, quod mandatum hominum est eorum qui veritati minime intendunt, et legem nolunt per Dei cessare sententiam. (*Hier.*) Quamobrem increpa, ait, illos acriter : mendaces quippe sunt et malæ bestiæ, et ventres pigri, qui falsa persuadent, qui ferarum ritu sanguinem sitiunt deceptorum, et non cum silentio operantes, suum panem manducant. « Quorum Deus venter est, et glo- « ria in confusione eorum. » Increpa, ut sani sint in fide. De qua fidei sanitate et in consequentibus loquitur : Senes sobrios esse, honestos, pudicos, sanos in fide et charitate, et patientia. Ad quam fidei similitudinem, doctrinæ quoque sanitas appellatur : « erit enim tempus quando sanæ doctrinæ non acquiescent. » Sunt et sermones sanitatis, de quibus ad Timotheum in prima Epistola loquitur : « Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ (*I Tim.* vi). » Hoc est, si quis post adventum Christi conciditur, et non circumciditur, Judaicis servit fabulis, et mandatis hominum adversantium veritati. Non enim qui in manifesto Judæus est, sed qui in occulto, et circumcisio cordis in spiritu, non littera. Si quis pascha agit, non in azymis sinceritatis et veritatis (*I Cor.* v), ut exterminet ex anima sua omne vetus fermentum malitiæ et nequitiæ, iste attendit fabulas, et umbras sequitur, veritate neglecta. Si quis non resurgens cum Christo, nec quærens ea quæ sursum sunt, sed quæ deorsum, dicit : Ne tetigeris, ne gustaveris, ne attrectaveris quæ sunt in corruptione (*Coloss.* iii), ipso usu secundum præcepta et doctrinas hominum, iste sequitur justitias non bonas, et præcepta non bona.

Digitized by Google

Ubi autem est veritas et lex spiritalis, ibi justificationes bonæ, et præcepta sunt optima : quæ qui fecerit, vivet in eis (*Ezech.* xx).

« Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum, sed polluta est eorum et mens, et conscientia. » (Amb.) Eo quod erga escarum insumptionem scrupulose agere videbantur, e quibus juxta legis dudum latæ tenorem alia quidem debebantur insumi, alia vero repelli ; illa, inquit, quæ ad escam facta sunt, nihil in se immundum habent, si tamen quis cum munda conscientia velit ea insumere ; si quis vero per suam incredulitatem habet conscientiam coinquinatam, nihil mundum esse poterit illi, qui talis est. Nocetur autem similiter ex omnibus illis sua perfidia. (*Hier.*) Adventu Christi purgata sunt omnia : quæ ille mundavit, nos communicare non possumus. Sed considerandum ne ista tractantes occasionem illi hæresi demus, quæ juxta Apocalypsin et ipsum quoque Apostolum Paulum scribentem ad Corinthios, putat de idolothytis esse vescendum : quia omnia munda sunt mundis. Nunc enim Apostolo non fuit propositum de his quæ immolantur dæmonibus disputare, sed adversum Judæos, qui secundum legis abolitæ disciplinam quædam munda, quædam arbitrabantur immunda. Non enim, inquit, possumus mensæ Domini participare, et mensæ dæmoniorum : nec valemus simul bibere de calice Domini, et calice dæmoniorum. » In nobis itaque est vel munda comedere vel immunda. Si enim mundi sumus, munda nobis est creatura. Sin autem immundi et infideles, fiunt nobis universa communia, sive per inhabitantem in cordibus nostris hæresin, sive per conscientiam delictorum. Porro si conscientia nostra nos non reprehenderit, et habuerimus fiduciam pietatis ad Dominum, orabimus spiritu, orabimus et mente ; psallemus spiritu, psallemus et mente (*I Cor.* xiv), et procul erimus ab his de quibus nunc scribitur : « Polluta est eorum et mens, et conscientia. » — « Deum confitentur se nosse, « factis autem negant, exsecrabiles et inobedientes, et « ad omne opus bonum reprobi. » Hi quorum polluta est mens et conscientia, Deum nosse se confitentur, factis autem negant, secundum illud quod in Isaia dicitur : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Isa* xxix ; *Matth.* xv). » Quomodo igitur labiis quis honorat et corde procul recedit, ita Deum sermone quis confitens, operibus negat. (*Ambr.*) Negant, inquit, operum ejus cognitionem, dum legibus ejus nolunt obtemperare, neque aliquid de illis quæ conveniunt agere. (*Hier.*) Negans autem operibus Deum, confessione simulata recte exsecrabilis et profanus est : et nulla veritatis ratione persuasus, inobediens et incredulus appellatur. Unde evenit ut ad omne opus bonum reprobus sit : quod scilicet etiam ea quæ naturali bonitate superatus forte bona fecerit, non sint bona, dum mentis perversitate sunt reproba. Æstimant quidem in eo tantum Deum negari, si in persecutione quis a gentibus comprehensus, se renuerit Christianum. Sed ecce Apostolus omnibus quæ perversa sunt factis Deum asserit denegari. Christus sapientia est, justitia, veritas, sanctitas, fortitudo. Negatur per insipientiam sapientia, per iniquitatem justitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo. Et quotiescunque vincimur vitiis atque peccatis, toties Deum negamus ; et econtrario quoties bene quid agimus, Deum confitemur. Nec arbitrandum est in die judicii illos tantum a Dei Filio denegandos, qui in martyrio Christum negarunt : sed per omnia opera, sermones, cogitationes, Christus, vel negatus negat, vel confessus confitetur. De hac puto confessione et discipulis præcipit dicens : « Eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad extremum terræ (*Act.* i) ; » ut in omnibus bonis operibus atque sermonibus mens Christo dedita ipsi confiteatur. Est et quædam laudanda negatio, de qua et ipse Apostolus ait (*Tit.* ii) : « Ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, caste et juste et pie vivamus in hoc sæculo exspectantes beatam spem et adventum salvatoris nostri Dei. » Quam negationem qui negaverit, et sequi voluerit Salvatorem loquentem : « Quicunque voluerit venire ad me, abneget semetipsum (*Matth.* xvi), » exutus veterem hominem cum operibus ejus, et indutus novum, sequetur Dominum suum (*Ephes.* iv). Quomodo autem quis se abneget contemplandum est. Pudicus fornicatorem quod prius fuerat negat, sapiens imprudentem, justus injustum, fortis infirmum ; et, ut in commune de omnibus loquar, toties nos negamus, quoties vitia priora calcantes desinimus esse quod fuimus, et incipimus esse quod ante non fuimus.

CAPUT II.

Titus instruitur ad informandum senes, juvenes et servos.

« Tu vero loquere quæ decet sanam doctrinam. » (*Hier.*) Aliud est sanam doctrinam loqui, aliud ea quæ sanæ conveniunt docere doctrinæ : quia in altero simplex tantum institutio est, in altero cum eo quod doceas, vitæ quoque correctio est. « Qui enim solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum (*Matth.* v). » Legimus Salvatorem præcipientem discipulis non solum in meditatione Scripturarum eos laborare debere, ut quæ scripta sunt replicent, et condant in memoriæ thesauro, sed prius faciant quæ præcepta sunt : « Quicunque vero fecerit et docuerit, ille vocabitur magnus in regno cœlorum (*Ibid.*). » Nisi enim supergressa fuerit nostra justitia Scribarum justitiam et Pharisæorum, non possumus ingredi regna cœlorum. Qui supra Mosi cathedram sedentes, dicunt et non faciunt, et alligant onera importabilia, quæ cervicibus hominum imponunt, et ipsi minimo digito ea nolunt contingere (*Matth.* xxiii). Hoc igitur nunc Apostolus Titum filium in Christo et discipulum suum docet, ut ea loquatur quæ sanæ conveniant doctrinæ, quia tunc doctrinæ sit sanitas, cum doctoris doctrina pariter et vita

Digitized by Google

consentiunt. « Senes sobrios esse, honestos, pudi- A
« cos, sanos in fide, et charitate, et patientia. »
(*Ambr.*) Deest, doce. Vult enim dicere : seniores doce, ut dicat eos qui in Ecclesia antiquioris sunt ætatis, ita ut sobrii sint et erga illa sint solliciti, quæ fieri conveniunt pudicitiæ simul et castitati. Sanos in fide et charitate, secundum illam firmitatem quam omnes habere oportet. (*Hier.*) Generaliter Tito ante præcipiens quid ipse loqui deberet ad cunctos, in eo quod ait : « Tu vero loquere quæ decet sanam doctrinam, » nunc per singulas species quid unamquamque ætatem deceat, exponit. Primum senibus viris convenientia, deinde anus quid deceat; tertio, quæ adolescentibus apta sint, tam maribus videlicet, quam feminis; licet in præcepto mulierum vetularum de adolescentibus B
feminis mandata subjecerit, ut non tam ipse doceret adolescentulas, quam quid a vetulis docerentur exponeret; ultimo de servis et per singulas ætates et conditiones sic decenter præcepta constituit, ut sermo ejus vitæ morumque sit regula. Senes igitur vult sobrios esse sive vigilantes, quia νηφάλιοι apud Græcos utrumque sonat; honestos, ut ætatis gravitatem morum gravitas decoret; pudicos, ne in aliena ætate luxurient, ne jam frigido ad libidinem sanguine, exemplo sint adolescentibus ad ruinam; sanos in fide, de qua fidei sanitate supra diximus. Sanos autem non tantum in fide, verum etiam « in charitate, et in patientia, » ut cum primam fidei habuerint sanitatem, audiant a Salvatore : « Fides tua te salvum fecit (*Matth.* IX). » Calida quippe est charitas in his C
qui fervent spiritu : frigens autem et glacialis et gelida in his qui flatus aquilonis durissimos suscepere. « Ab aquilone enim exardescent mala super omnes inhabitantes terram (*Jer.* I). » De hoc frigore charitatis et Ammon in sorore sua Thamar obriguerat (*II Reg.* XIII). Timendum ergo ne forte et nos hac infirmitate charitatis aliquando superemur. Nonnunquam enim evenit, ut primum a nobis in virginem, sive in quamlibet feminam sit sancta dilectio : et cum mollita mens fuerit in affectus, paulatim sanitas charitatis languore pallescat, et infirmari incipiat, ut ad extremam mortem diligentem ferat. Unde et Apostolus caute et prudenter Timotheo præcipit, ut exhortetur adolescentulas in omni castitate. D
Omnis autem castitas in carne, et spiritu, et anima est; ne scandalizetur oculus; ne in pulchritudine vultus feminæ hærentes pendeamus; ne inutilia audire verba delectet; ne ad simulatos sermones mens prius dura marcescat. Caveant ergo, ut diximus, tam juvenes quam senes, tam adolescentulæ quam vetulæ, et omni diligentia custodiant cor suum, ne per sanitatem dilectionis morbus charitatis introeat, et per amorem sanctum non fiat sancta dilectio, quæ illos pertrahat ad gehennam. Qui sanus est in fide, qui sanus in charitate, sanus quoque sit in patientia, et patientia, quæ maxime in tentationibus comprobatur : quia nihil prodest habuisse quæ supra enumeravimus, nisi omnes divitiæ et mercimonia, quibus onusta navis est, in tempestate serventur, et perflantibus hinc inde ventis absque naufragio ea quæ bene parta sunt liberentur : « Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X *et* XXIV). »

« Anus similiter in habitu sancto, non incentrices non vino multo servientes, bene docentes, ut « ad castitatem erudiant : adolescentulas, ut ament « viros suos, ut ament filios, pudicas, castas, habentes curam domus, benignas, subditas viris suis, ut « verbum Dei non blasphemetur. » (*Ambr.*) Anus autem illas dicit, quæ ætate sunt provectæ, sicuti et de senioribus superius dixit; non, sicut quidam errant in Ecclesia, ut mulieres, quæ provectæ sunt ætate, ad instar virorum, presbyterii officium sortirentur : hoc enim instruit dum dicit, « similiter; » vult enim dicere ut et mulieres, quæ ætate sunt provectæ, habitu sint decenti ornatæ, id est, ut erga reverentiam et verecundiam sint provectæ, nec vino intendant multo, aut ebrietati. Sed nec istorum verba ad illos, nec illorum deferant ad istos. Bona docentes, quæ non modo diligentiam poterint adhibere bonitati, sed et docere illa quæ sunt optima. (*Hier.*) Tametsi apostolus Petrus præceperit ut viri uxoribus suis tanquam infirmiori vasculo honorem tribuant (*I Petr.* III), non tamen arbitrandum est, quod uxor quæ corporis vasculum habet infirmum, statim et animo cadat. Unde nunc præcipitur eis, ut in ipsis quoque illud Apostoli compleatur : « Virtus in infirmitate perficitur (*II Cor.* XII), » et dicitur, ut et omnia habeant, quæ senibus viris sunt præcepta communiter, in eo scilicet quod ait, « anus similiter, » hoc est, ita ut viri senes, in omnibus sobriæ, honestæ, pudicæ, sanæ in fide et charitate et patientia; et pro sexu suo hoc habeant proprium, ut sint in habitu sancto, sive ut melius legitur in Græco ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς, ut ipse quoque earum incessus, et motus, vultus, sermo, silentium, quamdam sacri decoris præferant dignitatem. Et quia hoc genus muliercularum solet esse garrulum, juxta illud (*I Tim.* V) : « Simul autem et otiosæ, discunt circumire domos, non solum autem otiosæ sed et verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet; » propterea eas vult esse non incentrices, id est, non accusatrices, non tales quæ, ut aliis placeant, de aliis detrahant. Aut certe quia ipsæ adolescentiam jam transgressæ sunt, de adolescentularum ætatibus disputent, et dicant : Illa sic ornatur, illa sic comitur, sic illa procedit, amat illum, amatur ab illo : cum etiam si hæc vera sint, non tam apud cæteros debeant accusare, quam ipsam secrete Christi charitate corripere, et magis docere ne faciat, quam in publico accusare quod fecerit. Solent hæ ætates, quia corporis frixere luxuria (licet sint plurimæ, quæ nec canos suos erubescant, et ante gregem nepotum trementes virgunculæ componantur), vino se dedere pro libidine; et cum inter pocula sibi prudentes visæ fuerint et facundæ, morum quasi austeritatem assumere, loquentes hoc quod sibi videntur esse, et non recordantes illud

Digitized by Google

quod fuerunt : et a vini ergo nimio potu anus prohibeantur, quoniam quod in adolescentibus libido, hoc in senibus ebrietas est. Aut quomodo potest docere anus adolescentulas castitatem, cum si ebrietatem vetulæ mulieris adolescentula fuerit imitata, pudica esse non possit ? Signanter autem et expresse ait : « Non vino multo servientes. » Servitus enim quædam est et extrema conditio, vino sensus hominis occupari, et non suum esse, sed vini. Quia igitur docuit quales primo anus esse deberent, et post illa quæ cum senibus viris habent communia, etiam propria earum exposuit, ut honesto et sancto habitu et omni decore sint plenæ : nec accusatrices, nec aliis detrahentes, nec vino sensibus occupatis. Nunc consequenter doctrinæ eis frena permittit, ut cum tales fuerint, docendi habeant libertatem, ut scilicet doceant ea quæ bona sunt. Licet enim alio loco dixerit, « docere autem mulieribus non permitto, » sic intelligendum est, ut in viros illis sit doctrina sublata. Cæterum adolescentulas doceant quasi filias suas. Primum castitatem, quia adversus hanc magis in ætate florenti pugnat inimicus, et virtus ejus omnis contra feminas in umbilico ventris est. Deinde, ut ament viros suos, diligant filios. Quæ doctrina est amare viros, cum hoc non in eloquio docentis, sed in corde amantis sit constitutum? Vult eas amare viros suos caste; vult inter virum et mulierem esse pudicam dilectionem, ut cum pudore et verecundia, et quasi necessitate sexus, reddat potius debitum viro quam ipsa exigat ab eo, et opera liberorum ante oculos Dei et angelorum perpetrare se credat : ita nec illa erubescet etiam secretum cubile, noctis tenebras, et clausum cubiculum suum, cum omnia patere Dei oculis cogitarit. Filios autem ita diligunt, si eos in Dei eruditi disciplinam. Cæterum nolle eos contristare docendo quæ bona sunt, et libertatem tribuere peccati, non est amare filios, sed odisse. Eruditantur quoque adolescentulæ, ut domus habeant diligentiam. Et quia poterat evenire ut diligentia domus cum austeritate regeretur, et per hoc Apostoli præceptum severior matrona fieret in servulos, ideo copulavit, « benignas, » ut tunc se crederet mariti bene domum regere, si hoc benignitate impetraret a servulis, non terrore. Nec non et « subditas viris suis » ait, ne forte divitiis et nobilitate perflatæ, Dei sententiæ non meminerint, per quam subjectæ sunt viris. Ait quippe ad mulierem : « Ad virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur (*Gen.* III). » In quo Scripturæ sanctæ consideranda prudentia est, quia non viro hoc Dominus fuerit locutus et dixerit, Dominaberis uxori tuæ : sed ipsi mulieri, ut illi præmium relinqueret obsequelæ, dum in potestate ejus est, si Dei velit obedire præceptis, servire viro, et marito esse subjecta, ut quodammodo esset libera servitus et dilectione plena, ideo serviens est viro, dum eum metuit offendere. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Et cum caput mulieris vir sit, caput autem viri Christus, quæcunque uxor non subjicitur viro suo, hoc est capiti suo, ejusdem criminis rea est, cujus et vir si non subjiciatur Christo capiti suo. Verbum autem Domini blasphematur, vel dum contemnitur Dei prima sententia, et pro nihilo ducitur : vel Christi infamatur Evangelium, dum contra legem fidemque naturæ, ea quæ Christiana est, et ex Dei lege subjecta, viro imperare desiderat, cum etiam gentiles feminæ viris suis serviant communi lege naturæ.

« Juvenes similiter exhortare ut pudici sint in « omnibus : teipsum exemplum præbe bonorum ope« rum, in doctrina, in integritate, et castitate, in « sermone sano et irreprehensibili · ut qui ex ad« verso est, revereatur, nihil habens de nobis dicere « mali. » (*Ambr.*) Sicut enim de illis dicens instruxit quales esse adolescentulæ mulieres debeant, optime adjecit et de juvenibus dicens, « similiter, » hoc est et viros juvenes edoce, ut sobrietati et pudicitiæ studeant. Et quoniam memoratus est omnium seniorum et juvenum, sive virorum, sive mulierum, consequenter adjicit : « Ad omnia teipsum præbens exemplum bonorum operum, in doctrina tene incorruptibilitatem, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, erubescat, nihil habens de nobis dicere pravum. » In omnibus, inquit, bonis operibus de quibus alios doces, teipsum formam præbe : omnem castitatem ipsis ostendens operibus, et omne quidquid bonum est, et ab omni reprehensione est alienum enarra, ita ut vita nostra adversarios erubescere faceret, dum nihil de nobis possint dicere pravum. (*Hier.*) Sicut in eo quod supra præceperat dicens, « Anus similiter in habitu sancto, » similitudinem anuum dixeramus ad senes esse referendam : ita nunc in eo quod intulit : « Juvenes similiter hortare, ut pudici sint, » similitudinem juvenum ad anus, et per anus ad senes arbitramur aptandam : ut senum habeant sobrietatem, et honesti sint, et pudici, et sani, in fide et charitate, et patientia. Anuum autem in habitus sanctitate, ut non sint accusatores, non vino multo servientes, bene docentes, et cætera. Proprium autem adolescentulorum hoc posuit, ut pudici sint in omnibus, tam scilicet mente, quam corpore; tam opere, quam cogitatione : ut nulla sit in adolescente suspicio turpitudinis. Et licet quidam de latinis ita æstiment legendum : « Juvenes similiter hortare, ut pudici sint, » et postea inferant « in omnibus teipsum formam præbens bonorum operum; » tamen sciamus « in omnibus » ad superiora esse referendum, id est, « hortare ut pudici sint in omnibus. » Sciendum quoque hoc quod continentia non solum in carnis opere et in animi concupiscentia, sed in omnibus rebus necessaria sit, ne honores indebitos appetamus, ne accendamur avaritia, ne ulla passione superemur. « Teipsum, inquit, formam præbens bonorum operum. » Nihil prodest aliquem exercitatum esse in dicendo, et ad loquendum trivisse linguam, nisi plus exemplo docuerit quam verbo. Denique qui impudicus est, quamvis disertus sit, si ad castitatem audientes cohortetur, sermo ejus infirmus

Digitized by Google

est, et auctoritatem non habet cohortandi. Et e contrario, quamvis sit rusticanus et tardus ad loquendum, si castus fuerit, exemplo suo homines potest ad vitæ similitudinem impellere. Quod autem ait, « in incorruptione, » sic accipiendum, quod incorruptio proprie virginitatem sonet. Denique qui virgines sunt, vulgo incorrupti appellari solent; et qui virgines esse desierint, corrupti nominantur; et dicimus : Illa quæ fuit quondam virgo, corrupta est. Unde et Titum æstimo, priusquam carnis opere occuparetur, Evangelio credentem accepisse baptisma, et virginem permansisse, et nunc ab Apostolo ut in incorruptione formam sui præbeat commoneri : quam quidem incorruptionem in Timotheo non videmus. Nam cum ei diceret : « Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed forma esto fidelium in sermone, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate : » de incorruptione tacuit, et tantum posuit castitatem. Castitas autem et in cœlibatu absque virginitate intelligi potest; nisi forte castitatem accipiamus in mente, incorruptionem vero in corpore, juxta illud quod alibi in virginis definitione scribitur. « Ut sit sancta corpore et spiritu. » Et ipse nunc consequenter adjunxit » in doctrina, in incorruptione, in pudicitia. » Possumus et incorruptionem et pudicitiam, etiam in doctrinæ integritate interpretari, nisi quod specialiter sequitur, « sermone sano et irreprehensibili, » proprium haberet super doctrinæ institutione præceptum. Quod autem ait, « sermone irreprehensibili, » non quod ullus tantæ facundiæ et prudentiæ sit, ut a nemine reprehendatur (reprehenduntur quippe et apostoli et evangelistæ ab hæreticis et gentibus), sed quod nihil dignum reprehensione dicat, aut faciat, licet adversarii sint ad reprehendendum parati. Et quia sunt multi non subditi, vaniloqui et mentium deceptores, qui oderunt in portis arguentem, et sermonem sanctum abominantur, propterea exemplum nos in omnibus præbeamus in doctrina, in integritate, in pudicitia, in sermone sano et irreprehensibili, ut adversarii vitæ et doctrinæ nostræ sanitate perterriti, non audeant accusare, hoc est, nihil versimile in accusatione confingere. Et revera usque hodie videmus nonnullos in Ecclesiis, quanquam hæc rara avis sit, tantæ gravitatis continentiæque esse, ut etiam ab adversariis habeant testimonium, et dicatur : Magnus vir ille, et sanctæ conversationis et probis moribus, nisi esset hæreticus. Nemo est enim tam immoderatæ impudentiæ, ut solis radios possit accusare tenebrosos, et clarum lumen caligine noctis offundere. Unde et Apostolus hæc eadem præcavens ait (*II Cor.* xi) : « Ut auferam occasionem his qui volunt occasionem. » Potest autem is qui ex adverso est, et diabolus intelligi, qui accusator est fratrum nostrorum, ut Joannes evangelista prædicat : qui cum nihil habuerit mali quod nobis objiciat, erubescit, et criminator non poterit criminari. Diabolus autem in latina lingua criminatorem sonat.

« Servi dominis suis subditi sint in omnibus, « sint placentes, non contradicentes, non furantes, sed « omnem fidem ostendentes bonam, ut doctrinam « Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus? » (*Ambr.*) Servos suis dominis subditos esse docet etiam hoc in loco. « Doce in omnibus » dicit, si hoc dominis libitum fuerit. Quod etiam in subsequentibus evidentius, « in omnibus, » dicit, quæ ad solum pertineat obsequium, nec autem ut ad impietatem vertantur publicavit dicens. Non contradicentes, non fraudantes, ita ut non spernant præcepta dominorum suorum, neque fraudem aliquam dominis suis inferant, aut aliquid eorum furentur : sed fidem omnem ostendentes bonam, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus. Doce, inquit, eos ut omnem fidem suis exibeant dominis. Sic enim Dei doctrina mirabilis videbitur, eo quod et servos tales erga dominos exhibeat suos. (*Hier.*) Quoniam Dominus et Salvator noster qui in Evangelio ait : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* xi), » nullam conditionem, ætatem, sexum, a beatitudine arbitratur alienum, propterea nunc Apostolus et servis præcepta constituit, scilicet ut parti Ecclesiæ membrisque corporis Christi. Et quomodo superius, senes, anus, adolescentulas, juvenes, quid Titus erudire deberet, edocuit : ita nunc servis apta præcepta constituit. Primum ut subditi sint dominis suis in omnibus. In his autem omnibus quæ non sunt contraria Deo; ut si dominus ea jubet quæ non sint adversa Scripturis sanctis, subjiciatur servus domino. Sin vero contraria præcipit, magis obedire debet spiritus quam corporis domino. Diligenter attendite quomodo congrua personis præcepta decernat. « Servi, inquit, dominis suis subditi sint in omnibus. » In alio loco de filiis disputans ait : « Filii, obedite parentibus (*Coloss.* iii). » Filios quippe decet parentibus obedire; servos vero imperanti domino esse subjectos. Sed quomodo pauper iuxta mensuram suam salvari potest; et mulier in sexus infirmitate a regno Dei non excluditur, et omnis conditio secundum ordinem suum, beatitudinem capere potest : ita et servi complaceant sibi quod servi sint : et non idcirco putent Deo se servire non posse, quia subjecti sint hominibus : sed in eo magis placere voluntati Dei, si et dominis suis subditi fuerint in omnibus, et complacuerint sibi in conditione sua; et quod deinceps Apostolus præcipit exsequantur, ut non sint contradicentes, non furantes. Vel maximum servorum vitium est dominis contradicere, et cum aliquid jusserint, secum mussitare. Itaque Titum commonet, ut per doctrinam sanam ab his qui Christiani servi sunt, istiusmodi auferat passionem. Si enim quæ dominus imperat, necesse habet servus implere, cur hoc ipsum non cum bona faciat voluntate; sed et dominum offendat, et tamen faciat quod jubetur; maxime cum et Deus ad aquam contradictionis offensus sit? Et in alio loco de murmurante populo loquatur : « Desinat a me murmuratio eorum, et non morientur (*Num.* xx). » Post contradictionem et aliud servorum vitium doctrina Christi corrigat, « ne fures sint. » Fur autem non solum in majoribus, sed

Digitized by Google

et in minoribus judicatur. Non enim id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur. Quomodo in fornicatione et adulterio, non idcirco diversa sit fornicatio aut adulterium, si pulchra, vel dives, deformis, aut pauper sit meretrix vel adultera : sed qualiscunque illa fuerit, una est fornicatio vel adulterium : ita et in furto, quantumcunque servus abstulerit, furti crimen incurrit. Sint itaque servi subditi dominis suis in omnibus, sint complacentes conditioni suæ, ut non ferant aspere servitutem, non contradicant dominis, non furentur; et post hæc in omnibus fidem bonam ostendant, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus. Si enim apud carnales dominos in minimo fideles fuerint, incipient eis apud Deum majora committi : ornat autem doctrinam domini, qui ea quæ conditioni suæ apta sunt, facit. Ut e diverso confundit eam, qui non est subjectus in omnibus, cui conditio sua displicet, qui contradictor atque fraudator, in nullo fidem bonam ostendit. Quomodo enim potest fidelis esse in substantia Dei, qui carnali domino fidem exhibere non potuit?

« Apparuit autem gratia Dei Salvatoris omnibus « hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impieta- « tem et sæcularia desideria, sobrie, juste, et pie vi- « vamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, et « adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri « Jesu Christi : qui dedit semetipsum pro nobis, ut « eriperet nos ab omni iniquitate, et mundaret sibi « populum acceptabilem, æmulatorem bonorum ope- « rum. » (*Ambr.*) Talis, inquit, est nunc gratia, quæ per Christum apparuit, quæ omnibus est discenda; ut impietatem et pravitatem, cupiditatem et injustitiam, fugientes vitam præsentem transigamus et pudicam et castam vitam nostram per omnia demonstremus : ita ut statum futurum quem exspectamus, prout potest, nunc informati imitari videamur, quando exspectamus Deum et communem nostrum Salvatorem Christum, qui apparebit in communi omnibus nobis beneficia præstans; quia ob hanc ipsam causam pro nobis pati maluit, ut nos ab omni eriperet pravitate, et proprium sibi populum acquireret, qui bonis semper sit operibus præditus. (*Hier.*) Post catalogum doctrinæ ad Titum, quid senes, quid anus, quid adolescentulas et juvenes, quid ad extremum servos erudire deberet, recte nunc intulit : « Illuxit enim gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus. » Non est enim aliqua differentia liberi et servi, Græci et Barbari, circumcisi et habentis præputium, mulieris et viri : sed cuncti in Christo unum sumus, universi ad Dei regnum vocamur, omnes post offensam Patri nostro reconciliandi sumus; non per merita nostra, sed per gratiam Salvatoris, vel quod Dei Patris vivens, et subsistens gratia ipse sit Christus, vel quod Christi Dei Salvatoris hæc sit gratia, et non nostro merito salvati simus, secundum illud quod in alio loco dicitur : « Pro nihilo salvabis eos (*Psal.* LV); » quæ gratia omnibus hominibus ideo illuxit, « ut erudiret nos abnegantes impietatem et sæcularia desideria, pudice et juste et pie vivere in hoc sæculo. »

A Quid sit autem abnegare impietatem, et sæcularia desideria, ex eo quod supra exposuimus, « Deum confitentur se scire, factis autem negant (*Tit.* I), » intelligi posse confido; et per contraria intelligi contraria. Sæcularia igitur desideria sunt, quæ a mundi istius principe suggeruntur, et cum sint sæculi, cum sæculi hujus nube pertranseunt : nos autem cum pudice et juste, nec corpore scilicet nec mente peccantes, vixerimus in Christo, pie quoque vivemus in hoc sæculo : quæ pietas exspectat beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Sicut enim impietas reformidat adventum magni Dei, ita secura de opere suo et de fide illum pietas præstolatur. Ubi est serpens Arius, ubi Eunomius coluber? Magnus Deus Jesus Christus Salvator dici- B tur, non primogenitus omnis creaturæ, non Verbum Dei et sapientia, sed Jesus Christus, et quæ vocabula assumpti hominis sunt. Neque vero alium Jesum Christum, alium Verbum dicimus, ut nova hæresis calumniatur, sed eumdem et ante sæcula, et post sæcula, et ante mundum, et post Mariam, imo ex Maria, magnum Deum appellamus Salvatorem nostrum Jesum Christum, qui dedit seipsum pro nobis, ut pretioso sanguine suo nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum περιούσιον, (ita quippe habetur in Græco) et bonorum operum faceret æmulatorem. Recte igitur Christus Jesus, magnus Deus noster atque Salvator, redemit nos sanguine suo, ut sibi Christianum populum peculiarem faceret, qui peculiaris esse tunc posset, si bo- C norum operum æmulator existeret. Unde et illud quod in Evangelio secundum Latinos interpretes scriptum est : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, » melius in Græco habetur « panem nostrum ἐπιούσιον, » id est præcipuum, egregium, peculiarem, eum videlicet, qui de cœlo descendens ait : « Ego sum panis qui de cœlo descendi (*Joan.* VI). » Absit quippe ut nos qui in crastinum cogitare prohibemur, de pane isto qui post paululum concoquendus et abjiciendus est in secessum, in prece Dominica rogare jubeamur. Nec multum differt inter ἐπιούσιον et περιούσιον : præpositio enim tantummodo est mutata, non verbum. Quidam ἐπιούσιον æstimant in oratione Dominica, panem dictum, quod super omnes οὐσίας sit, hoc est super universas substantias; quod si ac- D cipitur, non multum ab eo sensu differt, quem exposuimus : quidquid enim egregium est et præcipuum, extra omnia est et super omnia.

« Hæc loquere et exhortare, et increpa cum omni « imperio. » (*Hier.*) Tria posuit « loquere, exhortare, increpa : » et quidem in eo quod ait « loquere » ad doctrinam videtur esse referendum; quod vero intulit « exhortare, » id est, παράκλει, aliud quoddam in Græco significat quam in Latino; παράκλησις quippe magis *consolationem* quam *exhortationem* sonat. Hoc verbum et superius de adolescentibus est locutus : « Juvenes similiter consolare, pudicos esse in omnibus, » de quo nos in suo loco ita ut in Latino legitur quasi *exhortare* scriptum esse, expressimus.

Digitized by Google

Consolatur igitur audientem qui dicit : « Rogamus pro Christo, reconciliamini Deo (*II Cor.* v); » et seipsum humiliat et subjicit, ut lucrifaciat quem consolatur. Quod vero tertium est, « increpa » consolationi mihi videtur esse contrarium, ut quicunque consolationem contempserit, increpatione sit dignus, et mereatur audire : « Obliti estis consolationis, quæ vobis ut filiis loquitur (*Hebr.* xii). » Ad Timotheum quoque alteram consolationem, et increpationem alteram legimus, dicente Apostolo : « Insta opportune, importune; argue, increpa, consolare (*II Tim.* iv). » Et ibi quidem increpatio ante assumitur, et postea consolatione severitas temperatur. Hic vero ante vult discipulos consolari, et si non profecerint consolando, tunc corripi, et corripi cum omni imperio. Sic enim intelligo hoc quod dictum est : « Increpa cum imperio, » ut specialiter ad increpationem, et non ad duo superiora in commune referatur. Neque enim convenit dicere, consolare cum omni imperio, et loquere cum omni imperio, sed tantummodo « increpa cum omni imperio. » (*Ambr.*) Quomodo ergo hæc se habent dico, tu ista doce, neque, si opus sit, arguere graviter dubites eos qui dictis his non suadentur. Et quia diffidentibus dixit, quos cum imperio arguere oportere dixit, adjicit. » Nemo te contemnat. » Ut contemnat vero te nemo dicit, si et valde sit aliquis ferox, sed ut arguas eum peccantem, ita ut illum arguendo pudicos ac sobrios et castos alios instituas. (*Hier.*) Æstimet aliquis hoc ipsum nunc ad Titum scribi, quod ad Timotheum dictum est : « Nemo adolescentiam tuam contemnat (*I Tim.* iv). » Nos vero juxta Græci sermonis differentiam, aliud putamus significare περιφρονείτω, quod hic scribitur, et aliud καταφρονείτω, quod ad Timotheum dictum est, et præpositiones περὶ vel κατὰ sensum facere diversum. Quod autem non fortuito, et ut libet, Paulus apostolus non solum nominibus et verbis, verum etiam præpositionibus diversis utatur pro varietate causarum, perspicuum fieri poterit et ex eo quod ait : « Mulier enim ex viro, vir vero per mulierem (*II Cor.* xi); » et alibi : « Quia ex eo, et per eum, et in ipso omnia (*Rom.* xi), » necnon et illud : « Paulus apostolus, non ab hominibus neque per hominem (*Gal.* i). » Æstimamus itaque καταφρόνησιν ad contemptum proprie pertinere, vel cum quis inter equuleum laminasque distentus, dolorem contemnit, et nec judicis comminationem, nec circumstantis populi fremitum pertimescit, sed pro confessione martyrii universa supplicia contemnit et despicit. E contrario autem est et malus contemptus, de quo et Habacuc, Spiritu sancto in se loquente, testatur : « Videte nunc contemptores et inspicite mirabilia, et disperdimini (*Habac.* i); » juxta quod ad Timotheum quoque scriptum diximus : « Nemo adolescentiam tuam contemnat (*I Tim.* iv), id est, nolo te talem exhibeas, ut possis ab aliquo merito contemni. Περιφρόνησις ergo, quæ nunc ad Titum ponitur, illum sensum habet : Nemo eorum qui in Ecclesia sunt, te segniter agente, sic vivat ut se putet esse meliorem. Qualis enim ædificatio erit discipuli, si intelligat se magistris esse majorem? Unde non solum episcopi, presbyteri et diacones, debent magnopere providere, ut cunctum populum cui præsident conversatione et sermone præcedant, verum et inferior gradus, exorcistæ, lectores, æditui, et omnes omnino qui domui Dei serviunt, quia vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse quam clericos.

CAPUT III.

Ostenditur quomodo populus se debeat habere erga principes, cum ratione dicti, et erga hæreticos. Annectitur salutatio.

« Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare, non esse litigiosos, esse modestos : omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. » (*Ambr.*) Necessario posteriorem doctrinam adjecit, quod oporteat eos etiam illis qui, secundum præsentem vitam, in sublimitate quadam sunt dignitatum, subditos esse et obtemperantes, de quibus imperat pro communi statu et utilitate, eo quod multi bonum quid facere se existimant, si contemnant eos qui secundum præsentem vitam præesse cæteris videntur, et maxime quando impietate quadam perditi esse videntur. Deinde dicit eos qui pietati studere cupiunt, de quibus oporteat habere sollicitudinem : non tamen existimare aliquid boni esse, si iidem contra alteros litem exerceant aut contendant. « Ad omne bonum paratos esse, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. » Nec enim virtutis aut industriæ est, ut dicas contra eos qui dignitatibus sublimati sunt : melius enim est ut cum omni studio quæ bona sunt agas, neminem blasphemiis pulsans, sed abstinens te ab omni contentione, vitam tuam cum omni instituens modestia et mansuetudine, quam maxime et erga omnes homines ostendere te convenit : non solum erga illos qui principare aliis videntur, sed erga illos qui in plebe eorum sunt ordine. Et quia a principibus incipiens ad cæteros suum vertit sermonem, instruens quod conveniens sit, ut erga omnes homines modestiam suam ostendant : objiciebant vero ei illi quorumdam impietatem, ob quam et usque ad præsens multi fidelium bonum quid esse existimant, si adversus hujusmodi ipsi litem exerceant, bene adjicit : « Eramus enim et nos aliquando sine intellectu, insuadibiles, errantes, » etc. (*Hier.*) Quia Judæ Galilæi per illud tempus dogma adhuc vigebat, et habebat plurimos sectatores, cujus et in Actibus apostolorum fit mentio, Scriptura referente : « Ante hos enim dies surrexit Theodas, dicens quemdam esse se magnum, cui appositi sunt viri quasi tria millia : et post hunc surrexit in diebus census Judas Galilæus (*Act.* v), » qui inter cætera hoc quasi probabile proferebat ex lege, nullum debere Dominum nisi solum Deum vocari, et eos qui ad templum decimas deferrent, Cæsari tributa non reddere. Quæ hæresis in tantum cre-

Digitized by Google

verat, ut etiam Pharisæorum et multam partem populi conturbaret, ita ut ad Dominum quoque nostrum referretur hæc quæstio: « Licet Cæsari dare tributum annon? » (*Matth.* XXII; *Marc.* X.) Quibus Dominus prudenter cauteque respondens, ait: « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. » Cui responsioni Paulus Apostolus congruens docet, principatibus et potestatibus credentes debere esse subjectos: ἀρχαί quippe quæ leguntur in Græco magis principatus quam principes sonant, et ipsam significant potestatem, non eos qui in potestate sunt homines. Sed quia dixerat, « admone illos principatibus et potestatibus subditos esse, » poterat his qui tormenta formidant occasio ad negandum dari, dum juxta Apostoli dictum se assererent principatibus et potestatibus esse subjectos et facere quod juberent, propterea subjecit, « obedire ad omne opus bonum. » Si bonum est quod præcepit Imperator et præses, jubentis obsequere voluntati; si vero malum et contra Deum sapit, responde ei illud de Actibus apostolorum: « Obedire oportet Deo magis quam hominibus (*Act.* V). » Hoc ipsum et de servis intelligamus, qui apud dominos sunt, et de uxoribus apud viros, et de filiis apud parentes, quod in illis tantum debeant dominis, viris, parentibus esse subjecti, quæ contra Dei mandata non veniunt. Quod vero sequitur, « paratos esse, » dupliciter legendum, ut vel subaudiatur ad omne opus bonum paratos esse, vel certe cum superioribus copulato, hoc quod ait: « Obedire ad omne opus bonum, » et hucusque finito, quasi aliud proprium et speciale præceptum sit, « paratos esse: » juxta illud quod in Levitico scriptum est (*Levit.* XVI), « hircum qui emittitur maledicta populi sustinentem tradi in manus hominis parati. « Si quis ergo paratus est ut caprum pompagum [ἀποπομπαῖον] teneat et educat illum in desertum et ibi eum disperdat, et quantum in se est sorte maledictionis exterminet, is cum obedierit omni operi bono etiam paratus erit. Potest autem et aliter accipi « paratos esse, » ut omnia quæcunque evenire possunt, sibi in animo præfigurent, et cum acciderint, nihil quasi novum sustineant, sed eis præparata sint omnia. « Neminem quoque blasphemare » non simpliciter accipitur, nec enim ait, neminem hominem blasphemare, sed absolute neminem, non angelum, non aliquam creaturam Dei; omnia quippe quæ a Deo facta sunt valde bona sunt. » Quando Michael archangelus cum diabolo disputabat de Moysis corpore, non fuit ausus inferre judicium blasphemiæ, sed dixit, imperat tibi Deus (*Judæ.* 9). » Si igitur Michael non fuit ausus Diabolo, et certe maledictione dignissimo, judicium inferre blasphemiæ, quanto magis nos ab omni maledicto puri esse debemus? Merebatur Diabolus maledictum, sed per os Archangeli blasphemia exire non debuit. Relege veteres libros, et vide quæ tribus in monte Garizim constitutæ sint, ut benedicerent populo, et quæ in monte altero ut maledicerent. Ruben, qui maculaverat thorum parentis, et Zabulon novissimus filius Liæ, et ancillarum liberi, in monte Hebal ponuntur, ut maledicant eis qui male dictione sunt digni (*Deut.* XXVII). Longum est si nunc enumerem quomodo Jacob, qui ad benedictionem vocaverat filios (*Gen.* XLIX) dicens: « ut benedicam vobis, » postea quasi in benedictione consociet, « maledictus furor eorum, quia procax, » et ipse Dominus loquatur in Genesi: « Maledicta terra in operibus tuis (*Gen.* III). » Hoc nunc tantum dixisse sufficiat, quod blasphemare Christi discipulos non oportet; nec quod additur « esse litigiosos » nos oportet. Si enim sumus filii pacis et volumus super nos pacem requiescere, et accessimus ad Jerusalem cœlestem (*Hebr.* XII), quæ ex pace nomen accipit, cum his qui oderunt pacem habeamus pacem (*Psal.* CXIX), et quantum in nobis est, cum omnibus hominibus pacati simus, non solum cum modestis, sed etiam cum rixosis: quia nulla virtus est ferre mansuetos; locumque demus iræ, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines, non quod vanæ gloriæ desiderio nos esse mansuetos omnibus hominibus ostendere debeamus; sed dum omnes ferimus et injuriæ vicem non rependimus, ipsa opera notiora universis fiant. Potest aliquis ob jactantiam et opinionem vulgi auramque popularem simulare apud quosdam mansuetudinem, et fingere bonitatem, sed ubi non est vera, et genuina, et solida mansuetudo, nescio an eum esse mansuetum possit omnibus persuaderi.

« Fuimus enim aliquando et nos stulti, inobedientes, errantes, servientes desideriis, et voluptatibus variis, in malitia et in invidia agentes, odiosi, odientes alterutrum. » (*Amb.*) Si, inquit, propter impietatem eum odis, memor esto, quoniam antea tales eramus omnes. Bene autem adjecit dicens *odibiles*, hoc est digni eramus odiri, sed non utique volebamus odiri. (*Hier.*) Quærat aliquis quomodo Paulus fuerit stultus, incredulus, errans et serviens variis desideriis, et voluptatibus in malitia, et in invidia, odiosus et odiens, antequam Salvatoris nostri bonitas atque clementia per lavacrum secundæ generationis eum salvum faceret, non ex justitiæ operibus quæ fecerat: sed ex misericordia sua, effuso abundanter et large super apostolos et credentes per Jesum Christum Spiritu sancto, ut hæreditatem gratiæ consecuti, spem vitæ in perpetuum possiderent. Et certe legimus eum secundum justitiam quæ in lege est sine querela fuisse circumcisum octava die, Hebræum ex Hebræis, secundum legem Pharisæum (*Phil.* III), de tribu Benjamin, eruditum ad pedes Gamalielis, et ab infantia sacris litteris institutum; ad quod respondetur, Judæos, qui ante adventum Salvatoris et passionem ejus et resurrectionem in lege versati sunt, licet non plenam, attamen aliqua ex parte habuisse justitiam, sicut Simeon quoque et Anna prophetes in templo Dei serviens est reperta; postquam vero populus conclamavit: « Crucifige, crucifige eum; non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX); » et: « Sanguis ejus super nos et super

Digitized by Google

filios nostros (*Matth.* XXVII),» ablatum est ab eis regnum Dei et traditum genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI), ex eo tempore qui in Christum non credidit fuit stultus, errabundus, incredulus et serviens variis voluptatibus. An non vobis videtur Paulus fuisse stultus, quando habebat zelum Dei, sed non secundum scientiam (*Rom.* X; *I Cor.* XV), et persequebatur Ecclesiam et lapidantium Stephanum vestimenta servabat? (*Act.* VII.) Cum in tantum odii contra Servatorem instigatus exarserat, ut litteras a sacerdotibus acciperet pergens Damascum ad eos qui in Christum crediderant vinciendos? (*Act.* IX.) aut quomodo ullas poterat habere virtutes sine virtute Dei Christi Jesu, aut æstuantem flammam restinguere voluptatum, cum non esset templum Dei? Quæ autem major potest esse malitia et invidia, quam contra absentes epistolas sumere, et ubique Christi vastare discipulos? Nolle ipsum salvum fieri, et cæteris qui salvi esse poterant, invidere: odisse Christianos, et consequenter ab omnibus odium promereri. Quis autem major error et inobedientiæ vecordia? quam postquam respiravit dies, et præterierunt umbræ, legem abolitam velle reservare et dicere: « Ne attrectaveris, ne contigeris, ne gustaveris, » et apparente solido et virili cibo, infantiæ cupere lacte potari? « Cum autem boni- « tas et humanitas illuxit Salvatoris nostri Dei; non « ex operibus justitiæ quæ nos fecimus, sed secundum « suam misericordiam salvavit nos per lavacrum « regenerationis et renovationis Spiritus sancti, « quem effudit super nos opulente, per Jesum Chri- « stum Salvatorem nostrum? Ut justificati illius « gratia, hæredes efficiamur secundum spem vitæ « æternæ. » (*Ambr.*) Quæ ergo Dei misericordia apparuit per Christi adventum, et ipsi assecuti sumus, illa quæ ab eo est salute, non ex operibus nostris illam assequentes; aderat autem nihil boni, sed per ejus misericordiam, qui per formam lavacri virtute sancti Spiritus renovavit nos et segregavit, ditissimam nobis præstitit bonorum fruitionem ut ejus gratia justitiam assequi digni inveniremur, quam ex nostris operibus assequi minime potuimus, quoniam perpetuam illam vitam assequimur, in qua constituti liberi erimus ab omni corruptela et omni peccato. Hæc autem ideo memoratus est, ut illos doceret, quoniam ipsi misericordia sola tantorum bonorum digni sunt habiti. Non ergo est justum ut illos propter impietatem odiis prosequamur, qui et ipsi dudum odiosi fuisse videbamur. (*Hier.*) Diligentius attendamus et inveniamus in præsenti capitulo manifestissimam Trinitatem; benignitas quippe atque clementia Salvatoris nostri Dei, non alterius quam Dei Patris, per lavacrum regenerationis et renovationem Spiritus sancti, quem effudit super nos abundanter per Jesum Christum Salvatorem nostrum, justificavit nos in vitam æternam. Salus credentium mysterium Trinitatis est. Alii hunc locum ita intelligunt, ut non de Paulo et apostolis, sed sub apostolorum persona de aliis dictum putent: ut quomodo sub persona sua et Apollo et Cephæ, de dissensione et schismate quod arguebat in Corinthiis est locutus, ita etiam in præsenti loco se et apostolos nominans, omnes qui in Christo crediderant, quales fuerint ante regenerationem lavacri vitalis ostenderit. Simul autem et humilitas ejus est admiranda, quod qui omnem utilitatem justitiamque legis quasi quisquilias et purgamenta contempsit, recte se sine Christo vitiis omnibus servisse memorarit.

« Fidele verbum, et de his volo te confirmari, ut « solliciti sint bonis operibus præesse hi qui credi- « derunt Deo; hæc enim sunt bona et utilia homi- « nibus. » (*Ambr.*) Cum enim non dubium sit et verum, quod ipsi misericordia Dei tanta sumus bona assecuti, hoc ideo dicit fidele verbum, præcedentibus illud annectens; necessarium utique est, ut ipse cum multa fiducia de his doceas, et consilium des illis, qui crediderint Deo, quatenus diligentiam convenientem adhibeant, eo quod ista juvare possunt homines. (*Hier.*) Hoc quod ait, « fidelis sermo » ad superiora jungendum est quibus præmiserat, « ut justificati ipsius gratia hæredes efficiamur secundum spem vitæ æternæ; » dignus enim fide super hæreditate Dei sermo et super spe vitæ æternæ. Unde oportet de his non dubium, non timentem et ipsum credere, et ut credant cæteros confirmare. Non solum autem hoc, sed et hoc cum cæteris his qui voluerint credere, confirmandum est; quapropter ait, « et de his volo te confirmare. » Qui autem ista vera esse crediderint, necesse est ut curam habeant bonorum operum, per quæ hæreditas Dei et spes vitæ præparatur æternæ. Et pulchre ut majorem fidem faceret, non dixit, qui credunt hominibus, sed, qui credunt Deo: necesse est enim ut curam bonorum operum habeant, quæ adimpleta et omni studio perpetrata, bona sunt utiliaque credentibus. « Stultas autem quæstiones, et genealogias, et con- « tentiones, et pugnas quæ veniunt ex lege, devita: « sunt quippe inutiles et vanæ. » (*Ambr.*) Eo quod illis in temporibus multa nocivitas Ecclesiæ ab illis inferebatur, ideo ipsa necessitate addictus, et in principium Epistolæ, et in finem memoratus est eorum: sic etiam fecisse videtur et in illa Epistola, quam ad Timotheum scripserat; Ne patiaris inquit conquirere et decertare de illis quæ in lege præcepta sunt, neque genealogiis intendens opus tuum impedias, quæ illi consuete proferunt verbositati studentes. Ex his enim nullum juvamen quispiam assequi poterit, sed et multam sustinet nocivitatem. (*Hier.*) Quia multiplices et diversæ sunt quæstiones, propterea Salomon de his qui quærunt Deum locutus est dicens: « Recte autem quærentes eum invenerunt pacem; » qui igitur Deum non recte quærunt, pacem invenire non possunt. Plurima exempla sunt quærentium non recte Deum. Judæi prave quærunt Deum, sperantes se eum invenire posse sine Christo. Hæretici vano sermonum strepitu concrepantes quærunt quem invenire non possunt. Philosophi quoque et barbari de Deo varia sentientes quæsierunt Deum: sed quia non recte quæsierunt, fuerunt eorum fatue

Digitized by Google

quæstiones putantium Deum humanis sensibus posse comprehendi. Ab his igitur Paulus nos revocat quæstionibus; cæterum ad sapientes, et quæ Scripturarum auctoritate sunt fultæ, magis cohortatur et provocat, præceptorum non nescius Salvatoris, in quibus ait: « Quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis; petite, et dabitur vobis. Omnis enim qui quærit inveniet, et qui quærit accipiet, et qui pulsat aperietur ei (*Luc.* XI); » modo non sit corpus nostrum subditum peccatis, et ingredietur in nos sapientia. Exerceatur sensus, mens quotidie divina lectione pascatur, et quæstiones nostræ stultæ non erunt quæstiones. Quod autem ait, « genealogias et contentiones et rixas, quæ veniunt ex lege devita, » proprie pulsat Judæos, qui in eo se jactitant et putant legis habere notitiam, si nomina teneant singulorum: quæ B quia barbara sunt et etymologias eorum non novimus, plerumque corrupte proferuntur a nobis: et si forte erraverimus in accentu, in extensione et brevitate syllabæ, vel brevia producentes, vel producta breviantes, solent irridere nos imperitiæ, maxime in aspirationibus et quibusdam cum rasura gulæ litteris proferendis. Quomodo nos, qui latini sumus, latina nomina et origines de lingua nostra habentia facilius memoriæ tradimus, ita illi a parva ætate vernacula sui sermonis vocabula plenissimis sensibus imbiberunt, et ab exordio Adam usque ad extremum Zorobabel omnium generationes ita memoriter velociterque percurrunt, ut eos suum putes referre nomen. Hoc nos, qui aut alias litteras didicimus, aut certe sero credidimus in Christum, aut etiam si C infantes sumus Ecclesiæ mancipati, magis scripturarum sensum quam verba sectamur. Dialectici, quorum Aristoteles princeps est, solent argumentationum retia tendere, et vagam rhetoricæ libertatem in syllogismorum spineta concludere. Hi ergo qui in eo totos dies et noctes terunt, ut vel interrogent, vel respondeant, vel dent propositionem, vel accipiant, assumant, confirment atque concludant, quosdam contentiosos vocant, qui ut libet, non ratione, sed stomacho disputent litigantium. Si igitur illi hoc faciunt quorum proprie ars contentio est, quid debet facere Christianus, nisi omnino fugere contentionem? Rixæ quoque legales penitus respuendæ sunt, et Judæorum stultitiæ relinquendæ: sunt enim D inutiles et vanæ, quæ tantum speciem scientiæ habent, cæterum nec dicentibus, nec audientibus prosunt. Quid enim mihi prodest scire quot annos vixerit Mathusala, quoto ætatis suæ anno Salomon sortitus est conjugem, ne forsitan Roboam undecimo ætatis illius anno natus esse credatur? et multa istiusmodi, quæ aut difficile est invenire propter librorum varietatem, et (dum paulatim de inemendatis inemendata scribuntur) errores inolitos; aut etiam si inveniremus magno studio et labore, nihil profutura cognovimus. Frequenter accidit ut habeamus pugnas legis, non ob desiderium veritatis, sed ob jactantiam gloriæ, dum apud eos qui audiunt, docti volumus æstimari: aut certe ex hoc rumusculo A turpia sectamur lucra. Deinde generaliter instruit dicens.

« Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quod subversus est ejusmodi, et deliquit, qui est a semetipso damnatus. » (*Amb.*) Et ad plenum, inquit, illum devita, qui ea quæ contraria sunt pietati prælegit: hunc enim hæreticum vocat. Postquam enim semel et bis eumdem instruxeris et ostenderis ei illa quæ conveniunt ejus saluti, superfluum est diutius cum ejusmodi disputare, cum sit manifestum quoniam nullam percipit correctionem, ex quibus semel et bis illa quæ conveniebant sibi audiens, cognoscere noluit veritatem. Relinque ergo eum qui talis est, ut justam exspectet a judice pœnam, eo quod nullum ex instructione in his consummans plenarium consilium suum. (*Hier.*) Hæresis Græce ab electione dicitur, quod scilicet unusquisque id sibi eligat, quod ei melius esse videatur. Philosophi quoque Stoici, Peripatetici, Academici et Epicurei, illius vel illius hæreseos appellantur. Superfluum est ire per singula, et Marcionem, Valentinum, Apellen, Hebionem, Montanum et Manichæum cum suis enumerare dogmatibus, cum perfacile sit unicuique cognoscere, quibus singuli ducantur erroribus. Arius et Eunomius et novæ auctor hæreseos, utinam tam noti non essent, minus forsitan plurimos decepissent! Hæreticum igitur hominem post unam correptionem, sive ut in Græco melius habetur, νουθεσίαν, devita: νουθεσία autem commonitionem magis et doctrinam absque increpatione significat. Legitur in latinis codicibus, quod verum Papa quoque Athanasius approbabat, « post unam et alteram correptionem, » quod scilicet non sufficiat tantum semel eum corripi vel commoneri qui aliquo sit depravatus errore; sed et secunda ei sit adhibenda doctrina, ut in ore duorum aut trium testium stet omne verbum. Quare autem post primam et secundam correptionem devitandus sit, reddit causas dicens: « quod subversus est ejusmodi, et peccat cum sit a semetipso damnatus. » Qui enim semel bisque correptus, audito errore suo, non vult corrigi, errare æstimat corrigentem, et e contrario se ad pugnas et jurgia verborum parans, eum vult lucrifacere a quo docetur. Propterea vero a semetipso dicitur esse damnatus, quia fornicator, adulter, homicida, et cætera vitia, per sacerdotes de Ecclesia propelluntur. Hæretici autem in seipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes; quæ recessio propriæ conscientiæ videtur esse damnatio. Inter hæresim et schisma hoc esse arbitrantur, quod hæresis perversum dogma habeat, schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur, quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest. Cæterum nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresim ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.

« Cum misero Arteman ad te vel Tychicum, festina venire ad me Nicopolim, ibi enim statui hiemare. » (*Hier.*) Legimus in exordio istius Episto-

Digitized by Google

læ : « Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deerant corrigas, et constituas per civitates presbyteros sicut ego tibi disposui; » ut quia Cretenses nuper crediderant, recedente Paulo et ad alias Ecclesias transeunte, non dimitterentur orphani, sed haberent apostolicum virum, qui ea, quæ videbantur deesse, corrigeret : quia ergo post fundamentum aliarum Ecclesiarum necessarius erat Titus, qui ædificium superstrueret, scribit ei, ut cum Artemam vel Tychicum, unum scilicet e duobus qui secum fuerant, Cretam misisset, impleturum locum ejus, ipse Nicopolim veniret, ipsi se hiematurum esse contestans. Ex quo paternum Pauli in Cretenses probamus affectum; necessarium habet Titum in Evangelii ministerium, tamen non eum ante ad se vult venire, nisi in locum ejus Artemas vel Tychicus successor advenerit. Nicopolis ipsa est, quæ ob victoriam Augusti, quod ibi Antonium Cleopatramque superavert, nomen accepit. « Zenam legis doctorem et « Apollo sollicite præmitte ut nihil illis desit. » (*Hier.*) Iste est Apollo, de quo et ad Corinthios scribitur : « Unusquisque vestrum dicit : Ego sum Pauli, et ego Apollo, et ego Cephæ (*I Cor.* III). » Fuit autem vir Alexandrinus ex Judæis, valde eloquens, et perfectus in lege, Episcopus Corinthiorum, quem propter dissensiones, quæ in Corintho erant, ad vicinam insulam Cretam, cum Zena legis doctore putandum est transfretasse, et Pauli Epistola dissensionibus quæ Corinthi ortæ fuerant temperatis, rursum Corinthum revertisse. Zenam vero legis doctorem de alio Scripturæ loco qui fuerit non possumus dicere, nisi hoc tantum quod et ipse Apostolicus vir, id operis, quod Apollo exercebat, habuerit, Christi ecclesias exstruendi. Præcipit itaque Tito ut quoniam de Creta ad Græciam navigaturi erant, non eos faciat sitarciis indigere, sed habere ea quæ ad viaticum necessaria sunt. « Discant autem et nostri bonis operibus præesse in necessariis usibus, ut non infructuosi sint. » Supra dixerat, « Zenam legis doctorem et Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis desit. » Quia ergo poterat suboriri occulta responsio, ut non tam Titus, quam quicunque Epistolæ lector hoc diceret : et unde Tito, ut viaticum non habentibus largiretur, solvit hanc quæstionem, et quasi nihil sibi opponatur elidit dicendo, « discant autem et nostri bonis operibus præesse in necessariis usibus ut non infructuosi sint. » Nostros suos vocat, qui in Christo crediderant : qui quia Christi erant, recte et Pauli et Titi appellari merebantur. Habes, inquit, in discipulos potestatem, doce eos non esse infructuosos, sed Evangelistis et Apostolicis viris, qui bonis operibus serviunt ministrare, et ministrare non in quibuscunque causis, sed in necessariis usibus : « Habentes quippe victum et vestimentum, his contenti simus (*I Tim.* VI); » et qui altario serviunt de altario vivant, et qui participes spiritualium nostrorum facti sunt, debent nobis sua participare carnalia. Et ne forsitan vel Epistolam Pauli, vel præceptum Titi facile contemnerent, infructuosos vocat, quicunque Evangelistis non ministraverint. Dicit et Salomon in Proverbiis, « fructus vero eleemosyna, » et ipse Paulus primum spiritus fructum charitatem vocat, charitas autem in communicatione et in ministerio vel maxime comprobatur. « Ut non, inquit, infructuosi sint : » « Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur (*Matth.* III). » Hoc autem dico : « Quia qui parce seminat, parce et metet (*II Cor.* IX); » apostolicis viris et evangelizatoribus Christi in necessariis usibus nolle tribuere, sterilitatis seipsum est condemnare.

« Salutant te qui mecum sunt omnes. » Vel solita consuetudine usus est, ut Titum ab omnibus qui secum erant diceret salutari; vel certe proprie in Titum quod talis esset, ut amorem eorum, qui cum Paulo erant, omnium mereretur. Magna vero laus Titi per Paulum ab omnibus salutari. « Saluta eos, qui nos amant in fide. » Si omnis qui amat amaret in fide, et non essent alii qui absque fide diligerent, nunquam Paulus ad amorem fidem apposuisset dicens, « Saluta eos qui nos amant in fide; » amant quippe et matres filios, ita ut mortem pro eis oppetere sint paratæ; sed non amant in fide : et uxores maritos, quibus frequentissime commoriuntur, sed amor ille non fidei est. Sola sanctorum dilectio in fide diligit, in tantum, ut etiam si ille qui diligitur infidelis sit, tamen sanctus in fide eum diligat, secundum illud : « Omnia vestra in fide fiant; » et alibi : « Diligite inimicos vestros. » Diligit sanctus inimicos suos, et ideo in fide diligit, quia credit in eum qui pollicitus est se pro expletione mandati retributurum esse mercedem. « Gratia Domini nostri cum omnibus vobis. » Sciendum quod in Græcis codicibus ita scriptum est, « gratia cum omnibus vobis » ut nec « Domini » nec « nostri » in libris feratur authenticis. In communi itaque sanctis atque credentibus, Tito et cæteris qui cum eo erant, imprecatur gratiam; et quomodo Isaac patriarcha benedixit filium suum Jacob, et ipse Jacob duodecim patriarchas; apostoli quoque ingredientes domum dicebant : « Pax huic domui, » et si digna erat domus, requiescebat pax eorum super eam; si vero se exhibebat indignam, revertebatur ad eos qui eam fuerant imprecati : ita et nunc in fine Epistolæ suæ Apostolus gratiam credentibus imprecatur, quæ cum voto habebat effectum, et erat in potestate credentium, si talem se benedictus, qualem benedicens præbere voluisset. Amen.

Digitized by Google

LIBER VICESIMUS SEXTUS.

EXPOSITIO IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

ARGUMENTUM.

Ambr.) Argumentum Epistolæ quam ad Philemonem beatus scripsit Apostolus Paulus in his habetur. Onesimus, servus Philemonis cujusdam, fidelis et religiosi viri, malum habens propositum, per fugam a suo discessit domino. Hunc et procedente tempore cognoscens beatus Apostolus de domo et familia esse Philemonis cum esset in vinculis vidit, quem consiliis suis et exhortationibus intantum placavit, ut pristinam malitiam sui arbitrii relinquens, reversus libero arbitrio suo obtemperaret domino, omne ei, ut convenit persolvens obsequium: quem placans atque instruens remisit ad Philemonem, non solum obsequiis ejus idoneum eum exhibens, sed et pietatis eum habere docuit diligentiam. Scribit ergo hanc Epistolam Philemoni, postulans ut ipsi Onesimo, pro quibus dudum deliquerat veniam tribueret, reciperet eum in affectu ob præsentem propositi ejus correctionem. Sed argumentum quidem Epistolæ in his habetur. Hæc est ergo utilitas etiam hujus Epistolæ ut omnes qui in Ecclesiastica habentur functione, maxime illi qui præesse Ecclesiis videntur, ut sciant quemadmodum oporteat agere cum illis qui nobis fide juncti sunt, quando vel maxime de negotiis agitur illis, quæ ad illos proprie pertinere videntur, quorum utilitatem tunc maxime quis poterit perspicere, si respexerit illa, quæ nostris temporibus a multis geruntur. Nunc autem sicut instructores utilitatis aliorum constituti commonere volemus eos, qui nobis fide juncti sunt, de quibus convenire oportet cum eo instituto cum quo Paulus vult summa cum obsecratione eos convenire. Plurimi vero nostris temporibus nescientes quæ, qualiter, et quando fieri debeant, existimant contemplatione pietatis oportere omnia præsentis temporis confundi, et nullam esse discretionem inter servos et dominos divites et pauperes: eos qui sub principatibus sunt, et qui principari aliis videntur: sed hoc solum sibi competere existimant, ut cum multa auctoritate de his quæ sibi videntur imperent illis, nescio unde hanc potestatem sibi vindicantes. Paulus vero e contrario optimum esse existimabat, ut singula in suo manerent ordine, salvo pietatis proposito. Unde autem erat placatus, quoniam differentia hæc inesse hominibus nequaquam poterat si non Deus eam esse voluisset? si tamen hoc scisset hominibus expedire. Sciens vero illud quod talis differentia nulla in parte pietatis lædat rationem, cum possint et divites et pauperes, et servi et liberi, si tamen velint, studere pietati: sicuti et e contrario possunt illud quod deterius est præeligere, si id, quod voluerint fieri, erit; quæ cuncta in suo ordine manere volebat. Unde et diligentiam adhibens convenientem, omnes pariter instruebat: ideo et principibus obtemperari jubet, eos inquiens omnem potestatem a Deo esse dispositam, et ad plenum præcipit ut unicuique debitum persolvamus, sive tributum, sive vectigal, sive timorem, sive honorem, plenissime præcipiens ut quidquid in debitum et contractum habetur persolvatur. Sed neque de largitate quæ fit in pauperes scribens præceptive id fieri jubet, sed melius esse existimavit concedere illis ut unusquisque propositi sui agat arbitrio. Adhuc et illud adjecit, ut secundum vires suas præbeant: nec autem patitur ut alii quidem sint in requiem, ipsi vero qui præbent penuria conterantur. Servos omne servile obsequium suis dominis præbere cum omni præcipit sollicitudine, sive impios habeant, sive pios dominos. Nam et in præsenti Epistola scribens viro fideli et suo discipulo magnus ille Paulus, et hoc de servo in meliori statu reverso, et promittente, quod de cætero integro arbitrio cum omni devotione serviat Domino, non jubet ut dimittat servum liberum per arbitrii mutabilitatem in melius, veniam vero dare ei precatur tantum de illis quæ ante peccaverat, hoc fieri cum multa postulat supplicatione. Si vero aliquis de his, qui nunc sunt, talem causam invenisset, veniam quidem servo dari a domino nec supplicaret nec peteret, sed cum multo scriberet imperio, quoniam oportet servum nobis fide junctum, et ad pietatem sponte currentem liberari a servitio. Tales enim multi sunt præsentis temporis, qui cautos se volunt videri aliis onerosa imperando. Nam in præsenti Epistola quis sic insuadibilis est, aut animum habens induratum, qui non demiretur Paulum tam magnum et perspicuum per omnia exstantem et virtutibus pietatis omnibus propemodum hominibus præcellentem, videns discipulo suo cum tota scribere supplicatione ob præbendam servo veniam, et hoc non apostolo existenti, sed viro fideli et moribus ornato, communem hanc exsequentem vitam, sicut est id colligere ex illis quibus scribit ei, cum uxore et filio, et quidem et hoc de servo. Namque qui eodem tempore erant perfecti, ab his omnibus erant alieni. Itaque videtur mihi ad hoc vel maxime respexisse hi qui in primordio de legendis in Ecclesia Epistolis statuebant jussisse, ut ista Epistola in Ecclesia legeretur, sicut et cæteræ, eo quod plus quam cæteræ Epistolæ hæc Epistola humilitatem docere poterat auditores. Nam non est verisimile ut ad integram Ecclesiam de tam magnis negotiis scribens humiliaret se, sed hoc est miraculum

Digitized by Google

quod ad unum scribens, et hunc discipulum et non adeo egregium, de tam levi negotio quod cum tanta humilitate fecisse videtur, de illis ei imperare quorum potestas penes illum esse videbatur. (*Hier.*) Qui nolunt inter Epistolas Pauli eam recipere quæ ad Philemonem scribitur, aiunt non semper Apostolum, nec omnia Christo in se loquente dixisse, quia neque humana imbecillitas unum tenorem sancti Spiritus ferre potuisset, neque hujus corpusculi necessitas sub præsentia semper Domini compleretur, velut disponere prandium, cibum capere, esurire, satiari, ingesta digerere, exhausta complere. Taceo de cæteris quæ exquisite et coacta replicant, ut affirment fuisse aliquod tempus, in quo Paulus dicere non auderet: « Vivo non jam ego, vivit autem in me Christus (*Galat.* II); » et illud: « An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur, Christus (*I Cor.* XIII)? » Quale, inquiunt, experimentum Christi, est audire: « Penulam quam reliqui Troadæ apud Carpum veniens tecum affer (*II Tim.* VI); » et illud ad Galatas: « Utinam et excindantur qui vos conturbant (*Galat.* V), » et in hac ipsa Epistola: « Simul autem et præpara mihi hospitium. » Hoc autem non solum apostolis, sed prophetis quoque similiter accidisse. Unde sæpius scriptum feratur, « factum est verbum Domini ad Ezechiel, » sive ad quemlibet alium prophetarum, quia post expletum vaticinium rursum in semet revertens, homo communis fieret ex Propheta, excepto Domino nostro Jesu Christo, in nullo sanctum Spiritum permansisse; quod signum et Baptista Joannes acceperat (*Marc.* I), ut super quem vidisset Spiritum sanctum descendentem et manentem in eo, ipsum esse cognosceret. Ex quo ostenditur super multos quidem descendere Spiritum sanctum, sed proprie hoc esse Salvatoris insigne, quia permaneat in eo. His et cæteris hujusmodi volunt, aut Epistolam non esse Pauli, quæ ad Philemonem scribitur, aut si etiam Pauli sit, nihil habere quod ædificare possit, et a plerisque veteribus repudiatam, dum commendandi tantum scribit officio, non docendi. At e contrario qui germanæ auctoritatis eam esse defendunt, dicunt nunquam in toto orbe a cunctis Ecclesiis fuisse susceptam nisi Pauli apostoli crederetur; et hac lege ne secundam quidem ad Timotheum, et ad Galatas eos debere suscipere, de quibus et ipsi humanæ imbecillitatis exempla protulerint, « penulam quam reliqui Troadæ apud Carpum, veniens tecum defer, » et, « utinam excindantur qui vos conturbant, » inveniri plura et ad Romanos et cæteras Ecclesias, maxime quæ ad Corinthios remissius, et quotidiano pene sermone dictata, in quibus Apostolus loquatur, « Cæteris autem ego dico, non Dominus, » quas et ipsas quia aliquid tale habeant, aut Pauli epistolas non putandas, aut si istæ recipiuntur, recipiendam esse et ad Philemonem ex præjudicio similium receptarum. Valde autem eos simpliciter errare, si putent cibum emere, hospitium præparare, vestimenta conquirere esse peccatum, et asserere fugari Spiritum sanctum, si corpusculi pauA lisper necessitatibus serviamus. « Nolite, » inquit Apostolus, « contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis in die redemptionis (*Ephes.* IV). » Quibus operibus Spiritus sanctus contristetur propheta commemorat, multis in ordinem vitiis peccatisque digestis, ad extremum infert: « In omnibus istis contristabas me (*Jer.* VIII). » Alioquin calicem aquæ frigidæ porrigere, pedes lavare, immolare vitulum, prandium præparare, peccatum sit, cum sciamus ex his rebus in Dei quosdam filios adoptari? Sed mihi videntur, dum epistolam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere, non intelligentes quid in singulis sermonibus virtutis et sapientiæ lateat: quæ, orantibus vobis, et ipso nobis Spiritu sancto suggerente, quo scripta sunt, suis locis explanare conabimur. Si autem brevitas habetur contemptui, contemnatur Abdias, Naum, Sophonias, et alii duodecim prophetarum, in quibus tam mira, tam grandia sunt, quæ feruntur, ut nescias utrum brevitatem sermonum in illis admirari debeas, an magnitudinem sensuum. Quod si intelligerent hi qui epistolam ad Philemonem repudiant, nunquam brevitatem despicerent: quæ pro laciniosis legis oneribus evangelico decore conscripta est, dum breviatum consummatumque sermonem facit Dominus super terram.

B

C

D

CAPUT UNICUM.

De Philemone, et Appia, et Archippo, et domestica ejus Ecclesia. De Philemone et Apostolo, pro eo in orationibus semper memoriam faciente. De Apostolo sene et vincto Philemoni imperante, eumdemque pariter obsecrante pro Onesimo servo ipsius, et parari sibi hospitium commendante. De Epaphra concaptivo Apostoli, et Marco, et Aristarcho, et Dema, et Luca, adjutoribus Pauli.

« Paulus vinctus Jesu Christi, et Timotheus frater « Philemoni dilecto et cooperatori nostro, et Appiæ « sorori, et Archippo commilitoni nostro, et Eccle« siæ quæ in domo tua est. » (*Hier.*) Quæritur cur aut quo jubente Paulus vel antiquum nomen amiserit, vel novum sumpserit? Ut ex Abram Abraham diceretur Dei jussione perfectum est, ut ex Sarai Saræ vocabulum fieret, æque Dei imperium fuit; et, ut ad novum Instrumentum veniam, ut Simon Petri nomen acciperet, et filii Zebedæi Boanerges, hoc est *filii tonitrui* vocarentur, Domini nostri Jesu Christi voce præceptum est. Quare autem e Saulo Paulus dictus sit, nulla Scriptura commemorat. Neque vero putandum est, ut a simplicioribus latinis legitur, Saulum ante dictum esse, et non Saul, quia et de tribu Benjamin erat in qua hoc nomen familiarius habebatur; siquidem et ille Saul rex Judææ, persecutor David de tribu Benjamin fuit. Quod autem Saulus a nobis dicitur, non mirum est Hebræa nomina ad similitudinem Græcorum et Romanorum casuum declinari, ut sicut pro Joseph Josephus, pro Jacob Jacobus, ita pro Saul quoque Saulus in nostra lingua ac sermone dicatur: ut enim Scipio, subjecta Africa, Africani sibi nomen assumpsit: et Metellus, Creta insula subjugata, insigne Cretici suæ familiæ reportavit;

Digitized by Google

et imperatores nunc usque Romani ex subjectis gentibus, ut Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur: ita et Saulus ad prædicationem gentium missus, a primo Ecclesiæ spolio proconsule Sergio Paulo victoriæ suæ trophæa retulit, erexitque vexillum ut Paulus diceretur e Saulo. Si autem et interpretatio nominis quæritur, Paulus in Hebræo *mirabilem* sonat; revera mirum, ut post Saul qui interpretatur *expetitus*, eo quod ad vexandum Ecclesiam fuisset a diabolo postulatus, de persecutore vas fieret electionis. Plus forsitan quam oportuit, sed necessarie disputatum est. Quod autem sequitur, « vinctus Jesu Christi, » in præsenti negotio vel maxime est demirandum de Apostolica prudentia quo scripsit quidem et ad alios plures cum esset in vinculis, sicut ex ipsis Epistolis quodque perspicere est. Nullo vero in loco vinctum se in præfatione cum nomine suo posuit inquiens, « Paulus vinctus, » hoc vero in loco neque servum neque Apostolum se dixit, sicut erat ei consuetudo scribendi, sed de specialibus negotiis scribebat ad eum, et de illis quæ in potestatibus ipsius Philemonis posita erant. Hoc sibi magis dicere arbitrans, ut non auctoritate Apostolica abusus, imperare ei ex tali præsumptione videretur, sed illud magis quod ponendum esse censuit, quod et valde suadere poterat. Philemone cogitante non magnum esse tam vilissima præbere ei viro, qui pro aliorum salute habetur in vinculis cum et liceret ei si voluisset ista minime pati, sicut ipse quodam in loco dicit (*I Cor.* IX), « nam cum essem liber ex omnibus hominibus, me feci servum ut plures lucrifaciam. » « Vinctus, inquit, Jesu Christi, » in nulla Epistola hoc cognomine usus est, licet in corpore Epistolarum, ad Ephesios videlicet et Philippenses et Colossenses esse se in vinculis pro confessione testetur. Majoris autem mihi videtur supercilii, vinctum Jesu Christi se dicere quam Apostolum. Gloriabantur quippe apostoli, quod digni fuerant pro nomine Jesu Christi contumeliam pati; sed necessaria auctoritas vinculorum. Rogaturus pro Onesimo, talis rogare debuit, qui posset impetrare quod posceret. Felix nimirum qui non in sapientia, non in divitiis, non in eloquentia et potentia sæculari, sed in Christi passionibus gloriatur. Non omnis autem qui vinctus est, vinctus est Christi: sed quicunque pro Christi nomine et pro ejus confessione vincitur, ille vere vinctus dicitur Jesu Christi, et sanguis effusus is tantum martyrem facit, qui pro Christi nomine funditur. Scribit igitur ad Philemonem Romæ vinctus in carcere, quo tempore mihi videntur ad Philippenses, Colossenses, et Ephesios Epistolæ esse dictatæ. Ad Philippenses illa ex causa, primum quod cum solo Timotheo scribit, quod et in hac Epistola facit. Dehinc, quod vincula sua manifesta dicit facta pro Christo in omni prætorio. Quid sit autem prætorium in ipsius Epistolæ fine significat: « Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt (*Philip.* IV); » a Cæsare missus in carcerem, notior familiæ ejus factus, persecutoris domum Christi fecit Ecclesiam. Deinde ait: « Quidam autem ex contentione Christum annuntiant, non sincere existimantes pressuram se suscitare vinculis meis (*Phil.* I), » porro ad Colossenses principium simile (*Col.* I): « Paulus apostolus Christi Jesu per voluntatem Dei et Timotheus frater, » et in sequentibus: « cujus factus sum ego Paulus minister, qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia; » et in fine: « Salutatio mea manu Pauli, memores estote vinculorum meorum. » Hoc ideo, ut sciamus has quoque Epistolas de carcere et inter vincula fuisse dictatas. Illud autem proprie habet ad Colossenses, quod idem Onesimus qui nunc Philemoni commendatur, etiam perlator ejusdem sermonis fuit. Denique ait, « quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, et fidelis minister et conservus in Domino, quem misi ad vos ad hoc, ut cognoscat quæ circa vos sunt, et consoletur corda vestra cum Onesimo charissimo et fideli fratre, qui est ex vobis. » Si autem Philemon, ad quem hæc Epistola scribitur, Onesimi dominus est, imo frater esse cœpit in Domino; et ad Colossenses refertur, quod Onesimus ex eis sit, ratio nos ipsa et ordo deducit quod et Philemon Colossensis sit, et eo tempore communem ad omnem Ecclesiam Onesimus Epistolam tulerit, quo privatas et sui commendatrices ad dominum litteras sumpserat. Est et aliud indicium, quod in hac eadem Epistola et Archippus nominatur, cui hic cum Philemone scribitur: « Dicite, inquit, Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas. » Quod est ministerium quod Archippus accepit a Domino? Ad Philemonem legimus « et Archippo commilitoni nostro et Ecclesiæ quæ in domo tua est, » ex quo puto aut episcopum eum fuisse Ecclesiæ Colossensis, cui admonetur studiose diligenterque præesse, aut Evangelii prædicatorem. Aut si ita non est, illud mihi im præsentiarum sufficit, quod et Philemon et Archippus et Onesimus ipse qui litteras perferebat, fuerint Colossenses et eodem tempore quatuor, ut ante diximus, Epistolæ scriptæ sunt. Ad Ephesios vero illam ob causam, quod pro Christo et hic vinctum esse se dicat, et eadem quæ ad Colossenses jusserat, in hujus quoque Epistolæ fine præcipiat, ut uxores subjiciantur viris, et viri uxores diligant, ut filii obediant parentibus, ut parentes non provocent ad iracundiam filios suos, ut servi obediant dominis carnalibus, ut domini, relictis minis, ea servis quæ justa sunt præbeant, et ad extremum Epistolam suam hoc fine concludat: « Quid agam, notum vobis faciet Tychicus charissimus frater et fidelis minister in Domino; quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa me sunt, et consoletur corda vestra. » Tychicus autem est qui et ad Colossenses cum Onesimo mittitur, et eo tempore Onesimum habuit comitem, quo Onesimus ad Philemonem litteras perferebat. « Et Timotheus frater. » (*Amb.*) Et in hanc partem justa ratione debet laudari Paulus, quod in speciali Epistola non dedi-

Digitized by Google

gnatur Timotheum sibi in scribendo associare. (*Hier.*) In aliis Epistolis Sosthenes et Silvanus, interdum et Timotheus asseritur, in hac [*Hieron.*, in quatuor] tantum Timotheus, quia vel eodem in tempore, vel præsente Timotheo cæterisque, dictatæ sint; quod ego duplici ex causa factum puto, ut et Epistola majorem haberet auctoritatem, quæ non ab uno scribebatur, et quia nulla æmulatio erat inter Apostolos si quid forte Paulo dictante alii spiritus suggessisset, absque ulla tristitia addebat Paulus in litteris quas dictabat. Secundum id quod ipse Corinthiis præcepit, ut si alio prophetante, alii fuerit revelatum, taceat ille qui prius prophetabat. Ita ipse quoque præceptum suum opere complebat, et propter pauca quæ alio addiderat suggerente ut suam, ita alterius quoque Epistolam perscribebat, « Philemoni charissimo cooperatori nostro. » (*Amb.*) Cooperarium vocat ea ratione qua erga sanctorum obsequia sollicitudinem impendebat, non minima conferens illis, quibus Evangelii fuerat injuncta prædicatio. Si ad Philippenses scribens dicit : « Bene facitis communicantes tribulationi meæ (*Phil.* IV). » Communicationem vocans illa ratione, qua in vinculis posito ea quæ ad usus quotidianos necessaria esse ei videbantur, id miserint. (*Hier.*) Non habetur in Græco ἠγαπημένῳ, quod *dilectus* dicitur, sed ἀγαπητῷ id est *diligibili*; inter dilectum autem et diligibilem hoc interest, quod dilectus appellari potest et ille qui dilectionem non meretur, diligibilis vero is tantum qui merito diligitur. Denique et inimicos nostros diligere præcipimur, qui sunt dilecti, sed non diligibiles; amamus quippe illos, non quia amari merentur, sed quia præcipitur eos odio non habendos. Illud quoque quod in XLIV psalmi titulo prænotatur « pro dilecto, » melius habet in Græco, « pro diligibili; » qui locus manifestissime de Christo intelligitur : licet enim Judæi *Ididia* [*Idithum*], hoc est *amatum Dei*, Salomonem dici putent, quod ei a Deo sit ob sapientiam nomen impositum, tamen *amatus Dei* quis magis dici potest, nisi is de quo in Evangelio Pater loquitur : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, hunc audite (*Matth.* XIII, XVII). » Scribunt igitur Paulus et Timotheus Philemoni charissimo et cooperatori, qui ideo charissimus dictus est, quod in eodem Christi opere versetur; Appiæ quoque sorori non habenti in se falsæ aliquid et fictæ germanitatis, et Archippo commilitoni, quem arbitror cum Paulo et Timotheo contra adversarios pro Christi nomine dimicantem exstitisse victorem, et propterea nunc commilitonem dici, quod in eodem certamine belloque superaverit. Scribitur etiam Ecclesiæ quæ in domo ejus est : Verum hoc ambiguum, utrum Ecclesiæ quæ in domo Archippi sit, an ei quæ in domo Philemonis. Sed mihi videtur non ad Archippi, verum ad Philemonis referendum esse personam, cui ipsa quoque Epistola deputatur. Nam licet Paulus et Timotheus pariter scribant ad Philemonem, Appiam, Archippum et Ecclesiam, tamen in sequentibus approbatur Paulum tantummodo ad Philemonem scribere, et unum cum uno sermocinari. (*Amb.*) Custodit vero Apostolus ordinem : sicut enim maritum ante uxorem dixit, et parentes ante filium, sic post dominos etiam cæterorum memoratus est, qui in familia eorum haberi qualibet ratione existimabantur : et non dixit domui tuæ, sed « Ecclesiæ, quæ est in domo tua, » ostendens quoniam Ecclesiam esse existimat domum, in qua omnes fideles habere [habitare] videntur, et ita dignos eos existimabat suorum esse scriptorum, quasi qui Ecclesiæ locum retinerent. Nec enim multitudinem virorum Paulus Ecclesiam esse definit, sed propositum illorum qui pie in idipsum conveniunt. Nam et in circensibus et in theatris est multitudinem prospicere hominum confluentium, sed tamen non poterat dici illa multitudo Ecclesia Dei propter arbitrii pravitatem eorum qui illo confluxerunt. Ecclesia vero Dei vocatur, etiamsi duo vel tres tantum intuitu pietatis in idipsum convenerint, eo quod verum est, quod a Domino dictum est, « ubi fuerint duo aut tres in nomine meo, illic sum in medio eorum. » Et quia cæteros in præfatione Epistolæ credidit illis adjungendos, non modicum ei auxilium ad præsens confert argumentum. Si enim fidei communio tantam fiduciam præbebat illis, ut et conjungerentur suis dominis, justum erat et Onesimum de cætero affectuose videre, qui propositi sui communione, idem se exsequendum sollicitudinem susceperat. (*Hier.*) Quod autem ait, « gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo, » adhuc a duobus ad plures scribitur, et in omnibus pene Epistolis æquale principium est, ut gratiam eis et pacem a Deo Patre, et a Christo Domino imprecetur; ex quo ostenditur unum filii patrisque esse naturam, cum id potest filius præstare quod pater, et id dicitur pater præstare quod filius. Gratia autem est qua nullo merito nec opere salvamur; pax, qua reconciliati Deo per Christum sumus, ut ibi, « obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. » Sequitur :

« Gratias ago Deo meo semper, memoriam tui fa-
« ciens in orationibus meis, audiens charitatem tuam
« et fidem quam habes in Domino Jesu, et in omnes
« sanctos ejus, ut communicatio fidei tuæ evidens
« fiat in agnitione omnis boni, quod in nobis est in
« Christo. » (*Ambr.*) A gratiarum actione incipit scribere, agens pro illo gratias Deo, sicuti et in multis Epistolis id fecisse videtur. Ut autem non videretur nunc contemplatione litterarum gratias agere pro eo, optime adjicit, « semper memoriam tui faciens in orationibus meis. » In orationibus meis, inquit, memor sum tui et gratias pro te ago Deo; et causam ipsam indicans pro qua gratias agit Deo, ne videretur absolute donans id dicere : « Audiens, inquit, charitatem tuam et fidem quam habes ad Dominum Jesum Christum; » et unde hoc cognovisset incertum esse videretur, si non donata ei ista a Domino essent, eo quod charitas et fides, quæ in Dominum est, in propositum animæ habetur, « et in omnes sanctos, » ex hoc ergo, et illud cognoscitur. Nam erga sanctos charitas in operibus demonstrata, affectum quem

Digitized by Google

erga Deum habes comprobat. Unde et optime adjicit, A « ut communicatio fidei tuæ perfecta fiat in cognitione omnis bonitatis, quæ in nobis est in Christo Jesu. » (*Hier.*) Hæc jam non ut Paulus et Timotheus Philemoni et cæteris, sed ut solus Paulus ad solum Philemonem loquitur : « gratias, inquiens, ago et memoriam tui faciens in orationibus meis. » Ambigue vero dictum, utrum gratias agat Deo suo semper, an memoriam ejus faciat in orationibus suis semper; et utrumque intelligi potest. Qui enim præcipit aliis ut in omnibus gratias agant Deo, nullis angustiis poterit coarctari ut gratias semper Deo ipse non referat. Si autem pro sanctis et melioribus quibusque Paulus semper orabat (sanctus autem et Philemon est, tantam habens in se fidem et charitatem, ut non solum auditu ei, verum etiam opere nosceretur), et pro Philemone Paulum semper orasse credibile est; quo scilicet fides et charitas quam habebat in Christo, et in omnes sanctos ejus, per communicationem fidei et operationem agnitionis in omni bono Christi misericordia servaretur. Et de charitate quidem quam habebat in Christo Jesu, et in omnes sanctos ejus, non difficilis interpretatio est, quia post Deum diligere jubemur et proximos. Nunc hoc quæritur quomodo eamdem fidem in Christo Jesu habere quis possit et in sanctos ejus : ἀπὸ κοινοῦ enim sonat charitatem quam habes in Domino Jesu et in omnes sanctos ejus; et fidem quam habes in Domino Jesu et omnes sanctos ejus. Ad expositionem hujus loci de Exodo sumamus exemplum : « Credidit populus Deo et Moysi servo ejus. (*Exod.* XIV). » Una atque eadem credulitas in Moysen refertur, C et in Deum, ut populus qui credebat in Dominum, æque credidisse scribatur in servum. Hoc autem non solum in Moyse, sed in omnibus sanctis est, ut quicunque credit Deo, aliter ejus fidem recipere non queat, nisi credat et in sanctos ejus. Non est enim in Deum perfecta dilectio et fides, quæ in ministros ejus odio et infidelitate tenuatur. Quod autem dico, tale est, credit quispiam in conditorem Deum, non potest credere nisi prius crediderit de sanctis ejus vera esse quæ scripta sunt. Sunt hodie quoque plerique simplicium, qui faciunt opera justitiæ, et non habent eorum quæ ipsi operantur scientiam. Unde addidit : « Ut communicatio fidei tuæ operatrix fiat in agnitionem omnis boni : » quantis gradibus quantisque D profectibus apostolicus in altiora sermo se tendit! habet quispiam charitatem, et fidem in Deum et in sanctos ejus : sed forsitan non æquali eam in omnes lance communicet. Communicet forsitan in cunctos, sed opere non expleat; voluntatem impleat aliquis et opere, sed gestorum suorum perfectam habere non potest notionem. Sit talis quoque qui et opus habeat et scientiam, sed non habet agnitionem omnis boni : multa enim juste, mansuete studioseque perpetrans impar est suis in aliqua parte virtutibus. An non talis Philemon? habet quippe communicationem operatricis fidei, et charitatis in agnitione omnis boni : quæ cum in apostolis sit, non eam putemus ob id tantum esse perfectam, si in illis sit, sed in eo tam esse, quia Christi est, ut quidquid boni et in Philemone laudatur, et de apostolorum sumitur exemplo, inde bonum sit quod de Christi fonte ducatur.

« Gaudium enim magnum habuimus et consolationem in charitate tua, quia viscera sanctorum « requieverunt per te, frater. » (*Ambr.*) Juste, inquit, delector, pro quibus cum multo affectu semper obsequeris sanctis, ex quibus etiam sufficientem in meis tribulationibus consolationem invenio, audiens intentionem studii tui; hæc dicens in laudem et exhortationem Philemonis : solet autem laus præteriti temporis explicata alacriores eos facere in subsequentibus. (*Hier.*) Plenius inculcat et edocet quare dixerit : « Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis. » Dignum B si quidem erat agere gratias Deo super charitate Philemonis, qui internum cordis affectum, et profundos animi sanctorum recessus suscipiendo refecerat. Et hoc idioma apostolicum est, ut semper viscera vocet, volens plenam mentis ostendere charitatem. Unde gaudens cum gaudentibus et cum his qui requieverant se refectum esse credens, habet lætitiam non transitoriam et levem, et quæ fortuito possit accidere, sed magnam, et prout erat in Philemone charitas, eminentem : quam augebat consolatio super Philemonis charitate descendens, plena a Patre misericordiarum et Deo totius consolationis.

« Propter quod multam fiduciam habens in Chri« sto Jesu imperandi tibi, quod prodest propter « charitatem, magis obsecro, cum sis talis, ut Pau« lus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi. » (*Ambr.*) Primum equidem non dixit, Potestatem habeo præcipiendi, sed « fiduciam; » deinde non dixit propter apostolatum, neque ob illam dignitatem, qua prædītus esse videor, sed per charitatem quam erga omnes habebat, ut sit hujusmodi fiducia, vel causa ab ipso Philemone tributa. Unde et in laudem et exhortationem ejus adjicit, « propter quod multam in Christo fiduciam habens, » etc. Eo quod idem Philemon tale habens institutum et propositum, præcipere eum sibi cum fiducia adhortabatur, qua nec posset aliquando postulationi ejusdem Pauli resistere; qui autem erga omnes sanctos sic liberalis est, nunquam ob præsens negotium gratiam postulatam dare pigebit : itaque tuum propositum et charitas, quæ erga omnes sufficiens est, fiduciam mihi præbet, ut præcipiam de quibus convenit, ego vero hoc non facio, sed obsecro magis. Deinde et ad verecundiam eum invitans, talis cum sis, qualis Paulus senior; tantam vim habebat sola Pauli nuncupatio! Quid enim non expressit magnum et admiratione dignum in voce hac, qua dixit Paulum? Nam omne quodcunque summum bonum intelligi poterat, hoc erat in Paulo, et quod adjecit, seniorem, non absolute eum ad reverentiam invitavit ætatis suæ memorans longævitatem, sed voci Pauli etiam illud ipsum faciens venerabilem : qui enim seniorem audit Paulum scire poterat eo quod longo tempore pietatis studio inoleverit, et multa fuerit hac de

Digitized by Google

causa passus. Inchoavit enim prædicare Evangelium, cum adhuc esset adolescens : occurrit vero in senectutis ætatem semper in Christo, in passionibus persistens. Unde ne per ætatem eum absolute videretur suadere, optime adjecit : « Nunc autem et vinctus Jesu Christi, » solum hoc non dicens, Erubesce senectutem et canitiem in vinculis connutritam, et ætatem sic longam in passionibus illis, quæ pro Christo sunt, educatam. (*Hier.*) Multis in Philemonem laudibus ante præmissis, cum res talis sit pro qua rogatus est, quæ et præstanti sit utilis et roganti, poterat Paulus magis imperare quam petere. Et hoc ex fiducia illa veniebat, quod qui tanta ob Christum opera perpetrarat, utique impar sui in cæteris esse non poterat. Sed vult magis petere quam jubere, grandi petentis auctoritate proposita, per quam et Apostolus obsecrat, et senex, et vinctus Jesu Christi. Totum autem pro quo rogat illud est : Onesimus servus Philemonis, fugam furto cumulans, quædam rei domesticæ compilaverat. Hinc pergens ad Italiam ne e proximo facilius posset apprehendi, pecuniam domini per luxuriam prodegerat : hoc ne quis putet temere, et ut libet a nobis fictum, in sequentibus discat. Nunquam enim Paulus diceret : « Si quid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi manu mea, ego reddam. » Nec sponsor rei fieret ablatæ nisi esset id quod ablatum fuerat dissipatum. Hic igitur cum ob confessionem Christi Paulus Romæ esset in carcere, credidit in Dominum Jesum : et ab eo baptizatus, digna pœnitentia maculas vitæ prioris abstersit, in tantum ut is Apostolus conversionis ejus testis fieret, qui quondam Petrum increpaverat non recto pede in Evangelii veritate gradientem. Quantum igitur ad peccatum et ad facinus pertinet, quo Dominum læserat, veniam non meretur ; quantum vero ad Apostoli testimonium qui scit eum plene esse conversum, grandi pondere premitur, qui rogatur, ut qui e servo fugitivo atque raptore minister Apostoli factus fuerat (quod autem aliud habebat Apostolus ministerium nisi Evangelii Christi Jesu ?), jam non quasi a domino, sed quasi a conservo et coevangelista ignosceretur ei, qui servus esset Christi similiter et minister.

« Obsecro te de meo filio, quem genui in vinculis « Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc « autem tibi et mihi utilis est, quem remisi tibi : « tu autem illum, id est, mea viscera, suscipe, quem « ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi mi« nistraret in vinculis Evangelii. » Volens impetrare quod postulat, jam non pro servo Philemonis, sed pro filio suo se asserit deprecari ; et de illo filio quem genuerit in vinculis Evangelii, hoc est, quæ pro Christi Evangelio sustinebat : qui cum ante inutilis domino suo tantum fuerit (neque enim servus fur atque fugitivus alteri nocuit, nisi domino suo), nunc e contrario utilitatis compensatione qua et ipsi domino et Paulo utilis est, cæterisque per Paulum, plus charitatis meretur, quam odii ante meruerat.

A Unde ait : « Qui tibi aliquando inutilis fuit. » Tibi, inquit, soli, non cæteris, nunc autem tibi et mihi utilis. Utilis domino, in eo quia posset Paulo servire pro domino suo ; Paulo vero in eo utilis, quia illo in carcere vinculisque detento, posset ei in Evangelio ministrare. Simul autem est admirandum de magnanimitate Apostoli, et in Christum mente ferventi. Tenetur carcere, vinculis stringitur, squalore corporis, charorum separatione, pœnalibus tenebris coarctatur, et non sentit injuriam, non dolore cruciatur, nihil novit aliud nisi de Christi Evangelio cogitare. Sciebat servum, sciebat fugitivum, sciebat aliquando raptorem, ad Christi fidem esse conversum. Grandis laboris est talem hominem in eo perseverare quod cœpit. Idcirco filium suum, et fi- B lium vinculorum, et ministrum Evangelii in vinculis constituti inculcat ac replicat, ut Philemon ille prudenter et dispensatorie tantum in præfatione laudatus non auderet negare, ne suis laudibus videretur indignus. Quod autem ait, « tu autem illum, id est, mea viscera, *suscipe*, » hoc est quod paulo ante dixi, viscera significare internum cordis affectum et plenam ex animo voluntatem, cum totum quidquid in nobis est suscipitur a rogato : alias autem omnes liberi viscera sunt parentum. « Sine consilio autem tuo ni« hil volui facere, ut non quasi ex necessitate bo« num tuum esset, sed voluntarium. » Non videbatur mihi esse justum, ut contra voluntatem tuam eum retinerem, qui ad te pertinebat : nam æquum esse existimo ut quodcunque bonum a te fuerit fa- C ctum, pro tuo hoc impleatur arbitrio. Hoc quod a plerisque quæritur, et sæpissime retractatur, quare Deus hominem faciens, non eum bonum rectumque condiderit, de præsenti loco solvi potest. Si enim Deus voluntarie et non ex necessitate bonus est, debuit hominem faciens ad suam imaginem et similitudinem facere, hoc est, ut ipse voluntarie et non ex necessitate bonus esset ; qui autem asserunt ita eum debuisse fieri, ut malum recipere non posset, hoc dicunt : Talis debuit fieri qui necessitate bonus esset et non voluntate ; quod si talis fuisset effectus qui bonum non voluntate, sed necessitate perficeret, non esset Deo similis, qui ideo bonus est, quia vult, non quia cogitur. Ex quo manifestum est, rem eos inter se postulare contrariam : nam ex eo D quod dicunt, debuit homo Deo similis fieri, illud petunt, ut liberi fieret arbitrii, sicut Deus ipse est ; ex eo autem quod inferunt, talis debuit fieri, qui malum recipere non posset, dum necessitatem ei boni important, illud volunt, ut homo Deo similis non fieret. Potuit itaque et apostolus Paulus absque voluntate Philemonis Onesimum sibi in ministerium retinere ; sed si hoc sine Philemonis voluntate fecisset, bonum quidem erat, sed non voluntarium : quod autem non erat voluntarium, alio genere arguebatur non esse bonum : nihil quippe bonum dici potest, nisi quod ultroneum est. Ex quo Apostoli consideranda prudentia, qui idcirco fugitivum servum remittit ad dominum, ut prosit domino suo :

Digitized by Google

qui prodesse non poterat si domino teneretur absente. Superior ergo quæstio ita solvitur, potuit Deus hominem sine voluntate ejus facere bonum; porro si hoc fecisset non erat bonum voluntarium, sed necessitatis. Quod autem necessitate bonum est, non est bonum, et alio genere malum arguitur. Igitur proprio arbitrio nos relinquens, magis ad suam imaginem et similitudinem fecit; similem autem Deo esse absolute bonum est.

« Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut « æternum illum reciperes, tanquam non sicut ser- « vum, sed plus servo fratrem charissimum, ma- « xime mihi : quanto autem magis tibi et in carne « et in Domino ! » Nonnunquam malum occasio fit bonorum, et hominum prava consilia Deus vertit ad rectum. Quod dico manifestius exemplo fiet. Joseph fratres, sui zeli stimulis incitati, Ismaelitis viginti aureis vendiderunt. Hoc initium et patri et fratribus et toti Ægypto bonorum omnium fuit. Denique ipse postea ad fratres : « Vos, inquit, cogitastis de me in mala, Deus vero cogitavit de me in bona. » Simile quid et in Onesimo possumus intelligere, quod mala principia occasiones fuerint rei bonæ. Si enim dominum non fugisset, nunquam venisset Romam, ubi erat Paulus vinctus in carcere : si Paulum in vinculis non vidisset, fidem non recepisset in Christum. Si Christi non habuisset fidem, nunquam Pauli effectus filius in opus Evangelii mitteretur. Ex quo paulatim et per gradus suos, reciprocante sententia, ideo minister Evangelii est factus Onesimus, quia fugit a domino. Pulchre autem addens, « forsitan, » sententiam temperavit. Occulta sunt quippe judicia Dei, et temerarium est quasi de certo pronuntiare quod dubium est. « Forsitan, inquit, ideo discessit, » caute, timide, trepidanter, et non totum fixo gradu, ne si non posuisset « forsitan, » omnibus servis fugiendum esset ut apostolici fierent. Quod autem « ad horam » junxit, horam pro tempore debemus accipere : ad comparationem enim æternitatis omne tempus breve est. « Ut æternum illum reciperes. » Nullus æternus dominus servi sui ; potestas quippe ejus et utriusque conditio morte finitur. Onesimus vero qui ex fide Christi factus æternus est, æterno Philemoni, quia in Christum et ipse crediderat, spiritu libertatis accepto, jam non servus, sed frater cœpit esse de servo, frater charissimus, frater æternus, æterno et ipsi Apostolo dominoque suo, cui Onesimum ut carnis ante conditio, ita postea spiritus copulabat, et tunc quidem quando erat ei subjectus in carne, non erat ei junctus in Domino, nunc autem et in carne ei junctus est et in Domino : ex quo intelligimus servum qui crediderit, duplici domino suo lege constringi, ut ei et carnis necessitate jungatur ad tempus, et in æternum spiritu copuletur. (*Ambr.*) Intendendum vero est, quoniam non dixit, ut habeas, sed ut recipias, non enim hoc dicit, quoniam recessit, ut de cætero habeas eum pro servo, majorem erga eum affectum ostendens : nam ridiculum erat hoc de fugitivo dicere servo, sed ut recipias eum super servum, hoc est, recipias eum non solum servile obsequium tibi persolventem, quod servi solent suis dominis exhibere, quod jure docebat propter morum et propositi ejus mutabilitatem. Quid autem vult esse quod dixit super servum, « fratrem charissimum, » hoc est fratrem valde amantem, ut dicat, Quoniam etsi per fugam recessit, sed tanto sui melior est effectus, ut non solum debitum tibi obsequium, ut servus, cum omni fide persolvat, sed et sicut frater valde amore tuo junctus omnia pro te pati de cætero sit paratus. Et quia incertum erat, si hæc ita se haberent, conformans dictum suum adjicit : « Maxime mihi, quanto magis tibi, et in carne et in Domino. » Est quidem obscurum, quod dictum est ob nimium compendium, eo quod Apostolus sæpe cupiens aliqua compendiose explicare, obscuritate dicta sua involvit. Testatur autem de Onesimo, quoniam etiam sibi fuerit utilis, post exhortationem et consilium, quod a se acceperat. Vult enim dicere, quoniam si erga me talis exstitit mores suos demutans, ita ut sponte vellet mihi omne obsequium servile præbere, quemadmodum non erga te multo magis erit talis, cui et propter fidem ut pote studiose pietatis charitatem persolvere debet, et sicut domino servitium cum omni exhibere fidelitate ? hoc enim dicit in carne quæ est secundum dispositionem. Frequenter vero carnem, apostolica dicta interpretantes, significavimus, quia statum hunc temporalem, qui in præsenti vita habetur, sic solet nuncupare. « Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me. » Super omnibus dictis hoc vel maxime dicto persuadebat ei, eo quod ei decebat, ut ad communem fidem universa, quæ sibi adsunt, communia esse omnibus fidelibus reputaret, quod præ cæteris etiam sibi, ut pote prædicatori et doctori dogmatum pietatis Dei veri existimabat : si inquit communicas secundum fidem, et ad plenum existimas nobis omnia esse communia, recipe et hunc propter me ; non hoc dicit, ut in ordine eum recipiat Apostoli, quomodo enim fieri poterat ut hoc suaderet? sed ut dicat, Eo quod ego eum recepi, recipe et tu. Si tamen communia omnia nobis esse existimas. (*Hier.*) Philemon Paulum socium habere cupiebat, et in Christum credens, tales utique volebat habere profectus, ut Paulo similis fieret, et ei communicaret in vinculis. Consideremus ergo quantum hic laudetur Onesimus, quantum profecisse dicatur, cum ita recipiendus sit, ut Apostolus, et sic ejus dominus ut Pauli debeat desiderare consortium. Breviter quod dicit, tale est : Si me vis habere consortem, habeto et Onesimum, quem ego consortem et filium et viscera mea habeo ; quem si non susceperis, nec habere volueris, et ipse intelligis quod me habere non possis. « Si « autem aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi im- « puta. » Hoc est, a me exige illa. Imitator Domini sui, et Christum in se loquentem habens, ea juxta vires suas debet facere quæ Christus. Si enim ille infirmitates nostras portavit, et plagas nostras do-

Digitized by Google

luit, juste Apostolus pro Onesimo se opponit et spondet quæ ille debebat. Ut autem supra diximus, totum illud est quod ablatum furto, per luxuriam perditum, non poterat absolvi, quod Philemon grandi pretio compensabat dum pro servo fugitivo, et pecunia perdita, fratrem charissimum et fratrem reciperet æternum, et per eum sibi Apostolum faceret debitorem. « Ego Paulus scripsi manu mea, ego reddam, » ut non dicam tibi, quia et ipsum te mihi debes. » (*Ambr.*) Promisit se redditurum, sciens quoniam dominis reposita est apud Deum merces copiosa pro illa bonitate quam erga servos suos exercent, et maxime si quando delinquentibus illis veniam tribuere voluerint, et ostendens quoniam non debet hæsitare de tribuenda hujusmodi gratia, « ut non dicam tibi, quoniam mihi teipsum debes, » et hæc quidem promitto, sciens, quoniam et ipse percipiens per Dei misericordiam copiosas mercedes pro ea bonitate, quam erga istum nunc exerces, te autem convenit cogitare quoniam et totum te mihi debes, licet ego non dicam. (*Hier.*) Quod dicit tale est: Quod Onesimus furto rapuit, ego me spondeo redditurum, hujus sponsionis Epistola hæc et manus testis est propria, quam non solito more dictavi, sed mea manu ipse conscripsi, crede igitur mihi pro Onesimo pollicenti: hoc autem dico quasi ad extraneum loquens; cæterum si ad jus meum redeam, propter sermonem Christi, quem tibi evangelizavi et Christianus effectus es, te mihi ipsum debes: quod si tu meus es, et tua omnia mea sunt: si autem tua omnia mea sunt, Onesimus quoque qui tuus est, meus est. Poteram igitur eo uti ut meo: sed voluntati tuæ relinquo ut mercedem habeas ignoscendo. « Ita frater, ego te fruar in Domino, refice viscera mea in Christo. » (*Ambr.*) Nam quod dixit, « ego te fruar in Domino, » pro adjuratione posuit: dicit autem, quod do illi veniam de præteritis, suscipiens eum, requiescere mecum facito: « Ego te fruar in Domino. » hoc est, sic videam te in omnibus illis quæ secundum sunt profectum habentem spiritalem quod meum esse existimo lucrum. Et quia larga supplicatione decebat rogare Paulum contemplatione humilitatis, videbatur autem aliquam habere suspicionem, ut forsan Philemon non facile annuerit ejus petitionibus, ideoque sit Apostolus coactus superabunde eum precari. (*Hier.*) Proprietatem Græcam Latinus sermo non explicat. Quod enim ait, Ναί, ἄδελφε, Ναί quoddam quasi adverbium blandientis est: nos autem interpretantes, « ita frater, » æqualius et dilucidius [*Hieron.*, aquatius et dilutius] nescio quid magis aliud quam id quod est scriptum sonamus. Sicut enim נא illud Hebraicum pro quo frequenter septuaginta Interpretes ὦ δή transtulerunt, in lingua sua significat deprecantis affectum, unde nonnunquam Symmachus pro נא, δέομαι, hoc est, *obsecro*, transtulit: ita et nos eamdem in Græca lingua vim patimur quam Græci sustinent in Hebræa. Quod autem ait, « ego te fruar in Domino, » aliud multo intelligitur, quam putatur. Apostolus non fruitur, nisi eo qui multas in se habet concinentesque virtutes, et totum quod Christus dicitur pro varietate causarum, sapientiam videlicet, justitiam, continentiam, mansuetudinem, temperantiam, castitatem, has imprecatur Philemoni, ut cum his abundaverit, ipse eo perfruens impleatur. Et ne putes illam fruitionem dici, qua nos sæpe nostri inter nos præsentia delectamur et fruimur, addidit, « in Domino: » ut ex eo quod Domini nomen adjunctum est, intelligeretur et alia esse fruitio qua quis absque Domino perfruatur. « Refice viscera mea in Christo. » Sicut ipse frui vult Philemone in Domino, ita viscera sua Onesimum, quem et superius eodem nomine appellarat, refici vult per Philemonem, et ambiguo dictum utrum viscera Pauli in Christo Onesimus sit, an viscera Pauli Onesimus per Philemonem in Christo reficienda sint. Si superius accipere volueris, recte Pauli in Christo viscera dicentur Onesimus, quem in vinculis Christo genuit: si posterius, in Christo reficiendus est Onesimus a Philemone, dum ejus in Christo sermonibus eruditur.

« Confidens de obedientia tua scripsi tibi, sciens « quoniam super id quod dico facies. » (*Ambr.*) Hæc autem sic scribo non dubitans quod velociter gratiam tribuas: econtrario vero sic scripsissem, si non noscem quoniam non solum hoc facies, sed et si aliquid plus postulassem. (*Hier.*) Qui præsumit de eo quem rogaturus est, ipsa quodammodo præsumptione præjudicat, ne ei negare liceat, quod rogatur. Porro si scit ille qui postulat plus quam rogavit, rogatum esse facturum, ideo minora petit, ut habeat rogatus voluntariam et majorem præstatione mercedem. Si autem Philemon hoc ad hominis præceptum facit, quanto magis faciet ob dilectionem Dei? unde et merito Apostoli voce laudatur quod mandata ejus opere prævertat, et possit dicere « Voluntaria oris mei complaceant tibi, Domine (*Psal.* CXVIII). » In his postulationem suam terminans adjicit: « Simul et para mihi hospitium. » Non puto tam divitem fuisse Apostolum, et tantis sarcinis occupatum, ut præparato egeret hospitio, et non una contentus cellula, breves corporis sui spatio ædes, amplissimas æstimaret: sed ut dum eum exspectat Philemon ad se esse venturum, magis faciat quod rogatus est. Si autem hoc non dispensatorie, sed vere quis æstimat imperatum, ut sibi hospitium præpararet, Apostolo magis quam Paulo hospitium præparandum est. Venturus ad novam civitatem, prædicaturus Crucifixum, et inaudita dogmata delaturus, sciebat ad se plurimos concursuros, et necesse erat primum ut domus in celebri esset urbis loco, ad quam facile conveniretur; deinde ut ab omni importunitate vacua: ut ampla, quæ plurimos caperet audientium; ne proxima spectaculorum locis; ne turpi vicinia detestabilis: postremo ut in plano potius esset sita, quam in cœnaculo. Quam ob causam cum æstimo etiam Romæ in conducto mansisse biennio, nec parva ut reor erat mansio, ad quam Judæorum turbæ quotidie confluebant. « Spero enim per orationes vestras donari me vobis. » Filium patri Deus rogatus indulget, et frater sæpe fratris oratione servatur. Apostolus vero

Digitized by Google

totius Ecclesiæ precibus conceditur, ob eorum qui eum audituri sunt utilitatem. Et hoc donum non tam in eum dicitur esse, qui differtur a martyrio ad martyrium præparatus, quam in eos ad quos Apostolus mittitur. Quod autem crebro Paulus in carcere fuerit et de vinculis liberatus sit, ipse in alio loco dicit « in carceribus frequenter (*II Cor.* xi). » De quibus nonnunquam Domini auxilio, crebro ipsis persecutoribus nihil dignum in eo morte invenientibus dimittebatur : necdum enim super nomine Christiano senatusconsulta præcesserant, nec dum Christianum sanguinem Neronis gladius dedicarat; sed pro novitate prædicationis sive a Judæis invidentibus, sive ab his qui sua videbant idola destrui, ad furorem populis concitatis, missi in carcerem, rursum impetu et furore deposito laxabantur. Et hoc ita esse ut dicimus apostolorum Acta testantur, in quibus et Felix loquitur ad Agrippam : « Potuisse dimitti Paulum, si non appellasset ad Cæsarem (*Act.* xxvi) ; » et quia nullam invenerit causam præter quæstiones quasdam de religione propria, et de quodam Jesu, quem Paulus vivere prædicabat. Ex quo animadvertimus, et a cæteris judicibus similiter eos potuisse dimitti, id agente Domino, ut in toto orbe nova prædicatio disseminaretur.

« Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu, Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, cooperatores mei. » (*Ambr.*) Concaptivum suum dicit et quod communicaverat ei in illis mœroribus quos pro Christo ipse sustinebat. Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, cooperarii mei, nec non et a Marco, et Aristarcho et Dema, et Luca : quos etiam operarios suos esse dicit, eo quod collaborarent ei ob aliorum utilitatem. (*Hier.*) Id quod in principio dicebamus, quoniam ad Colossenses Epistola eodem in tempore et per eumdem esset scripta bajulum litterarum, quo ad Philemonem quoque scriptum est, etiam eorum qui salutantes inducuntur nomina docent. Nam et in ipsa ita subscribitur : « Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, et Marcus consobrinus Barnabæ, et Epaphras qui est ex vobis servus Christi (*Coloss.* iv) ; » et paulo inferius : « Salutat vos Lucas medicus charissimus et Demas. Et dicite Archippo : Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Et : « memores estote vinculorum meorum (*Ibid.*). » Si autem ex eo aliquis non putat pariter scriptas, quod ad Colossenses pauca sint nomina, quæ hic non ferantur ascripta, sciat non omnes omnibus aut amicos esse aut notos, et aliud esse privatam ad unum hominem, aliud publicam ad universam Ecclesiam Epistolam fieri : « Salutat te, » ergo inquit, « Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu : » qui, sit Epaphras concaptivus Paulis talem fabulam accepimus : aiunt parentes apostoli Pauli de Gyscolis regione fuisse Judææ, et eos, cum tota provincia Romana vastaretur manu, et dispergerentur in orbe Judæi, in Tharsum urbem Ciliciæ fuisse translatos ; parentum conditionem adolescentulum Paulum secutum : et sic posse stare illud quod de se ipse testatur : « Hebræi sunt, et ego ; Israelitæ sunt, et ego ; semen Abrahæ sunt, et ego (*I Cor.* xi) ; » et rursum : « Hebræus ex Hebræis » (*Philip.* iii), et cætera, quæ illum Judæum magis indicant, quam Tharsensem. Quod si ita est, possumus et Epaphram illo tempore captum suspicari, quo captus est Paulus, et cum parentibus suis in Colossis urbe Asiæ collocatum, Christi postea recepisse sermonem : unde et ad Colossenses, ut supra diximus, scribitur. « Salutat vos Epaphras, qui est ex vobis, servus Christi, semper sollicitus pro vobis in orationibus (*Coloss.* iv). » Hoc si se ita habeat, Aristarchus, qui concaptivus ejus in eadem Epistola dicitur, ad eamdem intelligentiam deducitur, nisi forte reconditum aliquid et sacratum, ut quidam putant, in verbo captivitatis ostendit, quod capti pariter et vincti in vallem hanc adducti sint lacrymarum. Quod si neutrum recipitur, ex eo quod hic additum est « in Christo Jesu, » possumus suspicari eadem eum Romæ pro Christo vincula sustinuisse, quæ Paulus : et ut vinctum Christi, ita concaptivum quoque ejus dici potuisse. Aut certe ita, quod nobilis et ipse sit in apostolis, ut Andronicus et Julia, de quibus scribitur ad Romanos : « Salutate Andronicum et Juliam, cognatos et concaptivos meos, qui sunt nobiles in apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo Jesu (*Rom.* xvi). Hæc de Epaphra. Cæterum cooperatores Evangelii et vinculorum suorum, cum ad Philemonem Epistolam scriberet, Marcum ponit, quem puto Evangelii conditorem, et Aristarchum, cujus supra fecimus mentionem, et Demam, de quo in alio loco queritur (*II Tim.* iv) : « Demas me reliquit, diligens præsens sæculum, et abiit Thessalonicam, » et Lucam medicum, qui Evangelium et Actus apostolorum Ecclesiis derelinquens, quomodo apostoli de piscatoribus piscium piscatores hominum facti sunt, ita de medico corporum in medicum est versus animarum. De quo et in alio loco : « Misi, inquit, cum illo fratrem cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias (*II Cor.* viii), » cujus liber quotiescunque legitur in Ecclesiis, toties ejus medicina non cessat sumi. « Gratia Domini Jesu Christi cum spiritu vestro. » Sicut a meliori parte hominis capite numeratur populus Israel, dicente Scriptura, « secundum capita eorum, » ita in toto quidem homine, et in omni parte sanctorum gratia est Domini Jesu Christi. Sed a majore et meliore parte, id est spiritu, per synecdochen de toto homine dicitur, « Gratia Domini Jesu Christi cum spiritu vestro. » Cum autem in spiritu gratia fuerit, totum facit hominem spiritalem, ut adhæreat Deo, quia « qui adhæret Domino, unus spiritus est. » Interpretantur autem secundum Hebræos, Paulus *admirabilis*, Timotheus *beneficus*, Philemon *mire donatus* sive *os panis*, ab ore non ab osse, Appia *continens* aut *libertas*, Archippus *longitudo operis*, Onesimus *respondens*, Epaphras *frugifer* et *videns* sive *succrescens*, Marcus *sublimis mandato*, Aristarchus *mens operis amplioris*, Demas *silens*, Lucas *ipse consurgens*. Quæ nomina si secundum interpretationem suam volueritis intel-

Digitized by Google

ligere, non est difficile admirabilem atque beneficum præcipue ad eum scribere cui universa concessa sint vitia, et os ejus pateat ad cœlestem panem. Deinde ad continentem et liberam et ad longitudinem operis, quod nunquam a sancto labore desistat. Scribere autem pro eo qui respondeat testimonio suo nec non ei cui specialiter Epistola dedicatur, salutari ab ubertate crescente, et eum qui factus sit per mandata sublimior, illoque qui per majora opera in montem usque succreverit, ab eo quoque qui posuit custodiam ori suo, et ostium munitum labiis suis, qui idcireo forsitan tacuit, quia ad modicum Apostolum dereliquerat. Et ad extremum ab eo qui per se ipse consurgens quotidie augeatur processusque habeat, dum Evangelio ejus orbis impletur, et toties crescit quoties auditus et lectus ædificat. Amen.

LIBER VICESIMUS SEPTIMUS.

EXPOSITIO IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

ARGUMENTUM.

(*Hier.*) In primis dicendum est, cur apostolus Paulus in hac Epistola scribenda non servaverit morem suum, ut vel vocabulum nominis sui, vel ordinis describeret dignitatem. Hæc causa est quod ad eos scribens qui ex circumcisione crediderant, quasi gentium apostolus, non Hebræorum, sciens quoque eorum superbiam, suamque humilitatem demonstrans, meritum officii sui noluit auferre. Hanc ergo Epistolam fertur Apostolus ad Hebræos conscriptam Hebraica lingua misisse, cujus sensus et ordinem retinens Lucas evangelista post excessum Pauli apostoli, Græco sermone composuit.

CAPUT PRIMUM.

Ponitur excellentia Christi, qui est dator novæ legis, Patri coæternus et substantialis, æqualis in potestate et dignitate : et quod in his Christus præfertur angelis.

« Multifarie multisque modis loquens olim Deus « patribus in prophetis. » (*Joannes Chrysost.*) Tota intentio beati Apostoli fuit in hac Epistola ad Hebræos, id est gentem suam, ad Christi convocare fidem, eminentiamque gratiæ, quæ per Filium data est, a legalibus discernere umbris, quæ angelicis ministrationibus fuerunt. Et quoniam valde afflicti erant multis malis quæ illis acciderant, et valde contriti, ut possent ex hoc putare se inferiores cæteris ac miseriores existere; ostendit per hoc eos magis majori gratia perfrui, ut ex ipso sermonis initio erigeret auditores. Propterea ergo dicit : « Multifarie et multis modis Deus olim locutus est patribus nostris in prophetis. » Quare prophetas nominans semetipsum contra non posuit? siquidem eis tanto major exstabat, quanto ei fuerat dispensatio commissa præclarior. Sed non hoc fecit : primo quidem quia de seipso majora dicere recusavit. Secundo vero, quia necdum erant auditores perfecti. Tertio autem, quia volebat eorum mentes erigere et ostendere magnam esse præsentis eminentiam temporis. Veluti si diceret, Quid magnum, si Prophetas misit patribus nostris? Nobis enim proprium Filium unigenitum misit. Et bene satis exorsus est, « multifarie, inquit, et multis modis, » ostendit enim quoniam neque ipsi Prophetæ gratiam Deum videndi promeruerunt : Filius autem vidit. Dicendo enim « multifarie et multis modis » significat, quod alibi dictum est : « Ego enim visiones multiplicavi et in manibus prophetarum assimilatus sum (*Ose* XII). » Proinde non secundum hoc solum eminentia Novi Testamenti declaratur, quia patribus quidem Prophetæ missi sunt, nobis autem Filius, sed etiam quod prophetarum vel patriarcharum nemo nisi in similitudinibus vidit Deum; Filium vero unigenitum incarnatum esse atque in ea carne visum constat, qua idem homo a verbo Dei susceptus unigenitus est Filius Dei. Ideo mox addidit : « Novissimus diebus istis locutus est nobis in filio. » Dicendo enim *in filio* tantumdem valet, quasi diceret per filium suum quia *in* præpositio *per* accipitur, sicut multis in locis epistolarum ejus invenitur his præpositionibus indifferenter uti. Tacuit adhuc de Christi nomine, quia plurimos illorum sciebat negasse Filium Dei esse. Non enim dixit Christus locutus est, quamvis ipsum locutum constet esse manifestum : ita necdum Judæos aperto nomine tetigit. Nam ferme omnes quibus Prophetæ locuti sunt, malignos esse nefariosque constabat, et necdum de istis rationem movere voluit. sed interim generaliter de muneribus disputat, quæ illis divina largitate donabantur. « Quem constituit hære« dem universorum. » Quid est « quem constituit hæredem universorum? » Hic incarnatum dicit Filium, de quo superius locutus est, sicut etiam de eo in secundo legitur psalmo : « Postula a me et dabo tibi « gentes hæreditatem tuam. » Non jam portio Domini tantum Jacob, et sors ejus solus Israel, sed omnes potius nationes : hoc est, hunc Filium Dominum constituit universorum : hæredis autem utitur nomine, ut duo quædam per hoc astruat et ostendat, quod proprius sit Filius, et quod dominationis illi nulla contingat amissio. Hæredem autem omnium dicit, id est, mundi totius. Deinde ad altiora sermonem convertit dicens : « Per quem fecit et sæcula : » ut ostenderet eumdem novissimis diebus venisse in mundum, per quem fecit et mundum. Magnitudinem ejus ostendens, qui fuit Novi Testamenti labor et auctor : post hæc quibusdam gradibus eleganter utens, pervenit ad id quod omnibus

Digitized by Google

istis quæ supra dixit, multo majus est, et insonuit dicens : « Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus. » Ubique quidem religioso nobis opus est intellectu, maxime autem ibi, ubi de Deo vel loquimur, vel audimus; quoniam neque ad loquendum digne de Deo lingua sufficit, neque ad percipiendum prævalet intellectus. Oportet etiam ubi vel sermo deficit, vel cogitatio explicare de Deo non poterit, tunc magis glorificare nos Deum, quod talem Deum habemus qui et intellectum transcendit et cogitationis initium. Merito splendorem eum dixit gloriæ, ut pote qui ipsum sciebat dicentem : « Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII), » ostendens eum lumen de lumine, sicut Deum de Deo esse, animasque nostras illuminantem, et patrem nobis insinuantem. Per splendorem quippe unitatem declaravit essentiæ cum Deo patre, et mirabili modo unam substantiam ostendit, ut duas personas aperiret in gloria et splendore. Unde etiam subjungit, « qui est figura substantiæ ejus. » Figura quippe alter est ab eo cujus efferat formam, alter autem non in omnibus, sed secundum personam. Nam et hic figura æqualitatis omnino præbet indicium ad illud cujus figura ostenditur, et suspicionem vel parvæ dissimilitudinis procul dubio non recipit. Hic enim figuram dixit quod in alio loco formam nominat. Ubi ait : « Qui cum in forma Dei esset (*Philip.* II), » forma videlicet vel figura, unam declarat essentiæ æqualitatem. Quia de eodem Redemptore nostro scriptum est : « Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus portansque omnia. » (*Greg.*) Ejus ergo manus corda nostra portat, ejus manus in contemplatione nos sublevat : nisi enim, ut dictum est, Omnipotentis Verbum propter homines homo fieret, humana corda ad contemplandam verbi excellentiam non valerent. Inde ergo excelsæ factæ sunt hominum mentes, unde inter homines apparuit humilis Deus. « Portansque omnia verbo virtutis suæ. » Portans, id est, gubernans omnia eo Verbo virtutis per quod fecit omnia. Non enim minus est gubernare mundum quam creare. Nam in creando quidem, ex nihilo rerum substantiæ productæ sunt; in gubernando vero ea quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant continentur. Ergo dum hæc omnia reguntur, ad invicem sibi repugnantia coaptantur, magnum et valde mirabile plurimæque virtutis Dei indicium declaratur. Post hanc divinæ majestatis in Filio claritatem, ac humilia incarnationis descendit dicens : « Purgationem peccatorum faciens. » Duo quædam significans, id est, curam nostri gerens, in eo quo ait : « portans omnia verbo virtutis suæ; » quod vero adjunxit, « purgationem peccatorum faciens, » id est, peccata nostra mundat. In his duobus maxime Apostolum gloriari videmur, quod hæc per Filium nobis allata esse demonstrat : et cum nos commonuisset crucis et passionis ejusdem Filii, per quæ nobis purgatio peccatorum ministrata est, confestim de resurrectione atque ascensione ejus instituit nos ad cœlestia erigere, et intueri inenarrabilem ejus gloriam. Ait enim : « Sedet ad dexteram majestatis ejus in excelsis. » Per dexteram non Deum corporaliter deformavit, sed magnitudinem demonstravit honoris. Dum dixit « in excelsis, » ostendit eum omnibus altiorem et supereminentem esse, qui etiam usque pervenit solium paternæ claritatis. Sicut ergo Pater in excelsis est, sic et Filius : consessus enim nihil demonstrat aliud, nisi honoris æqualitatem. Si enim minorationem vellet ostendere, nunquam diceret a dextris, sed potius a sinistris eum sedere. « Tanto melior est angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. » (*Joan.*) O apostolica sapientia! magis autem non Pauli sapientia, sed Spiritus sancti miranda est gratia. Non enim ex intellectu hæc proprio loquebatur, neque humano hanc dispensationem reperiebat ingenio. Unde enim illi hoc? Num ex scalpellis, aut pellibus, aut in officina illa hæc poterat edoceri? Nequaquam : sed divinæ fuit hæc operatio majestatis. Non enim has intelligentias sua mente procreabat, quæ tunc erat tam debilis et extrema : ita ut nihil amplius haberet a plebeiis et popularibus. Quomodo enim aliquid divinum posset ille sentire, qui circa pretia vendendi et circa confectionem pellium totam suam vitam totumque studium conterebat? Sed gratia Spiritus sancti per quos vult potentiæ suæ virtutes ostendit. Sicut enim si aliquis infantulum quempiam in excelsum quemdam locum et pertingentem ad ipsum verticem cœli volens paulatim sensimque subrigere, gradatim hoc faciat, ab inferioribus ad superiora conscendens; deinde cum sursum pervenerit, jubeat illum infantulum deorsum in inferiora despicere; deinde despicientem videat hæsitare et obscuritatibus ac defectionibus fatigari : iterum eum ad humiliora deponit quo respirare valeat atque animum recreare; deinde cum refectus fuerit, eum iterum ad superiora sustollat et iterum ad inferiora revocet : ita et circa Hebræos beatus faciebat Apostolus, et sic eum ubique reperies magistri sui in docendo vestigia consequentem. Nam et ipse sic faciebat : aliquando quidem in altiora suos discipulos sublevabat, aliquando autem eos ad inferiora imbecillitatis eorum gratia revocabat, nequaquam eos prolixo tempore in altera permanere parte permittens. Et contemplare iterum sapientiam Pauli, per quales eos etiam sublevat gradus, et qualiter eos ad ipsum apicem pietatis adducit : ubi item antequam deficerent et eos obscuritas occuparet, vide quomodo eos ad inferiora revocavit, quo possint paululum recreari : « Locutus est nobis in Filio suo quem posuit hæredem omnium. » Filii quippe nomen commune est. Ubi enim proprius intelligitur Filius, superior est et excellentior universis : sed interim quomodolibet se habeat, astruit quoniam desursum est; et vide quomodo hoc dicat : « Quem posuit hæredem omnium. » Quod dixit « hæredem posuit » humilitatis demonstrat indicium : deinde ad superiorem gradum altioremque transcendit : « Per quem, inquit, et sæcula fecit. » Deinde ad excelsiorem omnibus venit, post quem altiorem al-

Digitized by Google

terum gradum inire non possis : « Qui est, inquit, splendor gloriæ et character substantiæ ejus. » Vere in ipsum eos inaccessibile lumen induxit, et in ipsum splendorem immensæ summæque claritatis suæ : et antequam eos obscuritas ulla comprimeret, attende quomodo eos iterum pedetentim ad inferiora et consueta loca deponit, dicens : « Ferens omnia verbo virtutis suæ. Per ipsum, inquit, mundationem peccatorum faciens nostrorum, sedere fecit in dextera majestatis. » Non simpliciter dicit : « sedere fecit, » sed « post mundationem, inquit, sedere fecit. » Suscepit enim incarnationis officium, deinde humilia loquitur, et post hæc interlocutus paululum, « In dextera, inquiens, majestatis ejus in excelsis. » Iterum ad humilia narranda revertitur : « Tanto melior factus angelis, quanto differentius præ eis nomen hæreditavit. » Hic jam de eo, qui est secundum carnem disputat. In eo enim quod dixit « melior factus est, » non essentiæ paternæ declaravit indicium : illa enim quæ Patris essentiæ consubstantialis agnoscitur, non est facta, sed nata. Loquitur autem de carnali substantia : ipsa enim facta est. Sed nunc non de substantia ejus, hoc est qualiter exstiterit, sermo peragitur, sed sicut Joannes dicit : « Qui post me venit, ante me factus est (*Joan.* I). » Hoc est, honorabilior atque probabilior : sic etiam hic, « tanto melior, inquit, factus est angelis, » hoc est, probabilior atque præclarior, « quanto melius hæreditavit nomen. » Vides quia de eo qui est secundum carnem versatur sermo? Hoc enim nomen, Deus Verbum, semper habuit, non postea hæreditavit. Neque postea eum ab angelis meliorem constat effectum, quando mundatione sua abstulit nostra peccata, sed semper melior fuit, et non solum melior, sed etiam incomparabiliter melior universis. Verumtamen de eo qui est secundum carnem ista dicuntur. Sic enim et nobis usus est, cum de natura humana disserimus, et fastigium habentia loquimur et submissa : quando enim dicimus : Nihil est homo, terra est homo, cinis est homo, totum a deterioribus appellamus; quando vero dicimus : Mortale animal homo et rationale et supernis cognatum, a melioribus vocamus universum : sic et in Christo aliquando quidem ab inferioribus, aliquando autem a melioribus loquitur Paulus, et dispensationem cupiens confirmare et simplicem commendare naturam. « Cui « enim dixit aliquando angelorum : Filius meus es « tu, ego hodie genui te. » Et rursum : « Ego ero illi « in patrem et ipse erit mihi in filium? » Hoc enim absque ulla dubitatione de incarnatione Filii dicitur : ideo verbum futuri temporis posuit, « ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium. » Quod vero dixit, « Filius meus es tu, ego hodie genui te, » aperte manifestat, quod idem de quo ait « ero ei in patrem » ex ipsa essentia Patris sit genitus; ideo præsenti tempore posuit hodie, quia Deo nihil præteritum vel futurum est, sed semper præsentia cuncta. Potest enim et secundum carnem hoc accipi dictum, quia caro communicat altioribus, sicut et divinitas humilibus communicare dignata est. Hoc itaque loco perspicue duas naturas in Christo ostendit, hæc vero salutis nostræ exempla referamus. Si enim ipse, cum Deus esset et Dominus Deique Filius, non respuit formam servi suscipere, multo amplius nos oportet cuncta perficere quæ jussa sunt nobis, et humilia quæque tolerare; recordemur Christum dicentem : « Cum feceritis omnia, dicite, quoniam inutiles servi sumus (*Luc.* XVII). »

« Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terrarum dicit : Et adorent eum omnes angeli « Dei. » (*Joan.*) Dominus quidem noster Jesus Christus adventum suum carnalem exitum vocat : sicut habes cum dicit : « Et exiit qui seminat ad seminandum (*Matth.* XIII); » et iterum : « Ego a Patre exivi et veni in mundum (*Joan.* XVI); » et hoc in plurimis Scripturarum locis poterit inveniri. Paulus autem introitum Christi vocat adventum dicens : « Cum introduxit Primogenitum in orbem terræ. » Introitum ergo assumptionem carnis appellat : sed quærat aliquis cur talibus vel diversis utatur nominibus? Significationes quidem dictorum manifestæ sunt, et secundum quid alterutrum dicatur apparet. Christus quidem merito exitum vocat : foris enim eramus a Deo, sicuti qui sunt extra regales aulas in vinculis colligati, et qui habent apud regem pro culpis aliquibus offensam; hujusmodi quippe a regali aula foris exclusi sunt : qui vero voluerit istis veniam impetrare, non primum ipsos in aulam regis introducit, sed ipse foris egreditur, ibique cum eis commiscet sermocinandi negotium, usque dum eos correctos reddat, et dignos efficiat quo regis vultui repræsentari mereantur. Sic etiam Christus effecit : egressus quippe ad nos, hoc est, carnem sumens, et collocutus nobiscum, præcepta nobis Regis innotuit, et sic nos a peccatis emundans et ad Deum convertens, in aulam regalem velut mediator optimus introduxit. Propterea ergo exitum vocat suæ incarnationis adventum. Paulus autem introitum nominat ex metaphora hæreditantium, et jus dominandi in aliqua possessione sumentium; dicendo enim, « Iterum introducit Primogenitum in orbem terrarum, » hoc significat, cum ei committit orbem terrarum : tunc enim totum orbem terræ possedit, cum ab universis est agnitus. Non de Deo vero ista dicuntur, sed de carne : si enim in mundo erat juxta Joannem, et mundus per ipsum factus est, quo alio modo introducitur, nisi secundum carnem? « Et adorent eum omnes angeli Dei. » Quoties enim magna quædam et altiora dicturus est, præstruit illa primum, et facit illa susceptibilia, dum dicit Patrem introduxisse Filium : superius enim dixerat quia non per prophetas nobis locutus est, sed per Filium, et quia Filius melior est angelis, quod ex ipso argumentatus est nomine. Hic autem jam ex alia re vult argumenta deducere. Ex qua ista? Ex adoratione videlicet, nam tanto eum meliorem esse demonstrat, quanto Dominum servis constat esse meliorem : quomodo si quis in quamdam domum introducat aliquem, et confestim

Digitized by Google

omnes illius domus princeps jubeat ut illum proni simul omnes adorent; ita et Christum secundum carnem jussit a cunctis angelis adorari dicens: « Et adorent eum omnes angeli Dei; » etiam ipse Gabriel. Sed quærat aliquis, num angeli tantum adorare præcepti sunt? Non. Adverte itaque quæ sequuntur: « Et ad angelos quidem dixit: Qui facit angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis; ad Filium autem: Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi. » Ecce maxima differentia, quia illi quidem creati sunt, hic autem increatus. Ad angelos autem inquit, « Qui facit angelos suos spiritus; » ad Filium autem non dixit « qui facit, » et sane posset, si velit, istam sic exprimere differentiam dicendo: « Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus; ad Filium autem, Dominus creavit me: » siquidem « Dominum eum et Christum Deus fecit. Sed neque illud de Filio dictum est, neque hoc de Deo vero, sed de eo qui est secundum carnem. Ubi enim veram differentiam significari desiderat, non jam solos angelos comprehendit, sed omnes virtutes ministeria superna fungentes. Intueris quomodo dividit, et cum quanta claritate creaturas a Creatore discernit, ministros vocans et Dominum, servos et hæredem ac proprium Filium. (*Aug.*) Sciendum vero est quod angeli nomen est officii non naturæ, qui etiam semper sunt Spiritus, sed non semper angeli vocari possunt. Quæris hujus naturæ nomen? Spiritus est; quæris officii? angelus est. Ex eo quod est, spiritus est, ex eo quod audit, angelus est, quia angelus Græce, Latine nuntius dicitur, sicut homo nomen est naturæ, miles vero nomen officii. Sic enim qui erant jam spiritus conditi a Creatore Deo, facit eos angelos mittendo eos nuntiare quod jusserit, et ministros suos flammam ignis. Legimus apparuisse ignem in rubo (*Exod.* III); legimus etiam missum ignem desuper, et implevisse quod præceptum est (*IV Reg.* II). Potest dici quando lenia nuntiare mittuntur, angelos esse, quando ad vindictam mittuntur, ministros esse, id est, ignem ardentem. Sunt etiam hæc officia in Ecclesia præsenti. Nam prædicatores sancti quando spiritalia prædicant et gaudia regni Dei annuntiant, angeli dicuntur; quando vero terrorem gehennæ ignis prædicunt, ministri sunt, ut terreant peccatores in comminatione ignis illius qui nunquam exstinguetur. « Ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi. » Hic de eo dicit, qui secundum carnem est, de quo etiam ipse Dominus in Evangelio ait: « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium; » et paulo post: « Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est (*Joan.* V). » Hic enim thronus Dei ad judicium pertinet futurum in quo forma servi videbitur, judex vivorum et mortuorum, et quo judicio omnia veraciter Christus moderatur, examinat atque dijudicat. « In sæculum sæculi » ait, quia novissimum judicium inter bonos et malos æterna discretione stabit, eo ipse testante in Evangelio qui judicaturus est: « Tunc ibunt hi in ignem æternum, justi in vitam æternam (*Matth.* XXV). »

« Virga æquitatis, virga regni tui. » Virgam vero regulam divinæ significat æquitatis, quæ veraciter recta dicitur, quia nulla pravitate curvatur. Virga ista justos regit, impios percutit: sed hæc virga fortitudo est invicta, æquitas rectissima, inflexibilis disciplina. Hæc enim virga regii honoris insigne sceptrum dicebatur antiquitus, designans in ea virtutum regem Dominum Salvatorem. « Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem; » ipsa est virga recta amare æquitatem et odisse nequitiam. Nemo enim perfecte diligit justitiam, nisi qui et actus pessimos abominatur, quia veritatis amor odium est falsitatis. Sed huic amori bonitatis et odio iniquitatis quæ præmia sunt reddita subter exponit dicens: « Propterea unxit te Deus, Deus tuus. » Unctus Christus et regem significat et sacerdotem, quia dignitates istæ sumebantur per sacratissimas unctiones. Nam et ipsum nomen Christi a sancto chrismate vocatur, sed in illa natura unctus dicitur qua dispensatione et natus et mortuus et resurrexisse veraciter dicitur Christus. Cæterum deitas ejus nullo munere, nullo honore indiguit adjuvari. Repetitio autem ista quod dicit « Deus, Deus, » præconium magnæ dilectionis ostendit. « Oleo exsultationis præ participibus tuis. » Duplici modo unctionem illam sanctam provenisse significat. Oleum lætitiæ est peccati maculam non habere. Unde se conscientia semper exhilarat, quando nulla recordationis asperitate mordetur. (*Joan.*) Qui sunt illi participes alii præter homines? hoc est, quod alibi dicitur (*Joan.* V), quia non ad mensuram Christus suscepit Spiritum. Contemplaris quomodo semper coaptat sermonem dispensationi carnis, sermoni quidem dum de natura divinitatis eloquitur. Quid hoc clarius dici potest? Animadvertis quomodo non est idipsum creatura et proles? Non enim ita divideret si idem esset utrumque, nec ad differentiam illius verbi, quod dixerat, « fecit, » inferret: « Ad Filium autem dixit: Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi. » Neque differentius nomen appellaret Filii nomen, si ejusdem esset significationis cum nomine creaturæ. Nam quæ, rogo, differentia remanebit, si idem est proles ac creatura? (*Aug.*) Ideo autem dictum est « præ participibus tuis, » quoniam hanc benedictionem supra omne humanum genus, sive reges, sive sacerdotes in Veteri Testamento, sive etiam apostolos et martyres in Novo, cognoscitur accepisse, ut unctus singulariter, cæteros ungere debuisset: in illo enim fons est benedictionis, et prout ipsi visum fuerit, per universos electos competenter emanat. Sed hæc omnia carni conveniunt, cui perfectissimum et gloriosissimum Verbum unitum est pro salute sanctorum. Hoc unguentum in alio dicitur psalmo (*Psal.* CXXXII) descendisse in barbam, barbam Aaron usque in ora vestimenti ejus; et paulo post: « Quoniam « illic mandavit Dominus benedictionem et vitam « usque in sæculum sæculi. » Post humanitatis igitur

Digitized by Google

excellentiam, iterum ad æternitatem divinam in eodem Filio Dei convertit se Apostolus testimonio alterius psalmi dicere; ait enim:

« Et tu, Domine, in principio terram fundasti et « opera manuum tuarum sunt cœli. » (*Ambr.*) Cum dicit, « in principio terram fundasti, Domine, » ostendit quod a sanis mentibus non potest abnegari quia Creator a creatura sua sine aliquo initio cognoscitur exstitisse. « Et opera manuum tuarum sunt cœli; » hic manuum virtutem jussionis Dei debemus accipere; alio enim loco dicitur: « Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt (*Psal.* CXLVIII.). »

« Ipsi peribunt, tu autem permanebis. » Pereunt enim ab eo quod sunt dum immutantur in melius creaturæ; tu autem permanes, ut sicut æternitatem Domini ostendit antequam erearet omnia, sic post cœlos mutatos ipsum diceret in majestatis suæ gloria permanere. « Et omnes ut vestimentum veterascent. » Ipsum enim veterascit quod more vestis morte consumitur, sicut caro humana, quæ tamen in melius resurrectione immutabitur. Addidit: « Et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur. » His verbis forsitan cœli immutationem propheta intelligi voluit, qui similiter ut cætera elementa commutantur, sicut in alio legitur propheta: « Et erit cœlum novum et terra nova (*Apoc.* XXI). [*Joan.*] Ut facta Domini ostenderet jam sub æternitate mansura dicit: « Mutabis eos et mutabuntur, » quia nunquam erunt ad hoc corruptibile reditura. Dicit ergo quia transformaturus est mundum, et facilitatem significans intulit: Sicut quilibet amictum involvit atque permutat, sic et ipse mundum et complicaturus et mutaturus est. Ergo si transformationem et conditionem, quæ fit in melius, tam facile poterit operari, quis dicat quod in inferiori opere alterius eguerit adjutorio? Usquequo non erubescunt taliter insanire? Simul etiam consolatio major est cognoscere, quod non in eodem statu cuncta permaneant. Sed illa quidem mutabuntur, ipse autem idem ipse permanet in æternum, sicut dicitur: « Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficiunt. » (*Ambr.*) Immutatione ejus diminutura designat quæ sunt, ipse vero idem est quod est, veluti Moysi famulo suo dixit: « Ego sum qui sum (*Exod.* III), » sic istis tribus versibus commutatio creaturarum et æternitas Domini mirabili brevitate descripta sunt. Post majestatem divinæ æternitatis in Filio iterum beatus Paulus ad humanitatis ejusdem glorificationem sermonem direxit dicens: « Ad quem angelorum enim dixit aliquando: Sede a dextris meis? » Victori Filio et per sanctam incarnationem totius mundi triumphatori, post resurrectionis gloriam honorabilis consessus paternæ majestatis offertur, ut per hunc situm susceptæ humanitatis gloria declaretur. « Quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. (*Joan.*) Ecce iterum eos confidentes facit, siquidem futurum ostendit, ut eorum superentur inimici, et quia inimici eorum ipsi erunt etiam Christi, in hoc iterum et regni declaratur indicium et honoris æqualitas. Nullam autem imbecillitatem aliquatenus arbitror, eo quod dicit Patrem indignatum iri pro his quæ fuerit Filius indigne perpessus: hoc magis multæ Patris circa Filium dilectionis et honoris indicium est. Qui enim indignatur pro eo, quomodo extraneus ab illo esse contenditur? quod de eo jam in alio dicitur psalmo: « Qui habitat in cœlis irridebit eos et Dominus subsannabit eos (*Psal.* II); « et iterum ipse dixit: » Eos autem qui me sibi regnare noluerunt adducite in conspectu meo, et interimite (*Luc.* XIX); » quia vero ejus sunt hæc verba, audi quid dicat et in alio loco: « Quoties volui congregare filios tuos et noluisti? ecce relinquetur domus vestra deserta (*Matth.* XXIII); » et iterum: « Qui ceciderit super lapidem illum confringetur; super quem vero ceciderit conteret eum (*Luc.* XX). Huc accedit, quia si ipse judicaturus est eos, multo amplius et in hac vita ipse illis digna retribuet. Proinde honoris magis est quod dicitur: « Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. » (*Ambr.*) Pedes enim Domini stabilitas æterna significatur, ut ille tanquam vestigiis positis omnipotentiæ suæ virtute consistit; his pedibus constat esse subdendos, qui quotidie vitiorum contrarietate derelicta revertuntur ad Dominum, et tanquam scabellum pedibus, ita ejus prædicationibus inclinantur; sine dubio de illis inimicis dicitur, qui conversi ad dexteram collocantur. Non hic adverbium *quousque* alicujus temporis finem designat, sed æternitatis potentiam demonstrat: « Nonne omnes administratorii sunt spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem « capiunt salutis? » Quid miraris, si Filio suum ministerium exhibent angeli, cum etiam nostræ salutis ministros eos constet effectos? Mentes eorum ad quos loquitur sublevare volens, dicit angelorum functiones humanæ salutis causa a Domino directos esse, Filius vero sicut Dominus Salvator, isti vero sicut servi saluti prædestinatorum deserviunt. Cujus rei pleni sunt Veteris Testamenti vel Novi ubique libri. Nam et pastoribus angeli evangelizaverunt (*Luc.* II), et angelum legimus ad virginem Mariam missum (*Luc.* I), et in resurrectione Domini angeli mulieribus apparuerunt (*Marc.* XV, *Luc.* XXIV, *Joan.* XXX), et alia multa in divinis leguntur Scripturis. Intelligite igitur nunc quantus honor nobis existit ut sicut ad amicos, ita ministros angelos destinet Deus. (*Greg.*) Scriptum in libro Job: « Deus, cujus iræ resistere nemo potest, sub quo curvantur qui portant orbem (*Job.* IX); » in hac sententia angelicæ virtutes intelligi possunt: ipsæ etenim orbem portant, quæ regendi mundi curas administrant, Paulo attestante qui ait: « Nonne omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? » Ait ergo: « Deus, cujus resistere nemo iræ potest, sub quo curvantur qui portant orbem, » ac si humilitatem omnis creaturæ conspiciat et tremefactus dicat: Quis infirmorum hominum tuis nutibus obeat, cujus se formidini et virtutes angelicæ inclinant? vel certe

Digitized by Google

quoniam cum curvamus, superiora non cernimus. Erecti essent illi subtilissimi spiritus si plene potentiam ejus majestatis attingerent; sed qui orbem portant, sub Deo curvi sunt, quia divinitatis ejus celsitudinem quamvis sublevatæ videant, nec virtutes tamen angelicæ comprehendunt. Quam vir justus præ infirmitate non penetrans, sed hanc utcunque ex subjectis summorum spirituum ministeriis pensans, ad considerationem se propriam sollicita humilitate recolligit, sibique coram se præpotestate supernæ magnitudinis vilescit, dicens : « Quantus ergo sum ego, ut respondeam eis, et loquar verbis meis cum eo? » ac si aperte dicat : Si creatura illa hunc considerare non sufficit, quæ carne non premitur, qua mente de ejus ego judiciis disputo, qui pondere corruptionis angustor? (*Joan.*) Intueris ergo ministerium nobis propter Deum reddentes, et magna nobis officia persolventes; idcirco dicit Paulus : « Omnia vestra sunt sive vita, sive mors, sive mundus, sive præsentia, sive futura. » Missus est quidem et Filius, sed non sicut minister, neque ut perfunctus cujuslibet officiis, sed sicut Filius unigenitus, eadem Patri suo volens atque desiderans. Magis autem neque missus est, neque enim de loco ad locum pertransiit, sed carnem sumpsit : isti autem per loca mutantur et prima loca in quibus fuerant deserentes, ad alia veniunt, transeundo in quibus non erant antea. Sed et hoc etiam confidentiam eis excitat dicens : « Quid veremini? » Nam nobis etiam angelicum ministrat officium : his ita introductis de angelorum ministratione, mox subjunxit de excellentia gratiæ, quæ per Filium Dei nobis allata est, dicens.

CAPUT II.

Ostendit Apostolus novæ legi esse obediendum datæ a Christo, et quod non obstet humilitas passionis ejus.

« Propterea abundantius oportet observare nos « ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus. » Quare abundantius dixit? hoc est, quam in lege solebamus: hortatur itaque eos diligentius his intendere quæ per Dei Filium audierunt, quam eis quæ per angelos dicta sunt, more suo suam illis conjungens personam, in eo quod dixit, « audivimus, » atque « pereffluamus, » nolens ab auditis per inanitatem effluere audientium sensus, quod etiam sequentibus plenius explicavit dicendo : « Si enim qui per ange- « los dictus est sermo, factus est firmus, et omnis « prævaricatio, et inobedientia accepit justam mer- « cedis retributionem. » Quid est, factus est firmus? videlicet verus, tanquam diceret, fidelis in opportuno tempore, volens intelligi legem quæ per angelos data est suo tempore firmiter custodiendam. Nam legem per angelos datam esse plurimis ostenditur in locis : attamen non custodientem justam mercedis retributionem accepisse testatur. Quare dixit mercedis retributionem? merces autem in bono poni solet. (*Joan.*) Sed iste mos est Apostolo, ut non magnam verborum habeat rationem, sed indifferenter vel quæ in bono dicuntur, vel quæ in malo, pro alterutro ponere, sicut et alibi dixit : « in captivitatem redigentes omnem sensum ad obediendum Christo; » et iterum mercedis reciprocationem dicens pro supplicio, sicut et in præsenti loco supplicium mercedem nominavit, item alibi dixit : « Siquidem justum est apud Deum, retribuere tribulantibus vos tribulationem, et vobis qui tribulamini requiem (*II Thes.* 1); » hoc est, non peribit justitia, sed exsecutus est Deus, et convertit judicium suum super peccatores, quamvis non omnia sint manifesta peccata, nisi quando præcepta disposita contemnuntur. « Et quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? » Per hæc verba significat, quia non erat tanta salus in Veteri Testamento, quanta est in gratia Dei, quam Dei Filius nobis attulit. Non enim nobis nunc, sicut illis terræ divitias, sed cœli gratiam promisit Deus; non vindictam de terrenis hostibus, sed de spiritalibus concessit. Non vitam feliciter temporalem, sed perpetuam æternaliter beatam donavit, hæc quippe omnia breviter intimavit dicens : « Si tantam neglexerimus salutem; » deinde supereminentiam eorum quæ per Dei Filium dicta sunt, adjunxit : « Quæ cum initium « accepisset enarrari per Dominum ab eis qui au- « dierunt in nobis confirmata est. » Hoc est, si ab ipso fonte hæc dicimus habere principium, non ergo ab hominibus nobis allata sunt, non ab aliqua virtute creata vel condita, sed ipse nobis ea Filius unigenitus impertivit. « Ab eis, » inquit, « qui audierunt in nos confirmata est, » id est, credita est, atque perfecta : « Pignus, » inquit, « habemus, » hoc est, non exstincta, non diminuta est salus quam nobis attribuit, sed permanet et prævalet in æternum. Causa vero hujus rei est divinæ voluntatis operatio, hoc est, quia qui Dominum audierunt, ipsi nos propriis confirmavere virtutibus. Magnum hoc opus omnique fide dignissimum, quod etiam Lucas dixit in principio Evangelii sui : « Sicut tradiderunt nobis qui ab initio præsentes viderunt et ministraverunt verbo. » Sed dicet aliquis : quomodo hæc confirmata est salus? quid enim, si ab his qui primum audierunt ista conficta sunt? Hoc ergo refutat, et ostendit non esse humanam hanc gratiam. Neque enim, si hæc conficta essent, contestaretur illis majestas divina; propterea ergo intulit dicens : « Contestante Deo signis, « et portentis, et virtutibus et Spiritus sancti distri- « butionibus secundum suam voluntatem. » Testificantur quidem et illi, testificatur et Deus; et quomodo testificatur Deus? Non verbo neque voce, esset quidem hoc etiam dignum fide, verumtamen « virtutibus et prodigiis et variis virtutibus attestatur. » Bene dixit, « variis virtutibus, » affluentiam significans gratiarum quæ non erat apud antiquos, neque tanta signa, neque tam diversa prodigia. Hoc ergo dicit quia non simpliciter illis est creditum, sed per signa et prodigia; proinde dum illis credimus, non illis sed Deo nos credere declaratur, « et Spiritus, » inquit, « sancti distributionibus secundum suam voluntatem. » Sed fortasse dicet aliquis : Quid ergo? quia magi signa faciunt, et Judæi in Beelzebub Christum dæmones exclusisse

Digitized by Google

dicebant (*Luc.* xi), num propterea credendum est magis? Sed illi non talia signa faciunt; propterea subjunxit Apostolus dicens « variis virtutibus: » illa enim non virtuti, sed infirmitati potius tribuenda sunt, quippe quæ phantastica et inania demonstrantur. Idcirco ergo intulit dicens: « Et Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem. » In hoc loco aliud etiam quiddam eum significare puto: arbitror enim quod inter eos non erant plures divina charismata possidentes, sed cessaverunt apud eos velut qui segnes facti erant et negligentes. Ut ergo eos consoletur, ne aliqua desperatione deciderent, divinæ voluntati cuncta tribuit divinoque consilio: veluti si diceret: Ipse novit quid cuique prosit, vel cui quid sit accommodum, et ipse gratiam quæ conducat unicuique distribuit. Quod etiam ad Corinthios facit, dicens: « Deus posuit unumquemque sicut voluit (*I Cor.* vii); » et iterum: « Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem secundum voluntatem ejus (*I Cor.* xii). » Ostendit ergo quoniam hæc prædicatio secundum voluntatem Dei Patris exorta est: (*Ambr.*) divinæ enim voluntati, atque ejus consilio cuncta contribuit, ne quis in suis meritis confideret, quasi diceret, Ipse scit quid cuique prosit, vel cui quid sit accommodum; quapropter ipse gratiam unicuique secundum suæ voluntatis præscientiam contulit. Sequitur: « Non enim angelis subjecit Deus « orbem terræ futurum de quo loquimur. » Non enim salutem nostram, quæ novissimo tempore facta est in orbe, angelis subjecit, quæ a prophetis futura esse olim prædicta est, sed etiam Filio suo ad quem vox paterna sicut superius demonstratum est sonuit: « Filius meus es tu, ego hodie genui te; postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* i); » et hoc propheticis confirmat exemplis dicens: « Testatus est autem in quodam loco quidam dicens; » cur non ipsum nomen prophetæ posuit, sed abscondit? Facit hoc etiam in aliis testimoniis, sicut supra dictum est. Existimo eum non abscondentis intuitu hoc fecisse, sed eos multam habere scientiam Scripturarum, ut nec opus haberet nomen posuisse dicentis, sed veluti diceret manifesta, et in promptu constituta induceret testimonia. « Quid est homo quod memor es ejus, aut Filius hominis quoniam visitas eum? (*Psal.* viii.) Quid est homo, cum despectu pronuntiandum est, id est fragilis et caducus, Adæ sequax, qui in veteri peccato generali pravitate devinctus. Hujus memor est Dominus quando peccata dimittit, et misericordiæ suæ dona largitur, « aut Filius hominis, quoniam visitas eum? » Hic jam voce surgendum est, quod Dominum significat salvatorem, qua non ut cæteri mortales ex duobus hominibus natus est, sed ex Spiritu sancto et beatæ Mariæ semper Virginis utero tanquam sponsus de glorioso thalamo processit. Et considera quod superius dixit, « memor es, » subjecit autem « visitas: » memor fuit cum patriarchis de cœlo misertus est. Visitavit cum, « Verbum caro factum est et habitavit in nobis. » Nam visitare dicitur, quando medicus ad infirmos ingreditur, quod in adventu Domini revera constat impletum: « Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum. » Hinc jam Domini Salvatoris humilitas narratur et gloria. Minoratus est enim non necessitate ministratoria, sed pietatis suæ spontanea voluntate, sicut Apostolus ait: « Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. » Sequitur, « paulo minus ab angelis (*Phil.* ii), » qui crucem pro omnium salute susceptit, ex ea siquidem parte Creator angelorum minor factus est angelis. Bene autem dixit « paulo minus, » quia etsi mortale corpus assumpsit, tamen peccatum non habuit. Gloria et honore coronatus est, cum post resurrectionem nimis mirabilem mundi credulitatem Deus in eo quod homo factus est, exaltatus accepit, gloria coronatus est in resurrectione et ascensione et honore in confessione paternæ majestatis « Et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus. » Superius gloria ejus et honor narratus est, nunc ponitur et potestas, ut agnoscatur Christi Domini majestatis perfectissima plenitudo. Dicendo enim « super opera manuum tuarum, » omnis illi creatura subjecta monstratur, quia sicut a Domini opere nihil est exceptum, ita nec potestate Christi aliud probatur esse divisum. « In eo enim quod ei omnia subjecit, nihil dimisit non subjectum ei; » dicendo enim « omnia, » nec terrena videtur excepisse, nec cœlestia, quem prius propter humilitatem carnis paulo minus ab angelis dixerat esse minoratum: post ascensionem dicit pedibus ejus omnia fuisse subjecta, ut ista distinctio et dubietatem titubantibus auferat, et gloriam suæ incarnationis ostendat. Sub pedibus, ait, ut omnis creatura merito ipsum colere atque adorare videatur. « Nunc autem nondum videmus omnia subjecta ei. » Hoc itaque ait de non credentibus in eum, quia necdum omnia evangelica obtinuit prædicatio; superius dixit, nihil dimitti sibi non subjectum, et hic astruit necdum omnia subjecta sibi videri: quia illic universalem sibi voluntariam sive necessariam subjectionem designat, hic tantum voluntariam qui fideliter credunt in eum: « Eum autem qui modicum quam angelis minoratus est vidimus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. » Hic ostendit quia gloria et honor crux est Christi, pro qua modicum minoratus est ab angelis. Sicut ipse Dominus eam semper vocat dicens, « ut glorificetur Filius hominis; » si ille ea quæ pro servis passus est gloriam vocat, multo amplius, tu homo, quæ pro Domino pateris tibi ad gloriam pertinere sempiternam dubitare non debes. Addidit, « ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem, » ipsum vero gratiam nominat qui pro omnium salute gustavit mortem. Non enim debebatur nobis ut Filius pro nobis gustaret mortem, sed gratia hoc fecit, ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si

Digitized by Google

non omnes credunt, ille tamen quod suum erat implevit. Propterea dixit « gustavit mortem, » quia brevi tempore in illa fuit, ut ea devicta, confestim resurgeret.

« Decebat enim eum propter quem omnia et per « quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari. » Decebat enim per passionem consummare, id est perficere omnium salutem per quem omnia, id est, per ejus mortem, sive quæ in cœlis sive quæ in terris restaurata sunt; vides quantum est in medio nostrum, et ipse Filius, et nos filii : ille proprius, nos adoptati, sed ille salvat, et nos salvamur. Vides quomodo nos et conjungit et discernit : « Multos filios, inquit, inducens in gloriam, » hic conjunxit; « auctorem, inquit, salutis eorum, « hic discrevit. « Qui eum sanctificat, et qui sanctificantur ex uno omnes. » Ecce iterum quomodo conjungit honorans et consolans, et Christi fratres eos nominans, secundum quod ex uno eos esse dicit. Deinde muniens sermonem suum et ostendens quoniam de eo qui secundum carnem est, dixit : « Qui enim sanctificat, » hoc est Christus, « et qui sanctificantur, » hoc est nos. Intueris quantum interest : ille sanctificat, sanctificamur enim nos; addidit « ex uno omnes; » unus est enim Deus a quo omnia; sed ille aliter, aliter et nos : ille quasi proprius Filius, nos vero quasi adoptivi. Attamen unum habemus Patrem Deum : ille quasi proprius Filius sanctificat, nos sicut adoptivi sanctificamur. « Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens : Nuntiabo nomen tuum fratribus meis. » In eo enim quod dixit, Non erubescit fratres eos vocare, demonstrat non naturæ esse fraternitatis nostræ, sed misericordiæ ejus et humilitatis multæ, quia nos fratres elegit sibi, et hoc prophetico affirmat testimonio, ne quasi novum putaretur et non multo ante prædictum; ait enim : « Nuntiabo fratribus meis. » Post sacram passionem et resurrectionem, dicit gloriam divinitatis toto orbe vulgandam. « Nuntiabo » enim dicit, id est, narrare facio, « sicut » in Evangelio mulieribus dixit : « Ite, dicite fratribus meis (*Matth.* XXVIII). » Fratres autem dicuntur et qui diligunt et qui diliguntur. Addidit : « In medio Ecclesiæ laudabo te. » In medio sanctorum laus Domini resonat per eum qui ait : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et revelasti ea parvulis (*Luc.* X). » Laus enim Domini vera non solum ore sed etiam corde amantis et perficientis præcepta Domini narratur. « Et iterum : Ego ero fidens in eum. » De suscepto homine hoc dictum est, cujus confidentia tota in Deo Patre esse non dubium est, sicut in Evangelio ipse ait, pro quibus supplicabat dicens : « Volo, Pater, ut ubi ego sum, et isti sint mecum (*Joan.* XVII), » quos etiam ut confidentiam haberent exhortatur dicendo : « Confidite, ego vici mundum. »

« Et iterum : Ecce ego et pueri, quos dedit « Deus. » Hoc testimonium de Isaia protulit Apostolus, ad Christum et ad apostolos referens, quos propter innocentiam pueros nominavit, de quibus ipse Dominus ait : « Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum (*Marc.* X). »

« Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit iisdem. » Hic astruit fraternitatem veram et humanitatem in Christo non fictam, sicut pueri carne et sanguine constant, et participavit carni et sanguini, ut haberet unde gustaret mortem pro puerorum salute, cujus dispensationis affatim causam subjungens, « ut per mortem, inquit, destrueret eum qui habebat mortis imperium, hoc est diabolum. » (*Joan.*) Hic admirabile quiddam demonstrat, quia per quod potestatem habuit diabolus, per hoc victus est : arma quæ fuerant illi fortia adversum mundum, hoc est mors, per eam illum Christus percussit : hic magnitudinem virtutis ejus qui vincit insinuat, ostendendo quantum bonum operaretur mors, « ut liberaret, inquit, eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. » Quare tremitis, quare timetis eam? quæ jam condemnata est, jam terribilis non est, sed optabilis quasi laborum finis, et requiei initium; cur ait : « Timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti? » servi siquidem omnes fuerant mortis, quia mortem timebant : necdum erant soluti a timore mortis, cujus legibus tenebantur; nunc itaque sancti derident eam, qui, agone transacto et morte devicta, ad regnum transituri sunt. Unde et ipse Paulus ait : « Cupio dissolvi et esse cum Christo (*Philip.* I). »

« Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen « Abrahæ apprehendit : unde debuit per omnia fratribus similari. » (*Amb.*) Honorat hic patriarcham, eosque qui de ejus sunt genere, ad quos hæc Epistola scripta est. Commemorat ergo beneficia Dei et de propinquitate carnali ad Christum, et de promissione quæ dicta est ad Abraham : « Tibi et semini tuo dabo terram hanc (*Gen.* XII), » quia ex uno omnes, id est, ex Abraham Christus secundum carnem, et illi ad quos hæc loquebatur. Quod vero superius ait : « Quoniam pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit iisdem, » exsequitur amplius hunc sensum, unde participaret carnem et sanguinem; ideo ait : « Non enim quemquam angelorum apprehendit, » id est, non cujuslibet angeli naturam susCepit, « sed semen Abrahæ apprehendit. » Non enim angelis illa dignitas donata est, ut in unam personam Dei Filius eorum naturæ conjungeretur, sed honorem et hanc dignitatem humanæ naturæ Deus Dei Filius contribuit, ut Deus et homo una esset persona. Quare dixit « apprehendit? » Quia nos quasi recedentes ab eo et longe fugientes insecutus apprehendit, et in unam personam nostræ fragilitatis naturam sibi contemperavit, mira conjunctio dum æternus et immortalis mortali et tem-

Digitized by Google

porali adunatus est! (*Greg.*) Idcirco namque Redemptor noster non angelus, sed homo factus est, quia hoc procul dubio fieri debuit, quod redemit, ut et perditum angelum non apprehendendo desereret et hominem in semetipso apprehendendo repararet. (*Joan.*) Et revera magnum et mirabile et stupore plenum est carnem nostram sursum sedere, et adorari ab angelis et archangelis, et Cherubin, et Seraphin; hoc sæpius ego in mente versans excessum patior et majora de genere humano imaginor: majora quippe video et clara exordia, multam Deo festinationem pro natura nostra. Et non dixit, homines simpliciter apprehendit, sed volens eos erigere et ostendere magnum genus eorum et honorabile, dixit: « Sed semen Abrahæ apprehendit. Unde debuit, inquit, per omnia fratribus similari. » Quid est « secundum omnia? » Natus est, inquit, educatus, crevit, passus est omnia quæ oportuit, in fine mortuus est, hoc est « secundum omnia fratribus similari. » Quoniam quippe multa dixit de majestate ipsius et superiore gloria, jam de dispensatione movet sermonem, ut contemplemur cum quanta sapientia, quomodo illum ostendit multum studium habentem, ut nobis similaretur, quod fuit curam de nobis plurimam gerentis; dicens enim superius: « Quoniam pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participatus est iisdem, » et hic dixit « secundum omnia fratribus similari, » quasi dicens: Qui tam magnus est, qui est splendor gloriæ, qui est character substantiæ, qui sæcula fecit, qui sedet in dextera Patris, iste voluit et studuit frater noster in omnibus fieri, et propter hoc angelos reliquit, et alias virtutes, et ad nos descendit, et nos apprehendit, et decem millia operatus est bona: mortem solvit, diabolum ex tyrannide exclusit, nos de servitute eduxit, et liberavit, non sola fraternitate honoravit, sed et aliis decem millibus, siquidem et sacerdos noster fieri voluit apud Patrem. Infert enim: « Ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Dominum, ut repropitiaret delicta populi. » Nec itaque alia fuit causa illi per omnia fratribus assimilari, nisi ut fidelis pontifex esset in nobis nostrisque propitiaret peccatis. Vidit quippe humi jacentes pereuntes, a morte tyrannidem patientes, et misertus est; « sed « qui propitiaretur, inquit, peccatis populi, ut mi« sericors fieret et fidelis sacerdos, » quid est fidelis? verus, potens: sacerdotis enim fidelis est posse eos quorum est sacerdos liberare a peccatis. Ut ergo offerat sacrificium quod possit nos mundare, propter hoc factus est homo, et intulit, « in his quæ sunt ad Deum, » hoc est, earum rerum gratia, quæ pertinent ad Deum: expugnati enim eramus, inquit, Deo culpabiles, inhonorati; nemo erat qui offerret pro nobis sacrificium, vidit nos in his constitutos et misertus est, non constituens nobis sacerdotem, sed ipse factus sacerdos. « In eo enim « in quo passus ipse tentatus, potens est eis qui « tentantur auxiliari. » (*Amb.*) In eo, id est, homine in quo passus est potens est vinctos liberare, tentatosque adjuvare ne vincantur, quia tentationes nostras non solum sicut Deus, sed etiam sicut homo in seipso per experimentum cognovit: licet Deus in sua natura sit impassibilis, tamen in nostra quam assumpsit idem Deus Filius passibilis fuit, nostræ naturæ consimilis: in ea vero carne quam suscepit multa sæva passus est, novit quid est tentatio patientium, ipse tentatus est, sed non superatus. (*Joan.*) Quid est ergo quod dicit « potest eos qui tentantur adjuvare? » tanquam si quis diceret: cum multa alacritate protendit manum ad compatiendum. Quoniam enim volebant magnum aliquid et amplius habere ab eis qui erant ex gentibus, ostendit in hoc plus eos habentes, in quo nihil nocebat eis qui erant ex gentibus. Quid est autem hoc? quia ex ipsis est salus, quoniam eos apprehendit primum, quia inde assumpsit carnem. « Non enim angelorum quemquam apprehendit, sed semen Abraham; » honorat et patriarcham per hoc, et ostendit qui est semen Abraham. Commemorat promissionem quæ a Deo facta est, per quam dictum est: « Tibi et semini tuo dabo terram hanc; » in modico osteadit propinquitatem, quia ex uno sunt omnes, sed non erat multa illa propinquitas. Venit iterum ad istam rememoriariam dispensationem quæ est secundum carnem et dixit: Erat quidem et ipsum velle fieri hominem multæ curæ divinæ et charitatis; nunc autem non hoc solum est, sed etiam bona immortalia quæ per eum nobis tributa sunt. « Ad propitiandum enim, inquit, peccatis nostris. » Quare non dixit mundi, sed dixit populi? nam omnium peccata sustinuit, sed quia interim de ipsis vertebatur sermo, nam et angelus Joseph dicebat: « Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvabit populum suum (*Matth.* I). » Hoc quippe primum oportuit fieri, et propter hoc venit, ut istos salveret, et tunc per istos illos, tametsi econtra contigit. Hoc etiam apostoli ab ipso initio dicebant: « Vobis suscitans Filium suum, misit benedicentem vos (*Act.* III); » et iterum: « Vobis sermo salutis missus est (*Act.* XIII). » Generositatem hic ostendit Judaicam dicens: « Ad propitiandum peccatis populi. » Interim sic dixit, Quia enim ipse est qui peccata omnium dimittit, manifestavit in paralytico, dicens: « Dimittuntur tibi peccata tua, » et in baptismate, dixit enim ad discipulos suos: « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Cum autem carnem apprehenderit Paulus, omnia jam humilia loquitur nihil formidans; attende enim quid jam dicit.

CAPUT III.

Ostenditur quod Moysen excedit Christus, cui firmiter est obediendum.

« Unde, fratres sancti, vocationis cœlestis par« ticipes considerate Apostolum et pontificem con-

Digitized by Google

« fessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei qui fecit « illum, sicut et Moyses in omni domo illius. » Adhuc etiam de incarnationis Christi loquitur mysterio. Nam in Evangelio ipse testatur se missum non esse nisi ad oves perditas (*Matth.* x), hoc est, domus Israel. *Apostolus* igitur Græce, Latine *missus* dicitur. Cognoscite quid est Jesus sacerdos et qualis, et non habetis opus consolatione alia, neque solatio. Pontificem enim eum dixit confessionis nostræ, id est fidei nostræ, cui iste populus novus commissus est, sicut et Moysi prior populus in regimen datus est, sed huic majora vel longe meliora commissa sunt. Vult enim beatus Paulus erigere animos Israelitarum ad excellentiam promissionum Dei, ut intente parent se accipere quod Deus benigne illis promisit afferre, nominans eos fratres charissimos ad cœlestia vocatos, participes cum Christo hæreditatis Dei, qui fidelis ei, id est, Deo Patri qui fecit eum. De humanitate dicit ejus, qui factus est ex semine David secundum carnem, non de divinitate quæ facta non est, sed genita a patre unius substantiæ cum eo. « Sicut Moyses, ait, fidelis est in domo sua. » Præpositurus eum Moysi secundum comparationem in lege sacerdotii, hunc sermonem induxit, asserens eum fidelem esse in domo sua : fidelem, id est devotum, defendentem ea quæ sunt ejus, non permittentem corrumpi, quæ domus nos sumus sicut in consequentibus dicit. Sicut Moyses fidelis fuit in domo sua, id est, populo priore ; confestimque consecutus ostendit quomodo domus illius esse debeamus; ait enim : « Quæ domus sumus nos si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus, » quia « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* x, xxiv). Domum enim dicit pro his qui convocantur in Ecclesia. Intulit, « Dei domus sumus nos, » id est, factura Dei creati in Christo Jesu. Huc usque comparationem fecit de incarnatione Christi cum Moysi : dehinc se ad altiora ejus narranda convertit, dicens : « Amplioris enim « gloriæ iste præ Moysi dignus habitus est, quantum « ampliorem honorem enim habet domus, qui fabrica- « vit illam! » Non dixit quanto majorem habet honorem ab operibus artifex, sed quam domus qui construit eam. Vides quoniam non de templo dicit, sed de omni populo primo quem Moyses de Ægypto eduxit, et deinde de eo quem Christus de diabolica liberavit servitute, sibique in domum acquisivit. « Omnis nam- « que domus fabricatur ab aliquo, qui autem omnia « creavit, Deus est. » Hic factorem a factura discernit, utriusque domus Deum auctorem esse intelligi volens. Sed aliter illius, cui Moyses præfuit, aliter illius cui Christus dux esse et Dominus cognoscitur; ideo subsecutus ait : « Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo « ejus tanquam famulus in testimonium eorum quæ « dicenda erant : Christus vero tanquam filius in domo « sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei « usque ad finem firmam retineamus. » Iste autem, id est, Jesus in paternas res sicut filius ingreditur, ille autem, id est Moyses, sicut famulus Dei. Hic iterum eos hortatur stare fortiter et non subrui. Domus quippe Dei erimus si fiduciam spei et gloriæ usque in finem firmam retineamus. Bene dixit fiduciam spei nostræ, quoniam omnia bona sanctis in hac vita in spe sunt, donec ad speciem perveniant perfectæ beatitudinis : « Spe enim salvi facti sumus (*Rom.* IX) ; » bona enim quæ nobis promissa sunt, in hac pœnali vita habere non possumus, nisi in spe et illam patienter exspectantes, usque ad finem firmam.

« Quapropter, sicut dicit Spiritus sanctus (*Psal.* « XCIV) : Hodie si vocem ejus audieritis, nolite ob- « durare corda vestra; sicut in exacerbatione secun- « dum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt « me patres vestri, probaverunt et viderunt opera « mea quadraginta annis : propter quod infensus fui « generationi huic, et dixi : Semper hi errant corde. « Ipsi autem non cognoverunt vias meas, quibus « juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. » Locutus est beatus Apostolus de spe in superioribus, quia oportet nos sperare quæ futura sunt : « Spes enim quæ videtur non est spes (*Rom.* IX). » Historia vero quam propheta hic rememorat notissima est : cum enim egressi essent de terra Ægypti, et multam viam perambulassent, et multa indicia virtutis Dei accepissent, in Ægypto, in mari Rubro, in eremo, consilium fecerunt mittere speculatores, qui deberent inspicere naturam terræ quæ promissa est eis : illi vero pergentes reversi sunt, terram quidem valde mirantes, majorem fructuum procreatricem esse dicebant, sed virorum inexpugnabilium esse illam provinciam et fortium. Israelitæ vero ingrati et insensati, quos oportebat ut recordarentur tantorum Dei beneficiorum, et quomodo eos conclusos in medio tanti exercitus Ægyptiorum eripuit de periculis, et fluviorum fontes sine defectu donavit, et manna tribuit, et alia miracula quæ operatus est eis, ut crederent Deo : illi autem nec Deo crediderunt, nec horum aliquid rememorati sunt, sed timore perterriti dixerunt : « Revertamur in Ægyptum. » Deus igitur iratus eis quia sic obliti fuerunt beneficiorum Dei mirabiliorumque ejus, juravit ut non intraret generatio illa in requiem promissam olim patribus, et sic omnes perierunt in eremo, præter duos tantummodo. Tres itaque requies Apostolus memorat in hac Epistola : unam sabbati, qua Dominus requievit ab operibus suis ; secundam in Palæstina, in qua ingressi Israelitæ requieturi erant ex miseria multa et laboribus ; tertiam, quæ vera est requies, hoc est, regnum cœlorum, ad quam quos pervenire contigerit, in qua revera requiescunt a laboribus et difficultatibus suis, de qua hic propheta loquitur ad veros Israelitas dicens : « Hodie si vocem ejus audieritis ne obduretis corda vestra, » ne similia patiamini, qualia progenitores vestri passi sunt et privati sunt requie promissa : aliquando enim audierunt patres vestri vocem illius per Moysen et obdurati sunt ; ergo tunc per præconem locutus est, quando obdurastis corda vestra, per se nunc loquitur, mollescant corda vestra ; qui præcones ante se mittebat ipse venire dignatus est, ore suo hic loquitur qui

Digitized by Google

loquebatur per ora prophetarum, ad ejus vero vocem qui præconem misit, et nunc per se clamat, nolite claudere corda vestra, recordamini quomodo obdurati sunt patres vestri, et quomodo non introierunt in requiem promissam, sed amaricati murmurantes contra Deum perierunt; patres vestri erant qui perierunt. Nolite imitari eos; patres vestri erant, sed si imitati eos non fueritis, patres vestri non erunt, quamvis de eis nati sitis, scientes « quia Deus potens est de lapidibus suscitare filios Abrahæ (*Luc.* III). » Quadraginta « annis offensus fui generationi huic. » Multis modis eos castigat, ipsi tamen semper corde erraverunt. Quadraginta dies Dominus in deserto jejunavit, ut triumpharet de eo, per quem illi quadraginta annos murmuraverunt contra Deum in eremo. Postque consummatam in passione et resurrectione totam victoriæ gloriam quadraginta diebus fuit cum discipulis, antequam cœlum ascenderet. Primis quadraginta diebus tentationum hujus peregrinationis ostendit, posterioribus quadraginta diebus consolationem, quam sancti habituri sunt in patria. Corpus enim ejus, id est Ecclesia, necesse est ut tentaretur in hoc sæculo, sed non deest ille consolator, qui dixit: « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII) » « Quibus juravi propter infidelitatem suam non introisse in requiem meam. » Loqui Deum magnum est, quanto magis jurare: juratione confirmationem fieri voluit. Per quem jurat Deus nisi per seipsum? Non enim habet majorem per quem juret, per seipsum confirmat præcepta sua, per seipsum confirmat minas suas: sicut verum est quod promittit, sic certum est quod minatur. Juravit ut non intrarent in requiem ipsius, et tamen oportet intrare aliquos in requiem ipsius: illis ergo reprobatis, nos intrabimus, quia si aliqui ex ramis propter dissimilitudinem et infidelitatem fracti sunt, nos propter fidem et humilitatem inseramur. (*Joan.*) Sequitur enim exhortatio apostolica ad populum de requie introeunda, dicit enim: « Videte, fratres, ne forte sit « in aliquo vestrum cor malum incredulitatis dis- « cedendi a Deo vivo. » Quippe per duritiam infidelitas nascitur, et sicut obdurata corpora et dura non obsequuntur manibus medicorum, sic et animæ obduratæ non obsequuntur verbo Dei. Si enim patres vestri, inquit, quia non speraverunt sicut oportebat sperare, hæc passi sunt quæ leguntur in historia, cujus ante memoravimus, et perierunt in deserto propter duritiam cordis, multo amplius vobis talia timenda sunt, sicut illis acciderunt; ad illos enim sermo iste factus est qui in præsentia fuerunt vel futuri sunt: ideo dicit « hodie, » hodie namque semper est donec constat mundus, intrat enim plus dicere de hodie et subjungit dicens: « Sed adhortamini « vosmetipsos per singulos dies donec hodie co- « gnominatur, ut non obduretur quis ex vobis « fallacia peccati. » Hoc est: ædificate invicem, corrigite vosmetipsos, ne contingant vobis similia, ne obduretur quisquam ex vobis decipiente fallacia peccati, hoc est, infidelitate. Attendis quia infidelitas peccatum facit, sicut enim infidelitas malignam vitam procreat, sic etiam anima quando in profundum malorum venerit contemnit: contemnens autem neque credere patitur, ut se a timore mortis perpetuæ liberet. Deinde infert Apostolus: « Participes « enim Christi effecti sumus. » Quid est, participes effecti sumus Christi? participamus ex eo, inquit, id est unum effecti sumus cum illo, siquidem ipse caput est et nos membra, cohæredes et con corporales illi, secundum spiritalem hominem qui creatus est in ipso. « Si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmam retineamus. » Quid est initium substantiæ? Fidem significat per quam subsistimus et Deo nati sumus in filios, et essentiales, ut ita dicam, facti sumus: quod diligentissime observandum est, ne cujuslibet doctrinæ macula corrumpamur; deinde subinfert Apostolus adhuc hodie dicere. (*Alb.*) « Dum dicitur, inquit, hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione » usque « ex his quæ audierunt. » Hic vero Apostolus propheticum testimonium intrat explanare quod superius posuit; dixit enim: « hodie, inquit, si vocem ejus audieritis, ne obduretis corda vestra, sicut in amaritudine. (*Joan.*) Quorum obduratorum mentionem facit? quorumdam infidelium? nonne eorum quorum cadavera prostrata sunt in deserto? quod enim dicit tale est: « Audierunt et illi, inquit, sicut et nos audimus, sed quid profuit illis sermo auditus? » Non ergo putetis quia ex auditu tantum prædicationis juvemini quia, et illi audierunt per Moysen, sed nihil utilitatis ex auditu habuerunt, quoniam nec crediderunt; nec sermo auditus fide contemperatus est, discrevit eos qui crediderunt verbo ab illis qui non crediderunt. Ait enim, « sed non universi: » Caleb vero et Josue, quia non consenserunt infidelibus, effugerunt pœnam quæ illis illata est. Nec hoc solum illis donatum est mortem evadere, qua cæteri perierunt, sed etiam datum est illis terram repromissionis intrare, eamque laudabiliter pro sua portione possidere.

CAPUT IV.

De intranda cœlesti requie, ad quam festinandum est, propter excellentiam divinitatis et humanitatis Christi.

« Timeamus ergo ne, forte relicta pollicitatione « introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis « ex vobis deesse. » (*Alb.*) Timeamus nos vero eorum perditionem et justum Dei judicium metuamus, qui reddet unicuique secundum opera ejus. Requiem sempiternam fidem habentibus, eam tamen quæ per dilectionem operatur. Non credentibus itaque pœnam perpetuam, ne forte, relicta pollicitatione quam dedimus Deo in baptismo, iterum revertamur ad opera infidelitatis quæ abdicavimus coram multis testibus; unusquisque per ipsum laboret ne forte minus dignus inveniatur introeundi in requiem Dei. « Et- « enim et nobis nuntiatum est quemadmodum et illis: « sed non profuit illis sermo auditus non admistus « fidei ex his quæ audierunt. » Etenim nobis num-

Digitized by Google

tiatum est quomodo intrare debeamus in requiem Dei, sicut et illis, nobis tamen per Filium, illis vero per famulum; confestim itaque verba exhortationis subjungit Apostolus dicens: « Ingredimur enim in « requiem qui credidimus quemadmodum dixit, « Sicut juravi in ira mea si introibunt in requiem « meam. » Nos vero hortatur intrare in requiem, ne forte nobis dicatur sicut illis, si introibunt, id est non intrabunt in requiem meam. Festinat enim ostendere aliam esse requiem, ad quam vocati sumus, id est cœlorum. Nec nos dicit illam quæ in Palæstina est intraturos, sed illos non intraturos, propter obdurationem cordis sui, nec in Palæstina nec in requiem cœlestem. Addidit itaque de prima requie loqui dicens: « Equidem operibus ab institutione mundi « factis: dixit enim quodam loco de die septima sic, Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis, » et reliqua. Confestimque secundam subjunxit, quæ promissa est populo Dei, et in ista, inquit, rursum, « si introibunt in requiem meam: » *si*, vero conjunctio pro affirmatione, pro negatione, pro dubitatione accipi potest, superius pro negatione posita est, ubi ait propter incredulitatem eorum jurasse Deum non introire eos in requiem promissam. Addidit « si introibunt, » id est non introibunt; hic vero potest intelligi pro affirmatione positum esse quasi diceret, Si introibunt bene habebunt; ideo addidit: « Quoniam ergo superest quosdam introire in illam, « et hi quibus prioribus annuntiatum; est non in- « troierunt propter incredulitatem, iterum terminat « diem quemdam Hodie in David dicendo, post tan- « tum temporis, sicut supra dictum est, Hodie si vo- « cem ejus audieritis nolite obdurare corda vestra; « nam si eis Jesus requiem præstitisset, nunquam « de alia loqueretur posthac die. » Quoniam, inquit, superest quosdam introire in illam, in illam videlicet quæ in Palæstina fuit, pauci intraverunt, id est duo tantum, Caleb et Josue, ex omnibus illis qui de Ægypto perrexerant, proinde ait, et hi quibus prioribus annuntiatum est non introierunt propter incredulitatem, eos significans qui de Ægypto profecti sunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto. Deinde incipit de tertia, quæ per Christum credentibus promissa est, quamvis obscure, disputare. « Iterum, inquit, terminat diem quemdam Hodie in David dicendo, post tantum temporis sicut supra dictum est: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Nam si eis Jesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur. » Hic ostendit tertiam quamdam esse requiem, de qua David dixit, « hodie, » non illam significans ad quam Jesus populum introduxit, sed aliam quamdam multo esse excellentiorem illi, ad quam non typicus, sed verus Jesus introduxit eos qui sunt ejus. Audiamus, unde hoc certum sit: post tantos annos, inquit, iterum dicit David, « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra; si enim Jesus veram præstitisset requiem populo cujus ductor fuit, neque de alia requie David loqueretur postea. » Certum est ergo quia futurum A est quosdam accipere requiem, quæ per illam significata est, quæ est in Palæstina, ad quam verus Jesus ducturus est populum suum. « Itaque relinquitur sab- « batismus populo Dei; qui enim ingressus est in « requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus « suis, sicut a suis Deus. » Requies vero Dei operum perfectio intelligenda est, dum sexto die finit a primordinali rerum creatione, et in septimo cessavit a novarum creatione naturarum: per illam vero requiem Dei, quæ æterna est, nos ad æternam studiose provocat requiem, quem sabbatismum nominavit. (*Joan.*) Vide autem quomodo totum istum sermonem ratiocinatus est: juravit, inquit, illis prioribus non intrare eos in requiem, et non intraverunt. Deinde post illos post multa tempora loquens Judæis B dixit: « Ne obduretis corda vestra sicut patres vestri. » Certum ergo est, quoniam est alia requies: de illa enim quæ in Palæstina fuit non posset dici, habebant enim illam; jam de septima die non potest dici, non enim de ipsa disputabant, siquidem multo ante jam facta erat. Aliam igitur quamdam significat quæ vera est requies. Revera enim illa est requies, ubi fugit dolor, tristitia, gemitus, ubi neque sollicitudines, neque labores, neque agones, neque timor obstupescere faciens et commovens animam, sed solus Dei timor voluptate plenus. Non est illic: « In sudore vultus tui comedes panem tuum (*Gen.* II), » neque spinæ neque tribuli; non est illic: « In tristitiis generabis filios, » neque « Ad virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur; » sed omnia pax, gaudium, jucunditas, voluptas, C bonitas, mansuetudo. Non est illic invidia, neque zelus, neque morbus, neque mors corporis, neque illa quæ est animæ: non ibi tenebræ, neque nox: semper dies, semper lux, semper diei claritas: non est ibi fatigari, non est fastidium accipere, semper in desiderio bonorum perseverabimus. (*Alb.*) Et quia videlicet Judæis locutus est, non dixit hoc loco Requies, sed Sabbatismus, proprium nomen, ad quod gaudebant et concurrebant, sabbatismum regnum Dei vocans: sicut enim sabbato ab omnibus malis abstineri præcepit, et illa tantum fieri quæ ad obsequium Dei pertinent, quæ sacerdotes efficiebant, et quæ animam juvabant, et nihil aliud, sic et tunc. Nec talem vult sabbatum in regno Dei ut iterum quis exinde revertatur ad opera laboriosa, sicut in sabbato carnali fecerunt. Istud vero D sabbatum Dei quicunque intrat, requievit perpetuo ab operibus suis, sicut a suis Deus. Volens itaque eos de resurrectione instruere, et de requie sempiterna, *hodie* sæpissime interposuit, ut nunquam desperarent se intraturos, quasi diceret, Si quisquam peccaverit usquequo est hodie, spem habeat revertendi. Nullus igitur desperet usquequo vivit. « Festinemus ergo « ingredi in illam requiem ut ne in idipsum quis « incidat incredulitatis exemplum. (*Joan.*) Magna quidem res est fides et salutaris, et sine hac non est salvari possibile alicui, sicut dictum est: « Sine fide impossibile est Deo placere (*Hebr.* IX); » sed non sufficit sola hæc operari per dilectionem fidem, necessarium est et conversari digne Deo: proinde

Digitized by Google

etiam Paulus admonet eos qui dignationem mysteriorum suscipere meruerunt, dicens: « Festinemus « ingredi in illam requiem. » Festinemus, inquit, quoniam non sufficit fides, sed debet addi et vita fidei condigna, et multum studium debet adhiberi, ne fides sit otiosa. (*Alb.*) Si enim terram intrare illi non meruerunt qui murmurati sunt contra Deum, quomodo nos cœlum merebimus intrare indifferenter viventes sicut gentes? Opus est quippe omni volenti cœlum possidere fidem operibus bonis ornare. Nec hoc solum damni habet male vivens, quod non intrat in regnum Dei, verum etiam, quod majoris est terroris, pœnæ perpetuæ mancipari. Ideo addidit, « ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exem- « plum. » Eorum interitu qui perierunt in deserto terruit audientes, ne in illorum inciderent judicium, quasi dixisset: Sufficienter ex parentibus nostris docemur, ne in similia incidamus, ne eadem patiamur quæ illi passi sunt. Hoc est, « in idipsum exemplum infidelitatis. » Deinde ut majorem peccantibus incuteret formidinem subjungit: « Vivus est enim sermo « Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, « et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiri- « tus: compagum quoque et medullarum et discre- « tor cogitationum et intentionum cordis. » (*Joan.*) Hic ostendit quoniam et illa idem ipse operatus est, et vivit, non est exstinctus. Igitur quoniam sermonem audisti, ne simpliciter accipias, gladio enim, inquit, est penetrabilior. Attende distinctionem Pauli et hinc considera pro qua causa opus habuerunt prophetæ dicere gladium, rhomphæam et arcum: « Nisi convertamini, inquit, rhomphæam suam vibravit, arcum suum tetendit et paravit illum (*Psal.* VII). » Si enim nunc post tanta tempora, et post perfectionem non potest nomine sermonis tantum terrere, sed opus habet etiam istis verbis, ut ostendat eminentiam ex comparatione: multo magis tunc « penetrabilior, inquit, usque ad divisionem animæ et spiritus. » Quid est hoc? Terribilius aliquid significavit, aut quia spiritum dividit ab anima, aut quia et ipsa incorporea penetrat et pertingit, non tantum sicut gladius corpora. Hic ostendit, quia et anima punitur et interiora examinantur. Hic ostendit eumdem nos habere judicem, qui illos propter incredulitatem eorum damnavit. Dixit enim: « Vivus est sermo Dei, » sermo Dei Filius est Dei, qui de ipso ait: « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum; » sicut illi si servarent sermonem Dei viverent, terramque promissionis intrarent, sic et nos si servaverimus sermonem ejus, vivemus requiemque cœlestem intrabimus. « Vivus est enim Dei sermo, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. Gladius enim potest membra dividere a corpore, et penetrare secreta et naturam carnis: sed eo multo penetrabilior est sermo Dei, pertingens, ut ait Apostolus, usque ad divisionem animæ ac spiritus. Anima vivimus, spiritu intelligimus, vita nobis carnalis cum bestiis communis est, ratio spiritalis cum angelis. Tamen efficax est judicium Dei, ut discernat inter carnalia peccata et spiritalia, quis, quid, quo agat animo, vel quo desiderio Deo serviat in corde; tam penetrabilis est ejus intuitus, ut omnia nostra quæ agimus vel cogitamus certius agnoscit quam nosmetipsi, illum semper habemus testem actuum nostrorum vel cogitationum quem judicem habituri sumus. Timeamus ejus præsentiam cujus scientiam nullatenus effugere valebimus. Dixit enim ut discretor sit sermo Dei, id est providentia Dei, cogitationum etiam et intentionum cordis ostendens, quia omnia nostra interiora vel exteriora dijudicabuntur ab eo, qui omnia nostra novit, et totus per totum penetrat hominem. Nec mirum si totus ubique totam suam agnoscat creaturam, sive spiritalem sive corporalem, quia nihil quod factum est, sine eo factum est; ideo addidit: « Et non est « ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia « autem nuda et aperta sunt oculis ejus. » (*Ser.*) Quibus manifeste colligitur nihil esse incorporeum nisi Deum solum, et idcirco ipsi tantummodo posse penetrabiles omnes spiritales atque intellectuales esse substantias, eo quod solus et totus et ubique et in omnibus sit, ita et ut cogitationes hominum et internos motus adita mentis universa inspiciat atque perlustret. Exteriora namque opera patent oculis hominum, longe vero incomparabiliter interiores ac subtilissimæ cogitationes nostræ patent oculis Dei. « Omnia enim, sicut scriptum est, nuda et aperta sunt oculis ejus. » (*Greg.*) Et sæpe in exteriore opere ante oculos hominum inordinati apparere metuimus, et interiore cogitatione illius respectum non metuimus. Videntem omnia non videmus: multo enim magis intrinsecus Dei quam extrinsecus hominibus conspicibiles sumus. Unde sancti omnes foris se intusque circumspiciunt, et vel reprehendendo se exterius, vel iniquos se interius videri invisibiliter timent. (*Joan.*) Hic maxime eos terruit, ne forte adhuc, inquit, in fide stantes, non cum integra satisfactione perficiatis fidei opera, quia ipse quæ in corde sunt discernit, ibi examinat, ibi considerat, reddens uniculque secundum merita sua. Et quid dico de hominibus? at si angelos dicas, at si archangelos, at si Cherubin, at si Seraphin, at si aliam quamlibet creaturam, omnia revelata sunt oculo ejus, omnia aperta et manifesta. Quid est quod eum possit latere? « Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus. » Quid autem « aperta? » Ex metaphora pellium, quæ de pecudibus, detrahuntur ut videre licet. Sicut enim cum pecudes occiderit quis, et ex carnibus detraxerit pellem, omnia interiora revelantur et aperta fiunt oculis nostris: sic et Deo aperta subjacent omnia. Tu autem attende etiam hoc, quomodo semper opus habet corporeis exemplis, quod fit ex infirmitate audientium; quia enim infirmi erant declaravit, dicens tardos eos esse et opus habentes lacte, non solido cibo. « Omnia nuda sunt et aperta oculis ejus, ad quem nobis sermo. » Quid est « ad quem nobis sermo est? » hoc est, ipsi reddituri sumus rationem actuum nostrorum.

Digitized by Google

« Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei. » (*Alb.*) Paululum enim ante de divinitate ejus disserens ait: « Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, » nunc autem quia de carne loquitur, de pontificatu disputat illius qui semetipsum offerebat nostræ causa salutis, et quomodo prior omnium intrasset in requiem. « Habemus enim pontificem magnum qui penetravit cœlos. » Ergo Moyses ductor populi cui promissa est requies transitoria, non intrabit in requiem, quam sæpius populo promisit. Iste vero noster sacerdos, melioris promissionis sponsor, viam faciens credentibus in se, primus intravit in requiem populo sibi credito promissam, ostendens eum magnum sacerdotem, quia sempiternum habet sacerdotium, semper vivus ad interpellandum pro nobis, et hunc ipsum Filium Dei ostendens, dum dixit, Jesus Filius Dei, quod nusquam de Moyse dicere voluit: sed eum famulum proferebat, in superioribus testificans eum sub nomine Jesu, quod nomen angelus a Deo directus Virgini annuntiavit, Filium Dei esse verum, et ideo magnum sacerdotem. « Teneamus et confessionem ejus, non « enim habemus pontificem qui non possit compati « infirmitatibus nostris. » Qualem confessionem dicit? quoniam Filius Dei est, quoniam Christus Deus est, quoniam passus est, sepultus est, resurrexit, tertia die ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris, inde venturus judicare vivos et mortuos, per quem omnia bona habemus: redemptionem, resurrectionem, hæreditatem cum eo sempiternam. Hæc confiteamur; quia vero hæc vera sunt, manifestissime ex eo quod pontifex in interiora velaminis constitutus est, intrat in sanguine aspersus proprio, non alieno sicut pontifices priores, qui sanguine vaccæ rubræ aspergebantur. « Non enim habemus « pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris. » Non, inquit, ignorat quæ nostræ sunt. Venit enim per viam humanæ conditionis, per omnia sine peccato, nihil secum afferens unde morti debitor esset, sicut ipse in Evangelio testatur, dicens: « Venit enim Princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam. » Multi pontifices ignorant eos qui in tribulationibus constituti sunt, neque quæ sit tribulatio in quolibet sciunt. Impossibile quippe est scire afflictiones afflictorum ei qui experimentum afflictionis non habuit, et sensibiliter omnia non sustinuit. Pontifex enim noster competenter omnia sustinuit, quæ fuerunt humanæ miseriæ illata post peccatum primi hominis, et tunc in interiora velaminis ad thronum paternæ majestatis ascendit. « Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. » (*Theo.*) Si igitur etiam terrenæ humilitatis nostræ cum illo excelso divinoque Pontifice hæc potest esse communio, ut etiam nos absque ulla peccati offensione tentemur, cur in illo hoc Apostolus velut unicum ac singulare suscipiens tanta ejus meritum ab hominibus divisione discrevit? Hac ergo sola ab omnibus nobis exceptione distinguitur, quia nos non absque peccato, illum sine peccato constat fuisse tentatum. Quis etenim hominum quamvis fortis atque bellator sit, hostilibus tamen telis plerumque non pateat? quis velut impenetrabili carne circumdatus tantis præliorum periculis sine periculo misceatur? Ille autem solus speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV), conditionem mortis humanæ cum universa carnis fragilitate suscipiens, nullius unquam est sordis maculatus attactu. Tentatus est enim in deserto a diabolo secundum similitudinem nostram gastrimargiæ vitio, cum ei dictum est: « Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant (*Matth.* IV). » Tentatus est etiam cænodoxia, cum ei dictum est: « Si Filius Dei es, mitte te deorsum. » Tentatus est etiam philargyriæ morbo, seu tumore superbiæ, cum ei a diabolo promitterentur omnia regna mundi et gloria eorum. Tentatus est siquidem diversis modis, sed non superatus: in tribulationibus probatus, ubique victor gloriosus. Tentatus est siquidem pro similitudine carnis absque peccato. Similitudinem itaque carnis peccati habuit, quæ tamen caro illius absque omni peccato fuit. Hæc est tentatio qua tentatus est, persecutionem plurimorum passus est, sputa suscepit, accusatus est, detractionem sustinuit, calumnias passus est, repulsus est a propria gente, in finem crucifixus est. « Juxta similitudinem, inquit, sine peccato. » Dum dicit in similitudine carnis, non hoc dicit, quia similitudo carnis fuit in eo, sed quia carnem suscepit veram. Quare ergo dixit in similitudinem carnis? natura vera quam suscepit similis est carni nostræ, peccata vero nequaquam habuit, quæ nostra caro de parentibus contraxit, quia tale fuit originale peccatum in carne primi hominis, ut inde et pœna et remedium fieri potuisset, pœna et peccatum in omni humano genere, præter in Christo, in quo solo salus et remedium fuit. Non enim præjudicata est caro peccatrix, ut inde remedium fieri non potuisset, præsciebat potentia Dei qualiter ex eadem massa justitiæ æquitas et misericordiæ pietas provenire potuisset. « Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. » « (*Joan.*) Quam dicit sedem gratiæ? sedem ipsam regalem dicit, de qua alibi dicitur: « Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis (*Psal.* CIX). » Quid est, « accedamus cum fiducia? » quia pontificem sine peccato habemus, certantem cum mundo. « Confidite, « inquit, ego enim vici mundum (*Joan.* XVI). » Nam quod dictum est: Oportet eum omnia pati, mundum autem eum esse a peccatis, hoc significans: ac si nos sub peccato sumus, inquit, sed ipse sine peccato. (*Alb.*) Accedamus ergo cum fiducia, ut nihil habeamus in conscientia malignum, hoc est, non dubitantes: non enim potest cum fiducia tali accedere. Adeamus ergo cum fiducia, hoc est adeamus per fidem ad thronum gratiæ ejus, habeamus fiduciam, quamvis peccatores simus, per ejus gratiam recuperari posse, si tamen fructus dignos fecerimus pœnitentiæ, et fidem firmam usque in

Digitized by Google

finem retineamus. Nunc verus sedet pontifex noster Jesus Filius Dei in throno gratiæ, paratus indulgere peccatis nostris in hoc opportuno auxilio. Nunc vero opportunum tempus est auxilii et misericordiæ illius, sicut iste doctor egregius alio loco dixit : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*II Cor.* VI); » et Propheta multo ante hoc auxilii opportuni tempus significans : « Tempore, inquit, opportuno audivi te, et in die salutis adjuvi te (*Isa.* XLIX). » Namque et nunc post baptismum peccantes invenire misericordiam, si pœnitentiam egerint, gratia est illius, qui sedet in throno gratiæ. Quod vero opportunus factus est pro nobis, magnum est humilitatis indicium, quam ex nostra suscepit natura, non suæ substantiæ quam habet triumphabiliter cum Patre, cui nos fidem cum fiducia bonitatis suæ afferamus. Hoc opportuno tempore cum sedet in gratiæ throno, et omnia tribuit quæ nobis ad salutem provenire certissimum est, modo tempus est donorum. Nemo de seipso desperet; timeamus thronum æquitatis ejus, cum venerit dijudicare omnia secundum justitiam, et tunc erit desperationis tempus nunc nolentibus converti ad sedem gratiæ, cum thalamus erit clausus, tantumque cum sponso remanent qui lucentes bonis operibus ferrent lampades. (*Joan.*) « Festinemus, » inquit : nam et Paulus dixit : « Sic curro, non quasi in incertum; » cursu opus est et cursu valido. Qui currit, neminem occurrentem sibi videt, sive per prata, sive per aspera loca transeat. Qui currit, nunquam stat, nam si vel modicum negligat, totum amittit. Qui currit, nihil anteponit fini, sed magis ad eum pertendit. Hoc a me dictum est ad eos, qui dicunt : In juventute quidem mea studium habui, in juventute jejunavi : nunc autem senui. Maxime vero religiositatem augmentare debuisti. Nemo mihi veteres virtutes enumeret; nunc magis viget quis, et in juventute firmus non est. Qui enim corporalem istum currit cursum, recte dicit, quia canities eum apprehendit, et non valet similiter currere, quia omnis agon in corpore constitutus est. Tu vero ob quam causam cursum minues? Hic enim animo opus est, animo erecto. Anima quippe in senectute potius confortatur, tunc viget, tunc exsultat; sicut enim corpus usquequo febribus detinetur, et subsequentibus ægritudinibus, ac si sit validum, tamen affligitur; cum autem liberatum fuerit ab obsessione morborum, recreat propriam virtutem : sic etiam anima in juventute febribus laborat, et amor gloriæ opprimit eam, et deliciarum et venerearum rerum, et aliarum multarum imaginationum; cum autem senectus advenerit, omnes has passiones effugat : alias per satietatem, alias per philosophiam constrictas. Qui enim in senectute ita furiosus est, ostendit quia et in juventute, non per ignorantiam, non per imperitiam, non per ætatem talis fuit, sed per negligentiam. Ille quippe potest dicere : « Delicta juventutis et ignorantiæ meæ ne memineris (*Psal.* XXIV), » qui in senectute competentia gerit, qui procedente ætate mutatur : si autem et in senectute ita inhonestus est, quomodo dignus est hujusmodi senem appellari, qui neque ætati reverentiam exhibet? qui enim dicit : Peccata juventutis meæ ne memineris, veluti in senectute correctus, hæc dicit. Non igitur ex his quæ in senectute contingunt frandes tempsum a venia etiam eorum quæ in juventute fecisti. Quomodo enim non est absurdum, et supra veniam quod fit, ut senex in tabernas sedeat, senex ad circum festinet, senex ad theatrum ascendat, veluti pueri currentes cum plebe. Vere confusio est et irrisio, ut canitie quidem ornetur extrinsecus, intrinsecus autem intellectum habeant puerilem; et siquidem injuriet illum juvenis, statim canos in medium proferet dicens : Vel canis istis exhibe reverentiam. Si vero tu eis non exhibes reverentiam jam senex, quomodo juvenem tuos canos revereri desideras? Non revereris, inquis, hos canos? sed tu eos confundis. Deus te honoravit, candorem capilli dedit tibi. Primatum habere consessus quid prodest? illum honorem quomodo revereatur juvenis, cum te viderit amplius lasciviæ deditum? Canities quippe tunc est venerabilis quando ea gerit quæ canitiem decent, cum vero juveniliter conversatur, plus juvenibus ridiculus erit. Quomodo poteritis juvenes admonere, dum vos, senes, ebriemini per incontinentiam vestram? Non enim nunc irridens seniores hæc dico, sed juvenes magis irrideo. Qui enim hæc agitis, etsi ad centesimum veniatis annum, mihi juvenes videmini, et similes pueris. Juvenes enim, etsi modicam disciplinam accipiant et corrigantur, senioribus meliores sunt. Et non iste sermo meus, sed et Scriptura hanc novit discretionem. « Senectus enim, inquit, honorabilis, non multi temporis, et ætas senectutis vita immaculata (*Sap.* IV). » Etenim nos honoramus [canitiem?] non quia colorem candidum habet, et ideo ab nigro colore amplius honoramus, sed quia indicium est vitæ in virtute provectæ, et videntes ex hoc conjicimus interiorem senectutem : si vero contraria senectuti gesserint, irrisibiles fiunt. Verumtamen nec juvenis alienus est culpa : juvenis quippe ibi tantum habere veniam poterit, dum imprudens fuerit, dum tempore indiget et experientia. Cum autem opus erit temperantiam aut fortitudinem demonstrare, nequaquam, neque quando opus erit a pecuniis abstinere : nam est ubi magis plus sene juvenis culpatur. Ille quippe multa curatione opus habebit, debilitante illum senectute : iste autem fortis est, si voluerit seipsum regere; qualem veniam mereatur cum rapit amplius quam senex, cum tenet malum in corde, dum non adjuvat senem, dum multa superflua loquitur, dum injuriat, dum maledicit, dum inebriatur? Si autem de temperantia putat non posse culpari, attende illum et ibi multa adjutoria habentem, si tamen voluerit : ac si enim non validius eum quam senem cupiditas stimulet, tamen sunt multa in quibus magis quam senex poterit laborare, ut bestiam illam incantet. Quæ sunt ista? labores, lectiones, vigiliæ. Sed quid ad nos hæc, inquit, qui non sumus monachi? Hæc mihi dicis? dic Paulo cum

Digitized by Google

dicit : « Vigilantes in omni patientia et oratione (*Ephes.* VI) ; » cum dicit : « Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis (*Rom.* XIII). » Non enim monachis hæc scribebat tantum, sed omnibus qui erant in civitatibus. Non enim sæcularis homo aliquid amplius habere monacho, quam cum uxore concumbere tantum : hic enim habet veniam, in aliis autem nequaquam, sed omnia æqualiter sicut monachi agere debent. Nam et beatitudines quæ a Christo dicuntur, non monachis tantum dictæ sunt, alioquin universus mundus peribit, et accusabimus crudelitatem Dei ; si vero beatitudines solis monachis dictæ sunt, sæcularem autem hominem impossibile est eas implere, cum ipse nuptias jussit, ipse ergo omnes perdidit. Si enim non potest ea cum nuptiis, quæ monachorum sunt, implere, omnia perierunt et corrupta sunt, et in angustum conclusit ea quæ virtutis sunt ; et quomodo honorabiles sunt nuptiæ, quæ nos tantum impediunt?

CAPUT V.

Declarat Apostolus quid in pontifice requiratur, ac ea Christo convenire, insinuando dicendorum de Christo difficultatem.

« Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus « pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad « Deum. (*Joan.*) » Vult ostendere jam beatus Paulus quoniam multo melius est Testamentum hoc quam vetus, quia nihil in hoc est imaginarium, ut puta non templum corporale, non victimæ carnales, non observationes legales, sed altiora et perfectiora omnia, quia totum quidquid est in spiritalibus est hujus testamenti ratio. Spiritalia vero non sic introducunt infirmos, sicut corporalia. De corporalibus enim incipiebat disputare, dicens : « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur. » Definit enim primum quid sit pontifex et demonstrat quæ pertineant ad pontificem, et quid sit ejus ministerium, et quæ sunt signa pontificatus, id est, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, et ut condolere possit his qui ignorant et errant. « Quoniam et ipse circumdatus est infirmitate. « Oportebat enim ab excellentibus terrenis fidem facere, ut ad excellentiora spiritalia pervenire possint, et ut consuetudo sacerdotum more, qui in lege fuit, ad altius, id est, Christi sacerdotium eos perduceret, qui adhuc infirmi fuerunt, et propterea modum carnalis pontificis introducit. Pontificis itaque officium est inter Deum stare et populum, Deum deprecari pro populi delictis, hoc etenim Christus fecit, seipsum offerens pro peccatis nostris, semper vivus ad interpellandum pro nobis : semel ab hominibus assumptus, sed semper pro hominibus interpellans. Ponit his Apostolus quædam communia Christo cum sacerdotibus, quædam vero altiora. Quod itaque ait, « omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, » hoc commune est Christo. « Pro hominibus constituitur. « Et ad hoc [*f.* etiam hoc] « Ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. » Et hoc, sed non totum, reliqua vero non sunt communia. « Qui « condolere possit his qui ignorant et errant. » Hic jam excellentia est, de qua superius in priore sententia latius disputavit. Quod vero adjunxit : « Et propterea « debet quemadmodum et pro populo, ita etiam pro « semetipso offerre pro peccatis. » Hoc vero ad sacerdotes legales magis pertinet, quam ad Christum, nisi forte quis dicat unum esse corpus Christi et Ecclesiæ, et dum offert pro Ecclesia, pro suis etiam membris offerat : sed hæc violenta interpretatio videri potest. Deinde disputare aggreditur, quomodo quis ad sacerdotium accedere debeat, ne quisquam, ait, sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Hic etiam percutit sacerdotes honoris cupidos, et sacerdotii avidos ; non pro salute populi, sed pro ambitione sæculi. Igitur Aaron vocatus est a Deo, signo florentis virgæ demonstratus est sacerdotem a Deo esse electum, etiam et incendio eorum qui ejus pontificatui invidere voluerunt. « Sic et « Christus non semetipsum clarificabit, ut pontifex « fieret : sed qui locutus est ad eum, Filius meus es « tu, ego hodie genui te. » Hoc est quod in Evangelio ipse ait : « Non enim a meipso veni, sed ille me « misit (*Joan.* VII). » Et iterum : « Si ego glorifico « meipsum, gloria mihi nihil est. Est enim Pater, qui glorificat me (*Joan.* VIII). » Notandum est quod glorificare, et honorare, et clarificare, tria quidem verba, sed una res est. Quod Græce dicitur δοξάζειν, sed interpretum varietate aliter atque aliter est positum in Latino ; quod in Evangelio dictum est glorifico, hic Apostolus clarificationem nominat. Clarificatus est ergo Filius a Patre, quando super baptizatum vox Patris audita est de cœlis : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* IV), » quæ clarificatio sive glorificatio, multo ante per Prophetam, Spiritu sancto inspirante, prædicta est : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te (*Psal.* II), Dominum significat Patrem. Attendamus autem, quod posuit, « dixit ad me, Filius meus es tu, » quod etiam dicturus erat post baptismum, « Hic est Filius dilectus, in quo mihi complacui. » Hoc itaque ut Christum unam personam sentires, ut unigenitum Dei Filium adjecit : « Ego hodie genui te, » hoc jam nihil habet commune cum cæteris, quia filii dicuntur, qui sacerdotes appellantur, de quibus dictum est : « Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI), » sed totum est unigeniti Filii proprium ; quemadmodum et in alio loco dicit : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). » Melchisedech secundum legalia mandata non fuit sacerdos, sed secundum cujusdam singularis sacerdotii dignitatem, panem offerens Deo et vinum, non brutorum animalium sanguinem, in cujus ordinem sacerdotii Christus factus est sacerdos, non temporalis, sed æternus. Ad quem hoc dictum est : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. » Omnes enim sub lege erant sacerdotes, iste solum secundum ordinem Melchisedech, ex eo quod natus est de utero virginali ante Luciferum ; non secundum id quod natus est ex Patre

Digitized by Google

Deus apud Patrem ; coæternus gignenti et consubstantialis, sed sacerdos propter carnem, quam assumpsit, aut propter victimam, quam pro nobis offerebat a nobis susceptam, id est, carnem et sanguinem suum ; de qua victima ipse in Evangelio ait : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI). » Sed in ista carne ac sanguine, nil cruentum, nil corruptibile mens humana concipiat, ne, sicut dicit Apostolus : « Qui enim corpus Domini indigne manducat, judicium sibi manducat (*I Cor.* XI), » sed vivificatricem substantiam atque salutarem in pane et vino, per quam, si digne sumitur, nobis est peccatorum remissio et regni Dei possessio collata. Hujus ordinem sacrificii per mysticam similitudinem Melchisedech justissimus rex instituit, quando Domino panis et vini fructus obtulit. Constat pecudum victimam jam periisse, quæ fuerunt ordinis Aaron, non Melchisedech, sed hoc manere potius institutum, quod toto orbe in sacramentorum erogatione celebratur. Sacerdos autem præcipue dicitur Christus, qui semel se pro nobis obtulit immolandum, sicut semel de Melchisedech in sancta legitur Scriptura et ejus sacerdotio. In æternum vero cum dicitur, ipse significatur Dominus Christus, qui permanet in gloria sempiterna. « Qui in diebus « carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui « possit illum salvum a morte facere, cum clamore « valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua « reverentia. » (*Alb.*) Quid vero in sacerdotio noster pontifex egisset, certius hic exprimit Apostolus dicens : « qui in diebus carnis suæ ; » dies quippe carnis Domini nostri dies sunt, in quibus carnem assumpsit, in quibus tentatus est, passus est, in quibus preces supplicationesque ad eum qui possit salvum illum facere a morte offerebat : totum vero quidquid egit Christus in carne, preces sunt et supplicationes pro peccatis humani generis. Sancta vero sanguinis ejus effusio, clamor validus est, in quo exauditus est a Deo Patre pro reverentia ejusdem passionis suæ sine peccato ; nostræ salutis causa passus est, qui, nullum habens peccatum, peccatum pro nobis factus est, id est, oblatio pro peccatis nostris. Hoc enim totum in magna reverentia et perfectissima charitate peregit, qui prior dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis hostiam Deo acceptabilem, qui ideo exauditus est a Deo, quia hostiam acceptabilem obtulit Deo, id est, seipsum. Simile est itaque quod hic dicitur : « Qui preces supplicationesque ad eum qui possit salvum facere illum a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens ; » eo quod in Evangelio legitur eum dixisse : « Pater, si fieri potest, transfer a me calicem istum : verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat (*Matth.* XXVI), » quia non venit facere voluntatem suam, sed ejus qui misit illum, voluntatem paternæ dispensationis præposuit voluntati carnis suæ, ut veram ostenderet in seipso humanitatis nostræ naturam. Beatus Paulus hic dicit, preces eum et supplicationes fundere, non timore mortis, sed nostræ causa salutis ; unde et alio loco etiam dicit (*Hebr.* XII), sanguinem Christi melius clamasse pro nobis quam sanguinem Abel, qui ad causandum fraternum scelus de terra clamavit (*Gen.* IV) ; Christi vero sanguis ad interpellandum pro nobis de terra clamat ad Patrem. « Et « quidem cum esset Filius Dei, didicit ex his quæ passus est obedientiam, et consummatus factus omnibus « obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech. » De similitudine pontificatus Melchisedech superius satis dictum arbitror, nunc videamus quid velit intelligi Apostolus in eo quod ait : « Qui cum esset Filius Dei didicit ex his quæ passus est obedientiam ; » hanc obedientiam, quam hic didicisse Filium Dei dicit, hoc est, voluntarie suscepisse, alio quoque loco ostendit, ubi ait : « Factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum (*Phil.* II). » In eo vero quod ait : « Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, » consummatus, id est, perfectus, ostendit quantum lucrum sit ejus passio, quæ omnibus credentibus sufficit ad salutem sempiternam. Igitur si obedientia Filii causa est salutis humanæ, quanta nobis necessitas est obedire Deo, ut digni inveniamur ejus salutis quam nobis per Filium proprium perdonavit?

« De quo grandis nobis sermo et ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti « estis ad audiendum. » Causam enim reddit cur esset sermo quem de Filio incarnato instituit difficilis ad interpretandum : id est, quia illi imbeciles erant et fragiles sensu ad intelligendum profunda mysteria ; qui etiam pro tempore magistri debuerant esse, facti sunt quibus lac opus est, non solidus cibus ; illa difficultas interpretandi, in illorum fuit tarditate, non in apostolica sapientia, cui revelata sunt mysteria a sæculis abscondita, sicut in Epistola ad Ephesios plenissime demonstrat. (*Joan.*) Attende quomodo cum laude facit desiderium, hoc quippe est semper sapientiæ Pauli, difficilia bonis interniscentis, quod etiam in Epistola ad Galatas fecit dicens : « Currebatis bene, quis vos impedivit? » et « sine causa tanta passi estis, si tamen sine causa (*Gal.* V) ; et item : « Certus sum de vobis in Domino (*Ibid.*) ; » hoc etiam et circa istos facit, « certus autem sum de vobis meliora et salutem habentia. » Deinde subjunxit : « Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint « elementa exordii sermonum Dei, et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. » (*Alb.*) Ad eos itaque loquitur, qui exercitatum sensum per legem et prophetas de adventu Christi et gratia, quæ per eum credentibus allata est, habere debuerunt, qui etiam magisterio aliis per mysteria Dei, quæ data sunt illis, poterant esse, si credidissent : nunc autem tales facti sunt ut infantes, quibus prima elementa literarum traduntur ad legendum, dum illorum fuit fortes esse in fide et alacres in scientia, solidum su-

Digitized by Google

pientiæ cibum ad percipiendum, qui est perfectorum, nunc facti sunt quibus est lacte opus. Lac enim humilem sermonem vocat, quo eos indiguisse testatur, qui etiam ad altiora mysteriorum Dei secreta ascendere non poterant. Exempli gratia, qui non potest intelligere quod evangelista ait : « Verbum caro factum est, » quomodo potest ad altitudinem ejus sermonis pervenire, ubi ait : « In principio erat « Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat « Verbum? »

« Omnis enim qui lactis est particeps, expers fa- « ctus est sermonis justitiæ. Parvulus enim est. Per- « fectorum autem est solidus cibus ; eorum autem « qui exercitatos habent sensus ad discretionem « boni ac mali. » Palatus enim sapores discernit ciborum : anima variarum probat sermones doctrinarum, de quibus in consequentibus hujus Epistolæ dicit : « Doctrinis variis nolite abduci (*Hebr.* XIII). » Sicut enim parvulus inter cibum et cibum discernere nescit, et sæpe in noxiis sumendis periclitatur, si non prohibeatur a seniore, ita indoctus quisque discretionem doctrinarum nescit, facile decipitur, et in via erroris periclitatur; quod in lacte et solido cibo, hoc in indocto et sapiente differt. Sicut lac parvulis congruit, et solidus cibus ætate perfectis : ita indoctis humilis sermo, et sapientibus arcanum Dei mysterium nosse convenit, qui exercitatos habere videntur sensus. « Quomodo igitur poterunt sensus nostri exercitati esse? utique ex usu et frequenti lectione sanctarum Scripturarum. » Unde beatum virum Psalmista dicit esse, qui in lege Domini meditabitur die ac nocte (*Psal.* I). [J. Chrys.] Quomodo autem fiunt sensus nostri exercitati? ex usu Scripturarum, ex frequenti auditione : quando enim proposuerimus eorum errores, et hodie audieris, et crastina probaveris non bene se habere, cuncta doceris, cuncta cognoscis, et si hodie non assequeris, cras assequeris. « Sensus, inquit, exercitatos habentes. » Vides quia oportet exercitari auditum nostrum frequenter auditione divinarum Scripturarum, ut nulla novitate expavescamus. Exercitatum, inquit, ad discretionem, hoc est, peritum esse : alius quidem dicit non esse resurrectionem, alius autem nihil futurorum expectat; alius alterum dicit Deum; alius ex Maria dicit eum habere principium. Intuere confestim quomodo ex immoderatione omnes ceciderunt; alii quidem semper modum excedentes; alii autem intra modum se coarctantes, ut puta prima quidem omnium hæresis fuit Marcionis, illa alterum Deum introduxit, qui non erat, excessit modum. Post illam Sabellii, Filium, et Spiritum et Patrem unum esse dicentis. Deinde Marcelli et Photini, etiam isti hæc eadem prædicantes, et Pauli Samosateni, de Maria dicentis eum habere principium. Deinde Manichæorum, ista enim aliquantulum nova. Post illas item Arii. Sunt autem et aliæ. Propter hoc fidem suscipimus, ut non cogamur decem millia hæreses et laborem habere. Ascendens enim, qui legit, primo dicit librum cujus est, illius verbi gratia prophetæ aut illius, et tunc dicit, proinde annotata vobis esse debebant, et non solum ipsum textum debebatis scire, sed et causas eorum quæ scripta sunt, et quis hæc dixerit, sed omnia sine causa et supervacue. Omnis festinatio in his quæ ad vitam hanc pertinent evacuatur. De spiritalibus autem nulla ratio est, propterea nobis neque illa pro voto proveniunt, sed plurimæ etiam ibi difficultates; Christus quippe dixit : « Petite regnum Dei, et hæc omnia apponentur vobis (*Matth.* VI). » Et hæc quidem in appositionis parte dicit daturum, nos autem ordinem pervertimus et petimus terram et bona in terra tanquam illis in additionis loco tribuendis, nos idcirco, neque ista, neque illa habemus. Evigilemus aliquando, et efficiamur futurorum desideratores, sic etiam ista sequentur, impossibile namque est eum, qui, quæ Dei sunt, quærit, non etiam quæ humana sunt, assequi : sententia est ipsius veritatis hoc dicentis. Nequaquam igitur aliter faciamus, sed æquanimiter feramus voluntatem Christi, ne ab omnibus excidamus.

CAPUT VI.

Apostolus addit ea quæ vult dimittere, quibus acceptio suæ doctrinæ est impossibilis, et quibus sit conveniens et utilis.

« Quapropter intermittentes inchoationis Christi « sermonem, ad perfectionem feramur, non rursus « jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus « mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, « impositionis quoque manuum ac resurrectionis « mortuorum, et judicii æterni. Et hæc faciemus, si « quidem permiserit Deus. » (*J. Chrys.*) Audite quantum Hebræos culpavit Paulus volentes semper discere eadem ipsa, et merito : « Cum deberetis enim esse, inquit, doctores propter tempus, iterum opus habetis, qui vos doceat, quæ sint elementa principii sermonum Dei. » Timeo ne etiam ad vos ista dicendi tempus sit, quia debentes esse doctores propter tempus, neque discipulorum gradum habetis, sed semper eadem ipsa audientes, et de iisdem ipsis, tanquam si nihil audiretis, sic dispositi estis. Etsi vos quisquam interrogaverit, nemo vestrum poterit respondere, præter admodum paucos et facile numerabiles : hoc autem non est parvum damnum. Sæpius quippe doctorem volentem in anteriora procedere, et secretiores altioresque sermones attingere, non permittit inhabitudo discentium. Sicut enim apud magistros ludi, si semper puer elementa audiens non teneat, semper illi necessitas erit eadem ipsa insonare puero, et non cessabit ante docens usquequo illa integre discere valuerit; enimvero stultitiæ majoris est, ut, qui prima non bene imposuerit, ad alia velit puerum adducere ; sic itaque et in Ecclesia, si semper eadem dicentibus nobis nihil amplius ediscatis, nunquam eadem dicendo cessabimus. (*Alb.*) Si enim ostentationis nobis esset ratio et amor laudis, necesse esset semper transilire, præterire, nihil curantes vestri gratia, sed plausus vestros tantum ap-

Digitized by Google

peteremus : quia vero non hoc nobis studium proposuimus, sed omnia pro vestro juvamine laboramus, non quiescimus de iisdem ipsis vobis semper disputare, donec illa in habitu percipiatis. Sicut enim eum qui in doctrinam litterarum adducitur, elementa oportet primum audire, sic et Christianus primo omnium de fide catholica erudiri debet, quod est fundamentum salutis nostræ. Firmum enim oportet et fixum esse hoc fundamentum quod habet in corde Christianus, ut inde dignus fiat ad perfectionem aliarum tranferri virtutum. Si autem quisquam verbum veritatis audivit, et baptizatus est, et post annos aliquot de fide iterum audire opus habet, quia credere oportet eum de resurrectione et futuro sæculo, necdum fundamentum habet; rursum initium Christianitatis quærit, quia enim fides fundamentum est; cætera vero superædificationes, quod beatus Paulus sequentibus verbis ostendit, dicendo : « Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis et fidei ad Deum. » (*J. Chrys.*) Quid autem est initium ? nihil aliud quam hoc : Initium, inquit, est, cum vita non aderit integra. Sicut enim eum, qui ad doctrinam litterarum inducitur, elementa oportet primum audire : sic et Christianum hæc scire integre, et nihil dubitare de istis. Si autem opus habuerit horum doctrina, necdum fundamentum habet, fimium enim oportet et fixum esse et stare et non transferri. Si autem quisquam verbum veritatis audivit, et baptizatus est, et post annos decem de fide iterum audire opus habet, quia credere oportet in resurrectione mortuorum, necdum fundamentum habet, iterum initium Christianitatis quærit : quia enim fides fundamentum est, cætera vero superædificationes, adverte ipsum dicentem (*I Cor.* III) : « Ego fundamentum posui, alius superædificat : si quis superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, etc. » Ne iterum, inquit, fundamentum constituentes pœnitentiæ ab operibus mortuis. Quid autem est » ad perfectionem feramur? » ad ipsum transeamus, inquit, jam cacumen, hoc est vitam optimam habeamus. Sicut enim in elementis universa apex primus, hoc est, alpha continet, et fundamentum ædificium totum continet; sic et vitæ munditiam satisfactio, quæ est circa fidem, continet : sine ista enim non potest esse Christianus, sicuti nec sine fundamento ædificium, neque sine elementis peritus litterarum fieri potest, sed si semper quisquam circa elementa conversetur et non circa ædificium, nunquam illi quidquam amplius erit. Tu autem ne putes diminutam esse fidem propter quod elementum vocata est. Omnis enim virtus ipsa est. (*Alb.*) Perfectum enim illum vocamus, qui cum fide vitam habet rectam : si autem horum unumquodlibet deerit, perfectus non erit : si vero ambo desunt, merito parvulus dici potest; et quasi infans litteris, sic etiam iste in fide iterum erudiendus est. Latenter autem legem infirmare vult, et ad gratiam Christi suos revocare auditores. Qui autem ad virtutem iturus est, primum malitiam debet culpare et abjicere, et opera mortis per pœnitentiam purgare, et sic accedere ad Deum. « Baptismatum doctrinæ, ait, impositionis quoque manuum et resurrectionis mortuorum et judicii æterni. » Non enim sufficit pœnitentia mundos facere peccatores, nisi confestim baptizentur, sicut in Actibus apostolorum beatum Petrum respondisse legitur : « Pœnitentiam agite, fratres, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu (*Act.* II); » quia quod impossibile est operari hominem per se, hoc per gratiam Dei in baptismate accipere potest. Quid est enim « baptismatum doctrina ? » Non tanquam multorum baptismatum debet intelligi, sed unius; quia sicut una fides est, ita unum et baptisma est. Sed pro varietate accipientium baptismatum dixit. « Impositionis quoque manuum, » per quam Spiritus sanctus accipi potest. Creditur quod post baptismum ad confirmationem unitatis in Ecclesia Christi a pontificibus fieri solet. His igitur perfecte in Ecclesia perceptis, fides resurrectionis et judicii futuri habenda est. Vivere quippe sicut angeli, et nullius egere eorum quæ in ista vita sunt, hujus vitæ promissio nobis facta est per Spiritum sanctum : fructus autem hujus promissionis, ejusdem præsentia vitæ est; quæ duo, id est fides et judicium, semel baptizato restant, non iterum baptizari. (*J. Chrys.*) Quid autem baptismatum doctrina? non tanquam multorum baptismatum, sed unius. Quare ergo plurali hoc dixit? Dicendo enim, « ne iterum fundamentum constituentes pœnitentiæ, » opus habuit etiam hoc dicere, veluti opus habentibus iterum baptizari et iterum catechizari, et iterum post baptismum doceri, quid agere deberent, quid non deberent. Propterea vero pluraliter dixit, volens eis significare, quia si iterum opus haberent mundari, incorrigibiles permanerent. « Et impositionis, inquit, manuum. » Sic quippe sanctum Spiritum accipiebant... imponentes eis palam manus. « Resurrectionis quoque mortuorum, hoc enim in baptismate fit, et in confessione firmatur. « Et judicii æterni. » Quare autem hoc dixit? quoniam fortassis possent moveri jam credentes, vel male vivere et negligenter, dicit, evigilate. Non est dicere. Qui negligenter vivamus iterum baptizabimur, iterum catechizabimur, iterum accipiemus Spiritum sanctum. Si enim nunc a fide deciderimus, iterum poterimus baptizati, peccata abluere, et eadem bona percipere, quæ primo acceperamus : erratis, inquit, ista putantes. « Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus. » (*Alb.*) In hac quippe fide baptismatis et resurrectionis, et judicii futuri vos, Deo permittente, pleniter instruimus. Ne vero ullatenus quis secundum vel tertium æstimaret post peccata posse fieri baptisma, mox subjunxit, dicens :

« Impossibile est enim eos qui semel sunt « illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et « participes sunt facti Spiritus sancti, gustaverunt « nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæ- « culi venturi, et lapsi sunt, renovari rursus ad pœ- « nitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Fi-

Digitized by Google

« lium Dei, et ostentui habentes. » Impossibile est, inquit, non difficile. Impossibile est, inquit. In desperationem eos misit secundo baptizari posse : quia impossibile est quod fieri non potest : difficile vero quod, quamvis cum labore, fieri tamen potest. Si semel, inquit, illuminati estis per gratiam sancti Spiritus, et gustastis donum cœleste, hoc est, remissionem peccatorum accepistis, et participes facti estis Spiritus sancti, in distributione donorum Dei, quæ in Epistola ad Corinthios B. Paulus enumerat ; et bonum gestastis verbum Dei, hic doctrinam dicit Evangelicam, et virtutes venturi sæculi cognovistis. Quæ est revelatio futuri sæculi, nisi resurrectio et vita beata quæ sanctis promittitur ? Hæc omnia in doctrina fidei, in gratia Dei per baptismum illuminati accepistis et cognovistis. Scitote certissime, si in peccatis iterum cadetis, impossibile esse vos renovari iterum ad pœnitentiam, hoc est, per pœnitentiam Quid ergo ? Exclusa est pœnitentia post baptismum ? Absit ; sed renovatio per sacri baptimatis lavacrum secunda vice fieri non potest : renovari, dixit, hoc est, novum fieri. Novum quippe facere hominem sacri baptismatis est, de quo Propheta ait : « Renovabitur sicut aquilæ juventus tua (*Psal.* CII). » Cujus virtus, id est, baptismatis sacri, in cruce et sepultura Christi constat. Proinde subjunxit : « Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes ; » hoc est : « Vetus homo noster simul crucifixus est cum Christo (*Rom.* VI). » Sicut alio loco ait : « Conformes enim facti sumus mortis ejus ; » et iterum . C « Consepulti enim estis ei per baptismum in morte (*Coloss.* II). » Sicut enim impossibile est secundo crucifigi Christum, hoc est ostentui eum habere. Qui secundo se baptizari posse putat, secundo Christum crucifigere quærit : qui si crucifixus est, et mortuus, et victor mortis resurrexit, atque eum triumpho et gloria cœlos ascendit. « Sicut enim semel Christus mortuus est carne in cruce, sic nos semel morimur in baptismate ; non carne, sed peccato. » Atque sicut ille iterum mori non poterit, ita nos baptizari non possumus, nisi fortassis lacrymis pœnitentiæ, non lavacri regeneratione. Quid ergo est ? inquis, non est pœnitentia ? Est utique pœnitentia, sed baptisma aliud non est. Pœnitentia D vero est, et multam habet fortitudinem etiam in eum qui peccatis valde dimersus est. Si voluerit, potest eum liberare ex onere peccatorum, et periclitantem in tuto constituere, ac si ad ipsum fundum iniquitatis pervenerit ; et hoc ex multis manifestum est testimoniis. Ideo addidit : « Nunquid enim qui cadet, non resurget ; aut qui avertitur, non revertetur ? » (*Jer.* VIII.) Quale ergo est istud medicamentum pœnitentiæ, aut qualiter conficitur ? Primum exculpando propria peccata : « Iniquitatem, inquit, meam non celavi ; et pronuntiabo adversum me iniquitatem meam Domino, et tu absolvisti impietatem cordis mei (*Psal.* XXXI). » Secundo, multa humilitate plangere peccata sua, fructusque dignos exinde A facere pœnitentiæ, quatenus nullatenus in eadem iterum corruat peccata. Deinde multis eleemosynis redimere se incipiat, qui sæculi habeat potestatem, sicut scriptum est : « Divitiæ viri redemptio animæ illius (*Prov.* XIII). » Postremo opus est nulli irasci, neque malum pro malo reddere, omnibus dimittere peccantibus in se, dicente ipsa Veritate : « Dimittite, et dimittetur vobis (*Matth.* VI). »

« Terra enim sæpe venientem super se bibens « imbrem, et germinans herbam opportunam his, « a quibus colitur, accepit benedictionem a Deo ; « proferens autem spinas ac tribulos reproba est, « et maledicto proxima, cujus consummatio in com- « bustionem. » (*J. Chrys.*) Cum timore autem audiamus sermones Dei. Non sunt hæ minæ Pauli ; non B sunt hominis verba, verba Spiritus sancti sunt, Christi sunt loquentis in Paulo. Comparationem hic fecit de proficiente anima in doctrina Dei, et negligenti salutem suam. Fructiferæ terræ cœlestibusque imbribus irrigatæ adæquavit proficientem animam in floribus sanctorum germinum, dicens : « Terra enim sæpe venientem super se imbrem bibens. » Hic declarat quod hi ad quos ejus sermo fuit, susceperunt et combiberunt verbum cœlestis doctrinæ, et sæpius per legem, per prophetas perceperunt, et ne sic prompti facti sunt germina fidei proferre. Adhuc addidit de bona terra, in quam cecidit semen verbi Dei, « germinans, ait, herbam opportunam. » Nihil sic opportunum sicut fides in Filium Dei et vita optima. Hæc vero talis terra accipit benedictionem a Deo, C ut ferat trigesimum, sexagesimum, etiam et centesimum fructum. Et hoc notandum est, quod omnis abundantia in frugibus terræ, in fructibus arborum non aliter, nisi per Dei benedictionem cultoribus ad voluntatem respicere poterit. Neque enim agricolarum fuit terram excitare ad fructus, sed imperium Dei, sicut alibi idem beatus Paulus ait : « Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dat (*I Cor.* III). » Hoc ergo de anima florenti in virtutibus et Dei benedictione digne protulit exemplum ; moxque subjunxit aliud paradigma de ea quæ suam negligit salutem, dicens : « Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem. » Quis namque est D ab istis spinis mundus ? Ac si essemus mundi, neque sic præsumptuosos nos oportet esse, sed timere et tremere, ne forte pullulent in nobis spinæ peccatorum. Quomodo anima vel caro spinis plena superbire poterit ? Nunquid non majori sollicitudine exstipare eas opus haberet ? Quæ sunt ergo spinæ ? Audiamus Christum de spinis dicentem, quia cura sæculi hujus et deceptio divitiarum præfocant verbum, et infructuosum efficitur (*Matth.* XIII). Proferens, dixit, spinas, non generans, maledictioni proxima est. O quantam habet consolationem hic sermo ! Maledictioni, inquit proxima. Non maledicta, quia autem necdum in maledictionem incidit, sed proximitatem, et longe fieri poterit. Et non hoc solum consolatus, sed etiam in eo quod sequitur. Non dixit : Reproba et

Digitized by Google

maledictioni proxima, quæ comburetur. Sed quid? « Cujus consummatio in combustionem. » Hæc combustio non erit, nisi quis usque in finem permaneat in peccatis suis. Quia « in quacunque die conversus fuerit peccator, vita vivet et non morietur (*Ezech.* XVIII). » Si vero abscindamus spinas per pœnitentiam, poterimus mille bonis perfrui, et fieri probabiles, et benedictionis Dei participes. (*J. Chrys.*) Postquam eos igitur increpavit sufficienter, et terruit et percussit, curat iterum ne amplius eos dejiciat et supinos efficiat, tardum enim, qui percutit, tardiorem efficit. A Neque ergo in omnibus adulatur, ne pejores efficiat; neque in omnibus percutit, sed aliquantum quidem percussoria apponens, multum autem curatoria afferi per ea quæ inferunt. Quid enim dixit? Non veluti culpantes vos hæc dicimus, neque veluti putantes vos spinis plenos, sed timentes, ne tales efficiamini: melius quippe est verbis vos terrere ne rebus ipsis doleatis; et hoc sapientiæ Pauli est; et maximæ, et non dixit, putamus, neque conjicimus, neque exspectamus, neque speramus, sed plena virtute animi confidimus, quod in initio sequentis libri ostenditur.

LIBER VICESIMUS OCTAVUS.

SEQUITUR CAPUT VI.

« Confidimus autem, dilectissimi, de vobis meliora et « viciniora saluti, tametsi ita loquimur. » (*Alb.*) Quia beatus Paulus non habuit unde eos ad quos scripsit, de præsenti laudaret, incipit eis de spe futurorum prædicare dicens: « Confidimus, fratres, de vobis meliora et viciniora saluti, quamvis ita dicamus: » quasi dixisset: Optima quædam de vobis confidimus, et quæ saluti vestræ proficiant; non utique quod superius dixi de reproba terra et combustioni proxima, non de vobis hoc dicimus, quia meliora de vobis credimus. Adduxit quoque eis in memoriam præterita, ut ex præteritis eos alliceret ad bona quæque, ideo subjunxit: « Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis « in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis. » (*J. Chrys.*) Ecce quomodo recreavit animas eorum et confortavit, antiqua eis in mentem revocans. Tunc fecit eos, ut non æstimarent oblivisci Deum et præterita ejus beneficia in eos. Necesse est enim eum peccare, cui spes deerit futura. Deinde hortatur eos omnibus modis sperare futura. Eum enim qui desperat de præsentibus beneficiis Dei, quod a Deo non habeat, de futuris quis poterit eum confortare? Simile quid Galatis improperat dicens: « Currebatis bene: quis vos fascinavit? (*Gal.* V) » Atque iterum: « Tanta passi estis sine causa; » ut præsens mitigaret eamdem sententiam, mox subjunxit: « si tamen sine causa. » Sic etiam hoc loco temperavit sententiam suam, dicens: « Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, dum tantam caritatem ostendistis in sanctis. » Volumus enim vos imitari eos qui per fidem et patientiam hæreditati sunt promissiones. Quale vero desiderium haberet de salute eorum, sequenti ostendit allegatione, dicens: « Cupimus enim unumquemque « vestrum eamdem ostentare sollicitudinem ad exspletionem spei usque in finem, ut non segnes efficiamini. » Desideramus vero, inquit, non tantum circa verba, sed etiam in virtutibus conversari: non quasi priora vestra culpantes, sed ut de futuris solliciti sitis, admonentes; hoc est, quales fuistis primum, tales vos cupimus et modo esse, et in futurum. Et non dixit *volo;* quod est auctoritatis doctrinæ; sed, quod erat paternæ dilectionis, hoc est, « cupimus » unumquemque vestrum eamdem quam olim habuistis sollicitudinem ad expletionem spei habere de beata in æternam resurrectionem. (?) « Verum imitatores eorum, qui fide et patientia hæreditabunt promissiones. » (*Alb.*) Hortatur enim auditores suos, ut fide non ficta et patientia perfecta exspectent promissiones Dei, et hæreditates, quas sanctis suis promisit. Et hoc firmius exemplis corroborare nititur, dum dicit: « Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem « juraret majorem, juravit per semetipsum, dicens « (*Gen.* XXII): Nisi benedicens benedicam te, et « multiplicans multiplicabo te; et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem, homines enim per « majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum « finis ad confirmationem est juramentum. » (*J. Chrys.*) Postquam increpavit fortiter Hebræos et terruit sufficienter, primum quidem laudibus eos consolatur: secundo autem, quod etiam fortius est per id quod utique percepturos eos ostendit, quæ sperabant, et hanc consolationem ex futuris facit, sed iterum ex præteritis, quod magis eos credere faciebat. Sicut enim in supplicio per illa magis terret, sic etiam in præmiis per hæc consolatur, ostendens consuetudinem Dei: hæc autem est, ut non celeriter exhibeat promissa, sed per multum tempus; fecit autem hoc mansuetudinis et virtutis ejus proferens argumentum, et nos ad fidem adducens, qui in tribulationibus vivimus, et promissiones necdum accepimus, non desperemus mercedem laborum nostrorum; et omnes relinquens, quanquam multos haberet, ad dicendum Abraham in medium adduxit et propter dignitatem personæ, et propter quod maxime in eo illud contigerit, cum etiam in fine Epistolæ dicat, quia hi omnes de longinquo illas videntes et diligentes non receperunt promissiones ne sine nobis perficerentur. « Abrahæ, namque, inquit, promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum dicens, Nisi benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo te; et sic longanimiter ferens adeptus est repromis-

Digitized by Google

sionem. » (*Alb.*) Mira est sapientia beati Pauli. Per vices enim laudibus extollit eos ad quos scribit, per vices terroribus antecedentis historiæ terret eos, ne infideles essent et minus creduli promissioni Dei, per vices vero eos exemplis hortatur ad patientiam et fidem, et ut indubitanter credant, non solum Deo dicente, verum etiam jurante per semetipsum; et dum ei multa suppeterent exempla sanctorum, qui per patientiam hæreditarunt promissiones Dei, præcipue fidelis Abraham propter dignitatem personæ suæ, et propter quod maxime in eo istud contigerit. « Qui longanimiter ferens adeptus est in filiis suis promissiones, » non modo præteriti temporis, quæ in populo Dei impletæ sunt, magis etiam in futurum pronuntians in filios fidei Abrahæ. Promissionem enim Dei cooperata est longanimitas audientis, et exspectantis hæreditatem promissam, quam quidem pusillanimes et incredibiles verbis Dei non fuerunt adepti, sed plurima illorum in deserto periit multitudo. Quam impium est, Deo jurante, non credere! « Juravit enim Deus per semetipsum, quia neminem habuit majorem, per quem juraret. » Potest hic persona, in hoc juramento, Dei Patris intelligi, qui de Filio suo eidem patriarchæ promisit, dicens: « Et in semine tuo benedicentur omnes gentes. » Non dicit « in seminibus, » ut beatus Paulus in alia demonstrat Epistola (*Gal.* III), sed « in semine tuo, » hoc est, Christo. Jurat enim et idem Christus in Evangelio, dicens: « Amen, amen, dico vobis, » et ipse per seipsum, quia nec ipse habuit majorem, per quem juraret. « Benedicens benedicam te; » hoc est, in stellis cœli, per quas sancti designantur, de ejus semine futuri, intelligi potest dictum, « multiplicans multiplicabo te, » et hoc in arena maris, per quam peccatores populi illius designari possunt. Utraque enim Dominum dixisse legitur, ubi ait: « Et erit semen tuum sicut stellæ cœli, et sicut arena quæ « est in littore maris. » « Homines enim, inquit, per « majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum. » Si igitur hominum in futurum (*sic*) credendum est, de quibus dicit Propheta: « Omnis homo mendax (*Psal.* XIV), » quanto magis Dei juramento credi debet, qui est veritas, qui nec falli, nec mentiri potest! « Homines enim per majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum. » (*J. Chrys.*) Prout si diceret: Ex hoc solvitur totius controversiæ disceptatio, non unius cujuslibet, sed totius. Oportebat quidem sine juramento credere Deo, sed jurare Deum dicit: « In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationem hæredibus, immobilitatemque consilii sui. » Propterea hujus repromissionis mentionem facit, quæ ad nos communiter facta est. « Interposuit jusjurandum. » (*Alb.*) Quoniam enim apud homines hoc videtur fidele esse, cum juramentum interfuerit controversiis eorum, propterea etiam hoc addidit. Non æquale est homines per se jurare, et Deum: homo enim sui potestatem non habet; Deus autem potestatem habet omnium quæ sunt. Sed quia incredulum est humanum genus, propter hoc condescendit ad nos; sicut enim jurat propter nos, quamvis indignum ei sit non credi, ita superius dictum est: « et didicit ex his, quæ passus est, » quoniam homines hoc putant maxime esse dignum fide, ut per experimentum quis transeat ad fidem. « Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam promissionis spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. » Duas res dixit: Dei Patris promissiones de Filio suo, et adventum Filii in hunc mundum pro salute nostra. Proposita vero spes veritas est rerum gestarum, quæ patriarchis promissæ sunt et redditæ, ut ex transactis futura credamus. Quam spem, sicut anchoram, inquit, habemus animæ tutam ac firmam. (*J. Chrys.*) Sicut enim anchora jactata de navi, non permittit eam circumferi, licet venti commoveant eam, sed jactata firmam facit navem; sic et fides spe roborata introducit nos in rerum speciem, quam modo fide et spe tenemus; ideo addidit, dicens: « Et incedentem usque ad interiora velaminis. » Tempestas enim et multus imber commovet ratem; anchora autem non permittit eam demergi: sic etiam nostra spes, quam habemus fixam in interiora velaminis, nulla infidelitate mergi poterit, si cum Propheta veraciter dicamus: « Jacta in Deum curam tuam, et ipse te enutriet (*Psal.* LIV). » Si hanc non haberemus, omnino demersi eramus, non tantum in spiritalibus, sed etiam in carnalibus. Multam quis hujus invenit fortitudinem, ut puta in negotiando, in agricultura, in militia; nisi hanc quisquam primo proponat, nunquam aliud attingit: « Quia, qui arat, inquit Apostolus, in spe arat (*I Cor.* IX), » et omnis labor noster spe mercedis cujuslibet consolatur. Spes vero penetrat interiora velaminis, dum cœlestia absque ulla dubitatione credit, et sperat et amat, operibusque ostendit, ut pote quid credat, quid speret. Ut firmiorem nobis spem adderet, subjunxit: « Ubi præcursor pro nobis introiit « Jesus, secundum ordinem Melchisedech, pontifex « factus in æternum. » (*Joan.*) Præcursor autem quorumdam est præcursor, sicut Joannes Christi. Non enim dixit simpliciter, introiit, sed, Ubi præcursor pro nobis introiit, veluti absque dubio oporteat prosequi præcursorem nostrum. Præcursorem siquidem et consequentem in eadem etiam via esse convenit. Hoc autem de eo, qui secundum carnem est, dicitur, qui semetipsum obtulit sacrificium Deo in odorem suavitatis. Pontifex factus secundum ordinem Melchisedech. Oportet itaque et illos, quorum pontifex est, meliores esse, et quantum est inter Aaron et Christum, tantum est quodammodo inter Judæos et Christianos; superiora etiam et sacrificia; talia videlicet offeramus sacrificia, quæ in illud sanctuarium cœleste offerri possunt, non jam pecudem et bovem, non sanguinem et adipem, omnia hæc soluta sunt, et pro eis introductum est rationabile obsequium, etiam, quod per animam, quod per spiritum offertur Deo. « Spi-

Digitized by Google

ritus est, inquit, Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare (*Joan.* IV). » [*Alb*.] Quid est Deum in spiritu adorare, nisi in charitate et fide perfecta, et spe indubitata, et sanctis animæ virtutibus quas Apostolus in alio loco abundanter enumerat?

CAPUT VII

Ostenditur excellentia sacerdotii Christi, comparando Christum ad Melchisedech, cujus sacerdotium et excellentius est Levitico et magis necessarium.

« Hic enim Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei « summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde re- « gum et benedixit ei, cui decimas divisit Abraham. » (*J. Chrys.*) Volens autem Paulus differentiam Novi et Veteris Testamenti ostendere, in multis hoc disseminat et jaculatur, et veluti quodam tintinnabulo præoccupans aures auditorum exercet. Confestim quippe ab ipso exordio hoc injecit dicens, quia illis quidem locutus est in prophetis, nobis autem in filio; et illis quidem multifariam et multis modis, nobis autem per filium. Deinde de filio locutus, quis iste sit, et quid operatus sit, et admonens credendum illi esse, ne eadem patiamur, quæ Judæi, dicens, quia pontifex est secundum ordinem Melchisedech, et sæpius in hanc differentiam ingredi volens, et multa ante dispensans et increpans veluti infirmos, et iterum recurans et recreans, ut confidentiam reciperent; tunc jam introducit differentiæ rationem vigentibus auditoribus: qui enim surdui et desperat, non facile quidquam advertit. Et ut cognoscas, audi Scripturam dicentem: « Et non Moysen audierunt propter pusillanimitatem. » Propter hoc primum excludens mœrores eorum multis et terribilibus et benignis sermonibus, tunc jam aggressus est differentiæ rationem, et quid dixit? « Hic enim Melchisedech rex Salem sacerdos Dei altissimi, » et quod est mirabilius, in ipso typo demonstrat multam esse differentiam. Quod enim dixi ex typo semper fidem facit veritati ex præteritis propter infirmitatem audientium; « hic enim, inquit, Melchisedech rex Salem sacerdos Dei altissimi, qui obviavit Abrahæ remeanti a cæde regum et benedicens eum, cui etiam decimam distribuit ab omnibus Abraham. » (*Alb.*) Tradunt Hebræi hunc esse Sem, primum filium Noe, et eo tempore quo ortus est Abraham (*Gen.* XIV), habuisse antiquitatis annos ducentos nonaginta. Nec esset mirum si Melchisedech victori Abraham obviam processerit, et in refectionem tam ipsius, quam pugnatorum ejus panem vinumque protulerit, et benedixerit ei, quod a nepote suo, jure paternitatis decimas prædæ atque victoriæ acceperit ab eo, sicut sacerdos excelsi Dei, qui fuit etiam rex Salem: Salem autem non, ut Josephus et nostrorum plurimi arbitrantur, est Jerusalem, nomen ex Græco Hebræoque compositum, quod absurdum esse peregrinæ linguæ mistura demonstrat: sed oppidum juxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur Salem, et ostenditur ibi palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnificentiam. Ad quam civitatem etiam legitur Jacob descendisse, quæ fuit in terra Chanaan in regione Sichem. Considerandum quoque est quando Abrahæ a cæde hostium revertenti, quos persecutus est usque Dan, non in via Jerusalem, sed oppidum metropolis Sichem in itinere fuerit, de quo in Evangelio legimus: « Erat autem Joannes baptizans in Ennon juxta Salem [Salim], quia aquæ multæ erant ibi (*Joan.* III).

« Primum quidem, quia interpretatus est rex justi- « tiæ, deinde autem et rex Salem, quod est, rex pacis « sine patre, sine matre, sine genealogia, neque ini- « tium dierum, neque finem vitæ habens: assimilatus « autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. » Sæpius vero beatus Paulus eumdem Melchisedech in typo Dei salvatoris introducit. Quamvis omnes Patres sancti et Patriarchæ et Prophetæ prioris temporis in aliqua re figuram expresserint Salvatoris; hic tamen Melchisedech specialius, qui non fuit de genere Judæorum, in typum præcessit sacerdotii Filii Dei, de quo dicitur in CIX psalmo: « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. » Ordinem autem ejus multis modis interpretantur, quod solus et rex fuerit et sacerdos, et ante circumcisionem functus sacerdotio, ut non gentes ex Judæis, sed Judæi a gentibus sacerdotium acceperint; neque unctus oleo sacerdotali, ut Moysi præcepta constituunt, sed oleo exsultationis et fidei puritate; neque carnis et sanguinis victimas immolaverit, et brutorum sanguinem animalium dextra susceperit, sed pane et vino simplici puroque sacrificio Christi dedicaverit sacerdotium. Nec tamen credendum est quod iste Melchisedech sine patre aut sine matre esset, cum Christus quoque secundum utramque naturam et patrem habeat et matrem; sed quod subito introducatur in Genesi occurrisse Abrahæ a cæde hostium revertenti, et nec ante nec postea ejus nomen vel genealogia inveniatur scripta. Affirmat autem hujus exemplo Apostolus, quod Aaron sacerdotium, id est, populi Judæorum et principium habuerit et finem; Melchisedech autem, id est, Christi et Ecclesiæ, sacerdotium et in præteritum et in futurum æternum sit. Hic vero Melchisedech interpretatur rex justitiæ. Quis est verus rex justitiæ, nisi Dominus noster Jesus Christus? deinde rex Salem, hoc est, rex pacis, quod pertinet ad Christum. Iste namque nos justos efficit pacificans omnia quæ in cœlis sunt et quæ in terris (*Coloss.* I), qui solus est rex justitiæ et pacis Dominus noster Jesus Christus, qui secundum divinitatem sine initio, sine fine, rex est sempiternus, ex æterno Patre æternus, quamvis ex temporali matre temporalis esset. Sicut enim istius Melchisedech non legimus initium vel finem in Scriptura sancta propterea quod non est scriptum, sic non novimus Filii Dei initium vel finem, quia non habet. Et in hoc est similitudo, quod nec illius, nec istius, initium vel finis legatur. Illius quidem quia non scriptum est, istius autem quia omnino non est. « Intuemini quantus sit hic, cui decimas dedit « de præcipuis Abraham patriarcha. » Convertit ita-

Digitized by Google

que sermonem ad eos qui gloriantur filios se esse Abrahæ, et de origine ejus nobilitatem illorum descendisse, quem divinis exaltare laudibus contendunt, et in Evangelio eum Domino præposuisse legitur, cum dicunt : « Nunquid tu major es patre nostro Abra« ham? (*Joan.* VIII) » quasi diceret, quem vos excellentiorem omnibus æstimatis, hic decimas offerebat Melchisedech, et hoc de præcipuis victoriæ: qui assimilatus est Filio Dei, pontifex factus in æternum. « Et « quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes manda« tum habebant decimas sumere a populo secun« dum legem, id est, a fratribus suis, quanquam et « ipsi exierint de lumbis Abrahæ.» (*J. Chrys.*) Tanta quippe est sacerdotii excellentia, ut etiam, qui similes essent a progenitoribus, et eumdem haberent progenitorem, tamen multo amplius meliores esse judicati sunt a fratribus suis, qui sacerdotio digni efficiuntur : veluti Aaron inter vivos ac mortuos, ut Dei iram placaret quæ exarserat, stare legitur ; quod propterea ex populo facere poterat, licet omnes unum haberent progenitorem. Proinde ipse Abraham nullo modo alienigenæ decimas dedisset exuviarum, nisi plurimus et superexcellens esset ipsius honor Deoque hoc placere comperisset : ostendens etiam incircumcisum sacerdotem sacerdoti circumciso multo esse sublimiorem. Quomodo ergo hoc ostendit? Quia ipse Levi, ex quo sacerdotale genus ortum est, decimatus est in lumbis progenitoris sui. « Cujus autem generatio non annumeratur in eis, de« cimas sumpsit ab Abraham et hunc, qui habebat re« promissiones benedixit : sine ulla autem contradi« ctione, quod minus est, a majore benedicitur. » (*Alb.*) Ille autem qui sine genealogia est, in Abraham decimatus est, non solum Levi, verum etiam et ipse Aaron, qui decimas solebat accipere a populo, et per eum omne sacerdotium Leviticum. Nec hoc loco contentus est stare, sed adhuc majori honore exaltavit eum, qui alterius est generis, dicens : « Et eum, qui habebat repromissiones, benedixit. » Ostendit et honorabiliorem esse illum ex communi omnium judicio, et sine ulla contradictione, inquit, hoc est, omnibus luce clarius videtur, quod minus a majore benedicitur : proinde melior est typus Christi etiam ab eo qui promissiones habebat. Nam ille qui secundum ordinem Melchisedech factus est sacerdos in æternum, cujus typum gerebat etiam idem Melchisedech, ipse semetipsum obtulit hostiam Deo placentem, non ex necessitate qualibet, sed ex voluntate propriæ potestatis, designat qui nihil morti debuit, idcirco pontificali sacrificio sui corporis omnium abluit peccata. « Et hic quidem decimas ho« mines morituri accipiunt, ibi autem contestatus, « quia vivit, et ut ita dictum sit per Abraham et Levi, « qui decimas accipit, decimatus est : adhuc enim in « lumbis patris erat, quando obviavit et Melchisedech. » (*J. Chrys.*) Sed ne dicamus [dicat quis] : Quid ad antiqua reverteris? Dic nobis... quomodo dici solet... Et bene illum appellavit. « Per Abraham et Levi decimatum esse, qui decimas accepit. » Quomodo? « Adhuc in lumbis erat, cum ei obviavit Melchisedech, » hoc est, in eo erat Levi, quanquam natus non esset : et non dixit Levitæ, sed Levi. Intueris eminentiam? vides, quantum interest inter Abraham et Melchisedech, qui typum gerebat pontificis nostri? et ostendit excellentiam potestatis non ex necessitate factam : ille quippe dedit decimas, quod pertinet ad sacerdotem, iste benedixit, eo quod esset melior, ista excellentia et ad progenitos omnes pertransiit. Mirabiliter et fortiter exclusit Judaicas rationes. Propterea dicebat, « quia imbecilles facti estis, » quia hæc evertere volebat, ne gloriarentur in eis. Talis enim est sapientia Pauli, præstruit primum et tunc ingreditur ad ea quæ vult ostendere. « Si ergo consummatio per sa« cerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso « legem accepit), quid adhuc necessarium fuit secun« dum ordinem Melchisedech alium surgere sacer« dotem, et non secundum ordinem Aaron dici? « translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis « translatio fiat. » (*Alb.*) Hinc enim incipit Veteris Novique Testamenti differentias ostendere, dicens : « Si enim consummatio, » id est perfectio « per sacerdotium Leviticum fuit, » quid necesse fuit alium surgere sacerdotem? Nam Aaron primum post legem datam sacerdotem de tribu Levi esse, nulli dubium est : ideo sacerdotium quo functus est, Leviticum nominavit sacerdotium : quo sacerdotio Levitico multo melior Melchisedech in ordine sacerdotali factus est, qui typum gerebat sacerdotis nostri, id est Domini nostri Salvatoris mundi. Nequaquam enim dixisset, « secundum ordinem Melchisedech, » si illud sacerdotium Aaron melius esset, sub quo populus Judæorum legem susceperat. Si igitur sacerdotii translatio est, necesse est etiam legis esse translationem. Neque enim potest sacerdos sine Testamento esse et sine lege, et sine præceptis. « In quo enim hæc di« cuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præ« sto fuit. Manifestum est enim quod ex Juda ortus « est Dominus noster ; in qua tribu nihil de sacerdoti« bus Moyses locutus est. » In quo enim ait, id est, de quo hæc dicta sunt, Dominum significans Salvatorem. Dum id translatum est sacerdotium, simul et testamentum translatum est : non autem ordine tantummodo, neque præceptis, sed etiam tribu : oportebat quippe, ut etiam mutaretur. Et quomodo translatum est sacerdotium ex tribu ad tribum, de sacerdotali ad regalem? Ut eadem ipsa sit et regalis et sacerdotalis. Et intuere mysterium : primo fuit regale sacerdotium Melchisedech secundum consequentiam hujus sermonis ; secundum etiam fuit sacerdotale in Aaron ; tertium in Christo fuit iterum regale, qui rex erat semper : sacerdos autem factus est, quando carnem suscepit, quando sacrificium obtulit. Vides mutationem rerum? Quæ enim per translationem facta sunt, hæc veluti ex rerum constantia, quasi nova redire videntur.

« Et amplius adhuc manifestum est, si secundum « ordinem Melchisedech exsurgat alius sacerdos, qui « non secundum legem mandati carnalis factus, sed

Digitized by Google

« secundum virtutem vitæ insolubilis. Contestatur « enim quoniam tu es sacerdos in æternum, secun- « dum ordinem Melchisedech. » Novam hoc loco differentiam instituit inter sacerdotium Leviticum t sacerdotium Christi : quia illud carnale, hoc vero spiritale ; illud temporale, hoc vero æternum est. Dicit enim de sacerdotio Aaron : « secundum legem carnalis mandati. » Lex quippe illa ex multa parte carnalis erat : in circumcisione carnis, in mundatione carnis, in hostiis et oblationibus carnalibus, in discretione ciborum, dierum, temporum etiam, et in retributione, quibus benefacientibus, et legem custodientibus, pax et securitas, et prosperitas et frugum abundantia et regni potentia promissa est, quæ omnia morte finienda erant. Sed non ita sacerdotium Christi, quod secundum virtutem vitæ insolubilis est. Quis iste est sacerdos talis ? Non Aaron, non ipse Melchisedech, sed ille, cujus ille Melchisedech typum gerebat. De quo ipse Deus Pater jurejurando testatur : « Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech ; » hoc est, non temporalis, neque finem habens, sed secundum potentiam insolubilis vitæ ; vitam vero in seipso habens insolubilem, quamvis ad tempus mortuus esset carne : tamen in æternum divinitate vivit, et humanitate, mediator inter Deum et homines, semper vivens ad interpellandum pro nobis. « Reprobatio quidem fit præcedentis man- « dati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem, « Nihil enim ad perfectum adduxit lex. » (*J. Chrys.*) Hic hæretici insurgunt, sed adverte integre : non dixit, propter malignitatem, neque, propter malitiam, sed « propter infirmitatem et inutilitatem. » Nam et alibi ostendit infirmitatem ejus, cum dicit : « In quo infirmabatur per carnem (*Rom.* VIII). » Non ergo ipsa infirmata est, sed nos. « Nihil enim perficit lex. » Quid est nihil perficit ? nullum perfectum operata est, dum ei non obeditur. His adde, quia, neque si audiretur, perfectum quemquam faceret, et virtutis compotem : interim autem non hoc dicit hic, sed quia nihil valuit : et recte litteræ erant propositæ, Hoc fac, illud non facias. Proposita erant hæc tantum, non autem et virtutem inspirabant, quia spes non erat talis. Reprobatio quid est, nisi exclusio ? Reprobatio quippe eorum quæ obtinent est jam. Proinde ostendit quid obtinebat, sed contempta est jam, quia nihil proficit ; nihil ergo profuit lex ? profuit quidem, valde profuit, sed ad faciendos perfectos nihil profuit : nihil ergo perfectum fecit lex, juxta hoc quippe dicit, omnia legis formam esse et umbras, circumcisio, sacrificium, sabbatum. Non valebat ergo pertransire in animam, propter hoc etiam cedit atque discedit. (*Alb.*) Idcirco ejus reprobatio fuit, ut gratiæ daretur locus, dum veniret, in qua perfectio fieret. Utilis fuit quippe lex, sed illis qui fidem habuerunt in Christo, non illis qui totam suam spem in eam firmaverunt. « Introductio vero « melioris spei per quam proximamus ad Deum, et « quantum est non sine jurejurando sacerdotes facti « sunt, hic autem, cum jurejurando per eum qui di- « xit ad illum : Juravit Dominus et non pœnitebit « eum, tu es sacerdos in æternum. » Introductio, inquit, melioris spei ; habuit quippe et lex spem, sed non talem. Sperabant enim bene placentes et legem Dei custodientes possidere terram ; nihil ærumnosum pati, prospere vivere, sicut dictum est : « Qui fecerit eam, vivet in ea (*Gal.* III). » Hic autem speramus, quia placentes et evangelica præcepta custodientes, non terram possidere, sed cœlum. Magis autem, quod cœlo multo melius est, speramus proximi Deo consistere, ad ipsum paternum solium pervenire et ministrare ei cum angelis. Hoc vero sacerdotium, per quod hanc gloriam possessuri sumus, non erit sine jurejurando, ut firmam Dei promissionem credamus, quia hæc omnia nobis in Filio proprio promisit, quem pro nobis omnibus tradidit, et per eum hæc omnia, de quo dictum est : « Tu es sacer- « dos in æternum secundum ordinem Melchisedech. « In tantum melioris Testamenti sponsor factus est « Jesus ; et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, « idcirco quod morte prohiberentur permanere : hic « autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum « habet sacerdotium. » Duas ponit differentias, quia non habet finem sacerdos noster, sicut legalis. Hoc autem facit ex persona Christi, « qui ingressus est, inquit, secundum virtutem vitæ insolubilis. » Et hoc jurejurando testatur, sicut supra dictum est. Sicut ille permanet, ita etiam et lex quam attulit permansura est, in qua est vera peccatorum remissio, et perpetuæ perceptio gratiæ. Si enim illa prior propter imbecillitatem sui, quæ nihil ad perfectum ducere potuerit, exclusa est : ista vero, quam pontifex magnus attulit, valet, et fortis est, et manet. Ostendit autem hoc ex pontifice : quomodo ? Quia unus est. Non enim unus esset, nisi esset immortalis. Sicut enim multi sacerdotes in lege fuerunt, quia mortales fuerunt : sic unus, quia immortalis, qui in tantum melioris Testamenti sponsor factus est, quod juratum est de eo, semper eum esse mansurum. « Unde et salvare in perpetuum potest acce- « dentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad « interpellandum pro eis. » Intueris quia de eo qui secundum carnem est ista dicit. Quando enim sicut pontifex est, tunc etiam interpellat ; quia ex ea natura qua pontifex est, interpellat pro eis. (*J. Chrys.*) Proinde et quando dicit Paulus, « qui etiam interpellat pro nobis, » hoc idem significat, hoc est, pontifex interpellat ; alioquin qui resuscitat mortuos, quos vult, et vivificat, sicut pater, quomodo ubi salvatione opus est, interpellat, qui omne judicium habet omnium ? quomodo interpellat, qui mittit angelos, ut alios quidem in caminum mittant, alios autem salvent ? inde dixit « etiam salvare potest ; propterea ergo salvat, quia non moritur, quia semper vivit, et non habet successorem. Si vero non habet successorem, potest etiam omnibus adesse. « Hic enim pontifex, » ac si mirabilis esset, usque ad tempus illud erat, in quo vitam agebat, sicut Samuel et si qui tales ; postea vero nequaquam erant, si quidem

Digitized by Google

moriebantur, hic autem non ita est, sed salvat in perpetuum. Sacramentum quoddam significat, non hic solum, inquit, sed etiam illic salvat accedentes per semetipsum ad Deum. Quomodo salvat? « Semper vivit ad interpellandum pro nobis. » Vides humilitatem, vides humanitatem? Non enim dixit eum obtinuisse, sed ut obtineat semper interpellare pro eis. Quid est in perpetuo? non ad tempus tantum, sed etiam illic in futura vita. Semper ergo opus habet deprecari; et quomodo hoc rationem habebit? et homines enim justi sæpius ex una petitione totum impetrant, ipse autem semper postulat. Quare considet? intueris, quia dissensio est ista. Nolite timere, nec dicatis etiam, Diligit quidem nos et fiduciam habet in patrem, sed non potest semper vivere; semper, inquit, vivit. (*Alb.*) Quis est qui interpellat? nisi humanæ naturæ divinitatis illius conjunctio, quam paterno solio advexit; semper vivus, ad salvandum idoneus. Alii vero pontifices, quia semper non erant, semper non interpellant. Non solum in hac vita salvat per interpellationem humanitatis suæ, sed etiam in futurum glorificat, dum tradet regnum Deo Patri, et perducet sanctos ad visionem paternæ majestatis. « Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, « impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior « cœlis factus. » Talis etiam illis decuit esse pontifex, de quibus ait: « Jam non dicam vos servos, sed amicos: quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis (*Joan.* xv). » Videlicet servi legales pontifices habuerunt mortales, peccatores, pro semetipsis offerentes: filii vero et amici Dei pontificem habent immortalem « segregatum a peccatoribus, » id est, prioribus sacerdotibus, qui esset « innocens et sanctus. (*J. Chrys.*) » Innocens, quia sine malignitate, quod dicit propheta: « Nec dolus inventus est in ore ejus (*Isa.* LIII). » Sanctus, quia in omni bonitate præcipuus; « impollutus, » quia nihil habuit peccati; « excelsior cœlis factus, » quia adorant eum omnes Angeli Dei. « Qui non habet quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdotes, prius « pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo: hoc enim fecit semel se ipsum offerendo. » Hic jam distinguit spiritalis sacrificii eminentiam, et quantum interest dixit, quod esset pontificis dixit, quod esset testamenti, non quidem totum dixit, tamen dixit. Hoc jam ante repercutit et ipsum sacrificium. Noli igitur putare pontificem eum audiens, quod semper pontificali fungatur officio: semel quippe functus est pontificatu; deinde jam considet. Num putas eum rursum stare et ministrum esse? Unde ostendit quia dispensationis res acta est. Sicut enim servus factus est, sic et pontifex et minister. Non enim ministri est sedere, sed stare. Hic enim magnitudinem sacrificii ostendit: quamvis illud unum esset, et semel oblatum, sufficit in sempiternum; et tantum prævaluit, quantum cætera omnia non prævaluerunt; et quod offerebat, non pro se offerebat, sed pro populo. Nec enim hoc pro populo quotidie offerendum erat; sed tantæ sanctitatis et honoris apud Deum fuit hoc sacrificium, ut semel oblatum in æternum profuisset populo Dei. « Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes. » (*Alb.*) Propterea pro se sicut et pro populo semper offerebant: iste autem tam potens est, ut semel oblatus suæ carnis sacrificio, nihil opus erat cuiquam credentium plus offerre pro eo. « Sermo autem jurisjurandi, qui post « legem est, Filium in æternum perfectum. » Hic etiam Filii nomen ad distinctionem servorum, qui fuerunt in lege, positum est; quia servi infirmi fuerunt: sive quia peccatores, sive quia mortales erant. Et hunc Filium perfectum esse demonstrat, quia semper vivit, et semper sine peccato est. Utrumque Apostolus ait, et mirifice consolatur audientes, et minaciter terret negligentes. Consolatur in eo, qui ait sacerdotem magnum potenti sacrificio propitiari. Terret in eo, ne peccent, quia illud sacrificium nunquam pro peccatis iterum oblatum erit. Non est aliud sacrificium, unum vero nos purgavit; post hoc judicium erit. Quotquot redempti sumus isto sacrificio, permaneamus, generositatem nostram et honorem servantes. (*J. Chrys.*) Quoniam itaque talem habemus pontificem, imitemur eum, ejus vestigia consequamur. Non est aliud sacrificium, unum nos purgavit, post istud ignis est et gehenna. Etenim propterea sursum atque deorsum revolvit dicens: unum sacerdotem, unum sacrificium, ne quis putans multa esse sine timore delinquat. Quotquot igitur digni facti sumus signaculo, quotquot sacerdotio potiti sumus, quotquot ex immortali mensa participamus, permaneamus custodientes generositatem nostram et honorem: non enim sine periculo est nobis ruina. Quotquot autem necdum digni facti sunt istis, neque ipsi propterea præsumant. Quando enim quis propterea peccat, ut sanctum baptismum in novissima sua exspiratione suscipiat, fortassis non adipiscitur. Et credite mihi, non terrens vos dico, quod dicturus sum: multos novi, qui hoc passi sunt, qui spe baptismatis multa peccabant; circa diem autem mortis discesserunt vacui: Deus enim propter hoc baptisma tribuit, ut abluat peccata, non ut addat. Si vero quis ad hoc baptismate utitur, ut ampliora delinquat, ipsum fit negligentiæ causa. Si enim non esset lavacrum, munditius viverent, non habentes peccata. Intueris, quia, quod dictum est, Faciamus mala, ut veniant bona, nos sumus, qui facimus, ut dicatur? Idcirco obsecro, ut et vos, quia necdum estis imbuti, evigiletis. Nemo, sicut mercenarius, nemo, sicut ingratus, aggrediatur virtutem, nemo sicut grave quiddam et importabile. Cum alacritate igitur hanc aggrediamur et gaudentes, ac si enim merces nobis non esset proposita, nonne oportebat bonos esse? saltem cum mercede jam efficiamur boni. Et quomodo non erubescis? In hoc major est ista reprehensio: nisi mihi dederis mercedem, inquis, non efficiar castus. Proinde audeo aliquid dicere, nunquam eris castus, neque si quando eris castus; si quidem hoc pro mercede facis, nihil æstimas virtutem, si non ipsam ames. Sed Deus propter multam nostram in-

Digitized by Google

firmitatem, interim vel propter mercedem eam fieri voluit; nos autem neque sic eam aggredimur.

CAPUT VIII.

Ostendit Christum esse meliorem sacramentorum ministrum, ministris Veteris Testamenti.

« Capitulum autem super ea quæ dicuntur : Talem « habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis « magnitudinis in cœlis, sanctorum minister et taber- « naculi veri, quod fixit Dominus [Deus], et non « homo. » (*J. Chrys.*) In uno commiscet humilia cum excelsis Apostolus Paulus semper magistrum suum sectans, ut per humilia ad altiora, et per hæc ad illa deducantur, ut venientes a sublimibus, facilis efficiatur via, magna discant : quia illa dissensionis erant. Postquam eum ostendit pontificem, quid intulit? « Capitulum autem, inquit, in his quæ dicuntur : Talem habemus pontificem, qui in dextera sedet majestatis, » et tamen hoc non pontificis est, sed ejus cui ab illo exhiberi oportet sacerdotii functionem. « Minister sanctorum, » neque minister simpliciter dictus est, sed « sanctorum minister, et tabernaculi quod constituit Deus, non homo. » Vides dissensionem. Nonne paulo ante discernit dicens : « Nonne omnes sunt ministri spiritus? » et propterea dixit, non audiunt : « Sede a dextris meis, » ut pote illo, qui sederit, non exstante ministro. Quomodo ergo hic minister dictus est, et minister sanctorum? Tabernaculum quippe hic dixit. Vide autem quomodo instruxit animas eorum qui ex Judæis crediderant. Quoniam enim fortassis imaginabantur, quia tabernaculum tale non habemus. Ecce, inquit, pontifex, et magnus, et multo major illo, et sacrificium mirabile obtulit. Sed intuere, ne forte hic sermo tantum habeat, [habeatur] ne forte amplificatio et animatio sit. Propterea primo fidem fecit ex jurejurando, deinde et ex tabernaculo, quod quidem et monstrat differentiam. Ipse autem et aliam adinvenit, « quod constituit Dominus, inquit, non homo : » Ubi sunt qui dicunt, significari cœlum? ubi sunt qui sphæroides a sphæra illud esse pronuntiant? utraque enim ista exclusa sunt in hoc loco. (*Alb.*) Quod itaque ait : « Capitulum in his quæ dicta sunt, » significat aliquid summum et magnum, quasi præcedentis disputationis recapitulatio, ad rem ipsam deducens auditorem. « Talem habemus, inquit, pontificem, qui sedet ad dexteram majestatis » humilia excelsis, humana divinis commiscens, eumdem Deum ostendens, quem et pontificem; nec alium esse qui sedet ad dexteram Dei, nisi eum qui est minister sanctorum et tabernaculi « quod fixit Deus, et non homo. » Hoc tabernaculum animæ sunt sanctorum, quibus æterna gaudia ministrat, et velamen cœli, pontifex magnus, « qui sedet ad dexteram majestatis in excelsis » Patris. Dum audis eumdem sedere a dextris Dei et ministrare sanctis, sedere dignitatis divinæ est : |ministrare vero misericordiæ multæ et amoris magni, quem nobis impendit. Mirabile sacramentum est, eumdem sedere in divinitatis gloria, quem persecutores in cruce pendentem viderunt; in qua cruce passionis illius, ministratio est salutis nostræ. Hoc enim gestum credimus, hoc nobis ad salutem proficere novimus. Sed quid carnalis mens humana æstimet in eo, quod dicitur : Sedere eum a dextris Dei? Condescendit enim sancta Scriptura nostræ infirmitati nostræque consuetudini, quatenus imbecilla instrueretur humanitas, quando usque ad illam secretam gloriam divinitatis hominum non poterat cogitatio pervenire. Igitur victori Filio, et per sanctam incarnationem totius mundi triumphatori, post resurrectionis gloriam honorabilis consessus offertur, ut per hunc situm susceptæ humanitatis gloria declaretur. Nam hoc verbo *sedere*, illud designatur, ut caput nostrum Christus ad Patris cognoscetur dexteram collocatum, id est, divina majestate sublimatum, in qua parte ponendi sunt, qui a perfidis ejusdem Salvatoris munere segregantur. « Omnis enim pontifex ad offerenda munera et hostias « constituitur : unde necesse est et hunc habere ali- « quid quod offerat. (*J. Chrys.*) » Ne forte, quia audis, quod sedeat, totum eum putes pontificem dictum; illud quidem dignitatis est divinæ, hoc est, sedere, hoc autem misericordiæ multæ et amoris, quem nobis impendit. Propterea hoc inculcat, et in hoc amplius commoratur : veretur enim, ne illud refutet, propterea jam ad hoc suum deponit sermonem. Quoniam quærebant quidam, cur mortuus sit. Pontifex, inquit, erat, pontifex autem sine hostia non est : Oportet igitur hunc habere hostiam, et aliter dicens, quia sursum est, dicit et ostendit undique, quia pontifex est ex Melchisedech, ex jurejurando, ex offerendo hostiam. (*Alb.*) Pontifices vero Veteris Testamenti statuti sunt legalia offerre munera, hostias pro suis, sicut superius dixit, vel etiam pro populi peccatis. Unde necesse est Salvatorem nostrum in diebus carnis suæ aliquid habere ad offerendum pro nobis : dum in sempiterna divinitatis suæ natura non habuit quod offerret, sumpsit ex nobis, quod pro nobis offerre potuisset, id est, carnem humanam. Quid tam aptum immolationi, quam caro mortalis pro mortalibus? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero, ex utero virginali? Et quid tam grate offerri et suscipi possit, quam caro sacrificii nostri, corpus effectum sacerdotis nostri? Et quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio : cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur; ergo nec alicui sacrificium debetur, nisi soli vero Deo. Proinde pontifex noster pro nobis semetipsum offerebat, idem sacerdos et sacrificium. (*J. Chrys.*) Deinde etiam ex hoc et necessarium constituit alium syllogismum. « Si « enim esset super terram, nec esset sacerdos, « cum essent qui offerrent secundum legem mu- « nera, qui exemplari et umbræ deserviunt cœ- « lestium. » Si igitur est pontifex, sicuti est, oportet eum locum alium quærere, super terram quippe exstans, nequaquam esset pontifex. Quomodo enim? Qui neque obtulit, neque sacerdotio functus est, et merito : erant enim alii sacerdotes. Ostendit ergo,

Digitized by Google

quod jam nec possibile est super terram esse sacerdotem. (*Alb.*) Si igitur esset terrenus pontifex, sicut Aaron, non esset utique sacerdos secundum ordinem Melchisedech in æternum. Aaron quippe mortuus est, et non est sacerdos. Christus vero, quia vivit in æternum, sacerdos est sempiternus; non talis quales illi fuerunt qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium. Omnes vero sacerdotes in lege constituti exemplare et umbratile sacerdotium gerebant cœlestium, id est, spiritalium, significantes verum et sempiternum Christi sacerdotium. Nonne altare est cœleste fides nostra, in quo offerimus quotidie orationes nostras? Nihil vero habens carnalis sacrificii, quod in cineres resolvatur, nec in fumo extenuetur, nec in vapores diffundatur. Hæc vero sacrificia clara et festiviora efficiuntur. Quomodo cœlestia non celebrant sacrificia, quibus dicitur : « Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt (*Joan.* xx)? » Horum enim sacrificiorum omnia Levitici sacerdotii sacrificia signa fuerunt : Quia lex per Moysen data est; gratia et veritas per Jesum Christum facta est.

« Sicut responsum est Moysi, cum consummaret « tabernaculum (*Exod.* xxv) : Vide, inquit, omnia « facito secundum exemplar quod tibi ostensum est « in monte. » (*J. Chrys.*) Quoniam auditus noster minus aptus est ad disciplinam percipiendam, quam visus (non enim ita animo commendamus, quæcunque audimus, quomodo illa, quæ ipso visu perceperimus), ostendit illi omnia; sive ergo dicit exemplar et umbram, sive de templo. Subjungit enim : « Vide et facito, inquit, omnia secundum exemplar quod tibi ostensum est. » (*Alb.*) Sed hic quæri potest, de quibus dixisset Omnia. Sive de tabernaculi constructione, sive de hostiis et sacrificiis, quæ in eo oblaturi essent, sed de utroque melius intelligitur. « Nunc « autem melius sortitus est ministerium, quanto et « melioris testamenti mediator est, quod melioribus « repromissionibus sanctificatum est. » Vides, inquit, quanto melior illa celebratione; siquidem illa exemplar et forma : ista vero veritas, sicut dicitur in Evangelio : « Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* i). » De qua gratia subsequenter hic significat Apostolus, dicens : « Quod in melioribus repromissionibus sanctificatum est. » Quanto meliora sunt cœlestia terrenis, æterna temporalibus, tanto melioris est mediator et sacerdos Christus Deus testamenti. Transiens de loco et sacerdote, et a sacrificio, tunc demum testamenti differentiam ponit. (*J. Chrys.*) Hic autem ad cœlum nos elevans, et ostendens quia pro tabernaculo cœlum habemus in promissionibus Dei, et vetera exemplaria erant nostrorum, et celebrationem nostram istis rebus sublimans, et merito jam sacerdotium exstat [excitat?]. Sed, sicut dixi, quod maxime eos lætificat, ponit, dicens : « Quod in melioribus promissionibus sancitum est. » Unde hoc certum est illis? Quoniam illud quidem exclusum est, istud autem pro illo introductum, propterea enim obtinet, quia melius est; sicut enim, « quia perfectio per illud est, quid ergo, inquit, opus est secundum ordinem Melchisedech alium suscitari pontificem : » sic etiam hic eodem utitur syllogismo, dicens : « Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur; vituperans enim eos dicit. » (*Alb.*) Hoc est, si inculpabiles essent observatores sui, nunquam secundi locus relinqueretur. Sed quia illud non fuit perfectum, inventus est locus aptus secundi testamenti, sicut per prophetam dicit Dominus :

« Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo « super domum Israel et super domum Juda Testa« mentum Novum (*Jer.* xxxi). Et non secundum testa« mentum quod feci patribus eorum in die qua « apprehendi manum illorum, ut educerem eos de « terra Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in « testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. » Hic autem discrete posuit, de quo dictum est, quod non permanserunt in testamento meo, dum dixit : « In die, qua apprehendi manum illorum, ut educerem eos de terra Ægypti. » De lege hoc dixit data in monte Sinai, quæ quinquagesima die data constat, in qua non permanserunt patres eorum, sed fecerunt vitulum in Oreb et adoraverunt illum. Non enim de illo quod patribus eorum proposuit, id est, Abraham, Isaac et Jacob. Et omnes filii fidei, filii Abraham dici possunt, sicut de ipso Domino in Evangelio scribitur : « Dico autem vobis quod potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ (*Luc.* iii). » Et hoc est Testamentum Novum, quod consummabit Deus, id est, perficiet super omnes gentes, ut quicunque crediderint in Christum, filii Abrahæ, secundum spiritalem generationem, vere sint. (*Joan.*) Unde certum est, quia finem accepit? Ostendit quidem et ex sacerdote? Ostendit autem nunc manifestius ipso verbo, quoniam exclusum est. Quomodo hoc? In melioribus promissionibus. Ubi sunt istæ, dic mihi? Terræ et cœlum. Tu autem contemplare quomodo et illic promissiones dixit, ne in isto ipsum accuset, etenim illic, « quoniam approximamus Deo, » spem meliorem ostendit, quia et illic spes; et hic promissiones meliores significans, quia et illic repromisit. Quoniam autem culpabant semper : « Ecce enim dies veniunt, inquit, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel et super domum Juda Testamentum Novum, non antiquum. » Quod testamentum dicit? Ne hoc forte possent dicere, et tempus definivit. Non enim dicit simpliciter secundum testamentum, quod testatus sum ad patres eorum, ne illud quod Abraham factum est, ipsum esse dicerent, aut ad Noe; sed quale dicit? « Non secundum testamentum, quod constitui patribus eorum, cum exirent de terra Ægypti. » Propterea etiam intulit : « In die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, et ipsi non manserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. » Intuere a nobis primum incipere mala : ipsi, inquit, primum non manserunt.

Digitized by Google

Et nobis est negligentia, bona vero a Deo, quæ ad beneficia pertinent dico. Hic veluti excusationem constituit, causam ostendens propter quam dereliquit eos. « Quia hoc est testamentum, quod disponam « domui Israel post dies illos, dicit Dominus : Dando « leges meas in mentes eorum, et in cordibus « eorum superscribam eas, et ero eis in Deum, et « ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit unus- « quisque proximum suum, et unusquisque fratrem « suum, dicens : Cognosce Dominum, quoniam omnes « scient me a minore usque ad majorem eorum : Quia « propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum « eorum non memorabor amplius. » (*Alb.*) Et hic magna distantia est inter legem et legem, inter Scripturam et Scripturam, inter litteram et gratiam. Nam littera legis scripta est in tabulis lapideis, quas Moyses ipse fregit, dum vidit populum ante vitulum ludentem : gratia vero data est in corda credentium per Spiritum sanctum, per quem charitas diffusa est in cordibus credentium. Quod vero in littera latebat, et legebatur a populo per magistrorum traditiones, hoc Spiritus sanctus adveniens docebat Apostolos. Et hoc est quod ait Propheta : « Et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum, omnes enim scient me a minore usque ad majorem eorum ; » sicut in Evangelio de Domino legitur : « Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). » [*J. Chrys.*] « A minore, inquit, usque ad majorem eorum scient me, » et non dicent, « cognosce Dominum. » Quando istud contigit, nisi modo? Manifestum quippe est, quod circa nos actum est : quod autem circa illos, non est manifestum, sed reclusum erat in Evangelio novo. Novum tunc dicitur, quando aliud ostendit, vel quando a vetere amplius habet : Ecce, inquit, et istud novum existit, cum quædam ejus remota sunt, quædam autem manent, ut puta, si quis domum vetustam et casuram totam immutans, et fundamenta nova constituens, confestim dicimus : fecit eam novam, cum tantum aliqua quidem ejus auferat, aliqua vero immutet. Etenim cœlum novum dicitur sic, quando nequaquam æreum erit, sed cum pluviam dederit,.... cum infructuosum non est, non quando mutabitur,.... non quando aliqua quidem ejus exclusa fuerint, aliqua permanserint. Proinde testamentum, inquit, novum bene quis dicit. Si [Sic] enim ostendo, quoniam vetustius factum est testamentum illud, secundum quod nemo in illo fructificat; et ut agnoscas integre, lege quid dixit Aggæus, quid Zacharias, quid angelus, quid etiam Esdras increpat. Quomodo corripuerunt eum, quomodo nemo interrogat Dominum, ubi etiam ipsi transgressi sunt, et neque ipsi sciebant. Intueris quomodo violentiam patitur tuum? ego autem meum ostendam, quoniam novum proprie ipsum dicitur. Sed neque illud concedo de hoc dictum esse, « quoniam erit cœlum novum. » Quare non magis, quod dicitur in Deuteronomio, « quia erit cœlum æreum, » hoc posuit ad differentiam significandam : Si autem audieritis, erit novum? et quidem propterea, inquit, aliud testamentum datum repromittit, quoniam in primo non manserunt. Hoc ergo demonstro per ea quæ dixit : « Quia quod impossibile erat legis, in quo infirmabatur per carnem (*Rom.* VIII); » Et iterum : « Quid tentatis imponere jugum super collum discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos valuimus portare? (*Act.* XV.) — « Sed illi quidem non manserunt, » inquit. Hic autem ostenditur, quia majorum transgressio nos dignos facit spiritalium rerum : « In omnem, inquit, terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII) ; » hoc est, « non dicet unusquisque ad proximum suum : Cognosce Dominum (*Habac.* II); » Et iterum : « Multiplicabitur terra, ut cognoscat Dominum, sicut aqua multa cooperuit mare. »

« Dicendo autem novum veteravit prius; quod « autem antiquatur et senescit prope interitum est. » (*J. Chrys.*) Vide quomodo, quod absconsum erat revelavit, et ipsam mentem prophetæ aperuit. Honoravit legem, et noluit eam dicere vetustam nominatim : verumtamen hoc dixit : si enim illud novum esset, nequaquam etiam istud testamentum postea novum vocaret. Proinde amplius quidem dans, et alterum, « antiquatum est, » inquit. Ergo solvetur et periet, et jam non erit. Sumens autem a Propheta fiduciam, paulo amplius in illud testamentum invehitur, commode ostendens, quoniam nostra nunc florent, illa vetusta sunt, et prope interitum : sed renovabitur sicut aquila juventus nostra, si ad fontem vitæ currimus, si alas et oculos ad solem justitiæ extendimus. Deinde sumens nomen vetustatis, et aliud de suo adjiciens, hoc est, senectutem : quod reliquum erat ex aliis assumens, « proximum est, inquit, interitui. Et non simpliciter, quiescere factum est a novo vetus testamentum, sed veluti quod senuisset, velut inutile. Propterea dicebat, « propter infirmitatem, propter inutilitatem, et nihil perficit lex, » et quia, « si primum inculpabile esset, nequaquam secundi locus quæreretur ; » non veluti obnoxium criminibus, sed veluti effectum non habens, more idiotarum locutus est, veluti si quis dicat : non est inculpabilis hæc domus, hoc est, habet vitium, debilis est : non est inculpabile hoc vestimentum, hoc est, jam putre est. Non veluti malignum igitur hic accusavit, sed veluti habens querelam et vitium.

CAPUT IX.

Tangit Apostolus ea quæ fuerunt in ministerio Veteris Testamenti, et ex his arguit dignitatem Christi ac novæ legis.

« Habuit quidem et prius justificationes culturæ et « sanctum sæculare. Tabernaculum enim factum est « primum, in quo inerant candelabra, et mensa, et « propositio panum, quæ dicuntur sancta. Post « velamentum autem secundum tabernaculum, quod « dicebatur Sancta sanctorum, habens aureum thu- « ribulum, et arcam testamenti circumtectam ex « omni parte auro, in qua erat urna aurea habens

Digitized by Google

« manna, et virga Aaron, quæ fronduerat, et tabulæ « testamenti, super que eam Cherubin gloriæ obum- « brantia propitiatorium, de quibus non est modo « dicendum per singula. His vero ita compositis, « in priori quidem tabernaculo semper introibant « sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes : in « secundo autem, semel in anno solus pontifex, non « sine sanguine, quem offerret et pro sua et populi « ignorantia. » (*J. Chrys.*) Ostendit ex sacerdotio et ex testamento, quia finem habiturum erat illud : ostendit jam et ex ipso tabernaculi schemate, quomodo hæc, inquit, sancta et sancta sanctorum. Et sancta quidem prioris sunt indicia temporis, ibi quippe per hostias omnia fiebant, in sanctis autem sanctorum hujus temporis signum est, nunc præsentis. Dicit autem sancta sanctorum esse cœlum, et velamentum cœlum, et carnem intrantem in interiora velaminis, hoc est, velamen carnis ejus. Bonum vero est ex paulo superioribus hunc locum repetentes dicere. Quid ergo, inquit? « habuit primum quidem testamentum, scilicet justificationis culturam. Quid est justificationes ? Signa et sanctificationes, quæ tunc erant. Tanquam quod nunc, inquit, non habeat, ostendit illud cessasse. Tunc enim non habuit, inquit ; proinde nunc, ac si adhuc instantia, non est. « Tunc sanctum sæculare, » sæculare dicit, quoniam omnibus licebat intrare, et manifestus erat ille locus in illo tabernaculo, ubi sacerdotes stabant, ubi Judæi, ubi proselyti, et Gentiles et Nazaræi. Quoniam ergo et gentibus accessibile erat, sæculare illud appellat, non enim Judæis totus mundus erat. « Tabernaculum enim, inquit, constructum est, primo, quod dicebatur sancta, in quo erat candelabrum et mensa et propositio panum ; » hæc signa erant mundi. « Post secundum velamen erat tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum. » Attende, quomodo ubique tabernaculum vocat, ex eo quod ibidem habebitur. « Aureum, inquit, habens thuribulum, et arcam testamenti circumseptam ex omni parte auro, in qua urna erat aurea habens manna, et virga Aaron, quæ floruerat, et tabulæ testamenti. » Omnia venerabilia erant, et clara ingratitudinis Judaicæ monumenta. « Et tabulæ, inquit, testamenti : » fregerat quippe eas. « Et manna ; » murmuraverunt enim, et ut deduceretur ad posteros memoria, imperavit illud in urna aurea reservari. « Et virga Aaron, inquit, quæ floruerat, superque eam Cherubin gloriæ. » Quid est Cherubin gloriæ? sive gloriosa, sive quæ sub Deo sunt constituta. « Obumbrantia, inquit, propitiatorium, » sed et elevat hæc sua oratione, ut ostenderet, quia majora sunt, quæ post ista sunt. « De quibus, inquit, non est nunc per singula dicendum. » Hic significavit, quoniam non hæc sola erant, quæ videbantur, sed ænigmata quædam erant. « De quibus, inquit, nunc non est dicendum per singula ; » fortassis, quia multo sermone opus haberent. « His igitur ita constructis, inquit, in primum quidem tabernaculum semper intrabant sacerdotes culturæ officia consummantes. » Hoc est, erant quidem ista, sed non eis fruebantur Judæi, A non enim videbant ea. Proinde non illis magis erant constituta, quam illis quibus prophetabantur. « In secundo autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem offerret pro se et pro populi ignorantia. » Intueris jam formas ante præmissas? Ne enim dicerent, Quomodo unum est sacrificium ? ostendit illud jam inde ab initio, siquidem quod sanctius erat, unum erat et terribile. Et quomodo pontifex semel hoc offerebat, si [offerebat? Sic] consuetudinem ab initio acceperant; etenim tunc pontifex, inquit, semel offerebat. Et bene dixit « non sine sanguine, » non quidem sine sanguine, sed isto sanguine. Non enim tantum erat negotium. Ostendit quia erit sacrificium, quod igne non consumitur, sed ex sanguine quidem demonstrandum sit. Quoniam sacrifi- B cium vocavit crucem, neque ignem habentem, neque ligna, neque oblationem, sed semel in sanguine oblatum, ostendit, quia et vetus sacrificium tale erat, quod semel offerebatur in sanguine. « Quem offerret pro se, inquit, et populi ignorantia. » Non dixit peccatis, sed « ignorantia, » ne magnum sapiant. Si enim non volens peccabas, sed nolens ignorabas, et ob hoc nullus est mundus. Et ubique quod suum est, ostendit, quoniam Christus multo major est pontifex. (*Alb.*) Legimus enim in Josepho tabernaculum ad instar esse hujus mundi factum : exteriora vero hujus sæculi figuram habebant. Idcirco quot die ministrant sancti sacerdotes, accendentes lumen doctrinæ et pascentes populum Dei. « Panum, » qui super mensam a sabbato usque ad sabbatum præsto dederent esse ; id C est, a sabbato spei nostræ, in qua quasi in Christo, et ab hujus mundi turbinibus securi, usque in illud sabbatum, quod retineamus quæ nunc in spe habemus. Candelabra vero dona sancti Spiritus sunt, quæ in Ecclesia lucent intelligentibus per eum, super quem requiescet spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et spiritus timoris Domini (*Isa.* xi). Interius vero tabernaculum, quod dicitur « sancta sanctorum, » ipsum cœlum significat. Velamen autem cœlum est, intra quod sacerdos noster Christus non sine sanguine intravit. « Thuribulum habens aureum, » in quo offeruntur orationes sanctorum. In quo « Cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium, » hoc est, multitudo scientiæ. Apte propitiatorium super D arcam positum esse dicitur, quia ipsi mediatori Dei et hominum specialiter a Deo patre donatum est, « ut esset propitiatio pro peccatis nostris. » Unde etiam Paulus dicit : « Jesus Christus, qui mortuus est imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis (*Rom.* VIII). » « Et arca testamenti. » Hæc est caro Salvatoris nostri, in qua manna divinitatis et tabulæ duorum testamentorum, et virga Aaron, quæ floruit in sacerdotio Christi, « de quibus non est modo per singula dicere. » « His vero ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes. » Quod vero supra dixit sanctum sæculare esse, hoc modo lucidius ostendit, id est, in

Digitized by Google

quo tabernaculo sacrificia fuerunt sæcularia, nihil ad perfectum deducentia servientem in eis. « In secundo autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine quem offert pro sua et populi ignorantia. » Iste vero pontifex ex parte significat eum qui semel ingressus est cœlum intra velum in sancta sanctorum, ut assistat vultui Dei pro nobis. Quod vero ait : « Ut offerat pro sua et populi ignorantia, » hoc est, quod ipse in cruce ait : « Deus, Deus meus, quare me dereliquisti ? longe a salute mea verba delictorum meorum » (*Psal.* XXI). Quæ sunt verba delictorum, nisi corporis sui ?

« Hoc significante Spiritu sancto, nondum propala- « tam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Quæ parabola est temporis « instantis, juxta quam munera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum « facere servientem. » Propterea, inquit, ista ita constructa sunt, ut discamus, quia sancta sanctorum, hoc est, cœlum adhuc inaccessibile mortalibus solet esse. Nec putemus et illud ingredi non posse, ubi pontifex noster prior intravit non sine sanguine, sicut Propheta prædixit : « Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? » (*Isa.* LXIII.) Sed patienter exspectamus tempus resurrectionis nostræ, in quo, « Scimus quoniam cum apparuerit, similes illi erimus (*Coloss.* III), » hoc est, immortales ; sicut illi mors ultra non dominabitur, nec nostra caro dominata erit. « Comparatio est, inquit, temporis instantis. » (*Joan.*) Instans tempus quale dicit ? ante præsentiam Christi : post adventum enim Christi non jam est instans, quomodo ? nam urgens est et finem habens. Aliud item signlficans, hoc dixit : « quæ comparatio instantis est temporis, » hoc est, forma facta est. « Secundum quam munera et hostiæ offeruntur, non valentes secundum conscientiam perfectum facere cultorem. » Attende, quid hoc est, « nihil perficit lex » et « si inculpabilis esset illa prima. » Quomodo ? « Secundum conscientiam. » Hostiæ, inquit, non sordes animæ dimittebant, sed tantum circa corpus erant, « secundum legem mandati carnalis : » non enim adulterium, non homicidium, neque sacrilegium dimittere poterant. Intueris, quid ait, Hoc comede, illud non comedas ? quæ erant indifferentia. « Solummodo in cibis et « potibus et variis baptismis et justitiis carnis usque « ad tempus correctionis impositis. » Solummodo, inquit, in cibis et in potibus et variis baptismis. Hoc pota, inquit, hoc noli. Et tamen de potu nihil erat dispositum, sed in contemptum mittens hæc dicit, « et variis, inquit, baptismis et justificationibus carnis usque ad tempus correctionis impositis. » Hæc enim erat justitia carnis, in hoc dejecit illa sacramenta, ostendens quia nullam habebant virtutem, et quia usque ad tempus correctionis erant, hoc est, tempus sustinebant, corrigens omnia. (*Alb.*) Hæ vero justitiæ carnales, in cibis et in potibus, et variis baptismatibus, usque ad tempus correctionis impositæ sunt. Attende quid hoc est, « nihil enim ad perfectum deduxit lex ; » sed secundum carnalis mandati sordes et ignorantias potuit emundare. De adulterio vero, et de capitalibus criminibus nihil potuit purgare, sed damnare patrata absque misericordia. Ideo adulteram Pharisæi proposuerunt ante Jesum (*Joan.* VIII), ut potuissent eum accusare, si contra legem absolvere juberet ; aut laudabilem consuetudinem amitteret, si legis jussionem custodire præciperet. Sed utrumque cavebat sapientia Dei, quasi dixisset : Justa est quidem lex, si justos haberet ministros. Qui festucam de oculo alterius tollere videat, justum est, ut prius trabem de proprio tollat oculo. De baptismate Judæorum plenius in Evangelio, κατὰ Marcum legitur (*Marc.* VII), ubi Pharisæi vituperabant Dominum et discipulos non lotis manibus manducare. Frustra autem Pharisæi, frustra autem omnes Judæi lavant manus, et a foro dum veniunt, baptizantur, quandiu contemnunt fonte Salvatoris ablui. Sed Pharisæi spiritalia prophetarum verba carnaliter accipientes, quæ illi de cordis et operis castigatione præcipiebant, dicentes : « Lavamini, mundi estote (*Isa.* I) ; » et : « Mundamini, qui fertis vasa Domini (*Isa.* LII) ; » isti de corpore solummodo lavando spectantes, graviter errant. Cum certum sit Moysen et prophetas, qui vasa populi Dei vel aquis dilui, vel igne purgari, vel oleo sanctificari, quacunque ex causa, jusserunt, non in hac materialium rerum emundatione, sed mentium potius et operum castigatione ac sanctimonia, atque animarum nobis mandare salutem. « Christus autem assistens pontifex futurorum bono- « rum per amplius et perfectius tabernaculum, « non manufactum, id est, non hujus creatio- « nis. » (*J. Chrys.*) Tabernaculum non manufactum carnem dicit, in hoc loco bene et majorem et perfectiorem dixit, siquidem et Deus Verbum et cuncta spiritus operatio habitet in ea. « Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum : » perfectiorem autem dixit, ut pote inculpabilem et majora perficientem. » Hoc est, « non istam creaturam. » Ecce quantum majorem, non enim sine spiritu eam construxit, neque ex hac creatura est, hoc est, non est ex his creaturis, sed spiritalis ex Spiritu sancto. Intueris quomodo et tabernaculum et velamen et cœlum illud corpus vocat ? « Per majus et perfectius tabernaculum, per velamen, hoc est carnem ejus, » et iterum « in interiora velaminis, » et iterum « intrantem in sancta sanctorum » adstare vultui Dei. Quare ergo hoc facit ? secundum aliam et aliam significationem, ut puta veluti quod dico velamen cœlum est. Sicut enim muro quodam discernit sancta velamen, sic et caro abscondens divinitatem, Similiter et tabernaculum habens in se divinitatem. Tabernaculum autem cœlum, illic enim est intus pontifex. (*Alb.*) Unde nos futura bona speramus nobis dari, id est, æterna, quæ non transeunt. « Neque hujus creationis, » hoc est non hujus tabernaculi species, quod in eremo fixit homo, sed hoc longe aliter ab ipso Deo creatum est, spiritaliter, non carnaliter. In quo tabernaculo modo sunt animæ justorum et an-

Digitized by Google

gelici spiritus, exspectantes donec compleatur numerus conservorum suorum. « Christus enim, inquit, veniens. » (*Joan.*) Non dixit factus, sed « veniens, » hoc est, ad hoc ipsum veniens, non alii succedens; non primo advenit et tunc factus est, sed simul venit : et non dixit, adveniens pontifex hostiarum, sed « bonorum quæ facta sunt, » veluti non valente sermone universum exprimere. « Neque per sanguinem hircorum et vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta æterna redemptione inventa. » Omnia quippe permutata sunt. (*Alb.*) Ibi sanguis hircorum diluit peccata carnis, hic sanguis Christi abluit peccata spiritus. Qui æterna redemptione inventa, ostendit in prioribus sacrificiis et legalibus cæremoniis non esse æternam redemptionem. « Per proprium, inquit, sanguinem introivit semel in sancta. » Et hic cœlum vocavit. (*J. Chrys.*) « Semel, inquit, introivit in sancta æternam redemptionem inveniens. » Et quod dixit, « inveniens » ostendit eorum esse quæ ante non inveniebantur, et præterquam quod sperabatur, iste per unum ingressum æternam redemptionem invenit. Deinde probationem adjungit.

« Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis « vitulæ aspergens inquinatos sanctificat ad emun- « dationem carnis : quanto magis sanguis Christi, « qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit im- « maculatum Deo. » Si enim carnem, inquit, potuit mundare sanguis taurorum, multo amplius animæ sordem diluet sanguis Christi. Ne enim audiens, « sanctificat, » perfectam esse ablutionem æstimet quis, mox subjungit causam differentiæ, dicens : « Qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo; » hoc est, sacrificium immaculatum. Erat quippe mundum a peccatis hoc sacrificium, hoc est enim, « per Spiritum sanctum æternum, » non per ignem, non per alia quædam. « Et mundabit con- « scientiam nostram ab operibus mortuis ad servien- « dum Deo viventi. » (*Hier.*) Bene dixit ab operibus mortuis. Si quis enim tangebat mortuum, polluebatur : et hic si quis tetigerit opus mortuum, contaminatur per conscientiam. Opera enim mortua sunt peccata. (*Alb.*) Qui enim tetigerit picem, inquinabitur ab ea : sic qui per pœnitentiam ablutus est ab operibus mortuis, si eadem iterum agit, pejus contaminabitur. Sicut apostolus Petrus : « Canis reversus ad vomitum suum (*II Pet.* II), ita qui iterat stultitiam suam. » (*J. Chrys.*) « Ad serviendum, inquit, Deo viventi. » Hic manifestat quia opera mortua habentes non possunt servire vero et vivo Deo : quia illa mortua sunt et falsa, et merito. Nullus igitur opera mortua habens ingreditur huc. Si enim eum qui corpus mortuum tangebat, non oportebat intrare in templum, quanto magis eum qui opera mortua habet, non potest intrare in cœlum? pollutio quippe est pessima, mortua quippe opera sunt omnia, quæ vitam non habent. Sicut enim mortuum corpus ad nullum sensum utile est, verum etiam contristat appropinquantes, sic et peccatum confestim rationabile nostrum percutit et non permittit neque intelligentiam ipsam quiescere, sed perturbat et commovet : dicitur autem, quia et morbus, cum generatur, corrumpit corpora. Tale quiddam est et peccatum, a morbo nihil differt, non quia aerem corrumpit primum, deinde corpora, sed continuo in animam insilit. Non vides eos qui morbo afficiuntur, quomodo tumore quodam occupantur, quomodo convertunt se atque revertunt, quomodo fetoribus sunt repleti, quomodo turpes sunt eorum facies, quomodo per totum immundi sunt? Tales quippe sunt etiam peccantes, ac si non videant. « Et « ideo Novi Testamenti mediator est, ut morte inter- « cedente, in redemptionem earum prævaricationum, « quæ erant sub priore testamento, repromissiones « accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Ubi « enim testamentum est, mors necesse est intercedat « testatoris. Testamentum enim in mortuis confir- « matum est, alioquin nondum valet, dum vivit qui « testatus est. » Fortassis enim possent multi, qui infirmius afficiebantur ex eo quod mortuus est Christus, maxime non credere promissionibus ejus. Paulus igitur ex abundantia hoc ponit et exempla ex communi assumens consuetudine. Quale autem hoc est? Propterea igitur oportet, inquit, confidere. Quare? Quia non viventibus testatoribus, sed mortuis, tunc firma sunt testamenta, et fortitudinem accipiunt; propterea, inquit, « Novi Testamenti mediator est : » Testamentum enim circa novissimum diem fit defunctionis. Tale autem est testamentum, alios quidem hæredes habet, alios autem exhæredat. Sic etiam hic : « Volo ubi ego sum, inquit Christus, et isti sint (*Joan.* XVII). » Et iterum de exhæredatis audi illum dicentem : « Non de omnibus rogo, sed pro credentibus per verbum eorum in me. » Iterum testes debet habere testamentum. Adverte illum iterum dicentem : Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me, qui me misit; » et iterum : « Ille testimonium perhibet de me, » de Paraclito dicens, et duodecim apostolos misit dicens : « Testificamini in conspectu Dei (*Act.* I); » et : « Propterea, inquit, Testamenti Novi mediator est. Quid est mediator? » mediator enim non est dominus rei cujus est mediator, sed et alia quidem res, alter autem est mediator, ut puta mediator nuptiarum fit, non qui nuptias facit, sed adjuvans eum, qui facturus est, sic etiam hic mediator filius factus est patris et noster. Nolebat nobis dimittere pater hæreditatem istam, sed irascebatur nobis, et indignabatur tam abalienatis. Mediator igitur factus est noster et patris, et persuasit illi, et quid igitur? quomodo mediator factus est? sermones detulit, attulit nobis a patre per transvectores, addit etiam mortem. In offensione quippe eramus, mori nos oportebat. (*Alb.*) Misit filium suum factum ex muliere, qui mori potuisset pro debitoribus mortis, qui mortuus est pro nobis, debita morte. Efficit nos dignos testamenti et hæreditatis promissæ. Hoc modo firmum factum est testamentum. In tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non potuisset aliquando, nisi unigenitus Filius Dei pro nobis moreretur. Quod vero

Digitized by Google

ait, infirmum esse testamentum, vivente testatore, hoc significat quod quandiu vivit testator, potest immutare sententiam, et alios atque alios hæredes adducere in hæreditatem suam. « Unde nec primum « quidem sine sanguine dedicatum est. » (*J. Chrys.*) Unde, dixit, « nec primum testamentum sine sanguine dedicatum est, id est, firmum factum est, roboratum est : quod autem dixit, « unde, » tale est, quale si diceret, propterea oportebat testamenti solemnitatem compleri etiam per mortem Christi.

« Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo « populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum « cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quo- « que librum et omnem populum aspersit dicens. « Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos « Deus. Etiam tabernaculum et omnia vasa ministe- « rii sanguine similiter aspersit : et omnia pene in « sanguine mundantur secundum legem ; et sine san- « guinis effusione non fit remissio. » (*Alb.*) Quid est, quod liber, et populus, et tabernaculum sanguine aspersus est, nisi pretiosus sanguis Christi Salvatoris nostri ab initio, illo schemate, prænuntiatus est? Quare hyssopo? Hyssopus enim herba humilis est et in petris nascens : humilitas Christi significatur per hanc herbam, et fortitudo qua interiora nostra purgantur. Nam hoc genere herbæ pulmonum vitia purgari solent. Quare aqua? Ostendit mundationem futuram per aquam baptismi. Quare lana coccinea? Ut retineret sanguinem. Ostendit hoc loco idem esse et aquam et sanguinem : baptisma etiam nostrum passio ejus est. Ideo idem Paulus dicit alio loco (*Rom.* VI ; *Coloss.* II) : « Consepulti enim estis cum illo in baptismo. » Quod vero ait : « Sine sanguinis effusione non fuerit remissio. » Quare hoc dixit? Quia in illis non fuit plena remissio, sed semiplena in minima parte. Nunc autem « hic est, inquit, sanguis Novi Testamenti, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum. » Quis est liber qui aspersus est sanguine mystico ; et quæ sunt vasa unctionis, et quod tabernaculum, nisi populus? Ipsi enim sunt liber, vasa et tabernaculum. Ideo dicit Dominus : « Inhabitabo in illis, et inambulabo. Sed illius fuit tota Veteris Testamenti corporis mundatio. Nunc vero spiritalis est in animo, sanguis Christi. Ideo dicit : « Hic est sanguis Novi Testamenti in remissionem peccatorum. » In illis quidem in superficie aspergebatur, et iterum diluebatur aspersus. Neque enim cruentatus semper deambulabat populus. In anima vero non ita est, sed ipsi essentiæ commiscetur sanguis, fontem illam faciens et mundam, et ad illam inenarrabilem pulchritudinem perducens. Propter hoc agni occisio fuit, et sanguis ejus superliminaribus liberandorum illitus. Propter hoc etiam omnia sacrificia Veteris Testamenti leguntur, ut hoc unum sacrificium designaret, per quod vera est remissio peccatorum, et mundatio animæ in æternum. « Necesse est ergo exemplaria quidem cœle- « stium his mundari : ipsa autem cœlestia melioribus hostiis, quam istis. » (*Alb.*) Quomodo exemplaria sunt eorum quæ in cœlis sunt? Cœlestia quidem nominavit hanc conversationem nostram, cujus conversationis exemplar fuit et significatio quæcunque gerebatur in Veteri Testamento. Unde et Apostolus, ait : « Conversatio nostra in cœlis est (*Philip.* III). » In cœlis ergo sunt ista, quæ nostra sunt, et hæc nostra cœlestia, quamvis in terris celebrentur. Quæ est ista conversatio nostra? hæc est vera philosophia, quam Christus docuit, quam apostoli secuti sunt, quæ ducit ad cœlestia. Unde et Apostolus : « Primus homo de terra terrenus, secundus de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni : et qualis cœlestis, tales et cœlestes. » — (*I Cor.* XII) « Melioribus, inquit, sacrificiis quam hæc sunt. » Quod melius est, bono aliquo melius est, bona ergo fuerunt exempla, quæ in cœlis sunt ; sed ipsa cœlestia longe excellunt exempla sanctorum, quibus significantur. Si ergo cœlestes sumus nos, et tantum sacrificium adepti sumus, timeamus permanere in terra. (*J. Chrys.*) Esse autem in terra et non esse quodammodo videmur, dum voluntate in cœlo sumus, licet corpore in terris. Si ergo nos animo appropinquemus Deo, in cœlo sumus. Quid enim mihi est cura cœlum, cum video Dominum cœli, cum ego efficior cœlum? « Veniemus, inquit, Ego et Pater, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV). » Cœlum quidem per se serenum est et mundum ; non in hieme, non in nocte mutatur. Proinde et nos neque in tribulationibus sæculi, neque in adversitatibus diaboli hoc pati timeamus, sed maneamus immaculati et mundi. Habet quidem cœlum solem, habeamus et nos Christum solem justitiæ, semper lucentem in cordibus nostris. (*Greg.*) Ipse namque diabolus in illa nos parentis primi radice supplantans, sub captivitate sua quasi juste tenuit hominem, qui libero arbitrio conditus ei injusta suadenti consensit. Ad vitam namque conditus in libertate propriæ voluntatis, sponte sua factus est debitor mortis. Delenda ergo erat talis culpa, sed nisi per sacrificium deleri non poterat ; quærendum erat sacrificium, sed quale sacrificium poterat pro absolvendis hominibus inveniri? Neque enim justum fuit, ut pro rationali homine brutorum animalium victimæ cæderentur. Unde ait Apostolus : « Necesse est ergo exemplaria cœlestium his mundari : ipsa autem cœlestia melioribus hostiis, quam istis. » Ergo si bruta animalia pro rationali animali, id est, pro homine dignæ victimæ non fuerunt, requirendus erat homo, qui pro hominibus offerri debuisset. ut pro rationali peccante, rationalis hostia mactaretur. Sed quid, quod homo sine peccato inveniri non poterat? et oblata pro nobis hostia, quando nos a peccato mundare potuisset, si ipsa peccati contagione non careret? Inquinata quippe inquinatos mundare non posset. Ergo, ut rationalis esset hostia, homo fuerat offerendus, ut vero a peccatis mundaret hominem, homo et sine peccato. Sed quis esset homo sine peccato, si ex peccati commixtione descenderet? Proinde venit propter nos in uterum Virginis Filius Dei, ibi pro nobis factus est homo, assumpta est ab illo natura, non culpa, fecit pro nobis sacrificium, corpus suum

Digitized by Google

exhibuit pro peccatoribus victimam sine peccato, quæ et humanitate mori, et justitia mundare potuisset. Hunc ergo, cum post baptisma vidit antiquus hostis, mox tentationibus impetit, et per diversos aditus ad interiora ejus molitus irrumpere, victus est, atque in ipsa inexpugnabili mentis ejus integritate prostratus. Sed quia ad interiora non valuit, ad ejus se exteriora convertit, ut quia mentis virtute victus est, eum, quem decipere tentatione non valuit, carnis saltem videretur morte superare, atque, ut ante nos dictum est, permissus est in illud, quod ex nobis mortalibus mediator acceperat. Sed ubi potuit aliquid facere, ibi ex omni parte devictus est: et unde accepit exterius potestatem dominicæ carnis occidendæ, inde interior potestas ejus, qua nos tenebat, occisa est. Ipse namque interius victus est, dum quasi vicit exterius; et qui nos jure debitores mortis tenuit, jure in nobis jus mortis amisit, quia per satellites suos ejus carnem perimendam appetiit, in quo nihil ex culpæ debito invenit. Dominus ergo noster pro nobis mortem solvit indebitam, ut nobis mors debita non noceret. « Non enim in manufactis « sanctis Jesus intravit exemplaria virorum, sed in « ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro no- « bis. » (*Joan.*) Alta sapiebant Judæi de templo et tabernaculo, propter quod dicebant: « Templum Domini, templum Domini, templum Domini (*Jer.* VII). » Neque enim alibi in terra constructum erat tale templum, non opulentiæ gratia, non alia quacunque re. Deus enim qui imperaverat, voluerat illud cum honestamento multo fieri, quia et illi corporalibus magis attrahebantur et alliciebantur. Lateres quippe habebat aureos in parietibus, et licet unicuique volenti in secundo libro Regnorum et in Ezechiele hoc cognoscere, et quanta auri talenta expensa sunt in illo tempore. Secundum vero ædificium clarius factum est, et in pulchritudine, et in aliis omnibus. Et non ex hoc solum erat venerabile, sed etiam, quod unum erat. Omnes quippe a finibus terræ illuc veniebant, sive ex Babylonia, sive ab Æthiopia: Et hoc manifestans Lucas in Actibus dicebat. « Erant illic habitantes Parthi, et Medi, et Elamitæ, et qui habitabant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Ægyptum et partes Libyæ juxta Cyrenen (*Act.* II). » Omnes ergo undique mundi illuc conveniebant, et multum erat nomen illius templi. Quid ergo Paulus facit? Sicut enim illic mortem apposuit Christi, sic etiam hic cœlum totum opponit templo. Et non hanc solam differentiam ostendit, sed etiam pontificem proximum facto: « Ut appareat, inquit, vultui Dei. » Proinde non ex cœlo tantum, sed etiam ex ingressu rem venerabiliorem facit. Non enim simpliciter, sicut hic per signa quædam, sed ipsum Dominum vidit illic. Intueris quia descensionis gratia ubique humilia dicta sunt? quid jam miraris si interpellat, cum eum constituat veluti sacerdotem? « Neque ut frequenter offerat semetipsum sicut pontifex, neque in manufacta sancta ingressus est, inquit, Christus exemplaria verorum. » Igitur illa sunt vera, hæc autem exemplaria. Etenim templum ita constructum est, sicut cœlum cœli. Quid dicis? Nisi intraverit in cœlum, non apparebit Deo, qui ubique est, et omnia implet? Intueris, quia carnis sunt hæc omnia? « Ut appareat, inquit, vultui Dei pro nobis. » Quid est « pro nobis? » Cum sacrificio ascendit, inquit, potens propitiare Patrem. Quid enim, dic mihi? ipse est inimicus? Angeli inimici erant, ipse non erat inimicus. Quia enim angeli inimici erant, audi quid dicit: « Pacificavit quæ in terris et quæ in cœlis sunt. » Proinde et ipse introiit in cœlum, nunc ut appareat vultui Dei pro nobis: nunc ut appareat, nunc manifestetur, sed pro nobis. « Neque « ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum ponti- « fex intrat in sancta per singulos annos in sanguine « alieno. » (*Alb.*) Superius dixit exempla verorum exemplaria omnia nominans, hæc etiam vera quæ intrat pontifex; hoc vero unum templum fuit in toto mundo venerabilius, ad quod undique confluebant, sicut in Actibus apostolorum legitur, die sancto Pentecostes, quando Spiritus sanctus datus est apostolis, in omnibus linguis loquentibus, constitisse ex diversis partibus mundi, et cœleste audisse miraculum et vidisse. Sed huic templo totum opposuit cœlum Paulus, et non hanc solam differentiam ostendit, sed etiam pontificem magnum, ut assistat vultui Dei. Proinde non ex cœlo tantum, sed etiam ex ingressu rem venerabiliorem facit. Non enim simpliciter, sicut hic per signa quædam, sed ipsi Deo assistit, semper vivus ad interpellandum pro nobis. (*Joan.*) Intuere quantæ differentiæ: sæpe et semel, in sanguine alieno et in sanguine proprio. Multum itaque interest. Ipse ergo et sacrificium et sacerdos et hostia. « Alioquin « oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: « nunc autem in consummatione sæculorum ad « destructionem peccati per hostiam suam apparuit; « et quemadmodum statutum est homini semel mori, « post hoc autem judicium, sic et Christus semel « oblatus est ad multorum exhaurienda peccata, « secundo apparebit sine peccato exspectantibus se « ad salutem. » (*Joan*). Postquam multa erant peccata, merito tunc apparuit. Quod etiam alibi dicit: « Ubi « abundavit peccatum, superabundavit gratia (*Rom.* « v). » Si semel oblatus non sufficeret omnium in se credentium peccata exhaurire, oportuisset eum sæpius pati ab origine: mundi quod ne fieret, semel in consummatione mundi passus est ad multorum exhaurienda peccata. « Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium, » deinde dicit, Et semel mortuus, quia una morte redemptio facta est. « Institutum est, inquit, hominibus semel mori. » Hoc ergo est, Semel mortuus est pro omnibus. Quid ergo? non jam morimur morte illa? Morimur quidem, sed non permanebimus in illa, quod etiam neque mori est. Mortis enim tyrannis et mors revera illa est, quando nunquam permittitur mortuus ad vitam reverti: quando vero post mortem vivendum erit, et vitam meliorem, non est mors illa, sed

Digitized by Google

dormitio. Quoniam ergo omnes retentura erat mors, propterea mortuus est, ut nos liberaret. « Sic et Christus, inquit, semel oblatus est. A quo oblatus est? Manifestum quod per semetipsum. Hic neque sacerdotem dicit eum solum, sed et victimam et sacrificium per se oblatum. « Semel, inquit, oblatus « est ad multorum auferenda peccata. » Quare multorum, et non omnium? Quia non omnes crediderunt. Pro omnibus quidem mortuus est, hoc est, quantum in ipso est: ejus momenti est illa mors, cujus momenti est omnium perditio: non autem omnium peccata abstulit, propter quod noluerunt. Quid autem est, « Abstulit peccata? » Sicut enim in oblatione sursum offerimus peccata, et dicimus, Sive volentes, sive nolentes peccavimus, indulge; hoc est, mentionem eorum faciamus primum, et tunc remissionem petimus: sic autem et hic factum est. Et ubi hoc fecit Christus? Audi eum dicentem: « Et pro illis ego san- « ctifico memetipsum (*Joan.* XVII). » Ecce obtulit peccata, sumpsit ea ab hominibus, et obtulit illa sursum Patri, non ut aliquid decernat adversus eos, sed ut ea dimittat: (*Alb.*) Statutum quippe est omnibus semel mori, et post mortem judicabitur unusquisque secundum merita sua: sic et Christus semel mortuus est pro peccatis alienis; et ideo quia voluntarie et necessarie mortuus est, secundo quippe adventu apparebit sine peccato. (*Joan.*) Quid est « sine « peccato? » Veluti non peccat. Non enim debitor mortis mortuus est, neque propter peccatum. Sed quomodo videbitur? Puniens, inquit, sed non hoc dixit, sed quod festivum et gratum est, « Sine peccato videbitur exspectantibus se in salutem. » Ut jam de cætero non opus habeant sacrificio, ut salventur, sed operibus ipsis hoc facient. Omnis quippe hostia pro peccato dicitur peccatum. Non enim erit tunc hostia pro peccato, quia peccatum non erit, sed justitia, sive in remuneratione justorum, vel in retributione peccatorum.

CAPUT X.

Ostenditur veterem legem non posse auferre peccatum: declarando excellentiam sacerdotii Christi, atque ejus sacerdotio esse firmiter obediendum.

« Umbram enim habens lex bonorum futurorum non « ipsam imaginem rerum. » Hoc est non ipsam veritatem. Usquequo enim veluti in pictura imponat quis lineamenta umbrarum, significans quid pingere velit, umbra quædam est non imago. Si enim flores ipsos quis colorum intinxerit et imposuerit super lineamenta, tunc imago efficitur. Tale quiddam erat etiam lex, umbra veritatis. « Per singulos annos eisdem « ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam « potest accedentes perfectos facere: alioquin cessassent offerre, ideo quod nullam haberent ultra « conscientiam peccati cultores, semel mundati: sed « in ipsis commemoratio peccatorum per singulos an- « nos fit. Impossibile est enim sanguine taurorum et « hircorum auferri peccata. » (*Joan.*) Una est, inquit, ista hostia, illæ autem multæ sunt: propterea enim nec fortes erant, quia multæ. Quid autem opus erat multis, dic mihi, una sufficiente? Proinde quod multæ et semper offerebantur, ostendit nunquam eos purgari. Sicut enim medicamentum quando fuerit forte et salutis efficax, et valens cunctam valetudinem repellere, semel impositum totum operatur; si ergo semel impositum totum operatum fuerit, ostendit suam virtutem, ut non ulterius apponatur; et hoc est ejus opus, ut jam non apponatur; si vero semper apponitur, manifestum indicium est, nihil illud prævaluisse; medicamenti quippe virtus illa est, ut semel apponatur et non frequenter; sic etiam hic: qua ratione eisdem sacrificiis semper curabantur? Si enim ab omnibus essent liberati peccatis, nequaquam per singulos dies offerrentur sacrificia. Proinde commemoratio peccati fuit, non absolutio, quia quotidie eisdem purgabantur hostiis etiam et ipsi sacerdotes et populus pariter. In Christo e contrario semel oblata est hostia potens ad salutem sempiternam. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies Offerimus? offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis ejus: et una est hæc hostia, non multæ. Quomodo una est, et non multæ? Et quia semel oblata est illa, oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium exemplar est illius. Id ipsum semper offerimus, nec nunc quidem alium agnum, crastina alium, sed semper illum ipsum. Proinde unum est hoc sacrificium: alioquin hac ratione, quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt? Nequaquam: sed unus ubique est Christus, et hic plenus existens, et illic plenus, unum corpus. Sicut enim qui ubique offertur, unum corpus est, et non multa corpora, ita etiam et unum sacrificium. Pontifex autem noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit. Ipsam offerimus et nunc, quæ tunc oblata quidem, consumi non potest. Hoc autem quod nos facimus in commemorationem fit ejus, quod factum est: « Hoc enim facite, inquit, « in meam commemorationem (*Luc.* XXII; *I Cor.* « XI). » Non aliud sacrificium, sicut pontifex, sed id ipsum semper offerimus; magis autem recordationem sacrificii operamur.

« Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et obla- « tionem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holo- « caustomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc « dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de « me. Ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superius « dicens: Quia hostias et oblationes et holocausto- « mata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi quæ « secundum legem offeruntur, tunc dixi, Ecce venio, « ut faciam, Deus, voluntatem tuam. » (*Alb.*) Ablata sunt signa promittentia, quia exhibita veritas promissa. Ideo ait: « Holocaustomata et sacrificia noluisti, corpus « autem aptasti mihi. » Hoc est, peccatum humani generis legalia sacrificia non potuerunt expiare, corpus autem aptasti mihi. Hoc ex persona dicitur ejus, qui corpus suscepit nostræ mortalitatis, ut pro nobis haberet quid offerret. « Tunc dixi, Ecce ve- « nio. » Tum tempus fuit, ut ablata essent signa et veritas promissa veniret. « Tunc dixi, ecce venio, » ablata hæc, illa oblata, hæc impleta. Ubi sunt sacri-

Digitized by Google

ficia Judæorum? Transierunt et non sunt in Ecclesia Christi, quia venit ille, qui figurabatur illis sacrificiis, de quo in capite, sive in capitulo libri scriptum est. Cujus libri? Utique Psalterii, ubi dicitur : « Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in « via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit, sed in lege Domini voluntas ejus « (*Psal.* I) » : qui psalmus caput totius libri dicitur a « quibusdam, ideo et Apostolus hic dicit : « In capite « libri scriptum est de me, Ut faciam, Deus, voluntatem tuam. » Hoc est, quod in Evangelio dicitur : « Non veni, inquit, voluntatem facere meam, sed « voluntatem ejus qui me misit (*Joan.* VI). »

« Aufert primum, ut sequens statuat. » Id est primum testamentum, quod Moysi datum est in monte Sinai; ut sequens statuat, hoc est, Evangelium quod per Christum oblatum est firmum statuat. « In qua « voluntate sanctificati sumus per oblationem cor« poris Jesu Christi semel. » Hæc oblatio semel oblata est, sed semper potens est abluere omnes credentes et omnes optantes in ea mundari. Ideo subjunxit et plenius, exponens idem beatus Paulus virtutem hujus hostiæ : « Et omnis quidem sacerdos « præsto est quotidie ministrans et easdem sæpe « offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre « peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens « hostiam, in sempiternum sedet ad dexteram Dei, de « cætero exspectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. » (*Joan.*) Priores ostendit inutiles esse hostias ad integram mundationem, sed formam magis eas esse, et multo minus habere. Sed quia occurrebat ei hoc, id est, Si formæ erant, quomodo veritate veniente non cessaverunt, neque discesserunt, sed adhuc celebrantur? Hoc ergo his ait, ostendens quia jam non celebrantur, neque velut formæ : non enim eas acceptabiles habet Deus; et hoc soli habent, qui semper Spiritui sancto restiterunt. Quapropter prophetico testimonio redarguit eos, dicens : « Holocautomata et pro peccato noluisti : » de nullo alio, nisi de Christo hoc dicitur. Et quid mirum, si nunc non est voluntas Dei in sanguine hircorum et taurorum, dum per prophetam Isaiam dicitur : « Quis « quæsivit hæc de manibus vestris? (*Isa.* I) » Dum hæc noluisti, « Tunc dixi ecce venio. » « In qua voluntate salvi facti sumus. » Quomodo salvi facti sumus? Id est, « per oblationem corporis Jesu semel. Et omnis quidem sacerdos præsto esse debet quotidie ministrans. » Ministrare autem famulorum est, sedere vero dominorum. Unde et dicit, « Sedet ad dexteram Dei. » Quapropter « unam offerens hostiam, » quæ salvare potest, « in perpetuum sedet ad dextram Patris, de « cætero exspectans, donec ponantur, inimici ejus scabellum pedum ejus. » Qui sunt inimici ejus? Judæi videlicet et omnes infideles, qui in die judicii damnandi sunt ab eo, et hic nimietatem potentiæ significat. Non dixit subjiciantur, sed « ut ponantur » sub pedibus ejus. Non igitur efficiamur ex numero inimicorum : non enim soli inimici, qui infideles sunt, sed etiam qui vita immunda pleni sunt. « Prudentia autem carnis inimica est Deo. Legi enim non subjicitur, nec enim potest. » « Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Contestatur autem et nos Spiritus sanctus. Postquam enim « dicit : Hoc autem testamentum, quod testabor ad « illos post dies illos, dicit Dominus : Dando leges « meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum « superscribam eas : et peccatorum et iniquitatum « eorum jam non recordabor amplius. Ubi autem horum remissio, jam non oblatio pro peccato. » (*Alb.*) Una quippe oblatio corporis Christi perfectos faciet sanctificatos, quæ remissionem integram facit peccatorum. Hoc autem et ex testimonio probavit prophetia dicens : « Contestatur autem nobis Spiritus « sanctus, hoc est, testamentum, quod testabor ad « illos post dies illos, dicit Dominus : Dando leges « meas in cordibus eorum. » Non ita ut scripta fuit lex in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus perpetualiter scribebat illam. Quæ est ista lex quæ in cordibus singulorum scripta est? Utique charitas, ut ea quæ nolumus nobis fieri, alteri non faciamus : hæc est, quæ cooperit multitudinem peccatorum, sicut in Evangelio dicitur : « Omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, hæc eadem et vos facite illis (*Matth.* VII). » Quapropter non est necesse quotidie sacrificiis quotidianis purgare, sicut in veteri lege. « Habentes itaque, fratres, « fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, et viven« tem per velamen, id est, carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei. » (*Joan.*) Hic ostendens distantiam pontificis, et hostiarum, et tabernaculi, et testamenti, et repromissionis, et multam differentiam : siquidem illa quidem temporalia, hæc autem æterna : illa quidem infirma, hæc autem perfecta : illa quidem formæ, hæc autem veritas. « Non enim juxta legem mandati, inquit, carnalis, sed juxta virtutem vitæ insolubilis; » et « Tu es sacerdos in perpetuum. » Ecce perpetuitas sacerdotis. Et de testamento illo dixit, quod vetustum est : « Quod autem veterascit et senescit, proximum est interitui. « Hoc autem Testamentum Novum et remissionem peccatorum habens; illud autem nihil hujusmodi : illud quidem manufactum, hoc autem non manufactum; illud quidem sanguinem hircorum habebat, hoc autem Domini; illud quidem stantem sacerdotem, hoc autem sedentem. Quoniam igitur cuncta illa minora sunt, hæc autem majora, propterea inquit, « Habentes igitur, fratres, fiduciam. » Unde? Sicut enim confusionem faciunt peccata, sic fiduciam omnium remissio peccatorum : et quod cohæredes effecti sumus, et quod tanta dilectione fruimur. « In introitum, inquit, sanctorum. » Introitum hic cœlum dicit et accessum ad spiritalia. « Quam dedicavit. » Hoc est, quam construxit, quam præparavit et quam initiavit. Dedicatio quippe dicitur initium utendi. Quam præparavit, inquit, et per quam ipse perrexit. « Viam novam et vivam « Hic satisfactionem spei declarat, novam dicens. Conatur enim ostendere

Digitized by Google

cuncta majora nos habere, si quidem nunc apertæ sunt portæ cœli, quod neque ad Abraham contigit. Viam novam dixit vitæ : sed viam [vivam] illam vocavit, hoc est, præcepta. Ipse autem dedicavit novam : dedicavit autem illam hac ratione, quoniam ipse in ea perrexit. Velamentum autem merito vocavit : cum enim elevatus esset in excelsum, tum apparuerunt cœlestia.

« Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, « aspersi corda a conscientia mala, et abluti cor- « pus aqua munda. » (*Joan.*) In quo accedamus? Sanctitate, fide, spiritali cultura. « In veraci corde sine simulatione, in satisfactione fidei ; quia nihil est visibile horum, neque sacerdos jam, neque sacrificium, neque altare. Propterea, inquit, « in plenitudine fidei. » Sic oportet credere, quomodo certi sumus de visibilibus, et adhuc amplius. Hic enim aliquando carnis sensus errant in his quæ videntur : illic autem nequaquam, quia spiritu spiritalia percipimus, et non licet hæsitare de eis. Ideo ait, « Aspersi corda a conscientia mala. » Ostendit quia non fides sola, sed etiam vita cum virtute quæritur, quia fides sine operibus otiosa est. Illi autem corpora mundabant, nos conscientiam. « Et abluti aqua munda. » Lavacrum baptismatis in hoc loco dicit : baptismum enim corporis mundatio non est, sed animæ, si fides adest baptizato, sive parentum, sive suimetipsius, si ad rationabilem ætatem perveniret. « Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabi- « lem : fidelis est enim qui repromisit. » (*Joan.*) Nihil enim scruteris, nil rationis exspectes, fide opus habent hæc omnia, quia « sine fide impossibile placere Deo (*Hebr.* XIII). » Sicut Deus fidelis est in promissis suis, ita fideles vult nos esse in promissis nostris, quæ novimus diabolo contradicere, et Christo dicere. « Et consideremus invicem in pro- « vocatione charitatis et bonorum operum, non dese- « rentes collectionem nostram, sicut est consuetudi- « nis quibusdam. » Quid est « intelligamus invicem. » Si quis fuerit virtute præditus, hunc imitemur, et in eum intendamus, ut diligamus et diligamur : ex dilectione quippe bona opera fiunt. Magnum quippe bonum est congregatio : ipsa namque charitatem operatur ferventiorem, et ex ea cuncta bona opera generantur : nihil namque bonum, quod non per charitatem fit. Istam igitur confirmemus in invicem, quia « plenitudo legis charitas est. » Non enim laboribus opus habemus, aut sudoribus : si dilexerimus invicem, spontanea nobis via prosternitur, ducens ad virtutem et ad cœlestia. Sicut enim in itinere contingit, si quis initium comprehendit, recta via ducitur, ubi oportet : sic etiam in charitate ; tantum arripe principium, et statim manum tibi præbens, ipsa te ducit et dirigit. « Sicut, inquit, est consuetudinis quibusdam. (*Alb.*) In hoc loco non solum admonuit, sed etiam culpavit et terruit unitatem charitatis scindentes. « Sed consolantes et tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem. » Quem diem designat, nisi diem judicii, in quo singulorum merita examinantur, vel etiam extremum diem vitæ nostræ? Dicit enim alio loco : « Dominus « prope est, nihil solliciti sitis (*Philip.* IV), » id est, de terrenis ; et item : Tunc « proprior est nobis salus nostra, quam cum credidimus (*Rom.* XIII). » Tempus enim abbreviatum est.

« Voluntarie enim peccantibus nobis post acce- « ptam notitiam veritatis jam non relinquitur hostia « pro peccatis. » (*Alb.*). Sponte namque peccantibus nobis, postquam accepimus veritatis agnitionem, et ultra non relinquitur hostia pro peccatis, sicut in veteri lege donatum fuit hostias offerre sæpius pro peccato. Neque enim Christus ipse iterum immolandus est pro peccatis nostris : hoc enim semel factum est, et secundo non est opus ; sed magis opus est, post acceptam gratiam permanere in fide et veritate bonorum operum. (*Joan.*) Arbores quæ bene institutæ sunt, et cæteram habuerunt diligentiam agricolarum adhibitam manibus atque laboribus, si nullam referant laboris vicissitudinem, radicitus evulsæ igni traduntur. Tale quiddam ei in causa contigit baptismatis. Cum enim nos Christus instituerit, et irrigatione spiritali potiti fuerimus, si deinde nullum fructum afferamus, ignis nos exspectabit gehennæ et flamma inexstinguibilis. Paulus igitur hortatur ad charitatem et fructificationem bonorum operum, ex utilibus invitans. Quæ sunt autem hæc utilia? Quoniam introitum habemus ad sancta, quam dedicavit nobis viam novam. Postquam ex utilibus invitavit ad opera bona, vult etiam nunc ex metuendis et tristibus idipsum item facere. Postquam enim dixit : « Non derelinquamus congregationem nostram, quemadmodum quibusdam usus est, sed exhortantes tanto amplius, quanto videtis appropinquantem diem, » intulit dicens : « Sponte namque peccantibus nobis « postquam accepimus veritatis agnitionem. » Opus est, inquit, bonis operibus : opus est enim, et valde opus est. « Sponte namque peccantibus nobis, postquam accepimus veritatis agnitionem, ultra non relinquitur hostia pro peccatis. » Mundatus es, liber es a criminibus, factus es filius Dei. Si ad primum vomitum reversus fueris, aliud te exspectat judicium nisi per pœnitentiam renovatus fueris. Ideo subsequenter ait : « Terribilis autem quædam exspectatio judicii, « et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversa- « rios. » In hoc non pœnitentiam exclusit, neque propitiationem quæ fit per pœnitentiam, neque repellit et dejicit per desperationem delinquentem : non enim ita est inimicus salutis nostræ. Sed quid? Secundum namque exclusit lavacrum baptismi. Non enim dixit, Non est ultra pœnitentia : neque dixit, Ultra non est remissio ; sed hostia, inquit, ultra non est, hoc est, crux secunda ultra non est. « Una namque perfecit in perpetuum eos qui sanctificantur, » non sicut hostiæ Judaicæ, cautos nos volens efficere, ne ultra, vel crucem Christi, vel hostias Judaicas exspectemus pro peccatis. Et quicunque pœnitentiæ medicamentum neglexerit, ignis æmulatio devoret eum. Quapropter unusquisque ad pœnitentiæ, dum tempus habet, medicamentum confugiat,

Digitized by Google

ne igni tradatur æterno. « Irritam quis faciens le-
« gem Moysi sine ulla miseratione coram duobus vel
« tribus testibus moritur. » Terrorem incutit Christianis de pœnis eorum qui sub lege peccaverunt : « Sine miseratione, » inquit, ut nulla sit venia, nulla misericordia sit, quanquam Moysi esset illa lex. Si duo vel tres, sicut ille disposuit, testificantur, super eum, confestim judices populi judicant eum ad mortem, si legi contrarius fuit aut inobediens. Et si hoc ita est in veteri lege, ubi lex Moysi irrita fit, « Quanto magis, inquit Apostolus, putatis deteriora « mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, « et sanguinem Testamenti pollutum duxerit, « in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ con-
« tumeliam fecerit? » Quanto major est Christus quam Moyses, gratia quam lex, tanto majora merebitur supplicia. Et quomodo conculcat quisquam Filium Dei? Quando enim ex eo indigne participatur per sacramenta, nonne grande peccatum committit? nonne illum conculcat? nonne ipsum contemnit? Sicut enim ea quæ conculcamus, nullius momenti pendimus, sic et qui libere peccant absque timore et absque pœnitentia Christum nullius momenti existimant, nec eum judicem futurum formidant. Factus est per gratiam corpus Christi, et seipsum facit corpus diaboli, et sanguinem Christi pollutum facit in eo, quod mundatus est, et ad vomitum revertitur pristinum, et seipsum per pœnitentiam iterum mundare neglexerit. « Et spiritui gratiæ injurians. » Qui vero beneficium non suscepit, injuriavit benefacientem. Ille fecit te filium : tu vero vis fieri servus peccati. Venit ad habitandum apud te : tu vero non præparas ei domum dignam habitationis suæ, alium, id est, diabolum tibi habitatorem concilians. « Scimus quia dixit : Mihi vindictam, ego reddam ; et iterum : Quia judicabit Dominus populum suum (*Deut.* XXXII ; *Rom.* XIII). » [*Alb.*] De inimicis hoc dixit, et de negligentibus per pœnitentiam se purgare, sed securi male faciunt. Judicare enim intelligitur plebem suam separando in ipsa plebe sua bonos a malis, fideles ab infidelibus. « Horrendum est enim incidere in manus
« Dei viventis. » Incidit in manus Dei in die judicii, id est, in potestatem ejus judicii, qui reddet unicuique secundum merita sua, qui non vult modo prævenire in confessione et pœnitentia faciem ejus, dum tempus habet; si non pœnituerit de peccatis suis, incidit in horrendum judicium omnipotentis Dei. « Rememoramini autem pristinos dies, in qui-
« bus illuminati magnum certamen sustinuistis pas-
« sionum. » (*Joan.*) Optimi medicorum cum alte secuerint, et per incisionem fecerint doloris augmentum, solatium statim afferunt et remedium illi loco ubi dolor inest, et perturbatam refovent animam. Postquam autem recreaverint, alteram jam non adjiciunt sectionem ; quin etiam illa quæ facta est, medicaminibus mitioribus, et valentibus amplitudinem mitigare doloris, confovent. Hoc item Paulus fecit : postquam concussit animos eorum dicendo,
« Horrendum est incidere in manus Dei viventis, »
fidem faciens quod omnimodis oportet perire injuriantem gratiam Dei et Spiritui sancto contumeliam facientem, et hoc ex lege Moysi dicit : proinde ne multo timore desperantem, a tristitia et desperatione absorberi faceret, consolatur eos per laudes et hortationes et æmulationem domesticam eis proferens. « Illuminati, » id est, confortati per gratiam divinam, « magnum certamen sustinuistis passionum. » Non dicit simpliciter certamen, sed addidit « magnum ; » nec dixit tentationes, sed pugnam, quod quidem est multæ laudis et maximarum prædicatio laudum pro Christi nomine pati. « Et in altero qui-
« dem opprobriis et tribulationibus spectaculum
« facti : in altero autem socii taliter conversantium
B « effecti. Nam et vinctis compassi estis (*Joan.*). »
Modo minutatim per partes prosequitur laudes eorum, dicens eos non solum viriliter sustinere passiones pro Christo, verum etiam et vinctis compassos esse eos annuntiat. « Et tribulationibus opprobriisque spectaculum facti. » Gravis quippe res est opprobrium, et idonea ad fortitudinem animæ subvertendam et ad excæcandam mentem potens. Quoniam valde appetens est gloriæ genus humanum, propterea etiam et opprobriis facile captivatur. Et non simpliciter dixit « opprobriis, » sed etiam augmentum fecit dicens, « spectaculum facti. » Cum enim secrete exprobratur, contristatur quidem, sed multo amplius cum coram omnibus. Dic enim mihi, quantum erat malum descendentes ab infirmitate Judaica, et ad
C optimam vitam transeuntes, et paternas traditiones contemnentes, ut ab ipsis domesticis paterentur multa mala, et nullam haberent defensionem? Non habeo, inquit, quod dicam, quia hæc quidem passi estis, et forte doluistis, imo magis gaudebatis. Hoc significavit dicens, « Socii taliter patientium facti : » et ipsos apostolos producit in medium. Non solum, inquit, in propriis passionibus non erubuistis, quia etiam aliis taliter patientibus socii facti estis. Hoc et consolantis est, et exhortantis. Non dixit, Sustinete tribulationes meas, efficiamini mihi socii ; sed, Verecundamini passiones vestras. « Et vinctis, inquit, compassi estis. » Vides, quia de seipso dicit et de aliis vinctis? Non enim putastis vincula esse illa vincula,
D sed sicut athletæ fortes, sic stetistis, quia non solum in vestris opus non habuistis hortatione vel consolatione, verum etiam aliis hortatio et consolatio facti estis. « Et rapinam bonorum vestrorum cum
« gaudio suscepistis. » (*Alb.*) Mirabiliter laudat eos in fide, quia si fidem non haberent meliora recepisse pro hac substantia abrepta, non cum gaudio suscepissent rapinam ejus : proinde subjungit fiduciam fidei. « Cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. » Quasi diceret : Vestras futuras videntes divitias, sustinuistis cum gaudio, quod necdum apparet, quasi præsens appareret cernebatis. Hoc enim totum apostolicum est opus et dignum illis fortibus animabus, ut flagellis gauderent, sicut in Actibus apostolorum legitur : « Euntes autem

Digitized by Google

a concilio gavisi sunt, quia digni habebantur pro nomine Jesu contumelias pati (*Act.* v). »

« Cognoscentes, inquit, vos meliorem habere et manentem substantiam. » Prout diceret firmam et substantialem, quæ perire non possit sicut ista terrena periit.

LIBER VICESIMUS NONUS.

CAPUT XI.

Apostolus ostendit quid sit subjici Christo : fidem describens, multipliciter commendat.

« Nolite itaque, fratres, amittere confidentiam « vestram, quia magnam habet remunerationem « apud Deum. » (*Alb.*) Quam ne amitterent instantissime eos hortatur ; facilius enim integra conservantur, quam amissa recuperentur. Nihil enim vobis necessarium est, nisi ut stetis firmiter, et permaneatis in fortitudine vestra, quæ magnam habet remunerationem apud Deum. « Patientia enim vobis « necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. » O quanta magnitudo exhortationis istius, et consolationis, unum quippe opus habetis, id est ut perseveretis in agone, donec recipiatis coronam condignam labori vestro, quia non qui cœperit coronabitur, sed « qui perseveraverit in certamine usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* x). » « In patientia siquidem possidebitis, dicit Dominus, animas vestras. » (*Joan.*) « Reportetis » dixit, id est accipiatis promissiones Dei. Consolatur enim eos, veluti si quis athletæ hoc diceret, qui cunctos superasset ac dejecisset, et nullum reliquum haberet qui sibi concertaret, deinde futurum ut coronaretur, et dilationem temporis non ferentem dum arbiter certaminis adveniret, qui coronam daret : ille autem impatienter ferens vellet exire et fugere non tolerans sitim et flammas æstuationis. Hoc igitur et ipse significat dicens : « Adhuc enim modicum ali« quantulumque qui venturus est veniet et non tarda« bit. » (*Alb.*) Non minima consolatio est laboris cito sperare venturum judicem et remuneratorem, et consolatorem remuneraturum certaminis constantiam. (*Joan.*) Et ne forte dicerent, quando veniet? ex Scripturis eos consolatur. Etenim inquit, « Prope est salus nostra. » Ergo consolatur eos tanquam parvum sit tempus quod remaneat. Hoc non ex seipso dicit, sed ex Scripturis. Si enim jam diu est, ex quo dicitur : « Adhuc enim modicum quantulum, qui venturus est veniet et non tardabit (*Agg.* II) : » manifestum est, quia nunc multo proximior est. Proinde et perseverare et exspectare non minima merces est. « Justus autem meus ex fide vivit (*Habac.* II). Quod « si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Nos « autem non sumus filii subtractionis in perditionem, « sed fidei in acquisitionem animæ. » (*Alb.*) Hoc propheticum intulit Apostolus testimonium ad exhortationem fidei : sicut displicebit qui dubitat, ita qui crediderit vivet in fide sua recta. Quapropter credamus velociter venisse judicem Christum, et præparemus nos obviam in bonis actibus, ne simus abstractionis filii a luce sempiterna, sed acquisitionis in gloriam, cum sanctis in die magno audientes vocem desiderabilem : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV). »

« Est autem fides sperandarum substantia rerum, « argumentum non apparentium : in hac enim testimo« nium consecuti sunt senes. » (*Joan.*) O quam mirabili verbo usus est dicens : « Convictio eorum quæ non videntur. » Convictio quippe est in rebus admodum manifestis. Fides igitur visio est, inquit, non apparentium, et ad eamdem satisfactionem ducit, ad quam etiam quæ videntur. Proinde neque circa ea quæ videntur credulitas vel incredulitas dici potest ; neque iterum fides dici potest, nisi cum circa ea quæ non videntur, amplius, quam circa ea quæ videntur, satisfactionem quisquam habuerit. Quoniam ea quæ sunt in spe, sine substantia esse putantur, fides eis tribuit substantiam ; magis autem non eis tribuit, sed ipsa est essentia eorum. Ut puta, resurrectio necdum facta est, et necdum est in substantia, sed spes facit eam subsistere in anima nostra : hoc est, quod dixit, substantia. Si itaque convictio est eorum quæ non videntur, quid est quod ea vultis jam videre, ut excidatis a fide, et desinatis justi esse ? siquidem « Justus ex fide vivit. » Vos autem si volueritis ea videre, jam non eritis fideles. Laborastis, inquit, certamina plurima sustinuistis : etiam ego hoc dico, inquit ; sed exspectate, hoc est, nolite hic quærere quæ speratis. (*Greg.*) Palpavit Thomas latus Domini et exclamavit, « Dominus meus et Deus meus ! » Dicit ei Jesus : « Quia vidisti me et credidisti (*Joan.* XX). » Cum Paulus apostolus dicat : « Est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, « Profecto liquet, quia fides illarum rerum argumentum est quæ apparere non possunt : quæ etenim apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem. Dum ergo vidit Thomas, dum palpavit, cur ei dicitur, « quia vidisti me credidisti : » sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali quippe homine divinitas videri non potuit. Hominem igitur vidit, et Deum confessus est, dicens : « Dominus meus et Deus meus ! » Videndo ergo credidit, quia considerando verum hominem, hunc Deum quem videre non poterat exclamavit : « Fide intelligimus aptata esse sæcula, verbo Dei, ut ex invisibilibus « visibilia fierent. » (*Joan.*) Fides forti animo et virili opus habet, et omnia supergrediente sensibilia, et infirmitatem ratiocinationum hominum transeunte. Non enim poterit aliter quisquam fidelis fieri, nisi seipsum a consuetudine communi abducat. Quia ergo animæ Hebræorum debiles erant, et a fide quidem initium sumpserant, ex passionibus autem tribulationum pusillanimes efficiebantur, et minus patienter ferebant et concutiebantur, primo eos ex

Digitized by Google

eis ipsis adhortatus est dicens : « Rememoramini dies pristinos : » iterum ex Scriptura divina dicente : « Justus ex fide vivit. » Deinde ex ratiocinationibus dicens : « Fides est sperandarum substantia rerum, convictio eorum quæ non videntur. » Nunc autem ex progenitoribus incipit loqui, magnis viris et mirabilibus illis, pene dicens : Si illic ubi ante pedes erant bona, omnes fide salvati sunt, multo amplius nos. Cum enim invenerit anima in eisdem passionibus socium, requiescit et respirat. Hoc et in fide, hoc et in tribulatione solet accidere. « Proinde sit in vobis consolatio, inquit, per mutuam fidem. » Valde enim incredulum est humanum genus, et neque de seipso confidens, et timens pro his quæ se habere judicat : sed multam habet curam gloriæ, quæ ex plurimis defertur. Quid ergo Paulus facit? Ex patribus eos hortatur, et primo ex communi intellectu. Dic enim mihi, inquit, quia fides accusatur veluti res quæ non possit ostendi, et quæ deceptio magis sit. Propterea ostendit, quia maximæ res per fidem, et non per ratiocinationes perfectæ sunt. Et quomodo hoc ostendit, dic mihi? Manifestum est, inquit, quia ex non exstantibus quæ sunt Deus efficit, et ex non apparentibus apparentia, et ex non subsistentibus subsistentia. Et unde hoc? Quia et verbo hæc fecit. Ratiocinatio quidem in hoc nihil nobis suffragatur, sed et contra, veluti ex apparentibus apparentia putet esse facta. Propterea et maxime philosophi nihil dicunt ex nullis exstantibus esse, animales existentes, et nihil fide percipientes. Reprehenduntur autem etiam ipsi ; quando magnum aliquid vel validum dixerint, fide dicunt percipiendum, veluti quod Deus sine initio dicitur et ingenitus. Ratiocinatio quippe huic rei non suffragatur, sed et contra se habet. Attende nunc mihi multam vanitatem ipsorum : Deum sine initio dicunt, et ex nullis exstantibus. Multum autem hoc mirabilius est quam dicere quia ex nullis exstantibus quæ sunt Deus fecit. Nam dicere, Sine principio est Deus, quia ingenitus, quia neque a seipso, neque ab alio genitus est, amplius est hæsitabile, quantum ad ratiocinationem attinet, quam dicere, Ex nullis exstantibus Deus fecit quæ sunt. Hic enim multa sunt credibilia, hoc est, quia fecit aliquis, quia initium habuit quod factum est : illic autem sponte ingenitus neque initium habuit neque tempus, nonne magis hæc fide indigent, dic mihi? Sed non posuit hoc, quod multo erat amplius, sed contra. Unde, inquit, habemus quia Deus hæc fecit? ratiocinatio non suffragatur : aliquis quando hæc fiebant non aderat; unde ergo certum est? Manifestum est quod fidei res sit. « Fide intelligimus, inquit, perfecta esse sæcula verbo Dei. » Quare fide? Quia non apparentibus sunt facta quæ videntur : hoc autem est fidei. « Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo, per quam « testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo : et per illam « defunctus adhuc loquitur. » Postquam dixit quod commune est, deinde et in personis hoc enucleat, Etenim vir gloriosus mundo æquandus est : hoc autem et postea significavit. Quia ergo in personis centum vel ducentis hanc causam constituit; deinde videns parvam numeri quantitatem, subjunxit, « Quibus dignus non erat mundus. » Et contemplare quem primum ponit : eum, qui mala passus est, et hoc a fratre. Propria erat istorum hæc passio : Etenim vos, inquit, eadem passi estis a contribulibus vestris. Abel occisus est a fratre nihil injuriato, sed propter Deum invidente : ostendens quia et ipsi invidiam patiebantur. Honorabat ille quidem Deum, et mortuus est pro honore Dei, et necdum resurrectionem adeptus est; sed desiderium quidem ejus manifestum est, et quæ ab illo fieri debebant, facta sunt : quæ vero a Deo donari sperabantur, necdum illi collata sunt. Hostiam in hoc loco dicit honorabiliorem, et clariorem, et necessariam. Et non possumus dicere, inquit, quia non est suscepta : suscepit quidem Deus, et dixit ad Cain : « Si recte offeras, recte autem non dividas. » Ergo Abel et recte obtulit et recte divisit. Sed pro his quam retributionem accepit? Interemptus est manu fraterna, et condemnationem, quam pater propter peccatum meruit, hanc iste primus excepit, rectus existens : et in tantum crudeliter passus est, in quantum etiam a fratre, et primus occisus : et tamen probabiliter ac recte vivens, nullum habens quem imitaretur. Ad quem enim attendens imitatus est, ut sic honoraret Deum? ad patrem vel ad matrem? sed illi magis injuriaverunt Deum pro tantis beneficiis. Num ad fratrem attendit? etiam ipse injuriavit. Proinde ex seipso hoc bonum invenit. Qui ergo tanto honore dignus erat, quid patitur? Interimitur. Qualiter autem etiam aliud testimonium consecutus est, quod esset justus? Dicitur ignis descendisse et absumpsisse hostias ejus. « In Abel, inquit, inspexit et in hostiis ejus (*Gen.* IV). » In Syrorum autem lingua « et ignivit, » habet. Cum et in verbis, et in operibus ejus testificatus sit de justitia, et cum eum propter se viderit exstinctum, necdum ei retribuit, sed adhuc sic dimisit. Proinde illud erat vera fides. Quæ enim miracula ille vidit, ut crederet quia erit a Deo aliqua retributio bonorum? Nonne ex fide sola habuit hanc virtutem? Quid est, « et propterea mortuus adhuc loquitur? » Ne in multam eos desperationem adduceret, ostendit eum ex parte perfruitum retributionem. Speculatio quippe ejus multa est, « Et adhuc loquitur, » hoc est, interemit quidem eum, sed non cum eo interemit ejus gloriam atque memoriam : non est ille mortuus : ergo nec vos moriemini. Quanto enim quis acerbiora passus fuerit, tanto magis gloria ejus excrescit. Quomodo adhuc loquitur? Hoc enim indicium est quod vivat, quod in ore omnium versatur, quod omnes eum admirantur et beatificant. Qui enim admonet alios, ut justi sint, loquitur : non enim tantum profuit sermo, quantum passio illius. Sicut enim cœlum tantum apparens loquitur, sic et ille dum in memoriam venit.

« Fide Enoch translatus est ne videret mortem, « et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus : « ante translationem enim testimonium habebat pla-

Digitized by Google

« cuisse Deo : credere enim oportet accedentem ad « Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator « fit. » Fide Enoch translatus est, ut non videret mortem, de qua morte Dominus in Evangelio : « Qui vivit, inquit, et credit in me, non morietur in æternum (*Joan.* XI). » Quapropter festinare debemus, si perfectionem veram desideramus attingere, ut quemadmodum corpore parentes, patriam, divitias mundi, voluntatesque despeximus, ita etiam corde hæc omnia relinquentes, nulla rursus ad ea quæ dimisimus concupiscentia revertamur. Aliter, fide translatus est Enoch : ut enim transferretur causa fuit, quod placuerat : ut autem placeret Deo, causa erat fides. Qui si nesciret, quia recepturus esset retributionem, quomodo placeret Deo? « Sine fide enim impossibile est placere deo. » Quomodo hoc? « Credebat enim quia si quis crediderit esse Deum, etiam retributionem habebit. Unde ergo placetur Deo? « Credere, inquit, oportet, quia est, » non quid est. Si autem quia est, fide, non ratiocinationibus opus habet, ita nec quid sit ratiocinatione comprehendi poterit. Si quia retributio mercedis est, fide opus habet, et non ratiocinationibus : quomodo ea quæ ad essentiam ejus attinent ratiocinatione poterunt comprehendi? qualis enim est ratiocinatio quæ poterit ad ista pertingere? quidam enim casu et sponte dicunt omnia, quæ sunt, exstitisse. Vides quia nisi crediderimus de omnibus, non tantum retributionem, sed etiam de eo ipso quid sit Deus, labuntur nobis omnia et non stant? Multi autem quærunt quo translatus sit Enoch, et quare translatus sit, et quare non fuerit mortuus, neque ipse, neque Elias ; et si adhuc vivunt, quomodo vivunt, et in quali habitu. Supervacaneum est ista requirere. Quia vero translatus est iste, et quia assumptus est ille, Scripturæ dixerunt; ubi autem sunt et quomodo, non addiderunt. Nihil enim amplius, quam quæ sunt necessaria, dicunt. Hoc enim factum est, quod de translatione dicitur. Translatus est autem, non mortuus, sed ut non videret mortem. Propterea addidit, « Vivus translatus est, quia placuit Deo. » Et primum permisit fieri mortem, terrere volens per filium patrem. Volens quippe ostendere, quia revera permanet firma sententia, non malos statim, sed etiam eum, qui placuerat, subjecit supplicio, beatum illum Abel dico ; et pene post istum confestim transtulit Enoch, et non resuscitavit illum, ne præsumerent, nec confidentes efficerentur, sed transtulit istum vivum ; per Abel quidem perterrens, per istum autem excitans ad æmulationem placendi sibi. (*Greg.*) Non enim virtutibus venitur ad fidem ; sed fide pertingitur ad virtutes. Cornelius enim centurio, cujus eleemosynæ et ante baptismum, angelo teste, laudatæ sunt (*Act.* X), non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera. Nam ei per angelum dicitur : « Orationes tuæ et eleemosynæ ascenderunt in conspectu Dei. » Si enim Deo vero et ante baptismum non crediderat, quem orabat? vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat? Sciebat igitur creatorem omnium Deum, sed quia ejus omnipotens Filius incarnatus esset ignorabat. Neque enim poterat bona agere, nisi ante credidisset : scriptum namque est : « Sine fide impossibile est placere Deo. » Fidem ergo habuit, cujus orationes et eleemosynæ placere poterant ; bona autem actione promeruit, ut Deum perfecte cognosceret, et incarnationis ejus mysterium crederet, quatenus ad sacramenta baptismatis perveniret. Per fidem ergo venit ad opera, sed per opera est solidatus in fidem.

« Fide Noe responso accepto de his quæ adhuc « non videbantur, metuens aptavit arcam in salu« tem domus suæ, per quam damnavit mundum : et « justitiæ quæ per fidem est, hæres est institutus. » (*Joan.*) Exemplum enim Enoch fidei tantum fuit, exemplum hoc autem Noe et infidelitatis. Hæc est perfecta consolatio et exhortatio, quando non solum qui crediderunt inveniuntur approbati esse, sed etiam infideles contraria passi. « Quid ergo inquit? « Fide Noe oraculo accepto. » Quid est, oraculo accepto? Hoc est, prædictum est ei. Oraculum autem pro qua causa dicitur? Etenim alibi dixit : « Oraculum illi datum erat a spiritu (*Luc.* II). » Et iterum : « Et quid dixit oraculum divinum? » Contemplaris æqualitatem honoris in Spiritu sancto? Sicut enim Deus dat oracula, sic etiam Spiritus sanctus. Quare autem sic dixit? Prophetia enim dicitur oraculum. « De his quæ adhuc non videbantur, » inquit, hoc est, de imbribus : « timens construxit arcam. » Ratiocinatio quippe nihil in hac causa suggessit. Nubebant enim et nuptui dabant; aer mundus atque serenus, signa nulla erant ; verumtamen timuit ille. « Fide, inquit, oraculo accepto de his, quæ adhuc non videbantur, timens construxit arcam ad salutem domus suæ, per quam damnavit mundum. » Quomodo? Ostendit enim eos dignos hoc supplicio qui neque per illam constructionem corrigebantur. « Et justitiæ, quæ per fidem est factus est hæres. » Ex hoc enim apparuit justus, ex eo quod credidit Deo. Fides autem certum est quia justitiam operatur. Sicut enim nos oraculum accepimus de gehenna, sic et ille. Tametsi irridebatur, tametsi exprobrabatur, sed tamen ad nihil tale attendit. « Fide qui vocatur « Abraham obedivit in locum exire, quem acceptu« rus erat in hæreditatem; et exiit nesciens quo « iret. » Quem enim vidit, dic mihi, ut æmularetur? Nam patriam paganam habuit et idololatram, prophetas non audierat, neque sciebat quo pergebat. Quoniam enim istos intuebantur qui crediderant ex Hebræis veluti decem millia bonis potitos : ostendit quoniam nullus adhuc aliquid recepit, omnes sunt sine præmio, nullus adhuc vicissitudines accepit. A patria sua ille et a domo excedit, et egressus est nesciens quo iret. « Fide moratus est in terra re« promissionis, tanquam in aliena, in casulis habi« tando cum Isaac et Jacob cohæredibus repromis« sionis ejusdem. » Quid mirum si ipse ita, cum etiam semen ejus sic habitaret? Videns ergo redargui repromissionem... dictum enim erat, « Tibi dabo

Digitized by Google

terram hanc et semini tuo. » Vidit filium ibi ut peregrinum habitantem ; nepos item ejus vidit semetipsum in terra aliena peregrinantem, et nihil turbatus est. Et circa Abraham fortassis merito sic factum est, ut pote quod postea ad effectum repromissio esset perducenda. In prole autem ejus satis erat mirum, quanquam etiam ad ipsum dictum esset, quia « tibi dabo et semini tuo, » non Per semen tibi, sed « tibi et semini tuo, » et tamen neque ipse, neque Isaac, neque Jacob potiti sunt hoc promisso. Ille quidem servivit mercenaria servitute, hic autem exagitabatur, iste vero pene exciderat timens : et alias quidem interemit hostes in bello, alias autem, nisi Deus adesset, etiam periisset. Propterea dixit quia « cum cohæredibus repromissionis ejusdem. » Non ipse solus, inquit, sed etiam hæredes. « Exspectabant enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor « Deus. » Contemplaris quia hac re acceperunt repromissiones, hoc est, exspectando et confidendo quod acciperent. Si igitur confidere accipere est, possumus sic accipere. Isti enim etsi nihil horum potiti sunt, tamen desiderio intuebantur ea. Quare hoc fiebat ? Ut nos erubescamus, quia illi quidem repromissionibus in terra factis non attendebant, sed futuram civitatem requirebant. Nobis autem sursum atque deorsum Deus de superna civitate loquitur, nos tamen terrenam quærimus. Dixit eis, « quia dabo vobis præsentia, » quoniam videbat eos : magis autem quia ostenderunt ei semetipsos majoribus esse dignos, non eos permisit accipere hæc, sed illa majora eis tribuit : volens nobis ostendere, quia majoribus digni sunt, nolentes alligari ad ista terrena : sicut quisque puerulo sapienti repromittat puerilia, non ut accipiat, sed ut ostendat ejus philosophiam, dum ille majora postulat. Hoc enim est ostendentis quia cum tanto studio adducebant animos suos a terra, quia neque quæ dabantur accipiebant. Etenim propterea nepotes eorum accipiunt : illi quippe erant terra digni. Quid est « civitatem fundamentum habentem ? » isti autem non erant fundamenta ? Qui [Quia] ad comparationem illorum non sunt. « Cujus artifex et opifex Deus est. »

« Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptione « seminis accepit etiam præter tempus ætatis : quoniam fidelem credidit esse eum qui promiserat. « Propter quod et ab uno orti sunt (et hoc emortuo) tanquam sidera cœli in multitudinem, et sicut « arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis. » Fide, inquit, et ipsa Sara. In hoc loco verecundiam eis excitans dicit, siquidem super mulierem pusillanimes apparuerunt. Sed fortassis dicat aliquis, Quomodo fide, quæ risit ? Risus quidem ex infidelitate, timor autem ex fide. Quod enim dixit, « Non risi, » ex fide factum est. Proinde evacuata infidelitate introducta est fides. « Fide, inquit, et ipsa Sara virtutem ad suscipiendum » ac retinendum semen suscepit. Virtutem accepit quæ jam mortificata erat et sterilis. Duplex enim erat præclusio, una ex tempore, senuerat quippe jam : alia vero ex natura, sterilis etenim erat. « Idcirco etiam ex uno geniti sunt omnes sicut stellæ cœli, et sicut arena, quæ est ad oram maris. » Idcirco ergo, inquit, ex uno geniti sunt omnes, non hoc solum volens significare, quia genuit, sed etiam quia tantorum mater effecta est, quantorum neque fecundæ. « Sicut stellæ cœli, » inquit. Quomodo ergo sæpius eos numerat, cum dixerit : Quemadmodum non numerantur stellæ cœli, sic neque semen vestrum. Aut igitur hyperbolice dixit, aut certe omnes significavit, qui semper ex illa origine procreantur. « Juxta fidem defuncti sunt om« nes isti, non acceptis repromissionibus. » Duo quædam hic dignum est quærere, quomodo cum supra dixisset, « Translatus est Enoch et non inveniebatur, ne videret mortem ; » hic dicit secundum « fidem mortui sunt hi omnes ; » et iterum cum dixisset supra, « non reportantes repromissiones, » dicit Noe recepisse mercedem ad salutem domus suæ, et Enoch translatum esse, et Abel adhuc loqui, et Abraham accepisse terram, et dixit « secundum fidem mortui sunt hi omnes non reportantes repromissionem. » Quid ergo est ? Necessarium itaque videtur primum primo solvere, deinde secundum. « Juxta fidem, inquit, mortui sunt hi omnes. » In hoc loco « omnes » dicit, non quod omnes mortui sunt, sed quia præter illum solum hi omnes mortui sunt, quos scimus mortuos fuisse. Quod autem dixit, « non reportantes repromissiones, » verum est. Non enim hæc repromissio erat Noe. Isaac enim fortassis et Jacob acceperunt repromissionis terram. Noe vero et Abel et Enoch, quas retributiones acceperunt ? Aut igitur de tribus istis dixit, aut si etiam de illis, non erat repromissio, ut in admiratione esset Abel, ut transferretur Enoch, aut salvaretur Noe. Et quidem illis propter virtutem provenerunt. Libamina vero quædam erant et primæ degustationes futurorum. Deus enim ex initio sciens humanum genus multa humilitate et descensione opus habens, non solum quæ futura sunt nobis largitur, sed etiam, quæ hujus vitæ sunt, nobis præstat : sicut et discipulis suis dicebat : « Qui dimiserit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, centuplum recipiet et vitam æternam hereditabit (*Matth.* XIX). » Et iterum : « Quærite regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis (*Matth.* VI). »

« Sed a longe eos aspicientes, et salutantes. » In hoc loco quiddam mysticum significat : quoniam omnia accesserunt, quæ illic de futuris dicta sunt, de resurrectione, de regno cœlorum, de aliis quæ veniens Christus prædicavit. Repromissiones enim has qui [quidem] dicit. Aut ergo hoc dicit, aut certe, quia non quidem eas acceperunt, sed confidentes pro eis hinc discesserunt. Confidebant enim sola fide. « De longe eas videntes. » Ita confidebant de illis ut etiam salutarent eas. Ex metaphora navigantium hoc dixit, qui prospiciunt longe desideratas civitates antequam ingrediantur, salutatione præveniunt, et eas sibi familiares efficiunt. « Et confidentes quia peregrini « et hospites sunt super terram. » (*Joan.*) Prima vir-

Digitized by Google

tus est et tota virtus peregrinum esse mundi hujus et hospitem, et nihil commune habere cum rebus hujus sæculi, sed removeri ab eis sicut peregrinum, sicut etiam illi beati, de quibus dicit : « Circuibant in melotis, in pellibus caprinis, egentes, tribulati, afflicti, quibus dignus non erat mundus (*Infra*). » Illi enim peregrinos seipsos dicebant. Paulus autem aliquid amplius dixit : non peregrinum seipsum dixit, sed mortuum mundo, et mundum sibi. « Mihi, inquit, mundus crucifixus est et ego mundo (*Gal.* VI). » [Greg.] Quis autem in hoc mundo peregrinatur populus, nisi qui ad sortem electorum currens, habere se patriam novit in cœlestibus; et tanto magis illic sperat invenire se propria, quanto hic cuncta quæ prætereunt esse a se dubitat aliena? Peregrinus itaque populus omnium numerus electorum, qui hanc vitam quoddam sibi exsilium deputantes, ad supernam patriam tota cordis intentione suspirant. De quibus Paulus dicit, « Confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Hanc peregrinationem idem quoque Apostolus tolerabat, cum diceret : « Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (*II Cor.* V). Per fidem enim ambulamus, non per speciem. » Hujus peregrinationis ærumnas satagebat devitare, cum dicebat : « Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo (*Phil.* I). » Et rursum : « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum (*Ibid.*) » Hujus peregrinationis pondus grave sentiebat Psalmista cum diceret : « Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est. Habitavi cum habitantibus Cedar : multum incola fuit anima mea (*Psal.* CXIX). » Ab hac eripi quantocies anhelabat, cum supernis desideriis flagrans diceret : « Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei? » (*Psal.* XLI.) Sed hoc desiderium nesciunt, qui cor in terrenis voluptatibus defigunt. Dum enim sola quæ sunt visibilia diligunt, profecto invisibilia, vel si credunt esse, non diligunt, quia dum nimis se exterius sequuntur, etiam mente carnales fiunt. (*Joan.*) Peregrini, inquit, et hospites erant sancti. Qualiter et quali modo? Ubi autem confitetur Abraham, quod peregrinus et hospes sit? Fortassis enim etiam ipsum hoc confessum esse reperiemus. Confessus tamen est David : quia « peregrinus sum, inquit, sicut omnes patres mei (*Psal.* XXXVIII). » Qui enim in tabernaculis habitabant, qui sepulcra pecuniis comparabant, certum quoniam peregrini erant, ut etiam nec ubi sepelirent suos, haberent. Quid ergo est? num illius terræ quæ in Palæstina est, dicebant se peregrinos esse? Nequaquam, sed totius mundi; et merito : nihil quippe conspiciebant in eo eorum quæ volebant, sed omnia peregrina et aliena. Ipsi quidem virtutem colere desiderabant : in hoc autem mundo erat iniquitas multa, et peregrina eis omnia erant : nullum amicum, nullum familiarem habebant præter paucos. Non erat diligentia eorum circa ea quæ hujus mundi sunt : et hoc non verbis solum, sed etiam rebus ipsis et operibus demonstrabant. Quomodo? Dixit Deus Abrahæ : Dimitte patriam, quæ putabatur patria esse, et veni ad alienam terram; et non est retentus amore propriorum, sed sicut peregrinus egressurus de aliena terra, sic sine aliqua compassione illam patriam dereliquit. Dixit ei, Offer mihi filium tuum : et veluti non habens filium, sic eum obtulit. Pecunias communiter cum transeuntibus possidebat, pro nihilo eas existimabat; primatum aliis cedebat, in pericula seipsum dabat, decem millia mala patiebatur : non domos construebat claras, non deliciabatur, neque circa vestimenta diligens erat, quæ omnia in hac vita esse solent; sed cuncta, quæ ad supernam civitatem pertinent, gerebat : hospitalitatem demonstrabat, fraternam dilectionem, eleemosynas, patientiam, contemptum pecuniarum, contemptum præsentis gloriæ et cæterarum omnium, quæ in hoc mundo sunt. Filius etiam ei talis erat : exagitabatur, persecutionem patiebatur, debellabatur, et cedebat, et obsequebatur, ut in peregrinis constitutus. Peregrini quippe quæcunque patiuntur tolerant, ut pote qui in patria non sunt. Et uxore ablata, et hoc toleravit, ut pote in peregrinis. Omnia vero quæ gerebat ad supernam patriam pertinebant, pudicitiam, honestatem demonstrans. Etenim postquam desponsavit, non est conversatus cum illa muliere, sed transeunte vigore juventutis, tunc eam accepit : ostendens, quoniam non libidinis causa hoc fecit, sed ministrans et deserviens promissioni divinæ. Quid autem Jacob? nonne panem tantum quærebat et vestimentum, quæ pertinent ad peregrinos qui in paupertatem deveniunt multam? nonne persecutionem patiens discessit sicut peregrinus? nonne mercenarius erat? nonne decem millia ubique mala patiebatur sicut peregrinus?

« Qui enim hæc dicunt significant se patriam in« quirere. Et si quidem illius meminissent de qua « exierunt, habebant utique tempus revertendi : « nunc autem meliorem appetunt, id est, cœle« stem. » (*Joan.*) O quanta differentia! illi quidem parturiebant per singulos dies, liberari volentes de hac vita et ad suam patriam remeare : nos autem econtra facimus : si febris accedat, omnia relinquimus, sicut pueruli parvuli planctuosi mortem timemus. Et merito hoc patimur : quasi peregrini conversamur in hac vita et non veluti qui festinant ad patriam, sed veluti ad pœnas ituri. Propterea dolemus et timemus, quoniam istis rebus non usi sumus sicut oportet, sed pervertimus ordinem : propterea lamentamur, quando magis gaudere nos oportebat. Idcirco pertimescimus, veluti homicidæ quidam et duces latronum, cum perducendi sunt ad tribunal, et omnia mala considerantes quæ gesserunt, et propterea timent et tremunt. Illi vero patres non erant tales, sed festinabant ad requiem. Paulus autem et congemiscebat : « Nos ipsi, inquit, in hoc mundo congemiscimus gravati (*II Cor.* V). » Tales erant et Abraham et illi alii. Peregrini quippe erant in hoc mundo universo et patriam quærebant. Num illam, quam reliquerant? Nequaquam : quid enim illos pro-

Digitized by Google

hibebat, si vellent iterum reverti et effici cives ? Sed illam quærebant quæ in cœlis est, et sic festinabant, ut hinc discederent. sic placuerunt Deo. « Ideo « non confunditur Deus vocari Deus eorum : paravit « enim illis civitatem. » O quanta dignitas, ut dignaretur vocari Deus eorum! Magnum hoc est et revera magnum et multæ beatitudinis indicium, quia terræ quidem et cœli vocatur Deus, sicut vocatur et paganorum Deus, quia ipse condidit et construxit omnia. Sanctorum vero illorum non sic dicitur Deus, sed sicut amicus aliquis germanus. Sicut enim dici potest Deus non gentium solum, sed totius mundi, ita posset dici Deus Abraham. Sed nescitis quanta est ista dignitas, quia neque adipiscimur illam. Sicut enim nunc Dominus Deus Christianorum dicitur, et tamen excedit hoc nomen dignitatem nostram, quanto magis si unius vocatur Deus? Intellige quanta est magnitudo, qui [cum qui] mundi vocatur Deus, non erubescit trium vocari Deus. Sed esto, isti fortasse propter peregrinationem dicebant seipsos peregrinos. Quid autem David? nonne rex erat? nonne propheta? nonne in sua patria degebat? Quare ergo dixit: «Peregrinus et hospes sum? Dic, sancte David, quomodo es peregrinus? « Sicut patres, inquit, mei, » quia et illi peregrini erant. Habemus patriam, inquit, revera patriam. Quomodo ergo tu peregrinus es? In terra, inquit. Proinde etiam illi in terra. Sicut illi, inquit, sic etiam ego. Sicut iste ergo, sic etiam illi. Efficiamur itaque etiam nos peregrini, ne confundatur Deus vocari Deus noster. Confusio quippe illi est, quando malignorum hominum vocatur, et confundit illos etiam ipse : sicut et glorificatur, quando benignorum et optimorum hominum vocatur et colentium virtutem. Si enim nos evitamus vocari domini malorum servorum, et relinquimus eos; et si nos appellans aliquis dicat, quia ille multa mala operatur, num tuus servus est ? nonne confestim dicimus quia nequaquam, repellentes opprobrium ? habitudo enim est quædam servo ad dominum, et transit ignominia ab illo ad illum.... Sed illi ita erant clari, ita confidentia pleni, ut non solum non confunderetur, cum ab illis vocabatur Deus, sed etiam ipse ad ipsos dicebat : « Ego sum Deus Abraham, etc. (*Moyses in Collat.*) In Evangelio quoque evidentius Dominus ad Sadducæos : « Non legistis, inquit, quod dictum est a Deo dicente vobis : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, non est Deus mortuorum, sed viventium ? (*Matth.* XXII.) » Omnes enim illi vivunt, de quibus et Apostolus, « propter quod, inquit, non confundetur Deus vocari Deus eorum, paravit enim illis civitatem. » Nam quia nec otiosi sint post separationem hujus corporis, neque nihil sentiant, etiam Evangelii parabola (*Luc.* XVI), quæ de illo paupere Lazaro et divite purpurato profertur ostendit, quorum unus beatissimam sedem, id est sinus Abrahæ requiem promeretur, alius intolerabili ardore æterni ignis exuritur. Si autem et illud, quod dicitur ad latronem, « Hodie mecum eris in paradiso, » voluerimus intendere, quid aliud manifesto significat, quam perdurare in animabus, non solum pristinos intellectus, sed etiam vicissitudine eas congrua proprietatum actuumque suorum perfrui qualitate. Hoc enim illi nequaquam Dominus promisisset, si ejus animam nosset post separationem carnis vel privandam sensu, vel in nihilum resolvendam. Non enim caro ejus in paradiso, sed anima erat ingressura cum Christo.

« Fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur, et « unigenitum offerebat, qui susceperat repromis- « siones; ad quem dictum est : Quia in Isaac vocabi- « tur tibi semen : arbitrans quia et a mortuis susci- « tare potens est Deus : unde eum et in parabola « accepit. » (*Joan.*) Vere magna erat fides Abrahæ. Præcepta Dei cum præceptis Dei litigare videbantur, et fides fidei repugnabat, et mandatum Dei erat repromissioni contrarium, cum scriptum sit : « Dixit Deus : Exi de terra tua et de cognatione tua, et dabo tibi terram hanc; » et non ei dedit illam terram hæreditatem, nec gressum pedis. Intueris qualiter quæ præcipiebantur repromissionibus videantur esse contraria ? Iterum dixit, « Quoniam in Isaac vocabitur tibi semen, » et credidit : et iterum dicit, « Sacrifica mihi illum, » ex cujus semine mundus totus erat replendus. Contemplaris litem præceptorum et repromissionum? Contraria quippe repromissionibus imperabat; et neque sic obstupuit justus ille, et neque se deceptum dicebat. Contraria repromissionum audiebat ab eodem ipso qui illa promiserat et non turbabatur, sed veluti concinentia gerebat : et revera concinentia erant ; contraria quidem humanis ratiocinationibus videbantur, concinentia vero erant fidei. Cum enim dixisset Apostolus « Existimans quod et a mortuis resuscitare potens est Deus, » ut ostenderet ex eadem ipsa fide, ex qua crediderat quoniam non exstantem ei donaret, ex hac etiam credere quod et mortuum posset suscitare, adjecit, Quia eadem ipsa fide etiam occisum resuscitari credidit. Similiter quippe dubium erat humanæ ratiocinationi, ut ex vulva mortua et senili et inepta jam facta ad generandum donaret filium, et interemptum iterum suscitaret. Sed dux et viatrix est fides, præcedens ad futura. « Fide, inquit, obtulit Isaac, cum tentaretur. » Nulla quippe altera causa fuit oblationis illius, nisi hæc. Deinde exsequitur omnem sensum. Ne enim posset quisquam dicere quia habuit alium filium, et ex illo sperabat promissionem impleri, et propterea confidens istum obtulit : « Etiam unigenitum, inquit, offerebat, qui repromissiones acceperat. » Quid dicis unigenitum? quid? Ismael ex quo erat? Unigenitum, inquit, dico, quantum attinet ad rationem repromissionis. Propterea cum dixisset « unigenitum, addidit, « Isaac, » volens ostendere propterea unigenitum esse, « ad quem dictum est, » quia in Isaac vocabitur tibi semen. » Intueris quomodo miratur illud quod a patriarcha factum est? « In Isaac, inquit, vocabitur tibi semen, » et offerebat ad occidendum filium. Deinde ne quis putaret quoniam desperans hoc fecit, et per hoc præceptum fidem

Digitized by Google

illius repromissionis amiserit, cognoscat quoniam revera et hoc, inquit, fidei fuit; sed etiam illam habuit fidem, licet videretur huic repugnare; sed non repugnabat. Non enim humanis ratiocinationibus virtutem Dei pensabat, sed fide cuncta gerebat. Propterea non veretur dicere, « quia et ex mortuis potens est suscitare Deus. » Unde eum et in parabolis recepit, hoc est, in exemplo. Ariete quippe occiso, iste salvatus est. Proinde per arietem eum accepit, illum pro isto occidens. Hæc autem formæ quædam erant: hic enim Filius Dei est qui occiditur. Et contemplare clementiam Dei quanta est. Quoniam enim magna quædam danda erat hominibus gratia: volens hoc non gratiæ tribuere, sed veluti debitum facere, persuasit primo homini, ut filium suum traderet pro præcepto Dei, ut nihil videatur magnum ipse facere Filium suum tradendo, siquidem cum homo ante ipsum hoc fecerit: ut hoc non gratia faceret, sed debito mutaretur. « Unde eum in parabola, inquit, recepit, » hoc est, velut in similitudine. Velut enim in parabola erat aries Isaac et typus. Quia perfectum est sacrificium, et occisus est Isaac, quantum ad voluntatem illius attinet, propterea illum redonavit patriarchæ. « Fide et de futuris benedixit Isaac, Jacob et Esau. » « Multi, inquit, prophetæ et justi desideraverunt videre quæ videtis, et non viderunt (*Luc.* x.) » Nunquid omnia futura sciebant justi? Si enim propterea non revelabatur Filius quibusdam, propter infirmitatem eorum, quia eum non possent excipere; sed illis, qui virtutis claritate fulgebant merito revelabatur. Et hoc etiam Paulus dicit, quia futura sciebant, hoc est, resurrectionem Christi. Sed *fide* de futuris dicit, non futurum sæculum significans, sed futura hujus sæculi. Intueris quoniam quod dixit de Abraham, et de Jacob dici potest? quoniam non receperunt benedictiones: sed nepotibus eorum redditæ sunt illæ benedictiones, ipse autem futura adeptus est. Invenimus enim fratrem ejus magis potitum esse sæculo. Ille autem in servitute mercenaria, et periculis, et insidiis, et deceptionibus, et timoribus omne transegit tempus. Interrogatus etiam a Pharaone, « Modici, inquit, facti sunt dies mei: » ille autem in primatu et fiducia fuit multa. Ubi ergo ei provenerunt bona, nisi in futuro? « De futuris, inquit, benedixit Isaac, Jacob et Esau. » Licet major sit Esau, tamen præponit Jacob propter virtutem. Intueris quanta erat fides, et unde promittebantur filiis eorum tanta bona? Utique ex fide, hoc est, credendo Deo. « Fide Jacob moriens singulos filiorum Joseph benedixit, et adoravit fastigium virgæ ejus. » In hoc loco necessarium est ponere benedictiones omnes, ut etiam fides et prophetia ejus manifesta fiat. « Et adoravit, inquit, fastigium virgæ ejus. » Hic non solum, inquit, pronuntiavit, sed etiam ita confidebat de futuris, tanquam si ea opere demonstraret. Quoniam enim surrecturus erat ex Ephraim rex alius, propterea dixit: « Et adoravit fastigium virgæ ejus. » Ecce et cum jam esset senex, adorabant Joseph universi populi: A adorationem significans, quæ illi erat futura. Et hoc jam sumpsit effectum, quando eum adoraverunt fratres ejus. Futurum autem erat iterum postea per decem tribus. Intendis quomodo futura prædixit? Vides quantam habet fidem? quomodo de futuris credebat? Quædam enim in hac vita patientiæ sunt solius exempla, et qualiter patienda sunt mala, et quia non hic recipiuntur bona, sicut contigit in Abraham, sicut in Abel. Quædam autem fidei sunt exempla, sicut contigit in Noe, quoniam est Deus, quoniam est retributio. Fides quippe multimoda est in hac vita, quoniam est retributio, et quia non eodem modo sustinenda est, et ante munera vel coronas certandum est. Illud autem, quod circa Jacob contigit, solius est fidei: quoniam promisit Abrahæ, « quia tibi B dabo et semini tuo terram hanc. » « Fide Joseph mo- « riens de profectione filiorum Israel memoratus est, « et de ossibus suis mandavit. » Audivit Joseph etiam in aliena patria constitutus et necdum videns jam processisse repromissionem, et neque sic concidit animus ejus; sed sic credidit, ut etiam de exitu eorum loqueretur, et de ossibus suis mandatum daret. Et non tantum solus credidit, sed etiam alios introducebat ad fidem, ut semper memores essent, quia nequaquam de ossibus suis delegaret, nisi plena fide speraret reditum eorum. « Fide Moyses natus occul- « tatus est mensibus tribus a parentibus, eo quod « vidissent elegantem infantem, et non timuerunt « regis edictum. » De parentibus Moysi necessarium est dicere. Omnes quippe infantulos masculos C interimi Pharao jusserat, et nullus effugit hoc periculum. Unde igitur isti speraverunt, ut salvarent puerum? Ex fide, inquit. Quali fide? Viderunt elegantem infantulum, et ipse vultus ad fidem eos attraxit. Sic jam inde ab initio ex ipsis incunabilis multa erat illi justo infusa gratia, non natura hoc operante, sed gratia divina, quæ etiam barbaram illam mulierem Ægyptiam excitavit, ut amaret, ut sumeret, ut arriperet, et tamen fides in istis non habuit idoneum argumentum. Quid ergo et quantum erat, ut ex ipso vultu crederent? Sed vos, inquit, ex rebus ipsis credite, et multa habebitis fidei pignora. Ut enim cum gaudio rapinam rerum vestrarum suscipiatis, et quæcunque talia passi estis, fide actum est et patientia. Sed quo- D niam et isti crediderunt, deinde pusillanimiter afficiebantur, ostendit quia et fides illorum per multa tempora tendebatur, sicut contigit in Abraham, quamvis viderentur sibi res ipsæ repugnare: « Non timuerunt, inquit, præceptum regis, » quanquam illud quidem opere exercebatur, hoc autem suspicio est et timor nudus, et hoc quidem parentum erat. Deinde familiare illis et domesticum profert exemplum, magis autem ab illo, majus et amplius. « Fide « Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ « Pharaonis. » Tanquam si diceret ad eos: Nullus vestrum dimisit aulam regalem amplam et claram, neque tales thesauros, neque cum posset filius regis esse, contempsit, sicut Moyses fecit. Et quia non simpliciter dimisit, significavit dicens: Abnegavit. Hoc

Digitized by Google

est, horruit, aversatus est. Cœlo quippe proposito, superfluum erat aulam admirari Ægyptiaci regni. Et vide quam mirabiliter illud posuit Paulus. Non dixit : majores divitias existimavit thesauris Ægypti cœlum, et ea quæ in cœlis sunt; sed dixit « improperium Christi. » Pro Christo enim improperium sustinere melius judicavit, quam in deliciis esse. « Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis « peccati habere jucunditatem. » Vos enim pro vobis ipsis patimini, ille autem pro aliis hoc elegit, et ultro seipsum projecit in tanta pericula, cum ei liceret et pie vivere, et sæcularibus bonis perfrui, « quam temporalem, inquit, habere peecati jucunditatem. » Peccatum duxit nolle affligi cum aliis : hoc peccatum esse putavit. Si igitur ille non alacriter affligi cum cæteris peccatum esse judicavit, magnum ergo bonum est afflictio, ad quam ex fastigio regali seipsum projecit. Hæc enim faciebat, magna quædam prævidens. « Majores divitias æstimans thesauro Ægyptio« rum improperium Christi : aspiciebat enim in re« munerationem. » Quid est improperium Christi? Hoc est, improperia talia sustinere qualia nunc vos, quale Christus etiam sustinuit improperium. Et quomodo pro Christo sustinuit Moyses? « Petra enim erat Christus. » Sic enim et ille improperium sustinebat, sicut improperium sustinemus, quia patimur mala concurrentes ad Deum. Sic etiam ille improperium sustinebat, quando audiebat : « Num. tu interimere me vis, sicut interfecisti heri Ægyptium? » Hoc est improperium Christi, usque in finem et novissimum spiritum pati mala, sicut etiam ipse improperia sustinebat et audiebat : « Si Filius Dei es, » et ab eis audiebat, pro quibus crucifigebatur, id est a contribulibus. Hoc est improperium Christi, quando quisquam a domesticis, quando quisquam ab his, quibus beneficium præstitit, sustinet improperium : etenim ille quoque pro beneficio suo hæc patiebatur. Hic eos excitavit, ostendens quia et Christus eadem passus est et Moyses, duæ personæ claræ et divulgatæ. Proinde Christi magis est istud improperium, quam Moysi, quoniam a propriis ista passus est : improperium sustinebat et patienter cuncta ferebat illis moventibus capita sua. Quia ergo poterant fortasse his auditis desiderare etiam ipsi retributionem, dicit quia et Christus et Moyses talia passi sunt. Proinde deliciæ, inquit, et remissio ad partem pertinent peccati, improperia vero sustinere ad Christum.

« Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis, invisibilem enim tanquam videns sustinuit. » Quid dicis quia non timuit? et tamen Scriptura hoc dicit, quia audiens veritus est, et propterea fuga salutem acquisivit et a fuga reversus est; sed tamen quod reversus est iterum, animi erat Deo se committentis. Non enim dixit, Quia quærunt me et scrutantur, non me igitur eisdem ipsis committam. Proinde etiam quod a fuga reversus est, fidei fuit. Qui ergo? Non permansit, inquit, ne se in apertum præcipitaret periculum : quia hoc jam tentantis esset, insilire in media pericula et dicere : Videamus si me liberet Deus. Hoc etiam Christo dixit diabolus : « Mitte te deorsum. » Intueris quia hoc diabolicum est, ut supervacue ac superflue se quisquam in periculum jactet, tentare Deum si salvet? Etenim præesse jam illis ad regimen eorum non poterat, ita ingrate affectis illis quibus tanta præstiterat. Stultum itaque erat et insensatum permanere illic. Hæc autem omnia facta sunt, quia veluti videns invisibilem sic sustinebat. In actionibus quippe suis verentur homines, quos corporaliter vident : et Deum sibi præsentem non æstimant esse, quem non vident. Quo contra in laude Moysi dicitur, dum Ægypti regem contemneret et Dei mandatis obediret, quia invivisibilem tanquam videns sustinuit; perversum quippe terræ principem quasi non videt, quem ab oculis sui cordis abjecit : regem vero invisibilem tanquam videns sustinuit, quia ab ejus timore intuitu mentis oculum non deflexit. Si igitur videmus mente semper Deum, si semper in recordatione ejus convertimus mentem nostram, omnia nobis facile apparebunt, omnia portabilia, omnia leviter sustinemus, omnibus superiores efficimur. Si enim quisquam dilectum videt, magis autem recordatus illius, erigit animam et mente sublimis efficitur, ut omnia facile toleret, delicians ex memoria illius. Qui enim in mente habuerit eum, qui nos diligere vere dignatus est, et recordatus fuerit ejus, non poterit aliquam sentire tristitiam, aut terribile aliquid, aut periculosum timere. « Fide celebravit « pascha et sanguinis effusionem, ne qui vastabat pri« mitiva, tangeret eos. » Plurima Paulus inter ipsa quæ loquitur solet argumentari, et densus est in sententiis. Talis quippe est Spiritus sancti gratia, non in abundantia verborum paucas continet sententias, sed in brevitate verborum magnum habet et plurimum intellectum. Intuere igitur quomodo sub occasione hortationis et de fide disputans, cujus eos typi commemorat, et quanti mysterii, cujus habemus veritatem. « Fide, inquit, celebravit pascha et effusionem sanguinis, ne qui vastabat primitiva, tangeret eos. » Effusio sanguinis agni sacrificabatur in domo, et in sanguine perungebantur postes, et hoc erat tutamen a perditione Ægyptia. Si igitur sanguis agninus in medio Ægyptiorum et in tanta devastatione illæsos servabat Judæos, multo amplius salvabit nos, non postes, sed animas nostras Christi sanguine perungentes. Etenim jam nunc qui devastat in profunda ac nocte circuit, sed induamur arma justitiæ, hoc est illo sacrificio. Effusionem sanguinis perunctionem appellat. Ex Ægypto enim eduxit nos Deus, hoc est, ex tenebris et idololatria. Quamvis quod fiebat nihil esset, sed quod per illud perficiebatur magnum erat. Quod enim fiebat, sanguinis erat effusio : quod autem perficiebatur, salus et conclusio et prohibitio perditionis. Timuit illum sanguinem angelus : sciebat enim, cujus erat typus, diriguit, Dominicam mortem intelligens : propterea non tetigit postes. Dixit Moyses : Ungite, et unxerunt, et confessi sunt. Vos autem ipsius agni habentes sanguinem non confiditis? « Fide transierunt mare Rubrum, tanquam

Digitized by Google

« per aridam terram : quod experti Ægyptii devorati « sunt. » Iterum populum perfectum comparat plebi unius loci, ne dicant quia non possumus secundum quod justi potuerunt. « Fide, inquit, transierunt mare Rubrum, tanquam per aridam terram : quod experti Ægyptii absorpti sunt. » In hoc loco ad recordationem eos adducit passionum, quas in Ægypto passi sunt. Quomodo hoc? Quia fide sperabant per mare Rubrum transire, propter hoc orabant : magis autem Moyses erat qui orabat. Contemplaris, quia ubique fides ratiocinationes humanas excedit, et infirmitatem atque humilitatem hominum superat? Intueris quia jam simul ut credebant, etiam supplicia declinabant, nunc quidem in sanguine postium, nunc autem in Rubro mari? Et hoc manifestabat aquam esse, qua illi venientes absorpti sunt : ex hoc apparuit non esse phantasiam, sed sicut in leonibus illis qui ab eis devorati sunt, ostentabant veritatem rerum ; et sicut in camino qui incensi sunt (*Dan.* VI, III), sic etiam nunc inspicis easdem res, aliis quidem ad salutem et gratiam, aliis autem ad perditionem valuisse. In tantum est fides magnum bonum, quoniam etiam, quando ad desperationem aliquam venerimus, tunc quoque liberamur, ac si usque ad ipsam mortem veniamus, ac si de nobis ab omnibus desperetur. Quæ namque jam spes erat? Hinc Ægyptii, inde mare, ipsi inermes : aut enim in mari erant perituri, si vellent fugere, aut in manus Ægyptiacas incidere. Verumtamen ex majore desperatione eos liberavit : idipsum mare ipsis est substratum, sicut terra, hos autem demersit sicut mare : illic oblitum naturæ suæ, hic autem etiam armatum adversus eos. « Fide muri Jericho corruerunt circuitu dierum septem. » Non enim tubarum sonitus murorum saxa dejecit, ac si per decem millia annos quistubis insonet, sed fides omnia valet. Intueris ubique neque conscientia [consequentia] ulla rerum, neque naturæ lege omnia permutari, sed propter [præter] spem cuncta fieri? Proinde etiam hic propter [præter] spem cuncta fiunt. Quoniam enim sursum atque deorsum dicebat, quia oportet credere et spebus futuris regi, omnem istum sermonem movit, ostendens quia non nunc, sed ex initio omnia miracula per fidem impetrata sunt et perfecta. « Fide Raab meretrix non periit cum in« credulis, excipiens exploratores cum pace. » Proinde admodum turpe esset, si meretrice infideliores exstitissent ; tamen illa homines audivit nuntiantes, et confestim credidit. Nam et eam fidem effectus consecutus est : omnibus quippe pereuntibus, sola salvata est. Non dixit ad seipsam, Quia cum plurimis meis ero : Non dixit, Num ego istis prudentior esse possum sapientibus viris, qui non credunt, et ego credam? Nihil tale dixit, sed credidit dictis eorum, quod possint illa contingere.

« Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tem« pus enumerantem. » (*Joan.*) Jam non ponit nomina, sed finem faciens in meretrice, et verecundiam eis excitans qualitate personæ, jam non dilatat historiarum commemorationem, ne videatur sermonem suum protelare. Tamen non ea explanat, sed percurrit, sapienter valde utrumque faciens, et tempus fugiens, et densitatem sententiarum non auferens : neque enim omnino tacuit, neque dicens molestus est effectus : utrumque autem fecit. Cum enim quisquam fortiter decertat, si in certamine perseveret, defatigat auditorem. Qui enim jam credenti longitudine sermonis molestus esse voluerit, opinionem ambitionis incurrit : oportet enim utilitati prospicere, et coaptari. « De Gedeon, Barach, Samson, Jephte, David et « Samuel et prophetis, qui per fidem devicerunt re« gna. » In hoc loco culpant Paulum quidam, quoniam Barach et Samson et Jephthen inter istos constituit. Quid dicis? meretricem ponit, istos non ponat? Nec mihi nunc dicas aliam vitam eorum, sed si non crediderunt, etsi non claruerunt in fide. « Et prophetis, inquit, qui per fidem expugnaverunt regna. » « Operati sunt justitiam, adepti sunt repromis« siones. » Qui sunt isti quos dicit? Misericordiam enim dicit in hoc loco, quam habuit David. De eo enim hoc eum dicere arbitror : « Adepti sunt repromissiones. » Quales? Istas de quibus dicebatur, quia semen ejus sedebit super solium ejus. « Ob« turaverunt ora leonum, exstinxerunt impetum « ignis, effugaverunt aciem gladii. » Contemplare quomodo in ipsa morte erant : Daniel a leonibus, tres pueri in camino deambulantes, Israelitæ, Abraham, Isaac et Jacob in variis tentationibus : et neque sic desperaverunt. Hoc enim est fides, ut cum res nobis in contrarium exeunt, tunc credamus : quia nihil contrarium factum est, sed cuncta consequentia et ordinata venerunt. « Effugeverunt ora gladiorum. » De tribus pueris eum iterum puto dicere. « Convalue« runt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra « verterunt exterorum, acceperunt mulieres de re« surrectione mortuos suos. » Tempus postquam reversi sunt ex Babylonia significat. « Ex infirmitate » enim hoc esse puto, id est, ex captivitate, quando jam in desperatione erant Judaicæ res, quando jam a mortuis nihil distabant. Quis enim non desperabat de Babylonia eos posse reverti? et non dico reverti solum, sed etiam fortiores effici. « Castra verterunt exterorum. » Sed vobis nihil tale contigit, inquit. Sed hæc formæ sunt futurorum. « Acceperunt mulieres ex « resurrectione mortuos suos. » Ea quæ circa prophetas provenerunt, dicit, Elisæum et Eliam significans, qui mortuos suscitabant. « Alii autem distenti « sunt non suscipientes redemptionem, ut meliorem « invenirent resurrectionem. » Alii, inquit, distenti sunt non suscipientes redemptionem, ut meliorem resurrectionem adipiscantur. Nam cur, dic mihi, in præsenti vita nolebant vivere? nonne quia meliorem exspectabant? ut cum alios suscitarent, ipsi tamen mori desiderabant. Clarum est ergo quia ut meliorem resurrectionem adipiscerentur, non enim [autem] talem, qualem resurrectionem acceperant filii illarum mulierum. In hoc loco videtur mihi quia Joannem significat et Jacobum : distentio quippe dicitur decollatio. Nam possent videre solem, possent non redar-

Digitized by Google

guere, et elegerunt magis mori, cum ipsi alios suscitarent, ut meliorem resurrectionem adipiscerentur. « Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et « vincula et carceres ; lapidati sunt, secti sunt, in occi- « sione gladii mortui sunt. » In istis facit finem, quia maxime isti familiari similitudine jungebantur, et maxime illis ista afferebant consolationem. Quando enim quis in eadem causa, vel in eadem passione ac tristitia detinetur, solatium ex similitudine compatientis accipit : alioquin ac si pejorem aliquam passionem dicas, si non ex eadem causa orta sit, nihil prodest. Propterea in hoc sermonem suum concludit, vincula nominans et carceres et verbera et lapidationes, Stephanum significans et Zachariam. Propterea adjunxit, « in occisione gladii mortui sunt. » Quid dicis ? alii quidem effugaverunt ora gladiorum, alii vero in occisione gladii defecerunt. Quid est hoc ? quid horum laudas, quid admiraris ? hoc an illud ? Ita, inquit.... : hoc quidem vobis proximius est, illud autem laudabile est, quia et circa ipsam mortem prævaluit fides et typus futurorum. « Circumierunt « in melotis, in pellibus caprinis. » Semper quidem, maxime autem cum sanctorum recogito virtutes et rectitudines operum, tunc mihi subit desperatio mei : quia neque vel in somnis experimentum accipimus bonorum, quæ illi per totum tempus vitæ suæ gerebant viri, qui non pro peccatis luebant supplicia, sed semper ad rectitudinem proficientes et semper tribulabantur. Intelligere quippe mihi videor Eliam, ad quem sermo noster hodie pervenit : ipsum quippe in hoc loco nominat, et in ipso desinunt exempla : quod erat familiare istorum et proprium. Et cum dixisset ea quæ circa apostolos gesta sunt, quia in occisione gladii mortui sunt, lapidati sunt, etc., recurrit ad Eliam qui eadem passus est. Fortassis enim quia necdum de apostolis tantam opinionem habebant, merito ex illo, qui assumptus est, sermonem facit, qui maxime erat in admiratione. Ex hoc ergo afferri orationem [hortationem] et consolationem voluit. « Egen- « tes angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mun- « dus. » (*Greg.*) De quibus etiam figuraliter Dominus ad Job : « Quis autem est qui dimisit onagrum liberum, et vincula ejus resolvit ? Posui habitaculum ejus desertum et tabernacula ejus salsuginem. Irridens multitudinem civitatis et querelam exactoris non exaudiens, consideravit montes pascuæ suæ, et post omne viride quærit. » (*Job.* XXXIX.) In Psalmis quoque « Dicant nunc qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici ; » et post pauca : « Erraverunt in solitudine in siccitate, viam civitatis habitationis non invenerunt. Esurientes et sitientes, et anima eorum in ipsis defecit. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos (*Psal.* CVI). » Quos etiam Jeremias ita describit : « Beatus qui tulit jugum a juventute sua : sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se (*Thren.* III). » Quique illud Psalmistæ affectu et opere concinunt. « Similis factus sum pelicano solitudinis : vigilavi et factus sum sicut passer solitarius in tecto (*Psal.* CI). [Joan.] Duo quippe sunt miracula fidei, quia et impetrat magna et patitur magna, et nihil reputat pati. Et non potestis dicere, inquit, quia peccatores quidam erant et infimi. Si enim ex alia parte totum mundum compares, illos invenio virtutis pondere meliores, et trutinam attrahentes et honorabiliores valde exstantes : quid igitur possent hic recipere ? (RAB.) In hoc loco excitat eorum mentem, ut non adhæreant præsentibus, sed superiora sapiant et eminentiora omnibus quæ sunt in hac vita, siquidem omnis mundus non est dignus in eorum comparatione. Quid igitur vis in hac vita recipere ? Injuria quippe est, si in hac vita mercedem recipias. Non itaque sæcularia sapiamus, neque enim in hac vita quæramus reciprocationem, neque in tantum simus pauperes. Si enim omnis mundus non est dignus eis, cur partem aliquam quæris ? Et merito ; amici quippe sunt Dei. Mundum in hoc loco aut multitudinem hominum dicit, aut ipsam creaturam, aut utrumque : solet enim Scriptura utraque mundum appellare. Si cuncta creatura, inquit, cum omnibus hominibus constituatur, nunquam in comparatione horum digna esset. Et merito. Sicut enim decem millia pondera palearum vel feni comparatione margaritarum digna non sunt, sic neque illi. Melior inquit, unus faciens voluntatem Dei, quam decem millia iniqui. Decem millia enim non plurimos dixit, sed multitudinem infinitam. Intellige, quantum est justus. Dixit Jesus Nave : « Stet sol circa Gabaon et luna circum vallem Elon : et factum est (*Jos.* X). » Veniat igitur omnis mundus, magis autem duo aut tres, aut quatuor et decem et viginti dicant et faciant hoc, sed non poterunt : amicus vero Dei creaturis amici sui imperabat ; magis autem amicum suum postulabat et obedierunt servi, et ille, qui erat deorsum superioribus imperabat. « In solitudi- « nibus errantes, et montibus et speluncis, et in ca- « vernis terræ. » (*Joan.*) Neque vestimentum habebant, inquit, sed erat eis nimietas tribulationis, non civitatem, non domum, non receptaculum. Quod etiam Christus dicebat, « quoniam Filius hominis non habet, ubi caput reclinet. » Quid dico, receptaculum non habebant, nec stare permittebantur. Neque enim vel cum ad ipsas solitudines veniebant, otiosi erant. Non enim dixit, In solitudinibus sedebant, sed etiam ibi fugiebant, et inde exagitabantur, non ex mundo tantum, sed etiam ex inhabitabilibus locis.... quæ ibi facta sunt. Sic est, inquit, nos culpant propter Christum : Eliam vero in quo poterant culpare ? Exagitabant illum et insequebantur, et cum fame pugnare cogebant : quod etiam isti tunc patiebantur. « Decreverunt mittere illis, inquit, fratres, eis qui tribulabantur discipulis. Secundum quod facultatem unusquisque habebat, definivit unusquisque eorum in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus. » Quod etiam ad istos pertinebat. « Afflicti, » inquit, et male patientes in itineribus et in periculis. « Et « hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt

Digitized by Google

« repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid « providente, ut ne sine nobis consummarentur. » Sicut profugi et perfugæ, inquit, sicut qui in turpibus deprehensus, sicut indigni solent videri. Neque in solitudinibus inveniebant refugium, sed semper fugiebant, diversiones aliquas quærebant, vivos seipsos obruere volebant, semper in timore erant. Quæ est ergo merces, vel quæ tanta retributio et vicissitudo? « Necdum, inquit, receperunt mercedem, » sed adhuc permanent; et ita mortui, et in tanta tribulatione, necdum receperunt: tantum tempus habent: ex quo viverunt, et necdum receperunt. Vos autem in certamine constituti, mœrore afficimini. Intelligite itaque quale et quantum est Abraham sedere et apostolum Paulum, exspectantes quando perficiatur, ut possint tunc mercedem recipere. Nisi enim etiam nos illuc venerimus, tunc prædixit eis Pater non dare mercedem, sicut pater bonus, amator filiorum, probabilibus filiis et opus perficientibus dicit non se daturum comedere, nisi venerint etiam alii fratres. Tu autem anxius es, quia necdum mercedem accipis. Quid itaque faciet Abel, qui ante omnes vicit, et adhuc sine corona sedet? Quid Noe? quid cæteri illorum temporum? quia ecce [qui et te] exspectaverunt, et alios exspectant, qui post te futuri sunt. Vides quia nos in hoc superamus eos: de nobis enim dixit: « Melius aliquid providerat Deus. » Ne aliquid a nobis plus habere viderentur, si primi quam nos coronarentur, unum definivit tempus omnium coronarum; et qui ante tantos vicit annos, tecum accipiet coronam. Contemplaris curam et dilectionem divinam? Et non dixit, Ne sine nobis coronentur, sed « Ne sine nobis consummentur. » Proinde etenim perfecti tunc parebunt. Prævenerunt nos in certaminibus, sed non præveniunt in corona. Non enim illos læsit, sed nos honoravit. Nam et ipsi fratres vos libenter exspectant. Si enim unum corpus omnes sumus, major ex hoc efficitur corpori jucunditas, cum simul et communiter coronatur et non per partes. Etenim justi etiam in hoc sunt mirabiles, quia sicut de propriis bonis, sic gaudent de bonis fratrum. Proinde etiam illis hoc juxta votum procedit, ut cum fratribus coronentur, ut simul glorificentur.

A erat. Proinde in majori nos fiduciam esse facit nubes testium et moles. Et merito testes eos appellavit: non eos qui in Novo Testamento fuerunt tantum, sed etiam illos qui in Veteri erant significavit. Etenim quia etiam illi testificati sunt majestati divinæ, sicut tres pueri, sicut Elias, sicut omnes prophetæ. « Deponentes, inquit, omnia. » Omnia, quæ dicit? Hoc est, somnum, anxietatem, cogitationes infimas, omnia humana: « Et circumstans nos, inquit, peccatum. » « Circumstans » dixit, sive quod nos facile circumveniat, sive quod ipsum circumveniri facile possit: magis autem hoc arbitror dici: facile enim, si velimus, prævalemus peccato. « Per patientiam, inquit, curramus propositum nobis certamen. » Non dixit, cestibus dimicemus, ne- B que athletico more pugnemus, neque bella geramus, sed, quod omnibus est levius, hoc nominavit, cursum appellans. Neque dixit, Addamus cursui nostro, sed in eodem ipso permaneamus, non dissolvamur. « Curramus, inquit, propositum nobis certamen. » Deinde adjungit summam et caput orationis, quod etiam primo posuerat, hoc etiam novissime ponit, hoc est Christum. « Aspicientes in « auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui propo- « sito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione con- « tempta, atque in dextera Dei sedis sedet. » Aspicientes, inquit, hoc est, ut discamus currere. Sicut enim filii parentes, et discipuli in certaminibus magistros attendunt, informantes mentem ex arte doctorum, per visum regulas quasdam sumentes, sic etiam hic, C si volumus currere et discere ut bene curramus ad Christum, attendamus « auctorem, inquit, fidei nostræ et consummatorem Jesum. » Quid est hoc? Hoc est, quia ipse nobis fidem infundit: etenim ad discipulos suos dicebat: « Non vos me eligistis, sed ego eligi vos (*Joan.* xv). « Et Paulus idem dixit: « Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum (*I Cor.* xiii). Ipse initium nobis imposuit, ipse etiam finem ponet. « Qui gaudio sibi proposito sustinuit crucem, confusione contempta. » Hoc est, licebat illi, nihil pati, si vellet: « non enim fecit peccatum, neque dolus inventus est in ore ipsius (*I Petr.* ii); sicut et ipse dixit in Evangelio: « Venit enim princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam (*Joan.* xiv). Adjacebat igitur illi, si vellet, non venire ad crucem: « Potesta- D tem quippe habeo, inquit, ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam (*Joan.* x). Si igitur qui nullam habuit necessitatem, ut crucifigeretur, crucifixus est propter nos: quanto magis nos justum est omnia fortiter tolerare? « Qui gaudio sibi proposito, inquit, sustinuit crucem, confusione contempta. » Quid est confusione contempta? Probrosam, inquit, sustinuit mortem. Esto igitur moriebatur: quid etiam, ut probrose moreretur? Pro nulla alia causa, nisi ut nos doceret nihil existimare gloriam, quæ ab hominibus defertur. Idcirco non subjectus morti suscepit mortem, docens nos præsumere contra mortem, et eam nullius existimare momenti. Quare non dixit, tristitia contempta, sed « confusione

CAPUT XII.

Inducit Apostolus suos ad mala pœnæ toleranda, ac mala culpæ vitanda, ostendens conditiones legis veteris ac novæ.

« Ideoque et nos tantam habentes impositam nu- « bem testium, deponentes omne pondus et circum- « stans nos peccatum, per patientiam curramus ad « propositum nobis certamen. » (*Joan.*) In multis Scriptura consolationem assumpsit majorum ex accedentibus rebus: sicut solent prophetæ « ex æstu et duritia, ex imbribus, etc... « Hoc igitur etiam dicit hic, quia memoriam sanctorum illorum, sicut nubes inflammans ex radio igneo... sic animam malis oppressam excitat et recreat. Et non dixit, Super nos apparentem, sed « impositam nobis: » quod amplius

Digitized by Google

contempta, quoniam non cum tristitia mortem sustinuit. Novissime autem quid factum est? « In dextera, inquit, sedis Dei consedit. » Vides præmium, quod etiam Paulus sciens didicit, « propter quod et Deus illum superexaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu Christi omne genu flectatur (*Phil.* II). » Eum qui secundum carnem est significat. Maxime autem, ac si nullum esset præmium, ipsum solum exemplum idoneum erat ad persuadendum omnia tolerare. Nunc autem etiam præmia proponuntur, non quælibet, sed valde magna et ineffabilia. Proinde etiam nos cum aliquid tale passi fuerimus, ante Apostolos ipsos Christum cogitemus. Quare? Quia tota vita ejus cumulata fuit injuriis. Etenim semper audiebat, quod insanus esset, et seductor et magus : et nunc quidem dicebant Judæi : « Non, inquit, sed seducit populum; » et iterum : « Seductor ille dixerat adhuc vivens, quia post triduum resurgam (*Matth.* XXVII). Iterum eum de arte magica criminabantur dicentes : « In Belzebub expellit dæmonia (*Luc.* XI); » et quia insanit et dæmonium habet. « Nonne bene dicimus, inquiunt, quia dæmonium habet et insanit? (*Joan.* X.) » Et hæc audiebat ab illis, ipse beneficia præstans, mirabilia faciens, opera Dei demonstrans. Et siquidem nihil faceret, et sic ista audiret, nihil esset mirabile : cum vero docens quæ ad veritatem pertinebant, audiebat quod seductor esset; et dæmones excludens, dæmonium habere dicebatur : res valde delugenda est. Vis etiam accusationes audire, sive quas secreto, sive quas palam imo et ab discipulis sustinebat? quibus et ait : « Nunquid et vos vultis abire (*Joan.* VI)? inquit. Sed etiam : « Dæmonium habes » a fidelibus jam dicebatur. Nonne et ipse semper fugiebat, et nunc quidem in Galilæam, nunc autem in Judæam? Nonne ab incunabilis ipsis plurimæ illi tentationes factæ sunt? nonne adhuc infantulum mater ejus accipiens descendit in Ægyptum? Propter hæc igitur omnia dixit : « Attendentes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, « qui pro gaudio sibi proposito sustinuit crucem, « confusione contempta, in dextera sedis Dei consedit. » Nunc igitur intendamus in ea quæ discipuli ejus perpessi sunt, legamus dicta Pauli et audiamus eum dicentem : « In sustinentia multa, in tribulationibus, in angustiis, in plagis, in carceribus (*II Cor.* XI); » et iterum : « Usque ad hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphizamur, et inquietamur, et lugemus, operantes manibus nostris : maledicti benedicimus; persecutionem passi, patienter ferimus; blasphemati, obsecramus. » Rogo, quis vel minimam partem horum passus est? Sicut seductores, inquit, sicut inhonorati, sicut nihil habentes; et iterum : « Quinquies quadragenas una minus accepi a Judæis, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, die ac nocte in profundo maris fui, in itineribus sæpe, tribulationibus, angustiis, fame, » etc. Et quia hæc Deo placebant, audi eum dicentem : « Propter hoc tertio Deum rogavi, et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea : virtus enim in infirmitate perficitur. » « Propterea, inquit, gloriot in infirmitatibus meis (*II Cor.* XII), in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus ut inhabitet in me virtus Christi. » Sed etiam Christum audi dicentem : « In mundo, inquit, tribulationem habebitis (*Joan.* XVI). »

« Recogitate enim eum qui talem sustinuit a « peccatoribus adversum semetipsum contradictio« nem, ne fatigemini animis vestris deficientes. » (*Joan.*) Si enim proximorum passiones erigunt nos, quantam nobis alacritatem afferunt Domini passiones? quid vos non estis operati? Prætermittens omnia per contradictionem totum significavit. Addendum etiam tale, hoc est, plagas, quas accipiebat in capite, irrisiones, injurias, improperia, illusiones. Omnia hæc nomine contradictionis intimavit · et non illa tantum, sed et alia quæ circa vitam sunt, passiones Christi et passiones apostolorum. Sic enim sciebat hanc viam meliorem esse virtutem, ut etiam ipse qui ea opus non habebat, per eam pergeret : in tantum norat tribulationem conducibilem nobis esse, et magis causam esse quietis. Audi enim ipsum dicentem : « Nisi enim quis tulerit crucem suam et venerit post me, non est me dignus (*Luc.* X.) » Si discipulus, inquit, es, magistrum imitare : hoc quippe est discipuli. Si vero ipse quidem per tribulationes perrexit, tu autem ad requiem vis ire, non eamdem viam vis pergere, quam ille perrexit, sed aliam. Quomodo ergo sequeris non sequens? quomodo eris discipulus, si non consectaris magistri vestigia? Hoc etiam Paulus dixit : « Nos infirmi, vos autem fortes : nos ignobiles, vos autem nobiles (*I Cor.* IV). » Et quomodo, inquit, hoc habet rationem, si contraria æmulamini? et vos quidem estis discipuli, nos autem doctores? Magnum itaque bonum est tribulatio, fratres dilectissimi : duo namque magna perficit, et a peccato mundat, et fortiores reddit. Quid ergo est, dicet aliquis, si subvertat aliquem et perdat? nonne tribulatio hoc facit? Sed si hoc contigit, nostra hoc ignavia fecit. Quomodo, inquit? Si sobrii simus, si Deum deprecemur, ut nos non derelinquat tentari supra quam possumus, si semper ipsum teneamus, si stemus fortiter, et aciem componamus, usquequo ipsum habebimus auxiliatorem : ac si omnibus ventis vehementius irruant tentationes, velut stipula nobis erunt et folium, quod fertur in aere. Audi Paulum dicentem : « In his omnibus vincimus (*Rom* VIII); » et iterum : « Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelanda est in nobis (*Ibid.*); » et iterum : « Momentaneum enim et leve tribulationis, excellens pondus æternæ gloriæ in nobis operatur (*II Cor.* IV). » Attende igitur qualia pericula, quanta naufragia, et continuas tribulationes, et alia hujusmodi levia esse dicit : et æmulare hunc adamantem, qui veluti si jam supervacue indueretur corpore, ita gerebat hanc vitam. In paupertate es? sed non es in quanta fuit Paulus, qui etiam in fame examinatus est et sitl ac nuditate. Sed neque uno die hæc

Digitized by Google

passus est, sed perpetuo talia sustinebat. Unde certum est hoc? Adverte ipsum dicentem : « Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus (*I Cor.* IV). » O rem mirabilem, cum tantam in prædicatione gloriam possideret, tamen tanta patiebatur, et fortassis reliquum annum vitæ agebat, quando ita scribebat : « Scio enim hominem ante annos quatuordecim sive in corpore, sive extra corpus, nescio (*I Cor.* XII) ; » et iterum : « Post tres annos, inquit, ascendi Hierosolymam (*Gal.* I) ; et iterum audi eum dicentem : « Bonum mihi est mori, quam ut gloriam meam exinaniat quisquam (*I Cor.* IX). » Non solum autem hoc, sed etiam iterum scribens dicebat : « Sicut purgamenta mundi facti sumus (*I Cor.* IV). » Quid est, inquam, fame et siti deterius? quid frigores sævius? quid fratrum insidiis periculosius? quos etiam falsos fratres appellat? Nonne morbus mundi vocitabatur atque deceptor? nonne subversor? nonne verberibus concidebatur? Hæc in mente sumamus, fratres dilectissimi, hæc consideremus, hæc in memoria teneamus, et nunquam dissolvemur, ac si injurias patiamur, ac si rapinas, ac si decem millia pessima patiamur. Contingat nos in cœlis probabiles apparere, et omnia hic portabilia sunt : contingat nos bene illic agere, et res hujus vitæ nullius momenti sunt. Umbra sunt ista et somnium : qualiacunque sint, illa speremus et spectemus : ista nobis nulla apparebunt, vel naturæ consideratione, vel temporis.

« Nondum usque ad sanguinem restitistis adver-
« sus peccatum repugnantes, et obliti estis consola-
« tionis quæ vobis tanquam filiis loquitur dicens :
« Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque
« fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Do-
« minus, castigat ; flagellat autem omnem filium quem
« recipit. » Duæ sunt orationum species, quæ sibimet contrariæ esse putantur, sed multum sibi mutuo afferunt adjumenti : quas hic utrasque species inculcavit. Una quippe species est, quando plurima dicimus aliquos esse perpessos : anima enim quodammodo requiescit, quando suarum passionum plurimos habuerit testes : quemadmodum orationes supra posuit dicens : « Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum (*Supr.* X). » Altera vero species est, quando dicimus, quoniam nihil est magni perpessus. Illa quippe species requiescere facit et recreari animam mœroribus subruentem : ista vero negligentem animam et supinam ex arrogantia convertit et retrahit. Ne ergo illis ex illa testificatione superbia generetur, contemplare, quid ait Paulus : « Nondum, inquit, usque ad sanguinem restitistis contra peccatum. » Et non confestim intulit consequentia, sed ostendens eis primum omnes qui usque ad sanguinem restiterunt, tunc infert, quoniam gloriatio Christi passiones sunt : tunc jam facilius cætera percurrit. Hoc etiam scribens Corinthiis fecit dicens : « Tentatio vos non apprehendat, nisi humana (*I Cor.* X), » hoc est minima. Valde quippe hoc idoneum erat ad animam subrigendam. Dum enim cogitat, quoniam pervenit ad omnia, persuadet sibi ex antecedentibus nulla magna opera perfecisse. Hoc est veluti si diceret : Necdum mortem sustinuistis, pecuniarum vobis tantum contigit damnum vel gloriæ : exagitati tantum estis et persecutionem passi ; Christus autem pro vobis sanguinem fudit : vos autem pro vobismetipsis necdum tale aliquid passi estis ; ille usque ad mortem pro veritate certavit pugnans pro vobis, vos autem necdum ad pericula pervenistis, quæ minantur interitum. « Et obliti estis, inquit, consolationis. » Hoc est, manus dedistis, et dissoluti estis. « Nondum, inquit, usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes. » In hoc loco demonstrat etiam peccatum vehementer adversus eos aspirans et diversis modis armatum. Quod enim dictum est : « Nec restitistis, » ad adstantes dicitur. « Et obliti estis, inquit, consolationis, per quam vobis veluti filiis fabulatur. Fili mi, inquit, non contristeris ad disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. » Postquam ex rebus ipsis hortatus est, tunc ex abundantia eos ex testimoniis adhortatur. « Neque deficias, inquit, cum ab eo argueris. » Certe hæc Dei verba sunt, unde non parvam eis poterit adferre consolationem, dum cognoscant quia Dei opus est talia sustinere. Ipso namque permittente justi pressuras varias patiuntur, sicut et Paulo apostolo dictum est : « Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur. » Ille ergo est qui permittit. « Quem enim diligit Dominus arguit, flagellat autem omnem filium quem recipit. » Non potes dicere, quia justus aliquis expers tribulationis existat, etsi sic nobis videatur ; sed ignoramus ejus cætera calamitosa quæ patitur. Proinde necesse est omnem justum per pressuras tribulationesque transire. Sententia quippe Christi est, quia « lata et spatiosa est via quæ ducit ad perditionem : arcta vero et angusta quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII). » Si igitur per illam venitur ad vitam, et non potest illic aliter perveniri, certum quod per quem angustam hanc viam omnes illi transierunt, quotquot ad vitam perducti sunt sempiternam. « In disciplina perseverate,
« tanquam filiis vobis se offert Deus ; quis enim
« filius, quem non corripit pater? » In disciplina, inquit, perseverate, non in suppliciis, neque in tormentis. Intuere quid ait Paulus. Unde reputabant se derelictos esse, ex hoc eos dicit magis credere debere, quoniam sunt derelicti. Velut si diceret, Quia tanta passi estis, putatis quod vos odio habeat vel dereliquerit Deus? Si enim hæc non pateremini, tunc magis hoc vos conjicere competebat ; si enim flagellat omnem filium quem recipit, qui non flagellatur, sine dubio non est in numero filiorum. Quid ergo maligni nulla mala patiuntur? Quomodo, inquit, dicis quod omnis filius flagellatur? Sed non dixit, quia omnis qui flagellatur, filius est, sed omnis filius flagellatur. Semper enim et ubique filium verberat et castigat : hoc ergo demonstrari non potest, quoniam qui filius est, non flagellatur. Sunt quidem plurimi qui flagellantur maligni, sicut homicidæ, la-

Digitized by Google

trones, maleſici, ſepulcrorum deprædatores; ſed illi pro ſua iniquitate ſupplicia patiuntur, et non autem ſicut filii flagellantur, ſed ſicut peſſimi puniuntur; nos autem ſicut filii. Deinde ex communi et publica conſuetudine agere cum eis inſtituit. Intueris quomodo undique argumenta deducit, ex rebus, ex Scriptura, ex verbis diversis, ex ratiocinationibus propriis, ex ſimilitudinibus et exemplis, ex converſatione vitæ communis? « Quod ſi extra disciplinam eſtis, cujus « participes facti ſunt omnes iſti, ergo adulteri et « non filii eſtis. » Quod ſi extra disciplinam eſtis, quit, attendis, quoniam, ſicut jam dixi, hoc confirmat quia non potest filius esse qui non castigatur. Sicut enim in domibus patrumfamilias nothos filios negligunt patres, ac si nihil doceantur, ac si non fiant gloriosi: pro filiis autem propriis valde verentur, ne eos malum opprimat negligentiæ. Si igitur, ut non quisque castigetur, nothorum est filiorum, oportet nos gaudere cum castigamur, siquidem hoc filiis propriis adhibetur; proinde propterea nobiscum sicut cum filiis agit Deus.

« Deinde patres quidem carnis nostræ habuimus « eruditores et reverebamur eos, non multo magis « obtemperabimus patri spirituum et vivemus? » Iterum ex propriis passionibus agit quæ patiebantur. Sicut enim supra dicit: « Rememoramini pristinos dies; » sic etiam hic, Deus, inquit, sicut cum filiis agit; et non potestis dicere quia non possumus talia tolerare. Si enim patres carnales filii reverentur, quomodo Patrem cœlestem amplius non reveremini? (*Seren.*) Quid hac divisione clarius potuit definire, ut carnis quidem nostræ patres homines pronuntiaret, animarum vero Deum solum esse patrem constanter exprimeret: quanquam et in ipsa corporis hujus concretione ministerium tantummodo sit hominibus adscribendum, summa vero conditionis Deo omnium creatori, dicente David: « Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me (*Psal.* cxviii). » Et beatus Job: « Nonne sicut lac, inquit, mulsisti me: coagulasti me ut caseum, ossibus et nervis inservisti me? (*Job* x.) » Et Dominus ad Jeremiam: « Priusquam te in utero formarem, novi te (*Jer.* i). » Et Eccleſiastes vero utriusque substantiæ naturam atque originem ex animatione ortus atque initii, ex quo videlicet unaquæque processit, et consideratione finis, ad quem unaquæque contendit, satis evidenter ac proprie colligens pariterque de hujus corporis atque animæ separatione disceptans, ita disseruit: « Priusquam convertatur pulvis in terram, sicut fuit, et spiritus revertatur ad Deum, qui dedit eum. » Quid apertius dicere potuit, quam ut materiam carnis, quam pulverem nominavit, quia de hominis semine sumit exordium ejusque videmur ministerio seminari, velut e terra sumptam, iterum reverti pronuntiaret ad terram; spiritum vero, qui non per mixtionem sexus utriusque generatur, sed peculiariter a Deo solo tribuitur, ad auctorem suum redire signaret? quod etiam per illam Domini insufflationem, qua Adam primitus animavit, evidenter exprimitur. Itaque his testimoniis manifeste colligimus Patrem spirituum dici neminem posse, nisi Deum solum qui eos ex nihilo, cum voluerit, facit: homines vero carnis nostræ patres tantummodo nominari. « Carnales, inquit, nostros patres habuimus doctores et educatores et verebamur eos. Nonne multo amplius subjici debemus patri spirituum, et vivemus? (*Joan.*) Quod autem dixit « patri spirituum » aut charismatum dicit, aut orationum, aut incorporearum virtutum: si enim sic moriemur, tunc vivemus. « Et illi « quidem in tempore paucorum dierum secundum « voluntatem suam erudiebant nos, hic autem ad id, « quod utile est, recipiendo sanctificationem ejus. » Non enim discretione personæ inter eos tantum est differentia, quod illi terreni, ille cœlestis, sed etiam ex ipsa causa, et ex ipsa re: non enim de eadem causa vel ad res ipsas erudiunt: sed illi quidem, ad quod eis videtur: hoc est voluptatem suam desideriumque complentes, nec ubique quod utile est, vel condecet attendunt: hic autem non potest similiter dici, neque propter aliquid suæ voluptatis hoc facit, sed propter nostram commoditatem: illi autem ideo vos erudiebant, inquit, ut ipsis essetis utiles, aliquando fortassis etiam sine causa: hic autem nihil tale est. Contemplaris, quia etiam hoc dignam illis attulit consolationem: maxime enim circa illos nos familiarius habemus, quos cognoscimus, quia non propter se imperant vel erudiunt, sed totum illis et plenum propter nos celebratur studium; hoc quippe est sinceræ atque integræ charitatis, quando amanti in nullo sumus accommodi, et tamen ab eo dicitur, non ut aliquid accipiat, sed magis ut tribuat, erudit, instituit, universa facit circa cuncta, festinat, ut non efficiat suorum receptibiles munerum. « Illi enim, inquit, in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiebant nos, hic autem, ad id, quod utile est, ut recipiamus sanctificationem ejus. » Quid est « sanctificationem ejus? » hoc est munditiam ejus, ut dignos efficiat secundum quod potest; festinat itaque, ut accipiatis, et cuncta facit, ut vobis impertiat; vos autem nullum geritis studium, ut valeatis accipere. « Dixi, inquit, Dominus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges (*Psal.* xv); » illi quidem, inquit, ad tempus paucorum dierum erudiebant nos secundum voluntatem suam, non enim in omnibus voluntas illorum utilis erat: iste autem ad utilia nos instituit. Disciplina ergo participatio sanctitatis, et maxime si negligentiam pellit, cupiditates excludit, sæcularium rerum amores amolitur, animam convertit, facit eam omnia hujus vitæ culpare, hoc quippe est tribulatio, cum hæc fiunt, nonne sanctum perficitur? nonne spiritalem ad se gratiam pertrahit? « Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris. » Qui amara bibunt antidota patienter ferunt quidem primum molestiam, et tunc sensum percipiunt sospitatis: tale quiddam est etiam virtus, tale quoque malitia. In ista primum est voluptas et sequitur ægritudo: in illa vero primum est mœstitia, et tunc jucunditas procreatur: sed nihil

Digitized by Google

simile est, cum primo aliquis contristatur, et postea gaudio perfruitur, et cum primo gaudetur, postea in mœrorem incidit. Hic enim timor futuræ tristitiæ præsens gaudium devenustat, illic autem spes futuræ jucunditatis detrahit præsenti tristitiæ; ex hoc contigit, ut illic nunquam prorsus gaudeatur: hic autem nunquam tristitia dominetur. (*Theod.*) Nec equo calcar, nec emendatio suavis est delinquenti, omnes etiam disciplinæ his, qui erudiuntur, amaræ sentiuntur ad præsens, sicut Apostolus dicit: « Omnis « autem disciplina in præsenti non videtur esse gaudii, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum his qui per se exercitati sunt reddet justitiæ: « et quem diligit Dominus corripit, flagellat autem « omnem filium, quem recipit: quis enim est filius « quem non corripit pater? » Itaque mala nonnunquam poni pro afflictionibus solent, secundum illud: « Et pœnituit Deum super malitiam quam locutus est, ut faceret eis et non fecit (*Jer.* XXVI); » et iterum: « Quia tu, Domine, misericors et miserator, patiens et multum misericors, et pœnitens in malitiis (*Joel.* II), » id est, super tribulationibus et ærumnis quæ nobis pro peccatorum nostrorum meritis inferre compelleris: quas sciens utile esse nonnullis, ita alius propheta, utique non invidens saluti eorum, sed consulens, imprecatur: « Adde illis mala, Domine, adde mala gloriosis terræ (*Jer.* XI); » et ipse Dominus: « Ecce, inquit, inducam super eos mala, » id est, dolores ac vastitates, quibus in præsenti salubriter castigati, ad me, quem in rebus prosperis contempserunt, reverti tandem ac festinare cogantur. (*Greg.*) Quamvis ergo convenire simul nequeant dolor et beatitudo, recte tamen nunc dicitur, « Beatus homo qui corripitur a Domino (*Job.* V), » quia per quod peccator dolore correptionis premitur, quandoque ad beatitudinem quæ sine interventu est doloris eruditur. (*Joan.*) Ex his igitur argumentis consolationes Paulus assumit, et utitur iterum communi judicio, cui non valet aliquis reluctari, quia nullus potest communi repugnare decreto, quando in aliquid universi consentiunt. « Contristamini, » inquit: talis namque assolet esse disciplina, tale principium possedit, « omnis namque disciplina, inquit, in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: » benedixit « videtur, » quia non est, inquit, res tristitiæ disciplina, sed videtur esse. « Omnis, inquit, disciplina, » et humana et spiritalis: contemplaris eam ex communibus notitiis decertare. « Videtur, inquit, esse mœroris, » non est igitur. Qualis namque mœror est, ut existat occasio gaudiorum, sicuti neque voluptas est, quæ fit causa tristitiæ? « Postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. » Non fructum, sed fructuum abundantiam. « Qui per eam, inquit exercitantur. » Bene dixit, « qui per eam exercitantur, » hoc est, qui tolerant plurimo tempore patienter. Et quomodo? Bene sonantius est nomine exercitationem nominans? Disciplina ergo exercitatio est. Nam athletam perficit fortiorem et insuperabilem reddit in certaminibus et inexpugnabilem declarat.

In præliis igitur omnis talis est disciplina, et hæc præsens, ut talis sit necesse est. Proinde oportet operari meliora et finem plenum jucunditatis et pacis. Et noli mirari, si cum ipsa amara sit, fructus tamen proferat dulciores. Nam et in arboribus cortex pene semper amarus et asper est, fructus tamen ipsi suavitate jucundi sunt. Sumpsit autem hoc ex communi notitia. Si igitur talia sperare competit, quid doletis? quid postquam tristitiam tolerastis, circa meliora deficitis, quæ vos convenit sustinere? Si autem sustinuistis, non oportet circa retributionem iterum mollescere. Tanquam eos qui cursu certavere, vel cædibus, vel qui bello desudaverunt, alloquitur.

« Propter quod remissas manus et soluta genua « erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut « non claudicans quis erret, magis autem sanetur. » Intueris quomodo eos facit armari, quomodo eos in sublime sustolli? « Recte ambulate, » inquit: in hoc loco tangit cogitationes eorum, hoc est, ut sine ullis hæsitationibus perseverent: si enim ad dilectionem pertinet disciplina, si in finem desinet meliorem, et hoc tam ex rebus, quam ex verbis ostenditur, quare dissolvimini? Hoc namque patiuntur, qui desperatione deficiunt, qui spe futurorum nulla solidantur. « Recte, inquit, ambulate, » nec claudicatio plus accrescat, sed potius ad statum pristinum revocetur; qui enim cum claudicatione currit, in malitia demoratur; attendis, quia in vobis est, ut omnibus modis consequamur medicinam. « Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. » (Maur.) Plurima quidem sunt, quæ formam, descriptionemque Christianitatis ostendunt, sed plus omnibus ac melius mutuæ charitatis affectus et pax, quæ hominum corda consociat: propterea etiam Christus dicit: « Pacem meam do vobis (*Joan.* XIII); » et iterum: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilexeritis invicem (*Ibid.*). » Propterea etiam Paulus apostolus: « Pacem, inquit, sectamini cum omnibus et sanctimoniam: » hoc est, honestatem sive pudicitiam « sine qua nemo videbit Deum: » (*Joan.*) sicut et supra dicebat: « Non derelinquentes congregationem nostram; » hoc etiam hic tangit: nihil ita et maxime in tentationibus superabiles facit et facile subjiciendos, sicut separari ac sejungi. « Pacem sectamini cum omnibus, » inquit. Num et cum malefacientibus? « Si possibile est, inquit, quod ex vobis est, cum omnibus pacem habete (*Rom.* XII). » Quantum attinet, inquit, pacem habete, nihil lædens pietatem, sed in quibus mala pateris, fortiter tolera; majora quippe arma sunt in tentationibus patientia; sic etiam Christus suos discipulos reddidit fortiores, hæc dicens: « Mitto vos, inquit, sicut oves in medio luporum; estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (*Matth.* X); » quid dicis? in medio luporum sumus et sicut oves nos esse jubes et sicut columbas? Etiam, inquit, nihil enim ita confusionem facit gerentis mala, sicut fortis tolerantia patientis, et neque in verbo neque in opere reddere vindictam. Et attende ex hoc quanta lucratus sis, malum exstinguis, mercedem

Digitized by Google

tibi comparas ampliorem. Sanctificationem autem dicit pudicitiam atque temperantiam conjugalem, sive quis expers est conjugii, cum castitate nubat, sive in conjugio constitutus est, non fornicetur, sed utatur propria conjuge temperanter, etenim etiam hoc sanctificatio est. Quomodo hoc sanctificatio est?... sed nuptiæ conservant sanctificationem, quæ ex fide est : prohibent animum meretricibus applicari. « Sine qua, inquit, nemo videbit Deum : » quod etiam ad Corinthios dicit : « Nolite errare, neque fornicatores, neque adulteri, neque idololatræ, neque molles, neque masculorum concubitores, neque avari, neque fures, neque ebriosi, neque detractores regnum Dei possidebunt (*I Cor.* VI). » Quomodo namque poterit, qui corpus efficitur meretricis, cum Christo unitatem corporis possidere? (Maur.) Evidenter enim sine sanctimonia, quam solet integritatem mentis vel puritatem corporis appellare, pronuntiavit Deum penitus videri non posse. (*Cass.*) Et ut cuncta præteream quæ in sanctis Scripturis ob laudem virtutis hujus inserta sunt (non enim propositum mihi est laudem texere castitatis, sed qualitatem ipsius, vel quemadmodum acquiri, vel custodiri debeat, quive sit finis ejus Patrum traditionibus explicare), unam tantummodo ponam beati Apostoli sententiam, qua pateat qualiter illam Thessalonicensibus scribens virtutibus prætulerit universis, tali eam verbi nobilitate commendans, « hæc est, inquiens, voluntas Dei sanctificatio vestra (*I Thess.* IV), » et ne forte dubium nobis relinqueret, vel obscurum, quidnam sanctificationem voluerit appellare, utrum justitiam an charitatem, an humilitatem, an patientiam, in omnibus enim istis virtutibus creditur acquiri sanctificatio, infert et manifeste designat quid proprie sanctificationem voluerit appellare. « Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos, inquit, a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in honore et sanctificatione, non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum. » Vide quibus, eam laudibus prosequatur, honorem vasis, id est, corporis nostri et sanctificationem appellans eam. Igitur e contrario qui in passione desiderii est, in ignominia et immunditia consistit, et alienus a sanctificatione versatur. Tertio quoque post pauca infert rursus eam sanctimoniam pronuntians : « Non enim vocavit nos Deus in ignominiam, sed in sanctimoniam. Itaque qui hæc spernit non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum sanctum suum in nobis; » auctoritatem præcepto suo inviolabilem junxit dicens, « qui hæc spernit, » id est, quæ de sanctimonio præfatus sum, « non hominem spernit, » hoc est, non me, qui hæc præcipio, « sed Deum, » qui in me loquitur, qui etiam Spiritui suo sancto cor nostrum habitaculum deputavit. Cernis simplicibus verbis ac puris, quibus eam præconiis quantisque extulerit laudibus, primum virtuti huic sanctificationem proprie tribuendo; deinde per hanc asserens vas nostri corporis ab immunditia liberandum; tertio quod, abjecta ignominia et contumelia, in honore sit et sanctificatione mansurum; A postremo quæ summa sit perfecti præmii ac beatitudinis remuneratio per hanc habitatorem pectoris nostri sanctum fore Spiritum designavit. « Contemplantes ne quid desit gratiæ Dei. » (*Joan.*) Sic cum eis loquitur, tanquam cum his, qui cum numeroso comitatu viatorum longa itinera permearent, veluti si diceret, Attendite vobis, ne quis vestrum remaneat. Non hoc tantum requiro, ut vos soli perveniatis, sed etiam ut inspiciatis et cæteros. « Ne quis, inquit, vestrum desit gratiæ Dei : » quid dicit gratiam Dei? bona futura, evangelicam fidem, optimam conversationem : hæc quippe Dei sunt gratiæ. Nec mihi dicas, quia unus est, qui peribit, etenim Christus et propter unum mortuus est : tu vero negligis propter quem Christus dignatus est mori. « Contemplantes, » inB quit, hoc est, diligenter scrutantes et visitantes et agnoscentes, sicut fieri solet in infirmis. « Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi. » Hoc in Deuteronomio scriptum est. Sumpsit autem illud ex arbustorum metaphora, « ne qua radix amaritudinis, » quod et aliis scribens dixit : « Modicum fermentum totam massam corrumpit (*Gal.* V); » non propter illum solum hoc volo, in quo iniquitas poterit inveniri, sed etiam propter læsionem quæ poterit ex illius propagine pullulare, hoc est, ut si aliqua talis fuerit radix, nullum ex ea permittatis germen exsurgere, sed recidatur antequam alios polluat et scelestos efficiat. « Ne qua radix, inquit, amaritudinis sursum germinans impediat, et per eam plurimi polluantur. »
C Hic amarum dixit esse peccatum, enimvero peccato nihil est amarius, et hoc norunt qui post admissum peccatum conscientiæ mœrore macerantur, et dira satis amaritudine consumuntur. Amaritudo quippe delicti ipsum intellectum rationemque subvertit. Enimvero amaritudinis illius natura talis existit, ut noxia perseveret. Et bene dixit « radix amaritudinis, » non dixit radix amara, sed amaritudinis. Radix enim amara potest fructus dulces efficere, amaritudinis autem radix vel fons vel propositum nunquam potest aliquid dulce propagare, quia omnia ibi amara, omnia molesta, omnia scelere et abominatione plenissima sunt, nihil suavitatis vel jucunditatis appertant; « et per illam, inquit, inquinentur multi, » hoc est intemperatos lascivosque recidite.
D « Ne quis fornicator aut profanus, ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua. » Quid ergo? num fornicator erat Esau? non hic dicit, quia fornicator erat, sed quod dixerat supra, « sectamini sanctimoniam, » hoc etiam hic significat, « ne quis profanus, sicut Esau, » hoc est gastrimargus et intemperans et sæcularis, quia spiritalia repellebat; « qui propter unam escam, inquit, vendidit primitiva sua. » Qui honorem, quem a Deo percepérat, per propriam negligentiam et cupliditatem vendidit, qui pro parva libidine magnum honorem et gloriam perdidit sempiternam, hoc proprie ad eos pertinet, qui immundi sunt et profani. Proinde non solus fornicator immundus est, sed etiam gastrimargus, qui ventris ser-

Digitized by Google

vus existit : nam et iste, qui alterius libidinis servus est, cogitur appetere plurima, cogitur aliena diripere, turpis et inhonestus exstare, ut pote sub illo mortifero gerens durissimam servitutem. Hujusmodi quippe homo, sæpius etiam blasphemare pro nihilo putat, nullius momenti pensat primitiva sua, nulliusque dignitatis, hoc est, qui pro delectatione temporalium rerum usque ad vendenda primitiva sua pervenit. Proinde non sunt Judæorum primitiva, sed nostra. Hæc autem quæ dicuntur etiam ad levandam passionem mœroris eorum valde proficiunt, qui primus, postremus effectus est, et secundus exstitit primus, iste per patientiam, ille vero per negligentiam. (*Cassian.*) « Ne quis fornicator, inquit, aut profanus, ut Esau. » Itaque quantum sublime cœlesteque est præmium castitatis, tanto gravioribus adversariorum insidiis lacessetur. Et idcirco propensius nobis est non solum continentia corporis, verum etiam contritio cordis assiduis orationum gemitibus adhibenda, ut clibanus carnis nostræ quem rex Babylonius incentivis suggestionum carnalium succendere non desistit, descendente in corda nostra rore sancti Spiritus exstinguatur.

« Scitote quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est, non enim invenit pœnitentiæ locum quanquam cum lacrymis inquisiset eam. » (*Joan.*) Quid hic dicimus? num pœnitentiam Paulus excludit? nequaquam. Quomodo ergo dicit, quod non invenerit pœnitentiæ locum? Si enim culpavit semetipsum, si gemitibus magnis ingemuit, cur pœnitentiæ locum non meruit invenire? quoniam non erat illa pœnitentia, sicut et tristitia Cain non ex pœnitentia descendebat, quod occisio fratris apparuit, sic etiam hic non erant illa verba pœnitentiæ. Nam hic fratris occisione depalatur, quandoquidem, quantum ad ejus attinuit voluntatem, etiam ipse fratri suo Jacob intulit mortem. Nam sic dixit : « Appropinquant, inquit, dies passionis patris mei, et interficiam Jacob fratrem meum. » Non ergo valuerunt solæ lacrymæ pœnitentiam illi tribuere. Et non dixit simpliciter, quia per pœnitentiam quæsivit, sed « cum lacrymis inquisivit pœnitentiæ locum et non invenit. » Quid ergo hic dicimus? nisi quia non pœnituit ut convenit. Hoc enim est pœnitentia, ut congruenter geratur; alioquin si pœnitentiam damnat, quomodo iterum velut segnes admonet et hortatur? quomodo claudos effectos et remissos atque solutos, quod est ruinæ principium, ut erigantur invitat? « Pœnitentiæ, inquit, locum non invenit. » Potest et aliter intelligi quia peccatum pœnitentia majus admisit. Sunt enim peccata pœnitentiam superantia, veluti si diceret, ne cadamus insanabili ruina. Dum enim claudicat quisque, facile potest rectus vel sanus effici : si vero pœnitus subvertatur, quid remanebit ulterius? Proinde necdum lapsis hæc loquitur, ut eos timore deprimat, veluti si diceret, quia qui cecidit, nullam consolationem mereri jam poterit, et hic quidem istos, ne caderent, aliter admonebat. In alio loco vero, ubi jam eis, qui ceciderant, loquitur, ne in desperationem deciderent contraria dicit : « Filioli mei, quos, inquit, iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (*Gal.* IV), » quibus alibi dicebat : « Qui in lege justificamini a gratia excidistis (*Gal.* V). » Ecce ipse testatur, quia ceciderant. Qui ergo stat et audit quoniam qui ceciderit, veniam non valet impetrare, validius stabit et cautius : si vero et circa eum qui cecidit, simili volueris uti vehementia, ad id redigatur necesse est, ut nunquam possit assurgere. Quali enim spe conversionem vel quali fructu suscipiat? non solum, inquit, lacrymas fudit, sed etiam exquisivit. Et videtur quidem non excludere pœnitentiam, sed cautiores eos et munitiores reddit, ne ferantur pronius ad ruinam. Quotiescunque igitur non credunt esse gehennam, hæc in mentem revocent, et quotquot existimant impunita remanere peccata, hæc considerantes attendant cur Esau veniam non potuit adipisci, quia videlicet non pœnituit ut debuit. Lacrymæ quippe illæ non erant pœnitentiæ, sed animi violenti et indignationis exortæ, quod ex ejus operibus aperitur.

« Non enim accessistis ad tractabilem et accesibilem ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam, et tubæ sonum, et vocem verborum, quam qui audierunt excusaverunt se ne eis fieret verbum : non enim portabant, quod dicebatur, Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur, et ita terribile erat, quod videbatur, Moyses dixit : Exterritus sum et tremebundus. » Erant quidem omnia templi veteris admiranda. Nam erant ibi sancta sanctorum, erant etiam veneranda, et hæc quæ in Sina monte facta referuntur, ignis, tenebræ, caligo, procella. Visus est, inquit, Deus in monte Sina, et omnia hæc cum admiratione memorabantur. Novum vero Testamentum non est cum aliquo tali nobis exhibitum, sed tantum simplici Christi sermone contributum. Intuere igitur qualiter comparationes efficiat, tam istorum, quam illorum, et qualiter in postremis ea posuerit. Postquam enim eos plurimis probationibus cumulavit, et postquam differentiam testamenti utriusque monstravit, et vetus reprehendit, tum demum velut faciliore via etiam in hæc pergit argumenta. Quid ergo dicit? « non enim accessistis « ad tractabilem et accessibilem ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam, et sonum tubæ « et vocem verborum, quam qui audierunt recusaverunt, ne adjiceretur eis verbum : » veluti si diceret : terribilia sunt quidem ista, et ita tremenda, ut ea ne auditus ferre posset, et neque illuc bestia quælibet auderet accedere. Verumtamen non erunt talia, qualia hæc, quæ postea gesta sunt. Quid est enim mons Sina in comparatione cœli? quid ignis tractabilis ad Deum intractabilem? « Deus enim, inquit, ignis consumens est. Non loquatur, inquit, nobis Deus, » sed loquatur nobis Moyses. Sic enim terribile erat, quod ad eos proferebatur, ut etiam Moyses diceret, quod exterritus esset et tremebundus effectus. Quid miraris, inquit, de plebe? ipse qui caliginem ingressus est, in qua erat Deus, ipse ergo

Digitized by Google

dicit, « Exterritus sum et tremebundus effectus. » — « Sed accessistis ad montem Sion et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et Spiritum justorum perfectorum, et Testamenti Novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. » Tremenda quidem erant et illa : sed hæc multo amplius admiranda valdeque clariora. Neque enim hic tenebræ sunt, neque caligo, neque procellæ, et mihi videtur per hæc significari obscuritas Veteris Testamenti : hoc est, quod difficile valebat intelligi, et umbratio legis et velamen, quod erat illis litteris superpositum. Ignis autem significat legislatorem in igne severum atque terribilem. Tubarum autem sonus merito sunt adhibiti ibi, ut puta imperatore præsente. Nam hoc et in secundo adventu futurum est : « In novissima, inquit, tuba cuncti resurrecturi sunt (*I Cor.* xv) ; » hæc enim vocis tuba factura est. Omnia igitur in illo tempore sensibilia erant, tam auditui humano, quam visui, nunc autem spiritalia nobis cuncta tributa sunt. Tunc fumus, inquit, erat plurimus, quoniam Deus dicitur ignis esse, nam et in rubo similiter apparuisse memorantur, et per fumum etiam ignem fuisse significat. Tenebræ autem et caligo terrorem videntibus afferebant : sic enim etiam Isaias dicit : « Et impleta est domus ex fumo (*Isa.* vi). » Procella vero quid sibi vult ? negligens erat humanum genus et segne, oportebat ergo ut erigeretur istis et redderetur attentum. Nullus enim tam hebes erat aut stolidus, qui cum hæc fierent non esset toto corde in superiora sublatus : sic enim oportebat erigi mentes hominum, cum legis instituta ferrentur : « et Moyses, inquit, loquebatur, Deus autem respondebat ei : » oportebat quippe et divinam proferri vocem, quoniam per Moysen legis erant danda præcepta, propterea etiam voce divina fide dignus efficitur. Videre namque cum non poterant propter caliginem, audire non poterant propter tenuitatem vocis ipsius. Quid ergo factum est ? Deus magna voce respondit ... « Et recusaverunt, inquit, ne adjiceretur eis verbum. » Ab ipso namque initio ipsi causa rei hujus effecti sunt, ut Deus appareret in carne. « Et loquatur nobis, inquit, Moyses, et non loquatur nobis Deus. » Qui comparationes faciunt, alteram partem deprimunt, ut res alterius partis emineant, sic et hic ex comparatione illorum nostra majora declarantur, et meliora et mansuetiora et admirationum plenissima. Dupliciter namque meliora sunt, quoniam et meliora simul et clariora sunt, unde accessibiliora pluribus exstiterunt : hoc quippe etiam in Epistola ad Corinthios dicit scribens : « Revelata facie gloriam Domini speculantes, » et non sicut Moyses, velamen enim imponebat super faciem suam (*II Cor.* iii). Non meruerunt, inquit, illi talia percipere, qualia nobis contributa noscuntur. Quid enim illi videre meruerunt ? tenebras et caliginem, audierunt quidem et vocem : sed et tu audisti vocem non per nebulam venientem, sed per carnem Christi. Non es tumultuatus neque perturbatus, sed stetisti et collocutus es mediatori. Significant etiam tenebræ invisibilitatem Dei, « et nebula, inquit, sub pedibus ejus (*Psal.* xvii). » Tunc ergo Moyses timuit, nunc autem metuit nullus, et tunc plebs stetit tota deorsum, nos autem etsi a cœlo deorsum sumus, verumtamen propinquamus Filio Dei, et non sicut Moyses, illic enim eremus erat, et circumcirca desertio, hic autem civitas et millium celebritas angelorum. In hoc verbo gaudium significat et jucunditatem, pro caligine, pro tenebris, pro turbine procelloso. « Et Ecclesiam, inquit, primitivorum, quæ in cœlis scripta est, et ad judicem Deum omnium. » Illi non accesserunt, sed procul stabant, vos autem accessistis, inquit. Illic autem terret eos dicendo, « et judicem Deum omnium, » non tantum Judæorum neque fidelium, sed totius videlicet mundi. « Et ad Spiritum, inquit, justorum perfectorum. » Animas dicit, quæ apud Deum probabiles exstiterunt. « Et ad mediatorem, inquit, Novi Testamenti Jesum et sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel. (Maurus.) » Quid autem ? num sanguis Abel locutus est ? Ita est, inquit, nam supra dixit, et per eam hoc est per fidem adhuc usque mortuus loquitur, et iterum Deus dixit : « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me (*Gen.* iv). » Sive ergo isto modo intelligendum est, sive illo, quoniam adhuc usque celebratur hoc factum. Verumtamen non ita, sicut iste, hoc est sanguis Christi. Ipse namque mundos reddidit universos, et vocem emittit significantiorem atque clariorem, quanto etiam majus testimonium ex rebus ipsis accepit ! (*Joan.*) Si, inquit, sanguis loquitur, multo magis loquitur, qui vivit occisus. Quid autem loquitur ? « Ipse, inquit, Spiritus loquitur pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* viii). » Quomodo loquitur ? ingressus quippe mentem sinceritate purgatam, erigit eam et facit loqui magnalia. (*Greg.*) De Abel sanguine dictum fuerat : « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, » sed sanguis Jesu melius loquitur, quam Abel, quia sanguis Abel mortem parricidæ fratris petiit, sanguis autem Domini vitam persecutoribus impetravit. Ut ergo nobis sacramentum Dominicæ passionis non sit otiosum, debemus imitari quod sumimus, et prædicare cæteris quod veneramur. Locum enim latendi clamor ejus in nobis invenit, si hoc quod mens credidit lingua tacet. Sed ne in nobis clamor ejus lateat, restat ut unusquisque juxta modulum suum vivificationis suæ mysterium proximis innotescat.

« Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non « effugerunt recusantes eum, qui super terram lo- « quebatur, multo magis nos, qui de cœlis loquen- « tem nobis avertimus, cujus vox movit terram « tunc, modo autem repromittit dicens, Adhuc se- « mel, et ego movebo non solum terram, sed et « cœlum. Quod autem, Adhuc semel, dicit, de- « clarat mobilium translationem tanquam facto-

Digitized by Google

« rum ut maneant ea quæ sunt immobilia. » (*Joan*). Attendite, inquit, « vobis ne respuatis loquentem, » hoc est, non negligatis. « Si enim illi non fugerunt respuentes super terram loquentem. » Quem putas in hoc loco significat? mihi quidem videtur quod Moysen significat. Quod autem dicit, tale est, si illi, qui recusaverunt legislatorem in terra constitutum, non valuerunt effugere, quomodo valemus recusare eum qui nobis de cœlo legis præcepta constituit? Nec putes quod in hoc loco alterum dicat latorem legis, et alterum Evangelii, absit. Non hoc dicit, sed hoc significat, quoniam terribilis apparet, cum de cœlo loquitur, idem ipse est quidem tam iste, quam ille, sed terribilior tunc magis, quam illo tempore. Non enim differentiam personæ significat, sed modum quo nobis legem novam dedit, alterum esse dicit. Unde certum est? « Si enim illi, inquit, non effugerunt recusantes eum qui in terra fuerat constitutus, multo magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus. » Quid ergo dicimus, alius est iste, alius ille? quomodo ergo dixit, « cujus vox movit terram tunc? » Si enim vox ejus movit terram, qui tunc dederat legem, nunc autem promittit dicens : « Adhuc semel, et ego movebo non solum terram, sed etiam cœlum, » certum est quod idem ipse sit. « Quod autem dicit adhuc semel, declarat mobilium translationem tanquam factorum. » Quid est, quod his verbis significatur? nimirum quoniam auferentur cuncta de medio et in melius universa mutabuntur : hoc enim mihi videtur in hoc loco significari. Quid ergo doles, inquit, cum pateris aliquid in hoc mundo, qui non poterit permanere, qui post paululum transiturus est? Si in novissimis sæculis hic mundus requiem forsitan habuisset, tunc tribulari potius oportebat eum qui festinat ad finem. « Ut permaneant, inquit, ea quæ sunt immobilia. » Quæ namque ista, vel qualia sunt immobilia? futura videlicet. Pro isto igitur fine cuncta faciamus, ut illam vitam adipisci possimus, ut illis bonis ineffabilibus perfruamur. « Itaque regnum « immobile suscipientes, habemus gratiam per quam « serviamus placentes Deo cum metu et reverentia : « etenim Deus noster ignis consumens est. » Quod alibi dixit : « Quæ videntur temporalia, quæ vero non videntur æterna (*II Cor*, IV), » et inde sumpsit exhortationis et consolationis argumentum pro malis quæ in præsenti tempore toleramus, sic etiam hic facit ac dicit : firmi debemus existere ut habeamus gratiam, hoc est, gratias agamus Deo. Non solum non debemus inæquanimiter ferre præsentia mala, sed etiam gratias illi pro futuris bonis offerre. « Per quam, inquit, serviamus bene placentes Deo. » Hoc est, sic quippe placentes Deo servimus, cum ei per omnia gratiæ deferuntur. « Omnia, inquit, facite sine murmuratione et sine hæsitatione. » Quod enim quis operatus fuerit murmurans recidetur, et perit merces ejus. Sicut etiam Israelitæ quale judicium percepterunt propter murmurationem? Propterea, inquit, non murmuretis, non enim placet Deo, quando cum murmuratione servitur, et non ei pro omnibus gratiæ deferuntur, et pro tentationibus, et pro spiritalibus, nihil ergo supinum loquamur, nihil impudens, sed submittamus nos, ut venerabiles ac reverentes esse possimus, hoc est cum reverentia et metu Domini.

CAPUT XIII.

Hortatur ad operandum bonum erga proximos, seipsos atque prælatos, ac pro se orationem petit, et suæ orationis beneficium offert cum salutatione.

« Charitas fraternitatis maneat et hospitalitatem « nolite oblivisci per hanc enim latuerunt quidam, « angelis hospitio receptis. » (*Joan.*) Intuere quomodo eos præcepit præcepta præsentia custodire, non enim eis alia superimponit, non dixit, Efficimini amatores fratrum, sed, Permaneat charitas fraternitatis; et iterum, non dixit, Hospitales efficimini, tanquam si non essent, sed « hospitalitatem nolite oblivisci. » Ex tribulationibus enim poterat hoc fortasse contingere. « Per hanc enim, inquit, quidam placuerunt (sive, secundum aliam editionem, latuerunt) angelos hospitio recipientes. » Attendis quantus honor, quantum lucrum? Quid est latuerunt? hoc est nescientes in hospitio receperunt : propterea et multa merces es Abraham, quia nesciens eos angelos esse, in hospitio recepit. Nam si sciret, nihil mirum esset. Quidam dicunt, quoniam in hoc loco etiam Lot significatur. « Mementote vinctorum tanquam simul « vincti, et laborantium tanquam et ipsi in corpore « morantes. Honorabile conjugium in omnibus, et « thorus immaculatus. Fornicatores et adulteros ju« dicabit Deus. » Contemplare quantus illi de pudicitia sermo profunditur. « Pacem, inquit, cum omnibus sectamini et sanctificationem, ne quis fornicator vel pollutus; » et iterum, « fornicarios autem et adulteros judicat Deus. » Sed videamus nunc qualiter honorabiles esse nuptias in omnibus dicat, et thorum immaculatum. Quoniam videlicet in sanctitate pudicitiæ facit conservari fidelem. Hic etiam Judæos pulsat, qui pollutum putabant conjugalem concubitum, et dicebant ex lecto conjugis surgentem mundum non posse constare. Non est igitur pollutum, quod ex natura conceditur, o ingratissimi et insensatissimi Judæi, sed quod ex prava voluntate descendit, nam si honorabiles quidem sunt nuptiæ, mundæ etiam sunt. Cur itaque ex his pollutionem fieri existimas? et primo ponens, « honorabile connubium in omnibus et thorum immaculatum, » ostendit quia juste intulit quæ sequuntur. Si enim connubium est concessum, juste fornicator suppliciis afficitur, juste puniuntur adulteri. Hic adversus hæreticos dimicat. Et vide quam bene hic non dixit iterum, Nullus sit avarus, sed simul [*F.* semel] dicens, tunc intulit, veluti commune consilium, non velut ad ipsos solos sermones dirigens. « Sint mores sine avaritia contenti præsentibus. » Sint, inquit, mores sine avaritia. Non dixit, Nolite possidere, sed « sint mores sine avaritia : » ostendit philosophiam cujusque voluntatis [*F.* ostendat... voluntas] : etenim supra dixerat : « Et

Digitized by Google

rapinam substantiarum vestrarum cum gaudio susce- pistis (*Hebr.* x) » unde ostendit eos non esse avaritiæ deditos. Juste ergo eos admonet, « et sufficientiam, inquit, habentes præsentium. » Quoniam plurimi post exinanitionem substantiarum suarum, postea cupiunt sub obtentu eleemosynæ iterum congregare divitias, « propterea, inquit, sint mores sine avaritia, » hoc est, ut illud exspectemus, quod usui opus fuerit et pro necessariis tantum curam geramus. Quid ergo dicit aliquis si nec ipsorum necessariorum nobis contingat habere suffragia ? Non est hoc, crede mihi, non hoc est. « Ipse quippe dixit : Non te deseram « neque derelinquam, ita ut confidenter dicamus, « Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat « mihi homo. » Iterum in tentationibus consolatio : ipse quippe dixit et protinus nulla ratione mentitur, « quoniam non te derelinquam. » Proinde cum confidentia nos dicere possumus, « Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo : » promissum habes, non debes hæsitare : ipse promisit, non ambigas. Quod autem dicit, « non te derelinquam, » non de pecuniis tantum dicit, sed etiam de aliis cunctis, « Dominus, inquit, mihi adjutor est, non timebo, quid faciat mihi homo, » et recte ; hoc igitur etiam nos in universis tentationibus exclamemus, et Deum habentes propitium humana omnia irrideamus : sicut enim Deo indignante, nihil nobis proderit, ac si cuncti amici consistant : sic etiam Deo nos diligente nulla nobis erit necessitas, nulla læsio, ac si nos cuncti hostiliter insequantur, « non timebo, inquit, quid faciat mihi homo. »

« Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis « locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum « conversationis, imitamini fidem. » In hoc loco etiam de adjutorio in fratres eum existimo dicere, hoc est enim quod dicit : qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum contemplantes exitum conversationis imitamini fidem. » Quid est contemplantes? sæpius animo versantes, et apud vosmetipsos examinantes, considerantes subtiliter, discutientes, inquit, exitum conversationis, hoc est perseverantiam usque in finem, quoniam finem bonum habuit eorum conversatio. Intuentes, inquit, eorum vitam, imitamini fidem : ex vita munda fides. Fides firmitatem dicit. Quomodo? quoniam credunt de futuris : non enim ostenderent vitam mundam, si hæsitarent de futuris. « Jesus Christus heri et hodie, ipse in sæcula sæculorum. » *Heri* omne præteritum significat tempus, *hodie* præsens, *sæculum* vero futurum sine termino, tanquam si diceret : audistis pontificem, sed non pontificem, qui desinat esse, semper idem ipse est. Veluti si essent quidam qui dicerent, quoniam non est, sed alter venturus est ; ad hoc respondit, quoniam, qui fuit heri, ipse etiam hodie et in sæculum : nam hodieque Judæi dicunt alium esse venturum ; expertes semetipsos ab eo reddentes qui verus est pontifex, declinaverunt in errorem, ut Antichristum putarent esse venturum. « Doctrinis « variis et peregrinis nolite abduci. » Doctrinis, inquit, variis et novis non circumferamini, non solum novis, sed etiam variis. Novas dicit doctrinas, hoc est præter quas audistis a nobis, hoc est multiformes et multimodas. Nihil enim firmum possident, sed sunt differentiarum varietate multiplices, et maxime dogma de escis valde constat implexum. « Bonum est enim gratia stabiliri cor, non escis, « quæ non profuerunt ambulantibus in eis. » Hic pedetentim eos significat, qui escarum introducunt observationes : fidei quippe universa munda sunt. Fide ergo opus est, nos escis. Istæ sunt variæ, istæ novæ, maxime Christo dicente : « Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod egreditur (*Matth.* xv) ; « et intuere illum non audentem hoc manifeste dicere, sed tanquam sub aliqua significatione. « Bonum est enim, inquit, gratia confirmare cor, non escis. » Totum enim in fide constat, si ipsa firmetur, cor quoque munitum erit. Fides igitur cuncta confirmat, cogitationes autem variæ commovent, contraria quippe est fides vaganti cogitationi. « In quibus his qui ambulaverunt, inquit, nihil utile provenit : » quod enim lucrum est, rogo, ex observationibus? nonne interimunt magis? nonne hujusmodi hominem sub peccato constituunt? hoc enim custodire potius est. « In quibus, inquit, qui ambulaverunt, nihil habuerunt utilitatis, hoc est, qui semper ista custodiunt. Una namque est observantia, abstinere videlicet a peccato. Quid enim prodest abstinere a cibis, dum etiam quidam in tantum sint vecordes, ut etiam de sacrificiis participari non valeant? Proinde nihil eos salvavit, licet studium gererent circa hujuscemodi observationes, verum quia fidem non habuerunt, nihil illis profuit escarum illa custodia. « Habemus altare, de quo edere « non habent potestatem, qui tabernaculo deser- « viunt. » Non enim qualia sunt apud Judæos, talia etiam nostra sunt, ita ut nec pontifici liceat ex his participem fieri. Proinde quoniam dixerat, nolite hæc custodire, ne posset putari sua destruere, merito iterum ipsum versat, nos, inquit, talia custodimus, custodimus enim et vehementius, neque ipsis sacerdotibus ex his aliquatenus dantes. Deinde aufert a figuris sacrificium et ad principalem formam sermonem suum redigit dicens : « Quorum « enim animalium infertur sanguis pro peccato in « sancta per pontificem, horum corpora cremantur « extra castra. » Illa itaque typus erant istorum, etsi cuncta Christus implevit foris sustinens passionem. In hoc etiam illud significat, quod sponte pati dignatus est, ostendens quoniam illa non erant simpliciter instituta, sed quia etiam illa dispensatio passionis hujus erat significatio. « Propter quod et Jesus, ut « sanctificaret per suum sanguinem populum extra « portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra « castra improperium ejus portantes : non enim ha- « bemus hic manentem civitatem, sed futuram in- « quirimus. » Vides figuram magno splendore fulgentem? Pro peccatis, inquit, extra portam passus est ; « egrediamur igitur ad eum portantes inprope-

Digitized by Google

rium ejus,» hoc est, eadem ipsa perpatientes et communicantes ei in passionibus, qui condemnatus, crucifixus est foris, foris quippe passus est, sed ad cœlum sanguis sublatus est. Intueris igitur quoniam sanguinem participamur, qui infertur in sancta, sed sancta veracia. Nos igitur veritatem participamur. Si ergo non improperium, sed potius sanctificationem participamur, improperium illud sanctificationis est causa : sicut enim ipse improperium sustinuit, sic etiam nos. Proinde si egredimur, participamur cum eo. Quid autem est quod dicit, « egrediamur ad illum? » Videlicet communicemus cum eo passiones, portemus ejus improperia : non enim simpliciter extra portam conversari nos jussit, sed sicut ille improperia sustinebat, sicuti condemnatus est, sic etiam nos. (*Greg.*) Propter hoc quippe incarnatus est Deus, ut nos introduceret ad fidem, et educat ad speciem visionis suæ. Unde in sancto quoque Evangelio loquitur dicens. « Per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet (*Joan.* x), » ingredietur videlicet ad fidem, egredietur autem ad speciem, pascua vero inveniet in æterna satietate. Hinc etiam Psalmista ait : « Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum (*Psal.* cxx). » Custodit enim Dominus uniuscujusque animæ introitum, quo intrat ad fidem : exitum quoque, quo exit ad speciem, ut neque intrans Ecclesiam erroribus supplantaretur, neque ab hac temporali ad æternam exiens, ab antiquo hoste rapiatur. Propter hunc vero egressum nostrum, quem quotidie debemus mente meditari, de Redemptore nostro Paulus quoque loquitur dicens : « Ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes : non enim hic habemus manentem domum [civitatem], sed futuram inquirimus. » Vir itaque qui apparuit Ezechieli prophetæ (*Ezech.* x) in portis stetit, atque ita locutus est, quia mediator Dei et hominum Christus Jesus, in ipso quoque passionis suæ tempore præcepta vitæ discipulis dedit, ut hi qui in eum credunt ad portam semper aspiciant et passionem ejus sollicita consideratione pensantes, a suo quoque exitu cordis oculos non avertant. « Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis « semper Deo, id est fructum labiorum confitentium « nomini ejus. » (*Joan.*) Illi offerebant pecudes, vitulos et dabant pontifici, nos autem nihil horum offerimus, sed solam gratiarum actionem hanc labia nostra germinent. Nihil blasphemiæ nostra vox resonet, nihil supinum, nihil protervum, nihil contumax, nihil arrogans, sed cum verecundia et reverentia conversatio nostra fiat, anima quippe in tribulationibus, cum in desperationem incurrit, etiam impudens efficitur, sed nos talia fugiamus. Ecce iterum idem ipsum dixit, quod superius prolocutus est, « non deserentes, inquit, congregationem nostram; » sic enim possumus, inquit, cum verecundia cuncta perficere : sæpius enim etiam homines erubescentes a multis abstinent pravis operibus. « Beneficentiæ autem et « communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis « promeretur Deus. » Non præsentibus fratribus hæc denuntio tantum, verum etiam absentibus. Si autem alii vestras rapuere substantias, tamen ex his quæ habetis hospitalitatis opus ostendite, qualem itaque excusationem nos habebimus, cum audiamus talia dici his, quos rapinam substantiarum suarum sustinuisse constabat? et non dixit hospitalitatis, sed amoris hospitalitatis, quod in Græco distinctius invenitur, non posuit ξενοδοχίαν, quod significat hospitalitatem, sed φιλοξενίαν, quod amorem hospitalitatis insinuat, tanquam si diceret, Nolite simpliciter hospites suscipere, sed cum amore hoc et charitate perficite; et non dixit futuram et repositam vobis retributionem, ne eos iterum supiniores efficeret, sed jam retributum esse dicit: « Per hanc enim, inquit, latuerunt quidam in hospitio recipientes angelos. » — « Talibus, inquit, sacrificiis placatur Deus. » Demus illi talem hostiam, ut etiam ipse eam offerat Patri; aliter autem non offertur nisi per Filium, magis autem etiam per mentem contritam. Omnia hæc propter infirmos; nam quia Filii est gratia, manifestum est; alioquin quomodo honor illi æqualis est? « Ut omnes, inquit, honorificent Filium, sicut honorificant Patrem (*Joan.* v). » Ubi est ergo honor æqualis, si similis non est? « Fructum, inquit, labiorum confitentium nomini ejus. » Omnia toleremus cum gratiarum actione, sive paupertas sit, sive ægritudo, sive quidquid aliud nobis evenit, ipse solus agnoscit quid nobis prodest. « Quid enim oremus, inquit, si sicut oportet nescimus (*Rom.* VIII). » Qui ergo neque orare novimus quod oportet, nisi et spiritu Dei acceperimus, festinemus pro omnibus gratias referre et fortiter omnia tolerare. In paupertate sumus, gratias agamus; in ægritudine, gratias agamus; calumnias sustinemus, gratias agamus; aliquid malum patimur, gratias agamus : hoc enim nos facit proximos esse Deo.

« Obedite præpositis vestris et subjacete eis. Ipsi « enim pervigilant quasi rationem pro animabus ve- « stris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non « gementes : hoc enim [*Vulg. add.* non] expedit vobis. » Postquam superius dixerat, « quorum contemplantes exitum conversationis, imitamini fidem, » tunc intulit; « obedite præpositis vestris et subjecti estote. » Primum constituit eos et tunc dixit, « Obedite præpositis vestris et subjacete eis. » Quid ergo, dicit aliquis, dum præpositus malignus exstiterit, non obaudiemus? malignum qualiter dicis? siquidem in causa fidei est, fuge illum et evita, non solum si homo fuerit sed etiam si angelus de cœlo descenderit : si vero in voto et moribus malignum dicis, noli scrutari. Et hæc non ex meipso dico, sed ex Scriptura divina. Audi Jesum dicentem : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi (*Matth.* II). Et primo dicens de his multa mala, tunc dixit, « Super cathedram Moysi sederunt. « Omnia, inquit, quæ dixerint vobis facite, quæ autem fecerint, facere nolite. » Habent, inquit, dignitatem, licet vitæ sint perditæ, verumtamen non ad vitam eorum, sed ad

Digitized by Google

sermones intendite, quantum enim ad mores attinet, nullus poterit lædi. Qua ratione hoc? Quia quæ facit manifesta sunt omnibus, et neque ipse ac si ad cacumen iniquitatis perveniat, poterit alios mala docere. Cum autem fidei causa vertitur, neque manifestum est omnibus quod dicitur, neque malignus dubitat docere contraria. Nam et quod dictum est : « Nolite judicare, ne judicemini (*Matth.* VII), » de vita dictum est, non dè fide, quod enim infertur, hoc manifestat. « Quid vides, inquit, stipulam in oculo fratris tui et trabem in oculo tuo non vides? omnia ergo quæ vobis dixerint, » inquit, « ut faciatis, facite : » facere autem operis est, non fidei, « secundum autem opera eorum nolite facere. » Intueris quoniam non de dogmatibus, sed de vita et operibus sermo est? « Ipsi enim vigilant pro vobis rationem redditurі. » Audiant et principes, non soli illi qui reguntur a principibus, quoniam sicut obedientes oportet esse qui reguntur, sic etiam rectores et principes vigilantes esse decet. Hoc, inquit, dico, « ut cum gaudio faciant et non congemiscentes, non enim expedit vobis. » Intueris quoniam cum contemnitur princeps, non oportet ultiones ingerere, sed tota ultio est plorare, ingemiscere; nam et medicus quando ab ægroto contemnitur, non se ulciscitur, sed plorat et ingemiscit. Sed dicis quia si ille ingemiscit, ulciscitur in te Deus : si enim pro nostris peccatis ingemiscimus, adducimus ad nos propitiationem Dei, pro aliorum vero superbia vel contemptu cum ingemiscimus, nonne amplius advocamus Deum? Gemitus enim omni erit ultione deterior. Quando enim ipse non intelligit ingemiscens, invocat Dominum, et sicut cum doctor contemnitur a puero, pædagogus vocatur, qui severius accedat ad puerum : sic etiam hi inobedientibus discipulis loquuntur... periculum.

« Orate pro nobis; confidimus enim quia bonam « habemus conscientiam in omnibus bene volentes « Conversari. » Intueris quoniam hæc deprecationes sunt, veluti ad contristatos scribens [scribentis], et ad qui eos avertebantur, et qui circa eum veluti circa præcatorem afficiebantur, non ferentes neque nomen ejus audire. Quoniam igitur ab odientibus se talia postulabat, qualia quis a dilectoribus potest præsumere, propterea in hoc loco hoc constituit dicens, « confidimus, quia bonam conscientiam habemus. » Veluti si diceret, Nolo mihi accusationes aliquas proferatis. Conscientia, inquit, nostra nos in nullo condemnat, neque nobis aliquid conscii sumus, quoniam vobis insidias fecerimus. « Confidimus, inquit, quoniam bonam conscientiam habemus in omnibus, » non in gentibus tantum, sed etiam in vobis. Nihil negotiationis gratia fecimus, nihil cum fictione protulimus, fortasse enim in talibus accusabatur : « Audierunt enim, inquit, de te, quoniam discessionem doces a lege (*Act.* XXI). » Non sicut inimicus, inquit, neque sicut hostis, sed sicut amicus hæc scribo : hoc etiam ex his quæ sequuntur ostenditur : « Amplius autem deprecor vos hoc facere, ut quo « celerius restituar vobis. » Hoc enim nimium amantis est, sic orare, non simpliciter, sed cum tota intentione et omni prorsus studio. Ut cito, inquit, ad vos veniam. Hoc animi est nihil sibi conscii, festinare, ut ad eos velociter adveniret, et exhortari illos, orare pro illo, ut hoc ei concederetur. Primum ab ipsis postulat orationis auxilium, tunc etiam ipse pro eis omnia bona deprecatur. « Deus autem pacis, « qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in « sanguine testamenti æterni Dominum nostrum Je- « sum Christum, aptet vos in omni opere bono, ut fa- « ciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod pla- « ceat coram se, per Jesum Christum, cui gloria « in sæcula sæculorum. Amen. » Deus autem, inquit, pacis. Nolite igitur dissidere a nobis, si vultis Deum pacis habere propitium. « Qui eduxit, inquit, de terra pastorem pecorum. » Hoc de resurrectione dictum est. Hinc enim usque ad finem orationis rationem eis de resurrectione confirmat, et testificatur eis majora perfici. Ad illos enim pertinet, qui jam sumpsere principium, et quorum ad perfectionem omnis cursus intendit. Oratque pro eis, quod pertinet ad amantem. Et in aliis quidem epistolis in exordiis orat, hic autem in fine. « Aptet vos, inquit, in omni opere bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod placeat coram se. » Intueris qualiter ostendit ingenerari posse virtutem, neque ex Deo dicit totum, neque ex nobis eam perfici tantum. Nam quod dicit, « ut perficiat vos in omni opere bono, » hoc significat : Habetis quidem virtutem, indigetis autem complemento. Quid autem est quod dicit « in omni opere et sermone bono? » Ut vitam videlicet rectam haberent et dogmata. Secundum voluntatem ejus, inquit, « faciens in vobis beneplacitum in conspectu ejus. » Hæc quippe est maxima virtus facere beneplacitum in conspectu Dei; secundum quod etiam Propheta loquitur dicens, « et secundum munditiam manuum mearum, inquit, in conspectu oculorum ejus. » (*Paphnut.*) Deum quoque aptare sive confirmare animos nostros ad omne opus bonum, et operari in nobis ea quæ sibi sunt placita, Apostolus docet dicens : « Deus autem pacis, qui eduxit de tenebris pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni Jesum Christum, aptet vos in omni bono faciens in vobis, quod placeat coram se, » quod etiam Thessalonicensibus ut eveniat ita precatur dicens : « Ipse autem Dominus Jesus Christus et Deus Pater noster, qui dilexit nos et dedit consolationem æternam et spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra et confirmet in omni opere et sermone bono (*II Thess.* II). » Ipsum denique timorem Dei, quo firmiter eum tenere possimus, a Domino nobis Jeremias propheta ex persona Dei manifeste testatur infundi, ita dicens : « Et dabo eis cor unum, et animam unam, ut timeant me universis diebus, et bene sit eis et filiis eorum post eos et feriam eis pactum sempiternum, et non desinam eis benefacere, et timorem meum dabo in corda eorum, ut non recedant a me (*Jer.* XXXII). » Ezechiel quoque : « Et dabo eis cor novum, et spiritum novum tribuam in visceribus eo-

Digitized by Google

rum, et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent et judicia mea custodiant, faciantque ea, et sint mihi in populum et ego sim eis in Deum (*Ezech.* XI). » Quibus manifestissime perdocemur et initium voluntatis bonæ nobis, Domino inspirante, concedi, cum aut per se, aut per exhortationem cujuslibet hominis, aut per necessitatem nos ad salutis attrahit viam, et perfectionem virtutum ab eodem similiter condonari, nostrum vero hoc esse, ut adhortationem auxiliumque Dei vel remissius vel enixius exequamur, et pro [per] hoc nos vel remunerationem vel supplicia dignissima promereri, quod ejus dispensationi ac providentiæ erga nos benignissima dignatione collatæ, vel negleximus, vel studuimus nostræ obedientiæ devotione congruere, quod evidenter in Deuteronomio aperteque describitur : « Cum, inquit, introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus ingredieris, et deleverit gentes multas coram te, Cethæum et Gergesæum, et Amorrhæum, et Chananæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, septem gentes multo majoris numeri et robustiores te, tradideritque eas Dominus tibi, percuties eas usque ad internecionem, non inibis cum eis fœdus, neque sociabis cum eis conjugia (*Deut.* VII). » Quod igitur introducuntur in terram repromissionis, quod delentur gentes multæ coram eis, quod traduntur in manus eorum nationes majoris numeri, et robustiores quam populus Israel, Dei esse gratiam Scriptura pronuntiat. Utrum autem percutiat eas Israel usque ad internecionem, an reservet eas et parcat, et utrum ineat cum eis fœdus, et utrum societ cum eis conjugia, an non societ, ipsorum esse testatur. Quo testimonio manifeste discernitur quid libero arbitrio, quidve dispensationi, vel quotidiano adjutorio Domini debeamus ascribere, et quod divinæ sit gratiæ præstare nobis occasiones salutis et proventus secundos atque victoriam; nostrum vero ut concessa Dei beneficia vel intentius, vel segnius exsequamur.

« Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum « solatii : etenim perpaucis scripsi vobis. » Intueris quia quod nullis scripsit istis scribit, etenim, inquit, non vobis sum molestus longo sermone. (*Joan.*) Tanta scribens Apostolus parva illa esse dixit, in comparatione scilicet eorum quæ dicturus erat, secundum quod et alibi dixit : « Sicut scripsi vobis in modico secun- D « dum quod potestis legentes intelligere prudentiam « meam in mysterio Christi (*Ephes.* III). » Et vide sapientiam ejus : non dicit, Obsecro vos sustinere verbum admonitionis, sed, « Sustinete verbum consolationis, » hoc est verbum solatii, verbum adhortationis. Non potest quisquam, inquit, longitudinem sermonis abnuere nisi in patientia. Hoc quippe erat quod eos aversari faciebat. Non vult hoc ostendere, sed latenter hoc dicit, tanquam si diceret : etsi pusillanimes estis, talium est enim non est ferre sermonis longitudinem. (*Greg.*) Curandum quoque quantum loquamur, ne si ei qui multa ferre non valet, verbum vel exhortationis, vel increpationis, longius A trahamus, auditorem nostrum ad fastidium perducamus. Unde idem prædicator egregius Hebræis loquitur dicens : « Obsecro vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii : etenim perpauca scripsi vobis. » Hoc tamen infirmis præcipue congruit, ut pauca quidem quæ capere prævaleant, audiant, sed quæ eorum mentes in pœnitentiæ dolore compungant. Nam si eis uno in tempore exhortationis sermo fuerit multipliciter dictus, quia multa retinere non valent, simul amittunt omnia. Undè et medici corporum pannos, quos infirmantibus stomachis ponunt, apto quidem medicamine sed subtiliter liniunt, ne si repleti multo medicamine fuerint infirmitatem stomachi non roborantes adjuvent, sed opprimentes gravent. (*Joan.*) « Co- « gnoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum, B « quod si celerius venerit, videbo vos. » Hoc enim idoneum erat, ut eos mansuetiores efficeret, quod se paratum dixit ad eos venire, ut eos cum suo discipulo videret. Arbitror autem eos quia circa Timotheum non se habebant infensius, unde etiam ipsum præposuit, « cognoscite, inquit, fratrem Timotheum dimissum, cum quo si celeriter venerit videbo vos. » Dimissum autem dixit, unde? Arbitror enim quod in custodia fuerit missus, aut si hoc non est, dimissum dicit ab Athenis; nam et in apostolorum Actibus sic habetur. « Salutate omnes præpositos « vestros et omnes sanctos; salutant fratres vos de « Italia; gratia cum omnibus vobis, Amen. » Intueris quomodo eos honorabiliter tractat? siquidem ad illos pro illis scribebat. « Gratia, inquit, cum omnibus C vobis, Amen. » Gratiam eis optat, quod est omnium commune. Qualiter autem fit gratia nobiscum? Si non injuriam ei faciamus, quando nobis beneficia conferuntur, si negligentes non existamus circa munera Dei. Quid est gratia? Remissio videlicet et purgatio peccatorum, hæc nobiscum est, si bene egerimus. Nam quis injuriosus poterit istam servare gratiam, et non statim evacuatus efficitur? Verbi gratia, donavit tibi omnia peccata, quomodo tecum gratia permanebit, sive spiritus sancti operatio, nisi eam per bona opera ad temetipsum attraxeris? Hæc quippe est causa omnium bonorum, si in nobis spiritalis gratia perseverat. Hæc quippe nos ad omnia bona recto itinere deducit, sicut etiam quando ab ea excedimus, perimus, et deserti efficimur omni bono. Non itaque eam repellamus. In nobis quippe est etiam, ut permaneat in nobis, vel ut discedat a nobis; illud enim fit quando cœlestia meditamur : hoc autem, quando ad sæcularia declinamus. « Quem mundus, inquit, non potest accipere, quoniam non videt eum, neque cognoscit eum. » Contemplaris igitur, quoniam non est sæcularis animæ habere spiritum sanctum? Multo nobis itaque opus est studio, ut eum apud nosmetipsos retinere possimus, et munitos nos reddere atque in pace collocare. Sicut enim navis quæ prospero fluctu fertur in pelago non potest impediri neque demergi usquequo prospero vento ac perseverante perfruitur, sed etiam post navigationem gloria eis magna contingit, sive nautis, sive epibatis; illis quidem requiem

Digitized by Google

tribuens, quod labore remigationis non fuerint fatigati: istis autem quod eos maris molestia liberavit et navigationem ipsam hilarem fecit, et velut spectaculum illis jucundum ipsam prosperitatem cursus attribuit; sic etiam anima divino adjuta spiritu omnibus rebus superior existit, et omnibus fluctuationibus vitæ hujus eminebit, et viam in cœlum ducentem vehementius, quam illa navis incedit, utpote quæ non vento impellitur, sed ab ipso paraclito fertur munda vela possidens et plena prosperis flatibus omnem remissionem et dissolutionem a sua mente discutiens: sicut enim in velis jactatis ventus incidens nihil operatur: sic etiam Spiritus sanctus in anima remissa et segni non patitur permanere, sed opus est nobis omni districtione omnique vehementia, ut mens nostra ardens in nobis existat, et omnia in nobis opera intenta sint et fortia. Verbi gratia, quando oramus cum multa intentione, hoc oportet efficere, intendentes animum nostrum ad cœlum non funibus, sed desiderio valido. Item quando misericordiam faciamus, intensione opus est, ne forte cura domus et providentia filiorum atque uxoris affectus vel timor egestatis subintrans remissiora vela nobis efficiat. Si enim spem futurorum attendamus undique, bene suscipit operationem Spiritus sancti; illis autem cogitationibus et miseriis impedientibus, nihil in eam gratiæ permittit incidere, ac si forte incidat, ipsam quidem nihil læsit, repercutitur autem ille flatus citius gemitibus animæ et excidit excussus. Propterea igitur multa nobis opus est intensione. Etenim jam nos in mari magno et spatioso navigamus, multis quidem bestiis pleno et multis scopulis: hoc mare multas nobis etiam tempestates ingerit et obducto cœlo nubibus majores excitat fluctus. Oportet igitur, si volumus sine molestia et sine periculo navigare, vela nostræ navis, hoc est nostræ voluntatis erigere, sufficit hoc enim nobis. Et Abraham quoniam desiderium suum intentum habuit ad Deum, et voluntatem suam integram et perfectam obtulit Deo, nihil aliud opus habuit, « sed credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam. » Fides autem integra et germana voluntas est. Obtulit filium suum, et non eum occidens, occidentis certum est recepisse mercedem, et re non facta mercès ei reddita est integra et perfecta. Sint igitur nobis munda vela, non sint veternosa. Omne namque quod veterascit, et in senium cadit, interitui proximum est, non sint contrita et dirupta, ut spiritales flatus non teneant. « Animalis enim homo, dixit Apostolus, non percipit quæ sunt spiritus (*I Cor.* II). » Sicut enim aranearum stamina flatum venti non suscipiunt, sic neque anima sæcularis, neque homo animalis gratiam poterit Spiritus sancti suscipere, nihil enim differunt ab illis staminibus cogitationes nostræ, solo visu habentes consequentiam, totius autem virtutis vacuæ permanent. Sed nostra non debent esse talia; siquidem sobrii sumus: quidquid inciderit, omnia tolerat Christianus et omnibus est superior, omni plaga fortior. Sit enim quisque spiritalis vir, et occurrant illi mille mala nullo modo vincitur. Et quid dico? incidat illi pauperies, ægritudo, injuriæ, detractio, vituperationes, plagæ, omne genus supplicii, omne genus deceptionis et improperiorum et injuriarum, sed veluti si extra mundum fuerit constitutus, et veluti si a passionibus corporis liber existat, si cuncta illa risui habebit. Et quia non hæc verbis amplificare volo, multos etiam nunc tales existimo, sicut hi qui se ad eremum contulerunt. Sed nihil hoc mirum, nam etiam in civitatibus latere tales existimo. Quod si volo, possum hujusmodi antiquos ostendere; et ut agnoscas, intellige Paulum; quid ille non mali passus est? quid non sustinuit? omnia fortiter tolerabat. Hunc imitemur, et sic poterimus ad portus venire tranquillos, lucra maxima deferentes. Extendamus igitur nostram mentem et elevemus ad cœlum, et illo amore teneamur, et igni spiritali magnanimiter induamur. Salvemus nosmetipsos flammarum incendio divinarum, nullus iis flammis circumseptus alicujus formidat incursus, sive fuerit homo, sive bestia, sive mille muscipulæ, quandiu enim quisque ignitus incedit, omnia superat, omnia excedit, omnia contemnit; flamma quippe insuperabilis res est, et importabile est cunctis rebus incendium, ignis quippe cuncta consumit. Hoc itaque igne circumsepiamur exhortor, gloriam offerentes Domino nostro Jesu Christo, cum quo Patri, una cum sancto Spiritu, gloria, imperium, honor, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

APPENDIX

AD

ENARRATIONES RABANI MAURI IN EPISTOLAS BEATI PAULI APOSTOLI.

JACOBI PAMELII

EXPOSITIO IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

PRÆFATIO.

Imprimis id hic advertendum est quod adnotetur tam ab Hieronymo quam a Chrysostomo, Theophylacto Œcumenio et Theodoreto, fuisse quosdam jam olim qui hanc ad Philemonem noluerint inter Epistolas Pauli recipere, quod de re parvi momenti scripta sit, aut certe si Pauli sit, nihil habere quod

Digitized by Google

ædificare nos possit; ideoque et a veteribus plerisque repudiatam, dum commendandi tantum scribatur officio, non docendi. At e contrario, inquit Hieronymus, qui germanæ auctoritatis eam esse defendunt, dicunt nunquam in toto orbe a cunctis Ecclesiis fuisse susceptam, nisi Pauli apostoli crederetur, et eadem lege ne secundam quidem ad Timotheum, et ad Galatas, nos debere suscipere, in quibus etiam ipse Apostolus humanæ imbecillitatis exempla dedisse etiam ipsis consentientibus convincitur. Quale est illud : « Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum (*II Tim.* IV). » Et illud : « Utinam abscindantur qui vos conturbant (*Gal.* V). » Inveniri etiam plurima et ad Romanos et ad cæteras Ecclesias, maximeque ad Corinthios remissius, et quotidiano pene sermone dictata; quas et ipsas, quia aliquid tale habent, aut Pauli Epistolas non putandas, aut si istæ recipiantur, recipiendam esse et ad Philemonem, ex præjudicio similium receptarum. Ac deinde en sua sententia. Quod si non putat, inquit, eorum esse parva quorum et magna, alterum mihi conditorem juxta Marcionem, Valentinum, et Apellem, formicæ, vermium, culicum, locustarum; alterum cœli, terræ, maris, angelorum debent introducere. Et quoniam Marcionis fecimus mentionem, Pauli esse Epistolam ad Philemonem, saltem Marcione auctore doceatur, qui cum cæteras Epistolas ejus, vel non susceperit, vel quædam in eis mutaverit, atque corroserit, in hanc solam manus non est ausus mittere, quia sua eum brevitas defendebat. Sed mihi videtur, dum Epistolam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere, non intelligentes quid in singulis sermonibus virtutis et sapientiæ lateat, quæ suis locis explanare conabimur. Si autem brevitas habeatur contemptui, contemnatur Abdias, Naum, Sophonias, et alii duodecim prophetæ, in quibus tam mira et tam grandia sunt quæ feruntur, ut nescias utrum brevitatem sermonis in illis debeas admirari, an magnitudinem sensuum. Quod si intelligerent, qui Epistolam ad Philemonem repudiant, minime brevitatem despicerent. Similiter et Græci, quia illi parvi momenti hanc Epistolam esse dicerent, et imprimis Chrysostomus latissime varias hujus Epistolæ utilitates explicat, quas breviter his verbis habes enarratas ab Œcumeno et Theodoreto. Primum instruit ut in parvis etiam rebus studiosi simus; secundo quod si servus adeo improbus conversus est, non oporteat quemque in litteris desperare; tertio quod non oporteat pietatis prætextu servos invitis dominis abstinere; demum, ut minime contemptui habeantur servi virtute præditi, quandoquidem Paulus Onesimum vocet filium. Hæc præfari fuit animus, tum ut quin germana sit apostoli Pauli Epistola dubitet, tum ut ob brevitatem Epistolam hanc contemnat aut vilipendat nemo. Jam ad argumentum pergamus, quod est ejusmodi.

ARGUMENTUM.

Philemonem virum probum Onesimus servus clam sublatis pecuniis, quod facere servi solent, reliquerat. Romam profectus, ubi cum a Paulo conversus ac baptizatus ipsi aliquandiu ministrasset in vinculis, in hac deprecatoria furti et commendatitia Epistola ad eumdem a Paulo remittitur, qua simul hospitium sibi præparari monet Apostolus.

CAPUT UNICUM.

« Paulus. » Tractatur hic ante omnia ab Hieronymo unde, quo tempore, aut quo cognominante, de Saulo Apostolus Pauli nomen acceperit. Id autem notat imprimis, non putandum esse, ut a simplicioribus latinis Saulum eum ita dictum fuisse, non Saul : quia de tribu Benjamin erat, in qua hoc nomen familiarius habebatur. Siquidem et ille Saul rex Judææ, persecutor David, de tribu Benjamin fuit. Saulus autem dicitur Hebræo nomine ad similitudinem Græcorum et Romanorum nominum declinato, sicut pro Joseph *Josephus*, pro Jacob *Jacobus*. Quia autem id hoc loco tractat Hieronymus, statuimus et nos idem facere, quantum poterimus succincte. Variæ autem sunt hic commentatorum veterum sententiæ, quarum eo quod in Scripturis plane hic incertum, nulla rejici potest, ut pote quæ omnes et singulæ magnos habeant auctores. Origenis quidem in Commentario super Epistolam ad Romanos est sententia quod cum hoc nomine et Pauli vocabulum ab initio possederit, quia civis erat Romanus, quibus gratius erat nomen Pauli, quemadmodum et in Veteris Instrumenti libris multos variis comperimus appellatos nominibus. Augustini et Ambrosii, quod cum religione et nomen mutarit. Hieronymi hoc loco, et Bedæ, lib. II in Act. apost., c. 9, quod Pauli nomen ceu tropæum usurparit a Sergio proconsule, quem Christo lucrifecit, ut legere est Act. XIII, quemadmodum a devicta Africa Scipio Africanus; a Creta insula subjugata Metellus Cretici insigne suæ familiæ reportavit. Habes magnorum auctorum discrepantes sententias. Conatur, ut videtur, non recte. Erasmus Origenis sententiam præ aliis sequitur, rejecta non tantum ea quæ secundo loco, sed et ea quæ tertio est loco commemorata, opinione, cum plerisque magis probetur Hieronymi sententia. Quod autem affert Erasmus contra Hieronymum, XIII Act. apostolorum, Paulum vocatum antequam convertisset Sergium, a Beda loco jam dicto manifeste solvitur, per figuram Scripturis familiarem prolepsin sive anticipationem. Opportunum, inquit, docente Luca, ibi præsignare quia Paulus esset vocandus, ubi eum primo post conversionem Hierosolymam venisse narraret. Loquitur enim de loco Act. IX. Ubi enim noster textus habet Latinus : « Cum venisset autem in Hierusalem, » interpositum fuit in Codice Græco ipsius Bedæ : « Cum venisset autem Paulus in Hierusalem; » atque ad eum locum alludit ipse, quanquam interim mendum habuisse videatur codex ipsius, cum hodie passim exemplaria Græca eo loco non Παῦλος, sed Σαῦλος legant. Atque sic etiam pro confirmatione sententiæ Hieronymi multum facit quod usque ad eum locum, in quo historiam Sergii Pauli describit, Lucas Apostolum perpetuo Saulum, post vero cum proconsulem lucrifactum, semper Paulum, nunquam Saulum appellat. Tractat etiam illud hoc loco Hieronymus, unde petenda sit etymologia nominis hujus. Omissis itaque aliorum sententiis, quorum Hieronymus tanquam Hebræa vox sit, mirabilem significatum existimat; alii rursum ex Hebræa et Græca simul : ut qui *os tubæ* interpretantur, ea videtur verisimilior sententia, quod aut origine Græcum sit, et significet *quietum*, aut origine Latinum, *pusillum* significans. Atque in hac sententia est dicto jam loco Bedæ. Neque putandum est, inquiens, Petrum vel Paulum Hebræa esse, et non potius Latina vocabula, aut Græca : quanquam interim ratio, quam subdit, eò quod consuet, inquiens, Hebræos *P* litteram non habere nullo modo convincatur, imo ostendat eum Hebraicæ linguæ imperitum. Eamdem sententiam sequitur etiam Erasmus in sua paraphrasium simul in Epistolas Pauli præfatione.

« Vinctus Jesu Christi. » Cum in nullius Epistolæ exordio Apostolus hoc nomine usus sit, quanquam in progressu et corpore Epistolarum ad Ephesios videlicet, Philippenses et Colossenses, esse se in vinculis testatus sit, non abs re quæritur cur in hac Epistola eo cognomine usus sit? Est autem manifesta responsio, quod majoris videatur esse supercilii, vinctum se Jesu Christi dicere quam apostolum. Gloriabaniur namque apostoli quod digni fuerant pro nomine Christi contumeliam pati. Ut itaque majorem sibi auctoritatem Epistola hac vindicaret, ab injuria sua cœpit. Sicut enim peccati causa vinciri opprobrium est, ita e contra pro Christo vincula sustinere maxima gloria est. Deinde etiam

Digitized by Google

hac sui appellatione, statim in initio Philemonem dominum commonefacit, ne servi pudeat, qui sibi nuper conservus factus sit. Quæcunque enim pro Christi nomine ipsi jam patimur, pro bonis habenda sunt, vel vincula ipsa : atque ea de causa addit, « Jesu Christi, » ne existimet quis aliam ob causam quam ob Christi nomen in vincula conjectum ipsum. Colligitur autem hoc ex loco etiam tempus et locus quibus hæc Epistola et scripta et missa est : ex Roma nempe tempore prioris captivitatis, de qua ad Timotheum : « In prima mea defensione nemo mihi astitit, » etc., a Paulo adhuc in vinculis existente. Quin quod existimat Hieronymus eodem illo tempore dictatas ab Apostolo ad Philippenses, Colossenses et Ephesios Epistolas : ad Philippenses quidem imprimis, quod ut his cum solo Timotheo scribit, deinde quod vincula sua manifesta dicit facta in omni prætorio. Quid sit autem prætorium, in ipsius Epistolæ fine significat : « Salutant vos maxime qui de Cæsaris domo sunt. » Postremo quod et in eadem dicit : « Existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. » Porro et ad Colossenses principium est simile : « Paulus apostolus Jesu Christi, et Timotheus frater. » Et postea : « Qui nunc « gaudeo, in passionibus pro vobis eram ; et in fine : « Memores estote vinculorum meorum. » Atque hæc ideo ut sciamus has etiam Epistolas in vinculis dictatas. Illud autem proprii est ad Colossenses quod idem Onesimus, qui nunc Philemoni commendatur, perlator illius Epistolæ fuit. Uti postea dicitur : « Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, etc., cum Onesimo charissimo et fideli fratre, qui est ex vobis. » Est et aliud initium, quod in ea Epistola etiam Archippi mentionem facit, cum et hic : « Dicite Archippo, » etc. Ad Ephesios similiter eam ob causam quod pro Christo se vinctum et ibi cap. I dicat ; et in fine ejus Epistolæ eadem omnino quæ ad Colossenses præcipiat, ut servi obediant dominis carnalibus, etc. Et ad extremum Epistolam suam hoc fine claudat, sicut et illam alteram : « Quid agam notum vobis faciet Tychicus charissimus frater, » etc. Tychicus autem is est qui cum Onesimo mittitur, et ita eodem tempore Onesimum habuit comitem quo is ad Philemonem has litteras perferebat.

« Et Timotheus frater. » In aliis Epistolis Sosthenes et Sylvanus, interdum et Timotheus assumitur. In quatuor Timotheus tantum : hac nempe, et duabus jam dictis, ad Philippenses, et Colossenses, et posteriori ad Corinthios ; quia vel eodem tempore, vel præsente Timotheo et aliis, dictatæ sunt. Quod ex duplici factum causa existimat Hieronymus, ut et Epistola majorem haberet auctoritatem, quæ non ab uno scribebatur (unde et hic notat Chrysostomus : Assumit et alterum servum, ut a pluribus oratus facilius credat) : et quia nulla erat æmulatio inter apostolos, si quid forte Paulo dictante alii spiritus suggessisset, id sine tristitia addebat Paulus in Epistola quam dictabat : secundum quod ipse præceperat I Corint. XIV : ut si alio prophetante alii fuerit revelatum, taceat ille qui prius prophetabat. Qualis autem fuerit iste Timotheus, hic tractandi non est locus, sed magis proprius est ille tractatus Commentariis in Epistolam ad Timotheum. Fratrem autem vocat evangelicæ prædicationis consortio.

« Philemoni dilecto. » Hic paucis agendum quis, qualis, aut unde oriundus fuerit iste Philemon : id enim in hunc locum distulimus, ne plus æquo præfatio esset prolixior. Consentiunt autem fere in ea commentarii quod vir nobilis fuerit Phrygius natione. Quæ tamen natio quanquam fere intractabilis ac servilis sit, secundum illud Proverbii : « Phryx plagis emendatur, » ipsa tamen et moribus tractabilis, et vita fidelis, et sua sanctorum indigentiis impartibat, et eleemosynas conferebat abunde. Colligit autem Colossensem fuisse, quæ civitas est in Phrygia, D. Hieronymus, tum ex eo quod in Epistola ad Colossenses Onesimum dicit Apostolus ex ipsis esse, id est inde oriundum, tum ex eo quod etiam ibi Archippi meminerit, tanquam ipsorum episcopi, ut statim dicitur, cujus etiam hic fit mentio. Est autem et id hic non prætereundum quod non habeatur in Græco ἀγαπημένῳ, quod *dilectus*, sed ἀγαπητῷ, *diligibilis* interpretatur. Inter *dilectum* autem et *diligibilem* hoc interest, quod dilectus potest appellari et ille qui dilectionem non meretur ; diligibilis vero is tantum (vel attestante Hieronymo) qui merito diligitur. Unde et illud quod in XLIV psalmi titulo prænotatur : « Pro dilecto, » melius habetur « Pro diligibili » in Græco. Scribunt igitur Paulus et Timotheus Philemoni charissimo ; qui ideo charissimus erat quod in eodem opere versaretur. Unde et subjungitur :

« Et adjutori nostro. » Quanquam Philemon in nulla fuerit ecclesiastica constitutus functione, ut notatur ab Ambrosio, adjutorem tamen suum vocat Apostolus, sive participem laborum, ut legit dictus Ambrosius, eo quod etiamsi ipse Evangelium non prædicaret ; sanctorum tamen necessitatibus inservisse, ipsosque hospitio recepisse manifeste colligat Chrysostomus, tum ex eo quod viscera sanctorum Apostolus in eo requievisse dicit, tum quod hospitium sibi præcepit parari ab ipso, ut infra latius docebimus. Notant interim et illud hoc loco Græci magnæ energiæ esse hæc verba « Dilecto et adjutori, » quæque ipsum Philemonem ad facile annuendum postulatis Apostoli deberent inducere. Si enim dilectus sit, gratificabitur postulanti : si adjutor et collega, nequaquam servum, cum ad se venerit, coercebit, sed iterato (inquit Theophylactus) ad Paulum hunc remissurus est, ut prædicanti ministrando inserviat, et sic domini sui locum servus in ministrando sanctis suppleat.

« Et Apphiæ sorori charissimæ. » Apphia hæc aut soror ejus (inquit Primasius) creditur esse, aut uxor : ad priorem videtur magis inclinari Hieronymus, posteriorem vero sententiam Græci sequuntur, secundum quos hic erit sensus : Hujusque uxori Apphiæ, sive Appiæ mihi ob fidei cognationem sorori plurimum amandæ. Intuendam autem monet diligentius animi in Apostolo modestiam OEcumenius, qui non solum Timotheum, sed et uxorem Philemonis et alium quemdam sibi comprecatores adhibet. Illud autem ad Gal. III in Christi fide referre nihil, gentilis sit aliquis an Judæus, vir an mulier, etiam hoc in loco fit perspicuum. Inter duos quippe viros et apostolicos, inter cooperatorem Pauli et commilitonem, medium Apphiæ nomen inseritur, ut tali ex utroque ordine fulta comitatu, non videatur sexus non ordinem habere, sed meriti.

« Et Archippo commilitoni nostro. » Rursum hic urget Chrysostomus Apostoli in scribendo humilitatem. Non, inquit, in auctoritate et imperio imperare voluit, et quidem cum jure suo posset, neque dedignatur, si non sibi pareatur ; verum ac si ignotus ignotos scriberet, et alios item rogat, ut se pro servulo fratrem juvent. Non enim modo a plurimis rogari, verum et ad plurimos referri preces plurimum habet virium ad impetrandum. Idcirco ait : « Et Archippo commilitoni ; » ac si dicat : Si militiæ socius es, in his quoque te socium exhibeas necesse est. Commilitonem autem vocari existimat Hieronymus quod cum Paulo et Timotheo, contra adversarios pro Christi nomine dimicans victor exstiterit. Mentio autem fit hujus Archippi etiam ad Colossenses, IV : « Dicite Archippo : Vide ministerium quod accepisti a Domino, ut illud impleas. » Quale autem fuerit illud ministerium, recentiores fere sentiunt episcopum eum fuisse Colossensium, veteres vero non tam aperte, sed velut sub dubio. Sic Hieronymus inde colligit aut episcopum fuisse, aut prædicatorem Evangelii. Sic et OEcumenius super illud

Digitized by Google

ad Colossenses. Fortassis ipsorum episcopus erat, aut aliud sortitus ministerium animarum ; et similiter fere Theophylactus. In Primasio, id est peculiare quod aut episcopum, aut diaconum fuisse dicat.

« Et Ecclesiæ quæ in domo tua est. » Hic fere constanter legunt tam Græca quam Latina exemplaria ; Ambrosius vero sic legit, et similiter Hieronymus : « Et domesticæ ejus Ecclesiæ , » sive quæ in domo ejus est : quanquam autem etiam secundum nostram lectionem, magis tamen secundum illam ambiguum est utrum Ecclesiæ scribat quæ in domo Archippi est, an ei quæ in domo Philemonis. Placet interim Hieronymo magis, referendum esse ad Philemonis personam, cui ipsa quoque Epistola deputatur. Nam licet pariter scribant Paulus et Timotheus ad Philemonem, Appiam, Archippum, et Ecclesiam ; tamen in sequentibus approbatur Paulum tantum ad Philemonem scribere, et unum cum uno sermocinari, cum infra dicit : « Semper memoriam tui faciens. » Morem enim hunc scribendi, quod cum plures et ad plures in præfatione ponatur, postea per totum corpus Epistolæ unus disputans introducatur, etiam in aliis nonnullis Epistolis observatur. In eam sententiam proclives sunt et Græci. Ecclesias, inquit Theophylactus omnes dicit, qui in Philemonis domo erant fideles et liberos, et servos. Adverte igitur quam præseferat humilitatem Apostolus, ut etiam servos comprecatores adhibeat. Sciebat enim sæpe fieri ut servorum verba domini sententiam immutarent, idque tunc maxime, cum pro servo rogatur, cum illi fortassis initio contra eum incitaverint dominum. Vide autem quanta usus sit prudentia, ut illos memorando ita honoraret, ut dominus nihil haberet quod succensere posset. Namque non sinit Ecclesiæ nomine indignari dominos, si servis connumerentur ; non enim novit Ecclesia domini ac servi differentiam : « In Christo enim Jesu neque servus, neque liber, » inquit idem Apostolus ad Gal. III. Colligit autem hinc Chrysostomus virtute fuisse mirabilem hunc Philemonem, eo quod domus quoque et familia ejus tota fidelis fuerit, adeoque fidelis, ut Ecclesia ab Apostolo nuncupetur.

« Gratia vobis. » Adhuc a duobus ad plures scribitur, et in omnibus pene Epistolis simile huic principium est. Quanquam autem *gratia* generale nomen sit, hoc loco pro remissione peccatorum accipitur : generale enim nomen pro speciali usurpavit. Sic enim tam hic quam in aliis Epistolis interpretantur commentatores : de qua acceptione gratiæ tractat Augustinus lib. I Retract., c. 14 et 15. Simili modo dicitur alibi : « Lex et prophetæ, » cum tamen etiam prophetæ in lege sint.

« Et pax, » Scilicet sit, vel multiplicetur. Pax autem hoc loco est amicitia constituta cum Deo. Sic Augustinus in exposit. Epist. ad Gal. et ad Rom. cum dicit pacem esse, qua reconciliamur Deo. Sic et D. Hieronymus hoc loco et ad Gal. Est autem hæc expositio cæteris præferenda, et probabilis magis videtur si reservamus illud Rom. V : « Justificati gratis pacem habemus cum Deo. » Similiter et Græci, qui sic hunc interpretantur locum, ac si dicat Apostolus : Opto quidem vobis gratiam, et pacem, sed quomodo erit remissio peccatorum in vobis, si non condonetis debitoribus debita vestra ? Quomodo item pax cum Deo, si servo non reconciliemini ? Qua occasione et pulcherrimam hic videre est et prolixam Chrysostomi disputationem de remittendis injuriis proximo, exemplo servi illius immitis evangelici, qui remissis sibi decem millibus talentorum a domino, centum denarios a conservo exegit importunissime. Inter cætera autem his verbis utitur : Contristavit te quispiam, et probris ac injuriis affecit, cogita quam multa tu similia in alios atque in ipsum Dominum admiseris, et eris ad veniam pronior. Considera quid orans loqueris. « Dimitte, inquis, debita nostra, sicut et nos » etc. Animadverte quo te pacto constringas ; nisi dimittas, dicere hoc tute non vales. A Et alia multa in hanc sententiam, ad quæ lectorem remittimus.

« A Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. » Id hoc loco est advertendum quod non dixerit per Jesum Christum, ut alibi subindicat intelligendum Hieronymus quando in Epistolas ad Galat. et Ephes. pacem tribui dicit Filio, quia ipse mediator est, sed potius hoc modo, ut ostendatur una Filii Patrisque esse natura, cum id potest Filius præstare quod Pater, et dicitur id Pater præstare quod Filius ; sic enim etiam hoc loco Hieronymus. Advertendum et hoc proprium epithetum Christi apud Paulum esse *Dominus*, eo quod a tyrannide diaboli per mortem suam nos exemptos sibi asseruerit.

« Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui « faciens in orationibus meis. » Hoc suo more dicit ; in exordio enim Epistolarum fere orditur a gratiarum actione, in aliis statim commendat gratiam Dei. Hæc autem jam non ut Paulus et Timotheus, Philemoni et aliis ; sed ut solus Paulus ad Philemonem B loquitur. Ambigue vero dictum est, utrum gratias agat Deo suo semper, an memoriam ejus faciat in orationibus suis semper ; potest autem utrumque intelligi, ut aut sit sensus : In hoc gratias ago, quod semper tui memoriam faciam in orationibus meis, secundum illud I ad Tim. I : « Gratias ago Deo meo quod sine intermissione habeam tui memoriam ; aut iste : Semper gratias ago Deo meo, quandocunque sum memor tui, » secundum quod ipse aliis præcepit, ut in omnibus gratias agerent Deo. Ideo autem semper se dicit gratias agere, et semper pro ipso orare, quia nullo unquam die intermittebat certa tempora orandi. Sic Augustinus de Hæresibus, hæresi 57. Est autem mirabilis Pauli affectus, quia inter tot conciones et occupationes etiam pro omnibus suo tempore orabat. Est autem et id notandum, emphasim esse in illa voce : « Deo meo, » quem scilicet peculiariter ego colo : explicat enim illam emphasim tum ad Romanos : « Quem colo, inquiens, in C spiritu meo, » tum II ad Timoth. : « Cui servio a progenitoribus meis in conscientia pura. »

« Audiens charitatem tuam atque fidem. » Jam subdit quare gratias agat Deo semper, quotiescunque ejus meminerit, eo quod audiam, inquit, tuam charitatem, quæ nisi maxima esset, nequaquam e Phrygia Romam usque pertingeret fama illius. Non statim autem ab exordio gratiam pro Onesimo flagitat, sed antea virum admiratus, ejusque virtutes prosecutus laudibus, cum et in eis suæ charitatis non parvum addidisset votum, quod semper in orationibus suis ejus meminisset, dixissetque, quod multi in eo requiescerent, tum demum ad scopum Epistolæ transit, eo modo benevolentiam ejus captans. Deinde ne hujus tantum rei gratia scribere videatur, quasi non alias scripturus nisi Onesimus impelleret, vide quam prudenter et alias hujus Epistolæ adjecit causas ; primum quidem ipsius charitatem insinuando ; deinde postea, ut et hospitium sibi paret, præcipiendo. D Cujusmodi interim fuerit hæc charitas, de qua agit, subindicat, cum subdit :

« Quam habes ad Dominum Jesum, et in omnes sanctos. » Ut intelligat unusquisque perfectam illam charitatem, qua non solum Deus, sed et proximus diligitur, et potissimum charitatem in hospitio excipiendis sanctis, et eorum subveniendo necessitatibus, et ita, quomodo quis habeat charitatem in sanctos, perspicuum est ; quomodo vero quis fidem possit habere in sanctos, nam etiam ad fidem hanc partem referri putat, multum laborat Hieronymus. Existimat autem fidem habere in sanctos non aliud esse quam credere iis quæ a sanctis dicta et facta sunt, quemadmodum una et eadem credulitas refertur in Moysen et in Deum, ut populus qui credebat in Dominum, æque credidisse dicatur et in servum ; Exod. XIX, cum dicitur : « Credidit populus Deo et Moysi servo ejus. » Forsitan non incongrue etiam diceretur fidem quis habere in sanctos ejus, ex fide

Digitized by Google

per dilectionem operante ipsis subvenit. Est autem et hoc loco tacita admonitio ad facilitatem veniæ in ipso Philemone excitandam, ac si diceret : Cum erga omnes sanctos sis charitate affectus, debes et Onesimum amore complecti, qui jam fidelis sit.

« Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat. » Pro *evidens* Græce est ἐνεργῆς, id est efficax; noster interpres legit ἐναργῆς ; unde et Græci fere sic legunt. Sensus itaque, secundum eos, est ut fides, quam nobiscum communem habes, efficax fiat; efficax autem erit si ad omne opus bonum procedat. Potest interim etiam servari nostra lectio, quia eo ipso quod operatur fides, fit evidens. Quomodo autem fiat efficax, subdit Apostolus dicens :

« In agnitione omnis operis boni in vobis in Christo Jesu. » Varia hic est lectio : plerique enim, et sic etiam Hieronymus, Ambrosius et Græci non legunt particulam *operis*, nec etiam hodie in Græcis vulgatis exemplaribus ea reperitur, ita ut videatur olim non fuisse etiam in nostro textu. Quia tamen omnes commentarii interpretantur hunc locum de fide operante, et sic fere subintelligunt eam particulam, hinc in textum nostrum etiam irrepsisse ad majorem explicationem existimo; atque id non recens, sed jam ante annos mille, ut pote cum eam legat Primasius, atque ea de causa etiam factum existimo ut quædam etiam exemplaria Græca (ut adnotavit Robertus Stephanus) hanc particulam insertam habeant; et eamdem esse rationem fit verisimile in eo quod pro eo quod noster interpres legit « in vobis, » legant tam Græci quam Ambrosius (nam Hieronymus eam particulam non attingit) « quod nobis est in Christo Jesu; » sic et exemplar Græcum; quin quod et Primasius, quanquam legat ut noster interpres, modo codex sit emendatus, etiam interpretationem quamdam affert illi lectioni convenientem, quam, eo quod paulo a Græcorum discrepat interpretatione, mox afferemus. Quin quod et Œcumenius, id quod est Græce εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, interpretatur « erga Christum Jesum. » Interpretantur autem hanc particulam Græci in hunc modum : Ut fides tua fiat efficax, et operatior, idque eo modo et per hoc quod cognoscas, id est ames et perficias omne opus bonum, quod nunc quoque in nobis est erga Christum Jesum. Nam qui alicui bene facit, inquit Œcumenius, Christo facit, maxime autem qui sanctis ejus benefacit. Eodem fere modo interpretatur et Hieronymus, nisi quod urgeat vocem illam « in agnitione; » ac si dicat : Ut fides tua opere compleatur; nec hoc solum, sed et secundum scientiam opus id fiat. Potest enim accidere, inquit, ut quis fidem habeat, et eam opere consummet, verum simpliciter et nude, non habens agnitionem et scientiam ejus, juxta illud Apostoli : « Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam (*Rom.* x); » cujusmodi sunt et hodie plerique qui faciunt opera justitiæ, et non habent veram, quæ operatur, scientiam. Ea interim expositio longe petita videtur, Græcorum præcedens melior, ut *agnitio* pro *amore* capiatur. Videndum interim, anne et illa huic bene conveniret expositio, qua *noscere* pro *facere* accipitur, secundum illud : « Eum, qui non noverat peccatum; » quod interpretatur Augustinus et plerique, Non fecerat peccatum, et sic sensus erit : In operatione omnis boni : et sic quod additur, *operis*, erit tantum velut explanationis gratia additum. Apud Primasium interim est et ista non omnino contemnenda, ut videtur, expositio, ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis boni in nobis, et in Christo, id est, ut omnes inter nos boni in Christo evidenter te fidelem esse agnoscant. Additur autem, « in Christo Jesu, » quia bene vivere et fidem habere per dilectionem operantem non est nobis nisi a Christo; ut notavit etiam hoc loco Hieronymus. Notandus autem iste locus contra negantes opera ad fidem necessaria, et similiter in hunc locum commentarii potissimum quæ habet Theophylactus hoc loco.

« Gaudium enim magnum habui, et consolationem in charitate tua. » Pro eo quod nos habemus *gaudium*, Græca moderna exemplaria legunt χάριν, id est, *gratiam* : verum corrupte, ut videtur, cum sicut noster interpres, sic constanter legant, non tantum Latini, Hieronymus, Ambrosius, Primasius, sed et Græci omnes constanter, imo et eam lectionem interpretantur. Videtur autem huic varietati occasionem dedisse similitudo vocis χαράν, quæ *gaudium* significat. Sensus autem est iste, ac si dicat : Non immerito gratias ago Deo meo semper quotiescunque tui occurrit memoria : non solum enim lætamur, sed tanta accedit nobis ex charitate tua illa voluptas, ut etiam consolationem nobis addat in vinculis. Qualis vero ista charitas fuerit, aliis iterum hisce verbis explicat.

« Quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater : » Considera quod cum velit dicere : Si aliis gratiam præstas, multo magis mihi præstes, non ita tamen dicit, sed commodiori modo; scit enim quod memoria beneficiorum erga alios exhibitorum magis obsequentes reddit eos quos precamur. Pro eo autem quod nos habemus, *requieverunt*, Græce est ἀναπέπαυται, quod etiam significat, *refocillata sunt*; atque sic explicat Œcumenius. Sensus itaque est, quia internum cordis affectum et profundos animi sanctorum recessus, suscipiendo eos, refecisti et refocillasti. Hoc enim idioma apostolicum est, ut semper viscera vocet, volens plenam mentis ostendere per charitatem. Sic et I Joan. III : « Et clauserit viscera sua ab eo, » id est, animi affectum. Notanter autem adjicit, « frater, » nam istis factis vere se fratrem declarabat.

« Propter quod multam fiduciam habens in Chri« sto imperandi tibi, quod ad rem pertinet, propter « charitatem magis obsecro : » Sensum pulchre exprimit versio, quam habet et sequitur Œcumenius : quapropter cum multam fiduciam habeam injungendi tibi id quod decens est, propter charitatem potius rogo. Multis enim in Philemonem laudibus ante præmissis, cum res talis sit pro qua rogaturus est quæ et præstanti sit utilis et roganti, poterat Paulus magis imperare quam petere : idque ex fiducia, quod qui tanta ob Christum opera perpetrarat, utique impar sui in cæteris esse non poterat, sed vult magis petere quam jubere. Nota interim in versione Œcumenii quod pro eo quod nos habemus, « quod ad rem pertinet, » legat ipse, « id quod decens est, » id in commentario exponens, « in rem quæ expediat. Unde et Chrysostomus legit, quod expedit. » Et similiter Hieronymus, « quod prodest. » Secundum nostrum itaque textum, minus dicit plus intelligens; atque hoc addens ostendit se tanto confidentius imperare, eo quod non sibi solum, sed ei potissimum profuturum sit. Atque hæc expositio sequenda est. Theophylacti vero paulo diversam habet, sed minus, ut videtur, textui consentaneam. Id interim hic silentio non prætereundum mire hoc loco corruptam fuisse germanam Theophylacti lectionem, a primo interprete Christophoro Porsena, ut pote qui contra quam ipsum Græcum Theophylacti exemplar, atque contra sententiam omnium veterum, pro eo quod nos habemus, « quod ad rem pertinet, » verterat, « quod ad rem non pertinet : » videtur enim accepisse τὸ ἀνῆκον, quasi et privativa particula esset; quo in errore pergens, totam pervertit Theophylacti explicationem, ut recte adnotavit Philippus Montanus, cujus proinde interpretatio in hunc locum, prorsus rejecta altera, sequenda est, sicut et in aliis plerisque. Mirum est autem unde illi error ille tantus obvenerit, cum ἀνῆκον potius « contrarium » significet, nempe, « quod ad rem pertinet, » sive, « quod decet » (ut ait Suidas), « quod convenit, » ἀνήκω enim est *attineo, pertineo, specto*. Illud autem, « in Christo, » potest referri vel ad illud, « fiduciam habens, » ut sit sensus : Non quod sis in sæculo clarior ista præsumimus, sed per fidem, quam habes in Chri-

Digitized by Google

stum, quemadmodum Chrysostomus, vel rursum, ut sit sensus : Quia ergo in omnes sanctos talis es, multo magis ergo in Christo, hoc est, tanquam qui secundum Christum te genuerim, libertatem habebam imperandi tibi, etc. , quomodo Theophylactus explicat. Posterior interim hæc longius petita, prior explicatio magis textui convenire videtur.

« Cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et « vinctus Jesu Christi. » Sic legit etiam Ambrosius, et similiter Primasius, ac si dicat : Exaudire debes, cum sis in omnibus mihi consimilis, ut pote coævus ætatis, id est, obligatus negotiis Dominicis, vel propter nomen ejus subjectus vinculis. Quia interim non satis explicat suam sententiam, nec usquam legamus vinctum fuisse ob fidem Philemonem, videtur multo commodior lectio quam habent exemplaria Græca, quam Græci omnes sequuntur, ad quam etiam alludere videtur Hieronymus; alioqui enim et solœcismus erit, ut recte admonuit Erasmus : Græce itaque sic legitur : Τοιοῦτος ὤν, id est, *talis existens*, vel, *cum talis sim*, quod explicant commentarii in hunc modum : Rogo te, et obsecro ut exaudias, cum talis sim qualis esse deberet quispiam ad persuadendum, ut pote Paulus jam senex, et a docendi dignitate, et a tempore dignitatem habens, nunc autem et aliud majus adeptus, quod vinctus sim, in precibus autem multum ponderis habet calamitas obsecrantis, vinctus autem non ob quamcunque causam, sed ob prædicationem Jesu Christi, vincto itaque tali favere debes, si faves doctrinæ Christi.

« Obsecro igitur te pro meo filio, quem genui in « vinculis. » Cum tam multis modis illius præparasset ac mitigasset animum, nondum tamen continuo adjecit nomen, sed post hujusmodi adeo insignem admonitionem, adhuc tamen differt : novit enim dominorum adversus fugitivos servos indignationem, et maxime si re familiari expilata ut iste diffugerit, omnibus itaque modis iram ejus lenire contendit. Primum interim adhuc mitigat eum, non servum eum Philemonis appellando, sed filium suum, et proinde valde approbatum sibi, ut pote quem eodem appellet nomine, quo Timotheum, filium meum non quovis etiam tempore genitum, sed in vinculis, ut eo dignior honore censeatur, quod esset inter ipsa certamina, et in ipsis pro Christo tentationibus editus. Genuisse autem se eum dicens, non aliud intelligit, quam quod in fide Christi institutum ipse baptismo eum tinxerit. Per hæc igitur consopita indignatione ejus jam demum nominis meminit, et addit :

« Onesimo. » Qualis fuerit iste Onesimus servus Philemonis, aut cujas, colligitur a Hieronymo, ex eo quod dicitur ad Colossenses ultimo : « Quæ circa me sunt, omnia nota faciet Tychicus charissimus frater, et minister fidelis, et conservus in Domino, quem misi ad vos ad hoc ut cognoscat quæ circa vos sunt, cum Onesimo charissimo et fideli fratre, qui ex vobis est. » Id est, vestras. Fuerunt itaque tam iste quam dominus ejus Philemon, et Archippus, de quo supra, Colossenses. Hic itaque primum servus Philemonis, postquam ab eo fuit profugus, ut mox ostendetur, Pauli primum minister fuit, et in sanctitate vitæ post permansisse eum constat ex eo, quod testetur Œcumenius quod postea in urbe Roma passus sit martyrium, Tertullo eo tempore præfecturam tenente, crurum fractione sententiam sustinens martyrii. Cui suffragatur et Nicephorus Eccles. histor. lib. III, cap. 11, ubi sub Domitiano martyrium passum eum dicit. An autem idem iste sit cujus idem meminit lib. VIII, cap. 3, qui secundus a D. Andrea apostolo Byzantii fuerit episcopus, et eum administraverit episcopatum annis 14, divo Stacti tantum intermedio, merito dubitari potest, potissimum cum tempus annorum, quibus tum D. Andreas, tum D. Stactis, tum iste episcopatum administrarunt, etiam ad tempora usque Domitiani pertigisse videatur.

« Qui tibi aliquando inutilis fuit. » Videtur esse allusio ad nomen, ipsiusque nominis explicatio : ὄνα- A ασιμος enim Græce *utilem* significat. Confitetur autem crimen ipsius; eo quod noverat confessione criminis iram mitigari. Quin etiam, ne ira recrudescat, mitius dicit, quod asperius dicere licuisset; potuisset enim dicere, qui tibi magnum damnum intulit, sed tantum dicit, qui inutilis fuit. Quid autem damni ipsi intulerit Philemoni Onesimus, Primasius non attingit; Ambrosius non aliter læsum videtur intelligere, quam quemadmodum lædunt servi dominis suis offensis, aliqua de causa profugi; Græci vero, et secutus eos Hieronymus, in ea sunt sententia quod Onesimus iste fugam furto cumulans, quædam rei domesticæ compilarat, qua de causa in Italiam profugus, ne in propinquo fortassis apprehendi posset, per luxuriam pecuniam domini sui prodegerat. Romam interim veniens prædicatione Pauli apostoli in carcere conversus, et ab eo baptizatus, maculas prioris vitæ abstersit, et vitam talem deinceps egit ut non dubitaverit eum Apostolus tanquam filium suum commendare. Ad id itaque furtum alludit hic B Apostolus, quoque facilius ad veniam dandam ipsum permoveat, pulcherrima utitur antithesi, quam subdit :

« Nunc autem et tibi, et mihi utilis. » Ac si dicat : Prius nulli alteri quam tibi inutilis exstitit, nec enim servus fur et fugitivus alteri nocuit quam domino suo, nunc vero e contrario utilitate damnum id compensatur, qua et tibi et mihi est utilis : tibi, inquit, utilis inde quod et mihi pro te ministrare possit, et mihi in eo utilis, quod in carcere constituto vinculisque detento in Evangelii prædicatione comministrare possit. Notanda est autem hic Pauli magnanimitas et fervor mentis in Christum insignis. Tenetur enim in carcere, vinculis stringitur, squalore corporis, charorum separatione, pœnalibus tenebris coarctatur, nec tamen sentit injuriam, non dolore cruciatur, nihil aliud quam de Christi Evangelio cogitat.

« Quem remisi tibi. » Etiam hac parte iracundiam ejus mitigat, cum illum in manus ejus tradit : tunc C enim maxime domini indignari solent, cum sibi pro absentibus preces porriguntur. Atque ita demum, ubi satis superque placatam iram existimavit, ad ipsam petitionem transit, cum subjungit :

« Tu autem illum, id est, mea viscera suscipe. » Maximo autem affectu suam proponit postulationem, eo enim quod dicit, « mea viscera : » magnitudinem charitatis erga eum demonstrat, ac si dicat, non tam ipsum suscipe, quam meipsum in eo repræsentatum, ut pote mihi charissimum. Amicus autem quasi alter ego. Suscipe, inquit, id est, cum amore et honore ipsum prosequere : non enim modo veniam, sed et honorem promeretur : est enim Pauli effectus filius, tuus vero frater, ut postea subjungitur. Sic fere Græci, quos etiam sequitur Hieronymus, quanquam interim ipse et hoc notet quod omnes liberi viscera sint parentum : atque inde desumptus est Commentarius Primasii, quo, « viscera mea, » filium meum interpretatur.

« Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te D « mihi ministraret in vinculis Evangelii : sine con- « silio autem tuo nihil volui facere. » Animadverte sapientiam, quomodo in heri locum propemodum ipsum constituit, « ut pro te, inquit, mihi ministraret, » ostendat autem quod et ipsi Philemoni consultum, recipiat, ac si dicat : Si tua interest ut mihi servias, ipse autem loco tuo isthuc faciat, lucrum certe inde tibi accedet. Per id autem quod addit, « sive consilio, » sive, « absque ejus sententia, » ut legit Œcumenius, nihil se velle facere, maxime emollit ipsum Apostolus. Res enim necessaria erat, et valde utilis, ut Apostolo in vinculis ministraret, et tamen inconsulto isto nihil facere voluit. Cur autem id non voluerat, subdit eam dicit :

« Ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed « voluntarium. » Non dixit simpliciter, « ex necessitate, » sed, « velut ex necessitate, » perinde ac si dicat : Noveram quidem quod etiamsi præter tuam

Digitized by Google

sententiam eum retinerem, nequaquam te contristarem; attamen ne videretur ex necessitate fieri, nolui id facere. Tractat autem hujus occasione quæstionem hoc loci Hieronymus : Quare Deus hominem non creaverit necessitate bonum? Et similis est quæstio. Utrum potuisset homo, vel angelus sic creari, ut malus esse non posset? Tractatur autem eadem quæstio ab Augustino in Enchiridio, cap. 105 et 106, ubi præsupponere videtur quod potuit quidem tales res Deus creare, sed noluit. Ordo enim, inquit, prætermittendus non fuit, in quo Deus voluit ostendere quam bonum sit anima rationalis, quæ etiam peccare possit, quamvis sit melius quod peccare non possit. Similiter fere et Hieronymus : Potuit, inquit, Deus hominem sine voluntate ejus facere bonum : porro si hoc fecisset, non erat bonum voluntarium, sed necessitatis; quod autem necessitate bonum est, non est bonum, et alio genere malum accipitur. Igitur proprio arbitrio nos relinquens, magis ad suam imaginem et similitudinem fecit : Deus enim ideo bonus est, quia vult, non quia cogitur. Si ergo quæratur an nullum bonum sit ex necessitate? certum est quod sic, ut patet in martyribus, quibus bonum fuit pati, et tamen ex necessitate : quando quidem multi, etiamsi in tormentis Christum negassent, mortem non evasissent : quamvis interim etiam illud bonum quodammodo voluntarium sit, quia fit non renitente voluntate.

« Forsitan enim ideo ad horam discessit a te, ut « æternum illum recipereS. » Nonnunquam malum occasio fit boni, et hominum prava consilia in recta Deus convertit. Sic ad fratres suos Joseph inquit : Vos cogitastis de me mala, Deus autem cogitavit de me bona. Simile quid et in Onesimo possumus intelligere. Si enim dominum non fugisset, nunquam venisset Romam, ubi erat Paulus vinctus in carcere. Si Paulum in vinculis non vidisset, non recepisset fidem in Christum. Si Christi fidem non recepisset, nunquam Pauli filius effectus in opus Evangelii mitteretur. Pulchre autem addens, « forsitan, » sententiam temperavit. Occulta quippe sunt judicia Dei, et temerarium est, quasi de certo pronuntiare quod dubium est; caute, inquam, trepidanter et timide id dixit, ne si non posuisset, « forsitan, » omnibus servis fugiendum putaretur, ut apostolici fierent. Quod autem ad horam addidit, horam pro tempore debemus accipere. Græce enim ὥρα tempus significat, sed breve, et ad comparationem æternitatis omne tempus breve est. Neque ait, ideo fugit, sed ideo separatus est, honestiori usus vocabulo. Quia autem nullus æternus domini sui servus est, potestas quippe ejus et utriusque conditio morte finitur, hinc subdit :

« Ut æternum illum reciperes, jam non ut ser« vum, sed pro servo charissimum fratrem. » Ac si dicat : Servum ad modicum amiseras, at fratrem perpetuo reperisti, tam hic quam in sæculo futuro. Addit autem istud, inquit Ambrosius, ne Philemon aliquod, ut assolet, quasi dominus fastidium inflationis pateretur, quare et ipsum humiliat, fratrem eum ipsius appellando. Pro eo quod nos habemus, « pro servo, » Hieronymus legit, « plus servo; » Græci item, « supra servum. » Addit autem, « in æternum, » secundum eumdem Hieronymum, quia Christiani spiritu dilectionis in æternum conglutinabuntur.

« Maxime mihi, quanto magis tibi et in carne, et « in Domino. » Si meus, inquit, frater est, profecto non erubesces et tu illum habere fratrem, inquam, et in carne, et in Domino, id est, qui curare possit et sæcularia et spiritualia negotia. Exemplo autem humilitatis Pauli, qua tantopere servum commendat, ut etiam suum fratrem vocet, pulcherrima est hic et prolixa D. Chrysostomi disputatio in laudem humilitatis.

« Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut « me. » Tantum se affectum erga Onesimum habere ostendit, ut tunc Philemonem, quem supra intantum laudavit, participem suum dicat (sic enim legit Ambrosius et similiter Œcumenius « consortem ») si istum sic susceperit, ut Apostolum; hoc est enim quod dixit sapiens : « Servo sapienti liberi serviant. » Quod dictum terrori est Philemoni, ut saltem vel hac causa assumeret eum si ex charitate non vellet. Nihil autem tantam imperandi vim habet, quam non simul omnia petere. Sic et Paulus hic non nisi post plurima alia maximum hoc posuit, « suscipe illum sicut me. »

« Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, mihi « imputa. » Non dixit : Furatus est, sed lenius, « nocuit, » sive injuste egit, « aut debet. » Verisimile namque est ipsum insumpsisse quæ sublegerat; propterea, inquit, mihi hoc debitum ascribe, me habe debitorem. Sic Theophylactus et id significat vox Græca, ἐλλόγει. Similiter autem et Hieronymus id hinc colligit, quod furto sublatam pecuniam jam consumpserat Onesimus. Nec enim sponsor, inquit, rei fieret ablatæ, nisi esset id, quod ablatum fuerat, dissipatum. Quia itaque maxime jactura rei pecuniariæ, inquit Chrysostomus, angi homines solent, ipse pro eo spondet. Caute interim postremo omnium addidit culpam.

« Ego Paulus scripsi mea manu, ego reddam. » Blande et festive hæc dicit, cum spiritali gratia scribens, ac si diceret : En ad majorem securitatem chirographum meum habes has litteras meas propria manu descriptas, unde istud peculiare est huic Epistolæ.

« Ut non dicam tibi, quod et teipsum mihi debes. » Ne videatur indigne de illo sentire, quod non audeat libere ipsum precari pro remissione furti a servo commissi (nam hoc crudelem quodammodo demonstraret Philemonem), ostendit quod vehementer de ipso confidat. Non solum, inquit, quæ tua sunt, sed et teipsum mihi debes, propter sermonem nempe Christi, quem tibi evangelizavi. Poteram, inquam, eo jure uti, sed nolui, ut mercedem habeas ignoscendo.

« Ita frater ego te fruar in Domino. » Pro ita Græce est, ναί, quod affirmantis, sive obtestantis est adverbium. Hieronymus adnotat esse blandientis, quale quid et reliqui commentarii tam Ambrosii quam Græcorum subindicant. Unde sic commentatur hic Ambrosius : Modo blanditur, ut obauditio ejus voluntaria sit, ut possit fructum habere, etc. Unde adnotat Hieronymus non posse vocem hanc commode Latina voce exprimi; sicut Græci vocem Hæbream הבא non potuerunt commode transferre, sed legunt pro illa, « obsecro. » Tractatur autem istud ab Augustino quando disputat quomodo *uti* et *frui* inter se differant. Imprimis autem de doctrina Christiana cap. 4, et similiter lib. LXXXIII Quæst., quæst. 30. *Frui*, dicit, esse alicui rei amore inhærere propter seipsum; *uti* autem, propter aliud. Et similia habet libri ejusdem de Doctr. Christ. cap. 22, et de Trinitate lib. X, cap. 10. Quod tamen frequenter *frui* dicatur cum delectatione uti, habet idem ibidem cap. 35, sed improprie concludit, itaque quandoquidem homo propter se non sit diligendus, sed propter aliud, homine nimirum proprie frui. Cum itaque illi sententiæ obstare videretur locus iste, citatum eum ipse sic solvit, quod cum addit « in Domino, » Apostolus satis indicat se in homine spem non constituere. Cum enim, inquit, homine in Deo frueris, Deo potius quam homine frueris. Sensum autem hunc explicant Græci, et alludit ad eum etiam Hieronymus : Fruor ego te in Domino, id est capiam ex te commodum in rebus quæ secundum Christum sunt, delector tuis præclaris in Domino operibus, videam ego te ditescentem omnibus bonis spiritalibus, et sic id quod sequitur erit quodammodo istius explicatio.

« Reficе viscera mea in Christo. » Repetit idem quod supra, ut magis affectum ejus moveat, ubi eum sibi tam charum intelligeret; est igitur idem sensus

Digitized by Google

qui supra : Refocilla meam erga te dilectionem propter Christum; non mihi enim beneficium impendes, sed Christo.

« Confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens « quoniam et super id, quod dico, facies. » Hoc modo provocat eum, ut amplius faciat quam postulatur ab eo. Solet enim fieri ut qui videt bene de se sentiri, meliorem se præbeat, et proinde si scit ille qui postulat plus quam rogavit rogatum esse facturum, ideo minora petit, ut habeat rogatus voluntariam et majorem præstatione mercedem. Hoc autem nota quod super id quod dico aliud nihil sit quam plus quam dico.

« Simul autem et para mihi hospitium. » Quia suspicari potuisset Philemon, nisi Onesimi causa scripsisset, ne verbo quidem dignatus me esset Paulus, hanc suspicionem diluens : Non propter illum tantummodo scripsi, inquit, sed eam etiam ob rem, ut pares mihi hospitium. Notant autem commentarii, tam Græcorum quam Latinorum, et potissimum Hieronymus, Apostolum non tantis fuisse sarcinis oneratum, ut de præparando ageret hospitio, sed ut dum exspectat Philemon ad se esse venturum, magis faciat quod rogatus est. Si autem, addit idem, non dispensatorie sed vere quis existimat imperatum ut sibi hospitium præpararet, Apostolo magis quam Paulo hospitium præparandum erat. Venturus enim ad novam civitatem, prædicaturus Crucifixum, et Novi Testamenti dogmata, scribit ad se plurimos concursuros, et ita necesse erat primum ut domus in celebri esset urbis loco, ad quem facile conveniretur. Deinde ut ab omni importunitate vacua : ut ampla, quæ plurimos caperet audientes, ne proxima spectaculorum ludis, ne turpi vicinia detestabilis. Postremo ut in plano potius esset sita quam in cœnaculo. Quam ob causam eum existimo etiam Romæ in conducto mansisse biennio, nec parva, ut reor, erat mansio, ad quam Judæorum turbæ quotidie confluebant.

« Spero enim per orationes vestras donari me « vobis. » Colligunt hinc plerique, recentiores potissimum, et etiam Primasius, simul cum illo commentario, qui Hieronymo ascribitur, quem eumdem cum illo esse existimo, scriptam hanc epistolam in priori illa captivitate, de qua in II ad Timoth. : « In prima mea defensione nemo mihi adfuit; » quale quod et Hieronymus indicat, quanquam non tam aperte. Duo autem hic discimus : alterum quod sit in servis orationum virtus : siquidem Paulus tantus talisque opere indigeat illarum : alterum, quod oporteat nos humili esse spiritu, quando quidem Paulus discipulorum precibus egeat.

« Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo « Jesu. » Rursum hinc colligit Hieronymus esse simul scriptum cum ista et per eumdem missam Epistolam ad Colossenses, eo quod in salutatione eorumdem meminerit, quorum hic, cum scribitur : « Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, ut Marcus consobrinus Barnabæ, et Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi; » et paulo inferius : « Salutat vos Lucas medicus charissimus, et Demas. » Atque eodem etiam colligit argumento Chrysostomus etiam Philemonem Colossensem fuisse, eo quod Epaphras iste Colossensis fuerit, missus a Colossensibus ad Apostolum, qui primus videtur ipsos in fide instruxisse, ex eo quod dicitur ad Colossenses I : « Sicut et didicistis ab Epaphra. Sed jam difficultas est, primo vocat eum concaptivum suum in Christo, et Græci quidem vix attingunt : Hieronymus multum laborat : affert autem primum fabulam quamdam, sic enim ipse appellat, qua annuit parentes apostoli Pauli de Siscalis regione fuisse Judeæ, et eos, cum tota provincia Romana vastaretur, et dispergerentur in orbem Judæi, in Tharsum, urbem Ciliciæ fuisse translatos, parentum conditionem etiam Paulum fuisse secutum, et sic posse stare quod ipse de seipso testatur, Hebræum se esse ex Hebræis, cum cæteris quæ illum Tharsensem indicant. Quod si ita, possumus, inquit, et Epaphram illo tempore captum suspicari, quo captus est Paulus, et cum parentibus in Colossis urbe Asiæ collocatum, postea Christianum factum esse. Hoc si ita se habeat, etiam Aristarchus, cum in dicta Epistola concaptivus ejus dicitur, ad eamdem intelligentiam reducetur. Alios, indicat, reconditum aliquid et secretum in verbo captivitatis intelligere, quod capti pariter et vincti in valle adducti sint lacrymarum. Verum ex eo quod additum sit hic, in Christo Jesu neutrum placet : possumus itaque suspicari, inquit, eadem eum Romæ pro Christo vincula sustinuisse quæ Paulus. Ad quem sensum multum Græci accedunt, cum in hunc locum commentantur hoc modo. His verbis ipsum pudore afficit, si Epaphras etiam una secum vinctus erat, ipse vero ne gratiam quidem in suscipiendo Onesimo præstaret illi, qui pro nomine Christi captivus tenebatur.

« Marcus, Aristarchus, Demas et Lucas, adjutores « mei. » Marcus iste ille est qui Evangelium scripsit; Aristarchi in Epistola ad Colossenses fit mentio, quod concaptivus Pauli fuerit : sicut hic idem de Epaphra dicitur. Demas idem est cujus etiam ibi meminit, et rursum II ad Timoth. ult : « Demas me reliquit diligens hoc sæculum. » Lucas est evangelista, qui et Actus conscripsit apostolorum, Pauli individuus comes. Eo autem quod hic Demam cum reliquis adhuc inter adjutores suos constituat, quem in Epistola ad Timotheum dicit se reliquisse, aut, ut quidam aiunt, quod ad cultum gentilitium redierit, et sacerdos idolorum factus sit, aut quod propriæ magis commoditati et otio studuerit, notat hic Œcumenius, quod si illa ad Timotheum prior fuerit ista, postmodum resipuisse; si vero posterior, postea Apostolum reliquisse. Non videtur interim dubitandum quin hæc prior sit illa, tum quod hic sperat se liberandum adhuc e vinculis, tum quod aperte id habeat hoc loco Theophylactus, illam procul dubio hac esse posteriorem. Cum autem appellat istos cooperatores et adjutores suos, ostendit eos simul secum rogare Philemonem pro Onesimo, ac si inferat, Dignum est igitur, ut hisce tantis viris gratuleris.

« Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu « tuo. Amen [a]. » Hæc subscriptio Apostoli est confirmantis Epistolam a se missam, ut pote qui fere tali subscriptione utatur. Notat autem hic Hieronymus quod sicut a meliore parte hominis, capite nempe, numeratur principatus, dicente Scriptura : « secundum capita eorum, » ita in toto quidem homine sancto gratia sit Domini nostri Jesu Christi, sed a meliori et majori parte, id est spiritu, de toto homine dicatur; cum enim in spiritu gratia fuerit, totum hominem spiritalem facit.

« Missa e Roma per Onesimum servum. » Quemadmodum nec in aliis epistolis, sic nec in istius fine hæc subscriptio in Latinis codicibus invenitur, sed in Græcis tantum. Primasius interim etiam partem hujus legit istam : Scripta ab urbe Roma.

[a] *Amen*, inquit Justinus Apol. II ad Antoninum, Hebraica lingua idem est quod *Fiat*.

Digitized by Google

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

ALLEGORIÆ IN UNIVERSAM SACRAM SCRIPTURAM [a]

Quisquis ad sacræ Scripturæ notitiam desiderat pervenire, prius diligenter consideret quando historice, quando allegorice, quando anagogice, quando tropologice suam narrationem contexat. Has namque quatuor intelligentias, videlicet *historiam*, *allegoriam*, *tropologiam*, *anagogiam*, quatuor matris sapientiæ filias vocamus, [b] ad cujus inquisitionem plena ipsarum agnitio totius, quod ei inest, secreti, sic manifestatio nisi illarum prius inquisita cognitione, pertingere nequimus. Mater quippe *Sapientia* per hos adoptionis filios pascit, conferens insipientibus [incipientibus] atque teneris potum in lacte *historiæ;* in fide autem proficientibus, cibum in pane *allegoriæ;* bonis vero et strenue operantibus, et operibus bonis insudantibus, satietatem in sapida refectione *tropologiæ;* illis denique qui et ab imis per contemptum terrenorum suspensi, et ad summa per cœleste desiderium sunt provecti, sobriam theoricæ contemplationis ebrietatem in vino *anagogiæ*. *Historia* ad aptam rerum gestarum narrationem pertinet, quæ et in superficie litteræ continetur, et sic intelligitur sicut legitur. *Allegoria* vero aliquid in se plus continet, quod per hoc quod locus [*F.* loquens] de rei veritate ad quiddam dat intelligendum de fidei puritate, et sanctæ Ecclesiæ mysteria, sive præsentia, sive futura, aliud dicens, aliud significans, semper autem figmentis et velatis ostendit. *Tropologia* quoque et ipsa, sicut allegoria, in figuratis, sive dictis, sive factis, constat : sed in hoc ab allegoria distat quod *allegoria* quidem fidem, *tropologia* vero ædificat moralitatem. *Anagogia* autem, sive velatis, sive apertis dictis, de æternis supernæ patriæ gaudiis constat, et quæ merces vel fidem rectam, vel vitam maneat sanctam, verbis vel opertis, vel apertis demonstrat. *Historia* namque perfectorum exempla quæ narrat, legentem ad imitationem sanctitatis excitat; *allegoria* in fidei revelatione ad cognitionem veritatis; *tropologia* in instructione morum ad amorem virtutis; *anagogia* in manifestatione sempiternorum gaudiorum ad desiderium æternæ felicitatis. In nostræ ergo animæ domo *historia* fundamentum ponit, *allegoria* parietes erigit, *anagogia* tectum supponit, *tropologia* vero tam interius per affectum quam exterius per effectum boni operis, variis ornatibus depingit. Dum enim hæc, de qua loquimur, sacra Scriptura verba *historiæ* simpliciter narrat, quasi inchoando fundamentum ædificii jactat, et dum per *allegoriæ* exercitium fidei mysteria pandit, fabricam mentis in amorem veritatis extollit · dum vero per *anagogiæ* sublimitatem de æternis supernæ patriæ gaudiis disserit, quodammodo tectum superponit : dum autem mysticum in *tropologia*, intellectum per contemplationum investigat exercitium, de quo loquimur, spirituale ædificium diversis virtutibus, tam iis quæ intus ad Dominum quam quæ extra pertinent ad proximum, per mortalitatis venustatem quasi distinctis pulchrorum colorum varietatibus ornat. Cum igitur constet has quatuor sacræ Scripturæ intelligentias, omne quod et [*F.* ei] ines[t] secretum revelare, nobis considerandum est quando secundum unam solam, quando secundum duas, quando secundum tres, quando etiam secundum omnes simul quatuor intelligi velit. Cumque primum hæc omnia hoc modo, duce ipsa veritate, indagaverimus : secundo necesse est ut quibus quotve modis res de quibus tractat accipere possimus, studiose perscrutemur. Pro eo namque quod una nonnunquam eademque res nihil sibi naturaliter insitum habet quod, quantum ad humanum duntaxat corporale commodum et incommodum spectat, et probari et reprobari valet : ipsa nimirum una eademque res non solum diversam, sed et adversam aliquando in Scriptura sacra significationem habere potest. Ut enim, exempli causa, de innumeris tria proferamus : et aquæ, cujus flumina fluunt de ventre credentis, est aqua contra quam psalmus [Psalmographus] orat, ne aquæ eum tempestas demergat; et item camelus, qui per foramen acus transit, est et camelus de quo Rebecca, viso Isaac, descendit : est quoque leo qui vicit de tribu Juda; est leo qui circuit, quærens quem devoret. Quis enim nesciat, quantum horum trium significata ad invicem distent, cum tamen unumquodque significantium unum atque idem sit. Cumque ita sacram Scripturam de rebus loquentem audimus, proprietates qualitatum iisdem rebus naturaliter visitare [insitas] studiose inspiciamus, et tunc evidenter scire poterimus, qua sive in bona videlicet sive in mala significatione, juxta quod narrationis quam contexit series exigit, eas exigere debeamus. Tertio oportet ut quibus quotve modis nomina de quibus tractat, tam hominum quam locorum, Hebraica sive Græca interpretari debeant, perquiramus, quod magnam nobis interpretationibus propriorum nomi-

[a] Ex antiquo ms. nunc primum in lucem editæ. COLVEN.

[b] Locus corruptus.

Digitized by Google

num ædificationem proponit. De iis autem rerum significationibus et nominum interpretationibus secundum suas duas intelligentias, modo secundum tres, modo vero secundum omnes simul quatuor ad nostram ædificationem tractat. Quod vero de quatuor iis intelligentiis breviter quædam superius diximus, pluresque quarumdam hujusmodi rerum, quæ ad præsens animo occurrere potuerunt, ponere simul et exponere decrevimus diversitates, et quasdam hujusmodi nominum in medium proferre interpretationes, ut ex [iis] quæ in sanctorum Patrum expositionibus invenire poterimus, nostram nostrique similium, si qui tamen sunt, imperitiam instruamus.

Ut autem Lector quæsita totius [*F.* ocius] possit invenire, docens [*F.* voces] ad eas pertinentes res de quarum diversis significationibus loqui proponimus, secundum ordinem quo litteræ semivocales et mutæ vocalibus conjunguntur, hoc modo proponimus :

A

Angelus.	*Asina.*	*Arvina.*
Abyssus.	*Antius.*	*Aspis.*
Abortivum.	*Anaglypha.*	*Agnæ.*
Acetum.	*Antemurale.*	*Altare.*
Accubitus.	*Angulus.*	*Alienus.*
Adolescentulæ.	*Aper.*	*Albugo.*
Aer.	*Aqua.*	*Altilia.*
Argentum.	*Arturus*	*Amica.*
Armilla.	*Atrium.*	*Annulus.*
Arma.	*Auster.*	*Areolæ.*
Arula.	*Auris.*	*Armenta.*
Artifex.	*Animus.*	*Aratrum.*
Area.	*Azyma.*	*Ascensus.*
Agnus.	*Arbor.*	*Asinus.*
Agricola.	*Anima.*	*Ancilla.*
Ala.	*Abies.*	*Animalia.*
Altitudo.	*Accipiter.*	*Apis.*
Aloe.	*Acies.*	*Aquilo.*
Amicus.	*Acus.*	*Aquila.*
Amphora.	*Adeps.*	*Arcus.*
Aromata.	*Ager.*	*Aurora.*
Aranea.	*Aries.*	*Aurum.*
Arva.	*Arena.*	*Auriga.*
Astra.	*Arcæ.*	*Axis.*
Ascentor.	*Armatus.*	*Adversarius.*

Angelus est Christus, vel Spiritus sanctus, ut in Evangelio Joannis : « Angelus descendit in piscinam, et mota est aqua, et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat [1] ; » quod veniente Christo ad populum Judæorum, eo quod per motionem ejusdem populi passo per fidem passionis ejus sanatur unitas fidelium. Vel descendente in fonte Baptismi Spiritu sancto, illumque fecundante unus fidelis populus abluitur. *Angelus*, est Joannes Baptista, ut ex persona Patris ad Filium dicit propheta : « Ecce ego mitto angelum meum, qui præparabit viam ante te [2] ; » quod ipse præivit ante faciem Domini parare vias ejus. *Angelus* spiritus malignus, ut in Psalmis : « Angelus Domini coarctans eos ; » et « diabolus constringens eos [3]. Per *angelos*, cœlestes spiritus, ut in Psalmis : « Qui facis angelos tuos spiritus [4] : » quod sancti Spiritus eum mittuntur, angeli sunt. *Angelus* quilibet sacerdos, ut in Malachia, quod « Angelus Domini exercituum est [5], » id est, Dominum nuntiat.

Anima humana propter diversas efficientias suas diversa vocabula sortitur. Dum enim membra vegetat, anima, dum sensibilibus adhæret, *sensualitas*, dum sentit, *sensus*, dum consentit, *voluptas*, dum recordatur, *memoria*, dum contemplatur, *spiritus*, dum sapit, *animus*, dum intelligit, *mens*, dum discernit, *ratio* est. *Anima* aliquando totus homo, ut in Genesi : « Descendit Jacob in Ægyptum in animabus septuaginta [6], » id est, cum totidem hominibus. *Anima*, est sensualitas, ut in Epistola Pauli ad Hebræos : « Sermo Dei pertingens ad divisionem animæ et spiritus [7], » quod Spiritus Domini, quomodo sensualitas a ratione dividatur, comprehendit. *Anima* est animalitas, ut in Psalmis : « Misit saturitatem in animas eorum [8], » id est, in animalitatem, quæ corporeis escis sustentatur. » *Anima*, vita præsens, ut in Evangelio : « Anima plus est quam esca [9]. » *Anima* est animositas, ut in Psalmis : « Operui in jejunio animam meam [10], » quod ne me vindicarem, celans animositatem meam. *Anima*, ipse Christus, ut in Propheta : « Non abjiciet vos ultra animam meam [11], » id est, non reprobabit vos Christus filius meus. *Anima*, illa vis est Dei, qua ipse omnia penetrat : « Anima ejus, quæcunque voluit, hæc fecit [12] ; » quod vis illa interna in voluntate sua omnipotentiam habet. *Anima* vocatur doctrina, ut in Propheta : « Kalendas vestras odit anima mea [13], » id est, festivitates vestras exteriores reprobavit voluntas mea. *Anima*, mentis intentio, ut in Job : « Elegit suspendium anima mea [14], » id est, a terrenis se elongare elegit intentio mea. *Anima*, desiderium justorum, ut in Job : « Animam catulorum ejus implevit [15], » quod scilicet desiderium sanctorum Ecclesiæ ad effectum Dominus perducit. *Anima*, vita jumentorum, ut in Job : « In cujus manu est omnis viventis anima [16], » quod in ejus potestate est vita brutorum animalium. *Anima*, voluntas diaboli, ut in cantico Exodi : « Dividam spolia manu mea [17], » id est, invadam animas humanas, et voluntas mea implebitur.

Abyssus est Vetus et Novum Testamentum, ut in Psalmis : « Abyssus abyssum vocat [18], » quod Testamentum Vetus in prædicatione sanctorum Novum annuntiat. *Abyssus*, collegio apostolorum, ut in Psalmis : « Dedit abyssus vocem suam [19], » quod apostoli ex profunditate cordis sui emiserunt prædicationem suam. *Abyssus*, obscuritas cujusque impii, ut in Job : « Abyssus dicit, non est in me » [20], quod obscura est vita, clamat sibi patientiam non inesse. *Abyssus*, æternum Dei judicium, ut in Job : « Æstimabit abyssum quasi senescentem [21], » quod diabolus in superbis membris suis æternum Dei judicium,

[1] Joan. v, 4. [2] Mal. III, 1. [3] Ps. XXXIV, 5, 6. [4] Ps. CIII, 4, [5] Mal. II, 7. [6] Gen. XLVI, 27. [7] Heb. IV, 12. [8] Psal. CV. [9] Matth. VI, 25. [10] Psal. XXXIV. [11] Levit. XXVI, 11. [12] Ps. CXIV, 3, et CXXXIV, 6. [13] Isa. I, 14. [14] Job VII, 15. [15] Job XXXIX, 1. [16] Job XII, 10. [17] Exod. XV, 9. [18] Ps. XLI, 8. [19] Hab. III, 10. [20] Job XXVIII, 14. [21] Job. XLI, 23.

Digitized by Google

quasi debile et instabile esset, non pertimescit. *Abyssus* infernus vocatur in Evangelio : « Rogabat eum legio, ne eum mitteret in abyssum [1], » id est, ne eos mergeret in infernum. Per *abyssum*, dolores mortis, ut in Psalmis : « Ponens in thesauris abyssos [2], » id est, in secretis sacræ Scripturæ profunda mysteria. Per *abyssum* quique desperatissimi, ut in Psalmis : « Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit, in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis [3], » quod sicut erigit contemplationes, quæ sunt cœlum, sic fecundat actiones, quæ sunt terra, sic instabiles confirmat, qui sunt mare, sic in ipsis, qui desperatissimi. Item facit nonnunquam misericordiam suam, qui sunt abyssi. Per *abyssum* confusiones operum malorum, ut in cantico Exodi : « Abyssi operuerunt eos [4], » id est, confusiones operum suorum oppresserunt eos.

Abies est altitudo contemplationis, ut in Isaia : « Ponam in deserto abietem [5], » quod in gentilitate Dominus contemplationem posuit. » *Abietes*, potentes et infructuosi. Per *abietem*, sancti angeli, ut in Propheta : « Abietes non adæquaverunt summitatem ejus [6], » quod comparatione illorum angelorum ille primus angelus altior fuit.

Abortivi sancti sunt ante legem, ut in Job : « Quasi abortivum absconditum [7], » quod sancti ante legem huic mundo ex magna parte absconditi fuerint. *Abortivum* imperfectio hominis, ut in libro Num. : « Quasi abortivum, quod extrahatur a vulva matris suæ [8], » quod murmurantes a matre gratia imperfecti projiciantur.

Accipiter quilibet electus, ut in Job : « Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter [9], » quod solius Dei vir sanctus plumas virtutum acquirit. Per *accipitrem* rapaces, ut in Daniele : « Et ungues crescent quasi accipitris [10], » quod qui per superbiam in mente decipiuntur, et usque ad compunctiones rapacitatis.

Acetum est dolus, ut in Evangelio : « Implevit spongiam aceto [11], » quod replevit diabolus populos Judæorum fraude et dolo. *Acetum*, piger quilibet, ut in Parabolis : « Sicut acetum dentibus amarum est [12], » sic piger sanctis, qui dentes appellantur, frequenter nocet verbum commotionis, ut in Parabolis : « Vipera, sal, acetum in vitiis, et qui cantat corde pessimo [13], » quod quando perversa mens corripitur murmurat, sicut nitrum fervescit et ebullit, quando ponitur in aceto. *Acetum*, infidelitas, ut in Psalmis ; « In siti mea potaverunt me aceto [14], » id est, ego fidem eorum sitii, et ipsi infidelitate me potaverunt.

Acies, unitas electorum, ut in cantico : « Terribilis ut castrorum acies ordinata [15], » quod electi per concordiam diabolo terribiles sunt.

Acervus tritici sunt incrementa virtutum, ut in Cantico : « Venter tuus sicut acervus tritici [16], » quod teneri, qui in sancta Ecclesia sunt, virtutum incrementa suscipiunt. *Acervus testimonii*, multitudo sanctorum martyrum, ut in Genesi : « Vocaverunt locum illum Galaad, id est, acervum testimonii [17], » quod in sancta Ecclesia multitudo martyrum honoratur. *Acervus lapidum* est increpatio ultimi judicii, ut in libris Regum : « Congregaverunt super Absalon acervum lapidum magnum nimis [18], » quod reprobis dicetur in judicio : « Ite, maledicti, in ignem æternum [19]. » *Acervus Mercurii*, infidelitas, ut in Parabolis Salomonis : « Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, sic qui tribuit insipienti honorem [20], » quod qui fatuum aliquem ad honorem ecclesiasticum provehit, quodammodo culpam infidelitatis committit.

Accubitus, cœlestis patria, ut in Cantico : « Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum [21], » quod cum Christus ascendendo cœlum peteret, sanctitatis suavitatem Ecclesia emanavit.

Acus, punctio doloris, ut in Evangelio : « Camelum per foramen acus intrare [22], » quod Christus punctiones doloris pertulerit in cruce.

Adolescentulæ animæ sunt sanctorum, ut in Cantico [23] : *adolescentulæ* dictæ, quod devotæ sanctorum animæ Christum diligunt.

Adeps est divinitas Christi, ut in Psalmis : « Adipe frumenti satiat te [24], » quod cœlestem illam Jerusalem Christus divinitate pascit. *Adeps* simplex intellectus Scripturæ, ut in Psalmis : « Cibavit illos ex adipe frumenti [25], » quod simplici intellectu refecit eos. *Adeps*, spirituale desiderium, ut in cantico Deuteronomii : « Cum adipe agnorum et arietum [26], » id est, cum spirituali desiderio subditorum et prælatorum. *Adeps*, abundantia, ut in Psalmis : « Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum [27], » et quod per abundantiam suam peccabant. *Adeps*, carnalis lætitia, ut in Psalmis : « Adipem suum concluserunt [28], » id est, carnalem suam lætitiam confirmaverunt. *Adeps*, bonitas interioris voluntatis, ut in Psalmis : « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea [29], » id est, interius bona voce, sicut exterius bona actione.

Aer, mens cujuslibet hominis sæcularis, ut in Job : « Subito aer cogetur in nubes [30], » quod repentino scilicet spiritus munere mens sæcularis ad sanctitatem perducitur.

Ager est mundus, ut in Evangelio : « Homini qui

[1] Luc. VIII, 31. [2] Psal. XXXIII, 7. [3] Ps. CXXXIV, 6. [4] Exod. XV, 5. [5] Isa. XLI, 19. [6] Ezech. XXXI, 8. [7] Job III, 16. [8] Num. XII, 12. [9] Job XXXIX, 39. [10] Dan. IV, 40. [11] Marc. XV, 36. [12] Prov. X, 26. [13] Prov. XXV, 20. [14] Psal. LXVIII, 22. [15] Cant. VI, 3, 9. [16] Cant. VII, 2. [17] Genes. XXXI, 47, 48. [18] II Reg. XVIII, 17. [19] Matth. XXV, 41. [20] Prov. XXVIII, 8. [21] Cant. I, 13. [22] Matth. XIX, 24; Marc. X, 25; Luc. XVIII, 25. [23] Cant. I, 3. [24] Psal. CXLVII, 14. [25] Psal. LXXX, 17. [26] Deut. XXXII, 14. [27] Psal. LXXII, 7. [28] Psal. XVII, 10. [29] Psal. LXII, 6. [30] Job XXXVII, 21.

Digitized by Google

seminavit bonum semen in agro [1], » id est, Christo, qui sparsit prædicationem in mundo. Præpara corpus tuum, et diligenter exerce agrum tuum, id est, sentes iniquitatum evelle, et corpus ad frugem retributionis excole. *Ager* bonum opus, ut in Evangelio [2] ager emitur propter thesaurum, quod bonum opus exercetur propter cœleste desiderium. *Ager*, Scriptura sancta, ut in Job : « Agrum non suum demetunt [3], » quod Scripturam sacram, quæ sua non est, hæretici pervertunt. *Ager* officium prædicationis, ut in Cantico : « Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum [4], » quod et Christus ab arcano Patris, et Ecclesia a secreto contemplationis ad officium egrediuntur prædicationis. *Ager*, populus Judæorum, ut in Genesi : « Egressus est ad meditandum in agro inclinato jam die Isaac [5], » quod in fine mundi egressus est de cœlo Christus ad docendum in populo Judæorum. *Ager*, populus gentilis, ut in Psalmis : « Pulchritudo agri mecum est [6], » id est, uniuscujusque viri religiosi sanctitas apud me ad remunerationem compensatur. *Ager* cæremonia exterior, ut in Evangelio : « Erat autem filius senior in agro [7], » quod populus Judaicus litterali sensu contentus exteriora curabat. *Ager*, cujuslibet vita negligentis, ut in Parabolis : « Per agrum viri pigri transivi [8], » id est, vitam cujuslibet desidiosi inspexi, « et ecce totum repleverant urticæ et spinæ [9], » quod in corde ejus prurientia desideria punctiones vitiorum pullulant. *Ager* est præsens sancta Ecclesia, ut in Genesi : « Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni [10], » quod sanctificata est Ecclesia de sanctitate Christi, de cujus plenitudine nos omnes accepimus. *Ager*, patria cœlestis, ut in Parabolis : « Consideravit agrum, et emit eum [11], » quod studiose discat Ecclesia, quæ sunt gaudia vitæ perennis, et pro eis laborare non cessat.

Agnus est Christus, ut in Exodo : [12] Agnus sine macula immolatur, id est, Christus sine culpa moritur. *Agnus*, lubricus quisque, ut in Parabolis, « Secutus eam quasi agnus lasciviens [13], » quod libidinosus libidinosum imitatur. Per *agnos* apostoli, ut Dominus ad eos in Evangelio : « Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos [14], » id est inter infideles. Per *agnos* viri sancti, sicut in Isaia : « Et in brachio suo congregabit agnos [15], » id est, in robore suo adjuvabit viros sanctos. Per *agnos*, simplices et innocentes, ut in Evangelio : « Pasce agnos meos [16], » id est peccatores, quos ego redemi sanguine meo, innocentes jam effectos nutrit prædicatione sua. *Agna* est vita activa, ut in Levitico : « Offerat agnam de gregibus [17], » id est, vitam exerceat activam, quæ communis est pluribus.

Agricola est Deus Pater, ut in Evangelio : « Pater meus agricola est [18], » quod ipse in Filio suo electos spiritualiter excolit. *Agricola*, quilibet reprobus terrena diligens, ut in Genesi : « Fuit Abel pastor ovium, et Cain agricola [19], » quod electus quisque simplices * infra se cogitationes nutrit, et reprobus quilibet, interna sua * deferens, terrena diligit. Per *agricolam* principes Synagogæ, ut in Evangelio : « Locabit eam agricolis [20], » quod populum antiquum illum principibus Synagogæ commisit. Per *agricolam* doctores Ecclesiæ, ut in Evangelio : « Vineam suam locabit aliis agricolis [21], » id est, Ecclesiam suam aliis doctoribus committet.

Altare est ipsa divinitas, ut in Psalmo : « Constituite diem solemnem in condensis usque [ad cornu altaris] [22], » id est, virtutes crebro frequentate, et pertingens ad eminentiam Deitatis. *Altare* caro Christi, ut in Jeremia : « Repulit Deus altare suum [23], » quod carnem Christi crucifigi permisit. *Altare* ipsa est humanitas Verbi, ut in Exodo : « Altare de terra facietis mihi [24], » id est, verbi humanitatem ex virgine sumptam esse credetis. *Altare*, lignum crucis, ut in Genesi [25], Isaac positus in altari, quod Christus litatus in cruce. *Altare*, mentis arcanum, ut in Psalmo : « Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare (tuum, Domine) [26], » id est, opera mala per pœnitentiam emendabo, et mentis arcanum virtutibus adornabo. *Altare* fides, ut in Psalmo : « Imponent super altare tuum [27], » id est, innocentiam novæ vitæ fide * conjungunt.

Altare, vita justorum, ut in Genesi : « Ædificavit Noe altare Domino [28], » quod justorum vitam Christus consecravit Patri. *Altare*, devotio cordis, ut in Evangelio. « Si offers munus tuum ad altare [29], » id est, si effuderis orationem tuam per cordis devotionem. *Altare*, cœli secretum, ut in Psalmis : « Introibo ad altare Dei [30], » id est, perveniam ad secretum cœli.

Alitus, humanitas Christi, ut in Job : « Alitum meum exhorruit uxor mea [31], » id est, humanitatem meam contempsit synagoga. *Alitus* locutio oris, ut in Daniele : « Sed et alitus meus intercluditur [32], » id est, non solum fortitudinem corde careo, sed etiam ab ipsa locutione in ore obmutesco. *Alitus*, suggestio diaboli, ut in Job : « Alitus ejus prunas ardere facit [33], » id est, cogitationes reproborum diabolica suggestio succendit.

Per *alas* misericordia Domini et veritas, ut in Psalmis : « Sub umbra alarum tuarum protege me, » id est, sub adjumento misericordiæ et veritatis tuæ defende me. Per *alas* præcepta Domini, ut in Psalmis : « In tegmine alarum tuarum sperabunt [34], » id est, in defensione præceptorum tuorum sperabunt. Per *alas* cogitatio viri sancti, ut in

[1] Matth. XIII, 24. [2] Matth. XIII, 44. [3] Job XXIV, 6. [4] Cant. VII, 11. [5] Gen. XXIV, 63. [6] Psal. XLIX, 11. [7] Luc. XV, 25. [8] Prov. XXIV, 30. [9] Ibid. [10] Gen. XXXII, 27. [11] Joan. I. [12] Exod. XII, 5. [13] Prov. VII, 22. [14] Matth. X, 16. [15] Isa. XL, 11. [16] Joan. XXI, 16. [17] Lev. V, 6. [18] Joan. XV, 1. [19] Gen. IV, 2. [20] Matth. XXI, 33. [21] Ibid. V, 41. [22] Psal. CXVII, 27. [23] Thren. II, 17. [24] Exod. XX, 24. [25] Gen. XXII, 9. [26] Psal. XXV, 6. [27] Psal. L, 21. [28] Gen. VIII, 20. [29] Matth. V, 23. [30] Psal. XLII. [31] Job XIX, 17. [32] Dan. X, 17, [33] Job XLI, 12. [34] Psal. XXXV, 8.

Digitized by Google

Job : « Expandit alas suas ad stuprum [1], » id est, Spiritui sancto electus quilibet cogitationes suas aperit per confessionem. Per *alas* cogitationes hypocritæ, ut in Job : « Cum tempus fuerit, in altum alas erigit [2], » quod cum occasiones invenit, cogitationes suas in publicum demonstrat. Per *alas* cupiditates rapacium, ut in Zacharia : « Et habebant alas, quasi alas milvi [3], » quod cupidi res alieni invadere student. Per *alas* virtutes sanctorum, ut in Ezechiele : « Et audivi voces alarum, quasi voces aquarum multarum [4], » quod virtutes spirituales, quæ prius in paucis erant, postmodum in multis apparuerunt.

Per *alienos* dæmones, ut in Psalmis : « Alieni insurrexerunt in me [5], » id est, dæmones pugnaverunt contra me.

Altitudo sublimitas est præmiorum, ut in Ezechiele : « Statura quoque erat rotis et altitudo [6], » quod in Scriptura sacra addiscitur et rectitudo vitæ, et altitudo gloriæ. *Altitudo*, princeps hujus mundi, ut in Habacuc : « Altitudo manus suas levabit [7], « quod sublimes hujus sæculi principes opera sua erigunt. *Altitudo*, prosperitas, ut in Paulo : « Nec altitudo, neque profundum [8], » id est, neque prospera, neque adversa.

Albugo, cæcitas cordis, ut in Tobia : « Cœpit albugo ex oculis ejus egredi [9], » quod cum in fine mundi a populo Judaico Christus cœpit agnosci, longa ab eis, qua nunc premuntur, infidelitatis cæcitas recedit. *Albugo*, arrogantia mentis, ut in Levitico : « Si albuginem habens in oculo [10], » id est, si arrogantiam in animo.

Aloe virtus est continentiæ, ut in Cantico : « Et aloe cum omnibus pretiosis unguentis [11], » id est, continentia cum omnibus summis virtutibus. *Aloe*, voluptas carnis, ut in Proverbiis : « Aspersi cubile meum myrrha et aloe [12], « id est, implevi mentem meam dulcedine et voluptate carnali.

Altilia Patres sunt Novi, ut in Evangelio : « Tauri mei et altilia occisa [13], » id est, Veteris et Novi Testamenti Patres refectionem nobis parant spiritualem.

Amicus est Christus, ut in Cantico : « Ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem [14], » quod in tantum Ecclesiam suam amavit, ut moreretur pro ea. *Amicus*, quilibet proximus noster. In Parabolis Salomonis : « Fili mi, si spoponderis pro amico tuo [15], » id est, proximo tuo. *Amicus*, animus noster, ut in Evangelio : « Amicus meus venit de via ad me [16], » id est, animus meus ad se. Amicus est aliquando, qui solo nomine est Christianus, ut in Evangelio : « Amice, quomodo huc intrasti [17] ? » quod iniquus homo et propter fidem, quam tenet, amicus est ; sed quod charitate caret, vestem nuptialem non habet. Per *amicos* sancti angeli, ut in Cantico : « Quæ habitas in hortis, amici auscultant [18], » quod angeli sancti humanæ animæ profectum audire desiderant. Per *amicos* prædicatores sancti, ut in Job : « Concident eum amici [19], » quod prædicatores sancti diabolum in electis, quos ad fidem convertunt, destruunt. Per *amicos* cæteri sancti, ut in Evangelio : « Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis [20], » id est, tunc me amatis, si præcepta mea servatis.

Amica est sancta Ecclesia, ut in Cantico : « Ecce, tu pulchra es, amica mea [21], » quod spirituali sancta Ecclesia pulchritudine nitet. Per *amicam*, sancti angeli, ut in Evangelio : « Convocat amicas et vicinas [22], » quod in eo angeli Domini diligunt, in quo ab ejus voce nunquam discedunt.

Amphora est avaritia, ut in Zacharia : « Hæc est amphora egrediens [23], » quod nullus est, qui ab avaritia immunis sit. *Amphora*, modus in contemplatione, ut in libris Regum : « Et adduxit eum secum in vitulis tribus, et modio farinæ, et amphora vini [24], » quod tunc Deo vita nostra offertur bene, quando cum mortificatione vanitatis et curiositatis, et voluptatis, et plenitudinem in actione, et discretionem tenemus in contemplatione.

Annulus est signaculum fidei, ut in Evangelio : « Date annulum in manu ejus [25], » id est, fidem in opere suo. Per *annulum* liber Evangeliorum, ut in Exodo [26], per quatuor arcæ angulos erant quatuor annuli, quod quatuor partes Ecclesiæ, libri quatuor Evangelistarum decorant. Per *annulos* germina æternæ beatitudinis, ut in Exodo : « Et fundes in vectibus annulos aureos [27], » quod pro bonis, quæ nunc exercemus operibus claram perpetuitatem, et perpetuam claritatem possidebimus.

Annus est tempus gratiæ, ut in Isaia : « Prædicate annum placabilem [28], » id est, adventum gratiæ, quæ nobis eum exhibet placatum. *Annus* multitudo redemptorum, ut in Job : « Non computetur in diebus anni [29], » inter electos, qui salvantur, apostata spem ad salvationem non assumit. Per *annum*, æternitas Christi, ut in psalmo : « In generatione et generatione anni tui [30], » quod semper durat æternitas Dei. Per *annum*, vita nostra, ut in Psalmo : « Anni nostri sicut aranea meditabuntur [31], » id est, vita nostra inanibus et corruptionibus stridet.

Ancilla est Ecclesia, ut in Psalmis : « Salvum fac filium ancillæ tuæ [32], » id est me, qui sum membrum Ecclesiæ. *Ancilla*, caro corruptibilis, ut in Genesi : « Ejice ancillam et filium ejus [33], » id est, carnem despice, et carnalem fructum ejus. Per *ancillam* prædicatores Ecclesiæ, ut in Job : « Ligabit eam ancillis suis [34], » quod Dominus per prædicatores suos diabolum vincit. Per *ancillam* effemi-

[1] Job XXXIX, 29. [2] Job XXIX, 21. [3] Zach. V, 9. [4] Ezech. I, 24. [5] Psal. LIII, V. [6] Ezech. I, 18. [7] Habac. III, 10. [8] Rom. VIII, 39. [9] Tob. XI, 14. [10] Levit. XXI, 20. [11] Cant. IV, 41. [12] Prov. VII, 17. [13] Matth. XXII, 4. [14] Cant. I, 16. [15] Prov. VI, 1. [16] Luc. XI, 6. [17] Matth. XXII, 12. [18] Cant. VIII, 13. [19] Job XL, 25. [20] Joan. XV, 14. [21] Cant. I, 15 ; et IV, 1, 7 ; et VI, 3. [22] Luc. XV, 9. [23] Zach. V, 6. [24] I Reg. I, 24. [25] Luc. XV, 22, [26] Exod. XXV, 12. [27] Ib. V. 13. [28] Isa. LXI, 2. [29] Job III, 6. [30] Psal. CI, 25. [31] Psal. LXXXIX, 9. [32] Psal. LXXXV, 16. [33] Gen. XXI, 10. [34] Job XL, 24.

Digitized by Google

natæ mentes Judæorum, ut in Job : « Ancillæ * tuæ sicut alienum habuerunt me [1], » quod effeminatæ mentes Judæorum per fidem me cognoverunt. Per *ancillam*, humiles quique, ut in Genesi : « Et cibaria ancillis suis [2], » quod sancta Ecclesia spiritualem refectionem humilibus tribuit.

Anaglypha varietates sunt bonorum operum, ut in libro Regum : « Et anaglypha valde prominentia [3], * » quæ in sancto homine, qui est templum Dei, varietates bonorum actuum aliis in exemplum apparent.

Antra cordis sunt secreta, ut in Job : « Quando * cibavit in antris [4], » quod viri sancti non in rebus exterioribus, sed in secretis cordium suorum quiescunt.

Antemurale prophetæ sunt, ut in Isaia : « Salvator ponetur in ea murus et antemurale [5], » quod Christus, qui in scipso per incarnationis suæ mysterium Ecclesiæ murus fuit, eidem Ecclesiæ ante incarnationem suam in prophetis antemurale exstitit.

Animalia sunt quatuor evangelistæ, ut in Ezechiele : « Similitudo hominis in animalibus [6], » quod Christo satagunt. *Animalia*, sancti in Ecclesia, ut in Psalmis : « Animalia tua habitabunt in ea [7], » quod justi in Ecclesia ex fide vivunt. *Animalia*, cupidi, * in Ezechiele animalium abominatio depicta erat in pariete [8], quam cupidorum apud se pravitatem in necessitate iniqui depingunt. *Animalia*, duo crucifixi cum Christo latrones, ut in * Habacuc : « in medio duorum animalium, » quod in medio duorum latronum Christus suspensus est.

Angulus designat locum humilem, ut in Parabolis : « Melius est sedere in angulo domatis, » hoc est, in loco humili, « cum pace, quam in sublimi cum discordia [9]. » *Angulus* designat conjunctionem, ut in Psalmis. « Hic factus est in caput anguli [10], » quod Christus utrumque populum conjunxit. Per *angulum* terminos hujus mundi, ut in Exodo : « Duæ tabulæ erigantur, * post tergum tabernaculi [11], » quod contra diabolum in mundi hujus terris adveniente fine sancti Enoch et Elias erigentur * opera simulatæ mentes pravorum, ut in Sophonia : « Dies Domini super angulos excelsos [12] : » quod vindicta percutiet corda pravorum, quæ propter elevationem excelsa sunt, et propter duplicationem *anguli* vocantur.

Apis est immundus peccator, ut in Isaia : « Sibilabit Dominus api [13], » quod immundum peccatorem per inspirationem suam ad se vocat. *Apes* humiles sunt, ut in Ecclesiastico : « Modicum in volatilibus apis [14], » quod humiles inter superbos facti sunt. Per *apes* detractores, ut in Psalmis : « Circumdederunt me, sicut apes [15], » quod in aperto me laudabant, et in occulto mihi detrahebant, quod apes in ore mel, et in posterioribus aculeum habent.

Aper princeps est Romanorum, ut in Psalmis : « Exterminavit eam aper de silva [16], » quod plebem captivavit Judaicam Titus qui imperavit in Roma.

Aquilo est austeritas persecutionis, ut in Cantico : « Surge, aquilo; veni, auster [17], » quod desiderat nonnunquam Ecclesia, ut mitigetur austeritas persecutionis. *Aquilo*, populus gentilis, ut in Isaia : « Dicam aquiloni : Da; et austro : Noli prohibere [18], » quod inspirabo gentibus, ut credant. *Aquilo* est aliquando electus ad fidem conversus, ut in Job : « Ab aquilone aurum veniet [19], » quod et a Paulo et ab Augustino, qui prius in fidelitate frigidi erant, splendor sapientiæ venit. *Aquilo*, senectus, ut in Evangelio : « Venient ab aquilone, et * retundent, » quod nonnulli in senectute ad requiem tendunt. *Aquilo* hostis antiqui suggestio, ut * Jeremia, facies ollæ succensæ « a facie aquilonis [20], » id est, regnabo in reprobis. *Aquilo* diabolus, ut in Job : « Qui extendit aquilonem super vacuum [21], » quod illorum mentibus, qui gratia sua vacui sunt, diabolum Deus dominari permittit.

Aqua est Spiritus sanctus, ut in Evangelio : « Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ [22], » quod de memoria credentis dona procedunt Spiritus sancti. *Aqua*, Christus, ut in Psalmis : « Probavi te apud aquam contradictionis [23], » id est, a Christo, cui a multis contradicitur. *Aqua*, sapientia subtilis, ut in Parabolis : « Aqua profunda ex ore viri [24], » quod subtilis sapientia in locutione justi. *Aqua*, loquacitas, ut in Parabolis : « Qui emittit aquam, caput est jurgiorum [25], » quod qui loquacitatem non refrenat, concordiam dissipat. *Aqua*, cupiditas sæculi, ut in Evangelio : « Eum in ignem et in aquam misit, ut eum perderet [26], » quod diabolus eos, quos possidet, nunc ardore luxuriæ concremat, nunc sorde cupiditatis fœdat, ut eos perdat. *Aqua*, baptismus, ut in Psalmis : « Operuit aqua tribulantes eos [27], » quod in baptismo electorum peccata condonantur. *Aqua* est arcana locutio prophetarum, ut in Psalmis : « Tenebrosa aqua in nubibus aeris [28], » quod obscuram locutionem habeant prophetæ. *Aqua*, sancta prædicatio Christi, ut in Ezechiele : « Effundam super vos aquam mundam [29], » id est, purgabo vos per prædicationem mundam, ut mundi situs propter sermonem quem loquor vobis. *Aqua*, compunctio, ut in libris Regum : « Hauserunt aquam, et fuderunt in conspectu Domini [30], » quod de intimis cordis sui protulerunt compunctionem, et coram Deo fleverunt. *Aqua*, sæculi prosperitas, ut in Psal-

[1] Job. XIX, 15. [2] Prov. XXXI, 15. [3] I Reg. VI, 32. [4] Job. XXXIX, 2. [5] Isa. XXVI, 1. [6] Ezech. I. 5. [7] Psal. LXVII, 11. [8] Ezech. VIII, 10. [9] Prov. XXI, 9. [10] Psal. CXVII, 22. [11] Exod. XXVI, 23. [12] Sop. I, 16. [13] Isa. VII, 18. [14] Eccl. XI, 13. [15] Psal. CXVII, 12. [16] Psal. LXXIX. [17] Cant. IV, 16. [18] Isa. XLIII, 6. [19] Job. XXXVII, 22. [20] Jer. I, 13. [21] Job. XXVI, 7. [22] Job. VII, 38. [23] Psal. LXXX, 8. [24] Prov. XVIII, 4. [25] Prov. XVII, 14. [26] Matth. XVII, 15; Marc. IX, 22. [27] Psal. CV, 11. [28] Psal. XVIII, 12. [29] Ezech. XXXVI, 25. [30] I Reg. VII, 6.

Digitized by Google

mis : « Transivimus per ignem et aquam [1], » id est, per adversa et prospera. *Aqua*, adversitas, ut in Psalmis : « Non me demergat tempestas aquæ [2], » id est, non me devincat congeries adversitatis. *Aqua*, humana scientia, ut in Exodo : « Non crudum quid, nec coctum aqua [3], » quod Christus neque purus homo cogitandus, neque qualiter incarnari potuit perscrutandum est. *Aqua*, mundi affluentia, ut in Apocalypsi : « Angelus effudit phialam suam in fluvium illud magnum, Euphratem, et siccavit aquam ejus [4], » quod prædicator vocem suam contra mundum erigit, et ejus affluentiam a multis contemni facit. *Aqua*, historialis intellectus, ut in Evangelio [5] aqua ad nuptias in vinum conversa est, quod in conjunctione Christi et Ecclesiæ sensus litteralis in spiritualem mutatus est. *Aqua*, voluptas carnis, ut in Evangelio : « Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum [6], » quod quo frequentius voluptas carnis exercetur, eo magis desideratur. *Aqua*, æterna refectio, ut in Apocalypsi : « Ostendit mihi angelus fontem aquæ vivæ [7], » id est, revelavit mihi Christus copiam refectionis æternæ. Per *aquam* sancti angeli, ut in Psalmis : « Et aquæ, quæ super cœlos sunt [8], id est, angeli, qui in superioribus versantur, « laudent nomen Domini. » Per *aquam* animæ beatæ, ut in Psalmo : « Qui tegis aquis superiora ejus [9], » quod nos quidem in quibusdam sacram Scripturam intelligimus, sed beatæ animæ, quæ jam in cœlestibus Dominum vident, omnia de quibus tractat, plene sciunt. Per *aquas* sancti, qui modo sunt in Ecclesia, ut in Psalmis : « Fluvius Dei repletum est aquis [10], » quod in sancta Ecclesia et merito et numero populus Domino serviens augetur. Per *aquas* lamenta humilitatis, ut in Job : « Si lotus fuero quasi aquis nivis [11], » id est, si perfusus fuero lamentis humilitatis. Per *aquas* devotiones sanctorum, ut in Job : « Aquas appendit in mensura [12], » quod miro modo devotiones sanctorum suorum Deus moderatur, ut alii non tantum exercere officium possint, quantum comprehendere possunt in effectu. Per *aquas* peccata quæ Deus electis suis condonat, ut in Genesi : « Spiritus Domini ferebatur super aquas [13], quod major est ejus pietas quam eorum iniquitas. Per *aquas* scientia hæreticorum, ut in Parabolis : « Aquæ furtivæ dulciores sunt [14], » id est, occultæ nostræ scientiæ meliores. Per *aquas* persecutiones, ut in Psalmis : « Firmavit terram suam aquis [15], » id est, fundavit Ecclesiam super persecutiones. Per *aquas* mortales populi, ut in Psalmo : « Viderunt te aquæ, Deus [16], » quod intuiti sunt populi, credendo, et timuerunt, petendo. Per *aquas* instabiles cogitationes, ut in Psalmis : « Libera me de aquis multis [17], » id est, de multis instabilibus cogitationibus. Per *aquas* blandimenta tentationum, ut in Job : « Lapides excavant aquæ [18], » quod fortes nonnunquam viros tentationum blandimenta emolliunt. Per *aquas* voluptates reproborum, ut in Psalmis : « Convertit aquas eorum in sanguinem [19], » quod malas impiorum voluntates Deus quandoque ad crudelitatem amaritudinis perducit. Per *aquas* pœnæ infernales, ut in cantico Exodi : « Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus [20], » id est, ruerunt ponderosi peccatores in pœnis infernalibus.

Aquila est Christus, ut in cantico Deuteronomii : « Aquila provocavit ad volandum pullos suos [21], » quod Christus discipulos suos, ut de virtute in virtutem proficiant, monere non cessat. *Aquila*, Joannes Evangelista, ut in Ezechiele : « Facies Aquilæ desuper ipsorum quatuor [22], » quod per hoc, quod de divinitate Christi est locutus, et more aquilæ oculos in solem fixit, et non solum super cæteros et evangelistas fuit, sed semetipsum excellit. *Aquila*, diabolus, ut in Parabolis : « Viam aquilæ in cœlo [23], » quod subtilitas inimici a viris sanctis difficile deprehenditur. *Aquila* animam significat, ut in Job : « Elevabitur aquila, et ponet in arduis nidum suum [24], » quod per contemplationem exaltatur anima, et in cœlis defigit desiderium suum. *Aquila*, sublimis hujus sæculi potestas, ut in Ezechiele : « Aquila grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit [inde] medullam cedri [25], » id est, rex Nabuchodonosor, rex potens, cum multis potestatibus, repletus varia levitate gloriæ mundanæ, obsedit Jerusalem, et captum totum populum adduxit. Per *aquilam* anima electorum, ut in Evangelio : « Ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ [26], » quod ubi Dominus est in corpore, ibi erunt sanctorum animæ. Per *aquilam* dæmones, ut in Jeremia : « Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli [27], » id est, inimici nostri aereis spiritibus crudeliores.

Arturus est sancta Ecclesia, ut in Job : « Qui facit Arturum et Orionas [28], » quod Dominus et Ecclesiam fundavit, et in ea sanctos martyres produxit. *Arturus*, Vetus Testamentum, ut in Job : « Gyrum Arturi poteris dissipare [29], » quod Veteris Testamenti litteram Dominus in spiritualem sensum mutavit. *Arturus*, populus incredulus, ut in Job : « Ab Arturo egredietur frigus [30], » quod ab incredulo populo frigus infidelitatis procedit.

Arcus est sacra prædicatio, ut in Psalmis : « Intendentes et mittentes arcum [31], » quod multi in Ecclesia verbis prædicationis contra alios emittuntur, sed in tentatione succumbunt. *Arcus*, humana fortitudo, ut in Psalmis : « Non enim in arcu meo

[1] Psal. LXVI, 12. [2] Psal. LXVIII, 16. [3] Exod. XII, 9. [4] Apoc. XVI, 12. [5] Joan. II, 9. [6] Joan. IV, 13. [7] Apoc. XXII, 1. [8] Psal. CXLVIII, 4. [9] Psal. CIII, 3. [10] Psal. LXIV, 10. [11] Job IX, 30. [12] Job XXVIII, 25. [13] Gen. I, 2. [14] Prov. IX, 17. [15] Psal. CXXXV, 6. [16] Psal. LXXVI, 17. [17] Psal. CXLIII, 7. [18] Job XIV, 19. [19] Psal. CIV, 29. [20] Exod. XV, 10. [21] Deut. XXXII, 11. [22] Ezech. I, 10. [23] Prov. XXX, 19. [24] Job XXXIX, 30. [25] Ezech. XVII, 3. [26] Matth. XXIV, 28. [27] Jer. IV, 13. [28] Job IX, 9. [29] Job XXXVIII, 31. [30] Job XXXVII, 9. [31] Psal. LXXVII, 9.

Digitized by Google

sperabo [1], » id est, de meo robore non confidam. *Arcus* ' ut in Psalmis : « Peccatores intenderunt arcum suum [2], » quod Judæi adversus Dominum dolos exercuerunt. *Arcus* ' Evangelista, ut in Psalmis : « Arcum æreum [3], » id est, fortes operarios meos fecisti inflexibiles. *Arcus*, sacra Scriptura, ut in Psalmis : « Arcum suum tetendit [4], » quod sacram Scripturam nobis Dominus exhibuit. *Arcus*, comminatio judicii, ut in Psalmis : « Fugiant a facie arcus [5], » id est, evadant judicium extremum. *Arcus*, occulta malitia, ut in Psalmis : « Intenderunt arcum, rem amaram [6], » id est, occultam malitiam exercuerunt. « Arcus conversi sunt, » id est, prædecessores eorum habuerunt intentionem malam. *Arcus*, minæ, ut in Psalmis : « Intenderunt arcum, sed Dominus ' infirmabit, » id est, minatur ut humilientur. *Arcus*, virtus patientiæ, ut in Genesi : « Sedit in forti arcus ejus [7], » quod patientia viri sancti robusta est. Per *arcum* insidiæ ferientium, ut in Psalmis : « Ibi confregit potentias, arcum [8], » id est, ibi destruxit robora insidiantium.

Argentum est eloquium spirituale, ut in Isaia : « Argentum tuum versum est in scoriam [9], » id est, spirituale legis eloquium sordet fece carnalium desideriorum. *Argentum*, nitor eloquentiæ divinæ, ut in Cantico : « Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento [10], » id est, institutiones divinæ sapientiæ per me habebis eloquentiæ nitore decoras, perparvorum diversitate varietatis. *Argentum* martyres sunt, quorum est hæc vox, ut in Psalmis [11] : « Igne nos examinasti, » quod sordes, quæ nobis inerant, in tribulatione abstulisti. *Argentum*, figmenta poetica, ut in Apocalypsi : « Merces argenti tui nemo emet amplius [12], » quod verba impiorum joculatoria nemo deinceps frequentabit. *Argentum*, vita prædicatorum, ut in Job : « Nec appendetur argentum in commutatione ejus [13], » quod nec ipsi prædicatores, quantumcunque sunt justi, Christo nullatenus comparari possint.

Aries est caro Christi, ut in Genesi [14] Isaac in altari ponitur, sed aries mactatur, quod Christus crucifigitur, sed sola ejus caro moritur. *Aries*, ordo sacerdotalis, ut in Parabolis : « Et aries, nec est qui resistat ei [15], » quod sancto, quod in Ecclesia est, sacerdotio, et ipsi reges et principes terreni subduntur. *Aries*, motus iracundiæ, ut in Levitico : « Obtulit et arietem in holocaustum [16], » quod vir sanctus omnem in se motum mactare debet. Per *arietem* sancti apostoli, ut in Psalmis : « Induti sunt arietes ovium [17], » quod apostoli, qui fidelibus præsunt, sancto Spiritu sunt vestiti. Per *arietem* prælati qui sunt in Ecclesia, ut in Psalmis : « Afferte Domino filios arietum [18], » id est, vos ipsos, quos prælati in Christo genuerunt. Per *arietem* rationales quique, ut in Genesi : « Posuit virgas ante oculos arietum [19], » id est, bona externa ante intuitum rationalium. Per *arietem* hæretici, ut in Jeremia : « Principes tui sicut arietum [20], » id est, prælati tui hæretici sunt seducti.

Armilla est divina misericordia, ut in Job : « Aut armilla perforabis maxillam ejus [21], » quod circumplectens nos undique divina misericordia a potestate nos diaboli eruit a justificato, ut in Genesi : « Cognosce cujus est annulus et armilla [22], » quod a Christo habet Ecclesia et fidem et justificationem. Per *armillas* opera propositorum, ut in Isaia : « Armilla et inaures [23], » id est, opera prælatorum et obedientias subditorum. Per *armillas* actiones quæ pertinent ad Decalogum, ut in Genesi : « Et armillas siclorum decem [24], » quod opera Decalogi sancta Ecclesia suscipit.

Arena est calamitas hujus vitæ, ut in Job : « Quasi arena maris hæc gravior appareret [25], » quod miseria, quam patimur, ad instar arenæ et ponderosa et multa est. *Arena*, humiles, ut in propheta : « Posui arenam terminum mari [26], » quod ad vincendum tumorem superborum Deus humiles posuit. *Arena*, instabilitas hujus sæculi, ut in Evangelio : « Qui ædificavit domum suam super arenam [27], » id est, mentem suam semper hujus mundi instabilitate fundavit. *Arena*, civitas cœlestis, ut in Genesi : « Multiplicabo semen tuum super arenam quæ est in littore maris [28], » quod electis suis omnipotens Deus tale spirituale confert augmentum, ut sanctitatem illorum civium, quæ in sancta cœlestis patriæ soliditate sunt, in quantum possunt, imitentur.

Arma sunt virtutes spirituales, ut in D. Paulo : « Per arma justitiæ a dextris et a sinistris [29], » id est, bona opera in prosperis et in adversis. *Arma*, cor reproborum, ut in propheta : « Descenderunt in latum cum armis suis [30], » quod ruerent in interitum, cum corporibus suis. *Arma* sunt aperte impugnationes, ut in Psalmis : « Confringet arma [31], » id est, manifestas destruet impugnationes. *Arma*, nequitiæ diaboli, ut in Evangelio : « Omnia arma ejus auferet [32], » id est, omnes nequitias ejus annihilabit.

Arca est corpus Christi, ut in Exodo : « Arcam de lignis Chettim compingite [33], » id est, corpus Christi ex membris esse incorruptibilibus credite. *Arca*, Ecclesia, ut in Psalmis : « Surge, Domine, in requiem tuam [34], » id est, surge a mortuis, surgat et Ecclesia, quam dignatus es sanctificare. *Arca*, quilibet ecclesiasticus doctor, ut in libris Regum [35], percussit Dominus Ozam, eo quod tetigisset arcam

[1] Psal. XLIII, 7. [2] Psal. XI, 2; et XXXVI, 14. [3] Psal. XVII, 35. [4] Psal. VII, 13. [5] Psal. XXXVI, 14; et LXIV, 4. [6] Psal. LXXVII, 57. [7] Gen. XLIX, 24. [8] Psal. LXXV, 4. [9] Isa. I, 22. [10] Cant. I, 11. [11] Psal. LXVI. [12] Apoc. XVIII, 12. [13] Job XXVIII, 15. [14] Gen. XXII, 13. [15] Prov. XXX, 31. [16] Lev. VIII, 28. [17] Psal. LXIV, 14. [18] Psal. XXVIII, 1. [19] Gen. XXX, 41. [20] Thren. I, 6. [21] Job XL, 21. [22] Gen. XXXVIII, 25. [23] Isa. III, 19. [24] Gen. XXIV, 22. [25] Job VI, 3. [26] Jer. V, 22. [27] Matth. VII, 26. [28] Gen. XXII, 17. [29] II Cor. VI, 7. [30] Ezech. XXXII, 27. [31] Psal. XLV, 10. [32] Luc. XI, 22. [33] Exod. XXV, 10. [34] Psal. CXXXI, 8. [35] II Reg. VI.

Digitized by Google

Domini, quod qui reprehensionis manu arroganter prælatos Ecclesiæ tangunt, spirituali morte feriuntur.

Arca, mens sancta, ut in Genesi : « Fac tibi arcam de lignis levigatis [1], » id est, fac mentem a peccati pondere alienam.

Arula est cor humanum, ut in Exodo : « Pones quatuor annulos super arulam altaris [2], » id est, quatuor evangelistarum libros per intellectum committes cordi tuo.

Armatus, diabolus, ut in Job : « Et ipsum rapiet armatum [3], » quod impium in morte ad pœnam diabolus rapit. *Armatus*, quilibet superbus qui se conatur excusare, ut in libris Regum [4] David nescivit armatus incedere, quod humilis quisque superbe ignorat se excusare. Per *armatos* tyranni, ut in Job : « In occursum pergunt armatis [5], » quod sanctus prædicator tyrannorum superbiæ resistere non timet.

Artifex, Dominus, ut in Cantico : « Quæ fabricata sunt manu artificis [6], » quod per Domini gratiam spiritualia nobis dona conferuntur.

Arvina, pinguedo rerum, ut in Job : « Et in lateribus ejus arvina dependet [7], » quod in consiliariis impii pinguedo rem abundat.

Artus sunt intestina Ecclesiæ membra, ut in Job : « In nihilum sunt redacti omnes artus mei [8], » id est, infirma membra mea multum delectantur.

Area est Ecclesia, ut in Evangelio : « Et purgabit aream suam [9], » id est, mundans Ecclesiam suam. *Area*, mundus iste, ut in libro Judicum : « Ponam vellus hoc lanæ in area [10], » quod ad salutem humanam virginem Mariam Deus posuit mundo. *Area*, latitudo populi gentilis, ut in libris Regum [11] constituit David altare Domino in area Arnan Jebusæi, quod Ecclesiam Patri Christus consecrat in latitudine gentilis populi.

Arbor est Christus, ut in Cantico : « Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios [12], » quod multum inter Christum et sanctos Ecclesiæ filios distat, quod puri homines sunt. *Arbor*, crux, ut in Cantico : « Sub arbore malo suscitavi te [13], » id est, per fidem passionis meæ a morte revocavi te. *Arbor*, humilis Dei scientia, ut in Evangelio : « Ascendit Zachæus sycomorum, ut videret Jesum [14], » quod nisi stultam Dei sapientiam apprehendamus, Christum comprehendi non meremur. *Arbor*, fides robusta, ut in Evangelio : « Crevit granum sinapis, et factum est in arborem magnam [15], » quod crevit fides, quæ prius abjecta videbatur per mundum, et robur accepit magnum. *Arbor*, bona voluntas, ut in Evangelio : « Arbor bona fructus malos non facit [16], » quod ex voce bona non procedit actio mala. *Arbor*, voluntas mala, ut in Evangelio : « Non est arbor bona, quæ fructus malos facit [17], » quod non est tunc bona voluntas in mente, quando mali apparent fructus in opere. *Arbor*, perfectus quilibet in fide, ut in Apocalypsi : « Præceptum est illi [18], » id est, a Deo injunctum est Antichristi discipulis, « ne ederent fenum, » id est, rudem aliquem in fide, « nec omne viride » id est, in fidem omnem provectum, « nec omnem arborem, » id est, nec ullum in fide perfectum. *Arbor*, humana natura, ut in Evangelio : « Arbor, quæ non facit fructus bonos, excidetur, et in ignem mittetur [19], » quod impius, qui bene vincere non curat, a consortio justorum exscindetur, et in ignem gehennæ mittetur. *Arbor*, tota simul reproborum massa, ut in Evangelio : « Securis ad radicem arboris posita est [20], » quod Judex Christus, qui te ex manubrio humanitatis extraxit, et incidit ex ferro divinitatis, omnes reprobos consumet. Per *arborem* hic mundus, ut in Evangelio : « Cum producunt arbores jam ex sese fructum, scitis quod prope est regnum Dei [21]. » Per *arborem* hæretici, ut in Epistola Judæ : « Arbores autumnales [22], » quod salus hæreticorum desperatur.

Aromata sunt viri sancti, ut in Cantico : « Perfla, auster, hortum meum, et fluent aromata illius [23], » id est, fecunda, o sancte sponse, Ecclesiam meam, et apparebunt sancti ejus. *Aromata* sunt bona opera sanctorum, ut in Cantico : « Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata [24], » quod suavitates virtutum, quæ sint in virgine Maria, bona excedant opera sanctorum. *Aromata* sunt mundæ cogitationes, ut in Cantico : « Messui myrrham meam cum aromatibus meis [25], » quod qui modo carnem mortificat, et mentem mundat, ex utraque in futura, vitam metet æternam. *Aromata*, dulcedines orationum, ut in Evangelio [26], venient diluculo mulieres portantes aromata, quæ præparaverant, quod discussis tenebris mentis devotæ veniant animæ, ferentes præmeditatas orationes.

Areolæ sunt doctrinæ virtutum, ut in Cantico : « Genæ ejus sicut areolæ aromatum [27], » id est, martyres ejus doctrinis et virtutibus insistunt : *Areola*, quilibet humilis, ut in Cantico : « Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatis [28], » id est, Christus venit ad Ecclesiam suam, id est, tum humili, ut faciat mansionem tuam.

Aranea, afflicta anima, ut in Psalmis : « Et tabescere fecisti, sicut araneam, animam ejus [29], » id est, ad instar araneæ permisisti affligi animam ejus vanitas vitæ, ut in Psalmis : « Anni nostri sicut aranea meditabuntur [30], » id est, anni nostri vanitate sunt pleni.

Armenta sunt doctores vel rectores Ecclesiæ, ut in Cantico Habacuc : « Et non erit armentum in præsepibus [31], » id est, non erit prælatus in populo.

[1] Gen. VI, 14. [2] Exod. XXVII, 5. [3] Job V, 5. [4] I Reg. XVII, 39. [5] Job XXXIX, 21. [6] Cant. VII, 1. [7] Job. XV, 27. [8] Job XVI, 7. [9] Matth. III, 12; Luc. III, 17. [10] Jud. VI, 37. [11] II Reg. XXIV, 18. [12] Cant. II, 3. [13] Cant. VIII, 5. [14] Luc. XIX, 4. [15] Luc. XIII, 19. [16] Matth. VII, 18. [17] Luc. VI, 43. [18] Apoc. VII, 1. [19] Matth. VII, 19. [20] Ibid. [21] Luc. XXI, 30, 31. [22] Vers. 12. [23] Cant. IV, 16. [24] Cant. IV, 10. [25] Cant. V, 1. Mar. XVI, 1; [26] Luc. XXIV, 1. [27] Cant. V, 13. [28] Cant. VI. 1. [29] Psal. XXXVIII, 12. [30] Psal. LXXXIX, 9. [31] Habac. III, 17.

Digitized by Google

Armenta collegium est patriarcharum, ut in cantico Deuteronomii, « vitulum de armento, » id est, Christum ex patriarchis natum.

Arva subjecti sunt, ut in cantico Habacuc : « Et arva non afferent cibum [1], » id est, subditi escam obedientiæ non habebunt.

Aratrum est cultus justitiæ, ut in Evangelio : « Nemo mittet manum suam ad aratrum, et respiciens retro, est aptus in regno Dei [2], » id est, nullus a cultu justitiæ ad peccata, quæ dimittat, rediens, dignus est salvari. *Aratrum*, exemplum bonum, ut in libris Regum : « Et in aratro boum coxit carnes [3], » id est, ad imitationem sanctorum opera carnalia mortificavit.

Astra sunt angeli sancti, ut in Job : « Cum mè laudarent simul astra matutina [4], » id est, angeli, quos primum creavi. *Astra*, viri sancti in Ecclesia, ut in Isaia : « Super astra cœli exaltabo solium meum [5], » id est, reprobos, quibus impero, contemplationes Ecclesiæ per electionem prémere faciam.

Ascensus est elevatio Christi, ut in Psalmis : « Qui ponis nubem ascensum [6]; » quod nubes suscepit eum ab oculis eorum.

Ascensus, afflictio martyrum, ut in Cantico : « Ascensum purpureum [7], » cæcum videlicet martyrem pro Domino afflictum. *Ascensus*, spiritualis vitæ profectus, ut in Ezechiele : « Et in septem gradibus ascensus ejus [8], » quod per gratiam septiformis Spiritus bonæ conversationis acquirimus profectum.

Ascensor est Dominus, ut in Job : « Decidet equum et ascensorem ejus [9], » id est, contemnet virum sanctum, et Dominum, qui ei præest. *Ascensor*, mundi hujus amator, ut in Genesi : « Ut cadat ascensor ejus retro [10], » id est, quemadmodum mundus contra Dominum amat, ut in posterioribus ruat. *Ascensor*, diabolus, ut in cantico Exodi : « Equum et ascensorem ejus dejecit in [mare] [11], » id est, superbos quoslibet, et eum qui eis præsidet, diabolus demersit in infernum.

Asinus est populus gentilis, ut in Isaia : « Et asinus præsepe domini sui [12], » id est, gentium populus, qui prius immundus fuit, spiritualem alimoniam acquisivit. *Asinus*, Judæorum stultitia, ut in Genesi : « Exspectate hic cum asino, postquam adoraverimus, revertemur ad vos [13], » quod cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium introeat, et sic omnis Israel salvus fiet [14]. *Asinus*, quilibet qui infirmis deservit, ut in Job : « Asinum pupillorum abegerunt [15], » id est, eum qui infirmus per charitatem fremebat, hæretici adduxerunt. *Asinus*, pigritia stultorum, ut in Deuteronomio : « Non arabis in bove et asino [16], » id est, strenuo et sapienti imprædicatorem fatuum et pigrum non sociabis

Asina est caro nostra, ut in libro Josue : « Axa sedens super asinam accepit a patre irriguum superius et inferius [17], » quod anima fidelis carnem regens, percipit a Domino compunctionem ex amore et timore. *Asina*, Synagoga, ut in Evangelio : « Invenietis asinam alligatam [18], » id est, videbitis plebem Judaicam peccatorum funibus constrictam. Per *asinam*, luxuriosi, ut in propheta : « Quorum carnes ut carnes asinorum [19], » id est, tam libidinosa est caro eorum quam est caro asinorum. Per *asinas*, petulantes sensus, ut in Job : « Qui ascenditis super nitentes asinas, eloquimini [20], » quod illi digne laudare possunt, qui petulantibus sensibus suis viriliter præesse norunt. Per *asinas* omnes cœlestes animæ, ut in libris Regum [21], perierunt asinæ Cis, patris Saul, et missus est Saul ad quærendas eas, quod perierant hominum animæ, et missus est Dominus in hunc mundum, peccatores salvos facere. Per *asinas*, simplices, ut in Job : « Erant autem quingentæ asinæ [22], » quod redemptori nostro vere simplicium devotio servit, qui continentiam..... partem servavit.

Aspis est diabolus, ut in Psalmis : « Super aspidem et basiliscum ambulabis [23], id est, illum deprimes, qui et occulte decipit, et aperte sævit. *Aspis*, reprobus quilibet, ut in Psalmis : « Aspidis surdæ et obturantis aures suas [24], » quod reprobus sensum cordis ad vocem prædicationis non inclinavit. *Aspis*, occulta sævitia diaboli, ut in Isaia : « Super foramen aspidis manum suam mittet [25], » quod per gratiam suam eos nonnunquam Dominus visitat, qui occultam in se diaboli malitiam habuerunt. Per *aspidem*, spiritus maligni, ut in Job : « Panis illius vertetur in fel aspidum [26], » quod delectatio impii in amaritudinem spirituum immundorum mutabitur. Per *aspidem*, suggestiones diaboli, ut in Job : « Caput aspidum suget [27] : » quod in via diabolicarum suggestionum impius suscipiet. Per *aspidem* dolosi, ut in psalmo : « Venenum aspidum sub labiis eorum [28], » id est, fraus et malitia dolosorum sub verbis latebat Judæorum.

Atrium est sancta Ecclesia, ut in Psalmis : « Adorate Dominum in atrio sancto ejus [29], » id est, servite ei in Ecclesia sancta ejus. *Atrium*, mundus : « Fortis armatus custodit atrium suum [30], » id est, diabolus possedit hunc mundum. *Atrium*, amplitudo fidelium, ut in Ezechiele : « Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum [31], » quod fideles in longanimitate spei bonorum operum perfectionem habent. *Atrium*, circuitus sæcularis, ut in Evangelio : « Petrus in atrio principis sacerdotum cum ministris stabat ad ignem [32], » quod Dei negator in

[1] Habac. III, 17. [2] Luc. IX, 62. [3] III Reg. XIX, 21. [4] Job XXXVIII, 7. [5] Isa. XIV, 13. [6] Psal. CIII, 3. [7] Cant. III, 10. [8] Ezech. XL, 22. [9] Job XXXIX, 21. [10] Gen. XLIX, 17. [11] Exod. XV, 1. [12] Isa. I, 3. [13] Gen. XXII, 5. [14] Rom. XI, 25. [15] Job XXIV, III. [16] Deut. XXII, 10. [17] Jos. XV, 19. [18] Matth. XXI, 1, 2. [19] Ezech. XXIII, 20. [20] Jud. V, 10. [21] I Reg. IX, 3. [22] Job I, 3. [23] Psal. XC, 13. [24] Psal. LVII, 5. [25] Isa. XI, 8. [26] Job XX, 14. [27] Ibid. v. 16. [28] Psal. CXXXIX, 4. [29] Psal. XXIX, 2; et XCVI, 9. [30] Luc. XI, 28. [31] Ezech. XL, 47. [32] Marc. XIV; Joan. XVIII.

Digitized by Google

circuitu sæculari ad desideria carnis manet. *Atrium*, plebs infidelis, ut in Apocalypsi : « Atrium, quod est foris templum, ejice foras [1], » id est, eos, qui ad fidem intrare nolunt, a communione fidelium sequestrandos esse demonstra. Per *atrium* prophetæ et apostoli, ut in Psalmis : « Introïte in atria ejus [2], » id est, apostolis et prophetis ejus conformes estote. Per *atria*, præcepta charitatis, ut in Psalmis : « In atriis domus Dei nostri [3], » id est, in mandatis, per quæ omnia communia fiant. Per *atrium*, secreta cœli, ut in Psalmis : « Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini [4], » id est, desiderat Spiritus meus pertingere ad cœli secreta.

Aurora est sancta Ecclesia, ut in Cantico : « Quasi aurora consurgens [5], » quia a tenebris vitæ præsentis ad cœlestia per desiderium sancta Ecclesia consurgit. *Aurora* est qui noviter bona opera inchoat ut in Psalmis : « Tu fabricatus es auroram et solem [6], » quod Dominus et initium constituit in bono opere, et perfectionem. *Aurora*, vita justorum, ut in Job : « Si subito apparuerit aurora [7], » quod impius vitam justorum contemnit. *Aurora*, mens sancta, ut in Job : « Et ostendisti auroræ locum suum [8], » quod piæ menti cœlestem patriam, quæ ei locus est, Dominus per revelationem demonstrat.

Auster est Spiritus sanctus, ut in Cantico : « Et veni, Auster [9], » id est, venit fervor Spiritus sancti. *Auster*, populus Judaicus, ut in Isaïa : « Et Austro dicam : Noli prohibere [10], » id est, præcipiam Judæis, ne gentes ad credendum impediant. *Auster*, prædicator quilibet, ut in Psalmis : « Transtulit Austrum de cœlo [11] : » quod de vita sublimi Dominus prædicatorem eligit. *Auster*, cœtus martyrum, ut in Apocalypsi : « Ab Austro, portæ tres [12], » quod a martyribus fides Trinitatis prædicatur. *Auster*, devotio sancta, ut in Psalmis : « Convertere, Domine, captivitatem nostram sicut torrens in Austro [13], » quod per sanctam devotionem mens ab interno frigore liberatur. *Auster*, sanctitas religiosæ conversationis, ut in Ezechiele : « Quasi ædificium civitatis vergentis ad Austrum [14], » quod sancta Ecclesia fervori sanctæ conversationis insit. *Auster*, secretum cœli, ut in Job : « Qui facit interiora Austri [15], » quod Dominus interna illa cœlestis patriæ suis præparavit.

Aurum est ipsa Divinitas, ut in Cantico : « Caput ejus aurum optimum [16], » quod divinitas Christi ineffabilis claritas est. *Aurum*, splendor cœlestis patriæ, ut in Apocalypsi : « Ipsa civitas auro mundo [17], » quod superna illa civitas æterna munditia splendebit. *Aurum*, sapientia primi angeli, ut in Ezechiele : « Aurum opus decoris tui [18], » quod magna primus angelus sapientia decoratus fuit. *Aurum*, decus bonorum spirituum, ut in Job : « Non dabitur aurum obryzum pro eo [19], » quod Christo nullus angelus æquari potest. *Aurum*, virtus charitatis, ut in Apocalypsi : « Et procinctum ad mamillas zona aurea [20], » id est, ligatum in interioribus suis vinculo charitatis. *Aurum*, spiritualis sapientia, ut in Parabolis : « Thesaurus desiderabilis [21], » id est, sapientia spiritualis, requiescit in ore sapientis. *Aurum*, sapientia gentilitatis, ut in Psalmis : « Et dabitur ei de auro Arabiæ [22], » id est, servient ei sapientes gentilitatis. *Aurum*, sublimitas temporalis, ut in Job : « Si putavi aurum robur meum [23], » quod justus in sublimitate sua temporali non confidit. *Aurum*, claritas sanctorum in cœlestibus, ut in Job : « Non adæquabitur ei aurum [24], » quod nec sancti, qui jam in cœlis sunt, Christo æquari possunt. *Aurum*, animæ sunt fideles, de gentilitate venientes, ut in Job : « Ab Aquilone aurum veniet [25], » id est, a populo gentili animæ devotæ procedent. *Aurum*, cœtus martyrum, ut in Job : « Auro locus est, in quo conflatur [26], » quod non prodest martyrium nisi in Ecclesia suscipiatur. *Aurum*, virtus patientiæ, ut in Job : « Probavit me quasi aurum, quod per ignem transit [27], » id est, ex tribulatione, quam pertuli, non sum superatus ; sed per sapientiam clarior effectus. *Aurum*, regia Christi potestas ; ut in Evangelio [28] magi aurum Christo offerunt, quod gentilis eum populus potentem credit regem. *Aurum*, vita sacerdotis, ut in Jeremia : « Quomodo obscuratum est aurum [29], » quod splendida sacerdotum vita vitiis deturpatur. *Aurum*, bona conversatio populi fidelis, ut in Job : « Et glebæ illius, aurum [30], » quod non solum sacerdotes per sanctitatis prærogativam in Ecclesia nitent, sed et fideles in ea populi per bonam conversationem fulgent. *Aurum*, claritas contemptorum mundi, ut in Job : « Sternet sibi aurum quasi lutum [31], » quod sic sibi nonnunquam eos, qui mundum contempserunt, subjicit, sicut eos, qui diligunt. *Aurum*, acumen subtilis ingenii, ut in Apocalypsi : « Suadeo tibi a me aurum [32], » id est, da boni operis pretium, si vis pertingere ad acutum ingenium, quod per sanctum actum pertingimus ad clarum intellectum. *Aurum*, sapientia reproborum, ut in Apocalypsi : « Merces auri tui nemo emet amplius [33], » quod damnatis in ultimo judicio reprobis, nemo eorum ulterius sapientiam exquiret. *Aurum*, fulgor pompæ sæcularis, ut in Psalmis : « Dilexi mandata tua super aurum [34], » etc., id est, magis, quam elationem sæcularem. *Aurum*, æterna vita electorum, ut in Psalmis : « Posteriora dorsi ejus in pallore auri [35], » quod subsequens Ecclesiæ pro Deo honorifice lucebit in splendore permanentis vitæ.

Auris est Dei potentia, ut in Psalmis : « Præpa-

[1] Apoc. XI, 2. [2] Psal. XCV, 8. [3] Psal. XCII, 14. [4] Psal. LXXXIII, 3. [5] Cant. VI, 9. [6] Psal. LXXIII, 16. [7] Job XXIV, 17. [8] Job XXXVIII, 12. [9] Cant. IV, 16. [10] Isa. XLIII, 6. [11] Psal. LXXVII, 26. [12] Apoc. XXI, 13. [13] Psal. CXXV, 4. [14] Ezech. XL, 2. [15] Job IX, 9. [16] Cant. V, 11. [17] Apoc. XXI, 18. [18] Ezech. XXVIII, 13. [19] Job XXVIII, 15. [20] Apoc. I, 13. [21] Prov. XXI, 20. [22] Psal. LXXI, 15. [23] Job XXXI, 24. [24] Job XXVIII, 17. [25] Job XXXVII, 22. [26] Job XXVIII, 1. [27] Job XXIII, 10. [28] Matth. II, 11. [29] Thr. IV, 1. [30] Job XXVIII, 6. [31] Job XLI, 21. [32] Apoc. III, 18. [33] Apoc. XVIII, 12. [34] Psal. CXVIII, 127. [35] Psal. LXVII, 14.

Digitized by Google

rationem cordis eorum audivit auris tua [1], » id est, occulta eorum penetravit potentia tua. *Auris*, clementia, ut in Psalmis : « Et auris ejus, » id est, pietas ejus, « ad preces eorum [2]. » *Auris*, doctor Ecclesiæ, ut in Parabolis : « Auris, quæ audivit increpationes vitæ, in medio sapientum commorabitur [3], » quod qui libenter audit increpationes docentium, plerumque usque ad cathedram doctorum conscendit. *Auris*, mens hominis, ut in Exodo : « Perforabitque aurem ejus subula [4], » id est, mentem ejus illustrabit verbo Dei. *Auris*, intellectus cordis, ut in Job : « Nonne aure tua verba dijudicat [5]? » quod verba, quæ sonant extrinsecus, discernit intellectus cordis intrinsecus. *Auris*, quilibet subjectus, ut in Parabolis : « Aurem audientem, et oculum videntem Dominus fecit [6], » quod Deus B utriusque est conditor, et subjecti videlicet obedientis, et prælati imperantis. *Auris* pro occulto accipitur, ut in Evangelio : « Quod in aure auditis, prædicate super tecta [7], » id est, quod in occulto suscipitis, effundite in publico. *Auris*, contemplatio interna, ut in Job : « Quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus [8], » id est, occulte percepit contemplatio mea signa internæ et divinæ allocutionis. Per aurem obedientia, ut in Evangelio : « Qui habet aures, audiat [9], id est, qui obedire vult, verba mea auscultet. Per *aurem*, pura intelligentia, ut in Psalmis : « Aures autem perforasti mihi [10], » id est, perfecte me intelligere fecisti, quid velles. Per *aurem*, judicia divina, ut in Isaia : « In auribus meis hæc dicit Dominus [11], » id est in judiciis meis hæc C sunt.

Auriga, quilibet prædicator, ut in libris Regum : « Currus Israel, et auriga ejus [12], » quod prædicator populum Dei et portare debet et ducere.

Avis est Christus, ut in Job : « Semitam ignoravit avis [13], » quod Christum ad cœlos ascendisse Judæa non credidit. *Avis*, anima hominis, ut in Job : « Et avis nascitur ad volandum [14], » quod anima pura in contemplatione se extendit. *Avis*, instabilis quisque, ut in Parabolis : « Avis transmigrat de loco suo [15], » quod instabilis quisque non moratur in loco suo. *Avis* est levitas verborum, ut in Parabolis : « Avis ad alta transvolat [16], » quod verba levia ad eum qui protulit, veniunt. *Avis*, superbus ille hostis, ut in D Job : « Nunquid illudet ei, quasi avi [17]? » quod Dominus superbum diabolum per suam sapientiam decepit. Per *aves* viri spirituales, ut in Genesi : « Aves autem non divisit [18], » quod viri spirituales per se scandala non dividunt. Per *avem*, spiritus maligni, ut in cantico Deuteronomii : « Devorabit eos quasi avis, morsu amarissimo [19], » quod reprobos maligni spiritus consument.

Axes sunt corda doctorum, ut in libris Regum : A « Et quatuor rotæ, per bases singulas, et axes ærei [20], » quod prædicationes suas confirmant per documenta prophetarum evangelistæ et doctores.

Azyma, puritas mentis, ut in Exodo : « Septem diebus azyma comedetis [21], » id est, toto tempore hujus vitæ sanctitati mentis studebitis.

Adversarius est diabolus, ut in Epistola Petri : « Adversarius vester diabolus circuit [22], » quod diabolus semper nocere intendit. *Adversarius*, populus incredulus, ut in Psalmo : « Irritat adversarius nomen tuum in finem [23], » id est, populus incredulus contemnit fidem tuam. *Adversarius*, sacra Scriptura, ut in Evangelio : « Esto consentiens adversario tuo [24], » id est, consenti sacræ Scripturæ, quæ adversatur carnalibus desideriis.

B

Babylon.	*Brachium.*	*Baculus.*
Bellum.	*Buxus.*	*Bathus.*
Branchia.	*Basiliscus.*	*Butyrum.*
Botrus.	*Bruchus.*	*Bitumen.*
Bethemoth.	*Barba.*	*Baltheus.*
Bases.	*Byssus.*	*Bestia.*
Bos.		

Babylon est civitas reproborum, ut in Propheta : « Fugite de medio Babylonis [25], » id est, contemnite mores reproborum. *Babylon*, mens prava, ut in Propheta : « Curavimus Babylonem, et non est sanata [26], » id est, sanare studuimus pravam mentem, quæ spiritaliter ægrotat, et non vult recipere sanitatem. *Babylon*, Ecclesia de gentibus, ut in Epistola Petri : « Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone C electa [27], » populus fidelis, qui de gentilitate ad fidem conversus est. *Babylon*, peccatum, ut in Propheta : « Veniens ad Babylonem, et ibi liberaberis [28], » quod multi per hoc, quod ad peccatum corruunt, ad sui cognitionem veniunt, et a peste superbiæ curantur. *Babylon* sunt impii, qui in fine damnabuntur, ut in Apocalypsi : « Cecidit Babylon [29], » quod in corpore simul et in anima impii damnabuntur. *Babylon*, caro nostra, ut in Psalmis : « Filia Babylonis [30], » id est, ... carnis per peccata confusa, quod Babylon confusio interpretatur. *Babylon*, hic mundus, ut in Daniele [31] Habacuc per capillum ad Babylonem deportatus est : quod Christi prædicatores ad mundum deferuntur. *Babylon*, infernus, ut in Propheta : « Reducam vos de Babylone in terram vestram, » id est, de inferno ad patriam cœlestem.

Baculus est misericordia Dei, ut in Psalmo : « Baculus tuus consolatur [32], » id est, misericordia tua consolata est, me. *Babylon*, potestas regiminis, ut in Genesi Judas Thamar baculum dedit [33], quod potestatem regiminis a Christo Ecclesia accepit. *Baculus*, sustentamentum, ut in Tobia : « Baculum senectutis nostræ [34], » id est, sustentamentum infirmitatis nostræ. *Baculus* est lex, ut in libris Regum

[1] Psal. IX, 17. [2] Psal. XXXIII, 16. [3] Prov. XV, 31. [4] Exod. XXI, 6. [5] Job XII, 11. [6] Prov. XX, 12. [7] Matth. X, 27. [8] Job IV, 12. [9] Matth. XI, 15; XIII, 9. [10] Psal. XXXIX, 7. [11] Isa. V, 9. [12] IV Reg. II, 12. [13] Job XVIII, 7. [14] Job V, 7. [15] Prov. XXVII, 8. [16] Prov. XXVI, 2. [17] Job XL, 24. [18] Gen. XV, 10. [19] Deut. XXXII, 24. [20] III Reg. IV, 30. [21] Exod. XII, 15. [22] I Petr. V, 8. [23] Psal. LXXIV, 10. [24] Matth. V, 25. [25] Jer. L, 8; et LI, 6. [26] Ibid. V. 9. [27] I Petr. V, 13. [28] Mich. IV 10. [29] Apoc. XIV, 8. [30] Psal. CXXXVI, 8. [31] Dan. XIV, 22. [32] Psal. XXII, 4. [33] Gen. XXXVIII, 18. [34] Tob. X, 4.

Digitized by Google

Elisæus mittit puerum Giezi ad mortuum « cum baculo [1], » quod ad mortuum in peccatis genus humanum Christus Moysen cum lege transmisit. *Baculus*, * ut in Isaia : « Convertit Dominus baculum impiorum [2], » quod Christus destruxit diabolum, qui dominus est reproborum. *Baculus*, justitia, ut in Genesi : « In baculo meo transivi Jordanem istum [3], » quod in justitia nostra transire debemus mundum istum. *Baculus*, crux Christi, ut in libris Regum David venit contra Goliam cum baculo [4], quod Christus de diabolo triumphavit in ligno. Per *baculum* curæ pastorales, ut in Exodo : « Tenentes baculos in manibus [5], » id est, curas pastorales exercentes in operibus.

Balteus est continentia, ut in Exodo : « Et balteum * opere plumarii [6], » diversi generis continentia *Balteus*, virtus continentiæ, ut in Job : « Balteum regum dissolvit [7], » quod in eis qui de castitate gloriantur, ejusdem castitatis cingulum Dominus frangi permittit. *Balteus*, mortificatio carnis, ut in libro I Regum [8] : « Dedit Jonathas David vestimenta sua usque ad balteum, » quod Domino nostro, qui est verus David, non solum exteriora nostra, sed ipsam carnis nostræ mortificationem efferre debeamus. *Balteus*, unitas fidei, ut in II libro Regum [9] : « Quare non confodisti? et ego dedissem tibi decem argenti siclos, et unum balteum, » quod qui in se mundi hujus cupiditatem exstinguit, et in perfectione decalogi, et unitate fidei roborari meretur. *Balteus*, ipse animus noster, ut in III libro Regum [10] : « Et posuit cruorem prælii in balteo, quod erat circa lumbos suos, » id est, posuit crudelitatem discordiæ in animo, qui lascivis carnis motibus præesse debet.

Barba est divinitas Christi, ut in libris Regum : « Defluebat saliva in barbam [11], » quod verba * infima et infantilia tegebant divinitatem Christi. *Barba*, cœtus apostolorum, ut in psalmis : « Descendit unguentum in barbam, barbam Aaron [12], » quod venit Spiritus sanctus in Apostolos Christi. *Barba*, populus Judaicus, ut in Ezechiele : « Duces gladium tuum per caput et barbam [13], » quasi terribili judicio suo vetus * a se sacerdotium et populum Judaicum Dominus abscidit. *Barba*, fiducia, ut in Jeremia : « Venerunt viri * rasi barba [14], » quod fiduciam Christi sibi de viribus suis viri sancti * admittunt.

Brachium est Christus, ut in Isaia : « Et brachium Domini cui revelatum est? » [15] id est, cui Filius Dei nuntiatus est? *Brachium*, vigor Salvatoris nostri, ut in Isaia : « In brachio suo congregabit agnos [16], » id est, in vigore suo ipse adjuvabit simplices. *Brachium*, debilis fortitudo hominis, ut in psalmo : « Et brachium eorum non salvabit eos [17], » id est, fortitudo eorum non curabit eos. *Brachium*, opus charitatis, ut in Cantico : « Pone ut signaculum brachium tuum [18], » quod sponsa in actione charitatis sponsum imitatur. *Brachium*, superbia Antichristi, ut in Job : « Et brachium excelsum conteretur [19]. » Per *brachium*, opera robusta, ut in Psalmis : « Posuisti ut arcum æreum brachia mea [20], » id est, fecisti infatigabilia opera tua.

Branchia est potestas diaboli, ut in libro Tobiæ : « Apprehende branchiam ejus [21], » quod Deus potentiam Satanæ annihilavit.

Bases sunt consilia divina, ut in Cantico : « Crura sponsi sicut columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas [22], » quod viri sancti, per quos graditur Christus, et sublimes per contemplationem, et fortes sunt per vigorem, quos occulte disponunt consilia divina. *Bases*, apostoli, ut in Job : « Super quos bases terræ solidatæ sunt [23], » quod apostoli sanctæ Ecclesiæ in Christo confirmantur. *Bases*, prædicatores, ut in Exodo : « Facies columnas quatuor, et bases * earum vesties auro [24], » quod quatuor sunt Evangelia, et eorum expositores claritate sapientiæ fulgent. *Bases*, Patres Veteris Testamenti, ut in Exodo [25] : Tabulæ tabernaculi basibus imponuntur, quod patres sub gratia nitidæ conversationi patrum præcedentium innituntur.

Basiliscus est diabolus, ut in Psalmis : « Super aspidem et basiliscum ambulabis [26], » id est, diabolum superabis.

Batus est judicium, ut in Levitico : « Batus æquus erit vobis [27], » id est, juste judicate. Per *batum*, duæ hominis substantiæ, corpus scilicet et anima, ut in III libro Regum : « * Duo millia batos capiebat mare [28], » quod in baptismo perfecte et in corpore et in anima emundamur. *Ephi* et *batus* una mensura sunt, sed *ephi* est in siccis, utpote in tritico et sale; *batus* vero in liquidis, ut vino et oleo

Bellum est persecutio, ut in Psalmis : « Conversi sunt in die belli [29], » quod instabiles in persecutione deficiunt. *Bellum*, adversitas sæculi, ut in Job : « Eruet te in bello [30], » id est, proteget te in adversitate. *Bellum*, pugna vitiorum, ut in Job : * « Procul odoratur bellum [31], » quod vir prudens vitiorum pugnam prævidet. *Bellum*, tentatio diaboli, ut in Psalmis : « Obumbrasti super caput meum in die belli [32], » id est, protexisti mentem meam in calore diabolicæ tentationis. *Bellum*, resistens adversarius, ut in Psalmis : « Præcinxisti me virtute ad bellum [33], » id est, roborasti me * patientia contra adversarium. *Bellum*, suggestio adversarii, ut in Paulo : « Fortes * sancti sunt in bello [34], » quod viri sancti * suggestioni Satanæ fortiter resistunt. *Bellum*, ipse malignus, ut in Job : « Memento belli, nec ultra ad-

[1] IV Reg. IV, 28. [2] Isa. XIV, 5. [3] Gen. XXXII, 10. [4] I Reg. XVII, 43. [5] Exod. XII, 11. [6] Exod. XXVIII, 39. [7] Job XII, 18. [8] Cap. XVIII, 4. Cap. XVIII, 11. [9] Cap. II, 5. [10] I Reg. XXI, 13. [11] Psal. CXXXIII, 2. [12] Ezech. V, 1. [13] Jer. XLI, 5. [14] Isa. LIII, 1. [15] Isa. XX, 11. [16] Psal. XLIII, 4. [17] Cant. VIII, 6. [18] Job XXXVIII, 15. [19] Psal. XVII, 35. [20] Job XXXVIII, 15. [21] Psal. XVII, 35. [22] Tob. VI, 4. [23] Cant. V, 15. [24] Job XXXVIII, 5. [25] Exod. XXVI, 17, 18, 19. [26] Psal. XC, 13. [27] Levit. XIX, 36; Deut. XXV, 13, 14, 15. [28] III Reg. VII, 26. [29] Psal. LXXVII, 9. [30] Job V, 20. [31] Job. XXXIX, 28. [32] Psal. CXXXIX, 8. [33] Psal. XVII, 40. [34] Hebr. XI 34.

Digitized by Google

das loqui [4], » id est, qualis sit malignus, semper recordare, et a murmuratione te compesce. *Bellum*, ultima damnatio, ut in Job : « Et pluat super, illum bellum suum [5], » quod Deus super impium æternam fundit damnationem.

Bechemoth, diabolus, ut in Job : « Ecce Bechemoth, quem feci tecum [6], » quod spiritum illum, qui modo diabolus est, Deus creavit.

Bestia est quilibet a peccato conversus, ut in Isaia : « Glorificabit me bestia agri [7], » id est, peccator de peccato suo pœnitens me honorabit. *Bestia*, mens irrationabilis, ut in Exodo : « Si bestia montem tetigerit, lapidabitur [8], » quod si mens irrationabilis ad alta contemplationis se erigit, summa non sustinens superni ponderis vocibus necatur. *Bestia*, populus Judaicus serviens, ut in Genesi : « Bestia devoravit Joseph [9], » id est, persecutor populus Judæorum occidit Christum. *Bestia*, peccatum criminale, ut in Isaia : « Bestia mala non transibit per eam [10], » quod mens sancta peccatum mortale omni studio vitare contendit. *Bestia*, societas reproborum, ut in Apocalypsi : « Vidi de mari bestiam ascendentem [11], » quod Antichristi sequaces de terrenis post eum emergunt. *Bestia*, diabolus, ut in Apocalypsi : « Bestia, quam vidisti, fuit et non est [12], » quod ' adventum Christi, diabolus regnavit, sed ipso adveniente superatus fuit. Per *bestias*, Judæi exæcati, ut in psalmo : « In ipsa (nocte) pertransibunt omnes bestiæ silvæ [13], » quod crescente cæcitate sua ad opus Dominicæ passionis Judæi pervenerunt. Per *bestias*, Gentiles, ut in psalmo : « Potabunt omnes bestiæ agri [14], » quod sacræ Scripturæ fluentis Judæi inebriantur. Per *bestias*, simplices quilibet, ut in Genesi : « Creavit Deus bestias terræ [15], » quod simplices Deus in Ecclesia posuit. Per *bestias*, increduli, ut in Paulo : « Adversus bestias pugnavi [16], » id est, contra incredulos disputavi. Per *bestias*, spiritus maligni, ut in Job : « Omnes bestiæ agri ludunt ibi [17], » quod in mente reproba maligni spiritus exsultant. Per *bestias*, instabiles motus cordis, ut in Job : « Et bestiæ terræ pacificæ erunt [18], » id est, ' interni motus cordis tui te non inquietabunt. Per *bestias* peccata : ut in Psalmis : ..... sic ..... per confessionem præteritis debeas, et ita futuris conserves.

Byssus est justitia, ut in Apocalypsi : « Byssinum enim justificationes sanctorum sunt [19]. » *Byssus*, carnis afflictio, ut in Exodo : « Coccumque bis tinctum, et byssum ' retortum, » id est, geminam charitatem; et carnem afflictam. *Byssus*, virginitas, ut in Parabolis : « Byssus et purpura indumentum ejus [20], » quod in quibusdam sancta Ecclesia virginitate, in quibusdam martyrio vestitur. Sicut Hildebertus, episcopus Cenomanensis :

Nunc est byssus, nunc purpura vestis,
Quod per bella rosas, per pacem lilia profert.

Byssus, acies virtutum, ut in Exodo : « Tentoria de bysso retorta [21], » quod sancti decore virtutum ornantur. *Byssus*, cultus exterior, ut in Evangelio : « Induatur purpura et bysso [22], » quod populus Judaicus exteriorem vitæ cultum habuit.

Bitumen est robur charitatis, ut in Genesi : « Et bitumine linies arcam extrinsecus et intrinsecus [23], » quod Dominus secundum hominem virtute munit charitatis, tam intus in corde, quam extra in opere. *Bitumen*, virginitas, ut in Exodo : « Sumpsit fiscellam scirpeam, et linivit eam bitumine ac pice [24], » quod autem de sapientia elegit virginalem, et eam virginitate ornavit et humilitate. *Bitumen*, duritia discordiæ, ut in Genesi : « Habuerunt lateres et bitumen pro cæmento [25], » quod iniqui robur deserentes bonæ actionis, lutum amant libidinis, et abjicientes ligamentum charitatis, duritiam discordiæ amplectantur.

Botrus est Christus, ut in Numeris [26] duo viri botrum portant in vecte, quod duo populi Christo confitentur in cruce. *Botrus*, spiritualis lætitia, ut in Cantico : « Botrus Cypri dilectus meus mihi [27]; » florida lætitia resurgentis me glorificavit, quod *Cyprus florens* interpretatur. *Botrus*, opus justitiæ, ut in Job : « Lædetur, quasi vinea in primo flore ejus [28], » quod in mente reproba et opus bonum per superbiam destruitur. *Botrus*, opus justitiæ, ut in cantico Deuteronomii : « Et botrus amarissimus [29], » quod ex amaritudine, quod iniquus operatur. Per *botrum* prædicatores sancti, ut in Cantico : « Et ubera tua assimilata sunt botris [30], » quod duo sanctæ Ecclesiæ populi prædicatores suos imitantur. Per *botros* impii, ut in Apocalypsi : « Vindemia botros vineæ terræ [31], » quod malos Dominus exterminat, qui inflati sunt terrena jucunditate.

Bos, prædicator, ut in lege : « Non arabis in bove et asino [32], » id est, non socies in prædicatione fatuum sapienti prædicatori. *Bos*, opus bonum, ut in lege : « Non operaberis in primogenito bovis [33], » id est, non ' exerces in publico primordia boni operis. *Bos*, populus Judaicus, ut in Job : « An mugiet bos, cum ad præsepe plenum fuerit [34]? » quod a deflendo statu suo Judaicus populus liberatus fuit in illis in quibus Christi incarnationem cognovit. *Bos*, populus gentilis, ut in Isaia : « Cognovit bos possessorem [35], » quod plebs gentilis credidit in redemptorem suum. *Bos*, Lucas evangelista, ut in Ezechiele : « Facies bovis a sinistris [36], » quod a sacrificio Evangelium suum incepit Lucas. *Bos*, quilibet fatuus, ut in Parabolis : « Sequitur eam, quasi bos ductus ad victimam [37], » quod mundi hujus cupiditatem sequitur stultus ad interitum. Per *boves* patriarchæ, ut in Levitico : « Vitulum de bobus sine macula [38], » id est, de patriarchis Christum natum sine culpa. Per *bovem* perfecti quique, ut in Job : « Boves ara-

Job XL, 27. [2] Job XX, 23. [3] Job XL, 10. [4] Isa. XLIII, 20. [5] Exod. XIX, 13; Hebr. XII, 19. [6] Gen. XXXVII, 33. [7] Isa. XXXV, 9. [8] Apoc. XIII, 1. [9] Apoc. XVII, 8. [10] Psal. CIII, 20. [11] Ibid. vers. 11. [12] Gen. I, 24. [13] I Cor. XV. [14] Job XL, 15. [15] Job V, 23. [16] Apoc. XIX, 8. [17] Prov. XXXI, 22. [18] Exod. XXVI, 1. [19] Luc. XVI, 19. [20] Gen. VII, 14. [21] Exod. II, 3. [22] Gen. XI, 3. [23] Num. XIII, 24. [24] Cant. I, 14. [25] Job XV, 33. [26] Deut. XXXII, 32. [27] Cant. VII, 7. [28] Apoc. XIV, 18. [29] Deut. XXII, 10. [30] Deut. XV, 19. [31] Job VI, 5. [32] Isa. I, 3. [33] Ezech. I, 10. [34] Prov. VII, 22. [35] Lev. IV, 3.

Digitized by Google

sant [1], » id est, perfecti opera perfecta faciebant. Per *boves*, prælati, ut in psalmo : « Jumenta in mentibus et boves [2], » id est, subjecti in virtutibus et prælati. Per *boves* cogitationes mansuetæ, ut in III libro Regum : « Leones in basibus, et boves et cherubim [3], » quod in prælatis cum rigore et scientia esse debent cogitationes mansuetæ. Per *bovem*, hæretici, ut in psalmo : « Boves eorum crassæ [4], » quod hæretici propter mollitiem genere feminino vocati terrenis affluunt. Per *bovem*, cupiditates sensuum, ut in Evangelio : « Juga boum emi [5], » quinque sensuum cupiditati insistunt. Per *boves*, elationes cordis, ut in psalmo : « Offeram tibi bovem cum hirco [6], » id est, mortificabo elationes cordis, cum mortificatione petulantiæ carnis. *Bos*, antiquus hostis, ut in Job : « Fenum quasi bos comedet [7], » quod carnales diabolus devorat.

Buccina est persecutio, ut in Job : « Ubi audierit buccinam, dicit : Vah ! [8] » quod sanctus prædicator de persecutione lætatur : Per *buccinam*, prædicatores, ut in Josue [9] sacerdotes cum buccinis circum iverunt Jericho : quod cum prædicationibus prædicatores circumiverunt mundum.

Bruchus est edendi ingluvies, ut in Joele : « Residuum locustæ comedet bruchus [10], » quod mentem reprobam et tunc inficit gula, cum eam deserit superbia.

Butyrum est humanitas Christi, ut in Isaia : « Butyrum et mel comedes [11], » quod Christus in unitate personæ suæ et divinam habuit naturam, quæ pertinet ad mel ; et humanam, quæ ad butyrum. *Butyrum* doctrina patriarcharum, ut in cantico Deuteronomii : « Butyrum de armento, et lac de grege [12], » id est, pinguem doctrinam de patriarchis [13] amplicem et de moribus sanctis. *Butyrum*, vita contemplativa, ut in Job : « Non videat rivos fluminis torrentis mellis et butyri [13], » quod iniquus quilibet opera sanctitatis non exercet : nec illa scilicet quæ ad vitam pertinent contemplativam, nec illa quæ ad activam. *Butyrum*, nutus carnis : ut in libro Judicum : « Et in phiala principi obtulit butyrum [14], » quod nihil validius ad prosternendum in nobis mundi principem habere valemus, quam ut stabilem in mente nostra charitatem teneamus. *Butyrum*, fecunditas bonæ actionis, ut in Genesi : « Tulit quoque butyrum, et posuit coram eis [15], » quod ex boni operis fecunditate sanctam in nobis trinitatem placare debemus. *Butyrum*, pinguedo spiritualium virtutum : ut in Parabolis : « Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum [16], » quod, qui studiose corpus suum et animam ad dulcedinem sanctitatis, ad pinguedinem quoque spiritalium virtutum pertingunt. *Butyrum*, unctio pœnitentiæ, ut in Job : « Lavabam pedes meos butyro [17] : » quod Dominus, cujus figuram Job tenebat, electorum suorum affectus per pœnitentiæ unguenta lavat.

Buxus est viriditas fidei, ut in propheta : « Ponam in desertum abietem et buxum [18], » id est, in Ecclesia gentium contemplativos, et eos qui fidei viriditatem tenent, constituam.

C

Cadaver.	*Cives.*	*Cerastes.*
Calor.	*Columba.*	*Calcaneum.*
Character.	*Consules.*	*Carbones.*
Cibaria.	*Culex.*	*Clibanus.*
Calceamentum.	*Castellum.*	*Campus.*
Caseus.	*Cœmentarii*	*Cathedra.*
Cyphus.	*Collum.*	*Canales.*
Clavis.	*Confusio.*	*Cœlum.*
Cachessi.	*Culmus.*	*Columnæ.*
Cinnamomum.	*Compages.*	*Consiliarii.*
Canistrum.	*Corona.*	*Canis.*
Cherub.	*Caro.*	*Cella.*
Cisterna.	*Camelus.*	*Cyathi.*
Capparis.	*Concentus.*	*Capus.*
Cœna.	*Cornu.*	*Concupiscentia.*
Cortex.	*Carmen.*	*Comœdiæ.*
Costa.	*Cartilago.*	*Cubitus.*
Color.	*Cibus.*	*Crystallus.*
Contentio.	*Callis.*	*Caprea.*
Currus.	*Carcer.*	*Cesa.*
Concubina.	*Cymbalum.*	*Cogitatio.*
Caligo.	*Chamus.*	*Coturnix.*
Cedrus.	*Cataractæ.*	*Coluber.*
Circulus.	*Ciniphes.*	*Cor.*
Caminus.	*Caput.*	*Crus.*
Collum.	*Cithara.*	*Calamus.*
Cauma.	*Crater.*	*Cygnus.*
Cyprus.	*Coccus.*	*Clavi.*
Capillus.	*Crocus.*	*Catulus.*
Colatura.	*Cetus.*	*Cynomyiæ.*
Civitas.	*Calculus.*	*Candor.*
Chorus.	*Craticula.*	*Cultrum.*
Calix.	*Clypeus.*	*Concubinæ.*
Carbunculus.	*Carmelus.*	*Colles.*
Citatrices.	*Catenæ.*	*Corpus.*
Clamor.	*Cingulum.*	*Custos.*
Castra.	*Cophinus.*	*Cervus.*
Cinis.	*Confessio.*	*Cervix.*
Candelabrum.	*Cubile.*	*Calumniator.*
Caverna.	*Comæ.*	*Cardines.*
Cypressus.	*Corvus.*	*Cilicium.*
Capitella.	*Cutis.*	
Cleri	*Cerva.*	

Cadaver est Christus, ut in Deuteronomio : « Si fuerit inter vos cadaver hominis mortui [19], » id est, si fuerit inter vos corpus Christi crucifixi. *Cadaver*, quilibet in culpa lapsus, ut in Job : « Ubicunque fuerit cadaver, statim adest aquila [20], » quod ad revelandum quemlibet in peccato lapsum festinat prædicator. *Cadaver*, diabolus, ut in Isaia : « Projectus quasi cadaver putridum [21], » quod diabolus ob putrefactionem superbiæ reprobatus. Per *cadaver* orationes nostræ, ut in Genesi : « Descenderunt volucres super cadavera, » quod orationibus nostris levitates phantasmatum immergunt. Per *cadaver*, crimina peccantium, ut in Isaia : « De cadaveribus eorum ascendet fetor [22], » quod de criminibus eorum infamia procedit. Per *cadaver* pœnæ damnatorum, ut in Isaia : « Videbunt cadavera virorum, qui prævari-

[1] Job I, 14. [2] Psal. XLIX, 10. [3] III Reg. VII, 29. [4] Psal. CXLIII, 14. [5] Luc. XIV, 19. [6] Psal. LXV, 15. [7] Job XL, 10. [8] Job XXXIX, 8. [9] Jos. VI, 4. [10] Joel I, 4. [11] Isa. VII, 15. [12] Deut. XXXII, 14. [13] Job XX, 17. [14] Judic. V. [15] Gen. XVIII, 8. [16] Prov. XXX, 33. [17] Job XXIX, 6. [18] Isa. XLI, 19. [19] Deut. XXI, 1. [20] Job XXXIX, 33. [21] Isa. XIV, 19. [22] Isa. XXXIV, 3.

Digitized by Google

cati sunt in me [1], » quod electi in futuro pœnas reproborum intuentur.

Caligo est diabolus, ut in psalmo : « Caligo sub pedibus ejus [2], » quod diabolum Christus conculcat. *Caligo*, prophetiæ, ut in psalmo : « Nubes et caligo in circuitu ejus [3], » quod Apostoli aperte docebant, hoc Prophetæ obscure prædicebant. *Caligo*, occulta gloria Dominicæ majestatis, ut in Exodo : « Moyses ascendit in caliginem, in qua erat Deus [4], » quod soli perfecti ad contemplandam gloriam Dominicæ majestatis pertingere possint. *Caligo*, confusio mentis, ut in Job : « Occupet mentem caligo [5], » id est, pravam delectationem mentis confusio invadat. *Caligo*, peccatum, ut in Job : « Nec faciem meam occupet caligo [6], » id est, mentis meæ affectum non cæcavit culpa. *Caligo*, dies novissima, ut in Sophonia. « Dies illa, dies caliginis [7], » quod dies illa ultima reprobos obscurabit. *Caligo*, examen extremi judicii, ut in Genesi : « Facta est caligo tenebrosa * transiens inter divisiones illas [8], » quod ultimum id judicium malos a bonis separabit.

Calor est fervor sancti Spiritus, ut in psalmo : « Non est qui se abscondat a calore ejus [9], » quod unicuique datur manifestatio Spiritus ad * mensuram. *Calor*, dulcedo charitatis, ut in Job : « Lapis solutus calore in æs vertitur [10], » quod qui durus fuit, per charitatis dulcedinem emollitur. *Calor*, desiderium justitiæ, ut in Genesi : « Factum est in primo calore coitus, dum oves intuerentur virgas et parerent [11], » quod simplices quique in ipso desiderio justitiæ primum exempla respiciunt, et bonum, quod desiderant, ad effectum perducunt. *Calor*, pœna reproborum, ut in Job : « Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium [12], » quod damnati a frigore transeunt ad ardorem.

Calix est passio Christi, ut in Evangelio : « Calicem quidem meum bibetis [13], » id est, passionem meam imitabimini. *Calix*, Scriptura sacra, ut in psalmo : « Calix meus inebriatus [14], » quod sacra Scriptura, quæ inebriat audientes, clara est. *Calix* judicium Dei, ut in psalmo : « Calix in manu Domini [15], » id est, judicium in potestate Dei, *vini meri*, sine omni fæce * justitiæ, « plenus mixto, » bonis bona * malis mala rependens. *Calix*, tribulatio sanctorum, ut in psalmo, « Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei [16], » quod Deus illorum pars est, qui pro eo tribulantur. *Calix*, passio martyrum, ut in psalmo : « Calicem salutaris accipiam [17], » id est, passionem martyrii ad imitationem Christi tolerabo. *Calix*, mundana voluptas, ut in Apocalypsi, [18] calix aureus Babylon, quod pulcher quidem noster mundus iste, sed ad confusionem ducit.

Calamus est Christus, ut in psalmo : « Lingua mea calamus scribæ [19], » quod, quos discipulos Christus docuit, Spiritus sanctus eorum cordibus inspiravit. *Calamus*, quilibet prædicator, ut in Isaia : « Orietur in ea viror calami [20], » id est, in Ecclesia doctor prædicatorum. *Calamus*, gentilitas, ut in Isaia : « Calamum quassatum non conteret [21], » id est, infirmum gentilem populum non condemnabit [22]. » *Calamus*, hypocrita quilibet, ut in Job : » In secreto calami Behemoth dormit [23], » quod in mente simulanti diabolus quiescit. *Calamus*, dispositio Dei, ut in Ezechiel : « Calamus mensuræ in manu ejus, » quod in potestate sua habet Deus disponere omnia. Per *calamum* prædicatores, ut in Exodo : « In hastili calami et scyphi [24], » quod in Ecclesia sunt prædicatores et auditores.

Calumniator, diabolus, ut in psalmo : « Et humiliabis calumniatorem [25], » id est, Christus diabolum superabit.

Calcaneum est extremitas actionis nostræ, ut in Genesi : « Tu observabis calcaneum ejus [26], » quod finem nostræ actionis diabolus corrumpere studet. *Calcaneum*, profectus noster, ut in psalmo : « Ipsi calcaneum meum observabunt [27], » quod inimici mei profectui meo invidere non cessant. *Calcaneum*, caro nostra, ut in psalmo : « Iniquitas calcanei mei circumdabit me [28]. »

Calculus est sermo divinus, ut in Isaia : « Et in manu seraphim calculus [29], » quod illum amor Dei incendit, qui sermonem divinum opere complet. *Calculus*, æternitas supernæ patriæ, ut in Apocalypsi : « Vincenti dabo calculum candidum [30], » quod qui hic tentationi resistendo vincit, claram in futuro æternitatem æternamque claritatem habebit. *Calculus*, pœna linguæ mentientis, ut in Parabolis : « Replebitur os ejus calculo, » quod qui hic in lingua per mendacium peccat, in futuro in lingua per pœnam ardoris cruciabitur.

Callis est vita cujusque religiosi, ut in Isaia : « Rectus callis justi ad ambulandum [31], » quod qui juxta religiosorum vitam vivit, in tortitudine iniquitatis non offendit. Per *calculum*, doctrinæ nequam, ut in libro Judicum : « Ambulaverunt per calles devios [32], » id est, doctrinas sequebantur erroneas.

Calceamentum est humanitas Christi, ut in psalmo : « In Idumæum extendam calceamenta [33], » id est, gentilitati revelabo incarnationem meam. *Calceamentum*, prædicatio, ut in Deuteronomio : « Ferrum et æs calceamentum ejus [34], » id est, fortitudo et tribulatio sequitur prædicationem ejus. *Calceamentum*, operatio, ut in libris Regum : « Posuit Abner terrorem prælii in calceamento suo, » quod quilibet pravus crudelitatem discordiæ exercet in opere suo. *Calceamentum*, actio mortifera, ut in Exodo : « Solve

[1] Isa. LXVI, 24. [2] Psal. XVII, 10. [3] Psal. XCVI, 2. [4] Exod. XX, 21. [5] Job III, 5. [6] Job XXIII, 7. [7] Soph. I, 15. [8] Gen. XV, 17. [9] Psal. XVIII, 7. [10] Job XXVIII, 2. [11] Gen. XXX, 39. [12] Job XXIV, 19. [13] Matth. XX, 23; [14] Marc. X, 39. [15] Psal. XXII, 5. [16] Psal. LXXIV, 9. [17] Psal. XV, 5. [18] Psal. CXV, 13. [19] Apoc. XVII, 4. [20] Psal. XLIV, 2. [21] Isa. XXXV, 8. [22] Psal. XLII, 3. [23] Job XL, 16. [24] Exod. XXXVII, 17. [25] Psal. LXXVII, 4. [26] Gen. III, 15. [27] Psal. LV, 7. [28] Psal. XLVIII, 6. [29] Isa. VI, 6. [30] Apoc. II, 17. [31] Isa. XXVI, 7. [32] Jud. V, 6. [33] Psal. LIX, 10. [34] Deut. XXXIII, 25.

Digitized by Google

calceamenta de pedibus tuis [1], » id est, projice opus mortis de affectibus tuis. Per *calceamentum* externa bona ad profectum bonorum operum. ' Per *calceamenta* externa mala, ut in Evangelio : « Nolite portare calceamenta [2], » id est, nolite vos pravorum exemplis munire. Per *calceamentum*, mortificationes membrorum nostrorum, quæ sunt super terram, ut in Cantico : « Quam pulchri sunt ingressus tui in calceamentis [3], » id est, quam decora sunt opera tua in mortificatione voluptatum.

Clamor est sanguis nostræ redemptionis, ut in Job : « Neque inveniat in te locum latendi clamor meus [4], » quod Christi Ecclesia sancta sanguinem non abscondit. *Clamor*, desiderium cujuslibet justi, ut in psalmo : « Clamor meus ad te veniat [5], » quod desiderium justi exaudit Deus. ' Id est, cupiditas reproborum, ut in Genesi : « Clamor Sodomorum venit coram me [6], » quod cupiditas reproborum importune tumultuatur in auribus Dei. *Clamor*, violenta tentatio diaboli, ut in Job : « Clamorem exactoris non exaudivit [7], » quod vir sanctus violentis tentationibus diaboli non consentit.

Clavi sunt præcepta charitatis, ut in libro Regum : « Affixit laminas clavis aureis [8], » id est, opera præceptis charitatis firmavit. *Clavi*, ratio et intellectus, ut in Isaia : « Et clavos tuos consolida [9], » id est, rationem et intellectum, ne infirmentur, corrobora. *Clavi*, correctiones sanctorum, ut in Ecclesiaste : « Verba sapientum quasi clavi [10], » quod sermones eorum per correctiones vitia pungunt.

Clavis est Christus, ut in Evangelio : « Tulistis clavem scientiæ Christi, vos non introistis, et vos, qui introierunt, prohibuistis [11]; » id est, me auferre studetis, nec in me creditis, nec alios credere permittitis. *Clavis*, apertio sacræ Scripturæ, ut in propheta : « Et dabo clavem domus David [12], » id est reserationem sacræ Scripturæ ponam in Ecclesia Christi. *Clavis*, inclusio cordis impii, ut in Apocalypsi : « Vidi angelum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi [13], » quod credimus in Christum se humiliantem, qui corpus nostrum justo suo judicio includit. Per *claves* potestates doctorum, ut in Evangelio : « Et dabo tibi claves regni cœlorum [14], » potestatem ligandi atque solvendi Dominus in Ecclesia tribuit.

Campus est mundus iste, ut in Cantico : « Ego sum flos campi [15], » id est, mundi decor ego sum. *Campus*, gentilitas, ut in Ezechiele : « Surge, egredere in campum [16], » quod Christus ad præceptum Patris ingressus mundum, gentiles ad fidem vocavit. *Campus*, lata vita hujus sæculi, ut in psalmo : « Et pecora campi [17], » id est, voluptuosos mundi. *Campus*, populus Judaicus, ut in Daniele : « Ibat Abacuc in campum [18], » quod Christus ad populum venit Judæorum. Per *campum*, gentiles inculti, ut in propheta : « Germinaverunt campi eremi germen odoris Israel, » quod fructum legis, quæ populo Judaico data fuit, populus gentium pertulit. Per *campum*, mentes fidelium, ut in psalmo : « Et campi tui replebuntur ubertate [19], » quod mentes justorum interna societate replentur.

Camelus est Christus, ut in Evangelio : « Excolantes culicem, camelum glutientes [20], » id est, latronem postulantes, et Christum crucifigentes. *Camelus*, tortitudo vitiorum, ut in Genesi : « Viso Isaac Rebecca descendit de camelo [21], » quod cognito Christo vitiorum tortitudinem deseruit. Per *camelum*, potentes hujus sæculi, ut in Isaia : « Inundatio camelorum operiet te [22], » quod potentes sæculi ad Ecclesiam veniunt. Per *camelos*, dispositiones rerum terrenarum, ut in Job. « Erat possessio ejus tria millia camelorum [23], » quod vir sanctus terrenas dispensationes intellectui sanctæ Trinitatis subjicit.

Chamus est carnis afflictio, ut in psalmo : « In chamo et freno [24], » id est, in afflictione carnis, elata eorum verba cohibe. *Chamus*, disciplina : ' « Chamus asino [25], » id est, disciplina servo.

Caminus est tribulatio justorum, ut in Apocalypsi : « Et pedes eorum similes aurichalco sicut in camino ardenti [26], » quod justos tribulatio excoquit. *Caminus*, charitas, ut in Isaia : « Et caminus ejus in Jerusalem [27], » quod in superna patria ardor regnat charitatis. *Caminus*, infernalis vita, ut in Evangelio : « Et mittent eos in caminum ignis [28], » id est, in ardorem flammæ infernalis.

Candelabrum est Christus, ut in Exodo : « Facies candelabrum ductile [29], » quod Christum, qui lux est mundi, passionum tunsiones afflixerunt. *Candelabrum*, contemplatio, ut in libris Regum : « Et ponamus Elisæo candelabrum [30], » quod, ut Christus, qui per Elisæum exprimitur, maneat apud nos, lumen nos oportet habere contemplationis. *Candelabrum*, dignitas prædicatoris, ut in Apocalypsi : « Nisi pœnitentiam egeris, movebo candelabrum tuum de loco suo [31], » id est, auferam a te dignitatem tuam. *Candelabrum*, status corporis nostri, ut in Evangelio : « Sed super candelabrum [32], » quod verbum Dei ipsi corpori nostro præponere debemus. Per *candelabrum* Ecclesiæ, ut in Apocalypsi : « Septem candelabra septem Ecclesiæ sunt [33]. »

Candor est innocentia, ut in Cantico : « Dilectus meus candidus [34], » id est, a peccato purus. *Candor*, decor patriæ cœlestis, ut in libro Sapientiæ : Candor lucis æternæ [35], » quod in Christo perpetua claritas est.

Canistrum est sacra Scriptura, ut in Exodo : « Ca-

[1] Exod. III, 5. [2] Matth. X, 10. [3] Cant. VII, 1. [4] Job XVI, 18. [5] Psal. CI, 2. [6] Gen. XVIII, 20. [7] Job XXXIX, 10. [8] III Reg. VI, 21. [9] Isa. LIV, 2. [10] Eccle. XII, 11. [11] Luc. XI, 52. [12] Isa. XXII, 22. [13] Apoc. XX, 1. [14] Matth. XVI, 19. [15] Cant. II, 1. [16] Ezech. III, 22. [17] Psal. VIII, 8. [18] Dan. XIV, 32. [19] Psal. LXIV, 12. [20] Matth. XXIII, 24. [21] Gen. XXIV, 64. [22] Isa. LX, 6. [23] Job I, 3. [24] Psal. XXXI, 9. [25] Prov. XXVI, 3. [26] Apoc. I, 15. [27] Isa. XXXI, 9. [28] Matth. XIII, 42, 59. [29] Exod. XXV, 31. [30] IV Reg. IV, 10. [31] Apoc. II, 5. [32] Matth. V, 16; Luc. VIII 16, et XI, 33. [33] Apoc. I, 20. [34] Cant. V, 10. [35] Sap. VII, 16.

Digitized by Google

nistrum in azymis panibus [1], » id est, sacram Scripturam cum puris operibus.

Canales sunt sacræ Scripturæ, ut in Genesi : « Posuit virgas in canalibus [2], » quod exempla sanctorum sunt in Scripturis. *Canales*, mentes justorum, ut in Cantico : « Purpura regis juncta canalibus [3], » quod passio Christi impressa est sanctorum mentibus.

Canis est peccator impudens, ut in Parabolis : « Canis reversus ad vomitum suum [4], » id est, peccator impudens redit ad peccatum suum. *Canis*, pœnitens quilibet, ut in Ecclesiaste : « Melius est canis vivus leone mortuo [5], » quod melior est, de peccatis humiliter confitens, quam de meritis superbe præsumens. *Canis*, quilibet infirmus, ut in libro Regum : « Nunquid canis sum, quod tu venis cum baculo ad me? [6] » id est, nunquid pro tam infirmo me habes, ut tam facile posse me superare te credas? *Canis*, quilibet vilissimus, ut in libro Regum : « Quem persequeris, rex Israel? quem, nisi canem mortuum? [7] » id est, me vilissimum, qui nec vivere dignus sum. Per *canes*, apostoli, ut in psalmo : « Lingua canum tuorum [8], » quod prædicatio apostolorum infusa est gentibus. Per *canes*, gentes, ut in Evangelio : « Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus [9], » id est, doctrinam apostolicam dare gentibus. Per *canes*, Judæi, ut in psalmo : « Circumdederunt me canes [10], » id est, invaserunt me Judæi. Per *canes*, reprehensores, ut in Evangelio : « Nolite mittere sanctum canibus [11], » id est, sacræ Scripturæ mysterium illis qui mordaciter reprehendunt. Per *canes*, detractores, ut in Paulo : « Videte canes [12], » ne intuemini detractores. Per *canes*, loquacitati servientes, ut in Apocalypsi : « Foris canes, foris malefici [13], » quod qui in crimine loquacitatis et malæ actionis perseverant, a regno Dei excluduntur. Per *canes*, prædicatores boni, ut in Evangelio : « Canes lingebant ulcera Lazari [14], » quod sancti prædicatores sanabant peccata gentilis populi. Per *canes* prædicatores mali, ut in propheta : « Canes muti, non valentes latrare [15], » quod mali prædicatores vitia corripere nolunt.

Caput est Christi divinitas, ut in Cantico : « Caput ejus aurum optimum [16], » quod in Christi divinitate fulgor incomparabilis est. *Caput*, humanitas Christi, ut in psalmo : « Exaltavit caput meum super inimicos meos [17], » id est, elevavit Christum hominem super inimicos meos. *Caput*, fides, ut in psalmo : « Caput meum, » id est, fides in pravis refriguit. *Caput*, sacerdotium Judæorum, ut in Job : « Abstulit coronam de capite meo [18], » quod dignitatem abstulit Deus a sacerdotio Judæorum. *Caput*, quilibet rector, ut in libris Regum : « Caput in tribubus Israel factus es [19], » id est, rector in plebibus Israel constitutus es. *Caput*, principatus Synagogæ, ut in Isaia : « Omne caput languidum [20], » quod universus principatus Synagogæ spiritualiter ægrotavit. *Caput*, principium, ut in psalmo : « In capite libri scriptum [21], » id est, in principio Psalterii scriptum « est de me. » *Caput*, quilibet hujus sæculi superbus, ut in Job : « Aut gurgustium piscium implebis capite illius [22], » quod Deus per prædicatores suos etiam superbos ad se trahit. *Caput*, initium tentationis, ut in Job : « Caput aspidis suget [23], » quod iniquus quilibet statim initium tentationis consentiendo suscipit. *Caput*, excellentia, ut in lege : « Advena erit in caput [24], » id est, alienus te excellet. *Caput*, diabolus, ut in psalmo : « Caput circuitus eorum [25], » quod diabolus, qui caput est iniquorum, nunquam recte incedit. *Caput*, Antichristus, ut in Abacuc : « Percussisti caput de domo impii [26], » id est, superasti Antichristum, qui est habitatio diaboli. *Caput*, concupiscentia hostis, ut in Genesi : « Ipsa conteret caput tuum [27], » id est, Maria virgo conculcabit concupiscentiam tuam. *Caput* est mens, ut in Cantico : « Caput tuum ut Carmelus [28], » id est, mens tua cogitationem habet spiritualis circumcisionis : quod *Carmelus*, scientia circumcisionis interpretatur. *Caput*, intentio, ut in Jeremia : « Facti sunt hostes ejus in capite [29], » id est, inimici tui prævalent ei in ipsa intentione. Per *caput* elationes superborum, ut in psalmo : « Conquassabit capita in terra [30], » id est, destruet in Ecclesia elationes pessimorum. Per *capita* vitia criminalia, ut in Apocalypsi : « Habebat draco capita septem [31], » quia diabolus septem capitalia vitia suggerit.

Capillus est subtilitas cogitationum, ut in psalmo : « Verticem capilli perambulantium [in delictis suis] confringet [32], » id est, acumen subtilitatis hæreticorum destruet. *Capillus*, ordo prædicatorum, ut in Daniele [33] Abacuc capillo de Judæa in Babylonem transvectus esse perhibetur ; per Abacuc, qui *amplectens* sive *luctator* interpretatur, Redemptor noster exprimitur, qui ut suos sibi amplectens luctam contra diabolum iniit : « Erat autem Abacuc in Judam [34], » et Christus spiritualiter ad Judæos missus est. « Ille pulmentum coxerat, » quod Christus ex aqua sapientiæ Spiritu santo cooperante cibum vitæ præparavit. Ille « panes in alveolo intriverat : » et Christus apostolis quasi Dominici verbi vasculis pabulum doctrinæ spiritualis exponendo tanquam frangendo commiserat. Ille « in campum iniens tulit messoribus : » et Christus ad Synagogam veniens prædicavit Judæis. « Dixitque angelus ei : Fer prandium quod habes, in Babylonem, Danieli, qui est in lacu leonum [35], » quod apostoli gentibus salutem a Dominis dari deprecabantur. Per *Babylonem*, confusa gentilitas ; per *Danielem*, populus gentium ; per *lacum leonum*, tenebrosa conversatio dæmonum. « La-

[1] Exod. XXIX, 25. [2] Gen. XXX, 38. [3] Cant. VII, 5. [4] Prov. XXVI, 11. [5] Eccle. IX, 4. [6] I Reg. XVII, 43. [7] I Reg. XXIV, 15. [8] Psal. LXVIII, 4. [9] Matth. XV, 26. [10] Psal. XXI, 17. [11] Matth. VII, 6. [12] Phil. III, 2. [13] Apoc. XXII, 15. [14] Luc. XVI, 21. [15] Isa. LVI, 10. [16] Cant. V, 11. [17] Psal. XXVI, 6. [18] Job XIX, 9. [19] I Reg. XV, 17. [20] Isa. I, 5. [21] Psal. XXXIX, 8. [22] Job XL, 26. [23] Job XX, 19. [24] Deut. XXVIII, 44. [25] Psal. CXXXIX, 10. [26] Abac III, 13. [27] Gen. III, 15. [28] Cant. VII, 5. [29] Thren. I, 5. [30] Psal. CIX, 6. [31] Apoc. XII, 3. [32] Psal. LXVII, 22. [33] Dan. XIV, 35. [34] Ibid., vers. 32. [35] Ibid., vers. 33.

Digitized by Google

cus itaque in Babylonem [1], » habitatio est dæmonum in gentilitate: « Daniel in lacu, » populus gentium habitans in regione umbræ mortis. « Babylonem, ait Abacuc, non vidi, et lacum nescio; » et Dominus: « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel [2]. » Abacuc ergo capillo in Babylonem translatus, Danieli prandium, quod messoribus præparaverat, attulit; et Redemptor noster per prædicatores suos verbum salutis Judaico populo destinatum, gentibus ministravit. « Surrexit Daniel et comedit; [3] » et populus gentium ab errore surgens ad fidem erigitur, et divinæ doctrinæ pabulo reficitur. Relicto Daniele, Abacuc in locum, unde translatus est, restituitur: et Christus plenitudine gentium completa ad Judæos redibit, et tunc omnis Israel salvus fiet. Per *capillos*, angeli, ut in Apocalypsi: « Capilli erant candidi [4], » quod angeli Domini in perenni claritate sunt perspicui. Per *capillos* sacramenta legis, ut in Job, ipse Job legitur [5] a capite capillos rasisse, quod Christus legis sacramenta ab illo primo sacerdotio scitur abstulisse. Per *capillos*, cogitationum superflua, ut in lege [6] jubentur Nazaræi capillos in sacrificii igne ponere; quod perfecti cogitationes superfluas flamma dominici amoris incendere debent. Per *capillos*, populi fideles, qui Christo capiti adhærent, ut in Cantico: « Capilli tui sicut grex caprarum, quæ ascenderunt de lavacro [7], » quod populi per baptismum loti summa per desiderium petunt. Per *capillos*, terrena abundans substantia, ut in Evangelio Maria capillis capitis pedes Domini tersit [8], quod fidelis quisque ex sua abundantia pauperibus necessitatem tribuit.

Capitella sunt duo Testamenta, ut in libris Regum: « Duo capitella super capita columnarum [9], » quod duo Testamenta in mentibus doctorum.

Castellum est virgo Maria, ut in Evangelio: « Intravit Jesus in quoddam castellum [10], » quod Christus in singularis virginis venit uterum. *Castellum*, ut in Evangelio: « Ite in castellum quod contra vos est [11], » id est, in mundum qui vobis contrarius est. *Capellum*, mens nostra, ut in Evangelio: « Dominus intravit cum discipulis in capellum Emaus, et agnitus est ab eis [12], » quod quando nobiscum in nobis ingreditur, ejus nobis cognitio confertur.

Capparis est plebs Judaica, ut in Ecclesiaste: « Dissipabitur capparis [13], » quod propter incredulitatem abjectus populus Judaicus est.

Caprea est Christus, ut in Cantico: « Similis est dilectus meus capreæ, » quod Christus similitudinem suscepit humanam. *Caprea*, Ecclesia, ut in Cantico: « Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ [14]; » id est, redi ad munditiam, mea forma, quam ab Ecclesia suscepisti. Per *capreas* virtutes animarum, ut in Cantico: « Adjuro vos per capreas [15], » id est, erudio vos ad virtutes.

Capra est Ecclesia, ut in Genesi: « Sume vaccam triennem, et capram trimam [16], » id est, Synagogam et Ecclesiam, quæ utraque credit trinitatem. *Capra*, contemplatio, ut in Levitico: « Offerat agnam de gregibus, sive capram [17], » id est, vitam activam, quæ pertinet ad multos, et contemplativam, quæ ad paucos.

Carcer est pondus corruptionis nostræ, ut in Job: « Circumdedisti me carcere [18], » id est, vallasti me undique pondere corruptionis meæ. * Congregatio infidelium, ut in Apocalypsi: « Solvetur Satanas de * loco suo [19], » quod de malis, in quibus modo tenetur, tunc exibit. *Carcer*, tribulatio, ut in Apocalypsi: « Missurus est vos in carcerem [20], » id est, in tribulationem. *Carcer*, caro nostra, ut in psalmo: « Educ de carcere animam meam [21], » id est, libera animam meam de corpore mortis hujus. *Career*, infernus, ut in Evangelio: « Judex mittet te in carcerem [22], » id est, in infernum.

Caro Christi vel illa est quam in altari sumimus, de qua dicitur: « Caro * nostra vere est cibus [23], » vel illa quæ fixa est in ligno, de qua in psalmo: « Caro mea immutata est propter Deum [24], » id est, in gloriam immortalitatis, propter gratiam spiritualem. *Caro*, peccatum, ut in Job: « Operui cinere carnem meam [25], » id est, detexi humilitate pœnitentiæ culpam meam. *Caro* per naturam dicitur, « caro de carne mea [26], » quod naturaliter femina de viro est. *Caro*, infirmus quilibet, ut in psalmo: « Recordatus est quod caro sunt [27], » id est, novit radicem, quod fragiles sunt. *Caro*, dilectio carnalis, ut in Job: « Tabescet caro illius [28], » id est, marcescet caro. *Caro*, immortalitatis corruptio, ut in Paulo: « Caro et sanguis regnum Dei non [29], etc., » id est, corruptio incorruptelam non possidebit. *Caro*, carnalis quisque, ut in Genesi: « Non permanebit Spiritus meus in homine, quod caro est [30], » id est, non poterit esse spiritualis, quandiu studet esse carnalis. *Caro*, totus homo, ut in Paulo: « Manifesta sunt opera carnis [31], » id est, hominis, non enim solius carnis, sed animi sunt vitia, quæ numerantur. *Caro*, sapientia carnalis, ut in Evangelio: « Caro et sanguis non revelavit tibi [32], » id est, inflatio carnalis sapientiæ et scientiæ non manifestavit tibi. *Caro*, concupiscentia, ut in Paulo: « Caro concupiscit adversus spiritum [33], » id est, carnis concupiscentia contra animam. *Caro*, mollities, ut in Genesi: « Tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea [34], » quod robur Dominus nonnunquam a nobis aufert, et mollitiem in nobis esse permittit. Per *carnes* sententias sacræ Scripturæ, ut in Exodo: « Edent

[1] Dan. XIV, 34. [2] Matth. XV, 24. [3] Vers. 38. [4] Apoc. I, 14. [5] Job. I, 20. [6] Num. VI, 18. [7] Cant. VI, 4. [8] Luc. VII, 38, 44. [9] III Reg VII, 16. [10] Luc. X, 38. [11] Matth. XXI, 2. [12] Luc. XXIV, 13, 15, 31. [13] Eccle. XII, 5. [14] Cant. II, 9. [15] Cant. III, 5. [16] Gen. XV, 9. [17] Levit. V, 6. [18] Job VII, 12. [19] Apoc. XX, 7. [20] Apoc. II, 10. [21] Psal. CXLI, 8. [22] Matth. V, 24. [23] Joan. VI, 55. [24] Psal. CVIII, 24. [25] Job XVI, 15. [26] Gen. II, 23. [27] Psal. LXXVII, 39. [28] Job XXXIII, 21. [29] I Cor. XV, 50. [30] Gen. VI 3. [31] Gal. V, 19. [32] Matth. XVI, 17. [33] Gal. V, 17. [34] Gen. II, 21.

Digitized by Google

carnes nocte illa assas igni [1], » id est, in obscuritate vitæ præsentis, sententiis sacræ Scripturæ reficiendi debemus. Per *carnem*, discipuli Christi, ut in Job : « Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os [2], » quod fugientibus discipulis Christo milites in sua passione astiterunt. Per *carnem* humiles doctrinæ, ut in psalmo : « Pluit super eos sicut pulverem carnes [3], » id est, doctrinas dedit eis humiles, ad actiones pertinentes. Per *carnem* infirma opera, ut in Parabolis : « Vita carnium [4], » quod si minute innocentia custoditur, et si qua sunt foris infirma, roborantur. Per *carnem* impii, ut in Deuteronomio : « Gladius meus devorabit carnes [5], » id est, judicium meum condemnabit impios. Per *carnem* pœnæ reproborum, ut in Apocalypsi : « Ut manducetis carnes regum et tribunorum [6], » id est, ut delectemini de cruciatu reproborum, tam majorum quam minorum.

Carmen laus Dei, ut in psalmo : « Immisit in os meum canticum novum, carmen [Deo nostro] [7] » id est, ut more meo laudem Deum meum. *Carmen* gloria cœlestis, ut in Ezechiele : « Erant scriptæ in libro lamentationes [et] carmen [8], » quod luctum nobis in præsenti, et gloriam in futuro sacra Scriptura denuntiat. Per *carmen* consolationes internæ, ut in Job : « Dedit carmina in nocte [9], » quod consolationes Dominus suis confert in tribulatione.

Carmelus, qui interpretatur *scientia circumcisionis*, carnalis est purificatio Judæorum, ut in libris Regum : « Erat Nabal et possessio ejus in Carmelo [10], » quod stultus Judaicus populus in exteriore purificatione confidebat, quod Nabal *stultus* interpretatur. *Carmelus*, cognitio secretorum, ut in Cantico : « Caput tuum ut Carmelus [11], » id est, mens tua scientiam et notitiam habet secretorum.

Cartilago membra sunt diaboli, ut in Job : « Cartilago ejus quasi lamina ferrea [12], » quod membra diaboli eos qui membra sunt Christi, tribulare non cessant.

Carectum populus Judaicus, ut in Exodo : « Exposuit eum in carecto fluminis [13], » quod primum Christus aspero populo Judaico apparuit. *Carectum* vita hypocritarum, ut in Job : « Aut potest crescere carectum sine aqua [14], » quod hypocritæ non nisi ex superno munere viriditatem bonæ operationis accipiunt.

Carbunculus, lux magnæ scientiæ, ut in Ezechiele [15] carbunculus dicitur operuisse primum angelum, quod lux magnæ scientiæ illustravit illum.

Caradion vitium est loquacitatis, ut in lege [16] prohibetur populus Dei comedere * caradion, quod qui Deo placere student, vitio loquacitatis insistere nolunt.

Cardines sunt spiritus angelici, ut in libris Regum cardines dicuntur fuisse in interiore domo Sancti sanctorum [17] quod spiritus sanctorum lætantur in intimis cœlorum. *Cardines* prædicatores, ut in cantico : « Domini enim sunt cardines terræ [18] quod ad Dominum pertinent prædicatores Ecclesiæ. *Cardines* fines mundi, ut in Job : « Cardines quoque maris operiet [19], » id est, fines mundi leget.

Carbones sunt virtutes, quæ erant in Christo, ut in lege plenum carbonibus . . . thuribulum pontifex tulit in Sancta sanctorum [20], quod corpus plenum sanctis virtutibus Christus levabit ad cœlos. *Carbones*, sancti qui in fine cum Domino judicabunt, ut in Psalmis : « Cadent super eos carbones [21], quod reprobos perfecti sancti cum Domino judicabunt. *Carbones*, ardores pœnitentiæ, ut in Parabolis : « Carbones ignis congeres super caput ejus [22], » id est, bonis operibus tuis inimicum tuum ad pœnitentiam commovebis. *Carbones*, incendia charitatis, ut in Psalmis : « Nubes transierunt, grando et carbones ignis [23], » quod abundante iniquitate et prædicationes et comminationes in multis salubres cessabunt, et flammæ charitatis refrigescent. *Carbones* sancti viri, ut in Ezechiele : « Ut carbones ignis ardentis [24], » id est, ut sanctorum virorum Dominum in occultis amantium. *Carbones*, bona exempla, ut in Psalmis : « Cum carbonibus desolatoriis [25], id est, cum exemplis bonis, vitia vastantibus. *Carbones*, peccatores, ut in Psalmis : « Carbones succensi sunt ab eo [26], » quod multi ab ardore justi * desiderii extincti peccantisque nigri a Deo succensi et illuminati sunt. *Carbones* iniqui in malis suis perseverantes, ut in Jeremia : « Denigrata est super carbones facies eorum [27], » id est, ipsos valde iniquos in pravitatibus suis servaverunt.

Craticula, cor cujuslibet sancti, ut in Exodo : « Craticulam in modum retis æneam [28], » id est, mentem viri sancti in virtutum multiplicitate robustam.

Crater est ordo prædicatorum, ut in Cantico : « Crater tornatilis, nunquam indigens poculis [29], » quod prædicatores sancti et a crimine sunt alieni, et spirituali poculo pleni.

Caseus est soliditas mentis, ut in Job : « Sicut caseum me coagulasti [30], id est, in compaginatione pigrescentis cogitationis me solidasti.

Castra sunt angeli, ut in Genesi : « Castra Dei sunt hic [31], » id est, Angeli Dei sunt ii in quibus habitat Deus. *Castra* viri sancti, ut in Ezechiele : « Ut sonus multitudinis atque castrorum [32], » id est, ut fama multorum sanctorum. *Castra* tota simul Ecclesia, ut in Cantico : « Ut castrorum acies ordinata [33], » id est, ut concors Ecclesiæ conventus. *Castra*, virtutes spirituales, ut in Cantico : « Quid videbis in Sunamitide, nisi choros castrorum [34], » quod in populo Judaico, quando conversus fuerit ad

[1] Exod. XII, 8. [2] Job XIX, 20. [3] Psal. LXXVII, 27. [4] Prov. XIV, 30. [5] Deut. XXXII, 42. [6] Apoc XIX, 18. [7] Psal. XXXIX, 4. [8] Ezech. II, 10. [9] Job XXXV, 1. [10] I Reg. XXV, 2. [11] Cant. VII, 5. [12] Job XL, 13. [13] Exod. II, 3. [14] Job VIII, 11. [15] Ezech. XXVIII, 13. [16] Levit. XI, 19. [17] I Reg. VII, 50. [18] I Sam. II, 8. [19] Job XXXVI, 30. [20] Exod. XXX, 34. [21] Psal. CXXXIX, 11. [22] Prov. XXV, 22. [23] Psal. XVII, 13. [24] Ezech. I, 13. [25] Psal. CXIX, 4. [26] Psal. XVII, 9. [27] Thren. IV, 8. [28] Exod. XXVII, 4. [29] Cant. VII, 2. [30] Job X, 10. [31] Gen. XXXII, 2. [32] Ezech. I, 24. [33] Cant. VI, 3, 9. [34] Ib. vers 12.

Digitized by Google

fidem, ornamenta erunt spiritualium virtutum. *Castra*, persecutores, ut in psalmo : « Si consistant adversum me castra [1], id est, quando mihi resistent adversarii mei, in Deo confidam.

Catulus est Christus, ut in Genesi : « Catulus leonis, Juda [2], » id est, Christus de tribu Juda. *Catulus* populus Judaicus, ut in psalmo : « Sicut catulus leonis habitans in abditis [3], » quod Christum populus Judaicus persecutus est, primum ei insidians in occultis. *Catulus*, diabolus, ut in libro Judicum a Samsone catulus leonis interficitur [4], quod a Christo diabolus superatur. Per *catulos* apostoli, ut in Job : « Animam catulorum implebis [5], » id est, desiderium apostolorum et Ecclesiæ consummabis. Per *catulos* homines reprobi, ut in psalmo : « Catuli leonum rugientes, ut rapiant [6], » quod homines pravi, qui dæmones sequuntur bonos persequi non cessant. Per *catulos* detractores, ut in Job : « Dentes catulorum leonum contriti sunt [7], » id est, verba detractorum destructa sunt. Per *catulos* dæmones, ut in psalmo : « Animam meam de medio catulorum leonum [8], » id est, redemit me de potestate dæmonum. Per *catellos* gentiles, ut in Evangelio : « Catelli de micis edunt [9], » quod gentiles sacræ Scripturæ medullam inquirunt.

Cathedra quædam est mundi, in qua non sedet Christus; quædam Moysis, in qua Pharisæus est audiendus; quædam seniorum, in qua laudatur Deus. Prima est pestilentiæ, secunda justitiæ, tertia gloriæ. Prima est mollities damnabilis. Secunda, austeritas spiritualis regiminis. Tertia, sublimitas cœlestis beatitudinis. In prima sedent mali, in secunda boni, in tertia beati. In prima peccatores, in secunda doctores, in tertia regentes. Primam cathedram hi quatuor pedes sustentant, negligentia sui, oblivio Dei, decor visibilium, dulcor delectabilium. Reclinatorium ejus, peccati delectatio, pulvinar peccati perpetratio. Negligentia sui, et oblivio De interioris animæ oculos eruunt. Decor visus, et dulcor dilectionis mortiferos ejus pedibus laqueos involvunt. Peccati delectatio illam illaqueat, peccati vero perpetratio illam præcipitat. Quatuor secundæ cathedræ pedes, quatuor sunt cardinales virtutes, prudentia, fortitudo, justitia, temperantia. Reclinatorium ejus, dilectio Dei, pulvinar, testimonium conscientiæ. Prudentia quæ illuminat, fortitudo quæ roborat, justitia quæ exornat, temperantia quæ modificat. Dilectio Dei quæ lætificat, testimonium conscientiæ quod tranquillat. In cathedra tertia quatuor pedes sunt, electorum scilicet essentia, potentia, scientia, dilectio. Reclinatorium, præsentia divinæ visionis. Pulvinar, pax summa quietis. Tunc namque veraciter electi erunt, poterunt, scient, amabunt, videbunt, requiescent, erunt sine mortalitate, poterunt sine debilitate, scient sine errore, amabunt sine offensione, videbunt in plenitudine, requiescent in summa pace. Igitur prima cathedra est iniquitatis, secunda æquitatis, tertia felicitatis. Qui in prima sedent, subduntur carni, in perpetratione omnis peccati; qui in secunda, præsident Ecclesiæ in auctoritate recti judicii; qui in tertia, exultant cum Deo in æternitate felicis gaudii. Ex his cathedris prima est devitanda, secunda amanda, tertia desideranda, quod prima, malitia, secunda bona, tertia beata.

Catenæ sunt obligationes vitiorum, ut in lege : « Confregi catenas * virtutum vestrarum [10], » id est, dissipavi obligationes peccati, quæ mentes nostras deprimebant. *Catenæ*, afflictiones, ut in Job : « Si fuerint in catenis, et vinciantur funibus paupertatis [11], » id est, quamvis fuerint in * afflictionibus, et ligentur vinculis egestatis. *Catenæ*, duræ leges gentium, ut in Evangelio : « Neque catenis, jam quisquam eum poterat ligare [12], » quod humanum genus nec ipsæ duræ leges Gentium a peccatis poterant cohibere. *Catenæ*, virtutes spirituales, ut in libris Regum : « Et quasi in modum retis catenarum [13], id est, ad formam multiplicitatis virtutum spiritualium. *Catenæ*, præsentes tribulationes, ut in Ecclesiaste : « De catenis quisquam egreditur ad requiem [14], » quod a præsentibus tribulationibus sancti ad æternam pertingunt requiem.

Cataractæ sunt apostoli, ut in psalmo : « In voce cataractarum tuarum [15], » quod peccatores sperant de misericordia Dei, per prædicationem Apostolorum. *Cataractæ*, profundæ sententiæ sacræ Scripturæ, ut in Genesi : « Et cataractæ cœli apertæ sunt [16], » id est, profundæ sacræ Scripturæ ostensæ sententiæ sunt.

Cauma zelus est fidei, ut in Job : « Ossa mea arverunt præ caumate [17], » id est, virtutes meæ emarcuerunt pro zelo meo.

Cauda est perseverantia, ut in lege, jubetur * [18] auferri in sacrificio, quod habeatur perseverantia in bono opere. *Cauda* opprobrium, ut in lege : « Tu eris in caudam [19], » id est, in opprobrium et ignominiam. *Cauda*, finis sæculi, ut in Exodo : « Extende manum tuam, et apprehende caudam ejus [20], » quod in fine sæculi per gratiam suam dabit Judæis. *Cauda*, Antichristus, ut in Job : « Stringet caudam suam quasi cedrum [21], » quod illum damnatum hominem in maximam altitudinem elevabit. Per *caudam* blandimenta, ut in Apocalypsi : « Potestates equorum in caudis eorum [22], » quod potestates hæreticorum in blandimentis eorum.

Caverna est vulnus in latere Domini, ut in Cantico : « Surge, amica mea, in caverna maceriæ [23], » quod per sacramenta suæ redemptionis, quæ de latere Christi effluxerunt, sancta Ecclesia ab infidelitate resurrexit. *Caverna*, cor cujuslibet iniqui, ut in Isaia : « In cavernam reguli manum suam mittet [24], » quod Dominus nonnunquam pravam mentem, quæ

[1] Psal. XXVI, 3. [2] Gen. XLIX, 9. [3] Psal. XVI, 12. [4] Jud. XIV, 5. [5] Job XXXIX, 1. [6] Psal. CIII, 21. [7] Job IV, 10. [8] Psal. LVI, 5. [9] Matth. XV, 27. [10] Lev. XXVI, 13. [11] Job XXXVI, 8. [12] Mar. V, 3. [13] III Reg. VII, 17. [14] Eccle. IV, 14. [15] Psal. XLI, 8. [16] Gen. VII, 11. [17] Job XXX, 30. [18] Lev. VIII, 25. [19] Deut. XXVIII, 44. [20] Exod. IV, 4. [21] Job XL, 12. [22] Apoc. IX, 19. [23] Cant. II, 14. [24] Isa. XI, 8.

Digitized by Google

habitatio erat dæmonum, per gratiam suam visitat. Per *cavernam* prædicationes hæreticorum, ut in Job: « Habitabit in cavernis terræ [1], » id est, morabitur iniquus in prædicationibus hæreticæ doctrinæ.

Cedrus est divinitas, ut in libro Regum: « A cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete [2], » id est, de divinitate, quæ regnat in cœlo, usque ad humanitatem, quæ processit ex virgine. *Cedrus*, Christus, ut in Cantico: « Electi vero cedri [3], » quod alienus est Christus a corruptione peccati. *Cedrus*, lignum sanctæ crucis, ut in Isaia: « Dabo in desertum cedrum [4], id est, faciam in Ecclesia esse venerabile lignum crucis. *Cedrus*, altitudo sanctorum, ut in psalmo: « Sicut cedrus Libani multiplicabitur [5], » quod vir sanctus per incrementum internæ gratiæ in celsitudinem justitiæ erigitur. *Cedrus*, fides Christi, ut in Ecclesiastico: « Sicut cedrus exaltata sum in Libano [6], » quod fides Christi in magna veneratione habetur in mundo. Per *cedros* angeli, ut in Ezechiele: « Cedri non fuerunt illo altiores [7], » quod primo illo angelo non fuerunt cæteri altiores. Per *cedros* gentiles, ut in psalmo: « Vox Domini confringentis cedros [8], » id est, Christi prædicatio humiliantis ad fidem gentiles * elatis. Per *cedros* Judæi, ut in psalmo: « Confringet Dominus cedros Libani [9], » id est, humiliabit Judæos gloriantes in candore sæculi, quod *Libanus* interpretatur *candidatio*. Per *cedrum* superbus quilibet, ut in psalmo: « Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedrum Libani [10], » id est, intuitus sum pravum hominem efferentem se et extollentem ad instar præcedentium superborum. Per *cedros* sæculares potentes, ut in psalmo: « Et cedri Libani, quos plantavit [11], » id est, illos refecit nonnunquam Dominus spiritualiter, quod, quamvis sæculares sunt, in fide tamen radicati sunt.

Cherub angelus sanctus, ut in Ezechiele: * « Duas facies habebat cherub [12], » quod utrumque charitatis præceptum implet angelus sanctus. Per *cherubim*, duo Testamenta, ut in Exodo: « Duo cherubim vultus * virtutum in propitiatorium [13], quod duo Testamenta concorditer prædicant Christum.

Cœlum est Deus, ut in psalmo: « Posuerunt in cœlum os [14], » id est, blasphemaverunt Dominum. *Cœlum* Christus, ut in psalmo: « Cœlum cœli, Domino [15], » id est, Christus est Filius Patris ad honorem Dei. *Cœlum*, beatitudo cœlestis, ut in Isaia: « Quomodo cecidisti de cœlo [16], » id est, de beatitudine cœlesti. *Cœlum*, intellectus angelorum, ut in Job: « Excelsior cœlo est [17], » quod Deus Angelorum intellectum excedit. *Cœlum*, cœtus supernorum spirituum, ut in psalmo: « In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo [18], » quod cadente A diabolo supernorum spirituum cœtus sine defectu divini verbi obedientiam custodit. *Cœlum* sancta Ecclesia, ut in Genesi: « Fiant luminaria in firmamento cœli [19], » id est, sint viri spirituales in fortitudine Ecclesiæ. *Cœlum*, mundus iste, ut in Apocalypsi: « Signum magnum apparuit in cœlo [20], » id est, miraculum ingens in mundo. *Cœlum*, aer iste, ut in Evangelio: « Respicite volatilia cœli [21], » id est, volucres, quæ volant in aere. *Cœlum*, anima fidelis, ut in Apocalypsi: « Factum est in cœlo silentium [22], quasi media hora, » quod exiguo momento fit quies in anima. *Cœlum*, sacra Scriptura, ut in psalmo: « Extendens cœlum sicut pellem [23], » quod Scriptura sacra mortalibus aperitur. *Cœlum*, sanctitas vitæ, ut in Job: « Et gelu de cœlo quis genuit [24]? » B quod post sublimem sanctitatem aliquis nonnunquam in iniquitate inclinatur. Per *cœlum* angeli, ut in psalmo: « Cœli distillaverunt a facie Dei [25], » quod Dei ad nos mandata angeli deferunt. Per *cœlum* apostoli, ut in Job: « Spiritus ejus formavit cœlos [26], » quod Paraclitus, Spiritus sanctus, docuit apostolos omnem veritatem. Per *cœlos* prædicatores, ut in psalmo: « Cœli enarrant gloriam Dei [27], » id est, prædicatores summi annuntiant gratiam Dei. Per *cœlum* sapientiores in Ecclesia, ut in Deuteronomio: « Audite, cœli, quæ loquor [28], » id est, vos qui sapientes estis, magna quæ dicturus sum, auscultate. Per *cœlum* spirituales quique, ut in psalmis: « Qui fecit cœlos in intellectu [29], » quod sanctos suos non modo credere, sed et intelligere fecit divina. Per *cœlum* C sublimes contemplationum modi, ut in Psalmo: « Ascendunt usque ad cœlos [30], » id est, usque ad summa contemplationum genera pertingent.

Cella est Ecclesia, ut in Cantico: « Introduxit me in cellaria sua [31], » id est, per contemplationem fecit me introire in gaudia interna.

Cælaturæ sunt opera virtutum, ut in libro Regum: « In parietibus cælaturæ eminentes [32], » id est, viris sanctis opera bona aliis cum exemplo proposita.

Cleri sunt duo Testamenta, ut in psalmo: « Si dormiatis inter medios cleros [33], » id est, si quiescatis inter duo Testamenta. *Cleri* ordinum dignitates, ut: * Cleri non proderunt eis, si ipsi fuerint mali.

Cæmentarii sunt doctores Ecclesiæ, ut in libris Regum: « Lapides dolaverunt cæmentarii Salomonis [34], » quod populos fideles prædicando instruxerunt prædicatores Redemptoris.

Cœna est dulcedo contemplationis, ut in Evangelio: « Homo quidam fecit cœnam magnam [35], » recubuit super pectus ejus, quod quilibet perfectus reficitur in contemplatione a sapientia Christi. *Cœna* refectio vitæ æternæ, ut in Evangelio: « Homo qui-

[1] Job xxx, 6. [2] III Reg. iv, 33. [3] Cant. v, 15. [4] Isa. xli, 19. [5] Psal. xci, 13. [6] Eccli. xxiv, 17. [7] Ezech. xxxi, 8. [8] Psal. xxviii, 5. [9] Ibid. [10] Psal. xxxvi, 35. [11] Psal. ciii, 16. [12] Ezech. x, 21. [13] Exod. xxv, 18, 19, 20. [14] Psal. lxxi, 9. [15] Psal. cxiii, 16. [16] Isa. xiv, 12. [17] Job xi, 8. [18] Psal. cxviii, 89. [19] Gen. i, 14. [20] Apoc. xii, 1. [21] Matth. vi, 26. [22] Apoc. viii, 1. [23] Psal. ciii, 2. [24] Job. xxxviii, 29. [25] Psal. lxvii, 9. [26] Job. xxvi, 13. [27] Psal. xviii, 1. [28] Deut. xxxii, 1. [29] Psal. cxxxv, 5. [30] Psal. cvi, 26. [31] Cant. ii, 4. [32] III Reg. vi, 35. [33] Psal. lxviii, 24. [34] III Reg. v, 17, 18. [35] Luc. xiv, 16.

Digitized by Google

dam fecit cœnam magnam [1], » quod ad refectionem electis suis vitam [2] perducit æternam

Cera est quilibet peccator, ut in Psalmis : « Sicut cera a facie ignis [3], » quod deficit peccator ante eum, qui ignis consumens est. *Cera* vetus lex, ut in psalmo : « Tanquam cera liquescens, » id est, sicut lex vetus, quod juxta litteram deficit.

Cervus est anima fidelis, ut in psalmo : « Sicut cervus desiderat ad fontem aquarum [4], » quod anima fidelis abundantiam concupiscit spiritualium bonorum. Per *cervum* antiqui Patres, ut in Cantico : « Similis dilectus meus hinnulo cervorum [5], » quod natus est Christus ex carne antiquorum patrum. Per *cervum* magni contemplatores, ut in Psalmis : « Montes excelsi cervis [6] : » quod summi contemplationum modi pertinent ad summos contemplatores. Per *cervos* mundi contemptores, ut in Psalmis : « Posuit pedes meos quasi cervorum [7], » id est, direxit opera mea ad instar sanctorum virorum. Per *cervos* sanctitates, ut in Cantico : « Adjuro vos per capreas cervorum [7], » id est, suadeo vobis amare sanctitates meritorum.

Cerva est negligens prædicator, ut in Ezechiele : « Cerva in agro peperit ac dimisit [8], » quod negligens prædicator eos nonnunquam curat quos per prædicationem peperit. Per *cervum* doctores, ut in Job : « Parturientes cervas observasti [9], » id est, doctores spiritualiter generantes considerari.

Cervix est superbia, ut in Deuteronomio : « Ego scio cervicem tuam durissimam [10], » id est, superbiam tuam rigidissimam. *Cervix*, bona libertas, ut in Job : « Conscidit cervicem meam [11], » id est, adjuvit libertatem meam. Per *cervicem* elationes pravorum, ut in psalmo : « Dominus justus concidet cervicem [12], » id est, destruet elationes superborum.

Cerastes est Antichristus, ut in Genesi : « Cerastes in semita [13], » quod viris sanctis Antichristus et venenosum se exhibebit, et elatum.

Cetus est mors, ut in Jona : « Devoravit cetus Jonam [14], » quod invasit mors Christum. *Cetus*, diabolus, ut in Job : « Nunquid mare sum ego, aut cetus ? [15], » id est, nec reprobus, nec eorum capiti diabolo sum similis. *Cetus* superba celsitudo imperii mundialis, ut in Isaia : « Occidet Deus cetum, qui est in mari [16], » id est, destruet infidelitatem et superbam celsitudinem, quæ in mundo est.

Cibus est dilectio mundi, ut in Evangelio : « Operamini non cibum, qui perit [17], » id est, nolite amare mundanam delectationem, quæ deficit. *Cibus* Christus, ut in eodem loco : « Sed cibum, qui permanet in vitam æternam [18], » id est, solliciti estote acquirere Christum, qui vivit in æternum. *Cibus*, possessio hypocritarum, ut in Job : « Non remansit in A cibo ejus [19], » quod possessio hypocritarum deficit. *Cibus*, vitæ communio, ut in Paulo : « Cum hujusmodi nec cibum sumere [20], » id est, nullam communionem habere. Per *cibos* doctrina, ut in Parabolis : « Ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii [21], » id est, de doctrinis ejus, in quibus est sterilitas. Per *cibos* internæ consolationes, ut in Job : « Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt [22], » id est, quæ prius nec cogitare dignabar, modo mihi suaves consolationes sunt.

Cibaria sunt spirituales refectiones, ut in Parabolis : « Dedit cibaria servis [23], » id est, spirituales contulit consolationes fidelibus suis. *Cibaria*, ea quæ ad corporalem victum pertinent, ut in Psalmis : B « Misit in abundantia [24], » id est, refectionem dedit eis corporalem, usque ad satietatem.

Cicatrices sunt peccata, ut in Psalmis : « Corruptæ sunt cicatrices [25], » id est, ad delectationem redierunt priores culpæ meæ.

Cygnus est superbia, ut in lege prohibetur, ne quis manducet cygnum [26], id est, ne exhibeat se elatum.

Cilicium est caro Christi, ut in Psalmis : « Induebar cilicio [27], » id est, latui in carne. *Cilicium*, Judæi, ut in Psalmis : « Posui vestimentum meum cilicium [28], » id est, Judæos, qui mihi familiares erant, exasperantes habui. *Cilicium*, asperitas pœnitentiæ, ut in libro Judith : « Habuit Judith cilicium super lumbos suos [29], » quod anima fidelis asperitate C pœnitentiæ carnis delectationes exstinguere debet. *Cilicium*, grossæ mentes hominum, ut in Exodo [30], ad operiendum tabernaculum Christi, saga *cilicina* jubentur fieri, quod illi, qui grossæ mentis sunt, alios qui internis insistunt, ab exterioribus impedimentis protegere debeant.

Clibanus est examen judicii, ut in Genesi : « Apparuit clibanus ardens, » vel, « fumans [31], » quod ultimum judicium reprobos obscurabit et exuret. *Clibanus*, tormentum carnis et animæ, ut in Psalmis : « Pones eos ut clibanum ignis [32], » quod damnatos Dominus et in carne et in anima incendit. Cor cujuslibet iniqui, ut in propheta : « Quasi clibanus succensus a coquente [33], » quod a diabolo suggerente D cor pravum inflammatur. *Clibanus*, amor bonus, ut in Levitico : « Panes coctos in clibano offeres [34], » id est, Deo ostendas bonæ vitæ actus vero amore roboratos.

Clypeum est vexillum crucis, ut in libro Josue : « Leva clypeum, qui in manu tua est [35], » id est, exige in mundo crucem, quæ in potestate tua est. *Clypeus* verbum excusatorium, ut in Job : « Vibrabit hasta et clypeus [36], » quod prædicatorem bonum

[1] Luc. XIV, 16. [2] Psal. LXVII, 3. [3] Psal. XLI, 1. [4] Cant. II, 9. [5] Psal. CIII, 18. [6] Psal. XVII, 54. [7] Cant. III, 5. [8] Jer. XIV, 5. [9] Job XXXIX, 4. [10] Deut. XXXI, 27. [11] Job XVI, 13. [12] Psal. CXXVIII, 4. [13] Gen. XLIX. 17. [14] Jonæ. II, 1. [15] Job VII, 12. [16] Isa. XXVII, 1. [17] Joan. VI, 27. [18] Ibid. [19] Job XX, 21. [20] I Cor. V, 11. [21] Prov. XXIII, 3. [22] Job VI, 7. [23] Prov. XXXI, 15. [24] Psal. LXXVII, 25. [25] Psal. XXXVII, 6. [26] Lev. XI, 18. [27] Psal. XXXIV, 13. [28] Psal. LXVIII, 12. [29] Judit. VIII, 5. [30] Exod. XXVI, 7. [31] Gen. XV, 17. [32] Psal. XX, 10. [33] Ose. VII, 4. [34] Lev. XXVI, 26. [35] Jos. V, 18. [36] Job. XXXIX, 26.

Digitized by Google

verbis detractationis et excusationis mali invadunt. *Clypeus*, superbia, ut in libris Regum : « Clypeus æreus tegebat humeros ejus [1], » id est, rigida elatio est in iis qui summi in corde diaboli sunt. *Clypeus*, munimina virtutum, ut in Cantico : « Mille clypei pendent ex ea [2], » quod per sancta virtutum munimina in Scriptura nobis sacra ostenduntur. Per *clypeos* viri sancti, ut in libris Machabæorum : « Refulsit sol in clypeos aureos [3], » quod Christus illustrat viros religiosos. Per *clypeum* virtus patientiæ, ut in Isaia : « Surgite principes, et accipite clypeos [4], » id est, vos, qui spiritualem geritis principatum, in patientia vestra possidebitis animas vestras.

Cymbalum est vitium loquacitatis, ut in Paulo : « Aut cymbalum tinniens [5], » id est, si sine charitate fuero, prædicatio mea nihil nisi loquacitas est. *Cymbalum*, prædicatio Antichristi, ut in Isaia : « Væ terræ cymbalo alarum [6], » quod maledici debet Antichristus, quod prædicabit superbiam et elationem. Per *cymbalum* obsequia charitatis, ut in psalmo: « Laudate eum in cymbalis [7], » quod illi Deum maxime laudant, qui per charitatem Spiritus fuerint invicem.

Cyphus est doctrina cœlestis, ut in Genesi : « Invenit cyphum in sacco Benjamin [8], » quod doctrina cœlestis erat in corde Pauli. *Cyphus*, lex, ut in libris Regum : « Tolle cyphum aquæ [9], » quod spiritualem legis notitiam doctores Judæorum non habent. Per *cyphum* auditores, ut in Exodo : *Cyphi* jubentur fieri in stipite candelabri [10], quod auditores sunt in Ecclesia Christi.

Cinis est defectus, ut in Job : « Memoria vestra comparabitur cineri [11], » id est, memoria vestra deficiet. *Cinis*, pœnitentia, ut in Job : « Operui in cinere carnem meam [12], » id est, per pœnitentiam detrevi carnalia peccata mea. *Cinis*, humilitas, ut in Job : « Homo in cinerem revertetur [13], » id est, in humilitate se deprimet. *Cinis*, corruptio mortalitatis, ut in Job : « Ago pœnitentiam in favilla et cinere [14], » id est, in corruptionis et mortalitatis meæ recordatione pœnitentiam ago. *Cinis* peccator, ut in Psalmis : « Quia cinerem tanquam panem [manducabam] [15], » quod Deus sibi peccatorem, sed pœnitentem, sicut justum incorporat. Per *cinerem* consummatio Dominicæ passionis, ut in Exodo : « Lebetes ad suscipiendos cineres [16], » id est, corda ad retinendam memoriam Dominicæ passionis. Per *cineres* perfectiones bonorum operum, ut in Levitico : « Tolle cineres, quos vorax ignis consumpsit [17], » quod Deus perfectiones bonorum operum suscipit, quæ ardens amor consummavit.

Cynomyia est nequitia pravorum, ut in psalmo : « Dixit et venit cynomyia [18], » quod Deus justo judicio suo nequitiam impiorum esse permittit.

Cinnamomum est humilitas, ut in Cantico : « Et cinnamomum cum universis lignis Libani [19], » id est, humilitas cum universis aliis bonis operibus.

Cincinni sunt catervæ populorum, ut in Cantico : « Et cincinni mei pleni guttis noctium [20], » id est, populi mei tenebrosis peccati fluxibus repleti sunt.

Cingulum est vigor justitiæ, ut in Parabolis : « Et cingulum tradidit Chananeo [21], » quod vigorem justitiæ Dominus dedit populo gentili.

Ciniphes sunt inquietudo cordis, ut in Psalmo : « Dixit et venit cynomyia et ciniphes [22], » quod Dominus in reprobis cum nequitia operis esse permittit inquietudinem cordis.

Cyprus est gratiæ cœlestis refectio, ut in Cantico : « Cypri cum nardo [23], » id est, « dilectio internæ affectionis, cum fama bonæ actionis. *Cyprus*, Ecclesia catholica, ut in Cantico : « Botrus cypri dilectus meus mihi [24], » id est, Christus quem diligo, est decora fecunditas Ecclesiæ.

Cypressus est Christus, ut in Ecclesiastico : « Exaltata sum quasi cypressus in monte Sion [25], » quod Christus, qui est incorruptibilis sapientia Patris, ascendit ad cœlum.

Circulus est sacra Scriptura, ut in Parabolis : « Circulus aureus in naribus suis [26], » id est, Scripturam sacram frequentat facultas hæreticorum. *Circulus*, protectio superna, ut in Job : « Nunquid pones circulum in naribus ejus [27], » id est, nunquid compesces per protectionem tuam astutias ejus. Per *circulos* libri sancti, ut in Exodo : « Quatuor circulos aureos præparabis [28], » id est, quatuor sancti Evangelii libros intelliges.

Cisterna est sacra Scriptura, ut in Exodo : « Si quis aperuerit cisternam [29], » id est, si quis exposuerit sacram Scripturam. *Cisterna* cor hominis : « Bibe aquam de cisterna tua [30], » id est, accipe consolationem de corde tuo. *Cisterna*, mens prava, ut in Jeremia : « Frigidam facit cisterna aquam suam [31], » quod impiam facit mens cogitationem suam. *Cisterna* infernus, ut in Genesi [32], miserunt in cisternam Judæi Joseph, quæ non habebat aquam, quod Christus Judæis cadentibus descendit in infernum, quod nullam habuit suavitatem gratiæ.

Crystallus est duritia cordis, ut in psalmo : « Mittit crystallum sicut buccellas [33], » quod sicut fideles Deus sibi incorporat, sic et duros nonnunquam excolit. *Crystallus* natura angelica, ut in Ezechiele : « Quasi aspectus crystalli horribilis [34], » id est, ad instar naturæ angelicæ, quæ jam pervenit ad stabilitatem incorruptionis.

Cyathi sunt humiles doctrinæ, ut in Exodo :

[1] I Reg. XVII, 6. [2] Cant. IV, 4. [3] I Mac. VI, 39. [4] Isa. XXII, 5. [5] I Cor. XIII, 1. [6] Isa. XVIII, 1. [7] Psal. CL, 5. [8] Gen. XLIV, 12. [9] I Sam. XXVI, 11. [10] Exod. XXV, 33. [11] Job XIII, 12. [12] Job. XVI, 15. [13] Job XXIV, 15. [14] Job XLII, 6. [15] Psal. CI, 10. [16] Exod. XXVII, 3. [17] Lev. VI, 10. [18] Psal. LXXVIII, 45. [19] Cant. IV, 14. [20] Cant. V, 2. [21] Prov. XXXI, 24. [22] Psal. LXXVII, 45. [23] Cant. IV, 13. [24] Cant. I, 14. [25] Eccli. XXIV, 17. [26] Prov. XI, 22. [27] Job XL, 21. [28] Exod. XXV, 12. [29] Exod. XXI, 33. [30] Prov. V, 15. [31] Jer. VI, 7. [32] Gen. XXXVII, 23. [33] Psal. CXLVII, 17. [34] Ezech. I, 22.

Digitized by Google

« Phialæ et cyathi in mensa [1], » id est, summæ et humiles doctrinæ in scriptura.

Cithara est recta operatio, ut in Psalmis : « Confitemini Domino in cithara [2], » id est, in recta operatione. *Cithara* vita activa, ut in Psalmis : « Psalterium jucundum cum cithara [3], » id est, dulcedinem contemplationis cum actione. *Cithara* mortificatio carnis, ut in Psalmis : « Psallite Domino in cithara et voce Psalmi [4], » id est, in abstinentia carnis et sanctitate oris. *Cithara* lætitia, ut in Job : « Versa est in luctum cithara mea [5], » id est, in dolorem lætitia mea. *Cithara* suavitas consolationis, ut in libris Regum : « Psallebat David citharam, et refocillabatur spiritus Saul [6], » quod per suavitatem dulcis locutionis temperatur fervor irascentis.

Civitas est patria cœlestis, ut in Psalmis : « Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas [7], » quod urbs illa cœlestis ex multis in una pace viventibus constituitur. *Civitas*, sancta Ecclesia, ut in Cantico : « Circuibo civitatem per vias et plateas [8], » id est, mente lustrabo Ecclesiam per religiosos et sæculares. *Civitas*, virgo Maria, ut in Psalmis : « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei [9], » quod admiranda de sancta Maria dicuntur. *Civitas*, humana conversatio, ut in Job : « Contemnit multitudinem civitatis [10], » id est, abominatur multiplicitatem conversationis humanæ. *Civitas*, anima sancta, ut in Evangelio : « Non potest civitas abscondi super montem posita [11], » quod non potest occultari anima in eminentia sanctitatis posita. *Civitas*, gentilitas ut in Psalmis. « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei [12], » id est, fecunditas sancti Spiritus exhilarat populum gentilem. *Civitas*, populus Judaicus, ut in Isaia : « Quomodo facta est meretrix civitas plena judicio [13], » quod plebs Judaica, quæ quondam fuit per incredulitatis sordem a Deo recessit. *Civitas*, mundus iste, ut in Proverbiis : « Civitatem fortium ascendet sapiens [14], » id est, mundum istum vincit Christus. *Civitas*, cor viri sancti, ut in Psalmis : « In civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediga [15], » id est, in corde viri sancti, in quo tu habitas, vitia, quæ sunt similitudines dæmonum instruis. *Civitas*, corpus hominis, ut in Evangelio : « Civitatem eorum succendit igni, » [16] id est, corpus eorum pœna affixit. *Civitas*, infernus, ut in Psalmis : « Quis deducet me in civitatem munitam [17], » quod Deus pater Filium suum ad infernum descendere fecit. Per *civitates quinque*, corporales sensus, ut in Evangelio : « Tu esto super quinque civitates [18], » id est, habere dominium super quinque corporis sensus. Per *civitates*, impii : « Civitates eorum destruxisti [19], » id est, impios condemnasti.

Cives sunt fideles, ut in Paulo : « Vos estis cives sanctorum et domestici Dei, [20] » id est, socii sanctorum. *Cives*, Judæi persequentes, ut in Evangelio : « Cives autem ejus oderant illum [21], » quod infideles Judæi persecuti sunt Christum. *Cives*, dæmones, ut in Evangelio : « Abiit et adhæsit uni civium [22], » id est, conjunxit se antiquo hosti, qui est unus dæmonum.

Coccus est ardor charitatis, ut in Exodo : « Coccum bis tinctum [23], » id est, dilectionem Dei et proximi. *Coccus*, passio Christi, ut in Genesi in manum Zaræ, qui post natus est, « obstetrix ligavit coccinum [24], » quod ad populum gentilem, qui assumptus est, notitia Dominicæ passionis pervenit.

Chorus est concordia, ut in Psalmis : « Laudate eum in tympano et choro [25], » id est, glorificate Deum in abstinentia carnis et concordia charitatis. Per *chorum* congregationes electorum, ut in Cantico : « Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum? [26] » quod in Ecclesia degentibus sanctæ sunt societates, quæ spiritibus malignis terribiles sunt.

Cophinus est opus servile, ut in Psalmis : « Manus ejus in cophino servierunt [27], » id est, de opere servili se intromiserunt. *Cophinus*, corruptio, ut in Evangelio : « Usque dum fodiam circa illam, et mittam cophinum stercoris [28], » id est, dum mentem fidelem et humilem faciam cognoscere corruptionem peccati sui. Per *cophinum* corda justorum, ut in Evangelio : « Impleverunt duodecim cophinos fragmentorum [29], » quod corda hominum, qui per duodecim apostolos illuminati sunt, sacræ Scripturæ expositione implentur.

Collum est ordo prædicatorum, ut in Cantico : « Collum tuum sicut turris eburnea [30], » id est, prædicatores, qui cibum vitæ aliis transfundunt, in se decori et casti sunt. *Collum*, sermo prædicationis, ut in Parabolis : « Ut addatur torques collo tuo [31], » id est, ut sermo prædicationis in deficienti virtutum connexione confirmetur. *Collum*, mens, ut in Isaia : « Solve vincula colli tui [32], » id est, abjice terrena desideria tua, quæ ad ima deprimunt mentem tuam. *Collum*, fides, ut in Cantico : « Vulnerasti me in uno crine colli tui [33], » id est, ad pietatem me commovisti in unitate fidei, per quam caput, Christus, suo corpori, quæ est Ecclesia, unitur. *Collum* audacia, ut in Job : « Cucurrit adversus eum adverso collo [34], » id est, superba audacia ei restitit. *Collum*, finis, ut in Abacuc : « Denudasti fundamentum usque ad collum [35], » id est, abscondita diaboli aperta fecisti usque in finem. *Collum*, elatio, ut in Job : « In collo ejus morabitur fortitudo [36], » quod propter superbiam suam diabolus se fortem judicat.

Columba est Spiritus sanctus, ut in Evangelio :

[1] Exod. XXXVII, 16. [2] Psal. XXXII, 2. [3] Psal. LXXX, 3. [4] Psal. XCVII, 5. [5] Job XXX, 31. [6] I Reg. XVI, 23. [7] Psal. CXXII, 3. [8] Cant. III, 2. [9] Psal. LXXXVI, 3. [10] Job XXXIX, 11. [11] Matth. V, 14. [12] Psal. XLV, 5. [13] Isa. I, 21. [14] Prov. XXI, 22. [15] Psal. LXXII, 20. [16] Matth. XXII, 7. [17] Psal. LIX, 11. [18] Luc. XIX, 19. [19] Psal. IX, 7. [20] Eph. II, 19. [21] Luc. XIX, 14. [22] Luc. XV, 15. [23] Exod. XXV, 4. [24] Gen. XXXVIII, 28. [25] Psal. CL, 4. [26] Cant. VI, 12. [27] Psal. LXXX, 7. [28] Luc. XIII, 8. [29] Matth. XIV, 20; Marc. VI, 53; Luc. IX, 17; Joan. VI, 13. [30] Cant. VII, 45. [31] Prov. I, 9. [32] Isa. LII, 2. [33] Cant. IV, 9. [34] Job XV, 26. [35] Aba. III, 13. [36] Job XLI, 13.

Digitized by Google

« Vidi Spiritum sanctum quasi columbam descendentem [et manentem] in ipso [1], » quod in simplicitate et mansuetudine venit Spiritus sanctus in Christum. *Columba*, Christus, ut in propheta : « Deserta facta est terra a facie iræ columbæ [2], » quod in judicio Christi reprobi peribunt, quos modo mansuete et simpliciter tolerat. *Columba*, Ecclesia, ut in psalmo : « Pennæ columbæ deargentatæ [3], » quod pastores Ecclesiæ divinis eloquiis sunt decorati. *Columba*, quilibet simplex, ut in Psalmis : « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo [4], » id est, unde mihi avolatus a molestis, ut non amittam simplicitatem meam? *Columba* quilibet fatuus, ut in Osea : « Columba seducta non habens cor [5], » quod decepta prava mens ad cor reverti... *Columba* quilibet temtor mundi, ut in Genesi : « Non invenit columba, ubi requiesceret pes ejus [6], » quod qui perfecte mundum contemnit, affectum suum in eo per amorem non figit. *Columba*, vita activa, ut Genesi [7], Abraham in sacrificio turturem obtulit et columbam, quod perfectus quilibet solitudinem Deo offert contemplationis, et publicum actionis. Per *columbam* dona Spiritus sancti, ut in Evangelio : « Eos qui columbas vendebant in templo, ejecit [8], » quod venditores et emptores donorum Spiritus sancti ab Ecclesia Deus extorres facit. Per *columbas* gemitus pœnitentiæ, ut in Evangelio [9], in purgatione sua beata Maria duos pullos obtulit columbæ : quod per duplicem pœnitentiæ gemitum fidelis se anima purgat, dum videlicet dolet tam bonum, quod omisit, quam malum, quod admisit.

Columna est divinitas Christi, ut in Exodo columna ignis præcessit populum per noctem [10], quod Christus in terrore divinitatis suæ tenebrosum populum erexit. *Columna*, humanitas Christi, ut in Exodo columna nubis præfuit populo per diem [11], quod Christus populo gentili in humanitate sua mitis apparuit, qui per fidem lucidus fuit. *Columna* humilis prædicatio Christi, ut in Psalmis : « In columna nubis loquebatur ad [eos [12], » id est,] prædicatione humilitatis erudivit eos. Per *columnas* angeli sancti, ut in Job : Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus [13], » quod majestatem ejus laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates. Per *columnas* apostoli, ut in Paulo : « Jacobus et Cephas et Joannes, qui videbantur columnæ esse [14], » quod illi et cæteri apostoli Ecclesiam sustentant. Per *columnam* prædicatores, ut in Exodo : « Facies columnas viginti, cum totidem basibus [15], » id est, constitues prædicatores sanctos, qui utrumque testamentum intelligentes Prophetarum doctrinis initiantur. Per *columnas* actiones Christi, ut in Cantico : « Crura ejus sicut columnæ marmoreæ [16], » quod actiones Christi et rectæ sunt et fortes. Per *columnas* Scripturæ sacræ, ut in Cantico : « Columnas ejus fecit argenteas [17], » quod Scripturas in sancta Ecclesia fecit noster pacificus Christus intellectum daturas. Per *columnam* rectitudo fidei et strenuitas vitæ, ut in libris Regum : « Statuit duas columnas in introitu templi [18], » quod cœlestis patriæ introitum introire nequimus, nisi et recte credamus, et sancte vivamus. Per *columnas* internæ virtutes mentis, ut in Psalmis : « Ego confirmavi columnas ejus [19], » id est, ego roboravi internas virtutes ejus. Per *columnas* principes Judæorum, ut in Job : « Commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutientur [20], » Judæa abjecta est, et Principes desolati sunt.

Color est decus religionis, ut in Jeremia : Mutatus est color optimus [21], » quod decus religionis in malis obscuratur. *Color*, conversatio prava, ut in Levitico : « Cumque color albus in cute fuerit [22], » id est, conversatio prava, in publico apparuerit. Per *colorem* eloquentiæ sæculares, ut in Job : « Non conferetur sapientia cunctis coloribus invidiæ [23]; » quod sapientia Christi comparari non potest fugacis sæculi eloquentiis

Coluber est incarnata sapientia, ut in Exodo : « Versa est in colubrum virga, ita ut fugeret Moyses [24], » quod Christum in carne Judaicus populus vidit, sed ab eo per incredulitatem fugit. *Coluber*, diabolus, ut in Job : « Eductus est coluber tortuosus [25], » quod per Christi gratiam seductor diabolus ab homine ejectus est. *Coluber*, Antichristus, ut in Genesi : « Fiat Dan coluber in via [26], » quod Antichristus iis, qui per viam suam gradiuntur, se blandum in seducendo exhibebit.

Colles sunt sancti ante legem, ut in Genesi : « Desiderium collium ejus [27], » quod multi reges et prophetæ voluerunt Christum... *Colles*, sancti martyres, ut in Psalmis : « Exsultatione colles accingentur [28], » quod omne gaudium existimabant sancti martyres, cum in varias tentationes inciderunt. *Colles*, viri sancti, ut in Psalmis : « Et colles justitiam [29]; » id est, homines fideles opus sanctitatis exerceant. *Colles*, altitudines sæculi, ut in cantico Abacuc : « Incurvati sunt colles mundi [30], » id est, humiliatæ sunt sublimes potestates sæculi.

Comæ sunt catervæ sanctorum, ut in Cantico : « Comæ ejus sicut elatæ palmarum [31], » quod sancti viri spiritualem victoriam semper exercent. *Comæ*, cogitationes mentis, ut in Cantico : « Comæ ejus in purpura regis juncta canalibus [32], » quod cogitationes animæ devotæ passionem Christi ad exemplum sibi repræsentant.

Compages sunt intentiones, ut in Paulo : « Com-

[1] Matth. III, 16; Marc. I, 10; Luc. III, 22; Joan. I, 32. [2] Jer. XXV, 38. [3] Psal. LXVII, 14. [4] Psal. LIV, 7. [5] Ose. VII, 11. [6] Gen. VIII, 9. [7] Gen. XV, 5. [8] Joan. II, 16. [9] Luc. II, 24. [10] Exod. XIII, 21. [11] Ibid. vers. 22. [12] Psal. XCVIII, 7. [13] Job IX, 6. [14] Gal. II, 9. [15] Exod. XXVII, 10. [16] Cant. V, 15. [17] Cant. III, 10. [18] III Reg. VII, 21. [19] Psal. LXXIV, 4. [20] Job IX, 6. [21] Thren. IV, 1. [22] Lev. XIII, 10. [23] Job XXVIII, 16. [24] Exod. IV, 3. [25] Job XXVI, 13. [26] Gen. XLIX 17. [27] Ib. vers 26. [28] Psal. LXIV, 13. [29] Psal. LXXI, 3. [30] Hab. III, 6. [31] Cant. V, 11. [32] Cant. VII, 5.

Digitized by Google

pagum quoque et medullarum [1], » quod cogitationes et intentiones Deus discernit.

Concentus, sermo doctorum, ut in Job : « Et concentum cœli ' qui dormire faciat [2] ; » quod in futura vita sermo doctorum cessabit, nec docebit quisque proximum suum.

Concubinæ sunt animæ impiorum, ut in Cantico : « Et octoginta sunt concubinæ [3], » quod iniqui resurrectionem quidem futuram credunt, sed eam bene vivendo non diligunt.

Concubina est lex vetus, ut in Genesi ; « Dormivit Ruben cum concubina patris sui [4], » quod populus Judaicus legem Dei per ' pravum intellectum abusus est.

Concupiscentia est bona, ut in libro Sapientiæ : « Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum [5]. » *Concupiscentia* mala, ut in Epistola Joannis : « Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum [6]. »

Cognitio est approbatio, ut in Exodo : « Novi te ex nomine [7]. » *Cognitio*, scientia, ut in Epistola Joannis : Novit omnia [8]. » *Cognitio*, concubitus, ut in Genesi : « Cognovit Adam uxorem suam [9]. »

Comedere est vexare, ut in Psalmis : « Misit in eis cynomyiam, et comedit eos [10], » id est, vexavit eos. *Comedere*, discere, ut in Parabolis : « Comede, fili mi, mel, » id est, disce sapientiam. *Comedere*, implere, ut in Psalmis : « Oblitus sum comedere panem meum [11], » id est, neglexi implere divinum præceptum. *Comedere*, detrahere, ut in Paulo : « Si invicem mordebitis et comeditis [12], » id est, si invicem detrahetis.

Confessio est laudis, ut in Evangelio : « Confiteor tibi, Pater cœli et terræ [13]. » *Confessio* est peccati, ut in Psalmis : « Confitebor tibi adversum me injustitiam [14]. »

Consules sunt viri sancti, ut in Job : Cum consulibus terræ dormirem [15], » id est, cum illis qui aliis vitæ consilium præbent, requiescerem.

Consiliarii sunt doctores pravi, ut in Job : « Adducit consiliarios in stultum finem [16], » id est, pravos doctores in fatuitate vitæ finire permittit. *Consiliarius*, Christus, ut in Isaia : « Vocabitur nomen ejus consiliarius [17], » quod homini ad vitam dedit consilium. *Consiliarii*, angeli sancti, ut in libris Regum : « Consiliarii regis David [18], » id est, angeli hominibus ad salutem consentientes, consulentes et Deo servientes.

Contentio in bono, ut in Evangelio : « Contendite intrare per angustam portam [19] ; » in malo, ut in Paulo : « Cum enim sit zelus et contentio [20]. »

Cor est anima Christi, ut in Psalmis : « Cor meum conturbatum est in me [21], » id est, « tristis est anima mea usque ad mortem [22]. » *Cor*, sapientia Christi, ut in Psalmis : « Factum est cor meum tanquam cera liquescens [23], » id est, sapientia mea ' ut crucifixo manifestatur. *Cor*, ratio, ut in Cantico : « Ego dormio, et cor meum vigilat [24], » id est, ab exterioribus cesso, et interioribus per contemplationem in ratione intendo. *Cor*, voluntas, ut in Psalmo : « Et appropinquavit cor illius [25], » quod secreta voluntas Dei in Scripturis apparuit. *Cor*, sublimis contemplatio, ut in psalmo : « Accedet homo ad cor altum [26], » id est, sublimem apprehendet contemplationem. *Cor*, prælati, ut in Isaia : « Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam [27], » id est, ad summos prælatos Ecclesiarum. *Cor*, sacerdotes Synagogæ, ut in Job : « Qui immutat cor principum populi terræ [28], » quod Deus sacerdotes Judaici populi a bono in malum mutari permisit. *Cor*, superbia hostis, ut in Job : « Cor ejus durabitur quasi lapis [29], » quod diabolus in sua semper superbia induratur. *Cor*, calliditas diaboli, ut in Tobia : « Exentera hunc piscem, et cor ejus repone [30], » quod Deus et nequitiam diaboli aperuit, et calliditatem ejus libris sanctis involvit. *Cor*, cogitationes, ut in Psalmis : « Scrutans corda et renes Deus [31], » quod ipse videt quid quisque cogitet, et quod quemque delectet.

Corpus est persona Christi, ut in Evangelio : « Ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ [32], » quod ubi modo Christus secundum humanitatem est, ibi erunt et animæ electorum. *Corpus* Christi et illud est [33], quod semel erat in patibulo crucifixum, et id, [quod] [34] quotidie in mysterio est immolatum, et id [35], quod ei uni Domino subjectum, una fide illuminatum, uno baptismate est mundatum, quod corpus est sancta Ecclesia. *Corpus* peccatum, ut in Ezechiele : « Duabus alis velabant corpus suum, » id est, timore et pœnitentia delevit peccatum suum. *Corpus* corruptio, ut in Paulo : « Quis liberabit me de corpore meo [36] ? » id est, de corruptione mortalitatis hujus? *Corpus*, multitudo reprobrorum, ut in Job : « Corpus illius quasi scuta [37], » quod reprobi, in quibus habitat diabolus, suis se peccatis excusant.

Corvus est prædicator, ut in Job : « Quis præparat corvo escam suam [38] ? » id est, quis dat prædicatori, ut pasci possit in obedientia subjectorum. *Corvus*, contumax quilibet et procax, ut in Genesi : « Emisit corvum, qui non est reversus [39], » quod ejicitur ab Ecclesia procax et contumax, et damnatur. *Corvus*, quilibet humilis, ut in Cantico : « Comæ ejus nigræ quasi corvus [40], » quod populi fideles, qui Christo capiti inhærent, in oculis suis humiles

[1] Heb. IV, 12. [2] Job. XXXVIII, 37. [3] Cant. VI, 7. [4] Gen. XXXV, 27. [5] Sap. VI, 21. [6] I Joan. II, 16. [7] Exod. III, 12. [8] Gen. IV, 1, 25. [9] Psal. LXXVII, 45. [10] Prov. XXIV, 13; et XXV, 16. [11] Psal. CI, 5. [12] Gal. V, 15. [13] Matth. XI, 25. [14] Psal. XXX, 5. [15] Job III, 14. [16] Job XII, 17. [17] Isa. IX, 6. [18] II Reg. VIII, 16, 17, 18. [19] Luc. XIII, 24. [20] I Cor. III, 3. [21] Psal. XXXVIII, 11, [22] Matth. XXVI, 38. [23] Psal. XXI, 15. [24] Cant. V, 2 [25] Psal. LIV, 22. [26] Psal. LXIII, 7. [27] Isa. XL, 2. [28] Job XII, 24. [29] Job XLI, 15. [30] Tob. VI, 5. [31] Psal. VII, 10. [32] Matth. XXIV, 28. [33] Matth. XXVII, 35; et seqq.; Marc. XV, 25; Luc. XXIII, 33; Joan. XIX, 18. [34] Matth. XXVI, 26; Marc. XIV, 22; Luc. XXII, 19; I Cor. XI, 24. [35] Rom. XII, 5; I Cor. XII, 13, 27; Ephes. I, 23; Col. I, 18, 24. [36] Rom. VII, 24. [37] Job XLI, 6. [38] Job XXXIX, 3. [39] Gen. VIII, 7. [40] Cant. V, 11.

Digitized by Google

sunt. Per *corvos* prædicatores, ut in Parabolis : « Effodiant eum corvi de torrente [1], » id est, auferant blasphemum prædicatores fluentis doctrinæ resistentes. Per *corvum* gentiles, ut in Psalmis : « Et pullis corvorum invocantibus eum [2], » id est, filiis gentium invocantibus vel quærentibus eum.

Corona est victoria, ut in Exodo : « Facies super arcam coronam auream [3], » quod Dominus fidelibus suis in tentatione dat victoriam. *Corona*, conventus apostolorum, ut in Psalmis : « Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso [4], » id est, dedisti ei in initio prædicationis concordem conventum apostolorum. *Corona*, multitudo sanctorum, ut in Psalmis : Benedices coronæ anni benignitate tua [5], » id est, dabis augmentum gratiæ multitudini sanctorum. *Corona* præmium regni, ut in Epistola Jacobi : « Accipiet coronam vitæ [6], » id est, percipiet æternitatem gratiæ.

Cornu est regia potestas, ut in cantico : « Et sublimabit cornu *Christi* sui [7], » quod data est homini Christo potestas in cœlo et in terra. *Cornu*, fortitudo, ut in Psalmis : « In te inimicos ventilabimus cornu [8], » id est, fortitudine tua superabimus hostes tuos. Cornu, eminentia, ut in Psalmis : « Usque ad cornu altaris [9], » id est, usque ad eminentiam Deitatis. *Cornu*, superbia, ut in Psalmis : « Nolite exaltare cornu [10], » id est, nolite vos elevare per superbiam. Per *cornu* brachia crucis, ut in Abacuc : « Cornua in manibus ejus [11], » quod brachiis crucis infixæ sunt manus ejus. Per *cornu* sancti carnem excedentes, ut in Apocalypsi : « Vidi agnum habentem cornua septem [12], » id est, contemplatus sum Christum universos sanctos possidentem. Per *cornu* legis impugnatorem, ut in Apocalypsi . « Vidi bestiam ascendentem de mari, habentem cornua decem [13], » id est, intuitus sum Antichristum per malos se exaltantem, possidentem impugnatores legis. Per *cornua* duo Testamenta, ut in Apocalypsi : « Habebat bestia duo cornua [14], » quod Antichristus duo testamenta sibi usurpabit. Per *cornua* munimina virtutum, ut in Psalmis : « Cornua producentem et ungulas [15], » id est, robusta virtutum et perseverantias habentes. Per *cornu* potestates impiorum, ut in Psalmis : « Et omnia cornua peccatorum confringam [16], » id est, potestates impiorum destruam. Per *cornua* potestates justorum, ut in Psalmis : [17] « Exaltabuntur cornua justorum, » quod potestates bonorum Deus erigit.

Cortina est vir sanctus, ut in Exodo : « Longitudo cortinæ habebit viginti octo cubitos [18], » quod quilibet sanctus in dilectione Dei et proximi decalogum implens ad præmium futuræ resurrectionis * exspirat.

Cortex est signaculum crucis, ut in Cantico : « Sicut cortex mali punici ita genæ tuæ [19], » quod ad imitationem crucis sancti se affligi permittunt. Per *corticem* delectationes, ut in Job : « Mandebant arborum cortices [20], » id est, amabant exteriores visibilium delectationes. Per *corticem* sensus historiales, ut in Genesi : « Detractis corticibus arbor apparuit [21], » id est, submotis historialibus sensibus decor spiritualis intelligentiæ innotuit.

Crocus est charitas, ut in Cantico : « Emissiones sponsæ nardus et crocus [22], » quod sancta facit ad exemplum boni operis et ad virtutem pertinet charitatis.

Coturnix est lex, ut in Psalmis : « Dixit, et venit coturnix [23], » quod præcepit Deus et vetus lex de Judæis data fuit. Per *coturnicem* voluptates carnales, ut in Numeris : « Ventus arreptas trans mare coturnices detulit in castra [24], » quod voluptates carnales, quæ sunt in mundo,.. viris religiosis.

Costa est robur spirituale, ut in Genesi : « Cumque obdormisset, tulit costam, et replevit carnem pro ea [25], » quod tunc moraliter fit, quando oblivioni seipsum aliquo tradente, et spirituale robur ab eo destrui, et carnalem ei molliciem permittit. Per *costas* sensus animæ, ut in Job : « Media invadit costas ejus [26], » quod impio corpus animæ suæ spiritualis egestas corrumpit.

Cubitus est bona actio, ut in libris Regum : « Os luteris unius cubiti [27], » quod sermo prædicatoris et unitatem veræ charitatis, et strenuitatem prædicat bonæ actionis. Per *cubitum* multiplicitas vitæ activæ, ut in Ezechiele : * « Funiculus sex cubitorum et palmo [28], » quod Scriptura utramque vitam contendit, activam et contemplativam.

Cubile est mens prava, ut in Psalmis : iniquitatem meditatus est in cubili suo [29], » id est, malum tractavit in animo suo. *Cubile*, quies diaboli, ut in Isaia : « Erit cubile draconum [30], » quod reprobus quilibet et habitationem se facit dæmoniorum. *Cubile*, bona mens, ut in Evangelio : « Intra in cubiculum tuum [31], » id est, dilige tranquillitatem internam mentis tuæ. *Cubile*, quies cœlestis, ut in Evangelio : « Jam mecum pueri mei sunt in cubili [32], » quod Sanctorum animæ, a corporibus exutæ, jam sunt cum Domino in quiete cœlesti. Per *cubile* præmia sanctorum, ut in Psalmis : « Lætabuntur in cubilibus suis [33], » quod sancti de præmiis suis sibi secundum merita sua in cœlo datis lætantur. Per *cubile* conventicula malorum, ut in Cantico : « Coronaberis de cubilibus leonum [34], » id est, victoriam reportabis de conventiculis superborum.

, *Culmus* est status mundi, ut in Genesi : « Septem spicæ pullulabant in culmo uno [35], » id est,

[1] Prov. xxx, 17. [2] Psal. cxlvi, 9. [3] Exod. xxv, 11. [4] Psal. xx, 4. [5] Psal. 64, 12. [6] Jac. i, 12. [7] I Reg. ii, 10. [8] Psal. xliii, 6. [9] Psal. cxvi, 27. [10] Psal. lxxiv, 5. [11] Abac. iii, 4. [12] Apoc. v, 6. [13] Apoc. xiii, 1. [14] Ibid. v. 11. [15] Psal. lxviii, 32. [16] Psal. lxxiv, 14. [17] Psal. lxxiv, 11. [18] Exod. xxvi, 2. [19] Cant. vi, 7. [20] Job xxx, 4. [21] Gen. xxx, 37. [22] Cant. iv, 13, 14. [23] Psal. civ, 40. [24] Num. xi, 31. [25] Gen. ii, 21. [26] Job xviii, 22. [27] III Reg. vii, 31. [28] Ezech. xl, 5. [29] Psal. xxxv, 5. [30] Isa. xxxiv, 13. [31] Matth. vi, 6. [32] Luc. xi, 7. [33] Psal. cxlix 5. [34] Cant. iv, 8. [35] Gen. xli, 5, 22.

Digitized by Google

septem fertilitatis et sterilitatis anni venturi erant in statu hujus sæculi. *Culmus* quilibet simulator ut in propheta : « Culmus stans non est in eo, germen [1], » quod hypocrita recte vivere noverit, sed non est vera sanctitas in eo.

Culex est Barrabas latro, ut in Evangelio : « Liquantes culicem [2], » quod Judæi sibi dimitti postulabant latronem.

Cultrum est acumen intellectus, ut in Proverbiis : « Statue cultrum in gutture tuo [3], » id est, habe acumen sensuum in eloquio tuo. Per *cultrum* præcepta Dei, ut in Josue : « Fac tibi cultros lapideos, et circumcide filios Israel [4], » quod Dominus Jesus robusta hominibus dedit præcepta, quibus vitiorum in eis superfluitates abscinduntur.

Currus est cœtus sanctorum, ut in psalmo : B « Currus Dei decem millibus [5], » quod sancti in lege perfecti sunt. *Currus*, magna peccata, ut in Exodo : « Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare [6], » quod tam parva, quam magna peccata Dominus obruit in baptismo. *Currus*, prælatus mansuetus, ut in libris Regum : « Currus Israel [7], » id est, populum Israel per mansuetudinem portans. Per *currum* res mundi instabiles, ut in Psalmis : « Hi in curribus [8], » id est, delectantur in rebus volubilibus.

Crus est corruptio, ut in Isaia : « Revela crus [9], » id est, ostende quam corruptibilis sis. Per *crus* bona desideria, ut in Levitico : « Quod habet longiora crura retro [10], » quod illos imitari debemus, qui ad æternitatem futuræ vitæ desideria sua extendunt. C Per *crus* robora stabilitatis, ut in Evangelio, * et frangentur qui mittentur maligni spiritus non solum in reprobis, sed et in ipsis electis auferre robur stabilitatis. Per *crura*, doctores sancti, ut in Evangelio : « Quod non fregerunt crura Jesu [11], » quod prædicatores sanctos, quibus in Ecclesia sua Dominus innititur, persecutores sive maligni Spiritus enervare non possunt. Per *crura* itinera Dominicæ incarnationis, ut in Cantico : « Crura ejus quasi columnæ marmoreæ [12], » quod quæcunque in humanitate aggressus est Christus, recta et fortia fuerunt.

Custos est Christus, ut in Isaia : « Custos, quid de nocte [13]? » id est, quid faciam de mea iniquitate * Christus faciam. Per *custodes*, doctores, ut in Can- D tico : « Tulerunt pallium meum custodes murorum [14], » id est, pravam vetustatem meam tulerunt a me doctores Ecclesiarum. Per *custodes* spiritus maligni, ut in Evangelio : « Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes [15], » quod veniente Domino ad judicium, non solum homines reprobi, sed et nequam spiritus timebunt.

Cutis est quilibet reprobus terrenis vacans, ut in Job : « Cutis mea aruit [16]; » quod ii, qui rebus terrenis immoderate arescunt, ab humore divinæ dilectionis arescunt. *Cutis*, quilibet infirmus, ut in Job : « Cutis mea denigrata super me [17], » quod infirmi, qui sunt in Ecclesia veniente persecutione obscurantur. *Cutis*, mollities, ut in Jeremia : « Adhæsit cutis ejus ossibus [18]; » quod spirituale robur mollities carnalis invasit. *Cutis*, peccatum, ut in Job : « Saccum confeci super cutem meam [19], » id est, per rigorem pœnitentiæ delevi peccatum.

D

Damula.	*Diluculum.*	*Dies.*
Divitiæ.	*Defectus.*	*Denarius.*
Diadema.	*Dives.*	*Dux.*
Deliciæ.	*Dextra.*	*Draco.*
Dormitio.	*Deus.*	*Dromedarius.*
Diluvium.	*Dorsum.*	*Digitus.*
Desertum.	*Dilectus.*	*Dentes.*
Dragma.	*Damascus.*	
Domus.	*Dominus.*	

Damula est diabolus, ut in Isaia : « Et erit quasi damula fugiens [20], » quod una cum capite suo diabolo quilibet reprobus recedit ab Ecclesia.

Damascus est diabolus, ut in Cantico : « Quæ respicit contra Damascum [21], » quod discretio nostra astutias debet prævenire diaboli. *Damascus*, massa reproborum, ut in Isaia : « Ecce Damascus desinet esse civitas [22]; » quod non reprobi semper permittentur hic demorari. *Damascus*, Romanum imperium, ut in Isaia : « Et peribit fortitudo Damasci [23]; » quod potestas Romani imperii cessabit, et Christi potestas, quæ æterna est, regnat.

Dragma est humana natura, ut in Evangelio : « Inveni dragmam, quam perdideram [24], » id est, reformavi humanam naturam, quam per culpam amiseram. Per *drachmam* natura Evangelica et humana, ut in evangelio : « Quæ mulier habens dragmas decem [25], » quod æterna Dei sapientia novem ordines in angelis et * decimam in hominibus habuit.

Draco est diabolus, ut in Apocalypsi : « Michael et angeli ejus prœliabantur cum dracone [26]; » et Christus et ministri ejus cum diabolo. *Draco*, mundus iste, ut in Psalmis : « Draco iste, quem formasti ad illudendum ei [27]; » quod irridere debemus fallaciam mundi. *Draco*, Antichristus, ut in Apocalypsi : « Ecce draco magnus et rufus [28]; » quod Antichristus erit superbus et crudelis. Per *dracones* spiritus mali, ut in Isaia : « Erit cubile draconum [29]; » quod prava mens malos in se spiritus per culpam habitare permittit. Per *dracones* Judæi, ut in Jeremia : « Traxerunt ventum quasi dracones [30], » quod collegerunt virulenti Judæi consilium adversus Jesum. Per *dracones*, gentiles, ut in Isaia : * « Glorificabit me bestia agri, dracones [31], etc., » id est, laudabunt me homines mundi, et maxime populi gentiles.

[1] Ose. VIII, 7. [2] Matth. XXIII, 24. [3] Prov. XXIII, 2. [4] Jos. V, 2. [5] Psal. LXVIII. [6] Exod. XV, 4. [7] IV Reg. II, 12. [8] Psal. XIX, 8. [9] Isa. XLVII, 2. [10] Lev. XI, 21. [11] Joan. XIX, 33. [12] Cant. V, 15. [13] Isa. XXI, 11. [14] Cant. V, 7. [15] Matth. XXVIII, 4. [16] Job VII, 5. [17] Job XXX, 30. [18] Thren. IV, 8. [19] Job XVI, 15. [20] Isa. XIII, 14. [21] Cant. VII, 4. [22] Isa. XVII, 1. [23] Isa. VIII, 4. [24] Luc. XV, 9. [25] Ibid. *v.* 8. [26] Apoc. XII, 7. [27] Psal. CIII, 26. [28] Apoc. XII, 3. [29] Isa. XXXIV, 13. [30] Jer. XIV, 6. [31] Isa. XLIII, 20.

Digitized by Google

Deus pro persona Patris accipitur, ut in Actis apostolorum : « Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum [1]. » *Deus* pro persona Filii, ut in Paulo : « Qui est super omnia benedictus Deus in sæcula [2]. » *Deus* pro persona Spiritus sancti, ut in Actis apostolorum : « Non es mentitus hominibus, sed Deo [3]. » *Deus* pro tota Trinitate, ut in * Exodo : « Dominus Deus tuus, unus Deus est [4]. » *Deus* dicitur essentialiter, ut in Exodo : « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob [5]; » et nuncupative, ut item in Exodo : « Ecce, constitui te Deum Pharaonis [6]. » Deus mihi per semetipsum locutus, in Psalmis : « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus [7]; » vel per angelos, ut in Genesi : « Vocavit Dominus Deus Adam, et dixit ei Deus [8]; » vel per subsumptam creaturam nostram, ut in Genesi : « Vidi Dominum facie ad faciem [9]; » vel ponitur in intellectu, ut in Evangelio : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt [10]. » Qualiter Deus per semetipsum loquatur; aliquando per angelos : invenitur in sexto Moralium : quando aliter vero, aliquando . . . . per subjectam creaturam : aliquando . . . . intellectum : invenitur in epistola beati Augustini ad Italicam [11], et in epistola ejusdem ad Paulinam de videndo Deum, nec non et in libro XXII de Civitate Dei, atque in libro XXVIII Moralium. Per *Deum* Judæi, ut in Psalmis : « Deus stetit in synagoga deorum [12]; » id est, Christus corporaliter inter deos conversatus est. Per *Deum* prælati, ut in lege : « * Divinum detrahes [13], » id est, prælatis.

Deliciæ sunt eloquia divina, ut in Job : « Super omnipotentem deliciis affluens [14]; » id est, ad noscendum sacræ Scripturæ eloquium deliciis abundabis. *Deliciæ*, gaudia, ut in Ezechiele : « In deliciis paradisi Dei fuisti [15]; » quod reprobus ille angelus in supernæ amœnitatis gaudiis fuit.

Denarius est Christus, ut in Apocalypsi : « Bilibris tritici, denario [16]; » quod qui in . . . fidem et operationem tenent, ad Christum pertinent. *Denarius*, æterna retributio, ut in Evangelio : « Conventione facta ex denario diurno cum operariis, misit eos in vineam suam [17]; » quod in sancta Ecclesia strenue laboramus, æternam retributionem percipiemus. Per denarium duo Testamenta, ut in Evangelio : « Altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario [18], » quod Christus utrumque Testamentum discipulos post resurrectionem suam intelligere fecit.

Defectus est in malo, ut in Psalmis : « Defecerunt sicut fumus, dies mei [19]; » quod vita nostra, quanto magis * extollit, tanto citius evanescit. *Defectus* in bono, ut in Psalmis : « Defecit spiritus meus [20], » id est, dormivit timor meus.

Dentes sunt verba Ecclesiæ, ut in Job : « Infremuit contra me dentibus suis [21], » quod contra delinquentes Dominus verbis Ecclesiæ sævit. *Dentes*, prædicatores, ut in Cantico : « Dentes tui sicut greges tonsarum [22], » quod prædicatores Ecclesiæ unanimes et innocentes non solum supervacua, sed et necessaria aliquando deponunt. *Dentes*, interni sensus, ut in Job : « Quare lacero carnes meas dentibus * suis [23]; id est, internis sensibus meis reprehendo carnalia mea vitia. *Dentes*, verba legis, ut in Deuteronomio : « Dentes Moysi non sunt moti [24]; » quod verba legis præteriri non possunt, quin omnia fiant. *Dentes*, robora virtutum : * Illum debilitari permittit. *Dentes*, vitia edacitatis, ut in Job : « Dentes catulorum leonum contriti sunt [25]; » id est, delectationes edacitatis in filiis superborum destructæ sunt. *Dentes*, persecutiones dæmonum, ut in cantico Deuteronomii : « Dentes bestiarum immittam in eos [26]; » quod in reprobos persecutiones dæmonum Dominus sævire permittit. *Dentes*, persecutores Ecclesiæ, ut in Job : « Per gyrum dentium ejus fortitudo ejus [27], » quod infirmi timent persecutores, per quos diabolus mordet.

Dentes, dura, ut in Psalmis : « Dentes peccatorum contrivisti [28]; » id est, crudelia verba pravorum destruxisti. *Dentes*, detractores, ut in Psalmis : » Deus conteret dentes eorum [29] : » id est, Deus detractiones eorum. *Dentes*, crudelitates, ut in Job : « Et de dentibus ejus * auferam prædam [30] ; » id est, a crudelitatibus iniqui eripui humilem.

Desertum est cœlum, ut in Evangelio : « Dimisi nonaginta novem oves in deserto [31]; » quod angelicam naturam reliquerit in cœlo. *Desertum*, uterus virginis, ut in Osee : « Adducet Deus ventum urentem de deserto [32]; » quod Deus Pater produxit nobis Christum potentem de utero virginis. *Desertum* Judæa : ut in Evangelio : « Erat Joannes prædicans in deserto [33]; » id est, desolatæ Judææ Christum annuntians. *Desertum*, gentilitas, ut in Isaia : « Exsultet desertum [34], » id est, lætetur populus gentilis. *Desertum*, mundus iste, ut in Cantico : « Quæ est ista, quæ * descendit de deserto [35] ? » Maria videlicet, quæ elevatur ex hoc mundo. *Desertum*, multitudo impiorum, ut in Apocalypsi : « Abstulit me in desertum [36]; » id est, ad intuendam multitudinem impiorum per contemplationem me rapuit. *Desertum*, mens prava, ut in libro Tobiæ : « Ligavit Raphael dæmonium in deserto superioris Ægypti [37] : » quod in prava et tenebrosa mente diabolus clausus tenetur. *Desertum*, mens sancta, ut in Exode : « Cumque minasset gregem ad interiora deserti, apparuit ei Dominus [38], » quod nobis Dominus tunc spiritualiter apparet, quando cogitationes nostras ad veram unitatem in devota mente, quæ sanctæ solitudini consistit, redigimus. *Desertum*, sancta conversatio : ut

[1] Act. III, 13. [2] Rom. IX, 5. [3] Act. V, 4. [4] Deut. VI, 4. [5] Exod. III, 6. [6] Exod. VII, 1. [7] Psal. LXXXIV, 9. [8] Gen. III, 9. [9] Gen. XXXII, 30. [10] Matth. V, 8. [11] Epist. 6. [12] Psal. LXXXI, 1. [13] Exod. XXII, 28. [14] Job XXII, 25. [15] Ezec. XXVIII, 13. [16] Apoc. VI, 6. [17] Matth. XX, 2. [18] Luc. X, 35. [19] Psal. CI, 4. [20] Psal. LXXVI, 4. [21] Job XVI, 10. [22] Can. IV, 2. [23] Job XIII, 14. [24] Deut. XXXIV, 7. [25] Job IV, 10. [26] Deut. XXXII, 24. [27] Job XLI, 5. [28] Psal. III, 8, [29] Psal. LVII, 7. [30] Job XXIX, 17. [31] Luc. XV, 4. [32] Ose. XIII, 15. [33] Matth. III, 1. [34] Isa. XLII, 11. [35] Cant. III, 6. [36] Apoc. XVII, 3. [37] Tob. VIII, 3. [38] Exod. III, 1.

Digitized by Google

in Exodo : « Sacrificabimus Domino in deserto [1]; » id est, serviemus Domino in sancta conversatione. Per *desertum* dæmones, ut in Psalmis : « Neque a desertis montibus [2], » quod nec ipsis spiritibus malignis patet locus fugiendæ divinæ majestatis.

Dextra est Filius Dei, ut in Psalmis : « Dextra Domini fecit virtutem [3], » id est, Dei Filius operatur mirabilia. *Dextra* Dei gratiam, ut in Job : « Operi manuum tuarum porriges dextram [4], » id est, illi, quem condidisti, dabis gratiam tuam. *Dextra*, justi, ut in Deuteronomio : « In dextera ejus ignea * lex [5], » id est, in sanctis ejus charitas ardens. *Dextra*, salus animæ, ut in Psalmis : « Diabolus stet a dextris ejus [6], » id est, pecuniam præposuit saluti animæ * ejus. *Dextra*, bona actio, ut in Psalmis : « dextra eorum repleta est muneribus [7], » id est, justitiam B suam vendunt. *Dextra*, contemplatio, ut in Cantico : « Dextra illius amplexabitur me [8]; » id est, contemplatio illius lætificabit me. *Dextra*, potentia, ut in Psalmis : « Dextra eorum dextra iniquitatis [9], » id est, potestas eorum iniqua est. *Dextra*, prosperitas, ut in lege : « Ne declines ad dextram, nec ad sinistram [10], » id est, non te eleves in prosperitate. *Dextra*, quilibet amicus, ut in Psalmis : « Considerabam ad dextram [11], etc., » id est, quæsivi inter amicos qui me juvaret, et non inveni. *Dextra*, elatio in virtutibus, ut in Job : « Si me vertam ad dextram, non videbo illum [12], » id est, si de virtutibus superbio, illum contemplari nequeo. *Dextra*, vita æterna, ut in Parabolis : « Longitudo dierum in dextra ejus [13], » quod vita cœlestis nunquam per aliquem C finem cessabit. *Dextra*, favor, ut in Psalmis : « A dextris est mihi Deus, id est, favet mihi, « ne commovear [14]. »

Dextraria sunt ornamenta bonorum operum, ut in lege : « Dextraria et annulos [15], » id est,... et ornatum bonorum operum.

Diadema est humanitas Christi, ut in Cantico : « Videte regem Salomon in diademate, quo coronavit eum mater sua [16], » id est, honorate Christum in humanitate sua, quam sine patre de matre sumpsit. *Dextra*, judicium, ut in Job : « Et diademate judicio meo [17], » id est, quasi quodam diademate, sic judicio meo decoratus sum.

Dies est Pater et Filius, ut in Psalmis : * « Nuntiate diem die [18], » id est, prædicate Patrem de Filio. D *Dies*, angelus Gabriel et virgo Maria, ut in Psalmis : « Dies diei eructat verbum [19], » id est, angelus nuntiavit Mariæ. *Dies*, diabolus, ut in Job : « Pereat dies, in qua natus sum [20], » id est, damnatus sit diabolus, per quem seductus sum. *Dies*, prosperitas pravorum, ut in Jeremia : « Diem hominis non * desideramus [21], » id est, prosperitatem sæculi non concupivi. *Dies*, status malorum, ut in Evangelio : « Et quidem in hac die, quæ ad pacem tibi [22], » id est, in hoc statu tuo, quem tenes in pace. *Dies*, delectatio peccati, ut in Job : « Dies illa vertatur in tenebras [23], » id est, utinam prævideatur, ad quantam obscuritatem peccati delectatio hominem pertrahat! *Dies*, tempus, ut in Ecclesiaste : « In die bonorum ne immemor sis malorum [24], » id est, in tempore quietis noli immemor esse perturbationis. *Dies*, calor tentationis, ut in Evangelio : « Pondus diei et æstus [25], » id est, onus tentationis et tribulationis. *Dies*, æternitas diei, ut in Psalmis : « Tecum principium in die virtutis tuæ [26], » id est, una tecum essentia in æternitate majestatis tuæ. *Dies*, illuminatio mentis, ut in Job : « Unusquisque in die suo [27], » B quod unusquisque electus in illuminatione mentis suæ reficere debet proximum suum. *Dies*, claritas quietis internæ, ut in Genesi : « Sanctificavit Deus diem septimum [28], » quod per claritatem quietis internæ homo Deo consecratur. *Dies*, patria cœlestis, ut in Cantico : « Donec aspiret dies [29], » id est, donec claritas patriæ cœlestis erumpat. *Dies*, incarnatio Christi, ut in Psalmis : « In die mandavit Dominus [30], » quod in luce incarnationis suæ misertus est mundo. Per *diem* homines redempti, ut in Job : « Non computetur in diebus anni [31], » [id est] inter redemptos homines apostata angelus ad veniam non pertingat. Per *diem* opera bona, ut in Psalmis : « Novit Dominus dies justorum [32], » quod approbat opera sanctorum.

Diluculum est adventus internæ claritatis, ut in Job : « Consurgens diluculo offerebat holocausta [33], » quod adveniente interna claritate orabat Deum. *Diluculum*, studium, ut in Psalmis : « Diluculo veniebant ad eum [34]. » *Diluculum*, tempus resurrectionis, ut in Psalmis : « Exsurgam diluculo [35], » id est, mane ante lucem.

Digitus est Spiritus sanctus, ut in Evangelio : « Si in digito Dei, » id est, si in Spiritu Dei, « ejicio dæmonia [36]. » *Digitus*, discretio, ut in Evangelio : « Digito scribebat in terram [37], » quod humili discretione terrenum cor nostrum perscrutari debemus. *Digitus*, moderamen, ut in Job : « Superponite digitum vestrum cordi vestro [38], » id est, moderamini locutionem vestram. Per *digitum* diversitas personarum, ut in Isaia : « Quis appendit tribus digitis molem terræ [39]? » per *quis?* unitas subsistantiæ, per *tres*, * unitas personarum. Per *digitos* quatuor libri Evangeliorum, ut in Exodo : « Coronam interrasilem altam quatuor digitis [40], » quod quidquid sanctitatis habemus, conversatione nostra in libris Evangeliorum discimus. Per *digitos* operarii Ecclesiæ ut in Cantico : « Digiti mei pleni myrrha probatissi-

[1] Exod. VIII, 27. [2] Psal. LXXIII, 7. [3] Psal. CVII, 7. [4] Job XIV, 15. [5] Deut. XXXIII, 2. [6] Psal. CVIII, 10. [7] Psal. XXV, 10. [8] Cant. II, 6. [9] Psal. CXLIII, 8. [10] Deut. V, 32; XVII, 11. [11] Psal. CXLI, 5. [12] Job XXIII, 9. [13] Prov. III, 16. [14] Psal. XV, 8. [15] Exod. XXV, 33; [16] Num. XXXI, 50. [17] Cant. III, 11. [18] Job XXIX, 14. [19] Psal. XCV, 2. [20] Psal. XVIII, 3. [21] Jer. XVII, 16. [22] Luc. XIX, 42. [23] Job III, 4. [24] Eccl. VII, 15. [25] Matth. XX, 12. [26] Psal. CIX, 3. [27] Job I, 4. [28] Gen. II, 3. [29] Cant. II, 17. [30] Psal. XLI, 9. [31] Job III, 6. [32] Psal. XXXVI, 18. [33] Job I, 6. [34] Psal. LXXVII, 34. [35] Psal. LVI, 9. [36] Luc. XI, 19. [37] Joan. VIII, 6, 8. [38] Job XXI, 5. [39] Isa. XL, 12. [40] Exod. XXXVII, 12.

Digitized by Google

ma [1], » id est, operarii mei gloriantur in tribulationibus.

Dilectus est Pater et Filius, ut in Cantico : « Qualis est dilectus tuus ex dilecto [2] ? id est, Filius de Patre. *Dilectus*, populus Judaicus, ut in propheta : « Quid est, quod dilectus meus facit scelera multa [3], » id est quod tam impie, quem spiritualiter diligo, peccat.

Diluvium, baptismus, ut in Psalmis : « Dominus diluvium inhabitare facit [4] ; » id est, baptismum in sua Ecclesia esse constituit. *Diluvium*, judicium extremum, ut in Psalmis : « In diluvio [5] aquarum, » id est, in judicio extremo, in quo reprobi, qui fluida sunt, damnabuntur, justi, non peribunt. *Diluvium*, peccatum, ut in Genesi : « Interficiam aquis diluvii omnem carnem [6], » quod carnales, quorum voluptatibus [7] peccati Deus consumi permittit.

Dives est Deus, ut in Evangelio : « Homo quidam erat dives, qui habebat villicum [7], » id est, Deus, qui... [8] se habet hominem. *Dives*, populus Judaicus, ut in Evangelio : « Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso [8], » quod populus Judaicus [9] in cultu vitæ exterioris gloriabatur. Per *divites* amatores mundi, ut in Psalmis : « Divites eguerunt et esurierunt [9] ; » quod mundi amatores egestate et esurie tabescent.

Divitiæ sunt verba legis, ut in Job : « Divitias, quas devoravit, evomet [10], » id est, verba legis, quæ habuit, amittet. *Divitiæ*, consilia, ut in Job : « Si lætatus sum super [9] justis divitiis [11], » id est, de consiliis, quibus abundantia, nequaquam vana lætitia me extuli. *Divitiæ*, contemplationes Dei, ut in Psalmis : « Et pasceris in divitiis ejus [12], » id est, spiritualem habebis refectionem in contemplationibus ejus.

Dominus aliquando Pater, aliquando Filius, aliquando Spiritus sanctus, ut in uno hoc versu : « Exaudivit Dominus vocem fletus mei, exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit [13]. » *Dominus*, quilibet prælatus, ut in libris Regum : « Dominus tollet Dominum tuum a te [14], » id est, Eliam prælatum tuum. Per *Dominum* peccata, ut in Evangelio : « Et dixerunt Domini ejus, Quid solvitis pullum [15] ? » Multos pullos Dominus habuit, quod multorum peccatorum enormitatibus populus [9] gentis serviebat.

Domus est patria cœlestis, ut in Psalmis : « Ut inhabitem in domo Domini [16], » id est, vivam in patria cœlesti. *Domus*, Ecclesia, ut in Psalmo : « Domum tuam decet sanctitudo [17], » quod oportet, ut sanctitas sit in Ecclesia. *Domus*, mens hominis, ut in Psalmis : « Domine, dilexi decorem domus tuæ [18], » id est, mentem meam, in qua habitare debes, desideravi pulchram facere. *Domus*, humanitas Christi, ut in Parabolis : « Sapientia ædificavit sibi domum [19], » quod Dei Filius carnem sibi assumpsit. *Domus*, mundus iste, ut in Evangelio : « Et vasa ejus in domo, non descendat tollere ea [20], » id est, ad cupiditates sæculi non redeat, quas reliquit. *Domus*, familia, ut in libris Regum : « Ut loquereris de domo, » id est, de familia, « famuli tui [21]. » *Domus*, delectatio favoris, ut in Job : « Innitetur super domum suam, et non stabit [22], » id est, ad laudem humanam in futuro non respiciet, sed ipsa deficiet. *Domus*, populus Judæorum, ut in Evangelio : « Revertar in domum meam, unde exivi [23], » quod ad populum Judaicum diabolus ait, quando Christum suscipere renuit, a quo exiit, quando legem suscepit. *Domus*, gentilitas, ut in Psalmis : « Domus Jacob de populo barbaro [24], » quod aliquando alienus a Deo populus gentilis erat, in quo modo per fidem ipse habitat. *Domus*, protectio Salvatoris, ut in Psalmis : « Herodii domus dux (est) eorum [25], » quod profectio Christi electos suos ducit. *Domus*, anima prava, ut in Ezechiele : « Domus exasperans, » quod anima prava per nequitiam suam ad asperitatem provocat Dominum. *Domus*, ipsa mors, ut in Job : « Ubi constituta est domus omni viventi [26] ; » quod non est homo, qui vivet, et non videbit mortem. Per *domum*, diversi ordines, ut in Psalmis : « Deus in domibus ejus, [9] in diversis orationibus ejus *agnoscitur* [27]. Per *domos* conscientiæ bonæ, ut in Job : « Replevit domos suas argento [28], » quod perfecti claritate divini eloquii in suis conscientiis abundant. Per *domos* cogitationes pravæ, ut in Job : « In domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ [29] ; » quod iniqui cogitationes habent a Deo derelictas, et in eis corruptionem et fetorem peccati ferunt. Per *domos* corpora humana, ut in Job : « Tanto magis, qui domos luteas habitant [30], » quod quandiu in hoc corruptibili corpore sumus peccato ad plenum carere non possumus.

Dromedarius est gentilitas, ut in Isaia : « Dromedarii, Madian et Epha [31] ; » quod populus gentilis, qui prius pertinebat ad judicium, jam super misericordia honorat Dominum.

Dorsum sunt sequentes quique, ut in Psalmis : « Dorsum eorum semper incurva [32] ; » id est, subjectos pravos, qui malos prælatos sequuntur, ad terrena labi permitte. *Dorsum*, mens, ut in Psalmis : « Divertit ab oneribus dorsum ejus [33], » id est, allevavit a peccatis mentem ejus. *Dorsum*, reprobi, ut in Psalmis : « Pones eos dorsum [34], » id est, projicies eos post te, id est, impios. *Dorsum*, patientia, ut in Psalmis : « Super dorsum meum fabricaverunt peccatores [35] ; » quod patiens fui, multa mala irrogaverunt. *Dorsum*, rectores Ecclesiæ ut in Psal-

[1] Cant. v, 5. [2] Cant. v, 9. [3] Jer. xi, 15. [4] Psal. xxviii, 10. [5] Psal. xxxi, 6. [6] Gen. vi, 7. [7] Luc. xvi, 1. [8] Luc. xvi, 19. [9] Psal. xxxiii, 11. [10] Job xx, 15. [11] Job xxxi, 25. [12] Psal. xxxvi, 3. [13] Psal. vi, 9, 10. [14] IV Reg. ii, 3, 5. [15] Luc. xix, 33. [16] Psal. xxii, 6. [17] Psal. xcii, 5. [18] Psal. xxv, 8. [19] Prov. ix, 1. [20] Matth. xxiv, 17. [21] II Reg. vii, 19. [22] Job viii, 15. [23] Luc. xi, 24. [24] Psal. cxiii, 1. [25] Psal. cxiii, 17. [26] Job xxx, 23. [27] Psal. xlvii, 4. [28] Job iii, 15. [29] Job xv, 28. [30] Job iv, 19. [31] Isa. lx. [32] Psal. lxviii, 24. [33] Psal. lxxx, 7. [34] Psal. xx, 13. [35] Psal. cxxviii, 3.

Digitized by Google

mis : « Posteriora dorsi ejus in pallore auri [1], » id est, præmia rectori Ecclesiæ in decore æternæ claritatis.

Dormitio est quies vitæ, ut in Cantico : « Ego dormio, et cor meum vigilat [2], » id est, in contemplatione quiesco. *Dormitio*, torpor, ut in Paulo : « Surge, qui dormis [3], » id est, qui ab utili opere torpes. *Dormitio* mors, ut in Evangelio : « Lazarus, amicus noster, dormit [4], » id est, mortuus est. *Dormitio*, ægritudo, ut in Evangelio : « Dormitaverunt omnes et dormierunt [5], » quod per pondus ægritudinis pervenitur ad somnum mortis. *Dormitio*, excæcatio, ut in Psalmis : « Dormitaverunt omnes, qui ascenderunt [6], » id est, superbi omnes excæcantur. *Dormire*, in peccatum cadere, ut in psalmo : « Dormitavit anima mea præ (tædio), » id est, in peccato sæpe lapsus sum. *Dormitio*, pro concubitu, ut * « dormivit cum ea, » id est, concubuit cum ea.

Dux est Christus, ut in cantico Exodi : « Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti [7], » quod electos suos Dominus misericorditer ducit ad se. Per *duces* apostoli, ut in libro Numeri : « Obtulerunt duces in dedicatione altaris [8], » quod ad ædificandam sanctam Ecclesiam apostoli seipsos impenderunt. Per *duces* pravi doctores, ut in Job : « Qui vocat duces impios [9] ; » quod pravi doctores, dum se non emundant, ad impietatem erumpunt. Per *duces* hæretici, ut in Job : « Voce sua cohibebant duces [10], » quod patefacta veritate Christi, hæretici obmutescunt. Per *duces*, vitia principalia, ut in Job : « Odoratur in exhortationem ducum [11], » quod perfectus quilibet, quomodo vitia originalia hominem ad malum * instigent, prævidere solet.

E

Ebur	*Esca.*	*Ensis.*
Ecclesia.	*Ethera.*	*Equus.*
Edom.	*Ethiopia.*	*Erinacii.*
Elate.	*Exactor.*	*Eruca.*
Emulatio.	*Exercitus.*	*Estas.*
Emunctoria.	*Ebrietas.*	*Eternum.*
Engadi.	*Edus.*	*Ethiopes.*
Erugo.	*Egyptus.*	*Exploratores.*
Es.	*Electrum.*	
Esebon.	*Exitus.*	

Ebur est vita sanctorum Patrum, ut in Jeremia : « Rubicundiores ebore antiquo [12], » sanctiores quod erant antiqui patres. *Ebur*, incorruptio carnis Christi, ut in Cantico : « Venter ejus eburneus [13], » id est, corpus ejus a corruptione peccati alienum. *Ebur*, castitas : « Collum tuum sicut turris eburnea [14], » quod sanctos Ecclesiæ prædicatores et sublimitas contemplationis et nitor commendat castitatis. *Ebur*, fortitudo, ut in libris Regum : « Fecit Salomon thronum de ebore [15], » quod noster pacificus de fortitudine sanctorum suam Ecclesiam construxit.

Ebrietas est gaudium supernæ gratiæ, ut in Cantico : « Inebriamini, charissimi [16] ; » quod charitate erunt plenissimi electi, quando carnis simul et animæ felicitate perfruentur. *Ebrietas*, interna satietas sanctorum, ut in Psalmis : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ [17] ; » id est, de supernæ domus tuæ plenitudine et hic quandoque sancti tui pascuntur. *Ebrietas*, amor mundi, ut in Joele : « Expergiscimini ebrii, et flete [18], » id est, vos, qui diligitis mundum, intendite vos ipsos et dolete. *Ebrietas*, anxietas vitæ præsentis, ut in Jeremia : « Inebriavit me absinthio [19], » id est, tantum per amaritudinem vitæ præsentis me anxiari permisit, quod a me ipso pœna alienantium. *Ebrietas*, error, ut in Paulo : « Qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt [20], » * et qui errant, per obscuritatem errant ignorantiæ.

Ecclesia est in bono, ut in Psalmis : « In medio Ecclesiæ laudabo te [21], » id est, in communione fidelium prædicabo te. *Ecclesia*, in malo, ut in Psalmis : « Odivi Ecclesiam malorum [22], » id est, conventum immundorum.

Edus est Christus, ut in Exodo : * « Tolletis et edum [23], » id est, immolabitis Christum, qui venit in similitudine carnis peccati. *Edus*, correptio, ut in Genesi : Mittatur edus de capris [24], quod Christus Ecclesiam de gentibus per prædicatores suos corripuit. *Edus*, peccator, ut in Genesi, tunicam Joseph in sanguine edi fratres sui tinxerunt, quod Christum Judæi, ac si esset peccator, de peccato redarguerunt. Per *edum*, reprobi, ut in Evangelio : « Pastor segregat oves ab edis [25], » quod Christus electos a reprobis separabit. Per *edum* peccata carnis, ut in Genesi : * « Pelliculisque edorum circumdedit me [26], » quod tam dura pertulit Christus, ac si peccata in propriis operibus habuisset. Per *edum* cogitationes immundæ, ut in Cantico : « Et pasce edos tuos juxta tabernaculum pastorum [27], » id est, refice immundos sensus tuos ad instar reproborum. Per *edum* gemitus pœnitentiæ, ut in Genesi : « Ut faciam * eos ex edis escam patri tuo, quibus libenter vescitur [28] : » quod de gentibus.... Deus reficitur.

Edom, sanguineus, et est mundus iste : « Qui venit de Edom, » id est, qui ascendit de mundo. *Edom*, carnalis quisque, ut in Genesi : « Quamobrem vocatum est nomen ejus Edom [29], » quod qui carnem spiritui præponit jure carnalis vocari debet. *Edom* peccatum : « Memor esto, Domine, filiorum Edom [30], » quod, quando claritas supernæ patriæ apparebit, actus, qui a peccato generantur, Dominus condemnabit. *Edom*, populus Judaicus, ut in libro Numeri : « Noluit Edom transitum præbere Israeli per terram suam [31], » quod populum gentilem ad noti-

[1] Psal. LXVII, 14. [2] Cant. v, 2. [3] Eph. v, 14. [4] Joan. XI, 11. [5] Matth. XXV, 5. [6] Psal. LXXV, 7. [7] Exod. XV, 13. [8] Num. VII, 2. [9] Job XXXIV, 18. [10] Job XXIX, 10. [11] Job XXXIX, 28. [12] Thren. IV, 7. [13] Cant. V, 14. [14] Cant. VII, 4. [15] I Reg. X, 18. [16] Cant. V, 1. [17] Psal. LXIV, 12. [18] Joel. I, 5. [19] Thren. III, 15. [20] I Thes. V, 7. [21] Psal. XXI, 23. [22] Psal. XXV, V. [23] Exod. XII, 5. [24] Gen. XXXVII, 31. [25] Matth. XXV, 32. [26] Gen. XXVII, 16. [27] Cant. I, 8. [28] Gen. XXVII, 9. [29] Gen. XXV, 30. [30] Psal. CXXXVI, 7. [31] Num, XX, 18.

Digitized by Google

tiam plebs Judaica admittere noluit. *Edom*, gentilitas, ut in Genesi : « Reges regnabant in Edom priusquam esset rex in Israel [1], » quod in gentilitate erant nonnulli sancti, antequam populus Judaicus esset assumptus. *Edom*, diabolus, ut in Jeremia : « Audite consilium Domini, quod misit de Edom [2], » id est, suscipite fidem Christi, quem misit Pater ad diabolum destruendum. *Edom*, infernus, ut in Ezechiele : « Faciam in Edom juxta iram meam [3], » id est, faciam inferno, ac si essem iratus ei, exspolians eum, et inde electos adducens, vel educens.

Egyptus est tenebræ, et est mundus iste, ut in Genesi : « Noli descendere in Ægyptum [4], » id est, diligere mundum. *Egyptus*, peccatum, ut in Psalmis : « In exitu Israel de Ægypto [5], » quod quando electi a peccatis suis exempti per confessionem ad sanctitatem pertingunt. *Egyptus*, infidelitas, ut in Psalmis : « Joseph cum exiret de terra Ægypti : linguam meam [6], » etc., quod populus Christianus, exiens de tenebris infidelitatis, præcepta Novi Testamenti, prius incognita, audivit. *Egyptus*, gentilitas, ut in Evangelio : « Puer Jesus de Judæa translatus est in Ægyptum [7], » quod relicto populo Judæorum ad gentes fides incarnationis Christi pervenit. *Egyptus*, infernus, ut in Exodo [8] per immolationem agni, Israel liberatus est de Ægypto, quod per passionem Christi electi reducti sint de inferno.

Elatæ sunt palmarum spirituales triumphi, ut in Cantico : « Comæ ejus sicut elatæ palmarum [9], » quod perfecti, qui Christo capiti vicinius inhærent, vitia tentantia viriliter vincunt.

Electrum est Christus, ut in Ezechiele : « De medio ejus, quasi species electri [10], » quod in novissimo die apparebit judex vivorum et mortuorum Jesus Christus, qui Deus est et homo est, sicut ex auro et argento electrum miscetur.

Emulatio est bona, ut in Cantico : « Dura sicut infernus æmulatio [11], » quod sancti viri per bonum zelum graviter uruntur. *Emulatio* mala, ut in Psalmis : « Noli æmulari in malignantibus [12] ; » id est, non te pigeat, quod malis similis non es. *Emulatio*, bonum exemplum, ut in Paulo : « Et * nostra æmulatio provocavit multos [13], » id est, bonum nostrum exemplum excitavit plurimos.

Emunctoria sunt duo Testamenta, ut in Exodo : « Emunctoria fiant ex auro purissimo [14], » quod utrumque Testamentum claritate sapientiæ splendet.

Ensis est rigor continentiæ, ut in Cantico : « Uniuscujusque ensis super femur * tuum [15], quod electi per rigorem continentiæ mortificant membra sua, quæ sunt super terram. *Ensis*, acumen prædicationis, ut in libris Regum : « Accinctus est David ense suo [16] ; » quod ad debellandam impietatem diaboli armatus est prædicatione sua Christus.

Engadi, fons edi, et est baptismus, ut in Cantico : « Dilectus meus mihi in vineis Engadi [17], » id est, Christus, quem diligo, in illis spiritualiter apparet, qui baptismo loti sunt. *Engadi*, pœnitentia, ut in libris Regum : « Ecce David habitat in locis tutissimis Engadi [18], » quod Christus in illis habitat, quos pœnitentia securos reddit.

Equus est humanitas Christi, ut in Apocalypsi : « Ecce equus albus [19], » id est, caro Christi omni sanctitate * fulget. *Equus*, quilibet prædicator, ut in Job : « Nunquid præbebis equo fortitudinem [20] ? » quod solus Deus fortitudinem boni operis prædicatori conferre videtur. *Equus*, quilibet impius, ut in Cantico : « Equum et ascensorem projiciet in mare [21] ; » quod Dominus impium quemlibet, et eum, qui ei dominatur, diabolum, demergit in infernum. *Equus*, hoc præsens sæculum, ut in Genesi : « Mordens ungulas equi [22], » quod crudelitatem suam Antichristus exercebit in fine sæculi. *Equus*, corpus hominis, ut in Parabolis : « Equus paratus ad diem belli [23], » id est, corpus discrimini mortis oblatum. *Equus*, honor sæcularis, ut in Psalmis : « Fallax equus ad salutem [24], » quod honor mundanus homini salutem conferre non valet. *Equus* cæcus persecutor, ut in Apocalypsi : « Et ecce equus rufus [25] : » quod persecutores sanctorum crudeles erant. *Equus*, forma hæreticorum, ut in Apocalypsi : « Et ecce equus niger [26], » quod hæretici per erroris turpitudinem nigrescunt. *Equus*, Antichristus, ut in Apocalypsi : « Et ecce equus pallidus [27], » quod Antichristi superbia, quantacunque magna fuerit, deficiet in fine. *Equus*, libidinosus quilibet, ut in Psalmis : « Nolite fieri sicut equus et mulus [28] ; » id est, nolite esse luxuriosi et infructuosi. Per *equos* apostoli, ut in Exodo : * « Misisti in mare equos tuos, » id est, in mundum universum prædicatores tuos. Per *equos* superbi et divites, ut in Isaia : « Væ qui descendunt in Ægyptum, equis sperantes [29] ; » id est, væ iis, qui nimis amant mundum, in substantiis abundantibus confidentes. Per *equos* opera, ut in Apocalypsi : « Sequebantur eum in equis albis [30] ; » id est, passionem suam imitabantur sancti in operibus suis. Per *equos*, cogitationes, ut in Deuteronomio : « Rex non multiplicabit sibi equos [31], » id est, * prælatus superbos non habebit cogitatus. *Equus*, quilibet sanctus, ut in Job : « Deridet equum et ascensorem ejus [32], » quod diabolus in simulatoribus suis quemlibet virum sanctum, et qui ei dominatur, Deum contemnit.

Erugo est superbia, ut in Evangelio : « Ubi erugo demolitur [33] ; id est, nolite in opere vestro hominibus placere, et id per superbiam amittere.

Eruca est luxuria, ut in Joele : « Residuum erucæ

Gen. XXXVI, 31. [2] Jer. XLIX, 20. [3] Ezech. XXV, 14. [4] Gen. XXVI, 2. [5] Psal. CXIII, 1. [6] Psal. LXXX, 6. [7] Matth. II, 13, 14. [8] Exod. XII et XIV, 24 et seqq. [9] Cant. V, 11. [10] Ezech. I, 4. [11] Cant. VIII, 6. [12] Psal. XXXVI, 1. [13] II Cor. IX, 2. [14] Exod. XXV, 38. [15] Cant. III, 8. [16] I Reg. XXV, 3. [17] Cant. I, 14. [18] I Reg. XXIV, 1. [19] Apoc. VI, 2. [20] Job XXXIX, 22. [21] Exod. XV, 1. [22] Gen. XLIX, 17. [23] Prov. XXI, 31. [24] Psal. XXXII, 17. [25] Apoc. VI, 4. [26] Ibid. v. 5. [27] Ibid. v. 8. [28] Psal. XXXI, 9. [29] Isa. XXXI, 1. [30] Apoc. XIX, 14. [31] Deut. XVII, 16. [32] Job XXXIX, 21. [33] Matth. VI, 19, 20.

Digitized by Google

comedit locusta [1], » quod pravus quilibet, quando luxuriam deserit, statim de castitate superbit.

Erinacii sunt pœnitentes, ut in Psalmis : « Petra refugium * erinacis [2], » quod Christus misericorditer suscipit pœnitentes. *Ericius* vitium est excusationis, ut in Isaia : « Ibi habuit * formam ericius [3], » quod in pravo homine vitium excusationis latet.

Es est fortitudo angelorum, ut in Job : * « Quasi solidissimi quasi ære fusi sunt [4], » quod in magna fortitudine confirmati sunt. *Es*, bona actio, ut in Exodo : « Aurum et argentum, et æs [5] ; id est, sapientiam, et prædicationem, et bonam actionem. *Es*, cor insensibile, ut in Job : « Nec caro mea ænea est [6], » id est, cor meum * insensibile non est. *Es*, damnatio, ut in Job : « Irruit in arcum æreum [7], » id est, irruit in æternam damnationem. Et robur incorruptionis, ut in Ezechiele : « Ecce vir, cujus (erat) species, quasi species æris [8], » quod Christus omni fortitudine incorruptionis roboratus est. *Es*, roboratio, ut in Ezechiele : « Quasi aspectus æris candentis [9], » id est, prædicationis accensæ.

Esebon, cingulum mœroris, et est Ecclesia sancta, ut in Cantico : « Oculi tui sicut piscinæ in Esebon [10], » quod prædicatores baptizant in Ecclesia. *Esebon*, cor compunctum, ut in libro Numeri : « Ignis egressus de Esebon [11], » id est, amor Dei de corde compuncto procedit

Esca, corpus Christi, ut in Psalmis : « Escam dedit timentibus se [12], » id est, carnem suam dedit iis qui timent eum. *Esca* refectio patriæ cœlestis, ut in Job : « Inde contemplatur escam [13], » quod speculatur quanta est satietas in cœlo. *Esca*, simplex doctrina, ut in Psalmis : « Qui dat jumentis escam ipsorum [14], » id est, impertit idiotis doctrinam eis congruentem. *Esca*, desiderium, ut in Psalmis : « Dat illis escam in tempore [15], » id est, ut * placeat desiderium eorum. *Esca*, quilibet sanctus, ut in propheta : « Esca ejus electa, » quod et virum sanctum incorporare diabolus studet. Per *escam*, sacrificia legis : ut in Paulo : « Non escis, quæ non profuerunt sperantibus in illis [16], » id est, non umbratitiis sacrificiis, quæ non profuerunt confidentibus in illis.

Estas est regnum Dei, ut in Evangelio : « Scitis quoniam prope est æstas [17], » id est regnum Dei. *Estas* vita præsens, ut in Parabolis : « Præparat in æstate cibum [18], » id est, spiritualem in præsenti vita refectionem. *Estas*, dies judicii : ut in Parabolis : « Mendicabit in æstate, et non dabitur ei [19], * » in die judicii vitæ subsidium postulabit, et non percipiet. *Estas*, perfectus quilibet, ut in Psalmis : « Æstatem et ver tu plasmasti [20], » id est, perfectos, tu formasti et insipientes.

Ethera sunt angeli, ut in Parabolis : « Quando ethera firmabit sursum [21], » id est, quando in superna civitate angelos confirmabit. *Ethera*, patres Novi Testamenti, ut in Job : « Contemplare ethera, quod celsior sit te [22], » id est, * in patribus Novi Testamenti, quod Deus te sublimior.

Eternum est quod principio caret et fine, ut in libro Ecclesiastico : « Qui vivit in æternum, creavit omnia simul [23], » et invisibilium naturam, et visibilium materiam * in angelis fecit. *Eternum* est, quod habet initium, sed fine caret, ut in Psalmis : « Misericordias Domini in æternum cantabo [24], » quod electi misericordias Domini cantare incipient, sed nunquam desinent. *Eternum*, pro præsenti sæculo, ut in cantico Exodi : « Dominus regnabit in æternum et ultra [25], » id est, in hoc sæculo et in futuro.

Ethiopia, mundus iste, ut in Job : « Non adæquabitur ei topazion de Ethiopia [26], » quod nullus de hoc mundo, quantumlibet splendidus fuerit, comparari potest Christo, qui est Patris sapientia. *Ethiopia*, gentilitas, ut in Psalmis : « Ethiopia præveniet manus ejus Deo [27], » quod populus Judaicus præveniet. *Ethiopia*, cœtus reproborum, ut in Habacuc : « Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ [28], » id est, contemplatus sum latitudinem reproborum pro iniquitate esse damnatam.

Ethiopes sunt peccatores, ut in Psalmis : « Coram illo procident Ethiopes [29], » id est, pœnitendo coram eo prosternent se peccatores.

Exactor est diabolus, ut in Job : « Non exaudierunt vocem exactoris [30], » id est, non consenserunt suggestioni diaboli tentatoris. *Exactor*, concupiscentia ventris, ut in Job : « Clamorem exactoris non exaudit [31] » id est, ventris concupiscentiæ non immoderate obedit. *Exactor*, consuetudo prava, ut in Isaia : « Quomodo cessavit exactor [32] ? » id est, per quem actum est ut violenta peccati consuetudo cesset ?

Exploratores sunt reprehensores, ut in Genesi : « Exploratores estis ; ut videretis infirmiora terræ, venistis [33], » quod iniquorum proprium esse solet, ut aliorum vitia explorent, si forte aliqua in eis infirma deprehendant quæ accusent. *Exploratores*, duo Testamenta, ut in Josue : « Misit Josue ad Jericho exploratores [34], » quod Christus duo Testamenta ad Ecclesiam destinavit. *Exploratores*, prædicatores, ut in libro Numeri : « Reversi sunt exploratores terræ [35], » quod prædicatores prædicatione sua redeunt ad semetipsos

Exercitus est multitudo angelorum, ut in libris Regum : « Omnem exercitum cœli assistentem ei [36], » quod multitudo angelorum Deo assistit. *Exercitus*, cœtus dæmonum, ut in cantico Exodi : « Et exerci-

[1] Joel. I, 4. [2] Psal. CIII, 18. [3] Isa. XXXIV, 15. [4] Job XXXVII. [5] Exod. XXV, 3. [6] Job VI, 12. [7] Job XX, 24. [8] Ezech. XL, 3. [9] Ezech. I, 7. [10] Cant. VII, 4. [11] Num. XXI, 28. [12] Psal. CX, 5. [13] Job XXXIX, 32. [14] Psal. CXLVI, 9. [15] Psal. CXLIV, 15. [16] Heb. XIII, 9. [17] Matth. XXIV. 32. [18] Prov. VI, 8. [19] Prov. XX, 4. [20] Psal. LXXIII, 17. [21] Prov. VIII, 28. [22] Job XXXV, 5. [23] Eccli. XVIII, 1. [24] Psal. LXXXVIII, 1. [25] Exod. XV, 18. [26] Job XXVIII, 19. [27] Psal. LXVII, 32. [28] Hab. III, 7. [29] Psal. LXXI, 9. [30] Job III, 18. [31] Job XXXIX, 10. [32] Isa. XIV, 4. [33] Gen. XLII, 9. [34] Jos. II, 1. [35] Num. XIII, 26. [36] III Reg. XXII, 19.

Digitized by Google

tum ejus dejecit in mare [1]; » quod Deus multitudinem dæmonum damnavit in inferno. *Exercitus*, vitia, ut in Job : « Et ululatum exercitus [2], » id est, strepitum vitiorum. Per *exercitum*, sancti martyres, ut in Apocalypsi : « Exercitus, qui sunt in cœlo, sequebantur eum [3], » id est, martyres qui erant in mundo, imitabantur Christum.

Exitus sunt defectus, ut in Evangelio : « Ite ad exitus viarum [4], * » illos vocate qui in bono opere sunt fortes. *Exitus*, compunctiones, ut in Psalmis : « Exitus aquarum deduxerunt oculi mei [5], » id est, compunctiones fletuum. *Exitus*, relictio peccati, ut in Psalmis : « In exitu Israel de Ægypto [6], » id est, quando electus deserit peccatum suum, et recedit ab eo.

F

Faretra.	*Frumentum.*	*Fundamentum.*
Facies.	*Fovea.*	*Finis.*
Fasciculus.	*Flamma*	*Fulgor.*
Ficus.	*Farina.*	*Flumina.*
Filia.	*Fragma.*	*Fluvius.*
Firmamentum.	*Favus.*	*Fumus.*
Fiscella.	*Favilla.*	*Forceps.*
Flos.	*Femur.*	*Fortitudo.*
Foramen.	*Feminalia.*	*Funis.*
Fortis.	*Fenestra.*	*Fur.*
Frons.	*Faber.*	*Fructus.*
Ferrum.	*Festuca.*	*Fossa.*
Frenum.	*Fiala.*	*Fex.*
Frigia.	*Filius*	*Fames.*
Fulgur.	*Filia.*	*Frater.*
Fulmen.	*Fimbria.*	*Framea.*
Fluctus.	*Fistula.*	*Fauces.*
Funda.	*Folium.*	*Fel.*
Fluenta.	*Fons.*	*Femina.*
Frigus.	*Ferculum.*	*Fera.*

Faretra est occultum judicium Dei, ut in Job : « Faretram suam aperuit [7], » id est, occultum judicium suum * detraxit. *Faretra*, machinatio pravorum, ut in Psalmis : « Paraverunt sagittas suas in faretra [8], » id est, tractaverunt consilia sua prava in machinatione. *Faretra*, consilia sanctorum, ut in Job : « Super ipsum * sonabit pharetra [9], » id est, ad superandum diabolum consilia sanctorum procedent. *Faretra*, sacra Scriptura, ut in Genesi : « Tolle arma tua, faretram et arcum [10], » id est, sanctificationem videlicet, sacram Scripturam et prædicationem.

Faber est diabolus, ut in propheta : « Ecce ego mittam fabrum sufflantem [11], » id est, permittam diabolum tentantem eos infestare. *Faber*, quilibet obstinatus, ut in Isaia : « Faber conflavit * fasciculam [12], » quod obstinatus quilibet, quod finxit, hoc in corde suo confirmat. *Faber*, adulator, ut in Isaia : « Faber ferrarius lima operatus est [13], » id est, adulator durus * blandiendo locutus est. *Faber*, Christus, ut in Evangelio : « Nonne hic est faber [14]? » quod omnia ipse fabricavit.

Facies est Deus Pater, ut in Evangelio : « Angeli vero eorum semper vident faciem Patris [15], » id est, Deum Patrem intuentur jugiter. *Facies*, Filius, ut in Psalmis : « Usquequo avertis faciem tuam a [me?] [16] » id est, quandiu differs mittere Christum, quem missurus es? *Facies*, præsentia Dei, ut in Psalmis : « Ne avertas faciem tuam a [me,] [17] » id est, ne deneges in futuro mihi præsentiam tuam. *Facies*, notitia Dei, ut in Psalmis : « Quærite faciem ejus semper [18], » id est, desiderate omni tempore pertingere ad cognitionem Dei. *Facies*, benevolentia Dei, ut in Psalmis : « Ne projicias me a facie tua [19], » id est, non sinas me innovatum ejici a facie tua, id est, a benevolentia tua. *Facies*, scientia Dei, ut in Psalmis : « Avertit faciem suam, ne videat in finem [20], » id est, non habet scientiam qua possit scire mala nostra. *Facies*, protectio Dei, ut in Habacuc : « Ante faciem ejus ibit mors [21], » id est, ubi protegit Deus, ibi diabolus prævalere non potest. *Facies*, animadversio Dei, ut in Job : « Tunc a facie tua non abscondar [22], » id est, si talis fuero, animadversionem tuam non timeo. *Facies*, unusquisque fidelis a Domino cognoscitur. Unde dicitur in Ezechiele quatuor Evangelistis, sub specie quatuor animalium : « Quatuor facies uni erant, et quatuor pennæ uni [23], » quod nimirum eadem fides contemplationis, et par contemplatio divinitatis erat in singulis, quæ et in omnibus. *Facies*, Ecclesia, ut in Apocalypsi : « Facies sicut sol lucet in virtute sua [24], » quod sancta Ecclesia a Christo illuminatur, et filios illuminat ad imitationem Christi. *Facies*, cor hominis, ut in Job : Levabis faciem tuam ad Deum [25], » id est, eriges ad Deum cor tuum. *Facies*, intentio, ut in Job : « Operuit faciem ejus crassitudo [26], » id est, nimia abundantia corrupit intentionem ejus. *Facies*, conscientia, ut in Evangelio : « Tu cum jejunas, unge caput tuum [27], » id est, exhilara mentem tuam, « et faciem tuam lava, » id est, conscientiam tuam nuda. *Facies*, prædicator quilibet, ut in Job : « Facies mea intumuit a fletu, [28] » id est, prædicatores mei impleti sunt luctu. *Facies*, bona actio, ut in Cantico : « Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis [29]; » ostendatur Domino facies bene operando, ostendatur et vox salubriter prædicando. *Facies*, vetus lex, ut in Exodo : « Posuit velamen super * faciem suam [30], » quod vetus lex * velamine tecta est. *Facies*, præsentia Antichristi, ut in Job : « Faciem ejus præcedit egestas [31]; » quod appropinquante adventu Antichristi, inopia sanctitatis erit in mundo.

Fasciculus est passio Christi, ut in Cantico : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi [32], » id est, Christus præponit mihi in exemplum passionem mortis suæ. Per *fasciculum* peccata, ut in Isaia :

[1] Exod. xv, 4. [2] Job xxxix, 28. [3] Apoc. xix, 14. [4] Matth. xxii, 9. [5] Psal. cxviii, 136. [6] Psal. cxiii, 1. [7] Job xxx, 11. [8] Psal. x, 2. [9] Job xxxix, 26. [10] Gen. xxvii, 3. [11] Isa. liv, 16. [12] Isa. xl, 19. [13] Isa. xliv, 12. [14] Marc. vi, 3. [15] Matth. xviii, 10. [16] Psal. xii, 1. [17] Psal. xxvi, 9; ci, 3; cxlii, 7. [18] Psal. civ, 4. [19] Psal. l, 13. [20] Psal. ix, 32. [21] Hab. iii, 5. [22] Job xiii, 20. [23] Ezech. i, 6. [24] Apoc. xvii, 16. [25] Job xxii, 26. [26] Job xv, 17. [27] Matth. vi, 17. [28] Job xvi, 16. [29] Cant. ii, 14. [30] Exod. xxxiv, 33. [31] Job xli, 13. [32] Cant. i, 13.

Digitized by Google

« Solve fasciculos deprimentes [1], » id est, abjice a te peccata, quæ te premunt. Per *fasciculum* conventicula damnatorum, ut in Evangelio : « Alligate fasciculos ad comburendum [2], » quod, qui hic pares fuerunt in culpa, ibi pares erunt in pœna.

Falx est divinum judicium, ut in Apocalypsi : « Et in manu sua falcem acutam [3], » quod Christus in sua potestate habet judicium strictum. *Falx*, mors, ut in Evangelio : « Statim mittit falcem [4], » quod adest tempus, quoniam electus quilibet, quando ad perfectam sanctitatem pervenit, ad cœlestem requiem per mortem subtrahitur.

Flamma est cognitio, ut in Exodo : « Apparuitque ei Deus in flamma ignis [5], » id est, in cognitione legis. *Flamma*, quilibet prædicator, ut in Apocalypsi : « Oculi ejus sicut flamma ignis [6], » quod B sancti prædicatores alios inflammant et incendunt. *Flamma*, voluptas, ut in Job : « Ramos ejus arefaciet flamma [7], » id est, opera ejus destruet voluptas. *Flamma*, gloria temporalis, ut in Job : « Nec splendebit flamma ignis ejus [8], » id est, non durabit gloria voluptatis ejus. *Flamma*, vehementia mali desiderii, ut in Psalmis : « Vox Domini intercidentis flammam ignis [9], » id est, prædicatio Christi destruentis fervorem malæ cupiditatis. *Flamma*, instigatio diaboli, ut in Job : « Et flamma de ore ejus egredietur [10], » quod a diabolo instigatio ad malum procedit. Per *flammam* bona prædicatio, vel bona exempla, ut in Cantico : « Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum [11], » quod sancti viri et in Deo ardent et aliis bona exempla præbent. C

Fames est inopia virtutis, ut in Job : « Attenuetur fame robur ejus [12], quod impius quilibet propter inopiam sanctitatis spiritualem fortitudinem non habet. *Fames*, tentatio, ut in Job : « In fame te eruet a morte [13], » id est, in tentatione te proteget, ne consentias. *Fames*, taciturnitas mala, ut in propheta : « Non famem panis, sed audiendi verbum Dei [14]. »

Farina est munda cogitatio, ut in Osea : « Non est in eo germen, et non faciet farinam [15], » id est, non est in eo desiderium bonum, et non est in eo cor mundum. *Farina*, anima, ut in Genesi : « Tria sata farinæ commisce [16], » id est, animæ tuæ memoriam, rationem, voluntatem ad unam concordiam D redige. *Farina*, cogitatio iniqui, ut in Isaia : « Tolle molam, mole farinam [17], » id est, circuitus exteriorum curarum sume, et nunquam in te cogitationem exerce.

Fratris appellatione Christus intelligitur, ut in Cantico de Synagoga in fine mundi convertenda : « Quis mihi det fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris et deosculer te, etiam A nemo te despiciet [18]; » ac si dicat : Utinam mihi aliquis Christum ostenderet, qui de Judæis secundum carnem natus est. Doctores legis quibusque sabbatis audivit, ut eum verum hominem intelligens ejus pacem plenam inveniam, et gentilitas me excæcatam et reprobatam ulterius minime dicat. *Frater*, quilibet Christianus, ut in Paulo : « Si quis frater nominatur [19], » id est, si quis pro Christiano habetur. *Frater*, quilibet bonus homo, ut in Evangelio : « Si quis fecerit vocem Patris mei, ipse meus frater est [20]. » Per *fratres* apostoli, ut in Evangelio : « Vade ad fratres meos [21]; » id est, ad discipulos meos. Per *fratres* cognati Christi, ut in Evangelio : « Ecce mater tua et fratres tui foris stant [22]. » Quatuor modis dicuntur fratres : natura, ut Esau et Jacob [23], gente, ut omnes Judæi [24], cognatione, ut Abraham et Lot [25], affectu, ut omnes qui fidem invicem servant [26].

Fragmen est passio Christi, ut in Cantico : « Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ [27], » quod Christi passionem sancti ejus martyres imitantur. Per *fragmen* secretiora legis, ut in Evangelio : « Colligite quæ superaverunt fragmenta [28], » quod secretiora legis, quæ minores capere non possunt, doctores apud se servare debent.

Framea est Christus, ut in Psalmis : « Effunde frameam [29], » id est, notifica Christum mundo, per quem debellatus es hostem antiquum. *Framea*, anima, ut in Psalmis : « Frameam tuam ab inimicis manus tuæ [30], » id est, animam ab impiis eripe. *Framea*, mors, ut in Psalmis : « Erue a framea [31], » id est, erue a morte, « Deus, animam meam. » Per *frameam* tentationes, ut in Psalmis : « Inimici defecerunt frameæ [32], » id est, tentationes diaboli enervatæ sunt per Christum.

Favus est divinitas, ut in Evangelio : « Partem piscis assi et favum mellis [33], » quod passionis modo exemplum præbens nobis, divinitate sua nos in resurrectione reficiet. *Favus*, humanitas Christi, ut in Cantico : « Comedi favum cum melle meo [34], » id est, credidi maximam esse humanitatem cum divinitate. *Favus*, litteralis intellectus, ut in Parabolis : « Et favus dulcis gutturi meo [35], » id est, littera sacræ Scripturæ suavissima cordi meo. Item *favus*, in quo latet mel, sacra est Scriptura, quæ continet spiritualem sensum in littera, unde Salomon : « Comede mel, * fili, et favum dulcissimum gutturi tuo [36], * » doctrina prædicationis; unde : « Favus distillans labia tua [37], » id est, prædicatio instruens procedit a prædicatoribus tuis, o Ecclesia ! *Favus*, voluptas mundi, ut in Parabolis : « Anima saturata calcabit favum [38], » quod ille, * per quem interna refectio per contemplationem satiat, mundialem pene voluptatem contemnit.

[1] Isa. LIII, 6. [2] Matth. XIII, 20. [3] Apoc. XIV, 14. [4] Marc. IV, 29. [5] Exod. III, 2. [6] Apoc. I, 14. [7] Job XV, 30. [8] Job XVIII, 5. [9] Psal. XXVIII, 7. [10] Job. XLI, 12. [11] Cant. VIII, 6. [12] Job XVIII, 12. [13] Job V, 20. [14] Amos VIII, 11. [15] Ose. VIII, 7. [16] Gen. XVIII, 6. [17] Isa. XLVII, 2. [18] Cant. VIII, 1. [19] I Cor. V, 11. [20] Matth. XX, 50. [21] Marc. III, 35. [22] Matth. XII, 47. [23] Gen. XXV, 24, 25. [24] Rom. IX, 3, 4. [25] Gen. XII, 5. [26] I Reg. XVIII, 1; II Reg. I, 26. [27] Cant. IV, 3. [28] Joan. VI, 12. [29] Psal. XXXIV, 3. [30] Psal. XVI, 13, [31] Psal. XXI, 21. [32] Psal. IX, 7. [33] Luc. XXIV, 42. [34] Cant. V, 1. [35] Prov. XXIV, 13. [36] Ibid. [37] Prov. V, 3. [38] Prov. XXVII, 7.

Digitized by Google

Fauces sunt scientiæ, ut in Job : « Et fauces comedentis, saporem [1] ? » quod scientiæ legentis internam sapientiam discernunt. *Fauces*, meditationes cordis, ut in Psalmis : « Quam dulcia faucibus meis [2], » id est, suaves sunt Scripturæ suæ meditationibus meis. *Fauces*, verba, ut in Job : « Nec in faucibus meis stultitia personabit [3], » id est, insipientia in verbis meis non audietur.

Favilla est recordatio mortalitatis, ut in Job : « Ago pœnitentiam in favilla et cinere [4], » id est, in recordatione mortalitatis meæ. *Favilla*, mens iniqua, ut in Job : « Sicut favilla, quam turbo dispergit [5], « quod pravam mentem tentatio destruit.

Fel est persuasio dæmonum, ut in Job : « In fel aspidum intrinsecus [6], » id est, in persuasione dæmonum in mente. *Fel*, infidelitas, ut in Psalmis : « Dederunt in escam meam fel [7], » id est, Judæi, infidelitatis amaritudine cibaverunt me. *Fel*, malitia diaboli, ut in Tobia : « Exentera hunc piscem, et fel repone tibi [8], » quod Dominus diabolum detexit, et ejus malitiam sacris libris involvit.

Femur est humanitas Christi, ut in Psalmis : « Accingere gladio tuo supra femur tuum [9], » id est, viriliter utere verbo prædicationis contra mundum, qui * est potentissimus et in assumpta humanitate. *Femur*, sancti, dicente Joanne in Apocalypsi de Christo : « Et habet in vestimento et femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium [10], » nam caro Christi, quam ad dexteram Patris collocavit, et sancti, divini verbi semine procreati, * ab ipso videlicet testimonium perhibent, quod data sit ei potestas super bonos et malos. *Femur*, progenies, ut in Genesi : « Animæ, quæ exierunt de femore Jacob [11], » id est, homines de progenie Jacob. *Femur*, carnis delectatio, ut in Exodo : « Ponat vir gladium suum [12], » id est, per rigorem mortificet cor suum.

Femina est affectus carnalis, ut in Exodo : * « Si femina, reservate [13], » quod diabolus carnales affectus desiderat refoveri. *Femina*, pro sexu accipitur, ut in Genesi : « Masculum et feminam fecit eos [14], » quod duplici sexu, masculino videlicet et feminino, genus humanum distinxit.

Feminalia sunt insignia castitatis, ut in Exodo : « Facies et feminalia linea [15], » quod ad nitorem nos castitatis lex invitat.

Fenum est res transitoria, ut in Isaia : « Omnis caro fenum [16], » id est, omnis homo transitorius est. *Fenum*, temporalia subsidia, ut in Psalmis : « Producens fenum jumentis [17], » quod inferior turba subsidia temporalia cultoribus suis ministrat. *Fenum*, simplex quilibet in fide, ut in Apocalypsi : « Ne læderent fenum terræ [18], » id est, ne impedirent rudes in fide, « neque omne viride, neque omnem arborem : » id est, provectos et perfectos. *Fenum*, opus bonum, ut in Genesi : « Producat terra * fenum viride [19], » id est, proferat anima devota bonam actionem. *Fenum*, carnalis quilibet, ut in Job : « Ecce behemoth fenum quasi bos comedit [20], » quod diabolus, qui in flagellum tibi formatur, in vita carnalium quasi fatuus delectatur.

Fenestra est * hominis, ut in libro Josue : « Appendit funiculum coccineum in fenestra [21], » quod sancta Ecclesia passionem Christi in ore prædicare non cessat. *Fenestra*, fidelis, ut in libris Regum : « Aperi fenestram orientalem [22], » id est, fidem habe in te Christianam. Per *fenestram*, miracula Christi, ut in Cantico : « Prospiciens per fenestras [23], » quod per miracula, quæ foris gessit, ad nos latens ejus divinitas exivit. Per *fenestras*, doctores Ecclesiæ, ut in libris Regum : « Fecit Salomon in templo fenestras [24]; » quod Christus in Ecclesia doctores instruxit. Per *fenestras*, intimæ contemplationes, ut in Ezechiele : *Fecit* fenestras obliquas in thalmis [25], quod intimas Dominus in mentibus electorum suorum * contemplationis ponit. Per *fenestras* sensus cordis, ut in Isaia : « Quasi columbæ ad fenestras suas [26], » quod viri sancti sensus suos exteriores simplices et a peccato innoxios servant.

Fera est sævitia Judæorum, ut in Genesi : « Fera pessima devoravit Joseph [27], » id est, sævitia Judæorum occidit Christum. Per *feram* gentilitas, ut in Psalmis : « Meæ sunt omnes feræ silvarum [28], » id est, gentes in me credent per orbem terrarum.

Fermentum est charitas, ut in Evangelio : « Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ tribus satis, donec fermentatum esset totum [29]. » Regnum cœlorum sancta est Ecclesia, in qua spiritualiter ista similitudo completur. Christus enim, Dei virtus et Dei sapientia, accepit a Patre * Domini charitatis, quam dedit tribus fidelium ordinibus : ut * diligenter Deum et proximum juxta litteram. *Satum* est genus mensuræ vel * *Mulier*, caro Christi. *Fermentum*, Evangelium. *Tres mensuræ*, omnes gentes, * propter tres filios Noe. *Fermentum*, elatio, ut in Paulo : « Modicum fermentum totam massam corrumpit [30], » quod prava electio multa bona destruit. *Fermentum*, simulatio, ut in Evangelio, « Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis [31], id est, nolite fidem, quam verbis prædicatis, simulatis virtutibus palliare. *Fermentum*, malitia, ut in Paulo : « Expurgate vetus fermentum [32], » id est, a vetustate malitiæ vos emundate. *Fermentum*, appetitus laudis,

[1] Job XII, 11. [2] Psal. CXVIII, 103. [3] Job VI, 30. [4] Job XLII, 6. [5] Job XXI, 18. [6] Job XX, 14. [7] Psal. LXVIII, 22. [8] Tob. VI, 5. [9] Psal. XLIV, 4. [10] Apoc. XIX, 16. [11] Gen. XLVI, 26. [12] Exod. XXXII, 27. [13] Exod. I, 16. [14] Gen. I, 27. [15] Exod. XXVIII, 42. [16] Isa. XL, 6. [17] Psal. CIII, 14. [18] Apoc. IX, 4. [19] Gen. I, 1. [20] Job. XL, 10. [21] Jos. II, 18, 21. [22] IV Reg. XIII, 17. [23] Cant. II, 9. [24] III Reg. VI, 4. [25] Ezech. XL, 16. [26] Isa. LX, 8. [27] Gen. XXXVI, 20. Psal XLIX, 10. [28] Matth. XIII, 33. [29] I Cor. V, 6. [30] Matth. VIII, 15. [31] Luc. XII, 1. [32] I Cor. V, 7.

Digitized by Google

ut in Levitico : « Panes absque fermento [1], » id est, opera bona, sine appetitu laudis humanæ.

Ferrum est donum intellectus, ut in libris Regum : « Natavitque ferrum, et ait, Tolle [2]. » Ad cor humiliatum donum intellectus redit, quod per elationem amissum fuerat. *Ferrum*, prædicatio, ut in Job : « Reputabit quasi paleas ferrum [3], » quod diabolus in mentibus suis prædicationis jaculum, quasi aliquid contemtile esset, æstimabit. *Ferrum*, tribulatio, ut in Psalmis : « Ferrum pertransit animam ejus [4], » id est, dura tribulatio depressit vitam ejus. *Ferrum*, dura consuetudo peccati, ut in Psalmis : « Vinctos in mendicitate et ferro [5], » quod in indigentia spirituali et dura consuetudine fuerunt. *Ferrum*, viri sancti, ut in Job : « Ferrum de terra tollitur [6], » quod qui mollis et carnalis erat, jam spiritualis et robustus effectus est. *Ferrum*, sermo durus, ut in Deuteronomio : « Ferrumque lapsum de manubrio amicum percussit [7], » quod sermo durus indiscrete prolatus auditorem offendit. *Ferrum*, spiritualis fortitudo, ut in Ezechiele : « Et tu, sume tibi sartaginem ferream [8], » quod prælatus quilibet spiritualem in zelo suo fortitudinem exercere debet. *Ferrum*, necessitas vitæ præsentis, ut in Job : « Fugiet arma ferrea; et irruet in arcum æreum [9]; » quod iniquus quilibet, dum vitæ præsentis asperitatem pro Deo tolerare refugit, in æternam damnationem ruit. *Ferrum* nequitia pravorum, ut in Job : « Cartilago ejus velut laminæ ferreæ [10], » quod iniqui per duram nequitiam bonos premunt.

Ferculum est virgo Maria et sancta Ecclesia, et fidelis anima, et cœlestis patria, ut in hoc uno exemplo, de quo in Cantico : « Ferculum fecit sibi rex Salomon ad ligna Libani [11] ; » quod Christus et corpus virginis ex membris incorruptibilibus compactum elegit, et sanctam Ecclesiam ex viris sanctis construxit, et animam humanam ex mundis cogitationibus exornat, et supernam patriam ex civibus bonis consistentem lætificat.

Frenum est ignorantia, ut in Isaia : « Et frenum erroris, quod erat in maxilla populorum [12], » id est, ignorantia quæ erat in corde hominum. *Frenum*, silentium, ut in Job : « Frenum posuit in os meum [13]. » *Frenum* afflictio carnis, ut in Psalmis : « In camo et freno maxillas eorum constringe [14], » id est, in rigore et afflictione corda eorum humilia.

Festuca est perturbatio mentis, ut in Evangelio : « Videbis ejicere festucam de oculo fratris tui [15], » id est, poteris in alio reprehendere commotionem cordis.

Fex est littera legis, ut in Psalmis : « Fex ejus non est exinanita [16], » quod carnalis adhuc littera apud Judæos est retenta. Per *fecem* peccata, ut in propheta : « Requievit in fecibus suis [17]. »

Fiala est anima humana, ut in libro Judicum : « In fiala obtulit principi butyrum [18], » quod in anima nostra ad destruendum mundi principem habere debemus charitatem. Per *fialam* doctores, ut in Exodo : « Parabis acetabula et fialas [19], » quod Dominus ad sanctam Ecclesiam apostolos et doctores misit.

Ficus est suavitas mentis, ut in Propheta : « Corrumpam vineam et ficum ejus [20], » quod in necessitate nonnunquam hominis Deus et contemplationem et suavitatem corrumpi permittit. *Ficus*, genus humanum, ut in Evangelio : « Arborem fici quidam habuit plantatam [21], » quod humani generis naturam Deus a se habet creatam. *Ficus*, sancta Ecclesia, ut in Cantico : « Ficus protulit grossos suos [22], » id est, sancta Ecclesia protulit martyres suos. *Ficus*, populus Judaicus, ut in cantico Habacuc : « Ficus enim non florebit [23], » id est, Judaicus populus nitorem fidei non habebit. *Ficus*, umbra legis, ut in Evangelio : « Cum esses sub ficu, vidi te [24], » id est, positum sub umbra legis, elegi te. *Ficus*, mens humana, ut in Joele : « Decorticavit ficum meam [25], » id est mentem meam per laudem humanam explicavit. *Ficus*, charitas, ut in Evangelio : « Nunquid colligunt de spinis uvas? aut de tribulis ficus? [26] » *Spinæ et tribuli* hæretici sunt, in quibus spiritualem intelligentiam, aut charitatis dulcedinem nemo invenire potest.

Filius est Christus, ut in Psalmis : « Salvum fac filium ancillæ tuæ [27], » illius videlicet quæ ait : « Ecce ancilla Domini [28]. » *Filius*, quodlibet membrum Ecclesiæ, ut in Evangelio : « Deferebatur unicus mortuus filius matris suæ [29], » quod omnis qui ad vitam pœnitendo redit, filius est Ecclesiæ. *Filius*, populus Judaicus, ut in Evangelio : « Erat senior filius in agro [30] ; » quod vocato ad fidem populo gentili, plebs Judaica in exterioribus per errorem versatur. *Filii alieni* sunt Judæi, qui inveterati sunt, dum in veteri homine remanserunt. *Filii alieni* hæretici sunt, id est, qui prædicant errorem, « quorum os locutum est vanitatem, et dextra eorum, dextra iniquitatis [31]. » *Filius*, populus gentium, ut in Evangelio : « Filius meus mortuus fuerat, et revixit [32], » id est, populus gentilis in mortem cecidit per incredulitatem, redit ad vitam per fidem. Per *filios* angeli, ut in Job : « Quadam die, cum venissent filii Dei [33], » quod boni angeli summi Patris filii sunt. Per *filios* apostoli, ut in Evangelio : « Filii sponsi non possunt lugere [34], » id est, apostoli Christi dolere. Per *filios* Judæi, ut in Evangelio : « Non est bonum, sumere panem filiorum [35], id est, salutem Judæis des-

[1] Lev. II, 4; VII, 12; VIII, 26. [2] IV Reg. VI, 6. [3] Job XLI, 18. [4] Psal. CIV, 18. [5] Psal. CVI, 10. [6] Job XXVIII, 2. [7] Deut. XIX, 5. [8] Ezech. IV, 3. [9] Job. XX, 24. [10] Job. XL, 13. [11] Can. III, 9. [12] Isa. XXX, 28. [13] Job XXX, 11. [14] Psal. XXXI, 9. [15] Matth. VII, 5. [16] Psal. LXXIV, 9. [17] Jer. XLVIII, 11. [18] Jud. V. [19] Exod. XXV, 29. [20] Ose. II, 12. [21] Luc. XIII, 6. [22] Cant. II, 13. [23] Hab. III, 17. [24] Joan. I, 48, [25] Joel. I, 7. [26] Matth. VII, 16. [27] Psal. LXXXV, 16. [28] Luc. I, 38. [29] Luc. VII, 12. [30] Luc. XV, 25. [31] Psal. CXLIII, 8. [32] Luc. XV, 24. [33] Joh I, 60, et II, 1. [34] Matth. IX, 15. [35] Matth. XV, 26.

Digitized by Google

tinatam. Per *filios* viri sancti, ut in Epistola Joannis : « Nunc filii Dei sumus [1], » quod per fidem et bona opera ex Deo nascimur. Per *filios* illi qui de bona vita redeunt ad iniquitatem, ut in Psalmis : « Filii alieni mentiti sunt mihi, et claudicarunt a semitis * tuis [2], » quod a bonis actibus recesserunt et ad peccata redierunt. Per *filios* sequaces aliorum, ut in Job : « Longe fient filii impii a salute [3] ; » quod qui impium quemlibet ad iniquitatem sequuntur, ad veram salutem non pertingunt, juxta id : « Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum conversi sunt in bello [4] ; » quod multi in Ecclesia, qui sequaces fructificantium apostolorum cognominantur, intente Scripturas legunt, contra peccantes tela verborum jaciunt, sed in fervore propriæ tentationis deficiunt. Per *filios* auditores cujuslibet hæretici, ut in Job : « Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt [5], » quod omnes qui hæretici doctrinam suscipiunt, quotquot fuerint, ad damnationem perveniunt. Per *filios* homines a Deo creati, ut in Job : « Orabam filios uteri mei [6], » id est, homines, quos creando genui, ipse homo factus humiliter exoravi. Per *filios*, bona opera, ut in Paulo : « Salvabitur mulier per filiorum generationem [7], » id est, anima fidelis per bonorum operum multitudinem ; item juxta illud : « Et videas filios tuos [8], » id est, præmia bonorum operum. *Filia archisynagogi in domo mortua*, est homo peccans occulte. « Filius viduæ extra portam delatus [9], » est homo, peccans publice. « Lazarus quatriduanus [10], » qui peccat putenti consuetudine.

Filiæ nomine intelligitur Ecclesia, dicente Davide : « Ut annuntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion [11], » id est, ut aliis prædicem omnes laudes tuas in fide et spe et charitate, quibus sancta Ecclesia, quæ nunc « gloria Domini » appellatur * nititur ad Deum facie ad faciem contemplandum. Item, *filiæ Sion* nomine Judæi designantur, dicente primitiva Ecclesia in Cantico : « Egredimini et videte regem Sion, filiæ Jerusalem, Salomon in diademate, quo coronavit eum mater sua [12]. » *Exite*, inquit, o Judæi, qui circa montem habitatis Sion, ab ignorantia infidelitatis, et credite in eum, id est, in Christum, quod Christus rex omnium in illa spinea corona, quam illi imposuit antiqua Synagoga, de qua * secundum carnem natus est, cœlestia et terrestria pacificavit, « in die * dispensationis illius, » in die annuntiationis, quando illi desponsata fuit Ecclesia, subaudi, videte eum, « in die lætitiæ cordis ejus, * » scilicet videte eum, * hoc est, in die resurrectionis ejus : quasi dicat, credite illius incarnationem et passionem et resurrectionem. *Filiæ* nomine caro designatur, ubi dicitur : « Filia Babylonis misera [13], » o caro in confusione vitiorum nutrita, « beatus est qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis, » ut nos ad vitia concitans virtutibus subdi cogatis. « Beatus qui tenebit, » tenebræ ne crescant, « et alliidet [14], * » ne confracti dispereant, « parvulos * suos, » id est, insipientes motus illicitos, qui de te nascuntur, o filia Babylonis, « ad petram, » quod ubi timor Christi radicatur, quidquid illicitum sorgit, citius alliditur. *Filiæ Jerusalem* dicuntur infirmiores in Ecclesia, dicente sponsa in Cantico : « Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani [15] ; » quod Christus Ecclesiam sanctam constituit sibi de fortibus, excelsis, speciosis, odoriferis, imputribilibus, et ad candorem virtutum per omnia nitentibus. Libanus enim *candidatio* dicitur ; Ecclesia *ferculum* vocatur, vel quod Christum per mundum portat, vel quod animas ad cœlestes epulas levat, vel quod Christo * incidet et judicat. « Et columnas ejus fecit argenteas, » quod datores ejus, qui alios sustentarent, divini sermonis claritate instruxit « reclinatorium aureum, » quod quosdam, in quibus ipse caput suum inclinaret et requiesceret, corusca sui contemplatione replevit. « Assensum purpureum, » quod quosdam, quorum exemplum primum ad virtutes, postea ad sancta sanctorum scanderent. Alii ad martyrium promptos efficit, media scilicet ferculi charitate * construit : quod omnem vitam * Ecclesiæ dilectione Dei et proximi decoravit. Quare « propter filias Jerusalem, » id est, propter infirmiores Ecclesiæ : ut qui non possunt ad * perfectum scientiæ contemplationis et patientiæ culmen ascendere, maneant in charitate, et sine dubio pervenient ad epulas vitæ æternæ. Item per *filias* infirmi quilibet, ut in Ecclesiastico : « Filiæ tibi sunt, observa corpus illarum [16]. » *Filia*, anima, ut in Evangelio : « Filia mea a dæmonio male vexata est [17], » id est, anima mea a peccato fatigatur. Per *filias* homines, sæculares, ut in Isaia : « Ambulaverunt filiæ Sion collo extento [18], » quod sæculares infirmati sunt per superbiam.

Fimbria est Christi incarnatio, ut in Evangelio : « Quotquot fimbriam vestimenti ejus tangebant, salvi fiebant [19], » quod omnes qui incarnationem ejus credunt, ad veram salutem pertingunt. Per *fimbrias* conversationes hominum, ut in Psalmis : « In fimbriis aureis gloria ejus [20], » quod in sanctis conversationibus hominum sancta Ecclesia gloriatur. Per *fimbrias* mentes nostræ, ut in libro Numeri : « Ponant filii * in fimbriis suis vittas hyacinthinas [21], » quod animæ Deum per contemplationem videntes, cœlestia desideria in mentibus suis habent.

Firmamentum est profectio Dei, ut in Psalmis : « Firmamentum est Dominus timentibus eum [22], » quod Deus protegit timentes se. *Firmamentum* angelica natura, ut in Ezechiele : « Cum fieret vox super firmamentum, stabant et submittebant alas

[1] Joan. III, 2. [2] Psal. XVII, 45, 46. [3] Job V, 4. [4] Psal. LXXVII, 9. [5] Job XXVII, 14. [6] Job XIX, 17. [7] I Tim. II, 15. [8] Psal. CXXVII, 5. [9] Luc. VII, 12. [10] Joan. XI, 39. [11] Psal. IX, 15. [12] Cant. III, 11. [13] Psal. CXXXVI, 8. [14] Ibid. v. 9. [15] Cant. III, 9. [16] Eccl. VII, 26. [17] Matth. XV, 22. [18] Isa. III, 16. [19] Marc. VI, 56. [20] Psal. XLIII, 14. [21] Num. XV, 38. [22] Psal. XXIV, 14.

Digitized by Google

suas [1], » quod tum illam divinam locutionem, quæ angelorum excedit intellectum, sancti utcunque in mente silenter audiunt, semetipsos in omnibus humiliantes, de suis virtutibus non præsumunt. *Firmamentum*, eminentia Ecclesiæ, ut in Genesi : « Fiant luminaria in firmamento cœli [2], » id est, appareant homines sancti in eminentia Ecclesiæ. *Firmamentum*, ipsa ratio nostra, ut in Genesi : « Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis [3], » quod ratio in nobis esse debet, quæ malas cogitationes a bonis secernit. *Firmamentum*, auxilium temporale, ut in Psalmis : « Omne firmamentum panis contrivit [4], » id est, omnem in eis fortitudinem, per quam juvari deberent, debilitari permisit.

Fistula est suggestio, ut in Daniele : « Cum audieritis sonitum fistulæ, adorate statuam [5]; » quod reprobi diabolo ad ejus suggestionem consentiunt. Per *fistulam*, verba pravorum hominum, ut in Job : « Ossa ejus velut fistulæ æris [6]; » quod verba seductoria pravorum, quo dulcius sonant, eo deterius decipiunt.

Fiscella est virgo Maria : * « Sumpsit fiscellam * cupream, et posuit intus infantulum [7], » quod Deus Pater elegit virginem Mariam, quæ in se concepit Christum.

Folium est verbum Dei, ut in Psalmis : « Et folium ejus non deficiat [8], » quod verbum Dei in æternum manet. *Folium*, ipse homo, ut in Job : « Contra folium, quod vento rapitur [9] », id est, contra hominem, qui motu tentationis rapitur. » *Folium*, instabilitas, ut in Isaia : « Cecidimus quasi folium universi [10], » id est, ut infirmi et instabiles prostrati sumus.

Flos est Christus, ut in Cantico : « Ego flos campi [11], » id est, ego sum gloria Ecclesiæ. *Flos*, decor mundi, ut in libro Sapientiæ : « Non prætereat nos flos temporis [12], » id est, non abjiciamus a nobis decorem sæculi. *Flos*, teneritudo primæ ætatis, ut in Job : « Qui quasi flos egreditur [13], » etc., quod prima ætas hominis ad instar folii floris erumpit. *Flos* hypocritarum laus, ut in Job : « Cum adhuc sit in flore, arescet [14], » quod simulator etiam quandoque in ipsa laude deficit. *Flos*, initium boni operis, ut in Job : « Lædetur quasi vinea, in primo flore botrus ejus, [15], » quod hypocrita in primordiis boni operis per humanam laudem corrumpitur. Per *flores* teneri quique et insipientes, ut in Cantico : « Fulci me floribus [16], » quod inde consolationem anima fidelis accipit, quod alii ad Deum convertuntur.

Fons est Christus, ut in Zacharia : « Fons patens domus David [17], » id est, Christus de domo David incarnatus. *Fons*, æterna beatitudo, ut in Psalmis : « Apud te est fons vitæ [18], » quod cum Deo est æterna felicitas, quæ nunquam per mortem deficit. *Fons*, sancta Ecclesia, ut in Cantico : « Hortus conclusus, fons signatus [19], » quod sancta Ecclesia germina in se virtutum continens, indignis mysteria secreta non revelat. *Fons*, anima humana, ut in Cantico : « Fons hortorum, puteus aquarum viventium [20], » quod in anima sancta habitatio est utilium et vitalium cogitationum. *Fons*, pœna mortalitatis humanæ, ut in Evangelio : « Jesus fatigatus ex itinere sedebat super fontem [21], » quod infirmitate assumpta oneratus in pœna mortalitatis nostræ se humiliari permisit. *Fons*, peccatum avaritiæ, ut in Genesi : « Fons ascendebat de terra, irrigans universam superficiem terræ [22], » quod de mente avari procedit cupiditas, quæ radix est omnium malorum, et neminem pene quietum esse sinit. Per *fontes* prædicatores, ut in Isaia : « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris [23], » id est, percipietis verba salutis de præconibus veritatis. Per *fontes* doctrinæ spirituales, ut in Psalmis : « Emittis fontes in convallibus [24], » id est, doctrinas spirituales tribuis humilibus. Per *fontes* sacræ Scripturæ, ut in Psalmis : « In Ecclesiis * benedicetur tibi de fontibus Israel [25], » id est, nihil prædicetis in Ecclesia, nisi de Scripturis sanctorum Patrum. Per *fontes* dona internæ gratiæ, ut in Parabolis : « Deriventur fontes tui [26], » id est, dona spiritualia, quæ percepisti, foras ad ædificationem proximorum ostende. Per *fontes* peccata, ut in Osea : « Desolabit Deus fontes ejus [27], » quod Deus in electis suis peccata, quibus eos hostes * tenebant, destruit.

Foramen est angustia passionis, per quam *camelus* vocatur, qui ut peccata nostra tolleret, sponte se humiliavit [28], facilius intrare potuit, ad cœlestem beatitudinem, quam mundi amatores ad Ecclesiæ suæ societatem pertingere. *Foramen*, interna compunctio, ut in Cantico : « Dilectus meus misit manum suam per foramen [29], » quod inspiravit mihi operationem suam per occultam compunctionem. « Et venter meus intremuit ad tactum ejus [30], » quod cor meum per illius inspirationem expavit, se non fecisse proximis, quod Deus fecit pro inimicis, quod cum Deus esset, pro salute hominum factus est homo. *Foramen*, mens prava, ut in Isaia : « Super foramen aspidum manum suam mittet [31], » quod Deus illi nonnunquam menti gratiam suam infundit, in qua prius diabolus inhabitavit. Per *foramen*, dona spiritualia, ut in Ezechiele : « Foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt tibi [32], » quod apostata angelus in prima claritate sua prima dona spiritualia percepit. Item per *foramina* intelliguntur Christi. . ., dicente sponso in Cantico : « Surge, amica mea, sponsa mea, et veni, columba mea, in foraminibus petræ [33]; » « surge, » inquit,

[1] Ezech. I, 25. [2] Gen. I, 14. [3] Gen. I, 6. [4] Psal. CIV, 16. [5] Dan. III, 5. [6] Job. XL, 13. [7] Exod. II, 3. Psal. I, 4. [9] Job XIII, 25. [10] Isa. LXIV, 6. [11] Cant. II, 1. [12] Sap. II, 7. [13] Job XIV, 2. [14] Job. VIII, 12. [15] Job. XV, 33. [16] Cant. II, 5. [17] Zach. III. [18] Psal. XXXV, 10. [19] Cant. IV, 12. [20] Ibid. *v.* 15. [21] Joan. IV, 6. [22] Gen. II, 6. [23] Isa. XII, 3. [24] Psal. CIII, 10. [25] Psal. LXVII, 27. [26] Prov. V, 16. [27] Ose. XII, 15. [28] Matth. XIX, 24; Marc. X, 25; Luc. XVIII, 25. [29] Cant. V, 4. [30] Ibid. [31] Isa. XI, 8. [32] Ezech. XXVIII, 13. [33] Cant. II, 13, 14.

Digitized by Google

a quiete contemplationis, « amica mea, » quam usque ad mortem dilexi, « sponsa mea, » ' tanta in te contuli, « et veni » ad prædicandum, id est, ad officium prædicandi. « Columba mea in foraminibus petræ, » nidificans, et pullos mihi fovens in. . . . . Christi.

Forceps est Christus cum Patre, ut in Isaia : « Calculus quem forcipe tulerat de altari [1], » quod per æqualitatem, qua cum Patre unus est Filius, Verbum veritatis a Patre detulit, quo discipulos, quos misit in mundum, purgavit. Per *forcipem*, duo Testamenta, ut in Exodo : « Facies in usu altaris lebetes et forcipes [2], » ' Deus ad ornandam sanctam Ecclesiam doctores et duo Testamenta instituit.

Fortis est Christus, ut in Isaia : « Vocabitur nomen ejus FORTIS [3], » quod diabolum vicit. *Fortis*, diabolus, ut in Evangelio : « Dum fortis armatus custodit atria sua [4], » id est, dum diabolus possidet mundum. Per *fortes* Judæi, ut in Psalmis : « Irruerunt in me fortes [5], » id est, sævierunt contra me Judæi. Per *fortes* dæmones, ut in Psalmis : « Fortes quæsierunt animam meam [6], » id est, dæmones desideraverunt animam meam capere.

Fortitudo est in bono, ut in Psalmis : « Dominus fortitudo plebis suæ [7], » quod Deus electos suos ad superandum diabolum fortes fecit spiritualiter. *Fortis* in malo, ut in Job : « In collo ejus morabitur fortitudo [8], » quod in membris diaboli damnabile robur est.

Frons est mens cujuslibet justi, ut in Exodo : « Erit autem semper lamina in forte ejus [9], » quod in mente viri sancti memoria esse debet Dominicæ passionis semper. *Frons*, impudentia carnis vel cordis, ut in Ezechiele : « Domus Israel attrita fronte est [10], » quod pravi quilibet per cordis impudentiam dicti sunt.

Fornax est Antichristus, ut in Apocalypsi : « Sicut fumus fornacis magnæ [11], » id est, doctrina elati Antichristi, qui ' bonos probat : malos incinerat. *Fornax*, tribulatio, ut in libro Sapientiæ : « Tanquam aurum in fornace probavit eos [12], » quod viros sanctos examinat Deus in tribulatione. *Fornax*, ardor concupiscentiæ carnalis, ut in Lege : « Eduxi vos de Ægypto, de fornace ferrea [13], » quod Deus electos suos et de tenebris ignorantiæ, et ' diris carnalis concupiscentiæ incendiis ' educit.

Fossa est humilitas, ut in Ezechiele : « Fossa in altari fiat [14], » quod ut interna in se bona mens nostra conservet, oportet ut ' humilitatis virtutem non relinquat. *Fossa*, memoria hominis, ut in libris Regum : « Et fossa aquæductus repleta est [15], » quod sanctus quilibet humore gratiæ spiritualis memoriam suam impletam habet. *Fossa*, virtus patientiæ, ut in Isaia : « Abscondere in fossa humo [16], » quod per humilitatem patientiæ, quam nunc electi exercent, a terribili judicio postmodum abscondentur. *Fossa*, cupiditas terrena, ut in Josue : « Argentum fossa humo ' aperui [17], » quod pravi quilibet divini eloquii claritatem in profunditate terrenæ cupiditatis abscondunt.

Fovea, malitia deceptionis, ut in Psalmis : « Incidit in foveam quam fecit [18], » quod, dum alium nonnunquam pravus quilibet decipere molitur, semetipsum decipit. *Fovea*, vitium excusationis, ut in Isaia : « Ibi habuit ' foveam ericius [19]; » quod, quando superbus de peccato suo corripitur, ad tenebras excusationis confugit. *Fovea*, cupiditas terrena, ut in Job : « Facies eorum demerge in foveam [20], » quod reprobi omnem suum intuitum ad cupiditatem terrenam inflectunt. *Fovea*, ' .... mortis, ut in Psalmis : « Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt [21], » id est, occiderunt seipsos in eo quod putaverunt occidere me. *Fovea*, infernus, ut in libris Regum : « Projecerunt eum in foveam grandem [22], » quod mundi hujus amatores in puteum demerguntur infernalem.

Finis, accipitur pro consummato, cum dicitur : « Finita est tela. » *Finis*, pro consumpto, cum dicitur : *Finitus est cibus*. Aliter enim dicimus, *finitam telam*, quæ texitur, aliter *finitum cibum*, qui comeditur. *Finis*, Christus, ut in Psalmis : « Patientia pauperum non peribit in finem [23], » apud Christum patientia perire non poterit, quamvis apud elatos pereat. *Finis*, impletio, ut in Paulo : « Finis legis Christus [24], » quod venit non legem solvere, sed adimplere. *Finis*, mors carnis, ut in Evangelio : « Usque in finem dilexit eos [25], » id est, adeo dilexit, ut pro eis moreretur. *Finis*, vita æterna, ut in Psalmis : « Notum fac mihi, Domine, finem meum [26], » id est, notifica mihi gaudium æternum, de quo dicitur : « Intra in gaudium Domini tui [27]. » Ad hoc mihi notifica, ut id intelligendo quantum sit, super omnia diligam, et diligendo ad id perveniam. ' *Fovea*, æternus interitus, ut in Psalmis : « Et laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem [28], » id est, semper punietur, et in æterno interitu subsistet. Licet enim in æternis pœnis laboret; nunquam tamen omnino consumetur, quod vivet adhuc in labore et in pœnis. Ad quid ? non ut ex vita, gaudeat, sed ut æternaliter intereat. *Finis*, gentiles, ut in Psalmis : « Deus dominabitur Jacob et finium terræ [29], » id est, non solum Judaico populo : sed et in gentili judicium suum exercebit. Per *finem*, internæ cogitationes, ut in Psalmis : « In manu ejus sunt omnes fines terræ [30], » id est, in potestate ejus est, disponere omnes internas cogitationes animæ. *Finis*, æterni-

[1] Isa. VI, 6. [2] Exod. XXVII, 3. [3] Isa. IX, 6. [4] Luc. XI, 12. [5] Psal. LV, 4. [6] Psal. LIII, 5. [7] Psal. XXVIII, 8. [8] Job XLI, 13. [9] Exod. XXVIII, 38. [10] Ezech. III, 7. [11] Apoc. IX, 2. [12] Sap. III, 6. [13] Deut. IV, 20. [14] Ezech. XLIII, 13. [15] III Reg. XVIII, 35. [16] Isa. II, 10. [17] Jos. VII, 21. [18] Psal. VII, 16. [19] Isa. XXXIV, 15. [20] Job XL, 8. [21] Psal. LVI, 7. [22] II Reg. XVIII, 17. [23] Psal. IX, 19. [24] Rom. X, 4. [25] Joan. XIII, 1. [26] Psal. XXXVIII, 5. [27] Matth. XXV. 21, 23. [28] Psal. XLVIII, 9. [29] Psal. LVIII, 14. [30] Psal. XCIV, 4.

Digitized by Google

tas, ut in Psalmis : « Non in finem oblivio erit pauperis [1], » id est, in æternum humilem non oblivisceturDeus. Per *finem* extremitas orbis, ut in cantico Annæ : « Dominus judicabit fines terræ [2], » quod secundum id, quod in novissimo homo fuerit inventus, judicabitur.

Fuga est timor cædis, ut in Psalmis : « Periit fuga a me [3], » id est, non tantum exhorrui passionem, ut mortem subire recusarem. *Fuga*, defectus, ut in Psalmis : « Odientes eum in fugam convertam [4], » quod qui Christum non diligunt, ad defectum damnabilem tendunt.

Fulgor est renovatio mentis, ut in Job : « Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam [5], » quod vir sanctus, quando tentatur, in mente renovatur.

Fulgur est comminatio peccatorum, ut in Ezechiele : « Et de igne fulgur egrediens [6], » quod de Spiritu sancto in die prædicatorum comminatio procedit peccatorum. *Fulgur*, terror timoris, ut in Evangelio : « Erat autem aspectus ejus sicut fulgur [7], » quod Dominus ad judicium veniens per distinctionem reprobos terret. Per *fulgur* prædicatores, ut in Job : « Nunquid mittit fulgura, et ibunt [8]? » quod Deus prædicatores veritatis in mundum universum misit, et illi profecti prædicaverunt ubique. *Fulgura*, miracula, ut in Psalmis : « Fulgura in pluviam fecit [9], » quod prius quam Deus discipulis verbum prædicationis commisit, et miracula faciendi eis potestatem dedit. *Fulmina* sunt sententiæ ultimi judicii, ut in Job : « Mittet contra eum fulmina [10], » quod gravem in judicio ejus contra diabolum in membris suis proferet sententiam suam, dicens : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus [11]. »

Flumen est Spiritus sanctus, ut in Psalmis : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei [12]; » * Spiritus sancti gratia lætificabit populum ad jure vivendum congregatum. *Flumen*, genus humanum, ut in Ezechiele : « In medio captivorum juxta * fluvium Chobar [13], » quod Christus ad miseros homines venit, qui in universitate generis sui culpa simul et pœna gravati erant. *Chobar* enim *gravitas* interpretatur. *Flumen*, instabilitas hujus sæculi, ut in Psalmis : « In flumine pertransibunt pede [14], » * per levitatem, mundi sancti ad stabilitatem festinant, quod sancti, * quod licet in hujus sæculi immortalitate et concupiscentia sunt, facile tamen ad immortalitatem pervenient. *Flumen*, mundus iste, ut in Apocalypsi : « Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen * illud magnum, Euphratem, et siccavit aquas ejus [15], » dum præco veritatis * prædicationem suam tunc mundum * erigit, et affluentiam ejus siccandam prædicit cum Apostolo dicens : « Mundus transit cum concupiscentia ejus [16]. » Euphrates *vorator* interpretatur, et mundus iste in se cuncta consumit, et quotidie ad defectum tendit. *Flumen*, sancta Ecclesia, ut in Psalmis : « Flumen Dei repletum est aquis [17], » id est, sancta Ecclesia repleta est spiritualibus donis. *Flumen*, sacra Scriptura, ut in Job : « Non videant rivulos fluminis [18], » id est, non intelligat sententias sacræ Scripturæ. Per *flumen* dona Spiritus sancti, ut in Evangelio : « Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ [19], » quod de mente credentis spiritualia cacumina procedunt, ut alii imbuantur. Per *flumina* Christiani, ut in Psalmis : « Flumina plaudent manu simul [20], » id est, Christiani unanimiter et gaudenter bonis operibus insudabunt. Per *flumina*, prædicatores, ut in Ecclesiaste : « Ad locum, ubi exeunt flumina, revertentur, ut iterum fluant [21], » quod prædicatores sancti, omnem, quam habent, sanctitatem Deo ascribunt, ut in eadem sanctitate persistere possint. Per *flumina* Judæi, ut in Psalmis : « Elevaverunt flumina fluctus suos [22], » id est, Judæi erexerunt contradictiones suas. Per *flumina* gentiles, ut in Psalmis : « Et in fluminibus dexteram ejus [23], » id est, in gentibus potentiam ejus. Per *flumen* superbi doctores legis, ut in Psalmis : « Posuit flumina in desertum [24], » id est, elatos legis doctores deseruit. Per *flumina* transitoria hujus mundi, ut in Psalmis : « Super flumina Babylonis [25], » id est, humiliter transitoria hujus præsentis confusionis subter nos depressimus. Per *flumina* tentationes, ut in Cantico : « Nec flumina obruent eam [26]; » quod veram in sancta mente charitatem tentationes exstinguere non possunt. Per *flumina* crimina reproborum, ut in Isaia : « Væ terræ alarum cymbalo, quæ est trans flumina Æthiopiæ [27], » id est, maledictus sit superbus, Antichristus, qui in peccando pessimos excedit. Per *flumina* tribulationes, ut in Evangelio : « Venerunt flumina et impegerunt super domum illam » etc. [28], affluxerunt persecutiones, et percusserunt mentem humanam.

Fluvius est abundantia internæ refectionis, ut in Apocalypsi : « Ostendit mihi fluvium aquæ vivæ [29], » id est, revelavit copiam æternæ refectionis. *Fluvius*, vita sæcularis, ut in Job : « Absorbebit fluvium, et non mirabitur [30], » quod pro magno diabolus non habet, quod sibi sæculares incorporat. *Fluvius*, ultimum examen, ut in Daniele : « Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus [31], » quod * destructum illud examen reprobos ad æternum rapiet ardorem. Per *fluvium* verba prophetarum, ut in Job : « Profunda quoque fluviorum scrutatus est [32], » id est, * per obscuritates verborum propheticorum rimatus est. Per *fluvium* sapientia

[1] Psal. IX, 19. [2] I Reg. II, 10. [3] Psal. CXLI, 5. [4] Psal. LXXXVIII, 24. [5] Job XI, 17. [6] Ezech. I, 13. [7] Matth. XXVIII, 3. [8] Job XXXVIII, 35. [9] Psal. CXXXIV, 7; Jer. X, 13 et LI, 16. [10] Job XXXVIII, 35. [11] Matth. XXV, 41. [12] Psal. XLV, 5. [13] Ezech. I, 3. [14] Psal. LXV, 6. [15] Apoc. XVI, 12. [16] I Joan. II, 17. [17] Psal. LXIV, 10. [18] Job XX, 17. [19] Joan. VII, 38. [20] Psal. XCVII, 8. [21] Eccl I, 7. [22] Psal. XCII, 3. [23] Psal. LXXXVIII, 26. [24] Psal. CVI, 33. [25] Psal. CXXXVI, 1. [26] Cant. VIII, 7. [27] Isa. XVIII, 1. [28] Matth. VII, 25 27. [29] Apoc. XXII, 1. [30] Job. XL, 18. [31] Dan. VII, 10. [32] Job XXVIII, 11.

Digitized by Google

sæcularis, ut in cantico Habacuc : « Fluvios scindes terræ [1], » quod, ut ait Apostolus : « Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi. »

Fluctus sunt persecutores, ut in Job : « Qui graditur super fluctus maris [2], » quod Deus in electis suis mundi superat persecutiones. *Fluctus*, malitiæ pravorum, ut in Job : « Et hic confringes tumentes fluctus [3], » quod malitias pravorum compescit, ne tantum nocere valeant, quantum volunt.

Fumus est sancta Ecclesia, ut in Cantico : « Sicut virgula fumi [4], » quod de præsentibus sancta Ecclesia gentilis et recta ad futura conscendit. *Fumus*, compunctio, ut in Psalmis : « Ascendit fumus in * compunctione ejus [5], » in mente nascitur compunctio ex recordatione iræ divinæ. *Fumus*, doctrinæ malæ, ut in Apocalypsi : « De fumo putei exierunt locustæ in terram [6], » quod de obscura doctrina pravorum nati sunt hæretici pravi in Ecclesia. *Fumus*, superbia, ut in Psalmis : « Deficientes quemadmodum fumus deficient [7], » quod superbi ad defectum damnabilem tendunt. *Fumus*, tentatio diaboli, ut in Job : « De naribus ejus procedit fumus [8], » id est caliginosa tentatio, quæ animam obscurat, procedit de tentationibus diaboli. *Fumus*, brevitas hujus vitæ, ut in Psalmis : « Sicut deficit fumus, deficient [9], » quod vita præsens ad momentum in nihilum evanescit. *Fumus*, caligo damnationis, ut in Apocalypsi : « Et fumus tormentorum eorum in sæcula sæculorum ascendet [10]; » quod obscuritas damnationis reproborum nunquam deficiet; jure nunquam carebunt supplicio, qui, dum viverent, noluerunt carere peccato. *Fumus*, doctrina hæreticorum, ut in Apocalypsi : « Et de eorum ore procedit fumus et sulphur [11], » quod hæretici cupiditatem et luxuriam et superbiam docent.

Funda est Ecclesia, ut in Job : « In stipulam ei versi sunt lapides fundæ [12], » quod diabolus in membris suis superbe sanctos despicit viros Ecclesiæ. *Funda*, sacra Scriptura, ut in libris Regum : « Fundam manu tulit, et processit adversus Philistæum [13] : » quod Christus Scripturam sacram opere adimplevit, et dimicavit contra diabolum. *Funda*, instabilitas reproborum, ut in libris Regum : « Anima inimicorum David rotabitur quasi impetu et circulo fundæ [14], » quod vita eorum, qui Christum non diligunt, de malo semper ad pejus ruit.

Fundamentum est Christus, ut in Paulo : « Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est quod est Christus Jesus [15]. » *Fundamentum*, fides, ut in Psalmis : « Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea [16]; » id est, destruite penitus in Ecclesia quidquid est justitiæ, donec et fidem evellatis. *Fundamentum*, occulta diaboli, ut in cantico Habacuc : « Denudasti fundamentum usque ad collum [17], » id est, detexisti occulta diaboli usque ad finem, vel usque ad suggestionem. Per *fundamentum*, apostoli, ut in Psalmis : « Fundamenta ejus in montibus Sion collocantur [18]; » quod videlicet apostoli Ecclesiæ fundatores in prophetis mittuntur. Per *fundamenta* prædicatores, ut in Job : « Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ [19]? » id est, quando confirmavi doctores Ecclesiæ. Per *fundamenta* elationes superborum, ut in cantico Deuteronomii : « Montium fundamenta comburet [20], » id est elationes superborum vindicta destruet. Per *fundamenta* defensores Ecclesiæ, ut in Apocalypsi : Et murus civitatis habet fundamenta duodecim, et in ipsis nomina duodecim apostolorum et agni [21]. » Defensores enim Ecclesiæ fundati sunt in prophetis et apostolis, et fidem quam acceperunt, habuerunt et illi. » Nomen et agni in ipsis est, quod ipsum venturum, et pro mundi salute passurum prædixerunt. Per *fundamenta* delectationes carnales, ut in Job : « Fluvius subvertet fundamenta eorum [22]; » quod instabilitas hujus brevis vitæ terminat delectationes reproborum. Per *fundamenta* summi principes orbis, ut in Psalmis : « Fundamenta montium conturbata et commota sunt [23], » id est, principes principum devoti ad fidem venerunt, videntes iram, nisi mutarentur, super se venturam.

Fluenta sunt copiæ virtutum, ut in Cantico : « Et resident juxta fluenta plenissima [24], » quod sancti in humilitate virtutum spiritualium copias possident.

Funis, est fides, ut in Job : « Et fune ligabis linguam ejus [25]? » quod per veram fidem destruimus blasphemias diaboli. Per *funes* præcepta sacræ Scripturæ, ut in Jeremia funes, id est, panni veteres levabant prophetam de lacu [26], quod præcepta divina et exempla sancta electos erigunt de profundo vitæ præsentis. Per *funes* boni eventus, ut in Psalmis : « Funes ceciderunt mihi [27], » id est, boni apparuerunt mihi eventus in bonis luminosis. Per *funes* asperitates sæculi, ut in Job : « Et cruciantur funibus paupertatis [28]. » id est, alligantur asperitatibus inopiæ.

Funiculus est subtilitas prædicationis, ut in Ezechiele : « Et funiculus lineus in manu ejus [29], » quod Deus subtiliter prædicationem suam opere complevit. *Funiculus*, fides, ut in Ecclesiaste : « Funiculus triplex difficile rumpitur [30], » quod fides sanctæ Trinitatis non facile frangitur. *Funiculus*, cogitatio nostra, ut in Psalmo : « Semitam meam et funiculum meum investigasti [31], » id est, mensuram stricte cogitationis scrutatus * es. Per *funiculum* præcepta Domini, ut in Isaia : « Longos fac funiculos tuos [32], » id est, præcepta Dominica per-

[1] Hab. III, 9. [2] Job IX, 8. [3] Job XXXVIII, 11. [4] Cant. III, 6. [5] Psal. XVII, 9. [6] Apoc. IX, 3. [7] Psal. XXXVI, 20. [8] Job XLI, 11. [9] Psal. LXVIII, 3. [10] Apoc. XIV, 11. [11] Apoc. IX, 17. [12] Job XLI, 14. [13] I Reg. XVII, 40. [14] I Reg. XXV, 29. [15] I Cor. III, 11. [16] Psal. CXXXVI, 7. [17] Hab. III, 13. [18] Psal. LXXXVI, 1. [19] Job XXXVIII, 4. [20] Deut. XXXII, 22. [21] Apoc. XXI, 14. [22] Job XXII, 16. [23] Psal. XVII, 8. [24] Cant. V, 12. [25] Job XL, 20. [26] Jer. XXXVIII, 11, 12, 13. [27] Psal. XV, 6. [28] Job XXXVI, 8. [29] Ezech. XL, 3. [31] Eccl. IV, 12. [32] Psal. CXXXVIII, 3. [33] Isa. LIV, 2.

Digitized by Google

severanti fine adimple. Per *funiculos*, delectationes pravæ, ut in Isaia : « Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis [1], * » væ vobis, qui perseveranter diligitis iniquitatem in delectationibus pravis.

Fur est hæreticus, ut in Evangelio : « Fur non venit, nisi ut furetur et mactet et perdat [2], » quod hæreticus ad hoc insistit ut seducat. *Fur*, quilibet occultus inimicus, ut in Job : « Per noctem vero erit quasi fur [3], » id est, ex improviso in occulto conabitur nocere. Per *fures* spiritus maligni, ut in Evangelio : « Ubi fures non effodiunt, nec furantur [4], » quod gaudia cœlestia spiritus maligni nec vi, nec fraude civibus bonis auferre possunt.

Frigus est adversitas, ut in Parabolis : « Propter frigus piger arare noluit [5], » quod reprobus quilibet propter adversitatis duritiam, laborare pro æterna mercede contemnit. *Frigus*, asperitas ultimi judicii, ut in Psalmis : « Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit [6]? » quod apparente ultimo judicio etiam electi tremebunt.

Fructus * appellatione aliquando Antichristum, aliquando Redemptorem, aliquando bonam operationem designat, quod uno exemplo probari poterit : « Terra dedit fructum suum [7] : » * virgo Maria peperit Christum, caro Christi contulit mundo redemptionem, et homo per sanguinem Christi redemptus protulit bona opera naturaliter sibi congrua. *Fructus*, corpus Christi : ut in Cantico ex voce sponsæ dicitur : « Sub umbra illius, quem desiderabam, sedi : » quod sub protectione Christi requiem inveni : « Et fructus ejus dulcis gutturi meo [8], » quod in corde ejus vitam intelligo, dum etiam illud visibiliter accipio. *Fructus*, merces, ut in Evangelio : « Arbor bona facit fructus bonos [9], » quod actio bona mercedem meretur. Item : « Aut arborem malam, et fructum ejus malum [10], » non * vos facere malum monet, sed quæ malefactores merces maneat, edocet. *Fructus*, exemplum bonum, ut in Psalmis : « De fructu operum tuorum satiabitur terra [11], » id est, de exemplis sanctorum reficitur inferior turba. *Fructus*, justitia, ut in Parabolis : « Date ei de fructu manuum suarum [12], » id est, remunerate eam pro justitia operum suorum. » *Fructus*, æterna beatitudo, ut in Cantico : « Vir * afferret pro fructu vineæ mille argenteos [13], » quod qui animi est virilis, pro cœli beatitudine omnia mundana contemnit. Per *fructum* sanctæ prædicationes, ut in Cantico : « Ut comederet fructus * agrorum [14]; » id est, ut reficeretur ex prædicationibus sanctorum. Per *fructus* virtutes spirituales, ut in Cantico : « Ascendam in palmam, et apprehendam fructum ejus [15], » et tollam Christi crucem, et acquiram spirituales, quæ in ea sunt, virtutes. Per *fructus*, præmia æterna, ut in Cantico : « Ducenti his, qui custodiunt fructus ejus [16]; » quod illi geminam charitatem adimplere student, qui ne æternis præmiis careant, insistunt. *Fructus* nomine mors æterna significatur, quæ improprie *fructus* dicitur, « quem », inquit Apostolus, « fructum habuistis, in quibus nunc erubescitis : nam finis illorum mors est [17]. »

Frumentum, Christus, ut in Evangelio : « Nisi granum frumenti mortuum fuerit [18], » quod Christus, dum morte carnis in terram cecidit, totum mundum multiplici messe replevit. *Frumentum*, quilibet justus, ut in Job : « Frumentum desiderat nubes [19], » id est, justus quilibet prædicatores. *Frumentum*, opus spirituale, ut in Job : « Pro frumento oriatur mihi tribulus [20], » id est, si fructuose Ecclesiæ non profui, et opus spirituale perdam, et peccatum incurram. *Frumentum*, Scriptura sacra, ut in Psalmis : « Ex adipe frumenti satiat te [21], » id est, spirituali intelligentia sacræ Scripturæ * refecit te. *Frumentum*, virtutes, ut in libro Judicum : * « Iero autem frumentum excussit a paleis [22], » id est, sanctus quilibet, virtutes dividit a vitiis se : * qui cum a paleis frumentum excuteret, Angelus vidit, ad cujus imperium protinus hædum coxit, carnes supra petram posuit, jusque carnium desuper fudit, quæ Angelus virga tetigit, eaque ignis exiens de petra, consumpsit. Frumentum excutere, est virtutes a vitiis secernere. Hoc agentibus angelus apparet, id est, Deus gratiam exhibet, qui hædum præcipit immolari, hoc est, peccatorem per pœnitentiam mortificari. Carnes hædi supra petram ponere * carnalia peccatoris opera in Christi permutatione disponere. Jus etiam carnium desuper fundere, est carnalia desideria propter Christum penitus abjicere. Hæc angelus virga tetigit, cum divina virtus pœnitentiam nostram et conversionem non deserit. Nam ignis de petra exiens et jus consumpsit, quod sordes operis et cogitationes divinus amor † exivit. *Frumentum*, sermo doctrinæ, ut in Genesi : « Det tibi Deus abundantiam frumenti [23]; » id est, conferat tibi Deus copiam eloquii et doctrinæ spiritualis, « vini et olei. » *Frumenti*, videlicet ut docearis recte in mundo conversari, *vini* vero, ut ad contemptum Sadducæorum inebrieris. *Olei* autem, ut ad amplexum sponsi alliciaris. Hæc nimirum abundantia unde procedit, nisi de rore cœli et pinguedine terræ, hoc est, de gratia Christi, et fecunditate Ecclesiæ. *Frumentum* est in Proverbiis ; *vinum* in Ecclesiaste, *oleum* in Cantico canticorum. *Frumentum*, delectatio carnis, ut in Psalmis : « A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt [24], » id est, delectatione carnali reprobi repleti sunt : frumentum, ad crapulam ; vinum, ad ebrietatem ; oleum, ad superfluam hujus vitæ pertinet curam, de quibus Dominus in Evangelio : « Attendite, » inquit, « vobis, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate,

[1] Isa. v, 18. [2] Joan. x, 10. [3] Job. xxiv, 14. [4] Matth. vi, 19, 20. [5] Prov. xx, 4. [6] Psal. cxlvii, 17. [7] Jac. v, 18. [8] Cant. ii, 3. [9] Matth. vii, 17. [10] Matth. xii, 33. [11] Psal. ciii, 13 [12] Prov. xxxi, 31. [13] Cant. viii, 11. [14] Cant. v, 1. [15] Cant. vii, 8. [16] Cant. viii, 12. [17] Rom. vi, 21. [18] Joan. xii, 24. [19] Job xxxvii, 11. [20] Job. xxxi, 40. [21] Psal. cxlvii, 14. [22] Jud. vi, 11 et seqq. [23] Gen. xxvii, 28. [24] Psal. iv 8.

Digitized by Google

et curis hujus vitæ [1]. » Frumentum in sole in segete tangitur, quod † intus in hac vita ratio superni luminis, illustratur : pluvias accipit, quod veritatis eloquio pinguescit : ventis committitur, quod tentationibus exercetur : paleas portat, quod pravos sibi superiores tolerat : vel area triturat, ut a palearum connexione solvatur, quod dum corruptionis flagella percipit, a societate carnalis † non mundior recedit : relictis paleis ad horreum ducitur, quod foris remanentibus reprobis, justus ad æterna gaudia sublevatur.

G

Galaad. *Gallus.* *Galea.* *Gladius.* *Gradus.* *Granum.* *Gazophylacium.* *Genæ.* *Gens.* *Grex.*

Gibbus. *Gomor.* *Gurgustium.* *Gutturæ.* *Gratuita.* *Galbanus.* *Gallina.* *Glacies.* *Gressus.*

Glarea. *Grando.* *Gelu.* *Generatio* *Glebæ.* *Gigas.* *Gurges.* *Guttur.* *Galilæa.*

Galaad, qui *acervus testimonii* dicitur, Christum significat, cum dicitur in Cantico : « Capilli tui sicut greges caprarum, qui ascenderunt de monte Galaad [2] : » quod † spontanee pauperes tui summa petunt, et ad bonum opus veloces sunt, et parvum pastum diligunt, et Christo adjutore, cui omnes prophetæ testimonium perhibent, de virtute in virtutem ascendunt. Item *Galaad* multitudo martyrum intelligitur : ut in Psalmis ex persona Domini dicitur : « Meus est Galaad, et meus est Manasses [3] ; » quod mihi servit multitudo martyrum, et populus, quæ retro sunt, obliviscens : « et Ephraim † susceptio capitis mei, » quod in fructificantibus reclino caput meum. *Martyr* Græce Ecclesia dicitur, cunctorum ore fidelium de Christo, quæ sunt vera, testatur. Unde bene per prophetam de hæreticis dicitur : « Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum [4] ; » quod nimirum hæretici mentes fidelium, quæ jam aliud de intellectu veritatis conceperant, perversa perditione perimunt, et scientiæ nomen extendunt. Terminos qui prope sunt, dilatare, est opinionis suæ nomen extendere. Parvulorum igitur corda jam de perceptione verbi gravido † erroris gladio scindunt, et quasi sibi opinione doctrinæ faciunt.

Galbanus est virtus orationis, ut in Exodo : « Galbanum boni odoris [5], » id est, orationem bonæ suavitatis « offeres Deo. »

Gallus est ordo doctorum, ut in Job : « Quis dedit gallo intelligentiam [6] ? » quod Dei est, intelligentiam conferre doctori. *Gallus*, cœtus apostolorum, ut in Parabolis : « Gallus succinctus lumbos suos [7], » quod apostoli succincti charitate erant, quibus dictum est : « Sint lumbi vestri præcincti [8] » etc.

Gallina est sapientia Dei, ut in Evangelio : « Quem- A admodum gallina congregat pullos suos sub alis [9], » etc., quod Dei sapientia concessis donis spiritualibus electos ad salvationem perducit.

Galea est † bona, ut in Paulo : « Et galeam salutis assumite [10], » id est, salutiferam vobis spem acquirite.

Glacies est frigida Synagoga, ut in Job : « De cujus utero egressa est glacies [11], » quod Judæi per legem contenti sunt, † quinimo per infidelitatem glacies effecti sunt.

Gladius est ira Dei, ut in Psalmis : « Nisi conversi fueritis [12], id est, nisi a peccato vos laveritis, † suam vobis iram ostendet. *Gladius*, prædicatio sancta, ut in Paulo : « Gladium spiritus assumite [13], » B id est, spiritualem prædicationem exercete. *Gladius spiritus* est verbum de quo dicitur : « En lectum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi [14]. » Lectulus viri pacifici, æterna beatitudo est, in qua rex cum electis quiescit : vel in præsenti vita conversatio quieta fidelium. Utrumque lectum « ambiunt fortes, » quod et præsentem Ecclesiæ quietem prædicatores contra incursus tuentur : et in æternam cœlestis patriæ requiem quicunque perfectiores fixa intentione speculantur : qui bene « sexaginta » esse referuntur, quod doctrina simul et operatione perfecti sunt, in quibus opus a doctrina non discordat. « Fortes » sunt, quod non corrumpuntur prosperis, non franguntur adversis. « Ex fortissimis C Israel, » sive prædicatione, sive speculatione, sive patientia. Quod dicit, « Israel, » potest intelligi et secundum carnem, et secundum fidem. Ex utroque enim populo electi sunt prædicatores : « Omnes tenentes gladios, » quod verbum Dei nunquam a se projiciunt, sed id habent in promptu, et operatione perficiunt. « Et ad bella doctissimi sunt, » quod ex longo usu didicerunt, quid et quare, et ubi et quomodo et quibus debeant proferre sermonem. « Uniuscujusque ensis super femur suum : » hoc est, prædicatio super humanitatem suam, ut ejus superentur motibus : castigant enim corpus suum, prout alios docerent, ne cum aliis prædicarent, ipsi aliter vivendo reprobi fiant. Quod faciunt « propter timores nocturnos, » ut videlicet insidiæ diaboli, si eos securos inermesque repererint, misere sternant, et præsens pax Ecclesiæ violetur, et sic æterna beatitudo amittatur. *Gladii* nomine, acutum ingenium accipitur, juxta Apostolum dicentem : « Unicus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti [15], » quod Filius Dei immortalis et omnipotens est, et perspicacior omni ingenio, sive in carnalibus, sive in spiritualibus † acutissimo : « pertingit autem usque ad divisionem animæ ac spiritus, » quod ineffabiliter fit, quomodo sensualitas distat a ratione, et ipsa sensualitas a se, dum plus dedita rebus infi-

[1] Luc. xxi, 34. [2] Cant. iv, 1. [3] Psal. lix, 9. [4] Amos i, 13. [5] Exod. xxx, 34. [6] Job. xxxviii, 36. [7] Prov. xxx, 31. [8] Luc. xii, 35. [9] Matth. xxiii, 37. [10] Eph. vi, 17. [11] Job. xxxviii, 29. [12] Psal. vii, 13. [13] Eph. vi, 17. [14] Cant. iii, 7, 8. [15] Hebr. iv, 12

Digitized by Google

mis est superior, vel ab iis revocata dignior, nec tunc quidem rationi comparanda. Scit et Dei Filius, quomodo Spiritus sanctus a seipso † diversus sit, dum vel in Deum inhiat, vel inferius cœlestia considerat, vel ratione inferius de mundanis recte agendis pertractat, vel quomodo sensualitate secernuntur, dum, quod se in inferius est, quod in illa, altius superat. *Gladiis* alii persecutores designari manifestum est. Legitur enim in libris Regum, qualiter David, puer rufus et pulcher aspectu, cum pasceret oves patris sui, processit armatus armis Saulis contra Goliam dimicaturus, quibus armis cum intelligeret se gravari potius quam juvari, deposuit ea, et eligens sibi quinque limpidissimos lapides de flumine, eos in pera, sive, ut alii dicunt, in vase lacteo, baculum et fundam tulit, et sic contra inimicum processit, quo unius lapidis ictu, rotatu fundæ projecti, in fronte percusso atque dejecto, gladium illius, qui percussus accubuit, evaginavitque et caput ejus amputavit [1]. *David* in hoc facto significat Ecclesiam, cujus vultum deprecabuntur habere omnes divites plebis. Hæc rufa est in martyribus, et formosa in omnibus membris suis. Juvenis est, propter vitæ novitatem, altrix fidelium animarum per doctrinam † salutatam. Golias diabolus est, contra quem inimicum fideli dimicandum est. Contra hunc procedit ad bellum quicunque desiderat contemnere sæculum. Arma Saulis carnales sunt observantiæ legis, quæ, quod neminem justificant, non juvant, sed onerant. Verum limpidissimi lapides, purissimi sensus in lege. Hos accepit Ecclesia de flumine, nihil agens, id est, de Judæis, qui spirituali sensu legis non utebantur, et propter † profunda carnis suæ desideria flumini comparantur. Pera, prædicatores significat, huic mundo hospites et peregrinos. Lacteum vas, simplices et doctrina fidei plenos. Baculus est disciplina propter insolentes castigandos, et misericordia propter infirmos sustentandos. Funda cum chordis os prædicatoris est, cum duobus lapidibus. « Unus lapis in funda mittitur, quo rotatu fundæ, hostis interimitur : » quod licet prædicatores totam legem in se retineant : sæpius tamen ad perimendum inimicum unitatem in se versant. Quod unus Deus, una fides, unum baptisma. In fronte percussus occubuit, ut omnibus pateat, quod percussus est et victus inimicus. Gladius Goliæ, persecutores Ecclesiæ, per quos caput ei auferre molitus est : sed adveniente gratia, proprio gladio decapitatus est diabolus : quod persecutores multi superant diabolum attendentes et seipsos et alios, qui diaboli corpus exstiterant, manu David, id est, Ecclesiæ † se agente a capite suo separaverunt, et postea lateri Ecclesiæ adhæserunt. Vagina Goliæ, error est infidelitatem involvens, a quo si gladius non † exueretur, nunquam per illum caput Goliæ abscinderetur. *Gladius*, A tribulatio temporalis : ut in Evangelio : † « Et suam ipsius animam pertransibit gladius [2], » id est, tribulatio ipsius animam tuam cruciabit. *Gladius*, repugnantia, ut in Psalmis : « Gladium evaginaverunt peccatores [3], » id est, repugnantiam exercuerunt reprobi. *Gladius*, separatio, ut in Evangelio : « Non veni pacem mittere, sed gladium [4], » id est, separationem. *Gladius*, persecutio, ut in Psalmis : « Scutum, gladium et bellum [5], » id est, Dominus ab Ecclesia sua et vitium aufert excusationis, et † armum persecutionis, et infestationem hostis. *Gladius*, malitiam diaboli, ut in Job : « Qui fecit eum, applicuit gladium ejus [6], » quod Deus, qui eum condidit, ejus malitiam compescuit. *Gladius*, verbum corruptionis, ut in Isaia : « Gladius devorabit vos [7], » id est, corruptio B increpabit vos. *Gladius*, sermo detractionis, ut in Psalmis : « Lingua eorum gladius [8], » id est, sermo eorum mordaci detractione plenus est. *Gladius*, persuasio prava, ut in Psalmis : « De gladio maligno eripe me [9], » id est, de mortifera persuasione erue me. *Gladius*, mors, ut in Genesi : « Ipse portabat in manibus suis gladium et ignem [10], » quod passio et mors Christi in potestate erat Patris. *Gladius*, vindicta, ut in cantico Deuteronomii : « Gladius meus devorabit carnes [11], » id est, vindicta mea destruet carnales. *Gladius*, peccatum, ut in Ezechiele : « Si viderit gladium et non sonuerit buccina [12], » quod damnatione dignus est † peccator, si a doctrina cessaverit, quando peccatum regnare † vidit. *Gladius*, Antichristus, ut in Job : « Cum apprehenderit eum gladius [13], » quod cum in se diabolum Antichristus susceperit, gravis erit persecutio vel tribulatio in mundo. C *Gladius*, ultimum judicium, ut in cantico Deuteronomii : « Si acuero fulgur, gladium meum [14], » id est, si in ira manifestavero judicium meum. *Gladius*, æterna damnatio, ut in Job : « Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt [15], quod quoscumque impius habuerit imitatores, omnes damnabuntur. Per *gladium* verba Dei, ut in Psalmis : « Gladii ancipites in manibus eorum [16], » id est, verba Dei in operibus eorum.

Glarea est mens instabilis, ut in Job : « In cavernis terræ, vel super glaream [17], » quod hæretici apud hos demorantur auditores, qui dolosas et instabiles mentes habent. Per *glaream* reprobi, ut in Job : « Dulcis fuit glareis † cocyti [18], » quod in illorum D mentibus dulcis est diabolus, † quod modo per fluxam instabilitatem ad æternum luctum tendunt : quod † Cochiton *luctus* dicitur.

Gradus est profectus hominis, ut in libro Esdræ : « Populus autem stabat in gradu suo [19], » quod cœtus sanctorum unanimiter persistit in profectu suo. Per *gradus* virtutes spirituales, ut in Job : « Per singulos gradus meos pronuntiabo eum [20], » id est, pro singulis virtutibus quas habeo, laudabo eum. Per *gradus* dona Spiritus sancti, ut in Ezechiele : « In septem gradibus

[1] I Reg. XVII, 38-51. [2] Luc. II, 35. [3] Psal. XXXVI, 14. [4] Matth. X, 34. [5] Psal. LXXV, 4. [6] Job. XL, 14. [7] Isa. I, 20. [8] Psal. LVI, V. [9] Psal. CXLIII, X. [10] Gen. XXII, 6. [11] Deut. XXXII, 42. [12] Ezech. XXXIII, 3. [13] Job. XLI, 17. [14] Deut. XXXII, 41. [15] Job. XXVII, 14. [16] Psal. CXLIX, 6. [17] Job. XXX, 6. [18] Job. XXI, 33. [19] Neh. VIII, 7. [20] Job. XXXI, 37.

Digitized by Google

ascensus portæ [1], » quod per dona septiformis Spiritus ad cœlestis patriæ aditum pervenitur.

Gramina sunt auditores, ut in cantico Deuteronomii : « Quasi stillæ super gramina [2], » quod subtiles sanctæ prædicationis guttas fideles auditores suscipiunt.

Granum est humanitas Christi, ut in Evangelio : « Cadens granum frumenti [3], » id est, humanitas Christi apparens in mundo. *Granum*, verbum fidei, ut in Evangelio : « Simile est regnum cœlorum grano sinapis [4], » quod sancta Ecclesia verbum in se fortis fidei habet. *Granum*, infirmitas corporis humani, ut in Paulo : « Et corpus, non quod futurum est, sed nudum granum [5], » quod non talis est modo caro nostra, qualis erat; sed corruptibilis et infirma.

Grando est verbum correptionis, ut in Psalmis : « Nubes transierunt, grando [6], » etc., quod in illa beata vita auditores nec prædicatio docebit, nec correptio increpabit. *Grando*, Synagoga, per infidelitatem aspera, ut in Job : « Aut thesauros † grandines aspexisti [7], » quod in ipsa etiam † perfidia Synagoga Deus fideles repositos habet. *Grando*, tribulatio, ut in Psalmis : « Tradidit grandini jumenta eorum [8], » quod per tribulationem Deus auxilia permittit destrui impiorum. *Grando*, violenta prædatio, ut in Psalmis : « Et occidit in grandine jumenta eorum [9], » id est, violenta prædatione decipi permisit virtutes eorum. *Grando*, gravis est afflictio ut in Exodo, grando vastavit Ægyptum [10], id est, gravis afflictio cruciat mundum.

Gazophylacium est patria cœlestis, ut in Evangelio : « Aspiciebat quomodo turba † jactabat munera sua in gazophylacium [11], » quod illos Deus pio cernit intuitu, qui pro adipiscenda patria cœlesti ista terrena contemnunt. *Gazophylacium*, mens viri sancti, ut in Ezechiele : « Reponet linea vestimenta in gazophylacio [12], » quod viri sancti subtiles devotiones intra se in mente custodiunt. Per *gazophylacium* prælati Ecclesiæ, ut in Ezechiele : « Gazophylacia in circuitu pavimenti [13], » quod prælati sancti inferiorem populum studiosa et vigili circumspectione custodiant.

Gelu plebs est Judaica, ut in Job : « Et gelu de cœlo quis genuit [14] ? » quod populum illum, quamvis perfidus sit, de cœlica antiquorum patrum stirpe Dominus procedere fecit. *Gelu*, asperitas tribulationis, ut in Job : « Flante Deo concrescit gelu [15], » quod ubi Deus suam inspirationem infundit, statim tribulatio nonnunquam crescit.

Genæ sunt sancti martyres, ut in Cantico : « Genæ ejus sicut areolæ aromatum [16], » quod sancti martyres, qui in Christi corpore, quod est sancta Ecclesia, rubent, quo durius in passione conferuntur, eo majorem coram Deo suavitatem emittunt. *Genæ*, summi sacerdotes, ut in Cantico : « Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turris [17], » quod spiritualis sanctorum prælatorum decor in castitate corporis et compunctione mentis consistit. *Genæ*, boni operatores, ut in Cantico : « Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ [18], » quod sanctæ Ecclesiæ operarii in unitate fidei diversi ad profectum proximorum in publico existunt. *Genarum* nomine pudibundi prælati figurantur, in quorum conspectu pudet peccare. Hinc in Cantico voce Sponsi dicitur ad Sponsam : « Sicut mali punici fragmen, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet [19] : » foris enim martyrio rubent; intus virginitate candent, ut de privatis orationibus, vigiliis, jejuniis et eleemosynis taceam. *Genarum* nomine, modestia Salvatoris et pietas accipitur, juxta quod voce Sponsæ de eodem : « Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ a pigmentariis [20], » mores quippe nostri Redemptoris † ..... et compositi, virtutumque fasces erant, qui et a prophetis et apostolis concordi voce conscripti sunt.

Generatio est in bono, ut in Psalmis : « Hæc est generatio quærentium eum [21]. » *Generatio* in malo, ut in Evangelio : « Generatio mala et adultera [22]. » Illa est populus gentilis, quæ Dominum per fidem quæsivit; hic vero, Judaicus, qui a Deo per infidelitatem apostatavit. « Illa est generatio rectorum, quæ benedicetur [23]; » hæc vero est « generatio prava et exasperans, generatio quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo Spiritus ejus. [24] » Item, « generatio et generatio laudabit opera tua [25] : » hoc est, omnis successio fidelium, « aut extendes iram tuam a generatione in generationem [26]. » Duæ sunt generationes; una Adæ, quæ carnalis est; altera Christi, quæ spiritualis est, a qua sicut expelluntur mali Christiani, sic inseruntur boni, qui fuerunt ante adventum Christi. « Cogitationes cordis ejus a generatione in generationem [27], » quod divinæ dispositiones, quæ rationabiliter factæ sunt, manent in Judæis et gentibus : in Judæis, quod cæcitas ex parte contigit in Israel; in gentibus autem, ut plenitudo intraret, et sic omnis Israel salvus fieret. « Dominatio tua in omni generatione et generatione [28], » mortali et immortali. « Generatio rectorum benedicetur [29], » quod imitatores eorum vel opera remunerabuntur.

Gens est humanum genus, ut in Isaia : « Multiplicasti gentem, et non magnificasti lætitiam [30], » quod crevit quidem ante adventum Christi genus humanum, sed descendit in infernum. *Gens*, plebs Judaica, ut in cantico Deuteronomii : « Gens absque consilio et sine prudentia [31], » quod Judæi sine discretione boni et mali sunt, et sine prudentia futurorum, quod in fine vitæ consultum non habet. Per *gentes* gentiles, ut in Psalmis : « Omnes gentes, plaudite manibus [32], » id est, omnes gentiles populi,

[1] Ezech. XL, 6. [2] Deut. XXXII, 2. [3] Joan. XII, 24. [4] Matth. XIII, 11. [5] I Cor. XV, 37. [6] Psal. XVII, 13. [7] Job. XXXVIII, 22. [8] Psal. LXXVII, 48. [9] Ibid. v. 50.. [10] Exod. IX, 22, 23, 24. [11] Marc. XII, 41. [12] Ezech. XLIV, 19. [13] Ezech. XL, 17. [14] Job. XXXVIII, 29. [15] Job. XXXVII, 10. [16] Cant. V, 13. [17] Cant. I, 10. [18] Cant. IV, 3. [19] Ibid. [20] Cant. V, 13. [21] Psal. XXIII, 6. [22] Matth. XII, 39, et XVI, 4. [23] Psal. CXI, 2; [24] Psal. LXXVII, 8. [25] Psal. CXLIV, 4. [26] Psal. LXXXIV, 6. [27] Psal. XXXIII, 11. [28] Psal. CXLIV, 13. [29] Psal. CXI, 2. [30] Isa. IX, 3. [31] Deut. XXXII, 28. [32] Psal. XLVI, 2.

Digitized by Google

Deum honorate in operibus vestris. Per *gentes* gentiliter viventes, ut in Paulo : « Scitis, quod cum gentes essetis [1], » id est, cum gentiliter viveretis. Item in Apocalypsi : « Et de † ira fornicationis ejus biberunt omnes gentes [2], » quod de vindicta immunditiæ Babylonis participati sunt omnes gentiliter viventes, et alibi : « Alterum, quod foris est, ejice foras, » † ostende infidelibus excommunicandos, « et ne metiaris, » id est, nolite sanctum dare canibus, « quoniam datum est gentibus, et fornicati sunt » gentiliter vivendo. Per *gentes* vitia : « Ejecit a facie eorum gentes [3], » id est, a cordibus sanctorum suorum septem capitalia vitia ejecit : « et sorte divisit eis terram, » quod unicuique per gratiam suam supernæ patriæ participem esse donavit, « in funiculo distributionis, » hoc est, in mensura divinæ donationis, « et habitare fecit in tabernaculis eorum, tribus Israel : » ut ubi vitia regnaverant, ibi virtutes divinæ regnent.

Glebæ sunt viri sancti, ut in Job : « Et glebæ illius, aurum [4], » quod sancti qui in Ecclesia sunt, veræ sapientiæ candore nitent. *Glebæ*, dura corda infidelium, ut in Job : « Aut confringet glebas vallium [5], » quod solius Dei est, eorum corda, qui per infidelitatem adhuc in invio sunt, ab incredulitatis duritia frangere.

Grex est conventus electorum sanctorum, ut in Evangelio : « Nolite timere, pusillus grex, [6] » id est, * consolare populus meus, qui numero.... reproborum parvus es. *Grex*, cœtus perfectorum, ut in Cantico : « Dentes tui sicut * grex tonsarum [7], » quod prælati Ecclesiæ exempla sanctorum imitantur. *Grex*, ordo pœnitentium; ut in Cantico : « Capilli tui sicut greges caprarum [8], » quod inferiores Ecclesiæ populi, qui peccata pœnitendo deflent, sibi in exemplum proponunt. Per *gregem* imperiti populi, ut in Job : « Diripuerunt greges, et paverunt eos [9], » quod hæretici populos imperitos rapiunt, et eos sua nefanda doctrina strangulant. Per *gregem* conventicula reproborum, ut in Cantico : « Abi post vestigia gregum tuorum [10], » id est, exsequere exempla reproborum conventuum. Per *gregem* ordines sanctorum, ut in Psalmis : « Et abstulit eum de gregibus ovium [11], » quod de ordinibus simplicium Deus prædicatorem assumit.

Gressus sunt bona opera, ut in Job : « Tu quidem gressus meos dinumerasti [12], » id est, ut * renumerares opera mea, ea apud te numerata habuisti. *Gressus*, actiones cujuslibet impii, ut in Job : « Arctabuntur gressus * virtutum ejus [13], » quod opera impii, quæ modo fortiora esse videntur, destituentur. *Gressus*, mentis motus, ut in Job : « Et cunctos gressus meos dinumerat [14], » quod omnes nostros internos motus Deus agnovit. *Gressus*, merita sancta, ut in Psalmis : « Gressus meos dirige secundum eloquium tuum [15], » id est, merita bona informa in me, juxta id quod sacra Scriptura docet. *Gressus*, profectus spirituales, ut in Cantico : « Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis [16], » quod valde speciosi sunt Ecclesiæ profectus in exemplis.

Gibbus est quilibet cupidus, ut in Levitico : « Si gibbus fuerit, non offerat panes Domino [17], » quod qui cupiditati subjacet, Deo spirituale sacrificium non valet offerre.

Gigas est Christus, ut in Psalmis : « Exsultavit ut gigas ad currendam viam [18], » quod Christus hilari quadam fortitudine et forti hilaritate vitæ præsenti cursum peragit. *Gigas*, quilibet sanctus, ut in Psalmis : « Non salvabitur gigas in multitudine virtutis suæ [19], » quod nec sanctus animus in sanctitate sua sine Dei auxilio salvari potest. *Gigas*, diabolus, ut in Job : « Irruit in me quasi gigas [20], » diabolus superbe se erexit contra me. *Gigas*, criminale peccatum, ut in libro Ecclesiastico : « Nunquid non occidit gigantem [21] ? » quod criminale peccatum in se electus quilibet perimere studet. Per *gigantes* prælati, ut in Job : « Ecce gigantes gemunt sub aquis [22], » quod prælati non sine dolore possunt esse solliciti de subjectis. Per *gigantes* superbi homines, ut in Genesi : « Gigantes * regnant super terram [23], » quod homines reprobi regnant in præsenti vita. Per *gigantes* principes terræ, ut in Isaia : * « Suscitabit tibi gigantes [24], » id est, eriget in mundo principes sublimes. Per *gigantes*, desperantes, ut in Isaia : « Gigantes non resurgant [25], » quod qui desperant, de peccatis per pœnitentiam non resurgunt. Per *gigantes* dæmones * « Terram gigantium detrahes in ruinam [26], » id est, infernum, qui est habitatio dæmonum, destrues. *Gigas*, quilibet homo fortissimus, ut in Psalmis : « Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ [27], » id est, in tolerantia passionum, et velocissimus in transcensu rerum mundanarum, et non tamen salvabitur in multitudine virtutis suæ, sine auxilio gratiæ.

Gomor est virtus discretionis, ut in Exodo : « Gomor per singula capita [28], » quod singuli electorum virtutes exercere debent discretionis.

Gurges est * impetus persecutionis, ut in cantico Abacuc : « Gurges aquarum transiit [29], » id est, impetus populorum persequentium cessavit.

Gurgustium est sancta Ecclesia, ut in Job : « Aut gurgustium piscium capite illius [30] ? » quod ipsos summos diaboli imitatores, Ecclesiæ sanctæ, quæ piscatoribus commissa est, Deus misericorditer vocando * uniunt.

Guttur est doctrina Christi, dicente sponsa in Cantico : « Guttur illius suavissimum [31], » quod doctrina Christi et gratiam parat adjuvantem, et vi-

[1] I Cor. XII, 2. [2] Apoc. XVIII, 3. [3] Psal. LXXVII, 55. [4] Job. XXVIII, 6. [5] Job. XXXIX, 13. [6] Luc. XII, 32. [7] Cant. IV, 2. [8] Ibid. [9] Job. XXIV, 2. [10] Cant. I, 8. [11] Psal. LXXVII, 70. [12] Job. XXIV, 16. [13] Job. XVIII, 7. [14] Job. XXXV, 4. [15] Psal. CXVIII, 133. [16] Cant. VII, 1. [17] Lev. XXI, 20. [18] Psal. XVIII, 6. [19] Psal. XXXII, 16. [20] Job. XVI, 14. [21] Eccli. XLVII, 4. [22] Job. XXVI, 5. [23] Gen. VI, 4. [24] Isa. XIV, 9. [25] Isa. XXVI, 14. [26] Ibid. v. 19. [27] Psal. XXXII, 16. [28] Exod. XVI, 16. [29] Hab. III, 10. [30] Job. XL, 26. [31] Cant. V, 16,

Digitized by Google

tam permanentem, vel *guttur sponsi*, est internus sapor verborum Christi, quem pauci gustant: qui autem gustant, amplius esuriunt; vel sicut in labiis Domini verba quæ dicebat, sic in gutture patet occulta dispositio bonitatis ejus intellectus, qua factum est ut nobis foris loqueretur. *Guttur* etiam pro corde ponitur, et pro voce. *Guttur*, quilibet prædicator, ut in Cantico: « Guttur tuum sicut * vox [1] » quod prædicator Ecclesiæ, in quo vox Domini resonat, ebrietatem supernæ dilectionis annuntiat.

Guttæ sunt sententiæ hæreticorum, ut in Cantico: « Cincinni mei pleni guttis noctium [2], » id est, populi mei seducti sunt per sententias hæreticorum. *Guttæ*, angustia, ut in Evangelio: « Sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram [3], » quod labores corporis Christi, quod est Ecclesia, * pleni sunt angustia.

Galilæa, quæ *rota* interpretatur, mundum significat, * quæ semper ad finem rotat. *Galilæa*, * et quæ *transmigratio facta* interpretatur, commutationem vitæ significat, aliquando malæ in bonam, aliquando bonæ in beatam. De iis reperiuntur exempla in Evangelio quamplurima.

H

Hamus.	*Hinnitus.*	*Herodes.*
Herbæ.	*Hircus.*	*Hastile.*
Herodius.	*Horribilis.*	*Hædus.*
Hermon.	*Harundo.*	* *Heremus.*
Hyems.	*Humus.*	*Hydropicus.*
Hastæ.	*Humor.*	*Hodie.*
Hyenæ.	*Humerus.*	*Holocaustum.*

Hamus est humanitas Christi, ut in Job: « An extrahere poteris Leviathan hamo * ? » quod dum in Christo diabolus escam corporis momordit, deitatis eum aculeus, quæ in humanitate latuit, transfixit. *Hamus* intelligitur verbum prædicationis, in quo invenitur esca internæ beatitudinis. Inde Dominus, postquam beato Petro rationabili * argumento probavit se non debere didragma solvere quod filius regis erat, intulit, dicens: « Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum [5]; » ac si diceret omnibus fidelibus, quorum in hoc sæculo Petrus typum tenet: Exite in mundum, prædicate eum in quo pendet beatitudo regni cœlestis. « Et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, » id est, Christum, qui primus de hoc mundo transiit ad Patrem in cœlum, fide et amore complectere. « Et aperto ore ejus, invenies staterem, * » et expositis sermonibus ejus invenies perfectam non solum redemptionem, sed etiam remunerationem. Stater enim genus est * minimi, continens duo didragmata, hoc est, geminum dragma. « Illum, inquit, sumens, da eis pro me et pro te. » « Pro me, » scilicet qui solvo quod non rapui: « pro te » autem, qui quod Dei erat, hoc est, nulli subesse, in primo homine rapuisti. Quisquis ergo reus est, quærat in Christi verbis redemptionem, et * vivet: quod Deus sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; illum reddat exactoribus suis pro se opponens illum malignis spiritibus qui unum homini dragma contulerunt, et duo exigunt: contulerunt ei superbiam, et quotidie exigunt usuram. Hic est improvisus interitus terrenarum ambitione rerum obvolutus; unde dicit Ecclesiastes: « Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, sic homines rapiuntur tempore malo [6], » cum eis exemplo supervenit.

Hastile est sancta Ecclesia, ut in Exodo: « Hastile candelabri et calamos [7], » id est, Ecclesia Christi et sancti prædicatores.

Hastæ nomine Christus intelligitur, vel apostoli. Hinc scriptum est: « In luce sagittarum tuarum ibunt [8], » quod in auctoritate eloquiorum tuorum apostoli per totum mundum proficient, hoc est, in manifesta virtute miracula facientis Christi, Filii tui. Aliter: « In luce sagittarum tuarum ibunt, » quod prædicatione et exemplo apostolorum tuorum venient ad fidem homines. « In splendore * hastæ tuæ *, » in virtute apostolorum tuorum, qui directi sunt et miracula faciunt. *Sagittæ* dicuntur apostoli, quod longe mittuntur; *hastæ*, quod cominus ferient. Prima pars ultimæ sententiæ et ultima primæ, tertiam conjunctæ faciunt. *Hasta*, sancta prædicatio, ut in Job: « Subsistere non poterit hasta [9], » quod Antichristum nulla prædicatio poterit convertere ad vitam. *Hasta*, potestas regni, ut in libris Regum: « Tolle hastam, quæ est ad caput ejus [10], » quod Christus a principibus Judæorum potestatem regni sustulit. *Hasta*, persecutio, ut in Job: « Super ipsum sonabit pharetra, * vibrabit hasta [11], » quod virum sanctum reproborum et malitia contiget, et persecutio vexabit. *Hasta*, doctrina hæreticorum, ut in libris Regum: « Ferrum hastæ ejus sexcentos * siclos habebat ferri [12], » quod doctrinæ hæreticorum vel doctrinæ hæreticæ plenam eruditionem vel perfectionem mature ostendit. *Hasta*, superbia, ut in libris Regum: « Cum esset in nemore quod est in Rama, hastam manu tenens [13], » quod elatus quilibet in † excessu delectatione et delectabili celsitudine superbiam opere exercet.

Habitaculum intelligitur Christus et Ecclesia, juxta illud: « Sol et luna steterunt in habitaculo suo [14], » quod licet principes sæculi potentiam suam ostenderent in persequendo, Christus tamen in Ecclesia et Ecclesia permansit in Christo. *Habitaculum* significat mentem, juxta illud: « Ecce angelus Domini astitit [15], » quod Christus fidelem suum juvare paratus fuit: « Et lumen refulsit in habitaculo carceris, » quod divina gratia coruscavit in mente peccatoris, in qua locum habuit tribulatio diabolicæ tentationis. *Carcer* enim hic, ut in plerisque locis, significat tribulationem. *Herodes*, diabolum. Petrus autem in carcere vinctus catenis duabus, vindicat animam prius in bono constantem, et postea compede dilectionis et consensus astrictam unanimode

[1] Cant. VII, 9. [2] Cant. V, 2. [3] Luc. XXII, 44. [4] Job. XL, 20. [5] Matth. XVII, 27. [6] Eccl. IX, 12. [7] Exod. XXV, 31. [8] Habac. III, 11. [9] Job. XLI, 17. [10] I Reg. XXVII, 11. [11] Job. XXXIX, 26. [12] I Reg. XVII, 7. [13] I Reg. XXII, 6. [14] Habac. XI, 3. [15] Act. XII, 7.

Digitized by Google

tribulationi tentationum inimici subjacentem. *Habitaculum*, superna Jerusalem, juxta illud : † « Erraverunt in solitudine in inaquoso [1], » quod erant sine Deo et sine divino verbo : « Viam civitatis habitaculi non invenerunt, » quod † fidelem Ecclesiæ portantis imaginem supernæ Jerusalem habuerunt. *Habitaculum* est actio, ut in libro Numeri, « Robustum quidem habitaculum tuum, » id est, fortis est actio tua.

Halitus. Vide supra *Alitus.*

Harundo significat sacram Scripturam, ut scriptum est in Apocalypsi. « Et angelus, qui loquebatur mecum [2], » hoc est, Filius, paternæ voluntatis nuntius, « habebat harundinem auream, » hoc est, sacram Scripturam, divina sapientia rutilantem, « ut meteretur civitatem, » † ad mensuram capacitatis doceret communem Ecclesiam, « et portas ejus, » qui alios defendunt. « Et civitas in † quadra posita est, » quod quatuor latera habet Ecclesia, fidem, spem, et charitatem, et operationem, quæ dicuntur æqualia, quod quantum credit, tantum sperat ; et quantum sperat, tantum amat ; et quantum amat, tantum operatur. *Harundo* significat instabiles : unde Dominus de Joanne : « Quid existis in deserto videre? Harundinem vento agitatam [3] ? » quod videlicet non asserendo, sed negando intulit. Joannes enim harundo vento agitata non erat, quod nec terrore concussus est, nec timore seductus : sed stabilis in timore Dei permansit. *Harundo* significat gentilem populum, juxta illud : « Harundinem quassatam non confringet [4], » quod in carne Christus veniens gentilem populum jam desperatum ad veniam revocavit, quod venit salvare, quod perierat. *Harundo* significat vitiosos, juxta illud : « Increpa feras harundinis [5], » id est, destrue hæreticos, qui in palude vitiorum commorantur, vel, qui sacræ Scripturæ fallaciter adversantur.

Harena significat infideles infructuosos, juxta illud Dominicum : « Dinumerabo eos, et super harenam [6], » etc., quod electi cadent apud me in numerum certum, ut pote pauci ; « et super harenam maris, » quod Dominus infideles superabit in merito, et electi superabunt fideles in mundo. *Harena* significat amorem mundi, in quo quidquid ædificatur, ruinæ paratur. Unde Dominus in Evangelio : « Omnis, qui audit sermones meos, et non facit eos, similis est homini ædificanti domum super harenam. Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et facta est ruina magna [7]. » Domum suam super arenam ædificat quisquis in amore mundi mentem suam firmiter collocat : sed dum carnales illecebræ et gravissimæ persecutiones et immundi spiritus hanc domum, quæ super infirmo fundamento constituitur, undique irruunt : fit itaque ruina illius tanto gravior, quanto sumptus ædificii fuerit largior. *Harena* significat infirmitatem rerum, de quibus agitur, juxta illud : « Et pluit super eos, sicut pulverem, carnes [8], » hoc est, abundanter, « et sicut † harena maris volatilia, » hoc est, infinitas coturnices. *Harena* electi sunt, ut in Genesi : « Faciam semen tuum sicut arenam quæ est in littore maris [9], » quod veros Abrahæ filios Deus consummatione sæculi beatificabit. *Harena*, reprobi, ut in Apocalypsi : « Et stetit draco super arenam maris [10], » quod diabolus in fluidis reproborum mentibus dominatur.

Herbæ nomine Christus intelligitur incarnatus, Job dicente : « Nunquid rugiet onager, cum habuerit herbam [11] ? » Onager herbam invenit, cum gentilis populus Christum incarnatum fide percepit, quam vere pravus non habuerit, qui jejuniis rugit. Aliter, dum quis ex vita sæculari visionis † internæ desideriis æstuans compunctione sua reficit se, velut onager herbam non habens rugit : sed cum ad vitam æternam pervenit, de percepta herba sine fine gaudebit. *Herbæ* nomine fidei viror intelligitur, dicente Domino : « Sic est regnum Dei, † quod si faciat homo semen in terram, et dormiat, et exsurgat nocte ac die, et semen † terminat, et crescat dum nescit ille. Ultro enim terra fructificat primo herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica [12]. » « Regnum Dei, » sancta Ecclesia est ; « homo, » Christus, « qui semen in terram jacit, » quod verbum Dei per se et apostolos ubique prædicavit. « Homo dormit, » quod Christus in cruce somnum mortis suscepit. « Semen nocte ac die surrexit, » quod neque mors, neque vita verbum Dei retardare potuit. Unde Apostolus : « Laboro usque ad vincula † male operans : † quod verbum Dei non est alligatum [13]. » Semen « germinavit, » dum verbum prædicationis in populo honorificato radicavit : Semen « crevit, » dum in Judæis verbum et in gentibus se dilatavit. Hoc autem factum est, « dum homo ille nescivit, » hoc est, dum Christus corporaliter absens fuit, ut in Psalmis loquitur : « Populus quem non cognovi servivit mihi [14] ; » « populus, quem non cognovi, » scilicet corporali præsentia. « Ultro enim terra fructificavit, » quod fidelis populus accepto divini verbi semine fructum justitiæ in se propagavit. Quomodo « primum protulit herbam, » hoc est, fidem viventem, « demum spicam, » hoc est, bonam operationem, licet imperfectam : « demum plenum frumentum in spica, » hoc est, bona opera nihil imperfectionis habentia, « et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, » quod postquam fides et operatio, quæ de verbi semine † proderint, ubique se dilatavit, Christus judicium exercebit : « quoniam adest messis, » id est, consummatio sæculi. Cum enim plenitudo gentium introierit, veniet dies judicii, id est, finis mundi. *Herbæ* nomine spiritualis quisque intelligi potest, dicente Domino, in agro seminato : « Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparue-

[1] Psal. cvi, 14. [2] Apoc. xxi, 15. [3] Matth. xi, 7. [4] Matth. xii, 20. [5] Psal. lxvii, 31. [6] Psal. cxxxviii, 18. [7] Matth. vii, 26, 27. [8] Psal. lxxvii, 27. [9] Gen. xxii, 17. [10] Apoc. xii, 18. [11] Job. vi, 1. [12] Marc. iv, 26, 27, 28. [13] II Tim. ii, 9. [14] Psal. xvii, 44.

Digitized by Google

runt etiam zizania [1]. » *Sator* est † hominis : *ager*, mundus : *bonum semen*, filii lucis ; *zizania*, filii iniquitatis ; *homines dormientes*, prælati negligenter agentes : *inimicus* est diabolus : *herba crescens*, † spiritualis, est ad meliora proficiens fructus ejus : bonum opus illius. « Tunc apparuerunt zizania, » quod cum quisque bene vixerit, tunc poterit videre, quis malus fuerit † servi patrisfamilias : qui videntes homines a Deo bene conditos, per doctorum negligentiam diabolico † instructis depravatos, volunt omnes male viventes auferre de medio, habentes zelum Dei, sed non secundum scientiam. Dominus enim aliud vult, et causam subjecit, dicens : « Non, ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis et triticum. » Hic datur locus pœnitentiæ, et monemur, non cito amputare aliquem de consortio fidelium. Potest enim fieri, ut, qui videtur hodie lolium esse, interveniente per Dei gratiam pœnitentia, cras † fiet triticum. « Sinite itaque utrumque crescere usque ad messem, et tempore messis dicam messoribus : Tollite zizania, et alligate ea † fasciculos ad comburendum ; triticum autem congregate in horreum meum. » *Messis* est consummatio sæculi : messores, angeli : alligatio zizaniorum in fasciculos innuit unius criminis consortes, unius pœnæ futuros esse participes : *triticum*, sancti : *horreum*, mansio cœlestis. Huic autem præcepto Domini, quo ait, Sinite utraque crescere usque ad messem, videtur esse contrarium, quod ait Apostolus : « Auferte malum de medio vestrum [2], » et nequaquam societatem cum fratre habendam, qui nominatur fornicator, aut avarus, etc. Si enim prohibetur separatio, et usque ad messem tenenda est patientia, quomodo ejiciendi sunt mali de medio † vestrum ? nunquid judex aliud prædicat, aliud præco clamat ? Sed quoniam inter triticum et zizania, quod nos dicimus lolium, quandiu herba est, et necdum culmus venit ad spicam, grandis similitudo est, et in discernendis aut nulla difficilis distantia : præmonet Dominus, ne de ambiguis cito sententiam proferamus, et ideo judicii, quod occultum est, reservemus, qui malos in die judicii non ex suspicione criminis, sed per manifestum reatum de cœtu sanctorum ejiciat : Apostoli vero semino de paleis est, hoc est, de aperte malis, quod vel proprio ore confessi . . . vel ecclesiastico judicio convicti fuerint. Quod etiam nominatio in verbis Apostoli evidenter innuit. Cæterum Dominus de generali omnium malorum separatione, de qua sermonem habuerunt, agit : Paulus autem de spirituali quorumdam, ut dictum est, convictorum, quæ tum causa correctionis eorum facienda est quantum fieri potest pace Ecclesiæ, sine scandalo bonorum, « ne forte, » sicut ait Dominus, « eradicetur et triticum. » *Herbæ* nomine virtutes intelliguntur, dicente Moyse ' in canti-co Deuteronomii : « Concrescat ut pluvia doctrina mea [3], » ut fecundet mentes auditorum, « fluat ut ros eloquium ' tuum, » ut refrigeret æstus vitiorum : quasi imber super herbam, ut virere faciat germina virtutum, et quasi stillæ super gramina, ne unquam arescant. *Herbæ* nomine, luxuriosæ et lubricæ concupiscentiæ designantur, dicente Job de Behemoth : « Huic montes herbas ferunt [4], » quod superbi divites ad libitum Satanæ luxuriosas et lubricas concupiscentias gignunt et nutriunt. *Herba*, scientia bona, ut in Jeremia : « Defecerunt oculi eorum, quia non erat herba [5], » id est, prælati synagogæ evanuerunt, quod spiritualem scientiam non habuerunt. *Herba*, bona actio, ut in Genesi, « Germinet terra herbam virentem [6], » ' exerceat homo actionem congruentem. *Herba*, subsidium temporale, ut in Psalmo : « Et herbam servituti hominum [7], id est, temporale subsidium necessitati prædicatorum. *Herba*, gloria mundana, ut in Psalmo : « Mane sicut herba transeat [8], » quod apparente vitæ futuræ claritate, mundi gloria deficiet. Per *herbas*, decreta planiora, ut in Job : « Mandebant herbas et arborum cortices [9], » quod hæretici prave intelligendo et decreta planiora et sanctorum exempla pervertunt. Per *herbas*, sententias Veteris Testamenti, ut in libris Regum : « Egressus in agro ut colligeret herbas agrestes [10], » quod legere debemus in sacra Scriptura, et per intellectum sectari sententias veteres. Per *herbas* voluptates carnales, ut in Job : « Huic montes herbas ferunt [11]. » Per *herbas*, gaudia æterna, ut in ' Jeremia : « Ibi requiescunt in herbis virentibus [12], » quod electi quietem habebunt in gaudiis immarcescibilibus.

Hædus est Christus, ut in Exodo : « Tolletis et hædum, et immolabitis eum [13], id est, accipietis, o Judæi, Christum, ' id est, crucifigetis eum, qui non solum innocens pro nocentibus, sed et justus pro injustis voluit crucifigi, tentatus per omnia pro similitudine, absque peccato [14]. *Hædi* sunt peccatores, qui ad sinistram judicis erunt [15] ; unde sponsus in Cantico sponsam adhuc novellam, et ideo per hæreticos decipi trepidantem, benigna increpatione redarguit, dicens : « Si ignoras te, o pulchra inter mulieres [16], » quasi dicat : si ita simplex [es,] ut, rectum quid sit, ignores ; si memoriæ excidit, cujus es imbuta doctrinis, et informata exemplis, « egredere a consortio meo, et abi post vestigia gregum, » sequere varios actus errantium : « et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum, » doce perditos et perdendos auditores tuos ' secuta scholas insipientium magistrorum tuorum, vel, hædos pascere, est immunditiam carnis nutrire. Non præcipit hoc Dominus, sed permittit, et quid eventurum sit, ignoranti prædicit. *Hædus*, pœnitentia, ut in Genesi : « Mittam tibi hædum de capris [17], » quod

[1] Matth. XIII, 26 seq. [2] I Cor. V, 13. [3] Deut. XXXII, 2. [4] Job. XL, 15. [5] Jer. XIV, 6. [6] Gen. I, 11. [7] Psal. CIII, 14, et CXLVI, 8. [8] Psal. LXXXIX, 6. [9] Job. XXX, 4. [10] II Reg. IV, 39. [11] Job XL, 15, [12] Ezech. XXXIV, 14. [13] Exod. XII, 5. [14] Heb. IV, 45. [15] Matth. XXV. [16] Cant. I, 7. [17] Gen. XXXVIII, 17.

Digitized by Google

Christus Ecclesiæ pro pristinis erratibus pœnitentiam infundit. *Hædus*, appetitus carnis, ut in libro Judicum : » Coxit hædum Gedeon [1], » quod, qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et cuncupiscentiis [2]. Per *hædos* voluptuosi sensus corporis, ut in Cantico : « Pasce hædos tuos [3], id est, permittam te nutrire voluptuosos sensus tuos. Per *hædos*, reprobi, ut in Evangelio : « Statuet quidem oves a dextris, hædos autem a sinistris [4], » quod electi salvabuntur, et reprobi damnabuntur.

Herodius est Christus, ut in Psalmis : « Herodii domus dux est eorum [5], » quod Ecclesia, quæ est habitatio Christi, electos ad vitam perducit. *Herodius*, perfectus quilibet, ut in Job : « Penna struthionis similis est pennis herodii [6], » quod talem aliquando hypocrita publice actionem ostendit, qualem exercet ille qui in omnibus perfectus est.

Heremus est Judæa, ut in Psalmis : « Interrupit petram in heremo [7], » id est, duritiam confregit in Judæa, « Et adaquavit eos velut in abysso multa [8], » * profudit in toto mundo abundantiam divinorum charismatum. *Heremus*, gentilitas, ut in Propheta : « Germinaverunt * campi heremi [9], » quod intuitus gentium populus ad fructum legem exposuit, quam videns velut odore tantum suscepit. *Heremus*, austera, tranquilla et secura vita, ad quam vere servis Dei fugiendum est.

Hermon gentiles indicat, ut in Psalmis : « Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt [10], » quod Judæi per legem venientes et illuminati, et gentiles diabolum anathematizantes, et a vitiis alienati Domino tuo subdi gaudebunt. * Thabor enim veniens lumen, Hermon anathema vel alienon dicitur Hermon, quod interpretatur lumen exaltatum, Christum significat, dicente psalmo : « Sicut ros Hermon, qui descendit in monte Sion [11], » id est, gratia Christi * exaltati, qui venit ad Ecclesiam, quod tale est fratres habitare in unum consensum, qualis est gratia Christi, quæ descendit in eminentiores ecclesiæ. Futura speculantis *Sion* specula interpretatur.

Hydropicus, * quilibet, ut in Evangelio : « Et ecce hydropicus erat ante eum [12], » quod avarus, quo amplius abundat, eo plus desiderat, sicut hydropicus, quo magis bibit, eo magis sitit.

Hiems, quod tempus inæquale est, et tempestatibus abundat, abundantiam iniquitatis designat. Unde Dominus in Evangelio secundum * Marcum : « Orate ne fuga vestra fiat in hieme [13], » id est, quando in abundantia fueritis, « vel in sabbato, » quam sententiam Lucas ita ponit : « Vigilate omni tempore orantes ut digni habeamini fugere a ventura ira, et stare ante Filium hominis [14]. » *Digni* autem non erunt, qui tunc in abundantia iniquitatis, et non in boni operis vocatione inventi fuerint. Vel, hiems est inhabilis ad * itus attinente frigore : sabbato autem longius ire non licet, prohibente lege [15]; et est sensus : Prævidete ne tunc incipiatis iram Dei fugere, quando non licet ambulare. *Hiems* frigus infidelitatis, dicente sponso ad sponsam in Cantico. « Surge, amica mea [16], » a quiete contemplationis, « et veni » ad officium prædicationis : « jam enim hiems * transiit, » id est, congelatio infidelitatis a cordibus gentium : « imber abiit et recessit, » persecutio paulatim deficiens omnino cessavit. *Hiems*, malitia, ut in Evangelio. « Facta sunt encœnia in Jerosolymis, et hiems erat [17], » quod quando in festo illo Deus docuit, eorum contra illum malitia exarsit. *Hiems*, ultimum judicium, ut in Parabolis; « Parat in æstate quod comedat in hieme [18], » id est, meretur in præsenti vita, pro quo remunerabitur in * futura.

Hyæna est diabolus, ut in Propheta : « Spelunca hyænæ est hæreditas mea, » id est, Judæi, quos in hæreditatem elegi, me abjecto diabolum in se susceperunt.

· *Hinnuli* sunt virtutes spirituales, ut in Cantico : « Duo ubera tua sicut duo hinnulli [19], » quod in utroque populo, Judaico videlicet et gentili, spirituales viri sunt.

Hinnitus est prædicatio, ut in Job : « Circumdabis collum equi hinnitu [20], » id est, mentem prædicatoris ditabis sancta prædicatione.

Hirundo, assiduitas orationis, ut in Isaia : « Sicut pullus hirundinis [21], » id est, jugiter, ad instar hirundinis, festinanter orabo. Per *hirundines*, superbi, ut in libro Tobiæ [22] ex nido hirundinis dormienti illi calida stercora incidebant oculis ejus, id est, ex fomento superborum flammantes libidines interiores sensus occupabant.

Hircus est Christus, ut in Levitico hircus emissarius peccata populi portabat [23]; quod Christus in mundum a Patre missus humani generis peccata portabat. Hirci illi duo, quorum unus occiditur, alter in desertum mittitur, Christum et * Barrabam mystice designant. Christus enim pro peccatis populi mortem subit : et * Barrabas ad infernum descendit. Item :

> Ante fores templi binos lex applicat hircos :
> * Unus de ferro mittitur, alter obit.
> Christus diversis virtutibus hircus uterque :
> Nam tulit in ligno, vivit in arce poli.

Sicut enim Christus figuratus est in agno propter innocentiam : ita et in hirco propter carnis peccatricis multitudinem. *Hircus*, motus luxuriæ : ut in lege : « Tollite hircum pro peccato [24], » id est, exstinguite in * nobis luxuriæ motum, priusquam ad plenum arcum proruatis. *Hircus*, carnis immunditia, ut in Psalmis : « Offeram tibi boves cum hircis [25], » id est, ad honorem tuum mactabo in me superbiam

[1] Jud. VI, 19. [2] Gal. V, 24. [3] Cant. I, 8. [4] Matth. XXV, 33. [5] Psal. CIII, 17. [6] Job. XXXIX, 16. [7] Psal. LXXVII, 15. [8] Ibid. [9] Joel. II, 22. [10] Psal. LXXXVIII, 13. [11] Psal. CXXXII, 3. [12] Luc. XIV, 2. [13] Marc. XXIV, 20. [14] Luc. XXI. [15] Exod. XVI, 29. [16] Cant. II, 10. [17] Joan. X, 22. [18] Prov. VI, 8. [19] Cant. VII, 3. [20] Job. XXXIX, 22. [21] Isa. XXXVIII, 14. [22] Tob. II, 11. [23] Lev. XVI, 22. [24] Lev. IX, 3. [25] Psal. LXV, 15.

Digitized by Google

mentis cum petulantia carnis. Per *hircum* opera pœnitentiæ : ut in cantico Deuteronomii : « Et hircos cum medulla tritici [1], » id est, opera faciet pœnitentiæ, quando percipit corpus Christi. Item [2] : « Constituit eum (hoc est, populum de Ægypto eductum) super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo : butyrum de armento, et lac de ovibus cum adipe agnorum et arietum filiorum Basan, et hircos cum medulla tritici, et sanguinem uvæ biberet meracissimum. » Mystice, « populus Judæorum » est populus Christianorum, Deum confitentium. « Ægyptus » est infidelitas ; « mare Rubrum, » baptismum in Christi sanguine consecratum, « desertum, » mundus ; « terra Basan », quæ est in montanis, et *siccitas* interpretatur, Ecclesiæ, ab amore mundi penitus sicca * omnique mundi celsior intelligitur. « Fructus agrorum » virtutes sunt et opera fidelium. « Mel de petra, » dulcedo evangelicæ doctrinæ de Christo ante passionem. « Oleum de saxo durissimo, » * mistio Spiritus sancti de Christo immortali facto : « butyrum de armento, » pinguis et subtilis doctrina fortium. « Lac de ovibus », levis doctrina simplicium. « Adeps agnorum et arietum, » spirituale desiderium, quod nobis exemplo simplicium in subditorum et fortium propositorum filiorum Ecclesiæ adhuc ministratur. *Hircus*, opera pœnitentiæ in omni gradu virtutum necessaria. « Medulla tritici et sanguis uvæ * biberet meracissimus, » puritas corporis Christi et sanguis ejus suavissimus, quibus Dei populus ad salutem emittitur : hircus enim, qui petulans est, luxuriæ deditos indicat.

Homo est Deus Pater, ut in Evangelio : « Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo [6], » id est, Deo Patri, qui Ecclesiam conjunxit Christo. Tum enim Deus Pater Filio suo nuptias fecit, quando Verbo suo naturam suam univit. *Homo* intelligitur Christus, ut in Evangelio : « Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos, et radidit illis bona sua [4] ; » Christus enim secundum carnem ad cœlum ascensurus, discipulis suis, quos elegerat, diversa bona pro singulorum * captivitatem largitus est. « Uni dedit quinque talenta, » hoc est, exteriorum sententiam, quæ sensibus corporis subjacet : « alii unum », hoc est, interiorum intellectum : « alii vero duo, » hoc est utrumque. Quinque talenta duplicantur, cum et alii exteriora fideliter ministrare docentur. Duo autem talenta alia duo faciunt, quoties alii et rebus exterioribus bene præesse, et spirituali intelligimine formantur nihilominus deservire. Talentum vero in terram defodere est omnem intellectum terrenis solummodo negotiis implicare. Porro talentum abscondit, quisquis acceptum a Deo intellectum nemini pandit. *Homo*, Redemptor mundi, ut in Job : « Non aspiciet me visus hominis [8], » id est, non me revocabit misericordia Redemptoris. *Hominis* appellatione * designantur, ut in Psalmis legitur : « Ortus est sol [9], » resurrexit Dominus, « et congregati sunt, » Judæi scilicet in unitatem fidei : « et in cubiculis suis collocabuntur, » quod baptizati requiescent in conscientiis suis. « Exibit homo ad opus suum, » quod Christo resurgente, et multitudine Judæorum ad fidem veniente, chorus apostolorum in omnem terram exivit ad prædicandum evangelium, quod prius residebat propter metum Judæorum, « et ad operationem suam usque ad vesperam, » id est, ad continuam prædicationem, usque ad tenebritatem in fine sæculi, per Antichristum futuram. *Operatio* est operis continuatio. *Homo*, quilibet prædicator, ut in Evangelio : Ite in castellum quod contra vos est, et invenietis asinam alligatam, super quam nemo hominum sedit [7], » quod populum gentilem nullus adhuc docuerat prædicator. Intrantes enim mundum apostoli contrarium illum invenerunt populum gentium, peccatorum vinculis irretitum, cui nullus rationabilium doctorum præfuit, qui per frenum correctionis vel a malo cohiberet, vel bonum eos tenere cogeret. *Hominis* nomine justus accipitur, ut illud : « Conturbati sunt omnes qui viderunt eum [5], » quod corde compuncti sunt, qui peracta resurrectione Salvatoris intelligebant, Judæos esse inefficaces, « et timuit omnis homo, » quod consortium illorum omnis justus ratione vigens expavit. *Homo*, evangelista Matthæus, ut in Ezechiele : « Facies hominis [3], » quod Matthæus, pro eo quod de homine scribere cœpit, per hominem expressus est. *Homo*, ratio mentis, ut in Evangelio : « Hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam, » id est, .. mihi interna deesse, quæ per meditationem Dominicæ passionis sanet me. *Homo*, quilibet iniquus, juxta illud : « Judicare pupillo et humili [10], » id est, ut non præsumat amplius iniquus superbire in terrenis. Hoc est enim desiderium pauperum, quod exaudivit Dominus : vel eatenus, quibus mundus iste mortuus est, et qui sunt humiles judicetur quatenus ulterius quilibet iniquus non præsumat extollere se super sanctos, qui retento divini verbi semine fructum afferunt in patientia. *Homo*, Antichristus, ut in Paulo : « Quoniam nisi venerit * dissensio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus [11]. » Subaudiendum est, non veniet dies Domini. *Dissensionem* vocat Apostolus separationem decem Regum a Romano imperio, id est, Persarum, Saracenorum, Wandalorum, Gothorum, Longobardorum, Burgundionum, Francorum, Hunnorum, Alemannorum, Suevorum, quos omnes Antichristus : * quod licet Domini et Dei filium se fecerit æstimari : ipse * enim præter id quod puri hominis sit, nihil in se divinitatis habebit. « Homo peccati » dicitur : quod

[1] Deut. XXXII, 14. [2] Vers. 13. [3] Matth. XVIII, 23. [4] Matth. XXV, 14. [5] Job. VII, 8. [6] Psal. CIII, 22. [7] Matth. XXI, 2. [8] Marc. VI, 50. [9] Ezech. I, 5, 10. [10] Psal. X, 18. [11] II Thess. II, 3.

Digitized by Google

in peccatis conceptus et natus peccatis augendis operam dabit. « Filius perditionis » est, quod ad hoc nascitur in mundo, ut alios perdat, et ipse tandem in æternum pereat. « Adversabitur autem omni bono, » ut pote plenus omni malo : nimirum in quo tota nequitia diabolicæ fraudis inhabitabit. In tantam denique prorumpet vesaniam, ut non solum Jovi et Mercurio, * cæteris diis nuncupativis, verum et sanctæ Trinitati, quæ vera fide omnium credentium colitur, præsumat se * auferre. Sed, sicut Psalmus de eo pronuntiat, quæretur peccatum illius, usque ad ictum oculi inanitum factum, et ipse non invenietur, quod sine fine perdetur. « Homo peccati » dicitur, quod peccato ex toto se subjiciet. *Homo* dicitur diabolus, non propter naturam, sed propter culpam et infirmitatem. Hinc scriptum est in Evangelio, quod dormientibus hominibus *inimicus homo* superseminavit * zizaniam in medio tritici : quod nimirum prælatis negligenter agentibus antiquus hostis de filiis lucis facit filios tenebrarum, et, quod dulce erat, convertitur in amarum. « Inimicus homo hoc fecit [1], » quod diaboli semper officium, bonis mala immiscere. *Hominis* nomine genus humanum intelligitur, juxta illud Joannis in Apocalypsi : « Sub iis tribus plagis occisa est pars hominum, de igne, fumo et sulphure, quæ procedebant de ore eorum [2], » duæ siquidem partes generis humani salvandæ sunt, id est, activi et contemplativi : tertia est reproborum. Iis sibi diversæ pœnæ redduntur in inferno, secundum diversa commissa, quibus * consciendo occisi sunt in hoc mundo, quæ commissa ex prædicatione ministrorum Antichristi procedunt. Ii enim ignem æternum sensuri sunt, qui cupiditatibus suis nullam hic terminum posuerunt. Ibi fumo afficientur, qui superbiæ hic tenebris exœcantur, ii fœtorem sulphuris habebunt, qui dum viverent, fœtori se luxuriæ sine remedio subdiderunt. *Hominis* nomine patriarchæ significantur, juxta illud : « De cœlo prospexit super filios hominum [3], » quod Verbum Dei per assumptam humanitatem visitavit Judæos, de patriarcharum stirpe progenitos. Aliter ibi : « Deus de cœlo prospexit, » quod Christus per apostolos, qui *cœli* dicuntur, visitavit universam progeniem primorum parentum : quod « in omnem terram exivit sonus eorum. » Leguntur alii hominum et in malo, juxta illud : « Verumtamen * filii hominum [4], » quod in mundanis sperant, imitatores mundanorum. « Mendaces filii hominum in stateris [5], quod fraudem faciunt, non solum in promissis, sed et in petitivis, sive in judiciis : ut quis ut decipiant, quoscunque poterant, quomodo ipsi de vanitate in idipsum, hoc est, in vanitatem tendentes; de vanitate namque in vanitatem tendunt, qui per fraudes ad divitias veniunt, vel per divitias in superbiam se extollunt. Et notandum quod omnis filius hominis est homo; non autem omnis homo, filius hominis. Adam enim Deo creante factus est; unde nonnunquam distinguuntur homines et filii hominum; qui ut Adam hominem imitantur, *homines* vocantur : et qui Christum, filium hominis, *filii hominis* nominentur. Hinc scriptum est : « Homines et jumenta salvabis [6] : » carnales enim temporali salute potiuntur, quæ per abundantiam misericordiæ divinæ et bestiis communis est : *filii* autem *hominum*, qui non Adam hominem, sed Christum Filium hominis imitantur : « In tegmine alarum tuarum sperabunt [7], » non scilicet in iis quæ dantur malis, sed in protectione misericordiæ tuæ et miserationis. Sciendum vero quod homo aliquando dicitur per naturam, aliquando per culpam, aliquando per rationem, aliquando per infirmitatem, aliquando per similitudinem, aliquando per virtutem, aliquando per fatuitatem. *Per naturam*, ut in Genesi : « Faciamus hominem ad similitudinem nostram [8]; » quod in anima ad imaginem Dei homo factus est. Et alibi : « Homo natus est in ea, » quod Christus humanam naturam suscepit in Ecclesia. *Per culpam*, in Paulo : « Cum sit inter vos zelus, et contentio, nonne homines [9] » id est, nonne culpabiles estis? et * item : « Nonne carnales estis, et secundum hominem * ambulatis? » *Per rationem* : ut ibi : « Si (secundum hominem) pugnavi ad bestias Ephesi [10]; » primo sapienter contra incredulos disputavi, « quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? » Ad bestias secundum hominem pugnare, est contra incredulos rationabiliter disputare. *Per virtutem*, ut in Psalmis « Accedet homo ad cor altum [11], » id est, virtuosus quilibet ad profundam contemplationem, vel : « accedet homo ad cor altum [12], » quod sponte veniet Christus ad profundum passionis suæ consilium. Item : « Non timebo, quid faciet * » etc. *Per infirmitatem*, ut in Jeremia : « Maledictus homo qui confidit in homine [13], » id est, qui sperat in infirmo. *Per fatuitatem*, ut in Parabolis : « Suavis est homini panis mendacii [14], » id est, dulcis est fatuo doctrina....itatis. *Per similitudinem*, ut in * [Evangelio] : « Simile est regnum cœlorum homini regi, [15] » etc.

Horribiles sunt dæmones, ut in Job : « Vadent et venient super eum horribiles [16]; » quod spiritus maligni, quamvis aliquando vel raro ab iniquo recedant, ad eum tamen continuo redeunt.

Humus est sancta Ecclesia, ut in * Psalmis : « Et requiescere eos faciet super humum suam [17]; » quod Deus electis suis in sancta Ecclesia quietem spiritualem præbet. *Humus*, sacra Scriptura, ut in Genesi : « Produxit Deus de humo omne lignum pulchrum visu [18]; » quod Deus nobis in Scriptura sacra vitas sanctorum Patrum manifestat. *Humus*, mens cujuslibet sancti, ut in Propheta : « Super humum populi mei spinæ et vepres [19]; » quod etiam

[1] Matth. XIII, 25, 28. [2] Apoc. IX, 18. [3] Psal. XIII, 1. [4] Psal. LXI, 10. [5] Ibid. [6] Psal. XXXV, 8. [7] Ibid. [8] Gen. I, 26. [9] I Cor. III, 3. [10] I Cor. XV, 32. [11] Psal. LXIII, 8. [12] Psal. VI, 4, et CVII, 8. [13] Jer. XVII, 5. [14] Prov. XX, 17. [15] Matth. XVIII, 23. [16] Job. XX, 25. [17] Isa. XIV, 1. [18] Gen. II, 9. [19] Isa. XXXII, 13.

Digitized by Google

mentem viri sancti vitiorum nonnunquam punctiones conturbant.

Humilitas exprimit virtutem mansuetudinis, juxta illud : « Vide humilitatem meam [1], » * attende quam humilis sum, contra superbos, qui me persequuntur : « et eripe me » ab aliorum persecutione, « quod legem tuam non sum oblitus, » quæ præcepit humilitatem observandam, et charitatem etiam inimicis exhibendam. Id est, afflictionem persecutionis sonat, juxta illud : « Hæc me consolata est in humilitate mea [2]; » id est, spes erexit me in afflictione mea, quod nisi spes consolans erigeret. afflictio nos omnino destrueret. « Gloriemur, inquit, in tribulationibus, certi quod si compatimur, etiam conregnabimus [3]. » Unde consolatus est, « quod eloquium tuum vivificavit me [4], » quod promissio tua ad passionis tolerantiam animavit me. *Humilitas*, delectationem notat, juxta illud : « Quod persecutus est inimicus animam meam [5], » quod motus carnalis insurrexit opprimere « animam meam, » id est, rationem meam. « Humiliavit in terra vitam meam, » id est, dejecit in terrenorum appetitum conversationem meam, quod retrahens me ab amore æternorum, dejecit in appetitum terrenorum. *Humilitas*, satisfactionem indicat, juxta illud : « Afflictus sum [6], » corpus videlicet jejuniis, vigiliis, multis afflictionibus macerans, « et humiliatus sum nimis, » animam scilicet amaritudine severissime premere curans, crebris suspiriis et lamentis quatiens, et ante oculos ejus omnium scelerum meorum stercora congerens.

Humor, concupiscentia carnis, ut in Job : « Dormit Behemoth in locis humentibus [7], » id est, diabolus quiescit in iis qui carnales concupiscentias amant.

Humeruli præconia sunt prophetarum, ut in libris Regum : « Humeruli * decem per angulos basis [8], » id est per quatuor partes mundi, prophetarum præconia honorantur

Humerus est vita socialis, ut in Job : « Humerus ejus * amictura sua cadat [9], » id est, si hoc malum feci, vita mea socialis a compage charitatis ruat. *Humerus*, opus justitiæ, ut in Job : « Ut in humero meo portem illum [10], » id est, in opere meo Dominum portabo. *Humerus*, opus proprium, ut in Isaia : « Discooperi humerum tuum [11], » id est, ostende pravam actionem tuam. *Humerus*, labor, ut in Genesi : « Supposuit humerum ad portandum [12], » id est, vitam laboriosam apprehendit. *Humerus*, caro Christi, * « cujus imperium super humerum ejus [13]; » quod crucem, quam aliis prædicavit, ipsemet in carne propria toleravit, et per crucem, quam moriens in humeris habuit, data est eis potestas in cœlo et in terra. *Per humerum*, passiones, ut in Evangelio : « quis ex vobis homo, qui habet centum oves [14], etc.; » homo centum oves habuit, A quod Christus angelorum et hominum naturam in perfectione possedit, « unam ovem perdidit, » quod humana natura periit. « Dimisit ergo nonaginta novem in deserto, ut unam inveniret, » quod summos angelorum choros quasi reliquit in cœlo, ut humanum genus repararet. « Ovem perditam invenit, » quando naturam humanam in se suscepit. « Inventam ovem in humeris gaudens posuit, » cum humanam naturam, quam de nobis assumpsit, cruci affigi sponte permisit, vel imposuit in humeris suis : quod peccatum humani generis Deus passionibus suis propriis expiavit. « Ad domum rediit, » cum ad cœlos ascendit. « Amicos et vicinos convocavit, » quando sanctos angelos, quasi ad congratulandum humanæ saluti invitavit, qui « amici ejus » sunt, quod B vocem ejus perfecte custodiunt. « Vicini ejus » sunt, quod continue facie ad faciem illum aspiciunt. *Humerus*, mens, juxta illud : « Sem et Japhet vestimentum imposuerunt humeris suis, et operuerunt verenda patris sui aversis vultibus [15]. » « Noe » quippe « vir justus plantavit vineam », et Christus, qui peccatum non fecit per legem exsolvit synagogam. « Noe bibit de vino vineæ suæ [16], » et Christus expertus est austeritatem synagogæ. « Noe inebriatus est, » et Christus multis opprobriis repletus est. « Noe nudatus est, » et Christus fugientibus apostolis solus relictus est : vel * Judaicus est, quod infirmitas apparuit « in domo sua, » id est, in domo Judaica. « Noe dormivit, » et Christus mortuus est. C « Videns autem pater Chanaan, » scilicet Cham, « verenda patris sui esse nudata, nuntiavit foras, et irrisit [17], » quod nimirum reprobi, qui callidi sunt, ut faciant mala, ignominiosam Christi passionem, et sono tantum vocis profitendo amicitiant, et male vivendo * exhonorant : Cham enim *callidus* interpretatur ; « Sem vero et Japhet vestimentum imposuerunt humeris suis, et operuerunt verenda patris sui aversis vultibus [18]; » quod boni fideles, sive de Judæis, sive de Gentibus, non in sono vocis tantum, ut reprobi, sed in mentibus suis habent tam grande mysterium fidei, et honorant infimum et stultum Dei, cum magna reverentia, hoc est « aversis vultibus, » quod fortius est et sapientius hominibus. Sem, qui *nominatus* interpretatur, Judæos exprimit, qui per multa præmia famosi erant. D Japhet autem, qui *dilatatio* dicitur, significat gentes ubique diffusas. « Porro Noe de somno evigilans, filium suum, Cham [19], » non in ipso, sed in filio ejus, * quoniam Christus a morte resurget, omnes reprobos passionem suam irridentes, non in hoc, quod perfecti sunt, sed in opere eorum, quod faciunt, odio habent. Unde evenienter Chanaan interpretatur motus eorum, id est, opus eorum. Chanaan est servus fratrum suorum, quod opus reproborum fidelibus servit vel ad exercitationem patientiæ, vel

[1] Psal. CXVIII, 153. [2] Ibid. v. 50. [3] II Tim. II, 11, 12. [4] Psal. CXVIII, 50. [5] Psal. CXLII, 3. [6] Psal. XXXVII, 9. [7] Job. XL, 16. [8] III Reg. VII, 34. [9] Job. XXXI, 22. [10] Ibid. v. 36. [11] Isa. XLVII, 2. [12] Gen. XLIX, 15. [13] Isa. IX, 6. [14] Luc. XV, 4 et seq. [15] Gen. IX, 23, 20. [16] Vers. 21. [17] Vers. 22. [18] Vers. 23. [19] Vers. 24.

Digitized by Google

ad profectum sapientiæ. *Humerus* significat fortitudinem, juxta illud : « Expandit alas suas [1], » quod dedit eis misericordias suas, « et assumpsit eos » de numero perditorum ad numerum salvandorum, « atque portavit in humeris suis, » quod in fortitudine sua illos sustentavit. *Humerus* significat fortes, juxta illud : « Exsultabo et dividam Sichimam [2] » [3]. Sichima *humerus* interpretatur, quasi Christus diceret : Exsultanter implebo obedientiam, et sic quosdam ex gentibus ferendis * omnibus meis aptos in partem assumam meam. Per *humeros*, conversationes, ut in Evangelio : « Onera importabilia imponunt humeris hominum [3], » id est, mandata nimis gravia in * conversationes subjectorum.

Holocaustum, quod *totum incensum* dicitur, significat maritum, vel vitam contemplativam : ὅλον Græce, *totum* Latine; καυστὸν vel καυστὶς Græce, *incensum* Latine dicitur. De utroque scriptum est : « Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, quod si muri Jerusalem ædificati [4]; » hoc est, si impassibilitas et immortalitas cæterarum virtutum munimenta filii Ecclesiæ reddita fuerint, « tunc gratum habebis et frequenter accipies sacrificium, » quod unusquisque non de alieno, sed de suo proprio offeret, non videlicet hircum et taurum jugulans extra se; sed luxuriam atque superbiam perimens in se. « Acceptabis oblationes, » plurima scilicet beneficia activæ vitæ; « et holocausta, » vitam scilicet contemplativam, sive martyrium, ubi nihil sæculo reservatur; sed totum Deo intenditur hic in præsenti : quid in futuro « * tantum imponent super altare tuum vitulos : » quod offerent tibi novos populos et innocentes, nunquam amplius jugum peccati portaturos. Item : « Introibo in domum tuam » æternam in cœlis [5], *in holocaustis*, in corpore et anima purificatis : quid iterum? « Holocausta medullata offeram tibi [6], hoc est, interiora mea divinæ charitatis igne flagrantia. Nihil enim melius medullis

Herodes significat diabolum, juxta illud figurativæ Ecclesiæ in Actibus apostolorum : « Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia [7]; » quod diabolus, qui rex est omnium malorum, non cessat mittere nefandas bellatorum suorum catervas ad afflictionem fidelium. « Occidit enim Jacobum, fratrem Joannis, gladio [8]; » quod quosdam qui divinæ gratiæ familiares exstiterant, per hoc quod vitia sua colluctando subegerant, pestifera persuasione trucidavit. Jacobus enim *luctator*, Joannes *Dei gratia* dicitur. « Videns * enim quod placeret Judæis, apposuit apprehendere et Petrum [9] : » quod non solum minores aut mediocres diabolus tentare nititur, sed et summos in Ecclesia viros, agnitione Dei et virtute constantiæ præditos velut invitos et renitentes aggreditur, considerans hoc ingratum fore Christianæ fidei, quibus ipse præest inimicus. Petrus *agnoscens* vel *firmus* interpretatur. Per Judæos, omnes inimici Christi vel Ecclesiæ significantur. « Erant autem tunc dies Azymorum [10]; » quod procul dubio tribulatio fidelium magna est solemnitas inimicorum. « Quem cum apprehendisset, misit in carcerem [11]; » quod postquam inimicus fidelem animam, ... tentationum laqueis irretire ..... statim coarctat eam in omnimodam tribulationem, et hinc inde tentationibus et malignis spiritibus et pravis hominibus, de quibus apte subjungitur, quod « tradidit quatuor quaternionibus militum custodiendum [12]. » Adhibitis enim satellitibus suis, qui per quatuor mundi climata fideles intus et exterius inquietare non cessant, custodit inimicus animam etsi deluctantem, nondum tamen plene consentientem, donec eam ad plenam voluntatem suam adducens valeat devorare. Quandiu enim in ea lucet aliqua scintilla boni acerba est dentibus inimici. Unde sequitur : « Volens post pascha producere eum populo [13]; » ut videlicet sibi subditis, qui per mala delectatione sua et consensu fidelis animæ quasi paschalem fecerant jucunditatem, plenum et perfectum gaudium exhiberet, dum consentientem animam ad actum usque perduceret. Quod si forte fecisset, nisi pro hujus supplicantis Ecclesiæ devotio subvenisset. Nam dum « Petrus servabatur in carcere, oratio fiebat sine intermissione ad Deum pro eo [14]. * » Non est aliquatenus dubitandum, plurimum valere tribulatis deprecationem Ecclesiæ totius assiduam. « Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus [15]; » quod cum inimicus tam diu fidelem exagitasset tentationibus .... consentientem usque ad actum, produceret in tam profunda tam obscura tamque densata tentatione negligenter agit virilis prius * edoloravimus : a dæmonibus quippe et pravis hominibus circumvallatus jam fuerat compede dilectionis atque consensus astrictus. « Et custodes ante ostium custodiebant carcerem : » quod maligni spiritus ad hoc omnimodis invigilant, ut obtruso peccatori confessionis aditu tribulatio tentationis nullo modo minuatur; sed potius aucta roboretur. Sed quæ spes in tanta necessitate? quid ei profuerunt orationes Ecclesiæ? Audi : « Et ecce angelus Domini astitit [16]; » quod Christus magni consilii angelus adjuvare fidelem suum paratus fuit. « Et lumen refulsit in habitaculo carceris, » quod divina gratia corruscavit in mente peccatoris, in qua locum prius habuerat tribulatio anxiæ tentationis. « Percussoque latere Petri excitavit eum : » quod increpata ejus socordia de conversione monuit, dicens : « Surge velociter; » ac si animæ diceret : Cito resiste tentationi, cui diutius consensisti : « Surge, » id est, ad confitendum præpara te : « Surge velociter, » id est, ne tardes converti ad Dominum, ne differas, quod mors non tardat. « Et ceciderunt catenæ de manibus ejus, » quod divina gratia cor

[1] Deut. XXXII, 11. [2] Psal. CVII, 8. [3] Matth. XXIII, 4. [4] Psal. L, 21. [5] Psal. V, 8. [6] Psal. LXV, 15. [7] Act. XII, 1. [8] Ibid. v. 2. [9] Ibid. v. 3. [10] Ibid. [11] Ibid. v. 4. [12] Ibid. [13] Ibid. [14] Ibid. v. 5. [15] Ibid. v. 6. [16] Ibid. v. 7.

Digitized by Google

peccatoris illustrante, et præfatis admonitionibus excitante, consensus et delectatio deficiunt ab iniquitatis actione. « Dixit autem angelus ad eum : Præcingere, viriliter age [1]; » « Præcingere, » ad bene operandum præpara te. « Præcingere, » desinentes sinus cupiditatis restringendo collige. « Et calcea te caligas tuas [2]; » id est, adhibe actionibus tuis munitiones tuas, ne spinis desideriorum carnalium ulterius vulnerentur. Quo facto, subjecit : « Circumda tibi vestimentum tuum [3], » id est, indue pristinam fidem et justitiam tuam, quam dormiens abjecisti : « Et sequere [me] [4], » ut a morte resurgens nunquam deinceps moriaris, sed semper in novitate ambules. « Et exiens sequebatur eum [5], » quod fidelis anima talibus admonitionibus divinitus inspirata, abjectis pravis delectationibus, quibus irretita est, incipit bona desiderando sequi vocantem Dominum, tametsi nondum perfecte. Unde sequitur : « Et nesciebat, quod verum est, quod fiebat per angelum : æstimabat autem se visum videre : » plerumque enim fit ut anima, diabolicis tentationibus diu multumque fatigata, cum se divinitus ad patientiam et ad conversionem moneri sentit, non * putat esse divinam admonitionem, quam intus audit, sed potius aliquam phantasticam delusionem, quam audire solita fuit, unde necesse est, ut Dominus circa illam tale quid agat, quo se non phantastice deludi, sed divinitus admoneri certissime sciat. Sequitur : « Transeuntes autem primam et secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ultro aperta est eis [6]. » Primam et secundam custodiam transit, qui primum consensum et delectationem noxiam in quibus a diabolo custoditus est, pœnitendo et confitendo derelinquit. Restat adhuc *porta ferrea* : quod videlicet animæ a malo declinare et bonum facere deliberanti, quandoque pertinaciter obsistit * dura consuetudo peccandi, quæ generat difficultatem bene vivendi : quæ nimirum consuetudo, nisi divina gratia, in terris * ducet hominem ad illam, cui præest Herodes, civitatem, hoc est, ad tartaream mansionem; sed angelo præeunte et ducente porta ferrea ultro * reperitur : quod Christi gratia præduce et comitante, licet longævior et durior exstiterit prava consuetudine facile dirumpitur, et aditus exeundi pœnitenti animæ pandatur. « Et exeuntes processerunt vicum unum. » Tunc enim peccatrix anima portam ferream exit cum duram peccandi consuetudinem deserit. Tunc autem in vicum procedit, cum in libertate et amplitudine bonæ operationis usque ad debitum bene vivendi homini modum et ordinem perficit. « Et continuo discessit angelus * ab eo : » non quod animam pœnitentem et bene viventem Christus omnino deserat; sed quod illam libero arbitrio gratia comitante committat, ut sibi dimissa discat, a quo illi est, ut bene vivat, eique gratias indesinenter agat. Unde aperte subjungitur : « Et Petrus ad se reversus dixit : Nunc scio vere quod misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manibus Herodis, et de omni exspectatione plebis Judaicæ [7]. » Anima quippe nimis a se longe recessit, quando pravæ suggestioni delectando consentit. In se autem revertitur, quando malum deserere et bonum agere perfecte molitur, sive in se revertitur, et qualis olim a Deo facta fuit, et qualem se peccando fecerit, qualisque iterum per Dei gratiam sit, veraciter intuetur. Denique consensu pravitatis abjecto cum noxia delectatione et vita pessima consuetudine jam ad se perfecte rediens anima cognoscit et meminit in quibus malum fuit. Unde confitetur se non quidem pro meritorum suorum prærogativa, sed per cœlitus emissam sibi gratiam de potestate principis tenebrarum suorumque satellitum esse ereptam, qui maligne exspectabant eam ad mortem usque * ad producendam. Herodes, qui innocentes pueros occidit, principes persecutorum, qui contra Ecclesiam sæviunt, figuraliter exprimit. Quod enim innocentes pueri referuntur occisi [8], significat per vitæ innocentiam et humilitatis meritum ad martyrii gloriam perveniendum. Quod bini occisi sunt, doctrina et operatione perfectos indicat. Quod infra * simplices et idiotas fide, tamen non fide constantiæ fortes æque denuntiat. Quod « in Bethlehem et in omnibus finibus ejus » occisi sunt, ostendit non solum in Judæa, unde Ecclesiæ cœpit origo, sed etiam * quicunque terrarum perfidos servituros et fideles esse coronandos. Quod illi occisi sunt, et Christus evasit, insinuat quidem corpore martyres posse perimi : sed Christum nullo modo posse vel viventibus vel occisis eis auferri. Unde Apostolus : « Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus [9]. » Herodes etiam simulatores exprimit, cum magos in Bethlehem ad inquirendum diligenter puerum mittit. Adhuc enim velle se adorare simulat, ut illum possit exstinguere. Sed nihil est malitia hominis contra consilium divinitatis.

« Hodie genui te [10], » ait Pater ad Filium : quanquam possit dies ille in prophetia dictus videri, quando secundum carnem natus est, ut « genui » intelligatur *gigni feci*, tamen quod *hodie* præsentiam significat, et in æternitate non præteritum est quidquam, quasi desierit esse; nec futurum est, quasi nondum sit: sed præsens tantum, quod quidquid est semper æternum divinitus. Sed id dictum accipitur : « Ego hodie genui te, » vel notat specialiter illum diem, quo de matre natus est sine patre, juxta id quod angelus pastoribus ait · « Annuntio vobis gaudium magnum, quod natus est vobis hodie salvator [11]. » Sed cum nox fuerit, quæri potest, cur angelus *hodie* dixit? Sed nocte natus aptissime *hodie* nasci dicitur, cujus nativitas vetustas mundi tenebras depulisse non ignoratur. Huic simile est quod Marcus Evangelista refert dixisse Dominum beato Petro cæteris fidentiori : « Amen, dico tibi, quod tu hodie in hac nocte, priusquam gallus bis vocem dederit, ter

[1] Act. xii, 8. [2] Ibid. [3] Ibid. [4] Ibid. [5] Ibid. v. 9. [6] Ibid. v. 10. [7] Ibid. v. 11. [8] Mat. ii, 16. [9] Rom. xiv, 8, [10] Psal. ii, 7. [11] Luc. ii, 10.

Digitized by Google

me es negaturus [1]. » *Hodie* notat passionis utilitatem : *in hac nocte*, acerbitatem. *Hodie* significat omne tempus ' genere, juxta illud : « Hodie, si vocem ejus audieritis [2], » supplendum est a superiori, tunc populus ejus et oves ejus eritis, « nolite obturare corda vestra : » emollite potius ea, tanquam mollis cera imaginem regis nostri recipere valeant.

I

Iacinctus.	*Iuncus.*	*Iugum.*
Intus.	*Intestina.*	*Iordanis.*
Imperigo.	*Iuventus.*	*Iaspis.*
Infernus.	*Imber.*	*India.*
Iustitia.	*Imago.*	*Impius.*
Ierusalem.	*Idumæa.*	*Insulæ.*
Iuvenes.	*Ignis.*	*Infans.*
Iudices.	*Ibices.*	*Institores.*
Ianua.	*Iudicium.*	*Ira.*

Iacinctus, cœleste desiderium, ut in Exodo : « Aurum et argentum et æs et iacinctum [3], » id est, sapientiam et eloquentiam, prædestinationem et desiderium cœleste. Per *iacinctum*, præmia æterna, ut in Cantico : « Manus sponsi tornatiles aureæ plenæ iacinctis [4], » quod opera, quæ Christus in opere exercuit, sapientiæ claritate fulgescunt, et æternis præmiis digna sunt.

Jaspis est fides, ut in Isaia : « Ponam jaspidem propugnacula tua [5], » quod ad fidem multiplicandam miracula Deus in Ecclesia facit.

Janua est Christus, juxta illud in Evangelio Marci : « Et euntes discipuli invenerunt pullum asinæ ligatum extra januam in bivio [6], » quod prædicatores sancti in universum mundum ad prædicandum a Domino destinati invenerunt populum nationum peccatorum funibus irretitum, et multis erroribus implicatum, sine Christo. *Janua* intelligitur conscientia, dicente Domino in Apocalypsi : « Ecce, sto ad ostium et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, introibo ad illum, et cœnabo cum eo, et ille mecum [7]. » Dominus autem stans ad ostium pulsat, quod juvare paratus crebris admonitionibus dormientem excitat, ut ei cor suum aperiat : cujus vocem audit, quisquis ejus admonitionibus obedit. Aperit januam, qui repulsis vitiorum seris Domino mundat conscientiam. Ad illam Dominus intrat, cujus cor per gratiam inhabitat. Cum illo cœnare dicitur, in cujus fide et opere delectatur. Ipse vero cum Domino cœnat, quem divina consolatio et superna retributio confortat. *Janua*, sunt intellectus divinæ Scripturæ, juxta illud : « Et mandavit nubibus desuper [8], » hoc est, summi verbi præconibus. « Et januas cœli aperuit, » Dominus apostolis sensum, ut intelligerent Scripturas. *Janua cœli* omnes dicuntur, per quos alii ad cœlestem beatitudinem ingrediuntur, quas nimirum Dominus tunc aperit, cum eos de secretis suis ad publicum exire facit. Vel januæ cœli sunt, qui nobis sacram Scripturam aperiunt, quæ tunc aperiuntur, cum ad nostram intelligentiam loquuntur, dicuntur fides et pœnitentia, juxta illud : « Et clausa est janua [9], » quod prius in Deum sanctis in requie constitutis inutile erit impiis fides et patientia : quod beatus ' Job dicit : « Ecce judex ante januam stat [10]. » Hoc est, quod apostolus Paulus ait : « Dominus prope est [11]. » Vel per *januam*, misericordia, ut supra : « et clausa *est* janua, » id est, aperta est misericordia.

Ibices sunt prædicatores, ut in Job : « Nunquid nosti partus ibicum in petris [12] ? » id est, nunquid tu deprehendisti, quando prædicatores alios per exempla præcedentium parere debent? *Ibices*, viri perfecti, ut in libris Regum : « Et super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus pervïæ sunt [13] : » quod plus impii persecutionibus suis fideles cruciant, quam aliæ tribulationes, quas soli perfecti æquanimiter tolerare possunt.

Idumæa est gentilitas, ut in Psalmis : « In Idumæam extendam calceamentum meum [14], » id est, usque ad gentilitatem pertingere faciam fidem incarnationis meæ.

Jerusalem juxta metonymiam habitatores illius civitatis exprimit ; quam Deus Pater planxit affectu dicens : « Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas [15], » etc. Juxta allegoriam vero *Jerusalem* intelligitur Ecclesia præsens Christi, toto orbe diffusa, ut in Isaia : « Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes [16], » id est, super conventus tuos, o Ecclesia, posui prælatos. Juxta tropologiam, id est moralem sensum, anima quæque sancta *Jerusalem* recte vocatur, ut in Isaia : « Surge, illuminare, Jerusalem [17], » id est, a tenebris ignorantiæ te erige, et illam pertinge claritatem, o anima. Juxta anagogen, hoc est intelligentiam ad superiora dicentem, *Jerusalem*, habitatio cœlestis patriæ, quæ ex sanctis angelis et hominibus constat, ut in Psalmis : « Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas [18], » quod ex innumeris in unum convenientibus illa superna patria construitur, iis tribus extremis apte convenit : quod Jerusalem, *visio pacis* interpretatur, quamvis multa distantia : nam pax sanctorum in terra peregrinantium non potest æquari paci sanctorum in cœlo ' et Deo regnantium.

Ignis est Spiritus sanctus, ut in Evangelio : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat [19] ? » et Spiritum sanctum in cor terrenum, *terra*, vocata est terrena conscientia, quæ dum semper terrenas cogitationes et sordidas in se congerit a malignis spiritibus conculcatur. In hanc terram Deus ignem mittit, cum illam afflatu Spiritus sancti incendit. Tunc ardet terra, cum relictis concupiscentiis ' conscientiis ad amorem Dei fervet frigida prius conscientia. *Ignis* intelligitur charitas, ut in Levitico : « Ignis in altari semper ardebit [20], » quod

[1] Marc. XIV, 30. [2] Psal. XCIV, 8. [3] Exod. XXV, 3, 4. [4] Cant. V, 14. [5] Isa. LIV, 12. [6] Marc. XI, 4. [7] Apoc. III, 20. [8] Psal. LXXVII, 23. [9] Matt. XXV, 10. [10] Jacob. V, 9. [11] Phil. IV, 5. [12] Job. XXXIX, 1. [13] I Reg. XXIV, 3. [14] Psal. LIX et CVII. [15] Matt. XXIII, 37. [16] Isa. LXII, 6. [17] Isa. LX, 1. [18] Psal. CXXI, 3. [19] Luc. XII, 50. [20] Lev. VI, 12.

Digitized by Google

charitatis ardor semper in mente nostra esse debet, juxta illud : « Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus [1], » et ardebit eos *, quæ undique fuerant prius inimici, ut fiant amici. *Ignis*, bonum desiderium, ut in Scriptura : « De excelso misit ignem in ossibus meis [2] ; » id est, bonum desiderium in fortibus cogitationibus meis : Item juxta illud dicente sponso in Cantico de virtute dilectionis : « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio : lampades ejus, lampades ignis atque flammarum [3] ; » ac si sponsæ aperte diceret : Dilectio, quam erga te habui, fuit efficax ut mors, quod per eam anima mea amore sejuncta est, et sicut infernus nullis cruciatibus miserorum a sua severitate * commutatur : sic æmulatio, id est, dilectionis exsecutio * nullum hostium tentamentis a cura salutis humanæ potuit revocare. Quid multa ? Quicunque dilectionis vasa fiunt, et intus desideriis bonis fervent, et foris lucent evidentia bonæ operationis. *Ignis*, ardor sanctitatis, ut in Isaia : « Deus ignis est in Sion [4], » id est, cujus sanctitatis ardor in Ecclesia est. *Ignis*, lumen scientiæ, ut in Exodo : « Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens [5], » quod ad similitudinem divinæ gloriæ perducit scientia succedens. *Ignis*, persecutio, ut in Apocalypsi : « Ignis mixtus est in sanguine [6], » id est, persecutio Judæorum contra apostolos processit usque ad sanguinis effusionem, * id est invidiæ, ut in Job : « Ignis Dei cecidit de cœlo [7], » quod permittente Deo ab ipsis summis principibus Judæorum invidia processit. Item in Apocalypsi : « Et primus angelus tuba cecinit [8], » quod cœtus apostolorum clara voce intonuit, « et facta est grando * dura, » videlicet comminatio, et « ignis mistus est in sanguine, » quod invidia Judæorum contra apostolos processit usque ad effusionem sanguinis, « et * missus est, » quod hoc factum est in Judæa, vomere legis exculta. « Et tertia pars arborum concremata est, et omne fenum viride combustum est. » *Terra* significat inferiores in Judæis; *arbores*, altiores, quorum pars reproba excæcata est per ignem invidiæ ; *fenum viride*, carnales intelliguntur, qui sæculi gaudiis omnino dediti omnes excæcati sunt. Ne enim locum et gentem perderent, Christum et apostolos occiderunt, et ideo a terra illa per totum eliminati perierunt. *Ignis*, doctrina, ut in Apocalypsi [9], de Enoch et Elia voce Christi dicitur : « Et dabo duobus testibus meis, » Enoch scilicet et Eliæ, verbum prædicationis, « et prophetabunt * mille ducentis sexaginta, amicti saccis, » quod prædicabunt tribus annis et dimidio, præferentes habitum pœnitentiæ, non quod pœnitentia indigeant, quod in se complent opere, quod alios docent. « Hæ sunt duæ olivæ et duo candelabra lucentia, in conspectu Dei terræ stantes [10], » quod Spiritu sancto repleti et in se lumen veritatis continent, et aliis præbent, in beneplacito Dei immobiliter perseverantes. « Et si quis eis voluerit nocere, ignis exiet de ore eorum [11], » id est, doctrina procedet de locutione eorum. « Et devorabit inimicos eorum [12], » quod si quis prædicationi eorum contenderit obviare, vel eos a veritate revocare, doctrina spiritualis ex eorum prædicatione procedit, quæ sibi adversantes confundet. *Ignis*, excellentia temporalis, ut in Job : « Nec splendebit flamma ignis ejus [13], » quod non deburabit flamma excellentiæ impii. *Ignis*, avarus, ut in Job : « Ignis devorat tabernacula eorum [14], » qui, id est, æstus avaritia excruciat mentes impiorum. *Ignis*, zelus, « Ut ignem faceret de cœlo descendere, » id est, ut zelum faceret procedere de cordibus sublimium virorum. *Ignis*, tribulatio, dicente Joanne in Apocalypsi : « Pedes ejus similes aurichalco sicut in camino ignis ardentis [15], » quod prædicatores Antichristi purgabuntur per experientiam gravissimæ tribulationis. Aurichalcum enim per multam exactionem mutatur in auri colorem. *Ignis*, vindicta, ut in cantico Deuteronomii : « Ignis succensus est in furore meo [16], » quod vindicta parata est, me irato, « et ardebit usque ad inferni novissima, sine ullo futuro remedio [17] » quod non est bis in ipsum vindicare : quod hic est pax pœna finita, sed culpis eorum parva prolongata. *Ignis*, inferior spiritus, ut in Psalmis : « Transivimus per ignem et aquam [18], » id est, per ardorem adversitatis et lenimen prosperitatis. *Ignis*, vesania impatientiæ, ut in Psalmis : « Tradidit possessionem eorum igni [19], » id est, patientiam, in qua possidere debent animas suas, per impatientiam destrui permisit. « Possessio igni traditur, » quando patientia in qua animas nostras possidemus, per impatientiam expellitur : ignis purgatorius, qui apparebit ante faciem Domini ad judicium venientis, ipse est intellectus, de quo Psalmus loquitur : « Ignis in conspectu ejus exardescet [20], » quod in ultimo judicio ignis terram exuret, conflagrans * tamen aeris spatium quantum dudum occupavit diluvium. « Et in circuitu ejus tempestas valida [21], » ventilans paleas igni deputandas. *Ignis*, dolus Antichristi, ut in libro Judicum : « Egrediatur ignis de rhammo, et devoret cedros Libani [22], » quod dolus maximus procedet ab Antichristo, et occidet sanctos viros Ecclesiæ. *Ignis*, luxuria, ut in Job : Ignis usque ad perditionem trahit [23]. Item Salomon : « Quis abscondit ignem in sinu suo, et vestimenta sua non comburentur [24] ? » ignem quippe in sinu abscondere est luxuriam diligenter occultare in corde: vestimenta comburere, est virtutes animæ per luxuriam deperire.

Ignis, concupiscentia, ut supra : « Quis abscondit ignem in sinu suo [25] ? » quod nemo potest illicitam in

[1] Psal. XCVI, 3. [2] Thren. I, 3. [3] Cant. VIII, 6. [4] Isa XXXI, 9. [5] Exod. XXIV, 17. [6] Apoc. VIII, 7. [7] Job. I, 16. [8] Apoc. VIII, 7. [9] Apoc. XI, 3. [10] Ibid. v. 4. [11] Ibid. v. 5. [12] Ibid. [13] Job. XVIII, 5. [14] Job. XV, 34. [15] Apoc. I, 15. [16] Deut. XXXII, 22. [17] Ibid. [18] Psal. LXV, 12. [19] Psal. LXXVII, 48. [20] Psal. XLIX, 3. [21] Ibid. [22] Jud. IX, 15. [23] Job. XXXI, 12. [24] Prov. VI, 27. [25] Ibid.

Digitized by Google

corde suo concupiscentiam occultare, quin ejus virtutes destruantur. *Ignis* pœna æterna, ut in Job : « Devorabit eum ignis, qui non succenditur [1]. » quod reprobum quemlibet ignis gehennæ, qui non consumitur, exuret. *Ignis* urens, est spiritus fervens, dicente psalmo : « Qui facis angelos tuos spiritus [2], » quod spirituales viros constituis nuntios veritatis : « et ministros tuos, ignem urentem, » quod spiritu ferventes facis tibi servientes. Item : « Qui facis « angelos tuos spiritus [3]. » quod qui sunt incorporei spiritus, quando vis, nuntii fient tuæ vocis, « et « ministros tuos ignem urentem [4], » quod etiam Seraphim in ministerium tuum mittis, « ardens interpretatur. *Ignis*, indignatio dicitur, juxta illud : « Concaluit cor meum intra me [5], » quod inquietum cœpit esse, « et in meditatione mea exardescet « ignis, » quod mentem corrodit fervens indignatio. Timeo enim sanctum dare canibus : timeo enim cibaria negare conservis, et dum de hac fluctuatione tacendi et dicendi meditor, ut frustra indignor. *Ignis* nomine cupiditas intelligitur, dicente David : « Vox « Domini intercidentis flammam ignis [6], » quod prædicatio Christi destruit furorem ignitæ cupiditatis. *Ignis* iracundos exprimit, juxta illud : « Ignis, « grando, nix, etc., laudent nomen Domini [7], « dracones virulentissimi sunt desperatissimi. *Ignis*, iracundi; *grando*, persecutores; *nix*, hypocritæ; *glacies*, obdurati; *spiritus orocellarum*, tumultuosi, hi nimirum faciunt verbum Dei sive conversi complendo justitiam, sive incorrecti, debitam patiendo miseriam. *Ignis æternus* omne dicitur, de quo per psalmum : « Cadent super eos carbones [8], » quod malos opprimunt in judicio sancti zelo Dei ferventes : « In « ignem dejicies eos [9], » comparatione sanctorum damnatos : « In miseriis non subsistent [10], » sed sine defectu deficient. *Igne* intellige divinitatem vitia nostra * consummantem. Unde in lege præceptum est, quod Aaron carbones vivos ex igne altaris susceptos, thuribuloque aureo impositos in sancta sanctorum deferret, et Deo thus adoleret. *Aaron* Christus est, *sacerdos* sacrificium, *carbones vivi* validæ virtutes, *ignis altaris* deitas Patris, *thuribulum aureum*, cor divina sapientia plenum et igne passionis excoctum : *Sancta sanctorum* regna cœlorum. Thus adolere Deo, est acceptabiles Patri offerre preces.

Imago est ipsa deitas, ut in Genesi : « Faciamus « hominem ad imaginem nostram [11], » quod secundum animam homo Deo in aliquo assimilatur. *Imago*, exempla mala, ut in Psalmis, « In civitate tua ima« ginem ipsorum ad nihilum rediges [12], » quod exempla prava in anima et deceptiones hæreticas in Ecclesia destruit.

Impetigo est avaritia, ut in Levitico : « Si impeti« ginem in corpore [13], » id est, si avaritiam exercuit.

A *Impius*, populus Judaicus Christum persequens, ut in Job : « Sicut impius, inimicus meus [14], » quod plebs Judaica, quæ Christum persequendo imitatur, impietate plena est. *Impius*, quilibet reprobus, ut in Job : « Hæc est pars hominis impii [15], » quod reprobus quilibet partem in pœna æterna habet cum diabolo. *Impius*, Antichristus, ut in psalmis : « Dum superbit impius, incenditur pauper [16], » quod dum in tantum Antichristus extollitur, humiles ab eo opprimuntur. *Impius*, antiquus hostis, ut in Job : « Terra « data est in manus impii [17], » quod caro Christi tradita est in potestatem diaboli ad passionem.

Imber est Christus, ut in Osea : « Venit nobis quasi imber temporaneus et serotinus terræ [18], » quod Christus venit, qui primum quidem in gentilitatem, et postmodum in Judæam, humorem suæ gratiæ infudit. *Imber*, prædicatio divinitatis, ut in Job : « Et imber fortitudinis suæ [19], * » et prædicationis divinitatis suæ. *Imber*, exuberans doctrina, ut in Job : « Quis dedit vehementissimo imbri cursum [20] ? » quod solus Deus facit ut doctrina exuberans ab homine suscipiatur. *Imber*, humilis doctrina, ut in Isaia : « Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem [21], » id est prædicatoribus meis, ne in humilem infundant doctrinam. *Imber*, persecutio, ut in Cantico : « Imber abiit, [22] » id est, tempestas persecutionis cessavit. Per *imbrem*, verba doctorum, ut in Job : « Quos imbres montium rigant [23], » quod humiles verba sublimium doctorum infundunt.

Incus est diabolus, ut in Job : « Et stringet quasi C malleatoris incus [24], » quod æternæ damnationis tunsionibus diabolus traditus est.

India est mundus, ut in Job : « Non confertur sapientia tinctis Indiæ coloribus [25], » quod Christus nobilibus et divitibus mundi hujus comparandus non est

Inauris est obedientia, ut in Job : « inaurem * meam auream [26], » quod Christo fideles sui obedientiam spontaneam cum charitate offerunt.

Infans est Christus, ut in Isaia : « Delectabitur infans ab ubere [27], » quod Christus in ipsa nativitate sua delectationem sanctitatis possedit. *Infans*, quilibet electus, ut in Genesi : « Infans octavo die circumcidetur in vobis [28], » quod quilibet electus in resurrectione ultima ab omni erit corruptione liberatus. *Infans*, sermo Dei, ut in Exodo : « Si fornicatus fuerit infans, » id est, si sermo ad bonum jam in anima pervenit affectum.

Infernus est diabolus, ut in Job, « Omnipotens [29], etc., profundior est inferno, » quod Deus omnipotentia sua ipsum diabolum superat. *Infernus* nomine omnes iniqui designantur, dicente * in Apocalypsi, cum de futuro judicio loqueretur : « Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis [30], »

[1] Job. xx, 26. [2] Psal. cm, 4. [3] Ibid. [4] Ibid. [5] Psal. xxxviii, 4. [6] Psal. xxviii, 7. [7] Psal. cxlviii, 8. [8] Psal. cxxxix, 11. [9] Ibid. [10] Ibid. [11] Gen. i, 26. [12] Psal. lxxii, 20. [13] Lev. xxi, 20. [14] Job. xxvii, 7. [15] Job. xx, 29. [16] Psal. ix, 2. [17] Job ix, 24. [18] Ose. vi, 4. [19] Job xxxvii, 6. [20] Job xxxviii, 25. [21] Isa v, 6. [22] Can. ii, 11. [23] Job xxiv, 9. [24] Job xli, 15. [25] Job xxviii, 16. [26] Job xlii, 11. [27] Isa. xi, 8. [28] Gen. xvii, 12. [29] Job xi, 8. [30] Apoc. xx, 14.

Digitized by Google

quod Domino extremum exercente judicium omnes iniqui, qui nisi habitacula dæmonum sine pœnitentiæ remedio fiunt, et ipse diabolus, qui totius nostræ mortis causa est, in pœnas gehennæ detrudentur, quæ propter obscuritatem et profunditatem *stagnum* nominantur. *Infernus*, avaritia, sicut per Salomonem in Parabolis [1]: « Tria sunt insaturabilia, et quartum, quod nunquam dicit, *Sufficit* : infernus, et os vulvæ, et terra, quæ non satiatur aqua. Ignis vero nunquam dicit, *Sufficit*. » *Infernus* quippe est immoderatus amor habendi, qui nunquam satiatur ; *os vulvæ*, ad luxuriam indefessus hiatus; *ignis* enim est invidia, nescia deficere. Potest enim *inferni* nomine diabolus in hoc loco designari, qui de perditione hominum satiari non potest. *Infernus*, cæcitas mentis, ut in Psalmis : « Quoniam non est in morte qui memor sit tui : in inferno autem quis confitebitur tibi [2] ? » *mortem* vocat criminale peccatum : quod contempta divina lege committitur, in qua morte est quis qui immemor est Dei. *Infernum* autem mentis cæcitatem dicit : quod qui cæcus in mente est, Domino non confitetur. *Infernus*, desperatio, ut in Psalmis : « Neque omnes qui descendunt in infernum [3], » quod qui desperant, Dominum non laudant : « Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit. » *Infernus*, peccatum criminale, ut in Psalmis : « Descendunt in infernum viventes [4], » id est, peccatum criminale committunt scientes. *Infernus*, aer iste caliginosus, ut in Epistola Petri : * « Rudentibus inferni detractos in tartarum [5], » quod diabolus caliginoso hujus aeris loco malitiæ suæ vinculo religatur.

Insulæ sunt Ecclesiæ, ut in Psalmis : « Lætentur insulæ multæ [6]. »

Intestina sunt arcana verba Dei, ut in Exodo : « Caput cum pedibus et intestinis [7], » * non divinitatis Christi mysterium et humanitatis atque secretorum verborum Dei spiritualiter intelligetis. *Intestina*, interiora mentis nostræ, ut in Levitico : « Lotis intestinis aqua [8], » quod tunc placet Deo sacrificium nostrum, si mentis nostræ interiora compunctionibus mundata fuerint.

Institores sunt prophetæ, ut in Job : « Si calcaverint eam, filii institorum [9], » quod Apostoli, qui filii sunt prophetarum, Synagogam ad fidem non produxerunt. *Institor*, Christus, ut in Parabolis : « Facta est quasi navis institoris [10], » quod Christus Ecclesiam suam ad portam æternæ salutis perducit.

Jordanis est ordo baptizatorum, ut in Job : « Habet fiduciam quod Jordanis influat in os ejus [11], » quod non solum infideles, sed etiam fideles posse rapere diabolus putatur. *Jordanis*, humilitas, ut in Psalmis : « Memor ero tui de terra Jordanis [12], » id est, de humilitatis meæ stabilitate tui recordabor. *Jordanis*, instabilitas hujus vitæ, ut in libris Regum [13], Elias et Elisæus transierunt Jordanem : quod Christus et ejus sequaces instabilitate hujus sæculi mundi vestigia transeunt.

Juncus est quilibet auditor, ut in Isaia : « Orietur in ea viror calami et junci [14], » quod in Ecclesia est spiritualium magistrorum sanctitas et discipulorum

Juniperus est stabilitas charitatis, ut in libris Regum : « Cumque sederet subter unam juniperum, petivit animæ suæ ut moreretur [15], » quod perfectus quilibet, quando in perseverantiam ardentis charitatis se humiliat, tunc cupit dissolvi et esse cum Christo : quod juniperus diu servare ignem asseritur. Per *juniperum* peccata, ut in Job : « Radix juniperorum * erit cibus eorum [16], » quod concupiscentia peccatorum est delectatio pravorum.

Jugum est dominium Christi, ut in Evangelio : « Tollite jugum [meum] super vos, etc., jugum enim meum suave est [17], » quod Deo * servit, regnare est; *et onus meum leve*, quod non sunt importabilia præcepta Dei. Difficiles etenim per ardua gressus, quædam magnificis sunt æquora animis. *Jugum*, religio, ut in Psalmis : « Projiciamus a nobis jugum [18], » id est, resistamus, ne imponant nobis Christianam religionem, vel ita ex parte Judæorum contradicentium Christo, « dirumpamus vincula eorum, » id est apostolorum, si possimus, verba eorum, ne nos vinciant, et, si non possimus, « projiciamus a nobis jugum ipsorum, » id est, expellentes de finibus nostris, ne nobis imponatur jugum Christianæ religionis. Aliter ex parte Christi et apostolorum, « dirumpamus, » despiciamus tanquam infirma tormenta eorum, « et projiciamus a nobis jugum, » id est, pro nihilo reputemus blandimenta eorum. « Juga boum emi quinque [19], » id est, instar cupidorum et fatuorum curam salutis meæ neglexi, pro quinque sensuum voluptate carnalium. *Jugum*, captivitas, ut in ecclesiastico : « Grave jugum super filios stolæ (*sic*) [20], » id est, magna cupiditas continet genus humanum, id est, ... iustitiæ, ut in Jeremia : « Bonum est viro qui portavit jugum ab adolescentia sua, » id est, cum ..... cultum justitiæ a primæva ætate sua. *Jugum*, peccatum, ut ibi : « Computrescet jugum a facie olei [21], » quod deficiet peccatum in præsentia Spiritus sancti. *Jugum*, ponderosa habitatio inferni, ut in Isaia : « Jugum enim oneris ejus superasti [22], » id est, ponderosam habitationem in electis tuis devicisti. Est igitur quadripartitum jugum : primum, est Christi ; secundum, mundi ; tertium, peccati; quartum, inferni. Primum exornat sanctitas justitiæ; secundum ejuravit * unitas superbiæ; tertium polluit iniquitas nequitiæ; quartum affligit calamitas pœnæ.

[1] Prov. xxx, 15. [2] Psal. vi, 6. [3] Psal. cxiii, 17. [4] Psal. liv, 16. [5] II Petr. ii, 4. [6] Psal. xcvi, 1. [7] Exod. xii, 9. [8] Lev. ix, 14 [9] Job xxviii, 5. [10] Prov. xxxi, 14. [11] Job xl, 18. [12] Psal. xli, 7. [13] IV Reg. ii, 8. [14] Isa. xxxv, 7. [15] III Reg. xix, 4. [16] Job xxx, 4. [17] Matth. xi, 29. [18] Psal. ii, 3. [19] Luc. xiv, 19 [20] Eccli. xl, 1. [21] Isa. x, 27. [22] Isa. ix, 4.

Digitized by Google

Justitia est fides, ut in Psalmis : « Et lingua mea meditabitur justitiam tuam [1], » id est, prædicatores mei nuntiabunt fidem tuam, « tota die, » id est, continue laudem tuam, ad illam quidquid faciunt referentes. *Justitia*, bona actio, ut in Evangelio : « Attendite ne justitia vestra fiat coram hominibus [2], » id est ne opus bonum vestrum facialis pro laude humana : ac si diceret, videant opera vestra bona, non ut inde vobis laudem quærant, sed ut glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Sic igitur bonum opus fiat in publico, quatenus intentio maneat in occulto : et ut de bono opere proximis præbeatis exemplum, et mensura fugiat humanæ laudis appetitum. *Justitia Dei*, intellige flagella justificantia, de quibus dicitur : « Et justitias ejus non repuli a me [3], » quod non recusavi flagellari ab eo in tempore, ut lætari merear in æternitate. *Justitia*, emphatice ponitur pro justis, ut in psalmis : « Justitia tua sicut montes Dei [4], » quod justi tui in virtutibus eminent, non sicut montes sæculi, superbia tument.

Judices sunt prælati Ecclesiæ, ut in libro Judicum : « Dedit eis judices, ut judicarent eos [5], » * constituit super eos prælatos, qui regerent eos. *Judices*, mali prælati, ut in Job : « Adducit judices in stuporem [6], » quod pravos prælatos Deus permisit sectari. *Judices*, Judæi Christum judicantes, ut in Job : « Vultum judicum ejus operuit [7], » quod corda Judæorum Christum judicantium Deus * secari permisit.

Judicium est discretio, ut in Isaia : « Judicate inter me et vineam meam [8], » id est, discernite inter me et plebem meam. *Judicium*, separatio, ut in psalmis : « In virtute tua judica me, » id est, in fortitudine tua a malis me separa. *Judicium*, damnatio, ut in cantico Deuteronomii : « Si acuero ut fulgur gladium meum [9], » id est, cum præparavero terribilem vindictam meam ; « et arripuerit judicium manus mea, » id est, exercuerit potestas mea damnationem, reddam ultionem hostibus meis voce vel opere adversantibus. Duo sunt iudicia Dei : unum occultum ; alterum manifestum ; tertium judicium est, malos prosperari, bonos flagellari : quosdam malos florere, quosdam egere : item quosdam bonos quiete vivere, quosdam adversa tolerare : iste malus eligitur ; ille in malo deseritur : iste bonum inceptum perficit, ille deseritur in malo quod incepit : vult alius perire, non sinitur ; vult alius salvari, non ei datur. De his judiciis psalmus dicit : « Judicia Dei abyssus multa [10], » quod sunt (ut ait Apostolus) incomprehensibilia : manifestum vero judicium est, reddere unicuique secundum opera sua, ut nullum peccatum maneat inultum, nullum recte factum irremuneratum.

Jumenta, quæ semel in anno ad procreandam sobolem conveniunt, pudicitiam signant, ut in psalmis : « Tradidit grandini jumenta eorum [11], » id est, permisit violentiæ dari pudicitiam eorum, videlicet, quando uxores, quæ viris in adjutorium datæ sunt, violenter diripiuntur, quasi jumenta grandinantur. *Jumenta* enim *a juvando* nomen accipiunt, unde et adjumenta significant. Hinc scriptum est : « Viam fecit semitæ iræ suæ [12] ; » quod amplitudinem dedit parvitati vindictæ suæ. Quasi enim ira semitam habet, dum homines flagellantur in rebus suis. Deus enim iræ suæ semitam facit, cum peccatores juste deserens in levibus peccare permittit. Huic autem semitæ viam addit, cum eos in criminalia cadere sinit. Unde apte subjungitur : « Non pepercit a morte animabus eorum, » quorum mors est majus criminale peccatum, « et jumenta eorum in morte conclusit, » quod omnia adjumenta eorum, sive in jejuniis, sive in eleemosynis, sive in orationibus, peccatis eorum ne sibi prodessent, implicavit. Vel per *jumenta*, virtutes : ut supra dictum est in psalmis : « Jumenta eorum in morte conclusit, » id est, spirituales eorum virtutes peccatis implicari permisit. *Jumenta*, prædicatores, ut in psalmis : « Producit terra fenum jumentis [13], » quod inferior turba ministrat temporalia subsidia prædicatoribus suis. Jumento vulneratum Samaritanus imposuit [14], quod Christus humanam naturam cruci affigi permisit. *Jumenta* simplices intelliguntur, sicut de primitiva Ecclesia gentium dicitur per Psalten : « Et benedixit eis [15], » quod auxit Deus eos in virtutibus : « Et multiplicati sunt nimis : » ita ut rete rumperetur, et multus piscis laberetur : « Et jumenta eorum non minoravit : » quod simplices eorum non minoravit, quod simplices eorum melioravit, vel simplices eorum minorari non permisit. *Jumenta*, luxuriosi, ut in Joele : « Computruerunt jumenta in stercore suo [16], » id est, carnales vitam finierunt in fetore luxuriæ suæ. Jumenta quippe in stercore suo computrescere est, quemlibet insipidum, tamdiu vitio deservire, ut de ipso dicatur : « Ecce jam fetes. » *Jumenta*, caro Christi, ut in Evangelio : « Imposuit vulneratum super jumentum suum, » quod peccata humani generis in corpore suo portavit, ut in Psalmis : « Ut jumentum factus sum apud te [17], » id est, humilis sum, in conspectu tuo.

Juvenes, intellige fortes, dicente apostolo Joanne : « Scribo vobis, juvenes, quod vicistis malignum [18], » id est, vobis spiritualiter fortibus, quod superastis diabolum. Psalmi : « Juvenes et virgines, senes cum junioribus [19] ; » *juvenes* dicit virtute constantiæ : *fortes*, virgines castitate præeminentes : *senes*, consilio maturos : * *juvenes*, neophytos, hoc est, noviter conversos. *Juvenes*, lascivi, ut in psalmis : « Juvenes eorum comedit [20], » id est, quod lascivos

[1] Psal. XXXIV, 28. [2] Matth. VI, 1. [3] Psal. XVII, 23. [4] Psal. XXXV, 7. [5] Jud. II, 16. [6] Job XII, 17. [7] Job IX, 24. [8] Isa. V, 3. [9] Deut. XXXII, 41. [10] Psal. XXXV, 7. [11] Psal. LXXVII, 48. [12] Ibid. [13] Psal. CIII, 14. [14] Luc. X, 34. [15] Psal. CVI, 38. [16] Joel. I, 17. [17] Psal. LXXII, 22. [18] I Joan. II, 14. [19] Psal. CXLVIII, 12. [20] Psal. LXXVII. 6

Digitized by Google

eorum combussit flamma libidinis. *Juvenes*, leves, ut in Job : « Videbant me juvenes, et abscondebantur [1], » id est, qui leves in moribus erant, coram me apparere non audebant.

Juventus est primæva ætas, ut in Psalmis : « Deus, docuisti me a juventute mea [2], » id est, a primæva mea. *Juventus*, initium bonæ conversationis, ut in Deuteronomio : « Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua [3], » id est, qualem fervoris claritatem habuisti in primordio conversationis tuæ, talem et modo habes in fine tuo. *Juventus*, reversio ad bonum, ut in Psalmis : « Renovabitur ut aquilæ vita tua [4], » id est, ad instar aquilæ a prava vetustate

Ira Dei, non est perturbatio mentis, sed experientia justæ ultionis ; vel, ira Dei est motus animæ cernentis legem Dei a malo homine præteriri, per quem motum multa vindicantur ; vel, ira Dei est obscuritas, quæ consequitur transgressores ; ira Dei est pœna purgatoria. Fervor, æterna damnatio in corpore et anima. Unde in Psalmis : « Domine, ne in furore tuo arguas me, etc. [5] » Sicut durius est argui quam corripi, sic durior noster furor quam ira. Argui quippe est accusari. Ubi metuendum est, ne accusatio finem habeat damnationem. Corripi vero ad emendationem valet. Illi in judicio arguentur, hoc est, damnabuntur, quod sine fundamento, quod Christus est, invenientur : illi autem corripientur, hoc est, emundabuntur, qui super * fundamenta ædificant ligna, fenum, stipulam. Detrimentum enim * patiuntur, ipsi vero salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Erat igitur iste pœnitens, non solum ut æterna damnatione minime damnetur, verum etiam ne pœnis purgatoriis emundetur : sed potius * experiatur pietatem mentis medicina, si sentiat severitatem irati judicis.

Iniquitas proprie dicitur, quidquid ab æquitate discrepat. Unde Joannes in Epistola : « Omnis, inquit, qui facit peccatum, et iniquitatem facit : et peccatum est iniquitas [6]. » Sed cum omnis homo aliquando facit iniquitatem, quis sine peccato est? Juxta vocem Psalmæ, Qui operantur iniquitatem, non ambulant in lege Domini [7], et ideo liberati non sunt. Quis ergo liberatus? Sed alia est iniquitas, hoc est peccatum sine quo nemo est ; et alia est iniquitas, quam qui * operantur, non ambulant in lege Domini, nec beatus est, quandoquidem id peccatum sit illicitum carnis et * violentæ desiderium ; hoc postremum gravi operis in voce pertinacissimum studium, usque adeo id in volentibus operatur, ut apostolus de illo sive sua sive infirmorum voce pronuntiet, dicens : « Non id quod volo bonum, hoc facio ; sed quod nolo malum, hoc ago [8] ; » hoc est, illicita cupio. Quomodo ergo in via Dei ambulas, o Paule? « Si » autem, inquit, « quod nolo, facio : jam non ego operor illud : sed, quod habitat in me peccatum. Scio enim quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Igitur mente servio legi Dei, carne autem lege peccati. » Idcirco justo illud desiderium peccatum est dictum, quod et pœna peccati et causa peccati : quod dum nos ad aliquid delectando monet, si consentimus, in peccato operamur ; sin autem in nobis operatur, quod tamen nos agere dicimur : quod non est vigor naturæ alienæ, sed languor nostræ : qui igitur illicito desiderio consentientes pariter operantur, non ambulant in lege Domini, qui dicit : « Declina a malo, et fac bonum [9]. » Qui vero id sentit in se, sed ei contradicendo non consentit, in lege Domini ambulat, et Deus est denique : quod tentatio vita est bonis super terram, et si a criminalibus longe sumus, non deest, cum nisi aliquando vel levi peccato consentiamus. Sed quod in via Dei sic solum deviant, pro non peccantibus et beatis habendi sunt. Beatus enim cui non imputavit Deus peccatum [10]. Solet ergo sacra Scriptura non solum levia peccata per iniquitatem significare, sed etiam nefanda crimina, sicut et de morte Domini. Unde David in persona Christi : « Intende ad visitandas omnes gentes [11], » id est, in censum te præbe, pater, ut arca compluatur : « non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem, » id est, non compluas vellus, quod imbre gratiæ rejecit a se : et ad hunc negant me venisse ; et alii de non reddendo malum pro malo. « Domine, si feci istud, » scilicet nefandum ; quid est id? « si est iniquitas in manibus meis, » hoc est, in operibus meis, quam iniquitatem dicis tu? aperte : « si reddidi retribuentibus mihi mala, » ecce iniquitas, quæ, juxta Zachariæ vocem prophetæ [12], sedet super talentum plumbi. Sunt etiam operantes iniquitatem, qui volentes se justificare fundunt culpam suam in creatorem, stellas asserentes dominicales eos creasse, ut non possint a peccato se abstinere, sicut denique qui operantur ita iniquitatem pertinaci studio, ut ii usque ad finem vitæ perseverent, qui nunquam carebunt culpa. De talibus dictum est : « Et dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem [13]. » *Iniquitas* ponitur emphatice pro iniquis, dicente David : « Et omnis iniquitas oppilabit os suum [14], » quod omnes iniqui, sive Judæi, sive hæretici, cum non habeant, quod contra manifestam veritatem dicant, convicti obmutescent.

K

Kalendæ aliquando in bono sumuntur, ut in libro Numeri : « In solemnitatibus et Kalendis et in sabbatis vestris [15] ; » aliquando in malo, ut in Isaia : « Kalendas vestras odivit anima mea [16]. »

[1] Job XXIX, 8. [2] Psal. LXX, 17. [3] Deut. XXXIII, 25. [4] Psal. CII, 5. [5] Psal. VI et XXXVII, 1. [6] I Joan. III, 4. [7] Psal. XIV, 4. [8] Rom. VII, 19. [9] Psal. XXXIII, 15 ; I Petr. III, 11. [10] Psal. XXXI, 2. [11] Psal. LVIII, 6. [12] Zach. V, 7, 8. [13] Psal. XCI, 10. [14] Psal. CVI, 42. [15] Num. XXVIII, 11. [16] Isa. I, 14.

Digitized by Google

L

Labia.	*Labrum.*	*Latitudo*
Labruscæ	*Lac.*	*Linea.*
Lacus.	*Lactucæ.*	*Littus.*
Lacerta.	*Laguncula.*	*Lucifer.*
Lagena.	*Lacryma.*	*Ligna.*
Lamia.	*Lignum.*	*Linum.*
Lux.	*Lilium.*	*Lippus.*
Lucerna.	*Lorum.*	*Liber.*
Lumbi *.	*Lectulus.*	*Locusta.*
Lima.	*Lex.*	*Longitudo.*
Litum.	*Legatio.*	*Leo.*
Læna.	*Lepus.*	*Lectus.*
Libanus.	*Leprosi.*	*Lector.*
Lanceæ.	*Leviatan.*	*Legatus.*
Lampas.	*Lana.*	*Lepra.*
Laquearia.	*Lapis.*	*Locus.*
Latus.	*Laqueus.*	*Loculus.*
Latrones.	*Later.*	*Lumen.*

Labia sunt Dei judicia, ut in Job : « Et aperiret labia sua tibi [1], » id est, revelaret judicia sua sibi. *Labia* verba Christi, juxta illud sponsæ sponsum laudantis : « Labia illius lilia stillantia myrrham primam [2], » quod verba doctrinæ Christi, quæ dulcedinem regni cœlestis promittunt, contemptum et mortificationem carnalium voluptatum ubique diffundunt, ut libenter amara bibant, qui gloriosa desiderant. *Labia*, prædicatores, dicente sponso ad sponsam : « Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce [3]. » Prædicatores, labia sunt, dumque dentes terunt, alii restringunt. Dum fluidas cogitationes prædicando restringunt, coccinei sunt : quod Dominici sanguinis pretium, quo redempti sunt, prædicare et imitari non desinunt, et quasi coccus bis tinctus geminæ charitatis ardore flammescunt, quorum eloquium dulce est, quod denique dicunt faciunt, prædicationem suam hominibus quasi sapidas escas * opponunt. *

Labia, oris locutio, ut in Job : « Tantummodo labia circa dentes meos [4], » quod quando passus est Christus, * solum de illo habuerunt.

Labrum est baptismus, ut in libris Regum : « Duodecim boves portabant labrum [5], » quod duodecim apostoli baptismum prædicabant. *Labrum*, compunctio, ut in Exodo : « Labrum æneum de speculis mulierum [6], » id est, de exemplis animarum.

Labruscæ sunt vitia, ut in Isaia : « Ut faceret uvas, fecit autem labruscas [7], » id est, speravi quod proferret virtutes, sed fecit vitia.

Lac est ordo nostræ conceptionis, ut in Job : « Sicut lac mulsisti me, » id est, ex carne conceptus sum. *Lac*, simplex doctrina ; ut in Paulo : « Lac vobis potum dedi escam [8], » id est, simplicia vobis prædicavi, non fortia. Et alibi : « Facti estis quibus lacte opus est, non solido cibo [9]. » *Lactis* nomine simplices auditores intellige, dicente sponso in Cantico : « Bibi vinum meum cum lacte meo [10] ; » quod et fortes cœlestium prædicatores et simplices auditores ad interiora cœlestis regni quasi vitia mea trahendo perduxi. *Lac*, innocentia, ut in Cantico : « Quæ lacte sunt lotæ [11], » id est, quæ sunt innocentia purgatæ. *Lac*, bona actio, ut in Isaia : « Bibe vinum et lac [12], » id est, exerce theoricam contemplationem et bonam actionem. *Lac*, blandimentum peccati ; ut in Exodo : « Non coques hædum in lacte matris suæ [13], » id est, non fovebis peccatorem in blandimento culpæ suæ. *Lac*, doctrina legis, ut in Genesi : « Dentes ejus lacte candidiores [14], » quod verba Christi doctrina legis profundiora sunt. *Lac*, temporalis administratio, ut in Jeremia : « Candidiores lacte Nazaræi [15], » quod contemplativi illis qui temporalia administrant * spiritualia sunt.

Lacus infernus est, ut in Isaia : « Cum iis qui descenderunt in lacum [16], » id est, cum iis qui fuerunt in infernum. Item Joannes in Apocalypsi : « Et misit angelus falcem suam in terram, et vindemiavit vineam terræ, et misit in lacum iræ Dei magni [17], » exercens enim ordo prædicatorum judicium suum contra terrenos, ... malorum ..... quam in terra nutrierant, et ..... illos in infernum, ubi innumerabiles vindictam Dei sustinebunt : « Et calcatus est lacus extra civitatem [18], » quod puniti sunt in inferno, qui fuerunt extra sanctam Ecclesiam, vel infernus completus est fidelibus, « et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum, » quod pro peccato, quod in inferno est, usque ad ipsos dæmones puniendos * exundavit, qui subjectos suos ad malum trahunt. Quomodo ? « per stadia mille sexcenta, » hoc est, per omnes sæculares, vel minores, vel majores, vel magnos. *Stadium* dicebatur, quantum currebat Hercules uno anhelitu, et per stadium mensurabant Græci plateas, in quibus luderent. Stadium significat mundanis varietatibus deditos, sex, inferiores ; centum, excellentiores ; mille, excellentissimos. *Lacus*, calamitas mundi : ut in Psalmis : « Eduxit me de lacu miseriæ [19], » id est, de calamitate mundi. *Lacus*, est iste mundus, cum miseriarum profunditatem non videmus. *Lacus*, corruptio carnis, dicente Christo ad Patrem : « Ad te, Domine, quod intente orabo tempore passionis. Deus meus, per quem factus sum ex muliere [20], » * ne sileas, dicente : « A me, Pater, si fieri potest, transeat, a me calix iste [21] : ne quando taceas a me clamante : Pater, clarifica Filium tuum [22] ; et si tacere vis, assimilabor descendentibus in infernum [23] ; » id est, talis ero quales sunt illi qui in corruptionem carnis cadunt. *Silere* autem vel *tacere* dicitur, quando non dat quod rogatur. *Lacus*, mundus iste, cujus miseriarum profunditatem non videmus, et maximus descensus est, a Deo deviare, et se ad hujus mundi miserias inclinare : ascensus vero cœlestis, iis miseriis ad bona perpetua festi-

[1] Job. XXXII. 20. [2] Cant. V, 13. [3] Cant. IV, 3. [4] Job. XIX, 20. [5] I Reg. VII, 25. [6] Exod. XXXVIII, 4. [7] Isa. V, 24. [8] I Cor. III, 2. [9] Hebr. V, 12. [10] Cant. V, 1. [11] Cant. V, 12. [12] Isa. LV, 1. [13] Exod. XXIII, 19. [14] Gen. XLIX, 12. [15] Thren. IV, 7. [16] Isa. XXXVIII, 18. [17] Apoc. XIV, 19. [18] Ibid., v. 20. [19] Psal. XXXIX, 3. [20] Psal. LXXXV, 7. [21] Matth. XXVII, 39. [22] Joan. XVII, 1. [23] Psal. XXVII, 1.

Digitized by Google

nare. De hoc lacu ut in Jeremia extraheretur, dati sunt ei non solum funes, sed et veteres panni [1], quod quisquis a profundis hujus mundi miseriis ad gaudia cœlestia pervenire desiderat, necesse habet ut *funes* præceptorum Dei firmiter in manibus teneat, illis se involvat, illis inhæreat. Sed quod dura videntur ea quæ jubentur : addantur funibus veteres panni, hoc est, præceptis Dei adhibeantur exempla veterum Patrum, qui ea opere compleverunt, quæ auditu dixerunt. Hoc autem modo quisque ad bonam vitam attrahitur, si vita sanctorum post præcepta Domini ei ad corroborationem inducitur : nam facilius quisque studet imitari quod ab alio videt fieri. *Lacus*, vitia, ut in Psalmis : « Salvasti me a descendentibus in lacum [2], » id est, a profunditate vitiorum.

Lactucæ sunt afflictiones, ut in Exodo : « Cum lactucis agrestibus [3], » id est, cum amaris afflictionibus

Lacerta est via iniqui, ut in Levitico : « Lacertam non comedetis [4], » quod vitam impii imitari non debemus.

Lagunculæ est corpus Christi, ut in Isaia : « Confringet lagunculam [5], » quod corpus Christi crucifixum est. Per *lagunculam* conscientiæ, ut in Job : « Quod lagunculas novas dirupit [6], » id est, renovatus conscientias lædit.

Lagena est fides baptismi, ut in Evangelio : « Occurret vobis lagenam aquæ bajulans [7], » id est, populus Christianus fidem baptismi habens. Per *lagenam* terrena corpora, ut in libro Judicum [8] socii Gedeonis confregerunt lagenas, quod martyres Christi tradiderunt ad mortem corpora sua.

Lamina est claritas divinitatis, ut in Exodo : « Lamina de auro purissimo [9], » id est, claritatem de Deo excelso. *Lamina*, corda Judæorum, ut in Job : « Et populi * lamina [10], » id est, in corde populi Judaici. Per *laminas* opera pietatis, ut in libris Regum : « Affixit laminas clavis [11], » id est, bona opera remuneravit præmiis æternis.

Lamia est simulatio, ut in Isaia : « Cubavit lamia [12], » id est, requievit simulatio.

Lana est simplicitas, ut in Deuteronomio : « Non induas vestem lino lanaque contextam [13], » id est, non ostendas de foris simplicitatem, et intus habeas duplicitatem. *Lana*, virgo Maria, ut in libro Judicum : « Ponam hoc vellus lanæ in area [14], » quod virginitas Mariæ honoratur in Ecclesia. *Lana*, bona actio, ut in Parabolis : « Quæsivit lanam et linum [15], » id est, exercuit actionem et contemplationem. *Lana*, mansueti, ut in Psalmis : « Qui dat nivem sicut lanam [16], » quod illos nonnunquam mansuetos facit, qui prius intractabiles erant. « Nebulam sicut cinerem spargit [17], » quod quosdam prius excæcatos pœnitentes facit. Per *lanam* sustentamenta temporalia, ut in Ezechiele : « Lanis operiebamini, gregem autem meum non pascebatis [18], » id est, sustentamenta temporalia a subditis accepistis, sed eorum salvationem non prævidistis.

Lanceæ sunt jacula tentationis, ut in Job : « Circumdedit me lanceis suis [19], » id est, tentationibus suis. *Lanceæ*, fraudes præmeditatæ, ut in Isaia : « Conflabunt lanceas suas in falces [20], » id est, præcogitatas fraudes abjicient, et utilitati proximorum insistent.

Lapis Christus intelligitur, de quo in Zacharia legitur : « In uno lapide septem oculi sunt [21], » quod in Christo plenitudo donorum spiritualium habitat. Hunc lapidem et Daniel de monte sine manibus intellexit [22], ut hic * est Christum de populo Judæorum sine opere conjugali progenitum, qui postea in montem magnum * factus implevit universam faciem terræ : quod tam gentes, quam Judæos fecundaverat verbo doctrinæ suæ. *Lapides* intelliguntur prophetæ, juxta illud : « Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus [23], » videlicet Sion : quod prophetæ placuerunt apostolis, dicta illorum per Spiritum sanctum intelligentibus : « Et terræ ejus miserebuntur, » hoc est, inferioribus Judæorum per doctrinam Apostolorum misericordia impendetur, vel synagogæ placuerunt Apostolis : unde et inferioribus ejus miserti sunt. Vel per lapides, prophetas, ut in libris Regum : « Lapides grandes in fundamento templi [24], » quod super prophetas vita et scientia insignes sancta Ecclesia fundata est. *Lapis*, lex, quæ scripta est in lapide tantum, ut psalmus de Christo loquitur, quod etiam membris captatur : « In manibus portabunt te, ne forte offendas pedem tuum [25]; » quod membra sua ministris suis et auxiliis suis minabunt, ne legem carnaliter intelligant, ne spiritualiter intellectum complere negligant, ne legi implendæ timore pœnæ, sed amore justitiæ. Hoc dixit tentator Christo, de divinitate ejus dubitans; volebat autem diabolus, utrum vere homo tantum esset, ex hoc probare : si auxilio angelorum, quasi sibi necessario deorsum missus allevetur, angeli ergo Deo ministrabant, non ex necessitate, quasi impotenti, sed quasi ex officio : nec ideo illum ad cœlum ascendentem portabant, quod caderet, si non portarent; sed ut ministerium debitæ subjectionis impenderent. *Pedem*, dicit mentis affectionem. *Lapis*, diabolus, qui durus est per impœnitentiam et ponderosus per iniquitatem : de quo Moyses dicit in cantico Exodi : « Electi principes ejus submersi sunt in mari [26], » quod ministri diaboli et sublimiores per adventum Christi demerguntur in ardenti inferno : « Abyssi operuerunt eos [27], » quod profunda malitia depressit eos : « descenderunt in profundum, quasi lapis, » hoc est, sine

[1] Jer. xxxviii, 11, 12. [2] Psal. xxix, 4. [3] Exod. xii, 8. [4] Lev. xi, 30. [5] Isa. x, 33. [6] Job xxii, 19. [7] Marc. xiv, 13. [8] Jud. vii, 20. [9] Exod. xxviii, 36. [10] Job xix, 24. [11] I Reg. vi, 21. [12] Isa. xxxiv, 14. [13] Deut. xxii, 11. [14] Judic. vi, 37. [15] Prov. xxxi, 13. [16] Psal. cxlvii, 16. [17] Ibid. [18] Ezech. xxxiv, 3. [19] Job xvi, 13. [20] Isa. ii, 4. [21] Zach. iii, 9. [22] Dan. ii, 34. [23] Psal. ci, 15. [24] III Reg. v, 17. [25] Psal. xc, 12. [26] Exod. xv, 4. [27] Ibid. v. 5.

Digitized by Google

spe resurrectionis, ad instar durissimi lapidis. *Lapis*, quilibet iniquus, ut in Apocalypsi : « Et sustulit unus angelus fortis lapidem, quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens : Hoc impetu mittetur Babylon, illa magna civitas, [1], » etc. *Angelus*, Christus, paternæ vocis nuntius, *fortis* est, cui nemo resistere potest. Unde, « Cui similis nemo invenitur [2]. » *Lapis*, quilibet impius propter duritiam cordis et peccatorum pondus, qui *molaris* asseritur propter volubilitatem sæcularium rerum, quam sequitur tantum, in Psalmis : « In circuitu impii ambulant [3]. » *Magnus* etiam dicitur, propter potentiam ; quod nonnunquam bonorum etiam dominatur. *Mare* est infernus ardens : *Babylon*, collocatio malorum, sicut igitur angelus lapidem in altum tulit, et magno impetu in mare misit : ita Christus nonnunquam malos honoribus et dignitatibus elevat, ut in pœnis inferni gravius demergat. Reprobi enim quanto plus exaltantur, tanto gravius cadent, si non prius humilientur. Vel ita : sustulit angelus lapidem magnum, quasi molarem, et volubilem mittit in infernum. *Lapis*, duritia cordis, ut in Evangelio : « Nunquid lapidem dabit illi ? [4] » « Fundamenta civitatis omni lapide pretioso ornata : quod prophetæ et apostoli omni virtutum stabilitate decorantur. Per *lapides* prædicatores, ut in Isaia : « Ecce sternam per ordinem lapides tuos [5], » id est, ordinate prædicatores tuos locabo. Per *lapides*, mentes sanctorum, ut in Job : « Iittus sapphiri, lapides ejus, » quod mentes fidelium cœlestia cogitant. Per *lapides* religiosi, ut in Jeremia : « Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum [6], » quod nonnulli, qui religiosi esse debuerunt, plus quam sæculares terrenis negotiis implicantur. Per *lapides* apostoli, ut in Exodo lapides duodecim in rationali pontificis erant : quod duodecim apostoli in fide Christi excellentes erant [7]. Per *lapides*, gentiles, ut in Evangelio : « De lapidibus istis suscitate filios Abrahæ [8], » id est, de gentibus, figuratis per lapides istos, id est, quos ante vos ducis veros fideles.

Lampas est quilibet simplex, ut in Job : « Lampas contempta [9], » apud cogitationes divitum : quod simplex quilibet desperatus est in conspectu superborum. *Lampas*, examen judicii, ut in Genesi : « Lampas ignis transiens inter divisiones illas [10], » quod terribile Dei judicium discernet inter electos et reprobos. Per *lampadem* opera bona, ut in Evangelio : « Oleum in vasis suis cum lampadibus [11], » id est, charitatem in cordibus suis cum operibus bonis. Per *lampades*, dona Spiritus sancti, ut in Apocalypsi : « Septem lampades ardentes ante tribunal [12], » quod septem dona Spiritus sancti illuminant Ecclesiam. Per *lampades* corda sanctorum, ut in Cantico : « Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum [13], » quod qui vasa veritatis existunt, et intus bonum desiderium et intus bonam actionem habent. Per *lampades*, fraudes reproborum, ut in Job : « De ore ejus procedunt lampades [14], » quod de suggestione diaboli exeunt doli et fraudes. Per *lampadem*, claritas miraculorum, ut in libro Judicum : « Lampades et lagenas vacuas in medio lagenarum [15], » quod corpora sanctorum martyrum et ex eis miracula.

Laqueus est suggestio, ut in Psalmis : « Ipse liberavit me de laqueo venatoris [16], » id est, de suggestione dæmonum tentantium. Per *laqueum*, deceptiones, ut in Psalmis : « Pluet super peccatores laqueos [17], » id est, effundet super impios deceptiones.

Laquearia sunt simplices in Ecclesia, ut in Cantico : « Laquearia nostra cupressina [18], » quod simplices, qui sunt in Ecclesia, bonum ex se sanctitatis odorem emittunt [19].

Later est mens terrena, ut in Ezechiele : « Fili hominis, describes in latere civitatem Jerusalem, [20] » quod prælatus depingere debet in terreno corde subjecti sui gaudia patriæ cœlestis. *Lateres*, negotia terrena, ut in Exodo : « Operibus duris luti et altaris [21], » id est, ponderosis actibus luxuriæ et occupationis sæcularis. *Per lateres* mentes libidinosæ, ut in Genesi : « Habuerunt lateres pro saxis [22], » quod reprobi, abjectis onoribus bonis, mentes libidinosas possident.

Latus est corona justorum, ut in Psalmis : « Cadent a latere tuo mille [23], » id est, innumeri deficient a corona justorum. *Latus*, munimen, ut in Parabolis : « Dominus erit in latere tuo, ne capiaris [24], » id est, munimen aderit tibi Deus, ne in tentatione vindicaris. *Latus*, meditatio contemplationis, ut in Ezechiele : « Aquam egredientem de templo a latere dextro [25], » id est compunctionis procedentem de anima in meditatione contemplationis. *Latus*, mens, ut in Actibus apostolorum : « Percussoque latere Petri excitavit eum angelus [26], » quod percusso corde peccatoris per pœnitentiam a peccato surgit, vel, a peccato eum erigit inspiratio interna. Per *latera* duo Testamenta, ut in Psalmis : « In lateribus domus tuæ, [27] » id est, in duobus testamentis Ecclesiæ tuæ. Per *latera*, familiares potentes, ut in Job : « De lateribus ejus anima dependet [28], » id est, de familiaribus ejus procedit. Per *latera*, populi infideles : ut in Isaia : « Sedebo in lateribus Aquilonis [29], » id est, quiescam in populis illis qui per infidelitatem frigidi sunt. Per *latera* populi Judæorum, ut in Exodo : « In lateribus tabulæ tuæ fient castraturæ [30], « quod in populis Synagogæ diræ sibi personæ jungebantur, sacerdotales et regiæ. Per *latera* gentiles, ut in Psalmis : « Mons Sion latera

[1] Apoc. XVIII, 21. [2] Psal. LXXXVIII, 7, 9. [3] Psal. XI, 9. [4] Luc. XI, 11. [5] Isa. LIV, 11. [6] Thren. IV, 1. [7] Exod. XXVIII, 17. [8] Matth. III, 9. [9] Job. XII, 5. [10] Gen. XV, 17. [11] Matth. XXV, 4. [12] Apoc. IV, 5. [13] Cant. VIII, 6. [14] Job XLI, 10. [15] Jud. VII, 16. [16] Psal. XC, 3. [17] Psal. X, 6. [18] Cant. I, 16. [19] Cant. I, 3. [20] Ezech. IV, 1. [21] Exod. I, 14. [22] Gen. XI, 3. [23] Psal XC, 7. [24] Prov. III, 26. [25] Ezech. XLVII, 1, 2. [26] Act. XII, 7. [27] Psal. CXXVII, 3. [28] Job XV, 27. [29] Isa. XIV, 13. [30] Exod. XXXVI, 22.

Digitized by Google

Aquilonis, civitas regis magni [1], » quod ex Judæis et gentibus una Ecclesia consistit.

Latitudo est charitas, ut in Exodo [2], Latitudo est atrii centum cubitorum, quod charitas animi perfectionem habet virtutum.

Latomi sunt doctores, ut in libris Regum : « Octoginta millia latomorum [3], id est, doctores, qui cum doctrina Decalogi prædicant resurrectionem.

Latrones sunt maligni spiritus, ut in Evangelio : « Incidit in latrones [4], » id est, incurrit in malignos spiritus.

Leo est Christus, ut in Apocalysi; « Vicit leo de tribu Juda [5], » id est, superavit diabolum Christus ortus de tribu Juda. *Leo*, Deus judex, ut in propheta : « Leo rugiet » (id est Deus judicabit), « quis non timebit? [6] » *Leo*, quilibet spiritualiter fortis, ut in Parabolis : « Justus autem quasi leo confidens absque terrore erit [7], » quod ut sanctus conscientiæ suæ innitens absque terrore erit. *Leo*, populus Judaicus, ut in Psalmis : « Susceperunt me, sicut leo paratus [*ad prædam*] [8] : quod crudelis paratus erat ad occidendum Christum. *Leo*, austeritas legis, ut in libro Judicum : « Examen apum in ore leonis [9] ; id est, multitudo dulcium et minantium scientiarum de locutione legis. *Leo*, imperator Romanus, ut in Paulo : « Et liberatus sum de ore leonis [10], » id est, de timore Neronis imperatoris. *Leo*, quilibet crudelis, ut in libris Regum : « Leo vel ursus tollebat arietem [11], » quod crudelis et immundus nituntur opprimere humilem. *Leo*, Antichristus in fallacia sua. Leo ipse diabolus rugiens tremit, quod diabolus, semper rapere studet fideles [12].

Leæna est Ecclesia, ut in Job : « Nec transiit per eam leæna [13], quod sancta Ecclesia a plebe Judaica inhonoratur.

Leæna mens humana, ut in Job : « Propter superbiam quasi leænam capies me [14], » id est, mentem meam, ne superbiat, domabis. *Leæna*, mundus iste, ut in Job : « Rugitus leænæ et vox leænæ [15], » id est, suggestio hostis et concupiscentia mundi.

Lectus est caro, ut in Psalmis : « Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus [16], » id est, Deus faciat eum carne sua superiorem. *Lectus*, concupiscentia, ut in Psalmis : « Lectum meum lacrymis rigabo [17], » id est, per singula mea peccata flendo mundabo conscientiam meam. *Lectus*, delectatio carnis, ut in Psalmis : « Si ascendero in lectum strati mei [18], id est, si sumpsero esse in delectatione carnis meæ. *Lectus*, reprobus sensus, ut in Apocalypsi : « Mitto Jezabel in lectum [19], » quod immundum peccatorem Deus nunquam in reprobum sensum cadere permitit.

Lectulus est sanctum otium, ut in Cantico : « Lectulus noster floridus [20], » id est, internum otium in virtutibus floret. *Lectulus*, spes interna, ut in Job : « Consolabitur me lectulus meus [21], » id est, recipiam consolationem internam spe nostra. *Lectulus*, quies interna, ut in Cantico : « In lectulo meo per noctem quæsivi quem desiderabat anima mea [22], » quod devota anima in præsentis vitæ obscuritate in quiete sua Deum quærit. *Lectulus*, beatitudo æterna, ut in Cantico : « Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt [23], quod æternam beatitudinem, in qua Christus est, qui doctrina similes et operatione perfecti sunt, speculantur.

Lex est Vetus Testamentum, ut in Evangelio : « Non veni legem solvere, sed adimplere [24], » id est, Vetus Testamentum destruere. *Lex*, liber Psalmorum, ut in Evangelio : « Nonne scriptum est in lege vestra (id est in lege Psalmorum) « quod ego dixi, Dii estis [25] ? » Lex Pentateuchus, ut in Evangelio : « Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege [26], » id est, in Pentateucho Moysi : « *Lex*, Christi verba, ut in Epistola Jacobi : « Quicunque totam legem (id est, Christi verba, quæ Decalogum vocantur) « servaverit [27]. » *Lex*, corruptio, ut in Psalmis : « Legem dabit delinquentibus in via [28], » quod reos suos Deus flagellabit in præsenti vita. *Lex*, charitas, ut in Job : « Quod multiplex sit lex ejus [29], » id est, quod innumera bona venient de charitate. *Lex*, stimulus carnis, et bonum desiderium, ut in Paulo : « Legem in membris repugnantem legi mentis meæ [30], » id est, stimulum carnis repugnantem desiderio carnis.

Legislator est Christus, ut in Psalmis : « Dabit legislator [31], » id est, qui dedit legem, dabit et gratiam. *Legislator*, Antichristus, ut in Psalmis : « Constitue legislatorem super eos [32], » id est, Antichristum, qualem perditi habere merentur.

Legatus est Christus, ut in Jeremia : Legatum misit ad gentes [33], quod Christus a Patre missus est ad homines. Per *legatos* prædicatores, ut in Psalmis : « Venient legati ex Ægypto [34], » quod prædicatores procedent de gentilitate. Per *legatos* prædicatores Antichristi, ut in Isaia : « Misit in mari legatos suos [35]. » id est in mundo prædicatores suos.

Legatio est reconciliatio peccatorum, ut in Paulo : « Pro Christo legatione fungimur [36], » id est, vice Christi nos de reconciliatione peccatorum intromittimus. *Legatio*, lacrymæ pœnitentium, ut in Evangelio : « Legationem mittit, rogans ea quæ pacis sunt [37], » id est, lacrymas pœnitentiæ præmittens veniam precatur.

Lepus est quilibet iniquus, et tamen doctus in lege. « Lepus, nam et ille ruminat [38], quod nonnulli iniqui et tamen docti sunt

Psal. XLVII, 3. [2] Exod. XXVII, 9. [3] III Reg. V, 15. [4] Luc. X, 30. [5] Apoc. V, 5. [6] Amos. III, 8. [7] Prov. XXVIII, 1. [8] Psal. XVI, 12. [9] Jud. XIV, 8. [10] II Tim. IV, 17. [11] I Reg. XVII, 34. [12] I Petr. V, 8. [13] Job XXVIII, 8. [14] Job X, 16. [15] Job IV, 10. [16] Psal. XL, 4. [17] Psal. VI, 7. [18] Psal. CXXXI, 3. [19] Apoc. II, 22. [20] Cant. I, 16. [21] Job VII, 13. [22] Cant. III, 1; Ibid., *v.* 7. [23] Matth. V, 17. [24] Joan. X, 34. [25] Psal. LXXXI, 6. [26] Luc. XXIV, 44. [27] Jac. II, 10. [28] Psal. XXIV, 8. [29] Job XI, 6. [30] Rom. VII, 23. [31] Psal. LXXXIII, 7. [32] Psal. IX, 21. [33] Jer. XLIX, 14. [34] Psal. LXVII, 32. [35] Isa. XVIII, 2. [36] II Cor. V. 20. [37] Luc. XIV, 32. [38] Lev. XI, 6.

Digitized by Google

Lepra est peccatum, vel falsa doctrina, ut in Levitico: « Plaga lepræ si fuerit in homine [1], » id est, peccatum vel hæresis si fuerit in homine.

Leprosi sunt hæretici, ut in Evangelio: « Occurrerunt ei decem viri leprosi [2], » quod ad Christum multi veniunt, qui prius Decalogum perisse intelligentes, hæretica fuerunt sorde maculati.

Leva sunt temporalia dona, ut in Cantico: « Læva ejus sub capite meo [3], » id est, temporalia Christi dona consolantur animam meam.

Leviathan est diabolus, ut in Job: « Parati sunt suscitare Leviathan [4], » quod viri sancti diabolum bene vivendo instigant.

Libanus est Christus, ut in Cantico: « Species ejus ut Libani [5], » quod spiritualis Christi forma decora est. *Libanus*, Ecclesia, ut in Cantico: « Fluunt impetu de Libano [6], » quod doctrinæ salubres procedunt de Ecclesia. *Libanus*, baptismus, ut in Cantico: « Veni de Libano, sponsa mea, » id est, Ecclesia mea, baptismo dealbata. *Libanus*, mundus iste, ut in libris Regum, servi Salomonis cædebant ligna de Libano [7], quod prædicatores Salvatoris homines convertebant ad fidem in mundo.

Lingua est Filius, ut in psalmis: « Lingua mea calamus scribæ [8], » id est, Filius meus cum Spiritu sancto, cooperator meus est. *Lingua*, vox Christi, ut in Psalmis: « Lingua mea adhæret faucibus [meis] [9], » id est, vox mea obmutuit coram Judæis. *Lingua*, doctrina hæretica, ut in Job: « Fune ligabis linguam ejus [10], » id est per sacram Scripturam devinces hæreticam doctrinam. *Lingua*, animus, ut in Psalmis: « Tota die injustitiam cogitavit lingua tua [11], » id est, semper animus tuus cogitavit iniqua. *Lingua*, prædicatores Dei, ut in Psalmis: « Et lingua mea meditabitur justitiam tuam [12]. » * *Lingua*, doctrina sæcularis, ut in Isaia: * « Dissolidabit Dominus linguam maris Ægypti [13], » quod tenebrosam mundi doctrinam destruet.

Lignum est Christus, ut in Apocalypsi: « De ligno vitæ, quod in paradiso Dei mei [14] * » frui in Christo, qui vivificat Ecclesiam. [15] *Lignum*, crux, ut in Jeremia: « Mittamus lignum in panem ejus, » id est cordi ejus crucem exhibeamus. *Lignum* incarnata Sapientia, ut in Parabolis: « Lignum vitæ est iis qui apprehenderunt eam [16], » quod qui Dei Sapientiam per fidem in * . . . . . natam confitetur, mentali ab ea pastu reficitur. *Lignum*, quilibet justus, ut in Job: « Lignum habet spem [17], » quod justus semper spe salvus factus. *Lignum*, quilibet elatus, ut in propheta: « Ego Deus humiliavi lignum sublime [18], » quod qui se exaltat, humiliabitur. *Lignum*, quilibet humilis, ut in eodem loco, « et exaltavi lignum humile, » quod qui se humiliat, exaltabitur. *Lignum*, cor hominis, ut in libris Regum: « Præcidit lignum et misit illuc, natavitque ferrum [19], » quod Christus cor humiliavit, et gratiam restituit. *Lignum*, deliciæ spirituales, ut in Genesi: « Ex omni ligno paradisi comedes [20], » id est, spirituales sanctæ Ecclesiæ delicias tibi acquire. *Lignum*, sancti angeli, ut in Ezechiele: « Omne lignum paradisi non est assimilatum illi [21], » id est, nullus inter angelos Dei comparari potuit illi.

Ligna sunt viri sancti, ut in Cantico: « Cum universis lignis Libani [22], » id est, in omnibus sanctis qui sunt in Ecclesia. *Ligna*, gentiles, ut in Psalmis: « Saturabuntur ligna campi [23], » id est, reficientur per fidem gentiles mundi. *Ligna*, pœnitentes, ut in Psalmis: « Exsultabunt omnia ligna silvarum [24], » quod in adventu Domini pœnitentes, qui prius inculti erant, accepta venia, spiritualiter exsultaverunt. *Ligna*, virtutes spirituales, ut in lege: « Plantabis, in ea ligna pomifera, » id est, pones in mente tua virtutes spirituales [25]. *Ligna*, vitia, ut in Deuteronomio: « In succisione lignorum securis fugerit * navim [26], » * id est, et correptorum vitiorum increpatio excesserit mensuram. *Ligna*, cogitationes invidæ, ut in Exodo: Populus obtulit ligna Sethim [27], quod fidelis quisque imputribiles Deo cogitationes offert. *Ligna*, operationes bonæ, ut in Paulo: « Super fundamentum hoc aurum, argentum, ligna [28], » id est, in fide Christi munditiam cogitationum, nitorem locutionum, strenuitatem actionum. *Ligna*, iniqui, ut in libro Judicum: * « Injecerunt ligna ut ungerent regem [29], » quod ii qui ad libitum carnalis voluptatis suæ prælatum volunt habere.

Lilium est candor divinitatis, ut in Cantico: « Ego sum lilium convallium [30], » id est, in divinitate mea merces sum humilium. *Lilium*, sancta Ecclesia, ut in Cantico: « Sicut lilium inter spinas [31], » quod dogmatibus hæreticorum sancta Ecclesia pungatur. *Lilium*, beatitudo cœlestis, ut in Exodo: « Post scyphum, sphærulam et lilium [32], » quod recte * prædicatores et bene operantes virens illa fortitudo remunerat te. Per *lilium*, bona opera, ut in Cantico: « Qui pascitur inter lilia [33], » quod suavi bonorum operum odore lætantur. Per *lilia* sacræ Scripturæ, ut in Cantico: « Qui pascuntur inter lilia, donec aspiret dies [34], » et sanctæ animæ sacris modo Scripturis reficiuntur, donec futuræ vitæ claritas appareat. Per *lilia* candores veritatis, ut in Cantico: « Labia ejus lilia [35], » quod prædicatores sancti Christi annuntiant veritatem. Per *lilia* perfecti, ut in Cantico: « Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis [36], » quod sanctæ Ecclesiæ fideles bona opera exercent, et opera carnis exornant [exsecrantur?].

Limen est cœtus primum Veteris Testamenti, ut in

[1] Lev. XIII, 9. [2] Luc. XVII, 12. [3] Cant. VIII, 3. [4] Job III, 8. [5] Cant. 5, 15. [6] Ibid., *v.* 8. [7] III Reg. V, 18. [8] Psal. XLIV, 2. [9] Psal. XXI, 16. [10] Job XL, 20. [11] Psal. LI, 4. [12] Psal. XXXIV, 28. [13] Isa. XI, 15. [14] Apoc. II, 7. [15] Jer. XI, 29. [16] Prov. III, 18. [17] Job XIV, 7. [18] Ezech. XVII, 24. [19] IV Reg. VI, 6 [20] Gen. II, 16. [21] Ezech. XXXI, 8. [22] Cant IV, 14. [23] Psal. CIII, 16. [24] Psal. XCV, 12. [25] Lev. XIX, 23. [26] Deut. XIX, 5. [27] Exod. XXXV, 24. [28] I. Cor. III, 12, 13. [29] Judic. IX, 8. [30] Cant. II, 1. [31] Ibid., *v.* 2. [32] Exod. XXXVII, 17. [33] Cant. VI, 2. [34] Cant. II, 16. [35] Cant. V, 13. [36] Cant. VII, 2.

Digitized by Google

Ezechiele: « Mensus est limen portæ [1], » quod Christus antiquorum patrum merita apud se dinumerat. *Limen*, fides, ut in libris Regum: « Manus Dagon abscissæ erant super limen [2], » quod opera diaboli, qui superstitionis curiositate ad æternam justitiam perducit, destructa sunt per fidem. Nam Dagon *piscis tristitiæ* interpretatur in superliminaria domorum et in intentionibus animarum.

Linum est populus gentilis, ut in Isaia: « Linum fumigans non exstinguet [3], » id est, populum gentilem non damnabit. *Linum*, subtilitas, ut in lege: « Non indues vestem lino lanaque contextam [4], » id est, non intus malitiæ subtilitatem teges, et sanctitatem foris ostendes. *Linum*, spiritualis intellectus, ut in Parabolis: « Quæsivit lanam et linum [5], » quod sancta Ecclesia, sive devota anima, simplicem et spiritualem in sacra Scriptura intellectum quærit.

Linea est occultum Dei judicium, ut in Job: « Quis tetendit super eam lineam [6]? » quod Deus occultum suum judicium in anima humana exercet. *Linea*, norma aptæ institutionis, ut in libris Regum: « Duodecim cubitorum linea columnarum [7], » quod norma apostolorum alios prædicatores innuit.

Littus est finis sæculi, ut in Evangelio: « Secus littus sedentes [8], » id est, in fine sæculi degentes. *Littus*, fideles, ut in Genesi: « Zabulon in littore maris habitabit [9], » quod fidelis populus in partu fidei quievit. *Littus*, stabilitas immortalitatis, ut in Evangelio: « Discipulis in mari laborantibus, Jesus stabat in littore [10], » quod illis mortalis vitæ fructus tolerantibus ipse jam ad immortalitatis soliditatem pervenerat.

Lippus est caligo mentis, ut in Levitico: « Si lippus, si gibbus [11], » id est, si occupatione sæculari pressus, si in mente caliginosus.

Liber est præsentia Dei, ut in Psalmis: « Deleantur de libro vitæ [12], » id est, appareat eos nunquam fuisse scriptos in præsentia Dei cum salvandis. *Liber*, Christus, ut in Apocalypsi: « Liber alius apertus est, qui est vitæ [13], » quod Christus, qui est vita nostra, in judicio Judæis omnibus apparebit. *Liber*, Vetus Testamentum, ut in Apocalypsi: « Lector scriptum intus et foris [14], » id est, Vetus Testamentum, continens in se mysticum et historicum sensum. *Liber*, Evangelium, ut in Apocalypsi: « Habebat in manu sua librum apertum [15], » quod Evangelium suum Christus opere complevit. Per *librum*, occulta hominis, ut in Daniele: « Judicium sedit, et libri aperti sunt [16], » quod in judicio ultimo manifesta erunt abscondita cordis nostri.

Locus est Christus, ut in Apocalypsi: « Mulier fugit in solitudine, ubi paratum habuit locum [17], » quod sancta Ecclesia mentis solitudinem inveniens, Christum invenit. *Locus*, innocentia, ut in Psalmis: « Non cognoscat amplius locum suum [18], » id est, si potestatem spiritus habentis super te ascenderit, locum tuum non dimiserit, id est, si præsentis sibilis in a . . . . . tibi prævaluerit, humilitatem pœnitentiæ non derelinquat. *Locus*, sancta Ecclesia, ut in Job: « Auro locus est, in quo conflatur [19], » quod examinatio martyrii non prodest, nisi in Ecclesia. *Locus*, dilectio vitæ præsentis, ut in Job: Vitæ delectatione impius rapietur [20]. *Locus*, cor adulantium, ut in Job: « Nec ultra intuebitur eum locus ejus [21], » quod impium post mortem adulatores, qui eum adulare solebant, non laudabunt. *Locus*, mens hominis, ut in Job: « Quis est locus intelligentiæ [22]? » quod in mente hominis intelligentia quiescit. *Locus*, superbia, ut in Job: « Convertere impios de loco suo [23], » id est, destrue superbos in ipsa superbia eorum. *Locus*, corda justorum, ut in Ezechiele: « Benedicta gloria Domini de loco suo [24], » quoniam de cordibus justorum, in quibus quiescit, procedit laus ejus. *Locus*, conversatio sancta, ut in lege: « In loco suo vescetur iis carnibus [25], » quod qui in sancta sunt conversatione, divina sunt digni tractare sacramenta. *Locus*, sanctitas vitæ, ut in Psalmis, « Donec inveniam locum Domino, » id est, donec in tantum sanctificetur anima mea, ut Deus in ea requiescere dignetur. *Locus*, patria cœlestis, ut in Psalmis: « Transibo in locum tabernaculi admirabilis [26], » id est, pertingam ad patriam cœlestem, ubi est domus non manu facta, æterna in cœlis. Per *Locum*, sollicitudines mentis: ut . . . . .

Locusta est resurrectio, ut in Psalmis: « Excelsus sum sicut locusta [27], » id est de morte evasi incorruptus. *Locusta*, gentilitas, ut in Ecclesiaste: « Impugnabitur locusta, [28], id est, sanctificabitur gentilitas ad Dominum conversa. *Locusta*, inanis gloria, ut in Psalmis: « Et labores eorum comedit locusta [29], » id est, bona opera eorum comedit inanis gloria. Per *locustas* Judæi, ut in Evangelio: « Locustas et mel silvestre edebat [30], » quod Deus sibi Judæos et Gentes per fidem incorporavit. Per *locustas* hæretici, ut in Apocalypsi: « De fumo putei exierunt locustæ in terra [31], » quod de obscuritate profundi erroris processerunt hæretici in Ecclesia. Per *locustas* adulatores, ut in Exodo: « Ventus urens levavit locustas [32], » quod hostis terrenus excitavit adulatores. Per *locustas* prædicatores, ut in Job: « Numquid suscitabit eum quasi locustas? [33] » quod prædicatores sancti modo saliunt ad contemplationem, modo redeunt ad actionem.

[1] Ezech. XL, 6. [2] I Reg. V, 4. [3] Isa. XLII, 3. [4] Deut. XXII, 11. [5] Prov. XXXI, 13. [6] Job XXXVIII, 5. [7] III Reg. VII, 15. [8] Matth. XIII, 48. [9] Gen. XLIX, 13. [10] Joan. XXI, 4. [11] Levit. XXI, 20. [12] Psal. LXVIII, 29. [13] Apoc. XX, 12. [14] Apoc. V, 1. [15] Apoc. X, 2 [16] Dan. VII, 10. [17] Apoc. XII, 6. [18] Psal. CII. 16. [19] Job XXVIII, 1. [20] Job XXVII, 21. [21] Job XX, 9. [22] Job XXVIII, 12, 20. [23] Job XX, 7. [24] Ezech. III, 12. [25] Lev. VII, 6. [26] Psal. XLI, 5. [27] Psal. CXCVIII, 23. [28] Eccle. XII, 5. [29] Psal. LXXVII, 46. [30] Marc. I, 6. [31] Apoc. IX, 3. [32] Exod. X, 13. [33] Job XXXIX, 23.

Digitized by Google

Loculus est conscientia mala, ut in Evangelio tetigit Deus loculum [1], quod Deus per pœnitentiam conscientiam movet peccatricem. *Loculus*, conscientia bona, ut in Genesi : « Conditus aromatibus positus in loculo [2], » quod quilibet sanctus virtutibus refectus in conscientia sua quiescit.

Longitudo est longanimitas, ut in Ezechiele : « Mensus est atrium longitudine centum cubitorum, » quod perfectio sanctorum in longanimitate consistit [3]. *Longitudo*, æternitas : ut in Parabolis : « Longitudo dierum in dextera ejus [4] : » quod supernæ patriæ gaudium sine fine durabit. *Longitudo*, fides, ut in Genesi : « Trecentorum cubitorum erit longitudo ejus [5], » quod in mysterio sanctæ Trinitatis consistit fides Ecclesiæ.

Lorum est præceptum disciplinæ, ut in Job : « Ad arandum loro tuo [6], » quod Deus superbos sæculi principes disciplinæ suæ præcepto ligare potest. Per *legem*, vincula custodiæ nostræ, ut in libris Regum : « Ex ære lora dependentia [7], » quod spretis custodiæ vinculis prælati subjectos [8] . . . . . .

Lux est Deus Pater, ut in libro Sapientiæ : « Conditor est lucis æternæ [9], » quod Christus est glorificatio Dei Patris. *Lux*, Christus, ut in Evangelio : « Erat lux vera [9], » quod nullus illuminatur, nisi per illum. *Lux*, apostoli, ut in Evangelio : « Vos estis lux mundi, » id est, claritas Ecclesiæ. *Lux*, fideles, ut in Paulo : « Nunc autem lux in Domino [10], » id est, modo claritas in Domino. *Lux*, bona actio, ut in Evangelio : « Luceat lux vestra coram hominibus [11], id est, clarescat bona actio vestra coram malis. *Lux*, prædicatio evangelica, ut in Isaia : « Populus qui sedit in tenebris vidit lucem magnam [12], » id est, populus gentium, qui erat in errore, prædicationem intelligat evangelicam. *Lux*, gloria vitæ præsentis, ut in Job : « Quare data est misero lux ? [13] » id est, gloria vitæ præsentis viro sancto : qui in hoc sæculo misertim deputat (*sic*). *Lux*, « gladium cordis, ut in Job : « Lux obtenebrescet in tabernaculo ejus [14], » id est, gaudium deficiet in corde ejus. *Lux*, sancti angeli, ut in Genesi : « Vidit Deus lucem, quod esset bona [15], » id est, approbavit bonos angelos.

Lucifer est Christus, ut in Job : « Producis Luciferum in tempore suo [16], » id est, Christum in plenitudine temporis. *Lucifer*, vir sanctus, ut in Job : « Orieris ut Lucifer [17], » id est, claresces ad instar viri sancti. *Lucifer*, diabolus, ut in Isaia : « Lucifer, qui mane oriebaris [18], » id est diabolus, qui in initio erat claritas. *Lucifer*, clarus intellectus, ut in Epistola Petri : « Lucifer oriatur in cordibus nostris [19], » id est, clarus intellectus fulgeat in mentibus nostris.

Lucerna est Christus, ut in Evangelio : « Non venit lucerna, ut sub modio ponatur [20], » id est, non venit Christus, ut in solis Judæis abscondatur. *Lucerna* amicus sponsi, ut in Psalmis : « Paravi lucernam Christo meo [21], » id est, paravi Joannem, qui præcederet Christum. *Lucerna*, justitia sanctorum, ut in Parabolis : « Non extinguetur in nocte lucerna ejus [22], » id est, justitia Ecclesiæ non deficiet in præsenti adversitate. *Lucerna*, opus bonum, ut in Exodo : « Ardeat semper lucerna in tabernaculo [23], » id est, appareat bona actio in homine. *Lucerna*, gratia divina, ut in Job : « Splendebat lucerna ejus super caput meum [24], » id est, fulgebat gratia divina super mentem meam. *Lucerna*, Scriptura sacra, ut in Epistola Petri : « Quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco [25], id est, Scripturæ sacræ in obscuritate vitæ præsentis. *Lucerna*, sermo prædicationis, ut in Psalmis : « Lucerna pedibus meis verbum tuum [26], » id est, prædicatio tua lucet operibus meis. *Lucerna*, bona vita cujuslibet, ut in Evangelio : « Non accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio [27], » quod bona vita non est abscondenda, sed in exemplo aliis ponenda. *Lucerna*, interna visitatio, ut in Parabolis : « Lucerna Domini, spiraculum hominis [28], » quod interna visitatio vivificat hominem. *Lucerna*, gloria reproborum, ut in Job [29] : « Lucerna impiorum exstinguetur, » id est, gloria pravorum destruetur.

Lumen est Christus, ut in Evangelio : « Lumen ad revelationem gentium [30], » quod Christus gentes illuminat. *Lumen*, apostoli, ut in Psalmis : « Amictus lumine sicut vestimento [31], » id est, circumdatus Apostolis adhærentibus lateri tuo. *Lumen*, cognitio veritatis, ut in Job : « Ipsi fuerunt rebelles lumini [32], » id est, veritatis notitiam suscipere noluerunt. *Lumen*, prædicatio, ut in Job : « Lumen illius super omnes terminos terræ [33], » id est, Evangelium illius prædicatur in universo mundo. *Lumen*, miraculum, ut in Job : « In viis tuis splendebit lumen [34], » id est, in operibus tuis signa et mmracula erunt. *Lumen*, gratia Dei, ut in Job : « Super quem non surgit lumen illius [35], » id est, quis est in quo non sit gratia ejus ? *Lumen*, intentio, ut in Evangelio : « Vide ergo, ne lumen quod in te est, tenebrescat [36], » id est, cave ne intentio tua obscuretur. *Lumen*, Deus Pater, ut in Evangelio : « In lumine tuo videbimus lumen [37], » quod per Filium recognoscimus Patrem. *Lumen*, doctrina, ut in Apocalypsi : « Civitas illa non indigebit lumine solis [38], » quod conventus ille supernæ patriæ non habebit necesse ut ab aliquo doctore doceatur.

Per *lumbos* propago mortalitatis, ut in Paulo : « Adhuc erat in lumbis patris sui [39], » id est, adhuc generandus erat. Per *lumbos*, libido, ut in Job : « Fortitudo ejus in lumbis [40] » quod sexum virilem

[1] Luc. XXXIII, 14. [2] Gen. L, 25. [3] Ezech. XL, 47. [4] Prov. III, 16. [5] Gen. VI, 15. [6] Job XXXIX, 13. [7] III Reg. VII, 29. [8] Sap. 7, 26. [9] Joan. I, 9. [10] Ephes. V, 6. [11] Matth. 5, 16. [12] Isa. IX, 2. [13] Job III, 20. [14] Job XVIII, 6. [15] Gen I, 4. [16] Job XXXVIII, 32. [17] Job XI, 17. [18] Isa. XIV, 12. [19] II Petr. I, 19. [20] Marc. IV, 21. [21] Psal. CXXXI, 17. [22] Prov. XXXI, 18. [23] Exod. XXVII, 20. [24] Job XXIX, 3. [25] II Petr. I, 19. [26] Psal. CXVIII, 104. [27] Matth. V, 15. [28] Prov. XX, 27. [29] Job XXIV, 20. [30] Luc. II, 32. [31] Psal. CII, 2. [32] Job XXIV, 13. [33] Job XXXVII, 3. [34] Job XXII, 28. [35] Job XXV, 3. [36] Luc. XI, 35. [37] Psal. XXXV, 10. [38] Apoc. XXI, 23, et XXII, 5. [39] Heb. VII, 10. [40] Job XL, 11.

Digitized by Google

multum per libidinem vincit diabolus. Per *lumbos* luxuria cordis, ut in Petro : « Succincti lumbos mentis vestræ [1], id est, luxuriam a corde expellite.

Lumbare est sancta Ecclesia, ut in Jeremia : « Possidetur lumbare [2], » quod Christus sibi Ecclesiam elegit.

Luna est Ecclesia, ut in Psalmis : « Donec auferatur luna [3], » id est, usquequo transferatur Ecclesia. *Luna*, fama cum laude, ut in Job : « Et lunam incedentem clare [4], » id est, famam extollentem se sublimiter. *Luna*, mobilitas mentis, ut in Ecclesiastico : « Stultus ut luna mutatur, » quod claritas stultæ mentis per instabilitatem deficit. *Luna*, mundus iste, ut in Apocalypsi : « Luna sub pedibus ejus [5], » quod mundum istum sancta Ecclesia contemnit. *Luna*, scientia, ut in Psalmis : « Lunam et stellas in potestatem noctis [6], » quod in præsenti vita indigemus scientia et bonis exemplis. *Luna*, adversitas, ut in Psalmis : « Nec luna per noctem [7], » id est, nec adversitas te frangat per impatientias.

Per *lupos* fraus et dolus, ut in Evangelio : « Intrinsecus autem sunt lupi rapaces [8], » id est, intus sunt fraudulenti et dolosi.

Lutum est Verbum caro factum, ut in Evangelio : « Fecit lutum ex sputo [9], » quod Christus Deus est et homo. *Lutum*, prima conditio, ut in Job : « Quod sicut lutum feceris me [10], » quod de terra homo factus est. *Lutum*, populus Judæorum, ut in Job : « Restituetur ut lutum signaculum [11], » quod Judæi, qui erant signaculum Dei, ob incredulitatem ut lutum conculcantur. *Lutum*, res mundiales, ut in propheta : « Aggravat densum lutum [12], » id est, nimis studet res terrenas multiplicare. *Lutum*, doctrina, ut in Apocalypsi Abacuc : « In luto aquarum [13], » id est, in prava doctrina multorum populorum. *Lutum*, illecebra carnis, ut in Psalmis : « Eripe me de luto, ut non infigar [14], » id est, a voluptate carnali custodi me, ne vincar. *Lutum*, fetor vitiorum, ut in Job : « Sternet sibi aurum quasi lutum [15], » quod diabolus sanctos viros per vitia conculcare studet.

Luter est baptismus, ut in libris Regum : « Grossitudo luteris trium unciarum erat [16], » quod in sancto baptismate est confessio personarum cum Deitate una.

M

Maceria.
Myrrha.
Maxilla.
Malum punicum.
Myrrha.
Mel.
Macula.
Moab.
Membra.
Mammæ.
Mons.
Mercenarius.
Mandragoræ.
Mulus.
Milites.
Masculus.
Mustum.
Medulla.
Manna.
Modius.
Mensa.
Manus.
Mors.
Messis.
Mare.
Mulus.
Milvus.
Malleius.
Malogranatum.

A *Marmor.*
Malum.
Monilia.
Meridies.
Manipuli
Mulier.
Mire.
Margareta
Musca.
Myrtus.
Mola.
Mortariolum.
Menses.
Matutinus.
Morus.
Meretrix.
Margo.
Munitio.
Militia.
Mater.
Mustela.
Mœnia.
Messores.

Maceria est cordis disciplina, ut in Parabolis : « Et in maceria lapidum [17], » id est, disciplina stabilium cogitationum « destructa erat. » *Maceria*, latus, ut in Cantico : « In caverna maceriæ [18], » id est, in vulnere lateris Christi. *Maceria*, regnum Judaicum, ut in Psalmis : « Ut quid destruxisti maceriam ejus? [19], » quod regnum in populo illo, quo gubernare debui, Dominus afferri permisit. Per *maceriam* fides et B operatio, ut in libro Numeri : « Inter duas macerias, quibus vineæ cingebantur [20], » quod per fidem et operationem animæ fideles uniuntur.

Macula est peccatum, ut in Paulo : « Non habentem maculam, neque rugam [21], id est, peccatum vel simulationem.

Malum Punicum est sanguis Christi, ut in Cantico : « Sicut cortex mali Punici, ita genæ tuæ [22], » quod per effusionem sanguinis Christi sancta Ecclesia sibi patientiam assumpsit. Per *mala Punica* operationes bonæ, ut in Exodo : « Mala Punica facies ex hyacintho [23], » id est, bona opera propter cœlestem mercedem. Per *mala Punica* illi qui unicam fidem tenent, ut in Cantico : « Paradisus malorum Punicorum [24], » id est, Ecclesia, continens in una fide di- C versæ professionis .... Per *mala Punica* martyres, ut in Cantico : « Si floruerunt mala Punica [25], » id est, si apparuerunt martyres.

Malogranata sunt agmina electorum, ut in libris Regum : « Malogranatorum ducenti erant ordines [26], » quod electi perfectam Dei et proximi dilectionem tenent. *Malogranata*, virtutes, ut in Cantico. « Mustum malogranatorum [27], » id est, sanctitatem quæ procedit de virtutibus sanctorum.

Malum est adversitas, ut in propheta : « Si est malum in civitate, quod Dominus non fecit [28], » quod adversitatem in Ecclesia Dominus ad ejus emendationem fieri permittit.

Mammæ sunt prædicatores, ut in Cantico : « Quam D pulchræ sunt mammæ tuæ, sponsa [29], » id est, quam sancti sunt prædicatores tui, qui lac fundunt prædicationis, o Ecclesia? *Mammæ*, sensus naturales, ut in propheta : « Factæ sunt mammæ pubertatis tuæ [30], » quod in multis in genere humano naturales sensus obscurati sunt.

Mane est tempus incarnationis. *Mane*, initium fidei, ut in Exodo : « Mane saturabuntur panibus [31], » quod in initio fidei, qui in primitiva erant Ecclesia, donis Spiritus sancti reficiebantur. *Mane*, vitæ præ-

[1] I Petr. I, 13. [2] Jer. XIII, 1. [3] Psal. LXXII, 7. [4] Job XXXI, 26. [5] Apoc. XII, 1. [6] Psal. CXXXV, 9. [7] Psal. CXX, 6. [8] Matth. VII, 15. [9] Joan. IX, 6. [10] Job X, 9. [11] Job XXXVIII, 14. [12] Hab. II, 6. [13] Hab. III, 15. [14] Psal. LXVIII, 15. [15] Job XLI, 12. [16] I Reg. VII, 26. [17] Prov. XXIV, 31. [18] Cant. II, 14. [19] Psal. LXXIX, 13. [20] Num. XXII, 24. [21] Ephes. V, 27. [22] Cant. VI, 7. [23] Exod. XXVIII, 33. [24] Cant. IV, 13. [25] Cant. VII, 12. [26] I Reg. VII, 18. [27] Cant. VIII, 2. [28] Amos III, 6. [29] Cant. IV, 10. [30] Ezech. XXIII, 3. [31] Exod. XVI, 8.

Digitized by Google

sentis prosperitas, ut in Ecclesiaste : « Cujus principes mane comedunt [1], » id est, cujus prælati in vitæ præsentis prosperitate exsultant. *Mane*, exordium vitæ præsentis cujuslibet hominis, ut in Job : « De mane usque ad vesperam * succidentur [2], » quod a principio vitæ suæ usque ad finem destitui impii non cessant. *Mane*, illuminatio Spiritus sancti, ut in Cantico : « Mane surgamus ad vineas [3], » id est, illuminati Spiritu sancto erigamus nos ad exempla sanctorum. *Mane*, consolatio interna, ut in Genesi : « Factum est vespere et mane [4], » quod modo anima per tentationem obscuratur, modo vero per internam claritatem illuminatur. *Mane*, claritas futuræ vitæ, ut in Psalmis : « Mane astabo tibi, et videbo [5], » quod sancta Ecclesia in futuro vultui Dei assistet, eumque contemplabitur. *Mane*, prius, ut in Genesi : « Mane comedet prædam [6], » quod prius sanctam Ecclesiam afflixit. *Mane*, resurrectio Christi, ut in Psalmis : « Vespere et mane [7], » id est, in passione et resurrectione. *Mane*, prima ætas mundi in Evangelio : « Primo mane conducere operarios in vineam suam [8], » quod in prima ætate mundi Deus Ecclesiam suam extollere non cessat. *Mane*, pueritia, ut in Ecclesiaste : « Mane semina semen tuum [9], » id est, ab ipsa pueritia incipe bene vivere.

Matutinum est prosperitas, ut in Psalmis : « Exitus matutini et * vespere delectabis [10] ; » id est, contemptus prosperitatis et adversitatis fidelibus tuis delectabiles facis. *Matutinum*, exercitatio, ut in Psalmis : « In matutinis meditabor in te [11], » id est, in exercitatione mea studebo servire tibi. *Matutinum*, * justitia, ut in Psalmis : « Et ad matutinum lætitia [12], » quod illis, qui ad justitiam Christi tendunt, datur lætitia. *Matutinum*, dilatio, ut in Psalmis : « Et castigatio mea in matutinis [13], » id est, sine * dilectione castigatus sum. *Matutinum*, dies judicii, ut in Psalmis : « In matutino, interficiebam omnes peccatores terræ [14], » id est, omnes malos in die judicii, quod lux æterna oriri incipiet, damnandos intelligebam.

Manus est Christus ad mundum veniens, ut in Psalmis : « Emitte manum tuam de alto [15], » id est, mitte Filium tuum de cœlo. *Manus*, Christus ascendens, ut in Deuteronomio : « Levabo ad cœlum manum meam [16], » quod Christus ad cœlos elevatus est. *Manus*, consolatio divina, ut in Ezechiele : « Manus Domini erat mecum [17], » id est, consolatio divina affuit mihi. [*Manus*], potestas, ut in Psalmis : « De manu filiorum apostatantium [18]. » *Manus*, membra Christi, ut in Exodo [19] manus Moysi producta est de sinu * leprosi, in sinum revocata, in pristinum rediit : quod immunda fiunt membra Christi, cum peccando a gratia exeunt; cum vero pœnitendo redeunt, emundantur. *Manus*, impulsio, ut in Psalmis : « Et manus peccatoris non moveat me [20]. » *Manus*, disciplina, ut in Psalmis : « Die ac nocte gravata est super me manus [21], » id est, continue deprimit me disciplina tua. *Manus*, gratia, ut in Psalmis : « Dominus supponit manum suam [22], » id est gratiam suam adjutricem confert. *Manus*, munificentia, ut in Psalmis : « Aperis tu manum tuam [23], » id est, largiter impendis munificentiam tuam. *Manus*, vindicta, ut in Psalmis : « Confirmasti super me manum tuam [24], » id est, aggravasti super me vindictam tuam. *Manus*, opus bonum, ut in Job : « Manum meam ponam super os meum [25], » id est, per opus bonum purgabo locutionem meam illicitam. *Manus*, vis supernæ virtutis, ut in Ezechiele : « Similitudo manus apprehendit me [26], » id est, vis supernæ virtutis arripuit me. *Manus*, actio Christi, ut in Ezechiele : « Manus hominis sub pennis eorum [27], id est imitatio actionis Christi sub volatu contemplationis eorum. *Manus*, potestas Dei, ut in Ezechiele : « Facta est super me manus Domini [28], » id est, revelata est mihi potestas Domini. *Manus*, potestas Antichristi, ut in Daniele : « Dolus in manu ejus dirigetur [29], » id est, deceptio in potestate Antichristi exercebitur. *Manus*, tentatio diaboli, ut in Job : « Ecce in manu tua est [30], » id est, licentiam eum tentandi habes. *Manus*, persecutio diurna, ut in Job : « Manum tuam longe fac a me [31], » id est, persecutionem tuam aliquantulum remove a me. *Manus*, populus Judaicus, ut in Psalmis : « Utquid avertis manum tuam ? [32] » id est, utquid projicis a te populum Judaicum ? *Manus*, persecutio Judæorum, ut in Job : « Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me [33], » id est, cum sedero ad dexteram tuam, tangere me non poterit persecutio Judæorum. *Manus*, familiaris amicus, ut in Evangelio : « Si manus tua scandalizaverit te [34], » id est, si amicus tuus necessarius peccare impellit te. *Manus*, versutia hostis, ut in cantico Exodi : « Interficiet eos manus mea [35], » id est, per consensum illiciti dabit eos antiqui versutia, quæ * in ea dicitur, quod ut seducat, permittitur. Per *manum* plures actiones, ut in Psalmis : « Docet manus meas ad prælium [36], » id est, operationes meas, ut iniquitati resistant. Per *manus*, martyres, ut in Cantico : « Manus mea stillaverunt myrrham [37], » id est, martyres mei destituerunt, usque ad mortem. Per *manus*, operatores boni, ut in Cantico : * « Manus illius tornatiles * aureo [38], » quod operatores boni sine errore in charitate fulgent. Per *manum* discretio, ut in Evangelio : « Discipuli manibus confricabant spicas [39], » quod in Scripturarum sententiis doctores studio discretionis spiritualem intellectum quærunt. Per *manum* dispositiones Dei,

[1] Eccle. x, 16. [2] Job iv, 20. [3] Cant. vii, 12. [4] Gen. i, 5; viii, 13; xix, 23, 31. [5] Psal. v, 4. [6] Gen. xlix, 27. [7] Psal. liv, 18. [8] Matth. xx, 1. [9] Eccle. xi, 6. [10] Psal. lxiv, 9. [11] Psal. lxiii, 7. [12] Psal. xxx, 6. [13] Psal. lxxii, 14. [14] Psal. c, 8. [15] Psal. cxliv, 7. [16] Deut. xxxii, 40. [17] Ezech. v, 14. [18] Psal. cxliii, 7, 11. [19] Exod. iv, 6. [20] Psal. xxxv, 12. [21] Psal. xxxi, 4. [22] Psal. xxxvi, 24. [23] Psal. cxliv, 16. [24] Psal. xxxvii, 3. [25] Job xxxix, 37. [26] Ezech. viii, 3. [27] Ezech. i, 8. [28] Ezech. xxxvii, 1, et xl, 1. [29] Dan. viii, 25. [30] Job ii, 6. [31] Job xiii, 21. [32] Psal. lxxiii, 11. [33] Job xvii, 3. [34] Matth. v, 31, et xviii, 8 ; Marc. ix, 43 [35] Exod. xv, 9. [36] Psal. xvii, 35. et cxliii, 1. [37] Cant. v, 5. [38] Ibid., v. 14. [39] Luc. vi, 1.

Digitized by Google

ut in Psalmis : « In manibus tuis sortes meæ [1], » id est, in dispositionibus tuis eventus mei. Per *manus* curæ spirituales, ut in Psalmis : « Anima mea in manibus meis semper [2]; » [id est], animæ meæ curas assidue spirituales impendam. Per *manum*, *..... Dei, ut in Psalmis : « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum [3]. »

Manna est corpus Christi, ut in Psalmis : « Dedit illis manna ad manducandum [4], » quod vitæ præsentis deserto corpus Christi *..... habemus. *Manna*, Scriptura sacra, ut in libro Numeri : « Erit manna quasi semen coriandri [5]; » quod Scriptura sacra spiritualém in se continet intellectum. *Manna*, beatitudo cœlestis, ut in Apocalypsi : « Vincenti dabo manna absconditum [6], » quod, qui perseveraverit usque in finem, possidebit « quod oculus non vidit, quod auris non audivit, quod in cor hominis non ascendit [7]. »

Manipuli sunt opera bona, ut in Genesi : « Vestros manipulos stantes adorare manipulum meum [8], » quod viri sancti sciunt non propter opera sua posse se, quantumlibet et bona fuerint, * Christi comparari. *Manipuli*, præmia sanctorum, ut in Psalmis : « portantes manipulos suos [9], » quod propter bonorum operum semina, quæ nunc habent, recipient æterna in fine præmia.

Mandragoræ sunt bonæ famæ, ut in Cantico : « Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris [10]; » bonæ famæ contulerunt notitiam in Ecclesiis vestris. *Mandragoræ*, gloria popularis, ut in Genesi : « Da mihi partem de mandragoris [11], » id est, de laude populari.

Margo est fides, ut in Ezechiele : « Et marginem ante thalamum [12], » id est, fidem ante contemplationem.

Mare est baptismus, ut in Apocalypsi : « Mare vitreum simile crystallo [13], » id est, baptismus puritatem fidei habens et firmitatem. *Mare*, mundus, ut in Job : « Quis graditur super fluctus maris [14]? » id est, qui superat *..... mundi. *Mare*, gentilitas, ut in Psalmis : « Transferentur montes in cor maris [15], » id est, Apostoli convertentur ad Gentes. *Mare*, homines pravi, ut in Psalmis : « Aquilonem et mare tu creasti [16], » id est, diabolum * in membra in flagella tu formasti. *Mare*, sæcularis occupatio, ut in Psalmis : « Qui descendunt mare in navibus [17], » quod prælati in Ecclesiis regendis de sæculi negotiis regendis se intromittunt. *Mare*, infernus, ut in Job : « Nunquid ingressus est profundum maris ? [18] » quod Christus ad infernum descendit. *Mare*, voluptas sæcularium, ut in Job : « Fervescere faciet quasi ollam profundum mare [19], » quod diabolus mentem pravam per illicita desideria incendit. *Mare*, pœna gehennalis, ut in Cantico Exodi : « Et operuit eos mare, » id est, depressit eos pœna inferni [20].

Marmor, firmitas bona, ut in Cantico; « Crura ejus sicut columnæ marmoreæ [21], » quod Christum in membris suis sustentant, firmi et stabiles sunt.

Margarita est cœleste desiderium, ut in Evangelio; « Inventa una pretiosa margarita [22], » id est, concepto in mente desiderio cœlesti. Per *margaritas* spiritualia sacramenta, ut in Evangelio : « Ne mittatis margaritas vestras ante porcos [23], » id est, interna mysteria non committatis immundis. Per *margaritas* homines justi, ut in Apocalypsi : * « Duodecim margaritæ, duodecim portæ [24], » quod homines sancti per fidem apostolorum aditum habent ad regnum cœleste. Per *margaritas* deliciæ terrenæ, ut in Apocalypsi : « Mulier erat ornata margaritis [25], » quod fallacia hujus sæculi terrenis deliciis nitet.

Masculus est spiritus hominis, ut in Genesi : « Masculum et feminam fecit eos [26]; » quod, ut ait Joannes Chrysostomus, nihil aliud est homo quam corporis * animæ conjunctio. *Masculus*, quilibet homo, ut in Genesi : « Masculus, cujus caro circumcisa non fuerit [27], quod quilibet homo qui illicitos actus non resecat, peribit. *Masculus*, sensus rationalis animæ, ut in Exodo : « Si masculus fuerit, interficite [28], » quod diabolus sensum rationalem in homine exstinguere studet.

Mater est civitas, ut in Paulo : « Quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra [29], » quod nullus servituti peccati subjacet. Civitas illa cœlestis. *Mater*, sancta Ecclesia, ut in Parabolis : « Qui despicit partum matris suæ [30], » id est, qui vilipendit augmentum sanctæ Ecclesiæ. *Mater*, virgo Maria, ut in Cantico : « Videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua [31]; » id est, diligite Christum in humanitate, qua induit eum virgo Maria. *Mater* gratia Dei, ut in Cantico : « Columba mea, una est matri suæ [32], » quod simplicitate sanctæ Ecclesiæ unitatem inesse facit gratia Dei. *Mater*, natura vitiata, ut in Job : « Putredini dixi : Mater mea [33], » quod propter peccatum natura humana in putredinem redigitur. *Mater*, plebs Judaica, quæ Christum crucifixit, ut in Cantico : « Ibi est corrupta mater [34] * : » quod, cum plebs Judaica cruci Christum affixit, in spiritualem corruptionem incidit. *Mater*, Synagoga, ut in Cantico : « Tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris * suæ [35], » quod modo Christi fides in Ecclesia tenetur, eamque Synagoga in fine mundi suscipit. *Mater*, prædicator quilibet, ut in Evangelio; « Ipse meus frater, et soror, et mater [36], » quod prædicator docendo alios in fide parit. *Mater*, concupiscentia, ut in Psalmis : « De ventre matris meæ

Psal. XXX, 15. [2] Psal. CXVIII, 109. [3] Psal. XXX, 6. [4] Psal. LXXVII, 24. [5] Num. XI, 7. [6] Apoc. II, 17. [7] Isa. LXIV, 4; I Cor. II, 9. [8] Gen. XXXVII, 7. [9] Psal. CXXV, 6. [10] Cant. VII, 13. [11] Gen. XXX, 14. [12] Ezech. XL, 12. [13] Apoc. IV, 6. [14] Job. IX, 8. [15] Psal. XLV, 3. [16] Psal. LXXXVIII, 13. [17] Psal. CVI, 23. [18] Job XXXVIII, 16. [19] Job XLI, 22. [20] Exod. XV, 10. [21] Cant. V, 15. [22] Matth. XIII, 46. [23] Matth. VII, 6. [24] Apoc. XXI, 21. [25] Apoc. XVII, 4. [26] Gen. I, 27 et V, 2. [27] Gen. XVII, 14. [28] Exod. I, 16. [29] Gal. IV, 26. [30] Prov. XXX, 16. [31] Cant. III, 11. [32] Cant. VI, 8. [33] Job. XVII, 14. [34] Cant. VIII, 5. [35] Cant. III, 4. [36] Matth. XII, 50; Marc. III, 35; Luc. VIII, 21.

Digitized by Google

tu es protector * meus [1], » id est, ex ventris concupiscentia protexisti me. *Mater*, prima mater Eva, ut in Psalmis, « Pater meus et mater mea dimiserunt me, » etc., [2] id est, Adam et Eva peccato me exposuerunt, et Christus redemit me. *Mater*, terra, ut in libro Ecclesiastico : « Usque in diem reversionis in matrem omnium [3], » id est, in terram, quæ omnes in se recipit.

Malleus est diabolus, ut in Jeremia : « Contrita est malleus universæ terræ [4], » id est, victus est diabolus, qui contrivit peccatores. *Malleus*, percussio cœlestis, ut in Job : « Quasi stipulam æstimabit malleum [5], » quod corpus diaboli, quæ est massa reproborum, cœlestem percussionem non pertimescit.

Maxilla est Ecclesia, ut in Job : « Percusserunt maxillam meam [6], » id est, depresserunt Ecclesiam meam. *Maxilla*, prædicatio, ut in libro Judicum : « In maxilla asini percussi eos [7], » quod per simplicem doctrinam apostolorum superbos prostravit. *Maxilla*, malitia diaboli, ut in Job : « Armilla perforata est Leviathan maxilla [8], » quod Deus per præsentiam suam nos a diaboli malitia liberavit.

Medulla est corpus Christi, ut in cantico Deuteronomii : « Et hircos cum medulla tritici [9], » id est, opera pœnitentiæ cum opere Christi. Per *medullam* divitiæ terrenæ, ut in Job : « Et medullis ossa illius irrigantur [10], » quod viri impii divitiis terrenis sustentantur. Per *medullas* intentiones, ut in Paulo : « Compagum quoque et medullarum [11], » id est, cogitationum et intentionum.

Mel est ipsa Divinitas, ut in Job : * « Torrentis mellis et butyri [12], * » et abundantiæ calamitatis et humanitatis. *Mel*, sapientia spiritualis, ut in Parabolis : « Mel invenisti, comede quod sufficit tibi [13], » id est, noli plus quam oportet sapere. *Mel*, contemplatio, ut in Cantico : « Mel et lac sub lingua tua [14], » quod prædicatores et contemplationem docent et actionem. *Mel*, animæ sanctæ, ut in Cantico : « Comedi favum cum melle meo [15], » id est, animas sanctas carnis immortalitate gaudentes mihi conjungam. *Mel*, dulcedo carnis, ut in lege : « Nec quidquam fermenti aut mellis adolebitur in sacrificio Domini [16], » quod ei nec superbia mentis nec voluptas carnis placet. *Mel*, doctrina Christi, ut in cantico Deuteronomii : « Sugerunt mel de petra [17], » id est, dulcem susceperunt doctrinam a Christo.

Membra sunt teneri in Ecclesia, ut in Job : « Membra mea quasi in nihilum sunt redacta [18], » id est, teneri et infirmi mei pene sunt consumpti. *Membra*, reprobi, ut in Job : « Membra carnium ejus cohærentia [19], » * sibi in malo consentiunt.

Menses sunt termini actionum, ut in Job : « Ego habui menses vacuos [20], » id est, inanitatem in terminis actionum mearum. *Menses*, ordines angelorum, ut in Job : « Nec numeretur in mensibus anni [21], » id est, inter angelos electos spiritus diabolicus ad salvationem non pertingit. *Mensis*, bona quies mentis, ut in Isaia : « Erit mensis ex mense [22], » quod qui modo a malo mente quiescunt, in futuro gaudio quiescent.

Mensa est Vetus Testamentum, ut in Evangelio : « Catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum [23], » id est, humilis gentium subtilitatem Veteris Testamenti per intellectum comedit. *Mensa*, sacrum altare, unde accipimus corpus Domini Christi et sanguinem, ut in libro Ecclesiastici : « Ad magnam mensam sedisti, * diligenter attende quæ apposita sunt tibi [24] ; » id est, sacramenta corporis et sanguinis Domini, quæ in altari * sumus fidei oculo contingit. *Mensa*, sacra Scriptura, ut in Psalmis : « Parasti in conspectu meo mensam [25], » id est, humilem fecisti intelligentiæ meæ sacram Scripturam. *Mensa*,.... patriæ cœlestis, ut in Evangelio : « Ut edatis et bibatis super mensam meam [26], » id est, ut percipiatis simul corporis et animæ beatitudinem in patria cœlesti.

Mœnia sunt ornamenta virtutum, ut in Jeremia : « Præcipitavit omnia mœnia ejus [27], » id est, destruxit ornamenta ejus.

Meridies est Christus, ut in Job : « Quasi in nocte, sic palpabunt in meridie [28], » quod ac si esset [sicut cæcutit?] peccator, sic cæcati erant Judæi in claritate Christi *Meridies*, ascensio Christi, ut in Psalmis . « Et meridie narrabo [29], » id est, * assertionem ejus prædicabo. *Meridies*, tribulatio, ut in Cantico : « Ubi cubes in meridie [30], » id est, in quibus quiescis in persecutione. *Meridies*, * fides, ut in Genesi [31], Abraham angelos suscepit in meridie, id est, in ferventi die. *Meridies*, sacra Scriptura, ut in propheta : « Impegimus in meridie [32], » quod hæretici in sacra Scriptura per pravum intellectum offendunt. *Meridies*, ardor charitatis, ut in Genesi : « Ad auram post meridiem [33], » quod jam a charitate Dei per peccatum homo corruerat.

Mercenarius est quilibet justus, ut in Job : « Sicut mercenarii dies ejus [34], » quod justus pro mercede æterna laborare non cessat. *Mercenarius*, hypocrita, ut in Evangelio : « Mercenarius cujus non sunt oves propriæ [35], » quod simulatus prælatus curam de subjectis non habet.

Meretrix est anima polluta, ut in Isaia : « Facta est meretrix civitas fidelis, [36] » quod anima, in qua Deus habitare solebat, per peccatum polluitur.

Messis est auditor verbi Dei, ut in Evangelio : « Messis quidem multa [37], » quod multi sunt qui audire volunt, sed desunt qui dicant. *Messis*, operatio aperta, ut in Job : « Sursum atteratur messis ejus [38], »

[1] Psal. LXX, 6 ; Psal. XXI, 11. [2] Psal. XXVI, 10. [3] Eccli. XL, 1. [4] Jer. L, 23. [5] Job XLI, 20. [6] Job XVI, 10. [7] Jud. XV, 16. [8] Job XL, 21. [9] Deut. XXXII, 14. [10] Job XXI, 24. [11] Heb. IV, 12. [12] Job XX, 17. [13] Prov. XXV, 16. [14] Cant. IV, 11. [15] Cant. V, 1. [16] Lev. II, 11. [17] Deut. XXXII, 13. [18] Job XVII, 7. [19] Job XLI, 14. [20] Job VII, 3. [21] Job III, 6. [22] Isa. LXVI, 23. [23] Matth. XV, 27. [24] Eccli. XXXI, 12. [25] Psal. XXII, 5. [26] Luc. XXII, 30. [27] Thren. II, 5. [28] Job V, 14. [29] Psal. LIV, 18. [30] Cant. I, 7. [31] Gen. XVIII, 1. [32] Isa. LIX, 10. [33] Gen. III, 8. [34] Job VII, 1. [35] Joan. X, 12. [36] Isa. I, 21. [37] Matth. IX, XXXVII. [38] Job XVIII, 16.

Digitized by Google

quod aperta impii actio aliquando destruitur. ***Messis***, Vetus Testamentum, ut in Job : « Stulti messem famelicus comedit [1]; » quod Vetus Testamentum, quod infamatus Judæorum populus tenuit, devota plebs gentium intelligit spiritualiter. ***Messis***, reprobi, ut in Apocalypsi : « Mitte falcem tuam, et mete, quoniam aruit messis terræ [2], » quoniam Deus acumine sententiæ suæ reprobos exstirpabit. ***Messis***, præsens sæculum, ut in Evangelio : « Sinite utrumque crescere usque ad messem [3], » quod usque ad finem sæculi permixti boni et mali simul in mundo sunt.

Messores sunt angeli, ut in Evangelio : « Messores sunt angeli [4]. »

Micæ sunt subtilitates sacræ Scripturæ, ut in Evangelio : « Cupiens saturari de micis [5], » quod gentilis populus sacræ Scripturæ profunditates intelligere cupit.

Milites sunt angeli, ut in Job : « Nunquid est numerus militum ejus ? [6] » quod quantum ad * vos angeli innumerabiles sunt. ***Milites***, virtutes spirituales, ut in Evangelio : * « Habent sub me milites [7], » quod anima sancta virtutibus roboratur.

Militia est aspera vita, ut in Job : « Militia est vita hominis super terram [8], » quod qui diu vivit, tentationibus vexatur.

Milvus est diabolus, ut in Zacharia : « Et habebant alas quasi milvi [9], » quod reprobi ad instar diaboli in superbiam se extollunt. ***Milvi***, rapaces, ut in Levitico : « Milvum et vulturem non comedetis [10], » id est, rapaces et invidos non debetis imitari.

Myrrha est mortificatio, ut in Cantico : « Manus meæ distillaverunt myrrham [11], » quod operarii sanctæ Ecclesiæ carnis mortificationi intendunt. ***Myrrha***, tolerantia passionis, ut in Cantico : « Vadam ad montem myrrhæ [12], » id est, visitabo per gratiam meam sublimes in passionibus. ***Myrrha***, mors Christi, ut in Cantico : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi [13], » quod mors Christi Apostolis amaritudinem passionis intulit. ***Myrrha***, martyres, ut in Cantico : « Messui myrrham meam cum aromatibus meis [14], » id est, martyres meos ad me perduxi

Myrtus est temperies cogitationis, ut in Isaia : « Pro urtica crescet myrtus [15], » quod ubique prudens erit, cogitatio ibi erit temperata. ***Myrtus***, compassio, ut in Isaia : « Myrtum et lignum [16], » id est, compassionem et misericordiam.

Myrica est vita impii, ut in Jeremia : * « Erunt autem quasi miricæ in deserto [17], » quod cujuslibet vita impii a Deo derelicta est.

Mytra est stabilitas mentis, ut in libro Judith : « Colligavit cincinnos suos mitra [18], » quod fidelis anima cogitationes suas stabilitatis rigore roborat.

Per ***mitram*** * commercia, ut in Exodo : « Facies filiis Aaron mitras [19], » quod lex suadet ministris Christi ut continentes sint.

Moab, gentilitas, ut in Psalmis : « Moab olla spei meæ [20], » quod populus gentilis spe salutis suæ roboratur. ***Moab*** quilibet iniquus, ut in Psalmis : « Adversum te testamentum disposuerunt, tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ, Moab et Agareni [21]; » quod contra Christum et eos qui sunt Christi, se erigunt, qui mundum diligunt, qui sibi in voluptate carnis consentiunt : qui ex patre diabolo sunt, quod a bono sunt alieni : quod Idumæi interpretantur *terreni*; Ismaelitæ, *sibi obedientes*; Moab, *ex patre*; Agar, *advena*. ***Moab***, diabolus, ut in Isaia : « Audivimus superbiam Moab, superbus est valde [22], » quod diabolus contra Deum superbit. ***Moab***, peccatum, ut in Isaia : « Vastatus est Aaron, Moab conticuit [23], » id est, destructo per mortem Christi humani generis adversario diabolo peccati aliquantulum clamor cessavit, quod * Aaron *adversarius* interpretatur

Modius est commodum temporale, ut in Evangelio : « Non * descendunt lucernam, et ponunt eam sub modio [24], » quod prædicatio commodo temporali proponenda non est. ***Modius***, perfectio, ut in libris Regum : « Adduxit eum modio farinæ [25], » quod bona nostra actio in perfectione internæ mundiliæ Deo offerenda est

Mola est spes et timor, ut in lege : « Non accipies loco pignoris superiorem et inferiorem molam [26], » quod sine spe et timore pro peccato satisfacere non potest. ***Mola***, actio sæcularis, ut in Isaia : « Tolle molam [27], » id est, apprehende actionem sæcularem. ***Mola***, circuitus laborum, ut in Evangelio : « Mola asinaria in collo ejus [28], » id est, circuitus laborum in necessitate ejus.

Per ***molam*** [id est, maxillam] insidiæ, ut in Psalmis : « Molas leonum confringet [29], » id est, insidias crudelium destruet « Dominus. »

Monilia sunt instrumenta virtutum, ut in Cantico : « Collum tuum sicut monile [30], » id est prædicatio tua animas exornat. ***Monilia***, blandimenta vitiorum, ut in Isaia : « Auferet Deus monilia [31], » quod vitiorum blandimenta destruet.

Mons est Pater cœlestis, ut in cantico Abacuc, quod « Sanctus de monte * Pharan [32], » quod Christus de Patre invisibili processit. ***Mons***, Christus, ut in Isaia : « Præparatus mons domus Domini in vertice montium [33], » quod Christus missus ad Judæos omnes prorsus justos in sublimitate sanctitatis excedit. ***Mons***, Ecclesia, ut in Psalmis : « Quis ascendet in montem Domini ? [34] » id est, quis pertingit ad conformitatem Ecclesiæ Dei ? ***Mons***, populus Judaicus, ut in Isaia : « Sedebo in monte testi-

[1] Job v. 5. [2] Apoc. XIV, 15. [3] Matth. XIII, 30. [4] Ibid. v. 39. [5] Luc. XVI, 21. [6] Job XXV, 3. [7] Matth. VIII, 9. [8] Job VII, 1. [9] Zach. V, 9. [10] Levit. XI, 14. [11] Cant. V, 5. [12] Cant. IV, 6. [13] Cant. I, 13. [14] Cant. V, 1. [15] Isa. LV, 13. [16] Isa. XLI, 19. [17] Jer. XVII, 6. [18] Judith. XVI, 10. [19] Exod. XXIX, 9. [20] Psal. LIX, 10. [21] Psal. LXXXII, 6. [22] Isa. XVI, 6. [23] Isa. XV, 1. [24] Matth. V, 15. [25] I Reg. I, 24. [26] Deut. XXIV, 6. [27] Isa. XLVII, 2. [28] Matth. XVIII, 6. [29] Psal. LVIII, 7. [30] Cant. I, 10. [31] Isa. III, 19. [32] Hab. III, 3. [33] Isa. II, 2. [34] Psal. XXIII, 3.

Digitized by Google

menti [1], » id est, populum Judaicum per incredulitatem subjiciam mihi. *Mons* contemplatio, ut in Exodo : « Ascende ad me in montem [2], » id est, me * aliquo modo continge per contemplationem. *Mons*, sublimitas religionis, ut in Genesi : « Ascendit Lot ad Segor, et mansit in * montem [3], » quod electus de prava conjugatorum conversatione ad religionis altitudinem ascendit. *Mons*, patria cœlestis, ut in Psalmis : « Adduxerunt in montem sanctum tuum [4], » id est, ad illam Jerusalem cœlestem. *Mons*, sublimis justitia, ut in Psalmis : « Et exaudivit me de monte sancto suo [5], » id est, de eminenti justitia sua. *Mons*, diabolus, ut in Evangelio : « Dicens monti huic, Transfer te in mare [6], » quod apostoli hostem antiquum de obsessis ejecerunt * et in infernum retro. *Mons*, hæreticus, ut in Psalmis : « Quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem sicut passer [7] ? » id est, ut * sequatur hominem hæreticum, quasi si esse possem magis justus.

Mons, sublimitas hujus mundi, ut in Isaia : « Super montem caliginosum levate [8], » id est, sublimitatem mundi humiliate ad crucem Christi. *Mons*, virgo Maria, ut in Daniele : « Abcissus lapis de monte sine manibus [9], » quod Christus de Maria natus est sine virili semine. Per *montes* angeli, ut in Psalmis : « Fundamenta ejus in montibus sanctis [10], » quod sancta Ecclesia fundatur in prophetis. Per *montes* apostoli, ut in Psalmis : « Levavi oculos meos in montes [11], » id est, cordis mei intuitum erexi ad doctrinam apostolorum. Per *montes* præcepta sublimia, quæ pertinent ad perfectos. * Per *montes* duo Testamenta, ut in Psalmis : « Inter medium montium pertransibunt aquæ [12], » quod in consensu duorum Testamentorum discurrunt fluenta doctrinæ. Per *montes* prædicatores, ut in Psalmis : « Suscipiant montes pacem [13], » id est, prædicatores * annuntiant pœnitentiam de subjectis. Per *montes* contemplationes internæ, ut in Job : « Circumspicit montes pascuæ * tuæ [14], » id est, considerat altitudines internarum contemplationum, in quibus devote anima depasta est. Per *montes* homines superbi, ut in Job : « Huic montes herbas ferunt [15], » quod superbi quique diabolum per elationem pascunt. Per *montes* superba corda Judæorum, ut in libris Regum : « Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos [16], » quod infidelium Judæorum mentes superbæ, qui Christum occiderunt, prædicationem veritatis non susceperunt. Per *montes* gentiles, ut in libris Machabæorum : « Refulsit sol in clypeos aureos, et resplenduerunt montes ab eis [17], » quod Spiritus sanctus venit ad apostolos, et ab eis illuminati sunt populi gentiles. Per *montes* spiritus maligni, ut in cantico Habacuc : « Et contriti sunt montes sæculi [18], » quod per Christum destructi sunt spiritus maligni, qui sunt principes mundi.

Mors est exstinctio vitæ sæcularis, ut in Job : « Qui * exspectat mortem, et * invenit [19], » quod sancti funditus se ab hoc mundo mortificare volunt, sed non possunt. *Mors*, superbia, ut in Job : « Consumat brachia illius primogenita mors [20], » quod bona opera impii superbia, quæ fuit primum peccatum, destruet. *Mors*, diabolus, ut in Apocalypsi : « Habeo claves mortis et inferni, » id est, potestatem super diabolum et membra ejus. *Mors*, supernum odium, ut in Psalmis : « Et formido mortis cecidit super me [21], » id est, timui ne supernum odium prævaleret mihi. *Mors*, peccatum, ut in Psalmis : « Ne unquam obdormiam in morte [22], » id est, ne unquam requiescam in peccato. *Mors*, pœna æterna, ut in Paulo : « Qui talia agunt digni sunt morte [23], » id est, digni sunt pœna æterna.

Morus est diabolus, ut in Evangelio : « Dicens huic arbori, More, eradicare [24], » quod apostoli diabolum in hominibus exstirpaverunt.

Mortariolum est mens hominis, ut in libro Numeri : « Terebat populus manna in mortariolo [25], » quod sacra Scriptura in mente subtiliter est per intellectum comminuenda. Per *mortariolum* martyria, ut in Exodo : « Mortariola et thuribula [26], » id est, martyria et corda sanctorum in amore Dei ardentia.

Mulier est Dei sapientia, ut in Evangelio : « Mulier habens drachmas decem [27], » id est, * Dei sapientiam regunt divinam et humanam creaturam. *Mulier*, Christus, ut in Evangelio : « Fermentum abscondit mulier in farinæ sata tria [28], » quod humanum genus Christus in tres ordines distinxit, ordinem scilicet prælatorum, continentium, et conjugatorum. *Mulier*, sancta Ecclesia, ut in Parabolis : « Mulierem fortem quis inveniet [29] ? » quod solius Dei est sanctam Ecclesiam in mundo statuere. *Mulier*, virgo Maria, ut in Jeremia : « Mulier circumdabit virum [30], » id est, Maria concipiet Christum. *Mulier*, genus humanum, ut in Evangelio : « Et ecce mulier quæ habebat spiritum * immundum [31], » quod diabolus genus humanum per peccatum possedit. » *Mulier*, anima fidelis, ut in Parabolis : « Mulier sapiens ædificat domum suam [32], » quod anima devota reparat mentem suam. *Mulier*, vanitas mundi hujus, ut in Apocalypsi : « Et mulier erat circumdata purpura et * coccina [33], » quod mundi hujus amatores per superbiam maxime decipiuntur. *Mulier*, crudelitas, ut in Apocalypsi : « Vidi mulierem ebriam de sanguine martyrum Jesu [34], » quod omnes iniqui et maxime crudeles persecutores in * montibus Christianorum delectantur. *Mulier*, doctrina hæretica,

[1] Isa. XIV, 13. [2] Exod. XXIV, 12. [3] Gen. XIX, 30. [4] Psal. XLII, 3. [5] Psal. III, v. [6] Matth. XVII, 20. [7] Psal. X, 1. [8] Isa. XIII, 2. [9] Dan. II, 34. [10] Psal. LXXXVI, 1. [11] Psal. CXX, 1. [12] Psal. CIII, 10. [13] Psal. LXXI, 3. [14] Job XXXIX, 11. [15] Job XL, 15. [16] II Reg. I, 21. [17] I Mach. VI, 39. [18] Hab. III, 6. [19] Job III, 21. [20] Job. XVIII, 13. [21] Psal. LIV, 5. [22] Psal. XII, 4. [23] Rom. I, 32. [24] Luc. XVII, 6. [25] Num. XI, 8. [26] Exod. XXV, 29, et XXXVII, 16. [27] Luc. XV, 8. [28] Matth. XIII, 33. [29] Prov. XXXI, 10. [30] Jer. XXXI, 22. [31] Luc. XIII, 11, 16. [32] Prov. XIV, 1. [33] Apoc. XVII, 4. [34] Ibid., v. 6.

Digitized by Google

ut in Parabolis : « Mulier pulchra et fatua [1], » quod sermo hæreticus propter ornatum verborum pulcher, sed propter erroris deceptionem fatuus est. *Mulier*, impietas, ut in Zacharia : « Et ecce mulier sedens in medio amphoræ [2], » quod in mente cujuslibet reprobi impietas dominatur. Per *mulieres* animæ sanctæ, ut in Cantico : « O pulchra inter mulieres [3], » id est, quæ inter animas devotas spirituales primatum tenes. Per *mulieres* subditi, ut in Exodo : « Viri cum mulieribus præbuerunt armillas [4], » quod prælati cum subjectis devotas Deo offerunt actiones. Per *mulieres* voluptuosi quique, ut in Isaia : « Et dominabuntur eorum mulieres [5], » id est, voluptuosi prælati præerunt eis. *Mulier* accipitur pro sexu, ut in Gal. : « Factum ex muliere [6]; » et pro infirmitate, ut in Job : « Homo natus de muliere [7]. »

Mulus est quilibet piger, ut in Psalmis : « Nolite fieri sicut equus et mulus [8], » id est, nolite superbi esse et pigri.

Munitiones sunt virtutes, ut in Ezechiele : « Et ædificabis munitiones [9], » quod prædicator in corde subjecti spirituales debet procreare virtutes.

Murus est Christus, ut in Isaia : « Salvator ponetur in ea murus [10], » quod sanctæ Ecclesiæ Christus defensio est. *Murus*, Ecclesia, ut in Cantico : « Ego murus [11], » quod sancta Ecclesia munit eos qui sunt in ea. *Murus*, adversitas hujus mundi, ut in Psalmis : « In Deo meo transgrediar murum [12], » id est, adjuvante Deo vincam hujus mundi adversitatem. *Murus*, disciplina, ut in Job : « Rupto muro, irruerunt super me [13], » id est, destructo rigore disciplinæ vexaverunt me. Per *muros* Ecclesiæ, ut in Cantico : « Tulerunt pallium meum custodes murorum [14], » id est, mala me vetustate exuerunt prædicatores Ecclesiarum. Per *muros* virtutes animæ, ut in Jeremia : « Princeps . . . . . destruxit muros Jerusalem [15], » quod spiritualcs animæ virtutes gulæ vitium devastat. Per *muros* summi principes mundi, ut in Josue in tubarum sonitu, « Corruerunt muri Jericho [16], » quod in doctrina prædicatorum humiliati sunt principes mundi.

Murenulæ sunt ornamenta virtutum, ut in Cantico : « Murenulas aureas faciemus tibi [17], » id est, ornamenta virtutum charitate plena construemus tibi.

Musca est inquietudo cordis, ut in Exodo : « Et venit musca gravissima in domos Pharaonis [18], » quod in mente cujuslibet reprobi semper inquietudo est.

Mustum, spiritualis fervor, ut in Cantico : « Et mustum malogranatorum [19], » id est, fervorem spiritualium donorum. *Mustum*, vehementia pravæ mentis, ut in Job : « Venter meus quasi mustum absque spiraculo [20], » quod in mente perversa vehementia a Spiritu sancto damnatur.

Mustela est vita pravorum, ut in lege : « Mustelam non comedetis [21], » id est, vitam et conversationem pravorum imitari non debetis.

N.

Nares.	*Nitrum.*	*Nox.*
Novacula.	*Noctua.*	*Nigredo.*
Nidulus.	*Nisus.*	*Nervus.*
Nebula.	*Navicula.*	*Negotiatores.*
Nemus.	*Nardus.*	*Navis.*
Nasus.	*Nuptiæ.*	*Nix.*
Nubes.		

Nares sunt præscientia Christi, ut in Isaia : « Quiescite ab homine cujus spiritus in naribus ejus [22], » id est, cessate irritare Christum, qui in Deitate sua præscit universa. *Nares*, præstolatio, ut in Job : « Gloria narium ejus terror [23], » quod viri sancti in adversis, quæ sibi sciunt ventura, gloriantur. *Nares*, fatuitas, ut in Parabolis : « Circulus aureus in naribus ejus [24], » quod sermo hæreticorum et per ornatum nitidus, et per errorem fatuus est. *Nares*, instigatio diaboli, ut in Job : « De naribus ejus procedit fumus [25], » quod antiqui hostis instigatio obscuritatem generat in humana mente.

Nardus est fides, ut in Cantico : « Nardus nostra dedit odorem suum [26], » quod fides sanctæ Ecclesiæ in publico se manifestat. *Nardus*, charitas, ut in Cantico : « Cipri cum nardo [27], » id est, bona opera eum charitate. *Nardus*, interna suavitas mentis, ut in Evangelio [28] Maria caput Christi nardo perfudit, id est, divinitatem ejus interna cordis suavitate quilibet fidelis placat.

Nasus est discretio, ut in Cantico : « Nasus tuus sicut turris Libani [29], » quod devotæ animæ discretio in sublimitate sanctitatis consistit, quod Libanus *candidatio* dicitur.

Navis est Ecclesia, ut in Evangelio : « Intravit in unam navim [30], » id est in Ecclesiam, quæ Petro commissa. *Navis*, anima, ut in Parabolis : « Facta est quasi navis institoris [31], » quod animam humanam, quæ eam inhabitat Deus regit. *Navis*, cor hominis, ut in Evangelio : « Relictis retibus et navi, secuti sunt eum [32], » quod perfecte Christum sequi non possumus, nisi terrenas occupationes et ipsas corporis nostri voluptates relinquamus. Per *navem* Ecclesiæ per orbem, ut in Psalmis : « Illic naves pertransibunt [33], » quod toto orbe terrarum Ecclesiæ diffusæ sunt. Per *navem* antiqui Patres, ut in Job : « Quasi naves portantes poma [34], » quod sacramenta salutis nostræ antiqui in oraculis præfigurata habuerunt. Per *naves*, rectores, ut in Apo-

[1] Prov. II, 22. [2] Zach. VII, 5. [3] Cant. I, 8, et V, 9, 17. [4] Exod. XXXV, 22. [5] Isa. III, 12. [6] Gal. IV, 4. [7] Job. XIV, 1. [8] Psal. XXXI, 9. [9] Ezech. IV, 2. [10] Isa. XXVI, 1. [11] Cant. VIII, 10. [12] Psal. XVII, 3. [13] Job. XXX, 14. [14] Cant. V, 7. [15] Jer. LII, 14. [16] Jos. VI, 20. [17] Cant. I, 2. [18] Exod. VIII, 24. [19] Cant. VIII, 2. [20] Job. XXXII, 19. [21] Lev. XI, 29. [22] Isa. II, 22. [23] Job. XXXIX, 23. [24] Prov. XI, 22. [25] Job. XLI, 11. [26] Cant. I, 12. [27] Cant. IV, 13. [28] Marc. XIV, III; Joan. XII, 3. [29] Cant. VII, 4. [30] Luc. V, 3. [31] Prov. XXXI, 14. [32] Matth. IV, 20, 22; Marc. I, 18. [33] Psal. CIII, 26. [34] Job. IX, 26.

Digitized by Google

calypsi : « Tertia pars * navis interiit [1], » quod illi rectores qui nec activam, nec contemplativam tenent, peribunt. Per *navem* mundi amatores, ut in Psalmis : « In spiritu vehementi conteres naves Tharsis [2], » id est, in Spiritu sancto humiliabis eos qui terrena gaudia explorant, quod Tharsis *exploratio gaudii* interpretatur. Per *naves* duo Testamenta populi, ut in Evangelio : « Vidit duas naves stantes secus * littus [3], » quod de utraque novit Deus qui sunt ejus.

Navicula est Ecclesia, ut in Evangelio : « Ita ut navicula operiretur fluctibus [4], » id est, ut Ecclesia vexaretur tribulationibus. *Navicula*, crux Christi, ut in Evangelio : « Ascendit Jesus in naviculam, et transfretavit, et venit [5], » etc., quod ascendens Christus crucem exivit de mundo, et venit ad cœlestem patriam.

Nebula est ignorantia, ut in Job : « Expandit super illud nebulam suam [6], » quod etiam justi cor sine ignorantia aliquando in hac vita esse non potest. *Nebula* cor cujuslibet infidelis, ut in Job : « Nunquid elevabis in nebula vocem tuam [7], » id est, cordi infideli prædicationem tuam infundes? *Nebula*, stabilitas mentis humanæ, ut in libris Regum : « Non poterant sacerdotes stare, et ministrare propter nebulam [8], » quod interni sensus humanæ animæ diu nequeunt in statu veræ rectitudinis Deo servire, propter instabilitatem fluctuantium cogitationum

Nervus est divina essentia, ut in Job : « Posuisti in nervo pedes meos [9], » id est, mentis * me affectum forti scientia tua alligasti. *Nervus*, robur carnis, ut in Genesi : « Tetigit angelus in Jacob nervum femoris ejus [10], » quod in viro sancto interna visitatio mortificat robur carnalis voluptatis. *Nervus*, afflictio, ut in Jeremia : « Jussit eum mitti in nervum [11], » id est, poni in duram afflictionem. Per *nervum* animæ virtutes, ut in Job : « Ossibus et nervis compegisti me [12], » id est, fortitudinibus et virtutibus roborasti me. Per *nervos* machinamenta diaboli, ut in Job : « Nervi testiculorum ejus perplexi sunt [13], » quod machinamenta ejus multimoda sunt

Nemus est vita pravorum, ut in Judicibus : « Gedeon destruxit * Aminadab, et succidit nemus [14], » quod Christus errorem diaboli et pravorum vitam damnat. *Nemus*, sancta Ecclesia, ut in Genesi : « Abraham plantavit nemus in Bersabee [15], » et Christus statuit Ecclesiam in gratia septiformis sui, quod Bersabee *puteus septimus* interpretatur. *Nemus*, nitor eloquentiæ sæcularis, ut quod nemus in domo Domini plantari prohibetur [16], quod ædificatio sanctæ Ecclesiæ in nitore sæculari consistere non debet, et Paulum misit Deus evangelizare non in sapientia verbi [17].

Nycticorax est Christus, ut in Psalmis : « Factus sum sicut nycticorax * in mundo [18], » id est, mortuus positus sum in sepulcro.

Nidus est fides, ut in Psalmis : « Et turtur nidum sibi [19], » quod sancta Ecclesia securitatem invenit in fide, in qua fideles populos nutrit. *Nidus*, sancta conversatio, ut in Deuteronomio : « Et avem pullis in nido incubantem [20], » id est, virum bonum in sancta conversatione operibus bonis insistentem. *Nidus*, viri sancti animus, ut in Job : « Et in arduis ponet nidum suum [21], » id est, in cœlestibus figet animum suum.

Nidulus est simplicitas, ut in Job : « In nidulo meo moriar [22], » id est, in simplicitate mea consummabo dies meos

Nigredo est humilitas, ut in Cantico : « Comæ ejus sicut elatæ palmarum nigræ [23], » quod corvus et spiritus angelici et sublimes in beatitudine, et ne corruerent, humiles fuerunt. *Nigredo*, tribulatio exterior, ut in Cantico : « Nigra sum, sed formosa [24], » quod anima fidelis, licet in tribulatione obscura sit, intus tamen coram Deo decora est. *Nigredo*, conscientia mala, ut in Jeremia : « Denigrata est super carbones facies ejus [25], » id est, conscientia eorum etiam plus est obscurata quam conscientia pravorum. *Nigredo*, labor, ut in Job : « Cutis mea denigrata est super me [26], » quod qui exterioribus actionibus in Ecclesia serviunt, in labore affliguntur.

Nitrum est perversa mens, ut in Parabolis : « Acetum in nitro, et qui cantat * ut carmen cordi pessimo [27], » quod prava mens, quando corrumpitur, de corruptione deterior efficitur, sicut nitrum fervescit et ebullit quando acetum mittitur in eo. *Nitrum*, exterior carnis munditia, ut in Jeremia : « Si laveris te nitro, tamen à peccati macula munda non es [28].

Nix est vir sanctus, ut in Jeremia : « Candidiores Nazaræi ejus nive [29], » id est, continentes ejus aliis viris sanctis mundiores erant. *Nix*, quilibet peccator, ut in Psalmis : « Qui dat nivem sicut [30], » quod ab illo nonnunquam quasi a veste circumdatur, qui prius in peccato frigidus erat. *Nix*, corda gentium, ut in Job : « Nunquid ingressus es thesauros * illius [31]? » quod Dominus corda gentium intravit. *Nix*, æterna damnatio, ut in Job : « Qui timent pruinam, irruet super * eam nix [32], » quod qui præsenti nolunt tribulatione pro Deo affligi, damnatione æterna feriuntur. *Nix*, desiderium cœleste, ut in Job : « Si lotus fuero aquis * vivis [33], » id est, si

[1] Apoc. VIII, 9 [2] Psal. XLVII, 8. [3] Luc. V, 2. [4] Matth. VIII, 24. [5] Matth. XV, 39. [6] Job. XXVI, 9. [7] Job. XXXVIII, 34. [8] III Reg. VIII, 11. [9] Job. XIII, 27. [10] Gen. XXXII, 25. [11] Jer. XX, 2. [12] Job. X, 11. [13] Job. XL, 12. [14] Jud. VI, 30. [15] Gen. XXI, 33. [16] Deut. XVI, 21. [17] I Cor. II, 1, 4. [18] Psal. CI, 7. [19] Psal. LXXXIII, 4. [20] Deut. XXII, 6. [21] Job. XXXIX, 30. [22] Job. XXIX, 18. [23] Cant. V, 11. [24] Cant. I, 5. [25] Thren. IV, 8. [26] Job. XXX, 30. [27] Prov. XXV, 20. [28] Jer. II, 21. [29] Thren. IV, 7. [30] Psal. CXLVII, 16. [31] Job. XXXVIII, 22. [32] Job. VI, 16. [33] Job. IX, 20.

Digitized by Google

mundus fuero effectus desiderii cœlestis compunctionibus.

Noctua est mens fallax, ut in Lege : « Noctuam et accipitrem non comedetis [1], » quod hominem, quando mentem gerit fallacem et rapacem, imitari non debemus.

Novacula est quilibet prædicator, ut in Isaia : « Radet Deus novacula conducta, in iis qui trans flumen sunt, caput [2], » quod mentem eorum qui in Ecclesia sunt baptizati, ab omni sorde vitiorum per prædicatores suos emundat. *Novacula*, quilibet impius, ut in Psalmis : « Sicut novacula acuta fecisti dolum [3] » id est,..... et expedite, quibuscunque vales, perficis malum. *Novacula*, pœnitentia, ut in libris Regum : « Novacula non ascendet super caput ejus [4], » [scilicet] Samuelis, quod in mente Christi nulla fluxa cogitatio fuit, quæ per pœnitentiam resecari debuit.

Nox est tribulatio, ut in Psalmis : « Neque luna per noctem, [5] » id est, defectus virtutis non franget te per tribulationem. *Nox*, vita præsens, ut in Isaia : « Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritus meus [6], » id est, in præsentis vitæ obscuritate. *Nox*, conversatio laicorum, ut in Genesi : « Luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti [7], » id est, sacerdotalem, quæ regeret clericos, et regiam, quæ turbam regeret laicorum. *Nox*, ipse diabolus, ut in Psalmis : « Et nox nocti indicat [8], » quod diabolus primum hominem obscure deceptum ad tactum ligni scientiæ boni et mali perduxit. *Nox*, adversitas sancti, ut in Job : « Quis dedit carmina in nocte [9] ? » quod Deus electos suos consolatur in tribulatione. *Nox*, ignorantia, ut in Job : « Nocte opprimet eum tempestas [10], » id est, ignorantia eum damnatio prosternet. *Nox*, seductor humani generis, ut in Job : « Sit nox illa solitaria [11], » id est, electis ad salvationem assumptis solus diabolus cum corpore suo, messa videlicet reproborum damnetur. *Nox*, infirmitas mentis, ut in Job : « Et nox in qua dictum est : Conceptus est homo [12], » quod dum mente infirmatur, statim ad peccatum trahitur. *Nox*, peccatum, ut in Isaia : « Custos, quid de nocte [13], » id est : O Deus, quid judicas de peccato meo? Per *noctem* obscuritas hujus sæculi, ut in Cantico : « In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea [14], » id est, in præsenti obscuritate quæsivi Dominum in quiete mea. Per *noctem* afflictiones, ut in Psalmis : « In noctibus extollite manus vestras [15], » id est, in afflictionibus elevate actus vestros ad Deum.

Nubes est Spiritus sanctus, ut in Paulo : « In Moyse baptizati sunt in nube, et in mari [16], » id est, a Christo et a Spiritu sancto. *Nubes*, ascensio Christi, ut in Psalmis : « Qui ponis nubem ascensum tuum [17], » id est, qui corporaliter ad cœlos ascendis. *Nubes*, consolatio divina, ut in Isaia : « Nubem per diem [18], » quod Dominus consolationem præbet per prosperitatem. *Nubes*, refrigerium, ut in Apocalypsi : « Et ascenderunt in nube in cœlum [19], » quod tunc plene Enoch et Elias pervenient ad regnum, ubi sunt in refrigerio sine fine. *Nubes*, protectio Dei, ut in Exodo : « Cumque ascendisset Moyses, operuit montem nubes [20], » quod cum aliquis ad contemplationis altitudinem pertingit, necesse est ut ei protectio divina assit, ne aberret. *Nubes*, quilibet sanctus, ut in Exodo : « Respexerunt ad solitudinem, et ecce gloria Domini apparuit in nube [21], » id est, intuiti sunt Ecclesiam, et visus est Deus habitare in nomine sancto. *Nubes*, humana caro in Christo, ut in Isaia : « Dominus ingredietur in Ægyptum sedens super nubem [22], » id est, quod Filius Dei introivit hunc mundum, carnem habens humanam ab omni pondere peccati immunem. *Nubes*, cæcitas mentis, ut in Ezechiele : « Ventus turbinis veniebat ab Aquilone, nubesque magna [23], » quod a diabolo procedit tentatio vehemens et cæcitas in mente hominis. Per *nubes* prædicatores, ut in Isaia : « Nubes pluant justum [24], » prædicatores nuntient Christum. Per *nubes* propheta, ut in Psalmis : « Tenebrosa aqua in nubibus [25], » quod occulta est scientia in prophetis. Per *nubes* apostoli, ut in Psalmis : « Educens nubes ab extremo terræ [26], » quod non oratores, sed piscatores, in apostolos Deus assumpsit. Per *nubes* sancti Novi Testamenti, ut in Isaia : « Qui sunt illi qui ut nubes volant [27] ? » quod novæ gratiæ sancti et verbis pluunt et miraculis coruscant, et per sanctam conversationem in sublimibus volant. Per *nubes* iniqui, ut in Epistola Judæ : « Nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur [28], » quod iniqui gratiæ humore carentes, tentationibus agitantur.

Nuptiæ sunt gaudia patriæ cœlestis, ut in Evangelio : « Quando revertatur a nuptiis [29], » quod ascendit in cœlum, et inde venturus est judicatum vivos et mortuos. *Nuptiæ*, vocatio Ecclesiæ, ut in Evangelio : « Qui fecit nuptias filio [30], » quod Deus Pater sanctam Ecclesiam vocando ad fidem cum Christo conjunxit.

Nurus est Ecclesia, ut in libro Ruth : « De nuru tua natus est, qui te diliget [31], » quod fructus fidei qui de Ecclesia procedit, defectum Synagogæ vera compassione [*].

O

Obryzum.	*Orbis.*	*Obstetrices.*
Onager.	*Ovum.*	*Osculum*
Os.	*Olla.*	*Ordeum.*
Odor.	*Oleum.*	*Oris.*
Occidens.	*Oriens.*	*Onocentaurus*

[1] Lev. XI, 16. [2] Isa. VII, 20. [3] Psal. LI, 4. [4] I Reg. I, 11. [5] Psal. CXX, 6. [6] Isa. XXVI, 9. [7] Gen. I, 16. [8] Psal. XVIII, 3. [9] Job. XXXV, 10. [10] Job. XXVII, 20. [11] Job. III, 7. [12] Job. III, 3. [13] Isa. XXI, 11. [14] Cant. III, 1. [15] Psal. CXXXIII, 1. [16] I Cor. X, 2. [17] Psal. X, 3. [18] Isa. IV, 5. [19] Apoc. XI, 12. [20] Exod XXIV, 15. [21] Exod. XVI, 10. [22] Isa. XIX, 1. [23] Ezech. I, 4. [24] Isa. XLV, 8. [25] Psal. XVII, 12. [26] Psal. CXXXIV, 7. [27] Isa. LX, 8. [28] Vers. 12. [29] Luc. XII, 36. [30] Matth. XXII, 2. [31] Ruth. IV, 15.

Digitized by Google

Ortus. *Optimates.* *Organum.*
Oriones. *Ostium.* *Onycha.*
Oculus. *Oliva.* *Ovile.*

Obryzum, angelicæ dignitatis, ut in Job: « Non dabitur aurum obryzum pro ea [1], » quod * Christus, qui Filius Dei est, nec ipsa claritas angelorum comparari potest. *Obryzum*, sanctitas hominis, ut in Job: * « Nec obryzum dixi, fiducia mea [2], » id est, in nulla unquam sanctitate mea, quantacunque fuit, confidere nolui. *Obryzum*, divitiæ terrenæ, ut in Isaia: « Pretiosior erit homo mundo obryzo [3], » id est, in tantum Babylonia destruetur, ut plures in ea reperiri possint divitiæ terrenæ quam homines.

Obstetrices sunt * peccatores, ut in Exodo: « Quod timuerunt obstetrices Dominum, ædificavit illis domos [4], » quod quando ipsi prædicatores perfecte Dominum timent, tunc et merito et numero populus ei serviens augetur.

Oculus est intentio cordis, ut in Evangelio: « Si oculus tuus fuerit simplex [5], » id est, si intentio tua fuerit pura. *Oculus*, claritas intellectus, ut in Psalmis: « Conturbatus est in ira oculus [6], » * id est, ira impediebat intellectum meum. *Oculus*, mens contemplantis, ut in Psalmis: « Turbatus est a furore oculus meus [7], » id est, mens mea valde timet judicium tuum, quando de * Deo cogitat. *Oculus*, internum desiderium, ut in Job: « Ad Dominum stillat oculus meus [8], » id est, ad Dominum fluet desiderium meum. *Oculus*, intimus amicus, ut in Evangelio: « Si oculus tuus scandalizaverit te, erue eum [9], » id est, si intimus amicus tuus ad malum te trahit, abscinde a te familiaritatem ejus, ne eam sequaris ad malum. *Oculus*, opus, ut in Evangelio: « Trabem autem in oculo tuo non consideras [10], » id est, crimen in opere tuo non deprehendis. *Oculus*, intuitus exterior, ut in Propheta: « Oculus meus deprædatus est animam meam [11], » id est, in peccatum per exteriorem affectum prorui. *Oculus*, quilibet prædicator, ut in Parabolis: « Oculum videntem, et aurem audientem, Deus fecit utrumque [12], » quod ex munere est divino, * ut et bonus doctor et auditor. *Oculus*, hæreticus, ut in Parabolis: « Oculum qui subsannat patrem suum, et despicit * partem matris suæ, effodiant eum corvi de torrente [13]; » quod hæreticum, qui Christum et prædicationem Ecclesiæ contemnit, a communione fidelium ejicere debent prælati, qui sanctis doctrinis insistunt. Per *oculos* sancti prophetæ, ut in Cantico: « Oculi tui sicut columbæ super rivos aquarum [14], » quod sancti prophetæ, qui futura prospiciunt, simplicitati et sacræ Scripturæ insistunt. Per *oculos* prædicatores boni, ut in Genesi: « Pulchriores sunt oculi ejus vino [15], » quod prædicatores Evangelii doctoribus Veteris Testamenti excellentiores sunt. Per *oculos* prædicatores mali, ut in Psalmis: « Obscurentur oculi eorum [16], » quod pravi doctores dum agere nolunt quod intelligunt, ad hoc etiam quandoque perveniunt, ut cæcati, quid agere debeant, ignorent. Per *oculos* apostoli, ut in Psalmis: « Defecerunt oculi mei [17], » id est, Dum ego in passione mea de Patre meo confido, discipuli mei per mentis infirmitatem deficiunt. Per *oculos* sensus spiritales, ut in Cantico: « Oculi tui columbarum [18], » quod interni sensus devotæ animæ simplicitati insistunt. Per *oculos* doctores Judæorum, ut in Jeremia: « Defecerunt oculi eorum, quod non erat herba [19], » id est, doctores, ideo evanuerunt, quod internum spei virorem non habuerunt. Per *oculos* consiliarii diaboli, ut in Job: « Oculi ejus velut palpebræ diluculi [20], quod consiliarii Satanæ ad tenebras auditores suos trahunt, et tamen claritatem se eis infundere simulant. Per *oculos* prædicatores Antichristi, ut in Job: « Hostis meus terribilibus me oculis intuitus est [21], » quod diabolus sanctam Ecclesiam per Antichristi prædicatores plurimum terrebit. Per *oculos* concupiscentiæ illicitæ, ut in Genesi: « Et aperti sunt oculi amborum [22], » quod post peccatum ad terrena contra Dominum in anima humana illicitæ concupiscentiæ erant. Per *oculos* cogitationes, ut in Job: « Qui inclinaverit oculos suos non salvabitur [23], » et qui humiliaverit cogitationes mentis suæ, veram salutem consequetur. Per *oculos* superbi motus cordis, ut in Job: « Quasi magna cogitans attonitos habes oculos [24], » id est, ac si sublimia de te pertractes, in mente superbis. Per *oculos* asperiores aspectus, ut in Job: « Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem de virgine [25], » id est, a vanitate compescui exteriorem actum meum, ne de ea cogitare repellerer. Per *oculos* populi, ut in Cantico: « Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum [26], » id est, ad delectationem me traxisti, o Ecclesia, in unanimitate populorum tuorum.

Occidens est decrepita ætas, ut in Evangelio: « Multi ab Occidente venient [27], » id est, plures in ipsa decrepita ætate ad sanctitatem pertingent. *Occidens*, infidelitas, ut in Apocalypsi: « Ab occidente portæ tres [28], » quod qui in defectu fidei sunt, nonnunquam ad fidem Trinitatis perveniunt. *Occidens*, defectus virtutis, ut in Job: « Si ad occidentem iero, non intelligam eum [29], » quod nequaquam Deum pure intelligunt, qui per lapsum peccati a virtute cadunt

Odor est suavitas sanctitatis, ut in Cantico: « Et odor unguentorum super omnia aromata [30], » id est, suavitas virtutum tuorum omnia excedit dulcia hujus vitæ. *Odor*, bona vita, ut in Cantico: « Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris [31], » id est, fama bona operum tuorum devotionem ostendis,

[1] Job. XXVIII, 15. [2] Job. XXXIV, 15. [3] Isa. XIII, 12. [4] Exod. I, 17. [5] Matth, VI, 22. [6] Psal. XXX, 10. [7] Psal. VI, 8. [8] Job. XVI, 20. [9] Matth. XVIII, 9; Marc. IX, 47. [10] Matth. VII, 3; Luc. IV, 41. [11] Thren. III, 51. [12] Prov. XX, 12. [13] Prov. XXX, 17. [14] Cant. V, 12. [15] Gen. XLIX, 12. [16] Psal. LXVIII, 24. [17] Psal. LXVIII, 4. [18] Cant. IV, 1. [19] Jer. XIV, 6. [20] Job. XLI, 9. [21] Job. XVI, 9. [22] Gen. III, 7. [23] Job. XXII, 29. [24] Job. XV, 12. [25] Job. XXXI, 1. [26] Cant. IV, 9. [27] Matth. VIII, 11; Luc. XIII, 29. [28] Apoc. XXI, 13. [29] Job. XXIII, 8. [30] Cant. IV, 10. [31] Ibid. v. 11.

Digitized by Google

quam habes in oratione. *Odor*, sanctitas locutionis, ut in Cantico : « Odor oris tui sicut malorum [1], » id est, tam sancta es in locutione quam es in actione.

Oliva est misericordia, ut in Isaia : « Myrtum et lignum olivis [2], » id est, compassionem et virtutem misericordiæ. *Oliva*, Spiritus sanctus, ut in libro Judicum : « Dixerunt olivæ : Impera nobis [3], » quod qui fide spiritum habere fructuose non possunt, quod regnum erit, ea oliva accipere nolunt. *Oliva*, opera justorum, ut in Psalmis : « Ego autem sicut oliva fructifera [4], » id est, ad instar præcedentium justorum vixi. *Oliva*, quilibet hypocrita, ut in Job : « Quasi oliva projiciens florem suum [5], » quod hypocrita exterioris sanctitatis nitorem habere videtur [*], nonnunquam amittit. *Oliva*, populus Judæorum, ut in Cantico Habacuc : « Mentietur opus olivæ [6], » quod legalis, quam habebant Judæi, operatio jam cessavit.

Oleum est Spiritus sanctus, ut in Isaia : « Computrescet jugum a facie olei [7], » id est, deficiet peccatum in præsentia Spiritus sancti. *Oleum*, interna gratia, ut in Job : « Petra fundebat mihi rivos olei [8], » id est, Christus mihi contulit dona gratiæ suæ. *Oleum*, devotio mentis, ut in Exodo : « Afferant tibi oleum de arboribus purissimum [9], » quod juxta exempla patrum præcedentium uni . . . . . debemus Deo offerre devotionem. *Oleum*, charitas, ut in Ecclesiaste : « Oleum de capite tuo non deficiat [10], » id est, charitas in mente tua semper duret. *Oleum*, testimonium cordis, ut in Evangelio : « Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis [11], » quod viri sancti testimonium conscientiæ habent in cordibus suis. *Oleum*, consolatio, ut in Evangelio : « Infundens oleum et vinum [12], » id est, consolationem et correptionem. *Oleum*, fama divinæ laudis, ut in Cantico : « Oleum effusum nomen tuum [13], » quod videlicet in Ecclesia excellentia divina laudatur. *Oleum*, activus quilibet, ut in Apocalypsi : « Et oleum et vinum ne læseris [14], » id est, contemplativos et activos non discrepabis. *Oleum*, adulatio, ut in Psalmis : « Oleum autem peccatoris non [impinguet caput meum] [15], » id est, favor adulatoris non lætificabit cor meum

Olla est tribulatio, ut in Psalmis : « Moab olla spei meæ [16], » id est, tribulatio, quam a diabolo sustineo, auget me in spe. *Olla*, mens reproba, ut in Jeremia : « Ollam succensam ego video [17], » id est, mentem reprobam desideriis carnalibus inflammatam aspicio. *Olla*, malitia diaboli, ut in Job : « Fervescere quasi ollam profundum mare [18], » quod diabolus juxta exemplum malitiæ suæ pravum cor succendit.

Onocentaurus est quilibet reprobus et luxuriosus, ut in Isaia : « Occurrent dæmonia onocentauris [19], » quod illis dæmones delectantur, qui elati sunt et lubrici, quod ὄνος asinus dicitur, per quem luxuria exprimitur, * et per taurum accipi solet.

Onager est Christus, ut in Job : « Quis dimisit onagrum liberum [20] ? » quod Deus per Christum hominem a mortalitatis captivitate liberavit. *Onager*, gentiles, ut in Job : « Nunquid rugiet onager, cum * non habuerit prædam [21] ? » quod tunc populus gentilis a dolore suo est mortifero liberatus, quando Christum cognovit per fidem. Per *onagrum* populi Judæorum, ut in Psalmis : « Exspectabunt onagri in siti sua [22], » quod nunc Judæi salutem suam in magno desiderio præstolantur, quod * reliquæ salvæ fient. Per *onagrum* hæretici, ut in Job : « Quasi onagri [in] deserto egrediuntur ad opus suum [23], » quod hæretici ad fidelem populum seducendum Ecclesiam irrumpunt.

Onycha est oratio, ut in Exodo : « Onycham et galbanum * homini odorem [24], » id est, orationem et operationem bonæ famæ.

Optimates sunt doctores, ut in Job : « Et optimates supplantet [25], » quod superbos a se doctores Deus expellit.

Orbis est mundus iste, ut in Job : « Sub quo curvantur qui portant orbem [26], » quod in contemplatione divinæ majestatis humiliantur et angeli, qui disponunt hunc mundum. *Orbis*, Ecclesia, ut in Cantico : « Et posuit super eos orbem [27], » quod electos suos in libro beatæ prædestinationis Deus perscriptos tenet

Ordeum est operatio, ut in Job : « Pro ordeo oriatur mihi spina [28], id est, loco fortis actionis sit in me punctio peccati. *Ordeum*, Vetus Testamentum, ut in Evangelio : « Puer qui habebat quinque panes ordeaceos [29], » quod populus sensu puerilis legem veterem quinque libris Movsi comprehensam habebat.

Organum est lætitia mentis, ut in Job : « Et organum meum in vocem flentium [30], » id est, gaudere qui solebam, modo dolore plenus sum. Per *organum* prædicationes, ut in Psalmis : « In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra [31], » id est, coram elatis et infructuosis, qui in confusione vitiorum perseverant, ostendere nolumus prædicationes nostras.

Oriens est Christus, ut * in Zacharia : « Visitavit nos oriens ex [alto] [32], » id est, venit ad nos Christus de cœlo. *Oriens*, puericia, ut in Evangelio : « Multi ab oriente venient [33], » quod plures a puericia venient ad Christum. *Oriens*, populus Judaicus, ut in Apocalypsi : « Ab oriente portæ tres [34], » quod * Judæis fidelis civitatis nuntiata est. *Oriens*, sanctitas vitæ, ut in Job [35] : « Si ab oriente ferо, non appa-

Cant. VII, 8. [2] Isa. XLI, 19. [3] Judic. IX, 8. [4] Psal. LI, 2. [5] Job. XV, 33. [6] Haba. III, 17. [7] Isa. X, 27. [8] Job. XXIX, 6. [9] Exod. XXVII, 20. [10] Eccle. IX, 8. [11] Matth. XXV, 4. [12] Luc. X, 34. [13] Cant. I, 3. [14] Apoc. VI, 6. [15] Psal. CXL, 5. [16] Psal. LIX, 10. [17] Jer. I, 13. [18] Job. XLI, 22. [19] Isa. XXXIV, 14. [20] Job. XXXIX, 8. [21] Job. VI, 5. [22] Psal. CIX, 11. [23] Job. XXIV, 5. [24] Exod. XXX, 34. [25] Job. XII, 19. [26] Job. IX, 13. [27] I Reg. II, 8. [28] Job. XXXI, 50. [29] Joan. VI, 9. [30] Job. XXX, 31. [31] Psal. CXXXVI, 2. [32] Luc. I, 78. [33] Matth. VIII, 11. [34] Apoc. XXI, 13. [35] Job. XXIII, 8.

Digitized by Google

ret, » id est, quamvis in sanctitate vitæ fuero, tamen plene securus non sum.

Oriones sunt martyres, ut in Job : « Qui fecit Arcturum et Oriones [1], » quod Deus sanctam Ecclesiam fundavit, et in ea sanctos martyres produxit.

Ortus, sancta Ecclesia, ut in Cantico : « Hortus est conclusus soror mea sponsa [2], » quod sancta Ecclesia viva fide undique munita. *Ortus*, mens sancta, ut in Cantico : « Veniat dilectus meus in hortum suum [3], » id est, visitet mentem meam, in qua gratiarum suarum germina plantavit. *Ortus*, cœlestis patria, ut in Cantico : « Veni in hortum meum, soror mea sponsa [4], » id est, festina venire ad patriam cœlestem, ubi ego sum. *Ortus*, anima fidelis. * *Ortus*, voluptas, ut in libris Regum : « Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum [5], » quod diabolus spiritualem hominis lætitiam transferre vult in voluptatem carnalium desideriorum.

Os, Filius Dei, ut in Job : « Et sonum de ore illius procedentem [6], » id est, instructionem summi Patris * de Filio procedentem. *Os*, quilibet prædicator, ut in Apocalypsi : « Incipiam te evomere ex ore meo [7], id est, per prædicatores meos a consortio sanctorum ejiciam te. *Os*, secretum bonæ mentis, ut in Psalmis : « Et os meum annuntiabit laudem tuam [8], » id est, in arcano mentis meæ laudabo te. *Os*, prava cogitatio, ut in Job : « Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum [9], id est, cum suave fuerit ei in cogitatione peccatum. *Os*, locutio, ut in Job : « Manum meam ponam super os meum [10], » id est, per bonam operationem emendabo quidquid deliqui per pravam locutionem. *Os*, peccatum grande, ut in Job : « Salvabit te de ore angusto [11], » id est, * liberabo te a peccato grandi, in quo constrictus tenebris. *Os*, calliditas diaboli, ut in Job : « Salvabit te de ore angusto, et in medium oris ejus quis intravit [12], » id est, calliditatem diaboli quis, nisi ego, plene detexit?

Os, *ossis*, robur mentis, ut in Psalmis : « Non est os..... » id est, si quid roboris in me est, et tibi ignotum non est. *Os*, divinitas Christi, ut in Exodo : « Os non * comminuetis ex eo [13], » quod divinitatem non poterant occidere in Christo. *Os*, robur passionis Christi, ut in Job : « Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum [14], » id est, passionis meæ rigori, discipulis meis fugientibus, qui propiores esse debuerunt, mulieres adstiterunt. Per *ossa* virtutes animæ, ut in Job : « Omnia ossa ejus marcescere facit [15], » id est, virtutes ejus deficere permittit. Per *ossa*, fortia facta, ut in Job : « Omnia ossa mea perterrita sunt [16], id est, de nullis robustis operibus meis fiduciam habui. Per *ossa*, fortitudo carnis, ut in Job : « Et mortem ossa mea [17], id est, carnis meæ fortitudo defecit. Per *ossa*, pravæ consuetudines, ut in Job : « Et medullis ossa illius irrigantur [18], » id est, pravæ impli consuetudines deliciis carnalibus renovantur. Per *ossa*, suggestiones diaboli, ut in Job : « Ossa ejus veluti fistulæ æris [19], » quod diaboli suggestiones, dum blande sonant, eam decipiunt. Per *ossa*, prava doctrina, ut in Jeremia : « Adhæsit cutis eorum ossibus [20], » id est, mollities eorum in * duritiam commutata est.

Osculum est donum Spiritus sancti, ut in Cantico : « Osculetur me osculo oris sui [21], » id est, exornet me dono Spiritus sancti. *Osculum*, charitas, ut in Evangelio : « Osculum mihi non dedisti [22], quod Deo per charitatem Judaicus populus noluit servire. Per *osculum* deceptiones, ut in Parabolis : « Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis [23], » quod utiliores correptiones amici quam deceptiones inimici.

Ostium est Christus, ut in Evangelio : « Ego sum ostium ovium [24], » quod per Christum intrant fideles ad regnum. *Ostium*, foramen in latere Christi, ut in libris Regum : « Ostium lateris medii [25], » in parte erat domus dexteræ, quod apertum erat latus Domini, unde salutis nostræ sacramenta perfluxerunt. *Ostium*, Ecclesia, ut in Cantico : « Si ostium est, compingamus * eum tabulis cedrinis [26], « id est, sanctam Ecclesiam, per quam ad patriam cœlestem patet introitus, adornabimus sanctis viris. *Ostium*, contemplativi, ut in Ezechiele, * in visione interna. *Ostium*, os nostrum, ut in Job : « Taçui, nec egressus sum ostium [27], » id est, loquendo per os non exivi. *Ostium*, intelligentia verbi Dei, ut in Evangelio : « Jam ostium clausum est [28], » id est, intelligentia verbi non patet. *Ostium*, ordo auditorum, ut in Apocalypsi : « Ecce sto ad ostium et pulso [29], » id est, cor, ut aperiatur, excito. *Ostium*, ingressus regni cœlestis, ut in Exodo : « Offeret eum Dominus diis, et applicabitur ad ostium [30], » id est, subjicietur Balatis, et ab eis intruetur, ut dignus sit regnum cœleste introire. Per *ostium*, prædicatores sancti, ut in Job : « Et posui vectem et ostia [31], » quod Deus Pater ad coercendum mundum Christum et prædicatores misit. Per *ostium*, dilectio Dei et proximi, juxta exempla sanctorum Patrum. Per *ostium*, desideria carnis, ut in Job : « Non conclusit ostia ventris qui portavit me [32], » id est, non devitavit desideria voluptatis, qui peccato exposuit me. Per *ostia*, spiritus maligni, ut in Job : « Et ostia tenebrosa vidisti [33], » quod spiritus malignos, quorum suggestionibus consentientes reprobi aditum æternæ mortis inveniunt, Dominus moriens debellavit.

Ovum est spes, ut in Evangelio : « Aut si petierit ovum, nunquid porriget illi scorpionem [34]?» quod * a Deo petimus spem, nequaquam dabit nobis desperationem. Per *ova* subjecti, ut in Job : « Quæ * delin-

[1] Job. IX, 9. [2] Cant. IV, 12. [3] Ibid. v. 16. [4] Cant. V, 1. [5] III Reg. XXI, 2. [6] Job. XXXVII, 2. [7] Apoc. III, 16. [8] Psal. L, 17. [9] Job XX, 12. [10] Job XXXIX, 37. [11] Job XXXVI, 16. [12] Job XLI, 4. [13] Exod. XII, 46. [14] Job XIX, 20. [15] Job XXXIII, 19. [16] Job IV, 14. [17] Job VII, 15. [18] Job XXI, 24. [19] Job XL, 13. [20] Thr. IV, 8. [21] Cant. I, 1. [22] Luc. VII, 45. [23] Prov. XXVII, 6. [24] Joan. X, 7. [25] III Reg. VI, 8. [26] Cant. VIII, 9. [27] Job XXXI, 34. [28] Luc. XI, 7. [29] Apoc. III, 20. [30] Exod. XXI, 6. [31] Job XXXVIII, 10. [32] Job III, 10. [33] Job XXXVIII, 17. [34] Luc. XI, 12.

Digitized by Google

quit in terra ova sua [1], » quod pravus prælatus subjectos suos in operibus terrenis a vera religione alienis versari permittit. Per *ova*, consilia dæmonum, ut in Isaia : « Qui comederit de ovis aspidum, morietur [2], » quod qui suggestionibus dæmonum consentit, animæ suæ mortem incurrit.

Ovis est innocentia, ut in Job : « Dederunt ei unusquisque ovem suam [3], » quod omnes qui ad Christum pertinent, virtutem ei innocentiæ in unitate charitatis offerre student. *Ovis*, Christus, ut in Isaia : « Tanquam ovis ad occisionem ductus est [4], » quod Christus innocens morte punitus est. *Ovis*, homo redemptus, ut in Evangelio : « Inveni ovem quam perdideram [5], » quod hominem per peccatum perditum moriendo Christus invenit. Per *oves* angeli, ut in Evangelio : « Dimittit nonaginta novem oves in deserto [6], » quod angelos reliquit Christus in cœlo, quando hominem perditum quæsivit in mundo. Per *oves* populi fideles, ut in Ezechiele : « Ecce ego pascam oves meas [7], » quod spiritualiter reficit Christus fideles * suos. Per *oves* cogitationes mundæ, ut in Job : « Ignis Dei cecidit de cœlo [et tactas oves puerosque consumpsit [8]], » quod mundæ nonnunquam cogitationes in homine, permittente Deo, ardore libidinis concremantur. Per *oves* homines reprobi, ut in Psalmis : « Sicut oves in inferno positi sunt [9], » quod reprobi ad fatuitatem suam pereunt. Per *oves* boni subjecti, ut in Genesi : « Pariebant oves varios fetus [10], » id est, boni subjecti diversitatem ducebant bonarum actionum. Per *oves* petulantes motus mentis, ut in Levitico : « Si de * omnibus fuerit oblatio [11], » quod motus in nobis petulantiæ * maturitatis cultu mactare debemus. Per *oves* uxores David, sicut per *ovem* Bethsabe uxor Uriæ, ut in libris Regum : « Parcens ille sumere de ovibus suis, tulit ovem viri pauperis, et præparavit convivium peregrino qui venit ad eum [12], » quod David tunc, omissis uxoribus suis, rapuit uxorem Uriæ, ut expleret desiderium luxuriæ suæ, quæ tentavit eum.

Ovile est Synagoga, ut in Evangelio : « Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili [13], » id est, gentiles, qui non pertinent ad Synagogam, ut in cantico Habacuc : « Abscindetur de ovili pecus [14], » quod ab Ecclesia abscindetur hæreticus.

P

Pax.
Piscis.
Pes.
Palpebræ.
Porticus.
Pennulæ.
Planta.
Propugnator
Præda.
Papyrus.
Pessulum.
Petusculum.
Poma.
Propugnacula.
Præsepe
Paries.
Picturæ.
Pecus.
Palmes.
Pontifex.
Plectæ.
* *Palvicus.*
Picturator.
Peregrinus.
Panis.
Paradisus
Potentes.
Pulvis.
Pellicanus
Paludes.
Porci.
Pera.
Platea.
Postes.
Prædones.
Pullus.

A *Piscina.*
Peccatum.
Pallium.
Porta.
Penna.
Pastus.
Plumbum.
Pinus.
* *Pedus.*
Pili.
Pater.
Punctus.
Princeps.
Puteus.
Pumilus.
Peliades.
Paxillus.
Pupillus.
Passer.
Pluma.
Plaga.
Propitiatorium.
Perdix.
Panni.
Puer.
Pardus.
Pacificus.
Piscatores.
Pellis.
Pori.
Pepones.
Platani.
Primogenitum.
Pilosi.
Pavimentum.
Pupilla.
Pruina.
Pluma.
Pylades.
Passer.
Princeps.
Pili
Pater.
Pilectæ
* *Palvicus.*
Pullus.
Pruina.

Pax est Christus, ut in Paulo : « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum [15], » quod Christus humanam B naturam naturæ angelicæ in una beatitudine, et quosdam ex Judæis et multos ex gentibus in una sociavit. *Pax*, amor socialis : « Habete sal in vobis, et pacem inter vos [16], » id est, sic habete in vobis * fiduciam, ut cum simplicibus *amorem habere non negligatis. *Pax*, quies mentis, ut in Psalmis : « Et factus est in pace locus [ejus] [17], » quod in mente * parata et pacifica habitat Deus. *Pax*, tranquillitas contemplationis, ut in Psalmis : « In pace in idipsum [dormiam] [18], id est, in tranquillitate contemplationis et unitate spiritus habeo quietem. *Pax*, redemptio generis humani, ut in Isaia : « Pedes annuntiantis et prædicantis pacem [19], » id est, affectus cujuslibet prophetæ humanam nuntiantis redemptionem. *Pax*, prædicatio, ut in Psalmis : « Suscipiant C montes pacem populo [20], » id est, suscipiant apostoli prædicationem, quam proferant mundo. *Pax*, pœnitentia, ut in Paulo : « Nuntiavit pacem iis qui longe erant [21], » quod Christus et Judæis fidelibus et gentibus infidelibus pœnitentiam prædicavit. *Pax*, quies * futura, ut in libro Josue : « Data est pax ei in omnes per circuitum nationes [22], » quod nullam omnino ab aliquo hoste perturbationem, sed plenam per omnia in futuro electi habebunt pacem. *Pax*, carnalis consensus, ut in Evangelio : « Non veni pacem mittere, sed gladium [23], » id est, nolo fovere in carne molliciem, sed a carne separationem. Est pax *inordinata*, est *simulata*, est *inquinata*, est et *scelerata*. Prima, superborum, qui contempto superiore obediunt inferiori; contempto videlicet Deo, obediunt diabolo; D contempto cœlo, obediunt mundo; contempto spiritu, obediunt carni. Secunda, duplicium, qui iniquitatem meditantes in corde suo, labiaque dolosa habentes et * corde et corde loquentes, ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant. Tertia, immundorum, qui turpiter prostituti requiescunt, refecti in fecibus suis. Quarta, rebellium et schismaticorum amori sociali resistunt, et universitati Ecclesiæ * auctoritatem contradicunt.

Pacificus est Christus, ut in Cantico : « Vinea

[1] Job. XXXIX,17. [2] Isa. LIX, 5. [3] Job XLII, 11. [4] Isa. LIII, 7. [5] Luc. XV, 6. [6] Ib. *v.* 4. [7] Ezech. XXXIV, 15. [8] Job I, 16. [9] Psal. XLVIII, 15. [10] Gen. XXXI, 8. [11] Lev. III, 6. [12] II Reg. XII, 4. [13] Joan. X, 6. [14] Hab. III, 17. [15] Eph. II, 14. [16] Marc. IX, 50. [17] Psal. LXXV, 3. [18] Psal. IV, 9. [19] Isa. LII, 7. [20] Psal. LXXI, 3. [21] Eph. II, 17. [22] Jos. XXI, 44. [23] Matth. X, 34.

Digitized by Google

fuit pacifico [1], » quod per legem Christus excoluit Synagogam. *Pacificus* quilibet sanctus, ut in Psalmis : « Cum iis qui oderunt pacem eram pacificus [2], » quod viri sancti serenitatem mentis non solum contra amicos, sed etiam contra inimicos habent. Per *pacificos* prædicatores, ut in Cantico : « Mille tui pacifici [3], » quod sancti prædicatores qui Ecclesiæ pacem nuntiant, perfectionem possident virtutis, quod millenarius numerus perfectus est. Per *pacificos* amatores concordiæ, ut in Evangelio : « Dei pacifici, » id est, amatores concordiæ, « quoniam filii Dei vocabuntur [4]. »

Palma est Ecclesia, ut in Job : « Et sicut palma multiplicabo dies [5], » quod sancta Ecclesia intellectus incrementa internæ claritatis in viris sanctis producit. *Palma* [justus, ut in Psalmis] : « Justus ut palma florebit [6], » quod vir sanctus in nitore justitiæ precibus præcedentibus se conformare studet. *Palma*, sancta crux, ut in Cantico : « Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus [7], » id est, contemplabor virtutem crucis, et particeps esse satagam mercedis ejus. *Palma*, recta intentio, ut in Cantico : « Statura tua assimilata est palmæ [8], » id est, in exteriori bona actione tua apparet, quam recta est intentio. Per *palmam* victoriæ spirituales, ut in libris Regum : « Et fecit in eis cherubim et palmas [9], » quod Deus prædicatoribus sanctis et plenitudinem veræ scientiæ, et spiritualem super * vitia victoriam donat. Per *palmam* præmia æterna, ut in Apocalypsi : « Et palmæ in manibus eorum [10], » id est, præmia æterna pro bonis operibus eorum.

Palmes est quilibet qui fidem * septenum tenet, ut in Evangelio : « Omnem palmitem in me, non ferentem fructum, * excidetur [11], » id est, omnem, qui solummodo fidem habet, in me et * ullum opus bonum damnabit eum. Per *palmites* apostoli, ut in Evangelio : « Ego sum vitis, vos palmites [12], » id est, ego Christus plenitudinem gratiæ possideo, vos autem apostoli partem habetis. Per *palmites* viri fideles, ut in Psalmis : « Extendit palmites suos usque ad mare [13], » quod sancta Ecclesia fideles suos usque ad fines terræ dilatavit.

Pallium est altitudo humanitatis Christi, ut in libris Regum : * « Christus levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei [14], » quod cœtus fidelium Christi sacramenta humanitatis ejus, quæ illis reliquit in terra, excellenter honoravit. *Pallium*, sancta Ecclesia, ut in Genesi : « Et sanguine uvæ pallium suum [15], » quod Christus sacramento passionis suæ * tendat Ecclesiam suam. *Pallium*, littera Veteris Testamenti, ut in Genesi : « Relicto in manibus ejus pallio fugit [16], » quod Christus, relicto velamine litteræ, in operibus Synagogæ, per notitiam fidei venit ad gentes. *Pallium*, reverentia, ut in Genesi : « Pallium imposuerunt humeris ejus [17], » quod Christiani infirma humanitatis assumptæ in Christo reverenter honorant. *Pallium*, * jucunditas cordis, ut in Isaia : « Pallium laudis pro spiritu mœroris [18], » id est, dabo vobis exsultationem, qui prius in tristitia fuistis. *Pallium*, pœnitentia, ut in Genesi : « Cito tulit pallium suum, et operuit se [19], » quod Ecclesia de gentibus, statim ut per fidem cognovit, prioris conversationis suæ pravitatem per pœnitentiam texit. *Pallium*, auxilium, ut in Parabolis : « Qui amittit pallium in die frigoris [20], » id est, qui non habet auxilium in tempore necessitatis. *Pallium*, consideratio propriæ infirmitatis, ut in libris Regum : « Operuit vultum suum pallio [21], » quod cum in contemplatione * aberremus, oportet ut nos ipsos per considerationem infirmitatis nostræ humiliemus. *Pallium*, exteriora peccata, ut in Evangelio : « Dimitte ei * pallium [22], » * et exteriora peccata tua abjice abs te. *Pallium*, prava vetustas, ut in Cantico : « Tulerunt pallium meum custodes murorum [23], » id est, abstulerunt a me pravitatem vetustæ conversationis rectores Ecclesiarum. *Pallium*, superbia, ut in libro Josue : « Vidit Achan inter cætera spolia pallium coccineum, valde bonum [24], » quod inter cætera peccata nitore superbiæ reprobi plus concupiscunt. Per *pallium*, actiones, ut in libro Numeri : « Ut faciant eis fimbrias in angulis palliorum [25], » id est, ut studeant perseverare in conjunctionibus bonorum actuum suorum. Per *pallium*, elationes, ut in Isaia : « Auferet Deus * in unctoria et pallia [26], » id est, destruet in reprobis instabilitates et elationes.

Palpebræ sunt judicia Dei, ut in Psalmis : « Palpebræ ejus interrogant filios hominum [27], » quod intentos nos * vos judicia Dei et sollicitos faciunt in eo, quod in quibusdam se * nos occultant, in quibusdam vero se aperiunt. *Palpebræ*, prælati Ecclesiæ, ut in Job : « Et palpebræ meæ caligaverunt [28], » id est, prælati mei in quibusdam deviaverunt. *Palpebræ*, prudentes sæculi, ut in Job : « Oculi ejus velut palpebræ diluculi [29], » quod prudentes sæculi de vana claritate gloriantur. *Palpebræ*, cogitationes, ut in Parabolis : « Nec dormitent palpebræ [30], » id est, non aberrent cogitationes tuæ. *Palpebræ*, interna consilia, ut in Parabolis : « Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos [31], » id est, interna consilia tua præveniant actus tuos.

Paleæ sunt viri sancti, ut in Genesi : « Palearum et feni plurimum est apud nos [32], » quod viri sancti a peccati pondere leves et in bono opere virides in sancta Ecclesia abundant. *Paleæ*, sententiæ sacræ Scripturæ, ut in libro Judicum : « Habentes paleas et fenum in asinorum pabulum [33], » id est, possi-

[1] Cant. VIII, 11. [2] Psal. CXIX, 7. [3] Cant. VIII, 12. [4] Matth. V, 9. [5] Job XXIX, 18. [6] Psal. XC, 13. [7] Cant. VII, 8. [8] Ibid. *v.* 7. [9] I Reg. VI, 29. [10] Apoc. VII, 9. [11] Joan. XV, 2. [12] Ibid. V. 5. [13] Psal. LXXIX, 12. [14] IV Reg. II, 13. [15] Gen. XLIX, 11. [16] Gen. XXXIX, 12. [17] Gen. IX, 23. [18] Isa. LXI, 3. [19] Gen. XXIV, 65. [20] Prov. XXV, 20. [21] II Reg. XIX, 13. [22] Matth. V, 40. [23] Cant. V, 7. [24] Jos. VII, 21. [25] Num. XV, 38. [26] Isa. III, 22. [27] Psal. X, 4. [28] Job XVI, 16. [29] Job XLI, 9. [30] Prov. VI, 4. [31] Prov. IV, 25. [32] Gen. XXIV, 25. [33] Jud. XIX, 19.

Digitized by Google

dentes sacra documenta et exempla ad refectionem simplicium. *Paleæ*, necessaria hujus vitæ, ut in Exodo : « Paleæ non dabuntur vobis, et consuetum numerum reddetis [1], » quod volunt maligni spiritus, ut electi hujus vitæ necessaria ut destituantur, et duris afflictionibus conterantur. *Paleæ*, instabiles quique, ut in Job : « Erunt sicut paleæ ante faciem venti [2], » quod instabiles quique adveniente flatu tentationis disperguntur. *Paleæ*, infideles, ut in Isaia : « Leo quasi bos paleas comedet [3], » quod diabolus infideles sibi incorporat. *Paleæ*, damnati in judicio, ut in Evangelio : « Paleas autem * combures igni inexstinguibili [4], » quod damnati in judicio reprobi, sine fine apud inferos torquebuntur.

Paludes sunt societates reproborum, ut in Exodo : « Paludes vertebantur in sanguinem et educebant ranas [5], » quod reproborum conventicula crudelitates et venenosas habeant loquacitates.

Paliurus est excussatio, ut in Isaia : « Et paliurus in munitionibus eorum [6], » quod excusatio peccati dominatur in elationibus reproborum.

Plaga est percussio dura, ut in Job : « Manus plagæ * meæ aggravata est super gemitum meum [7], » id est, major est percussio quam sentio, quam dolor quem ostendo. *Plaga*, tribulatio transitoria, ut in Isaia : « Et percutiet Dominus Ægyptum plaga, et sanabit eam [8], » quod Dominus electos suos, quandiu in præsentis vitæ tenebris sunt, modo tribulatione atterit, modo vero consolatione erigit. *Plaga*, æterna damnatio, ut in Jeremia : « Plaga inimici percussi te [9], » quod æterna damnatione, quæ diabolo debetur, Dominus reprobos * fecit. Per *plagam*, correptiones, ut in Psalmis : « Amove a me plagam tuam [10]. » Per *plagam*, peccata, ut in Evangelio : « Et plagis impositis abierunt [11], » quod dæmones, primis parentibus nostris peccatis inflictis, recesserunt. Per *plagam*, afflictiones, ut in Exodo : « Mittam omnes plagas meas super cor tuum [12], » quod omnes afflictiones imponit Dominus * diabolum. Per *plagam*, præsentes adversitates, ut in libris Regum : « Arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum [13], » id est, emendabo eum per correptionem et præsentes adversitates, quibus electos * suos soleo emendare.

Planta est discretio cordis, ut in Ezechiele : « Planta pedis eorum ut planta vituli [14], » id est, discretio eorum mature se habet. *Planta*, infima actio, ut in Isaia : A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas [15], » * ab infima actione usque ad summam nihil in eo probabile est. Per [plantam] finis uniuscujusque, ut in Job : « Tenebitur planta ejus laqueo [16], » quod reprobum quemlibet in fine maxime diabolus decipere studet. *Planta*, finis mundi, ut in Genesi : « Alter egrediens plantam fratris tenebat manu [17], » quod in fine mundi primatum super reprobos adveniente ultimo judicio habebunt electi.

Platani sunt viri sancti, ut in Genesi : « Tollens Jacob virgas ex platanis [18], » quod prælatus bonos ad erudiendos subjectos bona exempla de viris sanctis sumit. *Platani*, sancti angeli, ut in Ezechiele : « Platani non fuerunt æquales frondibus ejus [19], quod primo illi angelo in prærogativis donorum cæteri non poterant angeli illi comparari. *Platanus*, quilibet in contemplatione erectus, ut in libro Ecclesiastico : « Et sicut platanus exaltata sum in Cades [20], » quod ad cor altum accedit homo et * exaltat Deus.

Platea est multitudo populorum, ut in Job : Et in platea parabant cathedram [21], » id est, in multitudine subjectorum prælationem exercui. Per *plateas* auditores, ut in Parabolis. » Et in plateis aquas tuas divide [22], id est, inter auditores prædicationes tuas disperge. Per *plateas* homines sæculares ut in Cantico : « Per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea [23], » id est, Christum in conversationibus religiosorum quæram et sæcularium. Per *plateas* corda electorum, ut in libro Ecclesiastico : « Exaltata sum juxta aquam in plateis [24], » quod in sanctorum mentibus, per charitatem dilatatis, sapientia per profundas contemplationes elevatur. Per *plateas*, agmina cœlestium civium, ut in libro Tobiæ : « Plateæ tuæ, Jerusalem, * sternuntur auro mundo [25], » quod pura claritate et clara puritate æternæ sapientiæ agmina bonorum civium decorantur. Per *plateas* gloriæ impiorum, ut in Job : « Non celebretur nomen ejus in plateis [26], » quod impii non famati semper honorabuntur in supereminentia et gloria vitæ præsentis

Panis est Christus, ut in Evangelio : « Ego sum panis vivus [27], » quod in Christo vitalis anima testimonio *. *Panis*, sacramentum, quod in altari sumimus, ut in Parabolis : « Panem otiosum non comedat [28], » id est, corpus Christi sine fructu bonorum operum non percepit. *Panis*, gratia spiritualis, ut in Isaia : « Panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt [29], » id est, gratia ei concessa est spiritualis, contemplationes ejus erroneæ non sunt. *Panis*, doctrina sacra, ut in Jeremia : « Parvuli petierunt panem [30], » id est, simplices et humiles petierunt doctrinam audire. *Panis*, bona actio, ut in Isaia : « Panem nostrum comedemus [31], » quod septiformis Spiritus in bono opere, quod nobis agendum inspirat delectatur. *Panis*, robur charitatis, ut in Evangelio : « Quis ex vobis patrem petit panem [32] ? » * *Panis*, humilitas, ut in libris Regum : « Et ecce ad caput ejus subcinericius panis [33], » quod in mente viri sancti

[1] Exod. v, 18. [2] Job xxi, 18. [3] Isa. xi, 7. [4] Matth. iii, 12 ; Luc. iii, 17. [5] Exod. vii, 19. [6] Isa. xxxiv, 13. [7] Job xxiii, 2. [8] Isa. xix, 22. [9] Jer. xxx, 14. [10] Psal. xxxviii, 11. [11] Luc. x, 30. [12] Exod. ix, 14. [13] II Reg. vii, 14. [14] Ezech. i, 7. [15] Isa. i, 6. [16] Job. xviii, 9. [17] Gen. xxv, 26. [18] Gen. xxx, 37. [19] Ezech. xxxi, 8. [20] Eccle. xxiv, 19. [21] Job. xxix, 7. [22] Prov. v, 16. [23] Cant. vii, 2. [24] Eccli. xxiv, 19. [25] Tob. xiii, 22. [26] Job. xviii, 17. [27] Joan. vi, 35, 41, 48. [28] Prov. xxxi, 27. [29] Isa. xxxiii, 16. [30] Thren. iv, 4. [31] Isa. iv, 1. [32] Luc. xi, 11. [33] III Reg. xix, 6.

Digitized by Google

humilitas ex consideratione propriæ infirmitatis [a] : *Panis*, vir sanctus, ut in Psalmis : « Quod cinerem tanquam panem manducabam [1], » quod non solum sanctos sibi Dominus incorporat per justitiam, sed peccatores per pœnitentiam. *Panis*, quilibet in peccato perseverans, ut in Osea [b] : « Factus est Ephraim panis subcinericius, qui non [b] revertatur [2], » quod peccator immundus in peccatis suis jacet, et de eis non pœnitet. *Panis*, delectatio carnalis, ut in Job : « Ni se moverit ad quærendum panem [3], » id est, cum se intromiserit acquirere delectationem carnalem. *Panis*, consolatio, ut in Jeremia : « Populus gemens ac quærens panem [4], » id est, dolens ac desiderans habere consolationem. *Panis*, subsidium vitæ præsentis, ut in Genesi : « Si dederis mihi panem ad edendum [5], » id est, si mihi contuleris subsidium ad roborandum. *Panis*, doctrina hæretica, ut in Parabolis : « Et panis absconditus suavior, » quod doctrina hæretica clarior est reprobis quam doctrina sana. *Panis*, gratiæ spirituales, ut in Psalmis : « Pauperes ejus saturabo panibus [6], » id est, dona gratiarum mearum conferam humilibus. Per *panem* eruditiones spirituales, ut in Isaia : « Appenditis argentum non in panibus [7], » id est, in locutionibus vestris non intenditis satis eruditionibus. Per *panes* apostoli, ut in Exodo : « Panes duodecim propositionis in mensa [8], » id est apostoli duodecim electi in Ecclesia. Per *panem* intelligentia sanctæ Trinitatis, ut in Evangelio : « Amice, commoda mihi tres panes [9], » id est, o Christe, confer mihi intelligentiam sanctæ Trinitatis. Per *panes* libri legales, ut in Evangelio; « Est puer unus hic qui habet quinque panes [10], » id est, populus Judaicus, sensu puerilis, qui quinque libros Moysis habet clausos. Per *panes* internæ consolationes, ut in Psalmis : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes [c] cum lactucis agrestibus [11], » id est, bona opera sine malitia in amaris compunctionibus.

Panni sunt sacramenta humilitatis Christi, ut in Evangelio : « Et pannis eum involvit, et reposuit eum in præsepio [12], » quod.... Dominum sub sacramentis humanitatis assumptæ occultavit, sicque manifestavit eum mundo. *Panni*, mandata legis, ut in Job : « Et pannis infantiæ obvolverem [13], » quod Deus Synagogam mandatis legis alligavit. *Panni*, exempla justorum, ut in Jeremia : « Pone veteres pannos sub [d] cubitu manus [14], id est, ad roboranda opera sua adhibe tibi exempla antiquorum Patrum.

Papyrus est scientia sæcularis, ut in Isaia : « Et in vasis papyri super aquas [15], » quod Antichristus prædicatores suos ad seducendum populos verbis scientiæ sæcularis exornabit. [e] *Papyrus*, Synagoga, ut in Exodo : « Et videns fiscellam in [e] papyrione misit unam e famulabus suis [16], » quod Ecclesia de gentibus, ut vidit fidem Christi apud Judæos, mist devorationem suam, et credendo suscepit Christum.

Paradisus est sancta Ecclesia, ut in Genesi : « Plantaverat autem Deus paradisum [17], » quod Deus instituit sanctam Ecclesiam. *Paradisus*, serenitas mentis, ut in Cantico : « Emissiones tuæ paradisus [18], » quod quidquid de mente tua producis, delectabile et suave. *Paradisus*, gloria temporalis, ut in Genesi : « Quæ universa [f] irrigabat, sicut paradisus [19], » quod tota gloria temporalis ad tempus nitere videtur. *Paradisus*, gaudium cœleste, ut in Apocalypsi : « De ligno paradisi, quod est in paradiso Dei mei [20], » quod qui mundum, et carnem et diabolum vincet, [f] Christo sine fine perfruetur [f] in cœlesti gaudio.

Paries est humanitas Christi, ut in Cantico : « Ipse fuit post parietem nostrum [21], » quod sub velamine humanitatis assumptæ divinitas latuit. *Paries* sacra Scriptura, ut in [g] Cantico : « Palpavimus sicut cæci parietem [22], » quod hæretici cæcati in sacra Scriptura per errorem ostenduntur. *Paries*, corda subjectorum, ut in Ezechiele : « Fili hominis, fode parietem [23], » quod prælati acutis inquisitionibus scrutari debent corda subjectorum. *Paries*, obstinatio, ut in Ezechiele : « Ædificabant parietem, illi autem liniebant eum [24], » quod impius obstinationem in se construit, et adulatores eam blandis adulationibus fovent. *Paries*, peccata præterita, ut in libris Regum : « Convertit se Ezechias ad parietem et flevit [25], » quod electi ad peccata sua pœnitendo se convertunt quæ inter se et Dominum construxerunt.

Pardus est quilibet vitiorum varietate plenus, ut in Isaia : « Et pardus cum [h] edo occupabit [26], » id est, peccator vitiorum varietate plenus per pœnitentiam conversus, cum eo qui se assidue in Dei servitio mactat, in Ecclesia requiescat. Per *pardum* hypocritæ, ut in Cantico : « De cubilibus leonum, de montibus pardonum [27], » id est, de occultis superborum, et de excellentiis sceleratorum.

Pastus est sublimitas sacræ Scripturæ, ut in Genesi : « Aut [i] date potum ovibus, et sic ad pastum eas [i] reducite [28], » id est, prædicate prius simplicia auditoribus, et sic eos ad sublimiora intelligenda perducite. *Pastus*, instructio, ut in Genesi : « Filiis in pastu [j] occupatis pecorum [29], » id est, prælatis instructionibus insistentibus populorum. *Pastus*, internæ sapientiæ refectio, ut in Job : « Filii earum pergunt ad pastum, egrediuntur, et non revertuntur ad eas [30], » id est, subjecti prælatorum ad refectionem cœlestis convivii exeunt, et non redeunt in hac vita ad eos.

Passer est Christus, ut in Psalmis [k] : « Vigilavi, et factus sum sicut passer [31], » id est, a morte resurrexi, et ad cœlum volavi. *Passer*, vir sanctus, ut in

[1] Psal. CI, 10. [2] Ose. VII, 8. [3] Job. XV, 23. [4] Thren. I, 11. [5] Gen. XXVIII, 20. [6] Psal. CXXXI, 15. [7] Isa. LV, 2. [8] Exod. XXV, 30. [9] Luc. XI, 5. [10] Joan. VI, 9. [11] Psal. XLI. [12] Luc. II, 7. [13] Job. XXXVIII, 9. [14] Jer. XXXVIII, 12. [15] Isa. XVIII, 2. [16] Exod. II, 5. [17] Gen. II, 8. [18] Cant. IV, 13. [19] Gen. XIII, 10. [20] Apoc. II, 7. [21] Cant. II, 9. [22] Isa. LIX, 10. [23] Ezech. VIII, 8. [24] Ezech. XIII, 10. [25] IV Reg. XX, 2. [26] Isa. XI, 6. [27] Cant. IV, 8. [28] Gen. XXIX, 7. [29] Gen. XXXIV, 5. [30] Job. XXXIX, 7. [31] Psal. CI, 8.

Digitized by Google

Psalmis : « Passer invenit sibi domum [1], » id est, vir sanctus elegit sibi cœlestem habitationem. *Passer*, quilibet a peccato conversus, ut in Psalmis : « Anima * nostra sicut passer erepta (est de laqueo venantium) [2], » quod peccatores liberantur a seductione dæmonum. *Passer*, instabilis, ut in Psalmis : « transmigra in montem sicut passer [3], » quia quod conspiciunt hæretici, ad suam excellentiam trahere nituntur. Per *passerem* humiles, ut in Psalmis : « Illic passer nidificat [4], » id est, in Christum maxime humiles sperabunt. *Passer*, gemina substantia hominis, corpus scilicet et anima, ut in Levitico [5] in emundatione leprosi duo passeres assumuntur, et unus immolatur, alter liber permittitur avolare ; ut peccator plene purgetur, necesse est ut et corpus ejus per mortificationem mactetur, et anima per contemplationem in supernis elevetur.

Pater est Deus creator, ut in Parabolis : « Oculum qui subsannat patrem [6], » id est, hæreticum, qui deridet Deum creatorem. *Pater*, prælatus quilibet, ut in libris Regum : « Pater mi, pater mi, currus Israelis et auriga ejus [7], » id est, prælate * meus, qui portas et ducis. *Pater*, protoplastus, ut in Psalmis : « Pater meus et mater mea dereliquerunt me [8], » id est, Adam et Eva peccato exposuerunt me. *Pater*, quilibet superior, ut in libris Regum : « Quis pater ejus [9]? » id est, quis superior eo? *Pater*, mundus iste, ut in Jeremia : « Maledictus qui annuntiavit patri meo dicens : Natus est tibi puer masculus [10], » id est, qui per adulationem opere meo fecit me a mundo laudari. *Pater*, diabolus, ut in Evangelio : « Vos ex patre diabolo estis [11], » quod eos diabolus etsi non creavit, aut genuit, tamen persuasit et tenuit.

Pavimentum est caro nostra, ut in Psalmis : « Adhæsit pavimento anima mea [12], » id est, consensit carni ratio mea. *Pavimentum*, cor humile, ut in libris Regum : « Texit pavimentum tabulis alienigenis [13], » quod Dominus cor humile donis spiritualibus exornat. *Pavimentum*, quilibet auditor, ut in Ezechiele : « Gazophylacia in circuitu pavimenti [14], » quod ad bonum excitant auditorem exempla patrum antecedentium.

Paxillus est compunctio, ut in Deuteronomio : « Ferens paxillum in balteo [15], » id est, habens stimulum compunctionis in animo. Per *paxillos* prælati, ut in Exodo : « Paxillos atrii ex ære facies [16], » id est, prælatos Ecclesiæ et fortes in opere, et sonoros in prædicatione constitues.

Pectus est cor rectum, ut in Exodo : « Doctrinam et veritatem, quæ erit in pectore Aaron [17], » id est, in cogitatione prælati. *Pectus*, superbia, ut in Genesi : « Super pectus tuum gradieris [18], » id est, elationem reproborum superabis.

Pectusculum est cor rectum, ut in Exodo : « Pectusculum erit Aaron [19], » quod ad prælatum præcipue pertinet, ut cor rectum habeat.

Pecus est hæreticus, ut in cantico Habacuc : « Abscindetur de ovili pecus [20], » id est, de Ecclesia hæreticus. *Pecus*, peccator et justus, ut in Ezechiele : « Ecce ego judico inter pecus et pecus [21], » id est, discerno inter peccatorem et justum. Per *pecus* populi, ut in Genesi : « Constitue illos magistros pecorum meorum [22], » id est prælatos populorum meorum. *Pecus*, cupidi, ut in Psalmis : « Insuper et pecora campi [23], » id est, subdidisti ei et cupidos mundi.

Peccatum est admittere malum, et *delictum* est omittere bonum. *Peccatum*, sacrificium pro peccato, ut in Paulo : « Eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit [24], » quod Christum ab omni peccato immunem pro peccatis nostris Deus Pater sacrificium * sacerdotem constituit. *Peccatum*, pœna peccati, ut in Isaia : « Ipse * peccatum multorum tulit [25], » quod Christus pro nobis peccatoribus pœnam mortis subiit. *Peccatum*, fomes peccati, id est, concupiscentia, ut in Paulo : « Peccatum non cognovi, nisi per legem, * ubi lex diceret, non concupisces [26]. » *Peccatum*, diabolus, ut in Paulo : « Revelatus fuerit homo peccati, * filiis perditionis [27], » id est, manifestatus fuerit Antichristus homo diaboli ad æternam damnationem præparatus.

Pes est quilibet prædicator, ut in Psalmis : « Ut intingatur pes tuus in sanguine [28], » quod prædicator nonnunquam afficitur tribulatione. *Pes*, prædicatio, ut in Psalmo : « In flumine pertransibunt pedes ibi [29], » id est, in mundum ibunt prædicatione. *Pes*, quilibet amicus, ut in Evangelio : « Si pes tuus scandalizaverit te [30], » id est, si necessarius amicus tuus malum suggeret tibi, ne sequaris eum. *Pedes*, opera cœlestium præceptorum, quibus inniti debet uterque populus, ut in Isaia : « Innitentis pedem bovis et asini [31], » id est, imponentes opera cœlestium præceptorum, quibus inniti debet uterque populus, Judaicus videlicet ac gentilis. *Pes*, exemplum Christi, ut in Isaia : « Conculcabit eam pes pauperis [32], » quod superbos mundi prostravit exemplum humilis Christi. *Pes*, exemplum malum, ut in Job : « Obliviscetur quod pes conculcet eas [33], » quod negligens prælatus non curat, quod malum exemplum corrumpit subjectos. Per *pedes* sacramenta incarnationis, ut in Evangelio : « Lacrymis cœpit rigare pedes ejus [34], » quod conversa gentilitas venerari cœpit ima incarnationis Christi. *Pedes*, apostoli, ut in Job : « Lavabam pedes meos butyro [35], » quod Christus,

[1] Psal. LXXXIII, 4. [2] Psal. CXXIII, 7. [3] Psal. X, 1. [4] Psal. CIII, 17. [5] Levit. XIV, 49. [6] Prov. XXX, 17. [7] IV Reg. II, 12. [8] Psal. XXVI, 10. [9] I Reg. X, 12. [10] Jer. XX, 15. [11] Joan. VIII, 44. [12] Psal. CXVIII, 25. [13] III Reg. VI, 15. [14] Ezech. XL, 17. [15] Deut. XXIII, 13. [16] Exod. XXVII, 19. [17] Exod. XXVIII, 30. [18] Gen. III, 14. [19] Exod. XXIX, 27, 28 ; Lev. VII, 31. [20] Hab. III, 17. [21] Ezech. XXXIV, 17. [22] Gen. XLVII, 6. [23] Psal. VIII, 8. [24] II. Cor. V, 21. [25] Isa. LIII, 12. [26] Rom. VII, 7. [27] II Thess. II, 3. [28] Psal. LXVII, 24. [29] Psal. LXV, 6. [30] Matth. XVIII, 8. [31] Isa. XXXII, 20. [32] Isa. VI, 6. [33] Job. XXXIX, 18. [34] Luc. VII, 38. [35] Job. XXIX, 6

Digitized by Google

qui peccata nostra portavit apostolos suos mundavit Spiritu sancto. Per *pedes* prædicatores, ut in Isaia : « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem [1] ! » quod per sanctitatem decori sunt prædicatores, qui annuntiant populo pœnitentiam. Per *pedes* prædicatores, ut in Evangelio : « Excutite pulverem de pedibus vestris [2], » id est, terrena pro prædicationibus vestris ab iis nolite suscipere qui nos contemnunt. Per *pedes* infirmi qui sunt in Ecclesia, ut in Job : « Pedes meos subverterunt [3], » id est, infirmos meos qui sunt in Ecclesia hæretici subverterunt. Per *pedes* cogitationes, ut in Jeremia : « Sordes ejus in pedibus ejus [4], » id est, immunditiæ ejus in cogitationibus ejus. Per *pedes* intentiones, ut in Parabolis : « Pedes eorum ad malum currunt [5], » id est, intentiones eorum ad peccata proclives sunt. Per *pedes* afflictiones, ut in Levitico : « Intestinis et pedibus ejus lotis aqua [6], » quod ut nos sacrificium Dei esse possimus, oportet ut cognationes et afflictiones nostras compunctionis aqua emundemus. Per *pedes* operationes, ut in Jeremia : « Expandit rete pedibus meis [7], » quod multis modis opera nostra diabolus studet corrumpere. Per *pedes* actus sanctorum, ut in Ezechiele : « Pedes eorum pedes recti [8], » quod sanctorum actus ad iniquitatem non sunt retorti. Per *pedes* viri sancti, ut in Psalmis : « Adorabimus in locum ubi [steterunt pedes ejus] [9], » id est, in contemplatione sanctæ conversationis, in qua perfecti servi tui utiliter persistunt, nosmetipsos humiliamus. Per *pedes*, illi sancti, qui in patria cœlesti sunt, ut in Psalmis : « Statuisti in loco spatioso pedes (meos) [10], » quod in latitudine gratiæ sunt, qui hinc exeuntes in cœlesti patria consistunt. Per *pedes* ministri impiorum, ut in Psalmis : « Veloces pedes eorum ad (effundendum) sanguinem [11], » id est prompti sunt ministri eorum ad exercendam crudelitatem.

Pellis est motus carnis, ut in Job : « Pelle et carnibus vestisti me [12], » id est, motu et sensibus carnis circumdedisti me. *Pellis*, veritas corporis nostri, ut in Job : « Rursum circumdabor pelle mea [13], » id est, rursum apparebo in veritate corporis mei. *Pellis*, modica adversitas, ut in Job : « Pellem pro pelle [14], » et ideo hæc pauca adversa suscipit æquanimiter, quod majora pati pertimescit. *Pellis*, ipsa superficies actionis nostræ, ut in Levitico : « Sacerdos qui holocaustum, pellem habebit [15], » quod solus exterior in bono opere homini deputatur. *Pellis*, infirma mundi, ut in Job : « Nunquid implebis sagena pelle ejus [16], » quod infirma mundi hujus, qui hosti adhærebant, Dominus elegit, et ex eis Ecclesiam suam constituit. *Pelles*, sanctæ feminæ, ut in Job : « Pelli meæ consumptis carnibus [17], » id est, devotis mulieribus me circumdantibus, fugientibus discipulis, qui propriores esse videbantur, adhæsit robur passionis meæ. *Pellis*, litteralis intellectus, ut in Levitico : « Detractaque pelle hostiæ artus in frustra concident [18], » quod prædicatores sublato velamine litteræ interiora subtiliter scrutari debent. *Pellis*, mortalitas hominis, ut in Psalmis : « Extendes cœlum sicut pellem [19], » quod per ora mortalium prædicatorum sacram nobis Dominus Scripturam reseravit. *Pelles*, corpora martyrum, ut in Exodo : « De pellibus arietum rubricatis [20], » id est, de corporibus sanctorum martyrizatis. Per *pelles*, antiqui patres, ut in libris Regum : « Ambulabam in medio pellium, » quod in antiquis patribus Dominus habitabat. Per *pelles* virtutes corporales, ut in Jeremia : « Subito vastatæ sunt pelles meæ [21], » id est, repente sunt interruptæ exteriores cicatrices meæ. Per *pelles* cives cœlestes, ut in Cantico : « Sicut pelles Salomonis [22], » quod spiritualem decorem, quem cives cœlestes possident, anima devota et in præsenti ex parte habere studet. Per *pelles* reprobi, ut in cantico Habacuc : « Turbabuntur pelles terræ Madian [23], » id est, reprobi in judicio damnati punientur, quod Madian de *judicio* interpretatur.

Pellicanus est quilibet *eremita*, ut in Psalmis : « Similis factus sum pelicano [24], » id est, in solitudine ad instar illius avis commoratus.

Plectæ sunt concordiæ, ut in libris Regum : « Inter coronulas et plectas, leones et boves [25], » quod in viris sanctis cum charitate et concordia zelus est et mansuetudo.

Penna est actio exteriorum, ut in Job : « Penna struthionis similis pennis herodii [26], » quod exterior actio hypocritæ similis esse videtur actionibus viri sancti. Per *pennas* monita prophetarum, ut in Psalmis : « Sub pennis ejus fiduciam habebis [27]. » * Per *pennas*, præcepta charitatis, ut in Psalmis : « Si sumpsero pennas [28], » id est, si præcepta charitatis implere studuero. Per (*pennas*) virtutes morales, ut in Psalmis : « Pennæ columbæ [29], » id est, habebo in virtutibus vestris mansuetudinem simplicitatis, et claritatem scientiæ. Per *pennas* contemplationes sanctorum, ut in Ezechiele : « Et facies et pennæ eorum extentæ desuper [30], » quod viri sancti internæ mercedis intuitu et actioni et contemplationi insistunt.

Pennulæ sunt sancta desideria, ut in Levitico : « Omne, quod habet pennulas, comedetis [31], » quod illi in corpus electorum transeunt, qui per sancta desideria ad superna se transferunt.

Pepones sunt terrenæ dulcedines, ut in libro Numeri : « In mentem nobis venerunt cucumeres et

[1] Isa. LII, 7. [2] Matth. X, 14 ; Marc. VI, 11 ; Luc. IX, 5. [3] Job. XXX, 12. [4] Thren. I, 9. [5] Prov. I, 16. [6] Lev. I, 9. [7] Thren. I, 13. [8] Ezech. I, 7. [9] Psal. CXXXI, 7. [10] Psal. XXX, 9. [11] Psal. XIII, 3, et LIX, 7. [12] Job. X, 11. [13] Job. XIX, 26. [14] Job. II, 4, 5. [15] Lev. VII, 8. [16] Job. XL, 26. [17] Job. XIX, 20. [18] Lev. I, 6. [19] Psal. CIII, 2. [20] Exod. XXVI, 14. [21] Jer. IV, 20. [22] Cant. I, 5. [23] Hab. III, 7. [24] Psal. CI, 7. [25] III Reg. VII, 29. [26] Job. XXXIX, 16. [27] Psal. XC, 4. [28] Psal. CXXXVIII, 9. [29] Psal. LXVII, 14. [30] Ezech. I, 11. [31] Lev. XI, 9 ; Deut. XIV, 19.

Digitized by Google

pepones, » id est, carnales voluptates et terrenæ dulcedines.

Pera est onus sæculi, ut in Evangelio : « Nolite portare peram neque sacculum [1], » id est, nolite scientiam abscondere, nec sæculi onus subire. *Pera*, intellectus apostolorum, ut in libris Regum : « Immisit quinque lapides in peram pastoralem, quam habebat secum [2], » quod quinque libros Moysis commisit intellectui apostolorum. *Pera*, mens devota, ut in libris Regum : « Deferens vire Dei instrumentum novum in pera sua [3], » quod Christo afferre debemus refectionem sanctæ novitatis in devota mente nostra.

Peregrinus est Christus, ut in Job : « Et quasi peregrinus sum oculis eorum [4], » quod Christum Judæi omnino a se alienum deputaverunt. *Peregrinus*, quilibet mundum contemnens, ut in Psalmo. « Et peregrinus sicut omnes (patres mei) [5], » id est, ad instar antiquorum patrum et aliena me esse deputo, quandiu in præsenti exsilio vivo. *Peregrinus*, concupiscentia, ut in libris Regum : « Cum autem quidam peregrinus venisset ad divitem [6], » id est, cum carnis concupiscentia tentavit David Regem.

Perdix est diabolus, ut in Jeremia : « Perdix congregavit, quæ non peperit [7], » quod diabolus persuasit quos non creavit, retinuit quos non genuit.

Præda est salus electorum, ut in Genesi : « Ad prædam ascendisti, fili mi [8], » quod Christus pro electorum salute crucem ascendit. *Præda*, laus hypocritarum, ut in Job : « Tigris periit, eo quod non habuerit prædam [9], » quod hypocrita desinit, priusquam perdit laudem suam. *Præda*, animæ pravorum, ut in Job : « Prædam pollicetur sociis [10], » id est, promittit se acquirere animas pravorum consortibus suis. Per *prædam* persecutio, ut in Genesi : « Mane comedet prædam [11], quod piorum Saulus persecutioni insistebat.

Præsepe est sacra Scriptura, ut in Job : « Aut morabitur ad præsepe tuum [12], » id est, tuis viribus obediet terrenus et superbus princeps scripturæ tuæ. Per *præsepe* incarnatio Domini, ut in Isaia : « Et asinus præsepe domini sui [13], » quod populus Gentilis cognovit incarnationem redemptoris sui. *Præsepe*, beatitudo cœlestis, ut in Job : « Aut mugiet bos, cum ante præsepe steterit [14]? » quod prædicator Ecclesiæ necesse non habet gemere, cum ad plenitudinem supernæ felicitatis pervenerit. Per *præsepia* diversi ordines Ecclesiæ, ut in cantico Habacuc : « Non erit armentum in præsepibus [15], » quod vix erit in tempore illo probabilis societas in quibusdam Ecclesiæ ordinibus.

Prædones sunt raptores, ut in Job : « Abundabant A tabernacula prædonum [16], » id est, possessiones raptorum.

Pessulum est voluptas hominis, ut in Cantico : « Pessulum ostii mei aperui dilecto meo [17], » id est, voluntatem cordis mei obtuli Deo meo.

Petra est Christus, ut in Psalmis : « Percussit petram, et fluxerunt aquæ [18], » quod Judaicus populus Christum crucifixum percusserunt, et fluxerunt ab eo dona gratiæ. *Petra*, fides, ut in Exodo : « Est locus apud me, et stabis super petram [19], » id est, apud me mansionem invenies, si in soliditate fidei persistis. *Petra*, confessio fidei, ut in Evangelio : « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam [20], » id est, super hanc fidei confessionem extruam Ecclesiam meam. *Petra*, soliditas bonæ actionis, ut in B Psalmis : « Et statuit super petram [21], » id est, incitavit ad solidam actionem affectus meos. *Petra*, quilibet vir stabilis, ut in Parabolis : « Viam colubri super petram [22], » quod suggestio diaboli viro spirituali prævalere non potest. *Petra*, spiritualis fortitudo, ut in Psalmis : « In petra exaltavit me [23], » id est, in vera fortitudine erexit me. Per *petras*, sancti angeli, ut in Job : « In petris manet aquila, » quod in contemplatione sanctorum angelorum devota anima versatur. Per *petras*, viri sancti, ut in Psalmis : « De medio petrarum dabunt voces [24], » id est, de vita sanctorum patrum emittunt prædicationes. Per *petras* bona exempla, ut in Job : « Nunquid nosti tempus partus ibicum (in petris) [25]? » id est, nunquid tu scis quando sancti ex bonis exemplis C bonam debent proferre actionem? Per *petram* magnæ contemplationes, ut in libris Regum : « Super abruptissimas petras, quæ solum ibicibus perviæ sunt [27], » id est, super maximas contemplationes, quæ solum perfectis patent.

Picturæ sunt diversitates virtutum, ut in libris Regum : « Picturas varias quasi prominentes [28], » virium apparentes.

Pili sunt humilitas pœnitentium, ut in Exodo : « Fecit saga undecim de pilis caprarum [29], » quod Deus pervisorum æternorum pœnitere facit de transgressione ad instar humilium pœnitentium. *Pili*, afflictiones, ut in Evangelio : « Joannes erat vestitus de pilis cameli [30], » quod carnis afflictionem prædicabat. *Pili*, cogitationes infirmæ, ut in D Job : « Inhorruerunt pili carnis meæ [31], » id est, obstupuerunt cogitationes infirmitatis meæ. *Pili*, peccata, ut in libro Numeri Levitæ radebant omnes pilos carnis suæ [32], quod, qui obsequium divinum assumuntur, vetera peccata oportet ut a se abjiciant.

Pilosi sunt immundi spiritus, ut in Isaia : « Et pilosi saltabunt ibi [33], » quod in mente reproba im-

[1] Num. xi, 5. [2] Matth. x, 10; Marc. vi, 6; Luc. ix, 3, et x, 4. [3] I Reg. xvii, 40. [4] IV Reg. iv, 42. [5] Job xix, 15. [6] Psal. xxxviii, 13. [7] II Reg. xii, 4. [8] Jer. xvii, 11. [9] Gen. xlix, 9. [10] Job. iv, 11. [11] Job. xvii, 5. [12] Gen. xlix, 27. [13] Job xxxix, 12. [14] Isa. i, 3. [15] Job vi, 5. [16] Hab. iii, 17. [17] Job xii, 6. [18] Cant. v, 6. [19] Psal. lxxvii, 20. [20] Exod. xxxiii, 21. [21] Matth. xvi, 18. [22] Psal. xxxix, 3. [23] Prov. xxx, 19. [24] Psal. lx, 3, [25] Psal. ciii, 12. [26] Job xxxix, 4. [27] I Reg. xxiv, 3. [28] III Reg. vi, 29. [29] Exod. xxxvi, 14. [30] Matth. iii; 4, Marc. i, 6. [31] Job iv, 15. [32] Num. viii, 7. [33] Isa. xiii, 21.

Digitized by Google

mundi spiritus ejus perditioni congratulantur. *Pilosus*, quilibet superfluitate studens, ut in Genesi: « Esau pilosus, et ego lenis [1], » quod reprobi superflua diligunt, et electi superflua a se cohibere student. *Pilosus*, quilibet humilis, * atque vilis erat in.... suis et castitate corporali robóratus.

* *Pleiades* sunt electi, ut in Job: « Nunquid contingere valebis micantes stellas Pleiades [2], » id est, nunquid tu potes omnes electos Ecclesiæ in beatitudine cœlesti adjuvare?

Pinus est veritas fidei, ut in Isaia: « Ad te veniet abies et buxus [3] [et pinus simul], » quod in Ecclesia sunt et sublimes in contemplatione, et fortes in opere, et virides in fide

Primogenitum est fides, ut in Psalmis: « Et percussit omne primogenitum in Ægypto [4], » quod in mente reproborum etiam fidem * Dominus nonnunquam Dominus destrui permittit. *Primogenitum*, initium boni operis, ut in Deuteronomio: « Non operaberis in primogenito bovis [5], » id est, non confides in initio boni operis tui. *Primogenitum*, superbia, ut in Job: « Et consumat brachia illius primogenita mors [6], » quod bona aliquando opera quæ impius facit, initium omnis peccati superbia corrumpit.

Princeps est Christus, ut in Isaia: « Pater futuri sæculi, princeps pacis [7], » quod Christus illis quibus futurum gaudium præparavit, pacem hic in conscientia tribuit. *Princeps*, prælatus quilibet, ut in Isaia: « Non vocabitur is qui insipiens est princeps [8], » quod qui in se sapientiam non habet, aliis in regimine præesse non debet. *Princeps*, venter hominis, ut in Jeremia: Princeps coquorum destruit muros Jerusalem [9], » id est, venter, cui coqui magna cura deserviunt, virtutes animæ corrumpit. *Princeps*, intellectus noster, ut in Levitico: « Si peccaverit princeps [10], id est, si aberraverit intellectus in homine. *Princeps*, diabolus, ut in Evangelio: « Princeps hujus mundi in [me] non habet quidquam [11], » quod diabolus, qui reprobis dominatur, in Christo nihil invenit suum. Per *principes*, angeli, ut in Daniele: « Et ecce Michael, unus de principibus [12], » quod unus inter angelos Michael est. Per *principes* apostoli, ut in Psalmis: « Constitues eos principes super omnem terram [13], » quod apostolos Christus prælatos posuit super universam Ecclesiam. Per *principes* rectores Ecclesiæ, ut in cantico Annæ: « Erigit pauperem, ut sedeat cum principibus [14], » quod Deus exaltat humilem, ut præsit cum rectoribus Ecclesiæ. *Principes*, superbi, ut in Job: « Non * accepit personas principum [15], » id est, non honoravit personas reproborum. Per *principes*, hæretici, ut in Job: « Principes * cessabunt loqui [16], » quod Ecclesia destruit errores hæreticorum.

Piscina est populus Judæorum, ut in Evangelio: « *Piscina* porticus quinque habens [17], » id est, populus Judaicus quinque libros Moysi tenens. *Piscina*, compunctio, ut in Isaia: « Ad extremum aquæ ductus piscinæ superioris [18], » id est, ad summum intimæ compunctionis, quam format desiderium amoris. Per *piscinam* doctrinæ prædicationis, ut in Cantico: « Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon [19], » quod prædicatores sanctæ Ecclesiæ auditores ad compunctiones mœrorem excitant, quod Hesebon *cingulum mœroris* interpretatur.

Piscis est Christus, ut in Evangelio: « Obtulerunt ei partem piscis assi et favum [20], » id est, honoraverunt recte credendo et sancte vivendo sacramenta Christi passi. *Piscis*, fides, ut in Evangelio: « Nunquid pro pisce [serpentem] [21], » id est, pro fide infidelitatem « dabit illi? » *Piscis*, mors, ut in Jona: «Præparavit Deus piscem grandem, ut deglutiret Jonam [22], » quod permisit Deus Pater, ut mors crudelis invaderet Christum. *Piscis*, diabolus, ut in libro Tobiæ: « Exivit piscis immanis ad devorandum eum [23], » quod diabolus circuit quærens quem devoret. Per *pisces* homines, ut in Evangelio: « Ex omni genere piscium congreganti [24], » quod sine ulla distinctione omnes ad fidem Ecclesiæ colligit. Per *pisces* fideles, ut in Job: « Aut gurgustium piscium capite illius [25], » quod ipsos mundi principes, qui summa erant in corpore diaboli membra, Deus per fidem Ecclesiæ fecit fideles. Per *pisces* duæ istæ * peræ, sacerdotalis videlicet et regia, ut in Evangelio: « Puer qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces [26], » quod Judaicus populus sensu puerilis quinque libris Moysis ornatus, et regimine sacerdotali atque regali erat munitus. Per *pisces*, homines curiosi, ut in Psalmis: « Volucres cœli et pisces [27], » id est, elati per superbiam erecti, et curiosi, vitæ hujus profundis immersi.

Piscatores, prædicatores, ut in Jeremia: « Ecce ego mitto ad vos piscatores [28], » id est, destinabo ad vos prædicatores.

Poma sunt prophetæ, ut in Job: « Quasi naves poma portantes [29], » id est, sicut patres veteres doctrinam prophetarum habentes. *Poma*, opera bona, ut in Cantico: « Cum pomorum fructibus [30], » id est, et bonorum operum virtutibus. *Poma*, præcepta utriusque Testamenti, ut in Cantico: « Omnia poma nova et vetera, dilecta mi, servavi tibi [31], » id est, omnia præcepta, tam Veteris quam Novi Testamenti, a te instituta esse credidi. *Poma*, insignia humanitatis, ut in Cantico: « Ut viderem poma convallium [32], » id est, ut eligerem suavitatem cordis humilis. *Poma* viri sancti, ut in Cantico: « Ut co-

[1] Gen. XXVII, 11. [2] Job XXXVIII, 31. [3] Isa. LX, 13. [4] Psal. LXXVII, 51. [5] Deut. XV, 19. [6] Job XVIII, 13. [7] Isa. IX, 6. [8] Isa. XXXII, 5. [9] Jer. XXXIX, 3. [10] Lev. IV, 22. [11] Joan. XIV, 30. [12] Dan. X, 13. [13] Psal. XLIV, 17. [14] I Reg. II, 8. [15] Job XXXIV, 19. [16] Job XXIX, 9. [17] Joan. V, 2. [18] Isa. VII, 3. [19] Cant. VII, 11. [20] Luc. XXIV, 42. [21] Luc. XI, 11. [22] Jon. II, 1. [23] Tob. VI, 2. [24] Matth. XIII, 47. [25] Job XL, 26. [26] Joan. VI, 9. [27] Psal. VIII, 9. [28] Jer. XVI, 16. [29] Job IX, 26. [30] Cant. IV, 13. [31] Cant. VII, 13. [32] Cant. VI, 11

Digitized by Google

medat fructum pomorum suorum [1], » id est, ut delectetur sanctitate electorum suorum.

Pontifex est Christus, ut in Paulo : « Christus assistens pontifex futurorum bonorum [2], » quod ipse semetipsum in ara crucis offerens bona æterna redemptis contulit.

Porta est Christus, ut in Job : « Longe fient filii ejus a salute et * convertentur in porta [3], » quod synagoga populi a vera se salute elongantes veniente Christo per infidelitatem corrupti sunt. *Porta*, virgo Maria, ut in Ezechiele : « Porta hæc clausa * erat, et non aperietur [4], » quod Maria et ante partum incorrupta, et post partum mansit illæsa. *Porta*, fides, ut in Psalmis : « Cum loquetur inimicis suis in porta [5], » id est, quando disputabit cum hæreticis pro fidei defensione. *Porta*, opus justitiæ, ut in Job : « Cum procedebam ad portam * charitatis [6], » id est, quando exivi exterius ad opus justitiæ coram aliis. *Porta*, exitus ab hac vita, ut in Ezechiele [7] : Propheta intus stans oculos exterius habuit ad portam, quod electus quisque in fide Ecclesiæ vivens ad exitum suum ab hac vita desiderium suum extendere debet, ut cum Christo esse possit. Per *portas* prædicatores, ut in Isaia : « Et portas tuas in lapides sculptas [8], » quod Dominus prædicatores sanctæ Ecclesiæ bonis actibus exornat. *Portæ*, virtutes morales, ut in Psalmis : « Aperite mihi portas justitiæ [9], » id est, virtutes bonorum meorum mihi notas facite. *Portæ*, opera mala, ut in Psalmis : « Qui * exaltas me de portis mortis [10], » id est, qui liberat me de malis operibus, per quæ fit introitus ad perditionem. *Portæ*, quinque sensus corporis nostri, ut in Esdra : * « Utinam non inferrent onera per portas suas in die sabbati [11], » quod quotquot in claritate internæ quietis sumus, nec per visum admittere debemus vanitatem, nec per auditum, curiositatem; nec per olfactum, voluptatem; nec per gustum, edacitatem; nec per tactum, impuritatem. Per *portas*, consuetudines pravæ, ut in Psalmis : « Quod contrivit portas æreas [12], » id est, duras pravitatis consuetudines destruxit. Per *portas*, doctrinæ hæreticorum, ut in Evangelio : « Et portæ inferorum non prævalebunt ei [13], » quod veræ fidei confessioni doctrinæ hæreticæ resistere non possunt. Per *portas* doctores iniqui, ut in Job : « Portas vultus ejus quis aperuit [14]? » quod Dominus deceptionem impiorum doctorum Ecclesiæ suæ revelavit. Per *portam* ultimum Judicium, ut in Parabolis : « Nobilis in portis vir ejus [15], » quod in ultimo judicio apparebit sublimis Christus et gloriosus, qui hic fuit humilis et judicatus.

Porticus patres sunt antiqui, ut in libris Regum : « Porticus erat ante templum [16], » quod antequam construerctur in Gentibus, patres antiqui in Judæa erant. *Porticus*, Synagoga, ut in Evangelio : « Ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis [17], » quod Christus erat in mundo in Synagoga apud Judæos. *Portæ*, libri legales, ut in Evangelio : « Piscina quinque porticus habens [18], » id est, Synagoga quinque libris Moysis intendens.

Porri sunt mundi hujus occupationes, ut in libro Numeri : « In mentem nobis veniunt et porri, et pepones, et cucumeres [19], » quod in se admittant sæculares voluptates, et vanitates et curiositates mundialium occupationum.

Porci sunt contemptores veritatis, ut in Evangelio : « Ne mittatis margaritas vestras ante porcos [20], » id est, non participetis sacræ Scripturæ secreta contemptoribus veritatis. *Porci*, immundi spiritus, ut in Evangelio : « Misit illum in villam suam, ut pasceret porcos [21], » id est, erexit eum in superbiam, ut male vivendo pasceret immundos spiritus. *Porci*, homines mali, ut in Evangelio : « Mittite vos in gregem porcorum [22], » quod habitationem sibi eligunt dæmones in cordibus reproborum.

Procurator est Christus, ut in Evangelio : « Dixit Dominus procuratori vineæ suæ [23], » quod Christus, quem pater Ecclesiæ suæ præposuit, in fine mundi reddet unicuique juxta opus suum.

Propitiatorium est Christus, ut in Exodo : « Facies et propitiatorium de auro purissimo [24], » quod mundus natus est nobis Christus ab omni peccato.

Propugnator est Christus, ut in Isaia : « Et propugnator sit ad salutem [25], » quod, ut nos Christus salvaret, diabolum expugnavit.

Propugnacula sunt miracula, ut in Cantico : « Et ædificata est cum propugnaculis [26], » quod sanctorum miracula sacræ nobis Scriptura ostendit. *Propugnacula*, munimenta Scripturarum, ut in Cantico : « Super eum propugnacula * argentum [27], » quod Ecclesia sacra est Scripturæ munimentis roborata.

Postes sunt hominis corpus et anima, ut in Exodo : « Et ponent de sanguine agni super utrumque postem [28], » ut corpus Christi et ore sumamus et mente capiamus. *Postes*, libri Evangeliorum, ut in libris Regum : « Fecit in introitu templi postes [29], » quod ad fidem Ecclesiæ per libros Evangeliorum introitum habemus.

Potentes sunt viri sancti, in bono fortes, ut in Job : « Deus potentes non * habuit [30], » id est, viros sanctos in bono opere fortes non deserit * *potentes* de se, id est, superbos a sua dejicit electione.

Puer est Christus, ut in Isaia : « Puer parvulus minabit eos [31], » quod electos suos, ne mundo per affectum adhæreat * Christo humilis per timorem suum interius terret. *Puer*, populus Judaicus, ut in Evangelio : « Est puer unus hic [32], » id est, populus Judaicus sensu puerilis. Per *pueros* quilibet in-

[1] Cant. IV, 16. [2] Hed. IX, 11. [3] Job V, 4. [4] Ezech. XLIV, 2. [5] Psal. CXXVI, 5. [6] Job XXIX, 7. [7] Ezech. XI, 1. [8] Isa. LIV, 12. [9] Psal. CXVIII, 19. [10] Psal. IX, 14. [11] II Esd. XVII, 19. [12] Psal. CVI, 16. [13] Matth. XVI, 18. [14] Job XLI, 5. [15] Prov. XXXI, 23. [16] III Reg. VI, 3. [17] Joan. X, 23. [18] Joan. V, II. [19] Num. XI, 5. [20] Matth. VII, 6. [21] Luc. XV, 15. [22] Matth. VIII, 31. [23] Matth. XX, 8. [24] Exod. XXV, 17. [25] Isa. LXIII, 1. [26] Cant. IV, 4. [27] Cant. VIII, 9. [28] Exod. XII, 17. [29] III Reg. VI, 3. [30] Job. XXXVI, 5. [31] Isa. XI, 6. [32] Joan. VI, 9.

Digitized by Google

nocentes, ut in Psalmis : « Laudate, pueri, Dominum [1], » quod illi digne Dominum laudant qui innocentes ad instar puerorum et simplices sunt. Per pueros cœlestis patriæ cives, ut in Evangelio : « Pueri mei mecum sunt in cubili [2], » quod cives cœlestes in æterna quiete exsultant cum Domino. Per pueros Judæi, ut in libris Regum : « Et * lactaverunt ex eis quadraginta duos pueros [3], » quod, quadraginta duobus annis post passionem Domini peractis, imperatores devastaverunt Judæos.

Pullus est gentilitas, ut in Evangelio : * « Invenies asinam alligatam et pullum cum ea [4], » quod utrumque populum, Judaicum et gentilem, funibus peccatorum ligatum apostoli invenerunt. Per *pullos* apostoli, ut in Job : « Quoniam pulli ejus..... » quod apostoli gentium salutem magno affectu exoptabant. Per *pullos* homines de gentibus, ut in Psalmis : « Et pullis corvorum invocantibus eum [5]. » Per *pullos* auditores, ut in Job : « Pulli ejus lambunt sanguinem [6], » quod fideles auditores sacramenta passionis Christi fideliter credendo hauriunt.

Pulvis est fecunditas sanctitatis, ut in Cantico : « Et universi pulveris pigmentarii [7], » id est, universæ fecunditates * virtutes. Per *pulverem*, levitas mentis, ut in Evangelio : « Excutite pulverem de pedibus vestris [8], » id est, abjicite levitatem de affectibus vestris. *Pulvis*, instabilis quisque, ut in Psalmis : « Tanquam pulvis, quem projicit ventus a [facie terræ] [9], » id est, instabilis quisque quem prosternit tentationis flatus. *Pulvis*, cogitatio interna, ut in Isaia : « Sede in pulvere, filia Babylonis [10], » id est, quiesce in terrena cogitatione, o sterilis anima in confusione vitiorum consistens. *Pulvis*, desiderium sæculare, ut in Job : « Et * tum simul in pulvere dormient [11], » id est, pariter in desiderio sæculari requiescent. *Pulvis*, actio mundana, ut in Job : « Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris [12], » quod infirmi, qui sunt in Ecclesia modo vitiis immundis coinquinantur * mundanis actibus implicantur. *Pulvis*, quilibet peccator, ut in Job : « Quando fundebatur pulvis in terra [13], » quod peccator nonnunquam a mollitia sua, inspirante Deo, ad stabilitatem convertitur. *Pulvis*, infirma actio, ut in Job : « Tu forsitan in pulvere calefacies ea [14]? » quod solus Deus subjectos in conversatione infima neglecte a malo prælato derelictos cœlesti valet amore inflammare. *Pulvis*, spiritualis infirmitas, ut in Jeremia : « Ponet in pulvere os suum [15], » id est, spiritualiter confitebitur infirmitatem suam. *Pulvis*, interna discretio, ut in Exodo : « Cumque in tenuissimum pulverem universa * confuderit [16], » id est, cum omnia, quæ agis, in subtilissimam discretionem distinxeris. *Pulvis*, fragilitas hominis, ut in Psalmis : « Et in pulverem suum revertentur [17], » id est, tolles ab eis spiritum superbiæ, et ad se humiliandum fragilitatem suam attendent. *Pulvis*, putredo humani generis per mortem, ut in Job : « Sicut lutum fecisti me [18], » id est, de terra fecisti corpus meum, *et in* * *putredinem* post mortem rediges illud.

Pulvillus est adulatio, ut in Ezechiele : « Qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus [19], » id est, qui componit adulationes in omni operationis perfectione.

Plumbum est Synagoga, ut in Job : « Et plumbi lamina vel certe [20], » quod in Synagoga * octo verba Dei susceperunt, et cito abjecerunt; et gentes tarde receperunt, et diu retinuerunt. *Plumbum*, pondus peccati, ut in Zacharia : « Ecce talentum plumbi portabatur [21], » id est, magnitudo peccati angebatur. *Plumbum*, diabolus, ut in Exodo : « Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus [22], » quod sicut diabolus cecidit, et sic reprobi, qui ejus membra sunt, in pœnas infernales ruunt.

Pluvia est sancta prædicatio, ut in Job : « Quis est pluviæ pater [23]? » Deus videlicet, qui per inspirationem suam prædicationem doctoribus infundit. *Pluvia*, interna gratia, ut in Psalmis : « Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ [24], » id est, gratuitam gratiam infundes electis. Huic *pluvia*, tentatio, ut in Evangelio : Descendit pluvia, venerunt et flumina [25], » id est, affluit tentatio illius et persecutio.

Punctus est brevitas hujus vitæ, ut in Job : « Et gaudium hypocritæ ad instar puncti [26], » quod præsentis vitæ gaudium stabile non est. *Punctus*, festinantia, ut in Job : « Et in puncto ad inferna descendunt [27], » quod festinanter sine omni mora ad inferna reprobi descendunt.

Pupilla est Christus, ut in Psalmis : « Ut pupillam oculi [28], » id est, custodi me, o Deus Pater, quasi membrum Filii tui. *Pupilla*, electi, ut in Propheta : « Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei [29], » id est, sicut membrum illud tenerum est, ita tenere diligo vos, electos meos.

Pupillus est quilibet humilis, ut in Psalmis : « Pupillo tuo esto adjutor, » id est, humilem adjuvabis. Per *pupillos* infirmi qui sunt in Ecclesia, ut in Job : « Asinum pupillorum abegerunt [30], » quod hæretici simplicem doctorem infirmorum decipere studeant.

Purpura est passio Christi, ut in Cantico : « Comæ capitis tui, ut purpura regis [31], » id est, cogitationes mentis tuæ assidue versantur in passione Redemptoris. *Purpura*, fulgor castitatis, ut in Exodo

[1] Psal. CXII, 1. [2] Luc. XI, 7. [3] IV Reg. II, 22. [4] Matth. XXI, 2. [5] Ps. XLVI, 9. [6] Job XXXIX, 33. [7] Cant. III, 6. [8] Matth. X, 14; Mar. VI, 11; Luc. IX, 5. [9] Psal. I, 4. [10] Isa. XLVII, 1. [11] Job XX, 11. [12] Job VII, 5. [13] Job XXXVIII, 38. [14] Job XXXIX, 17. [15] Thren. III, 29. [16] Exod. XXX, 36. [17] Psal. CIII, 29. [18] Job X, 9. [19] Ezech. XIII, 18. [20] Job XIX, 24. [21] Zach. V, 7. [22] Exod. XV, 10. [23] Job XXXVIII, 28. [24] Ps. LXVII, 10. [25] Matth. VII, 25, 27. [26] Job XX, 5. [27] Job XXI, 13. [28] Ps. XVI, 8. [29] Zach. II, 8. [30] Job XXIV 3. [31] Cant. VII, 5.

Digitized by Google

« Et æs, et hyacinthum et purpuram [1], » id est, sonoram prædicationem, et mundam actionem, et nitidam castitatem. *Purpura*, superbia, ut in Evangelio : « Induebatur purpura et bysso [2], » quod hujus mundi amatores et decorem amant elationis, et mollitiem libidinis.

Pruina est pulchritudo cœlestis, ut in Exodo : « In similitudine super terram [3], » quod spiritualis verbi decor supernæ pulchritudini in aliquo similis est. *Pruina*, temporalis adversitas, ut in Job : « Qui timent pruinam, irruet super eos nix [4], » quod qui temporaliter pro Domino affligi recusant æterna ultione feriuntur. *Pruina*, maturitas religionis, ut in Psalmis : « Factus sum sicut uter in pruina [5], » id est, mortificatus sum in maturitate religionis.

Prunæ sunt corda pravorum, ut in Job : « Halitus ejus prunas ardere facit [6], » quod suggestio diaboli mentes pravorum per cupiditatem inflammat. *Prunæ*, consolationes sæculares, ut in Evangelio : « Stabant autem ad prunas, quod frigus erat, et calefaciebant se [7], » quod mundi hujus amatores, quando adversitates patiuntur, ad consolationes sæculares concurrunt.

Puteum est secretum contemplationis, ut in Cantico : « Fons hortorum, puteus aquarum viventium [8], » quod sancta Ecclesia fecunditatem habet bonorum operum, et secretum contemplationum vitalium. *Puteus*, sacra Scriptura, ut in Genesi : « Videt puteum in agro, tresque greges ovium accubentes juxta eum [9], » id est, intuitus est sacram Scripturam in Ecclesia, tresque ordines fidelium intentos ad eum. *Puteus*, secretum cordis, ut in Genesi : « Isaac fodit puteum [10], » quod sanctus quilibet secretum conscientiæ suæ sollicite rimatur. *Puteus*, hæreticus quilibet, ut in Apocalypsi : « Obscuratus est sol et aer de fumo putei [11], » id est, concussa est fides et sancta Ecclesia per errorem hæretici. *Puteus*, mortalitas nostra, ut in Evangelio : « Neque in quo haurias habes, et puteus altus est [12], » quod in natura mortalitatis assumptæ peccatum non fecit Christus, et sublimitate sanctitatis honorata fuit in eo mortalitas nostra. *Puteus*, profunditas vitiorum, ut in Psalmis : « Neque urgeat super me puteus os suum [13], » id est, dominetur mihi profunditas vitiorum, ut in Psalmis : « Deduces eos in puteum interitus, » id est, demerges eos in profunditatem æternæ perditionis.

Q

Quadrigæ. Quercus. Quadrans.

Quadrigæ sunt apostoli, ut in cantico Habacuc : « Et quadrigæ tuæ salvatio [14], » quod apostoli, qui ad Christum per mundum veniebant, populum per fidem salvabant. *Quadrigæ*, sancti doctores, ut in Cantico : « Propter quadrigas Aminadab [15], » spontaneus populus interpretatur.

Quercus est duritia desperationis, ut in libris Regum : « Adhæsit caput ejus quercui [16], » id est, mens ejus perseveravit in duritia desperationis. *Quercus*, sterilitas mentis, ut in Isaia : « Cum fueritis velut quercus defluentibus foliis [17], » id est, cum fueritis steriles in mente, deficientibus et exterioribus bonis. *Quercus*, luxuriosi, ut in Isaia : « Et super omnes quercus Basan [18], » quod auctores turpitudinis Deus condemnabit, quod Basan, ut dicunt, *turpitudo* interpretatur.

Quadrans est quadripartita sacræ Scripturæ intelligentia, ut in Evangelio : « Misit duo minuta, quod est quadrans [19]; » quod sancta Ecclesia duo honorat Testamenta, in quibus quadripartita est intelligentia : historica, allegorica, tropologica, et anagogica. *Quadrans*, minuta peccata, ut in Evangelio : « Donec reddas novissimum quadrantem [20], » id est, pro minutis et ultimis peccatis puniaris.

R

Radix.	*Risus*	*Rivi.*
Reclinatorium.	*Regulus.*	*Rota.*
Reptilia.	*Rhamnus.*	*Ranæ.*
Rationale.	*Ros.*	*Rubor.*
Rubigo.	*Resticula.*	*Retributio.*
Rubus.	*Rivulus.*	*Regimen.*
Rhinoceros.	*Rete.*	*Rupes.*
Regula.	*Rex.*	*Rex.*
Ramus.	*Rugitus.*	

Radix est Christus, ut in Isaia : « Radix Jesse, qui stas in signum populorum [21], » id est, Christus, qui de stirpe Jesse natus, qui populo suo æternam tribuit salutem. *Radix*, incarnatio Christi, ut in Job : « Radix mea aperta est secus aquas [22], » quod mysterium incarnationis fidelibus revelatum est. *Radix*, sancta prædicatio, ut in Job : « Si senuerit [in] terra radix ejus [23], » id est, si viluerit apud reprobos prædicatio ejus. *Radix*, anima hominis, ut in Psalmis : « Et radicem tuam de terra [viventium [24]], » id est, animam tuam de habitatione cœlestium. *Radix*, progenies pravorum, ut in Evangelio : « Securis ad radicem arboris posita est [25], » id est, summa reprobationis in filiis Judæorum impleta est. *Radix*, intentio, ut in Isaia : « Mittet radicem deorsum, et faciet fructum * suum [26], » id est, bonam * actionem exhibebit in occulto, et bonam ostendet actionem in publico. *Radix*, suggestio hominis, ut in Isaia; « De radice colubri egredietur regulus [27], » id est, de suggestione diaboli procedit concupiscentia. Per *radicem* fideles, ut in Psalmis : « Plantasti radices ejus, et implevit terram [28], » quod Deus fideles Ecclesiæ vocavit, et ipsa usque ad fines terræ multiplicata est. Per *radices* bonæ * notiones, ut in Job :

[1] Exod. xxv, 4. [2] Luc. xvi, 19. [3] Exod. xvi, 14. [4] Job vi, 16. [5] Psal. cxviii, 83. [6] Job xli, 12. [7] Joan. xviii, 18. [8] Cant. iv, 15. [9] Gen. xxix, 2. [10] Gen. xxvi, 18-22. [11] Apoc. ix, 2. [12] Joan. iv, 11. [13] Ps. lxviii, 16. [14] Habac. iii, 8. [15] Cant. vi, 11. [16] II Reg. xviii, 9. [17] Isa. i, 30. [18] Isa. ii, 13. [19] Marc. xii, 42. [20] Matth. v, 26. [21] Isa. i, 10. [22] Job xxix, 19. [23] Job xiv. 8. [24] Psal. li, 7. [25] Matth. iii, 10. [26] Isa. xxxvii 31. [27] Isa. xiv, 29. [28] Ps. lxxiv, 10.

Digitized by Google

« Deorsum radices ejus siccentur [1], » id est, * intimis bonæ, quas habet cogitationes humore gratiæ priventur.

Ramus est affectus bonus, ut in Genesi : « Portans ramum olivæ * defluentibus foliis [2], » quod sancta anima ad quietam mentem affectum bonum defert in cogitationibus mundis. *Ramus*, voluptas carnis, ut in Ezechiele : « Ecce applicant ramum ad nares suas [3], » quod reprobi in voluntate carnis delectantur. Per *ramos* doctrinæ sacræ, ut in Evangelio : « Ut veniant volucres cœli, et habitent in ramis ejus [4], » quod vocante Deo superbi hujus mundi veniunt ad fidem, et requiescunt in sacris ejus doctrinis. Per *ramos* bona opera, ut in Job. « Et rami ejus pullulant [5], » id est, bona opera ejus apparent. Per *ramos* sacræ Scripturæ, ut in Evangelio : « Cædebant ramos de arboribus [6], » id est, accipiebant sacras sententias a Patribus sanctis. Per *ramos* homines pravi, ut in Job : « Ramos ejus arefaciet flamma [7], » quod homines pravos vastabit damnatio æterna.

Rhamnus est Antichristus, ut in libro Judicum : « Egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani [8], » quod crudelitas exibit de Antichristo, et interficiet sublimes viros Ecclesiæ. *Rhamnus*, delectatio peccati, ut in Psalmis : « Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum [9], » id est, priusquam punctiones vestræ perveniant ad delectationem peccati.

Ranæ sunt hæretici, ut in Psalmis : « Dedit terra eorum ranas [10], » quod conventicula cæcorum et ignorantium loquaces proferunt hæreticos et immundos.

Rapina est præsumptio, ut in Paulo : « Non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo [11], » id est, non erat præsumptio quod dixit se æqualitatem habere cum Deo, quod naturaliter æqualis est Filius Patri.

Rationale est interna munditia, ut in Exodo : « Rationale oportet esse pectus sacerdotis, [12] » id est, pura ratio ornabit mentem sacerdotis.

Rex est Deus Pater, ut in Evangelio : « Regi, qui fecit nuptias filio suo [13], » id est, Deo Patri, qui Ecclesiam conjunxit Christo. *Rex*, Christus, ut in Job : « Cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen morientium consolator [14], » quod Christus, quamvis super beatos regnet in cœlo, consolatur tamen per spem veniæ pœnitentes in terra. *Rex*, Spiritus sanctus, ut in Parabolis : « Rex, qui sedet in solio suo, dissipat omne malum intuitu suo [15], » quod Spiritus sanctus in viro sancto destruit in mente hominis peccatum inspiratione sua. *Rex*, sancta Trinitas, ut in Isaia : « Regem in decore suo videbunt oculi ejus [16], » quod sanctam Trinitatem * interna gloria sua contemplabuntur electi. *Rex*, præ- A dicator, ut in Parabolis : « Regem locusta non habet [17], » quod * Antichristi adventum, prædicatorem gentilitas non habuit. *Rex*, vir quilibet sanctus, ut in Psalmis : « In virtute tua lætabitur Rex [18], » quod scit vir sanctus non ex sua esse virtute, sed ex divina, quod in se vitiorum tyrannidem quasi rex fortis potenter premit. *Rex*, quilibet iniquus, ut in Job : « Sicut regem, qui præparatur ad prælium [19], » sic iniquus quilibet qui se parat per superbiam resistere Deo. *Rex*, peccatum, ut in Job : « Et calcet super eum, quasi rex, interitus [20], » quod pravum quemlibet sine ulla contradictione premit peccatum, quod eum ad mortem perducet æternam. *Rex*, diabolus, ut in Job : « Ipse est rex super omnes filios superbiæ [21], » quod sub dominio diaboli sunt quicunque contra B Deum et proximum superbiunt. Per *reges* angeli, ut in Job : « Cum regibus et consulibus terræ [22], » quod, si homo non peccasset, requiesceret cum angelis, qui cum Deo regnant in cœlo, et nobis * consultum præbent in terra. Per *reges*, prælati, ut in Psalmis : « Et nunc, reges, intelligite [23], » id est, per intellectum considerate sollicite, o prælati, qualiter vestros regere debeatis subjectos. Per *reges* viri sancti, ut in Job : « Et reges in solio collocat in perpetuum [24], » quod qui illicitis in se motibus * resistendo bene semetipsos in præsenti regunt, cum Domino in perpetuum regnabunt. Per *reges* sensus interni, ut in Parabolis : « Noli regibus dare vinum [25], » id est, ne permittas rationales sensus tuos carnis voluptate fatuari. Per *reges*, qui de castitate superbiunt, ut in Job : « Balteum regum dissolvit [26], » C quod in illis, qui de castitate inaniter gloriantur, pudicitiæ * ejus cingulum strangi nonnunquam permittit. Per *reges* quilibet superbus, ut in Apocalypsi : « Et procedunt ad reges totius terræ, * præparare eos in prælium [27], » quod exemit spiritus immundos per suggestionem ad electos hujus sæculi, ut excitent eos ad contradictionem divinorum præceptorum. Per *reges*, sensus corporales, ut in libro Josue : « Ponite pedes vestros super colla regum istorum [28], » quod sensibus in se corporalibus viri * per puritatem internorum affectuum suorum dominantur.

Regina est sancta Ecclesia, ut in Psalmis : « Astitit regina a dextris tuis [29], » quod sancta Ecclesia, in vitæ rectitudine consistens, a Christo est electa. *Regina*, D superbia mundi hujus, ut in Apocalypsi : « Sedeo regina [30], » quod secure vacant superbiæ amatores mundi hujus. Per *reginas* animæ devotæ, ut in Cantico : « Reginæ laudaverunt eam [31], » quod animæ devotæ venerantur Ecclesiam sanctam in matrem suam.

Regnum est patria cœlestis, ut in Evangelio : « Beatus est qui manducat panem in regno cœlorum [32], » id est, felix est qui pertingit ad illam suavitatis dulcedinem quæ est in patria civium beatorum. *Regnum*,

[1] Job XVIII, 16. [2] Gen. VIII, 11. [3] Ezech. VIII, 17. [4] Matth. XIII, 32. [5] Job XIV, 7. [6] Matth. XXI, 8. [7] Job XV, 30. [8] Jud. IX, 15. [9] Ps. LVI, 10. [10] Psal. CIV, 30. [11] Phil. II, 6. [12] Exod. XXVIII, 4, 15, 22, 23, 26, 28, 29, 30, etc. [13] Matth. II, 2. [14] Job XXIX, 1. [15] Prov. XX, 8. [16] Isa. XXXIII. [17] Prov. XXX, 27. [18] Psal. XX. [19] Job XV, 24. [20] Job XVIII, 14. [21] Job XLI, 23. [22] Job III, 14. [23] Ps. II, 10. [24] Job XXXVI, 7. [25] Prov. XXXI 4. [26] Job XII, 18. [27] Apoc. XVI, 14. [28] Jos. X, 24. [29] Psal. XLIV, 10 [30] Apoc. XVIII, 7. [31] Cant. VI, 8. [32] Luc. XIV,

Digitized by Google

præsens Ecclesia, ut in Evangelio : « Et colligent de regno ejus omnia scandala [1], » quod omnes hæreticorum errores sancti doctores destruunt in Ecclesia. *Regnum*, sacra Scriptura, ut in Evangelio : « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus [2], » quod auferetur a Judæis spiritualis sacræ Scripturæ intellectus, et datur populo gentili, qui et eam sane intelligunt et secundum eam sancte vivunt. *Regnum*, mens sancta, ut in Evangelio : « Regnum Dei intra vos est [3], » quod in mente devota Deus regnat. Per *regnum*, diversi ordines fidelium, ut in Psalmis : « Regna terræ, cantate Deo [4], » id est, diversi ordines fidelium sanctæ Ecclesiæ, laudate Deum.

Regula est eloquentia philosophorum, ut in libro Josue : « Pallium coccineum, valde bonum, et regulam auream [5], » quod mundi hujus amatores superbam et inanem approbant eloquentiam.

Regulus, concupiscentia, ut in Isaia : « De radice colubri egredietur regulus [6], » quod de suggestione diaboli procedit illicitus concupiscentiæ motus. *Regulus*, Antichristus, ut in Isaia : « In caverna reguli mittet manum suam [7], » quod pravam aliquando mentem, quæ est habitatio diaboli, Dominus per gratiam suam visitat.

Reclinatorium est quies interna, ut in Cantico : « Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum [8], quod Ecclesiæ prædicatores fortes et clari sunt, et qui in sancta quiete vivunt sapientiæ claritate fulgescunt.

Renes sunt opera libidinis, ut in Psalmis : « Et renes mei commutati sunt [9], » id est, opera in me libidinis in actionem castitatis mutata sunt. *Renes*, opera genitalia, ut in Job : « Et lumbos ejus præcinget renes eorum [10], » quod peccatum damnati permittit Dominus in membris genitalibus superborum. *Renes*, delectatio carnis, ut in Psalmis : « Ure renes meos et cor meum [11], » id est, exstingue in carne mea delectationem, et in corde purifica cogitationem.

Reptilia sunt immundi spiritus, ut in Psalmis : « Illic reptilia, quorum non est numerus [12], » quod innumerabiles sunt hostes nostri, qui nos in præsenti tentant. *Reptilia*, cogitationes terrenæ, ut in Ezechiele : « Et omnis similitudo reptilium [13], » quod in prava mente ad appetitum terrenorum proclives sunt cogitationes.

Rete est Ecclesia in exsilio, ut in Evangelio : « Rumpebatur autem rete eorum [14], » quod tot nunc in sanctam Ecclesiam intrant, ut eam hæresibus scindant. *Rete*, Ecclesia in regno, ut in Evangelio : Mittite in dexteram navigii rete [15], » quod sancta Ecclesia, quando in regno erat, de sinistro opere nihil habebat. *Rete*, peccatum, ut in Job : « Immisit in rete pedes suos [16], » id est, posuit in peccatum affectus suos.

Resticula sunt præcepta Dei, ut in libro Regum : « Resticula triginta cubitorum ambiebat mare [17], » quod præcepta divina sanctæ Trinitatis fidem prædicentia exornant baptismum.

Retributio est quadrifaria, prima cum bona retribuuntur pro bonis, secunda cum mala redduntur pro malis, tertia cum mala pro bonis, quarta cum bona pro malis; prima et secunda justitiæ, tertia nequitiæ, quarta gloriæ ; qui bona tribuit pro bonis, bonus est ; qui non tribuit mala pro malis, melior; qui non tribuit bona pro malis, malus, qui tribuit mala pro malis, pejor ; qui tribuit bona pro malis, optimus ; qui tribuit mala pro bonis, pessimus.

Risus est spirituale gaudium, ut in Genesi : « Risum fecit mihi Dominus [18], » id est, spirituale mihi gaudium contulit Deus. *Risus*, lætitia mundi, ut in Proverbiis : « Risus dolori miscebitur [19], » quod mundi hujus lætitia in mœrorem terminabitur. *Risus*, gaudium cœleste, ut in Job : « Donec impleatur risu os tuum [20], » id est, donec impleatur cœlesti gaudio cor tuum.

Rivi sunt prædicatores, ut in Psalmis : « Rivos ejus inebria, multiplica genimina [ejus] [21], » id est, prædicatores Ecclesiæ gratia tua adimple, ut merito populus in numero s. a. *Rivi*, populi fideles, ut in Isaia : « Rivi latissimi et potentes [22], » id est, fideles populi cor suum fidei aperientes.

Rivuli sunt dona Spiritus sancti, ut in Job : « Non videat rivulos fluminis [23], id est, non sit dignus accipere dona Spiritus sancti. *Rivuli* sententiæ sacræ Scripturæ, ut in Cantico : « Columbæ super rivos aquarum [24], » id est, simplicitates animæ intendentes sententiis Scripturarum.

Ros est superna contemplatio, ut in Genesi : « Det tibi Deus de rore cœli [25]. » *Ros*, Dei gratia, ut in Job : « Et ros morabitur in messione mea [26], » id est, gratia Dei perseverabit in operatione mea. *Ros*, plenitudo sanctitatis, ut in libro Judicum : « Ros sit in solo vellere [27], » quod præ cunctis plenitudo erat sanctitatis in Maria virgine. *Ros*, infidelitas, ut in Cantico : « Caput meum plenum est rore [28], » id est, prædica verbum, o amica fidelis; quod male sentiunt quidam de divinitate sua.

Rosa est cœtus martyrum, ut in libro Ecclesiastici : « Quasi palma rosæ in Jericho [29], » id est, perseverantia in mundo : quod *Jerosolymam* interpretatur, et instabilitatem hujus mundi designat. Per *rosas* delectationes vitæ præsentis, ut in libro Sapientiæ : « Coronemus nos rosis, antequam marcescant [30] ; » id est, satiemus nos amœnis hujus sæculi voluptatibus, et voluptuosis ejus amœnitatibus, priusquam deficiant.

[1] Matth. XIII, 4. [2] Matth. XX, 43. [3] Luc. XVII, 2. [4] Ps. LXVII, 33. [5] Jos. VII, 21. [6] Isa. XIV, 29. [7] Isa. XI 8. [8] Cant. III, 10. [9] Psal. LXII, 1. [10] Job I, 18. [11] Psal. XXV, 2. [12] Psal. CIII, 25. [13] Ezech. VIII, 10. [14] Luc. V, 6. [15] Joan. XXI, 6. [16] Job XVIII, 8. [17] III Reg. VII, 23. [18] Gen. XXI, 6. [19] Prov. XIV, 13. [20] Job VIII, 21. [21] Psal. LXIV, 11. [22] Isa. XXXIII, 21. [23] Job XX, 17. [24] Cant. V, 12. [25] Gen. XXVII, 28. [26] Job XXIX, 19. [27] Jud. VI, 37. [28] Cant. V, 2. [29] Eccli. XXIV. 18. [30] Sap. II, 8.

Digitized by Google

Rota est Vetus et Novum Testamentum, ut in Ezechiele * : « Rota in medio rotæ [1], » id est, Novum Testamentum in Veteri præsignatum. *Rota*, mundus iste, ut in Psalmo : « Vox tonitrui tui in rota [2], » quod vox divinæ comminationis per prædicatores sonat in mundo. *Rota*, conversatio reproborum, ut in Psalmis : « Pone illos ut rotam [3], » quod reprobi in posterioribus puniendi ruunt. Per *rotam* prædicatores, ut in Daniele : « Rota ejus ignis accensus [4], » quod sancti prædicatores divino sunt amore inflammati.

Rubor est passio Christi, ut in Cantico : « Dilectus meus candidus et rubicundus [5], » quod qui candet in gloria Deitatis, rubet in angustia passionis. *Rubor*, desiderium cœleste, ut in Jeremia : « Rubicundiores ebore antiquo [6], » id est, majus habentes desiderium quam quidam ex patribus antiquis.

Rubus est virgo Maria, ut in Exodo : « Quod rubus arderet, et non * comburebatur [7], » quod Christum Maria concepit et peperit, nec corrupta in conceptu, nec læsa fuit in partu.

Rubigo est iracundia, ut in Joele, « Residuum erucæ comedit * ærugo [8], » quod mentem reprobam, quando cessat inficere gula, furoris vexat insania. *Rubigo*, malitia, ut in propheta : « Et non exivit ab ea nimia rubigo [9], » id est, non cessavit maxima malitia ejus.

Rugitus est planctus pœnitentis, ut in Job : Et quasi inundantis aquæ, sic rugitus meus [10], » id est, sicut doleo in cogitatione cordis, sic plango in locutione oris. *Rugitus*, suggestio diaboli, ut in Job : « Rugitus leonis, et vox leænæ [11], » id est, suggestio hostis, et motus concupiscentiæ. *Rugitus*, sævitia diaboli, ut in Epistola Petri : « Tanquam leo rugiens [12], » quod diabolus crudeliter sæviens circuit quærens quem devoret. Per *rugitum* sollicitudines prælatorum, ut in Job : « Incurvantur cervæ ad fetum, et pariunt, et rugitus emittunt [13], » quod prædicatores sancti se humiliant, ut alios prædicando attrahant, et subjectis spirituales sollicitudines impendant.*

Ruga est perfidia, ut in Paulo : « Non habentem maculam aut rugam [14], » quod Ecclesia catholica nec maculam malitiæ, nec rugam novit perfidiæ. Per *rugam* simulati quique, ut in * Genesi : « Rugæ meæ testimonium dicunt contra me [15], » id est, illi qui me ficte amant in prosperis, resistunt mihi in adversis

Rupes sunt sancti angeli, ut in Job : « Et inaccessis rupibus [16], » quod devota anima per desideria gaudium contemplatur angelorum, ad quos per spiritum necdum accedere valet. *Rupes*, prædicatores, ut in Job : « Transferuntur rupes de loco suo [17], » quod prædicatores sancti Judæam deserentes ad gentes transmigrabant. *Rupes*, potentes sæculi, ut in Jeremia : « Onagri steterunt in rupibus [18], » quod Judæi * innitebantur sæculi potentibus. *Rupes*, quilibet indurati, ut in Ezechiele : « Hæc dicit Dominus rupibus et vallibus [19], » quod Dominus aliquando sicut humiles, sic quoque per internæ inspirationis suæ locutionem visitat induratos.

S

Sabbatum.	*Saga.*	*Spiritus.*
Spicæ.	* *Silla.*	*Sentes.*
Senectus.	*Specus.*	*Scabies.*
Scapula.	*Sal.*	* *Stilio.*
Sitis.	*Solitudo.*	*Speculum.*
Spelunca	*Stellio.*	*Sagena.*
Sagittarius.	*Sanguis.*	*Sol.*
Stillicidia.	*Stola.*	*Serpens.*
Species.	*Sternutatio.*	*Silices.*
Salsugo.	*Stabulum.*	*Spolia.*
Somnus.	*Sphærulæ.*	*Stercus.*
Stella.	*Sagitta.*	*Sculptura.*
Sanies.	*Socrus.*	*Silva.*
Scorpio.	*Servus.*	*Statura.*
Sibilus.	*Saliunca.*	*Superhumerale.*
Stactes.	*Sonus.*	*Sindo.*
Signaculum.	*Sterilis.*	*Sindo.*
Siliqua.	*Squamæ.*	*Segor.*
Sunamitis.	*Soror.*	*Sacerdos.*
Superbus.	*Sycomorus.*	*Spina.*
Succus.	*Stagnum.*	*Senatores.*
Semen.	*Sulphur.*	*Scarabæus.*
Saccus.	*Silex.*	*Stipula.*
Sartago.	*Saxum.*	*Sapphirus.*
Subula.	*Superbia.*	*Solium.*
Stamen.	*Sinistra.*	*Serra.*
Sulci.	*Semita.*	* *Salterium.*
Similago.	*Sacculus.*	*Sparte.*
Securis.	*Scirpus.*	*Sterquilinium.*
Sus.	*Sedes.*	*Sardonicus.*
Scintillæ.	*Sepis.*	*Serenum.*
Senex.	*Scabellum.*	*Sudes.*
Stata.	* *Structio.*	*Statera.*
Sirene.	*Stylus.*	*Symphonia.*
Sepulcrum.	*Speculator.*	

Sabbatum est quies mentis et quies æternitatis, ut in Isaia : « Erit sabbatum ex sabbato [20], » quod qui . . . . quiescit in mente ab iniquitate, * quiescit postmodum in æterna felicitate. Per *Sabbatum* torpor et negligentia, ut in Jeremia : « Et deriserunt sabbata ejus [21], » quod maligni spiritus, quosquos negligenter et desidiose vident contorpescere ab utili opere, immunda quædam circumferre faciunt per affectum in cogitatione. Per *Sabbatum* opera sanctitatis, ut in Levitico : « Sabbata mea custodite [22], » id est, opera sanctitatis, in quibus ego quiesco, * exercite.

Sacerdos est Christus, ut in Psalmis : « Tu es sacerdos in æternum [23], » quod Christus semetipsum in arca crucis obtulit pro nobis. *Sacerdos*, ipsa ratio nostra, ut in Levitico : « Si sacerdos, qui * mentitus est, peccaverit [24] ; » id est, si sensus rationalis, qui et per intellectum illuminatus, et per affectum est purificatus deviaverit. Per *sacerdotes* prælati pravi, ut in Job : « Ducit sacerdotes *

[1] Ezech. I, 16. [2] Psal. LXXVI, 19. [3] Psal. LXXXIII, 14. [4] Dan. VII, 9. [5] Cant. V, 10. [6] Thren. IV, 7. [7] Exod. III, 2. [8] Joel. I, 4. [9] Ezech. XXIV, 12. [10] Job III, 24. [11] Job IV, 10. [12] I Petr. V, 8. [13] Job XXXIX, 6. [14] Eph. V, 27. [15] Job XVI, 8. [16] Job XXXIX, 31. [17] Job XVIII, 4. [18] Jer. XIV, 6. [19] Ezech. VI, 3. [20] Isa. LXVI, 23. [21] Thren. I, 7. [22] Lev. XIX, 3, 30. [23] Psal. CIX, 4. [24] Lev. III.

Digitized by Google

ingloriosos [1], » quod prælatos æternâ non remunerat gloria qui in utilitate subjectorum non gloriantur.

Saccus est pœnitentia, ut in Job : « Saccum consui super cutem [2], » id est, per pœnitentiæ asperitatem castigavi mollitiem meam. *Saccus*, mortalitas nostra, ut in Psalmis : « Conscidisti saccum meum, et circumdasti me lætitia [3], » id est, rupisti mortalitatem meam, et vestisti me gloria immortalitatis. *Saccus*, mens hominis, ut in Genesi : « Invenit * sciphum in sacco Benjamin [4], » quod sapientia Christi requievit in corde * apostoli.

Sacculus est animus negligens, ut in * lege : « Misit eas in sacculum pertusum [5], » quod animus negligens bonum, quod modo acquirit, statim amittit. *Sacculus*, cor pœnitentis, ut in Job : « Signasti quasi in sacculo delicta mea [6], » id est, inspirasti mihi ut pœnitendo circumferrem in mentem meam peccata mea.

Scala est charitas, ut in Genesi : « Scalam stantem super terram et cacumen ejus tangens cœlos [7], » quod charitas nos et per compassionem sociat proximo, et per desiderium copulat proximo.

Scapula est exercitium boni operis, ut in Genesi : « Deposuit hydriam * suam super scapulam suam [8], » quod vocata ad Christum Ecclesia de gentibus, quæ prius Christum sapuit, ad humilitatem bonæ actionis humiliter deflexit. Per *scapulam* defensiones, ut in Psalmis : « Scapulis suis obumbrabit tibi [9], » id est, protectionibus suis defendet te Christus.

Scarabæus est Christus, ut in Propheta : « Scarabæus de ligno creavit, » quod in vilitate carnis nostræ apparens Christus in cruce suspensus fuit.

Scabies est luxuria, ut in Levitico : « Si jugem habens scabiem [10], » quod qui assidue luxuria polluitur, ad altare Domini accedere prohibetur. *Scabies* est macula cordis, ut in Levitico : « Mundabit eum, quod scabies est [11], » id est, facile purificabitur, qui solummodo in mente polluitur.

Scabellum est sacramentum incarnationis, ut in Psalmis : « Adorate scabellum pedum ejus [12], » id est, honorate sacramentum humanitatis, quo terram nostræ mortalitatis tetigit. *Scabellum* quilibet in bona actione serviens Deo, ut in Isaia : « Cœlum mihi sedes, et terra scabellum pedum meorum [13], » id est, in contemplativis requiesco, et in activis per bona opera maneo.

Saga sunt rectores Ecclesiæ, ut in Exodo : « Fecit et saga undecim de pilis caprarum [14], » quod rectores sancti, quidquid in se per occupationes suas transgressionis sentiunt, totum pœnitendo corrigere studeant.

Sagittarius est quilibet prædicator, ut in Job : « Non fugabit eum vir sagittarius [15], » quod per se sine adjutorio Dei a mente hominis diabolum ejicere non potest prædicator.

Sagitta est sermo Dei, ut in libro Regum : « Sagitta Jonathæ * reversa est retrorsum [16], » quod verbum Domini non revertetur ad eum vacuum, sed faciet quæcunque voluerit. *Sagitta*, animadversio Domini, ut in libro Regum : « Sagitta salutis Domini contra Syriam [17], » id est, ad salutem tuam et populi Israel Dominus feriet Syriam per animadversionem suam. *Sagitta*, manifesta persecutio, ut in Psalmis : « A sagitta volante [18], » id est, ab adversitate in manifesto feriente. Per *sagittas* verba prædicationis, ut in Psalmis : « Sagittæ potentis acutæ [19], » id est, sermones Conditoris sublimes. Per *sagittas* vindictæ Domini, ut in Cantico Deuteronomii : « Et sagittas meas [20], » id est, vindictas meas « complebo in eis » Per *sagittas* afflictiones, ut in Psalmis : « Dentes eorum, arma et sagittæ [21], » id est, verba eorum me feriunt et affligunt. Per *sagittas* præcepta Domini, ut in Cantico Habacuc : « In luce sagittarum tuarum [22], » id est, in claritate præceptorum tuorum in hac vita incedunt. Per *sagittas* comminationes Dei, ut in Psalmis : « Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt [mihi] [23], » id est, quod mihi comminatus es, jam doleo. Per *sagittas* insidiæ, ut in Psalmis : « Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum [24], » quod Judæi, unde putabant decipere Christum, in hoc semetipsos deceperunt. Per *sagittas* Dominicæ percussiones, ut in Job : « Quod sagittæ Domini in me sunt [25], » id est, sagittæ Domini me affligunt.

Sagena est sancta Ecclesia, ut in Evangelio : « Sagenæ missæ in mare [26], » id est, Ecclesiæ præsentis sæculi profundo peregrinanti. Per *sagenam* Ecclesiæ multæ, quæ unam catholicam Ecclesiam faciunt, ut in Job : « Nunquid implebis sagenas pelle ejus [27] ? » quod Dominus hos in quibus diabolus erat ad Ecclesiam misericorditer vocat.

Sapphirus est claritas angelorum, ut in Job : « Nec lapidi * sardo » viro pretiosissimo, vel sapphiro [28], » quod Filio Dei nec quilibet homo in terra, nec quilibet angelus comparari potest in cœlo. *Sapphirus*, sancta contemplatio, ut in Jeremia : « Sapphiro pulchriores [29], » id est, * ipsi contemplativis excellentiores. Per *sapphirum* miracula Christi, ut in Cantico : « Venter ejus eburneus distinctus sapphiris [30], » quod casta Christi humanitas ornata erat miraculis.

Sal est spiritualis intellectus, ut in Job : « Quod non est sale conditum [31] ; » quod sacra Scriptura non prodest, nisi spiritualiter intelligatur. *Sal*, sapientia, ut in libris Regum : « Afferte mihi vas novum, et mittite in id sal [32], » quod cupit vetus noster Elisæus, ut per sanctitatem renovemur, et per sa-

[1] Job XII, 19. [2] Job XVI, 15. [3] Psal. XXIX, 12. [4] Gen. XLIV, 12. [5] Agg. I, 6. [6] Job XIV, 17. [7] Gen. XXVIII, 12. [8] Gen. XXIV, 45. [9] Psal. XC, 4. [10] Lev. XXI, 20. [11] Lev. XIII, 6. [12] Psal. XCVIII, 5. [13] Isa. LXVI, 1. [14] Exod. XXVI, 7. [15] Job XLI, 19. [16] II Reg. I, 25. [17] IV Reg. XIII, 17. [18] Psal. XC, 5. [19] Psal. CXIX, 4. [20] Deut. III, 23. [21] Psal. LVI, 5. [22] Habac. III, 11. [23] Psal. XXXVII, 8. [24] Psal. LXIII, 8. [25] Job VI, 4. [26] Matth. XIII, 47. [27] Job XL, 26. [28] Job XXVIII, 16. [29] Thren. IV, 7. [30] Cant. V, 14. [31] Job VI, 6. [32] IV Reg. II, 20.

Digitized by Google

pientiam condiamur. *Sal*, discretio, ut in Levitico : « In omni * oblatione offeres sal [1], » quod in omni operatione nostra necesse est ut habeamus discretionem. *Sal*, ipsi angeli, ut in Evangelio : « Vos estis sal terræ [2], » id est, Vos estis condimentum et * lator Ecclesiæ. *Sal*, admonitio, ut in Genesi : « Versa est in statuam salis [3], » quod reproborum perditio magna cœlestis est admonitio.

Salsugo est desiderium bonum, ut in Job : « Et tabernacula ejus in terram salsuginis [4], » quod delectabiliter quiescit in mente eum desiderante ardenter. *Salsugo*, sanctitas, ut in Psalmis : « Terram fructiferam in salsuginem [5], » quod animam, quæ boni operis fructum ferre solebat, Dominus ad sterilitatem cadere nonnunquam permittit.

Saliunca est cogitatio terrena, ut in Isaia : « Pro saliunca ascendet abies [6], » quod Dominus in mente, in qua terrena cogitatio erat, sublimem aliquando per gratiam suam contemplationem format

Salices sunt viri sancti, ut in Propheta : « Sicut salices germinabunt inter herbas virides [7], » id est, in bono opere erunt inter cæteros homines. *Salices*, steriles in bono opere, ut in Job : « Circumdabunt eum salices * torrentes [8], » id est, favebunt et homines amatores hujus mundi præterfluentis. *Salices*, superbi, ut in Psalmis : « In salicibus in medio ejus [9], » id est, coram superbis, qui sunt in media confusione * voluimus ostendere prædicationes nostras.

* *Salterium* est vetus lex, ut in Psalmis : « In psalterio decem chordarum [10], » id est, in contemplatione veteris legis, quæ in decem præceptis consistit, studete placere illi. * *Salterium*, bona actio, ut in Psalmis : « Psalterium jucundum cum cithara [11], » id est, actionem spontaneam cum carnis abstinentia.

Sanguis est passio Christi, ut in Job : « Terra, ne operias sanguinem meum [12], » id est, o Ecclesia, ne erubescas confiteri passionem meam. *Sanguis*, exempla martyrum, ut in Exodo : « Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum [13], » quod subjectis ostendere debent prælati examina sanctorum martyrum. *Sanguis*, carnalis intellectus, ut in Parabolis : « Qui vehementer emungit, elicit sanguinem [14], » quod qui nimis indiscrete sacram Scripturam discutit, in carnalem intellectum cadit. *Sanguis*, furor Dei, ut in cantico Deuteronomii : « Inebriabo sagittas meas sanguine [15], » id est, vindictas meas exercebo cum furore. *Sanguis*, mors Christi, ut in Genesi : « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra [16], » id est, confessio mortis Christi, qui populi Judaici superfuit, clamat ad Patrem de Ecclesia. *Sanguis*, peccatum, ut in Isaia : « Et revelabit terra sanguinem suum [17], » id est, confitebitur anima devota peccatum suum. *Sanguis*, angustia, ut in Psalmis : « Ut intingatur pes tuus in sanguine [18], » quod prædicatores, qui Christum vehunt, affligentur tribulatione. *Sanguis*, ultio peccati, ut in Psalmis : « Manus suas lavabit in sanguine peccatoris [19], » quod tunc justus actus suos sollicitus corrigit, quando peccatorem pro culpa puniri conspicit. *Sanguis*, crudelitas, ut in Isaia : « Manus vestræ sanguine plenæ sunt [20], » id est actiones vestræ crudelitate repletæ sunt. *Sanguis*, pœnæ inferni, ut in Apocalypsi : « Et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum [21], » quod in reproborum conventiculis infernalis se pœna extendet usque ad prælatos populorum. Per *sanguinem* opera libidinis, ut in Psalmis : « Libera me de sanguine [22], » id est, de libidinosis operibus. Per *sanguinem* malitiosi quilibet, ut in Psalmis : « Viri sanguinum et dolosi [23], » id est, homines malitiæ et perfidiæ intenti.

Sanies est delectatio carnis, ut in Job : « Qui testa saniem radebat [24], » quod per considerationem mortalitatis nostræ delectationem in nobis illicitam exstinguere debemus.

Squamæ sunt robora bonorum operum, ut in Levitico : « Omne quod habet pennulas et squamas [25], » quod illos sollicite imitari debemus qui agilitatem * contemplationi et fortitudinem exercent in actione. *Squamæ*, excusationes pravæ, ut in Job : « Compactum squamis se prementibus [26], » quod corda sua inclinant reprobi in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.

Sartago est zelus animarum, ut in Ezechiele : « Et tu, sume sartaginem ferream [27], » quod quilibet prælatus zelum Dei debet discutere, et fortiter erga subjectos habere. *Sartago*, tribulatio, ut in Levitico : « Quæ in sartagine oleo conspersa frangetur [28], » quod mens sancta non sine pinguedine internæ consolationis in tribulatione affligitur.

Sardonychus est homo sanctus, ut in Job : « Nec lapidi sardonycho pretiosissimo [29], » quod nullus homo, quantumvis sanctus fuerit, Christo comparari potuerit. *Sardonychus*, humanitas Christi, ut in Apocalypsi : « Et qui sedebat, similis erat lapidi jaspidis et sardinis [30], » quod Christus ex Deo Deus, et ex homine homo est.

Stabulum est Ecclesia præsens, ut in Evangelio : « Duxit eum in stabulum, et curam ipsius egit [31], » id est, in Ecclesiam, et sollicitus de eo fuit.

* *Stactes* est oratio, ut in Exodo : « Sume tibi stacten [32], » id est, exerce assiduitatem orationis.

Stannum est falsa doctrina, ut in Isaia : « Et auferam omne stannum tuum [33], » id est, falsam, quæ est in te, doctrinam.

[1] Lev. II, 13. [2] Matth. V, 13. [3] Gen. XIX, 26. [4] Job XXXIX, 9. [5] Psal. CVI, 34. [6] Isa. LV, 13. [7] Isa. XLIV, 4. [8] Job XIV, 17. [9] Psal. CXXXVI, 2. [10] Psal. XXXII, 2. [11] Psal. LXXX. 3. [12] Job XVI, 18. [13] Exod. XXIV, 8. [14] Prov. XXX, 33. [15] Deut. XXXII, 42. [16] Gen. IV, 10. [17] Isa. XXVI, 31. [18] Psal. LXVII, 24. [19] Psal. LVII, 11. [20] Isa. I, 15. [21] Apoc. XIV, 15. [22] Psal. L, 16. [23] Ps. LIV, 24. [24] Job II, 8. [25] Lev. XI, 9. [26] Job XLI, 6. [27] Ezech. IV, 3. [28] Lev. VI, 21. [29] Job XXVIII, 16. [30] Apoc. IV, 3. [31] Luc. X, 34. [32] Exod. XXX, 34. [33] Isa. I, 25.

Digitized by Google

Stamen est anima hominis, ut in Levitico: « Quæ lepram habuerit in stamine [1], » id est, peccati maculam in mente.

Statera est Christus, ut in Job: « Et calamitas quam patior in statera [2], » quod in Christo deprehendi potest quam gravis est miseria quam tolerat homo. *Statera*, discretio, ut in Levitico: *Statera justa*, id est, discretio recta, *erit vobis* [3]. Per *stateram*, judicia, ut in Psalmis: « Mendaces filii hominum in stateris [4], » id est, non recti in judiciis.

Statura, conversatio sancta, ut in Cantico: « Statura tua assimilata est palmæ [5], » id est, in conversatione tua victoriam exerces vitiorum. *Statura*, fortitudo, ut in libro Numeri: « Populus quem aspeximus, proceræ staturæ est [6] » * . . . . . fortitudinis est. *Statura*, superbia, ut in libris Regum: « Fuerunt statura magna, scientes bellum, » id est, erecti in superbia amantes. *Statura*, profectio, ut in Evangelio: « Non poterat videre præ turba, quod statura pusillus erat [7], » id est, non poterat pure contemplari pro strepitu instabilium cogitationum, quod magnus in perfectione non erat.

* *Stractus* est status vitæ nostræ, in quo diu fuimus, ut in Psalmis: « Lacrymis meis stratum meum rigavi [8], * » per compunctionem veterem vitæ meæ stratum meum rigabo. *Stratum*, mens nostra, ut in Psalmis: « Universum stratum ejus versasti [9], » id est, mentem ejus conturbasti in contemplatione infirmitatis * tuæ. *Stratum*, interna contemplatio, ut in Job: « Et * revelabor loquens [mecum] in stratu meo [10], » id est, levamen habebo de me cogitans in interna contemplatione mea.

Saxum est Christus, ut in cantico [Deuteronomii]: « Deumque de saxo durissimo [11], » id est, Spiritum sanctum acceperunt post resurrectionem a Christo. *Saxum*, mens robusta, ut in Job: « Et saxum transfertur de loco suo [12], » quod irruente tentatione mens nonnunquam robusta a bono retrahitur proposito. Per *saxa* sancti angeli, ut in Isaia: « Munimenta saxorum sublimitas ejus [13], » quod vir sanctus ad fortitudinem angelorum per contemplationes accedit.

Securis est Christus, ut in Evangelio: « Securis ad radicem arboris posita est [14], » quod Christus Judæos incredulos exstirpavit. *Securis*, vir bonus, ut in Isaia: « Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea [15] ?» quod non superabit vir sanctus contra Dominum, qui sanctitatem, quam habet, contulit ei. *Securis*, correptio, ut in Deuteronomio: « [Si] in succisione lignorum securis fugerit manum [16], » id est, in prohibitione vitiorum correptio excesserit modum. *Securis*, donum gratiæ, ut in libris Regum: « Ut ferrum securis caderet in aquam [17], » quod donum aliquando gratiæ amittitur per superbiam. *Securis*, gravis persecutio, ut in Psalmis: « In securi et ascia dejecerunt eum [18], » id est, in majore persecutione et minore, conturbaverunt iniqui Ecclesiam.

Sedes est regnum Israel, ut in Evangelio: « Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui [19], » id est, in multis Judæis in eum credentibus erit regnum ei subjectum Israel. *Sedes*, mens sancta, sicut legitur Sapientiæ: « Anima justi sedes est sapientiæ [20], » quod sapientia Patris, Christus, in sancta mente quiescit. *Sedes*, sancta Ecclesia, ut in Psalmis: « Et sedem ejus in terra collisisti [21], » id est, Ecclesiam Christi in præsenti perturbari permisisti. Per *sedes* apostoli, ut in Psalmis: « Illic sederunt sedes in judicio [22], » quod apostoli sedebunt super thronos, id est, * duodecim tribus Israel. Per *sedes* conversationes sanctorum, ut in Apocalypsi: « Seniores qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis [23], » id est, viri sancti, qui in contemplatione Deitatis * humiliant se in conversationibus suis.

Segor est status conjugalis, ut in Genesi: « Et Lot ingressus est Segor [24], » quod in ordine conjugali salvari potest homo, quamvis tamen in eo non sit magna sanctitas.

Semen est Christus, ut in Genesi: « Et benedicentur in semine tuo omnes gentes [25], » id est, in Christo * sancta prædicatio, ut in Evangelio: « Bonum semen seminasti in agro tuo [26], » id est, sanctam posuisti prædicationem in Ecclesia tua. *Semen*, homines mali et boni, ut in Genesi: « Inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius [27], » quod magna est inter diabolum et sanctam Ecclesiam discordia, et inter membra Christi et diaboli. *Semen*, viri electi, ut in Evangelio: « Bonum vere semen ii filii sunt regni [28]. » *Semen*, opus bonum, ut in Psalmis: « Et semen illius in benedictione erit [29], » id est, opus ejus dignum retributione erit. *Semen*, incitator viri sancti, ut in Psalmis: « Potens in terra erit semen ejus [30], » id est, sublimis in cœlo erit, qui justum in bono imitatur. *Semen*, locutio oris, ut in Levitico: « Vir qui patitur fluxum * sanguinis [31], » id est, superfluitatem non devitat locutionis, « immundus erit. » *Semen*, peccatum, ut in Isaia: « Et semen ejus absorbens volucrem [32], » id est, peccatum, de quo concupiscentia procedit * parit peccatum; peccatum vero, cum conceperit, generat mortem.

Semita est humilitas, ut in Psalmis: « Deduc me in semita [33], » id est, veram fac me habere humilitatem, quæ est fundamentum cæterarum virtutum. *Semita*, interna cogitatio, ut in Parabolis: « Consideravit semitam domus suæ [34], » id est, diligenter inspexit internam cogitationem mentis suæ. *Semita*, ascensio Christi, ut in Job: « Semitam ignoravit avis [35], » quod Synagoga ascensum non cognovit nostri Redemptoris. *Semita*, perfectio, ut in Genesi:

[1] Lev. XIII, 48. [2] Job VI, 2. [3] Lev. XIX, 36. [4] Ps. LXI, 10. [5] Cant. VII, 7. [6] Num. XIII, 33. [7] Luc. XIX, 3. [8] Ps. VI, 7. [9] Ps. XL, 4. [10] Job. VII, 13. [11] Deut. XXXII, 13. [12] Job XIV, 18. [13] Isa. XXXIII, 16. [14] Matth. III, 10; Luc. III, 9. [15] Isa. XVIII, 15. [16] Deut. XIX, 5. [17] IV Reg. VI, 5. [18] Ps. LXXIII, 6. [19] Luc. 1, 32. [20] Vers. 25. [21] Ps. LXXXVIII, 45. [22] Ps. CXX, 3. [23] Apoc. XI, 16. [24] Gen. XIX, 23. [25] Gen. XII, 3; XVIII, 18; XXVIII, 14. [26] Matth. XIII, 27. [27] Gen. 3, 15. [28] Matth. XIII. 38. [29] Ps. XXXVI, 26. [30] Ps. CXI, 2. [31] Lev. XV, 2. 10. [32] Is. XIV, 29. [33] Ps. CXVIII, 35. [34] Prov. XXXI, 27. [35] Job XXVIII, 7.

Digitized by Google

« Fiat Dan * serastes in semita [1], » quod viris sanctis in perfectione vitæ se arctantibus Antichristus se crudelem ostendit. *Semita*, voluntas hominis, ut in Job : « Et decipula illius super semitam [2], » quod diabolus hominis potissimum studet decipere voluntatem. *Semita*, superbia, ut in Job : « Nunquid semitam sæculorum custodire cupis [3] ? » id est, nunquid superbiam sæcularium imitari desideras. *Semita*, angustia mortis, ut in Job : « Et semitam, per quam non revertar, ambulo [4], » id est, ad mortis angustiam, a qua redire non possum, tendo. Per *semitam* religiosæ actiones, ut in Psalmis : « Et cognosce semitas meas [5], » id est, acceptabiles fac tibi internas cogitationes meas.

Senex est quilibet perfectus, ut in Genesi : « Mortuus est Abraham senex et plenus dierum [6], » ab hac vita discessit perfectus in sanctitate, et repletus claritate bonorum operum. *Senex*, qui in vetustate malitiæ durat, ut in cantico Deuteronomii : * « Lactantem cum homine sene [7], » quod sensu parvulum cum inveterato dierum malorum vitio vastabit. Per *senes* vitæ maturitate pollentes, ut in Isaia : « Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui [8] », quod cum Christo in judicio viri sancti judices apparebunt. Per *senes* prælati, ut in Psalmis : « Et senes ejus prudentiam doceret [9], » quod prælatos Christus, qui est verus Joseph, prudentiam docet.

Senectus est maturitas perfectionis, ut in Genesi : * « Ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona [10], » id est, imitaberis vitas sanctorum antiquorum, quieti contemplationis insistens, et in perfectione matura. *Senectus*, defectus virium, ut in Psalmis : « Ne projicias me in tempore senectutis [11], » id est, ne me deseras, cum vires me defecerint.

Senatores sunt angeli sancti, ut in Parabolis : « Quando sederit cum senatoribus terræ [12], » quod cum angelis veniet Dominus ad judicium, cum potestate magna et majestate.

Sentes sunt delectationes pravæ, ut in Job : « Et esse sub sentibus delicias computabant [13], » quod pro magna dulcedine habent subjici delectationi carnis, quæ animam damnabiliter pungit.

* *Sepis* est angelica custodia, ut in Isaia : « Et sepem circumdedit ei [14], » quod * custodiam angelicam deputat Dominus populo suo. Per *sepem* præcepta bona, ut in Isaia : « Et ædificator vocaberis sepium, avertens semitas iniquitatum [15], » id est, institutor bonorum præceptorum, prohibens actiones pravitatis. Per *sepes* populi gentiles, ut in Evangelio : « Exi in * vicos et sepes, et compelle intrare [16], » quod quando Judæi credere * noluerunt, gentiles crebris miraculis ad fidem invitantibus ad fidem vocati sunt.

Sepulcrum est secretum contemplationis, ut in Job : « Ingredieris in abundantia sepulcrum [17], » id est, per perfectionem bonæ actionis * pertingens usque ad secretum contemplationis. *Sepulcrum*, locutio prava, ut in Psalmis : « Sepulcrum patens est guttur [eorum] [18], » id est, juxta id, quod immunda est cogitatio eorum, fetida est et eorum locutio. Per *sepulcrum* opera terrena, ut in Psalmis : * « Educit eos qui exasperant in sepulcris [19], » quod Dominus per gratiam suam eos a prava sua conversatione exire facit, qui corporalibus delectationibus adhæserunt. Per *sepulcrum*, reprobi, ut in * Isaia : « Et in circuitu Assur, sepulcrum ejus [20], » quod in diabolo ii æternis pœnis trahuntur, in quibus ii per peccati perpetrationem habitant.

Spelunca est humana natura in Christo, ut in libris Regum [21] : David fugiens Saulem abscondit se in spelunca, quod Christus in patibulo humanæ naturæ cognitionem a diabolo et Judæis, ministris ejus, abscondit. *Spelunca*, sanctitas vitæ, ut in Genesi Sara mortua in spelunca duplice * sepelietur [22], quod fidelis anima ab appetitu visibilium morte vivifica exstincta, in sanctitate vitæ contemplativæ et activæ absconditur. *Spelunca*, prava mens, ut in Evangelio : « Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei [23], » id est, erat profunda per malitiam, et tenebrosa per ignorantiam peccatoris conscientia, et insensibilitas duritiæ inerat ei. *Spelunca*, corpus nostrum, ut in libris Regum : « Egressus * ejus stetit in ostio speluncæ [24], » quod in rectitudine * . . . . . consistens corrumperet habitationis claustra, per contemplationem egrediebatur. *Spelunca*, habitatio prava, ut in Evangelio : « Vos autem fecistis eam speluncam latronum [25], » id est, fecistis animam vestram, in qua ego manere debui, habitationem immundarum cogitationum.

Sphærulæ sunt volubilitates cogitationis, ut in Exodo : « Calamos et * ciphos et sphærulas [26], » id est, prædicatores et auditores et volubilitatem prædicationis.

Speculum est fides, ut in Paulo : « Videmus nunc per speculum et in ænigmate [27], » id est, per fidem. Per *speculum* exempla bona, ut in Exodo : « Fecit labrum de speculis mulierum [28], » quod lex spiritualem nobis proponit * mundationem in exemplis sanctorum virorum. *Speculum*, favores sæcularium, ut in Isaia : « Auferet Dominus a filiabus Sion specula [29], » quod in reprobis, in quibus delectantur, destruet * sæcularis.

Speculator est prædicator, ut in Ezechiele : « Speculatorem dedi te domui Israel [30], » id est, prædica-

[1] Gen. XLIX, 17. [2] Job XVIII, 10. [3] Job XXII, 15. [4] Job XVI, 22. [5] Ps. CXXXVIII, 23. [6] Gen. XXXV, 29. [7] Deut. XXXII, 25. [8] Isa. III, 14. [9] Psal. CIV, 22. [10] Gen. XV, 15. [11] Ps. LXX, 9. [12] Prov. XXXI, 23. [13] Job XXX, 7. [14] Isa. V, 2; Matt. XXI, 25; Marc. XII, 1. [15] Isa. LVIII, 12. [16] Luc, XIV, 23. [17] Job V, 26. [18] Ps. V, 10, 15. [19] Ps. LXVII, 7. [20] Ezech. XXXII, 22. [21] I Reg. XXIV, 4 et seq. [22] Gen. XXIII, 19. [23] Joan. XI, 38. [24] III Reg. XIX, 19. [25] Matth. XXI, 13; Marc. XI, 17; Luc. XIX, 46. [26] Exod. XXV, 31. [27] I Cor. XIII, [28] Exod. XXXVIII, 2. [29] Isa. III, 23. [30] Ezech. III, 17.

Digitized by Google

torem constitui te populo, ut et te * sublimis sine vivendo, et aliis recta nunties prædicando.

Specus sunt interna cordis, ut in Job : « Et in specubus insidiantur [1], » quod prælati spirituales, qualiter animas lucrari possint, in internis cordium suorum prævident.

Species est divinitas Christi, ut in Isaia : « Non habuit speciem, neque decorem [2], » quod Christus in passione non ostendit decorem deitatis suæ. *Species*, sanctitas in Christo, ut in Cantico : « Species ejus ut Libani [3], » quod candor sanctitatis ineffabilis in Christo. *Species*, proximus noster, ut in Job : « Et visitans speciem tuam non peccabis [4], » id est, * non compatiens et succurrens proximo tuo non peccabis.

Servus est Christus, ut in Isaia : « Ecce servus meus, suscipiam eum [5], » id est, bene placet mihi in Christo, quod amore filiali servit mihi. *Servus*, angelus, ut in Apocalypsi : « Conservus tuus sum et fratrum tuorum [6], » id est, eidem Domino servio ego cui tu cum Christianis cæteris servis. *Servus*, populus Judaicus, ut in Job : « Servum meum vocavi, et non respondit mihi [7], » id est, populum Judaicum ad fidem prædicando invitavi, sed me prædicantem non suscepit. *Servus* quilibet in tentatione positus, ut in Job : « Sicut * cervus desiderat umbram [8], » id est, sicut ille qui tentatur exspectat refrigerium consolationis. *Servus*, corpus nostrum, ut in Evangelio : « Et servo meo, fac hoc [9], » id est, corpus meum non sino resistere mihi. *Servus* diabolus, ut in Job : « Et accipies eum servum sempiternum [10], » quod * licet omnia disponentis Dei judiciis semper diabolus servit.

Serpens est Christus, ut in libro Numeri : « Fac tibi serpentem æneum [11], » quod in similitudinem carnis peccati Christus venit, sed peccati venenum non habuit. *Serpens*, incredulitas, ut in Evangelio : « Nunquid pro pisce serpentem dabit [12], » id est, si a Domino petimus, non nobis dabit incredulitatem pro fide. *Serpens*, diabolus, ut in Isaia : « Serpenti panis pulvis est [13], » quod qui terrena contra Dominum diligunt, ipsi diabolum pascunt. Per *serpentem* detractiones, ut in Psalmis : « Acuerunt linguas suas sicut serpentes [14], » quod venenata sunt verba quæ proferunt detractores. Per *serpentes* peccata, ut in libro Numeri : « Immisit Dominus in eos ignitos serpentes [15], » quod superbis et murmurantibus peccata Dominus dominari permittit. Per *serpentes* dæmones, ut in cantico Deuteronomii : « Cum furore trahentium super terram atque serpentium [16], » id est, homines pravos et ipsos dæmones permittam affligere eos.

Serra est diabolus, ut in Isaia : « Aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur [17] ? » id est, aut se eriget diabolus contra Christum, per quem de cordibus hominum ejicitur.

Stellio est pravus quilibet, ut in Levitico prohibetur : Ne stellio comedatur [18], ne videlicet pravum hominem * imitetur.

Stella est Christus, ut in Apocalypsi : « Et dabo illi stellam matutinam [19], » quod qui diabolum superat, Christum qui ab æterno cum Patre et Spiritu sancto est, in * puncto habebit. *Stella*, virgo Maria, ut in * Levitico : « Orietur stella ex Jacob [20], » quod ex stirpe Jacob virgo Maria nata est. *Stella*, fides, ut in Evangelio [21] stella magos duxit ad Christum, quod per fidem pertingimus ad spem. Per *stellam* dona Spiritus sancti, ut in Job : « Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades [22] ? » quod in solo Christo plenitudo septem spiritualium donorum convenit. Per *stellas* apostoli, ut in Apocalypsi : « Et in capite ejus corona stellarum duodecim [23], » quod in fide Ecclesiæ lucet doctrina duodecim apostolorum. Per *stellas* prælati, ut in Apocalypsi : « Septem stellæ, angeli, » id est, prælati, « sunt [septem] Ecclesiarum [24]. » Per *stellas* virtutes sanctorum, ut in Job : « Et stellas claudit quasi sub signaculo [25], » quod Dominus prius in electis suis virtutes roborat in occulto, ut postmodum ad exemplum prodantur in publico. Per *stellas* viri sancti, ut in Genesi : « Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli [26], » quod fideles, qui sunt spirituales filii Abrahæ, per fidem et dilectionem cœlesti claritate fulgescunt. Per *stellas* hypocritæ, ut in Apocalypsi : « Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum [27], » quod multos, qui in conspectu hominum fulgere videntur, Antichristus sibi sociat. Per *stellas* sancti angeli, ut in Daniele : « Et qui ad scientiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates, [28] » quod qui hic sumunt officium angelorum, ut pii aliis veram scientiam nuntient, in futuro una cum eis in decore perenni fulgebunt.

Sterilis est caro nostra, ut in Job : « Pavit enim sterilem, et quæ non parit [29], » id est, carnem suam fovebat, quæ boni operis fructum producere non cupit.

Stercus est humanitas, ut in Psalmis : « Et de stercore erigens pauperem [30], » quod qui se humiliat, exaltabitur. *Stercus*, res mundialis inordinate contra Deum dilecta, ut in libro Ecclesiastico : « De stercore boum lapidabitur piger [31], » quod mundi hujus amatores in bono opere pigri ex amore rerum mundialium flagellantur, quasi viri sancti bonis strenue quasi boves Domini operibus insudantes, repetant ut stercora, ut Christum lucrifaciant. *Stercus*, fetor luxuriæ, ut in Joele : « Computruerunt jumenta in stercore suo [32], » quod carnales in fetore luxuriæ terminaverunt terram. Per *stercus* occulta

[1] Job XXXIX, 2. [2] Isa. LIII, 2. [3] Cant. V, 13. [4] Job V, 24. [5] Isa. XLII, 1. [6] Apoc. XXII, 9. [7] Job XIX, 16. Job VII, 2. [8] Matth. VIII, 9. [10] Job XL, 23 [11] Num. XXI, 8. [12] Luc. XI, 11. [13] Isa. LXV, 25. [14] Ps. CXXXIX, 4. [15] Num. XXI, 6. [16] Deut. XXIII, 24. [17] Isa. X, 15. [18] Lev. XI, 30. [19] Apoc. II, 28. [20] Num. XXIV, 17. [21] Matth. II, 2, 9, 10. [22] Job XXXVIII, 31. [23] Apoc. II, 1. [24] Apoc. I, 20. [25] Job IX, 7. [26] Gen. XXII, 17. [27] Apoc. XII, 4. [28] Dan. XII, 3. [29] Job XXIV, 21. [30] Psal. CXII, 7. [31] Eccli. XXII, 2. [32] Joel. I, 17.

Digitized by Google

malitiæ cordis, ut in libro Judicum : « Statimque per secreta naturæ alvi stercora proruperunt [1], » id est, in occulto fetidæ cordis malitiæ innotuerunt. Per *stercus* recordatio peccatorum, ut in Evangelio : « Usquedum fodiam circa illam, et mittam stercora [2], » id est, usque dum per interpositionem humilem eam et faciam eam recordari felicitates suas. Per *stercus* peccata carnis, ut in Jeremia : « Et qui nutriebantur in * circeis, amplexabantur stercora [3], » id est, qui in spiritualibus delectabantur bonis, peccata exercent carnalia.

Sterquilinium est infirmitas hominis, ut in Job : « Sedens in sterquilinio [4], » id est, humilians se in cognitione infirmitatis suæ. *Sterquilinium*, fetor internorum, ut in Job : « Quasi sterquilinium in fine perdetur [5], » quod reprobus quilibet vitiorum fetore plenus, ad extremum destruetur.

Sternutatio est commotio, ut in Job : « Sternutatio ejus splendor ignis [6], » quod Antichristus, in quo diabolus plene commotus erit, et per miracula decipiet, et per crudelitatem deveniet.

Sibilus est admiratio, ut in Job : « Sibilabit super eum, intuens locum ejus [7], » id est, stupebit super eum videns habitationem ejus. *Sibilus*, inspiratio divina, ut in Isaia : « Sibilabit domus muscæ [8], » quod immundo inspirat peccatori, ut veniat ad eum. Per *sibilum* admonitiones, ut in libro Judicum [9], ut * audiat * filios gregum, id est, ut in mente suscipias admonitiones stultorum.

Sycomorus est crux Christi, ut in Evangelio : « Ascendit in arborem sycomorum [10], » quod qui Deum pure contemplari desiderat, ad imitationem sibi Christum crucifixum proponat. Per *sycomorum* Judæi increduli, ut in Isaia : « Et sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus [11], » id est, incredulitatis peccata Judæos destruxerunt, sed sublimes de gentilitate viros habebimus.

Siclus est sacra Scriptura, ut in Exodo : « Siclus viginti obolos habet [12], » quod sacra Scriptura in perfectione duorum Testamentorum, quasi in gemino denario consistit. Per *siclum* corpus nostrum et anima, ut in Levitico : « Offerat arietem, qui emi potest duobus siclis [13], » quod corpus et animam dare debemus, ut Christum acquirere possimus.

Signaculum est primus angelus, ut in Ezechiele : « Tu signaculum similitudinis Dei [14], » quod in ipso imago Dei similitudinis fuit impressa. *Signaculum*, confirmatio electorum, ut in Aggæo : « Et ponam te quasi signaculum, quod te elegi [15], » id est, in me confirmabo, quod ad regnum prædestinavi te. *Signaculum*, virtus castitatis, ut in Cantico : « Pone me ut signaculum super cor tuum [16], » id est, per charitatem confirma me super mentem tuam. *Signaculum*, populus gentilis ad fidem vocatur, ut in Job : « Et clausit stellas quasi sub signaculo [17], » quod modo sanctos prædicatores destinet in populo gentili, quousque ad convertendas reliquias Israel tempore opportuno procedant. *Signaculum*, populus quondam electus, ut in Job : « Restituetur ut lutum signaculum [18], » quod populus ille quondam per fidem electus nunc propter incredulitatem reprobatur et contemnitur.

Silva est mundus iste, ut in Psalmis : « Exterminavit eam aper de silva [19], » quod plebem Judaicam exstirpavit Romanus imperator, qui principatum agebat in toto mundo. *Silva* mens humana, ut in Deuteronomio : « Cum amico simpliciter ad silvam [20], » id est, si se intromiserit de ædificatione subjecti sui. *Silva*, sacra Scriptura, ut in libro Regum : « Tollant singuli de * singulis materias singulas [21], » quod nos singuli juxta intellectum nostrum singulas de sacra Scriptura excerpere sententias debemus.

Siliquæ sunt doctrinæ sæculares, ut in Evangelio : « De siliquis quas porci manducabant [22], » id est, volunt addiscere doctrinas sæculares, quas immundi diligebant.

Silex est Christus, ut in libro Numerorum : « Percutiens bis silicem [23], » quod opprobriis affectus in passione erat Christus. *Silex*, duritia gentilium, ut in Job : « Sculpantur in silice [24], » quod verba fidei Christianæ jam suscepta sunt in cordibus gentilium. *Silex*, actio bona, ut in Job : « Dabit pro terra silicem [25], » quod Dominus pro molli conversatione electis suis robustam confert actionem. Per *silices* sancti angeli, ut in Job : « Et * præruptis silicibus commoratur [26], » quod vir sanctus in contemplatione fortitudinis angelorum perseverat, * qui in cadentibus confracti sunt.

Similago est puritas cordis, ut in libro Machabæorum : « Et obtulimus sacrificium et similaginem [27], » exterius carnis mortificationem, et interius puritatem mentis.

Symphonia est Evangelii prædicatio, ut in Evangelio : « Et audivit symphoniam et chorum, » quod populus Judaicus modo in Ecclesia prædicari Evangelium audit, sed credere contemnit.

* *Sindo* est subtilis prædicatio, ut in Parabolis : « Sindonem fecit et vendidit [28], » quod sancta Ecclesia subtilem prædicationem emittit, et Deo aliquos acquirit. *Sindo*, mens pura, ut in Evangelio : « Et involvit eum in sindone munda [29], » quod Christus habitat in mente pura. *Sindo*, occupatio sæculi, ut in Evangelio : « Rejecta sindone nudus profugit ab eis [30], » quod abjecta omni sæculari occupatione a persecutoribus spiritualibus expediti fugere debemus.

Sinus est substantia Deitatis, ut in Evangelio : « Unigenitus, qui est in sinu Patris [31], » id est, qui

[1] Jud. III, 22. [2] Luc. XIII, 8. [3] Thren. IV, 5. [4] Job II, 8. [5] Job XX, 7. [6] Job XLI, 9. [7] Job XXVII. 23. [8] Isa. VII, 18. [9] Jud. V, 16. [10] Luc. XIX, 4. [11] Isa. IX, 10. [12] Exod. XXX, 1. [13] Lev. V, 15. [14], Ezech. XXVIII, 12. [15] Agg. II, 24. [16] Cant. VIII, 6. [17] Job IX, 7. [18] Job XXXVIII, 14. [19] Psal. LXXIX, 14. [20] Deut. IX, 5. [21] IV Reg. VI, 2. [22] Luc. XV, 16. [23] Num. XX, 11. [24] Job XIX, 24. [25] Job XXII, 24. [26] Job XXXIX 31. [27] Mach. I, 8. [28] Prov. XXXI, 24. [29] Matth. XXVII, 59. [30] Marc. XIV, 52. [31] Joan. I, 18.

Digitized by Google

est cum Patre in una eademque substantia Deitatis. *Sinus*, mens nostra, ut in Job : « Et in sinu meo * audio verba oris ejus [1], » id est, in mente mea occultavi sermones. *Sinus*, quod proprie nostrum est, ut in Psalmis : « Et oratio mea in sinu meo convertetur [2], » id est, in meipsum proprie retundat, quod pro aliis oro. *Sinus*, securitas, ut in Job : « Reposita est hæc spes mea in sinu meo [3], » id est, in spe resurrectionis meæ securitatem certissimam habeo. *Sinus*, Dei gratia, ut in Exodo Moyses : « Misit manum suam in sinum suum, et extraxit leprosam; misit iterum, et similis facta est carni reliquæ [4], » quod Christus Judæos a gratia sua propter infidelitatis * munditiam emisit, eamdem qui rursum in fide mundi gratiam per fidem adepturi sunt. *Sinus*, secreta requies, ut in Evangelio : « Et portaretur ab angelis in sinu Abrahæ [5], » id est, in secreta requie * Patris.

Sinistra est vita præsens, ut in Parabolis : « In sinistra ejus divitiæ et gloria [6], » quod in præsenti vita Dominus electis suis et divitias meritorum et gloriam in pura conscientia confert. *Sinistra*, delectatio laudis humanæ, ut in Evangelio : « Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua [7], » id est, in bono opere tuo humanæ laudis favorem non requiras. *Sinistra*, adversitas, ut in Parabolis : « Non declines ad dextram, neque ad sinistram [8], » id est, nec prospera te elevent, nec adversa te frangant. *Sinistra*, opus pravum, ut in Job : « Si ad sinistram, quid agam? non videbo illum [9], » id est, si opus pravum fecero, ad Deum pertingere non potero. *Sinistra*, reprobi angeli, ut in libris Regum : « Omnem exercitum cœli assistentem ei a dextris et a sinistris [10], » quod non solum serviunt Deo angeli boni, sed etiam justis judiciis ejus famulantur et mali. *Sinistra*, reprobi homines, ut in Evangelio : « Hædos autem a sinistris [11], » quod peccatores quodammodo sinistra pars erunt, quod damnati erunt.

Scintillæ sunt verba prædicatorum, ut in Ezechiele : « Et scintillæ quasi aspectus æris candentis [12], » id est, verba prædicationis accensæ.

Spicæ sunt sententiæ sacræ Scripturæ, ut in Job : « Et esurientibus tulerunt spicas [13], » quod hæretici a bonis prædicatoribus verbum vitæ avide desiderantibus sacras sententias aufferre student. *Spicæ*, opera bona, ut in libris Regum : « Assumentes spicas latenter percusserunt eum in inguine [14], » quod maligni spiritus negligenti cuilibet bona quæ habet opera auferunt, et eum carnis delectatione occidunt. *Spicæ* anni erant fertilitatis, qui erant tempore Joseph, ut in Genesi : « Septem spicæ, septem ubertatis anni sunt [15]. »

Spina est prædicator, ut in Isaia : « Dabo in solitudine cedrum et spinam [16], » id est, ponam in Ecclesia contemplantem et prædicantem. *Spina*, compunctio peccatorum vel vitiorum, ut in Job : « Et pro ordeo * spina [17], » id est, si hoc malum feci, deficiat in me bona operatio, et crescat in me vitiorum punctio. *Spina*, superbia cordis, ut in Psalmis : « Dum configitur spina [18], » id est, dum in me humiliatur superbia. Per *spinas* malitiæ cordis, ut in Isaia : « Orientur in domibus ejus spinæ [19], » id est, in cogitationibus ejus crescent malitiæ. Per *spinas* suspiciones formidinum, ut in Parabolis : « Iter impiorum quasi sepes spinarum [20], » quod undique circumdant impios suspiciones, ne per iter justitiæ incedere audeant. Per *spinas* prædicatores, ut in Cantico : « Sicut lilium inter spinas [21], » quod sancta Ecclesia in medio pravorum * hic peregrinatur. Per *spinas* divitiæ, ut in Evangelio : « Et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud [22], » quod divitiæ terrenæ verbum vitæ destruunt. Per *spinas* hæretici, ut in Evangelio : « Nunquid de spinis uvas [23], » quod de hæreticis sanctitatis gratia non procedit.

Spiritus est ipse Deus, ut in Evangelio : « Spiritus est Deus [24]. » *Spiritus*, anima hominis, ut in Evangelio : « Et inclinato capite tradidit spiritum [25], » id est, animam. *Spiritus*, mens nostra, ut in Paulo : « Renovamini spiritu mentis vestræ [26], » id est, spiritualem exercete novitatem in mente vestra. *Spiritus*, ratio nostra, ut in Paulo : « Orabo spiritu [27], » id est, rationabiliter orabo. *Spiritus*, appetitus peccatoris, ut in Ecclesiaste : « Et spiritus jumentorum descendat deorsum [28], » quod jumenta nulla nisi terrena et ima appetunt. *Spiritus*, diabolus, ut in libris Regum : « Spiritus Domini malus [29], » quod diabolus et *spiritus Domini* est, pro eo quod ejus judicio servit, et *malus* in eo quod in voluntate semper malitiam habet. *Spiritus*, ventus aeris, ut in Psalmis : « Et spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus [30], » id est, ventus tempestatis, quæ obediunt voluntati ejus. *Spiritus*, inspiratio divina, ut in Psalmis : * « Flavit spiritus ejus, et fluent aquæ [31], » quod inspiratio interna visitat nos, et * current compunctionis lacrymæ. *Spiritus*, timor Domini, ut in libris Regum : « Spiritus Domini grandis, subvertens montes et * convertens petras [32], » quod timor Domini omnem in nobis altitudinem dejicit, et duritiam liquefacit. *Spiritus*, robur hominis, ut in Psalmis : « Auferes spiritum eorum, et deficient [33], » id est, permittes debilitari robur eorum, et non subsistent. *Spiritus*, superbia hominis, ut in Job : « Quarum indignatio ebibit spiritum meum [34], » quod omnem in nobis divina afflictio destruet fastum. Per *spiritum* quique spirituales, ut in Psalmis :

[1] Job XXIII, 12. [2] Psal. 34, 13. [3] Job XIV, 27. [4] Exod. IV, 6, 7. [5] Luc. XVI, 2. [6] Prov. III, 16. [7] Matth. VI, 3. [8] Prov. IV, 27. [9] Job 23, 9. [10] III Reg. XXII, 19. [11] Matth. XXV, 32. [12] Ezech. I, 7. [13] Job XXIV, 10. [14] II Reg. IV, 6. [15] Gen. XLI, 26. [16] Isa. XLI, 19. [17] Job XXXI, 40. [18] Psal. XXXI, IV. [19] Isa. XXXIV, 13. [20] Prov. XV, 19. [21] Cant. II, 2. [22] Matth. XIII, 7; Marc. IV, 7; Luc. VIII, 7. [23] Matth. VII, 16. [24] Luc. VI, 44; Joan. IV, 24. [25] Joan. XIX, 30. [26] Ephes. IV, 23. [27] I Cor. XIV, 15. [28] Eccle. III, 21. [29] I Reg. XVI, 14. [30] Psal. CXLVIII, 8. [31] Psal. CXLVII, 18. [32] III Reg. XIX, 11. [33] Psal. CIII, 29. [34] Job VI, 4.

Digitized by Google

« Qui fecit angelos suos spiritus [1], » id est, prædicatores suos efficit spirituales.

* *Sirpus* est vita hypocritarum, ut in Job : « Nunquid virescere potest * sirpus absque humore [2], » quod nec hypocrita bonum opus sine gratia Dei potest habere.

Sirenæ sunt hæretici, ut in Isaia : « Et * sirenæ in delubris * voluptatis [3], » quod hæretici in conventiculis veritatis *.

Sitis est desiderium bonum, ut in Psalmis : « In siti mea potaverunt [me aceto] [4], » id est, desiderantem me salutem eorum amaritudine potaverunt me passionis. *Sitis*, cupiditas, ut in Job : « Et * exardet contra eum sitis [5], » quod impium cupiditas magis ac magis inflammat.

Stipula est infirmitas hominis, ut in Job : « Et stipulam siccam persequeris [6], » id est fragilem infirmitatem meam tentationibus aggrederis. *Stipula*, mens instabilis, ut in Psalmis : « Et sicut stipulam ante faciem venit [7], » quod mentem instabilem flatus huc illucque tentationis impellit. *Stipula*, reprobi, ut canticum Exodi : « Quæ devoravit eos sicut stipulam [8], » quod * Dei reprobos et aridos levesque condemnat.

Stillio est quilibet simplex, ut in* Parabolis : « Stillio manibus nititur [9], » quod simplex quilibet bonis operibus * vincetur.

Stilus est fortis Dei sententia, ut in Job : « Ut exarentur in libro * stylo ferreo [10], » quod verba Dei forti ejus sententiam in cordibus alligantur electorum.

Stilla est infirmitas hominis, ut in Isaia : « Ecce gens quasi stillæ situlæ [11], » quod in pellem de infirmitate sua homo semper ad ima defluit. Per *stillam* prædicatores, ut in Job : « Quis genuit stillas roris [12], » quod Dominus per gratiam suam producit veritatis * prædicationes.

Stillicidia sunt fideles, ut in Psalmis : « In stillicidiis ejus lætabitur germinans [13], » quod in augmento fidelium suorum sancta Ecclesia gaudet.

Socrus est Synagoga, ut in Evangelio : « Socrus in nurum suam [14], » quod Synagoga ab Ecclesia, et Ecclesia dissentit a Synagoga.

Sol est Deus, ut in libro Sapientiæ : « Sol justitiæ non ortus est nobis [15], » id est, nec per cognitionem veritatis, nec per amorem virtutis Dominus illuxit nobis. *Sol*, resurrectio Christi, ut in Psalmis : « Ortus est sol, et congregati sunt [16], » id est, apparente resurrectione Christi, discipuli, qui dispersi sunt, adunati sunt. *Sol*, sancta Ecclesia, ut in Cantico : « Electa ut sol [17], » quod Dominus Ecclesiæ decoram claritatem et clarum decorem elegit. *Sol*, virgo Maria, ut in Psalmis : « In sole posuit tabernaculum suum [18], » quod corpus ejus, in quod divinitas habitavit, in virgine conceptum fuit. *Sol*, prædicatio, ut in Apocalypsi : « Sol factus est niger, sicut saccus cilicinus [19], » quod sancta prædicatio vel apud quosdam et despicabilis habetur. *Sol*, quilibet prædicator, ut in Job : « Qui præcipit soli, et non oritur [20], » quod justo judicio Dei prædicator omnis a Judæa discessit. *Sol*, baptisma, ut in Apocalypsi : « Mulier amicta sole [21], » sancta videlicet Ecclesia baptismi purgata inundatione. *Sol*, ordo sacerdotalis, ut in Psalmis : « Solem in potestatem diei [22], » quod Dominus peram sacerdotalem clericis imposuit. *Sol*, quilibet sapiens, ut in Ecclesiastico : * « Sapiens permanet ut sol [23], » id est, in claritate sapientiæ suæ perseverat. *Sol*, charitas, ut in Cantico : « Quod * decoravit sol me [24], » id est, quod afflicta sum, charitas mea est. *Sol*, lætitia, ut in Psalmis : « Per diem sol non uret te [25], » id est tempore prosperitatis lætitia non extollet te. *Sol*, sublimis in Ecclesia, ut in Apocalypsi : « Angelus effudit phialam suam in sole [26], » id est, ipsos Ecclesiæ sublimes afflictio percussit. *Sol*, contemplatio, ut in Job : « Si viderem solem, cum fulgeret [27], » id est, pro claritate contemplationis, ut in Apocalypsi : « Angelum stantem in * cœlo [28], » id est, ipsos Ecclesiæ sublimes, « et clamabat omnibus avibus, » id est, vide doctorem in sancta conversatione viventem, et prædicabat omnibus viris sanctis. *Sol*, fervor justitiæ, ut in Genesi : « Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo [29], » quod quando fervor justitiæ deficit in mente, mox ipsa mens obscuratur. *Sol*, tentationis calor, ut in Levitico : « Cum laverit carnem suam aqua, et occubuerit sol, tunc mundatus vescetur de sanctificatis [30], » id est, cum mundaverit actus suos illicitos per compunctionem, et defecerit ardor tentationis, tunc accedere poterit ad sacramenta divina. *Sol*, tribulatio, ut in Evangelio : « Sole autem orto * æstimaverunt [31], » id est, tribulationis ardore fervescente, laboraverunt. *Sol*, acumina sapientum, ut in Job : « Sub ipso erunt radii solis [32], » quod ipsos, qui sapientes esse videntur, diabolus nonnunquam sibi sufficit. *Sol*, præsens tempus, ut in Psalmis : « Ante solem permanet nomen ejus [33], » quod ipse immutabilis ante omnia tempora fuit. *Sol*, claritas patriæ cœlestis, ut in Genesi : « Ortus est sol ei, postquam transgressus est Phanuel [34], » quod postquam desinemus videre Deum per fidem, videbimus eum in patria cœlesti facie ad faciem : quod Phanuel *facies Dei* interpretatur, et designat fidem.

Solium est gloria regni cœlestis, ut in Job : « Qui tenet vultum solii sui [35], » id est, aspectum nobis adhuc gloriæ suæ abscondit. *Solium*, sancti angeli, ut in Job : « Et veniam usque ad solium ejus [36], » id

[1] Psal. CIII, 4. [2] Job VIII, 11. [3] Isa. XIII, 22. [4] Psal. LXVIII, 22. [5] Job XVIII, 9. [6] Job XIII, 15. [7] Psal. LXXXIII, 14. [8] Exod. XV, 7. [9] Prov. XX, 28. [10] Prov. XIX, 24. [11] Isa. XL, 15. [12] Job XXXVIII, 28. [13] Psal. IV, 11. [14] Luc. XII, 53. [15] Sap. V, 6. [16] Psal. CIII, 22, [17] Cant. VI, 9. [18] Psal XVIII, 5. [19] Apoc. VI, 12. [20] Job. IX, 7. [21] Apoc. XII, 1. [22] Psal. CXXXV, 8. [23] Eccli. XXVII, 12. [24] Cant. I, 6. [25] Psal. CXX, 6. [26] Apoc. XVI, 8. [27] Job XXXI, 26. [28] Apoc. XIX, 17. [29] Gen. XV, 17. [30] Lev. XXII, 7. [31] Matth. XIII, 6. [32] Job XLI 21. [33] Psal. LXXI, 17. [34] Gen. XXXII, 31. [35] Job XXVI, 9. [36] Job XXIII, 3.

Digitized by Google

est, per contemplationem pertingam usque ad angelos, in quibus ipse regnat. *Solium*, angelica simul et humana natura, ut in Isaia : « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum [1], » quod Dominus et angelo in prima sublimitate permanenti, et homini ad amissam per Christi redemptionem erecto, per intellectum præsidet. *Solium*, sancta sublimitas mentis, ut in Job : « Et reges in solio collocat [2], » quod electos suos illicitis motibus suis * intelligenter resistentes, ad magnam in mente Dominus altitudinem sanctitatis perducit. *Solium*, sedes consilii, ut in Isaia : « Non * solium filiæ Chaldæorum [3], » quod reprobi sanum consilium non habent. *Solium*, altitudo mundana, ut in Jona : « Surrexit rex de solio regni sui [4], » quod ipsi summi Principes, cognita veritate, ad prædicationem Christi per pœnitentiam ad fidem se inclinaverunt.

Solitudo est gentilitas, ut in Isaia : « Dabo in solitudine cedrum et spinam [5], » id est, ponam in gentilitate contemplativos et prædicatores. *Solitudo*, quies mentis, ut in Psalmis : « Et mansi in solitudine [6], » id est, perseveravi in interna mentis quiete.

Somnus est mors carnis, ut in Psalmis : « Cum dederit dilectis suis somnum [7], » id est, cum electos suos perduxerit ad mortem. *Somnus*, quies mentis, ut in Job : « « Et somno meo requiescerem [8], » id est, cordis mei quiete pausarem. *Somnus*, torpor negligentiæ, ut in Parabolis : « Quando de somno consurges [9] ? » id est, quando de torpore negligentiæ te excuties ? * *Somnus*, quilibet hypocrita, ut in Job : « Velut * somnum avolans non invenietur [10], » quod hypocrita in futuro in conspectu judicis evanescet.

Sonus est Spiritus sanctus, ut in Job : « Et sonus de ore illius procedens [11], » quod de Patre et Filio Spiritus sanctus procedit. *Sonus*, fides, ut in Ezechiele : * « Et ambularent, ut sonus multitudinis erat [12], » quod euntibus in prædicatione apostolis multi veram fidem plena libertate confessi sunt. * *Sonus*, gemitus pœnitentiæ, ut in Job : « Post eum rugiet sonitus [13], » id est, pœnitentium resonabit gemitus.

Spolia sunt eloquia divina, ut in Genesi : « Et vespere dividet spolia [14], » id est, ad extremum verba prædicabit divina. *Spolia*, viri sancti, ut in Psalmis : « Et speciei domus dividere spolia [15], » quod Ecclesiæ sanctæ viri sancti plures modos sanctitatis sortiuntur. *Spolia*, peccatores, ut in Evangelio : « Et spolia ejus distribuet [16], » quod Dominus multos per gratiarum suarum dona dimisit, quos diabolus per peccati lucrum acquisivit.

Sportæ sunt corda doctorum, ut in Evangelio : « De fragmentis septem sportas [17], » quod Scripturæ sacræ deliciis prædicatores septiformi Spiritu implentur.

Stola est caro Christi, ut in Isaia : « Iste formosus in stola sua [18], » quod nullam habuit maculam peccati in humanitate sua. *Stola*, sancta Ecclesia, ut in Genesi : « Lavabit in vino stolam suam [19], » id est, passionis suæ sacramento purgabit Ecclesiam suam. *Stola*, virtus innocentiæ, ut in Evangelio : « Cito proferte stolam ipsi, et induite eum [20], » id est, virtute innocentiæ, quam prius habuit, coronate eum. *Stola*, gaudium novum, ut in Evangelio : « Sedentem in dextris, cooperium stola candida, et obstupuerunt [21], » * et æternam nostri Salvatoris vitamque novam lætitiam nostram nuntiavit. Per *stolam* gloria cœlestis, ut in Apocalypsi : « Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ [22], » quod sancti a corporibus exuti singulas in lætitia animarum jam stolas perceperunt. Per *stolas* opera bona, ut in Genesi : « Singulis quoque proferri jussit binas stolas [23], » quod verus Joseph, Dominus Jesus, electis suis præcepit, ut sancti sint et corpore et spiritu. Per *stolas* cogitationes, ut in Apocalypsi : « Beati qui lavant stolas suas [24], » id est, qui mundant cogitationes suas. Per *stolas* ornatus exteriorum sensuum, ut in Genesi : « Trecentos argenteos cum stolis quinque optimis [25], » quod Dominus Paulo contulit perfectionem fidei sanctæ Trinitatis, et sanctæ prædicationis cum munditia exteriorum sensuum.

Scorpio est desperatio, ut in Evangelio : « Numquid porriget illi scorpionem [26] ? » quod si * ipse a Deo petimus, non dabit vobis desperationem. Per *scorpiones* doctores, ut in Ezechiele : « Et cum scorpionibus habitas [27], » id est, cum iis, qui retro deregant, quod in posterioribus scorpio timetur. Per *scorpiones* dæmones, ut in Evangelio : « Super serpentes et scorpiones [28], » id est, super homines pravos et spiritus malignos.

Soror est Ecclesia primitiva, ut in Cantico : « Soror nostra parva est, et ubera non habet [29], » quod Ecclesia primitiva modicam in initio virtutem habuit, et nec de charitate germinata roborata fuit. *Soror*, putredo carnis, ut in Job : « Mater mea, et soror mea vermibus [30], » quod et a putredine venimus, et cum putredine incedimus.

* *Subula* est subtilitas verbi, ut in Exodo : « Perforabit autem ejus subula [31], » id est, transfigit mentem subtilitate verbi divini.

Scutum est protectio, ut in Psalmis : « Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos [32]. * *Scutum*, judicium, ut in Jeremia : « Da eis, Domine, * dolorem cordis, scutum tuum [33], » id est, secundum justum judicium tuum fac eos tristitiam habere. *Scutum*,

[1] Isa. VI, 1. [2] Job XXXVI, 7. [3] Isa. XLVII, 1. [4] Jon. III, 6. [5] Isa. XLI, 1. [6] Psal. LIV, 8. [7] Psal. CXXVI, 2. [8] Job III, 13. [9] Prov. VI, 9. [10] Job XX, 8. [11] Job XXXVII, 2. [12] Ezech. I, 24. [13] Job XXXVII, 4. [14] Gen. XLIX, 27. [15] Psal. LXVII, 13. [16] Luc. XI, 22. [17] Matth. XV, 37. [18] Isa. LXIII, 1. [19] Gen. XLIX, 11. [20] Luc. XV, 22. [21] Marc. XVI. [22] Apoc. VI, 11. [23] Gen. XLV, 22. [24] Apoc. XXII, 14. [25] Gen. XLV, 22. [26] Luc. XI, 12. [27] Ezech. II, 6. [28] Luc. X, 19. [29] Cant. VIII, 8. [30] Job XVII, 14. [31] Exod. XXI, 6. [32] Psal. V, 13. [33] Thren. III, 65.

Digitized by Google

reprobi, ut in Job : « Corpus illius quasi scuta fusilia [1], » quod reprobi, qui corpus diaboli sunt * ... fragiles sunt. Per *scuta* excusationes, ut in Psalmis : « Et scuta comburet igni [2], » id est, per amorem Dei excusationes destruet peccati.

Sculptura exempla sunt sanctorum, ut in libris Regum : « Et sculptura super labium æneum circuibat illud [3], » quod baptizatos cum fidei confessione exempla sanctorum exornant.

Sudes sunt consilia sanctorum, ut in Job : « Et in sudibus perforabit nares ejus [4], » quod per acuta sanctorum suorum consilia Dominus versutias diaboli destruet. *Sudes*, iniqui, ut in libro Josue : « Sint vobis sudes in oculis vestris [5], » quod reprobi claritatem veræ lucis auferunt sanctis, si eos imitantur.

Sulphur est fetor vitiorum, ut in Job : « Aspergatur in tabernacula ejus sulphur [6], » quod in mente cujuslibet pravi luxuriæ fetor dominatur. *Sulphur* ardens, fetor pœnæ, ut in Psalmis : « Pluet super eos laqueos, ignis et sulphur [7], » etc., id est, dabit * impiis pœnas, ut * eos pariter et ardor * exuret, et fetor affligat.

Sulci sunt viri sancti, ut in Job : « Et cum * sulci ejus deflent [8], » id est, sicut * Ecclesia viri sancti plangunt.

Sunamitis est Synagoga, ut in Cantico : « Revertere, revertere, Sunamitis [9], » id est, redi ad fidem, redi ad bonam operationem, o captiva Synagoga, quod Suna *captiva* interpretatur.

Superhumerale est fortitudo boni operis, ut in Exodo : « Facies superhumerale de auro [10], » quod veræ sapientiæ fructus est fortitudo boni operis.

Superbus est diabolus, ut in Job : « Et prudentia ejus percussit superbum [11], » quod sapientia Patris Christi prostravit diabolum.

Superbia est tumor mentis, ut in Job : « Ipse est rex super omnes filios superbiæ [12], » quod iis, qui contra Deum sive proximum in mente intumescunt, diabolus dominatur. *Superbia*, auctoritas, ut in Isaia : « Et ponam te in superbiam * dominorum [13], » quod Dominus Ecclesiam suam ad magnæ auctoritatis erectionem evexit.

Sus est immundus peccator, ut in Petro : « Et sus lota volutabro luti [14], » id est, peccator involutus in immunditia peccati.

* *Struthio* est quilibet negligens prædicator, ut in Job : « Penna struthionis similis est pennis herodii et * ancipitris [15], » quod exterior nonnunquam negligentiis prædicatoris operatio operibus sanctorum similis esse videtur. Per *struthionem* simulatores, ut in Job : « Frater fui draconum, et socius * struthionum [16], id est, cohabitator fui fidelium et simulatorum.

T

Tabernaculum.	*Triticum.*	*Tiara.*
Torna.	*Thesaurus.*	*Tectum.*
Thymiama.	*Topazion.*	*Turris.*
Tauri.	*Tigna.*	*Tribulus.*
Turtur.	*Talamus.*	*Terra.*
Tincturæ.	*Tunica.*	*Thus.*
Tentorium.	*Tintinnabula.*	*Tigris.*
Truella.	*Topazion.*	*Tabes.*
Testa.	*Tentatio.*	*Tubæ.*
Talentum.	*Truncus.*	*Tinea.*
Thronus.	*Thorax.*	*Templum.*
Tympanum.	*Tabulæ.*	*Torrens.*
Tela.	*Torcular.*	*Tonitrus.*
Thuribulum.		

Tabernaculum est patria cœlestis, ut in Psalmis : « Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo [17] ? » id est, quis erit dignus locari in cœlesti regno? *Tabernaculum*, humanitas Christi, ut in Psalmis : « In sole posuit tabernaculum suum [18], » id est, in virgine posuit humanitatem suam. *Tabernaculum*, virgo Maria, ut in Psalmis : « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus [19], » id est, purificavit per Spiritum sanctum matrem suam Christus. *Tabernaculum*, sancta Ecclesia, ut in Apocalypsi : « Ecce tabernaculum [Dei] cum hominibus [20], » quod sancta Ecclesia in medio carnalium commoratur. *Tabernaculum*, corpus nostrum, ut in Epistola Petri : « Justum autem arbitror, quandiu sum in tabernaculo isto, vos * commovere [21], » id est, quandiu vivo in corpore isto, docere vos. *Tabernaculum*, mens nostra, ut in Job : « Secreto erit Deus in tabernaculo meo [22]. » * *Tabernaculum*, ipsa conversatio, ut in Job : « Et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo [23], » id est, a conversatione tua. *Tabernaculum*, caro impii, ut in Job : « Affligetur * relictus in tabernaculo suo [24], » punietur videlicet reprobatus in carne sua. *Tabernaculum*, felicitas terrena, ut in Job : « Et tabernaculum impiorum non subsistet [25], » id est, felicitas terrena, * cum tanto affectu incumbunt impii * deficient. *Tabernaculum*, sancti angeli, ut in Psalmis : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine [26] ! » id est, quanto amore * ... tibi sunt angeli, in quibus habitas, o Domine! Per *tabernacula* antiqui sancti, ut in libro Numeri : « Quam pulchra tabernacula tua, Jacob [27] ! » quod multo spirituali decore nitebant antiqui sancti. Per *tabernacula* gentiles, ut in Job : Et tabernacula eorum in terra salsuginis [28], » quod * Christus Deus Pater corde gentilium dedit, ut in eis habitaret per fidem. Per *tabernacula* crimina cujuslibet reprobi, ut in Psalmis : « Et in tabernaculis ejus non sit qui inhabitet [29], » quod reproborum crimina electi imitari contemnunt.

Tabulæ sunt apostoli, ut in Exodo : « Fecitque

[1] Job. XLI, 6. [2] Psal. XLV, 10. [3] III Reg. VII, 24. [4] Job XL, 19. [5] Jos. XXIII, 13. [6] Job XVIII, 15. [7] Psal. X, 6. [8] Job XXXI, 38. [9] Cant. VI, 12. [10] Exod. XXVIII, 6. [11] Job XXVI, 12. [12] Job XLI, 25. [13] Isa. LX, 15. [14] II Petr. II, 22. [15] Job XXXIX, 16. [16] Job XXX, 29. [17] Psal. XIV, 1. [18] Psal. XVIII, 6. [19] Psal. XLV, 5. [20] Apoc. XXI, 3. [21] II Petr. I, 13. [22] Job XXIX, 4. [23] Job XXII, 23. [24] Job XX, 26. [25] Job VIII, 22. [26] Psal. LXXXIII, 2. [27] Num. XXIV, 5. [28] Job XXXIX, 9. [29] Psal. LXVIII, 26.

Digitized by Google

tabulas tabernaculi stantes [1], » quod apostolos Ecclesiæ fidei et operis rectitudine sublimes Christus fecit. *Tabulæ*, scientia et potestas, ut in Exodo dedit Dominus Moysi : « Duas tabulas [2], » quod unicuique maxime prælato hæc duo valde necessaria sunt, scientia videlicet intelligendi et potestas operandi. *Tabulæ*, cordis latitudo, ut in Cantico : « Compingamus illud tabulis cedrinis [3], » quod sanctam animam excelsa intrinsecus latitudine Pater et Filius et Spiritus sanctus exornant. *Tabulæ*, latitudo operis, ut in librum Regum : « Et texit pavimentum tabulis abiegnis [4], » quod virum humilem Deus boni operis latitudine exterius ornat.

Talentum est intellectus, ut in Evangelio : « Abscondit talentum in terra [5], » quod negligens quilibet intellectum, quem ad salutem aliorum accepit, in terrenis negotiis expendit. *Talentum*, pondus peccati, ut in Zacharia : « Et ecce talentum plumbi portabatur [6], » id est, pondus peccati exercebatur. *Talentum*, pondus bonum, ut in Exodo : « Omnes pondus candelabri cum omnibus vasis suis habebat talentum auri purissimi [7], » quod Christus et ejus electi magnitudinem veræ scientiæ possident. Per *talentum* sensus corporales, ut in Evangelio : « Domine, quinque talenta tradidisti mihi [8], » scilicet donum quinque sensuum, quod est exteriorum scientiam mihi tradidisti. Per * *talenta* intellectus et operatio, ut in Evangelio, « duo talenta [9], » id est, intellectum et operationem mihi tradidisti.

Trabs est odium, ut in Evangelio : « Ejice trabem de oculo tuo [10], » id est, abjice odium a corde tuo. Per *trabes* apostoli, ut in libris Regum : « Trabes autem posuit in domo per circuitum [11], » id est, apostolos posuit in Ecclesia : « Et in omnem terram exivit sonus eorum. »

Thalamus est uterus Mariæ, ut in Psalmis : « Tanquam sponsus procedit de thalamo suo, » id est, mundus exiens de virgineo utero. *Thalamus*, mens devota, ut in Deuteronomio : « Quasi in thalamo tota die morabitur [12], » quod vir sanctus in contemplatione in mente sua conversatur. Per *thalamos* viri sancti, ut in Ezechiele : « Et inter thalamos quinque cubitos [13], » quod viri sancti et amore Dei interius ardent, et ministerium quinque sensuum exterius exercent.

Tauri sunt Judæi, ut in Psalmis « Tauri pingues obsederunt me [14], » id est, Judæi superbi et feroces afflixerunt me. *Tauri*, patres Veteris Testamenti, ut in Evangelio : « Tauri mei et altilia mea occisa [15], » id est, bona jam præbuerunt exempla Patres antiqui, quibus concessum est ut inimicos suos ament. *Taurus*, cervix superbiæ, ut in Job : « Sumite vobis septem tauros [16], » id est, mactate in vobis plenarie ducem superbiæ. *Tauri*, hæretici, ut in Psalmis : « Congregatio taurorum in vaccis populorum [17], » id est, conventicula hæreticorum in fecunditatibus hominum.

Tectum est * tectum, ut in Psalmis : « Sicut passer solitarius in tecto [18], » quod solus Christus cum corpore suo, quod est Ecclesia, exclusis reprobis, regnabit in cœlo. *Tectum*, subtilitas sacræ Scripturæ, ut in Evangelio : « Nudaverunt tectum, ubi erat Jesus, [19], » id est, exposuerunt sacram Scripturam, in qua est vera salus nostra. *Tectum*, caro nostra, ut in Evangelio : « Et qui in tecto, non descendat [20], » id est, qui in carne dominium exercet, sub carne se non prosternat.

Tela est brevitas hujus vitæ, ut in Job : * « Quasi a texente tela succiditur [21], » quod vita nostra, quo plus habet præteritum, eo minus habet futurum. Per *telam* status pravorum, ut in Isaia : « Et telas araneæ * texunt [22], » quod reprobi ad hoc modis omnibus laborant, ut lucrum vitæ præsentis apprehendant, ad instar videlicet araneæ, quæ ad hoc viscera sua extendit, ut vilem prædam, id est, muscam capiat.

Templum est patria cœlestis, ut in Psalmis : « * Replebuntur in bonis domus tuæ * [sanctum est] templum tuum [23], » id est, implebitur gaudiis cœli ubi habitatio tua omni sanctitate splendet. *Templum*, corpus Christi, ut in Evangelio : « Solvite templum hoc, et in triduo ædificabo illud [24], » id est, occidite corpus meum, et die tertia suscitabo illud. *Templum*, virgo Maria, ut in Psalmis : « Et in templo ejus omnes dicent gloriam [25], » quod in Ecclesia electi confitentur fidem veram. *Templum*, corpus nostrum, ut in Paulo : « Nescitis quod corpora nostra templum sunt Spiritus sancti [26], » quod in cordibus mundis habitat Spiritus sanctus. *Templum*, mens devota, ut in Paulo : « Si quis templum Dei violaverit [27], » id est, si quis mentem suam, in qua Deus habitare debet, violaverit. *Templum*, capacitas intellectus angelici et humani, ut in Isaia : « Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum [28], » quod mirabilia etiam creaturarum Dei admiratur sensus angelicus et humanus. *Templum*, viri sancti, ut in Paulo : « Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos [29]. »

Tentatio est vel humana, id est, aliter sapere quam res se habet cum bono, * tum animo tantum; vel diabolica, id est, nimis defendere sententiam suam quam scit esse pravam, vel pro bonis, quod tentat nos Deus, ut sciat, hoc est, ut scire faciat quod diligitis eum; vel seductionis, quod Deus neminem tentat. De prima dicitur, ut in Paulo : « Tentatio vos non apprehendat, nisi humana [30]. » De secunda, item in Paulo : Neque tentetis Christum, sicut illi tentaverunt. De tertia, in Genesi : « Ten-

[1] Exod. XXVI, 15. [2] Exod. XXIV, 12. [3] Cant. VIII, 9. [4] III Reg. VI, 15. [5] Matth. XXV, 18, 25. [6] Zach. V, 7. [7] Exod. XXV, 39. [8] Matth. XXV, 20. [9] Ibid. V, 27. [10] Matth. VII, 5; [11] Luc. VI, 42. [12] Deut. XXXV, 12. [13] Ezech. XL, 8. [14] Psal. XXI, 13. [15] Matth. XXII, 4. [16] Job XLII, 10. [17] Psal. LXVII, 31. [18] Psal. CI, 8. [19] Marc. II, 4. [20] Matth. XXIV, 17. [21] Job VII, 6. [22] Isa. LIX, 5. [23] Psal. LXV, 6. [24] Joan. II, 19. [25] Psal. XXVIII, 9. [26] I Cor. VI, 19. [27] I Cor. III, 17. [28] Isa. VI, 1. [29] I Cor. III, 17. [30] I Cor. X, 13.

Digitized by Google

tavit Deus Abraham [1]. » De quarta, * Dominus in oratione Dominica, « Ne nos inducas in tentationem [2], » id est, ne nos induci sinas in diabolicam deceptionem.

Tentorium est sanctitas primitivæ Ecclesiæ, ut in Exodo : « Fecit et tentorium in introitum tabernaculi [3], » quod multo sanctitatis decore ornata fuit Ecclesia primitiva. *Tentorium*, quilibet sanctus, ut in Job : « Si voluerit extendere quasi nubes tentorium suum [4], » id est, virum sanctum ad similitudinem sanctorum Patrum in sanctitate dilatare. *Tentorium*, Synagoga, ut in propheta : « Non est ultra qui extendat tentorium meum [5], » quod nullus prædicator modo rectam fidem prædicat populo Judæorum. Per *tentorium* justi, ut in libro Numeri : « Quam pulchra sunt tentoria tua, o Israel [6]; « quam valde decoræ sunt congregationes sanctorum Domini per fidem intentæ videntium. Per *tentorium* omnes impii, ut in cantico Habacuc : « Vidi tentoria Æthiopiæ [7], » id est, contemplatus sum homines impios peccati nigredine coopertos.

Terra est Christus, ut in Job : « Terra data est in manus impii [8], » quod Christus tempore passionis suæ traditus fuit ministris diaboli. *Terra*, regnum cœlorum, ut in Isaia : « In terra sua duplicia possidebunt [9], » quod in regno cœlesti, electi beatitudine simul et corporis gaudebunt. *Terra*, Virgo Maria, ut in Psalmis : « Et terra nostra dabit fructum suum [10], » id est, Maria suum peperit Filium. *Terra*, Ecclesia, ut in Job : « Quando ponebam fundamenta terræ [11], » id est, quando constituebam apostolos Ecclesiæ. *Terra*, plebs Israelitica, ut in Job : « Qui commovet terram de loco suo [12], » quod plebem Judaicam Dominus de terra fugari permisit. *Terra*, societas scribarum et sacerdotum Synagogæ, ut in Job : « Terra, de qua oriebatur panis in loco suo, igne subversa est [13], » id est, sacerdotes et scribæ, a quibus sanctæ prædicationis refectio procedere debuit, invidia erga Christum conversi sunt. *Terra*, gentilitas, ut in Job : « Ut pluerent super terram absque homine in deserto [14], » id est, ut prædicaret in populo gentili, qui, derelictus a Deo, a nullo prædicatore instruebatur. *Terra*, quilibet sanctus, ut in Job : « Longior * est tibi terra mensura ejus [15], » quod contemplationem viri sancti magnitudo Dei excedit. *Terra*, quilibet subjectus, ut in Job : « Terram ungula fodit [16], » quod prælatus subjectum suum fortis * operit, exemplo emollit. *Terra*, corpus nostrum, ut in Genesi : « Terra es, et in terram ibis [17], » quod corpus nostrum de terra sumptum est, et ad terram revertetur. *Terra*, mens sancta, ut in Genesi : « Et producat terra herbam virentem [18], » id est, ostendat in publicum devota mens actionem congruentem. *Terra*, mens prava, ut in Job : « Non invenitur in terra suaviter viventium [19], » quod videlicet sapientia non moratur in mente desideriis carnalibus subjecta. *Terra*, terrena sapientes, ut in Job : « Loquere terræ, et respondebit tibi [20], » quod etiam terrena sapientes aliquid instructionis in nostra nobis contemplatione afferunt. *Terra*, infirma actio, ut in Job : « Dabit pro terra silicem [21], » id est, pro actione infirma conferet robustam. *Terra*, quilibet, * ut in Paulo : « Terra enim super se venientem suscipiens imbrem [22], » id est, auditor super se instruentem amplectens prædicationem. *Terra*, domestica familia, ut in Job : « Si adversum me terra mea clamet [23], » id est, si domestica familia mea [de] me conqueritur. *Terra*, minores in Ecclesia, ut in Cantico : « * Audiat terra verba oris mei [24], » id est, auscultent minores * plagam prædicationem meam. *Terra*, Antichristus, ut in Isaia : « Væ terræ alarum cymbalo [25], » id est, maledictus Antichristus qui superbiæ volatum sonabit. *Terra*, infernus, ut in Job : « Ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine [26], » id est, ad infernum tenebris plenum, et obscuritate mortali obsessum.

Thesaurus est cœleste præmium, ut in Job : « Quasi effodientes thesaurum [27], » id est, quasi quærentes cœleste præmium. *Thesaurus*, desiderium bonum, ut in Evangelio : « Thesauro abscondito in agro [28], » id est, desiderio bono, latenti in animo. *Thesaurus*, sancta locutio, ut in Parabolis : « Thesaurus desiderabilis * requievit in ore sapientis [29]. » *Thesaurus*, intentio bona, ut in Evangelio : « De bono thesauro profert bonum [30], » quod ubi procedit bona intentio, bona succedit operatio. Per *thesaurum* viri sancti, ut in Psalmis : « Qui producit ventos de thesauris suis [31], » quod in viris sanctis * aliis alios proferunt. Per *thesauros* iniqui, ut in Job : « Nunquid ingressus es thesauros nivis [32] ? » quod Dominus per inspirationis suæ gratiam frigida nonnunquam Judæorum iniquorum corda ingreditur. Per *thesaurum* providentia Dei, ut in Deuteronomio : « Et signata in thesauris meis [33], » id est, rata et confirmata in providentia mea.

Testa est caro Christi, ut in Psalmis : « Aruit tanquam testa virtus mea [34], » quod caro Christi per ignem passionis ad fortitudinem convaluit. *Testa*, vigor districtionis, ut in Job : « Qui testa radebat saniem [35], » quod vigore districtionis viri sancti fluxum illicitæ delectationis abstergunt.

Tigris est hypocrita, ut in Job : « Tigris periit, eo quod non haberet prædam [36], » quod tunc se quodammodo hypocrita perire putat, quando prædam humani favoris rapere non valet. *Tigris*, * mortalitas nostra, ut in libro Tobiæ : « Mansit juxta flu-

[1] Gen. XXII, 1. [2] Matth. VI, 13 ; Luc. XI, 4. [3] Exod. XXVI, 36. [4] Job XXXVI, 29. [5] Jer. X, 20. [6] Num. XXIV, 5. [7] Habac. III, 7. [8] Job IX, 24. [9] Isa. LXI, 7. [10] Psal. LXVI, 7. [11] Job XXXVIII, 4. [12] Job IX, 6. [13] Job XXVIII, 5. [14] Job XXXVIII, 26. [15] Job XI, 9. [16] Job XXXIX, 24. [17] Gen. III, 19. [18] Gen. I, 11. [19] Job XXVIII, 13. [20] Job XII, 8. [21] Job XXII, 24. [22] Hebr. VI, 7. [23] Job XXXI, 36. [24] Deut. XXXII, 1. [25] Isa. XVIII, 1. [26] Job X, 21. [27] Job III, 21. [28] Matth. XIII, 44. [29] Prov. XXI, 20. [30] Matth. XII, 35. [31] Psal. CXXXIV, 8. [32] Job XXXVIII, 22. [33] Deut. XXXII, 34. [34] Psal. XXI, 16. [35] Job II, 8. [36] Job IV, 11.

Digitized by Google

vium Tigris [1], » quod Christus suscepit fluxum humanæ mortalitatis.

Tigna sunt doctores, ut in Cantico : « Tigna domorum nostrarum cedrina [2], » quod prædicatores Ecclesiarum et in bono opere suaves, et in contemplatione sunt sublimes.

Thymiama est devotio orationis, ut in Exodo : « Et thymiama boni odoris [3], » id est, oratio magnæ devotionis.

Tiara decor virtutum, ut in Exodo : « Et tiaram byssinam facies [4], id est, decorem virtutum castitate nitentem.

Tympanum est afflictio carnis et concordia mentis, ut in Exodo : « Maria soror * mox sensit tympanum [5]. » * *Tympanum*, bonum opus, ut in Psalmis : « Sumite psalmum, et date tympanum [6], » id est, adjicite prædicationem et exhibete bonam actionem.

Tinea est quilibet hæreticus, ut in Job : « Ædificavit sicut tinea domum suam [7], » quod malitiæ semper hæretici rodunt conscientiam. *Tinea*, tentatio, ut in Job : « Quasi vestimentum, quod comeditur a tinea [8], » id est, corpus, quod atteritur tentatione. *Tinea*, tormentum inferni, ut in Isaia : « Subter te sternetur tinea [9], » id est, inferni te volvet pœna.

Tintinnabula sunt soni prædicationis, ut in Exodo : « * Et tintinnabula de auro purissimo [10], » id est, * vera prædicatione, vera sapientia.

Tincturæ sunt ornamenta virtutum, ut in Job : « Non tincturæ mundissimæ componentur [11], » quod virtutibus Christi ornamenta virtutum nostrarum, qualiacunque fuerint, comparari non possint. *Tincturæ*, philosophi, ut in Job : « Non confertur cunctis Indiæ coloribus [12], » quod mundi hujus philosophia Christo comparari non debet.

Tribulus est punctio cordis, ut in Job : « Pro frumento oriatur mihi tribulus [13], » id est, recedat a me refectio exsultationis, et pungat me læsio doloris. Per *tribulos* hæretici, ut in Evangelio : « Aut de tribulis ficus [14] ? » quod nullam veram in hæreticis possimus invenire suavitatem. Per *tribulos*, pravæ delectationes, ut in Genesi : « Sed spinas et tribulos germinabit tibi [15], » id est, tentationes et delectationes illicitas caro tua producet tibi.

Triticum est sermo prædicationis, ut in Evangelio : « Ut det illis in tempore tritici mensuram [16], » id est, ut ministret eis, quando optimum fuerit, prædicationis plenitudinem. *Triticum*, opus bonum, ut in Cantico : « Venter tuus sicut acervus tritici [17], » id est, affectus tuus plenitudinem producit effectus boni. *Triticum*, viri boni, ut in Evangelio : « Triticum autem congregate in horreum meum [18], » id est, electos meos admittite in regnum meum.

Tonitrus est incarnatus Dominus, ut in Job : « Et viam sonantis tonitrui [19], » quod Pater inspiravit * in cordibus audientium, ut fidem præbeant Christo prædicanti. *Tonitrus*, quilibet prædicator, ut in Psalmis : « voce tonitrui tui formidabunt [20], » id est, audito sermone prædicationis tuæ pœnitendo timebunt. *Tonitrus*, comminatio, ut in Psalmis : « Vox tonitrui tui in rota [21], » quod sonat divina comminatio in sacra Scriptura. Per *tonitrus* increpationes, ut in Apocalypsi : « Et factæ sunt voces et tonitrua [22], » id est, apparuerunt miracula et prædicationes, et increpationes.

Thorax est virtus patientiæ, ut in Job : « Subsistere non poterit hasta, neque thorax [23], » quod nullius tolerantia sine gratia Dei, malitiæ diaboli resistere potest.

Torrens est sapientia Dei, ut in Psalmis : « Et torrente voluptatis tuæ potabis eos [24], » id est, sapientia divinitatis reficies eos. *Torrens*, inundatio Spiritus sancti, qui homini infundit et dulcedinem in mente et pinguedinem in * mente. *Torrens*, passio Christi, ut in Psalmis : « De torrente in via bibet [25], » id est, passione multa præsenti se affligi permittet. *Torrens*, ultimum judicium, ut in Job : « Dividit torrens a populo peregrinante [26], » quod reprobos per malitiam duros, per ignorantiam duros separabit examen ultimum ab electis. *Torrens*, fluxus hujus vitæ, ut in Job : « Circumdabunt eos salices torrentis [27], » quod diabolos * favent infructuosi amatores vitæ hujus pertranseuntis. Per *torrentes* prædicatores, ut in Job : « Et pro * salice torrentes aureos [28], » quod quos in bono opere Dominus invenit robustos etiam prædicatores, nonnunquam facit desertos. Per *torrentes* prædicatores, ut in Parabolis : « Effodiant * eum corvi de torrente [29], » id est, exstirpent eum humiles doctores, quæ in divinis commorantur prædicationibus.

Topazion sunt viri sancti, ut in Job : « Non adæquabitur ei topazion de Æthiopia [30], » quod Christo nullatenus adæquari possunt viri sancti de hoc mundo. *Topazion*, pretiosa hujus sæculi, ut in Psalmis : « Super aurum et topazion [31], » id est, super sublimitates et omnia pretiosa hujus mundi.

Torna est rectitudo operis, ut in Cantico : « Manus illi tornatiles [32], » quod opera Christi ex omni parte recta fuerunt.

Torcular est crux Christi, ut in Isaia : « Torcular calcavi solus [33], » id est, discipulis meis fugientibus solus pertuli crucem.

Throni sunt angeli sancti, ut in Ezechiele : « Et super * omnes similitudinem throni, similitudo hominis de super [34], » quod super omnes angelos gloria est nostri Redemptoris. *Thronus*, sancta Ecclesia, ut in Psalmis : « Thronus tuus, Deus, in sæculum

[1] Tob. VI, 21. [2] Cant. I, 17. [3] Exod. XXV, 6. [4] Exod. XXVIII, 39. [5] Exod. XV, 20. [6] Psal. LXXX, 3. [7] Job XXVII, 18. [8] Job XV, 28. [9] Isa. XIV, 11. [10] Exod. XXVIII, 34. [11] Job XXVIII, 19. [12] Ibid., v. 16. [13] Job XXXI, 40. [14] Matth. VII, 16. [15] Gen. III, 18. [16] Luc. XII, 42. [17] Cant. VII, 2. [18] Matth. XIII, 30. [19] Job XXXVIII, 25. [20] Psal. CIII, 7. [21] Psal. LXXVI, 19. [22] Apoc. XVI, 18. [23] Job XLI, 17. [24] Psal. XXXV, 9. [25] Psal. CIX, 7. [26] Job. XXVIII, 4. [27] Job XL, 17. [28] Job XXII, 24. [29] Prov. XXX, 17. [30] Job XXVIII, 19. [31] Psal. CXVIII, 127. [32] Cant. VI, 14. [33] Isa. LXIII, 3. [34] Ezech. I, 26.

Digitized by Google

sæculi [1], » quod sancta Ecclesia durabit in perpetuum. *Throni*, sancti prædicatores, ut in Daniele : « Thronus tuus flamma ignis [2], » quod prædicatores et amorem * virtutis prædicant, et lumen veritatis infundunt. *Thronus*, tribunal futuri judicii, ut in Psalmis : « Sedes super thronum, qui judicas justitiam [3], » quod in futuro judicio reddet unicuique secundum opera sua.

Tuba est sonus prædicationis, ut in Joele : « Canite tuba in Sion [4], » id est, clamate vocem prædicationis in Ecclesia. *Tuba*, vox sæcularis potestatis, ut in Job : « Non reputat tubæ clangorem [5], » quod sanctus prædicator nullius sæcularis potestatis comminationes pertimescit. *Tuba*, favor humanus, ut in Evangelio : « Noli tuba canere ante te [6], » id est, noli intuitu humani favoris bona operari. Per *tubas* duo præcepta charitatis, ut in libro Numeri : « Fac tibi duas tubas argenteas [7], » id est, cum nitore prædicationis adimple duo præcepta charitatis. Per *tubam* prædicationes, ut in libro Judicum : « Tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas [8], » quod pro modico habent sancti doctores quod agunt, respecta prædicationum suarum.

Tunica est caro Christi, ut in Levitico : « Vestitur sacerdos tunica linea [9], » id est, Christus induetur veste humana. *Tunica*, Ecclesia catholica, ut in Evangelio : « Erat autem tunica inconsutilis [10], » quod sancta Ecclesia unitati super omnia insistit, et scindi per scandala omnino devitat. *Tunica*, actio consummata, ut in Genesi : « Fecitque ei tunicam talarem [11], » id est, actionem in bonitate perseverantem. *Tunica*, occupatio sæculi, ut in Cantico : « Exui me tunica mea [12], » id est, abjeci a me, qua quondam implicabat, occupationem sæcularem. *Tunica*, corpus humanum, ut in Juda. « Odientes eam, quæ carnalis est, * maculam tunicam [13], » id est, abhorrentes illud, quod carnalibus desideriis subjacet inquinatum corpus. *Tunica*, interiora delicta, ut in Evangelio : « Et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium [14], » id est, si quis te admonet ut delicta tua interiora * abjicias, abjice et exteriora.

Turtur est sancta Ecclesia, ut in Cantico : « Vox turturis audita est in terra nostra [15], » id est, desiderium sanctæ Ecclesiæ auditur in cœlesti patria. *Turtur*, dilectio Dei, ut in Genesi : « Turturem quoque et columbam [16], » id est, dilectionem Dei et proximi. *Turtur*, caro hominis, ut in Psalmis : « Et turtur nidum sibi [17], » id est, caro nostra spem invenit, in qua foveat actus suos. *Turtur*, secretas compunctiones, ut in Levitico : « Offerat duos turtures, unum pro peccato, alterum pro delicto [18], » id est, occultas Deo immolet lacrymarum compunctiones, * per quod admisit malum, et omisit bonum.

Turris est robur prædicationis, ut in Cantico : « Collum tuum sicut turris eburnea [19], » quod sancti prædicatores et per fortitudinem robusti, et per castitatem nitidi sunt. *Turris*, virtus humilitatis, ut in Evangelio : « Quis ex vobis volens turrim ædificare [20], » id est, humilitatem in se construere. *Turris*, superbia mundi hujus, ut in Genesi : « Et turrim, * ejus culmen pertingat [21], » id est, superbia, cujus fama volet ad summum.

Thuribulum est caro Christi, ut in libro Numeri : « Tolle thuribulum, et exhausto igne de altari mitte incensum [22], » quod * vetus noster Aaron, Dominus Jesus, quando ardorem in carne sua passionis præcepto Patris sustinuit, suavem eidem Patri suo pro nobis odorem obtulit. *Thuribula* sunt operarii boni, ut in Exodo : « Et phialas, et mortariola, et thuribula [23], » id est, prædicatores, et martyres, et justitiæ auctores. Per *thuribula* apostoli, ut in Apocalypsi : « Et accepit angelus thuribulum in manu sua, et implevit illud de igne altaris, et misit in * terra [24], » quod Christus apostolos suos per gratiam suam elegit, quos Spiritu Patris impletos misit in mundum.

Truncus est corpus hominis, ut in Job : « Et in pulverem emortuus fuerit truncus illius [25], » id est, si occisum fuerit corpus illius.

Trulla est protectio divina, ut in Amos : « Et in manu ejus trulla cæmentarii [26], » id est, in opere ejus protectio Christi.

Thus est devotio orationis, ut in Evangelio : « Aurum, thus et myrrham [27], » id est, sapientiam mentis et suavitatem orationis et mortificationem carnis.

[a] Tres sunt species pœnitentiæ, *crudelis* et *desperans*, ut in Cain et Juda; *simulatoria* et *immunda*, ut in Saule et Esau; *utilis* et *consummata*, ut in Zacchæo et Maria, cui hæc quinque insunt : contritio, confessio, maturatio, * correptio, perseverantia. Prima in corde, secunda in ore, tertia in carne, quarta in opere, quinta in virtute.

Tria nobis obstant flumina : stimulus cupiditatum, qui alluit; cumulus tentationum, qui suggerit; aculeus molestiarum, qui pungit. Primum, velut mare et tempestuose tumultuans tumidis et procellosis cogitationum undis circumfluens; secundum, tanquam Jordanis alvei sui metas excedens, et terram cordis nostri transitum negando obruere volens; tertium, ut iter Jordanis Elisæo occurrens eique transitum abnegans. Primi aquas divisit virga Moysi, discretio videlicet judicii; secundi, arca testamenti,

[1] Psal. XLIV, 7. [2] Dan. VII, 9. [3] Psal. IX, 5. [4] Joel. II, 1, 15. [5] Job XXXIX, 27. [6] Matth. VI, 2. [7] Num. X, 2. [8] Judic. VII, 20. [9] Lev. XVI, 4. [10] Joan. XIX, 23. [11] Gen. XXXVII, 3. [12] Cant. V, 3. [13] Jud. v. 23. [14] Matth. V, 49. Luc. VI, 29. [15] Cant. II, 12. [16] Gen. XV, 9. [17] Psal. LXXXIII, 4. [18] Lev. V, 7. [19] Cant. VII, 4. [20] Luc. XIV, 28. [21] Gen. XI, 4. [22] Num. XVI, 46. [23] Exod. XXV, 29. [24] Apoc. VIII, 7. [25] Job XIV, 8 [26] Amos VII, 7. [27] Matth. II, 11.

[a] Hæc ad *pœnitentiam* potius referenda videntur in litteram *P*.

Digitized by Google

id est, scientia veri; tertii, pallium Eliæ, meditatio scilicet de incarnatione Christi.

Tres sagittæ, quibus hostes Dei transfiguntur: stimulus amissæ * præstantiæ; pestis corporalis molestiæ; malleus infernalis memoriæ: tres, quibus electi suaviter vulnerantur: timor castus, amor devotus, desiderii virtus.

Tres paradisi: voluptuosa dulcedo invisibilium, quæ irrigatur sicut hortus deliciarum; sincera puritas spiritalium, quæ in se conservat hominem; deliciosa veritas supercœlestium. Unde Paulus audit verba quæ non licet homini loqui.

Tres puellæ, quæ sensus nostros evertunt: teneritudo carnis, quæ est Dalida, et Samsoni oculos eruit; amœnitas mundialis gloriæ, quæ est Jezebel, et Naboth occidit; diffidentia futuræ vitæ, quæ est filia Herodiadis, et aufert caput Joannis Baptistæ.

V

Vah.	*Vita.*	*Vespertilio.*
Vagina.	*Vigiles.*	*Venæ.*
Vapor.	*Volucres*	*Ventus.*
Vectis.	*Viatores.*	*Ventilabrum.*
Vellus.	*Vidua.*	*Vermis.*
Venenum.	*Villa.*	*Vervex.*
Venter.	*Vinea.*	*Vitula.*
Vepres.	*Urna.*	*Vinum.*
Ver.	*Umbra.*	*Vestibulum.*
Uter.	*Vinea.*	*Vespere.*
Vallis.	*Vipera.*	*Visio.*
Vacca.	*Virgo.*	*Via.*
Unguentum.	*Virgula.*	*Vincula.*
Vestis.	*Vitulus.*	*Vultur.*
Vultus.	*Vitrum.*	*Umbilicus.*
Ulmus.	*Vomer.*	*Vitia.*
Vulpes.	*Ungula.*	*Virga.*
Ulcus.	*Vir.*	*Vas.*
Vestimentum.	*Ululæ.*	*Velum.*
Vestigia.	*Uxor.*	*Vitis.*
Vesper.	*Ursus.*	*Vox.*
Vespera.	*Uter.*	*Uva.*
Vesica.	*Vacca.*	*Urtica.*
Virtutes.	*Vallis.*	*Uterus.*
Viscera.	*Virentia.*	

Vah est gaudium mentis, ut in Job: « Ubi audierit buccinam, dicit, Vah [1], » quod spiritualis athleta adveniente tribulatione inclarescat. *Vah* est exprobratio malorum, ut in Evangelio: « Vah, qui destruit templum Dei [2], » id est, exprobrandum est ei, qui de se talia jactat.

Vacca est Christus, ut in libro Numeri: « Vaccam rufam ætatis integræ, quæ non portavit jugum [3], » id est, Christum propter infirmitatem naturæ assumptæ sexu feminæ notatum omni perfectione integrum, velutque peccato subjectum. *Vacca*, plebs Israelitica, ut in propheta: « Sicut vacca lasciviens declinavit Israel [4], » id est, propter petulantiam ad malum proruit Israel. *Vacca*, sensualitas, ut in Genesi: « Sume * tibi vaccam triennem [5], » id est, redige sensualitatem servam sub dominio sanctæ Trinitatis. Per *vaccam* viri sancti, ut in libris Regum: « Gradiebantur vaccæ pergentes et mugientes [6]; » quod in religionem cedunt sancti bene vivendo, et iis qui ei affines sunt compassionem discretam exhibent. Per *vaccas* principes Israel, ut in Amos: « Audite hæc, vaccæ pingues [7], » id est, auscultate, o principes arrogantes. Per *vaccas* animæ insipientes, ut in Psalmis: « Congregatio taurorum in vaccis populorum [8], » id est, conventicula hæreticorum ad decipiendas animas insipientium.

Vagina est prava cogitatio, ut in Job [9]: « Ejectus et egrediens » * ad opus malum de cogitatione. *Vagina*, misericordia, ut in Evangelio: « Mitte gladium tuum in vaginam [10], » id est, converte destructionem tuam in misericordiam.

Vallis est vita præsens, ut in Psalmis: « Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum [11], » quod vir sanctus per merita nititur quotidie ascendere in præsenti vita. *Vallis*, mens humilis, ut in Evangelio: « Omnis * vallis implebitur [12], » id est, mens humilis plenitudinem gratiæ habebit. Per *valles* mentes iniquorum, ut in Job: « Sicut torrens, qui raptim transit in convallibus [13], » id est, dilectionis impetus ex abrupto se immerget iniquorum mentibus. Per *valles* humiles, ut in Psalmis: « Et valles abundabunt frumento [14], » quod humiles verbo replebuntur divino.

Vapor est cæcitas cordis, ut in Joele: « Sanguinem et ignem et vaporem fumi [15], » id est, crudelitatem malitiæ, et ardorem concupiscentiæ, et cæcitatem ignorantiæ. *Vapor*, status vitæ præsentis, ut in Epistola Jacobi: « Vapor est ad modicum * parens [16], » id est, nullam stabilitatem habens.

Vas est intelligentia Divinitatis, ut in Exodo: « Omne vas aureum in donaria Domini separatum est [17], » quod quidquid de divinitate ejus intelligimus, totum hoc gratiæ ascribere debemus. *Vas*, approbatio Dei, ut in Actibus apostolorum: « Vas electionis iste est mihi [18], » id est, in consortio electorum me approbante assumptus est iste. *Vas*, corpus nostrum, ut in Paulo: « Ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione [19], » id est, corpus suum conservare in castitate. Per *vasa* sancti angeli, ut in Exodo: « Et omnium vasorum in cultum ejus [20], » quod pro posse nostro illos quoque angelos in serviendo Deo imitari debemus. Per *vasa* prophetæ, ut in Job: « Nec commutabuntur pro ea vasa auri excelsa et eminentia [21], » quod Christo comparari non possunt prophetæ, * si fideles per vitam et apparentes per famam. Per *vasa* hæretici, ut in Psalmis: « Et in eo paravit vasa mortis [22], » quod in sacram Scripturam offendunt hæretici parati ad pœnam perditionis. Per *vasa* corda nostra, ut in Evangelio: « Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis [23], » quod

[1] Job XXXIX, 28. [2] Matth. XXVII, 40. [3] Num. XIX, 2. [4] Ose. IV, 16. [5] Gen. XV, 9. [6] I Reg. VI, 12. [7] Amos IV, 1. [8] Psal. LXVII, 31. [9] Job XX, 25. [10] Joan. XVIII, 11. [11] Ps. LXXXIII, 7. [12] Isa. XL, 4. [13] Job VI, 15. [14] Ps. LXIV, 14. [15] Joel II, 30. [16] Jac. IV, 14. [17] Exod. XXXV, 22. [18] Act. IX, 15. [19] I Thess. IV, 4. [20] Exod. XXV, 9. [21] Job XXVIII, 17. [22] Psal. VII, 14. [23] Matth. XXV, 4.

Digitized by Google

veram electi habent gloriam in conscientiis suis. Per *vasa* corpora nostra, ut in libris Regum : « Et puerorum vasa sunt sacra [1], » quod sunt corpora mansuetorum et humilium munda. Per *vasa* homines, ut in libris Regum : « Et mitte inde in omnia vasa hæc [2], » quod sancta mater, Ecclesia, vocatis ad fidem hominibus liquorem administrat gratiæ. Per *vasa*, reprobi, ut in Isaia : « Et in vasis papyri super aquas [3] ; » quod ex reprobis hominibus constituet sibi Antichristus prædicatores, quos aliis ad mortem defluentibus faciet esse prælatos.

Vectis est crux Christi, ut in libro Numeri : « Quam portaverunt in vecte duo viri [4], » id est, Christum in cruce crediderunt duo populi. *Vectis*, humanitas Christi, ut in Job : « Et posui vectem et ostia [5], » quod malitiæ hujus sæculi Christus incarnatus et apostoli ejus restituerunt. *Vectis*, diabolus, ut in Isaia : « Super Leviathan serpentem vectem [6], » id est, super diabolum venenosum. Et dicuntur per *vectes* viri sancti, ut in Exodo : « Facies et vectes de lignis Sethim [7], » id est, virtutibus fortibus viros exornatos. Per *vectes*, spiritus maligni, ut in Psalmis : « Et vectes ferreos confregit [8], » id est, spiritus malignos per malitiam duros superavit.

Velum est obscuritas litteræ, ut in Evangelio : « Velum templi scissum est [9], » *Velum*, cœlum, ut in Levitico : « Summus pontifex introibit intra velum, » id est, Christus penetravit cœlum.

Vellus est virgo Maria, ut in Psalmis : « Descendit sicut pluvia in vellus [10], » id est, per Spiritum sanctum veniet Christus in uterum virginis.

Vena est Christus Dominus, ut in Jeremia : « Venam aquarum viventium, Dominum [11], » id est, originem virtutum indeficientium, Dominum. Per *venas* libri divinæ paginæ, ut in Job : « Habet argentum venarum suarum principia [12], » quod divina pagina libros sanctos continet. Per *venas* sublimitates internæ locutionis, ut in Job : « Venas susurri ejus [13], » id est, subtilitates internæ locutionis. Per *venas* peccata, ut in Osea : « Et siccabit venas ejus, quod Christus natus ex virgine peccata mundi abstulit.

Venenum est malitia, ut in Psalmis : « Venenum aspidum sub (labiis) eorum [14], » id est, malitia dæmonum in mentibus eorum.

Ventus est Dominus, ut in Osea : « Adducet ventum urentem Dominus [15], » id est, proferet Christum mundum corripientem Dominus. Per *ventum* iniquitas mentis, ut in Job : « Contra folium quod vento rapitur [16], » id est, contra mentem quæ in iniquitate sua continetur. *Ventus*, vita præsens, ut in Job : « Ventus transiens fugabit eos [17], » quod præsentis vitæ instabilitas aufert a viris sanctis voluntatem hic diu commorandi. *Ventus*, persecutio, ut in Psalmis : « Et sicut stipulam ante faciem venti [18]. » *Ventus*, tribulatio magna, ut in Ezechiele : « Ventus turbinis veniebat ab Aquilone [19], » id est, tribulatio persecutionis immanis processit a pravorum infidelitate. *Ventus*, interior tentatio, ut in Psalmis : « Tanquam pulvis quem projicit ventus [20], » id est, sicut lætus animus, quem tentationis commovet flatus. *Ventus*, spiritus malignus, ut in Ecclesiaste : « Qui observat ventum, non seminat [21], » quod qui nimis diabolicam adversitatem metuit, bono operi non insistit. Per *ventum* dona Spiritus sancti, ut in Psalmis : « Qui producit ventos de thesauris suis [22], » quod dona spiritualia de cordibus electorum suorum Dominus in bono producit. Per *ventos* animæ sanctæ, ut in Job : « Qui fecit ventis pondus [23], » id est, maturitatem sanctitatis electorum contulit mentibus. Per *ventos* malitiæ, ut in Jeremia : « Traxerunt ventos quasi dracones [24], » quod ad opus pravum malitias produxerunt viri crudeles

Venter est humanitas Christi, ut in Cantico : « Venter ejus eburneus [25], » quod humilitas Christi ab omni erat peccati pollutione aliena. *Venter*, Ecclesia, ut in Psalmis : « In medio ventris mei [26], » id est, in medio Ecclesiæ meæ. *Venter*, fons baptismi, ut in Cantico : « Venter tuus sicut acervus tritici [27], » quod fructus baptismi Dei verbo sanctificatur. *Venter*, mens humana, ut in Parabolis : « Qui investigat omnia secreta ventris [28], » quod irradiatio internæ lucis scrutatur omnia occulta mentis. *Venter*, conversatio nostra, ut in Apocalypsi : « Et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulcis, tanquam mel [29] ; » quod quo dulcius nobis sapit sacra Scriptura in palato cordis, eo austeriorem abjecta omni suavitate carnali conversationem exercemus. *Venter*, cor compunctum, ut in Jeremia : « Ventrem meum doleo [30], » id est, eo, quod bonum omisi, et malum admisi, duplici in corde dolore compungor. *Venter*, avaritia, ut in Job : « Nec est satiatus venter ejus [31], » id est, non est impleta avaritia ejus. *Venter*, memoria hominis, ut in Job : « Et de ventre ejus extrahet eas Deus [32], » quod justo judicio ejus verba sancta ab impii Deus aufert memoria, quæ eum videt nolle servare in vita.

Ventilabrum est discrimen judicii, ut in Evangelio : « Cujus ventilabrum est in manu ejus [33], » id est, discrimen judicii in potestate ejus.

Vepres sunt punctiones vitiorum, ut in Isaia : « Super humerum populi mei, spinæ et vepres [34], » quod etiam electos tentationes vitiorum molestant et punctiones. *Vepres*, persequentes Judæi, ut in

[1] I Reg. xxi, 5. [2] IV Reg. iv, 4. [3] Isa. xviii, 2. [4] Num. xiii, 24. [5] Job xxxviii, 10. [6] Isa. xvii, 1. [7] Ex. xxv, 13. [8] Psal. cvi, 16. [9] Matth. xxvii, 51 ; Marc. xv, 38; Luc. xxiii, 45. [10] Psal. lxxi, 6. [11] Jer. xvii, 13. [12] Job xxviii, 1. [13] Job iv, 12. [14] Psal. cxxxix, 4. [15] Ose. xiii, 15. [16] Job xiii, 25. [17] Job xxxvii, 21. [18] Psal. lxxxii, 14. [19] Ezech. i, 4. [20] Psal. i, 4. [21] Eccle. xi, 4. [22] Psal. cxxxiv, 8. [23] Job. xxviii, 25. [24] Jer. xiv, 6. [25] Cant. v, 14. [26] Psal. xxi, 15. [27] Cant. vii, 2. [28] Prov. xx, 27. [29] Apoc. x, 9. [30] Jer. iv, 19. [31] Job xx, 20. [32] Ibid., v. 1. [33] Matth. iii, 12 ; Luc. iii, 17 [34] Isa. xxxii, 13.

Digitized by Google

Genesi : « Inter vepres hærentem cornibus [1], » quod Christus persequentibus Judæis crucifixus est.

Vermis est Christus, ut in Psalmis : « Ego autem sum vermis, et non homo [2], » id est, quod quibusdam non homo, sed tam vilis, ut vermis reputatus sum. *Vermis*, luxuria, ut in Job : « Dulcedo illius, vermes [3], » quod immundæ mentis dulcedo, luxuria est. *Vermis*, conscientia damnatorum, ' reproborum conscientia in æternum eos corrodet. Per *vermes* corruptiones corporis nostri, ut in Job : « Et soror mea, vermibus [4], » quod in corruptionibus corpus nostrum vivit, et ad corruptiones tendit. Per *vermes* vestimenta inferni, ut in Isaia : « Et operimentum tuum vermes erunt [5], » quod diabolum et reprobos cruciabunt infernales.

Ver est initium boni operis, ut in Psalmis : « Æstatem et ver tu plasmasti ea [6], » quod perfectos et insipientes Dominus formaverit.

Vertex est ratio mentis, ut in Psalmis : « Et in verticem [ipsius] iniquitas ejus descendet [7], » id est, rationem ejus iniquitatis exercebit. *Vertex*, sanctitas, ut in Deuteronomio : « De vertice antiquorum montium [8], » id est, de sublimi sanctitate primorum parentum.

Vestimentum est humanitas Christi, ut in Apocalypsi : « Habebat in vestimento suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium [9], » quod Christus homo omnia regit, et omni creaturæ dominatur. *Vestimentum*, sancta Ecclesia, ut in Job : « In multitudine eorum consumitur vestimentum meum [10], » quod in multitudine hæreticorum perturbatur sancta Ecclesia. *Vestimentum*, bonum opus, ut in Isaia : « Vestimentum tibi est, esto princeps noster [11], » id est, bonam operationem exerces, esto prælatus noster. *Vestimentum*, corpus nostrum, quo anima nostra induitur, ut in Isaia : « Et vestimentum mixtum sanguine erit in combustione, et cibus, ignis [12], » quod corpus pollutum libidine in gehennali erit concremationc. Per *vestimentum* ordo fidelium, ut in Psalmis : « Quod descendit in oram vestimenti ejus [13], » id est, gratia, quæ pervenit usque ad eum qui ultimus est in ordine fidelium. Per *vestimentum* viri sancti, ut in Cantico : « Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris [14], » quod sanctitas fidelium sanctitati orationis adæquatur. Per *vestimentum* opera justitiæ, ut in Job : « Et scidit vestimenta sua [15], » id est, per ' discretionem distulit bona opera sua. Per *vestimenta* opera divina, ut in Job : « Præparavit quidem vestimenta, sed justus vestietur illis [16], » quod pravus nonnunquam habet eloquia divina per intellectum, sed justus induetur per effectum. Per *vestimenta* membra corporis nostri, ut in Ecclesiaste : « Omni tempore sint vestimenta tua candida [17], » id est, membra corporis tui a sorde libidinis munda. Per *vestimenta*, bona exempla, ut in Evangelio : « Et imposuerunt eum super vestimenta sua, ' ne nudus ambulet [18], » id est, nisi conservet dona gratiæ sibi collata, ut eis privatus appareat.

Vestis est caro Christi, ut in Apocalypsi : « Et vestitus erat veste aspersa sanguine [19], » quod Christus apparuit in similitudine carnis peccati. *Vestis*, charitas, ut in Evangelio : « Et super ' vestimenta mea miserunt sortem [20], » quod tanta res charitas est, ut nullus eam nisi integram et per sortem, id est, per divinam gratiam possit habere. *Vestis*, sancta Ecclesia, ut in Paulo : « Gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam [21] ; » quod quasi quadam veste Deus Ecclesiam suam ' indutus est, qua nec pravitatem in actione, nec simulationem in intentione exercet. *Vestis*, quilibet munditiæ studens, ut in Evangelio : « Sprevit autem eum Herodes, indutum veste alba [22], » quod Christum in electis suis, qui victoriæ munditiæ studeut, diabolus in reprobis sprevit. *Vestis*, martyres Christi, ut in Evangelio : « Et vestem coccineam circumdederunt ei [23], » quod sanctis martyribus usque ad sanguinem resistentibus Dominus induitur. Per *vestimenta*, sententiæ sacræ Scripturæ, ut in Genesi : « Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, Jacob induit Rebecca [24], » quod sententiis sacræ Scripturæ plebi Judaicæ spiritualiter mater gratiæ quas apud se servant in secreto populum exornavit gentilem.

Vestigia sunt operationes Dei, ut in Job : « Vestigia ejus secutus est pes meus [25], » id est, operationes ejus in effectu explevi. *Vestigia*, visitationes Dei, ut in Job : « Forsitan vestigia ejus comprehendes [26]. » *Vestigia*, præsentia Dei, ut in Psalmis : « Et vestigia tua non cognoscentur, » quod præsentia Dei per affectum quidem in mente sentitur, sed per intellectum non comprehenditur. Per *vestigia* mala exempla, ut in Cantico : « Et ' abii post vestigia gregum tuorum [27], » id est, imitare exempla prava fatuorum.

Vestibulum est vita æterna, ut in Ezechiele : « Vestibulum autem portæ erat intrinsecus [28], » quod vita æterna, quæ merces est fidei, erit in patria cœlesti.

Vesper est Antichristus, ut in Job : « Et vesperum super filios terræ consurgere facis [29], » quod Dominus permittit, ut Antichristus terrenis et reprobis dominetur.

Vespere est tempus incarnationis, ut in Exodo : « Vespere manducabunt carnes [30], » id est, tem-

[1] Gen. xxi, 13. [2] Psal. xxi, 7. [3] Job xxiv, 20. [4] Job xvii, 14. [5] Isa. xiv, 11. [6] Psal. lxxiii, 17. [7] Psal. vii, 17. [8] Deut. xxxiii, 15. [9] Apoc. xix, 16. [10] Job. xxx, 18. [11] Isa. iii, 6. [12] Isa. ix, 5 [13] Psal. cxxxii, 2. [14] Cant. iv, 11. [15] Job i, 20 [16] Job xxvii, 16, 17. [17] Eccle. ix, 8. [18] Matth. xxi, 7; Marc. xi, 7; Luc. xix, 35; Joan. xii, 13. [19] Apoc. xix, 13. [20] Matth. xxvii, 35; Marc. xv, 24; Luc. xxiii, 34; Joan. xix. 23. [21] Eph. v, 27. [22] Luc. xxiii, 11. [23] Matth. xxvii, 28. [24] Gen. xxvii, 15. [25] Job xiii, 11. [26] Job xi, 7. [27] Cant. i, 8. [28] Ezech. xl, 9. [29] Job xxxviii, 32. [30] Exod. xvi, 12.

Digitized by Google

pore incarnationis spiritualem refectionem [1] habebitis. *Vespere*, perfectio, ut in Genesi : « Et factum est vespere et mane [1], » id est, perfectio et initium operis.

Vespera est tentatio, ut in Job : « Et rursum exspectabo vesperam [2], » id est, securus exspectabo tentationem. *Vespera*, terminus vitæ, ut in Isaia : « De mane usque ad vesperam finies me [3], » id est, qui me fecisti habere initium per nativitatem, in termino vitæ meæ consummabis me per mortem. *Vespera*, adversitas, ut in Job : « De mane usque ad vesperam succidentur [4], » quod et in prosperitate reprobi per intemperantiam, et in adversitate per impatientiam ad defectum tendunt. *Vespera*, finis mundi, ut in Psalmis : « Convertentur ad vesperam [5], » quod in fine mundi reliquiæ Judæorum salvæ fient.

Vespertilio est error mentis, ut in Levitico prohibetur ne quis comedat vespertilionem [6], id est, ne sequatur errorem.

Vesica est tumor, ut in Exodo : « Vesicæ turgentes [7], » id est, tumores superbientes.

Via est Christus, ut in Evangelio : « Ego sum via, veritas et vita [8], » quod [1] in spe nobis est *via* in exemplo, *veritas* in promisso, *vita* in præmio. *Via*, bona conversatio, ut in Parabolis : « Via justorum absque offendiculo [9], » id est, conversatio bonorum absque criminali peccato. *Via*, rectitudo Ecclesiarum, ut in Job : « Nec ambulet per viam vinearum [10], » id est, non vivat secundum rectitudinem Ecclesiarum. *Via*, vita nostra, ut in Psalmis : « Dirige in conspectu tuo vias meas [11], » id est, placitam fac tibi vitam meam. *Via*, status reproborum, ut in Parabolis : « Via impiorum tenebrosa [12], » quod status per errorem reproborum est obscurus. *Via*, raritudo vitæ præsentis, ut in Genesi : « Fiat Dan coluber in via [13], » quod iis qui præsentis vitæ dulcedinem diligunt, mollem se diabolus in Antichristo et lubricum exhibebit. Per *viam* opera Conditoris, ut in Job : « Ipse est principium viarum Domini [14], » quod ante opera sua cætera fecit angelum Deus. Per *vias* præcepta divina, ut in Psalmis : « Vias tuas, Domine, demonstra mihi [15], » id est, præcepta tua, Domine, inspira mihi. Per *vias* internæ cogitationes nostræ, ut in Psalmis : « Vias meas enuntiavi tibi [16], » id est, occultas meas cogitationes tibi per confessionem revelavi. Per *viam* actiones nostræ, ut in Job : « Nonne ipse considerat vias meas [17] ? » id est, cogitationes meas.

Viatores sunt viri sancti, ut in Job : « Interrogate quemlibet de viatoribus [18], » id est, consulite aliquem de viris sanctis, qui vitam præsentem viam computant.

Vici sunt homines religiosi, ut in Cantico : « Per vicos et plateas quæram, quem diligit anima mea [19], » id est, in conversatione religiosorum et sæcularium, quæram aliquid ad Dominum pertinens, quod imitari possim. *Vici*, cives cœlestes, [1] ut in Tobia : « Et per omnes vicos ejus cantabant Alleluia, [20] » quod habitantes in illa domo Domini in sæcula sæculorum laudabunt te.

Vidua est Ecclesia, ut in Job : « Et abstulerunt pro pignore bovem viduæ [21], » id est, hæretici, ut postmodum auditores subverterent, prius tollere nitebantur prædicatorem Ecclesiæ. *Vidua*, anima prava, ut in Levitico : « Viduam et repudiatam [22], » quod anima a Deo recedens, et pro malis operibus reprobata, Christi consortio digna non est. *Vidua*, anima hominis, ut in Job : « Et viduæ bene non fecit [23], » id est, animæ suæ nihil utilitatis contulit. Per *viduas*, plebes hæreticis subjectæ, ut in Job : « Viduas dimisisti vacuas [24], » id est, sub hæreticis reliquistis plebes bono opere vacuas.

Vigiles sunt sancti angeli, ut in Daniele : « In sententia vigilum decretum est hoc [25], » id est, in ministerio angelorum dispositum est. *Vigiles*, sancti pastores, ut in Cantico : « Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem [26] » id est, adoraverunt me pastores qui regunt Ecclesiam.

Villa est massa impiorum, ut in Evangelio : « Misit eum in villam, ut pasceret porcos [27], » id est, associavit eum conventiculis impiorum, ut sensus nutriret immundos. *Villa*, dominum superbiæ, ut in Evangelio : « Villam emi, et ideo non possum venire [28], » quod qui per fastum superbiæ intumescunt, nequaquam ad supernam patriam tendunt. Per *villam* populi gentiles, ut in Cantico : « Commoremur in villa [29], » quod Christus prædicatores suos monet in gentium populis.

Vinum est arcanum Deitatis, ut in Parabolis : « Miscuit vinum [30], » quod Sapientia per carnem apparens Deitatis nobis revelavit secretum. *Vinum*, fervor Spiritus sancti, [1] veram menti hominis lætitiam infundit. *Vinum*, scientia legis, ut in Cantico : « Meliora sunt ubera tua vino [31], » quod sapientia Ecclesiæ excedit scientiam legis. *Vinum*, verbum Evangelii, ut in Cantico : « Guttur tuum sicut vinum optimum [32], » quod prædicatores suos suum annuntiant Evangelium. *Vinum*, contemplativus quisque, ut in Cantico : « Bibi vinum meum cum lacte meo [33], » id est, incorporavi contemplativos simul et activos. *Vinum*, intelligentia spiritualis, ut in Evangelio : « Tu autem servasti vinum bonum [34], » id est, spiritualibus servasti spiritualem intellectum. *Vinum*, sanguis Christi, ut in Genesi : « Lavabit stolam suam in vino [35], » id est, effusione sanguinis sui mundabit Ecclesiam suam. *Vinum*, compunctio, ut in Psalmis : « Potasti nos vino compunctionis [36]. » [1] *Vinum*, cor-

[1] Gen. I, 5. [2] Job VII, 4. [3] Isa. XXXVIII, 12. [4] Job IV, 20. [5] Psal. XXXVIII, 7, 15. [6] Lev. XI, 19. [7] Exod. IX, 9. [8] Joan. XIV, 6. [9] Prov. XV, 19. [10] Job XXIV, 18. [11] Psal. V, 9. [12] Prov. IV, 19. [13] Gen. XLIX, 17. [14] Job XL, 14. [15] Psal. XXIV, 4. [16] Psal. CXIX, 26. [17] Job XXXI, 4. [18] Job XXI, 29. [19] Cant. III 2. [20] Tob. XIII, 22. [21] Job XXIV, 3. [22] Lev. XXI, 13. [23] Job XXIV, 21. [24] Job XXII, 9. [25] Dan. IV, 14. [26] Cant. III, 3. [27] Luc. XV, 15. [28] Luc. XIV 18. [29] Cant. VII, 11. [30] Prov. IX, 2. [31] Cant. I, 2. [32] Cant. VII 9. [33] Cant. V, 1. [34] Joan. XI, 10. [35] Gen. IV, 11. [36] Psal. LIX, 5.

Digitized by Google

reptio, ut in Evangelio : « Infundens oleum et vinum, » id est, consolationem et correptionem. *Vinum*, contemplatio, ut in Apocalypsi : « Et vinum et oleum * ne læseris [1], » id est, contemplationem et actionem *ne læseris*, id est, ne corrumpas. *Vinum*, dilectio, ut in Cantico : « Et dabo tibi poculum ex vino condito [2], » id est, dabo tibi lætitiam ex amore vero. *Vinum*, delectatio peccati, ut in Joele : « Et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine [3], » id est, pœnitemini universi, qui consentitis in delectatione peccati. *Vinum*, amor mundi hujus, ut in Parabolis : « Ne * intuearis vinum, quando flavescit, cum splendescit in utero color ejus [4]; » id est, ne delecteris amore mundi, quando allicit, cum blandimento fragili arriserit decor ejus. *Vinum*, vindicta, ut in Apocalypsi : « Et hic bibet de vino iræ Dei [5], » id est, sentiet vindictam Dei, antequam judicium Dei inferat.

Vinea est Christus, ut in Cantico : « Videamus si floruerit vinea [6], » id est, si in hominibus per fidem floruerit Christus. *Vinea*, Ecclesia, ut in Evangelio : « Ite et vos in vineam meam [7], » id est, bene vivendo in Ecclesia, laborate in Ecclesia mea. *Vinea*, sacra Scriptura, ut in Job : « Et vineam ejus, * quam vi oppresserunt, vindemiant [8] : » quod hæretici scripturam viri catholici, quem afflixerunt, sibi vindicant. *Vinea* anima hominis, ut in Joele : « Posuit vineam meam in desertum [9], » id est, bonis spiritualibus evacuavit animam meam. *Vinea*, Ecclesia de gentibus, ut in Psalmis : « Vineam de Ægypto trastulisti [10], » id est, Ecclesiam gentium de tenebris ignorantiæ ad lumen veritatis perduxisti, quod Ægyptus *tenebras* sonat. *Vinea*, Synagoga, ut in Cantico : « Vineam meam non custodivi [11], » quod Synagogam ob incredulitatem Dominus a se abjecit. *Vinea*, vita cujuslibet negligentis, ut in Parabolis : « Et per vineam viri stulti transivi [12], » id est, intuitus sum vitam negligentis. *Vinea*, hypocrita, ut in Job : « Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus [13], » quod actio hypocritæ per laudis humanæ favorem corrumpitur in prima sui ostensione. Per *vineam* fideles populi, ut in Cantico : « Posuerunt me custodem in vineis [14], » id est, elegerunt me prælatum in populis.

Vincula sunt infirmitates humanitatis assumptæ in Christo, ut in Job : « Et vincula ejus quis solvit [15] ? » quod per resurrectionem, gratiam omnem Deus Pater in Christo * infirmitatem mutavit in virtutem. *Vincula*, peccata, ut in Psalmis : « Dirupisti vincula mea [16], » id est, dissolvisti peccata mea.

Vipera est tentatio diaboli, ut in Job : « Et * accedet ad eum lingua viperæ [17], » id est, mortem animæ per consensum prosternet eum suggestio diaboli. *Vipera*, actus peccati, ut in Isaia : « Leo et leæna, et ex eis vipera [18], » id est, diabolus suggerens, concupiscentia lasciviens, et actus malus ex eis procedens.

Vir est Christus, ut in Jeremia : « Femina circumdabit virum [19], » id est, virgo Maria concipiet Christum. *Vir*, intellectus, ut in Evangelio : « Voca virum tuum huc [20], » id est, collige ad te sensum tuum, et spiritualiter intellige me. *Vir*, animus noster, ut in Genesi : « Deditque viro suo, qui comedit [21], » quod caro peccati delectatione polluta animum quoque ad consensum * trahit. *Vir*, diabolus, ut in Psalmis : « A viro iniquo libera me, Domine [22], » id est, a diabolo, qui amator est iniquitatis, libera me. *Vir*, error animæ, ut in Evangelio : « Et hunc quem habes, non est tuus vir [23], » id est, non sponso, videlicet sano * intellectus, copularis, sed in adulterio erroris meretricaris. Per *viros* robusti quique et spirituales, ut in Job : « De quo cecinerunt viri [24], » * quem prædicaverunt doctores in bono opere robusti. Per *viros* hæretici, ut in Psalmis : « Viri sanguinum declinate a me [25], » id est, o hæretici, qui per deceptionem animarum sanguinem bibitis, fugite a me. Per *viros* quinque sensus corporales, ut in Evangelio : « Quinque enim viros (habuisti) [26], » id est, sensibus quinque corporis tui adhæsisti.

Virgo est illa omnium decus virginum, ut in Isaia : « Ecce virgo concipiet, et pariet filium [27], » id est, Maria Christum in partu illæsa, quod in concepta incorrupta. *Virgo*, sancta Ecclesia, ut in Paulo : « Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo [28], » quod insistebat idem prædicator egregius offerre Ecclesiam sine macula et ruga Salvatori * tuo. *Virgo*, anima sancta, ut in Levitico : « Virginem * ducit uxorem [29], » quod animam fidelem sibi junget per amorem. *Virgo*, mens prava, ut in Isaia : « Sede in pulvere, virgo filia Babylonis [30], » quod molliter moratur in terrena cogitatione a bono opere sterilis anima vitiorum * confusione subjecta. *Virgo*, plebs Judæorum, ut in propheta : « Virgo Israel projecta est [31], » id est, plebs Judaica sterilis et infructuosa ob incredulitatem reprobata est.

Virga est verbum manens, ut in Exodo : « Tenuit caudam, versaque est in virgam [32], » quod electi in uno eodemque Christo Deum et hominem credunt esse Dominum. *Virga*, humanitas Christi, ut in Paulo : « Et virgam Aaron, quæ fronduerat [33], » quod humanitas Christi, veri sacerdotis, omni sanctitatis decore fulgebat. *Virga*, potestas Christi, ut in Psalmis : « Virgam virtutis tuæ (emittet Dominus ex Sion [34],) » id est, potestatem fortitudinis suæ producet ex populo Judæorum. *Virga*, vexillum crucis, ut in Exodo : « Tulitque Aaron virgam coram Pha-

[1] Apoc. VI, 6. [2] Cant. VIII, 2. [3] Joel. I, 5. [4] Prov. XXIII, 31. [5] Apoc. XIV, 10. [6] Cant. VII, 12. [7] Matth. XX, 4, 7. [8] Job. XXIV, 6. [9] Joel. I, 7. [10] Psal. LXXIX, 9. [11] Cant. I, 6. [12] Prov. XXIV, 30. [13] Job XV, 33. [14] Cant. I, 6. [15] Job XXXIX, 8. [16] Psal. CXV, 16. [17] Job XX, 16. [18] Isa. XXX, 6. [19] Jer. XXXI, 22. [20] Joan. IV, 14. [21] Gen. III, 6. [22] Psal. CXL, 2. [23] Joan. IV, 18. [24] Job XXXVI, 24. [25] Psal. CXXXVIII, 19. [26] Joan. IV, 18. [27] Isa. VII, 14. [28] II Cor. XI, 2. [29] Lev. XXI, 13. [30] Isa. XLVII, 1. [31] Amos V, 2. [32] Exod. IV, 4. [33] Hebr. IX, 4. [34] Psal. CIX. 2.

Digitized by Google

raone [1], » quod ordo prædicatorum vexillum crucis coram regibus et principibus prædicabat. *Virga*, mater Christi, ut in Isaia : « Egredietur virga de radice Jesse [2], » id est, procedet Maria de progenie Jesse. *Virga*, fides, ut in Exodo : « Virgam tolle in manu tua, in qua facturus es signa [3], » id est, fidem rectam imple in operatione, per quam debes operari miracula. *Virga*, correptio, ut in Psalmis : « Virga tua et baculus tuus [4], » id est, correptio et consolatio tua, « Ipsa me consolata sunt. » *Virga*, congregatio justorum, ut in Psalmis : « Redemisti virgam hæreditatis tuæ [5], » id est, a potestate diaboli exuisti hæredes regni tui. *Virga*, castigatio divina, ut in Jeremia : « Virgam vigilantem ego video [6], » id est, electionem divinam electos tangentem ego aspicio. *Virga*, terror legis, ut in Job : * « Auferet a me virgam tuam [7], » id est, legalem timorem. *Virga*, divina persecutio, ut in Jeremia : « In virga indignationis ejus, » id est, in percussione districtionis ejus. *Virga*, sententia judicis, ut in Isaia : « Et percutiet terram virga oris sui [8] » id est, damnabit peccatores sententia * judicis sui.

Virgula est sancta Ecclesia, ut in Cantico : « Sicut virgula fumi ex * Aaron [9], » id est, sancta Ecclesia famam ex se emittens ex virtutibus.

Virentia sunt æterna bona, ut in Job : « Et virentia quæque perquirit [10], » id est, ea quæ æterna bona sunt, habere studet.

Virtutes sunt angeli, ut in Evangelio : « Nam virtutes cœlorum movebuntur [11], » id est, angeli in judicio concutientur.

Visio est revelatio, ut in Daniele : « Visio apparuit mihi [12], » id est, revelatio secretorum Dei innotuit mihi. *Visio*, vita hypocritarum, ut in Job : * « Transibat sicut visio nocturna [13], » id est, deficiet obscura hypocritarum vita.

Viscera sunt mentes hominum, ut in Job : « Qui posuit in visceribus hominum [14], » id est, in mentibus hominum, « sapientiam, nisi ego? » *Viscera*, affectiones cordis, ut in Job : « Effudit in terra viscera mea [15], » id est, dilabi permisit in terrenis affectiones meas. *Viscera*, superbia iniquorum, ut in Job : « Viscera ejus plena sunt adipe [16], » id est superbi motus pleni sunt jucunditate terrena.

Vitis est Christus, ut in Evangelio : « Ego sum vitis [17], » quod ipse origo *, robur est omnium bonorum. *Vitis*, fides, ut in Genesi : « Et ad vitem, o * fili mi, asinam tuam [18], » id est, sacramentis fidei alligant Ecclesiam suam. *Vitis*, quilibet subversus, ut in Jeremia : « Quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ? [19], » id est, quomodo sic ex bono et sancto malus effectus es et perversus?

Vita est gloria temporalis, ut in Job : « Et vita iis qui in amaritudine vitæ sunt [20], » id est, quorum gloria confertur temporalis viris sanctis, qui assiduis lamentis vacant. *Vita*, approbatio exterioris actionis, ut in Parabolis : « Vita carnium sanitas cordis [21], » quod benevolentia mentis exercitium commendat exterioris actionis.

Vitta est sancta prædicatio, ut in Cantico : « Sicut vitta coccinea labia tua [22], » quod per prædicationes suas cogitationum fluxa in mentibus auditorum prædicatores restringunt. *Vitta*, spes cœlestium, ut in Exodo : « Ligabisque eam vitta hyacinthina [23], » id est, virtutem per spem cœlestium confirmabis in mente tua. Per *vittas* præcepta divina, ut in libro Numeri : « Ponentes in eis vittas hyacinthinas [24], » id est, habentes in cordibus suis præceptiones divinas.

Vitulus est Christus, ut in Genesi : « Tulit vitulum de armento [25], » id est, Christum de genere patriarcharum natum. *Vitulus*, superbia cordis, ut in Levitico : « Offerat pro peccato suo vitulum [26], » id est, pro venia commissi sui superbum in corde suo humiliet motum. *Vitulus*, Redemptor passus, ut in Evangelio : « Vitulum saginatum occidit [27], » quod omnis sanctitatis plenitudine ornatus Dominus Jesus Christus pro peccatoribus mortuus est. *Vitulus*, diabolus, ut in Exodo : « Fecerunt vitulum et adoraverunt [28], » id est, susceperunt in se diabolum, et ei servierunt. *Vitulus*, caro nostra, ut in libris Regum : « Et immolaverunt vitulum, et obtulerunt puerum Heli [29], » quod tunc digne Deo offertur puritas, si prius mactetur lascivia carnis. Per *vitulos* Judæi, ut in Psalmis : « Circumdederunt me vituli multi [30], » id est, persecuti sunt me Judæi superbi. Per *vitulos* lascivientes cordis motus, ut in Psalmis : « Tunc imponent super altare tuum vitulos [31], » id est, in mente sua mortificabunt motus lascivos.

Vitula est caro Christi, ut in libro Numeri : « Ut adducant ad te vitulam rufam [32], » id est, Christi carnem, ob peccati similitudinem tali colore vocatam. *Vitula*, uxor hominis, ut in libro Judicum : « Nisi arassetis in vitula mea [33], » id est, nisi acquisissetis ab uxore mea. *Vitula*, mens prava, ut in Osea : « Vitula Ephraim docta diligere trituram [34], » id est, mens prava terrenæ inquietudini assueta

Vitrum est status civium cœlestium, ut in Job : « Non adæquabitur ei aurum vel vitrum [35], » quod Christo comparari non possunt vel sancti in hac vita fulgentes, vel cives cœlestes, mutuas adinvicem cogitationes providentes. *Vitrum*, fallax blandimentum hujus sæculi, ut in Parabolis : « Cum splenduerit in vitro color ejus [36], » id est, cum arriserit in fallaci blandimento species amoris mundialis.

[1] Exod. VII, 10. [2] Isa. XI, 1. [3] Exod. IV, 17. [4] Psal. XXII, 4. [5] Psal. LXXIII, 2. [6] Jer. I, 11. [7] Job IX, 34. [8] Isai. XI, 11. [9] Cant. III, 6. [10] Job XXXIX, 11. [11] Luc. XXI, 26. [12] Dan. VIII, 1. [13] Job XX, 8. [14] Job XXXVIII, 36. [15] Job XVI, 14. [16] Job XXI, 24. [17] Joan. XV, 1, 5. [18] Gen. XLIX, 11. [19] Jer. II, 21. [20] Job XXXIX, 20. [21] Prov. XIV, 30. [22] Cant. IV, 3. [23] Exod. XXVIII, 37. [24] Num. XV, 38. [25] Gen. XVIII, 7. [26] Lev. IV, 3. [27] Luc. XV, 27. [28] Exod. XXXII, 8. [29] I Reg. I, 25. [30] Psal. XXI, 13. [31] Psal. L, 21. [32] Num. XIX, 2. [33] Jud. XIV, 18. [34] Ose. X, 11. [35] Job XXVIII, 17. [36] Prov. XXIII, 31.

Digitized by Google

Volucres sunt animæ sanctæ, ut in Job : « Volucres quoque cœli latent [1] ; » quod nec sanctæ animæ ad plenam Dei agnitionem in hac vita pertingere possint. *Volucres*, principes sæculi hujus, ut in Evangelio : « Ita ut volucres cœli requiescant in ramis ejus [2], » id est, summi principes sæculi hujus pausent in sacramentis ejus. *Volucres*, superbi quique, ut in Psalmis : « Volucres cœli et pisces maris [3], » id est, superbos sæculi, et curiosos universos in profundis. *Volucres*, maligni spiritus, ut in Evangelio : « Et volucres cœli comederunt illud [4]. »

Vomer est acumen sanctæ religionis, ut in libro Judicum : « Percussit * sexcentos viros vomere Philistiim [5], » quod sanctus potestates tenebrarum per acumen religionis suæ prosternit. Per *vomeres* prædicationes, ut in Isaia : « Et conflabunt gladios suos in vomeres [6], » id est, mutabunt linguarum suarum asperitates in salubres cogitationes.

Vox est Filius Dei, ut in Psalmis : « Vox Domini super aquas [7], » quod Filius Dei in carne locutus est ad homines. *Vox*, contemplatio, ut in Ezechiele : « Cum fieret vox super * frumentum [8], » id est, cum in contemplatione veritatis naturam excederet angelicam. *Vox*, prædicatio doctorum, ut in Cantico : « Sonet vox tua in auribus meis [9], » id est, audiatur prædicatio tua ab obedientibus meis. *Vox*, motus concupiscentiæ, ut in Job : « Rugitus leonis et vox leænæ [10], » id est, suggestio diaboli et motus concupiscentiæ. *Vox*, compunctio, ut in Ezechiele : « Et vocem commotionis magnæ [11], » id est, clamorem doloris magni. *Vox*, exhortatio divina, ut in Isaia : « Et aures tuæ audientes vocem post tergum monentis [12], » id est, tu, qui Deo per peccatum dorsum dedisti, ut ad eum per pœnitentiam faciem convertas, salubrem intus percipies admonitionem. *Vox*, suggestio hostis, ut in Job : « Non exaudierunt vocem exactoris [13], » id est, non consenserunt suggestioni tentationis. *Vox*, terror persecutionis, ut in Psalmis : « Elevaverunt flumina vocem suam [14], » id est, erexerunt superbi persecutores comminationem suam.

Vultus est cognitio veritatis, ut in Psalmis : « Illuminet vultum suum super nos [15], » id est, infundat cognitionem veritatis. *Vultus*, prava mens, ut in Job : « Vultum judicum ejus operit [16], » quod mentem eorum, qui Christum judicaverunt, error obscuravit : « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent [17]. »

Vultur est redemptor noster, ut in Job : « Nec oculus vultus ejus intuitus [18], » quod Synagoga per obedientiam non approbavit præcepta Salvatoris. *Vultur*, quilibet raptor, ut in lege prohibemur comedere vulturem [19], id est, imitari raptorem

Vulnus est peccatum, ut in Job : « Concidit me vulnere super vulnus [20], » id est, peccato super peccatum in quibusdam, qui mihi per fidem inhærent.. permisit. *Vulnus*, tribulatio, ut in Parabolis : « Liver vulneris absterget mala [21], » duritia tribulationis curat peccata. *Vulnus*, charitas, ut in Cantico : « Vulnerata charitate ego sum [22], » id est, cuspide dilectionis vulnerata sum. *Vulnus*, flagelli dolor, ut in Job : « Medetur ipse et vulnerat [23], » id est, flagellat et consolatur. Per *vulnus* angustiæ nostræ, ut in Job : « Et multiplicavit vulnera mea [24], » quod multiplices sunt angustiæ quas patitur sancta Ecclesia in præsenti vita.

Vulpes est Herodes, ut in Evangelio : « Ite, dicite vulpi illi [25], » id est, fraudulento Herodi. Per *vulpes* dolosi quilibet, ut in Evangelio : « Vulpes foveas habent [26], » quod fraus et dolus sunt in mentibus impiorum. Per *vulpes* hæretici, ut in Cantico : « Capite nobis vulpes parvulas [27], » id est, caveto hæreticos fraudulentos. Per *vulpes*, persecutores, ut in libro Judicum : « Samson vulpes cum facibus ardentibus fecit discurrere per sata Philistinorum [28], quod Christus nonnunquam fideles permittit persecutores bona destruere impiorum. Per *vulpes* spiritus maligni, ut in Psalmis : « Tradetur in manus gladii, partes vulpium erunt [29], » id est, damnabuntur in judicio, « et ibunt in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus. »

Ubera sunt duo Testamenta, ut in Cantico : « Duo ubera tua sicut duo hinnuli [30], quod duo Testamenta, duo per intellectum surgunt populi. *Ubera*, mystica verba sacræ Scripturæ, ut in Parabolis : « Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum [31], » id est, qui diligenter discutit profunda verba ad extrahendam dulcedinem pinguem, inde colligit intellectum. *Ubera*, duo charitatis præcepta, ut in Cantico : « Pulchriora sunt opera tua vino [32], » id est longe sunt meliora geminæ charitatis insignia dilectione carnali. *Ubera*, illicita blandimenta, ut in Job : « Cur lactatus uberibus [33] ? » id est, cur me noxia fovebant blandimenta? *Ubera*, illicita desideria, ut in Parabolis : « Veni, inebriemur uberibus, et fruamur cupitis amplexibus [34], » id est, reficiamur licitis desideriis, et instabitur desiderabilibus delectationibus.

Ulcus est consuetudo mala, ut in Levitico : « Lepra est orta in ulcere [35], » id est, culpa inveterata apparet malitia. Per *ulcera* peccata, ut in Evangelio : « Sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus [36], » quod prædicatores docebant et curabant populi peccata gentilis.

Ululæ sunt iniqui, ut in Isaia : « Et * respondebant ululæ in conspectu ejus [37], » quod extra pravorum

[1] Job XXVIII, 21. [2] Matth. XIII, 32. [3] Psal. VIII, 9. [4] Luc. VIII, 5. [5] Jud. III, 31. [6] Isa. II, 4. [7] Psal. XXVIII, 3. [8] Ezech. I, 25. [9] Cant. II, 14. [10] Job IV, 10. [11] Ezech. III, 10. [12] Isa. XXX, 21. [13] Job III, 18. [14] Psal. XCII, 3. Psal. LXVI, 2. [15] Job IX, 24. [16] I Cor. II, 8. [17] Job XXVIII, 7. [18] Lev. XI, 14. [19] Job. XVI, 15. [20] Prov. XX, 30. [21] Cant. II, 5 ; V, 8. [22] Job V, 18. [23] Job IX, 17. [24] Luc. XIII, 32. [25] Matth. VIII, 20. [26] Cant. II, 15. [27] Jud. XV, 4, 5. [28] Psal. LXII, 11. [29] Cant. IV, 5. [30] Prov. XXX, 33. [31] Cant. I, 12 ; IV, 10. [32] Job III, 12. [33] Prov. VII, 18. [34] Lev. XIII, 20. [35] Luc. XVI, 21. [36] Isa. XIII, 22

Digitized by Google

permutationem quodammodo loquuntur in cogitationibus impii.

Ulmus est quilibet sæcularis, ut in Isaia : « Ponam in desertum abietem et ulmum [1], » id est, in gentilitate constituam contemplativum et fidelem sæcularem prædicatorem sustentantem.

Umbilicus est ordo prædicatorum Ecclesiæ, ut in Cantico : « Umbilicus tuus crater tornatilis [2], » quod prædicatores Ecclesiæ cum rectitudine operis poculum infundunt prædicationis. *Umbilicus*, luxuria, ut in Job : « Et virtus ejus in umbilico ventris ejus [3], » quod diabolus femineo sicut et masculino per luxuriam maxime dominatur. *Umbilicus*, affectus carnalis, ut in Ezechiele : « Non est præcisus umbilicus tuus [4], » id est, non est abs te ablatus carnalis affectus.

Umbra est humanitas, ut in Jeremia : * « Sub umbra veniemus inter gentes [5], » id est, in Sacramentis incarnationis ejus animæ nostræ vitam accipiemus in præsenti sæculo. *Umbra*, protectio Christi, ut in Cantico : « Sub umbra illius, quem desideravi, sedi [6], » id est, in protectione Christi, quem diligo, requievi. *Umbra*, refrigerium consolationis, ut in Job : « Sicut * cervus desiderat umbram [7], » sic tentatus desiderat refrigerium in tentatione. *Umbra*, duritia legis, ut in Job : « Et * perducet in lucem umbram ejus [8], » id est, in mansuetudinem gratiæ mutant rigorem legis. *Umbra*, quilibet impius, ut in Job : « Protegunt umbræ umbram ejus [9], » quod peccatores peccatorem in culpa defendunt. *Umbra*, oblivio, ut in Job : « Obscurent eum tenebræ et umbra mortis [10], » quod sanctos martyres sola occidit mors corporis. *Umbra*, obscuritas infernalis, ut in Job : « Terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra [mortis] [11] » quod infernus omni est miseria et caligine plenus, ubi obscuritas est æternæ damnationis.

Ungula est perfectio, ut in Job : « Terram ungula fodit, » quod prædicator sanctus duritiam in subjectis perfectione virtutis emollit. *Ungula*, ultima opera, ut in Exodo : * « Et permanebit ut ungula quidem [12], » quod nec ultima opera, si tamen bona fuerint, relinquere debemus. Per *ungulas*, fines hujus mundi, ut in Genesi : « Mordens ungulas equi [13], » quod per scientiam suam diabolus exsecrabit in Antichristo in fine mundi.

Unica est anima nostra, ut in Psalmis : « Et de manu canis unicam meam [14], » id est, de potestate hostis animam meam.

Unguentum est pœnitentia, ut in Evangelio : « Attulit alabastrum unguenti [15], » id est, devotionem pœnitentis animi. *Unguentum*, sancta conversatio, ut in Evangelio : « Et domus impleta est ex odore unguenti [16], » id est, Ecclesia est respersa fama conversationis suæ. Per *unguenta* dona Spiritus sancti, ut in Cantico : « Curremus in odore unguentorum tuorum [17], » id est, bene vivamus in exemplis virtutum tuarum. Per *unguenta* delectationes carnis, ut in libro Sapientiæ : « Vino * sapientiæ et unguentis impleamus nos [18], » id est, suavitate mundi et delectatione carnis reficiamus nos.

Urna est humanitas Christi, ut in (Epistola ad) Hebræos : « Urna aurea habens manna [19], » id est, humanitas Christi, omnis virtutis suavitate plena.

Urtica est asperitas vitiorum, ut in Isaia : « Et pro urtica crescet myrtus [20], » id est, pro asperitate vitiorum erit temperantia virtutum. Per *urticas* affectiones pravæ, ut in Isaia : « In domibus ejus orientur spinæ et urticæ [21], » id est, in cogitationibus ejus erunt delectationes * pingentes et affectiones mordentes.

Ursus est quilibet crudelis, ut in Isaia : « Vitulus et ursus pascentur [22], » id est, qui crudelis fuit, sacræ Scripturæ epulis reficietur. *Ursus*, immunditia, ut in libris Regum : « Leonem et ursum interfeci ego servus tuus [23], » id est, superbiam et luxuriam ego exstinxi. Per *ursum* imperatores Romani, ut in libris Regum : « Egressi sunt duo ursi de saltu [24], » quod imperatores egressi de Roma vastaverunt Judæos.

Uterus est substantia Patris, ut in Psalmis : « Ex utero ante lucem genui te [25], » quod ex substantia sua Pater ab æterno genuit Filium suum. *Uterus*, Synagoga, ut in Job : « Et orabam filios uteri mei [26], » id est, humiliter allocutus sum homines Synagogæ. *Uterus*, gratia Dei, ut in Job : « De * utero egressa est glacies [27], » quod de gratia Dei exit Synagoga indurata.

Uter est sancta Ecclesia, ut in Psalmis : « Congregans sicut in utre aquas maris [28], » quod Christus adunavit Ecclesiam suam populo gentili. *Uter*, littera legis, ut in Genesi : « Et tollens puerum et utrem aquæ imposuit scapulis ejus [29], » quod Deus præcepta et litteram legis dedit populo Synagogæ. *Uter*, mens prava, ut in Psalmis : « Statuit aquas quasi in utre [30], » quod, ne ad effectum prodeant, malitias Dominus nonnunquam inclusit in prava cogitatione. *Uter*, corpus hoc mortale, ut in Psalmis : « Factus sum sicut uter in pruina [31], » id est, corpus meum mortali subditum est corruptioni. Per *utrem* corda spiritualium, ut in Evangelio : « Vinum novum in utres novos mittunt [32], » quod gratiam Dei corda bonorum per sanctitatem renovata accipiunt. Per *utrem* mentes pravorum, ut in Evangelio : « Neque mittunt vinum novum in utres veteres [33], » quod donum gratiæ suæ Deus mentibus in consuetudine peccati inveteratis non infundit.

Vas est dilectio vitæ præsentis, ut in Jeremia :

[1] Isa. XLI, 19. [2] Cant. VII, 2. [3] Job XL, 11. [4] Ezech. XVI, 4. [5] Thren. IV, 20. [6] Cant. II, 3. [7] Job VII, 2. [8] Job XII, 22. [9] Job. XL, 17. [10] Job. III, 5. [11] Job. XXXIX, 14. [12] Exod. X, 26. [13] Gen. XLIX, 17. [14] Ps. XXI, 21. [15] Luc. VII, 37. [16] Joan. XII, 3. [17] Cant. I, 4. [18] Sap. II, 7. [19] Heb. IX, 4. [20] Isa. LV, 13. [21] Isa. XLIV, 13. [22] Isa. XI, 7. [23] I Reg. XVII, 36. [24] IV Reg. II, 24. [25] Ps. CIX, 3. [26] Job XIX, 17. [27] Job XXXVIII, 29. [28] Ps. XXXII, 7. [29] Gen. XXI, 14. [30] Ps. XXXII, 7. [31] Psal. CXVIII, 83. [32] Matth. IX, 17. [33] Matth. IX, 17

Digitized by Google

« Omnis homo qui comederit uvam acerbam, dentes ejus obstupescent [1], » quod, qui delectatione mundi, qui fructus intempestivus, fruitur, spiritualium sensuum ejus acumina decrescunt. *Vas*, opus pravum, ut in cantico Deuteronomii: « Uva eorum, uva fellis [2], » id est, opus eorum, opus amaritudinis. Per *vas* fervor dilectionis, ut in Evangelio: « Nunquid colligunt de spinis uvas [3]? » quod de hæreticis percipere non possumus fervorem veræ dilectionis.

Uxor est Ecclesia, ut in Apocalypsi: « Sponsam, uxorem agni [4], » id est, Ecclesiam, sponsam Christi. *Uxor*, sapientia justorum, ut in Psalmis: « Uxor tua sicut vitis abundans [5], » quod sapientia sanctorum internæ gratiæ humore ditatur. *Uxor*, exemplum bonum, ut in Levitico: « Virginem ducet uxorem [6], » id est, castum alterius exemplum in bona sibi conversatione copulabit. *Uxor*, actio bona, ut in Exodo: « Diligo uxorem et liberos, non egrediar liber [7], » id est, bonæ volo insistere actioni, et fructibus bonorum operum * volo adhuc ad libertatem exire contemplationis. *Uxor*, voluntas bona, ut in Genesi: « Arcam ingredere, tu et uxor tua [8], » id est, intra in quietem mentis tuæ cum bona et devota voluntate. *Uxor*, voluptas carnis, ut in Evangelio: « Uxorem duxi [9], » et ideo non possum * ad regnum Dei festinare.

X

X P S, est Dominus Jesus, ut in Psalmis: « Adversus Dominum et adversus Christum ejus [10], » quod Herodes rex et Judæi cum principibus suis conspiraverunt contra Deum Patrem et Filium ejus. Per *christos* viri sancti, ut in Psalmis: « Nolite tangere christos meos [11]: » id est, nolite perturbare viros sanctos Spiritus mei gratia inunctos.

Y

YADES. — YDRIÆ. — YDROPICUS. — YSOPUS.

Yades sunt sancti doctores, ut in Job: « Qui facit Arcturum et Oriones et Hyades [12], » quod Dominus sanctam Ecclesiam statuit, et in ea martyres protulit et spirituales doctores.

Ydriæ sunt corda fidelium, ut in Evangelio: « Implete hydrias aqua [13], » quod prius infundere debent prædicatores cordibus fidelium timorem, quam initium sapientiæ * timor Domini. *Ydria*, sapientia, ut in Genesi: « Deposuit ydriam suam super scapulam [14], » quod vocata ad Christum Ecclesia de gentibus sapientiam suam, de qua prius sublimiter gloriabatur, ad spiritualem humiliter utilitatem inclinavit.

Ydropicus est quilibet avarus, ut in Evangelio: « Et ecce homo ydropicus [15], » quod avarus, quo magis habet, eo magis habere cupit, sicut hydropicus, quo amplius bibit, eo amplius sitit.

Ysopus est humanitas Christi, ut in libris Regum: « A cedro quæ est in * Libano, usque ad ysopum, quæ egreditur de pariete [16], » id est, a divinitate, quam habet in Patre, usque ad humanitatem ejus, quæ præcessit ex virgine. *Ysopus*, baptismus, ut in libro * Numeri: « Lignum cedrinum et ysopum vermiculumque [17], » id est, martyrium et baptismum. *Ysopus*, humanitas, ut in Psalmis: « Asperges me ysopo [18], » id est, humiliabis me, et sic emundabor.

Z

ZELUS. — ZIZANIA. — ZONA.

Zelus est spiritualis fervor, ut in Psalmis: « Zelus domus tuæ comedit me [19], « id est, spiritualis fervor concussit me. *Zelus*, invidia, ut in Paulo: « Cum enim sit inter vos zelus et contentio [20], » id est, mundialis invidia.

Zizania sunt reprobi, ut in Evangelio: « Colligite primum zizania, et alligate ea [21], « quod angeli simul congregabunt reprobos, et in simili ponent eos pœna, qui hic fuerunt in simili culpa.

Zona est vinculum charitatis, ut in Apocalypsi: « Et præcinctum ad mamillas zona aurea [22], » id est, ornatur in actibus suis charitate spontanea. *Zona*, disciplina mentis, ut in Levitico: « Accingetur zona linea [23], » id est, roborabitur spirituali disciplina. *Zona*, mortificatio carnis, ut in libris Regum: « Et zona pellicea accinctus renibus [24], » id est, carnis mortificatione in membris reproborum.

[1] Jer. XXXI, 30. [2] Deut. XXXII, 32. [3] Matth. VII, 16. [4] Apoc. XXI, 9. [5] Ps. CXXVII, 3. [6] Lev. XXI, 13. [7] Exod. XXI, 5. [8] Gen. VII, 1; Luc. XIV, 20. [9] Psal. II, 2. [10] Psal. CIV, 15. [11] Job IX, 9. [12] Joan. II, 8. [13] Gen. XXIV, 18. [14] Luc. XIV, 2. [15] III Reg. IV, 33. [16] Num. XIX, 6. [17] Levit. XIX, 4, 49. [18] Psal. L, 9. [19] Ps. LXVIII, 10. [20] I Cor. III, 3. [21] Matth. XIII, 30. [22] Apoc. I, 13. [23] Lev. XVI, 4. [24] IV Reg. I, 8.

Digitized by Google

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

COMMENTARIA IN CANTICA

QUÆ

AD MATUTINAS LAUDES DICUNTUR.

Domino reverendissimo et in cultu veræ religionis strenuosissimo Ludovico regi Rabanus devotus servulus in Christo æternam optat salutem.

Nuper quando ad vos in cellula monasterii nostri, quæ vocatur Ratestorph, vocatus veni, et sermo fuit inter nos de Scripturis sacris, persuadere mihi dignati estis ut cantica quæ in matutinis laudibus sancta psallit Ecclesia vobis allegorico sensu exponerem; ad quod tunc respondi id me jam factum habere in opusculis nostris, quæ in tractatu divinorum librorum, quantum potui, confeci, nec modo necesse esse id denuo repetere; sed cum ad monasterium reversus essem et quæsissem utrum in omnia illa cantica expositionem jam factam haberem, comperi quod in illa quæ de prophetis sunt, Isaia videlicet et Habacuc, necdum manum miserim. Unde cogitavi quod hæc simul cum cæteris in unum volumen coaptarem, et vobis ad legendum maxime in istis diebus Quadragesimæ transmitterem. Feci siquidem hæc et utramque editionem simul posui; illam videlicet juxta quam Romana psallit Ecclesia, et hanc quam ex Hebraica veritate translatam cæteræ Occidentis ex maxima parte tenent Ecclesiæ, utriusque editionis, ubi inter se discrepare videbantur, sensum exponens, et juxta id quod in sanctorum Patrum dictis jam expositum inveni, vel per me divina gratia opitulante investigare potui, opus consummavi, petens lectorem ut si quid sibi in eo displiceat, non cito reprehendat, sed prius consideret utrum majorum sensui concordet et veritati contrarium non sit: sicque devotionem mentis meæ magis quam eloquentiam verborum perpendens æquo judicio de illo judicet, sciens scriptum: *In qua mensura mensi fueritis remetietur vobis* (Matth. VII). Si quem autem movet quod ipsa cantica non eo modo quo ab auctoribus suis condita sunt ordinem teneant, sed ea quæ postea edita sunt priore loco ponantur, quia canticum Exodi et canticum Deuteronomii ante cætera cantica per legislatorem edita sunt, agnoscat hoc non frustra factum, sed decenti ordine et secundum rationem actum esse, ut mysteriis et institutionibus per omnia convenirent divinis. Nam in Dominica die, quæ per omnia honorabilis et digna laudibus exstat, laudes trium puerorum in Ecclesia canuntur. In quibus omnes creaturæ ad laudandum et benedicendum Creatorem suum provocantur. In secunda vero feria canticum Isaiæ, in quo adventus Salvatoris et baptismi sacramentum prædicatur, cantari decretum est, quia hæc sunt initia salutis nostræ. In tertia quoque feria canticum sive oratio Ezechiæ psallitur, in quo de infirmitate sua convalescens gratiarum actiones pro salute sua Deo referebat, admonens nos ut ipsi post perceptam gratiam Dei et ablutionem sacri baptismatis a mortis vinculis absoluti, per omne tempus vitæ nostræ Deo gratias agere studeamus. In quarta autem feria canticum Annæ prophetissæ canitur, in quo Judaicæ perfidiæ expulsio denotatur, et electio Ecclesiæ de gentibus demonstratur. Nam in quinta feria merito canticum Israelitarum canitur, quod post paschæ celebrationem educti ex Egypto, et per mare Rubrum sicco vestigio translati cecinerunt. Nam et in ipsa feria Salvator noster pascha typicum cum discipulis suis celebrans, pascha mysticum continuatim in sacramento corporis et sanguinis sui et in immolatione illius agni qui tollit peccata mundi, consecravit. Ideo consequenter in sexta feria canticum Habacuc prophetæ, in quo sacramenta Dominicæ passionis continentur et resurrectionis atque ascensionis ejus in cœlos mysteria declarantur, congrue in Ecclesia psallitur, ut omnibus innotescat, quomodo in sexta feria, in qua primus homo conditus denuo est, humanum genus ad vitam æternam per Christum restauratum sit. Sabbato quoque bene et congrue canticum Deuteronomii canendum constitutum est, in quo beneficia Dei erga priorem populum demonstrantur, et quam ingrate idem populus ea susceperit, hisque abusus sit, certissime exprimitur; quia ea die antiquitus constitutum est Deuteronomium legis in synagoga recitari, ne oblivio præceptorum Dei in populo fieret, sed magis incitarentur ad observationem præceptorum illius. Unde in Actibus apostolorum Jacobo dicente ita scriptum legimus: *Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur* (Act. XV); nos ergo similiter eodem carmine spiritualiter instruimur, ut non simus ingrati beneficiorum Dei, sed magis per omne tempus vitæ nostræ laudibus ejus insistamus, donec veniat illud sabbatum, in quo perpetualiter cum Christo requiem possideamus æternam. Cantica vero de Evangelio sumpta apte et convenienter quotidie in Ecclesia decantari a magistris Ecclesiæ decretum est, hoc est, ut canticum Zachariæ prophetæ, ubi exortus

Digitized by Google

lucis in tenebris memoratur, in matutinis laudibus decantetur, et canticum Mariæ Dei genitricis, in quo per brachium Domini dispersio superborum et potentium depositio humilitumque exaltatio prædicatur, recte in vespertino officio novissime canitur. Quia in vespere mundi, hoc est, in fine sæculi per adventum Salvatoris, superbi in ignem projicientur inferni, et humiles in gloriam exaltabuntur æternam. Hæc ergo juxta id quod sensimus et a magistris traditum accepimus, stylo protulimus, non præjudicantes his qui melius sapiunt ac melius sermonibus proferre norunt. Tu autem, sapientissime rex, in omnibus bene eruditus, ea quæ tibi a devoto famulo collata sunt, benigna mente suscipe, illisque utere secundum quod perspexeris tibi tuisque prodesse. Ego autem quidquid servitii possum tibi libenter impendam, insuper et ipse impendar, Deum orando atque obsecrando pro salute tua, et pro stabilitate regni tui, ut hic diu sospes vivas, et post terminum præsentis vitæ in cœlesti regno vita fruaris æterna. Divinitas Domini nostri Jesu Christi hic et ubique, nunc et semper sanum et incolumem te conservare dignetur.

INCIPIT

CANTICUM ISAIÆ PROPHETÆ.

Isaias propheta postquam de incarnatione Domini et de convocatione Ecclesiæ atque destructione idolatriæ mysticis disputaret eloquiis, ita ut de flore virgæ, de radice Jesse ascendente, super quem septemplicis Spiritus gratia requiesceret primum narraret, postea de concordia et cohabitatione bestiarum cum pecudibus, hoc est, divitum cum pauperibus et ferocium atque superborum cum mansuetis et humilibus concordiam in Ecclesia prædicaret, et signum crucis undique gentes convocare ad unitatem fidei testaretur, ad extremum desolationem fluminis Ægypti, hoc est, errorem gentium, qui in tenebris infidelitatis habitabant, dissolvendum esse manifestavit, sicque Ecclesiæ plebem, sive animam fidelem ad laudandum Deum provocat, quatenus ejus gratiæ hoc deputet, quod ab inimicis liberata, et a filiis iræ separata, filia reconciliationis et misericordiæ sit effecta. Unde dicit :

« Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es « mihi. Conversus est furor tuus et consolatus es me. » Confessio ergo, sicut sæpe diximus, æquivocum nomen est, et pro locorum diversitate suscipitur. Confitentur enim et qui peccata deplorant, id est, qui pro ipsis dignam pœnitentiam agunt, et qui Domino gratias referunt confitentur : sed illud in lacrymis, istud in gaudio est : illud in afflictione, istud in sancta mentis alacritate nascitur constitutum. Unde hic profusa lætitia exsultat populus fidelis quamdam imaginem futuri sæculi designans, ubi voces istæ continuæ sunt et laudes Domini devota mente concelebrant. Grandis enim lætitia est peccatricis quondam animæ, cum se recordatur a vinculis peccatorum et laqueis errorum per gratiam sacri baptismatis erutam et per renovationem Spiritus sancti in electorum sortem translatam spem habens vitæ futuræ et gaudii sempiterni. Sed unde hæc gratia sibi provenerit ostendit dicens :

« Ecce Deus Salvator meus : fiducialiter agam, « et non timebo. » Omnis enim nostræ redemptionis et salutis causa in incarnatione Jesu Christi Domini nostri consistit, quia non est aliud nomen super terram datum hominibus, testante Petro apostolo, in quo oporteat salvos fieri, de quo et Paulus ait : « Gratia enim sumus salvati (*Ephes.* II). » Et item : « Quis me, inquit, liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (*Rom* VII). » De quo rursum ait : « Gratias agimus Deo, qui dignos nos fecit in parte sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra (*Col.* I). » In ipso quoque fiducialiter agit omnis qui recte credit in Domino et sperat in eo, sciens quia ipse potens est liberare et defendere eos qui in ejus protectione veraciter confidunt, et ob hoc non timet adversarium, quia nocere illi non potest, nisi permissus. Unde Psalmista ait : « Dominus mihi adjutor est, et ego videbo inimicos meos (*Psal.* CXVII). » Subauditur infirmos fieri, et impotentes, spiritales enim nequitias vult intelligi, quas in illo judicio dicit esse videndas, ubi jam diabolus cum cæteris ministris suis destructus atque damnatus humanis conspectibus apparebit.

« Quia fortitudo mea et laus mea Dominus, et « factus est mihi in salutem. » Non potest impulsus cadere, cui auxilium Domini videtur fortitudo præstare ; sed ne putaretur sola pericula declinare quem Domini dona servabant, adjecit, « factus est mihi in salutem, » quia per ipsum æternam vitam suscipiunt, per quem et sæculi hujus ruinas evadere promerentur. Ipse enim est et fortitudo et laudatio æterna beatorum. Audiat sceleratissima hæresis factum Dominum his qui salvantur, et quorum prius Dominus non erat, ut creationem in Scripturis atque facturam non semper conditionem eorum quæ non erant sed interdum gratiam in eos qui meruerint sibi Deum fieri, intelligamus. Post hæc Propheta sub figura exhortatur eos qui credunt in Deum, ut ejus doctrinam intente discere studeant, qui ejus sortiti sunt et fidem, et dicit :

« Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. » Quem supra Emmanuel, et Accelera spolia detrahere, Festina prædari, et reliquis appellaret nominibus, ne videretur alter esse præter eum quem Gabriel Virgini nuntiavit dicens : « Vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum (*Matth.* I), » nunc vocat Salvatorem, et de ejus fontibus aquas prædicat hauriendas, nequaquam de aquis fluminis Ægypti, quæ percussæ sunt, neque de aquis fluminis

Digitized by Google

Rasni, sed de fontibus Jesu. Hoc enim Hebræorum lingua Salvator exprimitur. Unde et ipse clamabat in Evangelio : « Qui sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem, » inquit Evangelista, « dicebat de Spiritu sancto, quem credentes in eum accepturi erant (*Joan.* VII). » Et in alio ipse loquitur Evangelio : « Qui biberit de aqua quam ego dedero ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV). » Fontes Salvatoris doctrinam intelligamus evangelicam, de qua in septuagesimo septimo psalmo legimus : « In Ecclesiis benedicite Deo, Deum de fontibus Israel, » quam videlicet apostoli gentibus infuderunt, fons enim religionis inde per cæteras nationes emanavit. Unde et sequitur :

« Dicetis in illa die. Confitemini Domino et invocate nomen ejus. Notas facite in populis adinventiones ejus, mementote quoniam excelsum est nomen ejus. Cantate Domino quoniam magnifice fecit. Annuntiate hoc in universa terra. » Adinventiones enim Domini præcepta sunt divina, quæ ex consilio summæ sapientiæ solummodo sunt prolata, et salutifera eis omnino fiunt, qui ea factis adimplere student. Hæc præcipiuntur ab apostolis et reliquis doctoribus de Israel his, qui de gentibus crediderunt, ut soli confiteantur Domino et, idolis derelictis, invocent nomen ejus, et cuncta ejus opera prædicent infidelibus, ut sciant quoniam ipse solus excelsus est, et « in nomine ejus omne genu flectitur cœlestium, terrestrium et infernorum (*Phil.* II), » cui cantandum est, quod magnifice fecerit, et in omni orbe illius misericordia prædicetur. Huic etiam loco concordat initium centesimi quarti psalmi, ubi ita scriptum est, « Confitemini Domino et invocate nomen ejus, annuntiate inter gentes opera ejus. » In hoc ergo tribus constat partibus ordo dictorum. Primo dicit : « Confitemini Domino, » id est, laudate eum et bonis factis gratiam vobis divinitatis acquirite, quia id ipsum est laudare Dominum, et ore illi honorem deferre, et operibus ejus jussiones efficere. Illa enim confessio hic intelligenda est, quæ Domini præconia celebrare non desinit, quando et subsequentia tale votum actionemque declarant. Deinde Dominum commonet invocari, ut post ministerium sanctissimæ laudis grates ei dignas solvamus. Ipse enim rite invocat Deum, qui magis actu quam voce clamat ad Deum. Unde Salvator in Evangelio ad superbos et inobedientes sibi ait : « Quid enim vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico ? » (*Luc.* VI.) Et alibi : « Non omnis, inquit, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum ; sed qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum cœlorum (*Matth.* VII). » Tertio dicit : « Annuntiate inter gentes opera ejus, » quod bene potest gloriosis evangelistis et sanctissimis apostolis, et nunc sacerdotibus convenire, qui per gentes universas magnalia ejus annuntiare noscuntur.

« Exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus « est in medio tui sanctus Israel. » Primum dicendum juxta litteram : O habitatio Sion, exsulta et lauda Deum tuum, quod qui tuus ante videbatur Deus et modicis Judææ terræ claudebatur angustiis, nunc repleverit omnem terram scientia sua, et de morte consurgens regnet in gentibus, et ipsum nationes deprecentur atque adorent, ita duntaxat, ut adjiciat secundo manum tuam ad possidendum, quod reliquum est populi sui, et congregantes profugos Israel et dispersos Juda colligendos a quatuor plagis terræ, quia seminarium Evangelii per apostolos, qui ex Judæis erant, processit a fontibus Israel, melius autem est, ut Sion, id est speculam in sublimibus collocatam interpretemur Ecclesiam, de qua et quinquagesimus psalmus canit : « Benigne fac in bona voluntate tua, Sion, ut ædificentur muri Jerusalem. » Ut acceptabile fiat in ea Domino sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta, et vitulus, quem filio pœnitenti pater clementissimus immolavit.

INCIPIT

CANTICUM EZECHIÆ

Regis Judæ.

Canticum ergo, quod sub Ezechiæ nomine prænotatur, quod aliqui interpretum scripturam, alii orationem nominant, videtur mihi melius gratiarum actionis vocabulo prænotari. Sic enim scriptum est in propheta (*Isa.* XXXVIII) : « Scriptura Ezechiæ regis Judæ, cum ægrotasset et convaluisset de infirmitate sua. » Septuaginta vero ita posuerunt : « Oratio Ezechiæ regis Judæ, quando languit et surrexit de infirmitate sua. » Manifestum est enim quod post redditam sanitatem de infirmitate consurgens ista conscripserit, ex quo non oratio est, sed gratiarum actio pro beneficio quod acceperat. Potest enim hoc canticum bene convenire his qui post longam ægritudinem animarum resipiscunt a diaboli laqueis, et de peccatorum gravitudine sanantur, et student se virtutibus sacris recuperare, et laudes Dei non solum voce, sed etiam corde et actu pronuntiare.

« Ego dixi : In dimidio dierum meorum vadam « ad portas inferi. » Narrat quid tempore prementis angustiæ imminentisque languoris tacitus cogitarit. « Dixi, inquit, in corde meo, In dimidio dierum meorum, » sive, ut alii interpretati sunt, in infirmitate et silentio dierum meorum, sive in sanguine dierum meorum, quando meus cruor meusque spectabatur interitus. Itaque in desperatione dixi : « Vadam ad portas inferi. Vel communi lege naturæ, vel illas portas, de quibus, quod liberatus sit Psalmista decantat : « Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion (*Psal.* IX). Has portas inferni reor quæ adversum Petrum non prævalent, quia dormivit in plenitudine dierum suorum. Sancti implent dies suos, qualis

Digitized by Google

fuit Abraham qui mortuus est plenus dierum in senectute bona : peccatores vero et impii in medio dierum suorum moriuntur, de quibus et psalmus loquitur : « Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos (*Psal.* LIV), » non enim implent opera virtutum nec student pœnitentia emendare delicta. Unde in medio vitæ cursu et in errorum tenebris ducentur ad tartarum.

« Quæsivi residuum annorum meorum. » Non me putans ultra esse victurum, dixi, « Non videbo Dominum Deum in terra viventium. » Pro Domino et Deo hic in Hebraico ponitur, Ia, quod in extrema syllaba alleluia sonat, pro quo Septuaginta transtulerunt, « nequaquam ultra videbo salutare Dei in terra viventium ; » de qua et in alio loco scriptum est. « Placebo Domino in regione viventium (*Psal.* CXIV) ; » et rursum : « Placebo Domino in lumine viventium (*Psal.* LV). » Regio ergo sanctorum ipsa est, quæ appellatur lux viventium. « Non est enim Deus mortuorum, sed vivorum (*Matth.* XXII), » hoc autem est omne quod metuit, ne salutare Dei, ductus ad inferos, nequaquam mereatur aspicere. Sequitur :

« Non aspiciam hominem ultra et habitatorem, « quievit generatio mea, ablata est et convoluta « est a me, quasi tabernaculum pastorum, præcisa « est veluti a texente vita mea, dum adhuc ordirer, « succidit me. » Timet ergo, ne cum sanctis et hominibus Dei non habitet in quiete, ne non videat Deum in terra viventium, ne generatio illius instar tabernaculi dissolvatur, ne in telæ similitudinem in ipso lucis exordio præcidatur, et nequaquam de semine ejus Christus oriatur. Quod autem corpus nostrum appelletur tabernaculum, et Apostolus instruit dicens : « Nos qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus aggravati (*II Cor.* V). » Vita ergo humana non Parcarum filis secundum gentilium fabulas orditur, sed dispositione Dei ordinatur. Unde Job ad Dominum ait : « Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est, constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt (*Job* XIV). » Sed quæritur, quomodo numerus certus sit apud Dominum vitæ humanæ, si Ezechias se dixit in dimidio dierum moriturum. Sed sciendum in hoc quod propheta sibi prædixit mortem proximam illi esse venturam, ostenderit quid ipse meruerit : attamen prædestinatio Dei id quod voluit fecit, quia orationi ejus annuens, et pœnitentiam considerans, addidit numerum dierum, quem ante sæcula præscivit et prædestinavit futurum. Ne ergo elevaretur cor Ezechiæ post incredibiles triumphos, et de media captivitate victoriam, infirmitate corporis visitatur, et audit se esse moriturum, et conversus ad Dominum flectat sententiam ejus, quod quidem et in Jona propheta legimus, et in comminationibus contra David, quæ dicuntur futuræ, nec factæ sunt, non Deo mutante sententiam, sed provocante humanum genus ad notitiam sui. Dominus enim pœnitens est super malitiis : nec propheta igitur fallax, quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur, nec Dominica statuta convulsa sunt, quia ut ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque ante sæcula præfixum fuit, atque spatium vitæ, quod inopinate foris est : additum sine augmento præscientiæ fuit intus statutum

« De mane usque ad vesperum finies me, a ve« spere usque ad mane, quasi leo, sic contrivit om« nia ossa mea. » Quod sic juxta aliam editionem legitur : « De mane usque ad vesperum finies me. » Sperabam usque ad mane, quod et Job in angustia sua atque in tormentis corporis sustinuisse se dicit, quando in die exspectabat noctem, et lucem præstolabatur in tenebris, mutatione temporum putans mutari posse supplicia. Hoc verum esse novit, qui magnis febribus æstuat, cujus ignis internus in similitudine leonis omnia ossa consumit, nec se putat præ doloris magnitudine esse ultra victurum.

« De mane usque ad vesperam finies me, sicut « pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor, ut columba. » Hæ duæ aves gemitum pro cantu edere solent. Unde harum similitudinem Ezechias in doloris sui querelis et gemitibus, cum oratione profusa ad Deum assumit, quatenus lugubris et fletu mixta deprecatio protinus ad pii judicis aures ascendat, et sic ipsius opem sibi citius collatam sentiat. Unde et sequitur.

« Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excel« sum. Domine, vim patior, responde pro me, quid « dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fece« rim. » Defecerunt, inquit, oculi mei aspiciendo excelsum cœli ad Dominum, qui eruit me et abstulit dolorem animæ meæ, et ipse fecit ; nunc quoque mors imminet et languores atque incumbens dolor, quasi leo, ita corporis mei ossa frangebat, sed ego in similitudinem hirundinis et columbæ fletibus et gemitibus dies noctesque jungebam, et a Deo solo, qui poterat subvenire, elevatis in altum oculis, auxilium præstolabar, dicebamque ad eum : Plus patior, quam mea poscunt merita ; sed et si quid erravi, convertar ad melius, tu sponde pro me. « Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei (*Rom.* IX) ; » rursumque in se revertitur : Quid dicam, inquit, quidve causabor contra factorem meum, aut quid respondebit mihi, quia fecit ipse quod voluit. Sustinenda ergo sunt quæcunque decreverit.

« Recogitabo omnes annos meos in amaritudine « animæ meæ. Domine, si sic vivitur et in talibus « vita spiritus mei. Corripies me et vivificabis me, « ecce in pace amaritudo mea amarissima, tu autem « eruisti animam meam, ut non periret. » Nulla res longa mortalium est omnisque felicitas sæculi, dum tenetur amittitur. Cum enim tribulationis tempus advenerit, omne quod præteritum est, nihil adjuvat sustinentem. Unde stulta Epicuri sententia est qui asserit per recordationem præteritorum bonorum mala præsentia mitigari. Ergo Ezechias reputare se dicit omnes annos regni sui, et præteritæ, ut putabat, beatitudinis in præsenti amaritudine : et quia

Digitized by Google

jam securus est, nec patitur quæ refert de humano statu, philosophatur et dicit : « Domine, sic vivitur, et tali sumus conditione generati, » corripuisti me, sed vivificasti me pacemque tribuisti fugato Asyro; sed pax mea omni mihi amaritudine fuit amarior, quia tranquillitate populi reddita et urbe secura, ego solus limina mortis intravi, sed tu eruisti animam meam, ut non periret, vel præsenti vitæ, vel futuræ.

« Projecisti post tergum tuum omnia peccata mea, « quia non infernus confitebitur tibi neque mors « laudabit te. » Projecisti, inquit, post tergum omnia peccata mea, ne illa tristis aspicerem, sed tuam misericordiam contemplarer : infernus enim et mors non confitebuntur neque laudabunt te, juxta illud quod scriptum est : « In inferno autem quis confitebitur tibi (*Psal.* XXX)? » Confessioque quæ in hoc loco non pro pœnitentia, sed pro gloria et laude accipitur, sicut et in Evangelio legimus : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ (*Matth.* XI). »

« Non exspectabunt qui descendunt in lacum ve- « ritatem tuam ; vivens vivens ipse confitebitur tibi, « sicut et ego hodie. » Non exspectabunt, inquit, qui descendunt in lacum veritatem tuam; melius enim hoc ad intellectum pertinet, quam illud, quod in LXX legimus, non exspectabunt, qui descendunt in lacum, misericordiam tuam; maxime, cum Salvator ad infernum descenderit, ut vinctos de inferis liberaret. Pro lacu manifestius iidem inferos transtulerunt. « Vivens vivens ipse confitebitur, sicut et ego hodie. » Et hic confessio pro laudatione ponitur : neque enim sua scelera confitetur, sed gratias agit Deo, et non est pulchra laudatio in ore peccatoris. Cumque infernus et mors non confiteantur, nec laudent Deum, econtrario vita atque viventes Dominum glorificant, quodque sequitur :

« Pater filiis notam faciet veritatem tuam. Domine, « salvum me fac et psalmos nostros cantabimus « cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini. » Pater filiis notam faciet veritatem tuam. Hoc significat, quod et in Deuteronomio dicitur : « Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi; seniores tuos, et dicent tibi (*Deut.* XXXII), » ut per successiones et singulas generationes Dei in posteros clementia prædicetur, pro quo LXX posuerunt. Ab hodie enim filios faciam, qui annuntiabunt justitiam tuam, causalis, quæ conjunctio sequentia cum superioribus copulat, quod videlicet idcirco viventes et ipse vivens benedicant Deo, quia ab hac die facturus sit filios, qui annuntient veritatem ejus : quod certe suæ non erat potestatis, neque enim per Prophetam illi liberi repromissi sunt, sed præsens vita concessa, præsertim cum impiissimum filium genuerit Manassen, qui repleverit Jerusalem sanguine a porta usque ad portam, et non benedixit, sed maledixit Deo, persequens sanctos ejus. Possumus ergo, juxta LXX, hoc dicere, quod non dixerit filios faciam, sed PIDIA, quod vel parvulos, vel pueros sive infantulos et posteros intelligimus, ut ex eo quod ipse miscri- A cordiam consecutus est, omnis ventura posteritas hoc cognoscens laudet ejus incredibilem clementiam. Salvum ergo me fac, Domine, ut omnes qui in te credimus tuoque sumus auxilio liberati, cunctis diebus vitæ nostræ te cantemus in templo.

INCIPIT

CANTICUM ANNÆ,

Matris Samuelis prophetæ.

Igitur Canticum quod in libro Regum prophetico spiritu Anna mater beati Samuelis prophetæ proferebat, et sub titulo orationis prænotatum est, multa sacramenta de Christo et Ecclesia ejus continet, quia B ipsius munere hæc prophetizando præsagabatur, cujus ope totius Ecclesiæ subsistit fortitudo, et amplificatur multitudo, et confirmatur stabilitas, sed quæritur cur Scriptura dicat Annam orando hoc carmen proferre, cum magis in ea prædicatio futurorum, quam postulatio alicujus rei inveniatur. Sic enim scriptum est, Et oravit Anna et ait :

« Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum « est cornu meum in Deo meo. » Non enim invenitur orare in hoc cantico, nisi per duo verba tantum, ut dicit : « Lætata sum in salutari meo, » et aliud est, « quia non est Deus præter te. » Apostolus autem dicit : « Orate sine intermissione (*I Thess.* V). » Illi enim qui in divino versatur officio, omnia gesta ejus, dictaque pro oratione reputantur; quia C justus cum sine intermissione, quæ justa sunt, agit, per hoc sine intermissione justus orabit. Et in Psalmis dicit : « Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum (*Psal.* CXL). » Elevat manus ille, qui elevat actus suos. Aliter, Moyse elevante manus, vincebat Israel, dimittente vero, vincebat Amalech; quia donec famulus Dei elevat actus suos ad Dominum, vincit plebs Dei, cum autem dimiserit actus suos, vincit Amalech, inimicus Dei. « Exsultavit, » inquit Anna, « cor meum » et necessarie addidit, « in Domino, » ut Paulus dixit : « Gaudete in Domino semper (*Phil.* IV), » quia potest quis gaudere in carnalibus. Cum me homines laudant, non in Domino gaudeo, sed gaudeo in vanitate : hinc compungar propter verbum Dei, cum dicit : « Exsultavit cor D meum in Domino. » Dicat ergo Anna, quæ interpretatur gratia, Ecclesia videlicet Christi, civitas regis magni, gratia plena, prole fecunda, dicat, quod tanto ante de se prophetatum per os hujus piæ matris agnoscit. « Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo. » Vere exsultavit cor, quia in Domino, et vere exaltatum cornu, quia non ex se, sed in Domino Deo suo exaltatum est. Et in alio loco dicit : « Exaltabuntur cornua justi (*Psal.* LXX), » quia de crucis Christi apicibus, justis conferuntur hæc cornua, in his ventilabimus atque destruemus adversarias potestates animæ nostræ insidiantes.

« Dilatatum est os meum super inimicos meos. »

Digitized by Google

Quia et in angustiis pressurarum sermo Dei non est alligatus, nec in præconibus alligatis.

« Quia lætata sum in salutari tuo. » Salutaris iste Dominus est Christus Jesus, quem Simon, sicut in Evangelio legitur (*Luc.* II), senex amplectens parvum, agnoscens magnum : « Nunc dimittis, inquit, Domine, servum tuum in pace ; quia viderunt oculi mei salutare tuum. » Si lætatus fuero in salutari Domini, tunc dilatatum est os meum, per meditationem utique verbi Dei ad elevationem cordis veniemus. Unde Apostolus dicit : « Os nostrum ad vos patet, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est (*II Cor.* VI). » Ex latitudine enim cordis ori sapientia ministratur.

« Non est sanctus ut est Dominus. » Distinctione utitur, non dixit, nisi Dominus, sed nullus est, sicut Dominus sanctus et sanctificans, justus et justificans.

« Neque enim est alius extra te, et non est fortis « sicut Deus noster. » Non est, inquit, sanctus præter te, Domine, quia nemo fit, nisi abs te, etsi sunt, qui dicuntur dii multi, et domini multi, nullus tamen eorum naturaliter est id quod Deus est, quia ipse solus est, qui dixit ad Moysen servum suum : « Ego sum qui sum (*Exod.* III) ; » nam umbra ad comparationem corporis non est, et fumus ad comparationem ignis non est.

« Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes. » Et Salomon dicit : « Altiora te ne quæsieris (*Eccli.* III). » Et alibi : « Dominus in cœlo et tu super terram, ideo sint pauci sermones tui (*Eccle.* V). »

« Recedant vetera de ore vestro. » Hoc est, magniloquium non exeat de ore vestro. « Omnis sermo malus, » dicit Apostolus (*Ephes.* IV), « ex ore vestro non procedat. »

« Quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præ« parantur cogitationes. » Ipse vos scit et ubi nemo scit : Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Unde qui putat se aliquid esse, cum nihil sit, seipsum seducit. Hæc dicuntur adversariis civitatis Dei ad Babyloniam pertinentibus, de sua virtute præsumentibus, in se, non in Domino gloriantibus, ex quibus sunt etiam carnales Israelitæ terrenæ Jerusalem, cives terrigenæ, qui, ut dicit Apostolus (*Rom.* X), « ignorantes Dei justitiam, » id est, quam dat homini Deus, qui solus est justus atque justificans, « et suam volentes constituere, » id est, velut a se sibi paratam, non ab illo impartitam, « justitiæ Dei non sunt subjecti. » Utique, quia superbi de suo putantes, non de Dei posse placere. Sed quia est Deus scientiarum, atque ideo et arbiter conscientiarum, ipse videt cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Unde vanæ sunt, nisi quia proprie hominum sunt, a quo ipsi homines sunt.

« Arcus fortium superatus est et infirmi accincti « sunt robore. » Infirmatus est arcus, id est, intentio eorum, qua tam potentes sibi videntur esse, ut sine Dei dono atque adjutorio humana sufficientia divina possint implere mandata, et infirmi accincti sunt robore, qui tantum in Dei pietate confidunt, et ab illo solatia quærunt, dicentes cum Propheta : « Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum (*Psal.* XXX). » Infirmus erat populus gentilis, quando alienus a testamento Dei fuerat. Nunc ergo præcinctus est robore, cum indutus est scuto fidei et galea salutis, et gladio spiritus hostis antiqui tela ignea proterit.

« Saturati prius pro pane se locaverunt et famelici « saturati sunt. » Qui sunt intelligendi saturati panibus, nisi iidem ipsi, quasi potentes, id est, Israelitæ, quibus credita sunt eloquia Domini ? sed in eo populo ancillæ filii minorati sunt, cum se subtraxerunt, ne crederent in Salvatorem, et in ipsis panibus, id est, divinis eloquiis quæ illi soli tunc ex omnibus gentibus acceperunt, terrena tantum sapiunt. Gentes autem, quibus lex illa non erat data, posteaquam per Novum Testamentum ad eloquia illa venerunt, multum esuriendo terram transierunt ; quia in eis non terrena, sed cœlestia sapuerunt, et hoc velut quæreretur causa cur factum sit.

« Donec sterilis peperit plurimos et quæ multos « habebat filios infirmata est. » In Hebræo et in Septuaginta translatione non plurimi, sed septem leguntur. Judæi hunc locum ita intelligunt, quod nato Samuele mortuus sit filius primogenitus Fenennæ, et singulis Annæ filiis nascentibus, singuli Fenennæ mortui sint filii ; sed quærendum est quomodo hoc stare possit, cum Fenenna septem, Anna autem non plus quam quinque filios habuerit. Hanc quæstionem Hebræi solventes duos filios Samuelis cum filiis Annæ annumerant : Quia sterilis, inquit, peperit septem et multa in filiis infirmata est. Hic totum quod prophetabatur eluxit agnoscentibus numerum septenarium, quo est universa Ecclesiæ significata protectio, propter quod Joannes apostolus ad septem scribit Ecclesias, eo modo se ostendens ad unius plenitudinem scribere : et in Proverbiis Salomonis hoc antea præfigurans. « Sapientia ædificavit sibi domum et suffulsit columnas septem (*Prov.* IX). » Sterilis enim erat in omnibus gentibus Dei civitas, antequam iste fetus, quem cernimus, oriretur. Cernimus etiam quæ multa in filiis, nunc infirmatam Jerusalem terrenam : quoniam quicunque filii liberæ in ea erant, virtus ejus erant. Nunc vero ibi, quoniam littera est, et spiritus non est, amissa virtute infirmata est.

« Dominus mortificat et vivificat. » Mortificat illam quæ multa erat in filiis, et vivificat hanc sterilem quæ peperit septem, quamvis commodius possit intelligi eosdem vivificare, quos mortificaverit, id enim vel repetivit addendo.

« Deducit ad inferos et reducit. » Quibus enim dicit Apostolus : « Si mortui estis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens (*Rom.* VI), » salubriter mortificantur utique a Domino : quibus adjungit, « quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, » ut ipsi sint illi qui esurientes transierunt terram. Mortui enim estis, inquit, quomodo salubriter mortificat Deus ; deinde

Digitized by Google

sequitur : Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Ecce quomodo eosdem ipsos vivificat Deus : sed nunquid eosdem deduxit ad inferos et reduxit ? Hoc utrumque sine controversia fidelium in illo potius videmus impletum, capite scilicet nostro, cum quo vitam nostram in Deo Apostolus dixit absconditam. Nam qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, iste modo utique mortificat, et quia resuscitavit a mortuis, eumdem rursus vivificavit. Et quia in prophetia vox ejus agnoscitur : « Non derelinques animam meam in inferno (*Psal.* xv), » eumdem deduxit ad inferos et reduxit, hac ejus paupertate ditati sumus.

« Dominus enim pauperes facit et ditat. » Nam quid hoc sit ut sciamus, quod sequitur audiamus.

« Humiliat et sublimat. » Utique superbos humiliat et humiles exaltat ; quod enim alibi legitur : « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jac.* iv) ; » hoc totus habet sermo, cujus nomen interpretatur gratia ejus. Jam vero, quod adjungitur :

« Suscitat a terra pauperem, » de nullo melius quam de illo intelligo qui propter nos pauper factus est, cum dives esset, ut ejus paupertate, sicut paulo ante dictum est, ditaremur ; ipsum enim de terra suscitavit tam cito, ut caro ejus non videret corruptionem, nec illud ab illo alienabo, quod dictum est :

« Et de stercore erigit inopem. » Inops quippe idem qui pauper ; stercus vero, unde erectus est, rectissime intelliguntur persecutores Judæi : in quorum numero, cum se dixisset Apostolus Ecclesiam persecutum : « Quæ mihi, inquit, fuerunt lucra, hæc propter Christum damna esse duxi, nec solum detrimenta, verum etiam stercora existimavi esse, ut Christum lucrifacerem (*Phil.* iii). » De terra ergo suscitatus est, ille supra omnes divites pauper erectus est, et de illo stercore super omnes opulentos ille inops.

« Ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ « teneat. » Quibus ait : « Sedebitis super duodecim sedes (*Matth.* xix) ; » et sedem gloriæ hæreditatem dans eis. « Domini enim sunt cardines terræ et posuit « super eos orbem. » Quia ipse dominatur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ (*Psal.* lxxi). « Domini, inquit, sunt cardines terræ : » hoc est, quatuor plagæ mundi, in quibus dilatabit orbem Ecclesiæ suæ, quæ a solis ortu usque ad occasum laudat nomen ejus.

« Pedes sanctorum suorum servabit. » Hoc est, electorum suorum opera in via justitiæ dirigit.

« Et impii in tenebris conticescent. » Qui mittentur in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium. Ubi conticescent, id est, ab arrogantia superbiæ suæ cessabunt.

« Quia non in fortitudine roborabitur vir. » Hoc est, non in fortitudine propria, sed in virtute divina potens est vir, id est, populus credentium.

« Dominum formidabunt adversarii ejus. » Quia Dominus infirmum faciet adversarium ejus. Potest ex ambiguo græco intelligi et adversarium suum. Cum enim Dominus possidere nos cœperit, profecto adversarius, qui noster fuerat ipsius fit, et vincetur a nobis, non viribus nostris, quia non in virtute propria potens est vir. Dominus ergo infirmum faciet adversarium suum. Dominus sanctus, ut vincatur a sanctis, quos Dominus sanctus sanctorum efficit sanctos, ac per hoc non glorietur potens in sua potentia, et non glorietur prudens in sua prudentia, nec dives in divitiis suis ; sed in hoc glorietur, qui gloriatur intelligere et scire Dominum et facere judicium et justitiam in medio terræ, non parva ex parte intelligit, et scit Dominum, qui intelligit, et scit etiam hoc sibi a Domino dari, ut intelligat et sciat Dominum. Sed quia retributio justa in die judicii futura est a Domino super filios Adæ ; inde sequitur :

« Super ipsos in cœlis tonabit. » Ipse judicabit extremum terræ, quia justus est, prorsus ordinem tenuit confessionis fidelium hæc prophetissa, ascendit enim in cœlum Dominus Christus, et inde venturus est ad judicandum vivos et mortuos. « Nam quis ascendit, » sicut dicit Apostolus (*Ephes.* iv), « nisi et qui descendit in inferiores partes terræ ? Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia. » Per nubes ergo suos tonuit, quas sancto Spiritu cum ascendisset implevit. De quibus carnali Jerusalem, hoc est, ingratæ vineæ comminatus est apud Isaiam prophetam, ne pluant super eam imbrem. Sic autem dictum est :

« Dominus judicabit fines terræ. » Ac si diceretur Dominus judicabit extrema hominis : quoniam non judicabuntur, quæ in melius, vel in deterius medio tempore commutantur, sed in quibus extremis inventus fuerat qui judicabitur. « Et dabit imperium « regi suo, » hoc est, populo christiano : dat eis virtutem, qua carnem sicut reges regant, et in illo, qui propter eos fudit sanguinem suum, mundum vincant. Sequitur :

« Et sublimabit cornu Christi sui. » Quomodo Christus exaltabit cornu Christi sui ? Omnes quippe unctos ejus chrismate, recte Christos possumus dicere, quod tamen totum cum suo capite corpus unus est Christus. Hæc Anna prophetavit Samuel mater sancti viri, multumque laudati, in quo quidem tunc figurata est mutatio veteris sacerdotii, et nunc impleta, quando infirmata est, quæ multa erat in filiis, ut novum haberet in Christo sacerdotium, sterilis quæ peperit septem.

INCIPIT

CANTICUM EXODI.

« Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus « est. » Multa quidem cantica fieri legimus in Scripturis divinis, horum tamen omnium primum istud est canticum quod, Ægyptiis et Pharaone submerso, populus Dei post victoriam cecinit : moris quippe sanctorum est, ubi adversarius vincitur, tanquam

Digitized by Google

qui sciant, non sua virtute, sed Dei gratia victoriam paratam, hymnum Deo gratulationis offerre : accipiunt tamen hymnum cantantes etiam tympana in manibus, sicut de Maria sorore Moysi et Aaron refertur, et tu ergo si mare Rubrum transieris, si Ægyptios submergi videris, et exstingui Pharaonem, atque in abyssi profundum præcipitari, potes hymnum cantare Deo, potes vocem gratulationis emittere et dicere : « Cantemus Domino : gloriose enim honorificatus est, equum et ascensorem projecit in mare. » Melius autem et dignius hæc dicis, si habueris tympanum in manu tua, id est, si carnem tuam crucifixeris cum vitiis et concupiscentiis, et si mortificaveris membra tua, quæ sunt supra terram, et tamen videamus quid dicit : « Cantemus Domino : gloriose enim honorificatus est, » quasi non sufficeret glorificatus est, ita addidit gloriose glorificatus est, et quidem, quantum possumus conjicere, videtur enim mihi, quod aliud sit glorificari, aliud gloriose glorificari. Nam Dominus meus Jesus Christus, cum carnem ex Virgine pro salute nostra suscepit, glorificatus est quidem, quia venit quærere quod perierat, non tamen gloriose glorificatus est, dicitur enim de ipso, « quia vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem, et vultus ejus ignobilis super filios hominum glorificatus est (*Isa.* v); » et cum ad crucem venit et pertulit mortem; sed, ut ita dicam, humiliter, non gloriose glorificatus est. Verum quia « hæc oportebat pati Christum et sic introire in gloriam suam (*Luc.* xxiv). » Cum venerit in gloria Patris et sanctorum angelorum, cum venerit in majestate sua judicare terram, quando et verum Pharaonem, id est, diabolum interficiet spiritu oris sui. Cum ergo refulgebit in majestate Patris sui et post adventum humanitatis secundum nobis in gloria ostendit adventum, tunc non solum glorificatur. Cum omnes ita honorificant Filium, sicut honorificant Patrem.

« Equum et ascensorem dejecit in mare. » Homines qui nos insequuntur equi sunt, et ut ita dicam, omnes, qui in carne nati sunt, figuraliter equi sunt : sed qui habent ascensores suos, sunt equi, quos Dominus ascendit, et circumeunt omnem terram, de quibus dicitur : « Et equitatus tuus salus. » Sunt autem equi, qui ascensores habent diabolum et angelos ejus. Judas equus erat, sed donec ascensorem habuit Dominum, de equitatu salutis fuit. Cum cæteris etenim apostolis missus ægrotis salutem et sanitatem languentibus præstitit; sed ubi se diabolo substravit, post buccellam enim introivit in eum Satanas, ascensor ipsius effectus est Satanas et illius habenis ductus adversus Dominum et Salvatorem nostrum cœpit equitare. Omnes ergo, qui persequuntur sanctos, equi sunt hinnientes, sed habent ascensores quibus aguntur angelos malos, et ideo feroces sunt. Dominus ergo equum et ascensorem projecit in mare et factus est mihi in salutem.

« Fortitudo mea et laudatio mea Dominus, et factus « est mihi in salutem. » Alia autem editio habet : « Adjutor et protector factus est mihi in salutem. » Fortitudo ergo et laus servorum suorum est Dominus, qui eos adjuvat in tribulationibus, et protegit a cunctis hostibus, sitque eorum salus qui in illum sperant : quia juxta Petri apostoli sententiam : Non est in alio aliquo salus, sed ipse Salvator omnium, maxime autem fidelium.

« Iste Deus meus et glorificabo eum. Deus Patris mei, exaltabo eum. » Hic ergo et meus est Deus et Patris mei. Pater noster, qui nos fecit et genuit, Christus est. Et ipse dicit : « Vado ad Patrem meum et ad Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum (*Joan.* xvi). » Si ergo agnoscam quod Deus meus sit Deus, glorificabo eum; si vero etiam istud agnoscam, quomodo Patris mei Christi sit Deus, exaltabo eum.

« Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen « ejus. » Vel juxta aliam editionem : « Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi. » Vere enim omnipotens est Dominus noster, qui fortis est in prælio, et conteret hostes suos, nec est ullus qui possit illi resistere. Nolo putes, quia tantum visibiles pugnas conterit Dominus, sed et illas conteret, quæ nobis sunt non adversum carnem et sanguinem, sed adversum principatus et potestates, et adversum mundi hujus rectores tenebrarum harum. Dominus enim nomen est illi, et non est ulla creatura cujus Dominus non sit.

« Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in « mare, electi principes ejus submersi sunt in mari « Rubro. » Simul ergo prælati et subditi currus, equites et pedites, et omnis exercitus Pharaonis submersi sunt in Rubro mari, de quo scriptum est, « quod nec unus quidem superfuerit ex eis; filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris et aquæ eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris (*Exod.* xiv). » Quia omnis qui contrarius exstiterit voluntati Dei, et usque ad finem in malitia perseveraverit, æternis tormentis involvitur; qui autem sequitur verum Moysen, hoc est, legem Dei, securus hostes evadet, et per siccum graditur, quia mundi illecebris non permiscetur. Cogitur ergo fluctus in cumulum et unda in semetipsa repressa curvatur, soliditatem recipit liquor et solum maris arescit in pulverem : bonitatem Dei creatoris intellige, si voluntati ejus obtemperes, si legem ejus sequaris, ipsa tibi elementa etiam contra sui naturam servire compellit. Apostolus ergo, quid significet transitus filiorum Israel per mare Rubrum, ostendit dicens : « Omnes quidem mare transierunt, et omnes quidem baptizati sunt in Moyse, in nube et in mari (*I Cor.* x). » Baptismum ergo hoc mysticum designat per Moysen præfiguratum in nube et in mari, ut et tu, qui baptizaris in Christo in aqua et in Spiritu sancto, scias te insectari quidem potestates Ægyptias, et velle te revocare ad servitium suum, rectores scilicet hujus mundi et spiritales nequitias, quibus ante deservisti, quæ conantur quidem insequi, sed tu descendis in aquam, et evades incolumis atque ablutis sordibus

Digitized by Google

peccatorum homo novus ascendis paratus ad cantandum canticum novum. Ægyptii vero post te insequentes demergentur in Abyssum, etiamsi videntur rogare Jesum, ne eos interim mittat in abyssum. Notandum vero, quod juxta aliam editionem legitur : Quadrigas Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare. Electos ascensores ternos statores demersit in Rubrum mare. Pharao vero, velut potentior in malitia et regnum nequitiæ tenens, quadrigas agit : non illi satis est uni equo ascendere, plurimos simul agitat, plurimos simul plagis torti verberibus cogit, quoscunque videris in luxuria turpiores, in incredulitate sæviores, in avaritia tetriores, in impietate flagitiosiores, scito hos de quadrigis esse Pharaonis ipsis : sed et ipsos currui suo subjungit, in ipsis fertur et volitat, et per apertos scelerum campos effusis eos agit habenis. Sunt alii electi ascensores, electi sine dubio ad malitiam. Sed jam de ascensoribus supra diximus, nunc etiam, qui sint terni statores videamus. Mihi videntur terni statores pro eo dici, quod triplex est hominibus peccandi via : aut enim in facto, aut in dicto, aut in cogitatione peccatur ; et ideo trini statores per singulos quosque dicuntur, qui tres istas in nobis peccandi obsideant vias, et speculentur semper atque in insidiis agant, ut aut ille ex misero homine sermonem malum eliciat, aut ille iniquum opus extorqueat, aut ille cogitationem pessimam rapiat. Denique et semen verbi Dei, ubi cadit et deperit, triplex describitur locus, unus secus viam refertur, qui conculcatur ab hominibus ; alius in spinis, alius in petrosis. Et econtrario terra bona afferre dicitur triplicem fructum vel centesimum, vel sexagesimum, vel tricesimum. Isti ergo trini statores sunt angeli nequam de exercitu Pharaonis, qui stant in hujuscemodi viis observantes unumquemque nostrum per hæc agere in peccatum, quos demerget Dominus in Rubrum mare, et ignitis eos in judicii die fluctibus tradet ac pœnarum pelago teget.

« Abyssi operuerunt eos, descenderunt in pro« fundum quasi lapis. » Abyssi utique illi de quibus in Job, ubi de Leviathan narratur, scriptum est. « Æstimabit abyssum quasi senescentem (*Job* XLI). » Et in Evangelio rogabant dæmones Jesum ne imperaret illis ut in abyssum irent, descenderunt in profundum tanquam lapis : quare ceciderunt in profundum tanquam lapis? quia non erant tales lapides, de quibus suscitari possent filii Abraham, sed tales, qui amarent profundum et liquidum diligerent elementum, id est, qui amaram et fluxam præsentium rerum cuperent voluptatem.

« Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudi« ne ; dextera tua, Domine, percussit inimicum. » Quæ est ista dextera, nisi illa de qua in psalmo scriptum est : « Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me (*Psal.* CXVII)? » Hæc in virtute, juxta aliam editionem, glorificata est, quando antiquum hostem et inimicum verum per crucis mysterium confregit atque interfecit, et per mortem destruxit eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, « alligans fortem et vasa ejus diripiens (*Matth.* XII), » atque draconem, serpentem videlicet antiquum, qui cauda sua detraxit tertiam partem siderum et misit in stagnum ignis ardentis, qui paratus est sibi et angelis ejus ; unde sequitur :

« Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adver« sarios meos. » Gloria utique resurrectionis Dominicæ confusio fuit atque contritio diaboli, qui cum Judæis meditatus est mortem Christi.

« Misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipu« lam. » Ultio novissima, quæ diabolo et angelis ejus infligitur, videtur patientibus eam ira esse, sed tamen ab illo, qui universa cum tranquillitate judicat, sine perturbatione animi sui juste peccatoribus irrogatur, quæ eos sicut stipulam devorat, quia fortiter devastat, et ex omni parte cruciat.

« Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ. » Stagnum utique sulphuris condignum meritis eorum impenditur, sub quo dimersi gemunt in perpetuum. Sed quia hæc pœna ad integrum in novissimo examine persolvenda erit, et hora vindictæ adhuc protelatur, hostibus videtur occasionem persequendi tribuere, qui patientia Dei abutuntur thesaurizantes sibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei. Cum ipse tamen certissime veniet sanctis suis reddere præmia æternæ beatitudinis, et adversariis suis dare vindictam in flamma ignis ; unde sequitur :

« Stetit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in « medio mari. Dixit inimicus : Persequar et compre« hendam, dividam spolia, implebitur anima mea, « evaginabo gladium meum, interficiet eos manus « mea : flavit spiritus tuus et operuit eos mare, sub« mersi sunt quasi plumbum in aquis vehementi« bus. » « Misisti, inquit, spiritum tuum et cooperuit eos mare. » Ecce jam quinto commemoratur spiritus Dei, ut in hoc numero accipiamus et quod dictum est : « Digitus Dei est hic (*Exod.* VIII). » Primo, ubi scriptum est : « Spiritus Dei ferebatur super aquas (*Gen.* I). » Secundo ubi dicitur : « Non permanebit in istis hominibus Spiritus meus, quoniam carnes sunt. » Tertio, ubi Pharao dicit ad Joseph : « Quoniam Spiritus Dei est in te. » Quarto, ubi incantatores Ægyptiorum dicunt : « Digitus Dei est hic. » Quinto in hoc cantico : « Misisti Spiritum tuum et cooperuit eos mare. » Meminerimus autem spiritum Dei, non solum ad beneficia, verum etiam ad vindictam commemorari ; nam quid aliud etiam supra dixit? Per spiritum iræ tuæ divisa est aqua. Iste itaque spiritus Dei in Ægyptios, nam spiritus iræ ejus, quibus nocuit aquarum divisio, ut intrantes possent aquis redeuntibus obrui : filiis vero Israel, quibus profuit, quod aqua divisa est, non fuit ille spiritus iræ Dei? Unde significatur propter diversas operationes, et effectus spiritum Dei dissimiliter appellari, cum sit unus atque idem, ille duntaxat, qui etiam sanctus Spiritus in unitate Trinitatis accipitur. Proinde non arbitror alium, quam eumdem significari, ubi dicit Apostolus : « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in

Digitized by Google

timore; sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus: Abba, Pater (*Rom.* VIII); » quia eodem spiritu Dei, id est, digito Dei, quo lex in tabulis lapideis conscripta est, timor incussus est eis qui gratiam nondum intelligebant, ut de sua infirmitate atque peccatis per legem convincerentur, et lex illis fieret pædagogus, quo perducerentur ad gratiam, quæ est in fide Jesu Christi. De hoc autem spiritu adoptionis et gratiæ, id est, de hoc opere spiritus Dei, quo impertitur gratia et regeneratio in vitam æternam, dicitur: « Spiritus autem vivificat (*II Cor.* III), » cum supra diceretur, « littera occidit, » id est, conscripta tantummodo jubens sine adjutorio gratiæ. Demersi sunt, inquit, tanquam plumbum in aquam validissimam; peccatores graves sunt, denique et iniquitas super talentum plumbi sedere monstratur, sicut Zacharias propheta dicit: « Vidi, inquit, mulierem sedentem super talentum plumbi, et dixi, quæ est hæc? et respondit, iniquitas (*Zach.* V). » Inde est ergo, quod iniqui demersi sunt in profundum, sicut plumbum in aqua validissima: sancti autem non demerguntur, sed ambulant super aquas, quia leves sunt, et peccati pondere non gravantur. Denique Dominus et Salvator super aquas ambulavit. Ipse enim est, qui vere peccatum nescit. Ambulavit et discipulus ejus Petrus, licet paululum trepidaverit: non enim tantus erat et talis, qui nihil omnino de specie plumbi in se haberet admistum. Habuit, licet parum, propter quod dicit ad eum Dominus: « Modicæ fidei, quare dubitasti? » (*Matth.* XIV.) Idcirco igitur, qui salvus fit, per ignem salvus fit, ut si quid forte de specie plumbi habuerit admistum, id ignis decoquat et resolvat, ut efficiantur omnes aurum bonum: quia aurum terræ illius bonum esse dicitur quam habitaturi sunt sancti; et sicut fornax probat aurum, ita homines justos tentatio. Veniendum est ergo omnibus ad ignem, veniendum est ad conflatorium. Sedet enim Dominus et conflat, et purgat filios Juda. Sed illuc cum venitur, si qui multa opera bona, et parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igne resolvitur ac purgatur, et totum remanet aurum purum, et si qui plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, ut amplius decoquatur, ut si parum aliquid auri purgati tamen resideat; quod si aliquis illuc totus plumbeus venerit, fiet de illo hoc quod scriptum est: « Demergitur in profundo tanquam plumbum in aqua validissima. »

« Quis similis tui in fortibus, Domine? quis simi- « lis tui magnificus in sanctitate, terribilis atque « laudabilis, et faciens mirabilia? » Alia editio: « Quis similis tibi in diis, Domine, quis similis tibi gloriosus in sanctis, mirabilis in majestatibus, faciens prodigia? » Quod dicit: « Quis similis tibi in diis, » sive in fortibus, non simulacris gentium comparat Deum, nec dæmonibus, qui sibi falso deorum sive fortium nomen usurpant; sed deos illos dicit, qui per generationem et participationem Dei appellantur dii, de quibus et alibi Scriptura dicit: « Ego dixi: Dii estis (*Joan.* X). » Et iterum: « Deus stetit in congregatione deorum. » Sed hi, quamvis capaces sint Dei, et hoc nomine donari per gratiam videantur, nullus tamen Deo similis invenitur, vel in potentia, vel in natura; et licet Joannes apostolus dicat: « Filioli, nondum scimus quid futuri sumus; » si autem revelatus nobis fuerit, de Domino scilicet dicens, similes ei erimus. Similitudo tamen hæc, non ad naturam, sed ad gratiam revocatur: verbi causa, ut si dicamus, picturam similem esse ejus, cujus imago in pictura videtur expressa; quantum ad gratiam pertinet visus similis dicitur, quantum ad substantiam, longe dissimilis. Illa enim species carnis est et corporis vivi, ista colorum fucus est, et cera tabulis sensu carentibus superposita. Nullus ergo in diis similis Domino, nullus enim invisibilis, nullus incorporeus, immutabilis, nullus sine initio et sine fine, nullus creator omnium, nisi Pater cum Filio et Spiritu sancto, qui facit mirabilia solus.

« Extendisti manum tuam et devoravit eos terra. » Terra pro aqua nimirum est posita, tota quippe pars ista extrema, vel infirma mundi terræ nomine censetur, secundum id quod sæpe dicitur, Deus, qui fecit cœlum et terram. Et in illius psalmi distributione commemoratis cœlestibus: « Laudate, inquit, Dominum de terra (*Psal.* CXLVIII), » et ea exsequitur in laude, quæ etiam ad aquas pertineant. Impios quidem et hodie devorat terra; aut non tibi videtur a terra devorari ille, qui semper de terra cogitat, qui semper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, de terra litigat, terram desiderat, et omnem spem suam ponit in terra, qui ad cœlum non respicit, qui futura non cogitat, qui judicium Dei non metuit, nec beata ejus promissa desiderat, sed semper de præsentibus cogitat et terrena suspirat? Talem cum videris, dicito, quia devoravit eum terra; sed et si quem videris luxuriæ carnis et voluptatibus corporis deditum, in quo animus nihil valet, sed totum libido carnis obtinuit, dicito et de hoc, quia devoravit eum terra. Adhuc me movet, quod ait: « Extendisti dexteram tuam et devoravit eos terra, » quasi ut devorentur a terra, hæc causa fuerit, quod extendit Dominus dexteram suam: si consideres, quomodo Dominus exaltatus in cruce tota die extendit manus suas ad populum non credentem et contradicentem, et qualiter infidelem populum, qui clamavit, « Crucifige, crucifige eum, » mors admissi sceleris oppressit, evidenter invenies quomodo extendit dexteram suam et devoravit illos terra. Nec tamen penitus desperandum est: possibile namque est ut, si forte resipiscat, qui devoratus est, rursum possit evomi, sicut Jonas.

« Dux fuisti in misericordia tua populo, quem re- « demisti, et portasti eum in fortitudine tua ad ha- « bitaculum sanctum tuum. » Pro quo juxta aliam editionem legitur: « Gubernasti justitia tua populum tuum hunc, quem redemisti. Exhortatus es in virtute tua, et in refectione sancta tua. » Dominus populum, quem liberavit per lavacrum regenerationis,

Digitized by Google

deducit in justitia. Consolatur etiam sive reficit eum per consolationem Spiritus sancti virtute sua, et in requie sua; futurorum namque species laborantibus requiem parit, sicut et in agone positis dolorem vulnerum mitigat spes coronæ.

« Ascenderunt populi et irati sunt, dolores obtinue- « runt habitatores Philisthiim : tunc conturbati sunt « principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, « obriguerunt omnes habitatores Chanaan. » Alia autem editio sic habet : « Audierunt gentes et iratæ sunt, dolores comprehenderunt inhabitantes Philisthiim : tunc festinaverunt duces Edom et principes Moabitarum, apprehendit eos timor, tabuerunt omnes inhabitantes Chanaan. » Quantum ad historiam pertinet, nullum ex his gentibus interfuisse mirabilibus quæ facta sunt constat. Quomodo ergo videbuntur tremore deterritæ, vel festinasse, ut dicit, vel iratæ esse., festinasse et Moabitæ et Edom et reliquæ, quas enumerat, nationes. Sed si redeamus ad intelligentiam spiritalem, invenies quia Philisthiim, id est, cadentes populo, et Edom, qui interpretatur terrenus, trepidant et horum omnium principes cursitant et pavent constricti doloribus, cum videntur regna sua, quæ in inferno sunt, penetrata ab eo, qui descendit in inferiora terræ, ut eriperet eos qui possidebantur a morte, hic eos comprehendit timor et tremor, quia senserunt magnitudinem brachii ejus. Hinc etiam tabuerunt omnes habitantes Chanaan, qui mutabiles interpretantur et mobiles, cum vident moveri regna sua, alligari fortem et vasa ejus diripi.

« Irruat super eos fortitudo et pavor in magnitu- « dine brachii tui. » Quid timent dæmones, quid tremunt? sine dubio crucem Christi, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorum et potestates. Timor ergo et tremor cadet super eos, cum signum in nobis crucis viderint fideliter fixum, et magnitudinem brachii illius, quod Dominus expandit in cruce, sicut dicit : « Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem mihi (*Rom.* x). » Non te ergo aliter timebunt, nec aliter tremor tuus veniet super eos, nisi videant in te crucem Christi, nisi et tu poteris dicere : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (*Gal.* vi). »

« Fiant immobiles quasi lapis, donec transeat po- « pulus tuus, Domine, donec pertranseat populus tuus « iste, quem possedisti. » Fieri tanquam lapidem, non est natura esse lapidem; non enim fieret, nisi quod non erat. Hoc propter illos dicimus, qui malæ naturæ Pharaonem, vel Ægyptios dicunt fuisse, et non ex arbitrii libertate in hæc esse deductos; sed et propter eos qui creatorem Deum accusant, tanquam sævum, quod homines vertat in lapides. Hi ergo priusquam blasphement, considerent summa libratione, quæ scripta sunt. Non enim dixit, fiant tanquam lapis, et tacuit, sed tempus statuit et mensuram condemnationis decernit : ait enim, « donec transeat populus tuus. » Quo scilicet post transitum populi non sint tanquam lapides, in quo mihi videtur prophetiæ aliquid latere. Video enim quia prior populus, qui fuit ante nos, factus est tanquam lapis, durus et incredulus. Verum non eatenus ut in lapidis natura permaneat, sed donec transeat populus hic, populus quem acquisivit. Cæcitas enim ex parte contingit in Israël illo secundum carnem, donec plenitudo gentium subintroierit; tunc etiam omnis Israel, qui per incredulitatis duritiam factus fuerat, sicut lapis salvabitur. Et vis videre tu, quomodo salvabitur? « Potens est, inquit, Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ. » Manent ergo lapides nunc, donec transeat populus tuus hic, quem acquisisti; sed ipse Dominus creator est omnium. Videndum est, quomodo hic acquisisse dicatur, quæ sua esse non dubium est.

« Introduces eos, et plantabis in monte hæredita- « tis tuæ. » Non vult nos Deus in Ægypto plantare, nec in dejectis et humilibus locis, sed in monte hæreditatis suæ vult plantare, quos plantat. Propheta dicit : « Vineam ex Ægypto transtulisti, et expulisti gentes, et plantasti eam ; pervium iter fecisti ante eam, plantasti radices ejus et replevit terram. Operuit montes umbra ejus et arbusta ejus cedros Dei (*Psal.* lxxix). » Advertis jam, quomodo plantat Deus, et ubi plantat : non plantat in vallibus, sed in montibus, in excelsis et sublimibus locis. Quos enim educit ex Ægypto, quos de sæculo adducit ad fidem, non vult eos iterum in humilibus collocare, sed conversationem eorum vult esse sublimem, vult nos in montibus habitare; sed et in ipsis nihilominus montibus non vult nos per terram repere, nec ultra vult vineam suam humi dejectos habere fructus; sed vult palmites ejus sursum duci, in alto collocari, traduces fieri, et traduces non in quibuscunque humilibus arboribus, sed in excelsis et altissimis cedris Dei. Cedros Dei ergo prophetas et apostolos puto, quibus nos, si adjungamur vitis, quam de Ægypto transtulit Deus, et per ramos eorum nostri palmites diffundantur, atque in ipsis innisi traduces quædam efficiamur charitatis ad invicem vinculis nexi, fructum sine dubio plurimum afferimus. Nam « omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur (*Matth.* iii). »

« Firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Do- « mine. » Vide clementis Domini bonitatem : non vult te inducere ad laborem, non vult ut ipse tibi facias habitaculum, jam te ad præparatam deducit habitationem. Audi Dominum in Evangelio dicentem : « Alii laboraverunt et vos laborem eorum introistis (*Joan.* iv). »

« Sanctuarium, Domine, quod firmaverunt manus « tuæ. » Sanctuarium sive sanctimonium dicitur tabernaculum Dei velut templum ab eo, quod sanctificat accedentes, hoc non dicit manu hominis factum, sed manu Dei. Qui ergo propter te Deus et plantat, et ædificat, agricola efficitur, structor efficitur, ne tibi ali-

Digitized by Google

quid desit. Audi et Paulum dicere: « Dei agricultura, Dei ædificatio estis (*I Cor.* III.) » Quod ergo istud est sanctimonium, quod non manu hominum factum est, sed manibus Dei paratum, audi Sapientiam dicentem, quia « ædificavit sibi domum (*Prov.* IX). » Ego autem hoc de incarnatione Domini rectius intelligendum puto; non enim manu hominum factum est, id est, non opere humano templum carnis ædificatur in virgine, sed sicut supra scriptum est in Daniele: « Lapis sine manibus excisus crescit et factus est mons magnus (*Dan.* II). » Istud est sanctimonium carnis assumptæ et sine manibus, id est, absque opere hominum de monte humanæ naturæ et substantia carnis excisum.

« Dominus regnabit in æternum et ultra. » Alia autem editio sic habet: « Qui regnas in æternum, et in sæculum et adhuc. » Quoties in sæculum dicitur longitudo quidem temporis, sed esse finis aliquis indicatur, etsi in aliud sæculum dicatur, aliquis sine dubio longior quidem, tamen potitur finis, et quoties sæcula sæculorum nominantur, fortasse, licet ignotus nobis, tamen a Deo statutus aliquis terminus indicatur; quod vero addidit in hoc loco « et ultra, » sive, et adhuc, nullum sensum termini alicujus aut finis reliquit. Quodcunque enim illud cogitaveris, in quo finem putes posse consistere, semper tibi dicit sermo propheticus, « et adhuc, » velut si loquatur ad te et dicat: Putas in sæculum sæculi Dominum regnaturum, et adhuc putas in sæcula sæculorum, et adhuc, et quodcunque illud dixeris de regni ejus spatiis, semper tibi dicit Propheta, « et adhuc. »

« Ingressus est enim Pharao cum curribus et « equitibus ejus in mare, et reduxit super eos Domi« nus aquas maris; filii autem Israel ambulaverunt « per siccum in medio ejus. » Et tu, si filius Israel es, potes ambulare per siccum in medio mari, si fueris in medio nationis pravæ et perversæ, sicut lumen solis verbum vitæ contines ad gloriam. Potest fieri, ut in medio peccatorum incedentem te non infundat humor peccati; potest fieri, ut transeuntem te per hunc mundum nulla libidinis unda respergat, nullus cupiditatis æstus verberet. Qui enim Ægyptius est et sequitur Pharaonem, ille vitiorum fluctibus mergitur: qui vero sequitur Christum et sicut ille ambulavit, ita et ipse ambulat, aquæ ei murus fiunt dextera lævaque: ipse autem media via incedit per siccum, non declinat ad dexteram, neque ad sinistram, usquequo exeat ad libertatem et hymnum victoriæ Domino concinat dicens: « Cantabo Domino, gloriose enim honorificatus est (*Exod.* XV). »

INCIPIT

CANTICUM HABACUC PROPHETÆ.

« Oratio Habacuc prophetæ pro ignorationibus. » LXX: « Oratio Habacuc prophetæ cum cantico. » Legimus in sexto decimo psalmo: « Oratio David, » et in octogesimo nono: « Oratio Moysi hominis Dei, » et in centesimo primo: « Oratio pauperis, cum anxius fuerit, coram Domino effuderit precem suam; » et sicubi alibi nomen orationis infertur, attamen nullo loco cum cantico legitur, et nescio an decens sit orare cum cantico, nisi forte juxta Septuaginta orare dicimus Prophetam pro adventu Christi, et hoc ipsum cum delectatione et psalmis et cantico prophetare, ut in eo, quod oratio est, deprecetur Patrem, et in eo quod canticum, Patris qui miserit Filium, et Filii qui venerit, laus dicatur. Sed melius juxta Hebraicam veritatem legitur: Oratio Habacuc prophetæ pro ignorationibus. Contemplatus enim Propheta statum sæculi præsentis viderat pacem peccatorum, et afflictiones proborum; viderat impios abundare divitiis, et innocentes quotidianis subjectos esse flagellis; viderat in loco judicii impietatem, et in loco justitiæ iniquitatem; viderat lacrymas innocentum, et consolatorem neminem, nec posse resistere calumniatorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos; sciensque, quod hæc et innumera nequaquam absque divina provisione potuissent accidere, turbabatur animo, et intimo ex corde graviter suspirans exclamavit ad Dominum: « Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies, vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis (*Habac.* I)? » et iterum: « Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non potes. Quare non respicis super iniqua agentes et taces devorante impio justiorem se? et facies homines quasi pisces maris, quasi reptile non habens principem (*Ibid.*). » Verum inter hæc reduxit extemplo ad memoriam dispensationem Dominicæ incarnationis ac passionis, quæ in spiritu prophetiæ cognoverat, intellexitque acrius multo, quam oporteret, questum fuisse de afflictionibus in hac vita sanctorum, quibus æterna esset promissa requies in futuro; cum nec ipse Dei Filius in carne apparens sine pœna crucis esset exiturus de mundo, qui de Spiritu sancto ac Virgine matre nasciturus et absque omni peccato erat victurus in mundo, et pro ignorationibus suis faciens orationem Domino sic incipit:

« Domine, audivi auditionem tuam et timui; Do« mine, opus tuum in medio annorum vivifica illud. « LXX: Domine, audivi auditum tuum et timui. « Domine, consideravi opera tua et obstupui, in me« dio duorum animalium cognosceris. » Hebræi juxta historiam ita hunc locum explanant. Domine, audivi auditionem tuam et timui, audivi, inquit, pœnas, quas Nabuchodonosor et diabolo præparasti, in quibus dixisti ei, væ qui multiplicat non sua, et secundo, væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, et tertio, væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate, et quarto, væ qui potum dat amico suo mittens fel suum et inebrians, et quinto, væ qui dicit expergiscere, surge, lapidi tacenti, et sicut timore perterritus, quod draco magnus tantis vulneribus confodiendus est: sic deprecor, Domine, ut quod promisisti expleas, et finito tempore reddas Christum tuum. Tu enim dixisti:

Digitized by Google

« quia adhuc visus procul et apparebit in fine, et non mentietur. » Vivifica ergo, quod pollicitus es, hoc est, tuum imple promissum, non moriatur irritus sermo tuus, sed opere compleatur: quod quidem juxta nos et de resurrectione Salvatoris intelligi potest, ut ille, qui pro nobis mortuus est, consurgat a mortuis, et vivificetur. Juxta LXX autem multo aliter est sensus. « Domine, inquit, audivi auditum tuum et timui, consideravi opera tua et expavi. » Auditus autem Domini Salvatoris est, quem audivit a Patre, ut veniret, in carnem nasceretur, in mundo conversaretur, inter infirmos omnipotens, inter peccatores justus, inter homines Deus faceret opera cœlestia, doceret præcepta cœlestia, tentaretur, flagellaretur, mors nostra morte illius destrueretur, resurgens a mortuis ascenderet in cœlos, ac, misso desuper Spiritu, mundum gratia veritatis illustraret. Cujus auditus ipse sæpius in Evangelio meminit, dicens: « Sed qui misit me verax est, et ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo (*Joan.* VIII). » Et iterum: « Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis (*Joan.* XV); » de quo et Joannes Baptista: « Qui de cœlo venit, inquit, supra omnes est, et quod vidit et audivit, hoc testatur (*Joan.* III). » Hunc ergo auditum Domini audivit in spiritu Propheta, et timuit, quia questus fuerit de pressuris justorum in mundo, cum et ipsius Domini, qui prosperum iter facit nobis salutis et vitæ exitus essent mortis de mundo. Timuit, quia de tribulationibus sanctorum querimoniam fecerit, qui non solum de tribulationibus eruendi a Domino, sed perpetuo sunt coronandi cum Domino. « Consideravi opera tua et expavi, » illa nimirum opera, quibus mundum redemit, « factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, ut, » sicut iterum dicit Apostolus, « per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium (*Phil.* II, *Heb.* II), » id est, diabolum, quæ videlicet opera, quanto quis intentius considerat, tanto de operibus suæ fragilitatis amplius contremiscit. Quod vero juxta LXX legitur: « In medio duorum animalium innotesceris, » hoc quidam de duobus cherubin in Exodo per Moysen factis interpretantur, quæ juxta arcam stabant, et in medio habebant oraculum. Alii de duobus seraphin juxta Isaiam velantia caput et pedes Dei, quod in præsenti tantum sæculo volant: et alter ad alterum mysterium inclamat Trinitatis. Quidam autem de prima Ecclesia hoc dictum putant; quæ de circumcisione fuit, et de præputio congregata, quod duobus populis se hinc inde cingentibus intellectus sit Salvator, et creditus. Sunt qui duo animalia duo intelligunt Testamenta, Novum et Vetus, quæ vere animantia sint atque vitalia, quæ spirent, et in quorum medio Dominus cognoscatur. Item potest in medio duorum animalium, in medio Moysi et Eliæ intelligi. Ibi enim innotescebat discipulis tribus in monte sancto, quia moriturus esset dicentibus eis quæ passurus esset in Jerusalem; ibi innotescebat, quia resurrecturus esset, et immortalis futurus, clarificato vultu ejus instar solis et vestimentis ejus nitentibus in similitudinem nivis. Ibi innotescebat, quia Filius Dei erat, dicente ad eum de cœlis voce paterna, « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite (*Matth.* III). » Potest etiam in medio duorum latronum non inconvenienter accipi, inter quos crucifixus moriendo innotescebat, quia homo erat. Obscurato autem sole, terra commota, et cæteris, quæ Evangelium narrat circa crucem factis miraculis innotescebat, quia Deus erat, interpellando ipse Patrem pro interfectoribus suis, quam pius esset innotescebat, quo etiam exemplo Propheta, qui hæc providebat in spiritu, admonebatur non solum patienter pressuras ferre malorum, sed et eis persequentibus gratiam suæ benignitatis impendere. LXX: « Cum appropinquaverint anni cognosceris, cum advenerit tempus ostenderis. » Cum venerit, inquit, tempus et opere promissa compleveris, monstrabis vera esse, quæ pollicitus es; sive, cum appropinquaverit consummatio, et in extrema hora ad destruenda peccata venerit Filius tuus, manifestius cognosceris. Aliter juxta historiam anni et tempus possunt illam plenitudinem temporis designare, de qua dicit Apostolus: « Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret (*Gal.* IV): » quæ videlicet tempora, quosque annos longe adhuc vidit esse, atque a longe salutavit Propheta: quia dum appropiarent anni, dumque adveniret tempus, ostenderetur et cognosceretur Dominus. Nam et superius audivit, dicente sibi Domino: « Quia adhuc visus procul et apparebit in finem, et non mentietur, si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet et non tardabit. » Hujus quidem auditum audiens, cujus opera passionis considerans, timuit et expavit, quia commotus fuerit de felicitate transitoria malorum, et temporali afflictione bonorum. Attamen, ubi digniam pro suis ignorationibus pœnitentiam fecisset, mox se veniam erratis consequi posse confisus est. Unde consequenter adjungit:

« In eo dum conturbata fuerit anima mea in ira misericordiæ memor eris. » Dum conturbata fuerit, inquit, anima mea, digno satisfactionis et pœnitentiæ mœrore concussa, ob metum iræ et animadversionis tuæ, quam me incautus incurrisse pertimesco, credo quod otius misericordiam optatæ a te veniæ consequar, ubi consideranda est mira pietatis divinæ velocitas, turbatum se tantum animo propter iram Domini dixit, et mox illum ad misericordiam ab ira conversum subjunxit. Sed talis minimarum potest indulgentia esse culparum; cæterum nostri reatus, quanto graviores sunt, tanto majore ac diuturna pœnitentia lacrymisque et eleemosynis opus habent. Quod autem dicitur juxta Hebraicum: Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis, non debemus putare oblivisci Deum, et post iram suæ misericordiæ recordari, sed quod nos eum in pœna positi putemus oblivisci, juxta illud: « Usquequo, Domine, oblivi-

Digitized by Google

sceris mei in finem? » Nam etsi quando tentationibus quasi fluctibus operimur, et rabida dæmonum adversum nos procella desævit, velut ad dormientem loquimur, exsurge, quid dormitas, Domine? Simulque Dei cerne clementiam : non dixit, cum intuleris supplicia, misericordiæ recordaberis, sed cum iratus fueris : qui autem irascitur, interdum non percutit, sed tantummodo comminatur, quod et Apostolus sentiens, ait : « Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et iniquitatem hominum (*Rom.* I). » Ubi autem revelatur non infertur, non percutit, sed revelatur ut terreat, et territis non inferatur.

« Deus de Austro veniet et Sanctus de monte Pharan. » LXX : « Deus a Theman veniet et Sanctus de monte umbroso et condenso. » Theman ergo interpretatur Auster et significat Bethleem civitatem David, in qua natus est Dominus. Hæc ad austrum sita ab Hierosolymis : ab hac quippe ipse Dominus quadragesimo die nativitatis suæ adductus est Hierosolymam a parentibus, ut daretur hostia secundum legem pro eo. Pharan vero vicinus locus est monti Sinæ, in quo monte Dominus Moysi legem dedit. Dominus ergo ab austro veniet, hoc est, nascetur in Bethleem, et inde consurget, et quia ipse, qui natus est in Bethleem, legem quondam dedit in monte Sina, ipse est sanctus, qui venit de monte Pharan; quod autem infertur juxta Hebræos diapsalma, id est, semper, hunc habet sensum : Ipse qui natus est in Bethleem, et qui in Sina, id est in monte Pharan legem dedit, semper in universis præteritis et præsentibus et futuris, auctor est et largitor. Interpretatur autem Pharan os videntis, et significat quod de sermone eruditi viri venit notitia Filii Dei. Quod autem in quibusdam exemplaribus legitur : « Deus a Libano veniet, et sanctus de monte umbroso et condenso, » hunc habet sensum : Libanus est mons Phœnicis altissimus, excelsis et imputribilibus atque aromaticis insignis arboribus, de quibus etiam templum Domini in Hierosolymis factum Scriptura testatur. Unde solet in Scripturis nonnunquam ipsum quoque templum Libani vocabulo designari. Hinc est enim illud Zachariæ de venturo adversus eum exercitu Chaldæorum. « Aperi, Libane, portas tuas et comedat ignis cedros tuas (*Zach.* XI). » Deus ergo a Libano venit, quia Dominus in carne apparens in ipso templo prima Evangelii semina aspersit, atque exinde orbem totum germine suæ fidei et veritatis implevit. Unde dicit Isaias : « Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem (*Isa.* II). » Aspersit autem ibi semina prima fidei, non solum per apostolos, qui post passionem ac resurrectionem ejus Spiritu sancto repleti, ibidem prædicando prima Ecclesiæ fundamenta posuerunt, quorum deinde sonus in omnem terram exiit, et in fines orbis terræ verba eorum, verum etiam per ipsum primo in eodem templo fidei, quæ in se esset habenda, testimonium dedit, cum duodenis in medio doctorum residens, interrogabat eos, quasi homo parvulæ ætatis; sed respondebat docentibus, quasi Deus æternæ majestatis. Ubi quæsitus et inventus a parentibus, etiam ipse per se, quod Deus ac Dei Filius esset insinuans ait : « Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse (*Luc.* II)? » Sanctus, inquit, de monte umbroso et condenso. Sanctus idem mediator Dei et hominum, qui supra manifeste dicitur Deus, de quo Virgini matri evangelizans Gabriel ait : « Ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei (*Luc.* I). » Mons autem, de quo venturus idem sanctus canitur, regnum Judæorum, ex quo ille carnis originem duxit, valet intelligi, de quo et Daniel vidit excisum lapidem sine manibus, id est Christum absque opere virili procreatum, qui regna mundi conterens sui gloria nominis orbem impleret universum, qui videlicet mons recte umbrosus vocatur et condensus, habet enim multa ligna fructifera, id est multos viros sanctos, et virtutum pomis onustos, qui et nostræ mentis esuriem gustu suavissimo suæ doctrinæ erudiant, et nostram fragilitatem, ne æstu tribulationum a virore interno dilectionis arescat, præsidio suæ intercessionis obumbrent.

« Operuit cœlos gloria ejus et laudis ejus plena est terra. » LXX : « Operuit cœlos virtus ejus, et laude ejus plena est terra. » Descripta dispensatione Dominicæ incarnationis, mox arcanum ascensionis, qua eadem humanitas erat clarificanda subjunxit, juxta illud Psalmistæ : « A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus (*Psal.* XVIII). » Operuit, inquit, cœlos gloria ejus, sive virtus ejus, seu majestas ejus : quia qui per incarnationem minoratus est paulo minus ab angelis, ipse per resurrectionem gloria et honore coronatus per ascensionem est super opera manuum Patris constitutus, et omnia subjecta sunt sub pedibus ejus, ac prædicantibus apostolis, laude ejus omnis est terra repleta; sed et ante passionem ac resurrectionem, cum Verbum caro factum habitaret in nobis, operuit cœlos majestas ejus, quia humanitas assumpta etiam mortalis adhuc cœlestibus antecellebat potestatibus, et laude ejus plena erat terra, eisdem cœli virtutibus veraciter scientibus : quia ipse erat creator terræ, sicut et totius creaturæ per divinitatem, qui tunc per humanitatem morabatur et videbatur in terra. Unde et eo nato concinebant : « Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II).

« Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus « ejus. Ibi abscondita est fortitudo ejus. » Splendor virtutum et doctrinæ Domini Salvatoris credentes illuminabit, unde et sol justitiæ in Scripturis vocatur; sed quia idem splendor mundo perfecte non poterat fulgere, nisi ipse gustata ad tempus morte regnum mortis dirueret, atque exsurgens a mortuis spem fidemque mundo resurgendi donaret, splendor quoque ejus quasi sol justitiæ clara luce radiavit, et cornua in manu ejus, vexilla et trophæa crucis, et in ipsis cornibus abscondita est fortitudo ejus. « Cum enim esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est æqualem se esse Deo; sed exinanivit se formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem,

Digitized by Google

mortem autem crucis (*Phil.* II). » In cruce ergo paulisper abscondita est fortitudo ejus; quando dicebat ad Patrem : « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI) ; » et : « Pater, si possibile est transeat a me calix iste (*Ibid.*) ; » et in ipsa cruce : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. » Juxta aliam autem editionem hoc in loco legitur : « Cornua sunt in manibus ejus, ibi confirmata est virtus gloriæ ejus. » Cornua quippe dicit transversum crucis lignum, quod affixus manibus tenebat, ut hoc mortis genere omnem superans mortem sic confirmaret virtutem gloriæ suæ in cordibus electorum, ne ullis terroribus sive blandimentis ab ejus possent amore retardari, promissa etiam illis gloria futuræ incorruptionis, per quam novissima inimica destrueretur mors. Denique in monte sancto, præsentibus Petro, Jacobo et Joanne, splendor ejus sicut lumen fulgebat, et illi delectabantur quidem hujus intuitu splendoris ; sed tamen quantum adhuc fragiles et infirmi fuerint, tempore probatum est passionis illius. At postquam in manibus cornu crucis accepit, ibi confirmata est virtus gloriæ ejus, adeo ut nec terroribus, nec ipsa morte posset a fidelium corde propulsari. Possunt in cornibus more prophetarum regna hujus mundi insinuari : potest sublimitas humanæ mentis sive bona seu reproba cornuum vocabulo designari ; et cornua sunt in manibus Christi, « quia ipse est Rex regum, et Dominus dominantium (*I Tim.* VI). » Cornua sunt in manibus ejus, ut hunc humilians et hunc exaltans, omnia cornua peccatorum, quibus inaniter extolluntur, confringat. Et exaltentur cornua justi, desideria videlicet Deo devota, quibus impiorum vitiorumque certamina cuncta superare contendunt. Quod autem juxta LXX legimus : « Et posuit dilectionem fortem virtutis suæ, » etiam hoc de Christo intelligendum, quod Deus Pater idcirco aperuit cælos virtute sua, et terram repleverit laude et splendorem suum fecerit esse, ut lumen et regnum posuerit in manu Filii sui, ut faceret dilectum suum ab omnibus diligi, et diligi non leviter, sed vehementer et fortiter, ut qui eum fortiter dilexissent, et hærerent in dilectione ejus, nemo tolleret eos de manu illius : econtrario diabolus facit amare nos mundum, et pro dilectione virtutis diligere vitia, et non leviter, sed fortiter, ita ut de nobis possit dici : et posuit diabolus dilectionem fortem vitiorum suorum; sed et hoc quod juxta quædam exemplaria ita legitur : « Posuit charitatem firmam fortitudinis suæ, » significans quod intima quidem charitate sancti et ante passionem diligebant fortitudinem Christi, sed hæc ipsa charitas firma non erat, usque dum passione et resurrectione sua completa, gratiam ejus sancti Spiritus plenius daret, tunc vero in tantum firma facta est, ut nec ipsa cornu eorum, regum videlicet insolentium potentia posset infringi.

« Ante faciem ejus ibit mors, et egredietur dia- « bolus ante pedes ejus. » Hic versus juxta Hebraicam veritatem ita legitur, quem B. Hieronymus ita exposuit, dicens : Tradunt Hebræi, quomodo in Evangelio princeps dæmonum dicitur esse Belzebub, ita Reseph dæmonis esse nomen, qui principatum teneat inter alios, et propter nimiam velocitatem atque in diversa discursum avis et volatile nuncupetur, ipsumque esse, qui in paradiso sub figura serpentis mulieri sit locutus, et ex maledictione, qua a Deo condemnatus est, accepisse nomen : siquidem Reseph reptans ventre interpretatur. Hoc est ergo, quod dicitur, statim ut venerit Dominus, et Jordane fuerit baptizatus, et ad columbæ descensum vox patris intonuerit : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* III), » exeunti de aquis occurret diabolus, et ante pedes illius stabit mors, ut coluber antiquus, quadraginta diebus tentabit eum in solitudine. Si autem juxta LXX legimus : « Ante faciem ejus ibit Verbum et egredietur in campos, » hoc significat quod sermo Dei ante visitationem ejus, quæ nunc allegorice facies dicitur, præcedat et præparet corda credentium, ut prava in rectum et inæqualia sternat in planum, et auditoris anima quasi confectus ager sementem possit recipere spiritalem ; antequam veniret in carnem Dominus, præcesserunt verba prophetarum, quæ ei venturo testimonium ferrent : et hæc eadem verba exierunt in campos, quando prædicantibus apostolis totum sunt divulgata per orbem. Non solum autem in propheticis litteris verbum prædicationis Dominum præcessit, sed et in apostolis, cum adventum Christi in carne completum mundo evangelizabant. Verbum faciem ejus præiit, quia nimirum primo doctrina veritatis ad aures eorum, qui instituendi sunt, pervenit, ac deinde fides et intellectus verbi corda illustrat, ac Deo inhabitatore dignas efficit.

« Stetit et mensus est terram, aspexit et dissolvit « gentes, et contriti sunt montes sæculi, incurvati « sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus. » Stans Salvator et cuncta perspiciens, et oculis suis universitatem mundi metiens, gentium multitudinem dissipavit, quibus dissipatis et dissolutis contriti sunt montes hujus sæculi, et incurvati sunt colles hujus mundi. Sunt enim et alii montes et colles, quos salit et transilit sponsus in Cantico canticorum, de quibus et in secundo graduum psalmo dicitur : « Levavi oculos meos in montes unde veniet auxilium mihi (*Psal.* CXX). » Montes autem sæculi ipsi sunt, qui et montes tenebrosi, de quibus Jeremias præcepit, ne impingantur pedes nostri super eos. « Incurvati sunt, inquit, colles mundi, » ante adventum quippe Salvatoris erecta cervice gradiebantur, et superbiam eorum humiliare nemo poterat. Contriti autem sunt et incurvati ab itineribus æternitatis ejus, id est Dei, quia æternitas illius ad nos venire dignata est, sive quod semper a principio mundi usque ad incarnationem suam venerit ad sanctos, et factus sit in singulorum manu sermo Dei, atque in universis vincentibus ipse superarit et æternum ejus iter incurvaverit, colles montesque contriverit. Possunt autem montes et dæmones intelligi, qui

Digitized by Google

versantur in hæreticis, et elevant se contra scientiam Dei, colles quoque aliæ dæmonum fortitudines, quæ faciunt homines corporum pulchritudinem, dignitates, divitias, nobilitatem generis, cæteraque mundi bona admirari. Licet videre post adventum sermonis Dei et Dei Patris præsentiam, quomodo humanæ animæ commoveantur, et omne quod terrenum est dissolvatur, et cogitationes pristinæ rediganter ad nihilum, tunc destruuntur dæmones, tunc sæculi altitudines ad nihilum deducentur, et omnis hæreticorum scientia, quæ primum tumebat ad Dei sermonis adventum, humiliatur, conteritur atque consumitur. Juxta aliam autem editionem ita legitur : « Pedes ejus steterunt et mota est terra, aspexit et defluxerunt gentes, confracti sunt montes vehementer, defluxerunt colles æternales. » Cum enim prædicante doctore, vestigia veritatis in mente figuntur auditoris, mox ipsa mens in sui consideratione turbata commovetur ; possunt autem pedes Domini non inconvenienter ipsi doctores, per quos verbum ministratur, accipi ; quoniam ille, qui per se ipsum ubique præsens est, per hos quasi per pedes suos in mundum fertur universum. Stant autem in pedes et movetur terra, quia quo doctores sancti fortius in prædicanda et custodienda veritate persistunt, eo citius se terrenorum corda ad agendam pro erratibus suis pœnitentiam incutiunt ; et quoniam eadem actio pœnitentiæ nequaquam homini prædicanti, sed illustranti est gratiæ tribuenda, quod est aperte dicere : Misertus est Dominus et pœnituerunt gentes, quo videlicet intuitu aspexit et Petrum cum negasset, et ille compunctus memoria sui peccati mox defluxit in lacrymas. Montes superbos dicit et de hujus sæculi vel regno vel sapientia, vel divitiis se extollentes, qui Domino aspiciente non solum confracti, sed vehementer confracti sunt, quando illo miserante nonnulli ex talibus, non tantum inanem superbamque altitudinem deserebant, verum etiam eamdem vivendo simul ac prædicando impugnabant. Denique Saulus et Matthæus montes erant, hic de sapientia litteræ carnalis, ille de mammona iniquitatis elatus ; sed, dum uterque ad humilitatis magisterium conversus Christi est factus discipulus, montes utique sunt vehementer confracti. Collium nomine sicut et montium superbi exprimuntur homines. Sed fortasse minore fastu elationis inflati, nec tamen a reatu tumoris alieni, ideoque salubriter inclinandi, ut a Domino mereantur erigi, qui recte colles æternales vocantur, quia dum temporaliter humiliati a superbiæ tumore defluunt, in æternum glorificati eriguntur ab eo, qui ait : « Et omnis qui se humiliat exaltabitur. » Sequitur in eadem editione : « Itinera æternitatis ejus præ laboribus vidi. » Itinera sunt temporalitatis Domini, quibus venit in mundum, ut ad tempus appareret hominibus. Itinera autem æternitatis ejus, quibus relicto corporaliter mundo rediit ad Patrem, cum quo æternaliter mansit etiam, cum temporaliter conversaretur in mundo : quæ nimirum itinera desideravit ipse cum appropians passioni dicebat Patri : « Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam (*Joan.* XVII). » Hæc de itineribus assumptæ temporalitatis, statimque de itineribus æternitatis adjunxit : « Et nunc clarifica me, tu Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset apud te. » Hæc autem itinera æternitatis propheta præ laboribus vidit, incarnationis videlicet et passionis ; de quibus supra dictum est : « Deus a Libano sive ab austro veniet, et cornua sunt in manibus ejus, » aliaque hujusmodi, quæ in hoc eodem Cantico plurima inveniuntur.

« Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian. » LXX : « Pro laboribus vidi tabernacula Æthiopum, pavebunt et tabernacula terræ Madian. » Æthiopes tetri et amantes tenebras et ab omni luce alieni, qui draconis carne vescuntur, de quo scriptum est : « Dedisti eum escam populis Æthiopibus (*Psal.* LXXIII). » Dæmones intelliguntur, quorum fit tabernaculum, quicunque in hoc sæculo propter honores et divitias laboraverit, quod significanter sub uno verbo iniquitatis ostenditur. Omnis enim dives aut iniquus aut hæres iniqui est. Vide homines maria transire, ante potentum excubare fores, pati omnia, quæ servorum conditio vix patitur, ut divitias congregent, ut aliquam accipiant dignitatem, et postquam hoc fuerint consecuti, tradere se luxuriæ et voluptatibus et omni iniquitati, ut quod avaritia congregavit, luxuria consumat. Isti ergo pro laboribus suis efficiuntur hospitium dæmonum, et qui templum Dei esse debebant, sunt tabernacula Æthiopum : sed et hoc, quod sequitur, turbabuntur pelles terræ Madian, eosdem intelligi tabernacula Æthiopum et tabernacula terræ Madian. Madian autem in lingua nostra sonat ex judicio, id est, in condemnationem, et ostenditur, quod meta judicii æternarumque pœnarum semper in fortitudine sint, et cruciatus, quos se sciunt quotidiano pavore sustinere. Aliter autem tabernacula Æthiopum expavescent et tabernacula terræ Madian, cum gentes, annuntiato sibi per apostolos Evangelio, eodem auditu eisdemque operibus jam consummatis servire Domino in timore, et exsultare ei inciperent cum tremore. Et bene Æthiopes primo posuit, qui sunt in finibus mundi, ut insinuaret mystice, quod in omnem terram exiturus esset sonus prædicatorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Paveant ergo ad nomen Christi Æthiopes, et ad fines orbis fides ejus perventura signetur. Paveant et Madianitæ, ut mediterraneæ quoque plebes per hanc insinuentur esse salvandæ. Quod autem non ait : Æthiopes et Madianitæ expavescent, sed : tabernacula Æthiopum expavescent, inquit, et tabernacula terræ Madian, illo locutionis genere dicit, quo in Evangelio dictum est : « Et exiit tota civitas obviam Jesu, » dum non ipsa civitas, sed hi qui erant in civitate exirent.

« Nunquid in fluminibus iratus es, Domine, aut in « fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua?

Digitized by Google

« qui ascendis super equos tuos, et quadrigæ tuæ « salvatio. Suscitans suscitabis arcum tuum, jura- « menta tribubus, quæ locutus es. » LXX : « Nunquid in fluminibus iratus es, Domine, aut in fluminibus furor tuus vel in mari impetus tuus? Quia ascendes super equos tuos et equitatio tua salus, intendens extendes arcum tuum super sceptra, dicit Dominus. » Quod ita juxta litteram intelligi potest : Sicut Jordanem et mare siccasti Rubrum pro nobis dimicans, non enim fluminibus et mari iratus es, aut quidquam insensibilia offensionis contrahere potuerunt : ita nunc quadrigas conscendens tuas, arcumque corripiens, salutem dabis populo tuo, et juramenta, quæ jurasti patribus nostris et tribubus, explebis in sempiternum. Quod autem dicit : « Nunquid in fluminibus iratus es, Domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari impetus tuus ? » dicit ambigue et tam interrogantis eloquio, quam probantis : sunt enim et bona flumina, sunt et mala : est mare pessimum, et est mare optimum. Bonorum fluminum illud exemplum est : « Fluminis impetus lætificat civitatem Domini (*Psal.* XLV) ; » et, quod « qui de aqua Domini biberit, fluent de ventre ejus flumina aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* VII) : » malorum illud, quod Pharao loquitur in Ezechiel : « Mea sunt flumina, et ego feci illa, » in quibus draco habitat, et multa his similia. Similiter et mare in bonam partem accipitur, ut est illud quod Psalmista dicit de Ecclesia : « Ipse super maria fundavit eam, et super flumina præparavit illam (*Psal.* II). » Item in malam, ut est illud : « Hoc mare magnum et spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus (*Psal.* CIII), » et cætera. Quod si bona sunt flumina et bonum mare, super quas Jesus Ecclesiam suam collocat ac præparat, etsi in malam partem accipitur, illud mare et flumina, de quibus scriptum est : « Mare vidit et fugit, Jordanis conversus est retrorsum (*Psal.* CXIII), » non inconvenienter, et equos bonos et equos malos, nec non et currus et quadrigas bonas in quibusdam locis, et in quibusdam malas positas intelligere possumus. Nam currus et quadrigas Pharaonis, in Exodo maris fluctibus demersos legimus ; et econtrario sponsus ad sponsam in Cantico canticorum dicit : « Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, proxima mea (*Cant.* I), » non quo Christus Ecclesiam sive sermo Dei animam, quam sponsam suam vocat, quadrigis comparet Pharaonis, sed quo omnis anima, quamvis sancta sit atque perfecta, ad Deum comparata, quasi currus Pharaonis sit, et jumentum. Unde et Moyses loquitur ad Deum : « Ego autem sum irrationabilis; et David : « Jumentum factus sum apud te (*Psal.* LXXII), » non quo absolute jumentum sit, sed quo apud Deum jumentum sit. « Suscitans ergo suscitat arcum suum Dominus, atque intendit sagittas super sceptra, » id est, regna diaboli, quæ contraria sunt Domino in diversis vitiis et peccatis, hoc est, avaritia, luxuria, invidia, detractione, furtis atque perjuriis, adversum quæ sermo Dei sedens in equis et curribus suis, hoc est, in animabus sanctorum, super quas ascendit sermo divinus, ut suscitet arcum sanctarum Scripturarum : ex quibus spicula testimoniorum divinorum emittuntur, et compleat juramenta tribubus Domini, quæ locutus est patribus eorum. Illis videlicet tribubus, de quibus Psalmista de Jerusalem mystica disputans ait : « Illuc enim ascenderunt tribus Domini testimonium in Israel ad confitendum nomini ipsius (*Psal.* CXXI). » Potest autem in hoc, quod juxta editionem LXX interpretum legitur : « Nunquid in fluminibus ira tua, Domine, aut in fluminibus furor tuus, aut in mari impetus tuus ? » fluminum et maris vocabulo corda exprimi infidelium, quæ flumina recte vocantur, quia toto intentionis impetu ad inferiora defluunt. Mare, quia turbidis amarisque cogitationibus intus obscurantur, et super cæteros sese tumidis jactantiæ gurgitibus extollunt. Nunquid ergo ait, tam graviter peccaverunt hi, qui mentem a cœlestibus desideriis in appetitum demergunt infirmorum, quique fastu animi instabilis sese contra proximos erigunt, ut in talibus ira, quam merentur, nunquam solvenda perseveret, an omnibus per orbem, sive levius, sive gravius peccantibus in mundo apparens gratiam tuæ pietatis impendis. Nam cerno quidem te apostolos ad prædicandam gentibus gloriam tuam esse missurum, sed qui sunt crediturі, tuæ est, non humanæ cogitationis. Hoc est enim quod sequitur : « Quoniam ascendens ascendes super equos tuos, et equitatus tuus sanitas, » id est, ascendens in corde electorum tuorum per illuminationem gratiæ, per quam te regente iter virtutum incedant, per quæ orbem totum te evangelizando ferentes perpetuæ salutis mundo vitam prædicent. Cujus equitatus figura etiam juxta litteram in Domino monstrata est, cum Hierosolymam tendens sedebat asino concinentibus turbis, quæ antecedebant, et quæ sequebantur, et quæ obviam veniebant : « Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini (*Matth.* XXI). » In qua equitatione sanitas resonabat, quia nimirum illorum iter spiritale signabatur, quo Domino duce per apostolos ad ejus quæ sursum est Jerusalem, quæ est mater omnium nostrum videnda regna ducuntur.

« Tendens extendes arcum tuum super sceptra, di- « cit Dominus. » Arcum dicit improvisum divini examinis adventum, quo etiam sceptra, id est, regna mundi examinanda esse prævidit. Insinuans ergo Propheta, quid Dominus noster equos ascendens, id est, apostolos et eorum successores gratia sua implens ac regens agat in illis, « intendens, inquit extendes arcum tuum super sceptra, » id est, comminans per doctores comminaberis judicium tuum subito adventurum, ut quicunque ad comminationem iræ quasi ad extentum arcum territus fuerit, et pietati tuæ supplicare curaverit, emissionem sagittarum, id est, comminationem non sentiat perennium pœnarum. Quod autem præmittens « tendens extendes arcum tuum super sceptra, » addidit, « dicit Dominus, » Deum Patrem significat, de quo ipse

Digitized by Google

Filius : « Pater, inquit, non judicat, sed judicium omne dedit Filio (*Joan.* v). »

« Fluvios scindens terræ. » Primum ponamus exemplum, ut hoc quasi gradu ad altiora veniamus. Legimus in his qui de mirabilibus confecerunt volumina, et qui Olympiadas Græciæ ad nostram usque memoriam perduxerunt, exponentes quid in singulis annis novi acciderit in mundo, quod inter cætera terræ motu eruperint flumina, quæ ante non fuerant, et alia absorpta sint, et pessum ierint, quod scilicet omnes terrarum venæ, quasi in humano corpore sanguinem, ita in se habeant latentes aquas, quæ terræ concussione rumpantur et manent flumina. Hoc si intelleximus, videamus animam humanam habere in se naturaliter aquas et fluvios, et per socordiam nostram esse absconditos et non fluere ; cum autem ad prædicationem sermonis Dei concussa fuerit, et de priori statu mota, tunc erumpere, quod latebat et in refectione potantium fluere. Quod autem juxta aliam editionem legitur : « Fluminibus scindetur terra. » Flumina hoc loco non eadem, quibus supra iram Domini, furoremque timebat, sed illa potius dicit, de quibus ipse in Evangelio : « Qui credit, inquit, in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. » Et exponens evangelista : « Hoc autem dixit, inquit, de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum (*Joan.* VII). » His ergo fluminibus scindetur terra. Cum carnalium verbis corda doctrinæ salutaris irrigata duritiam suæ infidelitatis sese humiliando conterunt sinumque internæ cogitationis, qui male clausus fuerat, ad accipienda salutiferæ increpationis sive exhortationis dicta, patefaciunt.

« Viderunt te, Deus, et doluerunt montes, gurges « aquarum transiit, dedit abyssus vocem suam, al- « titudo manus suas levavit, sol et luna steterunt « in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, « ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ, in fre- « mitu conculcabis terram, in furore obstupefacies « gentes, egressus in salutem populi tui, in salu- « tem cum Christo tuo, percussisti caput de domo « impii, denudasti fundamentum usque ad collum « semper. » Solam nostram editionem posuimus, ut juxta eam, id est, juxta Hebraicam texentes consequentiam loci, postea LXX commatice per capitula disseramus. Viderunt te, Deus, et doluerunt montes, excelsa scilicet regna et sublimes hujus sæculi potestates, et quadrigæ quatuor in Zacharia, quæ egrediuntur de montibus aereis. Hæc te viderunt et intremuerunt, et gurges aquarum transiit, hoc est, omnis eorum impetus et persecutio, qua vexabant populum tuum, postquam te viderunt, transiit tunc abyssus, hoc est, inferi laudaverunt te, tunc etiam superi, id est, angeli in plausum suis manibus concreparunt et victorem veluti gestu quodam et tripudio elevatarum manuum demonstrarunt. Sol tuus et luna et omnis splendor, quo prius illuxeras populo tuo et malorum postea pondere universa fuerant tenebrarum horrore cooperta, receperunt lumen suum et pristinum habuere fulgorem. Sagittæ tuæ et fulgurans hasta tua, id est, plagæ tuæ, et eruditio lumen tuo populo præbuerunt. Denique in luce sagittarum tuarum et in splendore hastæ tuæ, quæ eos ad hoc corripuit, ut emendaret, ambulavit populus tuus in fremitu tuo. Quando ergo populi tui vindicabis injuriam, terram regna calcabis, et omnes gentes admirari facies, quia egressus es in salutem populi tui et venisti ad eos cum Christo tuo; Jesus enim Salvator interpretatur. Veniente autem Jesu Christo Filio tuo, percussisti Antichristum de domo impii, hoc est, in hoc sæculo, quod in maligno positum est, sive ipsum diabolum percussisti, qui impietatis caput est, et denudasti fundamentum ejus usque ad collum, id est abscondita ejus aperta fecisti non ad breve tempus, sed in perpetuum, hoc enim significat Sela, id est, semper. Quod vero juxta aliam editionem legitur :

« Videbunt te et dolebunt populi. » Talis est sensus, scissa quippe peccantium corda ad agnitionem confessionemque veritatis crebra allocutione docentium quasi abluvione frequentium gurgitum vident Dominum interim per fidem et dolent se tam diu ab illo recessisse per culpam ; sed finito dolore pœnitentiæ, vident eum plenius in futuro per speciem, ac de ejus beata in perpetuum visione lætantur. Sequitur :

« Aspergens aquas in itineribus suis, dedit abys- « sus vocem suam ab altitudine phantasiæ suæ. » Iidem doctores abyssi nomine qui et fluminum supra figurantur. Sed flumina sunt propter vim fortioris invectionis, qua duritiam terrenæ mentis ad agendam pro erratibus suis pœnitentiam rescindunt. Abyssus vero recte vocantur ab altitudine scientiæ, qua ipsi intus implentur, Salomone attestante, qui ait: « Aqua profunda verba ex ore viri (*Prov.* XVIII). » Aspergens ergo aquas in itineribus, dat abyssus vocem suam, cum prædicatores sancti profunda veritatis scientia intus in corde repleti ministerium verbi foris audientibus exhibent, paulatim et per partes pro capacitate infirmorum proferentes, quæ ipsi intus multa simul et ampla capiunt, in itineribus autem, in operibus dicit vel ipsorum videlicet doctorum, vel auditorum suorum. Aspergunt enim aquas in itineribus suis, cum ubicunque incedunt exempla recte vivendi cum voce prædicationis semper intuentibus ostendunt. Aspergunt aquas et in itineribus intuentium, cum eis docendo pariter et vivendo, quibus actionum viis ingredi debeant prænonstrant. Bene autem, cum dixisset, quod daret abyssus vocem suam, addidit ab altitudine phantasiæ suæ, quia, quod nobis mirabile sancti prædicatores foras pronuntiant, ex eo nimirum fonte sapientiæ procedit, quo intus ipsi mirabilius contemplatis cœlestibus gaudiis illustrantur. An non abyssus magna dedit vocem suam ab altitudine phantasiæ suæ, cum diceret Paulus apostolus : « Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est, non angustiamini in

Digitized by Google

nobis, angustiamini autem in visceribus vestris, tanquam filiis dico, dilatamini et vos. Unde autem vel quo ordine provenerit, ut salutaribus aquis mundus aspergeretur, utque abyssus sapientiæ cœlestis terris intonuerit, sequenter ostenditur cum dicitur:

« Elevatus est sol et luna stetit in ordine suo. » Elevatus est enim Dominus, sol videlicet justitiæ, post passionem ac resurrectionem suam in cœlum, et misso a Patre Spiritu illustravit Ecclesiam, ac totum dilatavit in orbem, ut ipsa in ordine suo, id est, post impletum Dominicæ incarnationis arcanum a longo perfidiæ languore exsurgens staret in fide, viriliter ageret, et confortaretur in charitate ipsius. Et quia soli Christum, Ecclesiam lunæ comparaverat, apte ad eumdem solem conversus continuo subjecit:

« In lumine jacula tua ibunt in splendore fulgoris « armorum tuorum. » Jacula autem Christi verba sunt illius, quibus corda hominum compunguntur, ut salutari vulnere inflicto, possit anima fidelis dicere, vulnerata charitate ego sum, quæ videlicet jacula in lumine eunt, quia ministerio doctorum veritatis verba mundo palam innotuerunt, juxta quod ipsa Veritas eisdem præcipit, dicens : « Quæ dico vobis in tenebris dicite in lumine, et quod in aure audistis prædicate super tecta (*Luc.* XII); » et quoniam eloquia lucis secuta est etiam claritas miraculorum, addidit : in splendore fulgoris armorum tuorum ; jaculis quippe bellantes adversarios feriunt, armis muniendo sese a vulnere descendunt. Unde in jaculis merito dicta prædicantium, quibus pravitatem infidelium superant, in armis miracula, quibus veritatem suæ prædicationis confirmant, insinuantur. Eunt ergo in lumine jacula Christi, eunt in splendore fulgoris armorum illius; quia quæ fecit magnalia, quæ aperuit arcana, quæ proposuit mandata, quæ promisit præmia, cuncto jam mundo per evangelicas litteras sole clarius innotuere. Sed et sancti doctores, quia filii lucis sunt, quæque illo donante agunt sive loquuntur, luce nimirum ac splendore clara refulgent.

« In comminatione tua minorabis terram et in « furore tuo. » Detrahes gentes comminando districtionem judicii, quo impii damnentur, humiliabis salubriter eos qui terrena cœlestibus anteponere solebant, ut minoratis paulatim terrenis cupiditatibus, quæ sursum sunt sapere et quærere incipiant, et inferendo fororem condemnabis eos in perpetuum, qui pro æterna sua exaltatione ad tempus humiliari contempserunt.

« Existi in salutem populi tui ut salvos facias « christos tuos. » Exivit mediator Dei et hominum a Patre et venit in mundum, non ut judicaret mundum, sed ut salvaretur mundus per ipsum. Christos autem omnes electos dicit, quia ab unctione gratiæ spiritalis rectissime hoc vocabulo nuncupantur. Unde est illud Psalmistæ de his qui sanctis nocere volentes, divina sunt prohibitione coerciti. Et corripuit pro eis reges : « Nolite tangere christos meos (*Psal.* CIV). » Salvos autem fecit christos suos, non quos christos invenit, sed quos egrediendo a Patre et in carne apparendo per adoptionis Spiritum christos, id est, unctos suos fecit. De qua unctione monens suos auditores Joannes apostolus dicit : « Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis (*I Joan.* II). »

« Misisti in capita inimicorum mortem, excitasti « vincula usque ad cervices. » Dominus enim occidit peccatum, mittens in capita inimicorum mortem, ut vivificet justitiæ. Dicam aliquid audacius : Christus ad hoc venit in mundum, ut in capita inimicorum mitteret mortem, et sicut ipse peccato mortuus est semel, sic et illi morerentur iniquitati, et qui facti fuerant participes mortis, nujus vitæ quoque fierent participes. Suscitavit Dominus vincula charitatis, ut priori onere deposito, et gravissimo jugo, quo premebantur, abjecto, leve Christi susciperemus jugum, ut in curru illis positi aurigam optimum portaremus, quod et aliter intelligi potest : qui enim electis suis, quos christos appellaverat per Prophetam gaudium salutis obtulit; ipse illis, qui ejus ungi gratia neglexerunt, mortem misit æternam, quod in ipsa gente Judæorum, quæ Dominum in carne apparentem ad mortem usque persecuta est, etiam corporaliter esse constat impletum, quæ postquam eum crucifixit non multis intervenientibus annis, ingruente Romano exercitu, exceptis solum eis qui in fidem se Evangelicæ gratiæ secreverant, enormi est clade damnata, et ipsa insuper regno ac patria privata. Et hoc est quod ait : « Excitasti vincula usque ad cervicem, » cervicem videlicet regni, quo contra Dominum fuerant erecti, de quo dicit eisdem in se etiam furentibus beatissimus protomartyr Stephanus : « Dura cervice et incircumcisi cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis (*Act.* V). » Sed ad hanc usque cervicem vincula Dominus excitavit, cum ad eversionem superbæ gentis hostilem misit exercitum. Unde scriptum est : « Dominus justus concidet cervices peccatorum (*Psal.* CXXVIII). »

« Maledixisti sceptris ejus, capita bellatorum ejus, « venientibus, ut turbo, ad dispergendum me. Exsul- « tatio eorum, sicut ejus qui devorat pauperem in « abscondito. Viam fecisti in mari equis tuis in « luto aquarum multarum. Audivi et conturbatus « est venter meus : a voce contremuerunt labia « mea. Ingrediatur putredo in ossibus meis, et sub- « ter me scateat, ut requiescam in die tribulationis « meæ, ut ascendam ad populum accinctum no- « strum. » Et nunc tantum Hebraicum posui, ut separatim de editione LXX disseramus. Multum enim ab omnium translatione discordat LXX. Maledixisti sceptris, id est, regnis ejus, haud dubium quin impii, de quo supra dixerat, percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum usque ad collum. Intelligimus autem impium vel Nabuchodonosor, vel omnem adversarium populi Dei, et non solum sceptris ejus, sed etiam capita bellatorum,

Digitized by Google

quos percusserat, qui venerunt, inquit, ut turbo, A ut dispergerent me, id est, verterent Israel, et in diversum captivum ducerent, ita ut exsultarent devorantes pauperem, et subjectum sibi Israel, quasi hoc in abscondito facerent, et nos ignorantes devorarent. Venisti itaque ad prælium pro populo tuo, et quadrigas tuas immittens in aquas, hoc est, in gentes multas, fecisti eis viam in luto aquarum multarum, id est, ut conculces eos, et quasi lutum equorum tuorum, et currum ungula et rota conteras. Quod autem sequitur : « Audivi et conturbatus est venter meus ad vocem, » ut subaudiatur : contremuerunt labia mea, ingrediatur putredo in ossibus meis et subter me scateant, ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum. Hic sensus est : nunc libenter B omnes patimur angustias et ad comminationem tuam totis visceribus contremiscimus, nunc tremunt labia mea, et pavor mentis trepidæ in ore signatur, et non solum istud, sed etiam aliud ultro appeto, ultro desidero; ingrediatur putredo in ossibus meis et super me scateat, hoc est, libenter patior, quod passus est Job, non solum carnes meas, sed medullas quoque ossium cupio tabefieri, et stratum meum putredine corporis et innumeris scatere vermibus, ut postquam hic pro peccatis meis hæc sustinuero, requiescam in die amara, in die tribulationis, in die necessitatis et angustiæ : et ascendam ad populum accinctum nostrum, fortem videlicet bellatorem atque pugnacem, et pulchre ascendam, ad accinctum enim populum semper ascenditur, C eleganterque nostrum, qui enim tribulatus est et pressuras libenter sustinuit et præsentibus malis futura præmia compensavit, nostrum audacter loquitur, ut juxta Abraham, et Isaac, et Jacob, et ipse dormiat in senectute bona plenus dierum et apponatur ad patres suos. Alia editio :

« Præcidisti in alienatione capita potentium, mo- « vebuntur in ea gentes. » Pro alienatione in Græco scriptum est « in exstasi, » quod quidam « in stupore, » alii « in excessu mentis » interpretati sunt : sive autem stupor, sive alienatio, seu excessus mentis dicatur, unum idemque significat, cum quis repentino miraculo turbatus ac stupefactus a sensu suæ mentis redditur alienus, quod accidisse Judæis crebra Evangelii prodit historia dicens : Quod stu- D perent et mirarentur in doctrina ac virtutibus Jesu dicentes : « Unde huic hæc omnia, cujus novimus patrem et matrem (*Joan.* VI)? » Et in Actibus apostolorum curato per Petrum et Joannem claudo ad ostium templi : « Impleti sunt, inquit, stupore et exstasi (*Act.* III), » in qua videlicet exstasi, id est, admiratione sive alienatione mentis multi de populo provocati sunt ad credendum Domino, sed capita potentium, id est, principes sacerdotum et seniores præcisi sunt non credendo a sorte fidelium; motæ sunt quoque in ea gentes, dum auditis, sive visis Domini et apostolorum ejus virtutibus, adeo stupefactæ et admiratæ sunt, ut anathematizatis abjectisque eis, quos coluere diis, novam Christi fidem devota mente susciperent.

« Adaperient ora sua sicut pauper edens in « occulto. » Sicut enim pauper aliquandiu jejunus permanens, si forte alicubi cibos invenerit, his se confestim in occulto reficere satagit, neque eos in publicum vult proferre, ne forte ab alio diripiantur, et ipse fame pereat : sic nimirum, sic populi gentium, oblato sibi per apostolos pane verbi, a quo diutius jejuni duraverant, mox aperuerunt ora sui cordis, et hunc omni aviditate gustare coeperunt. Quo autem ordine paupertas gentium ad percipiendas verbi epulas pervenerit insinuatur, cum protinus subinfertur :

« Misisti in mare equos turbantes aquas multas. » Mare quippe mundum, equos Dei prædicatores sanctos, aquas multas, populos nationum dicit; immissisque equis Dei in mare, turbatæ sunt aquæ multæ, quia dispersis in mundum præconibus verbi turbata sunt gentium corda, alia ad credendum ac suscipiendum Sacramentum fidei, alia vero ad contradicendum, sive etiam persequendos præcones ejusdem fidei. Bene autem de his equis, sanctis videlicet prædicatoribus et supra dicitur : quoniam ascendens ascendes super equos tuos, et nunc de eisdem subinfertur, misisti in mare equos tuos, ut ex utraque sententia colligatur, quod ita Dominus in mundum prædicatores miserit, ut eisdem prædicantibus ipse nunquam absit, sed sicut equis auriga, ita regendis semper eorum mentibus præsit.

« Custodivit et expavit venter meus a voce ora- « tionis labiorum eorum. » Ventrem suum more prophetis consueto animum suum dicit; quia sicut ventre recipiuntur cibi, quibus virtus ac vita corporis reficiatur : ita cogitationes piæ sancto recipiuntur in animo, quibus interioris hominis vita, ne deficere debeat, sustentetur et contineatur. Custodivi, inquit, meipsum tremente animo solerter, ne forte corde peccarem, neve aliis prædicans, ipse reprobus efficerer. Et notandum quod expavisse se dicit a voce orationis labiorum suorum, cum nil prorsus orasse in toto hoc carmine videatur; sed tantummodo timens ac pavens ventura Christi et Ecclesiæ sacramenta describere. Nec tamen fallitur, qui carmen suum orationem nuncupat, qui et eidem talem titulum proposuit. Oratio Habacuc prophetæ pro ignorationibus, quia quidquid vir sanctus loquitur, totum profecto hoc oratio ad Deum est : omne quod agitis, cujus sincera intentio est Domino placendi, hoc pro ipso apud Dominum interpellat, et ipsum Domino commendat.

« Et introivit tremor in ossa mea. » Sicut carnis nomine aliquoties Scriptura carnales nostras actiones, ita ossium vocabulo fortia solet ac spiritualia facta designare. Expavit ergo, inquit, cor meum ab his quæ ventura in mundum prævideo, et quidquid mihi virtutis spiritualis esse putavi, totum hoc quasi fragile contremuit, dum majores Christi, beatorum apostolorum et virtutes et passiones aspicio,

Digitized by Google

quod ipsum verbo sequente manifestius explicatur, cum dicitur :

« Et subtus me turbata est virtus mea. » Bene autem virtutem suam non in se, sed subter se dicit esse turbatam, quia raptus ad contemplationem cœlestium arcanorum propheta quodammodo super se esse vidit elevatum, et quo altior efficitur lumine contemplationis, eo se imperfectiorem conspicit : sublevatus enim ad intuenda superna, jure de his, quæ in infimis gesserat, conturbatur. Turbata est autem virtus prophetæ, contremuerunt ossa, expavit venter, non solum quia minus perfectum se actione cognovit, verum etiam quia omnes, qui pie vellent vivere in Christo persecutiones passuros didicit. Sed et ipsum Christum, qui sine peccato intraret in mundum, non sine pœna peccati exiturum vidit esse de mundo.

« Requiescam in die tribulationis meæ, ut ascendam ad populum transmigrationis meæ. » Requiescit enim in die non solum retributionis, sed et tribulationis, quia per afflictiones temporales æterna se gaudia aucturum esse non dubitat juxta illud Apostoli : « Spe enim salvi facti sumus (*Rom.* VIII). » Et iterum : « Spe gaudentes, in tribulatione patientes (*Rom.* X). » Hæc est autem in hac vita requies electorum, ut, relicto infimorum appetitu, tota mentis intentione et quotidianis bonorum operum gressibus ascendere ac transmigrare nitantur ad consortium eorum, qui se in Christo præcesserant ; sed et ante novissimum illud ac generale judicium sancti requiescunt in die tribulationis ascendentes ad populum transmigrationis suæ, quando post bona opera translati de mundo priorum justorum gaudiis sociantur in cœlis, cum persecutores eorum pariter de hac vita sublati tormenta gehennæ perpetuo tribulandi subeant. Potest autem dies tribulationis etiam in hac vita intelligi, cum gravescente temporalium bonorum penuria, hi qui talia dilexerant nimium quasi miseriis circumdati dolent : sed electus quisque, quamvis eadem incommoda corporaliter sustinens, fixa spe mentis in Domino, requiem habet sciens quia quo gravius in infimis deprimitur, eo celsius post pressuras ad æterna superiorum civium consortia ascendit, cui sensui convenit apte, quod sequitur :

« Ficus enim non florebit et non erit germen in « vineis, mentietur opus olivæ et arva non afferent « cibum, abscidetur de ovili pecus et non erit armen« tum in præsepibus. » LXX : « Quoniam ficus non affert fructum et non erit generatio in vineis, mentietur opus olivæ et campi non faciunt escas, defecerunt ab esca oves, et non erunt in præsepio boves. » Juxta Hebraicum, in quo supra diximus, ingrediatur putredo in ossibus meis et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum meum, ita quæ præcesserunt, copulabuntur sequentibus, ideo tribulationem ad præsens volui sustinere, et postea ad populum fortem ascendere, quia veniet dies tribulationis et necessitatis : et cæteris in angustia constitutis, ego in tua majestate lætabor : ficus non florebit, et non erit germen in vineis, mentietur opus olivæ, et arva non afferent cibum, et cætera, quæ quia non multum distant a LXX cum interpretatione eorum pariter disseramus. Cum venerit dies tribulationis et ego ascendero ad populum, qui mecum aliquando peregrinatus est, vel certe, cum venerit dies eversionis Judaicæ et populi prioris, et derelicta fuerit filia Sion, sicut tabernaculum in vinea, et sicut casula in cucumerario, et sicut civitas, quæ expugnatur, eo quidem pereunte electus sum populo, de quo dictum est : « Et nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorra similes fuissemus (*Rom.* IX). » Copulabo me discipulis Christi, quos quia in monte docet, turbis et debilibus deorsum relictis, ego ad montana conscendam. Hi autem versus, si quis quærat, quid figuraliter significent, ita potest exponi : ficus, vinea et oliva erat synagoga Judæorum, quando dulcedinem bonæ operationis, flagrantiam fervidæ dilectionis, pinguedinem animi misericordis Deo devota proferebat. Oves et boves typici erant in eadem plebe, oves videlicet in eis qui vocem summi pastoris humiliter audiebant. Boves vero in illis, qui jugum legis naviter portantes ad faciendos bonorum operum fructus, corda audientium sedulo docendo et castigando quasi terram Domini arando parabant, hisque spiritaliter viventibus, spiritales faciebant escas campi Scripturarum divinarum latissimi, quorum pabulo delectabatur ille, qui ut jumentum factus erat apud Deum et semper illi adhærebat dicens : « Dominus regit me et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit (*Psal.* XXII). » Sed hæc ficus Domino ad eam tertio veniente, hoc est, in legislatione per Moysen, in sedula increpatione et exhortatione per prophetas, in oblatione gratiæ per seipsum virtutis fructum ferre neglexit, propter quod ad maledictionem ejus æterna ariditate damnata est, defecit generatio in vineis quondam Domini, id est, fructus charitatis in turbis Judæorum, propter quod sitienti illi acetum pro vino obtulerunt, id est, virtutum suavitatem in se quærenti vitiorum acredinem proferebant, mentiebatur opus olivæ, cum eadem plebs oleo adolationis impinguaret capita miserorum, ductaque prophetæ veracia falso ore resonaret dicens : « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei speravi in misericordia Dei (*Psal.* LI). Propter quod tempore ultimæ retributionis exstinctas allatura lampadas, et cum suis tenebris ab ingressu est patriæ cœlestis excludenda. Campi non faciunt escas, cum plebs eadem apertis divinorum apicum paginis pascua veritatis invenire recte intelligendo non valet ; deficiunt ab esca oves, quia quibus internæ refectio dulcedinis abest, unde innocentia vitæ simplicis proveniat, non est. Sic autem dictum est defecerunt ab esca oves, id est, quia esca deerat, sicut et in psalmo Propheta : « Et caro mea, inquit, immutata est propter oleum (*Psal.* CVIII), » id est, quia oleum, quo reficerer sive ungerer non erat. Denique quidam codi-

Digitized by Google

ces sic habent, defecerunt, eo quod non comederunt A oves : non sunt in præsepio boves, quoniam quidem abundant apud Judæos præsepia cœlestium litterarum, sed quia pabulum cœlestis intellectus in his non sapiunt, qui suave jugum Evangelii bajulent absunt, quæ omnia perfide parti gentis suæ superventura considerans Propheta statim, quid ipse cum fidelibus ejusdem gentis, imo cum totius, quæ per orbem colligenda in Christo, vel collecta erat, Ecclesiæ societate facturus esset ostendit dicens :

« Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in « Deo Jesu meo. » Alia editio : « Ego autem in Domino gloriabor, gaudebo in Deo Jesu meo. » Ego autem, inquiens, non in mea justitia, sed in fide divinæ protectionis gloriabor, gaudebo in Deo Jesu meo : qui non in me meam, sed in illo salutem esse B perpendo, et quasi quæreremus ab eo, quare gloriaretur in Domino et in Deo Jesu, quem suum proprium magnæ dilectionis gratia nuncupabat, gauderet, continuo velut justissimam ejusdem gaudii causam insinuans, ita suum carmen terminavit.

« Deus Dominus fortitudo mea et ponet pedes meos « quasi cervorum et super excelsa mea deducet me « victori in Psalmis canentem. » Deus, inquit, Dominus fortitudo mea nullam etiam aliam, nisi in Christo, habebo virtutem et cunctas legis justitias quisquilias computabo, et ponet pedes meos quasi cervorum, ut calcem super aspidem et basilicum, et quasi puer parvulus mittam in foramen et extraham serpentem Judam de colubro. Similis enim fratruelis meus capreæ aut hinnulo cervorum, et quia ipse est C cervus, mihi quoque donavit, ut cervus essem sublimis cornibus findens ungulas, cibos ruminans, et ad odorem meum serpentes fugiant, de quo dicitur in psalmo : « Qui perfecit pedes meos quasi cervi et super excelsa ponet me (*Psal.* XXVIII). » Et rursus : « Vox Domini perficientis cervos. » Ponet ergo pedes meos inter cæteros cervos suos, et ad cœlestia perducet me, ut inter angelos canam gloriam Domini et super terram pacem hominibus bonæ voluntatis annuntiem. Canam autem victoriam ejus et triumphum et trophæum crucis. Secundum aliam autem editionem hæc prophetica sententia ita legitur.

« Domine Deus, virtus mea, constitue pedes meos « in consummationem et super excelsa statuet me « ut vincam in claritate ipsius. » Ac si aperte dicat : D subtus me quidem turbata est virtus mea, id est, dum humanæ fragilitatis conditionem quæ infra est, intueor, ac dum ad divinæ opitulationis gratiam oculos mentis attollo, in illo me virtutem facere posse confido : ipse gressus operum meorum ad consummationem firmi finis perducere valet : ipse me super excelsa statuere, ut videlicet omnem mundanæ potentiæ sublimitatem contemplatione perennium bonorum pro nihili contemnam, omnes quæ mihi vel de adversis, vel de blandimentis sæculi occurrunt tentationes vincam in claritate ipsius, id est, dum in omnibus, quæ ago, non meam gloriam, sed ipsius quæro, a quo me accepisse memini quidquid boni ago, merito enim adjuvantur a Domino, ut victis tentationibus probati ad palmam supernæ vocationis perveniant, qui totam victoriæ suæ causam ad ejus laudem referunt. Quidam codices habent, « ut vincam in Cantico ipsius, » quod ad unum eumdemque sensum respicit. Vincit enim in Cantico Domini, quisquis in cunctis, quas patitur, tribulationibus, illi gratias ex corde agere novit, sciens quoniam « diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum (*Rom.* VIII). » Potest tamen in hac sententia prophetæ juxta historiam talis esse sensus, ac si ipse diceret : Ego vincam in carmine, et manus meæ component cytharam et psalterium et omne organi genus, scribamque panegyricum triumphanti, et qui principio locutus sum, « Usquequo clamabo et non exaudies, vociferabor ad te, vim patiens et non salvabis, » et de justitia judicioque causatus sum, postea laudabo æquitatem et cantores cæteros meo carmine superabo. Pulchre autem carminis hujus prophetici principio respondet, qui enim auditis et consideratis Domini in carne apparentis operibus fideliter timet ac pavescit, fit, ut contemptis eis quæ in hac vita instar pelagi fluctuantis vario statu feruntur, in ipso solum glorietur et gaudeat.

INCIPIT

CANTICUM LIBRI DEUTERONOMII.

Legitur in Deuteronomio, quod Moyses, postquam conscripsit verba legis in volumine atque complevit, locutus sit, audiente universo cœtu Israel, verba carminis hujus et ad finem usque compleverit. Unde conjici datur carmen istud, quod in testimonium filiis Israel Moyses decantavit, non simplicem tantummodo historiam sonare, sed spirituali intelligentia plenissimum esse. Partim enim secundum historiam Israelitarum pro beneficiis opulentissime sibi a Domino collatis exprobrat perfidiam : partim per allegoriam de mysteriis cœlestibus sanctam Dei instruit Ecclesiam : partim autem ad honestatem morum unumquemque fidelium provocat per tropologiam, unde sobrium lectorem decet, ut in historia servet Scripturæ veritatem. In allegoria vero consideret mysteriorum cœlestium rationem, et in tropologia bonarum disciplinarum ediscat utilitatem, quatenus tripartita hac distinctione edoctus ad illam cœlestem theoriam, hoc est, ad inspectionem secretarum rerum et ad contemplationis divinæ provehatur sublimitatem, nec non et illud diligenter inspiciendum est, quod dicitur loqui Moyses verba carminis et ad finem usque complesse, si forte hoc admoneat, ut qui ore Deum laudare studeat, operibus non contradicat : non est enim pulchra laudatio in ore peccatoris. Ideo ipse Dominus in Evangelio ait : « Qui solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum, qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum (*Matth.* XIX). » Principium autem hujus carminis tale est :

Digitized by Google

« Audite, cœli, quæ loquar; audiat terra verba « oris mei. » Juxta primordium Isaiæ prophetæ ita scriptum est : « Audi, cœlum, et auribus percipe, terra, quia Dominus locutus est (*Isa.* I). Supra ergo in eodem libro, quis Propheta, cujus filius, qui contra Judam et Hierusalem, sive per Judam et Hierusalem, et quo tempore viderit titulo demonstratum est, nunc cœlum et terram ad audiendum provocat, in cœlo supernas significans angelicasque virtutes, in terra mortalium genus, metonymicos ab his quæ continent ea, quæ continentur ostendens. Nam quia per Moysen testes vocaverat Dominus cœlum et terram dans populo Israel legem suam, et dixerat: Attende, cœlum, et loquar; audiat terra verba oris mei, » post prævaricationem populi eosdem rursus in testimonium vocat, ut cuncta elementa cognoscant juste Deum in ultione mandatorum suorum ad iracundiam concitatum.

« Concrescat in pluviam doctrina mea, fluat ut ros « eloquium, quasi imber super herbam et quasi stillæ super gramina, quia nomen Domini invocabo. » Alia editio : « Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea, sicut imber super germen, et sicut nix super fenum, quia nomen Domini invocavi. » Eloquium legis Dei comparat pluviæ ac rori, quia germina spiritualium fructuum a fidelium cordibus expetit, ipsa enim sunt vinea Domini, unde ille fructum sibi amabilem, hoc est, bonorum operum quærit. Huic similem comparationem in Isaia propheta invenimus : « Quomodo, inquit, descendit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revertetur, sed inebriat terram et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen ferenti et panem comedenti : sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui et prosperabitur in his ad quæ misi illud (*Isa.* LV). » Verum quia Moyses doctrinam suam in pluviam concrescere dixit, ut patenter, quæ hæc pluvia esset, demonstraret, subjunxit dicens, « quia nomen Domini invocabo. » Nomen ergo Domini est invocare, Evangelium Christi prædicare, quod qui audit et facit, boni operis fructum in cœlis sine dubio possidebit.

« Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta « sunt opera, et omnes viæ ejus judicia. » Alia editio : « Date magnitudinem Deo nostro. Deus, vera opera ejus et omnes viæ ejus judicia. » Magnificare Dominum est majestatem Salvatoris corde credulo, ore pio simul cum bonis actibus prædicare. Unde Maria mater Domini in cantico Evangelii ait : « Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit Spiritus meus in Deo salutari meo (*Luc.* I). » « Dei, inquit, perfecta sunt opera. » Quæ ergo illa sunt? audi Moysen in Geneseos dicentem : « Igitur perfecti sunt cœli et terra et omnis ornatus eorum, complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat et requievit die septimo ab universo opere suo, quod patrarat (*Gen.* II). » Opus ergo Dei est redemptio humani generis, quam quando perfecit, Sabbatum spirituale in sepulcro requiescens nobis ostendit. « Omnes, inquit, viæ ejus judicia, » quia omnia mandata ejus vera. Unde Psalmista ait : « Lex Domini irreprehensibilis convertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis (*Psal.* XVIII). » Et item : « Judicia, inquit, Dei vera, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum (*Ibid.*). » Et alibi : « In labiis, ait, meis pronuntiavi omnia judicia oris tui (*Psal.* CXVIII). »

« Deus fidelis et absque ulla iniquitate justus et « rectus. » Alia editio : « Deus fidelis et non est in eo iniquitas, justus et sanctus Dominus. » Fidelis est, quia quod promisit, procul dubio implevit. Absque ulla iniquitate, quia æquitas summa iniquitatis consortium nullo modo recipit. Justus, quia peccantibus et non pœnitentibus pro malis suis retribuet pœnam. Rectus, quia digne operantibus et bene merentibus vitam reddet perpetuam. Sanctus quia in omnibus judiciis et actibus suis est probatissimus : sanctus enim et pium significat et patientem, et bonorum omnium largitorem, quoniam quidquid ab illo efficitur, virtutum laude completur.

« Peccaverunt ei non filii ejus in sordibus. » Alia editio : « Peccaverunt non ei filii commaculati. » Quomodo non filii Dei, nisi quia non ex fide : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus (*Joan.* I). » Unde Dominus Judæis fidem ejus recipere nolentibus et doctrinam illius spernentibus, ait : « Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere; ille homicida fuit ab initio et latro. » Et Stephanus ad eosdem Judæos ait : « Patres vestri quem prophetarum non sunt persecuti? et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu justi, cujus vos nunc proditores, et homicidæ fuistis, qui accepistis legem in dispositione angelorum et non custodistis. » Qui ergo incorrigibiliter peccat, filium Dei se non esse probat. Illa autem editio, quam septuaginta interpretes ediderunt, ita habet : « Peccaverunt non ei filii vituperabiles. » Quod quidam ex Græco interpretati sunt, filii commaculati; quidam, filii otiosi. Unde non magna quæstio, imo nulla est. Sed illud merito ad quærendum movet, si generaliter dictum est, peccaverunt non ei filii, quoniam qui peccat, non Deo peccat, id est, non Deo nocet, sed sibi. Quomodo intelligendum sit quod in psalmo legitur : « Tibi soli peccavi (*Psal.* L). » Et in Jeremia : « Tibi peccavimus patientia Israel, Domine (*Jerem.* XIV). » Et iterum in psalmo : « Sana animam meam, quoniam peccavi tibi (*Psal.* XL). » Et utrum hoc sit peccare Deo, quod peccare in Deum, unde et Heli sacerdos ait : « Si in Deum peccaverit, quis orabit pro eo (*I Reg.* II). Peccare in Deum est in his peccare, quæ ad Dei cultum pertinent, nam hoc Deus legitur dixisse ad Abimelech de Sara : « Propterea peperci tibi, ne peccares in me (*Gen.* XX). » Peccare autem Domino vel potius peccasse Domino, nisi forte alicubi scriptum occurrat, quod huic sensui resistat, hi mihi videntur non immerito dici, qui condignam pœniten-

Digitized by Google

tiam peccati sui non agunt, ut glorificetur Deus ignoscens, causam quippe reddens David cur dixerit : « Tibi soli peccavi et malum coram te feci (*Psal.* L). » Subjecit et dicit : « Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum judicaris, » quia cunctis recte sentientibus, liquido apparet, quod Dominus est justus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis : « Nec vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Psal.* XL). » Similiter et quod a David dictum est : « Sana animam meam, quoniam peccavi tibi. » Hoc idem agitur, ut Deus ignoscendo glorificetur, quia magna est ejus misericordia super confitentes sibi et redeuntes ad se. In hoc autem Cantico prævidebat Propheta futuros quosdam, qui sic fuerunt peccaturi, Deum offendendo magnis iniquitatibus suis, ut nec pœnitentiam agere vellent, et ad Deum redire, ut sanarentur ; de quibus etiam dicitur : « Quoniam caro sunt et Spiritus ambulans et non revertens, » ideo dixit non filios esse Dei, quia incorrigibiles exstiterunt.

« Generatio prava atque perversa, hæccine reddis « Domino ? » Alia editio : « Quia generatio prava et perversa hæc Domino retribuisti. »

Simili elogio eorum perfidiam Salvator in Evangelio denotavit, qui tentantibus et signum a se quærentibus respondit dicens : « Generatio prava et perversa signum quærit et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ (*Matth.* XII). » Sic et Joannes Baptista turbis Judæorum ad se venientibus ait : « Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere ab ira ventura ? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ et ne velitis dicere, patrem habemus Abraham. Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. » Generatio quippe Judæorum prava, et perversa semper fuit, quæ ingrata beneficiis Dei exstitit, nec ei pro hoc condignas laudes, imo e contrario semper transgressiones varias idolorum sordes atque irritationes rependebat.

« Populo stulte et insipiens, nunquid non ipse est « Pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit « te? » Alia editio : « Sic plebs fatua et non sapiens, nonne hic ipse est tuus Pater, possedit te, fecit te et creavit te. » Pater universorum et conditor secundum naturæ potentiam Deus est unus, quia ab ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, creavit ergo Deus hominem, quando materiam, unde formari posset, condidit : fecit, quando illum ad imaginem et similitudinem suam formavit, possedit, quando expulsis erroribus per fidem et gratiam, suam sibi vindicavit. Populus ergo stultus et insipiens fuit Judæorum gens, quæ nec creatorem suum et factorem, quem lex sibi data manifestissime ostendit, digno cultu venerabatur ; nec ejus beneficii memor, quo illum in Ægypto per miracula atque prodigia de manu inimicorum eruens specialiter possedit, dans illi de cœlo manna, et de petra aquam, nec non ducatum ei in mari Rubro, atque in deserto per angelicum ministerium præbuit, hoc est, in columna nubis per diem, et in columna ignis per noctem ; sed hæc generatio prava et perversa pro tantis bonis non condignas grates Domino suo rependit : quin potius idola sibi fabricavit, atque illis divinum honorem et sacrificia stultissime impendit dicens : « Hi sunt dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti (*Exod.* XII). »

« Memento dierum antiquorum, cogita generatio- « nes singulas, interroga patrem tuum, et annuntia- « bit tibi ; majores tuos, et dicent tibi. » Alia editio : « In mente habete dies sæculi, intelligite annos, nationes nationum, interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi ; seniores tuos, et dicent tibi. » In memoriam eis reducit facta antiqua, jubens eos interrogare patres et ab eis discere qualiter in præteritis sæculis et generationibus divina ope sunt liberati, atque sæpius ab inimicis protecti, quatenus vel hoc modo ad pœnitentiam peccatorum provocentur, et ab omni errore se exuendo ad veritatem appropinquare otius meditentur : patres enim hic non quilibet hebetes et stulti, sed doctores legis et prædicatores Evangelii mystice intelligendi sunt, quorum doctrinis et exemplis potest homo ad intelligentiam divinam proficere, unde Apostolus ad Corinthios scribens ait : « Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui (*I Cor.* IV). » Et ad Hebræos : « Patres, inquit, quidem carnis nostræ habuimus eruditores et reverebamur eos : non multo magis obtemperabimus patri Spirituum et vivemus et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos : hic autem ad id, quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus (*Hebr.* XII). »

« Quando dividebat Altissimus gentes, quando se- « parabat filios Adam, constituit terminos popu- « rum juxta numerum filiorum Israel. Pars autem « Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis « ejus. » Alia editio : « Cum dividerit Excelsus gentes, quemadmodum dispersit filios Adæ, statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei, et facta est pars Domini populus ejus Jacob funiculus hæreditatis ejus Israel. » Historiæ enim ordo rationem dat de humani generis distributione, quia cum multitudo hominum tanta sit, ut eorum numerositas humana computatione comprehendi non possit, solos filios Israel de tanta multitudine in suam hæreditatem Dominus elegit, ubi nomen suum et potentiam suam notam faceret et voluntatis suæ secreta per legis judicia et prophetarum scripta manifestaret, sicut superius in præsenti libro Moyses testatus est dicens (*Deut.* VII) : « Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram ; non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus est Dominus et elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores, sed quia dilexit vos Dominus et custodivit juramentum quod juravit patribus vestris, eduxitque vos in manu forti et redemit de domo servitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti, ut scias quia Dominus Deus

Digitized by Google

tuus, ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his qui custodiunt præcepta ejus in mille generationes, et reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos et ultra non differat protinus eis restituens quod merentur. Custodi ergo præcepta et cæremonias atque judicia, quæ ego mando tibi hodie ut facias. » Et hæc secundum Hebraicam veritatem ita intelligi possunt. Secundum aliam autem editionem, ubi legitur, statuit terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei et in Danielis visione, ubi Angelus de principe Persarum sibi resistenti Prophetæ narravit, videtur aliud nobis insinuare : Angelorum enim ministeria super gentes singulas, et super homines singulos ordinata creduntur, quatenus sub eorum regimine atque defensione humana natura juxta dispensationem omnipotentis Dei custodiatur atque ab inimicis tueatur. Unde Dominus in Evangelio de parvulis non scandalizandis docens, mox subjunxit dicens : « Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est (*Matth.* XII). » Quia enim superna illa civitas ex angelis et hominibus constat, ad quam tantos credimus ex hominum genere conscendere, quantos illic contigit electos angelos remansisse sicut scriptum est, « statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei : » debemus et nos aliquid ex illis distinctionibus supernorum civium ad usum nostræ conversationis trahere, nosque ipsos ad incrementa virtutum bonis studiis inflammare. Quia enim tanta illic ascensura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remansit Angelorum ; superest, ut ipsi quoque homines, qui ad cœlestem patriam redeunt ex eis agminibus aliquid illuc revertentes imitentur ; distinctæ namque conversationes hominum, singulorum agminum ordinibus congruunt, et in eorum sortem per conversationis similitudinem deputantur. Pars autem Domini populus est Jacob spiritualis, et funiculus hæreditatis ejus Israel verus, Ecclesia videlicet Catholica, de qua per Psalmistam dicitur : « Funes ceciderunt mihi, in præclaris etenim hæreditas mea præclara est mihi (*Psal.* XV). »

« Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et « vastæ solitudinis. Circumduxit eum et docuit et « custodivit quasi pupillam oculi sui. » Alia editio : « Sufficientem eum sibi fecit in eremo in siti caloris, ubi non erat aqua. Circumduxit eum et erudivit eum et custodivit eum sicut pupillam oculi. » Invenisse Dominus Israelem dicitur in loco horroris, et vastæ solitudinis : quia in monte Sina legem dans, pactum cum eo inivit, manna de cœlo illis distribuit, et aquam de petra produxit, coturnicum carnes dedit, omnem sufficientiam eis præbens in alimentis juxta id quod sibi videbatur eis competere. Et in eadem eremo quadraginta annis eos circumducendo præcepta sua docuit, sed illud merito quæritur, quomodo dicit eos protexisse, sicut pupillam oculi sui, cum plurimi eorum prostrati sint in solitudine, nisi forte dicamus, tandiu eos protectos ac custoditos esse, quandiu mandata Dei servaverunt ; cum autem ea transgressi sunt, statim plagis percussi atque ab inimicis devastati sunt. Mystice autem Dominus Israel in deserto invenit, cum Ecclesiam de mundi errore tulit, ubi horror idololatriæ et nulla mentio Dei fuit. Circumducit ergo Dominus Ecclesiam, cum in universis mundi partibus eam dilatando in viam mandatorum suorum dirigit, et per Spiritum sanctum voluntatem suam ei indicans, ubique eam plena custodia, quod per pupillam oculi designatur, contra hæreticos atque persecutores custodit. Sequitur alia comparatio :

« Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos « et super eos volitans expandit alas suas et assum« psit eos atque portavit in humeris suis. » Alia editio : « Sicut aquila tegit nidum suum, et super pullos suos consedit, expandit alas suas, et accepit eos et suscepit eos super scapulas suas. » Narrant physici quoo aquila, quæ ab acumine oculorum est vocata, tam acuti intuitus sit, ut cum super maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta sublimitate pisciculos natare in aqua videat, ac tormenti instar descendens raptam prædam pennis ad littus pertrahat ; nam et contra radium solis fertur obtutum non flectere, unde et pullos suos ungue suspensos radiis solis objicit, et quos viderit immobilem tenere aciem, ut dignos genere conservat ; si quos vero inflectere obtutum videt, quasi degeneres abjicit ; dicuntur et aquilæ pullos suos cum vident in nidis plumescere, alis percutere, et ad volandum eos de nido provocare ; nidificant autem in petris et arboribus, in quarum nido lapis echites ædificatur, quem aliqui vocaverunt gaietem, qui ad multa remedia utilis, nihil igne deperdens : narrant autem iidem naturæ inquisitores, quod aquilæ non tam obeant senio vel ægritudine, quam fame, in tantum superiore crescente rostro, ut aduncitas aperiri non queat ; sed cum inde viderit sibi periculum imminere, obtundit rostrum in petra durissima, donec iterum in pristinum usum revertatur. Et inde mystico sermone in psalmo scriptum est, dicente Propheta ad animam fidelem : « Renovabitur sicut aquilæ juventus tua (*Psal.* CII). » Per aquilæ similitudinem secundum litteram ostenditur, quod Dominus populum suum provocando ad terram Chanaan bellis possidendam juvit, et adjuvando ab inimicis protexit. Secundum mysticum vero sensum aquila hæc Dominum Salvatorem significat, qui aquilæ similitudinem in eo tenet, quod prædam ab hoste maligno morte sua eripuit, et post resurrectionem suam carnem, quam pro humani generis redemptione suscepit, ad alta cœlorum provexit, nos dictis atque exemplis exhortans, quatenus illuc sequamur fide, tendamusque devotione, ubi ipse ascendit corpore, unde et in Evangelio ait : « Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ (*Luc.* XVII). » Alia etiam exempla, quæ de aquila diximus, possunt similiter ad ipsum et ad filios ejus figuraliter transferri. Nam sicut aquila acuti intuitus est, ita ut super maria

Digitized by Google

immobili penna sublata, nec humanis apparens aspectibus pisciculos de tanta subiimitate natantes videns in pelago prædando raptat et ad littus pertrahit, sic Redemptor noster super omnes cœlos exaltatus, et ab humanis aspectibus corporaliter sublatus, in pelago tamen istius mundi majestatis suæ intuitu videt, quos per prædam salutiferam eruat, atque ad littus æternæ beatitudinis amoris sui func attrahat. Unde et ipse in Evangelio ait : « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum (*Joan.* xii). » Pullos suos, hoc est, filios per gratiam baptismatis sibi renatos radiis solis æterni per contemplationem objicit, et quos viderit constantem in intuendo habere aciem mentis, seu dignos suo genere perpetualiter servat : si quos vero ad ima et ad carnalia desideria obtutum mentis reflectere conspicit, hos, quasi degeneres abjicit : in petris autem et arboribus hæc aquila nidificat, quia quos firmos fide et fructificantes virtutibus aspicit, in eis spiritualis germinis fecunditatem parit, ibique gemma illa atque margarita pretiosissima nascitur, quam sacer Evangelii textus narrat negotiatorem spiritualem omnibus pecuniis suis venditis sibimet comparare. Quod autem aquila rostrum superfluum in petra tandit, atque ita priorem modum reducit, significat quod sancti viri quidquid in conversatione sua superfluum, ac sibi noxium conspiciunt allidendum ad petram Christum confringunt, atque semet per gratiam et per studium bonum renovantes ad pristinum officium habiles reddunt.

« Dominus solus dux ejus fuit, et non erat cum eo « Deus alienus. » Alia editio : « Dominus solus docebat eos et non erat cum eis Deus alienus. » Manifestum est quod unus et solus Deus Israel de Ægypto liberavit, et non idola falsa, quæ coluerunt Ægyptii, sic et in creptione nostra de spirituali Ægypto non alius, quam idem Deus qui olim Israelitas eripuit, pater videlicet, et filius, et Spiritus sanctus unus et trinus magnus et omnipotens Deus, qui per incarnationem Jesu Christi Domini nostri salutis nostræ effecit mysterium, unde cognoscant hæretici, quam miserabiliter a vera fide deviantes errent, cum se per schismata ab Ecclesia Catholica sequestrant, qui quot erroribus, tot idolis obnoxii sunt

« Constituit eum super excelsam terram, ut co- « medat fructus agrorum. » Alia editio : « Adduxit eos in fortitudinem terræ, cibavit eos nascentias agrorum. » Excelsam terram Palestinam vocat, quia ad comparationem terræ Ægypti, quæ plana et irrigua est, montuosa et aspera videtur ; quæ fortitudinem habet, quia non sterilis, sed uberrima est ad proferendos fructus terræ in saturitatem habitatorum illius. Aliter, excelsa terra sancta est Ecclesia, quæ virtutibus et scientia sublimis est valde, et bonorum operum germine fertilissima. Ibi fideles quique constituti comedunt fructus agrorum spiritalium, quia ibi germinat bonum semen verbi Dei, aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum fructum, ut unusquisque pro capacitate sua cibum sufficientem sibi inveniat.

« Ut sugeret mel de petra et oleum de saxo duris- « simo. » Alia editio : « Suxerunt mel de petra, et oleum de firma petra. » Sed nusquam tale aliquid juxta historiam legitur, si tota Testamenti Veteris recenseatur, nusquam de petra mel, nusquam oleum de firma petra, vel saxo durissimo populus ille suxit : sed quia juxta Pauli vocem : « Petra erat Christus (*I Cor.* x). » Mel de petra suxerunt, qui ejusdem Redemptoris nostri facta et miracula viderunt. Oleum vero de firma petra suxerunt, qui effusione Spiritus sancti post resurrectionem ejus ungi meruerunt. Quasi ergo in firma petra mel dedit, quando adhuc mortalis Dominus miraculorum suorum dulcedinem discipulis ostendit. Sed firma petra oleum fudit, quia post Resurrectionem suam factus jam impassibilis per afflationem Spiritus donum sanctæ unctionis emanavit. De hoc quoque oleo per prophetam dicitur : « Computrescet jugum a facie olei (*Isa.* x), » sub jugo quippe tenebantur dæmoniacæ dominationis, sed uncti summo oleo Spiritus sancti, et quia nos gratia libertatis unxit, dominationis dæmoniacæ jugum putruit.

« Butyrum de armento et lac de ovibus cum adipe « agnorum et arietum filiorum Basan, et hircos cum « medulla tritici et sanguine uvæ. » Alia editio : « Butyrum boum et lac ovium cum adipe agnorum et arietum filiorum taurorum et hircorum cum adipe renium, tritici et sanguine uvæ. » Hæc licet juxta historiam fertilitatem terræ Chanaan insinuent, tamen altiori sensu gratiæ Christi demonstrant abundantiam, quam sancta Ecclesia munere largitoris sui accepit. Butyrum de armento tulerunt, qui plenitudinem fidei de exemplis patriarcharum didicerunt, et lac de ovibus ceperunt, qui simplicitatem mentis, sive facilitatem doctrinæ de innocenti vita Patrum ad ædificationem sui sumpserunt, et hæc cum adipe agnorum et arietum, hoc est, cum pinguedine charitatis apostolorum et eorum, quos ipsi ad fidem imbuerant, ad refectionem mentis suæ perceperunt ; arietum enim nomine apostoli et apostolicæ dignitatis viri designantur, quia ipsi duces sunt gregis Dei. Unde dicitur in psalmo : « Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum (*Psal.* xxviii). » Quod autem subjungitur, « filiorum Basan, » ad eumdem pertinet sensum, quia Basan pinguedo interpretatur, filii enim pinguedinis sunt, qui disciplinis Novi Testamenti instituti sunt, ubi scientiæ multitudo et virtutum magnitudo consistit. Potest et illud, quod in alia editione legitur, « filiorum taurorum, » ad personam similiter referri prophetarum et apostolorum, nec non et aliorum sanctorum doctorum, quia illi duces sunt gregis Dei, et armentis spiritualibus præsunt, ex quorum videlicet doctrinis ipsa accipiunt semen verbi, unde fœtus bonorum possint proferre operum : nec sufficiebant hæc dona, nisi adderentur et hirci. Hirci enim figuram pœnitentium habent, quia pro peccato

Digitized by Google

in lege offerebantur : non enim satis est dona virtutum habere fidelibus, nisi pœnitentiam agant pro suis excessibus, unde ille, qui rex simul et propheta fuit, et cui de Incarnatione Christi promissum est, quod ex ejus semine nasceretur, pro suis delictis Dominum deprecatur dicens : « Amplius lava me ab injustitia mea, et a delicto meo munda me, quoniam iniquitatem meam ego agnosco et delictum meum coram me est semper (*Psal.* L). » Et ut hæc omnia beneficia, quæ prædicta sunt, eminentiore dono accumularentur, addidit, medullam tritici et sanguinem uvæ. Quid enim per medullam tritici, nisi corpus Christi, quid per sanguinem uvæ, nisi calix Novi Testamenti in Christi sanguine figuratur? Plurimis enim donis ex pietate Dei ecclesiastico populo concessis hoc inter omnia excellit ; quod corporis et sanguinis sui sacramenta in panis et vini confectione ad salutem æternam illi ministrâvit. Sequitur :

« Biberat meracissimum, incrassatus est dilectus « et recalcitravit. » Alia editio : « Bibit vinum et manducavit Jacob, et satiatus est, et recalcitravit dilectus. » Nempe universa dona Dei, sine fece alicujus nequitiæ seu improperii, credentibus et digne de eis sentientibus conferuntur. Sed quia sicut carnales quondam Israelitæ dons Dei abusi sunt, et ex beneficiis largissimis pejores facti, ad idololatriam prolapsi sunt ; ita, proh dolor! non pauci de ecclesiastico populo ingrati beneficiis Dei ad vitia relabuntur, et hoc quod sibi ad salutem collatum est, in perditionem suam convertunt. Unde subjungitur :

« Incrassatus, impinguatus et dilatatus dereliquit « Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari « suo. Provocaverunt eum in diis alienis, et abo« minationibus suis ad iracundiam concitaverunt, « immolaverunt dæmoniis et non Deo, diis, quos « ignorabant, novi recentesque venerunt ad eos, « quos non coluerunt patres eorum. » Alia editio : « Pinguis factus est et incrassavit, dilatatus est, dereliquit Deum, qui fecit eum, et recessit a Deo salutari suo, exacerbaverunt me in alienis, in abominationibus suis concitaverunt me, sacrificaverunt dæmoniis et non Deo, diis quos non noverunt, novi recentes venerunt ad eos, quos nesciebant patres eorum. » Hoc veteres Israelitæ historialiter fecerunt, sicut in eorum libris sufficienter expressum est, sed et moderni Israelitæ, quando dona Dei in scientia et virtutibus sibi ad divinum obsequium concessa ad hæresim sive hypocrisim convertunt, idolis et non Deo servire probantur. Dæmoniis utique cultum exhibendo et non Deo, quod patres nostri, hoc est, patriarchæ, prophetæ et apostoli atque evangelistæ nequaquam fecerunt, finde evenit istis idololatris, quod clementissimum Dominum malis suis irritantes, quem propitium habere possent, si bene egissent, propter mala opera severum atque districtum perpessuri sint.

« Deum qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es « Domini creatoris tui. » Alia editio : « Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Deum alentem te. » Genuit Dominus quodammodo Israelitas per legem et circumcisionem, genuit et ecclesiasticum populum per baptismi gratiam, per sanctificationem Spiritus sancti, et alimentum cœlestis cibi; hoc est, evangelicæ doctrinæ illi sufficienter præbuit ; sed qui hæc oblivisci non timet, juste sibi iratum Deum per vindictam sentiet. Unde subjungitur :

« Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus « est, quia provocaverunt eum filii sui et filiæ, et « ait : Abscondam faciem meam ab iis et considerabo « novissima eorum. » Alia editio : « Vidit Dominus, et zelatus est, et exacerbatus est propter iram filiorum suorum et filiarum, et dixit : Avertam faciem meam ab eis et ostendam quid erit eis in novissimo. » Nihil gravius est in pœnis, quam præsentia et visione Dei privari. Inde Psalmista Dominum deprecatur dicens : « Ne projicias me a facie tua (*Psal.* L). « Et item : » Ne avertas, inquit, faciem tuam a me. » Hinc et Job ad Dominum loquitur dicens : « A facie tua ne abscondar (*Job* XIII). » Quia ergo filii et filiæ, hoc est, utriusque sexus homines irritantes eum pro malis suis, quæ faciunt, ejus misericordiam non merentur; sed ab illo ingrati spernuntur in novissimis eorum. Hoc probabitur, quando in pœnas gehennæ projicientur æternas, hoc est enim considerare novissima eorum, manifestare tormenta illorum quæ ipse eis, non conturbato animo, sed tranquillo, juste impendit.

« Generatio enim perversa est et infideles filii ipsi « provocaverunt me in eo, qui non erat Dominus, « et irritaverunt in vanitatibus suis, et ego provo« cabo eos in eo, qui non est populus, et in gente « stulta irritabo illos. » Alia editio : « Quia generatio prava et perversa est filii in quibus non est fides in ipsis, ipsi in zelo compulerunt me et non in Deo, in ira concitaverunt me in idolis suis, et ego in zelo expellam eos et non in gentem, in gente insipiente irritabo eos. » Quia ergo Israelitæ abjecto cultu Domini sui idola coluerunt, et deserentes verum ac vivum Deum, deservierunt vanitati simulacrorum gentibus, qui populi Dei nomine necdum eo tempore vocari meruerunt, in direptionem traditi sunt. Similiter et ecclesiastici, qui deserta veritate ad errores declinaverunt, si pro malis suis non pœnituerint malignis spiritibus, qui superbiendo perdiderunt angelicam dignitatem ad trudendum inferni carceribus tradentur. Bene ergo dæmones gens stulta dici possunt, quia oderunt justitiam et amant iniquitatem.

« Ignis succensus est in furore meo et ardebit « usque ad inferni novissima. » Alia editio : « Quia ignis exarsit ab ira mea, et ardebit usque ad inferos deorsum. » De his quos damnant flagella, et non liberant scriptum est : « Percussisti eos, nec doluerunt ; attrivisti eos et renuerunt accipere disciplinam (*Jer.* V). » His flagella ab hac vita inchoant, et in æterna percussione perdurant. Unde quoque

Digitized by Google

per Moysen Dominus dicit : « Ignis exarsit ab ira mea et ardebit usque ad inferos deorsum (*Deut.* XXXII). » Quantum ad præsentem etenim percussionem spectat, recte dicitur : « Ignis exarsit ab ira mea. » Quantum vero ad æternam damnationem, apte hoc subditur, et ardebit usque ad inferos deorsum, licet a quibusdam dici soleat illud quod scriptum est : « Non vindicat Deus bis in idipsum. » Qui tamen hoc, quod per Prophetam de iniquis dicitur, non attendunt, et duplici confusione contere eos, et id quod alias scriptum est. Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos, qui non crediderunt perdidit, quibus tamen si consensum præbeamus, quamlibet culpam bis ferire non posse, hoc ex peccato percussis atque in peccato suo morientibus debet æstimari, quia eorum percussio hic cœpit, illic finitur, ut in incorrectis unum flagellum sit, quod temporaliter incipit, sed in æternis suppliciis consummatur, quatenus eis, qui omnino corrigi renuunt, jam præsentium flagellorum percussio sequentium sit initium tormentorum. Sequitur :

« Comedit terram et nascentia ejus, et montium « fundamenta comburet, congregabo super eos mala, « et sagittas meas complebo in eis. Consumentur « fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo, « dentes bestiarum immittam in eos cum furore « trahentium super terram atque serpentium, foris « vastabit eos gladius et intus pavor, juvenem si- « mul ac virginem, lactantem cum homine sene. » Alia editio : « Comedit terra nascentias agrorum, et concremabit fundamenta montium, congeram in ipsos mala, et sagittas meas consummabo in eis, tabescentes fame et esca erunt avium, et extensio dorsi insanabilis, dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, a foris sine filiis privabit eos gladius et in promptuariis eorum timor, juvenes cum virgine, lactans cum stabilito sene. » Comedit, inquit, terram et nascentia ejus : terram tunc comedit et nascentia ejus, cum carnem peccatricem propter opera libidinis flamma æternæ ultionis comburet. Nascentia enim carnis proprie opera sunt concupiscentiæ carnalis : « Quæ sunt fornicationes, immunditiæ, impudicitiæ, luxuriæ, idolorum servitus, veneficiæ, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes et his similia, quæ qui agunt, » ut Paulus testatur, » « regnum Dei non consequentur (*Gal.* V). » Et montium fundamenta comburet, cum superborum iniqua consilia, quibus se impune posse peccare credebant, æternis cruciatibus consumet, congregabit super eos mala, quando non solum mala opera, sed et cogitationes perversas atque prava pro quibus puniantur in memoriam adducet verba, sagittas suas in eis complebit, quando iram indignationis suæ per varia tormenta ostendet. Consumentur fame, hoc est, non cibi nec potus, sed perpetua bonorum operum sterilitate. Et devorabunt eos aves morsu amarissimo, maligni videlicet spiritus peccata præterita improperantes ore lacerant sævissimo. Quod autem additur, post devorationem avium extensio dorsi insanabilis, significat plagas acerrimas, quas patiuntur peccatores in tortura dæmonum, qui eos sine ulla miseratione affligunt, et pœnas validas in inferno solvere cogunt, bestias atque serpentes iidem maligni spiritus sunt, qui bestiæ dicuntur propter ferocitatem, serpentes propter calliditatem, trahunt bestiæ atque serpentes reprobos dentibus super terram cum furore, quando hoc, quod prius blandiendo carnalibus persuaserunt, ut seducerent postmodum furibundo animo a peccatoribus expetunt, ut crucient, foris vastabit impios gladius, et intus pavor; quando in extrema ultione undique corpus ignis æterni torquet exustio, et intus mentem angustiæ opprimit magnitudo, unde scriptum est : « Vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur (*Marc.* IX). » « Juvenem, inquit, simul ac virginem, lactantem cum homine sene. » Enumeratis universis ætatibus ostendit nulli ætati in extrema ultione esse parcendum, quos idem idololatriæ fœdaverat cultus. Allegorice autem in juvene lascivum et libidinosum : in virgine a bonis operibus sterilem, in lactante hebetem, in sene pigrum et inutilem ostendit, hos ergo omnes justa vindicta Dei in extrema ultione consumet, quos nunc commonitio et correptio a peccatis non cohibet.

« Et dixi : Ubinam sunt, cessare faciam ex ho- « minibus memoriam eorum. » Alia editio : « Et dixit : Disperdam eos, privabo autem ex hominibus memoriam eorum. » Interrogatio Dei non est ignorantia, sed correptio. Hujus sententiæ expletionem facile dignoscere potest, qui Judæos videt a terra repromissionis ejectos, et per totum orbem dispersos. Generaliter autem omnibus peccatoribus et impœnitentibus hoc futurum imminet, quod de sanctorum terra tollantur, et memoria eorum in cœtu electorum non numeretur. Unde per Psalmistam capiti omnium iniquorum simul cum toto corpore pœna prædicitur futura, cum supputatis singulis speciebus vitiorum subinfertur : « Propterea destruet te Deus in finem, evellet te et emigrabit te de tabernaculo suo et radicem tuam de terra viventium (*Psal.* LI). »

« Sed propter iram inimicorum distuli ne forte « superbirent hostes eorum, et dicerent, manus « nostra excelsa et non Deus fecit hæc omnia. » Alia editio : « Nisi propter iram inimicorum, ne longo tempore sint super terram, ne consentiant adversarii et dicant : Manus nostra excelsa, et non Deus fecit hæc omnia. » Ideo enim Dominus sæpe peccantem populum diu tolerando sustinuit, ne gentes eis confines nomen et potentiam ejus blasphemarent. Unde et Moyses ad Dominum pro peccato Israel indignantem et eas disperdere volentem ait : « Ne, quæso, Domine, dicant Ægyptii, callide eduxit eos, ut interficeret in montibus et deleret e terra; requiescat ira tua et esto placabilis super nequitiam

Digitized by Google

populi tui, recordare Abraham, Isaac, et Israel servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum dicens : Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli, et universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper, placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat ad universum populum suum. » Similiter et nos quando peccaverimus propter magnam patientiam suam et longanimitatem sustinet nolens perire quemquam, sed omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire, juxta illud Pauli apostoli, quod ad Romanos scribens ait : « Existimas autem hoc, o homo, qui judicas eos qui talia agunt et facis ea, quia tu effugies judicium Dei, an divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis ? Ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducet, secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei (*Rom.* II), » etc. Ac ne forte maligni spiritus glorientur in perditione nostra de fortitudine sua, quasi victoriam viribus suis percepissent, cum in hoc semper certent, ut sententiam Altissimi pervertant, qui homines decrevit locum perditorum spirituum in cœlis possidere.

« Gens absque consilio est et sine prudentia, utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent. » Alia editio : « Quia gens perdita consilio et non est in eis, disciplinam non sapuerunt intelligere, percipient in futuro tempore. » Gens Judæorum, nec non et omnium impiorum sine consilio salutis sunt, quia in futurum sibi providere nesciunt, quatenus imminentem pro peccatis suis evadant vindictam et infernalium pœnarum æternum effugiant tormentum, et quoniam disciplinabiliter vivere negligunt, tribulationem et angustiam in futuro sustinebunt, juxta illud, quod de eis scriptum est (*Prov.* I) : « Cum irruerit super eos repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super eos tribulatio et angustia, tunc invocabunt me et non exaudiam, mane consurgent et non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam et timorem Domini non susceperint. »

« Quomodo persequitur unus mille, et duo fugant « decem millia. Nonne ideo, quia Deus suus vendidit « eos, et Dominus conclusit illos? » Alia editio : « Quomodo persequitur unus mille, et duo transmovebunt dena millia, nisi quia Dominus subdidit eos et Deus tradidit illos. » Quicunque magnitudinem Domini veraciter agnoscit, interitum suorum non ex infirmitate potentiæ ipsius, sed ex permissione justi judicii ejus evenire manifeste probabit : quia nullo modo fieri posset quod unus persequeretur mille, et duo fugarent decem millia, nisi Dominus eos tradidisset, et exosos projiciendo in manus inimicorum concluderet.

« Non est enim Deus noster ut Deus eorum. Et « inimici nostri sunt judices. » Alia editio : « Qui non est Deus noster, sicut dii illorum, inimici autem nostri insensati. » Dominus enim Deus noster verax A et justus est, idola autem gentium falsa et inutilia : quod etiam non solum nostri, verum etiam nostrorum approbant adversarii. Unde sæpius legitur, quod hostibus Judæi traditi pro infidelitate atque injustitia sua merito ab eis arguerentur, sicut Jeremias in lamentatione sua dicit : « Viderunt eam hostes et deriserunt sabbata ejus (*Thren.* I). » Hinc enim nobis summopere cavendum est, ne hostes nostri, qui per errorem idololatriæ merito dicuntur insensati, malis nostris provocati in blasphemiam contra Dominum erumpant, cum viderint nos superatos, et ad nihilum propter peccata nostra redactos : hoc virtuti suæ adscribant, quod non sua potentia, sed Domini judicio peractum est.

B « De vinea enim Sodomorum vinea eorum, et de « suburbanis Gomorrhæ, uva eorum, uva fellis, et « botrus amarissima. » Alia editio : « Ex vinea enim Sodomorum vitis eorum, et propago eorum ex Gomorrha, uva eorum, uva fellis, botrus amaritudinis ipsis. » Sæpe in Scripturis sacris synagoga vel Hierusalem Sodomæ et Gomorrhæ comparantur, quia sicut illæ male abusi sunt donis Dei; sic et istæ beneficiis Dei semper exstiterunt ingrati. Unde Isaias de illis ait : « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, quasi Gomorrha similes essemus, audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipe auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ, etc. (*Isa.* I). » Vinea enim Domini, sicut in eodem propheta scriptum est, domus C Israel fuit, quæ tunc in fellis amaritudinem conversa est, quando Christi mortem meditabatur. Unde et ipsi in cruce pendenti acetum felle mistum arundine porrexerunt, ut in hoc demonstraretur scientiam legis, quam ipsi rectam acceperunt, felle malitiæ suæ habere corruptam, cum datorem legis ad se venientem recipere noluerunt, insuper irritaverunt et cruci affixerunt. Aliter hac sententia et hæreticorum nequitia percutitur, qui licet gratiæ spiritualis a sanctis prædicatoribus purum dogma primitus acceperunt, ipsi tamen erroribus suis illud maculare non pertimescebant et ideo tota doctrina eorum in fellis, et in absinthii amaritudinem conversa est.

« Fel draconum vinum eorum, ut venenum aspi- « dum insanabile. » Alia editio : « Furor draconum D vinum eorum, et furor aspidum insanabilis. » Apte Judæorum perfidia et hæreticorum versutia draconum felli et aspidum veneno comparantur, quia sicut serpentes amaritudinem et venenum in se occultant, quatenus incautos improvise lædant, sic et Judæi atque hæretici malitiam suam dolo et fraudibus velant, quatenus imprudentes facilius exstinguant. Bene ergo dicitur : « Venenum aspidum insanabile, » quia hæreticorum error quemcunque invaserit, nisi se inde liberaverit, sine dubio in æternum perimit. Quod autem juxta aliam editionem legitur : « Furor draconum vinum eorum, et furor aspidum insanabilis, » ostendit non sanæ esse mentis, sed magis insanientis, vitam æternam spernere et mortem per-

Digitized by Google

petuam eligere, veritatem Evangelii relinquere, et errorum fallaciam potius sequi velle.

« Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in « thesauris meis? » Alia editio : « Nonne hæc omnia congregata sunt apud me et signata in thesauris meis? » Moris est humani generis, ut præterita cito obliviscatur, et quæ aliquando grandia videbantur, spatio temporis labente simul ipsa in recordatione deficiant; sed non ita est apud Deum, ubi præteritum et futurum non est, sed præsens, semper adest; quæ enim nobis prætereunt, ibi reservantur, nec oblivioni tradentur, inde necesse est, ut peccata quæ dudum commisimus, instanti pœnitentia delere coram oculis Dei studeamus, ne forte in futuro, quando tempus erit vindictæ reputet nobis debita nostra et dicat : Hæc fecisti et tacui, existimasti iniquitatem, quod essem tibi similis : arguam te et statuam illa contra faciem tuam.

« Mea est ultio et ego retribuam eis in tempore, « ut labatur pes eorum. » Alia editio : « In die ultionis reddam illis in tempore, quo lapsus fuerit pes eorum. » Certa sunt apud Dominum et tempus et modus vindictæ, quo peccatores, si se a peccatis non correxerint, torquendi sunt. Sed quia multæ miserationes ejus sunt, « præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei (*Psal.* XCIV). » Humiliemus in jejunio animas nostras, vigilemus et oremus, quoniam quis scit si convertatur et ignoscat Deus et relinquat post se benedictionem?

« Juxta est dies perditionis et adesse festinant « tempora. » Alia editio : « Quia prope est dies perditionis eorum, et hæc sunt parata vobis. » Juxta est unicuique dies ultionis, quia certus est, nec diuturnum esse potest, quod aliquando finitur. Quidquid enim temporale est, ut est hominis ætas, cursus præsentis vitæ, si ad æternitatem comparatur, parvum fit in ejus comparatione, ideo dicitur, « et adesse festinant tempora, » quia cito finiuntur temporalia, et parata iniquis adveniunt tormenta, juxta id, quod scriptum est : « Parata sunt derisoribus judicia (*Prov.* XIX). » Secundum historiam autem Israelitarum vindicta appropiavit, quia ex quo rebellare cœperunt, nunquam perfecte destiterunt, donec regnum, locum et vitæ prosperitatem pariter perdiderunt, nam postquam Prophetas occiderunt et Salvatorem crucifixerunt seditionibus antiquis nova superadjicientes, Romanos rebellando in se provocarunt; qui urbe destructa, templo succenso, populo fame et gladio necato, reliquias eorum per totum orbem disperserunt, ubi incertis sedibus vagando spe futurorum manent incerti.

« Judicabit Dominus populum suum et in servis « suis miserebitur. » Alia editio : « Quia judicabit Dominus populum suum et in servis suis consolabitur. » Judicabit ergo Dominus populum suum, quando electos suos a reprobis secernit, nam aliquando judicare pro discernere; aliquando vero pro damnare accipitur, unde in psalmo Propheta ad Dominum dixit : « Judica me, Deus, et discerne causam meam A de gente non sancta; ab homine iniquo et doloso eripe me (*Psal.* XLII). » Hic judicare pro discretione ponitur; alibi autem idem propheta ad Dominum clamans ait : « Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me (*Psal.* XXXIV). » Sed hic judicium pro damnatione positum est, judicabit enim Dominus sanctos suos, quando eos in die judicii segregans a peccatoribus collocabit in dextera sua : hostes autem eorum et persecutores a sinistris statuet, ut damnationem certam cum diabolo et angelis ejus in inferno recipiant, et ibunt hi in supplicium æternum : justi autem in vitam æternam, tuncque perfecte erit, quod in prædicto versu subsequitur : « Et in servis tuis miserebitur. » Quia in cœlesti beatitudine fidelibus suis misericordiam præsta- B bit æternam. Quod autem, juxta aliam editionem, Dominus legitur in servis suis consolari, metonymice dictum est, ubi per id quod efficitur, id quod efficit demonstratur, nam Dominus juxta naturam semper lætus et tranquillus est, nec unquam in tristitiæ mœrorem commutatur, de quo scriptum est : « Tu, Domine, qui cum tranquillitate judicas et disponis omnia (*Sap.* XII). » Bene ergo dicitur Dominus in servis suis consolari, qui electos suos post finem tristitiæ præsentis æterna pace et gaudio consolatur. Potest et iste versus ad Judæorum conversionem ultimam referri, quando miserante Deo populo suo post plenitudinem gentium ad fidem subintrantem omnis Israel per gratiam divinam ad eamdem fidem conversus salvus fiet.

C « Videbit quod infirmata sit manus, et clausi quoque « defecerunt, residuique consumpti sunt, et dicet, ubi « sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam, ex « quorum victimis comedebant adipes et bibebant « vinum libaminum, surgant et opitulentur vobis, et « in necessitate vos protegant. » Alia editio : « Vidit enim eos fatigatos et defectos in abductione et dissolutos, et dixit : Ubi sunt nunc dii illorum, in quibus confidebatis in ipsis, quorum adipem sacrificiorum edebatis, et bibebatis vinum libationis eorum, exsurgant nunc et juvent vos et fiant vobis protectores. » Videbit, inquit, quod infirmata sit manus cum videre fecerit quod opera malorum, quæ fecerunt in idololatria vel cæteris transgressionibus, infirma fuerint, quando ad nihilum redacta, nihil eis qui ea D fecerant profuerint, et clausi quoque defecerunt, hoc est, sive Judæi ad captivitatem ab inimicis ducti ibidem consumpti sunt, vel omnes impii in potestatem dæmonum traditi ultra non prævalebunt, residuique consumpti sunt, quia ab hac vita exeuntes, non habebunt ulterius potestatem atque facultatem aliquid faciendi. Idcirco in Ecclesiaste scriptum est : « Quodcunque potest manus tua facere instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas (*Eccle.* IX). » Quod autem subjungitur : « Ubi sunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam, » et reliqua, significat, quod idololatræ nullum adjutorium in die necessitatis habeant ab idolis, quibus antea cultum exhibue-

Digitized by Google

rant, sed nec mundi amatores, qui per avaritiam, quæ est idolorum servitus, pecunias in mundo congregaverant, qui deliciis atque luxuriæ deservierant, quorum Deus venter erat et gloria in confusionem ipsorum, qui terrena sapiebant, nihil secum conferunt de universo labore suo, quando pro peccatis suis ad tartarum a malignis spiritibus pertrahuntur.

« Videte, quia ego sum solus, et non sit alius « Deus præter me. » Alia editio : « Videte, videte, quoniam ego sum Deus, et non est præter me. » Hæc admonitio generaliter ad omnes homines pertinet, ut, relicta falsitate idolorum, atque deceptione hæreticorum, spretisque omnium iniquitatum sordibus, ad unum et solum Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum per fidem catholicam colendum convertantur, eumque ex toto corde, tota anima totaque virtute diligant et mandata ejus atque judicia diligenter conservent, quatenus regni cœlestis hæredes effici mereantur.

« Ego occidam et vivere faciam, percutiam et ego « sanabo, et non est, qui possit de manu mea eruere. » « Alia editio : « Ego occidam, vivere faciam, percutiam et ego sanabo, et non est qui eripiat de manibus meis. » Duobus modis omnipotens Deus vulnerat, quos reducere ad salutem curat, aliquando enim carnem percutit, et mentis duritia in suo pavore tabescit, vulnerando ergo ad salutem revocat, cum electos suos affligit exterius, et interius vivificat. Recte ergo per Moysen loquitur dicens : « Ego occidam et vivere faciam, percutiam et ego sanabo. » Occidit enim, ut vivificet ; percutit, ut sanet, quia idcirco foras verbera admovet, ut intus vulnera infligat, quia mentis nostræ duritiam suo desiderio percutit, sed percutiendo sanat, quia terroris sui jaculo transfixos ad sensum nos rectitudinis revocat, corda enim nostra male sana sunt, cum nullo Dei amore sauciantur, cum peregrinationis suæ ærumnam non sentiunt, cum erga infirmitatem proximi, nec quolibet minimo affectu languescunt, sed vulnerantur, quia amoris sui spiculis mentes Deus insensibiles percutit, moxque has sensibiles per ardorem charitatis reddit.

« Levabo ad cœlum manum meam et dicam : Vivo « ego in æternum. » Alia editio : « Quia tollam in cœlum manum meam, et jurabo per dexteram meam, et dicam : Vivo ego in æternum. » In cœlum manum levare, sive attollere est potentiam æternitatis suæ super omnia excellentem ostendere : jurare per dexteram, est, per filium, qui dextera Dei nominatur, promissa ipsius in conspectu hominum confirmare, et æternitatem suam credentibus sibi per Evangelium revelare, quia potestas ejus potestas est æterna, et regnum ejus, quod non corrumpetur.

« Si exacuero ut fulgur gladium meum, et arri« puerit judicium manus mea, reddam ultionem hosti« bus meis et qui oderunt me retribuam. » Alia editio : « Quia exacuam velut fulgur gladium et agit judicium manus mea et retribuam judicium inimicis et his qui oderunt me reddam. » Exacuere, ut fulgur gladium Dei, est, repentinam vindictam in hostibus exercere : et arripere judicium manui divinæ est, per justam retributionem singulis secundum propria merita reddere, sicut scriptum est : « Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera sua (*Rom.* II). » Et Apostolus : « Omnes, inquit, stabimus ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum, sive malum (*II Cor.* V). »

« Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius « meus manducabit carnes. » Sagitta enim hominem, dum non attendit, percutit, et dum illam non prævidet, subito interimit, sagittæ Domini sunt celeres vindictæ, quæ licet modo occultæ sint coram oculis iniquorum, subito tamen manifestabuntur in damnatione perditorum, et Dei gladius carnes comedit, quia in extremo judicio ejus sententia eos, qui carnaliter sapiunt, occidit.

« De cruore occisorum et de captivitate nudati ini« micorum capitis. » Alia editio : « A sanguine vulneratorum a captivitate, a capite principum inimicorum. » Ad hoc, quod dicit, de cruore inimicorum subauditur illud, quod præmissum est : « Inebriabo sagittas meas. » Inebriat Dominus sagittas suas in cruore occisorum, quod ultionem exercet in turba inimicorum, tuncque nudabuntur capita hostium, quando vana esse probabuntur consilia iniquarum mentium, quibus se impune posse peccare confidebant, possunt et capita iniquorum magistri accipi errantium, in quos ultio novissima redundat, quia qui fuerunt causa peccatorum, sentient damna in retributione pœnarum. Unde in Apocalypsi scriptum est : « Et exiit sanguis de lacu usque ad frenos equorum (*Apoc.* XIV), » hoc est, processit ultio tormentorum usque ad rectores populorum, usque enim ad diabolum et ejus angelos novissimo certamine exiit ultio sanguinis sanctorum effusi, sicut scriptum est : « In sanguine peccasti, et sanguis te persequetur (*Ezech.* XXXV). » Notandum vero quod hoc loco in editione LXX interpretum quædam sententiæ interponuntur, quæ in Hebraica veritate non inveniuntur hoc modo.

« Lætamini, cœli, simul cum eo, et adorent eum « omnes angeli Dei. Lætamini, gentes, simul eum po« pulo ejus et confirment eum omnes filii Dei. » Hæ tamen ex canonica auctoritate rite prolatæ esse probantur, quando ex his Paulus apostolus testimonia sumere reperitur. Nam in Epistola, quæ ad Hebræos ab ipso scripta est, nec non et in illa quæ ad Romanos similiter ab eo directa est, inde testimonia assumpsisse invenitur. Denique ad Hebræos scribens sic infert : « Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, Et adorent eum omnes angeli Dei (*Hebr.* I). » Ad Romanos vero de gentium convocatione et satietate Judaicæ plebis disputans sic ait : « Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum (*Rom.* XV). » Gentes autem

Digitized by Google

super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est : « Propter hoc confitebor tibi in gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo (*II Reg.* XXII). » Et iterum dicit : « Lætamini, gentes, cum plebe ejus (*Rom.* XV). » Unde verum constat, quod apostoli et illam editionem quæ ex Hebraica veritate est, nec non et illam quæ ex LXX interpretibus, æqualiter probaverunt, cum ex utraque testimonia sumpserunt. Illud vero, quod ad supernam creaturam quasi exhortando loquitur dicens, « Lætamini, cœli, simul cum eo, et adorent eum omnes angeli Dei, » ostendit, quod post adventum Salvatoris in carne et judicium ejus universale, quo justi coronantur et peccatores damnantur, cœlestes et terrestres creaturæ simul in laudem sui coadunantur Conditoris, et regem Christum super omnia regnantem atque dominantem adorant et venerantur in æternum. Quod autem sequitur : « Lætamini, gentes, simul cum populo ejus et confirmenteum omnes filii Dei, » idem est, quia Ecclesia Christi ex Judæis et gentibus congregata, postquam in resurrectione carnis immortalitatem et incorruptionem veraciter percipit, hoc confirmat facto, quod ante testificabatur verbo. Sequitur.

« Laudate, gentes, populum ejus, quia sanguinem « servorum suorum ulciscetur et vindictam retri- « buet in hostes eorum. » Alia editio : « Quia sanguis filiorum ejus defenditur, et defendit, et retribuam judicium inimicis, et his qui oderunt eum reddet. » Laudabunt omnes gentes populum Dei, quando viderunt gloriosam apparere in conspectu Conditoris sui Ecclesiam Dei, et persecutores ejus pro effuso a se sanguine martyrum, et omnibus malis quæ in hac vita gesserunt, per malignorum spirituum ministerium retrudi in gehennam ignis æterni. Tunc enim et boni bonum quod vident laudabunt, quia præmium placet, quod habebunt, et impii in pœnis constituti, licet sero, pro malo quod gesserunt pœnitebunt, cum viderint gloriam sanctorum clarescere, quam non speraverunt : « Gementes enim in angustiis constituti dicent intra se pœnitentiam agentes : Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii, nos insensati vitam illorum æstimabamus infamiam et finem illorum sine honore. Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est? (*Sap.* V.)

« Et propitius erit Dominus terræ populi sui. » Alia editio : « Et emundabit terram populi sui. » Emundabit ergo Dominus terram populi sui, sive propitius erit terræ populi sui, quando Ecclesiam suam, quam hactenus regebat in adversis per ministros suos ab omnibus scandalis erutam atque purgatam perpetua pace fruentem vivere facit in prosperis regni cœlestis, ubi sine fine gaudebit, et laudes Domino simul cum sanctis in æternum cantabit.

INCIPIT

HYMNUS TRIUM PUERORUM.

Hymnus trium puerorum, quem Danielis prophetæ liber continet, in Hebræo non habetur, sicut interpres noster beatus, videlicet Hieronymus, testatur, sed ex LXX, vel aliorum interpretum editione additus est, ubi et ante narratur quod angelus Domini descenderit cum Azaria et sociis ejus in fornacem, et excusserit flammam ignis de fornace, et fecerit medium fornacis quasi ventum roris flantem, et non tetigerit eos omnino ignis, neque contristaverit, nec quidquam molestiæ intulerit. Potest et hic angelus Domini, qui descendit cum tribus pueris in caminum ignis ardentis, et eos protexit ab ardore flammarum, typice significare Dominum Salvatorem, quem propheta magni consilii angelum nominavit, eo quod suæ et paternæ annuntiator est voluntatis. Hic quoque descendit in hunc mundum, ubi rex confusionis, id est, diabolus fornacem, hoc est, corda iniquorum igne cupiditatis atque luxuriæ inflammat, ut flatu Spiritus sancti per gratiam suam electos suos ab hoc igne servet illæsos, quatenus ejus laudibus intenti pro ereptione sua gratias referant liberatori suo. De quo subditur :

« Tunc hi tres, quasi ex uno ore laudabant et « glorificabant et benedicebant Dominum in fornace « dicentes. » Isti ergo tres viri, qui quasi ex uno ore laudabant et glorificabant et benedicebant Dominum, significant electos Dei, qui in sanctæ Trinitatis fide solidati unum Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum adorant, colunt et prædicant, laudant quidem eum recta credulitate : glorificant vera confessione, et benedicunt bona operatione. Unde etiam concorditer dicunt :

« Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, « et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in sæ- « cula. » Deus ergo nostrorum Dominus est Christus cum Patre et Spiritu sancto unus et omnipotens Deus, quem coluerunt patriarchæ, laudaverunt prophetæ, prædicaverunt apostoli, omnis Christi Ecclesia confitetur. Hic semper erat, est, et erit laudabilis ac gloriosus et super omnes creaturas exaltatus regnat in sæcula sæculorum.

« Benedicite omnia opera Domini Dominum. » Generali laudatione præmissa, quod omnis creatura debeat laudare Dominum, in consequentibus per partes singulas hortatur angelos et cœlos, aquas atque virtutes, solem et lunam, imbrem et rorem, Spiritum, ignem et æstatem, frigus et æstum et cætera, quæ longum est texere, ita ut fontes quoque et maria ac flumina, cœtos et volucres bestiasque et pecora ad laudem Domini provocet, et filios hominum, et post omne horum genus Israelem, et de ipso Israel sacerdotes et servos Domini, Spiritus animasque justorum, sanctos et humiles corde, et ad extremum Ananiam, Azariam et Misaelem, qui ad laudes Domini præsenti beneficio provocantur. Omnis autem creatura, non voce, sed opere laudat Dominum, quia ex creaturis consequenter creator intelligitur et in singulis operibus atque effectibus Dei magnificentia demonstratur. Sed quia David in Psalterio pari modo omnia opera Domini, hoc est, omnes crea-

Digitized by Google

turas, ad benedicendum et ad laudandum Deum provocat, restat ut sicut historicus ordo iste benedictionis atque laudabilis exstat, ita et mysterii ejus sensus spiritalis singulis speciebus convenienter aptetur. Dicit enim David juxta finem centesimi et secundi Psalmi, quem ad benedicendum Deum composuit, ita : « Benedicite Dominum omnia opera ejus in omni loco dominationis ejus. » Admonet ergo ipsa opera Domini auctorem suum debere laudare, ut terrena cœlestiaque concluderet, nam cum totum opus ejus sit, omnia debent suum benedicere Creatorem, et in omni loco dominationis ejus, quia sicut nulla creatura a laudibus Domini jubetur excipi, ita nec locus quisquam relinquitur, qui tali munere segregetur. Nam cum dicitur : « in omni loco dominationis ejus, » nihil excipitur, quia ubique dominatur, significans forte Ecclesiam catholicam, quæ per totum mundum erat, Domino præstante, creditura; ipsa enim ubique Dominum benedicit, ubique collaudat et hymnidica exsultatione concelebrat. Quod autem in benedictione trium puerorum singulis versibus subjungitur,

« Laudate et superexaltate eum in sæcula, » hoc ostendit quod ita laudis ejus præconium debet pronuntiari, ut ipse super omnia exaltatus in sæcula regnans prædicetur.

« Benedicite, cœli, Dominum, benedicite, angeli « Domini, Dominum. » Cœli enim secundum historiam benedicunt Dominum, quia in sua positione laudabilem et benedictum ostendunt creatorem. Quamvis ergo in Genesi unum cœlum fabricatum esse legerimus, tamen eos plurali numero et Paulus apostolus appellavit, qui refert in tertium se cœlum raptum, ibique talia cognovisse, quæ homini non licebat effari, et hic plurali numero nuncupantur, quod tali forsitan ratione concordat : dicimus unum esse palatium, quod multis membris multisque spatiis ambiatur, ita forsitan et cœli partes dicimus cœlos, dum complexio atque sinus ejus unus esse monstretur, cœli vero substantia quamvis pura, lucida atque egregia esse putanda sit, dignaque talibus ac tantis habitatoribus suis, tamen animal eam esse non comperi, et temerarium est ex opinione hominum dicere, quod cœlestium litterarum non tradit auctoritas : nam et cœlorum nomine in scripturis Apostolos et Prophetas invenimus denotatos, qui de adventu Domini disserendo orbem terrarum sanctis admonitionibus impleverunt, in quibus Deus tanquam in cœlis habitat, qui cuncta late complectitur, non ex parte, sed tota eos plenitudine suæ majestatis. Pars enim in Deo non est, sed ubique totus et plenus est.

« Benedicite, aquæ, quæ super cœlos sunt, Domi« num. » Aquas vero super cœlos esse Genesis refert; ait enim : « Divisitque aquas quæ erant super firmamentum (*Gen.* I), » quod utrumque nimiæ laudis designat arcanum, ut et cœlorum tenuitas firma consistat et aquæ supra ipsum positæ cum sint graviores, nisi quando fuerint jussæ, non defluant. Aquæ vero quæ super cœlos sunt, ut arbitror istas quæ defluunt esse non dubium est, testante libro Genesis, quod cataractæ cœli apertæ sint, et facta sit pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus, etc., quod non adeo quærere necessarium est, quando aut per se, aut per substantias rationales laudare Dominum omnia commonentur.

« Benedicite, omnes virtutes Domini, Dominum. » De virtutibus Dei dicitur in psalmo : « Benedicite Dominum, omnes virtutes ejus et ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus (*Psal.* CII). » Quoniam illa sublimis spiritualisque substantia beatorum Angelorum, cum Dominum contuetur, ibi veritatem ejus voluntatis agnoscit, nec opus est loqui quibus se divinitas propitiata patefacit; non enim Deus, verberato aere loquitur, sed inspiramine suo voluntates eorum ad suum velle convertit.

« Benedicite, sol et luna, Dominum. Benedicite, « stellæ cœli, Dominum. » De quo et Psalmista dicit : « Laudate eum, sol et luna, laudate eum, omnes stellæ et lumen (*Psal.* CXLVIII). » Sol, luna, stellæ, ut quidam dicunt, etsi aliquo Spiritu proprio regantur, tamen quia carnalibus oculis patescunt inferiores esse virtutibus, quæ non videntur, non absurda æstimatione colligitur, quamvis cœli speciem decoro lumine ornare videantur, nam illa, ad quæ pervenit noster aspectus, licet sint lucida atque subtilia, tamen corpora esse manifestum est, et necesse est ut illis cedant quæ invisibili virtute subsistunt; quapropter solem, lunam et stellas, sive per propriam rationem, sive per alias sensibiles et judicabiles substantias, hortatur propheta laudare Dominum, quia creatoris beneficio existere meruerunt. Considerata enim tot lumina ingentes admirationes poterunt commovere, quando mortales oculos videre faciunt et ipsa in tam splendida claritate consistunt. His rebus lumen generaliter adjunctum est, ut cætera lumen in se habentia, quæ dinumerata non sunt, tali complexione ad laudes Dominicas incitaret.

« Benedicite, imber et ros, Dominum. » In imbre enim et rore dona cœlestia et præcepta ac mandata Domini exprimuntur, quæ terram, hoc est, homines irrigant et excitant ad proferendum germen bonorum operum. Dignum est enim, ut quod dono cœlesti salubriter hominibus offertur, ad benedictionem et laudem Domini proficiat.

« Benedicite, omnes spiritus, Dominum. » Hoc est quod in Psalterio novissime scriptum : « Omnis spiritu laudet Dominum (*Psal.* CL), » non utique caro et sanguis, non ambitus, non illecebræ sæculares, sed illud quod est in natura sublimius, hoc laudet Dominum, quod cœlestia utique sapit, quando æterna præmia concupiscit; quapropter universo operi brevem perfectamque sententiam dedit, ut Dominum Salvatorem spiritaliter debeant cuncta laudare.

« Benedicite, ignis et æstas, Dominum. » Ignis aliquando charitatem significat, aliquando tribulationem, sic et æstas aliquando ardorem dilectionis et viriditatem boni operis, aliquando æstum persecu-

Digitized by Google

tionis exprimit. Sed hæc benedicunt Dominum, quando homines faciunt benedicere Creatorem suum, quia sancti viri et in prosperis et in adversis semper laudant Dominum. Unde Apostolus exhortatur: « ut in omnibus glorificetur Deus per Jesum Christum. » Similiter quatuor versus sequentes intelligi possunt, ubi dicitur:

« Benedicite, noctes et dies, Dominum. Benedi- « cite, lux et tenebræ, Dominum. Benedicite, fri- « gus et æstas, Dominum. Benedicite, rores et pruina, Dominum. » Per contrarias enim sibimet res laudem Domini fieri hortatur et ad benedicendum provocat. Nam dies et lux et æstas et rores prosperitatem; et econtra nox et tenebræ frigus et pruina tribulationem significant. Non solum enim elementa mundi et tempora ad laudandum Deum habilia sunt, sed etiam ipsi homines, qui sub elementis mundi constituti temporaliter vivunt ad benedicendum Deum, debitores fiunt, quia creator omnium, sic temperat electis suis præsentia, ut ipsi perpetualiter præconia non taceant divina, unde Paulus ait (*II Cor.* XII): « Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. » Et item: (*II Cor.* IV): « Id, inquit, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitatem æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, » etc.

« Benedicite, gelu et frigus, Dominum. Benedicite, glacies et nives, Dominum. « In gelu et frigore, glacie et nive præsentis temporis adversitas, vel duritia mentis humanæ significatur, sed sæpe hæc Dominus in laudem suam convertit, dum homines infidelitatis algore torpentes per fidei calorem et bonorum operum studium ad servitium Christi convertuntur, unde scriptum est in Salomone: « Sicut in sereno glacies, ita solventur peccata tua (*Eccli.* III). » Et in psalmo: « Ignis, inquit, grando, nix, glacies, spiritus procellarum qui faciunt verbum ejus (*Psal.* CXLVIII), » quibus rebus per allegoriam homines significat, qui in hoc sæculo ex turbulentis et pessimis ad devotionis tranquillissima studia pervenerunt. Quomodo isti faciunt verbum ejus, nisi quia ex tempestuosis et improbis ad confessionis ipsius gratiam venire meruerunt?

« Benedicite, fulgura et nubes, Dominum. » Quid ergo per nubes, nisi Evangelii prædicatores, et quid per fulgura, nisi coruscationes miraculorum nobis demonstrantur? de quibus per Psalmistam dicitur: « Fulgura multiplicabis et conturbabis eos (*Psal.* XVII). » Per has ergo nubes lumine suo desuper Dominus fulgurat, quia per prædicatores sanctos insensibilitatis nostræ tenebras etiam miraculis illustrat. Cumque nubes istæ verbis pluunt, cumque miraculis vim coruscæ lucis aperiunt, extremos etiam mundi terminos in divinum amorem convertunt.

« Benedicat terra Dominum, lauda et superexalta eum in sæcula. » Hic ergo terra sanctam Ecclesiam significat, de qua in Psalmo scriptum est: « Domini A est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in ea (*Psal.* XXIII), » et quamvis terram in bono ac si in malo poni sæpe noverimus, hic tamen Ecclesiam debemus advertere, quæ Domino specialiter pura mente famulatur. Nam licet omnia abysso sint condita, tamen illud ipsius esse proprie dicimus, quod eum veneratur auctorem; et ideo Ecclesia non immerito fructifera bonorum terra suscipitur, quia nutrit et continet populum Christianum. Hæc ergo terra semper laudat Deum et superexaltat eum in sæcula, quia non solum in præsenti sæculo, sed etiam in futuro eum semper laudat, et super omnia dominantem prædicat.

« Benedicite, montes et colles, Dominum. Bene- « dicite, universa germinantia in terra, Dominum. B « Laudate et superexaltate eum in sæcula. » Hinc etiam Psalmista, ubi omnes creaturas ad laudandum Dominum provocat, inter cætera ait: « Montes et omnes colles, ligna fructifera et omnes cedri (*Psal.* CXLVIII). » Hic montes significat homines præ tumida potestate sublimes, colles mediocres æqualitate tractantes, ligna fructifera, qui ex duritia peccatorum conversi, fructus bonorum operum intulere dulcissimos. Cedri quoque absolute superbos significant, et elatos, sed quia mandat, quod universa terræ germinantia Dominum laudent, ostendit quod ex omnibus Christi gratia sibi electos parat, qui in illa ultima resurrectione Angelorum possint cœtibus aggregari, et in laudibus Conditoris sui in æternum associari.

« Benedicite, fontes, Dominum. » Fons quoque C in Scripturis aut Dominum Christum mystice significat, aut gratiam Spiritus sancti, aut baptismi lavacrum, aut originem virtutum. Nam Christum significat, in eo, quod Genesi legitur, fontem esse in medio paradisi. Unde quatuor flumina procedebant, hoc est, quatuor Evangelia de fonte salutaris procedentia ad irrigationem generis humani. Item fons Spiritus sancti gratiam designat in eo, quod Dominus dicit in Evangelio: « Qui biberit aquam quam ego do, fiet in eo fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV). » Baptismi vero sacramentum ostendit illud Zachariæ, quo ait: « In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatæ (*Zach.* XII, D nam hic fons de domo Dei egrediens fertur ad Ecclesiam, et ad scientiam Scripturarum, ut omnes renascamur in Christo et non aqua baptismatis nostra nobis peccata donentur. Sed hic fontes possumus testimonia sacrarum Scripturarum per ora prædicatorum prolata intelligere. Unde in psalmo scriptum est: « Apparuerunt fontes aquarum (*Psal.* XVII), » id est, veritas prædicantium, qui fontes æternæ vitæ sanctitatis ore fuderunt, ipso enim Domino veniente patuit, quod obscuritas divini tegebat eloquii.

« Benedicite, maria et flumina, Dominum. » Quando dicit maria, generaliter omnes aquarum collectiones, sive salsæ sint, sive dulces simul comprehendit juxta illud, quod scriptum est: « Congregationes

Digitized by Google

aquarum appellavit maria (*Gen.* I.), » a quibus flumina procedunt, ut est illud : « Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat, ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant (*Eccle.* I), » ubi metaphorice aquæ nomine limus terræ et in fluminibus homines intelliguntur, qui in terram, unde sumpti sunt revertuntur; sed terra eorum multitudine non impletur. Benedicere ergo jubentur homines Dominum, hoc est, auctorem suum cognoscere, illumque fide et bonis operibus colere, quia ab ipso creati sunt, et ad ejus judicium omnes revertuntur, « quatenus unusquisque propria corporis recipiat, prout gessit, sive bonum, sive malum. » (*II Cor.* V).

« Benedicite, ceti et omnia quæ moventur in aquis, Dominum : laudate et superexaltate eum in sæcula. » B In cetis ergo, qui pro magnitudine corporis sui montibus comparantur, et cæteris animantibus, quæ in mari versantur præeminent, potentes istius mundi exprimi possunt. Hi cum cæteris hominibus, qui hoc sæculo versantur ad laudandum Creatorem suum provocantur, cujus munere omnes subsistunt, et omnes nutriuntur, quia dignum est ut magni et parvi omnipotentem Conditorem suum laudent et in sæculum benedicant.

« Benedicite, volucres cœli, Dominum. » In volucribus ergo philosophi accipi possunt, qui cogitationum suarum velocitate naturas rerum et cursus siderum discutere censuerunt; sive etiam altiori sensu angeli volucrum nomine designati intelligi possunt, qui ad custodiam hominum in mundum a Deo mittuntur, C ut eorum curam gerant, et contra spiritales nequitias illos defendant, quia æquum est ut omnes prælati simul et subditi omnium dominatorem benedicant, « qui fecit cœlum et terram, maria et omnia quæ in eis sunt. »

« Benedicite, omnes bestiæ et pecora, Dominum : laudate et superexaltate eum in sæcula. » In bestiis crudeles et indomiti homines significantur et in pecoribus omne vulgus et infinitæ plebes. Nam tales Propheta hortatur, ut conversi a crudelitate et superbia ad humilitatem et innocentiam revertantur, ita ut corde, ore et opere benedicant factorem suum, a quo perfecti sunt cœli et terra et omnis ornatus eorum.

« Benedicite, filii hominum, Dominum : benedicat D Israel Dominum. » In filiis quidem hominum rationabiliter viventes, et in Israel divinæ contemplationi vacantes designantur. Hos ergo ad benedicendum Deum invitat, quia valde dignum et justum est ut qui super cæteras creaturas terræ, hoc ab opificis sui largitate perceperunt, ut eum veraciter agnoscentes recta fide ac bonis operibus colere et mundo corde atque pura intentione contemplari atque diligere possint, nunquam a laudibus ejus cessent, sed in æternum benedicentes prædicent.

« Benedicite, sacerdotes Domini, Dominum : benedicite, servi Domini, Dominum. » In sacerdotibus magistros Ecclesiæ exprimit, in servis vero subA jectorum plebem. Omnes ergo adhortatur, ut prælati simul et subditi Dominum Christum, cujus munere sunt sanctificati atque mundati semper benedicant simul cum Patre et Spiritu sancto regnantem in sæcula sæculorum.

« Benedicite, spiritus et animæ justorum, Dominum. » In spiritus ergo et animæ vocabulo totam conditionem interioris hominis comprehendit, qui spiritu sapit et anima vivit. Mandat ergo Propheta ut justorum spiritus et animæ benedicant Dominum, quia illi solummodo veraciter benedicunt Dominum, qui justitiæ et veritatis regulam servant, horumque benedictiones divinitas gratanter accipit, qui recta fide, vera confessione ac bona operatione juste vivendo illum collaudant.

« Benedicite, sancti et humiles corde, Dominum. » Humilitatem cordis habere et præsens versiculus docet, et illud, quod in Evangelio legitur : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI). » Cordis autem illa est humilitas, quæ in alio loco paupertas spiritus appellatur, ut non erigamur superbia, nec ficta humilitate gloriam terrenam quæramus, sed toto corde inclinemur

« Benedicite, Anania, Azaria et Misael, Dominum : « hymnum dicite, laudate et superexaltate eum in « sæcula. Quia eruit nos de inferno, et salvos fecit « de manu mortis et liberavit de medio ardentis « flammæ, et de medio ignis eruit nos. » Novissime vero tres pueri semetipsos ad benedicendum Dominum exhortantur, et merito ordinem creaturæ ob liberationem eorum commutavit, ita ut nec corpora eorum ignis lædere, nec vestimenta flamma comburere posset, cui hymnus est debitus, et laudatio conveniens, quia ipse semper laudabilis et super omnia exaltatus manet in sæcula sæculorum. Post has quoque benedictiones additum est a sanctis Patribus id, quod modo canitur in Ecclesia, hoc est sanctæ Trinitatis laus et confessio juxta hunc modum.

« Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spi« ritu, laudemus et superexaltemus eum in sæcula. » Quia unus et solus Deus est, Pater et Filius et Spiritus sanctus trinus in personis et unus in substantia, qui creavit cœlum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt, cujus laudem prædicare et nomen ejus super omnia fas est confiteri omnibus qui illum credunt, et ab eo vitam æternam accipere volunt ejusque bonitate frui desiderant in regno cœlesti. Hoc autem quod sequitur in hoc Cantico ante prælatum est in libro prophetico, ubi priusquam provocarentur opera Domini ad benedicendum Dominum, ita scriptum legitur : « Benedictus est in firmamento cœli, et laudabilis et gloriosus in sæcula. » Firmamentum enim cœli aut angelicas potestates significat, in quibus, Dominus perpetualiter regnat, vel scientiam sanctarum Scripturarum, ubi totius boni et veritatis solidamentum est, et majestas ac bonitas Creatoris assidue laudatur et prædicatur. Hinc quoque

Digitized by Google

scriptum est : Cœlum plicabitur, sicut liber involutus, et alibi ; firmamentum est Dominus timentibus eum et testamentum ipsius, ut manifestetur illis : quicunque enim hic veraciter Deum diligunt et mandata ejus custodire appetunt, laudibusque Dei non solum ore, sed etiam corde assidue vacare student, ex Scripturis sacris consolationem congruam accipientes de die in diem proficient, ac sic sine ulla dubitatione per gratiam Dei post finem hujus vitæ hoc, quod diu hic quæsierant in regno cœlesti sine fine percipient.

INCIPIT

CANTICUM ZACHARIÆ

Patris B. Joannis Baptistæ.

Igitur Zacharias, pater beati Joannis Baptistæ, licet propter dubietatem mentis diu fuisset expers eloquio, munere tamen non est privatus divino : sed edito puero, cujus nomen tacendo conscripserat, gratia sancti Spiritus illustratus, quid futurum esset in Dei populo prophetando pronuntiavit dicens :

« Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit « et fecit redemptionem plebis suæ. » Quanta superni muneris est largitas, si prompta ad accipiendum nostræ fidei sit pietas, perpendere possumus. Ecce loquela, quæ sola est ablata diffidenti, cum spiritu prophetiæ est restituta credenti. Visitavit autem Dominus plebem suam, quasi longa infirmitate tabescentem, et quasi venditam sub peccato, unici filii sui sanguine redemit, quod quia beatus Zacharias proxime faciendum cognoverat, prophetico more quasi jam factum narrat. Et notandum, quod visitasse et redemisse plebem suam dicitur. Non quia videlicet ad hanc veniens suam invenit, sed quia visitando suam fecit.

« Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui. » Cornu salutis firmam celsitudinem salutis dicit. Ossa siquidem omnia carne involuta sunt. Cornu excedit carnem, et ideo cornu salutis regnum Salvatoris Christi vocatur, quo mundo spiritalis, et quæ carnis gaudia superet, altitudo nuntiatur : in cujus figuram David vel Salomon cornu olei sunt in regni gloriam consecrati.

« Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo « sunt prophetarum ejus. » A sæculo, inquit, quia ex tota Veteris Instrumenti Scriptura prophetia de Christo processit, nec soli Jeremias, Daniel, et Isaias cæterique tales, qui et prophetæ specialiter appellati, et ejus adventu manifeste sunt locuti ; verum ipse pater Adam, Abel et Enoch, et cæteri Patrum factis quique suis ejus dispensationi testimonium reddunt. Unde Dominus ipse Judæorum duritiam redarguens ait : « Si crederetis Moysi, crederetis forsitan mihi : de enim ille scripsit (*Joan.* v). »

« Salutem ex inimicis nostris et de manu omnium, « qui oderunt nos. » Jungendum est a superiori versiculo, Erexit nobis, id est, erexit nobis salutem ex inimicis nostris, cum enim primo breviter præmisisset : « et erexit cornu salutis nobis, » continuo quasi apertius quid erexit explanans. « Salutem, inquit, ex inimicis nostris et de manu omnium qui oderunt nos. » Omnes autem qui oderunt nos, vel homines perversos, vel immundos spiritus significat, de quorum manu et interim spe salvi facti sumus, et in futuro reipsa salvandi. Quod autem in quibusdam Ecclesiis canitur, « et liberavit nos ab inimicis nostris, et de manu omnium qui nos oderunt, » idem est, quia tunc plene salutem ex inimicis nostris accipiemus, quando de eorum insidiis et seductionibus perfecte liberati fuerimus, ut misericordiam quam, per gratiam Dei et Patrum merita, hic ex parte accipimus, in futura vita pleniter possideamus. Unde et sequitur :

« Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti, jusjurandum, « quod juravit ad Abraham patrem nostrum datu« rum se nobis, ut sine timore de manibus inimico« rum nostrorum liberati serviamus illi. » Dixerat Dominum juxta eloquia prophetarum in domo David nasciturum, dicit eumdem ad explendum testamentum, quod Abrahæ disposuit, nos esse liberaturum, quia videlicet his præcipue patriarchis de suo semine vel congregatio gentium, vel Christi est incarnatio promissa, quod Matthæus quoque breviter intimare voluit, qui Evangelii sui principium hoc modo cæpit : « Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. » Ubi notandum, quod apud utrumque evangelistam David præfertur Abrahæ, quia et si temporis ordine posterior, promissionis tamen est munere major. Abrahæ namque qui adhuc in præputio positus propria dereliquit, Deum cognovit, fidei testimonium meruit, fides tantum gentium et sacrosanctus Ecclesiæ cœtus est promissus, dicente ad eum Domino, « atque in te benedicentur universæ cognationes terræ ; » David autem oraculo sublimiore, quod ex ipso Christus secundum carnem nasciturus esset audivit : « Cumque impleveris, inquit, dies tuos, ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis et stabiliam regnum ejus. Ipse ædificabit mihi domum, et firmabo solium ejus usque in æternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium (*I Par.* XVII). »

« In sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris. » Aperte et breviter quomodo sit Domino serviendum designat, videlicet et in sanctitate ac justitia, et coram ipso, et omnibus diebus. Nam qui vel ante mortem ab ejus servitio discedit, immunditia qualibet, sive injustitia, fidei suæ sinceritatem commaculat, vel coram homnibus tantum, et non etiam coram Domino sanctus perdurare contendit, et justus, necdum perfecte de manu spiritualium inimicorum liberatus Domino servit, sed exemplo veterum Samaritanorum diis gentium pariter et Domino servire conatur.

« Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis. Præ« ibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus. » Pulchre cum de Domino loqueretur ad Prophetam

Digitized by Google

repente sua verba convertit, ut hoc quoque beneficium esse Domini designaretur. Verum quæritur quomodo octo dierum alloquatur infantem? sed qua ratione vocem patris non audierit natus, qui salutationem Mariæ adhuc utero clausus audivit? nisi forte putandus est Zacharias propter eos potius, qui aderant, instruendos futura sui filii munera, quæ dudum per angelum didicerat, mox, ut loqui potuit, prædicare voluisse. Audiant sane Ariani et erubescant, audiant mansueti et lætentur, quod Christum Dominum, quem Joannes prophetando præibat, altissimum vocat, juxta quod Psalmista Deum hominemque perfectum in una persona collaudans ait: « Mater Sion dicet: homo et homo factus in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (*Psal.* LXXXVI), » eum factum qui fundavit eumdem hominem quem altissimum nuncupat.

« Ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum. » Quasi Jesus idem ac Salvatoris nomen exponere ac diligentius commendare desiderans, salutis mentionem frequentat, cum cornu salutis erigendum, salutem ex inimicis futuram, scientiam salutis plebi dandam commemorat; sed ne temporalem carnalemque promitti salutem putares, « in remissionem, inquit, peccatorum eorum. » Verum Judæi non ideo Jesum Christum suscipere, sed Antichristum malunt exspectare; quia non intus, sed foris salvari, non a peccati dominio, sed ab humanæ servitutis cupiunt jugo liberari.

« Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus « visitavit nos oriens ex alto. » Et propheta de Domino loquens: « Ecce vir, inquit, oriens nomen ejus, (*Zach.* VI), » qui ideo recte oriens vocatur, quia nobis ortum veræ lucis aperiens filios noctis et tenebrarum lucis effecit filios, juxta quod beatus Zacharias consequenter exponit dicens:

« Illuminare his qui in tenebris et umbra mortis « sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. » Sedentibus quippe in tenebris et umbra mortis Domino illuminare, est his qui in peccatis et ignorantiæ cæcitate vixerint agnitionis amorisque sui radios infundere, qualibus dicit Apostolus (*Ephes.* V): « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. » Pedes autem nostri in viam pacis diriguntur, cum actionum nostrarum iter per omnia Redemptoris illuminatorisque nostri gratiæ concordat; congruo sane ordine primo illuminanda corda et post opera dirigenda testatur, quia nemo, quam non ante didicerit pacem valet operari. Unde recte Psalmista. « Inquire, inquit, pacem et sequere eam (*Psal.* XXXIII), » quod est dicere, illuminare, qui in tenebris sedebas, et viam pacis, a qua diutius exsulabas, ingredere.

INCIPIT

CANTICUM MARIÆ

Matris Domini.

Beatissima virgo Maria postquam se cœlesti partu gravidam cognovit, nequaquam se de donis cœlestibus, quasi a se hæc essent, extulit; sed ut magis magisque donis esset apta divinis, in custodiam humilitatis mentis suæ gressum fixit, memor Scripturæ præcipientis: « Quanto magnus es, humilia te in omnibus (*Eccli.* III), moxque ut angelus qui divinum ei partum nuntiabat ad cœlestia rediit, surgit, ad montana conscendit, gestansque in utero Deum, servorum Dei habitacula petiit, ac requirit alloquia, in cujus adventu Elisabeth salutationem matris Domini audiens, mox de ea prophetavit et matrem Domini ad se venisse testata est, quam benedictam inter mulieres esse et benedictum fructum ventris ejus pronuntiavit, insuper et ad vocem ejus narravit infantem in utero suo exsultasse Spiritu sancto repletum. Hæc quoque audiens Maria, non se jactanter inani gloria extulit, sed magis per humilitatem tota intentione animi gratias Deo retulit dicens:

« Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. » Tanto, inquit, me Dominus, tamque inaudito munere sublimavit, quod non ullo linguæ officio explicari, sed ipso vix intimo pectoris affectu valeat comprehendi, et ideo totas animæ vires in agendis gratiarum laudibus offero, totum in contemplanda magnitudine ejus cui non est finis quidquid vivo, sentio, discerno, gratulanter impendo, quia et ejusdem Jesu, id est, salutaris, spiritus meus æterna divinitate lætatur, cujus me caro temporali conceptione lætatur; cui simile est illud Psalmistæ. « Anima autem mea exsultabit in Domino, et delectabitur super salutare ejus (*Psal.* XXXIV), » et ipse enim Patrem Filiumque pari venerabatur amore.

« Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce « enim ex hoc beatam me dicent omnes generatio- « nes. » Cujus humilitas respicitur recte beata ab omnibus cognominanda gratulatur, sicut econtrario cujus superbia despecta condemnatur, Ævæ, id est, væ sive calamitatis, nomine multata tabescit. Decebat enim ut sicut per superbiam primæ nostræ parentis mors in mundum intravit, ita per humilitatem Mariæ vitæ introitus panderetur.

« Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum « nomen ejus. » Ad initium carminis respicit, ubi dictum est: « Magnificat anima mea Dominum: » sola quippe anima illa, cui Dominus magna facere dignatur, dignis eum præconiis magnificare, et ad consortes ejusdem voti ac propositi potest cohortando dicere: « Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in invicem; » nam quicunque nostrum quem cognovit, quantum in se est, magnificare et nomen ejus sanctificare contempserit, minimus vocabitur in regno cœlorum. Sanctum nomen ejus vocatur, qui singularis culmine potentiæ transcendit omnem creaturam atque ab universis quæ fecit longe segregatur, quod Græca locutione melius intelligitur, in qua ipsum verbum, quod dicitur ἅγιον, quasi extra terram esse significat, cujus etiam nos imitatione pro modulo nostro segregari præcipimur ab omnibus qui non sunt sancti nec Deo dedicati,

Digitized by Google

dicente Domino : « Sancti estote, quia et ego sanctus sum (*I Pet.* I) .Quicunque enim se consecraverit, merito extra terram et extra mundum videbitur. Potest enim et ipse dicere, super terram ambulantes conversationem in cœlis habemus.

« Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. » A specialibus se donis ad generalia Dei judicia convertens, totius humani generis statum describit, et quid superbi, quid humiles mereantur, quid filii Adæ per liberum arbitrium, quid filii Dei sint per gratiam, alternis versibus explicat. Non ergo, inquit, soli mihi fecit magna, qui potens est, sed et in omni gente et progenie, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi.

« Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. » In brachio suo, in ipso Dei Filio significat, non quod Deus Pater figura determinetur carnis humanæ, eique Filius tanquam membrum corporis hæreat; sed quia omnia per ipsum facta sunt, ideo brachium Domini dictus est. Sicut enim tuum brachium per quod operaris, sic Dei brachium dictum est ejus Verbum, quia per Verbum operatus est mundum; cur enim homo brachium, ut aliquid operetur extendit? quia non continuo fit quod dixerit; si autem tanta potestate prævaleret, ut sine ullo motu corporis sui quod diceret fieret, brachium ejus verbum ejus esset. Dum ergo audivimus brachium Dei Patris esse Deum Filium, non nobis obstrepat consuetudo carnalis, sed quantum illo donante possumus, Dei virtutem et sapientiam cogitemus, per quam facta sunt omnia.

« Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles, esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes. » In brachio ergo suo Dominus per omnes sæculi generationes potentes, hoc est, superbos de sede jactantiæ suæ deponit, et exaltat humiles, qui non sua potentia, sed in Dei bonitate confidunt, « quia omnis qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur (*Matth.* XXIII). » Similiter et esurientes qui esuriunt et sitiunt justitiam æternis bonis implet, et divites avaros et parcos inanes bonis operibus perire sinit.

« Suscepit Israel puerum suum memorari misericordiæ suæ. » Pulchre Israel puerum Domini appellat, qui ab eo sit ad salvandum susceptus, obedientem videlicet et humilem, juxta Oseæ dictum : « Quia puer Israel et dilexi eum (*Ose.* XI); » nam qui contemnit humiliari, non potest utique salvari, nec dicere cum Propheta: « Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ (*Psal.* LIII). Quicunque autem humiliaverit se, sicut parvulus, hic est major in regno cœlorum (*Matth.* XVIII). »

« Sicut locutus est ad patres nostros Abraham et semini ejus in sæcula. » Semen Abrahæ non carnale, sed spiritale significat, id est, non ejus tantum carne progenitos, sed sive in circumcisione seu in præputio fidei illius vestigia secutos : nam et ipse in præputio positus credidit, reputatumque est ei ad justitiam, atque ejusdem fidei signaculum circumcisionem accepit, ut sic utriusque populi pater fieret per fidem, juxta quod Apostolus ad Romanos plenissime disseruit. Adventus ergo Salvatoris, Abrahæ et semini ejus in sæcula promissus est filiis promissionis, quibus dicitur : « Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes (*Galat.* III). » Bene item vel Domini, vel Joannis exortum matres prophetando præveniunt, ut sicut peccatum a mulieribus cœpit, ita etiam bona a mulieribus incipiant, et quæ per unius deceptionem perit, duabus certatim præconantibus mundo vita reddatur.

INCIPIT

BENEDICTIO SIMEONIS PROPHETÆ.

Narrat evangelista Lucas quod, cum parentes Jesu Domini nostri ipsum puerum inducerent in Hierusalem ad templum Domini, ut facerent secundum legis pro eo, et offerrent hostias secundum quod scriptum est in lege Domini, acceperit eum justus Simeon in ulnas suas, et benedixerit illum, prophetizans de ipso. Magna quidem Domini potentia, sed non minor claret humilitas, ut qui cœlo terraque non capitur grandævi hominis gestetur totus in ulnis; sed et tropice accipit Simeon Christum, veteranus infantem, ut doceat nos exuere veterem hominem, qui corrumpitur cum actibus ejus, et renovato spiritu mentis nostræ induere eum qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate, et veritate, hoc est, deponentes mendacium, loqui veritatem, et cætera quæ ad novi hominis statum pertinent ore, corde et opere, perficere. Accipit senior justus secundum legem et timoratus puerum Jesum in ulnas suas, ut significet justitiam operum, quæ ex lege erant, quis enim nesciat opera per manus et brachia solere figurari. Humili quidem salutaris fidei evangelicæ gratia mutanda accipit senior infantem Christum, ut insinuet hoc sæculum quasi senio jam et longæva ætate defessum ad innocentiam, et, ut ita dixerim, infantiam Christianæ conversationis rediturum, et sicut aquilæ juventutem illius esse renovandam.

« Et benedixit Deum et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. » Vides non solum Novi, sed et Veteris Testamenti. justos spe futuræ vitæ desiderium habuisse dissolvi a corpore, imo pacis viam deputasse, sarcinam deponere terrestrem, ut pote qui se in sinu Abrahæ requiem non dubitarent habituros esse perpetuam Denique et Idithun, hoc est, transiliator cupiditatum sæcularium, postquam multa diu tacitus mundi mala contemplatus interna secum cordis meditatione concaluit, tandem locutus in lingua sua, et quæ intus egerit promens. « Notum, inquit, fac, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum, qui est, ut sciam quid desit mihi; ecce veteres posuisti dies meos (*Psal.* XXXVIII). » Quibus absque dubio verbis aperit, quam maximum se præsentium cala-

Digitized by Google

mitatum nacturum speret in fine solatium, quem tantisper advenire desiderat.

« Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod « parasti ante faciem omnium populorum. » Beati oculi qui vident quæ Simeon vidit. « Beati qui non viderunt et crediderunt. » Illud ipsum, inquit, quod omnibus postmodum gentibus, populis, et linguis, mente ac fide conspicientum parasti, spe ac dilectione quærendum prævidisti, ipse desideratum nunc et carnis et cordis oculis tuum salutare contemplor.

« Lumen ad revelationem gentium, et gloriam ple- « bis tuæ Israel. » Lumen quidem utrique populo salutare Dei, id est, Christus a Deo Patre paratus, A qui tamen gloria magis Israel, cui diu speratur, et ex quo prænuntiatus advenit. Gentium vero dicitur esse revelatio, quarum mentis oculos profunda jam cæcitate demersos, neque ulla spe adventus Dominici erectos ipse visitare pariter revelare atque illustrare dignatus est. Et bene revelatio gentium Israelis gloriæ præfertur, qui « cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus fiet, » quomodo et Psalmista cum diceret : « Notum fecit Dominus salutare suum ante conspectum gentium revelavit justitiam suam (*Psal.* XCVII), » subjunxit, atque ait, « Memor fuit misericordiæ suæ Jacob et veritatis suæ domui Israel. »

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

[a] LIBER DE SACRIS ORDINIBUS, SACRAMENTIS DIVINIS,

ET

VESTIMENTIS SACERDOTALIBUS

AD THIOTMARUM.

PRÆFATIO.

RABANUS, servus Christi Jesu, THIOTMARO fratri salutem. Sicut me rogasti, amande frater, ut aliquas quæstiones de sacramentis divinis ac sacris ordinibus, nec non et de vestimentis sacerdotalibus, tibi exponendo absolverem, feci quantum potui, et quid in se mysterii habeant partim interpretando partimque sensu eas dilucidando explanavi. Et quia mei cooperatorem in sacro ministerio te elegi, hortor ut quod pro infirmitate corporis coram multis exponere non possum, tu qui junior ætate et validior es corpore, illis qui ad sacerdotium ordinati sunt, et ministerium sacerdotale agere debent, notum facias, et eis persuadeas, imo jubeas, ut diligenter discant quod in hoc opusculo conscriptum est, et ad eorum officium pertinet : quatenus ipsi hoc noverint quod C eos scire convenit, et plebi sibi commissæ intiment quid illis in Christiana religione credendum, agendum atque tenendum sit, sic utrique, et prælati atque subditi salvi fieri possunt, scilicet si legem Domini intente meditantur, et mandata divina servare in omnibus contendunt. Ita enim Apostolus scribens ad discipulum suum in Epistola sua docuit dicens (*I Tim.* IV, 14) : « Attende lectioni et exhortationi doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi, per prophetiam cum impositione manus presbyterii, hæc meditare, in his esto, B ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinæ, insta in illis : hoc enim faciens et teipsum salvum facies et eos qui te audiunt. Quod divina gratia te in mente pura habere et sermone sano, atque bono opere consummare faciat, quatenus hic in ejus servitio satis utilis fias, et post hujus vitæ terminum æterni gaudii in cœlesti regno cum electis Dei particeps existas.

CAP. I. — *De una Dei Ecclesia catholica.*

(*De Instit. cler. l.* I, *c.* 1.) Ecclesia ergo Dei catholica, quæ per totum orbem dilatata diffunditur, Christi nomine nobilitata glorificatur. Omnis enim homo qui rectæ fidei existit particeps, et sacro baptismate regeneratur, a Christo Christianus vocatur, et Dei Patris atque Ecclesiæ matris noscitur esse filius. Ecclesia Græcum vocabulum est, quod in Latinum vertitur *convocatio* sive *conventus*, eo quod omnes convocat ad se. Catholica autem dicitur, id est, universalis, quia in toto mundo una est Ecclesia Christi quæ et sponsa et corpus ejus est.

CAP. II. — *De tribus ordinibus Ecclesiæ.*

(*Ib. c.* 2.) Sunt tamen tres ordines in Ecclesia conversantium, id est, laicorum, monachorum et clericorum, quorum primus, id est, laicus, ordo popularis interpretatur. Laos enim Græce, populus Latine dicitur. Secundus est monachicus, id est

[a] Hoc opusculum in multis idem est cum libro I de Institutione clericorum, sed epistola præmissa est diversa.

Digitized by Google

singulariter conversans, hoc est, a sæculari conversatione remotus. Monas enim Græce singularitas dicitur, et monachus singularis vel solitarius. Tertius est ordo clericalis. Cleros quippe Græce sors, vel hæreditas dicitur. Cleros autem vel clericos hinc appellatos Doctores nostri dicunt, quia Matthias sorte electus est, quem primum ab apostolis legimus ordinatum. Sic et eos quos illis temporibus Ecclesiarum principes ordinabant, sorte legebant. Nam et hæreditas Græce cleronomia appellatur, et hæres cleronomus. Propterea ergo dicti sunt clerici, quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominum partem habent, sicut de eis scriptum est, loquente Domino : *Ego hæreditas eorum* (*Psal.* xxxvi, 18). Unde oportet ut qui Deum hæreditate possident absque ullo impedimento sæculi Deo servire studeant, ut congrue illud Psalmistæ dicere possint : *Dominus pars hæreditatis meæ* (*Psal.* xv, 5). Iste autem ordo jure præponitur in Ecclesia, quia in sanctis deseruit, et sacramenta populis dispensat. Sicut enim in Veteri Testamento, tribus Levi præ cæteris tribubus peculiariter a Domino electa est, ad serviendum illi per diversa officia in tabernaculo : ita et clericus ordo specialiter modo electus est ad ministrandum Deo in vero Dei tabernaculo quod est Ecclesia præsens, ut serviant ei die ac nocte in templo sancto ejus, ut sint populo in his quæ ad Deum pertinent, ut offerant Deo dona et sacrificia pro sua et pro populi ignorantia, ut judicent inter justum et injustum, et discernant inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum, doceantque populum Dei omnia legitima ejus, et præcepta quæ mandaverat ad eos.

Cap. III. — *De tonsura clericorum.*

(*Ib. c.* 3.) Tonsuræ ecclesiasticæ usus a Nazaræis (nisi fallor) exortus est, qui prius crine servato, denuo post vitæ magnæ continentiam devotione completa caput radebant et capillos in igne sacrificii ponere jubebantur, scilicet ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. Horum exemplis, usus ab apostolis introductus est, ut hi qui in divinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, sancti Dei, crine præciso innoventur. Hoc quippe Ezechieli prophetæ jubetur, dicente Domino : « Tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum et duces per caput tuum et barbam (*Ezech.* v, 1), » videlicet quia et ipse et sacerdotali genere Deo in ministerio sanctificationis deserviebat. Hoc et Nazaræos illos Priscillam et Aquilam in Actibus apostolorum primos fecisse legimus, Paulum quoque apostolum et quosdam discipulorum Christi, qui in hujuscemodi cultu imitandi exstiterunt. Est autem in clericis tonsura signum quoddam quod in [*Forte suppl.* corpore] figuratur, sed in animo agitur. Scilicet ut hoc signo in religione vitia resecentur, et criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur, atque inde innovatis sensibus ut comis rudibus enitescamus, « exspoliantes nos, » juxta Apostolum, « veterem hominem cum actibus ejus, et induentes novum qui renovatur in agnitionem Dei (*Col.* III, 9), » quam renovationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi ipsa mens noscitur habitare. Quod vero detonso superius capite inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Thiara enim apud veteres constituebatur in capite sacerdotum, hæc ex bysso confecta rotunda erat quasi sphæra media, et hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem aurea latitudo est circuli, quæ regum capita cingit, utrumque itaque signum exprimitur in capite clericorum, ut impleatur etiam corporis quadam similitudine, quod scriptum est, Petro apostolo dicente : « Vos estis genus electum, regale sacerdotium (*I Pet.* II, 9). Quæritur autem cur sicut apud antiquos Nazaræos non ante coma nutritur et sic tonditur : sed qui hæc exquirunt, advertant quid sit inter illud propheticum velamentum et hanc Evangelii revelationem, de qua dicit Apostolus : « Cum transieris ad Christum, aufertur velamen (*II Cor.* III, 16). » Quod autem significabat velamen interpositum inter faciem Moysi et aspectum filiorum Israel, hoc significabat illis temporibus coma sanctorum. Nam et Apostolus comam pro velamento esse dicit. Proinde jam non oportet ut velentur crinibus capita eorum qui Domino consecrantur, sed tantum ut revelentur : quia quod erat occultum in sacramento prophetiæ, jam in Evangelio declaratum est. Sunt quoque quidam doctorum qui asserunt diversas ob causas Petrum apostolum hunc ritum primum sumpsisse, primitus, ut formam et similitudinem Christi in capite gestaret dum pro redemptione nostra crucis patibulum subiturus a nefanda Judæorum gente acutis spinarum aculeis crudeliter coronaretur. Deinde, ut sacerdotes Veteris et Novi Testamenti in tonsura et habitu discernerentur. Postremo ut idem apostolus suique successores et sequipedes ridiculosum gannaturæ ludibrium in populo Romano portarent, quia et eorum barones et hostes exercitus superatos sub corona vendere solebant. Sed de his quid suscipiat lectoris judicio derelinquimus.

Cap. IV. — *De sacramentis Ecclesiæ.*

(*Ibid. c.* 24.) De sacramentis autem quæ in Ecclesia sunt, oportet primum ut hujus operis sermo exponat atque declaret ritum sacerdotalem : quia per sacerdotes Christi ministerium ecclesiasticum debet ordinari, atque Deo adjuvante perfici. Sunt autem sacramenta, baptismus et chrisma, corpus et sanguis, quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorumdem sacramentorum operatur. Nam a secretis virtutibus vel sacris sacramenta dicuntur, quæ ideo fructuose penes Ecclesiam fiunt, quia sanctus in ea manens spiritus, eumdem sacramentorum latenter operatur effectum. Unde seu per bonos seu per malos ministros intra Ecclesiam Dei dispensentur, nec bonorum meritis dispensatorum amplificantur hæc dona, nec malorum attenuantur : Quia « ne-

Digitized by Google

que qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (*I Cor.* III, 7). » Unde et Græce mysterium dicitur quod secretam et reconditam habeat repositionem.

Cap. V. — *De baptismatis sacramento.*

(*Ibid. c.* 25.) Primum autem sacramentorum est baptismus, quia antequam sancto chrismate ungatur aliquis, ut corporis et sanguinis Christi particeps existat, sacra regeneratione purgari debet, ac deinde ad cætera rite accedere. Baptismus Græce, Latine tinctio interpretatur, quæ non tantum ob hoc quod homo in aquam mergitur tinctio dicitur, sed quia spiritu gratiæ ibi in melius immutatur, et longe aliud quam erat efficitur. Primum homines fœdi eramus deformitate peccatorum, in ipsa tinctione pulchri dealbatione virtutum. Unde et in Canticis canticorum scribitur : « Quæ est ista quæ ascendit quasi dealbata (*Cant.* III, 6). » Cujus mysterium non aliter nisi sub Trinitatis designatione, id est, Patris et Filii et Spiritus sancti cognitione completur, dicente Domino ad apostolos : « Ite, docete omnes gentes baptizantes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII, 19). » Sicut enim in tribus testibus stat omne verbum, ita sacramentum confirmat ternarius numerus nominum divinorum. Quod autem per aquam baptismus datur, hæc ratio est : voluit enim Dominus ut res illa invisibilis per congruentiam et profectum incontrectabile et invisibile impenderetur elementum [a], super quod etiam in principio ferebatur Spiritus sanctus. Nam sicut oleum naturali pondere superfertur omni liquori : ita in principio superferebatur Spiritus sanctus aquis. Sicut aqua purgat exterius corpus, ita latenter ejus mysterio per Spiritum sanctum purificatur et animus, cujus sanctificatio ita est. Invocato enim Deo descendit Spiritus sanctus de cœlis, et medicatis aquis sanctificat eas de semetipso, et accipiunt vim purgationis, ut in eis caro et anima delictis inquinata mundetur, utrumque enim baptizando necesse est adhiberi, et baptismi lavacrum, et Spiritus sancti purgatio, quia ait Salvator : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. » Sed ante baptismum catechizandi debet in hominem prævenire officium, ut fidei primum cathecumenus accipiat rudimentum. Nam in Evangelio secundum Matthæum legitur, quod post resurrectionem Dominus apostolis præceperit, ut in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti docerent et baptizarent omnes gentes, id est prius fidem Dei illius insinuarent, et sic credentes in remissionem peccatorum baptizarent. Hinc est quod secundum Marcum idem Dominus legitur præposuisse fidem baptismati cum ita dixit : « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit : qui vero non crediderit condemnabitur (*Mar.* XVI, 6.) : » et Joanne teste, prius ipse Jesus cæci nati oculos luto ex sputo facto superlinivit, et sic ad aquas Siloe misit, quia prius debet baptizandus fide incarnationis Christi instrui, et sic ad baptismum jam credulus admitti, ut sciat cujus gratiæ in eo est particeps, et cui jam debitor fiat deinceps.

Cap. VI. — *De catechumenis.*

(*Ib. c.* 26.) Catechumenus autem dicitur pro eo quod adhuc doctrinam fidei audit, nec tamen baptismum recepit. Nam catechumenus Græce, Latine auditor interpretatur, etc., *usque ad finem capitis.*

Cap. VII. — *De catechizandi ordine.*

(*Ib. c.* 27.) Catechizandi enim ordo hic est, primum interrogatur paganus si abrenuntiat diabolo, et omnibus damnosis ejus operibus, atque fallacibus, etc., *usque ad finem capitis.*

Cap. VIII. — *Quæ sit interpretatio symboli secundum Latinos.*

Igitur symbolum Latine indicium vel signum vel collatio interpretatur, indicium quia per id indicatur fidei integritas, signum quod eo bene retento et intellecto, fideles ab infidelibus discernuntur, collatio, quia in eo apostoli omnem fidei integritatem contulerunt. Quod omnes pari fidei sinceritate corde retinebant, ore confessi sunt, et singuli proprias sententias conferentes, symbolum, id est, totius fidei collationem ediderunt. Discessuri enim ab invicem normam futuræ prædicationis in commune statuerunt, ne localiter ab invicem discedentes diversum aliquid vel dissonum prædicarent. Decentissimum namque et utile erat ut quibus erat anima una et cor unum in Domino, et quos sancti Spiritus afflatus vegetabat, unius etiam fidei confessio exornaret, nec enim dirimi in aliquo vel poterant vel debebant, qui unius fidei vinculo nectebantur. Plerique præterea verbum abbreviatum per Isaiam prophetatum, in Symbolo et oratione Dominica intelligi volunt. In altero enim fidei : in altero precum continetur integritas, ut et in duodecim verbis, duodecim apostolorum doctrina, et in septem petitionibus, omne contineatur quidquid ad præsentis et futuræ vitæ pertinet dispensationem, quamvis etiam totius doctrinæ verbum dici possit abbreviatum, quia quod prius lex et prophetæ continebant in latitudine præceptorum. veniens Dominus pronuntiavit et dixit : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis, et proximum tuum tanquam teipsum. In his mandatis duobus tota lex pendet et prophetæ (*Marc.* XII, 30). » In quo evidenter prophetas et legem duobus his sermonibus breviavit. Hæc de symbolo et nomine ejus dicta sint.

[a] Legendum, *per congruentiam et profectum incontrectabili et invisibili impenderetur elemento ;* vel, *per congruens et perfectum contrectabile et visibile impederetur elementum.* Quod si prior lectio placeat, in qua quam minimum mutatur, legi forte posset pro *per*, *propter*, quamvis etiam hoc loco pro *propter* accipiatur.

Digitized by Google

CAP. IX. — *De credulitate : quomodo credendum sit in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus natum et passum, et in Spiritum sanctum, Ecclesiam catholicam, et cætera quæ sequuntur in eodem symbolo.*

Cæterum fides quæ in hoc symbolo continetur, ita ab his qui baptizandi sunt intelligi debet, ut credant in Deum Patrem omnipotentem creatorem omnium visibilium et invisibilium, qui solus, quia non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus, et in Jesum Christum Filium ejus, per quem omnia facta sunt, verum Deum unigenitum, verumque Dei Filium non factum aut adoptivum sed genitum et unius cum Patre substantiæ, atque ita per omnia æqualem Deo Patri, ut nec tempore nec gradu nec potestate esse possit inferior, tantumque esse illum qui est genitus, quantus ille qui genuit. Credunt etiam eum natum de Spiritu sancto ex Maria semper virgine, id est, ut Spiritu sancto cooperante, verum sibi corpus ex virgine, id est, Dei Filius assumpserit, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse factus sit in humanitate hominis matris Filius. Credant etiam eum descendisse ultimo tempore pro redemptione mundi a patre, qui nunquam desiit esse cum Patre, et hominem verum factum, ut humanum genus homo liberaret, et ipse quia absque initio æternitatem cum Patre et Spiritu sancto possidet in fine sæculorum perfectum naturæ hominem susceperit, et Verbum caro factum sit assumendo humanitatem, non permutando divinitatem. Credant etiam eum pertulisse passionem et mortem, non in virtute divinitatis, sed infirmitate humanitatis, mortuum vera carnis morte, resurrexisse vera carnis resurrectione, et resurrectione sua spem nobis resurrectionis contulisse, ita duntaxat ut sicut ille tertia die resurrexit vivus a mortuis : ita et nos in fine sæculorum resurgamus in eadem qua nunc vivimus carne. Credant etiam eum in eodem corpore quod de Virgine assumpsit, passionem sustinuit, et resurrexit, ascendisse in cœlum et in eodem nunc esse, et ad judicium venturum esse, et resuscitatis omnibus, dare aliis pro peccatis supplicii æterni sententiam : aliis pro justitiæ meritis æternæ beatitudinis præmium. Credant et in Spiritum sanctum Deum verum ex Patre Filioque procedentem, æqualem per omnia Patri et Filio, voluntate, potestate, æternitate, substantia. Nec esse in hac sancta Trinitate ullos gradus quibus aliquis inferior superiorve dici possit. Credant etiam sanctam Ecclesiam catholicam, id est, universalem : non in sanctam Ecclesiam ut credentes in Trinitatem. Credant ejusdem sanctæ Trinitatis domum esse sanctam Ecclesiam, a cujus communione discedentes schismatici et hæretici vocantur, et æterna damnatione puniuntur : in ejus vero communione permanentes et membra Christi esse et remissionem peccatorum percipere, et ad vitam æternam pertinere. Quia ergo parvuli necdum ratione utentes hæc minime capere possunt, oportet ut cum ad intelligibilem ætatem pervenerint doceantur, et fidei sacramentis et confessionis suæ mysteriis, ut ea et veraciter credant, et diligenti cura custodiant. Confessionem suam plane diximus, quia quamvis illi necdum loqui possint : pro illis et confitentur et loquuntur qui eos de lavacro fontis suscipiunt. Nec immerito dignum est ut qui aliorum peccatis obnoxii sunt, aliorum etiam confessione per mysterium baptismatis remissionem originalium percipiant peccatorum.

CAP. X. — *De scrutinio.*

Qui vero illius sunt jam ætatis, ut rationem credulitatis suæ reddere possint, diligenti examine scrutandi sunt, utrum veraciter credant, an alicujus falsitatis in eis macula celetur. Ne dum aut timore aut favore terrenarum potestatum aut acquisitione quarumdam rerum ac baptismatis sacramentum ignorantibus ministris Ecclesiæ perveniunt, tradatur sanctum canibus, et margaritæ mittantur inter porcos, et lupi ovina pelle vestiantur. Hunc enim morem Ecclesia servare consuevit, ut per aliquot dierum spatium, hi qui in solemnitate Paschali baptizandi sunt scrutentur, ut instructis et doctis et simplici corde ad fidem veram venientibus vitæ sacramenta impartiantur, quibus ut aptiores inveniantur baptismatis sacramento, et eorum fides probabilior sit, quædam fiunt corporaliter quæ spiritali gustu degustata, mysticum quid et spiritale sapiant.

CAP. XI. — *Quid sit abrenuntiatio.*

De abrenuntiatione autem et quid sit abrenuntiatio, jam dicendum est. Abrenuntiare etenim poni solet, pro eo quod est spernere, rejicere, contradicere, sive aliud quid, quod hoc verbo in hoc sensu exprimi potest. Quamvis enim illius verbi quod est nuntio, sensus in promptu sit cum sine præpositione profertur, et accepta præpositione interdum a sua significatione non longe recedat, ut est illud: narrabo et renuntiabo, interdum vero in alium sensum vertatur, ut est illud: « Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus (*Luc.* XIV, 33); » abrenuntiare tamen semper in eo sensu poni consuevit, quem superius diximus. Abrenuntiare etenim se fatetur Satanæ et omnibus operibus ejus et omnibus pompis ejus, quam abrenuntiationem recte confessio sanctæ Trinitatis sequitur. Et [*Fort.*, ut] ubi abundavit peccatum, superabundet gratia, et ubi computruit jugum diaboli a facie unctionis Spiritus sancti, adveniat illius jugum qui dixit: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve (*Matth.* XI, 29). » Satanæ enim, qui et diabolus nuncupatur, a fidelibus abrenuntiatur, ut Domino Salvatori liberius serviatur, quia juxta ejusdem Domini vocem: « Nemo potest duobus dominis servire (*Matth.* VI, 24). »

CAP. XII. — *De abrenuntiatione Satanæ et omnibus operibus ejus, atque pompis, vel quæ opera diaboli sint et pompæ.*

Abrenuntiatur etiam operibus ejus, quia opera illius contraria sunt operibus Salvatoris. Et quia

Digitized by Google

ille armis suis, id est vitiis, genus humanum sibi subjecit, Dominus armis suis, id est virtutibus, illum debellavit. In illius enim militia, id est in peccatis nostris, servitus permanens accepit mortem: in istius militia, id est virtutibus, accipimus vitam æternam. Septem itaque principalia vitia, quibus diabolus genus humanum infestat, non incongrue opera Satanæ dicere possumus; quibus opponuntur septem principales virtutes, quæ opera sunt procul dubio salutaria, nec minus interea pompis ejus abrenuntiatur, quæ utique opera sunt Satanæ, sed eo quasi discerni videntur a cæteris operibus ejus, quia in eis superbia, cujus ille auctor est, et quæ eum dejecit, quodammodo designatur. Pompæ igitur ejus sunt ambitio, arrogantia, vana gloria, et cætera hujuscemodi, quæ de fonte superbiæ procedere dignoscuntur. Pompam enim, ambitionem sive jactantiam, et his similia, intelligi debere propheticus sermo demonstrat, cum dicit : « Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ : optimates capita populorum ingredientes pompatice domum Israel (*Amos* VI, 1). » Sed et Clemens Prudentius disertissimus atque Christianissimus poeta, in hac significatione pompam posuit, in libro Psychomachiæ, ubi ait :

Pompa ostentatrix vani splendoris inani
Exuitur nudata peplo.

Quamvis ergo omne peccatum superbia dici possit, quia quando quis peccat, Deo, qui peccare prohibuit, contraire videtur, aliud tamen est desidiose, aliud malitiose, aliud scienter, aliud ignoranter, aliud negligenter, aliud arroganter peccare, quolibet autem modo quis peccet, si pœnitere contemnit, in magnum se superbiæ barathrum immergit, de quo non nisi per confessionem peccatorum suorum et emendationem morum et salutaris pœnitentiæ adminiculum egredi potest. Duobus enim modis homo Deo superbit: cum aut præceptis ejus inobediens existens, ea quæ prohibita sunt committit, aut commissa pœnitere negligit; unde sive hi qui baptizandi sunt, sive nos qui baptismi sacramentum jam percepimus, ante oculos ponere debemus pactum, quod cum Deo in baptismate fit, ubi abrenuntiatur Satanæ et operibus et pompis ejus, quod pactum tunc irritum fit, si aut in fide quis permanendo vitiis, aut a fide exorbitando idolorum cultibus, aut hæresum erroribus subdatur.

CAP. XIII. — *De ordine sacri baptismatis.*

Quia igitur constat, pactiones credentium esse duas, unam in qua renuntiatur diabolo et pompis ejus, et omnibus operibus ejus, alteram qua se credere confitentur in Patrem, et Filium, et in Spiritum sanctum, oportet has inconvulsæ mentis intentione teneri, et ut intemeratæ custodiri possint, illius semper adjutorium quærere, qui baptismi sacramentum ad salutem generis humani contulit, cujus mysterium et in Veteri Testamento per Moysen præfiguratum est, cum populus in nube et in mari baptizatus est, et in Novo nobis per mediatorem Dei et hominum apertissime demonstratum. Ipse enim ait: « quoniam nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non poterit introire in regnum Dei (*Joan.* III, 5). » Et Joannes de eo ait : « Ecce baptizo in aqua : medius autem vestrum stat, quem vos nescitis. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne (*Joan.* I, 26). » Per hoc qui nascimur mundo, renascimur Deo, et qui per peccatum eramus filii iræ, per gratiam efficimur filii Dei. Hac enim tinctione et hoc lavacro Ecclesia vegetatur, quoniam sicut ex osse dormientis protoplasti mulier ædificata est, ita ex latere Christi in cruce dormientis Ecclesia formata est: « profluxerunt enim ex ejus latere sanguis et aqua : » duo sanctæ Ecclesiæ præcipua sacramenta, ut in altero consecratio, in altero mundatio, eidem tribueretur Ecclesiæ, regeneramur namque ex lavacro, et consecramur ex sanguine. Unde et populus mare Rubrum transiit; quia baptismus Christi sanguine consecratur. Quia ergo elementum aquæ in hoc mundo omnibus elementis purgandi, vivificandi, recreandi gratiæ aptum est, non immerito ei baptismi dignitas confertur, qui [*Forte* quæ *ut referatur ad aquam*] et regenerandorum hominum efficaciam cum Spiritus Dei in mundi primordio super id ferretur concipiebat, et purgandorum cum ex latere Christi profluerat, dignitatem capiebat. Per hoc etenim visibile elementum res illa invisibilis signatur, ut sicut aqua purgatur exterius corpus, ita latenter ejus mysterio per Spiritum sanctum purificetur et animus. Invocato namque Deo descendit Spiritus sanctus de cœlis, et sanctificatis aquis, tribuit eis vim purgationis Inde homo ad imaginem reparatus sanctæ Trinitatis, ad quam conditus fuerat, expurgatur, et qui vetus in eas per peccatum primi hominis intraverat, novus ex eis per Christi gratiam egreditur, et Spiritu gratiæ in melius immutatus, longe aliud quam fuerat efficitur, fœdus enim erat deformitate peccatorum, ibi redditur pulcher dealbatione virtutum. Nullatenus itaque baptismi mysterium perfici potest, nisi sub invocatione sanctæ Trinitatis, quia et Dominus ad apostolos dixit : Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et idem Dominus hoc sacramentum firmavit, cum in suo baptismate Pater declaratus est in voce, Filius in corpore, Spiritus sanctus in columbæ ostensione. O præclarum et admirabile sacramentum, quod de filiis iræ, facit filios Dei: de veteribus novos, de fœdis pulchros, in quo et regeneramur et purgamur, et exemplum mortis Christi imitamur. Quomodo ergo hoc exemplum imitemur, dicat Apostolus: « An ignoratis, inquit, quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus illi per baptismum in morte, ut quemadmodum resurrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* VI, 3). » Morimur ergo peccato, quando abrenuntiamus diabolo, et omnibus quæ ejus sunt. Consepelimur Christo, cum sub invocatione sanctæ

Digitized by Google

Trinitatis sub trina mersione, in fontem lavacri quasi in quoddam sepulcrum descendimus. Consurgimus Christo, cum exuti omnibus peccatis de fonte quasi de sepulcro egredimur. Sed neque mysterium trium dierum ac noctium quibus in sepulcro Dominus fuisse legitur præteritur, cum invocata sancta Trinitate, quæ utique vera lux est, in fontem descendimus. Lux est enim hic Pater, et in lumine ejus qui est Filius, lumen videmus Spiritum sanctum. Facimus autem non tres noctes: cum tenebrarum et ignorantiæ patri, una cum mendacio, quod ex eo natum est, et mendax est sicut et pater ejus, et cum loquitur mendacium de suis propriis loquntur, contradicimus. Sed et tertio loco Spiritum erroris destruimus, qui inspirat pseudoprophetas ut dicant: « Hæc dicit Dominus, » quos Dominus non misit, destruimus enim hæc et conculcamus si consepulti sumus etiam Christo, secundum illud quod ipse dicit: « Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici (*Luc.* x, 19). » Quæ singula ita sunt contraria sanctæ Trinitati, ut nox diei, ut tenebræ luci, ut mendacium veritati. Fons quoque baptismi similitudinem gerit sepulcri Christi, quod novum fuisse legitur: quia quicunque in eo consepelitur Christo, et ei consurgit secundum eumdem Apostolum, in novitate vitæ ambulare debet. Cujus fontis septem gradus: tres in descensu, tres noctes, et tres in ascensu, tres dies significare videntur, de quibus superius dictum est. Septimus vero, qui et quartus, ille est de quo quidam ait: « Et aspectus quarti similis Filio Dei qui fornacem ignis exstinguit, qui est stabilimentum pedum, [a] fundamentumque. In quo, » juxta Apostolum, « inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* II, 9). » Idcirco autem baptismus non iteratur, quia et Christus non amplius quam semel moritur. Peccata enim quæ post baptismum committuntur, pœnitentiæ lacrymis, eleemosynis, et cæteris bonorum operum exhibitionibus, non baptismatis iteratione delentur. Dominico interea corpori sepeliendo mundissima linteamina et aromata adhibentur, quia et is qui Christo consepeliri desiderat, si jam ætas permittit, quamvis mortuus sit per originale peccatum quod adhuc portat, debet tamen bonorum operum exhibitione flagrare, et mundis indui vestibus. De quibus Propheta sacerdotes indui orat, cum dicit: « Sacerdotes tui induantur justitiam (*Psal.* CXXXI, 9). » Si ergo antequam renascatur et originali peccato purgetur et Christo consepeliatur, et aromatibus debet flagrare, et mundissimis vestibus indui; quanto magis renatus, purgatus, Christo convivificatus, in novitate vitæ ambulans, nova creatura effectus, et odoris flagrantia exuberare, et candidorum vestimentorum clarescere debet nitore. Catechizandi ergo ordine et scrutinio sic ordinabiliter peracto, de baptismatis tinctione et unctione chrismatis jam sermo habendus est.

[a] Ms., *fundamentum aquæ*; verum illud melius.

CAP. XIV. — *De tinctione baptismi et unctione chrismatis.*

(*De Instit. cler. l.* I, *c.* 18.) Post hæc igitur consecratur fons, et ad ipsum baptismum catechumenus accedit, et sic in nomine sanctæ Trinitatis trina submersione baptizatur. Et recte homo qui ad imaginem sanctæ Trinitatis conditus est, per invocationem sanctæ Trinitatis ad eamdem renovatur imaginem, et qui tertio gradu peccati, id est, consensu cecidit in mortem, tertio elevatus de fonte, per gratiam resurgat ad vitam. Potest et hæc Trina mersio, triduanam Domini sepulturam significare, sicut supra jam diximus, maxime cum dicat Apostolus: « Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus (*Rom.* VI, 3), et cætera. Oportet ergo cum invocatione sanctæ Trinitatis sub trina mersione baptismus confici, ut secundum personarum differentiam, mysterium baptismi celebretur, et secundum unitatem substantiæ unum baptisma fiat, unde dicit Apostolus: unus Dominus, una fides, unum baptisma (*Eph.* IV, 5), et cætera. Postquam enim ascenderit baptizatus de fonte, statim signatur in cerebro a presbytero cum sacro chrismate, sequente simul et oratione, ut regni Christi particeps fiat, et a Christo Christianus possit vocari. Scriptum est et in Evangelio ita: « Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se (*Matth.* III, 16). » Bene quidem baptismo continuatur chrismatis unctio, quia Spiritus sanctus qui per illud chrisma suæ virtutis admixtione sanctificat credentes; baptizato Jesu statim super illum in columbæ specie descendit; cujus videlicet typum præferebat columba illa quæ in diluvio ad arcam reportavit ramum olivæ virentibus foliis: significans utique quod Spiritus sanctus per chrismatis unctionem in baptismate virorem confert fidelibus cœlestis gratiæ. Sed de hoc plenius in sequentibus dicemus. Legimus et in gestis Patrum quod Sylvester Papa in Ecclesia Romana constituerit ut sicut potestas et privilegium apud solum episcopum constat, quod sacrum chrisma ipse conficiat, et baptizatum per manus impositionem cum ipso chrismate consignet, propter hæreticam suasionem: ita presbyter eodem chrismate liniet baptizatum levatum ex aqua propter occasionem transitus mortis, quia scriptum est in Apostolo: « Vos autem, fratres, in carne non estis, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus (*Rom.* VIII, 11), » et cætera. Ac deinde profecto patet quia quicunque non est Christi, regni sui particeps fieri nequit, ideoque necessarium est ut statim succurra-

Digitized by Google

tur baptizato cum chrismatis unctione, ut Spiritus sancti participationem accipiens, alienus a Christo non existat.

CAP. XV. — *De indumento baptizati et eucharistia.*

(*Ib. c.* 29.) Post baptismum autem traditur Christiano vestis candida designans innocentiam et puritatem Christianam, quam post ablutas, et cætera *usque ad finem capitis.*

CAP. XVI. — *De impositione manus episcopalis et chrismatis sacramento.*

(*Ibid. c.* 30.) Novissime autem a summo sacerdote per impositionem manus paracletus traditur illi Spiritus sanctus, ut roboretur per Spiritum, etc., *usque ad finem capitis.*

CAP. XVII. — *De sacramento corporis et sanguinis Domini.*

(*Ibid. c.* 31.) Sed quia de duobus sacramentis, id est, baptismo et chrismate jam quantum nobis Dominus dedit, supra disseruimus, etc., *usque ad finem capitis.*

CAP. XVIII. — *De officio missæ.*

(*Ibid. c.* 32.) De sacramentis, ut reor, satis superius diximus; nunc de officio missæ quo ipsa sacramenta corporis et sanguinis Christi conficiuntur, etc., *usque ad finem capitis.*

CAP. XIX. — *De ordine missæ.*

(*Ibid. c.* 33.) Primum autem in celebratione missæ, ad introitum sacerdotis ad altare, antiphona cantatur a clero, ut audiatur sonitus quando ingreditur sanctuarium in conspectu Domini, sicut in veteri testamento per tintinnabulorum sonitum ingressus pontificis innotuit. Bene ergo in ingressu sacerdotis concrepantibus choris auditur modulatio divinæ laudis, ut dominicæ celebrationis mysteria ministrorum pie præcedat consonantia, et corporis et sanguinis Christi venerabile sacramentum antecedat dignæ laudis sacrificium. Namque chorus est multitudo in sacris collecta, et dictus chorus, quod in initio in modum coronæ circum aras starent et ita psallerent, unde et Ecclesiasticus liber scribit stantem sacerdotem ante aram, et in circuitu ejus coronam fratrum. Alii chorum dixerunt a concordia, quæ in charitate et vera pace consistit. Sive de concinentia soni : cum enim unus canit, Græce monadia, latine sicinium dicitur, et cum duo canunt bicinium dicitur. Cum autem multi, chorus vocatur. Antiphona Græce vox reciproca ex duobus scilicet choris alternatim psallentibus dicitur. Introitus namque ab introeundo est dictus. Eo enim cantu ad sanctæ modulationis officia intratur : vel tunc Christianæ religionis congregatio Ecclesiam Dei intrans, ad cæteras officiorum laudes præparat se intenturam. Sicut enim invitatorium dicitur ab invitando cum inchoatur officium nocturnum, et dicitur *venite* : introitum ab introeundo quando initiatur diurnum. Antiphonam autem ad introitum Cœlestinus natione Campanus pontifex Romæ constituit, ut ante sacrificium celebraretur, quod ante non fiebat nisi tantum epistola Pauli recitabatur et sanctum Evangelium. Inde *Kyrie eleison* dicitur, quod ex Græco in Latinum, *Domine, miserere nobis,* interpretatur. Sic et *Christe eleison,* hoc est, *Christe, miserere nobis.* Hymnum vero angelicum, id est *Gloria in excelsis Deo,* tunc angeli cecinerunt quando natus est Dominus, quem etiam Thelesphorus pontifex natione Græcus statuit ut ante sacrificium psalleretur, qui et constituit ut in natali Domini per noctem missæ celebrarentur. Tunc lector legit lectionem canonicam, ut animus auditorum per hanc instructus ad cætera intentior assurgat. Sæpius tamen in missæ officio legitur lectio ex Epistolis D. Pauli. Paulum namque omnibus notum est doctorem gentium esse, et quia a Domino vas electionis fore meruit, idcirco idem dum in corpore maneret ex dogmate quo quasdam epistolas scribendo gentes ad tempus docuit, inde nunc quotidie dum recitatur, omnium mentes fidelium robore firmæ fidei solidat. Post lectionem vero cantor dicit responsorium ut ad compunctionem audientes provocet et lenes animos auditor faciat. Responsorium ergo inde dicitur, quod alio desinente id alter respondeat. Inter responsoria quoque et antiphonas hoc differt, quod in responsoriis unus dicat versum, in antiphonis autem alternant versibus chori. Antiphonas Græci, responsoria vero Itali traduntur primum invenisse. Responsorium enim istud, quidam gradale vocant, eo quod juxta gradus pulpiti cantatur. Post responsorium cantatur *Alleluia,* scilicet ut ad cœlestia mentem populus sublevet, et ad divinam contemplationem erigat. *Alleluia* enim duorum verborum interpretatio est : hoc est laus Dei, et est Hebræum. Ia enim de decem nominibus quibus apud Hebræos Deus vocatur, unum est. Similiter et Amen Hebræum est, quod ad omnem sacerdotis orationem seu benedictionem respondet populus fidelium. Interpretari quoque potest Amen in Latinum vere, sive fideliter, seu, fiat, quia Hieronymo teste, in Psalterio ubi habet, fiat, fiat, in Hebraico legitur Amen amen, hæc duo tamen verba, id est, Amen et Alleluia, nec Græcis, nec Latinis, nec barbaris licet in suam linguam omnino transferre, vel alia lingua annuntiare. Nam quamvis interpretari possint, propter sanctiorem tamen auctoritatem, servata est ab apostolis, in suis propriæ linguæ antiquitas. Tantum enim sacra sunt nomina, ut etiam Joannes in Apocalypsi referat Spiritu revelante se vidisse et audisse vocem cœlestis exercitus, tanquam vocem aquarum multarum et tonitruorum validorum dicentium Amen et Alleluia, ac per hoc sic oportet in terris utraque dici, sicut in cœlo resonant, deinde a diacono cum summa auctoritate in auribus populi recitatur evangelium, ut ipsius ibidem audiatur doctrina ad quem fervet intentio tota, ipsiusque virtus intelligatur per evangelium, cujus tunc corporis et sanguinis sacrosanctum celebratur mysterium. Post hæc oblationes offeruntur a populo, et offertorium cantatur a clero, quod

Digitized by Google

ex ipsa causa vocabulum sumpsit, quasi offerentium canticum. Offertoriarum quippe quæ in sacrificiorum honore canuntur, Ecclesiasticus liber indicium est, dum dicit veteres cantare solitos quando victimæ immolabantur, ubi ita legitur : « Porrexit, inquit, manum suam sacerdos in libationem, et libavit de sanguine uvæ, et fudit in velamento altaris odorem divino et excelso Principi. Tunc exclamaverunt filii Aaron in tubis ductilibus, et sonaverunt et auditam fecerunt magnam vocem in memoriam coram Domino (*Eccli.* L, 16). » Non aliter et nunc in sonitu tubæ, id est in vocis prædicatione digne cantum proferimus, nisi ut simul corde et opere laudes Domino declamantes, jubilemus illi in alto, scilicet verum sacrificium celebrantes cujus sanguine salvatus est mundus. Immittiturque super altare corporale, hoc est pallium, quod significat illud linteum quo corpus Salvatoris involvebatur, quod ex lino puro textum esse debet et non ex serico vel purpura, neque ex panno tincto, sicut a Silvestro papa constitutum invenimus. Quia in Evangelio (*Matth.* XXVII, 59) sindone munda involutum esse a Joseph corpus Salvatoris legitur, et sudarium capitis ejus post resurrectionem Domini non cum linteaminibus positum, sed seorsum involutum inveniri. Ponuntur quoque tunc vasa sancta, quod est calix et patena, super altare, quæ quodammodo dominici sepulcri typum habent, quia sicut tunc corpus Christi aromatibus unctum in sepulcro novo per piorum officium condebatur : ita modo in Ecclesia mysticum corpus illius cum unguentis sacræ orationis conditum in vasis sacris ad percipiendum fidelibus per sacerdotum officium administratur. Postea missa cantatur a sacerdote. Primum ergo oratione quæ Super oblata nominatur secrete ab ipso sacerdote expleta, salutat populum et orat dicens : *Dominus vobiscum*, scilicet ut Deus omnipotens sit cum populo suo, cui ipse populus respondet dicens : *et cum Spiritu tuo*. Responsio hæc populi atque oratio convenienter profertur, hoc est, ut sicut sacerdos oravit quod Dominus esset cum populo, ita et populus orat quod Dominus sit cum spiritu sacerdotis. Cum autem dicit sacerdos *oremus*, rogat omnes orare, ut oratio ejus a Domino exaudiatur. Et quando juxta finem orationis dicit : *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum*, ad Deum Patrem orat sacerdos, ut per suum Filium qui Dominus noster est æqualiter sicut Pater ipsa oratio perficiatur. Cum dicit : *Qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti*, vult populum credere et intelligere quod Filius cum Patre sine initio ac sine fine vivit et regnat Deus, et sicut Pater est Deus, et Filius est Deus, ita et una majestas et una potestas est Spiritus sancti cum Patre et Filio atque una substantia, et in omnibus his tribus unitas Deitatis manet, *per omnia sæcula sæculorum*, id est, ut Filius cum Patre in unitate Spiritus sancti ante omnia sæcula vixit et fuit, ita et in præsenti sæculo atque in futuro, ubi justi cum angelis sanctis permanebunt, et injusti cum diabolis cruciabuntur. Credatur æqualiter vivere cum Patre et Spiritu sancto et nullo fine concludi. Sequitur *Amen*, quod respondens populus concludit antedictam orationem. Amen ergo, ut supra diximus, confirmatio orationis est, a populo prolata, et in Latina lingua interpretatur fiat. Ipsum hic ita sonat, quasi omnes dicant ut ita fiat sicut sacerdos oravit. Dehinc dicit sacerdos : *Sursum corda*. Admonet utique populum ut sursum, id est, supra semetipsum ad Dominum omnipotentem omnes corda levent et fideliter orent quod de sursum eis veniat auxilium a Deo cœlesti, a quo creati sunt. Cui respondet populus : *habemus ad Dominum*, id est, ut sicut sacerdos jussit eos sursum corda tenere, sic se habere profitentur. Tunc sacerdos hortatur plebem ut gratias agat conditori suo dicens : *Gratias agamus Domino Deo nostro*. Cui respondens populus dicit : *Dignum et justum est*. Quia justa et digna ratio est Deo gratias omnes referre, quia ab ipso omnia bona suscepimus, imo suscepturi sumus si in fide recta et bonis operibus usque in finem perseveraverimus. Post hæc ergo sic incipit sacerdos præfationem dicens : *Vere dignum et justum est æquum et salutare*. Confirmat enim professionem populi et dicit quod vere dignum est et justum Deo gratias pro omnibus referre, et quod æquum est, hoc est, rectum et salutare, id est, salute plenum, ut ei gratias referamus, qui nobis salutem dedit æternam. *Nos tibi*, inquit, *semper et ubique gratias agere*. Conversus enim sacerdos ad Dominum post professionem populi quasi ad præsentem loquitur, quia in præsentia Domini semper nos sumus et ipse videt cogitationes nostras, hoc est, omni tempore et in omni loco. Moxque ipsam orationem ad Deum Patrem sermonem convertendo, sic explet dicens. *Domine, sancte Pater, omnipotens æterne Deus per Christum Dominum nostrum*. Dominum eum vocat qui dominator est omnium, et sub ejus dominatione universa consistunt. *Sanctus* : quia sanctus est et per quem omnia sanctificantur, quia ipse omnia sancta et bona creavit, pater Græce dicitur, et Latine genitor : quia ipse genuit Filium sine ulla coinquinatione seu corruptione. *Pater*, latine a patrando dicitur : hoc est, a perpetrando, quod est, a perficiendo vel adjuvando, quia ipse perfecit omnia, quæ facta sunt, et adjuvit omnia quæ adjuvata sunt, et voluit nos fieri filios suos adoptivos per sanctificationem qua ille sanctificavit nos. *Omnipotens* : quia omnia potest, ideo omnipotens dicitur, quia non est impossibile apud Deum omne verbum. *Æterne Deus*; hoc interest inter æternum et perpetuum et temporale : æternum est, quod initium non habuit, nec finem habebit, sed semper fuit et est et erit. Perpetuum est quod esse cœpit et finem non habebit, temporale est, quod initium habuit et finem habebit; et ideo hic dicitur *æterne Deus*, quia solus Deus æternus est, nec cœpit esse nec desinit esse, sed est semper. Deus a diligendo dicitur, quia omnia diligit, et gubernat quæ creavit, et aliter, Deus

Digitized by Google

a divinitate dictus est, quia divinus est, et omnia scit, et omnia disponit, prout vult. *Per Christum Dominum nostrum.* Christus Græce, unctus dicitur latine, hic est Christus qui ante omnia initia a Patre inenarrabiliter est genitus, et postea in tempore quo placuit ei, Spiritus sanctus venit in Mariam virginem, unxitque unctione divina uterum ejus, unde conceptus est de Spiritu sancto, et natus est de Maria virgine. Nam et in veteri testamento sacerdotes et reges ungebantur; et ideo christi dicebantur, quia uncti erant unctione temporali. Iste Christus per quem Patri gratias agimus, æternaliter Christus est, et cum Patre æternus Deus est, et per ipsum redempti sumus, et ipse Dominus noster est, quia dominatur nobis. *Per quem majestatem tuam laudant angeli :* per ipsum Christum per quem nos gratias agimus Patri, Majestatem Patris laudant angeli, quia ipse æqualis est Patri in divinitate. *Majestas* dicitur quasi major potestas; quia major est potestas Dei quam hominum, Dei majestatem per Christum laudant angeli, quia Christus simul cum Patre creavit angelos. Angelus enim Græce, Latine nuntius interpretatur. Angelus, nomen est officii, non naturæ qui nuntiant (*sic*). Sed naturaliter spiritus sunt. *Adorant dominationes :* majestatem Dei Patris, per Filium laudant et adorant dominationes. *Dominationes* unus ordo dicitur de novem ordinibus angelorum, nam decem fuerunt ordines angelorum, sed decimus ordo cecidit, et versus est, per superbiam in diabolum. Novem autem permanserunt in sanctitate sua. Hæc sunt nomina eorum : angeli, archangeli, virtutes, principatus, potestates, throni, dominationes, cherubin, seraphin. Istorum duorum ordinum nomina non sunt latina. Cherubin enim plenitudo scientiæ interpretatur, seraphin incendium dicitur; cætera nomina supradictorum ordinum Latina sunt, nisi angelorum et archangelorum. Nam angeli nuntii, archangeli vero excelsi nuntii dicuntur. Gregorius papa Romanus in homilia sua quam super lectionem evangelicam fecit, ubi ita legitur : « Erant appropinquantes ad Jesum publicani et peccatores ut audirent illum (*Luc.* xv, 1), plenissime de prædictis ordinibus exposuit. Nos vero ad propositum redeamus. *Tremunt potestates.* De supradictis ordinibus dicit. Non ideo dicit, quod supradicti ordines corporales sint, sed nostro more dicit, quia nos tremere ac timere ante dominos nostros solemus, sed ideo dicit tremere ac timere, ut nos intelligamus omnia cœlestia, terrestria et infernalia ante conspectum divinæ majestatis tremere ac timere. *Cœli cœlorumque virtutes.* Ipsi cœli jussioni divinæ obediunt, quia se ostendere serenos vel nebulosos non habent potestatem. Cœlorum virtutes sunt supradicti ordines angelorum. Sicut Gregorius in homilia sua super lectionem evangelicam, ubi ita scriptum est : « Erunt signa in sole et luna et stellis (*Luc.* xxi, 25), » testatur. *Ac beata Seraphin.* De Seraphin namque supra dictum est. *Socia exsultatione concelebrant.* Omnes prædicti ordines majestatem Dei Patris per Christum juncta exsultatione æqualiter concelebrant. *Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur.* Cum quibus : hæc est supplicatio nostra, ut ipse cœlestis Pater per Christum Filium suum, per quem nos ei gratias de omnibus agimus, dignetur admittere voces nostras, et jungere vocibus prædictorum ordinum angelorum. *Supplici confessione dicentes :* hoc est, humili confessione. Quid humilius confiteri, quam nosmetipsos æterno Patri per Filium æternum commendare, et de nostra conscientia vel bonitate nihil præsumere, et juxta voces angelicas eum semper sanctum essentialiter credere et prædicare dicentes : *Sanctus, sanctus, sanctus.* Joannes evangelista in Apocalypsis libro scripsit se vidisse « ante thronum Dei et agni viginti quatuor seniores, et quatuor animalia astantia et incessanter dicentia : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, » etc. (*Apoc.* iv, 4.) Ideo enim tribus vicibus sanctus dicitur, ut significaretur Pater sanctus, Filius sanctus, Spiritus Patris et Filii sanctus. Sed quamvis tripliciter dicatur sanctus, non tamen dicitur plurali numero sancti : sed singulari numero sanctus, ut una sanctitas in his tribus personis et una æternitas intelligatur. *Dominus Deus Sabaoth. Sabaoth* a multis interpretari solet *omnipotens*, a multis vero *exercituum.* Ut ipse sit Dominus Deus, et ipse omnes exercitus angelorum atque hominum disponat. *Pleni sunt cœli et terra gloria tua :* hoc est, ut ejus gloria cœli ac terra gubernentur, et qui in cœlo sunt et in terra glorificent nomen sanctum ejus. *Hosanna in excelsis.* Quod modo dicitur nunc corrupte Osanna, ante dicebatur Osianna : Osi interjectio est laudantis, sine causa, magnificantis, anna, salvifica : sed corrupte dicitur Osanna, et intelligi potest salvifica, vel salvum fac. *In excelsis*, id est, in altis. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Quando Christus venit ad Hierusalem et descendit de monte Oliveti, tunc filii Israel clamaverunt dicentes : « Benedictus qui venit in nomine Domini (*Joan.* ii, 13). » Sed quid significavit ille Christi adventus in Hierusalem, nisi futuram resurrectionem, quando venturus erit judicare vivos et mortuos, et apparuerit nobis in eadem carne, qua pro nobis passus est. Et tunc « in nomine Domini Jesu omne genuflectetur cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philip.* ii, 10), » et cætera, quæ apostolis dixit. Post hymnum angelicum quem concordi voce totus clerus simul cantat, sequitur oratio per quam sacramentum corporis et sanguinis Domini conficitur, quæ sic inchoat. *Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus et petimus uti accepta habeas et benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata.* Loquitur ergo ad Deum Patrem omnipotentem, clementissimum eum appellans, quia misericordissimus et piissimus est. Clemens quippe dicitur, quasi clara mens, sive abundans, et ideo eum appellat

Digitized by Google

clementissimum, hoc est, clarissima mente, quia ipse clarissimus est mente et misericordissimus corde, et hoc quod dicimus eum misericordem, non debemus corporaliter intelligere, quod membris corporeis vel corde aut mente sit compositus sicut homo, sed ideo clementem eum et misericordem clamamus, quia ille naturaliter pius et misericors, paratus est semper ad nos salvandos, si ad eum toto corde, recta fide et bonis operibus convertimur. *Per Jesum Christum Filium tuum. Jesus* Græce, Latine salvator sive salutaris dicitur. Salvator, eo quod salvat populum suum a peccatis eorum. Ideo salvat a peccatis, quia potestatem habet dimittendi peccata, sicut ipse dixit : « Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (*Matth.* IX, 6). » Salutaris ideo dicitur, quia salutem nobis dedit, ut si præcepta ejus servamus, vitam æternam capere valeamus. *Filium tuum Dominum nostrum*, Filium suum unigenitum dicit, quia ipse est unigenitus ex substantia Patris. Nos autem filii adoptivi sumus per ipsum, qui unigenitus est a Patre procedens Patri coæternus, et ideo per eum Patrem postulare debemus, humiliter dicentes : *Supplices rogamus et petimus*, supplices, id est, humiles, « uti accepta habeas et benedicas, » uti, id est, ut accipias et benedicas, « hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. » Dona sunt, quæ voluntarie dantur; munera sunt quæ pro aliquo munere vel mercede offeruntur, sicut nos offerimus Deo ut peccata nostra dimittantur. Sacrificia sunt quæ etiam cum orationibus consecrantur. Illibata, id est immaculata, et ab omni livore malitiæ aliena. Tunc sancta sunt dona et sacrificia illibata, quando absque scandalorum maculis sunt offerta [oblata], et justo labore sunt acquisita. Non ut multi errant, qui dicunt illibata esse non dedicata : lege septem collationes Patrum, et in secunda collatione Theonæ, in nono capite, invenies quæ sunt illibata. « In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo papa nostro et antistite nostro. » In primis, inquit, quæ tibi offerimus, quia soli Deo hæc oblatio offerenda est, et pro quibus offerenda sit indicat, hoc est imprimis offerri debent pro Ecclesia sancta catholica. Ecclesia Græce, Latine congregatio dicitur, catholica, universalis dicitur : quia universi qui in Domino credunt, in una debent esse congregatione. « Quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum. » Pro hac offerimus imprimis, ut supradictam congregationem tuam per totum orbem terrarum pacificatam et adunatam custodire digneris, « una cum famulo tuo illo : » hoc est, simul cum illo qui sedem apostoli Petri tenet, quia Ecclesia in qua Petrus princeps apostolorum sedet, caput est omnium Ecclesiarum catholicarum, ideo quia Petro dixit Christus : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, » et cætera. (*Matth.* XVI, 18.) Et propter hanc sententiam debemus omnes pro eo orare qui eidem præest Ecclesiæ. « Et antistite nostro : » hoc est, pro episcopo nostro, in cujus parochia sumus; pro ipso orare debemus, quia ipse est pastor Ecclesiæ et prædicator noster. *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum et omnium circumastantium.* Sacerdos ante oravit pro apostolico et episcopo suo ; si episcopus missam celebrat, pro antistite nostro dicere non debet, quia ipse antistes est. Si presbyter missam celebrat, ille debet dicere pro antistite nostro. Jam oratum est pro senioribus, postea orandum est pro populo quando sacerdos dicit : *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum ;* deprecatur Deum Patrem ut memorare dignetur omnium ad officium missæ sive masculorum sive feminarum adventium. Et quod dicit *circumastantium*, ipsi sunt masculi et feminæ qui circumastant. Jam sacerdos oravit pro omnibus qui ad audiendam missam venerunt. Tunc demum orat pro his qui oblationes suas afferunt. *Qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* Sacrificium dicit laudis, quod pro laude Dei imprimis offerunt, et postea addit : *Pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suæ tibi reddunt vota sua, æterno Deo vivo et vero.* Ideo offerunt, quia vivo et vero Deo omnium fides circumastantium et et non offerentium cognita est et nota devotio; omnes reddunt vota sua, vota dicuntur quæ volenter promittuntur, quia volenter et libenter Deo vovere et reddere debemus. *Communicantes et memoriam venerantes, imprimis gloriosæ semper virginis Mariæ genitricis Dei, et Domini nostri Jesu Christi. Sed et beatorum apostolorum ac martyrum tuorum.* Communicare se dicit, hoc est communionem cum illis habere, memoriamque ipsorum venerari, hoc est, in memoria eos honorabiliter venerari, scilicet quod sancta Maria virgo per adventum Spiritus sancti genitrix facta est Filii Dei Domini nostri Jesu Christi, qui Deus et homo est, per quem Patrem supplicamus et fide sana communicando firmiter credimus, quod Spiritu sancto veniente, Filius Dei natus est ex ea, nec tamen virginitas ejus est violata. « Sed et beatorum apostolorum, ac martyrum tuorum. » Apostolus namque dicitur in nostra lingua missus, martyr interpretatur testis, apostoli ideo dicuntur, quia a Christo missi sunt. Martyres vero, quia testes sunt, quod Christus passus est pro ipsis et omnibus in se rite credentibus, ipsique pro Christo; hoc est, in confessione nominis ejus. *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ quæsumus, Domine, ut placatus accipias.* Sacerdos oblationem suam atque cunctorum qui Domino famulantur, id est, serviunt commendat ut Domino placeant, et ipse illis propitius fiat. « Diesque nostros in sua pace disponat, atque ab æterna damnatione nos eripiat, et in electorum suorum grege jubeat nos numerari, per Christum Dominum nostrum. » Pro eo

Digitized by Google

ergo quod sacerdos offert, populus debet orare, ut sacerdos exaudiatur. Atque omnium nostrorum dies in pace disponantur, sicque ab æterna damnatione eripiamur. De qua Dominus noster in fine mundi dicturus erit impiis : « Ite, maledicti, in ignem æternum, etc. (*Matth.* xxv, 41). » Et ad illum gregem electorum suorum per angelos sanctos numerari mereamur, cui dicturus erit : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Ibid.*, *v.* 34). » Sequitur : « Quam oblationem, tu Deus, in omnibus quæsumus benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, » et cætera. Supplicat sacerdos ut illam oblationem quam ipse pro se offert et pro populo, omnipotens Pater dignetur accipere benedictam; et habere ascriptam, hoc est assignatam, ut sibi placeat. Ratam, hoc est, judicatam, ut dignam illam judicet in conspectu suo offerri. Rationabilem, id est, justa ratione plenam facere dignetur, quia tunc illi est acceptabilis, si recte credentes pro justa ratione offerimus. Justum est postulare ut illam oblationem, quam nos rationabiliter offerimus, Pater omnipotens sanctificando sibi acceptabilem faciat, *Ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.* Quia Patri dilectus est Filius, sicut ipse Pater testatus est de cœlo dicens : « Hic est Filius meus dilectus, » et cætera. « Nos utique eum diligere debemus, quia ipse prior dilexit nos, et passus est pro nobis. » — « Qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens benedixit, fregit, dedit discipulis suis dicens : Accipite et manducate ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum. Simili modo posteaquam cœnatum est, accipiens et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens benedixit, dedit discipulis suis dicens, accipite et bibite ex hoc omnes : Hic est enim calix sanguinis mei novi et æterni Testamenti mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem omnium peccatorum. Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis. » Quod intermisimus : « qui pridie quam pateretur, » hoc est, pridie quam ipse passus est pro nobis, voluit tradere discipulis suis corporis sui mysterium, ut illi traderent nobis. Quis unquam crederet, quod panis in carnem potuisset converti ; vel vinum in sanguinem, nisi ipse Salvator diceret, qui panem et vinum creavit, et omnia ex nihilo fecit? facilius est aliquid ex aliquo facere, quam omnia ex nihilo creare. Ipse Salvator voluit corpus humanum suscipere, et hominem Deo conjungere, ut unus fieret mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Ipseque voluit per nos panem et vinum offerri sibi et ab ipso divinitus consecrari, et fidelem populum credere verum esse mysterium quod ipse tradidit discipulis suis dicens : « Accipite et manducate ex eo omnes. » Similiter et de calice dixit : *Accipite et bibite ex hoc omnes.* Et quando oculos ad cœlum levavit et Patri gratias egit, nos in hoc docuit, quod nos Patrem semper supplicare debemus, ut ille tam magnum sacramentum per manus nostras perficere dignetur. Et cum diceret, *hæc quotiescunque feceritis*, *in mei memoriam facietis*, jussit nos illius passionis quam pro nobis sustinuit sedulo memores esse, et maxime eo tempore, quando hoc sacramentum celebramus, ejusque misericordiæ atque bonitati nos commendamus. *Unde et memores sumus, Domine, nos tui servi, sed et plebs tua sancta, Christi Filii tui Domini Dei nostri.* Hoc se sacerdos fecisse profitetur quod sibi a Domino imperatum est. Ideo enim ipsi sacerdotes filii Dei Domini videlicet Jesu Christi fideliter memores esse debent, quia ipsi missam celebrant, et sacrificium offerunt Christi exemplo instructi ; et scire debent quid celebrant, quia stulta postulatio est si postulat quis quod nescit. Plebs sancta ideo simul meminisse debet, quia Christus non solum pro sacerdotibus passus est, sed et pro plebe ; sancta ideo dicitur, quia fide ac baptismo Christi percepto sanctificata est. Modo indicat quid meminisse debent, id est, tam beatæ passionis, necnon et ab inferis resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ ascensionis, Christi quidem Filii Dei. Passionis videlicet ejus memores esse debemus, quia pati dignatus est pro nobis. Resurrectionis ejus ab inferis, quia animæ justæ ab inferis per resurrectionem ejus liberatæ sunt. Glorioseque similiter ascensionis ejus memores esse debemus ; quia corpus humanum quod assumpserat junctum divinitati, sine ullius adjutorio propria majestate portavit in cœlum. Ideo diximus sine ullius adjutorio, ut intelligatur non hominum nec angelorum, nec ullius creaturæ vehiculo ascendisse in cœlum, sed a Patris majestate elevatus est, de quo ipse dixit in Evangelio : « Ego et Pater unum sumus. » — « Offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis, hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ. O Domine, omnium memores supra dictarum bonitatum tuarum offerimus tuæ majestati hostiam puram, » hoc est corde puro, quia purum est corpus tuum, quod de hoc pane fieri credimus. *Hostiam sanctam*, quia tu sanctificasti corpus tuum quando hominem in Deum assumpsisti, et nunc sanctifica hunc panem ut corpus tuum fiat. *Hostiam immaculatam*, quia tu sine macula peccati passus es pro nobis. *Panem sanctum vitæ æternæ*, quia panis vivus es, qui de cœlo descendisti, et corpus tuum in hoc pane a te sanctificato nos accipere voluisti, et per calicem passionis tuæ nos sanguinem tuum sumere voluisti. Tu sanctifica hanc hostiam, ut nobis corpus tuum et sanguis tuus fiat. « Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris. » Hoc deprecamur ut, Pater sancte, super dona a nobis offerta [*Forte* oblata] pio et blando

Digitized by Google

vultu et claro digneris respicere, « et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. » Accepta habuit Dominus munera Abel, quia quidquid optimum invenit, Domino obtulit. Et nos justa munera et munda Deo, mundo corde offerre debemus. Abraham filio suo non pepercit, sed obediens jussioni Domini offerre eum voluit, Melchisedech primus sacerdos Domino panem et vinum obtulit, et ideo scriptum est in Psalmo : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX, 4) : » quia sicut Melchisedech panem et vinum, ita et Christus in passione sua corpus et sanguinem obtulit Deo Patri pro nobis. Et in pane et vino passionis suæ mysterium nos imitari voluit, quando discipulis suis dans panem ac calicem dixit : « Hoc est corpus meum : et hic est calix sanguinis mei. » (*Matth.* XXVI, 26.) Et nos supplicare debemus ut sicut supradictorum patrum accepta Deo fuerunt munera, ita fiant et nostra. « Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divinæ majestatis tuæ. » Humiliter ergo postulamus ut munera nostra super hoc altare quod videri potest oblata, Pater jubeat cœlestis per manus sancti angeli sui perferri in illud altum altare quod est ante divinam majestatem suam, quod oculis nostris videre non possumus, quia corporale non est sed spiritale. Et sicut nos divinam majestatem Patris investigare non possumus, ita nec ea quæ in conspectu ejus sunt debemus investigare, sed potius credere, « ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti et gratia repleamur per Christum Dominum nostrum. » Orare quidem debemus Patrem cœlestem, ut omnes qui ex ipsius altaris participatione supra quod nos offerimus Deo Patri in commemoratione Filii sui Domini Dei nostri Jesu Christi, corpus et sanguinem prædicti Filii Dei sumpserimus, omnem benedictionem cœlestem accipere mereamur per ipsum Christum Dominum nostrum. « Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis apostolis et martyribus vel omnibus sanctis. » Te quoque, clementissime, poscimus ut peccata nostra non aspicias, sed secundum largitatem bonitatis tuæ gaudia æterna nobis tribuere digneris et participationem gaudii in æterna lætitia cum omnibus sanctis tuis perpetualiter conferre. « Intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte. » Hoc rogamus, ut ipse qui dixit : *In quacunque die peccator conversus fuerit et pœnitentiam egerit, omnia peccata ejus in oblivione erunt coram me*, non retributionem peccatorum æstimet, sed ipse sit veniæ largitor, et intra sanctorum societatem nos A mittat. « Per Christum Dominum nostrum. Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et præstas nobis. » Hoc videlicet precamur ut per ipsum Christum Filium tuum unigenitum, per quem omnia bona creata sunt sanctificata et vivificata, hæc sacramenta benedicas, et nobis ad remedium sempiternum accipiendam præbeas. « Per quem et cum quo et in quo est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti, omnis honor et gloria, per omnia sæcula sæculorum, amen. » Post hæc ergo adorationem Dominicam proferendam, sacerdos incitat populum ita dicens : *Præceptis salutaribus moniti et divina institutione formati, audemus dicere.* Christi enim præcepta salute sunt plena, quia ipse est salus æterna, ca- B jus admonitione et jussione atque institutione divina formati ausi sumus preces Deo omnipotenti offerre, juxta exemplar quod ipse Salvator discipulos suos docuit in oratione Deo placita habere, et Patrem omnipotentem pro nobis suppliciter interpellare. *Pater noster qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum, Adveniat regnum tuum, Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo.* In his ergo septem petitionibus poscimus Deum patrem, ut nobis ea quæ salubria sunt conferat, et ea quæ noxia sunt procul a nobis repellat. Cujus petitionis expositionem juxta sanctorum doctorum sensum C breviter hic adnotare curamus. *Pater*, inquit, *noster qui es in cœlis*, Christus dixit ad discipulos suos post resurrectionem suam : *Ascendo ad Patrem meum et ad Patrem vestrum.* Aliter enim dixit Patrem suum, aliter Patrem nostrum : Patrem quippe suum, quia ipse proprius est Filius Patris ex substantia Patris ante omnia tempora genitus, ipsi Patri coæternus. Pater noster quoque est ideo quia nos creavit in tempore, ut nos filii ejus essemus adoptivi et hæreditatem cœlestem Patris nostri cœlestis possidere sine fine possemus, operibus ante implendo quod in perceptione fidei nos facturos prius spopondimus. Cœlum a cælando dicitur, eo quod cœlat divina secreta. Aliter cœlum a celsitudine dicitur, eo quod altius est rebus terrenis. Nos autem ideo D dicimus : *Pater noster qui es in cœlis*, ut nos credere ostendamus in patrem cœlestem, et sicut filii devoti patris sui præcepta cupiunt implere, ita et nos ipsius mandata perficere, et ad cœlum semper tendere desideremus. *Sanctificetur nomen tuum.* Hoc est, ut nos digni simus nomen sanctum ejus tenere in cordibus nostris : ut sicut angeli sancti qui in cœlo sunt sciunt et intelligunt sanctitatem nominis sui, ita et nos qui in terra sumus, ipso adjuvante sanctitatem nominis ejus mereamur cognoscere, quatenus sicut in cœlo, ita et in terra sit nomen ejus sanctificatum. *Adveniat regnum tuum* : hoc est, ut nos regnum ejus et potentiam ejus mereamur cognoscere, et ut jam

Digitized by Google

propter peccata nostra diabolus non regnet super nos; sed ipsius regnum adveniat, sicut in Evangelio scriptum est: *Regnum Dei intra vos est.* — *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra:* hoc est, ut ejus voluntatem sicut illi, qui in cœlo sunt, faciunt, ita et nos, qui in terra sumus, faciamus. Terra a terendo dicitur, eo quod pedibus teritur. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Panis apud Græcos in nostra lingua omnis interpretatur, et nos oramus ut omnipotens Pater omnem victum spiritalem ac carnalem nobis largire dignetur omni tempore. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Nihil enim injuste facit, qui sibi debenti debitam requirit: sed si omnipotens Deus a nobis omnia debita requirit, nullus sine debito invenietur, et ideo debemus debitoribus nostris debita dimittere, ut nobis omnipotens nostra dimittat, quia ipse dixit: « Si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris; nec Pater vester cœlestis remittet vobis peccata vestra (*Matth.* XVIII, 35). » Et alibi: « Auferuntur, inquit, de regno ejus omnia scandala (*Matth.* XIII, 41). » Et iterum: *Sacrificium non recipitur si cum scandalo offertur,* sed ante altare dimitti jubetur usque dum reconcilietur fratri suo, et tunc offerri mundo corde. *Et ne nos inducas in tentationem;* hoc est, ne intremus in illam tentationem in qua diabolus nos tentat, et ei non consentiamus, sed Dominus ipse nos defendat, ne inducamur in tentationem diabolicam; quod si nos Deus dimittit, statim introducimur in laqueum diaboli; et ideo postulamus ut ipse nos liberet a malo, hoc est ab omni impugnatione diaboli. *Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris:* hoc in hac prece postulat, ut ipse nos ab omnibus malis liberet, qui nos bonos et mundos creavit, in quo nullum est malum. Præterita sunt, quæ jam ante peccantes commisimus, et ideo flagella sustinemus. Præsentia sunt quæ quotidie committimus, futura sunt quæ adhuc diabolo suadente advenire possunt. Et ideo oramus ut ab omnibus liberemur, quia ante conspectum Dei nulla sunt prætérita nec futura? sed omnia sunt præsentia. « Intercedente pro nobis beata et gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria et beatis apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea. » Invocamus nobis in adjutorium Dei genitricem, quæ virgo fuit ante partum, virgo in partu, virgo post partum, et beati apostoli, qui nobis hæc mysteria celebranda tradiderunt, ut intercedant pro nobis, quia nos ipsi digni non sumus de præteritis ac præsentibus veniam promereri, necnon de futuris cautelam, nisi nobis eorum oratione donetur. Jam oravimus ut liberemur a malis, nunc oramus, ut prædictis sanctis intervenientibus ipse donet pacem. « Da propitius pacem in diebus nostris, » qui potens es a malo nos liberare, pacem nobis da a malis hominibus, ne patiamur flagella eorum. « Ut ope misericordiæ tuæ adjuti; » hoc est, ut Dei adjutorio adjuti: « a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi, » hoc est, ut peccatis nostris dimissis, in præsenti sæculo non perturbemur iterum peccantes, nec in die judicii æternam patiamur perturbationem. « Per Dominum nostrum. » Per ipsum ergo filium Dei patris omnipotentis, si ad vitam æternam pervenire desideraverimus, regni cœlestis nobis aditus adipiscendus est, quia sine ipso hic prospere, et in futura vita feliciter cum sanctis angelis ejus regnare nequaquam poterimus; quia ipse est initium et perfectio totius boni, « qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. » Tunc sacerdos pacem populo postulans dicit: *Pax Domini sit semper vobiscum.* Christus enim est pax æterna, qui nos reconciliavit Patri per passionem suam, ne propter peccatum primi hominis in inferno teneremur; hic orat sacerdos ut illa pax cum populo permaneat, et omnes concordes faciat, ut pacifice cum Christo mereamur in cœlo regnare. Et ideo tunc faciamus pacem antequam corpus et sanguinem Domini sumamus, ut cum concordia corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi in corpora nostra suscipiamus, quia sine concordia digni non sumus sanctam communionem accipere, quia munera nostra si discordiam habemus cum proximis nostris, antequam reconciliemur, a Deo non recipiuntur. Tunc orat clerus cantando: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus* dicitur propter innocentiam, quia nulli hominum nec bestiarum nocet, sed occisorem suum post occisionem suam reficit; ita et Christus nullum læsit, sicut apostolus dixit: « Quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* II, 22). » Sed post passionem suam, conversos persecutores suos multos per sanctam communionem corporis et sanguinis sui refecit et credentes fecit. Ipse tulit peccata mundi, quando remissionem peccatorum nobis dedit, quia ante passionem ejus justi et peccatores in infernum descenderunt. Et in Veteri Testamento remissionem peccatorum nusquam legimus, Christus vero per pœnitentiam, non solum veniam peccatorum, sed etiam gaudium nobis promisit angelicum, dicens: « Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* XV, 7). Ipsum Christum, qui est Agnus Dei innocens qui passus est pro salute mundi, petimus ut misereatur nostri dicentes: *Miserere nobis.* Nam agnus in Veteri Testamento pro peccatis populi offerebatur, et in Novo Testamento Christus semetipsum obtulit Deo Patri, ut genus humanum per passionem suam liberaret a peccato. Et ideo Agnus Dei tunc canitur, quando corpus et sanguis Domini percipitur, ut omnes credamus quia ipsius Agni corpus et sanguis tunc sumitur, qui peccata mundi tulit moriendo. Et vitam æternam nobis donavit resurgendo. Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre in unitate Spiritus sancti vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, amen. Et post missam finitam, dicit diaconus ad populum:

Digitized by Google

Ite, missa est. Diaconus Græce, minister Latine dicitur. Ille nuntiat populo quod finitæ sunt preces; quia nullus ante exire debet ecclesiam, quam expletum ministerium nuntiatum fuerit a ministro, et omnes respondeant: *Deo gratias*[a].

[a] Cætera capita in ms. codice Fuldensi desiderantur, fortassis consulto prætermissa, quod iisdem verbis (uti ex titulis apparet) repererentur capita libri primi de institutione clericorum a quarto usque ad vicesimum tertium inclusive.

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

DE ECCLESIASTICA DISCIPLINA

LIBRI TRES [a]

AD REGINBALDUM EPISCOPUM.

PRÆFATIO.

Quadam die dum quietus ab omni mundano negotio in cellula mea sederem, et lectioni divinarum litterarum operam darem, venit mihi in mentem recordatio boni studii tui, sancte Christi sacerdos, quod habes in doctrina gregis tibi divinitus commissi qualiter extrapositos et in paganico errore adhuc conversantes ad fidem Christi percipiendam invitares, et quomodo in Ecclesiam per baptismum et confessionem veræ fidei jam introductos doctrina et exhortatione catholica corroborares, ut quod professi sunt ore, exercerent in bona operatione, qualiterque deviantes per prævaricationes diversas disciplina evangelica coerceres, et in statum pristinum per pœnitentiam restituere certares. Hæc quidem omnia in animo meo pensans, cogitavi aliquod opusculum conficere, et tuo nomini illud dicare, ubi juxta auctoritatem sanctarum Scripturarum et doctrinam catholicorum Patrum invenire posses qualis debeat esse convocatio adhuc foris positorum ad percipiendam fidem Christi, qualisque fieri accessus post perceptam jam fidem ad accipiendam sacri baptismatis regenerationem, et sacramentorum divinorum sanctificationem, scireque doctrinæ sacræ rationem, et conservare veraciter Christianam religionem. Unde primum doctorem ipsum de officio suo et eruditione instituens, consequenter de instruendis rudibus in fide Christi sermonem facere statuimus. Deinde quomodo oporteat per prædicationis officium jam convocatos catechumenos facere et baptismate Christi abluere, sacramentisque divinis confirmare, et in fidei veritate corroborare; post hæc quoque, quomodo ipsos Christianos catholico dogmate erudire atque ecclesiastica disciplina corrigere, in militiaque Christi constitutos qualiter eos cum virtutibus contra vitia pugnare, et usque ad finem vitæ in studio bonæ conversationis perseverare conveniat, prout Dominus donaverit pandere curabimus. Nosti enim optime quod Paulus apostolus cum ad Timotheum scriberet, qualiter eum admonuerit et instruxerit debere in Ecclesia Dei conversari, qui inter alia ita ait (*I Tim.* IV, 12): « Præcipe hæc et doce. Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Dum venio, attende lectioni, et exhortationi et doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manus presbyterii. Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens et teipsum salvum facies et eos qui te audiunt. Et alibi (*II Tim.* II, 1): « Tu ergo, inquit, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu; et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei sunt et alios docere. Labora sicut bonus miles in Christo Jesu. » Et rursus (*I Tim.* V, 22): « Manus, ait, cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi. » Et sic de singulis ordinibus eum instituturus, quomodo presbyteros atque diaconos cæterosque gradus ordinare deberet, singulasque personas atque ætates, necnon et sexus, docere atque erudire pleniter instruxit. Unde necesse est ut eos quos ad divinum officium promovere concupiscis, diligenter doceas atque cum disciplina erudias, ut sciant qualiter divini verbi ministri fieri debeant, et quid eos scire et habere conveniat, ut cum ordinati fuerint et sacris ordinibus sublimati, magis populo Dei prosint quam noceant.

[a] In duobus prioribus libris sunt aliquot capita quæ cum libris de institutione clericorum conveniunt, ut suo loco notatur.

Digitized by Google

LIBER PRIMUS

DE SACRIS ORDINIBUS.

De sacris ordinibus accipiendis.

Sed quia et scientiæ plenitudinem, et vitæ rectitudinem, et eruditionis perfectionem maxime eos habere decet qui in quodam culmine constituti gubernaculum regiminis in Ecclesia tenent, etc., *ut in libro de Institut. Clericor., lib.* III, *cap.* 1, *usque ad finem capitis illius.*

De lectione divinarum litterarum.

(*De instit. cler., lib.* III, *c.* 2.) Fundamentum autem, status, et præfectio prudentiæ, scientia est sanctarum Scripturarum, etc., *usque ad finem capitis.*

Quod idem sit ad culmen sapientiæ et charitatis pervenire.

(*Ibid., c.* 5.) Quicunque igitur ad sapientiæ culmen pervenit, ad fastigium charitatis, etc., *usque ad finem capitis.*

De acquisitione virtutum.

(*Ibid., c.* 27.) Interea *quippe* dum intenta meditatione scientiam spiritalem optat adipisci, necesse, etc., *usque fere ad finem capitis ibi ad illa verba:* Sed quia de modo.

Quid doctor debeat in docendo agere.

(*Ibid., c.* 28.) Debet igitur divinarum Scripturarum tractator et doctor, defensor rectæ fidei, etc., *usque ad finem capitis.*

(*Ibid., c.* 30.) Sed quamvis in bonis doctoribus tanta docendi cura sit vel esse debeat, ut, etc., *usque ad finem capitis.*

(*Ibid., c.* 31.) Est autem optimus modus dicendi, quo fit ut qui audit, verum, etc., *usque ad finem capitis.*

Verum etiam flectere ut vincat. Hæc ergo servans prædicator evangelicus in prolatione sermonis, adjuvante divina gratia, poterit invenire fructum laboris sui, et laudem.

Quomodo rudes catechizandi sint.

Nam quia de eruditione doctrinæ et institutione morum prædicatores verbi Dei juxta traditionem majorum hactenus aliquantum instituimus, nunc consequenter quomodo rudes catechizandi sunt dicamus. Itaque hoc officium faciendum est narratione, exhortatione, atque hilaritate.

Narratio plena est, cum quisque primo catechizatur ab eo quod scriptum est: « In principio fecit Deus cœlum et terram (*Gen.* I, 1), » usque ad præsentia tempora Ecclesiæ, non tamen propterea debemus totum Pentateucum totosque Judicum et regnorum et Esræ libros, totumque Evangelium et Actus apostolorum vel si ad verbum edidicimus memoriter reddere: vel nostris verbis omnia quæ his continentur voluminibus narrando evolvere, et explicare: quod nec tempus capit, nec ulla necessitas postulat. Sed cuncta summatim generatimque complecti, ita ut eligantur quædam mirabiliora, quæ suavius aperiuntur, atque in ipsis articulis constituta sunt, et ea tanquam involucris ostendere: statimque a conspectu abripere non oportet, sed aliquantum immorando quasi resolvere atque expandere, et inspicienda atque miranda offerre animis auditorum, cætera vero celeri percussione inserendo contexere. Ita et illa quæ maxime commendari volumus aliorum submissione magis eminent: nec ad ea fatigatus pervenit quem narrando volumus excitare, nec illius memoria confunditur quem docendo debemus instruere. In omnibus sane non tantum nos oportet intueri præcepti finem, quod est charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, quo ea quæ loquimur cuncta referamus, sed etiam illius quem loquendo instruimus ad id movendus atque illuc dirigendus aspectus est. Neque enim ob aliud ante adventum Domini scripta sunt omnia quæ in Scripturis sanctis legimus: nisi ut illius commendaretur adventus, et futura præsignaretur Ecclesia, id est populus Dei, per omnes gentes, quod est corpus ejus adjunctis atque annumeratis omnibus sanctis. Qui etiam ante adventum ejus in hoc sæculo vixerunt, ita eum credentes venturum esse, sicut nos venisse. Quæ autem major causa est adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis commendans eam vehementer, quia cum adhuc inimici essemus Christus pro nobis mortuus est: hoc autem ideo, quia finis præcepti et plenitudo legis charitas est: ut et nos invicem diligamus, et quemadmodum ille pro nobis animam suam posuit, sic et nos animam pro fratribus ponamus: et ipsum Deum, quoniam prior dilexit nos, et Filio suo unico non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat. Nulla est enim major ad amorem invitatio quam prævenire amando, et nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit et rependere. Sic ergo maxime propterea Christus advenit, ut cognosceret homo quantum eum diligat Deus, et ideo cognosceret ut in ejus dilectionem qua prior dilectus est inardesceret, proximumque illo jubente et demonstrante diligeret, qui non proximum, sed non longe peregrinantem diligendo factus est proximus. Omnisque Scriptura divina quæ ante scripta est ad prænuntiandum adventum Domini, et quidquid postea mandatum est litteris et divina auctoritate firmatum est, Christum narrat et dilectionem movet. Manifestum est non tantum totam legem et prophetas in illis duobus pendere

Digitized by Google

præceptis dilectionis Dei et proximi, quæ adhuc sola Scriptura sancta erat cum hoc Dominus diceret. Sed etiam quæcunque posterius salubriter consecrata sunt, memoriæque mandata divinarum volumina litterarum. Quia ergo charitati nihil adversus quam invidentia, mater autem invidentiæ superbia est, idem Dominus Jesus Christus Deus homo et divinæ in nos dilectionis indicium et humanæ apud nos humilitatis exemplum, ut magnus tumor noster majore contraria medicina sanaretur. Magna est enim miseria superbus homo, sed major misericordia humilis Deus. Hac ergo dilectione tibi, lector, tanquam signo proposito quo referas omnia quæ dicis, quidquid narras ita narra: ut ille cui loqueris audiendo credat, credendo speret, sperando amet.

Narratione finita, spes resurrectionis intimanda est, et pro capacitate ac viribus audientis, proque ipsius temporis modulo adversus vanas irrisiones infidelium de corporis resurrectione tractandum, et futuri ultimi judicii bonitate in bonos, severitate in malos, veritate in omnes. Commemoratisque cum detestatione et horrore pœnis impiorum, regnum justorum atque fidelium superna illa civitas ejusque gaudium cum desiderio prædicandum est. Tum vero instruenda et animanda est infirmitas hominis adversus tentationes et scandala, sive foris, sive in ipsa intus ecclesia: foris adversus gentiles vel Judæos vel hæreticos, intus autem adversus areæ Dominicæ paleas, non ut contra singula perversorum genera disputetur, omnesque illorum pravæ opiniones propositis quæstionibus refellantur. Sed pro tempore brevi demonstrandum est ita esse prædictum, et quæ sit utilitas tentationum erudiendis fidelibus, et quæ medicina in exemplo patientiæ Dei, qui statuit usque in finem ista permittere. Cum vero adversus eos instruitur, quorum perversæ turbæ corporaliter implent ecclesias: simul etiam præcepta breviter et decenter commemorantur Christianæ atque honestæ conversationis, ne ab ebriosis, avaris, fraudatoribus, aleatoribus, adulteris, fornicatoribus, speculatorum amatoribus, remediorum sacrilegorum allegatoribus, præcantatoribus mathematicis, vel quarumlibet artium vanarum et malarum divinatoribus atque hujusmodi cæteris ita facile seducatur, et impunitum sibi fore arbitretur, quia videt multos, qui Christiani appellantur, hæc amare et agere, et defendere, et suadere, et persuadere. Quis enim finis præstitus sit in tali vita perseverantibus et quam sint in ipsa Ecclesia tolerandi ex qua in fine sperandi sunt divinorum librorum testimoniis edocendum est, prænuntiandum etiam inventurum eum in Ecclesia multos Christianos bonos, verissimos cives cœlestis Jerusalem. Si esse ipse cœperit, ad extremum ne spes ejus in homine ponatur sedulo monendus est, quia neque facile ab homine judicari potest quis homo sit justus, et si facile posset, non ideo nobis proponi exempla justorum ut ab eis justificemur, sed ut eos imitantes ab eorum justificatore nos quoque justificari sciamus. Hinc enim fiet quod maxime commendandum est, ut cum ille qui nos audit, imo per nos audit Deum, moribus et scientia proficere cœperit, et viam Christi cum alacritate ingredi, nec nobis id audeat assignare, nec sibi, sed seipsum et nos et quoscunque alios diligit amicos in illo, et propter illum diligi, qui eum dilexit inimicum ut justificans faceret amicum.

Illud plane non prætereundum est, ut si ad te quisquam catechizandus venerit liberalibus doctrinis excultus qui jam decreverit esse Christianus, et ideo venerit ut fiat, difficillimum omnino est ut non multa nostrarum scripturarum litterarumque cognoverit, quibus jam instructus ad sacramentorum participationem tantummodo venerit. Tales enim non eadem hora qua Christiani fiunt, sed ante solent omnia diligenter inquirere, et motus animi sui cum quibus possunt communicare atque discutere. Cum his itaque breviter agendum est, et non odiose inculcando quæ norunt, sed modeste perstringendo, ita ut dicamus nos credere quod jam noverint illud atque illud, atque hoc modo cursim enumerare omnia quæ rudibus indoctisque inculcanda sunt ut etsi quid novit eruditus iste non tanquam a doctore audiat, etsi quid forte adhuc ignorat dum ea commemoramus quæ illum nosse jam credimus discat. Sunt item quidam de scholis usitatissimis grammaticorum, oratorumque venientes, quos neque inter idiotas numerare audeas, neque inter illos doctissimos quorum mens magnarum rerum est exercitata quæstionibus. His ergo qui loquendi arte cæteris hominibus excellere videntur cum veniunt ut Christiani fiant, hoc amplius quam illis illitteratis impartiri debemus, quod sedulo monendi sunt, ut humilitate induti Christiana discant non contemnere quos cognoverunt, morum vitia quam verborum amplius devitare, et cordi casto linguam exercitatam nec conferre audeant, quam etiam præferre consueverunt. Maxime autem isti docendi sunt Scripturas audire divinas, ne sordeat eis solidum eloquium, quia non est inflatum, neque arbitrentur carnalibus integumentis involuta atque operta dicta vel facta hominum, quæ in illis libris leguntur, non evolvenda atque operienda ut intelligantur: sed sic accipienda ut litteræ sonant, deque ipsa utilitate secreti unde etiam mysteria vocantur quid valeant ænigmatum latebræ ad amorem veritatis acuendum discutiendumque fastidii torporem, ipsa experientia probandum est, talibus cum aliquid eis quod in promptu positum, non ita moveat, enodatione allegoriæ alicujus eruitur. His enim maxime utile est nosse ita esse præponendas verbis sententias ut præponitur animus corpori, ex quo fit, ut ita malle debeant veriores quam disertiores audire sermones, sicut malle debent prudentiores quam formosiores habere amicos: noverint etiam non esse vocem ad aures Dei nisi affectum animi. Ita enim non irridebunt si aliquos antistites et ministros Ecclesiæ forte animadverterint, vel cum barbarismis et solæcismis Dominum invocare, vel eadem verba quæ pronuntiant non intelligere perturbateque distinguere, non

Digitized by Google

quia ista minime corrigenda sunt ut populus ad id quod plana intelligit dicat : Amen. Sed tamen pie toleranda sunt ab eis qui didicerint ut sono in foro sic voto in ecclesia benedici.

Hilaritas autem in catechizandi officio plurimum valet, quando devotum et benevolum atque intentum efficit auditorem, quia parum proficit sermo prædicantis, si non aderit intentio delectans auditoris ; facit etiam loquendi tædium auditor immobilis, non quia humanæ laudis nos esse avidos decet, sed quia ea quæ ministramus, Dei sunt, et quanto magis diligimus eos quibus loquimur, tanto magis eis cupimus, ut placeant quæ ad eorum porriguntur salutem; quod si non succedit contristamur, et in ipso cursu debilitamur et frangimur, quasi frustra operam conteramus. Nonnunquam etiam cum avertimur ab aliqua re quam desideramus agere, et cujus actio aut delectabat nos aut magis nobis necessaria videbatur, et cogimur aut jussu ejus quem offendere volumus aut aliquorum inevitabili instantia catechizare aliquem, jam conturbati accedimus ad negotium cui magna tranquillitate opus est, dolentes quod neque ordinem actionum nobis conceditur tenere quem volumus, nec sufficere omnibus possumus, atque ita ex ipsa tristitia sermo procedens minus gratus est quod de ariditate mœstitiæ minus exuberat. Aliquando item ex aliquo scandalo mœror pectus obsidet, et tunc nobis dicitur : Veni, loquere huic, Christianus vult fieri. Dicitur enim ab ignorantibus quod nos clausum intus exurat, quibus si affectum nostrum aperire non oportet suscipimus ingrati quod volunt, et profecto languidus et insuavis ille sermo erit, per venam cordis æstuantem fumantemque trajectus. Tot igitur ex causis quælibet earum serenitatem nostræ mentis obnubilet, secundum Dominum sunt quærenda remedia quibus relaxetur illa contractio : et fervore spiritus exsultemus et jucundemur in tranquillitate boni operis. « Hilarem enim datorem diligit Deus (*II Cor.* IX, 7). » Et quia multum dissimiliter exit tædet loqui, et libet tacere : cogitemus quid nobis prærogatum sit ab illo qui demonstravit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Quantumvis enim differat articulata vox nostra ab intelligentiæ nostræ vivacitate, longe differentior est mortalitas carnis ab æqualitate Dei, et tamen cum in eadem forma esset « semetipsum exinanivit formam servi accipiens, » etc., usque ad mortem crucis (*Philipp.* II, 7); quam ob causam nisi quia « factus est infirmis infirmus ut infirmos lucrifaceret (*I Cor.* IX, 20). » Audi ejus imitatorem alibi etiam dicentem : « Sive enim mente excessimus, Deo; sive temperantes sumus, vobis : charitas enim Christi compellit nos indicantes hoc quia unus pro omnibus mortuus est (*II Cor.* V, 13). » Quomodo enim paratus esset impendi pro animabus eorum, si eum pigeret inclinari ad aures eorum? Hinc ergo factus est parvulus in medio nostrum, tanquam nutrix fovens filios suos. Quod si apparuerit sanabilemque se præbet, auctoritatum rationumque copia sine ulla dilatione sanandus est, si autem tacita et occulta offensio est, Dei medicina opitulari potest. At si resilierit et curari recusaverit, consoletur nos Dominicum illud exemplum, qui offensis hominibus ex verbo suo, et tanquam durum refugientibus, etiam his qui remanserant ait : « Nunquid et vos vultis ire? » (*Joan.* VI, 68.) Satis enim fixum atque immobile debet corde retineri Hierusalem captivam ab hujus sæculi Babylonia decursis temporibus liberari : nullumque ex illa esse periturum, quia qui perierit non ex illa erat, firmum enim fundamentum Dei stat habens signaculum hoc : novit Dominus qui sunt ejus, et recedet ab omni iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. Ista cogitantes et invocantes Dominum in cor nostrum, minus timebimus incertos exitus sermonis nostri propter incertos motus auditorum, delectabitque nos etiam ipsa perpessio molestiarum pro misericordi opere, si non in eo nostram gloriam requiramus. Tunc enim est vere opus bonum cum a charitate jaculatur agentis intentio, et tanquam ad locum suum rediens rursus in charitate requiescit; quod si nimis tardus est, et ab omni tali suavitate absurdus et aversus, misericorditer sufferendus est, breviterque decursis cæteris ea quæ maxime necessaria sunt, de unitate catholicæ Ecclesiæ, de tentationibus, de Christiana conversatione propter futurum judicium terribiliter inculcanda sunt, magisque pro illo ad Deum quam illa de Deo multa dicenda. Si vero ex aliquo scandalo perturbatus animus non valet edere serenum jucundumque sermonem, tantam esse charitatem oportet in eos, pro quibus Christus mortuus est, volens eos pretio sanguinis sui ab errorum sæcularium morte redimere, ut hoc ipsum quod nobis tristibus nuntiatur præsto esse aliquem qui desideret fieri Christianus, ad consolationem illius resolutionemque tristitiæ valeri debeat, sicut solent lucrorum gaudia dolorem lenire damnorum. Non enim scandalum nos contristat alicujus, nisi quem perire, aut per quem perire infirmum vel credimus vel videmus. His atque hujusmodi cogitationibus et considerationibus depulsa caligine tædiorum ad catechizandum aptatur intentio, ut suaviter imbibatur quod impigre atque hilariter de charitatis ubertate prorumpit. Hæc enim non tam ego tibi quam omnibus nobis dicit ipsa dilectio quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

Si quis autem ritum catechizandi plenum nosse voluerit, ex beati Augustini dictis discere poterit qui inter alia ad amicum de catechizandis rudibus, scribens, ita ait : Nec etiam illud quod priusquam promitterem non debebam, jam fortasse debitum flagitas, ut aliquod sermonis exemplum tanquam si ego aliquem catechizem non me pigeat explicare, et intuendum tibi proponere. Quod priusquam faciam volo cogites etiam esse intentionem dictantis cum lector futurus cogitatur, et aliam loquentis cum præsens auditor attenditur, et in eo ipso aliam in secreto monentis, dum nullus alius qui de nobis judicet præsto est, aliam palam docentis aliquid, ubi dissimili-

Digitized by Google

ter opinantium circumstat auditus, et in hoc genere aliam cum docetur unus, cæteri autem tanquam judicantes aut attestantes quæ sibi nota sunt, audiunt, aliam cum omnes communiter quid ad eos proferamus exspectant, et rursus in eo ipso aliam, cum quasi privatim consideretur ut sermocinatio conseratur, aliam cum populus tacens unum de loco superiore dicturum suspensus intuetur, multumque interest, et cum ita dicimus utrum pauci adsint, an multi, docti an indocti, an ex utroque genere mixti, urbani an rustici, an hi et illi simul, an populus ex omni hominum genere temperatus sit, fieri enim non potest, nisi aliter atque aliter afficiant locuturum atque dicturum : et ut sermo qui profertur affectionis animi a quo profertur quemdam quasi vultum gerat, et pro eadem diversitate diverse afficiat auditores, cum et ipsi seipsos diverse afficiant invicem præsentia sua. Sed quia de rudibus imbuendis nunc agimus, de meipso tibi testatus sum aliter atque aliter me moveri, cum ante me catechizandum video eruditum, inertem, civem, peregrinum, divitem, pauperem, privatum, honoratum, in potestate aliqua constitutum, illius aut illius generis hominem, illius aut illius ætatis, aut sexus, ex illa aut illa secta, ex illo aut illo vulgari errore venientem, ac pro diversitate motus mei sermo ipse et procedit, et progreditur, et finitur. Et quia cum eadem omnibus debeatur charitas, non eadem est omnibus adhibenda medicina ; ipsa item charitas alios parturit, cum aliis infirmatur, alios curat ædificare, alios contremiscit offendere, ad alios se inclinat, ad alios se erigit, aliis blanda, aliis severa, nulli inimica, omnibus mater : et qui non expertus est eadem charitate quod dico, cum videat nos quia facultas aliqua nobis donata delectet laudabiliter innotescere in ore multitudinis, inde nos beatos putat; Deus autem, in cujus aspectum intrat gemitus compeditorum, videat humilitatem nostram et laborem nostrum, et dimittat omnia peccata nostra. Quamobrem si quid tibi in nobis placuit ut aliquam observationem sermonis nostri a nobis audire quæreres, melius videndo et audiendo nos cum hæc agimus, quam legendo cum hæc dictamus edisceres. Sed tamen faciamus aliquem venisse ad nos qui vult esse Christianus, et de genere quidem idiotarum, non tamen rusticanorum sed urbanorum, quales apud Carthaginem plures experiri te necesse est, interrogatum etiam utrum propter vitæ præsentis aliquod commodum, an propter requiem, quæ post hanc vitam speratur, Christianus esse desiderat, propter futuram requiem respondisse, tali fortasse a nobis instrueretur alloquio : Deo gratias, frater, valde tibi gratulor, et gaudeo de te, quod in tantis ac tam periculosis hujus sæculi tempestatibus, de aliqua vera et certa securitate cogitasti. Nam et in hac vita homines magnis laboribus requiem quærunt et securitatem, sed pravis cupiditatibus non inveniunt. Volunt enim requiescere in rebus inquietis et non permanentibus, et quia illæ tempore subtrahuntur et transeunt timoribus et doloribus eos agitant, nec quietos esse permittunt. Sive enim in divitiis velit homo requiescere, magis superbus efficitur quam securus. Annon videmus quam multi eas subito perdiderint, multi etiam propter illas perierint, aut cum eas habere cupiunt, aut cum eis oppressis a cupidioribus auferuntur, quæ si etiam per totam vitam cum homine permanerent, et non desererent dilectorem suum, ipsa illas sua morte desereret. Quanta est enim vita hominis etiamsi senescat, aut cum sibi homines optant senectutem, quid aliud optant nisi longam infirmitatem? Sic et honores hujus sæculi quid sunt, nisi typus, et inanitas, et ruinæ periculum? quia sic sancta Scriptura dicit: « Omnis caro fenum, et claritas hominis ut flos feni, fenum aruit, flos decidit : verbum autem Domini manet in æternum (*Isa.* XL, 6). » Ideo qui veram requiem et veram felicitatem desiderat, debet tollere spem suam de rebus mortalibus et præterentibus, et eam collocare in verbo Domini, ut hærens ei quod manet in æternum, etiam ipse cum illo maneat in æternum.

Sunt etiam homines, qui nec divites esse queunt, nec ad vanas honorum pompas ambiunt pervenire, sed gaudere, et requiescere volunt in popinis, in fornicationibus, et in theatris, atque spectaculis nugacitatis, quæ in magnis civitatibus gratis habent, sed sic etiam ipsi ut consumunt per luxuriam paupertatem suam, et ab egestate postea in furta, et effracturas, et aliquando etiam ad latrocinia prosiliunt, et subito multis et magnis timoribus implentur, et qui in popina paulo ante cantabant, jam planctus carceris somniant. Studiis autem spectaculorum fiunt dæmonibus similes : clamoribus suis incitando homines ut se invicem cædant, secumque habeant contentiosa certamina qui se non læserunt, dum placere insano populo cupiunt. Quod si animadverterint esse concordes, tunc eos oderunt et persequuntur, et tanquam collusores ut fustibus verberentur exclamant : et hanc iniquitatem facere etiam vindicem iniquitatum judicem cogunt. Si autem horrendas adversus invicem inimicitias eos exercere cognoverint, sive sintæ qui appellantur, sive scænici et thimelici, sive aurigæ, sive venatores, quos miseros non solum homines cum hominibus, sed etiam homines cum bestiis in certamen pugnamque committunt : quo majore adversus invicem discordia furere senserint, eo magis amant, et delectantur, et incitati favent, et faventes incitant plus adversus seipsos insanientes. ipsi spectatores alter pro altero, quam illi, quorum insaniam insani provocant, et insaniendo spectare desiderant. Quomodo ergo sanitatem pacis tenere animus potest, qui discordiis et certaminibus pascitur? Qualis enim cibus sumitur, talis valetudo consequitur. Postremo quamvis insana gaudia non sint gaudia, tamen qualiacunque sint, et quantumlibet delectet jactantia divitiarum, et tumor honorum, et vorago popinarum, et bella theatrorum, et immunditia fornicationum, et prurigo thermarum; auferri omnia ista una febricula, et adhuc viventibus istum

Digitized by Google

falsam beatitudinem subtrahit : remaneat inanis, et saucia conscientia Dominum sensura judicem quem noluit habere custodem, et inventura asperum Dominum, quem dulcem Patrem quærere et amare contempsit. Tu autem qui veram requiem, quæ post hanc vitam Christianis promittitur, quæris ; etiam hic eam inter amarissimas vitæ hujus molestias suavem jucundamque gustabis, si ejus qui eam promisit præcepta dilexeris. Cito enim senties dulciores esse justitiæ fructus quam iniquitatis, et verius atque jucundius gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias, quia non sic venisti conjungi Ecclesiæ Dei, ut ex ea temporalem aliquam utilitatem requiras. Sunt enim qui propterea volunt esse Christiani, ut aut promercantur homines, a quibus temporalia commoda exspectant, aut quia offendere nolunt quos timent, sed isti reprobi sunt . et si ad tempus eos portat Ecclesia, sicut area usque ad tempus ventilationis paleam sustinent : si se non correxerint, et propter futuram sempiternam requiem Christiani esse cœperint, in finem separabuntur : nec sibi blandiantur quod in area possunt esse cum frumento Dei, quia in horreo cum illo non erunt, sed igni debito destinantur. Sunt etiam alii meliori quidem spe, sed tamen non minore periculo, qui jam Dominum timent, et non irrident Christianum novum, nec simulato corde intrant Ecclesiam Dei, sed in ista vita exspectant felicitatem, ut feliciores sint in rebus terrenis quam illi qui non colunt Dominum : ideoque cum viderint quosdam sceleratos et impios ista sæculari prosperitate pollere, et excellere, se autem vel minus habere ista vel amittere, perturbantur, tanquam sine causa Dominum colant, et facile a fide deficiunt. Qui autem propter beatitudinem sempiternam et perpetuam requiem, quæ post hanc vitam sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo, vere ipse est Christianus cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, et ne frangatur adversis : et in abundantia bonorum terrenorum modestus et temperans, et in tribulationibus fortis et patiens : qui etiam proficiendo pervenit ad talem animum ut plus amet Dominum quam timeat gehennam : ut etiam si dicat illi Deus, Utere deliciis carnalibus sempiternis, et quantum potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris, exhorrescat, et omnino non peccet, non jam ut in illud quod timebat non incidat, sed ne illum quem sic amat offendat, in quo uno est requies « quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* II, 9). » De qua re significat Scriptura et non tacet quod ab initio mundi ex quo fecit Deus cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt, sex diebus operatus est, et septimo die requievit (*Gen.* II, 1). Poterat enim Omnipotens et uno momento temporis omnia facere : non autem laboraverat ut requiesceret, quando, « Dixit, dixit et facta sunt ; mandavit et creata sunt, » sed ut significaret quia post sex ætates mundi hujus septima ætate tanquam septimo die requieturus est in sanctis suis, quia ipsi in illo requiescent post omnia bona opera in quibus ei servierunt, quæ ipse in illis operatur, qui vocat et præcipit et delicta præterita dimittit : et justificat eum qui prius erat impius. Sicut autem cum illi ex dono ejus bene operantur, recte dicitur operari : sic cum illo requiescunt, recte dicitur ipse requiescere. Nam quod ad ipsum attinet, pausationem non quærit, qui laborem non sentit. Fecit autem omnia per Verbum suum, et Verbum ejus ipse Christus, in quo requiescunt angeli, et omnes cœlestes mundissimi spiritus in sancto silentio. Homo autem peccato lapsus perdidit requiem quam habebat in ejus divinitate, et recepit eam in ejus humanitate : ideoque opportuno tempore quo ipse sciebat oportere fieri homo factus, et de femina natus est. A carne quippe contaminari non poterat ipse, carnem potius mundaturus. Ipsum antiqui venturum in revelatione Spiritus cognoverunt, et prophetaverunt, et sic salvi facti sunt credendo quia veniet, sicut nos salvi efficimur credendo quia venit : ut diligeremus Dominum qui sic nos dilexit ut unicum Filium suum mitteret, qui humanitate nostræ mortalitatis indutus, et a peccatoribus et pro peccatoribus moreretur. Jam enim olim ab ineuntibus sæculis mysterii hujus altitudo præfigurari prænuntiarique non cessat. Quoniam Deus omnipotens, et bonus et justus, et misericors, qui fecit omnia bona sive magna sive parva, sive summa sive infima, suæ quæ videntur, sicuti sunt cœlum, et terra, et mare, et in cœlo sol et luna, et cætera sidera, in terra autem et mari, arbores et frutices, et animalia, suæ cujusque naturæ, et omnia corpora vel cœlestia vel terrestria ; sive quæ non videntur, sicuti sunt spiritus quibus corpora vegetantur, et vivificantur : fecit et hominem ad imaginem suam, ut quemadmodum ipse per omnipotentiam suam præest universæ creaturæ, sic homo per intelligentiam qua etiam Creatorem suum cognoscit et colit, præ cæteris omnibus terrenis animalibus : fecit etiam illi adjutorium feminam non ad carnalem concupiscentiam, quandoquidem nec corruptibilia corpora tunc habebant antequam eos mortalitas invaderet pœna peccati, sed ut haberet vir gloriam de femina cum ei præiret ad Dominum, seque illi præberet imitandum in sanctitate atque pietate, sicut ipse esset gloria Dei cum ejus sapientiam sequeretur. Itaque constituit eos in quodam loco perpetuæ beatitudinis quem appellat Scriptura paradisum : præceptumque illis dedit quod si non transgrederentur, in illa semper immortalitatis beatitudine permanerent : si transgrederentur, supplicia mortalitatis expenderent. Præsciebat autem Deus eos transgressuros, sed tamen quia conditor est, et effector omnis boni, magis eos fecit, quando fecit et bestias, ut impleret terram bonis terrenis, et utique melior est homo etiam peccator quam bestia : et præceptum quod non erant servaturi magis dedit ut essent inexcusabiles cum in eos vindicare cœpisset.

Digitized by Google

Quidquid enim homo fecerit, laudabilem in suis factis invenit Deum: si recte egerit, laudabilem invenit per justitiam præmiorum; si peccaverit, laudabilem invenit per justitiam suppliciorum, si peccata confessus ad recte vivendum redierit, laudabilem invenit per misericordiam indulgentiarum. Cur ergo non faceret Deus hominem quamvis eum peccaturum prænosceret: cum et stantem coronaret, et cadentem ordinaret, et surgentem adjuvaret, et ubique gloriosus bonitate, justitia, clementia, maxime quia et illud præsciebat de propagine mortalitatis ejus futuros sanctos, qui non sibi quærerent, sed Creatori suo gloriam darent: et eum colendo ab omni corruptione liberati cum angelis sanctis vivere semper et beate vivere mererentur? Qui enim hominibus dedit liberum arbitrium, ut non servili necessitate, sed ingenua voluntate Dominum colerent, dedit etiam angelis: et ideo nec angelus qui cum spiritibus aliis satellitibus suis superbiendo deseruit obedientiam Dei, et diabolus factus est, aliquid nocuit Deo, sed sibi. Novit enim Deus ordinare deserentes se animas, et ex earum justa miseria inferiores partes creaturæ suæ convenientissimis et congruentissimis legibus admirandæ dispensationis ornare. Itaque nec diabolus aliquid Deo nocuit, quia vel ipse lapsus est vel hominem seduxit ad mortem: nec ipse homo in aliquo minuit veritatem aut potestatem, aut beatitudinem conditoris sui: quia conjugi suæ seductæ a diabolo ad id quod Deus prohibuerat propria voluntate consensit. Justissimis enim Dei legibus omnes damnati sunt Deo glorioso per æquitatem vindictæ, ipsi ignominiosi per turpitudinem pœnæ, ut et homo a suo Creatore aversus victus diabolo subderetur, et diabolus homini ad Creatorem suum converso vincendus proponeretur: ut quicunque diabolo usque in finem consentirent, cum illo irent in æterna supplicia: quicunque autem humiliarent se Deo et per ejus gratiam diabolum vincerent, æterna præmia mererentur. Neque enim hoc movere debet, quia multi diabolo consentiunt et pauci Dominum sequuntur: quia et frumentum comparatione palearum valde pauciorem habet numerum: sed sicut agricola novit quid faciat de ingenti acervo paleæ, sic nihil est Deo multitudo peccatorum, qui novit quid de illis agat, ut administratio regni ejus ex nulla parte turbetur atque turbetur. Nec ideo putandus est vicisse diabolus, quia secum plures cum quibus a paucis vinceretur attraxit.

De duabus civitatibus.

(*August.*) Duæ itaque civitates, una iniquorum, altera sanctorum, ab initio generis humani usque in finem sæculi perducuntur: nunc permixtæ corporibus, sed voluntatibus separatæ, in die vero judicii etiam separandæ corpore. Omnes enim homines amantes superbiam et temporalem dominationem cum vano typo et pompa arrogantiæ, omnesque spiritus qui talia diligunt, et gloriam suam subjectione hominum quærunt, simul una societate devincti sunt; A sed si sæpe adversum se pro his rebus dimicant, pari tamen pondere cupiditatis in eamdem profunditatem præcipitantur, et sibi morum et meritorum similitudine conjunguntur: et rursus omnes homines et omnes spiritus humiliter Dei gloriam quærentes non suam, et cum pietate sectantes, ad unam pertinent societatem: et tamen Deus misericordissimus et super impios homines patiens est: et præbet eis pœnitentiæ atque correctionis locum. Nam et quod omnes diluvio delevit, excepto uno justo cum suis quos in arca servare voluit, noverat quidem quod non se correcturi essent: verumtamen cum per centum annos arca fabricata est, prædicabatur utique eis ira Dei ventura super eos: et si converterentur ad Dominum parceret eis, sicut pepercit postea Ni- B nivæ civitati agenti pœnitentiam, cum ei per prophetam venturum interitum prænuntiasset: hoc autem facit Deus etiam illis quos novit in malitia perseveraturos, dans pœnitendi spatium ut nostram patientiam exerceat et informet exemplo suo quo noverimus quantum nos oporteat tolerabiliter malos sustinere, cum ignoremus quales postea futuri sint, quando ille parcit et sinit eos vivere quem nihil futurorum latet. Prænuntiabatur tamen etiam diluvii sacramento quod per lignum justi liberati sunt futura Ecclesia, quam rex ejus et Deus Christus mysterio suæ crucis ab hujus sæculi submersione suspendit. Neque enim Deus ignorabat quod etiam ex illis qui fuerant in arca servati nascituri erant mali, qui faciem terræ iniquitate implerent: sed tamen et exemplum C futuri judicii dedit, et sanctorum liberationem ligni mysterio prænuntiavit: nam et post hæc non cessavit repullulare malitia per superbiam, et *libidines*, et illicitas impietates: cum homines, deserto Creatore suo, non solum ad creaturam quam Deus condidit lapsi sunt, ut pro Deo colerent quod fecit Deus, sed etiam ad opera manuum hominum et ad fabrorum artificia curvaverunt animas suas, ubi de illis turpius diabolus et dæmonia triumpharent: quæ se in talibus figmentis adorari venerarique lætantur, dum errores suos humanis erroribus pascunt. Neque tunc sane defuerunt justi, qui Dominum pie quærerent, et superbiam diaboli vincerent, cives illius sanctæ civitatis quos regis sui Christi ventura humilitas per spiritum revelata sanavit, ex quibus Abraham pius D et fidelis Dei servus electus est, cui demonstraretur sacramentum Filii Dei, ut propter imitationem fidei omnes fideles omnium gentium filii ejus futuri dicerentur. Ex illo natus est populus a quo unus Deus verus coleretur qui fecit cœlum et terram: cum cæteræ gentes simulacris et dæmoniis servirent. In eo plane populo multo evidentius futura Ecclesia figurata est: erat enim ibi multitudo carnalis, quæ propter visibilia beneficia colebat Dominum. Erant autem ibi pauci futuram requiem cogitantes, et cœlestem patriam requirentes; quibus prophetando revelabatur futura humilitas Dei regis et Domini nostri Jesu Christi: ut per eam fidem ab omni superbia et tumore sanarentur. Horum sanctorum qui præcesse-

Digitized by Google

runt tempore nativitatem Domini, non solum sermo, sed etiam vita, et conjugia, et filii, et facta, prophetia fuit hujus temporis, quo per fidem passionis Christi ex gentibus congregatur Ecclesia, per illos sanctos patriarchas et prophetas carnali populo Israel, qui postea Judæi appellati sunt, et visibilia beneficia ministrabantur, quæ carnaliter a Domino desiderabant, et coercitationes pœnarum corporalium quibus pro tempore terrerentur, sicut eorum duritiei congruebat. Et in his tamen omnibus mysteria spiritalia significabantur, quæ ad Christum et Ecclesiam pertinent: cujus Ecclesiæ membra erant etiam isti sancti, quamvis in hac vita fuerint antequam secundum carnem Christus Dominus nasceretur. Ipse enim unigenitus Dei Filius, Verbum Dei Patris, æquale et coæternum Patri, per quod facta sunt omnia, homo propter nos factus est, ut totius Ecclesiæ tanquam totius corporis caput esset. Sed velut totus homo dum nascitur, etiamsi manum in nascendo præmittat, tamen universo corpori sub capite conjuncta atque compacta est: quemadmodum etiam nonnulli in ipsis patriarchis ad hujus ipsius rei signum manu præmissa nati sunt: ita omnes sancti qui ante Domini nostri Jesu Christi nativitatem in terris fuerunt, quamvis ante nati sint, tamen universo corpori, cujusque ille caput est, sub capite cohæserunt. Populus ergo ille in Ægyptum delatus servivit regi durissimo: et gravissimis laboribus eruditus, quæsivit liberatorem Dominum, et missus est eis unus de ipso populo sanctus Dei servus Moyses, qui in virtute Dei magnis miraculis terrens tunc impiam gentem Ægyptiorum, eduxit inde populum Dei per mare Rubrum; ubi descendens aqua viam præbuit transeuntibus: Ægyptii autem cum eos persequerentur, redeuntibus in se fluctibus demersi exstincti sunt. Ita quemadmodum per diluvium aquis terra purgata est a nequitia peccatorum, qui tunc in illa inundatione deleti sunt et justi evaserunt per lignum. Sic ex Ægypto exiens populus Dei per aquas iter invenit, quibus ipsorum hostes consumpti sunt, nec ibi defuit ligni sacramentum. Nam virga percussit Moyses, ut illud miraculum fieret. Utrumque signum sancti baptismi, per quod fideles in novam vitam transeant: peccata vero eorum tanquam inimici deleantur atque moriantur. Apertius autem Christi passio in illo populo figurata est, cum jussi sunt ovem occidere, et manducare, et de sanguine ejus postes suos signare: et hoc celebrare omni anno et appellare pascha Domini. Manifestissime quippe Propheta de Domino Jesu Christo dicit, quia « tanquam ovis ad immolandum ductus est (*Isa.* LIII, 7). » Cujus passionis et crucis signo in fronte hodie tanquam in poste signandus est Christianus, omnesque Christiani signantur. Inde per desertum populus ille ductus est per quadraginta annos, accepit etiam legem digito Dei scriptam. Quo nomine significatur Spiritus sanctus, sicut in Evangelio manifestissime declaratur. Neque enim Deus forma corporis diffinitus est, nec sic in illo membra et digiti cogitandi sunt quemadmodum videmus in nobis: sed quia per Spiritum sanctum dona Dei sanctis dividuntur, ut cum diversa possint, non tamen discedant a charitate charitatis; in digitis autem maxime apparet quædam divisio: nec tamen ab unitate præcisio, sive propter ea, sive propter aliam quamcunque causam Spiritus sanctus appellatus est digitus Dei; non tamen cum hoc audimus, humani corporis forma cogitanda est. Accepit ergo ille populus legem digito Dei scriptam in tabulis sane lapideis, ad significandam duritiam cordis eorum quod legem non erant impleturi: corporalia quippe dona desiderantes a Domino, magis carnali timore quam spiritali charitate tenebantur, legem autem non implet non charitas. Ideo multis sacramentis visibilibus onerati sunt, quo servili jugo premerentur in observationibus ciborum, et in sacrificiis animalium, et aliis innumerabilibus: quæ tamen signa erant rerum spiritalium ad Dominum Jesum Christum et ad Ecclesiam pertinentium: quæ tunc a paucis sanctis et intelligebantur ad fructum salutis, et observabantur ad congruentiam temporis. A multitudine vero carnalium tantummodo observabantur, non intelligebantur. Per multa itaque et varia signa rerum futurarum quas longum est omnes commemorare, et eas nunc in Ecclesia videmus impleri, perductus est ille populus ad terram promissionis, ubi temporaliter carnaliterque regnaret, pro modo desiderii sui, quod tamen regnum terrenum regni spiritalis imaginem gessit. Ibi Hierusalem condita est famosissima civitas Dei, serviens in signo liberæ civitatis quæ cœlestis Hierusalem dicitur, quod verbum est Hebræum, et interpretatur *visio pacis*, cujus cives sunt omnes sanctificati homines, qui fuerunt, et qui sunt, et qui futuri sunt; et omnes sanctificati spiritus, etiam quicunque in excelsis cœlorum partibus pia devotione obtemperant Deo, nec imitantur impiam diaboli superbiam et angelorum ejus. Hujus civitatis est rex Dominus Jesus Christus, Verbum Dei Patris quo reguntur summi angeli, et Verbum hominem assumens, ut eo regerentur et homines, qui simul omnes cum illo in æterna pace gaudebunt. Ad hujus rei præfigurationem in illo terreni regni populo Israel, maxime emicuit rex David, de cujus semine secundum carnem venit verissimus rex noster Dominus Jesus Christus, « qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. » Multa in illa terra promissionis gesta sunt, in figuram venturi Christi et Ecclesiæ, quæ in sanctis libris paulatim poteris discere. Post aliquot tamen generationes ostendit alium typum ad rem maxime pertinentem. Nam captivata est illa civitas et multa pars ejus ducta in Babyloniam. Sicut autem Hierusalem significat civitatem societatemque sanctorum, sic Babylonia significat civitatem societatemque iniquorum, quomodo dicitur interpretari Confusio. De quibus duabus civitatibus ab exordio generis humani usque in finem sæculi, permixta temporum varietate currentibus et ultimo judicio separandis, paulo ante jam diximus. Illa ergo captivitas Hierusalem civitatis, et ille po-

Digitized by Google

pulus in Babyloniam ductus ad servitutem ire jubetur a Domino per Jeremiam illius temporis prophetam : et exstiterunt reges Babyloniæ, sub quibus illi serviebant, qui ex eorum occasione commoti quibusdam miraculis cognoscerent, et colerent, et coli juberent unum verum Deum, qui condidit universam creaturam. Jussi sunt autem et orare pro eis a quibus captivi tenebantur, et in eorum pace pacem sperare ad gignendos filios, et domos ædificandas, et plantandos hortos et vineas. Post septuaginta autem annos promittitur eis ab illa captivitate liberatio. Hoc autem totum figurate significat Ecclesiam Christi in omnibus sanctis ejus, qui sunt cives Hierusalem cœlestis, servituram sub regibus hujus sæculi. Dicit enim et apostolica doctrina ut « omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit (*Rom.* XIII, 1), » et ut reddantur « omnibus omnia, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal (*Ibid.*, V, 7), » et cætera, quæ salvo Domini nostri cultu, constitutionis humanæ principibus reddimus, quando et ipse Dominus ut nobis hujus sanæ doctrinæ præberet exemplum, pro ea parte hominis quo erat indutus tributum solvere non dedignatus est. Jubentur autem etiam servi Christiani et boni fideles dominis suis temporalibus æquanimiter fideliterque servire : quos judicaturi sunt si usque in finem iniquos invenerint, aut cum quibus æqualiter regnaturi sunt, si et illi ad verum Dominum conversi fuerint : omnibus tamen præcipitur servire humanis potestatibus atque terrenis, quousque post tempus præfinitum quod significant septuaginta anni, ab istius sæculi confusione tanquam de captivitate Babyloniæ, sicut Hierusalem liberetur Ecclesia. Ex cujus captivitatis occasione ipsi etiam terreni reges, desertis idolis pro quibus persequebantur Christianos, unum verum Deum cognoverunt et colunt : pro quibus apostolus Paulus jubet orare etiam cum persequerentur Ecclesiam ; sic enim dicit (*I Tim.* II, 1) : « Obsecro itaque primum fieri deprecationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro regibus, pro omnibus hominibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut securam et tranquillam vitam agamus cum omni pietate et charitate. » Itaque per ipsos data est pax Ecclesiæ, quamvis temporalis tranquillitas temporis ad ædificandas spiritaliter domos, et plantandos hortos et vineas.

« Nam et ecce te modo per istum sermonem ædificamus atque plantamus : » Et hoc fit per totum orbem terrarum cum pace regum Christianorum, sicut idem dicit Apostolus : « Dei agricultura, Dei ædificatio estis (*I Cor.* III, 9). » Et post annos quidem septuaginta, quos mystice prophetaverat Jeremias ut finem temporum præfiguraret, tamen ut ipsa figura integraretur, facta est in Hierusalem restitutio ædificationis templi Dei; sed quia totum figurate agebatur, non erat firma pax ac libertas reddita Judæis. Itaque a Romanis postea victi sunt et tributarii facti, ex illo sane tempore ex quo terram promissionis acceperunt, et reges habere cœperunt : ne in aliquo regum suorum completum esse arbitrarentur quod eis liberator Christus promittebatur. Apertius per multas prophetias prophetatus est Christus, non solum ab ipso David in libro Psalmorum, sed etiam a cæteris et magnis et sanctis prophetis usque ad tempus captivitatis in Babyloniam ; et in ipsa captivitate fuerunt prophetæ, qui venturum Dominum Jesum Christum liberatorem omnium prophetarent. Et postea quam templum transactis septuaginta annis restitutum est ; tantas pressuras et calamitates a regibus gentium Judæi perpessi sunt, ut intelligerent nondum venisse liberatorem, quem non spiritaliter liberaturum intelligebant, sed pro liberatione carnali desiderabant. Peractis ergo quinque ætatibus sæculi, quarum prima est ab initio generis humani, id est, ab Adam qui primus homo factus est, usque ad Noe, qui fecit arcam in diluvio. Inde secunda est usque ad Abraham, qui pater electus est omnium quidem gentium, quæ fidem ipsius imitarentur, sed tamen ex propagine carnis suæ futura populi Judæorum ante fidem Christianam gentium unus inter omnes omnium terrarum populos unum verum Deum coluit, ex quo populo Salvator Christus secundum carnem veniret. Isti enim articuli duarum ætatum eminent in veteribus libris. Reliquarum autem trium etiam Evangelio declarantur, cum carnalis origo Domini Jesu Christi commemoratur. Nam tertia est ab Abraham usque ad David regem : quarta a David usque ad illam captivitatem qua populus Dei in Babyloniam transmigraverat : quinta ab illa transmigratione usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi. Ex cujus adventu sexta ætas agitur, ut etiam spiritalis gratia, quæ paucis tunc patriarchis et prophetis nota erat, manifestaretur omnibus gentibus, ne quisquam Dominum nisi gratis coleret, non visibilia præmia servitutis suæ et præsentis vitæ felicitatem, sed solam vitam æternam, in qua ipso Deo frueretur, ab illo desiderans ; ut hac sexta ætate mens humana renovetur ad imaginem Dei, sicut sexta die homo factus est ad imaginem Dei. Tunc enim et lex impletur, dum non cupiditate rerum temporalium, sed charitate illius qui præcepit, fiunt quæcunque præcepit. Quis autem non redamare affectet justissimum et misericordissimum Dominum, qui prior sic amavit justissimos et superbissimos homines, ut propter eos mitteret unicum Filium, per quem fecit omnia : qui non sui mutatione, sed hominis assumptione homo factus non solum cum eis vivere, sed etiam pro eis et ab eis posset occidi ? Itaque novum testamentum hæreditatis sempiternæ manifestabat, in quo renovatus homo per gratiam Dei ageret novam vitam, hoc est, spiritalem vitam, ut vetus ostenderet primum in quo carnalis populus agens hominem veterem exceptis paucis intelligentibus patriarchis, et prophetis, et nonnullis latentibus sanctis, carnaliter vivens carnalia præmia desiderabat a Domino Deo, et in figura spiritalium bonorum accipiebat. Omnia ergo bona terrena contempsit homo factus Dominus Christus, ut contemnenda monstraret ; et omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat : ut neque in illis quæreretur felicitas, neque in istis

Digitized by Google

infelicitas timeretur. Natus enim de matre est, quæ quamvis a viro intacta conceperit semperque intacta permanserit, virgo concipiens, virgo pariens, virgo moriens, tamen fabro desponsata erat, omnem typhum carnalis nobilitatis exstinxit ; natus etiam in civitate Bethleem, quæ inter omnes Judeæ civitates ita erat exigua ut hodieque villa appelletur, noluit quidquam de cujusquam terrenæ civitatis sublimitate gloriari. Pauper etiam factus est, cujus sunt omnia et per quem creata sunt : ne quisquam cum in eum crederet, de terrenis divitiis auderet extolli. Noluit rex ab hominibus fieri : quia humilitatis ostendebat viam miseris, quos ab eo superbia separaverat, quamvis sempiternum ejus regnum universa creatura testetur. Esurivit, qui omnes pascit : sitivit, per quem creatur omnis potus, et qui spiritaliter panis est esurientium fonsque sitientium : ab itinere terrestri fatigatus est, qui seipsum nobis fecit viam in cœlum. Velut obmutuit et obsurduit coram conviciantibus, per quem mutus locutus est et surdus audivit. Vinctus est qui de infirmitatum vinculis solvit, flagellatus est qui omnium dolorum flagella de hominum corporibus expulit. Crucifixus est, qui cruciatus nostros finivit. Mortuus est, qui mortuos suscitavit. Sed et resurrexit nunquam moriturus, ne ab illo quisquam sic disceret mortem contemnere, quasi nunquam moriturus. Inde confirmatis discipulis conversatus cum eis quadraginta diebus, eisdem spectantibus ascendit in cœlum : et completis a resurrectione quinquaginta diebus misit eis Spiritum sanctum. Promiserat enim per quem diffusa charitate in cordibus eorum, non solum sine onere, sed etiam cum jucunditate possent implere legem, quæ data est Judæis in decem præceptis, quod appellant decalogum. Quæ rursus ad duo rediguntur, ut diligamus Dominum « ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente ; et diligamus proximum sicut nosmetipsos. » Nam in his duobus præceptis totam legem pendere et prophetas ipse Dominus et dixit in Evangelio, et suo manifestavit exemplo. Nam et populus Israel ex die quo primum pascha in imagine celebrarunt, ovem occidentes et manducantes, cujus sanguine postes eorum ad salutis tutelam jam signati sunt ; ex ipso ergo die quinquagesimus dies impletus est, et legem acceperunt scriptam digito Dei. Quo nomine jam diximus significari Spiritum sanctum : sicut post Domini passionem et resurrectionem, quod est verum pascha, quinquagesimo die ipse Spiritus sanctus discipulis missus est : non jam lapideis tabulis corda dura significans, sed cum essent uno in loco congregati in ipsa Hierusalem, « Factus est subito de cœlo sonus quasi ferretur flatus vehemens, et visæ sunt illis linguæ divisæ quasi ignis, et cœperunt linguis loqui, ita ut omnes qui ad illos venerant suam linguam quisque cognosceret (*Act.* II, 2). » Ad illam enim civitatem ex omnibus terris conveniebant Judæi quacunque dispersi erant, et diversas linguas gentium diversarum didicerant. Deinde cum tota fiducia Christum prædicantes in ejus nomine multa signa faciebant, ita ut quemdam mortuum transeunte Petro umbra ejus tetigerit et resurrexerit. Sed cum viderent Judæi tanta signa fieri in ejus nomine, partim per invidiam, partim per errorem crucifixerunt : alii irritati sunt ad persequendos prædicatores ejus apostolos, alii vero idipsum amplius admirantes quod in ejus nomine quem veluti a se oppressum et vinctum riserant, tanta miracula fierent, pœnitendo conversi crediderunt in eum millia Judæorum. Non erant jam illi temporalia beneficia terrenumque regnum desiderantes a Deo, nec promissum regem Christum carnaliter exspectantes, sed immortaliter intelligentes et diligentes eum qui pro ipsis ab ipsis tanta mortaliter pertulit : et eis usque ad sui sanguinis effusionem peccata donavit, et immortalitatem a se speraudam et desiderandam exemplo suæ resurrectionis ostendit. Itaque jam veteris hominis terrena desideria mortificantes, et spiritalis vitæ novitate flagrantes, sicut præceperat in Evangelio Dominus, vendebant omnia quæ habebant, et pretia rerum suarum ante pedes apostolorum ponebant, ut ipsi distribuerent unicuique sicut cuique opus erat, viventesque in Christiana dilectione concorditer, non dicebant aliquid suum, sed erant illis omnia communia, et cor unum in Dominum (*Act.* IV, 34). Deinde etiam ipsi a Judæis carnalibus civibus carnis suæ persecutionem passi atque dispersi sunt : ut latius Christus per eorum dispersionem prædicaretur, et imitarentur etiam ipsi patientiam Domini sui : quia qui eos mansuetus passus fuerat, mansuefactos pro se jubebat pati. Ex ipsis sanctorum persecutoribus fuerat etiam apostolus Paulus, et in Christianos maxime sæviebat, sed postea credens et apostolus factus missus est ut gentibus Evangelium prædicaret : graviora perpessus pro nomine Christi quam fecerat contra nomen Christi. Ecclesias autem constituens per omnes gentes quo Evangelium seminabat, impense præcipiebat ut quoniam ipsi ex idolorum cultu vehementes ad unum Dominum colendum rudes non facile poterant rebus suis venditis et distributis servire Deo, oblationes facerent in pauperes sanctorum qui erant in ecclesiis Judæ quæ Christo crediderant. Ita illos tanquam milites, illos autem tanquam stipendiarios provinciales apostolica doctrina constituit, inserens eis Christum velut lapidem angularem, sicut per prophetam prænuntiatus erat, in quo ambo quasi parietes de diverso venientes, de Judæis videlicet atque gentibus germana charitate copularentur. Sed postea graviores et crebriores persecutiones ex incredulis gentibus adversus Christi Ecclesiam surrexerunt, et implebatur in dies singulos verbum Domini prædicentis : « Ecce ego mitto vos velut oves in medio luporum (*Matth.* X, 16). Sed illa vitis quæ per orbem terrarum sicut de illa prophetatum et ab ipso Domino prænuntiatum erat, fructuosos palmites diffundebat, tanto pullulabat amplius, quanto uberiore martyrum sanguine rigabatur. Quibus per omnes terras innumerabiliter pro fidei veritate morientibus etiam ipsa persequentia regna cesserunt, et ad Christum cognoscendum at-

Digitized by Google

que venerandum, fracta superbiæ cervice, conversa sunt. Oportebat autem ut eadem vitis sicut a Domino identidem prædictum erat putaretur, et ex ea præciderentur infructuosa sarmenta, quibus hæreses et schismata per loca facta sunt, sub Christi nomine non ipsius gloriam, sed suam quærentium, per quorum adversitates magis magisque exerceretur Ecclesia, et probaretur atque illustraretur et doctrina ejus et patientia. Omnia ergo hæc, sicut tanto ante prædicta legimus, sic et facta cognoscimus, et quemadmodum primi Christiani, quia nondum ista provenisse videbant, miraculis monebantur ut crederent: sic nos quia omnia ista ita completa sunt, sicut ea in libris legimus qui longe antequam hæc implerentur conscripti sunt, ubi omnia futura dicebantur, et præsentia jam videntur, ædificamur ad fidem, ut etiam illa quæ restant sustinentes et perseverantes in Domino, sine dubitatione ventura credamus. Siquidem adhuc tribulationes futuræ in eisdem scriptis leguntur, et ipsi ultimus judicii dies, ubi omnes cives ambarum illarum civitatum receptis corporibus surrecturi sunt, et rationem vitæ suæ ante tribunal Christi judicis reddituri. Veniet enim etiam in claritate potestatis, qui prius in humilitate humanitatis venire dignatus est, et omnes pios ab impiis segregabit: non tantum eis qui in eum credere omnino noluerunt, sed etiam eis qui frustra et infructuose crediderunt in eum; illis daturus regnum secum æternum: illis autem pœnam æternam cum diabolo; sed sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inveniri gaudio vitæ æternæ quam sancti accepturi sunt, ita nullus cruciatus temporalium pœnarum potest sempiternis iniquorum cruciatibus comparari.

Itaque, frater, confirma teipsum in ejus nomine atque adjutorio cui credis, adversus linguas eorum qui fidem nostram irrident, de quibus diabolus seductoria verba loquitur, maxime volens irridere fidem resurrectionis. Sed ex te ipso crede futurum te esse cum futuris, quando cum ante non fueris, nunc esse te vides. Ubi enim erat ista moles corporis tui, et ista forma membrorumque compago ante paucos annos, priusquam natus, vel etiam priusquam in matris utero conceptus esses? Ubi erat hæc moles, et hæc statura corporis tui? Nonne de occultis hujus creaturæ secretis Domino Deo invisibiliter formante processit in lucem, certisque ætatum incrementis in istam magnitudinem formamque surrexit? Nunquid ergo difficile est Deo, qui etiam aggeres nubium ex occulto in momento contrahit, et contegit cœlum in ictu temporis, reddere istam quantitatem corporis tui sicut erat, qui eam facere potuit sicut non erat? Crede ergo fortiter et inconcusse quia omnia quæ videntur quasi pereundo humanis oculis subtrahit, salva et integra sunt omnipotentiæ Dei; qui ea cum voluerit sine ulla mora et difficultate reparabit, ea duntaxat quæ justitiæ jus reparanda esse judicat, ut in his corporibus reddant homines factorum suorum rationem, in quibus ea fecerunt, et in his mereantur aut commutationem cœlestis incorruptionis pro meritis pietatis, aut corruptibilem corporis conditionem pro meritis iniquitatis: non quæ morte salvatur: sed quæ materiam doloribus sempiternis præbeat. Fuge ergo per immobilem fidem, et mores bonos, fuge, frater, illa tormenta, ubi nec tortores deficiunt, nec torti moriuntur, quibus sine fine mors est non posse in cruciatibus mori. Et exardesce amore atque desiderio sempiternæ vitæ sanctorum, ubi nec operosa erit actio, nec requies desidiosa; laus erit Dei sine fastidio, sine defectu, nullum in animo tædium, nullus labor in corpore; nulla indigentia, nec tua cui subvenire desideres, nec proximi cui subvenire festines; omnes deliciæ Deus erit: et societas sanctæ civitatis, in illo, et de illo sapienter beateque viventis. Efficiemur enim sicut ab illo promissum speramus et exspectamus, æquales angelis Dei: et cum eis pariter illa Trinitate perfruemur jam per speciem, in qua nunc per fidem ambulamus. Credimus enim quod non videmus, ut ipsis meritis fidei etiam videre quod credimus et inhærere mereamur, ut æqualitatem Patris et Filii, et Spiritus sancti, et ipsius Trinitatis unitatem. Quomodo sint hæc tria unus Deus, non jam verbis fidei et strepentibus syllabis personemus: sed contemplatione purissima et ardentissima in illo silentio sorbeamus. Hæc tene fixa in corde tuo, et invoca Dominum cui credis, ut tueatur te adversus tentationes diaboli; et esto cautus, ne tibi aliunde nostis ille subrepat, qui ad solatium maleolentissimum damnationis suæ cum quibus damnetur inquirit. Non enim per eos solos qui Christianum nomen oderunt, et dolent eo nomine occupatum esse orbem terrarum, et adhuc simulacris et dæmoniorum curiositatibus servire desiderant, audet ille tentare Christianos; sed etiam per eos quos paulo ante commemoravimus, de unitate Ecclesiæ, velut putata vite, præcisos, qui hæretici vel schismatici dicuntur, conatur etiam id quidem interdum. Sed tamen id etiam aliquando conatur et per Judæos tentare atque seducere. Sed maxime cavendum est, ne per homines qui sunt in ipsa catholica Ecclesia, quos velut paleam usque ad tempus ventilationis suæ sustinet, unusquisque tentetur et decipiatur. Propterea enim Deus patiens est in illos, ut et suorum electorum fidem atque prudentiam per illorum perversitatem exercendo confirmet. Et quia de numero eorum multi proficiunt, et ad placendum Deo miserati animas suas magno impetu convertuntur. Non enim omnes sibi per patientiam Dei thesaurizant iram in die iræ justi judicii ejus. Sed multos eadem omnipotentis patientia perducit ad saluberrimum pœnitentiæ dolorem: quod donec fiat exercetur per eos illorum qui jam rectam viam tenent non solum tolerantia, sed etiam misericordia. Multos ergo visurus es ebriosos, avaros, fraudatores, aleatores, adulteros, fornicatores, remedia sacrilega sibi alligantes, præcantatoribus et mathematicis vel quarumlibet impiarum artium divinatoribus deditos;

Digitized by Google

animadversurus etiam quod illæ turbæ impleant ecclesias per dies festos Christianorum, quæ implent et theatra per dies solemnes paganorum : et hæc videndo ad imitandum tentaberis. Et quid dicam? Videbis quod etiam nunc jam utique nosti : non enim nescis multos qui appellantur Christiani, hæc omnia mala operari quæ breviter commemoravi. Et aliquando fortasse graviora facere homines non ignoras, quos nosti appellari Christianos. Sed si hoc animo venisti ut quasi securus talia facias, multum erras : nec tibi proderit nomen Christi cum cœperit ille severissime judicare qui prius dignatus est misericordissime subvenire. Prædixit enim ista et ait in Evangelio : « Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed is qui facit voluntatem Patris mei. Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, in nomine tuo manducavimus et bibimus (*Matth.* VII, 2). » Omnibus ergo qui in talibus operibus perseverant damnatio finis est. Cum ergo videris multos non solum hæc facere, sed etiam defendere atque suadere, tene te ad legem Dei, et non sequaris prævaricatores ejus. Non enim secundum illorum sensum, sed secundum illius veritatem judicaberis. Conjungere bonis quos vides amare tecum regem tuum. Multos enim inventurus es : si et tu talis esse cœperis. Nam si in spectaculis cum illis esse cupiebas, et eis inhærere qui tecum vel aurigam, vel venatorem, vel aliquem histrionem simul amabant : quanto magis te delectare debet eorum conjunctio qui tecum amant Dominum, de quo nunquam erubescet amator ejus : quia non solum ipse non potest vinci, sed etiam dilectores suos reddet invictos, nec tamen etiam in ipsis bonis qui te vel præcedunt vel tibi comitantur ad Dominum collocare spem tuam debes : quia nec in teipso debes quantumcunque profeceris, sed in illo qui eos et te justificando tales facit. Securus es enim de Deo, quia non mutatur : de homine autem nemo prudenter securus est. Sed si illos qui nondum justi sunt, amare debemus, ut sint : quanto ardentius qui jam sunt amandi sunt. Sed aliud est diligere hominem, aliud spem ponere in homine : tantumque interest ut illud Deus jubeat, hoc prohibeat; si autem aliquas vel insultationes, vel tribulationes pro nomine Christi passus, non defeceris a fide, nec a bona vita deviaveris, majorem mercedem accepturus es. Qui autem in his cesserint diabolo, etiam minorem perdunt. sed humilis esto Deo : ut non te permittat tentari ultra vires tuas.

His dictis, interrogandus est an hæc credat, atque observare desideret. Quod cum responderit, solemniter utique signandus est : et Ecclesiæ more tractandus. De sacramento sane quod accepit, cum ei bene commendatum fuerit, signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari : nec sibi habendam esse illa specie benedictionem sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet : dicendum etiam quid significet et sermo ille quem audivit, quid in illo condiat, cujus illa res similitudinem gerit. Deinde monendus est ex hac occasione, ut si quid etiam in Scripturis audiat quod carnaliter sonat, etiam si non intelligit, credat tamen spiritali aliquid significari quod ad sanctos mores futuramque vitam pertineat. Hoc autem ita breviter discit : ut quidquid audierit ex libris Canonicis quod ad dilectionem æternitatis, et veritatis, et sanctitatis, et dilectionem proximi referre non possit, figurate dictum vel gestum esse credat : atque ita conetur intelligere ut ad illam genuinam referat dilectionem, ita sane ut proximum non carnaliter intelligat, sed omnem qui cum eo in illa sancta civitate potest esse, sive jam, sive nondum appareat, et ut de nullius hominis correctione desperet, quem patientia Dei videt vivere : non ob aliud, sicut Apostolus ait (*Rom.* II, 4), nisi ut adducatur ad pœnitentiam.

Quomodo quis breviter catechizandus sit.

(*Aug.*) Si autem longus tibi videtur iste sermo, quo tanquam præsentem rudem hominem instruxi, licet ea tibi dicere brevius, longiorem tamen esse debere non puto : quanquam multum interest quid res ipsa, cum agitur, moneat, et quid auditorum præsentia non solum ferre, sed etiam desiderare se ostendat. Cum autem celeritate opus est, vide quam facile explicari tota res possit. Fac rursus adesse aliquem qui velit esse Christianus, ergo et interrogatum, illud quod superius respondisse ostensus est : quia et si non hoc respondet, hoc eum respondere debuisse dicendum est. Deinde hoc modo cætera contexenda. Vere, frater, illa magna et vera beatitudo est, quæ in futuro sæculo sanctis promittitur. Omnia vero visibilia transeunt, et omnis hujus sæculi pompa et deliciæ et curiositas interibunt, et secum ad interitum trahunt amatores suos, a quo interitu, hoc est, pœnis sempiternis, Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici et non resistant misericordiæ creatoris sui, misit unigenitum Filium suum, hoc est, Verbum suum æquale sibi per quod condidit omnia. Et manens quidem in divinitate sua et non recedens a Patre, nec in aliquo mutatus, assumendo tamen hominem et in carne mortali hominibus apparendo venit ad homines : ut quemadmodum per unum hominem, qui primus factus est, id est Adam, mors intravit in genus humanum, quia consensit mulieri suæ seductæ a diabolo, ut præceptum Dei transgrederentur : sic per unum hominem, qui etiam Deus est Dei filius, Jesum Christum deletis omnibus peccatis præteritis, credentes in eum omnes in vitam æternam ingrederentur. Omnia enim quæ nunc vides in Ecclesia Dei et sub Christi nomine per totum orbem terrarum geri, ante sæcula jam prædicta sunt, et sicut legimus, ita et videmus; et inde ædificamur in fidem, factum est aliquando diluvium per totam terram ut peccatores delerentur, et tamen illi qui evaserunt in arca sacramentum futuræ Ecclesiæ demonstrabant, quæ nunc in fluctibus sæculi natat;

Digitized by Google

et per lignum crucis Christi a submersione liberamur. Prædictum est Abrahæ fideli servo Dei, uni homini, quod de illo esset populus nasciturus qui coleret unum Deum inter cæteras gentes quæ idola colebant : et omnia quæ illi populo ventura prædicta sunt, sic evenerunt ut prædicta sunt. Prophetatus est in illo populo etiam Christus rex omnium sanctorum et Deus venturus ex semine ipsius Abrahæ, secundum carnem quam assumpsit, ut omnes filii essent Abrahæ, qui fidem ejus imitarentur ; et sic est factum : natus est Christus de Maria virgine quæ ex illo genere fuit ; prædictum est per prophetas quod in cruce passurus esset ab eodem populo Judæorum, de cujus genere secundum carnem veniebat, et sic est factum ; prædictum est quod resurrecturus esset : resurrexit, et secundum ipsa prædicta prophetarum ascendit in cœlum, et discipulis suis Spiritum sanctum misit. Prædictum est non solum a prophetis, sed etiam ab ipso Domino Jesu Christo, quod Ecclesia ejus per universum orbem terrarum esset futura, per sanctorum martyria passionesque disseminata : et tunc prædictum quando adhuc nomen ejus et latebat gentes, et ubi notum erat irridebatur : et tamen in virtutibus miraculorum ejus, sive per se ipse, sive quæ per servos suos fecit, dum annuntiantur hæc et creduntur, jam videmus quod prædictum est esse completum, regesque ipsos terræ qui antea persequebantur Christianos jam Christi nomini subjugatos ; prædictum est etiam quod schismata et hæreses ex ejus Ecclesia essent exituræ, et sub ejus nomine per loca ubi possent, suam, non Christi, gloriam quæsituræ, et ista completa sunt. Nunquid ergo illa quæ restant non sunt ventura? Manifestum est quia sicut ista prædicta venerunt, sic etiam illa ventura sunt : quæcunque justorum tribulationes adhuc restant, et judicii dies qui separabit omnes impios a justis in resurrectione mortuorum ; et non solum eos qui sunt extra Ecclesiam, sed etiam ipsius Ecclesiæ paleas, quas oportet usque ad novissimam ventilationem patientissime sufferat, ad ignem debitum segregabit. Qui autem irrident resurrectionem, putantes quod caro ista quia putrescit resurgere non potest, ad pœnas in ea resurrecturi sunt, et ostendet eis Deus quia qui potuit hæc corpora facere antequam essent, potest ea in momento restituere sicut erant : omnes autem fideles regnaturi cum Christo ita resurgent in eodem corpore, ut etiam commutari mereantur ad incorruptionem angelicam, ut fiant æquales angelis Dei, sicut Dominus ipse promisit : et laudent eum sine aliquo defectu, et sine aliquo fastidio semper viventes cum illo et de illo, cum tali gaudio et beatitudine quali nec dici, nec cogitari ab homine potest.

Tu itaque credens cave tentationes, quia diabolus quærit qui secum pereant : ut non solum per eos qui extra Ecclesiam sunt, sive pagani, sive Judæi, sive hæretici, non te hostis ille seducat, sed etiam quos ipse in Ecclesia Catholica videris male viventes, aut immoderatis voluptatibus ventris, et gutturis, aut impudicos, aut vanis curiositatibus vel illicitis deditos, sive spectaculorum, sive remediorum aut divinationum diabolicarum, sive in pompa et typho avaritiæ atque superbiæ, sive in aliqua vita quam lex damnat et punit, non eos imiteris : sed potius conjungaris bonis quos inventurus es facile, si et tu talis fueris, ut simul colatis et diligatis Dominum gratis : quia totum præmium nostrum ipse erit, ut in illa æterna vita bonitate ejus et pulchritudine perfruamur. Sed amandus est, non sicut aliquid quod videtur oculis, sed sicut amatur sapientia, et veritas, et sanctitas, et justitia, et charitas, et si quid aliud tale dicitur, non quemadmodum sunt ista in hominibus, sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis et incommutabilis sapientiæ. Quoscunque ergo videris hæc amare illis conjungere, ut per Christum, qui homo factus est ut esset mediator Dei et hominum, reconcilieris Deo. Homines perversos etiam parietes si intrent ecclesiæ, non eos arbitreris intraturos in regnum cœlorum, quia suo tempore separabuntur, si se in melius non commutaverint homines. Ergo bonos imitare, malos tolera : omnes ama, quoniam nescis quid cras futurus sit qui hodie malus est : nec eorum ames injustitiam, sed ipsos ideo ama ut apprehendant justitiam : quia non solum dilectio Dei nobis præcepta est, sed etiam dilectio proximi, in quibus duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ : quam non implet nisi qui donum acceperit Spiritum sanctum, Patri et Filio utique æqualem : quia ipsa Trinitas Deus est, in quo Deo spes omnis ponenda est. In homine non est ponenda qualiscunque ille fuerit : aliud est enim ille a quo justificamur, aliud illi cum quibus justificamur. Non autem solum per cupiditates diabolus tentat, sed etiam per terrores insultationum, et dolorum, et ipsius mortis. Quidquid autem homo passus fuerit pro nomine Christi, et pro spe vitæ æternæ et permanens toleraverit, major ei merces dabitur. Quod si cesserit diabolo, cum illo damnabitur. Sed opera misericordiæ cum pia humilitate impetrant a Domino, ut non permittat servos suos tentari plusquam possunt sustinere.

Nam quoniam de hoc qui ad fidem Christi se velle venire testatus est, quomodo imbuendus sit in præcedenti sermone, ita, ut reor, satis dictum est. Nunc quomodo ipse ad catechismi ordinem introducatur ut catechumenus fiat, et sic ad baptismum Christi et sacramenta divina percipienda perveniat, sequenti sermone, prout Dominus dederit, demonstrabimus.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

DE CATECHISMO ET SACRAMENTIS DIVINIS.

(*De Inst. cler.*, *l.* I, *c.* 26.) Catechumenus autem dicitur pro eo quod adhuc doctrinam fidei audit, necdum tamen, etc. *Usque ad finem capitis.*

Quia non obsistit omnipotentis Dei gratiæ naturæ infirmitas humanæ.

Quamvis enim parvuli pro ætate non possunt intelligere ipsam conversionem ad Deum atque credulitatem, credimus tamen eos ad Deum converti propter conversionis sacramentum, et fidem habere propter fidei sacramentum, sicut legimus in Augustini Epistola ad Bonifacium episcopum de parvulis requirentem, ubi dicit (ipsa responsio ad celebrationem sacramenti pertinet), sicut de ipso baptismo Apostolus : « Consepulti, inquit, sumus cum Christo per baptismum in morte (*Rom.* VI, 4). » Non ait sepulturam significabimus, sed prorsus ait, « consepulti sumus, » sacramentum ergo tantæ rei non nisi ejusdem rei vocabulo nuncupavit. Itaque parvulum, etsi nondum fides illa quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respondentur, ita etiam fideles vocantur : non rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei sacramentum percipiendo. Cum autem sapere homo cœperit, non illud sacramentum repetit, sed intelligit, ejusque voluntati consona etiam voluntate coaptabitur. Hoc quandiu non potest, valebit sacramentum ad ejus tutelam adversus contrarias potestates, et tantum valebit, ut si ante majoris ætatis usum ex hac vita emigraverit, per ipsum sacramentum commendans Ecclesiæ charitatem, ab illa condemnatione quæ per unum intravit in mundum, Christiano adjutorio liberetur. In scrutinio quippe faciendum est signum crucis super pueros sive puellas, sicut invenimus scriptum in Romano ordine, et genuum flexio ad orationem, et insinuanda est oratio Dominica patrinis et matrinis, ut et ipsi similiter faciant his quos suscepturi sunt a sacro baptismate. Similiter insinuandum est symbolum, quod in lingua nostra vertitur signum vel cognitio. Quando dividebantur apostoli per totum orbem prædicationis causa, dederunt illud signum prædicationis, ut si quis talia confiteretur qualia ibi dicuntur, cognitionem daret se a Christi apostolis sive a successoribus eorum didicisse. Nam in fronte ideo facimus signum, quia sedes verecundiæ in fronte solet esse, siquidem Judæi erubescunt credere in illum quem norunt crucifixum, ut Paulus apostolus dicit. « Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, etc. (*I Cor.* I, 23); » sed nos credimus per crucifixum salvari. De cujus nomine Judæi erubescunt, ejus nomine nos credimus muniri, atque ideo in fronte signum facimus ubi sedes verecundiæ est, sicuti jam diximus, et non alio signo signamus nisi signo crucis, quia Dominus in carne natus vexillum crucis quo suorum frontes signaret attulit, ut destrueret mortis imperium, et per tale signum recognoscat contraria potestas principatum se perdere in istis quos Deus vocavit ad gratiam baptismi.

Illud etiam signum faciunt in frontibus eorum presbyteri, accoliti, patrini, vel matrinæ. Intimandum est ergo atque instantissime prædicandum ipsis patrinis vel matrinis quod fidejussores sunt illorum quos suscipiunt de baptismate, et pro quibus professi sunt, quia de ipsis reddituri sunt Deo rationem, utrum fidem Christi eis et veram religionem cum ad ætatem intelligibilem pervenerint insinuaverint, an non.

De catechizandi ordine.

(*De Inst. cler.*, *l.* I, *c.* 27.) Catechizandi enim ordo hic est. Primum interrogatur paganus, si abrenuntiat diabolo, etc.; *usque ad finem capitis.*

Ungitur et inter scapulas de eodem oleo, ut undique muniatur, et ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur.

(*Ibid. sub finem*, *c.* 25). Ideo enim ante baptismum catechismi debet prævenire officium : ut fidei primum catechumenus accipiat rudimentum, et sic jam paratus ad baptismi accedat lavacrum. Nam in Evangelio secundum Matthæum legitur quod post resurrectionem Dominus apostolis præceperit « ut in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti docerent et baptizarent omnes gentes (*Matth.* XXVIII, 19), » id est prius fidem illis insinuarent, et sic credentes in remissionem peccatorum baptizarent. Hinc est quod secundum Marcum idem Dominus legitur proposuisse fidem baptismati, cum ita dixit : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur (*Marc.* XVI, 16). » Et Joanne teste prius « ipse Jesus cæci nati oculos luto ex sputo facto superlinivit, et sic ad aquas Siloe misit (*Joan.* IX) : » Quia prius debet baptizandus fide incarnationis Christi instrui, et sic ad baptismum jam credulus admitti : ut sciat cujus gratiæ in eo est particeps et cui jam debitor fiat deinceps. Sed quia hæc, ut diximus, prævenire debent baptismatis officium, restat ut primum de ipsis sacramentis Ecclesiæ sermonem faciamus.

De sacramentis divinis [a].

(*Ibid.*, *c.* 24; *Isid. Etym.*) Sunt autem sacramenta

[a] Agit de sacramentis illis duntaxat in quibus homo Christianus efficitur, sicuti ipse auctor infra testatur initio libri III.

Digitized by Google

baptismus, et chrisma, corpus et sanguis, quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorumdem sacramentorum operatur. Unde et a secretis virtutibus vel sacris sacramenta dicuntur, quæ ideo fructuose penes Ecclesiam fiunt, quia sanctus in ea manens Spiritus eumdem sacramentorum latenter operatur effectum, unde seu per bonos seu per malos ministros intra Ecclesiam Dei dispensentur; nec bonorum meritis dispensatorum amplificantur hæc dona, nec malorum attenuantur, « quia neque qui plantat est; aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus (*I Cor.* III, 7); » unde et Græce mysterium dicitur, quod secretam et reconditam habeat repositionem.

De baptismatis officio.

(*Ibid.*, *c.* 25). Primum autem sacramentum est baptismus, quia antequam sancto chrismate ungatur aliquis aut corporis et sanguinis Christi particeps existat, sacra regeneratione purgari debet, ac deinde ad cætera rite accedere. Baptismus Græce, latine tinctio interpretatur; quæ non tantum ob hoc quod homo in aquam mergitur tinctio dicitur, sed quia spiritu gratiæ ibi in melius immutatur, et longe aliud quam erat efficitur. Primum homines fœdi eramus deformitate peccatorum, in ipsa tinctione pulchri efficimur dealbatione virtutum. Unde et in Canticis scribitur canticorum : « Quæ est ista quæ ascendit quasi dealbata (*Cant.* VII, *juxta LXX*)? » Cujus mysterium non aliter nisi sub Trinitatis desi- C gnatione, id est, Patris, et Filii, et Spiritus sancti cognitione completur, dicente Domino ad apostolos : « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII, 19). » Sicut enim in tribus testibus stat omne verbum, ita sacramentum confirmat ternarius numerus nominum divinorum. Quod autem per aquam baptismus datur, hæc ratio est : voluit enim Dominus ut res illa invisibilis per congruentiam et profectum incontrectabile et invisibile impenderetur elementum : « Super quod etiam in principio ferebatur Spiritus sanctus (*Gen.* I). » Nam sicut oleum naturali pondere superfertur omni liquori, ita in principio superferebatur Spiritus sanctus aquis. Sicut aqua purgat exterius corpus, ita latenter ejus mysterio per Spiritum sanctum purificatur et animus. Cujus sanctificatio ita est : invocato enim Deo, descendit Spiritus sanctus de cœlis, et medicatis aquis sanctificat eas de semetipso, et accipiunt vim purgationis, ut in eis caro et anima delictis inquinata mundetur. Utrumque enim baptizando necesse est adhiberi, et baptismi lavacrum, et Spiritus sancti purgatio : quia ait Salvator : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei (*Joan.* III, 5). »

(*De Inst. cler.*, I, *c.* 28). Denique postquam catechismi officium pleniter peragitur : consecratur fons, et ad ipsum baptismum catechumenus accedit, et in nomine sanctæ Trinitatis trina submersione baptizatur, et certe homo, qui ad imaginem sanctæ Trinitatis conditus est, per invocationem sanctæ Trinitatis ad eamdem renovatur imaginem, et qui tertio gradu peccati, id est, consensu cecidit in mortem, tertio elevatus de fonte per gratiam resurget ad vitam. Potest et hæc trina mersio triduanam Domini sepulturam significare : maxime cum dicat Apostolus : Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus : si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus, etc. Oportet ergo eum invocatione sanctæ Trinitatis sub trina mersione B baptismum confici, ut secundum personarum differentiam mysterium baptismi celebretur, et secundum unitatem substantiæ unum baptisma fiat. Unde dicit Apostolus : « Unus Dominus, una fides, unum baptisma, » etc. (*Ephe.* IV, 5.) Postquam enim ascenderit baptizatus de fonte, statim signatur in cerebro a presbytero cum sacro chrismate, sequente simul et oratione, ut regni Christi particeps fiat, et a Christo Christianus possit vocari. Scriptum est et in Evangelio ita : « Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se (*Matth.* III, 16.) » Bene quidem baptismo continuatur chrismatis unctio, quia Spiritus sanctus qui per illud chrisma suæ virtutis admixtione sanctificat credentes, baptizato Jesu, statim super illum in columbæ specie descendit. Cujus videlicet typum proferebat columba illa quæ in diluvio ad arcam reportavit ramum olivæ virentibus foliis, significans utique quod Spiritus sanctus per chrismatis unctionem, in baptismate virorem confert fidelibus cœlestis gratiæ : sed de hoc plenius in sequentibus dicemus. Legimus et in gestis Patrum quod Sylvester Papa in Ecclesia Romana constituerit, ut sicut potestas et privilegium apud solum episcopum constat, quod sacrum chrisma ipse conficiat, et baptizatum per manus impositionem cum ipso chrismate consignet propter hæreticam suasionem : ita presbyter eodem chrismate liniat baptizatum, lotum ex aqua, propter occasionem transitus mortis, quia D scriptum est in Apostolo : Vos autem, fratres, in carne non estis, sed in Spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis; si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus, etc. Ac deinde profecto patet quia quicunque non est Christi, regni sui particeps fieri nequit. Ideo necessarium est ut statim succurratur baptizato cum chrismatis unctione : ut Spiritus sanctus participationem accipiens alienus a Christo non existat.

(*Ibid.*, *c.* 29.) Post baptismum ergo traditur Christiano vestis candida, quod significat innocentiam, et puritatem Christianam, quam post ablutas varias veteris vitæ maculas studio sanctæ conversationis immaculatam servare debet ad præsentandam ante

Digitized by Google

tribunal Christi. Cuncti vero renati albis induuntur vestibus, ad mysterium resurgentis Ecclesiæ, sicut ipse Dominus coram discipulis transfiguratus est, ita ut diceretur: Resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta ejus facta sunt candida sicut nix. Quo facto splendorem, ut dictum est, resurgentis in futurum figuravit Ecclesia. Utuntur igitur albis vestibus, ut quorum primæ nativitatis infantiam vetusti erroris pannus fuscaverat, habitus secundæ generationis gloriæ præferat indumentum. Tegitur enim post sacram unctionem caput ejus mystico velamine, ut intelligat se diadematis regni et sacerdotalis dignitatis portitorem juxta Apostolum : « Vos estis, inquit, genus regale et sacerdotale, offerentes vosmetipsos Deo hostiam vivam sanctam, Deo placentem, » etc. (*I Petr.* II, 9.) Nam sacerdotes in Veteri Testamento quodam mystico velamine caput semper ornabant. Deinde corpore et sanguine Dominico omne præcedens sacramentum in eo confirmatur, quia hæc ideo accipere debet, ut Deum habere mereatur in se habitatorem, et illius capitis sit membrum, qui passus est et resurrexit pro nobis. Dicit enim ipsa Veritas : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, ipse in me manet, et ego in eo (*Joan.* VI, 57). Et item : Nisi manducaveritis, inquit, carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Ibid. v.* 54.) »

De impositione manus episcopalis.

(*Ibid., c.* 30). Novissime autem e summo sacerdote per impositionem manus Paracletus, etc., *usque ad finem capitis.*

Ideo autem Spiritus sanctus septiformis nuncupatur, propter dona quæ de divinitatis ejus plenitudine particulatim quique ut digni sunt consequi promerentur.

De sacramento corporis et sanguinis Domini.

(*Ibid., c.* 31). Sed quia de duobus sacramentis, id est, baptismo et chrismate jam quantum, etc.

Qui enim jam peccare quievit, communicare non desinat.

Cum autem sacramentis divinis quis imbutus fuerit, et fidelis effectus Christiani nominis et veræ religionis existit particeps, necesse est ut fidem, quam professione tenet, operibus probet, et toto nisu per sanctæ conversationis studium contendat placere illi qui eum per suam gratiam ad fidem catholicam convocavit, et unitum corpori suo inserere voluit. Hocque quotidie sacris precibus instanter deposcat, ut ipse qui, eum cum cæteris electis in filiorum numerum ascribi voluit, sua opitulatione faciat eum pervenire ad conspectum gloriæ ejus sempiternæ. Unde necesse est ut orationem Dominicam pleniter discat quatenus eam non voce tantum proferat sed intelligat, ut fiat quod Apostolus docuit dicens : « Orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu, psallam et mente (*I Cor.* XIV, 15). » Ipsa enim oratio pleniter omnia continet quæ in præsenti vita necessaria et in futura salubria nobis existunt, ac ideo non est necesse in oratione multum loqui ut exaudiamur, sicut Ethnici faciunt : quia « scit Pater noster cœlestis, » ipsa Veritate attestante, « quid nobis opus sit antequam petamus eum ; » non enim verbis agere debemus apud Deum ut impetremus quod volumus, sed rebus quæ animo gerimus et intentione cogitationis cum dilectione pura et simplici affectu, sed res ipsas verbis nos docuisse Dominum nostrum oportebat, quibus memoriæ mandatis eas ad tempus orandi recordaremur. Cujus orationis sensum secundum sanctorum Patrum expositionem mixtim cum ipsa oratione placuit nobis hic inserere, ut sciat ipse orator quid oret, et quid eum petere conveniat Sic ergo, inquit, vos orabitis.

De oratione Dominica.

« Pater noster, qui es in cœlis. » Magnum ergo donum Dei accepimus, quod sinamur Deo dicere, « Pater noster. » Quid enim jam non det filiis petentibus, cum hoc ipsum ante dederit ut filii essent? Postremo quanta cura animum tangit, ut qui dicit, « Pater noster, » tanto patre non sit indignus? Deus autem in sordidos mores nunquam cadit, et gratias misericordiæ ipsius, qui hoc a nobis exigit ut sit pater noster quod nullo sumptu, sed sola bona voluntate comparari potest. « Qui es in cœlis, » dicit, id est, in sanctis et justis. Non enim spatio locorum continetur Deus, sed quemadmodum terra appellatus est peccator, cum ei dictum est. « Terra es et in terram ibis, » sic cœlum justus econtrario dici potest. Justus enim dicitur : « Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III, 17.) » Quapropter si in templo suo habitat Deus, et si templum ejus sunt, recte dicitur, « qui in cœlis es : » qui es in sanctis.

« Sanctificetur nomen tuum. » Quod non sic petitur quasi non sit sanctum nomen Dei, sed ut sanctum habeatur ab hominibus, id est, ita illis innotescat Deus, ut non existiment aliquid sanctius quod magis offendere timeant. Aliter enim id petimus et rogamus, quod nomen Dei sanctificetur in nobis, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus perseveremus.

« Adveniat regnum tuum. » Adveniat ergo accipiendum est : manifestetur hominibus. Quemadmodum enim præsens lux absens est cæcis et eis qui oculos claudunt, ita Dei regnum, quamvis nunquam discedat de terris, tamen absens est ignorantibus. Nulli autem licebit ignorare regnum Dei, cum eis Unigenitus non solum intelligibiliter, sed etiam visibiliter in homine Dominico de cœlo venerit judicaturus vivos ac mortuos.

« Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. » Id est sicut in angelis qui sunt in cœlis voluntas tua est, ut omnino tibi adhæreant teque perfruantur, nullo errore obnubilante sapientiam eorum, nulla miseria impediente beatitudinem eorum : ita fiat in sanctis tuis, qui in terra sunt, et de terra, quod ad corpus attinet, facta sunt : et quamvis ad cœlestem

Digitized by Google

habitationem atque immutationem, tamen de terra assumendi sunt. Item fiat voluntas tua, recte intelligitur : obediatur præceptis tuis. Sicut in cœlo et in terra, id est, ab angelis ita ab hominibus. Voluntas autem Dei est, quam Christus fecit et docuit : humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non posse, et factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est, Christo nihil præponere debemus, quia nec nobis ille quidquam præposuit, charitati ejus inseparabiliter adhærere, cruci ejus fortiter et fidenter assistere, quando de ejus nomine et honore certamen est exhibere constantiam qua confitemur, in quæstione fiduciam qua congredimur, in morte patientiam qua coronamur : hoc est cohæredem Christi velle esse, hoc est, præceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris implere.

« Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. » Panis quotidianus aut pro his omnibus dictus est quæ hujus vitæ necessitatem sustentant, de quo cum præcepit ait : « Nolite cogitare de crastino (*Matth.* VI, 34), » et ideo additum sit, « da nobis hodie ; » aut pro sacramento corporis Christi quod quotidie accipimus : aut pro spiritali cibo, de quo idem Dominus dicit : « Operamini escam quæ non corrumpitur (*Joan.* VI, 27) ; » et illud : « Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi (*Ibid.* v. 51) : » sed horum quid sit probabilius considerari potest. Nam forte quispiam moveatur cur oremus pro his adipiscendis quæ huic vitæ sunt necessaria, veluti est victus et tegumentum : cum ipse Dominus dicit : « Nolite solliciti esse quid edatis aut quid induamini. » De sacramento autem corporis Domini, ut illi non moveant quæstionem qui plurimi in orientalibus partibus non quotidie cœnæ Dominicæ communicant, cum iste panis quotidianus est, restat ut quotidianum panem accipiamus spiritalem, præcepta scilicet divina, quæ quotidie oportet meditari et operari. Nam de ipsis Dominus dicit. « Operamini escam quæ non corrumpitur, » quotidianus autem iste cibus nunc Dei : quandiu ista vita temporalis per dies discedentes succedentesque peragitur, et revera quandiu nunc in superiora, nunc in inferiora, id est, nunc in spiritalia, nunc in carnalia animi affectus alternat : tanquam ei qui aliquando pascitur cibo : aliquando famem patitur, quotidie panis iste necessarius est, quo reficiatur esuriens et relevans erigatur. Quod autem panem supersubstantialem in aliis exemplaribus legimus, vel peculiarem, vel præcipuum illum panem similiter significat qui dicit : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi (*Ibid.*) : » qui videlicet est super omnes substantias, et universas superat creaturas.

« Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Post subsidium cibi petitur et venia delicti, ut qui a Deo pascitur, in Deo vivat, nec tantum præsenti et temporali vitæ, sed æternæ consulatur. Ad quam veniri potest si peccata donentur, quæ debita Dominus appellat, sicut in Evangelio suo dicit : « Dimisi tibi omne debitum quia me rogasti (*Matth.* XVIII, 32) ; » quam necessarie autem, quam prudenter et salubriter admonemur quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur : qui orare nos pro debitis et peccatis docuit paternam misericordiam, promisit et veniam secuturam. Adjunxit plane et addidit legem, certa nos conditione et sponsione constringens, ut sic nobis dimitti debita postulemus, secundum quod et ipsi debitoribus nostris dimittimus : scientes impetrari non posse quod pro peccatis petimus, nisi et ipsi circa peccatores nostros paria fecerimus.

« Et ne nos inducas in tentationem. » Non enim per seipsum inducit Deus : sed induci patitur eum quem suo auxilio deseruerit, ordine occultissimo ac meritis. Causis sæpe etiam manifestis dignum judicat illum quem deserat, et in tentationem induci sinat. Aliud est autem induci in tentationem, aliud est tentari. Nam sine tentatione probatus esse nullus potest. Non ergo hic oratur, ut non tentemur : sed ut non inferamur in tentatione : quia si quispiam cui necesse est igne examinari, non orat ut igne contingatur, sed ut non exuratur.

« Sed libera nos a malo. Amen » Quando autem dicimus, Libera nos a malo : nihil remanet quod ultra adhuc debeat postulari, quando semel protectionem Dei adversus malum petamus : quia impetrata, contra omnia quæ diabolus et mundus operantur securi stamus et tuti.

De symbolo.

(*De Instit. cler., l.* II, *c.* 56.) Symbolum ergo tali ratione institutum majores nostri tradunt : quod post ascensionem Domini et Salvatoris nostri ad Patrem (cum post adventum sancti Spiritus discipuli ejus inflammati linguis omnium gentium loquerentur, quo præsagio consecutum est ut nulla illis gens extera, nulla lingua barbaris inaccessa vel invia videretur) præceptum eis est a Domino, datum ad prædicandum Dei verbum, ad singulas quasque nationes adire. Discessuri itaque ab invicem, normam prius sibi futuræ prædicationis in communi constituunt : ne localiter ab invicem discedentes diversum aliquid vel dissonum prædicaretur his qui ad fidem Christi invitabantur. Omnes igitur in unum positi, et Spiritu sancto repleti, breve sibi prædicationis indicium conferendo in unum quod sentiebant componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt. Symbolum autem hoc multis et justissimis causis appellari voluerunt. Symbolum enim Græce et indicium dici potest et collatio, hoc est, quod plures in unum conferunt. Id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus, in unum conferendo unusquisque quod sensit. Indicium autem vel signum idcirco dicitur, quod in illo tempore sicut Paulus dicit, et in Actibus apostolorum refertur, multi simulabant se esse Aposto-

Digitized by Google

los Christi, nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nuntiantes. Idcirco igitur istud indicium posuere, per quod agnosceretur is qui Christum vere secundum apostolicas regulas prædicaret. Est autem symbolum signum per quod agnoscitur Deus, quodque proinde credentes accipiunt, ut noverint qualiter contra diabolum fidei certamina præpararent, In quo quidem pauca sunt verba, sed omnia continentur sacramenta. De totis enim Scripturis, hæc breviatim collecta sunt ab apostolis; ut quoniam plures credentium litteras nesciunt, vel qui sciunt præoccupatione sæculi Scripturas legere non possunt, hæc corde retinentes, habeant sufficientem sibi scientiam salutarem. Est enim breve fidei verbum, et olim a Propheta prædictum : « Quoniam verbum breviatum faciet Dominus super terram. » Quod hoc tenore recitatur.

« Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli et terræ. » Ergo in primo habet Credo. Vides quod Dominus noster non nos jubet discutere divina judicia, sed credere, nec rationem requirere, sed fidem simpliciter, et immobiliter exhibere. « In Deum Patrem. » Advertite quod cum Dei patris nomen in confessione conjungit, ostendit quod non ante Deus esse cœperit et postea pater, sed sine ullo initio et Deus semper et pater est. Quia ergo semper fuit pater, semper habuit filium cui pater est. « Omnipotentem » vero ideo dicit quia omnipotens est, cuique nihil impossibile est; qui cœlum, terram, mare, homines, atque omnia animalia et reptilia, non aliquo operis actu, sed solo verbi creavit imperio, et ideo non nobis veniat in cogitatione quomodo hoc aut illud potuit fieri, qui omnipotentem præcipimur confiteri creatorem cœli et terræ. Hoc agitur quod superius dixi, quia « omnia sola verbi potestate perfecit. »

« Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. » Advertite quod quomodo in patrem sic et in filium credendum sit, et quia cum patre æqualis est majestate tantum ipsi quantum et patri honoris, tantum nos debere novimus servitutis obsequium. « Jesum Christum » dicit, Jesus Salvator interpretatur. Christus vero a chrismate dicitur, quia sicut antiqui reges a sacerdotibus sacro oleo perungebantur, sic Dominus noster Jesus Christus Spiritus sancti infusione repletus est.

« Qui conceptus est de Spiritu sancto. » Non poterat aliunde quam de Deo concipere, qui Deum meruit procreare.

« Natus ex Maria virgine. » Non potuit non talem habere conceptum, quæ virgo erat permansura post partum.

« Passus sub Pontio Pilato. » Iste Pilatus Judex erat in illo tempore ab imperatore positus in Judæa sub quo Dominus passus est : cujus mentio ad temporis significationem, non ad personæ illius pertinet dignitatem.

« Crucifixus, mortuus et sepultus. » Crucem illam in qua ille crucifixus est in corpore nos gestamus in fronte. Sepultus est sicut in veritate natus : ita et in veritate mortuus et sepultus.

« Descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis. » Triduanæ sepulturæ mora evidenter ostendit, quod dum corpus in sepulcro jacuit, anima illa de inferis triumphavit.

« Ascendit ad cœlos : sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. » Ideo conditionem naturæ nostræ quam de homine matre natus assumpsit super cœlos in dexteram Dei patris collocavit. Dextera autem patris in qua sedere dicitur non est corporea, quod nefas est de Deo sentire, quia divina majestas secundum speciem humanam latus non habet sed gloria atque beatitudo patris. Dextera ejus dicitur in qua filius secundum humanitatem sedet, id est, in perpetuum regnat.

« Inde venturus judicare vivos et mortuos. » In ipso corpore venturus est ad judicium, in quo ascendit ad cœlum, ut Christianos judicet et paganos, justos et peccatores, fideles et impios.

« Credo in Spiritum sanctum. » Advertite quod sicut in Patrem, ita et in Filium et in Spiritum sanctum sit credendum. Nam qui vel in unam de Trinitate personam non crediderit, in duabus illi credidisse non proderit.

« Sanctam Ecclesiam catholicam. » Ecclesia Græce, Latine collatio vel vocatio dicitur, eo quod omnes ad se vocet, et in unum congreget. Sciendum est quod Ecclesiam credere, non tamen in Ecclesiam credere debeamus, quia Ecclesia non Deus, sed domus Dei est. Catholicam dicit, toto orbe diffusam, quia diversorum hæreticorum Ecclesiæ ideo catholicæ non dicuntur, quia per loca atque per suas quasque provincias continentur. Hæc vero a solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur.

« Sanctorum communionem, » id est, cum illis sanctis qui in hac quam suscipimus fide defuncti sunt, societatem et spei communionem teneamus.

« Remissionem peccatorum. » Prima remissio peccatorum per baptismi gratiam, secunda per martyrium, tertia vero per satisfactionem pœnitentiæ. Quæ tamen remissiones peccatorum extra fidem atque unitatem Ecclesiæ omnino non fiunt. Sunt enim et aliæ remissiones peccatorum. Hoc est, per indulgentiam inimicorum, per veram charitatem, per opera misericordiæ, per verbum prædicationis, si quis converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ.

« Carnis resurrectionem. » Carnem quam in hac vita sub mortali conditione portamus resurrecturam esse immortalem, ac rationem reddituram pro animæ consortio credamus.

« Vitam æternam. » Absque ulla dubitatione fateamur nos vitam æternam consecuturos, si hæc sacramenta, quæ vobis exponimus, fideliter teneamus, ac bonis actibus conservemus : hæc enim est apostolici symboli recta ac vera interpretatio.

Digitized by Google

(*De Inst. cler., l.* II, *c.* 57.) Sed sciendum quod hæc est juxta Apostolicum symbolum certissima Christianorum fides, quam doctores nostri tradiderunt : ut profiteamur Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unius esse essentiæ, ejusdemque potestatis et sempiternitatis, unum Deum invisibilem, ita ut in singulis personarum proprietate servata, nec substantialiter Trinitas dividi, nec personaliter debeat omnino confundi : Patrem quoque confiteri ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum autem sanctum nec genitum, nec unigenitum, sed ex Patre et Filio procedentem : Filium a Patre nascendo procedere, Spiritum vero sanctum procedendo non nasci. Ipsum quoque Filium, perfectum ex virgine, sine peccato hominem suscepisse : ut, quem sola bonitate creaverat, sponte lapsum misericorditer repararet. Quem veraciter crucifixum, et tertia die resurrexisse et cum eadem ipsa carne glorificata ascendisse in cœlum, in qua et judicium vivorum ac mortuorum exspectatur, venturus. Et quod divinam humanamque substantiam in utroque perfectus una Christus persona gestaverit, quia nec geminavit utriusque substantiæ integritas personam, nec confudit geminam unitas personæ substantiam. Altero quippe neutrum exclusit, quia utrumque unusquisque intemerato jure servavit, quod Novi et Veteris Testamenti salubriter commendat auctoritas, illa per prophetiam, ista per historiam veraciter persoluta. Et quod neque de Deo, neque de creatura sæculi sit cum paganis, aut cum hæreticis aliquid sentiendum, in his rebus in quibus a veritate dissentiunt, sed quod in utroque testamento divina protestantur eloquia, hoc tantummodo sentiendum. Quod sive hominem sive universa, nulla Deus necessitate creaverit. Nec ullam esse omnino visibilem invisibilemque substantiam, nisi aut quæ Deus sit, aut a Deo bono, bona creata sit, sed Deus summe et incommutabiliter bonus, creatura vero inferius et mutabiliter bona. Et quod animæ origo incerta sit, et quod angelorum natura vel animæ non sit pars divinæ substantiæ, sed Dei creatura ex nihilo condita, ideoque incorporea, quia ad imaginem Dei creata est. De pietate morum unicuique studendum, sine qua fides divini cultus otiosa torpescit, et cum qua integritas divini cultus perficitur, et ut unusquisque Deum propter Deum, et proximum in Deo diligat, usque ad dilectionem quoque inimicorum pertendendo proficiat, ut proficiendo perveniat. Alterum quoque alterius non pollui posse peccato, ubi par voluntatis non tenetur consensio. Legitimas nuptias non credi damnandas, licet ex eis quoque originali peccato obnoxia credatur nasci posteritas, eisque jure fidelium virginum vel continentium præferenda doceatur integritas. Ne unum Trinitatis baptisma, quod nefas est, iteretur, neque pro diversitate tradentium ministrorum singulis putetur quibusque conferri, sed ab eo singulari potestate donari, de quo dictum legimus : « Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto : et ego vidi et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei (*Joan.* I). » Et ne pœnitentiæ remediis nos egere non putemus, pro quotidianis humanæ fragilitatis excessibus sine quibus in hac vita esse non possumus, ita pœnitentiæ compunctione fructuosa universa fateamur deleri peccata, sicut scriptum est : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata : beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum (*Psal.* XXXI). » Nullum quoque suis viribus, sed per divinam gratiam capiti Christo subjungi, atque indisruptæ pacis perseverantia in unitate Ecclesiæ ipsius solidari, nec humanæ voluntatis arbitrio boni quiddam deputandum existimari : sed secundum propositum bonæ voluntatis Dei omnem numerum electorum acquiri. Bona quoque temporalia bonis, malisque communia a Deo creari, ejusque dispensatione singulis quibusque vel tribui vel negari, quorum bonorum in unoquoque fidelium non habitus, sed usus, aut improbandus est aut probandus. Cætera vero æternaque bona solos posse bonos in futuro consequi : quorum pignore Ecclesiam nunc informatam credimus detineri, hic habentem primitias spiritus, in futuro perfectionem, hic sustentari in spe, postea pasci in re, hic videri per speculum in ænigmate, in futuro autem facie ad faciem, cum ad speciem fuerit perducta per fidem, quod donec perficiatur ut summi Dei bonis fruamur æternis, fruendum, inde non obsumus et proximis. Eam quoque nos spem resurrectionis habere, ut eodem ordine, eademque forma qua ipse Dominus resurrexit a mortuis, nos quoque resurrecturos esse credamus, in eodem corpore in quo sumus, vel vivimus, non naturam aut sexum mutantes, sed tantum fragilitatem et vitia deponentes. Ipsum quoque Satanam cum angelis suis atque cultoribus æterno incendio condemnandum, neque secundum quorumdam sacrilegam disputationem, ad pristinam, id est, angelicam dignitatem, ex qua propria malignitate cecidit, reducendum. Hæc est catholicæ traditionis fidei vera integritas : de qua si unum quodlibet respuatur, tota fidei credulitas amittitur.

De diversis hæresibus.

(*De Inst. cler., l.* II, *c. ult.*) Necessario ergo providendum et cavendum est omni animæ timenti Deum, ut non a fide catholica decidens, et reliquens doctrinam veritatis, in errores hæreticorum cadat, etc., *usque ad finem capitis.*

Sed et quicunque aliter Scripturam sacram intelligit quam sensus Spiritus sancti flagitat, a quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

DE AGONE CHRISTIANO.

Descriptis ergo sacramentis divinis, in quibus homo Christianus efficitur ; et oratione Dominica qua ad Deum preces fundere, symbolo quoque et fidei veritate, et a quibus erroribus ne seducatur cavere debeat, qualiter illi postea in agone Christiano certandum sit consequenter scribendum esse arbitramur. Legitur enim in Evangelio, quod Salvator noster post resurrectionem suam discipulis in Galilæa apparens dixit : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis (*Matth. ult.*). » In quo rectissimus est ordo prædicandi, et modernis quoque prædicatoribus Ecclesiæ sectandus diligentissime, ut primo quidem doceatur auditor, deinde fidei sacramentis imbuatur, post hæc ad servanda Domini mandata ex tempore liberius instituatur, quia non potest fieri ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem, cum neque quisque indoctus et ignarus Christianæ fidei potest ejusdem fidei sacramentis ablui : neque lavacro baptismi a peccatis emundare sufficit, si non post baptisma studeat quisque bonis operibus insistere. Prius ergo docere gentes, id est, scientia veritatis instituere, ac sic baptizare præcipit, quia et sine fide impossibile est placere Deo, et nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non poterit introire in regnum Dei. Ad extremum vero subjungit : Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis. Ac ne putemus levia esse quæ jussa sunt et pauca, addidit : Omnia quæcunque mandavi vobis, ut quicunque crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quæ præcepta sunt, quia sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est. Quanta hujus merces piæ conversationis, quale pignus futuræ beatitudinis etiam in præsenti fideles maneat, subsequenter insinuat dicens : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Libet autem conferre huic testimonio, quod Marcus ait : « Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei (*Marc. ult.*). » Quia enim ipse Deus et homo est assumptus in cœlum humanitate quam de terra susceperat; manet cum sanctis in æterna divinitate qua terram pariter implet et cœlum. Manet autem omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Ex quo intelligitur, quod usque ad finem sæculi non sunt defuturi in mundo, qui divina mansione et inhabitatione sint digni. Nec dubitandum eos post hujus sæculi certamina manere cum Christo in regno · oui in sæculo certantes Christum in sui cordis hospitio meruerunt habere mansorem. Notandum interea quod præsens ubique divina majestas aliter electis suis, aliter adest reprobis. Adest enim reprobis potentia naturæ incomprehensibilis, qua omnia cognoscit novissima et antiqua, intelligit cogitationes a longe, et omnes vias singulorum prævidet. Adest electis gratia piæ protectionis, qua illos spiritaliter per præsentia dona, vel flagello quasi filios pater erudit : atque ad possessionem futuræ beatitudinis erudiendo provehit : adest electis ut scriptum est : « Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit (*Psal.* XXXIII, 19). » Adest reprobis ut præmissum est : « Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum (*Ibid.* v. 17). » Ergo si oculi Domini speculantur bonos et malos, et Dominus de cœlo respicit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum, oportet unumquemque baptismatis unda purificatum, et Christiani nominis dignitate decoratum, ut in militia æterni regis diligenter se exercens, non armis corporalibus adversus carnem et sanguinem dimicet, sed principaliter adversus principatus et potestates aeris hujus, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contraque spiritales nequitias in cœlestibus, in omnibus sumens scutum fidei, galeam salutis, et loricam justitiæ, et gladium spiritus, quod est verbum Dei, mortificetque desideria carnis suæ quotidie, juxta Apostolum dicentem (*Col.* III, 5) : « Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus : propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ, in quibus et vos ambulastis aliquando cum viveretis in illis. Nunc autem deponite et vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro non emittatis. Nolite mentiri invicem : exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit eum, ubi non est gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, barbarus et scytha, servus et liber : sed omnia, et in omnibus Christus. » Manifestum est enim, quod hæc verba beatus Apostolus fidelibus scripserit non paganis : sicut et Ephesios in Epistola sua admonuit dicens (*Eph.* IV, 23) : « Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. » Qui et alibi ait (*Gal.* III, 17) : « Quicunque baptizati estis, Christum induistis. » Et ut ostenderet quomodo Christus indui debet, ait (*Col.* III, 12) : « Induite ergo vos, sicut electi Dei sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, mode-

Digitized by Google

stiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobisipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et ipse Christus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem hæc charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis, et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore, et grati estote, et verbum Christi habitet in cordibus vestris, abundantes in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. » Hinc ergo manifestum est quod memoratus Doctor gentium disciplinaliter voluit auditores suos vivere, et recte credendo ac bene operando, spem vitæ æternæ habere.

De disciplina Christiana.

Disciplina custos spei est, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis. Hæc facit in Christo manere semper, ac jugiter Deo vivere : ad promissa cœlestia, et divina præmia pervenire. Hanc et sectari salubre est, et aversari ac negligere lethale. Unde in Psalmis loquitur Spiritus sanctus : « Continete disciplinam, ne irascatur Dominus, et pereatis a via recta, cum exarserit cito ira ejus super vos *Psal.* II, 12). » Et iterum : « Peccatori autem dicit Deus : Ad quid exponis justificationes meas, et assumis testamentum meum per os tuum : tu autem odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retro (*Psal.* XLIX, 16). » Et denuo legimus : « Qui abjecit disciplinam infelix est. » Et de Salomone mandata sapientiæ monentis accipimus : « Fili, ne neglexeris disciplinam Dei, et non defeceris ab eo correptus, quem enim diligit Deus corripit (*Sap.* III, 11). » Si autem quem diligit Deus corripit, et corripit ut emendet. Fratres quoque et maxime sacerdotes non oderunt, sed diligunt eos quos corripiunt ut emendent, quando et Deus per Jeremiam ante prædixerat et tempora nostra significaverat dicens : « Et dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos : » pascentes cum disciplina : quid si in Scripturis sanctis frequenter et ubique disciplina præcipitur, et fundamentum omne religionis ac fidei de observatione ac timore proficiscitur : quid cupidius appetere, quid magis velle ac timere convenit, quam ut, radicibus fixis fortius et domiciliis nostris super petram robusta mole solidatis, inconcussi ad procellas et turbines sæculi stemus, ad Dei munera per divina præcepta veniamus, considerantes pariter ac scientes quod templa Dei sint membra nostra ab omni fœce cogitationis antiquæ lavacri vitalis sanctificatione purgata, nec violari ea aut pollui fas sit, quando qui violat et ipse violetur? Eorum nos templorum cultores, et antistites sumus, serviamus illi cujus esse jam cœpimus. Paulus apostolus in Epistolis suis dicit, quibus nos ad curricula vivendi per divina magisteria formavit. « Non estis vestri : empti enim estis pretio magno · clarificate et portate Deum in corpore vestro (*I Cor.* VI, 20). » Clarificemus et portemus Deum puro et mundo corpore et observatione meliore; et qui per sanguinem Christi redempti sumus, per omnia servitutis obsequia redemptoris imperio pareamus : demusque operam ne quid immundum et profanum templo Dei inferatur, nec offensus sedem qua inhabitat derelinquat. Sospitantis Domini verba sunt et docentis curantis pariter et monentis. « Ecce, inquit, sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi fiat (*Joan.* V, 14). » Dat vivendi timorem, dat innocentiæ legem postquam contulit sanitatem : nec habenis liberis et solutis vagari quemquam postmodum patitur, sed ipse potius qui sanatus fuerat mancipato gravius comminatur, quid scit scilicet minor culpa deliquisse ante cum necdum nosses disciplinam Dei : nulla sit venia ultra delinquere, postquam Deum nosse cœpisti. Et quidem hoc tam viri, quam mulieres, tam pueri quam puellæ, sexus omnis atque omnis ætas observet et curet pro religione et fide quam Deo debet, ne quod sanctum de Domini dignatione percipitur minus sollicito timore teneatur. Non enim debent negligere magistri discipulos, nec parentes filios, sed in omni disciplina cum discretione tamen erudiant illos, quia scriptum est. « Ne quid nimis, » ne dum cupiunt nimis eradere rubiginem, frangatur vas. Dicit enim Apostolus : « In disciplina et correptione Domini educate filios vestros (*Eph.* VI, 4). » Hinc et Sapientia per Salomonem hortatur dicens : « Noli a puero abstrahere disciplinam. Si autem percusseris eum, animam ejus liberabis a morte, in virga percuties eum, et non morietur (*Prov.* XXIII, 14). » Studium enim debent habere omnes prælatæ personæ, ut subjectos suos per disciplinam custodiant, et regere non negligant : quia solummodo ita ab eis in divino judicio liberabuntur. Unde nos Sapientia hortatur et dicit : « Fili, nisi spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui : et captus propriis sermonibus. Fac ergo, fili mi, quod dico tibi, et temetipsum libera : qui incidisti in manus proximi tui. Discurre, festina : suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis : nec dormitent palpebræ tuæ (*Prov.* VI, 2). » Hinc et ad Ezechielem prophetam Dominus loquitur, dicens : « Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel : et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium : Morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia et vivat : ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si enim tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, morietur, tu autem animam tuam liberasti (*Ezech.* XXXIII, 7). » Secundum enim qualitates hominis, sic debet temperari disciplina magistrorum. Unde Paulus ad discipulum scribens, ait : « Argue, obsecra,

Digitized by Google

increpa, cum omni imperio (*II Tim.* IV, 2). » Ac si diceret : Dirum magistri, pium patris ostende affectum, ita ut indisciplinatos et inquietos durius arguas, obedientes autem et mites ut in melius proficiant obsecres : negligentes enim et contemnentes increpes et corripias. Nec abs re est quod Salvator in Evangelio Judæos duros, et incredulos vendentes et ementes in templo quasi flagellum de funiculis faciens legitur ejecisse atque dixisse : « Scriptum est quia domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum (*Matth.* XXI, 13). » Nec frustra Petrus apostolus Ananiam et Saphiram avaritiæ peste corruptos, mentientes, atque per hypocrisin Spiritum Dei tentantes mortis sententia damnavit, sed ut fieret quod scriptum est: « Pestilente flagellato stultus sapientior erit (*Prov.* XIX, 25); ut per paucorum validam correptionem multi ab errore corrigerentur et emendarentur. Unde et sancti Patres nostri in conciliis suis diversas disciplinas et excommunicationes delinquentibus constituerunt, ut, secundum modum culpæ excommunicationis extensa mensura, ægris medelam et sanis præberet cautelam.

De meditatione divinæ legis.

Ut autem hæc disciplina diligentius custodiatur, multum adjuvat studium discendi veram sapientiam, et meditatio assidua divinæ legis, quam mundo corde et casto corpore oportet unumquemque investigare : quia ita ad ejus intellectum sobrium poterit pervenire. Ipsa enim cognitionem Dei se fideliter quærentibus et instanter meditantibus tribuit. Cognitione autem Dei nihil melius est, quia nihil beatius est : et ipsa vera beatitudo est. Unde Salvator ad Patrem ait : « Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, et, quem misisti, Jesum Christum (*Joan.* XVII, 3). » Unde primo omnium quærendum est homini quæ sit scientia, veraque sapientia, quia sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Scientia vera est, a diaboli servitio, quæ sunt peccata, recedere : et sapientia perfecta est, Deum colere secundum mandatorum illius veritatem, quia in his duobus vita beata acquiritur, sicut Psalmista ait : « Diverte a malo, et fac bonum (*Psal.* XXXIII, 15). » Nec etiam sufficit cuiquam mala non facere, nisi etiam et bona faciat : nec bona facere, nisi etiam et mala omittat. Omnis ergo qui sic sapiens est, procul dubio beatus erit in æternum. Beata siquidem vita est cognitio divinitatis, cognitio divinitatis virtus boni operis, et virtus boni operis fructus est æternæ beatitudinis. Ad hoc ergo bonum habemus solatium divinarum lectionem Scripturarum, qui sanctarum lectio Scripturarum divina est præcognitio non parva beatitudinis. In his enim quasi in quodam speculo homo seipsum considerare potest, qualis sit, vel quo tendat. Lectio assidua purificat animam, timorem incutit gehennæ, ad superna gaudia cor instigat legentis. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare, et legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Geminum confert donum lectio sanctarum Scripturarum, sive quia intellectum mentis erudit, seu quod a mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Labor honestus est lectionis, et multum ad emendationem animi proficit. Sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur ac pascitur. Sicut Psalmista ait : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo (*Psal.* CXVIII, 113). » Sed ille beatissimus est qui, divinas Scripturas legens, verba vertit in opera. Omnes plane Scripturæ sanctæ ad animarum salutem scriptæ sunt, ut proficiamus in eis in veritatis agnitione. Sepius cæcus offendit quam videns, sic ignorans legem Dei, sæpius ignoranter peccat, quam ille qui scit. Sicut cæcus sine ductore, sic homo sine doctore viam rectam vix graditur : et ideo necesse est ut quicunque lectiones sacras legere possint in his studium impendant, ut earum frequenter meditatione utantur. Qui vero sensum locutionis sacræ ex lectione non possunt percipere, attentius audiant interpretantem, ut recipiant saltem in ædificationem. Cum vero magisterio cœlesti instructi, quid faciendum, quidve vitandum sit accipiunt, non sit mora in faciendo, quod intus sapiunt intelligendo : quia, ut beatus Jacobus apostolus ait, « Non auditores legis justificabuntur, sed factores legis (*Rom.* II, 13). » Et ipsa Veritas ait : « Servus qui scit voluntatem domini sui, et non facit, vapulabit multis (*Luc.* XII, 47), » et cætera. Item alibi scriptum est : « Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi. » Itaque omni diligentia studendum est ut cognoscamus voluntatem Dei. Postquam autem cognoverimus eam, summo nisu contendendum est ut hanc faciamus implentes mandata illius, et instanter deposcamus ut in hoc perseverantes perveniamus ad promissa ipsius.

De fide, spe et charitate.

Unde necesse est ut quicunque Christianum nomen tenet, et sacramentis imbutus est, religionis Christianæ rationem sciat, et fidei veritatem agnoscat, ejus quoque fidei, « quæ » ut Apostolus ait, « per dilectionem operatur, quæ in præsenti confortat et roborat credentes, ac in futuro perducit ad Dei contemplationem. » Nam ita quædam proposuit animæ nostræ necessaria beatus Apostolus et egregius gentium Doctor, dicens : « Nunc etiam manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem his est charitas (*I Cor.* XIII, 13). » Primum ergo fides Catholica Christiano necessaria est : quia in ipsa distinguuntur filii Dei a filiis diaboli, filii lucis a filiis tenebrarum. Per ipsam renascimur in baptismate, et salutem æternam impetrabimus : sicut scriptum est : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI, 16). » Hæc porta est vitæ, hæc janua regni. Per ipsam discitur scientia veritatis, et percipitur cognitio divinitatis, per ipsam gratiam Dei invenimus,

Digitized by Google

aliter autem Deo placere non possumus, quia sine fide impossibile est Deo placere. Vere enim beatus est, qui et recte credendo bene vivit : et bene vivendo fidem rectam custodit. Igitur sicut otiosa est fides sine operibus bonis, ita nihil proficiunt opera bona sine fide recta. Unde et beatus Jacobus apostolus dixit : « Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem ipsa non habeat? (*Jac.* II, 14.) » Numquid poterit fides salvare eum? Fides sine operibus mortua est. Sicut enim corpus sine spiritu est mortuum, ita et fides sine operibus mortua est : fidem ante omnia rectam et immaculatam necesse est habere : et secundum Apostolicæ institutionis normam symbolum a sanctis Patribus constitutum memoriter tenere, et religiose vivere studere, hæreticorum dogmata pestifera fugere : maleficorum et incantatorum venena mortifera horrescere : divinorum et sortilegiorum nefandas traditiones, quæ cum dæmonibus societatem habent, penitus respuere, et nihil aliud quam quod catholica fides laudat, amat, prædicat in mente sive in professione tenere, seu etiam moribus ostendere. Post hanc ergo fidem, spem firmam habere, discere, quæ animum nostrum ad invisibilia trahit, et intentionem nostram in cœlestia et æterna inserit, et quodammodo nexibus insolubilibus ligat, quæ non decipit, sed se fideliter obsequentes ad æternam beatitudinem perducit. Nemo igitur, quamvis ingenti peccatorum pondere prematur, de bonitate divinæ pietatis desperare debet, sed spem certæ misericordiæ illius indulgentiæ sibi quotidianis deprecari lacrymis quam recte sperare possunt, si ab actione pravi operis cessabunt. Ideo non propter spem veniæ perseveranter peccare debemus, neque quia Deus juste peccata punit, veniam desperare debemus, sed utroque periculo evitato et mala declinemus, et de pietate Dei veniam speremus. Similiter et in omni tribulationum angustia spe ad solatia supernæ pietatis currendum est, quia in illo solo omnis spes et salus sine dubio consistit, dicente Propheta : « In Deo salutare meum, et gloria mea, Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est (*Psal.* XLI, 8). » Cum enim fidem rectam, et spem firmam persuademus habere, hoc maxime hortamur ut charitatem in nobis habere, et opere ostendere per omnia satagamus. Per ipsam enim et in ipsa beatitudinem veram habituros nos esse sciamus, quia sine hac nemo videbit Deum. Hæc autem ideo major fide et spe ab Apostolo esse narratur : quia cæteris recedentibus ipsa sola remanebit, fidei enim succedit spei, et spei beatitudo, charitati autem non transmutatio, sed sola restat perfectio. Hæc omnium ars est virtutum, hæc promissio regni, hæc præmium summum sanctorum est in cœlo, quia in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent sancti perfecto amore Dei : quem qui præsentem vident suavius diligunt, et dulcius fruuntur ipso bono.

De charitate.

Oportet nos scire quia in omnibus charitas obtinet principatum, sine cujus perfectione nihil Deo placere posse Paulus apostolus testatur : qui nec martyrium, nec sæculi contemptum nec eleemosynarum largitionem sine charitatis officio quidquam proficere posse ostendit. Unde et ipse Dominus a quodam Scriba interrogatus quod esset mandatum maximum, respondit : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, » addidit quoque secundum simile huic, « diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ (*Matth.* XXII, 37). » Quod vero ait, « ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente, » id est, toto intellectu, tota voluntate et ex omni memoria Deum esse diligendum, Dei vero dilectio in observatione mandatorum ejus tota consistit, sicut supra dicit : « Si quis diligit me, sermones meos servat (*Joan.* XIV, 23); » unde ipsa Veritas alibi ait : « In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem (*Joan.* XIII, 35). » Item Apostolus : « Plenitudo legis est dilectio (*Rom.* XIII, 10). » Item Joannes evangelista : « Hoc, inquit, mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et proximum. » Si forte quislibet quærat quis sit proximus, sciat omnem Christianum recte proximum dici, quia omnes in baptismo filii Dei sanctificamur, ut fratres simus, spiritaliter in charitate perfecta. Nobilior est generatio spiritalis quam carnalis. De qua in Evangelio ipsa Veritas ait : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (*Joan.* III, 5). » Qui autem taliter proximum intelligens diligit, sine dubio charitatem veram in semetipso tenebit. Cujus evidens indicium et eminens virtus vera pax est. Per quam filii Dei præcipue dignoscuntur, quia nusquam perfecte pax haberi potest, nisi ubi charitas ejus operatrix adest. Hoc etiam tota series Scripturarum sacrarum nobis ostendit.

De pace et unitate

Nam legimus in Evangelio quod Salvator et Dominus noster cum appropinquaret passioni, et transitum suum de hoc mundo ad patrem discipulis insinuaret, inter alia verba quæ ob sui commemorationem dilectis comitibus suis impenderat maxime pacis bonum, et quasi speciale munus unitatis illis commendaret dicens : « Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis (*Joan.* XIV, 27). » Ac si diceret, in pace vos dimisi, in pace vos inveniam. Proficiscens voluit dare, quæ desiderabat, rediens in omnibus invenire. Hanc suis hæreditatem dedit dona omnia suæ pollicitationis et præmia in pacis conversatione promisit : atque ideo si hæredes Christi esse volumus in ejus pace manere debemus. Pacem nobis Christus dedit, concordes atque unanimes esse præcepit : dilectionis et charitatis fœdera incorrupta atque inviolata mandavit : cujus pacis ornamenta mirabiliter alio loco ostendit dicens : « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (*Matth.* V, 9). » En filius Dei incipit vocari qui pacificus esse jam cœpit, non vult

Digitized by Google

filius dici qui pacem noluerit amplecti, negat sibi patrem Deum, qui pacificus esse contemnit. Pacifices ergo oportet esse Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes fideliter, sibi unanimitatis nexibus cohærentes. Sed hæc pax cum bonis et Dei præcepta servantibus custodienda est: non cum iniquis et sceleratis, qui pacem inter se habent in peccatis suis. Pax Christi ad salutem proficit sempiternam, pax cum bonis, et bellum cum vitiis semper habendum est. Mala siquidem hominum impiorum odio habenda sunt, nam homines ipsi quamvis mali sint amandi sunt, quia creatura Dei sunt. Pax vero quæ in bonis est concordiam fratrum et charitatem copulat proximorum. Pax Spiritum Dei specialiter promeretur. Pax dilectionis mater est. Pax indicium sanctitatis: de qua Dominus per Prophetam ait: « Pacem et veritatem diligite. » Pax plebis sanitas, gloria sacerdotis, et patriæ lætitia, et terror hostium sive visibilium sive invisibilium; omnibus viribus pax est custodienda, quæ semper in Deo manet, et quæ in pace sancta manet, cum sanctis Dei societatem habet. Sacerdotis est in pace populum admonere quid debeat agere, populi est in humilitate audire quæ monet sacerdos: quidquid non licet pastoris est prohibere ne fiat, plebis est audire ne faciat: atque unitatis vinculum omnes debent simul prælati et subditi in fide et dilectione per omnia servare, quia sine pace non suscipitur sacerdotis oratio, nec plebis oblatio. Si ergo volumus velociter a Deo exaudiri, et gratanter munera nostra ab eo accipi, debemus utique in pace conversari. De quo nos ipsa Veritas instruere dignata est: « Si offers, inquit, munus tuum ante altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum (*Matth.* v, 23). » Quia ergo unitatem nostram et concordiam Deus desiderat, ostendit ipse Salvator in Evangelio ad Patrem ita loquens: « Pater, inquit, sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi ut sint unum sicut et nos (*Joan.* xvii, 11). » Unde et Apostolus fideles hortatur dicens: « Obsecro vos, fratres, ut idipsum sapiatis et unum dicatis omnes (*I Cor.* i, x). » Et item: « Non sit, inquit, inter vos zelus et contentio, omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia (*Ephes.* iv, 31). » Item alibi ait: « Sustinentes invicem in charitate solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis: unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ (*Ibid.*, *v.* 3). » Hæc itaque unanimitas sub apostolis olim fuit: sicut novus credentium populus Domini mandata custodiens, charitatem suam tenuit, probat Scriptura quæ dicit: « Turba autem eorum qui crediderant anima et mente una agebant. » Et iterum: « Et erant perseverantes omnes unanimes in oratione cum mulieribus et Maria quæ fuerat mater Jesu, et fratribus ejus (*Act.* i, 14). » Et ideo efficacibus precibus orabant, ideo cum fiducia impetrare poterant quodcunque de Dei misericordia postulabant. In nobis vero sic unanimitas diminuta est, ut et largitas operationis infracta sit. Domos tunc et fundos venundabant, et ad thesauros sibi in cœlo reponendos distribuenda in usus indigentium pretia apostolis offerebant: at nunc de patrimonio nec decimas damus; et cum vendere jubeat Dominus, emimus potius et augemus. Sicut in nobis emarcuit vigor fidei, sic credentium robur elanguit. Et idcirco Dominus tempora nostra respiciens in Evangelio suo dicens ait: « Filius hominis cum venerit putas inveniet fidem in terra? (*Luc.* xviii, 8.) » Videmus fieri quod ille prædixit: in Dei timore, in lege justitiæ, in dilectione, in opere, fides nulla est. Nemo futurorum metu cogitat diem Domini, et iram Dei, et incredulis ventura supplicia et statuta perfidis æterna tormenta nemo considerat, quæ metueret conscientia nostra si crederet: quia non credit omnino nec metuit. Si autem crederet, et caveret: si caveret, evaderet. Oportet ergo ut excitemus nos quantum possumus, et somno inertiæ veteris abrupto ad observanda et gerenda Domini præcepta vigilemus: simus tales quales esse ipse nobis præcipit dicens: Sint lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes, et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando veniat a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit aperiant ei (*Luc.* xii, 35). » Et: « Beati servi illi quos adveniens dominus invenerit vigilantes (*Ibid. v.* 37). » Accinctos nos oportet esse, ne cum expeditionis dies venerit, impeditos et implicitos apprehendat. Luceat in bonis operibus desiderium nostrum lumen atque effulgeat, ut ipsum lumen nos ad lucem claritatis æternæ de hac sæculi nocte perducat, quo cum Christo, qui est veræ pacis auctor, et cum sanctis angelis ejus, æterna pace et perpetua felicitate fruamur.

De virtute continentiæ.

Et ut hoc prompte efficere possimus studendum nobis est ut sacrarum virtutum solatium nobis acquiramus, et viam justitiæ et veritatis pergere curemus, quatenus hostium spiritualium insidias et tumultum vitiorum per Dei gratiam illæsi evadentes, ad cœlestem beatitudinem perveniamus. Ad quod perficiendum continentia contra concupiscentias carnis et illecebras voluptatum maxime nobis necessaria est. Unde nos Scriptura admonet dicens: « Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua averte. Si præstas animæ tuæ concupiscentiam ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis (*Eccli.* xviii, 30). » Amor enim istius mundi parit inimicitiam Dei. Unde scriptum est: « Qui vult esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur (*Jac.* iv, 4). » Hoc enim apostolus sciens Joannes persuadet nobis et dicit: « Nolite diligere mundum, non est charitas Patris in eo, quia omne quod in mundo est concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ (*I Joan.*

Digitized by Google

II, 15). » Hoc et coapostolus ejus Paulus rursus monet et dicit : « Qui emunt sic sint quasi non possidentes, et qui hoc mundo utuntur, quasi non utantur. Præterit enim figura hujus mundi (*I Cor.* VII, 30). » Unde et ipse Salvator in parabola sua ostendit, quod divitiæ et voluptates sæculi suffocant verbum : ita ut non ferat fructum. Et alibi præcipit dicens : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam, et sequatur me (*Matth.* XVI, 24). » Et item : « Qui non renuntiaverit, inquit, omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus (*Luc.* XIV, 33). » Hæc igitur considerantes, bene convenit ut perpendamus quantum nobis necessaria sit continentia, per quam Christi disciplinatui condigni ad regnum possimus cum eo venire perpetuum. Continentia vero et sobrietas non in sola integritate carnis consistit. Sed etiam in cultu, et in ornatu, vita pariter et moribus consistit. Debet enim unusquisque continens abstinere se ab omnibus illicitis, his autem quæ licita sunt debet cum modestia et sobrietate uti. Non enim decet Christianum sæculi lucris inhiare, cui promissum est regnum cœleste : sed suo Domino per continentiam condigne vivere, ut possit cum eo in perpetuum gaudere. Charitatem debet amare, et fornicationem fugere, non avaritiæ studere, sed victu et vestitu contentus esse, non superbire, neque sperare in incerto divitiarum, sed humiliter sentire, et mundi pompam contemnere. Non debet esse vaniloquax et arrogans, non mendax, neque injuriosus, non bilinguis, non susurro, non detractor, sed veritatem debet ex ore et corde proferre, linguam suam a multiloquio temperare, quia scriptum est : « In multiloquio non effugies peccatum (*Prov.* X, 9). » Oculos contra vanitatem claudere, auditum a scurrilitate et falsitate, imo ab omni eloquio malo avertere, risum excelsum, et excussum non amare, guttur et nasum ad illecebram dulcium ciborum, et suavium odorum non libenter adhibere, sed magis bonum et suavem odorem virtutum appetere. Manus et pedes et omnia membra corporis sollicite custodire, ne fiant arma iniquitatis peccato, sed magis arma potentia Dei ad destruendum spiritalem inimicum. Cor quoque miles Christi debet ante omnia sollicita custodia servare, ne forte illud jactantia extollat, ira inflammet : invidia perforet, avaritia infestet, libido exurat, tristitia gravet, torpor et ignavia oneret, et ne illud, quod gravius est, per novitatum præsumptiones hæresis scindat. Qui enim cordis occulta per continentiam quieta servare contendit, utique et membra corporis facilius contra pravos actus foris, custodit. Scriptum est enim : « Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit (*Prov.* IV, 23). » Item alibi : « Mors secus introitum delectationis posita est. » Et Salvator in Evangelio : « Bonus, inquit, homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, et malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum (*Matth.* X, 35). » Et item « De corde, ait, exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, » et cætera. Cum ergo de cordis radice fructus sive boni sive mali exeant, necesse est ut primum cor mundemus, deinde ipsam carnem nostram per jejunia, et vigilias et laborem utilem castigemus : ne carnis libido mentem maculet : difficile est enim ut in deliciis viventes mundum cor habeant. Unde dixit Apostolus (*I Cor.* IX, 27) : « Castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne forte cum aliis prædicem ipse reprobus efficiar. » Et item : « Qui enim, inquit, sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Sobrie quippe et juste, et pie vivamus in hoc sæculo exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret, et ab omni iniquitate mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, ut cum venerit in majestate sua, cum sanctorum angelorum millibus, pro bonis laboribus, et sancta conversatione reddat nobis præmia vitæ æternæ, potius quam pro desiderio et voluptate præsentis vitæ, cruciatum retribuat sempiternum. » Ut ergo contra tentamenta diaboli, et contra carnis desideria ordinate et fortiter pugnare et resistere possimus, primum nos oportet scire octo vitia esse principalia, per quæ diabolus humanum genus corrumpere et decipere gestit, id est, « superbiam cum vana gloria, iram, invidiam, avaritiam, gulam, luxuriam, tristitiam, et acediam. » Ex his vero radicibus propago omnium vitiorum exoritur, atque succrescit. Econtrario autem quatuor sunt principales virtutes. Hæ sunt, « prudentia, justitia, temperantia, fortitudo, ex quibus omnis ornatus virtutum procedit, et cum quibus divina gratia opitulante a Christi milite omnis multitudo vitiorum superatur atque conteritur.

De superbia.

Primum namque ignitorum telorum hostis antiqui ac præcipuum est superbia : quæ ubicunque subintraverit omnium vitiorum post se turmas trahit. Cujus soboles prima et quasi consors totius iniquitatis vana gloria. Hanc quoque maxime conditor noster detestatur. Unde et de ea scriptum est : « Omnis arrogantia abominatio est apud Deum (*Prov.* XXVI, 5). » Et item : « Odibilis coram Domino et hominibus superbia est (*Eccl.* X, 7). » Et item : « Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jac.* IV, 6). » Primum quippe et maximum diaboli peccatum fuit superbia, et hac homines primos decepit. Unde scriptum est : « Initium superbiæ homines apostatare a Deo fecit, quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati est superbia, qui tenuerit eam adimplebitur maledictis, et subvertit eos in finem. Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, et destruxit eos usque in finem, sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro illis. Radices gentium superbarum arefecit Deus, et plantavit humiles ex ipsis gentibus. Terras eorum evertit Dominus, et perdidit eas usque ad fundamentum. Arefecit ex ipsis, et disperdi-

Digitized by Google

dit illos, et cessare fecit memoriam eorum a terra. Perdidit Deus memoriam superborum, et reliquit memoriam humilium sensu (*Eccl.* x, 14). » Quapropter omni vitio deterior est superbia : quæ sæpe et de bonis actibus nascitur, dum homo in suis bonis operibus superbit : et hoc perdit per superbiam quod habuit per charitatem. Item omnium vitiorum novissimum est superbia, quia dum homo virtutibus ornatur, et in his superbire cœperit, de alto ruinam facit. Omnis quoque peccati, ut diximus, initium superbia, dum anima præceptum contemnit Creatoris, mox in cujuslibet peccati corruit foveam. Nam omnis superbia tanto in imo jacet, quanto se in altum erigit, tantoque profundius labitur, quanto excelsius elevatur. Qui enim per propriam superbiam attollitur, per Dei justitiam damnatur. Unde scriptum est : « Ante ruinam hominis exaltatur spiritus ejus (*Prov.* xvi, 18). » Igitur nihil magis Christiano vitandum est quam superbia, quæ iram Dei provocat. Nam superbia ex angelis dæmones fecit, humilitas autem homines sanctis angelis similes reddidit. Superbi cupiunt in se prædicari quod non faciunt, humiles refugiunt quidquid boni operantur agnosci. Non elevetur ergo homo in bono suo, nec laudem sibi quærat quamvis aliquid boni faciat, sed Deum laudari cupiat in donis suis qui nihil boni facit nisi quod Deus donavit ei facere : unde ad eum cuncta debet referre quæ bene facit, non ad semetipsum.

De ira.

Dum ergo miles Christianam gloriam studet cavere quam fons totius mali superbia edidit, necesse habet ut iræ vitium, quod similiter eadem pestis gignit, caveat, ne eo in furorem præcipitatus clementiæ et pietati Dei contrarius existat, quia Dominus et Salvator noster suo verbo suoque exemplo ad mansuetudinem et patientiam nos instituens iræ et furoris pertinaciam penitus abdicavit, ut hoc quod legis mandato impleri non valuit, Evangelii consummaretur præcepto. Lex enim homicidium prohibuit : sed quia nasci permisit quod seminarium est homicidii, ipsum vitium perfecte non abstulit. Redemptor itaque noster, qui non venit legem solvere, sed adimplere, id quod in lege minus fuit, sua sanctione adimplevit, iræ occasionem tollens, et non solum non irasci vel non occidere jussit, quin etiam adversa quæque ab aliis irrogata patientissime nos tolerare præcepit. Ita enim est quædam passio mentis, quæ si ratione non regitur in furorem vertitur : ita ut homo sui animi impotens fiat faciens quod non convenit. Hæc enim si corde insidet omnem eximit providentiam ab eo facti, nec judicium rectæ discretionis inquirere, nec honestæ contemplationis virtutem nec maturitatem consilii habere poterit, sed omnia per præcipitium quoddam facere videtur. De qua item pullulat tumor mentis, rixæ, contumeliæ, clamor, indignatio, præsumptio, blasphemiæ, sanguinis effusio, homicidia, ulciscendi cupiditas, injuriarum memoria : quæ vincitur per patientiam et longanimitatem, et per rationem intellectualem, quam Deus inserit mentibus humanis, et per recordationem orationis Dominicæ ubi Deo dicitur : « Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Quapropter si illam summam divini præmii cupimus adipisci, de quo dicitur, « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v, 8), » non solum hæc e nostris cordibus amputanda est, sed etiam de internis animæ radicibus exstirpanda. Non enim valde proderit iracundiæ cohibitus furor in verbo, nec in effectum prolatus, si illam arcanis pectoris nostri Deus, quem secreta cordium non latent, inesse perspexerit. Quasi vero universa virulenta serpentium genera vel ferarum, cum in solitudine suisque cubilibus immorantur innoxia perseverent, nec tamen ex eo pronuntiari possunt innoxia quia nulli noceant. Hoc enim eis non affectus bonitatis, sed necessitas solitudinis confert. Quæ cum lædendi nacta fuerint copiam : in semetipsis reconditum virus, et animæ feritatem protinus egerunt atque demonstrant. Radices enim vitiorum potius excidi præcipit evangelicus sermo quam fructus qui procul dubio evulsis fontibus nequaquam ulterius pullulabunt, atque ita mens poterit jugiter in omni patientia et sanctitate durare, cum hæc non de superficie operationis et actuum, sed de cogitationum fuerint evulsa penetralibus. Et idcirco ne homicidium perpetretur, ira, odiumque succiditur : sine quibus homicidii vitium nullo modo valebit admitti. « Qui irascitur enim fratri suo, reus erit judicio (*Matth.* v, 22). Qui odit fratrem suum homicida est, » in eo scilicet quo eum corde cupiat interire, cujus cruorem propria manu vel telo apud homines minime fudisse cognoscitur. Affectu iræ homicida pronuntiatur a Domino, quia non solum pro operationis effectu, sed etiam pro voluntatis ac voti desiderio unicuique aut præmium reddet aut pœnam. Egregius vero mundi prædicator dicit : « Omnis amaritudo et ira, et indignatio, et clamor et blasphemia tollatur a vobis (*Ephes.* iv, 31). » Nec enim ira viri justitiam Dei operari poterit, quia ira sine temperamento expers est rationis. Responsio mollis mitigat iram, sermo durus suscitat furorem. « Vir iracundus, ut ait Salomon, provocat rixas; qui patiens est, mitigat suscitatas (*Prov.* xv, 18). » Spiritum vero superbiæ ad irascendum facilem quis sustinere poterit? Ita non habet misericordiam, nec erumpens furor finem vindictæ novit. Si te, o homo, præoccupaverit ira, mitiga eam. Illa ira mala est, quæ mentem turbat, ut rectum consilium perdat. Illa ira est justa et necessaria, quando homo contra propria irascitur peccata, et contra seipsum indignatur dum male agit. Hinc dicit et Propheta : « Irascimini et nolite peccare (*Psal.* iv, 5). » Concessit quod naturæ est : tulit quod culpæ est. Sed adhuc, quod est gravius, alius postulat mortem inimici : et eum quem gladio prosequi non potest, persequitur oratione. Et vivet adhuc qui maledicitur, et tamen is qui maledicit jam de morte illius reus tenetur. Jubet enim Deus ut di-

Digitized by Google

ligatur inimicus, et tamen rogatur Deus ut occidat inimicum. Quisquis itaque sic orat impiis suis precibus contra Conditorem pugnat. Unde et sub Judæ specie dicitur, « fiat oratio ejus in peccatum. » Oratio quippe in peccatum est illa petere quæ prohibet ipse qui petitur. Hinc Veritas dicit : « Cum statis ad orandum, remittite si quid habetis in cordibus vestris (*Marc.* XI, 25). » Sed ecce inimicus nobis graviter deliquit, damna intulit, juvantes læsit, amantes persecutus est. Retinenda hæc essent, si remittenda nobis delicta non essent : advocatus etenim noster precem nobis in causa nostra composuit, et ipse ejusdem causæ judex est, qui advocatus est. Preci autem quam composuit conditionem inseruit dicens : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Quia ergo ipse judex venit, qui advocatus exstitit, ipse precem exaudit, qui fecit. Aut ergo non facientes dicimus, « dimitte nobis debita nostra, » et cætera, et nosmetipsos hoc dicendo ligamus : aut fortasse hanc conditionem in oratione intermittimus, et advocatus noster precem, quam composuit, non recognoscit, atque apud se protinus dicit : Scio quod monui, non est ipsa oratio quam feci. Quid ergo nobis faciendum est, nisi ut veræ charitatis affectum impendamus fratribus nostris, et sicut manus nostras foris a cæde, ita et intus corda nostra ab odio servemus innoxia.

De invidia.

Hactenus de ira : nunc de invidia dicendum est, quoniam illusione diabolica zelare quod bonum est et invidere melioribus leve apud quosdam et modicum crimen videtur, dumque existimatur leve esse et modicum non timetur. Dum non timetur contemnitur, dum contemnitur, non facile vitatur, et fit cæca et occulta pernicies, quæ dum minus perspicitur, ut caveri a providentibus possit, improvidas mentes latenter affligit. Hinc diabolus inter initia statim mundi et periit primus et perdidit. Non est autem quod aliquis existimet malum istud una specie contineri, aut brevibus terminis et augusto fine concludi. Late patet zeli multiplex, et fecunda pernicies. Radix est omnium malorum, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit : animositas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat : dum quis suo potest esse contentus, videns alterum ditiorem invidet, ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem zelo excæcante sensus nostros atque in ditionem suam mentis arcana redigentem, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur. Inflatur superbia, exacerbatur sævitia, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit : nec se jam potest cohibere vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur : hinc charitas fraterna violatur : hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses et schismata dum obtrectatur sacerdotibus, dum episcopis invidetur, dum quis aut conqueritur non se potius ordinatum aut dedignatur alterum ferre propositum : hinc recalcitrat, hinc rebellat, de zelo superbus, de æmulatione perversus, animositate et livore non hominis, sed honoris inimicus. Qualis vero illa est anima, et in ea quæ cogitationum tabes pectoris, quanta rubigo zelare in altero, vel virtutem ejus vel felicitatem : id est, odisse in eo vel merita propria, vel beneficia divina : in malum proprium bona aliena convertere : illustrium prosperitate torqueri : aliorum gloriam facere suam pœnam? Mala quoque cætera habent terminum, et quodcunque delinquitur, delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus perpetrato stupro : in latrone conquiescit scelus, homicidio admisso, et prædoni rapacitatem statuit possessa præda : et falsario modum ponit impleta fallacia. Zelus terminum non habet permanens jugiter malum, et sine fine peccatum, quantoque ille cui invidetur successu meliore profecerit, tanto invidus in majus incendium livoris ignibus inardescit; hinc vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor : stridor in dentibus, verba rabida, et effrenata convitia, manus ad cædis violentiam prompta, etiamsi a gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata. Homicidii namque facinore perstringi eum quisque celaverit et odio habuerit fratrem suum. Declarat Joannes apostolus in Epistola sua dicens : « Qui fratrem suum odit, homicida est, et scitis quia omnis homicida non habet vitam in se manentem (*I Joan.* III, 15). » Et iterum : « Qui dicit se esse in luce, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quoniam tenebræ excæcaverunt oculos ejus (*I Joan.* II, 19). » « Qui odit, inquit, fratrem suum, in tenebris ambulat et nescit quo eat. » It enim nescius in gehennam, ignarus et cæcus præcipitatur in pœnam, recedens scilicet a Christi lumine monentis et docentis : « Ego sum lux mundi : qui me secutus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.* VIII, 12). » Cui tunc sine dubio placebimus, si modo ab omni zelo et livore invidiæ alieni existimus, et proximos nostros vera dilectione amamus, quia pacifici filii sunt Dei, et qui diligit fratrem suum ex Deo natus est, et videt Deum. Itaque quoniam invidiæ et odii malum quantum sit paucis verbis ostendimus.

De avaritia.

De avaritiæ peste quam noxia sit non est tacendum. Convenit ergo bene homini Christiano, qui ad cœleste regnum tendit et supernas divitias percipere ambit, ut se a præsentibus rebus temperet, et philargyriæ malum, quod maxime humanum genus captivat, quasi venenum mortiferum fugiat, ne per fraudem aliquid adipisci gestiat, vel per rapacitatem possessa ministrare retineat : quia omnis fraus Deo displicet et avaritia idololatriæ ab Apostolo comparatur. « Avaro, autem dicit Scriptura, nihil est scelestius. Quid superbit terra et cinis? Nihil est iniquius quam amare pecuniam. Hic enim animam

Digitized by Google

suam venalem habet (*Eccl.* x, 9). » Avaritia enim, quam Græci philargyriam vocant, nimia est cupiditas divitiarum acquirendi vel tenendi. Quæ pestis inexplebilis est, et hydropi morbo simulatur et comparatur. Sicut enim hydropicus quanto plus bibit, tanto plus sitit, sic et avarus, quanto majorem pecuniam acquirit, tanto majorem habere appetit, et dum modus ei non est in habendo, modus illi non desiderando. Hinc nascuntur invidiæ, furta, latrocinia, homicidia, mendacia, perjuria, rapinæ, violentiæ, inquietudo, injusta judicia, contemptus veritatis, futuræ beatitudinis oblivio, obduratio cordis, quæ sit contraria misericordiæ et eleemosynæ in pauperes, et totius pietatis æmula. Dominus ergo noster qui nos benignos esse de nostra substantia pauperibus et miseris admonet : ipse nos ab omni avaritia et injusta pecuniæ acquisitione prohibet. Qui vero ait : « De justis laboribus tuis fac eleemosynam, » ipse per apostolum suum hortatur nos dicens : « Nolite fraudem facere invicem (*I Cor.* VII, 5). » Nam qui fraude qualibet aliquid acquisierit, perdit justitiæ æquitatem. Et ipse Dominus in Evangelio dicit : « Cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusdam vita ejus est ex his quæ possidet : nunquid non divites similiter moriuntur sicut et pauperes. (*Luc.* XII, 15?) » Non prodesse possunt divitiæ in die ultionis, nec liberabunt male utentes eis a pœnis sempiternis. Si volumus nosse quam perniciosus est, quam noxius fomes iste, nisi fuerit diligenter excisus, ad ejus interitum qui eum ceperit fructificet, et omnigenis pullulet ramunculis vitiorum, respiciamus in Judam apostolorum numero deputatum, quia non voluit serpentis hujus caput lethale conterere, qualiter eum suo veneno peremerit : et concupiscentiæ laqueis irretitum ad tam abrupti præcipitii crimen impegerit, ut redemptorem mundi et humanæ salutis auctorem ob triginta argenteos persuaserit vendere. Qui nequaquam ad tam scelestum proditionis facinus esset devolutus, si non philargyriæ morbo fuisset infectus, nec Dominicæ negationis reus ac sacrilegus exstitisset, nisi prius solitus fuisset creditos sibi loculos compilare. Sed licet multi detestentur scelus Judæ, pauci tamen vitare studeant. Qui ergo reus Dominum vendidit, reus esse ab omnibus dijudicatur, et qui veritatem pro mendacio commutat, vix a quoquam reprehenditur. Nam quicunque propter amorem pecuniæ, vel commodum terrenum veritatem vendit, Christum perdit, et Judæ sceleris est particeps ; ait enim ipse Dominus : « Ego sum via, et veritas, et vita (*Joan.* XIV, 6). » Vitam utique deserit, qui veritatem contra pecuniam vendit, et inde mercatu infausto non vitam meretur æternam, sed mendacii debitam mergetur in pœnam. Hinc nos Paulus apostolus admonet et dicit : « Tempus breve est, reliquum est, ut qui habent uxores tanquam non habentes sint, et qui flent tanquam non flentes, et qui gaudent tanquam non gaudentes, et qui emunt tanquam non possidentes, et qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi (*I Cor.* VII, 29). » Ille enim uxorem habens quasi non habet, qui sic studet placere conjugi, ut non displiceat Conditori ; flet quoque, sed tanquam non fleat, qui sic temporalibus damnis affligitur, ut tamen de æternis lucris semper animum consoletur. Gaudet vero, sed tanquam non gaudeat, qui sic de temporalibus bonis hilarescit, ut semper perpetua tormenta consideret, et in hoc quod mentem gaudio sublevat, hanc continuo providi timoris pondere premat. Emit autem sed quasi non possidens, qui et ad usum terrena præparat, et tamen cauta cogitatione prævidet quod hæc citius relinquat. Mundo quoque utitur, sed quasi non utatur, qui et necessaria cuncta exterius ad vitæ suæ ministerium redigit, et tamen hæc eadem non sinit menti suæ dominari : ut subjecta foris serviant, et nunquam intentionem animi ad alta tendentis frangant. Quicunque igitur tales sunt, eis profecto terrena omnia non ad desiderium, sed ad usum adsunt, quia rebus quidem necessariis utuntur, sed nihil habere cum peccato cupiunt. De ipsis quoque rebus habitis quotidie mercedes acquirunt ; et plus gaudent bono opere quam bona possessione. His ergo sic habitis, et secundum veritatem ita perspectis, nunc considerandum est de corporalibus delictis, quam gravia sint.

De gula.

Primum enim est corporale peccatum gula, id est, intemperans cibi vel potus voluptas, per quam primi parentes humani generis paradisi felicitatem perdiderunt, et in hanc ærumnosam hujus vitæ miseriam dejecti sunt, ubi omnis homo per peccatum nascitur, per laborem vivit, per dolorem moritur. Quis enim sufficienter enumeret quæ et quanta illi protoplasto nostro abstinentiæ contemptus ademerit, quod intellectualis mentis dignitate donatus imaginem sui Creatoris accepit, quod soli Deo suo subjectus omnia visibilia sibi subjecta conspexit, quod ei ad vivendi usum affatim lignorum omnium quæ erant in paradiso feracitas divina jussione servivit ; quod arbor vitæ mysticum cibum non unde viveret, sed unde vitam corporis non finiret, sui Creatoris munere ministravit, qui cibum quandiu perciperetur, ita percipientem se in uno statu sacramenti cujusdam latentis figurata significatione servaret, ut eum nec ulla infirmitate corrumpi, nec ætate mutari, aut senescere, nec dissolvi morte permitteret. Non inquietabat molesta sollicitudo quietum, non fatigabat labor anxius otiosum, non somnus opprimebat invitum, non amittendæ vitæ timor angebat de immortalitate securum, habebat facilem victum corpus ex omnibus partibus sanum, tranquillum motum, cor mundum, ignarus pœnalis mali, habitator paradisi, expers peccati, capax Dei. Postremo quid eo felicius sit, cui erat orbis subjectus, nullus infestus, liber animus, et visibilis Deus ? quandoquidem nisi ante peccatum Deum videre in assumptione visibilis creaturæ soleret, quomodo se jam peccator effectus a facie Dei quam nunquam vidisset abscon-

Digitized by Google

deret? Potuit ergo ita videre Deum prius, quam peccaret, Adam, sicut eum sancti patriarchæ viderunt; sed quando ait: « Vocem tuam audivi, et timui (*Gen* III, 10), ex illa jam videndi Deum sanctitate ceciderat, qui per gulam mandatum Dei transgressus fuerat. Quæ videlicet tribus modis regnare videtur in homine; id est, dum homo horam canonicam et statutam gulæ causæ anticipare cupit, aut exquisitiores cibos sibi præparare jubet quam necessitas corporis vel suæ qualitas personæ exagitat; vel si plus accipiat in edendo vel bibendo propter desiderium intemperantiæ suæ quam suæ proficiat saluti. Sed hoc sciendum est quod nec deliciæ quælibet si absque desiderio percipiantur, officiunt; et viles cibi plerumque abstinentiæ profectum, si competenter accipiantur, impendunt. Hinc est quod sanctus David aquæ in se concupiscentiam castigavit, atque eam sibi a suis oblatam, ne desiderio ex ea satisfacere videretur, effudit: et sancto Eliæ perceptio carnium non concupita non nocuit. Unde datur intelligi quod veraciter abstinentes escarum non naturas, sed concupiscentias damnent: ac voluntates suas desirati cibi vel potus abusione mortificent. Qui autem non solum a qualitate, sed etiam a quantitate ciborum cupiunt abstinere, nihil aliud student, nisi ut quantum stomacho reficiendo ac fami eximendæ satis esse videtur indulgeant, nec expleant suos appetitus aviditate percipiendi, sed comprimant, atque eis non satietas edendi finem faciat, sed voluntas, quia tam a cupiditate pretiosorum ciborum quam animi a perceptione vilium continebunt. Jam de vino abstinendo vel percipiendo quid dicam? Unde sanctus Apostolus certam fixit regulam dicens: « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria (*Eph.* v, 18). » Quasi diceret, luxuriam facit, et nutrit vini perceptio nimia, non natura, et propterea non vos uti vino, sed inebriari prohibeo; quandoquidem infirmum stomachum moderatus usus vini confortat, ebrietas animum corpusque debilitat, illi quoque qui negata sibi perceptione vini diversorum poculorum portionibus inundantur, nequaquam mihi videntur abstinentiam implere: qui et ad hoc se fortassis a vino suspendunt, ut mereantur ab hominibus laudem, et interdicti sibi vini compensant poculis suavioribus voluptatem. Similiter et a quadrupedibus abstinentes et avibus altilibus aut piscibus perfruuntur: non mihi videntur resecare delectationes sui corporis, sed mutare. Nam sunt aliqui de falsorum abstinentium numero, qui in hoc parciores videri volunt, et gloriam sibi velut de abstinentiæ distinctione conquirunt, cum sic ab omnibus animalibus judicant temperandum, ut peregrinis pomis ac sorbitiunculis delicatis, cæterisque talibus sui corporis impleant appetitum, cum spiritualis abstinentiæ non aliquorum ciborum usum, sed desiderium suadet compescendum. Et illi magis parcimoniæ servire censendi sunt, qui sibi non aliquarum rerum perceptiones, sed delectationes corporis interdicunt. Hæc tamen non ita dicimus quasi monachorum regulam quæ a quadrupedum esu prohibet vituperemus, vel pœnitentes carnium esu abstinere prohibeamus, sed ut quomodo gulæ vitium devitandum sit doceamus. Oportet enim ut qui a vino et carnibus se abstinet non sit in cæteris cibis vel potibus ultra modum avidus: sed in omnibus sobrius et moderatus. Quid ergo proderit quod quis abstineat vino et carne, et cæteros cibos vel potus usque ad cruditatem vel vomitum sumat, cum non genus alimenti, sed solummodo comessatio et ebrietas in vitio sit? Unde consideremus ut diligentius sobrietatis jura observare contendamus in conviviis nostris. Sicut comessationem et ebrietatem caveamus, ita et a verbo detractionis et stultiloquio, nec non et a vanis jocis continentes simus. Mimorum et histrionum lusus et carmina velut venenum mortiferum respuamus, quia seductio et commenta sunt diaboli? memores semper illius divitis evangelici qui sepultus in inferno refrigerari sibi linguam ardentem poposcit, quia in conviviis suis gulæ et vaniloquio ante serviunt. Audiamus Apostolum nobis loquentem. « Sive enim manducemus, sive bibamus, sive aliud quid agamus, omnia in gloriam Dei faciamus (*I Cor.* x, 31). »

De fornicatione.

Hæc de gula dicta sufficiant, nunc consequenter quid de ejus consorte videlicet fornicatione Scriptura sancta intimet videamus. Sanctus Paulus apostolus scribens ad discipulos ita ait: « Fugite fornicationem. Omne peccatum quod commiserit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat (*I Cor.* VI, 18). » Exaggerare voluit fornicationis malum super cætera omnia peccata, quæ etsi corpus comitantur, non tamen animum humanum concupiscentiæ carnali ita efficiunt obstrictum et obnoxium, quomodo in solo opere fornicationis corporalis commisceri facit, animum injungens per libidinem cum ipso corpore, et unum cum ipso quodammodo agglutinari, et devinctum esse in tantum ut nihil aliud ipso momento et experimento hujus tam magni flagitii cogitare homini liceat, aut intendere nisi quod sibimet addicit, mentemque captivam subdit ipsa submersio: et quodammodo absorbitio libidinis et concupiscentiæ carnalis. Ideo tam magnum malum jussit Apostolus fugere, non tam videlicet loco quam affectu, quia difficile est illi resistere, postquam cor captivaverit per concupiscentiam. Hinc humani generis creator et conditor Deus opificii sui naturam præ omnibus emendationemque cognoscens, illic curam adhibuit medicinæ, unde causas morbi principaliter noverat emanare; « Quicunque, inquiens, viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* v, 28). » Petulantes oculos notans, non tam eos arguit, quam illum interiorem sensum, qui officio eorum male utitur ad videndum. Cor namque ægrum, et sauciatum libidinis telo, quod ad concupiscendum videt, beneficium invitus recte sibimet a

Digitized by Google

Creatore concessum vitio ad operum pravorum ministeria contorquens, et in semetipso reconditum concupiscentiæ morbum contemplationis occasione producens. Idcirco ergo huic dedit salutare mandatum : cujus vitium pessimum languor visus occupatione procedit. Non enim dicitur : Omni custodia serva oculos, quos utique oportuit principaliter custodiri, si ex ipsis prodiret concupiscentiæ affectus ; sed dicitur : Omni custodia serva cor tuum. Illi potissimum imposita est medicina : quod ubique abuti potest oculorum ministerio. Unde cogitationum lascivos motus in primordio ortus sui antequam fructus germinent peccatorum, studeamus exstinguere, et filiæ Babylonis parvulos allidamus ad petram, hoc est, fornicationis suggestiones et immunditiæ cogitatus, mandatorum Christi recordatione subito conteramus. Nulla etenim virtute tam proprie carnales homines spiritualibus angelis imitatione conversationis sequuntur, quam merito et gratia castitatis, per quam adhuc in terra degentes, habent, secundum Apostolum, municipatum in cœlis, quod deposita corruptela carnali habituros sanctos promittitur in futuro. Hic jam in carne fragili possidentes. Unde qualiter illam prædictus gentium Apostolus Thessalonicensibus scribens virtutibus prætulerit universis audiamus, « Hæc est, inquiens, voluntas Dei sanctificatio vestra (*I Thess.* IV, 3). » Et ne forte dubium nobis relinqueret vel obscurum, quidnam sanctificationem voluerit appellare : utrum justitiam, an charitatem, an humilitatem, an patientiam, in omnibus enim istis virtutibus creditur acquiri sanctificatio : infert et manifeste designat quid proprie sanctificationem voluerit appellare. « Hæc est, inquit, voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione : ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum. » Videtis quibus eam laudibus prosequatur honorem, vasis, id est, corporis nostri, et sanctificationem appellans eam. Igitur e contrario qui in passione desiderii est, et in ignominia et immunditia consistit, et alienus a sanctificatione versatur. Tertio quoque post pauca infert, rursus eam sanctimoniam pronuntians : « Non enim vocavit nos Deus in ignominiam, sed in sanctimoniam. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum. Qui etiam dedit Spiritum sanctum suum in nobis (*I Thess.* IV, 8), » auctoritatem præcepto suo inviolabilem vinxit, dicens : « Qui hæc spernit, » id est, quæ de sanctimonia præfatus sum, « non hominem spernit, » id est, non me qui hæc præcipio, « sed Deum » qui in me loquitur, qui etiam Spiritui suo sancto cor nostrum habitaculum deputavit.

Hæc ergo nobiscum tractemus, hoc mente sæpius revolvamus, hoc toto nisu efficere festinemus, ut casti corpore de spiritu habitaculum Spiritus sancti fieri mereamur. Qui ergo matrimonio juncti sunt, castitatem conjugalem servent, nec se meretricum vel concubinarum prostibulo coinquinent, sed vir solam conjugem suam legitimam, et mulier solum maritum suum legitimum noverit. Qui vero hæc transgreditur, sine dubio adulterii crimine reus tenetur. Hi autem qui matrimonio nondum sunt juncti, et cælebem vitam ducunt, castitatem observent usque ad tempus nuptiarum oppurtunum, nec fornicationis turpitudine se polluant, quia scriptum est : « Fornicatores et adulteros judicabit Deus (*Hebr.* XIII, 4). » Illi autem qui virginitatis propositum tenent, sine ulla reprehensione illud custodiant, ne forte ab æterni regis nuptiis cum fatuis virginibus repellantur, sed magis cum prudentibus lucentibus bonorum operum meritis, ornate ad convivium sponsi cœlestis intrent. Similiter et qui vidualem continentiam professi sunt, non redeant retro, sed ad supernæ vocationis intendant præmium, ut illud consequantur. Igitur omnes simul fidem catholicam tenentes, audiamus Apostolum nobis dicentem : « Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo (*II Cor.* XI, 2). »

De tristitia.

Nec minus ergo contra pestem tristitiæ sæcularis vigilare debemus, quia ipsa certissimæ mortis collatrix est, si non caveatur. Unde Apostolus admonens nos dicit : « Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus prope est, nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, et obsecratione petitiones vestræ innotescant apud Deum (*Philip.* IV, 4). » Cum ergo Deum quærentibus ejusque promissis credentibus lætari atque gaudere semper præcipitur, procul dubio lætaliter contristari prohibetur. Est etiam genus tristitiæ pestiferum ac mortiferum, quod quasi passim per singulos cursus, ac varios casus obtinendi animam nostram habuerit facultatem, ab omni nos per momenta singula reparat divinæ contemplationis intuitu, ipsamque mentem ab universo statu puritatis dejectam funditus labefactat et deprimit. Non orationes eam explere cum solita cordis alacritate permittit, non sacrarum lectionum sinit remediis incubare, tranquillam quoque et mitem fratribus esse non patitur, et ad cuncta operationum vel religionis officia impatientem et asperum reddit, omnique perdito salubri consilio, et cordis constantia perturbata, velut amentem facit et ebrium. Sensum frangit, et obruit, desperatione pœnali, quamobrem non minori prospectu si spiritualis agonis certamina legitime curamus, desudare hic quoque nobis curandus est morbus. Sicut enim tinea vestimento, et vermis ligno, ita tristitia vestra nocet cordi. Satis evidenter ac proprie vim noxii hujus et perniciosi vitii spiritus divinus expressit. Vestimentum namque esu tinearum ad tactum nullius pretii vel honestatis poterit ulterius habere commercium, tantidemque lignum vermibus exaratum non jam ad ornatum vel mediocris ædificii, sed ad combustionem ignis merebitur deputari. Est etiam illud detestabilius tristitiæ genus, quod non correctionem

Digitized by Google

vitæ, nec emendationem vitiorum, sed perniciosissimam desperationem animæ injicit delinquenti. Quod nec eam fecit post fratricidium pœnitere, nec Judam post proditionem ad satisfactionis remedia festinare, sed ad suspendium laquei se sua desperatione pertraxit. Ideoque nobis utilis una re tantum tristitia judicanda est : cum hanc pœnitudine delictorum vel desiderio perfectionis accensi vel futuræ beatitudinis contemplatione cupimus. De qua et beatus Apostolus, « quæ secundum Deum est tristitia, » inquit, « pœnitentia ad salutem stabilem operatur : sæculi autem tristitia mortem operatur (*II Cor.* VII, 10). » Sed illa tristitia quæ pœnitentiam operatur ad salutem stabilem obediens est, affabilis, humilis, mansueta, suavis ac patiens, utpote ex Dei charitate descendens, et ad omnem dolorem corporis ac spiritus contritionem infatigabiliter semetipsam desiderio perfectionis extendens, et quodammodo læta, ac spe provectus sui vegetata, cunctam affabilitatis et longanimitatis retinet suavitatem, habens in semetipsa omnes fructus Spiritus sancti : quos enumerat idem Apostolus : « Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, benignitas, continentia (*Gal.* v, 22). » Hæc vero asperrima, impatiens, infructuosa, plena rancore, et timore, dura, ac desperatione pœnali eum quem complexa fuerit ab industria et salutis dolore frangit, ac revocat utpote irrationabilis et intercipiens non solum orationum efficaciam, verumetiam universos quos prædiximus fructus spirituales evacuans quos novit illa conferre. Quapropter absque illa quæ vel pro salutari pœnitentia vel pro studio perfectionis seu pro desiderio suscipietur futurorum. Omnis tristitia tanquam sæculi et quæ mortem inferat æqualiter repellenda est, ac sicut fornicationis spiritus philargyriæ vel iræ, de nostris cordibus penitus exstruenda. Hanc igitur perniciosissimam passionem, ita de nobis expellere possumus, si mentem nostram spirituali meditatione jugiter occupatam futura spe et contemplatione repromissæ beatitudinis erigamus. Hoc enim modo universa tristitiarum genera sive quæ ex præcedenti ira descendunt, sive quæ amissione lucri vel detrimenti illati nobis veniunt, seu vel irrogata generantur injuria, sive quæ irrationabili mentis confusione procedunt, seu quæ lethalem desperationem nobis inducunt, valebimus superare : cum externarum rerum ac futurarum intuitu semper læti atque immobiles perdurantes, nec casibus dejecti præsentibus, nec prosperis fuerimus elati, utraque velut caduca et mox transeuntia contemplantes.

De acedia.

Octavum ergo ac novissimum octo principalium vitiorum virus est acedia, per quam tepor mentis et segnities nŏxia oritur, quæ hominem inutilem ad omne opus bonum ac proclivem ad interitum reddit. Unde scriptum est : « Otiositas inimica est animæ, » quam inimicus totius boni diabolus per memoratum acediæ morbum homini ingerit : ita ut inutiliter faciat eum torpere, et minime in bonis operibus desudare. Acedia enim est pestis, quæ Deo famulantibus multum nocere probatur : dum otiosus homo torpescit in desideriis carnalibus, nec in opere gaudet spirituali nec in salute animæ suæ lætatur, nec in adjutorio fraterni laboris hilarescit : sed tantum concupiscit et desiderat, otiosè tractans, per omnia discurrit. Quæ dum miserabilem obsidet mentem, multis eam inficit miseriis, quæ multa docent mala. De qua nascitur somnolentia, pigritia operis boni, instabilitas loci, pervagatio de loco in locum, tepiditas laborandi, tædium cordis, murmuratio et vaniloquia, quæ utique a milite Christi vincitur per studium lectionis, per assiduitatem operis boni, per desiderium præmiorum futuræ beatitudinis, per confessionem tentationis quam in mente habet, per stabilitatem loci et propositi sui, atque exercitium cujuslibet artis et laboris vel orationis, et vigiliarum instantiam : ut nunquam otiosus inveniatur servus Dei. Difficilius enim invenit diabolus tentandi locum in homine quem in opere invenit bono, quam eum quem otiosum reperit et nihil boni agentem. Quod otiositatis vitium etiam sapientissimus Salomon evidentissime notat in multis, ita dicens : « Qui sectatur otium, implebitur paupertate vel visibili vel invisibili, quia necesse est otiosum quemque et universis vitiis involutum teneri, et alienum semper existere contemplatione Dei, vel divitiis spiritualibus (*Prov.* XXVIII, 19). » De quibus beatus Apostolus : « Quia in omnibus, inquit, divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia (*I Cor.* I, 5). » Multa enim mala docuit otiositas. Quæ evidenter Apostolus enumeravit dicens : « Audivimus, inquit, quosdam inter vos ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes (*II Thess.* III, 2). » Huicque vitio subjunxit quoddam statim medicamentum dicens : « Rogamus vos, fratres, quod operam detis ut quieti sitis, et ut vestra negotia agentes operemini manibus vestris et honeste ambuletis ad eos qui foris sunt et nullius aliquid desideretis (*II Thess.* II, 1). » Nam quos etiam inordinatos ac rebelles notat, ab his studiosos quosque segregari præcipiens dicit : « Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre inordinate et inquiete ambulante, et non secundum traditionem quam accepistis a nobis (*II Thess.* III, 6). » Et quæ fuerit illa traditio protinus subjunxit dicens : « Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos : quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque panem gratis ab aliquo manducavimus, sed in labore et in fatigatione nocte et die operantes, ne aliquem vestrum gravaremus, non quasi non haberemus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos (*Ibid.*, *v.* 7). » Qualis ergo ille est Christianus qui eum mane a lecto ebrietatis suæ surrexerit, non aliquo operi utili insistit, non ad ecclesiam orationis causa vadit, non ad audiendum verbum Dei concurrit, non eleemosynas agere satagit,

Digitized by Google

non infirmos visitare, vel calumniam patientibus subvenire contendit : sed aut in venatum foras pergit, aut domi lites et contentiones excitat, aut aleæ vel fabulis et jocis se inutilibus impendit, donec edulium suum a servis laborantibus præparetur. Etsi aliquid minus per impossibilitatem aliquam paratum a servitoribus ad suum libitum fuerit : subito exardescit, et ad vindictam agendam statim prosilit : sicque dum ille in convivio lætatur, servus foris excruciatur. Sed hæc unde faciunt, nisi quia de futuris non cogitant, nec judicium Dei mente pertractant. Si enim diem mortis suæ rite providerent, nunquam tali dementia se irretirent. Nunquid non sapiens similiter moritur ut stultus, dives ut pauper, nobilis ut ignobilis? Nunquid non caro divitis similiter vermibus scatet ut mendici ? Ecce dives cum pompa ad sepulcrum ducitur : sed nemo obsequentium cum eo in sepulcro manere dignatur; sed sicut solus hic natus est, sic solus hinc exiet. Cur hoc? Ante sepulturam sponte a mortalibus non prospicitur, quod post mortem fieri omnibus necessario cogetur. Ecce quotidie volentes nolentesque ad mortem properamus : et quis finis noster sit post mortem non consideramus. Omnes enim præsentari nos oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum sive malum ; sed quia nemo contra vitia rite pugnare potest, nisi qui sacrarum virtutum opem habere studet :

De quatuor principalibus virtutibus.

Sciendum est quod hæ quatuor species principalium virtutum quas supra enumeravimus, hoc est, prudentia, justitia, fortitudo, et temperantia, a quibus totus ordo et series virtutum oritur, omni homini Christiano necessariæ sunt, quia non aliter superantur morbi pestiferi vitiorum, nisi per remedia spiritualium medicamentorum. Sanctarum enim Scripturarum auctoritas valde nobis commendat celsitudinem et nobilitatem earumdem sacrarum virtutum, quatenus per earum opulentiam militiæ Christi apti esse studeamus. Quas quidem quatuor esse principales et quasi quosdam fontes a quibus cæteræ virtutes profluant, non solum philosophi sentiunt, sed etiam nostri consentiunt. Quarum quoque nomina, ut jam ostendimus, prudentiam, justitiam, fortitudinem, et temperantiam dici voluerunt : quæ tantum sanctitatis conferunt animo Christiano, quod nihil perfectionis usque sit, quod in istis virtutibus non sit. Nam si facit prudentia prudentem, justitia justum, fortitudo fortem, et temperantia temperantem, eo qui prudenter, juste, fortiter ac temperanter agit, nescio quid possit esse perfectius. Virtus enim est animi habitus, naturæ decus, vitæ ratio, ac morum nobilitas. Cujus etiam partes principales sunt quatuor, ut sæpe dictum est, quarum prima est prudentia in indagatione veri et in inventione consistens. Hæc memoriam animo excitat, intelligentiam ingenio præstat, providentiam consilio exornat. Hæc spirituales homines a carnalibus vitiis defecatos illustrat, et ab omni delectatione noxiæ curiositatis eversos desiderio contemplandæ veritatis illuminat, ut humanarum rerum divinarumque scientiam consecuti, prudentes ac sapientes veraciter fiant. Prospiciant imminentia mala, simul et caveant, nec putent ulla esse mala nisi ea quæ malos efficiant : nihil in hoc mundo casu, aut injuste, sed omnia Deo volente vel permittente fieri prudenter accipiant : aliter intelligentes aut doceant sapienter aut arguant, nec ipsi aliis noceant, nec sibi nocere promittant. Tales Dominus in Evangelio fieri præcepit dicens : « Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (*Matth.* x, 16), » quia nec simplices circumvenire aliquos possunt, nec prudentes se circumveniri permittunt. Cæterum si in contractu quolibet sive colloquio vel in alia quaque re se decipi quisque non sinat, et alium tamen ipse decipiat; is non habet prudentiam, quæ salutis magis quam perditionis est causa, sed simulat, quoniam quidem hoc virtus a vitio distat, quod illud corrumpit sana, hæc sanat vitii accensione corrupta. Nam si cogitat de perditione cujuspiam vel de casu pereuntis exsultat, necesse est ut primus pereat ipse, quam alium perdat, et ab ipso ea perditio quæ perire alium cupit incipiat. Justitia vero quæ secunda pars principalis virtutis est, ipsa est habitus animi, unicuique rei propriam tribuens dignitatem. In hac divinitatis cultus, et humanitatis jura et æquitas totius vitæ conservantur. Quapropter si in hac vita justitiam conamur implere, cujus justitiæ opus est proprium sua cuique tribuere : Deo nos a quo sumus facti, reddamus, nec dominari nobis ea quibus sumus naturaliter præpositi, permittamus. Dominetur vitiis ratio ; subjiciatur corpus animo, animus Deo, et impleta est hominis tota perfectio. Duo sunt econtrario injustitiæ genera, unum quod injurias irrogamus, alterum quod ab aliis irrogatas cum possumus propulsare negligimus, quando oppressos defendere cum possimus ab oppressione contemnimus : nec mihi aliquid prodest, quod non circumvenio aliquem neque decipio, si decipi aut circumveniri permitto. Hoc idem de peccatis licet intelligi : quia si peccantem video, et non solum non arguo, sed etiam ei peccanti consentio, participem me damnationis efficio, et in omnibus peccatis pecco, quando eos quos scio peccasse sive peccare quadam crudelis animi malignitate non increpo. Fortitudo ergo quæ tertia est in ordine principalium virtutum, hæc magno animo periculorum et laborum est perpessio, ejusque partes sunt *magnificentia*, *fidentia*, *patientia*, *perseverantia*. *Magnificentia* ergo est rerum magnarum et excelsarum, cum animi ampla quadam et splendida propositione cogitatio atque administratio. *Fidentia* est, per quam magnis et honoratis in rebus multum animus in se fiduciæ certa cum spe collocavit. *Patientia* est honestatis aut utilitatis causa rerum arduarum aut difficilium voluntaria ac diuturna perpessio. *Perseverantia* est in ratione bene considerata stabilis ac perpetua permansio. Hæc quoque eos maxime habere convenit, qui honore Christiani

Digitized by Google

nominis pollent, ut bene incepta pio et discreto conamine ad bonum finem perducant.

Temperantia quippe quarta species virtutis est rationabilis in libidinem, atque in alios non rectos animi firma et moderata dominatio : ejusque partes sunt *continentia*, *clementia*, *modestia*. *Continentia* enim est per quam omnis mala cupiditas magna consilii gubernatione regitur et deprimitur. *Clementia* est, per quam jurgia et odia miti animo retinentur. *Modestia* est, per quam totius vitæ modus seu animi seu in corporis motibus ubique honesti cura servatur. Honor eximius est coram hominibus hæc servanti, et laus apud Deum. Quapropter bono studio et pio labore contendamus, ut hæc observantes digne Christi servitium agamus, et maxime, ut in via justitiæ et veritatis ambulemus : quia scriptum est : « Justus Dominus et justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus (*Psa.* x, 7). » Et alibi : « Justitia liberavit a morte (*Prov.* x, 2). » Et item : « Qui sequitur justitiam et veritatem, inveniet vitam, et justitiam, et gloriam. » Habemus ergo ad hoc fortem adjutorem, et pium protectorem, Mediatorem videlicet Dei et hominum, de quo scriptum est : « Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit (*Ps.* LXXXIV, 12). » Quapropter in nullo diffidamus, nihil desperemus, sed in illum totam spem salutis nostræ ponamus, quia de eo scriptum est : « Non derelinquet omnes qui sperant in se (*Ps.* XXXIII, 23). Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. » His vero ita veraciter existentibus, jam nunc de fraude antiqui hostis et necessaria vestra cautela contra insidias ejus dicendum esse arbitramur. Oportet autem unumquemque qui in Christiana militia constitutus est, ut caute contra antiqui hostis nequitiam instanter vigilent, ne forte dolosis fictionibus ejus reducatur, quia hostis callidus contra cœlestem militem diversa percussionum vulnera exquirens, modo ex pharetra per insidias eum sagitta vulnerat, modo ante ejus faciem hastam vibrat : quia videlicet vitia, et alia sub virtutum specie contegit, et alia ut sunt aperta ejus oculis opponit. Ubi enim infirmari Dei militem conspicit, illic fraudis velamina non requirit. Ubi autem resistere sibi fortem considerat, illic contra vires procul dubio dolos parat. Nam cum infirmum quempiam in carnis illecebra videt, aperte speciem corporis quæ concupisci valeat ejus obtutibus objicit. Si autem fortasse validum contra avaritiam cernit, importune ejus cogitationibus domesticorum suorum inopiam suggerit, ut dum mens ad provisionis curam quasi pie flectitur, seducta furtim in rerum ambitu inique rapiatur. Sæpe enim tentationem proponit de libidine, et subito fraudulentius cessans, elationem suggerit de servata castitate. Et sunt nonnulli, qui dum multos ex castitatis arce in elationis foveam cecidisse conspiciunt, vitæ suæ custodiam negligentes in immunditiam libidinis demerguntur. Sunt vero e diverso nonnulli, qui dum libidinis immunditiam fugiunt per castitatis culmen in voraginem elationis ruunt. Quasi ergo aperte feriens hasta est culpa de vitio, et quasi ex occulto vulnerans de pharetra sagitta est, culpa de virtute Sed sanctorum provida discretio dum sollicite circumquaque conspicit, in altum posita priusquam veniat culpa deprehendit, eamque quo vigilanter prænotat, eo fortiter declinat Primo enim militiæ Christi providendum est, ne mala quælibet agat : secundo vero loco consideret, ne bona incaute faciat, et postquam prava subjecerit, ipsa etiam sibi subjicere recta contendat : ne si mentis dominium transeunt, in elationis culpa vertantur. Quia enim, sicut superius dictum est, plerumque ex bonis per incuriæ vitium mala nascuntur, vigilanti studio contemplatur, quomodo ex doctrina arrogantia, ex justitia crudelitas, ex pietate remissio, ex zelo ira, ex mansuetudine torpor oriatur. Cumque bona hæc agit ? quod contra se hostes per hanc exsurgere valeant conspicit. Nam cum adipiscendis doctrinæ studiis elaborat, mentem sollicitam contra certamen arrogantiæ præparat. Cum culpas delinquentium juste ulcisci desiderat : sagacissime evitat ne modum justitiæ crudelitas vindictæ transcendat. Cum pietate frenare se nititur, solerter prospiciat ne qua disciplinæ dissolutione vincatur. Cum recti zeli stimulos excitat, summopere providet, ne plusquam necesse est iræ se flamma succendat. Cum magna mansuetudinis tranquillitate se temperat, vigilantem observat, ne torpore frigescat. Quia ergo spiritualis militis cogitatione omne vitium priusquam surripere possit aspicitur, recte de eodem in libro Job dicitur : « Procul odorat bellum (*Job.* XXXIX, 25). » Induamus nos secundum Apostolum lorica justitiæ et galea salutis, habentes scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea exstinguere : et gladium spiritum, quod est verbum Dei. Contineamus nos a pravis actionibus, custodiamus os nostrum a noxiis et otiosis sermonibus, et sic caveamus ne lædamur a malis cogitationibus, ne victoriam quam acquisivimus per constantiam, perdamus per elationis vecordiam.

Studeamus quoque ut in omnibus adversitatibus quæ nobis adveniunt patientiam servemus : quia in nulla alia re melius hostis noster vincitur, qui quotidie quomodo nos perdat machinatur. Ait enim Dominus noster : « In patientia vestra possidebitis animas vestras (*Luc.* XXI, 19). » Patientia vero est aliena mala æquanimiter perpeti : contra proximum quoque qui mala irrogat nullo dolore morderi. Sciendum tamen est quod tribus modis patientia exerceri solet. Alia namque sunt, quæ a Deo, alia quæ ab antiquo adversario, alia quæ a proximo sustinemus. A proximo namque persecutiones, et damna, et contumelias ; ab antiquo enim adversario tentamenta, a Deo autem flagella toleramus. Sed in omnibus tribus his modis vigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere : ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali, ne contra tentamenta adversarii seducatur ad delectationem vel consensum delicti ; ne contra flagella opi-

Digitized by Google

ficis ad excessum proruat murmurationis. Perfecte enim adversarius vincitur, quando mens nostra et inter tentamenta ejus a delectatione atque consensu, et inter contumelias proximi custoditur ab odio, et inter flagella Dei compescitur a murmuratione.

De confessione et pœnitentia.

Sed tamen militi Christi, si aliquo modo a doloso inimico seducitur, vel carnis fragilitate superatur, non est desperandum, sed magis studendum ut per veram confessionem condignamque pœnitentiam et compunctionem lacrymarum semetipsum recuperet veniamque delictorum a misericorde judice impetret, perque bonorum actuum strenuum exercitium ad prioris vitæ statum, et ad præmium promissæ retributionis pervenire mereatur.

De compunctione.

Compunctio igitur cordis ex humilitatis virtute nascitur. De compunctione confessio peccatorum, de confessione pœnitentia, de pœnitentia vero proveniet delictorum indulgentia. Compunctio cordis est humilitas mentis cum lacrymis et recordatione peccatorum, et timore judicii. Ex genuino fonte compunctionis solent profluere lacrymæ, id est, dum mens operum suorum diligentius mala considerat, aut dum desiderio æternæ vitæ suspirat. Unde et Propheta ait: « Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte (*Psal.* XLI, 3). » Quatuor item sunt qualitates affectionum, quibus cogitatio justi tædio salubri compungitur. Hoc est memoria præteritorum facinorum, recordatio futurarum pœnarum, consideratio peregrinationis suæ in hujus vitæ miseria, desiderium supernæ patriæ, quatenus ad eam quantocitius valeat pervenire. Quando ergo ista in corde hominis fiunt, sciendum est tunc esse Deum per gratiam humano cordi præsentem. Unde et in Psalmo dicitur: « Deus, vitam meam nuntiavi tibi, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, sicut in promissione tua (*Psal.* LV, 9). » Promissio indulgentiæ, quam habemus a Deo, lacrymas pœnitentiæ excitat cordi nostro, sed tunc salubris est ipsa compunctio quando hominem provocat ad confessionem peccatorum, et ad conversionem melioris vitæ. Hortatur itaque nos sæpius sancta Scriptura ad medicamenta fugere confessionis, non quod Deus indigeat confessionis nostræ, cui omnia præsto sunt quæ cogitamus, loquimur, et agimus; sed nos aliter salvi fieri non possumus, nisi confiteamur pœnitentes quod inique gessimus negligentes. Qui seipsum accusat in peccatis suis, hunc diabolus non habet iterum accusare in die judicii, si tamen confitens pœnitendo diluit quæ fecit, nec iterum renovat quæ egit. « Confitemini, » dicit Jacobus apostolus, « alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini (*Jac.* V, 16). » Item beatus apostolus Paulus: « Ore autem, inquit, confessio fit ad salutem (*Rom.* X, 10). » Sed et Salomon de confessione peccatorum dixit: « Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur (*Prov.* XXVIII, 13). » Magnum est salutis medicamentum non iterare quæ impie gessimus, nec priorem cicatricem vulnerum resauciare. Unde dicit Joannes evangelista: « Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus et justus ut remittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate (*I Joan.* I, 9). » Similiter et Psalmista ait: « Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei (*Psal.* XXXI, 5). »

De non tardando converti ad Deum.

Vivens confiteatur peccator quæ fecit, quia non est fructuosa confessio apud inferos, nec pœnitentia ad salutem proficiens. Ecce nunc tempus salutis, ecce nunc tempus acceptabile Deo. Tempus est nunc remissionis pœnitentibus, sed tempus erit post mortem vindictæ negligentibus confiteri scelera sua. Omnes enim impii amaram habent in pœnis pœnitentiam, sed non proficit eis pœnitentia ad remissionem: sed conscientia torquet eos ad augmentum pœnarum quæ patiuntur. Potuerunt sibi per confessionem præcavere tormentorum immanitatem, et neglexerunt. Ita sicut foras flammis, ita intus conscientia propria torquentur. Quomodo potest medicus sanare quod ægrotus ostendere erubescit? Deus enim desiderat confessionem nostram, ut justam habeat causam ignoscendi. Qui peccata sua occultat et erubescit salubriter confiteri, Deum, quem testem habet, iterum habebit eum ultorem. Optime se judicat homo in hac vita, ne judicetur a Deo damnatione perpetua. Duplicem habere debet fletum in pœnitentia omnis peccator: sive quia per negligentiam bonum non fecit, seu quia malum per audaciam perpetravit; quod opportune non gessit, quod non oportuit egit. Nam Salvator in Evangelio pœnitentiæ virtutem ostendit dicens: « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* III, 2). » Et Joannes Baptista: « Facite, ait, fructus dignos pœnitentiæ (*Ibid.*, v. 8). » Fructus dignus est pœnitentiæ transacta flere peccata, et eadem iterum non agere, sicut Scriptura ait: « Ne adjicias peccatum super peccatum, et dicas, Miseratio Dei magna est, quoniam misericordia et ira ab illo est (*Eccli.* V, 5). » « Lavamini, » dicit Dominus per Isaiam prophetam, « et mundi estote (*Isa.* I, 16). » Lavatur itaque et mundus est, qui et præterita plangit, et iterum flenda non admittit. Lavatur et non est mundus, qui plangit quod gessit, nec deserit, et post lacrymas hæc quæ fleverat repetit. De his qui post lacrymas ad delicta revertuntur priora, beatus Petrus terribiliter ait: « Canis reversus ad vomitum suum (*II Petr.* II, 21). » « Fili, si peccasti, » dicitur in Scriptura sancta, « ne adjicias iterum, sed de præteritis deprecare ut remittantur tibi (*Eccli.* XXI, 1). » Pœnitentia vera non annorum numero censetur, sed amaritudine animi. Unde beatus Petrus mox a Domino indulgentiam recepit, quia amarissime flevit

Digitized by Google

trinæ negationis culpam. Pœnitentia quamvis sit exigui temporis, si intima cordis amaritudine agitur, non despicitur apud judicem justum Deum, qui cordis secreta considerat. Non enim longitudinem temporis tantum requirit Deus, quantum affectum sinceritatis pensat pœnitentis. Qui enim in Christum tota mente confidit, etiamsi multis moriatur peccatis, fides sua vivit in æternum : sicut ipse Dominus ait in Evangelio : « Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit vivet, et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum (*Joan.* XI, 25). » De morte animæ dixit, quæ propter peccatorum ægritudinem venit illi. Deus natura misericors est. Paratus est salvare per misericordiam quos non venit salvare per justitiam, qui vult omnes homines salvos fieri et neminem perire, qui per Prophetam ait : « In quacunque die conversus fuerit peccator, vita vivet, et non morietur (*Ezech.* XXXIII, 12). » Quamvis quisque sit peccator, et impius si ad pœnitentiam convertatur, consequi se posse veniam per Dei misericordiam non dubitet. In hoc sæculo pœnitentiam facientibus Dei misericordia subvenit, in futuro autem pœnitentia non proficit, sed rationem nostrorum operum reddituri sumus. In hac vita tantum pœnitentiæ patet libertas ; post mortem vero correctionis est licentia. Quapropter festinare debet unusquisque nostrum ad Deum convertendo dum potest : ne si dum potest noluerit, omnino, cum tarde voluerit, non possit. Semper ergo extremum diem debemus metuere, quemcunque possumus prævidere. Ecce nunc ipsum diem in quo loquimur ad inducias conversionis accepimus : et tamen mala quæ fecimus flere recusamus. Non solum commissa non plangimus, sed etiam quæ defleantur augemus. At si aliqua nos ægritudo corripiat, si signa ægritudinis vicinam mortem denuntient, inducias vivendi quærimus, ut peccata nostra defleamus, et eas cum magno æstu desiderii petimus, quæ acceptæ modo pro nihilo habentur. Pensemus nunc super nos divitias conditoris nostri, peccare nos vidit et pertulit. Qui nos ante culpam peccare prohibuit, etiam post culpam exspectare ad veniam non desistit. Ecce ipse nos quem despeximus vocat, aversi ab illo sumus et tamen non avertit. Unde per Isaiam dicitur : « Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, et aures tuæ audient vocem post tergum monentis (*Isa.* XXX, 20). » Quasi in faciem homo monitus est, quando ad justitiam conditus, præcepta rectitudinis accepit. Sed cum hæc eadem præcepta contempsit, quasi conditori suo dorsum mentis in faciem dedit. Sed ecce adhuc post tergum sequitur, et monet, quia jam et a nobis contemptus est, et tamen nos adhuc vocare non cessat. Quasi dorsum ei in faciem dedimus, cujus verba despicimus, cujus præcepta calcamus. Sed stans post tergum nos aversos revocat, qui et videt quod despicitur, et tamen per præcepta clamat, per patientiam exspectat. Pensemus ergo si cuilibet nostrum loquenti famulus suus subito superbiret, terga in faciem mitteret, nunquid non contemptus dominus ejus superbiam ferret, vulnera districtæ animadversionis infligeret. Ecce nos peccando auctori nostro terga in faciem dedimus, et tamen sustinemur, superbe aversos benigne revocat : et qui ferire nos aversantes potuit, ut revertamur munera promittit. Tanta obsecro conditoris nostri misericordia duritiam nostri reatus emolliat : et homo qui malum quod fecit experiri percussus poterat, saltem exspectatus erubescat. Habeamus ergo fiduciam de misericordia conditoris nostri : cogitemus quæ facimus, recogitemus quæ fecimus. Largitatem supernæ pietatis aspiciamus, et ad misericordem judicem, dum adhuc exspectat, cum lacrymis veniamus. Consideremus namque quod justus sit, peccata nostra non negligamus. Consideremus ergo quod pius sit, non desperemus. Præbet apud Deum homini fiduciam, Deus homo est nobis spes magna pœnitentibus, quia advocatus noster factus est judex noster. Unde necesse est ut audiamus quia misericors est, convertamur a peccatis, recordantes quod justus est, pertimescamus recedere a justitia, ne inchoantes bona opera, sine perfectione illa deseramus, ne fiat quod scriptum est : « Omnes qui viderint incipiant illudere ei dicentes : Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare (*Luc.* XIV, 29), » quia, juxta Pauli vocem, spectaculum facti sumus mundo et angelis et hominibus, et in omne quod agimus considerare occultos adversarios nostros debemus, qui semper nostris operibus insistunt, semper ex nostro defectu gratulantur. Quos Propheta intuens ait : « Deus meus, in te confido, non erubescam, neque irrideant me inimici mei (*Psal.* XXIV, 2). » In bonis enim operibus intenti nisi contra malignos spiritus sollicite vigilemus, ipsos irrisores patimur quos ad malum habemus. Et ideo sollicite considerare debemus, ne per pusillanimitatem pereamus, ne hostes spirituales, quos innumerabiles habemus, cum viderint nos de statu justitiæ corruisse, omnem laborem nostrum in novissimo in derisum sibi ducant vitam nostram, et nobis in opprobrium vertant. Quales enim egrediente anima inveniemur profecto ab auctore nostro, tales judicabimur. Unde scriptum est : « Dominus judicabit fines terræ (*I Reg.* II, 10). » Nec nos juvat bene cœpisse, si contigerit male finire.

De bona perseverantia.

Ut ergo longanimes perseverare possimus in bono quod cœpimus, imploranda est misericordia divina, ut misericordia quæ nos prævenit subsequatur nos omnibus diebus vitæ nostræ. Cogitandum quippe valde est quantum nobis erit terribilis hora nostræ resolutionis, qui pavor mœroris, quanta tunc omnium malorum memoria, quæ oblivio transactæ felicitatis, quæ formido et consideratio judicis. Quid ergo esse nobis de præsentibus ad delectationem debet, quando cunctis simul transeuntibus non valet transire quod imminet, quando et hoc funditus fletur quod diligitur, et illud incipitur ubi dolor non

Digitized by Google

quam finitur? Tunc maligni spiritus, egrediente anima, sua opera requirunt, tunc mala quæ suaserunt replicant, ut sociam ad tormenta trahant. Sed cur hoc de perversa solummodo anima dicimus, cum ad electos quosque egredientes veniant, et suum in illis si prævaleant aliquid requirant. Unus enim in omnibus exstitit, qui ante passionem suam libera voce dixit: « Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (*Joan.* XIV, 30). » Quia enim hunc mortalem hominem vidit, suum in illo mundi princeps aliquid invenire posse se credidit. Sed sine ullo peccato a mundi corruptione exiit, qui sine peccato in mundum venit. Hoc de se contra mundi principem nec Petrus dicere præsumpsit, qui audire meruit: « Quæcunque ligaveris super terram, ligata erunt et in cœlis: et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis (*Matth.* XVI, 19). » Hoc nec Paulus dicere præsumpsit, qui priusquam mortis debitum solveret, ad cœli tertii secreta pervenit; hoc nec Joannes dicere ausus est, qui pro amore præcipuo in redemptoris sui pectore in cœna recubuit. Nam cum Propheta dicat: « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea (*Psal.* L, 7), » sine culpa in mundo esse non potuit, qui in mundum cum culpa venit. Hinc namque idem Propheta ait: « Non enim justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (*Psal.* CXLII, 2). » Hinc Salomon ait: « Non est homo in terra qui faciat bonum et non peccet. » Hinc Joannes dicit: « Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est (*I Joan.* I, 8). » Hinc Jacobus ait: « In multis enim offendimus omnes (*Jac.* III, 2). » Constat enim nec negare possumus, sed A veraciter fatemur, quia princeps hujus mundi habet in nobis multa. Sed tamen mortis nostræ tempore jam nos rapere non valet, quia ejus membra sumus in quo non habet quidquam. Sed quid prodest quod eidem redemptori nostro per fidem jungimur: si ab eo moribus disjungamur? Ipse etenim dicit: « Non enim qui dicit mihi in illa die, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum (*Matth.* VII, 21). » Recta ergo opera fidei rectæ jungenda sunt. Mala quæ fecimus per quotidiana lamenta defleamus, transactas nostras nequitias surgentia ab amore Dei et proximi recta opera superent, nulla quæ possumus fratribus impendere bona recusemus. Neque enim aliter redemptoris nostri membra efficimur, nisi inhærendo Deo, et compatiendo proximo. Hic nimirum aptus B est regno cœlorum, qui dilectionem Dei in custodia mandatorum ejus ante omnia usque ad finem vitæ habere satagit, et dilectionem proximi, in necessitatibus ejus quantum prævaleat consulendo, manifeste per opera ostendit. Hæc ergo considerantes bonum certamen certemus, cursum agonis nostri consummare studeamus, fidem servare curemus. Nullus nostrum de justitia sua præsumat: sed ea quæ retro sunt obliviscens in anteriora se semper extendat, sequens supernæ vocationis præmium, quoadusque illud consequatur. Nemo ergo scit quid de se in occultis Dei judiciis agitur, quia multi vocati, pauci vero electi. Quia igitur nulli de se certum est electum se esse, restat ut omnes trepident, omnes de sua actione formident, omnes in sola divina misericordia gaudeant, nullus de suis viribus præsumat. Est qui perficiat fiduciam nostram: ille scilicet qui in se dignatus est assumere naturam nostram C

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI,

DE VIDENDO DEUM, DE PURITATE CORDIS ET MODO PŒNITENTIÆ

LIBRI TRES,

AD BONOSUM ABBATEM.

LIBER PRIMUS.

DE VIDENDO DEUM.

Apostolica nos admonet sententia (*Rom.* XII, 3) ut « non plus velimus sapere quam oportet sapere, » sed sapere ad sobrietatem, et secundum rationem fidei; et idem hortatur nos ut quidquid agamus prudenter et secundum rationem facere studeamus, ita dicens: « Omnia vestra honeste et secundum D ordinem fiant (*I Cor.* XIV, 40). » Unde miror quod quidam ex nostris, non tempus nec modum observantes, de secretis Dei et cœlestibus mysteriis in conviviis suis inter pocula disputant, qualiter post hanc vitam electi visuri sunt Dominum in regno cœlesti; quasi idem officium sit cauponis et contemplationis, et quasi poculum vini amatoribus suis hoc una hora possit conferre quod illi antea longe in Scripturis sacris intente noluerunt meditari? præ-

Digitized by Google

sertim cum Psalmista illos beatos nuncupet qui « immaculati in via ambulant in lege Domini, et qui scrutantes testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum (*Psal.* CXVIII, 1). » Et ne subito vel imprudenter quis de invisibili et ineffabili Deo præsumat disputare, idem propheta ex persona Domini dicit : « Vacate et videte quomodo ego sum Deus (*Psal.* XLV, 11). » Si quidem qui vacare Deo negligit, suo sibi judicio lumen ejus visionis abscondit; qui autem perturbationibus indiscrete se intermiscet, et tumultus rerum temporalium intra mentem suam versari permittit, omnino secreta invisibilis Dei scrutari inhabilis fit, quando qui didicerunt a Domino Deo Jesu Christo mites esse et humiles corde plus cogitando et orando, simplicique corde illum quærendo proficiunt, quam supervacuis sermocinationibus disputando atque decertando. Quod autem sic cautis quæstionibus non sit deserviendum, Paulus ad discipulum ita inquiens, scribens, ostendit: « Stultas et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites : servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem (*II Tim.* II, 23). » Proinde decet ut quicunque de mysteriis cœlestibus vult scrutari, vel disputare, studeat prius cor a mundanis desideriis et vitiorum sordibus expurgare, et sic demum speret se per Dei gratiam spiritalia dona posse plane percipere. Unde memoratus apostolus docet dicens : « Renovamini spiritu mentis vestræ et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis (*Ephes.* IV, 23). » Et item : « Mortificate, inquit, membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus, propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis, in quibus et vos ambulastis aliquando cum viveretis in illis. Nunc autem deponite et vos omnia : iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus ejus, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitione secundum imaginem ejus qui creavit eum, ubi non est gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, barbarus et Scytha, et servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus (*Colos.* III, 5). » Imago enim Dei qui incorporeus est non est in corpore humano, quod corrumpitur et gravatur secundum desideria erroris, sed in spiritu et anima, quia spiritus est Deus qui omnia scrutatur, nec possibile est ut terrenum et fragile aliquid celsitudini ejus atque æternitati comparetur, quia ipse est vita, quæ vivificat omnia, qui solus habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem. Ipse est enim lux vera « quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum », et ideo quisquis illius lucis contemplatione frui desiderat in æterna beatitudine, necesse est ut mundet cor in hujus vitæ peregrinatione, quia non aliter ad ejus visionem pertingere poterit, de quo ipsa Veritas ait : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8). » Sed quoniam amicis nostris rogantibus et maxime Ludovico rege exhortante, de futura visione Dei aliquid scribere coactus sum, hoc ipsum non secundum propriam opinionem, sed secundum sanctorum doctorum et catholicorum Patrum traditionem aggredi tentabo, et vel eorum sententias ponendo, sive ipsorum sensum propriis verbis, brevitatis causa, explicando, quantum sentio, ostendere curabo. Scripsit enim de hoc beatus Augustinus in plerisque locis, et maxime in epistola ad Paulinam de videndo Deo, ubi quid ipse senserit, vel quid cæteri sancti Patres ante eum scripserint, non tacet. Dicit enim in eadem epistola: Sic credimus videre Deum, non quia vidimus vel per oculos corporis, sicut videmus hunc solem, vel mentis obtuitu, sicut se quisque interius videt vivere tem, videt volentem, videt quærentem, videt scientem, videt nescientem. Tu itaque ipsa lectis his litteris, solem quidem vidisse te recolis per oculos corporis, potes etiam statim videre, si est id temporis, et eo loci es ubi ex ea parte cœlum oculis tuis usque ad solem contuendum patet. Ad illa vero videnda quæ mente conspici dixi, id est, quod vivas, quod videre Deum velis, quod id requiras, quod te vivere et velle et quærere scias, quomodo autem Deus videatur nescias; ad hæc, inquam, omnia videnda, non oculos corporis adhibes, nec intervallum loci, per quod intendatur obtuitus, ut ad ea cernenda perveniat, sentis aut quæris. Sic vides vitam tuam, voluntatem, inquisitionem, scientiam, ignorantiam, quia nec ipsa est contemnenda visio videre quod nescias; sic, inquam, vides hæc omnia, ut in te videas, apud te habeas : ac sine ullis figurarum liniamentis, colorumque nitoribus, tanto clarius et certius quanto simplicius interiusque conspicias. Cum igitur nec oculis corporis, sicut corpora sive cœlestia, sive terrestria, nec mentis aspectu sicut ea sunt quorum nonnulla commemoravi, quæ apud temetipsam certissime intueris, nunc videamus Deum; cur credimus eum videri, nisi quia Scripturæ accommodamus fidem ubi legitur : « Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt; » et si qua alia in hanc sententiam eadem divina auctoritate conscripta sunt, cui non credere nefas ducimus, credere autem pietatis esse minime dubitamus? Inter videre quoque et credere hoc distare dicamus, quia præsentia videntur, creduntur absentia, plane forsitan satis est, si præsentia illa hoc loco intelligamus dicta, quæ præsto sunt sensibus, sive animi sive corporis, unde etiam duo vocabulo præsentia nominantur. Sic enim hanc lucem corporis sensu, sic et meam voluntatem plane video, quia præsto est animi mei sensibus, atque intus mihi præsens est. Si quis vero mihi indicet voluntatem suam, cujus os et vox mihi præsens est, tamen quia ipsa voluntas quam mihi indicat, latet sensum corporis et animi mei, credo, non video, aut si eum mentiri existimo, non credo; et si forte, ut dicit, ita sit. Creduntur ergo illa quæ absunt a sensibus nostris, si videtur idoneus qui de eis te-

Digitized by Google

stimonium perhibet, videntur autem quæ præsto sunt, unde et præsentia nominantur, vel animi vel corporis sensibus. Constat igitur nostra scientia ex visis rebus et creditis, sed in his quæ vidimus vel videmus, nos ipsi testes sumus ; in his autem quæ credimus, aliis testibus movemur ad fidem, cum earum rerum quas nec vidisse nos recolimus nec videmus, dantur signa vel in vocibus, vel in litteris, vel in quibusque documentis, quibus visis non visa credantur. Non autem immerito scire nos dicimus non solum ea quæ vidimus aut videmus, verum et illa quæ idoneis ad quamque rem commoti testimoniis vel testibus credimus : porro si scire non incongruenter dicimur etiam illud quod certissimum credimus, hinc factum est ut etiam recte, et si non adsint sensibus nostris, videre mente dicamur. Scientia quippe menti tribuitur, sive per corporis sensus, sive per ipsum animum aliquid perceptum cognitumque retineat, et fides ipsa mente itaque videtur, quamvis hoc fide credatur quod non videtur. Unde apostolus Petrus dicit : « In quem modo non videntes creditis (*I Petr.* I, 8), » et ipse Dominus : « Beati, inquit, qui non viderunt et crediderunt (*Joan.* XX, 29). » Illa enim quæ videt, adsunt sensibus, vel animi vel corporis; quæ autem credit, absunt a sensibus et animi et corporis, quamvis et voluntas ejus a quo audit ut credat non sit præterita, sed maneat in loquente, quam in seipso idem ipse qui loquitur videt. Ille vero qui audit non eam videt, sed credit. Resurrectio autem Christi præterita est, quam nec illi viderunt homines qui tunc fuerunt. Nam qui viderunt viventem Christum, quem viderant morientem, ipsam tamen resurrectionem, cum fieret, non viderunt, sed eam certissime crediderunt, videndo, et tangendo vivum quem noverant mortuum. Nos totum credimus, et quod resurrexerit, et quod ab hominibus tunc visus et tractatus sit, et quod nunc vivat in cœlis, nec jam moriatur et mors illi ultra non dominetur. Res autem ipsa nec corporis nostri sensibus adest, sicut adest hoc cœlum et terra, nec nostræ mentis obtutibus, sicut adest fides ipsa, qua hoc credimus. Veniamus ad causam. Scimus posse Deum videri, quoniam scriptum est : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v, 8). » An forte non debui dicere, Scimus, sed, Credimus : quoniam Deum nec corpore aliquando vidimus sicut hanc lucem, nec mente, sicut ipsam in nobis, qua id, credimus, fidem? sed tantum quia scriptum est in ea scriptura cujus fideles sumus, quod verum sit, minime dubitamus? Apostolus tamen Joannes cum tale aliquid diceret : « Scimus, inquit, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). » Ecce scire se dixit, quod nondum factum fuerat, nec videndo, sed credendo cognoverat. Recte itaque diximus, scimus posse Deum videri, quamvis eum non viderimus, sed divinæ auctoritati, quæ sanctis libris continetur, crediderimus : quid est ergo quod eadem dicit auctoritas, Deum nemo vidit unquam? An fortasse respondetur, quod illa testimonia de videndo Deo sint, non de viso, Ipsi enim Deum videbunt, dictum est; non, Viderunt; et non, Vidimus, sed, Videbimus eum sicuti est : proinde his sententiis non est contrarium : « Deum nemo vidit unquam (*Joan.* I, 18). » Videbunt enim quem non viderunt, qui mundo corde filii Dei esse voluerunt. Quid est igitur : « Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea (*Gen.* XXXII, 30)? » An et hoc contrarium illi quod dictum est, « Deum nemo vidit unquam? » Et illud quod de Moyse scriptum est, « quia loquebatur cum Deo facie ad faciem, sicut quis loquitur ad amicum suum (*Exod.* XXXIII, 11); » et illud quod propheta Isaias de seipso loquens ait : « Vidi Dominum Sabaoth sedentem in throno (*Isai.* VI, 1), » et si qua alia solent similia testimonia ex eadem auctoritate proferri, quomodo non sunt contraria sententiæ qua dictum est : « Deum nemo vidit unquam? »

Ipsum quoque Evangelium potest putari sibi esse contrarium; quomodo enim verum est quod in eo dicitur : « Qui me vidit, vidit et Patrem (*Joan.* XIV, 9), » si Dominum nemo vidit unquam? Quomodo verum est, « Angeli eorum semper vident faciem Patris mei? » Si Deum nemo vidit unquam? Qua igitur regula intelligentiæ ista veluti contraria et repugnantia, non esse contraria nec repugnare probabimus? Neque enim fieri ullo modo potest ut hæc Scripturarum auctoritas aliqua ex parte mentiatur. Si dicimus in eo quod scriptum est : « Deum nemo vidit unquam, » homines tantummodo intelligendos, sicut etiam illud dictum est : « Nemo scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est (*I Joan.* IV, 12) : » nemo utique, sed hominum. Neque enim hoc de Deo accipi potest, cum de Christo scriptum sit non opus fuisse ut quisquam illi testimonium perhiberet de homine, quoniam ipse sciebat quid esset de homine. Nam hoc Apostolus planius explicans, « Quem nemo, inquit, hominum vidit nec videre potest (*I Tim.* VI, 16). » Si ergo ita dictum est, « Deum nemo vidit unquam, » ac si diceretur nemo hominum; hactenus illa quæstio soluta videbitur, ut non sit huic sententiæ contrarium quod Dominus ait : « Angeli eorum semper vident faciem Patris mei (*Matth.* XVIII, 10), » ut scilicet angelos Deum videre credamus, quem nemo vidit unquam, subaudiatur, hominum. Quomodo ergo Deum vidit Abraham, Isaac, et Jacob, Job, Moyses, Micheas, Isaias, et si qui alii sunt, de quibus veracissima Scriptura testatur quod viderint, si Deum nemo unquam hominum vidit, nec videre potest? Quanquam nonnulli volentes probare etiam impios visuros Deum, a diabolo quoque ipso Deum visum putant, sic accipientes quod scriptum est in libro Job, venisse cum angelis et diabolum in conspectu Dei, ut jam et illud veniat in quæstionem, quomodo dictum sit : « Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt (*Matth.* v, 8) ; » et illud : « Pacem sectamini cum omnibus et sanctificationem, sine qua nemo poterit videre Deum (*Hebr.* XII, 14). » Multum enim miror,

Digitized by Google

si eo usque progrediuntur, qui existimant impios visuros Deum, et a diabolo visum Deum, ut eos et mundo esse corde, et pacem ac sanctificationem cum omnibus sectari asseverent. Nam quod Dominus ait : « Qui me videt, videt et Patrem (*Joan.* I, 9), » potest, paulo attentius consideratum, non videri esse contrarium ei quod dixit : « Deum nemo vidit unquam (*Joan.* I, 8). » Neque enim dixit, Quia me vidistis, vidistis et Patrem ; sed dicendo, « Qui me videt, videt et Patrem, » ostendere voluit unitatem substantiæ Patris et Filii, ne in aliquo inter se putarentur esse dissimiles. Ac per hoc quoniam verum dictum est, « Qui me videt, videt et Patrem, » profecto quoniam Deum nemo hominum vidit unquam, nec Patrem quisquam putandus est vidisse, nec Filium, secundum quod Deus est et Filius et cum Patre unus Deus : nam secundum id quod homo est, utique in terra visus est, et cum hominibus conversatus est. Sed magna quæstio est quomodo non sit contrarium quia tot antiqui viderunt Deum, si Deum nemo vidit unquam : quem nemo hominum vidit, nec videre potest ? Vides quam difficilem mihi proposueris quæstionem, unde me aliquid prolixe copioseque scribere voluisti, ex occasione brevis epistolæ meæ, quæ tibi visa est diligentius et uberius explicanda. Visne ergo attendere quæ apud alios interim comperi divinarum Scripturarum egregios tractatores, quid de visione Dei senserint, ne forte sufficiant desiderio tuo, quamvis ea forsitan noveris ? Pauca ergo ista attende, si placet. Cum Evangelium exponens beatus Ambrosius Mediolanensis episcopus venisset ad eum locum ubi angelus apparuit in templo Zachariæ sacerdoti, ex hac occasione, vide quanta et qualia de Dei etiam visione disseruit. Non immerito, inquit, angelus videtur in templo, quia veri sacerdotis jam nuntiabatur adventus, et cœleste sacrificium parabatur, in quo angeli ministrarent. Et bene apparuisse dicitur ei qui eum repente conspexit. Hoc specialiter aut de angelis aut de Deo Scriptura divina tenere consuevit, ut quod non potest providere, apparere dicatur. Sic enim habes : « Apparuit Deus Abrahæ ad ilicem Mambre (*Exod.* VI, 3). » Nam quia ante non præsentitur, sed repentino videtur aspectu, apparere memoratur. Non enim similiter sensibilia videntur, et is in cujus voluntate situm est videri, et cujus naturæ est non videri, voluntatis videri. Nam si non vult, non videtur ; si vult, videtur. Apparuit enim Deus Abrahæ quia voluit ; aliis quia noluit, non apparuit. Visum est etiam Stephano, cum lapidaretur a populo, aperiri cœlum ; visus est etiam Jesus stans ad dexteram Dei, et non est visus a populo. Vidit Isaias Dominum Sabaoth, sed aliis videri non potuit, quia cui placuit apparuit. Et quid de hominibus loquimur, cum etiam de ipsis cœlestibus virtutibus et potestatibus legerimus « quia Dominum nemo vidit unquam (*Joan.* I, 8) ? » et addit quod ultra cœlestes est potestates, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse narravit. Aut acquiescatur igitur necesse est, si Deum Patrem nemo vidit unquam, Filium visum esse in Veteri Testamento, et desinant hæretici ex virgine ei principium dare, qui antequam nasceretur ex virgine, videbatur, aut certe refelli non potest, vel Patrem vel Filium, vel certe Spiritum sanctum, si tamen est sancti Spiritus visio, ea specie videri quam voluntas elegerit, non natura formaverit, quoniam Spiritum quoque visum accipimus in columba. Et ideo « Deum nemo vidit unquam, » quia eam quæ in Deo habitat plenitudinem divinitatis, nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. « Vidit » enim ad utrumque referendum est. Denique cum auditur, « unigenitus Filius ipse enarravit, » mentium magis quam oculorum visio declaratur. Species enim videtur, virtus vero narratur, illa oculis, hæc mente comprehenditur. Sed quid de trinitate dicam ? Seraphim quando voluit, apparuit, et vocem ejus Isaias solus audivit. Apparuit angelus, et nunc præsto est, sed non videtur. Neque enim in potestate nostra est videre, sed in potestate illius apparere. Tamen etsi potestas non est videndi, est gratia promerendi ut videre possimus, et ideo qui habuit gratiam, meruit copiam. Nos copiam non meremur, quia Deum videndi gratiam non habemus. Et quid mirum si in præsenti sæculo, nisi quando vult Dominus non videtur ? In ipsa quoque resurrectione non facile est Deum videre, nisi his qui corde sint mundo ; et ideo, « Beati mundo corde, ipsi enim Deum videbunt (*Matth.* VIII, 5). » Quantos beatos jam numeraverat et tamen videndi his Deum non promiserat facultatem ! Si ergo hi qui mundo sunt corde Deum videbunt, utique alii non videbunt ; neque enim indigni Deum videbunt, neque is qui Deum videre noluerit, potest Deum videre. Nec in loco Deus videtur, sed mundo corde, nec ipse corporalibus oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu. Et cum absens putatur videtur, et cum præsens est, non videtur. Denique nec apostoli omnes Christum videbant, et ideo ait : « Tanto tempore vobiscum sum et adhuc me non cognovistis (*Joan.* XIV, 9) ! » Qui enim cognovit quæ sit longitudo et latitudo, et altitudo et profundum, et supereminentem scientiæ charitatem Christi, vidit et Christum, vidit et Patrem. Nos enim jam secundum carnem non novimus Christum, sed secundum spiritum. Spiritus enim ante faciem nostram Christus Dominus, qui nos in omnem plenitudinem Dei misericordia sua implere dignetur, ut videri possit a nobis. Invisibilis est igitur natura Deus non tantum Pater, sed et ipsa Trinitas, unus Deus, et quia non tantum invisibilis, verum etiam incommutabilis, sic apparet, quibus voluerit, in qua voluerit specie, ut apud eum integra maneat ejus invisibilis incommutabilisque natura, desiderium autem veraciter piorum, quo videre Deum cupiunt et inhianter ardescunt, non, opinor, in eam speciem contuendam flagrat, qua ut vult apparet, quod ipse non est, sed in eam substantiam qua ipse est quod est. Hujus enim desiderii sui flammam, sanctus Moyses fidelis famulus ejus ostendit, ubi ait Deo, cum quo ut amicus

Digitized by Google

facie ad faciem loquebatur : « Si inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum (*Exod.* XXXIII, 13). » Quid ergo? Ille non erat ipse? Si non est et ipse, non ei diceret, « Ostende mihi temetipsum, » sed, Ostende mihi Deum, et tamen si ejus naturam substantiamque conspiceret, multo minus diceret, « Ostende mihi temetipsum. » Ipse ergo erat in ea specie qua apparere voluerat. Non autem ipse apparebat in natura propria quam Moyses videre cupiebat, et quæ promittitur sanctis in alia vita. Unde quod responsum est Moysi verum est, quia « nemo potest faciem Dei videre, et vivere (*Ibid.* v. 20) ; » id est, nemo potest eum in hac vita vivens videre sicuti est. Nam multi viderunt, sed quod voluntas elegit, non quod natura formavit, et illud quod Joannes ait, si recte intelligitur : « Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus; scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2), » non sicut eum homines viderunt quando voluit, in specie qua voluit, non in natura, quæ in semetipso etiam cum videretur, latuit, sed sicut est, quod ab eo petebatur, cum ei diceretur, «Ostende mihi temetipsum», ab eo qui cum illo facie ad faciem loquebatur. Non quia Dei plenitudinem quisque non solum oculis corporis, sed vel ipsa mente aliquando comprehendit. Aliud est enim videre, aliud est totum videndo comprehendere, quandoquidem id videtur, quod præsens utrumque sentitur ; totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt, sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ, circumspici autem potest finis annuli tui. Exempli gratia duo posui, quorum alterum ad mentis obtutum, alterum ad corporales oculos pertinet; visus enim, sicut ille ait, ad utrumque referendus est, id est, ad oculos et ad mentem. Porro, si propterea Deum nemo vidit unquam, quia, sicut ait disputator cujus verba consideramus, plenitudinem divinitatis ejus nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. «Vidit» enim ad utrumque referendum est. Restat inquirere quomodo angeli Deum videant, propter illud quod ex Evangelio commemoravit : « Angeli eorum semper vident faciem Patris mei (*Matth.* XVIII, 10). » Si enim et ipsis non sicuti est, sed latente sua natura in specie qua voluerit, apparet, magis magisque requirendum est quomodo eum nos videbimus sicuti est, et sicut Moyses desideravit cum peteret ut Deus, qui in conspectu ejus erat, ostenderet illi semetipsum (*Exod.* XXXIII, 13). Hoc enim nobis summum præmium in resurrectione promittitur, quod erimus æquales angelis Dei. Ac per hoc si nec ipsi eum vident sicuti est, quomodo nos ita visuri sumus, cum eis æquales in resurrectione facti fuerimus? Sed vide quid consequenter dicat noster Ambrosius. Denique, inquit, cum additur, « unigenitus Filius ipse narrabit, mentium magis quam visio oculorum declaratur. Species enim videtur, virtus vero narratur. Illa oculis, hæc mente comprehenditur. » Qui paulo ante dixerat visionem ad utrumque referendam, nunc eam non menti sed oculis dedit, non, ut opinor, negligenter sua verba respiciens, sed quia usitatius in loquendo solemus oculis attribuere visionem, sicut speciem corpori. Nam et hic mos loquendi crebrius usurpatur in rebus, quæ locis continentur, varianturque coloribus. Sed si nulla species esset mente contuenda, non diceretur ille « speciosus forma præ filiis hominum (*Ps.* XLIV, 3). » Neque enim hoc secundum carnem dictum est, et non secundum speciem spiritalem. Proinde narrante Unigenito, qui est in sinu Patris, narratione ineffabili, creatura rationalis munda et sancta impletur Dei visione ineffabili, quam tunc consequemur, cum æquales angelis facti fuerimus, quia sicut videntur ista visibilia, corporis sensibus nota, « Deum nemo vidit unquam. » Quoniam si aliquando eo modo visus est, non sicut ista natura videtur, sed voluntate visus est, specie qua voluit apparens, latente natura atque in se incommutabiliter permanente. Eo autem modo quo videtur sicuti est, nunc fortasse, videtur a quibusdam angelis. A nobis autem non ita videtur [videbitur], cum eis facti fuerimus æquales. Deinde cum addidisset, « quia nec potestates cœlorum sicut seraphin, nisi cum volunt et quemadmodum volunt videntur : » ut hinc etiam conjiceretur quanta sit invisibilitas Trinitatis, tamen inquit, « et si potestas non est videndi, est gratia promerendi, » ut videre possimus, et ideo qui habuit gratiam meruit copiam. Nos copiam non meremur, quia Deum videndi gratiam non habemus. His itaque verbis quibus non sua docet, sed Evangelium exponit, non hoc voluit intelligi quod quidam eorum videbunt Deum, quidam vero non videbunt, quibus credentibus dedit potestatem filios Dei fieri, cum ad eos omnes pertineat quod dictum est, « videbimus eum sicuti est. » Sed dicendo, Nos copiam non meremur quia Deum videndi gratiam non habemus, de hoc sæculo se loqui significavit, ubi quibusdam Deus licet non in sua natura, sed in qua voluit specie dignatus est apparere, sicut Abrahæ, sicut Isaiæ aliisque similibus. Cæteris vero innumerabilibus, quamvis ad suum populum et hæreditatem æternam pertinentibus, nulla vel tali specie se demonstrat : in futuro autem sæculo, qui regnum accepturi sunt quod eis ab initio præparatum est, omnes eum corde mundo videbunt, nec in illo regno nisi tales erunt. Attende itaque id quod adjungat, jam de illo sæculo dicere incipiens, « et quid mirum, inquit, si in præsenti sæculo nisi quando vult Dominus non videtur? In ipsa quoque resurrectione non facile est Deum videre nisi eis qui corde sint mundo, et ideo, « Beati mundo corde, ipsi enim Deum videbunt, » quantos beatos jam numeraverat et tamen videndi his Deum non promiserat facultatem ; si ergo hi qui mundo sunt corde Deum videbunt, utique alii non videbunt, neque indigni Deum videbunt, neque is qui Deum videre noluerit potest Deum videre. » Cernis quod circumspecte loquatur jam de iis qui in futuro sæculo

Digitized by Google

Deum videbunt, neque enim omnes, sed qui digni sunt. Resurgent enim et digni et indigni regno illo ubi videbitur Deus, quoniam omnes qui monumentis sunt audient vocem ejus et procedent, sed cum magna differentia. Nam qui bene fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui autem male egerunt, in resurrectionem judicii. Hic judicium pœnam æternam significat, sicut etiam illud dictum : « Qui non credit, jam judicatus est (*Joan.* III, 18). » Quod ergo ait sanctus Ambrosius, « neque is qui Deum videre noluerit potest Deum videre, » quid aliud intelligi voluit, nisi quia is qui mundando cordi curam tanta re dignam non vult impendere, non vult Deum videre, vide proinde quid adjungat, « nec in loco, inquit, Deus videtur, sed mundo corde. » Quid evidentius, quid expressius dici potuit? Ab hac igitur visione diabolus et angeli ejus et omnes cum iis impii, sine ulla nebula dubitationis, exclusi sunt, quoniam mundo corde non sunt, ac per hoc quod scriptum est in libro Job, venisse angelos in conspectu Dei et venisse cum eis diabolum, non ideo diabolus Deum vidisse credendus est. Ipsi enim dicti sunt venisse in conspectu Dei, non Deus in conspectu eorum. Nec opus est hoc loco immorari, ut pro viribus nostris conemur ostendere quomodo et hoc temporaliter fiat, cum in Dei conspectu semper sint omnia. Nunc enim quæritur quomodo videatur Deus; non in ea specie qua et in isto sæculo quibusdam voluit, apparere, quando non solum cum Abraham aliisque justis, verum etiam cum Cain fratricida locutus est; sed quomodo videatur in illo regno ubi filii ejus eum videbunt sicuti est. Tunc quippe satiabitur in bonis desiderium eorum. Quo desiderio flagrabat Moysès, cui loqui ad Deum facie ad faciem non sufficiebat et dicebat : « Ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te (*Exod.* XXXIII, 13), » tanquam diceret quod in Psalmo ex eodem desiderio canitur : « Satiabor dum manifestabitur gloria tua (*Psal.* XVI, 15). » Quo desiderio ardebat et Philippus, et sic satiari cupiebat dicens : « Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis (*Joan.* XIV, 8, 9). » De hac visione ejus loquens etiam ipse amator et desiderator Ambrosius, non in loco, inquit, Deus videtur et sicut ad ilicem Mambre, sicut in monte Sina; sed mundo corde, et sequitur, sciens quid desideret, et quid æstuet et quid speret. Nec corporalibus, inquit, oculis Deus quæritur, quibus se ostendit Abrahæ, Isaac, Jacob et aliis in hoc sæculo, nec circumscribitur visu, propter illud quod dictum est, Posteriora mea videbis; nec tactu tenetur, sicut etiam luctatus est cum Jacob, nec auditur affatu, sicut non solum a tot sanctis, verum etiam a diabolo auditus est, nec sentitur incessu, sicut aliquando cum in paradiso deambularet ad vesperam. Vides quemadmodum vir sanctus enitatur mentes nostras ab omnibus carnis sensibus evocare, ut aptas faciat ad videndum Deum, et tamen quid agit talis extrinsecus plantator et rigator, nisi intrinsecus operetur qui dat incrementum Deus : quis enim sine adjutorio spiritus Dei cogitare valeat esse aliquid, magisque esse quam omnia quæ per corpus sentiuntur, quod nec in loco videatur, nec quærendum sit oculis, nec audiatur affatu nec tactu teneatur, nec sentiatur incessu et videatur tamen, sed corde mundo. Neque enim de hac vita ille loquebatur, cum hoc diceret; quando quidem ab hoc sæculo in quo Deus apparuit, non sicuti est, sed in specie qua voluit, quibus voluit, satis discrevit sæculi futuri vitam discretione apertissima, ubi ait : Et quid mirum si in præsenti sæculo, nisi quando vult Dominus non videtur. In ipsa quoque resurrectione non facile est Deum videre, nisi his qui corde sint mundo. Et ideo : « Beati mundo corde, ipsi enim Deum videbunt. » Hinc jam de illo sæculo dicere exorsus est ubi Deum videbunt, non omnes qui resurgent, sed qui resurgent ad vitam æternam, non indigni de quibus dictum est : « Tollatur impius, ne videat claritatem Domini; » sed digni, de qualibus dixit ipse Dominus cum præsens non videretur : « Qui diligit me, mandata mea custodit; et : Qui diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum et ostendam meipsum illi (*Joan.* XIV, 21); » nec hi quibus dicetur : « Ite in ignem æternum qui præparatus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41), » sed hi quibus dicetur : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi (*Ibid.* v. 34). » Illi quippe ibunt in ambustionem æternam, isti autem in vitam æternam : et quæ est vita æterna, nisi quod ipsa Vita alibi dicit : « Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum (*Joan.* XVII, 3)? » sed sic quomodo promisit ostensurum seipsum dilectoribus suis cum Patre unum Deum non quomodo in hoc sæculo in corpore visus est a bonis et a malis. In judicio enim futuro quo sic venturus est, quomodo visus est iens in cœlum, hoc est, in eadem forma filii hominis eamdem formam videbunt, quibus dicturus est : « Esurivi, et non dedistis mihi manducare (*Matth.* XXV, 42), » quia et Judæi videbunt in quem pupugerunt, non illam Dei formam in qua non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. In illa Dei forma tunc videbunt eum, qui videbunt sicuti est. Nec ideo videbunt, quia pauperes spiritu in hac vita fuerunt, quia mites, quia lugentes, quia esurientes et sitientes justitiam, quia misericordes, quia pacifici, quia persecutionem passi propter justitiam, quamvis et hæc omnia idem ipsi sint, sed quia mundo sunt corde. Ideo quippe inter illas beatitudines cum omnia faciant qui cor mundum habent, non est tamen alicubi positum : « Deum videbunt, » nisi ubi dictum est : « Beati mundo corde, quoniam mundo corde videbitur (*Matth.* V, 8) qui nec in loco videtur, nec oculis corporalibus quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu videtur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu. « Deum enim nemo vidit unquam (*Joan.* I, 8), » vel in hac vita, sicuti ipse est, vel etiam in angelorum vita, sicut visibilia ista quæ corporali visione cernuntur, quia

Digitized by Google

unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse narravit. Unde non ad oculorum corporalium sed ad mentium visionem dictum est pertinere quod narrat. Sed rursus ne desiderium nostrum a corporis sensu ad alium corporis sensum migraret, hoc est ad aures ab oculis, ideo cum dixisset « nec corporalibus oculis Deus quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, » addidit etiam, « nec auditur affatu, » ut, si possumus, unigenitum Filium qui est in sinu Patris sic intelligamus narrantem quomodo et Verbum est non sonus auribus strepens, sed imago mentibus innotescens, ut illic interna et ineffabili luce clarescat quod dictum est : « Qui me videt, videt et Patrem (*Joan.* XIV, 9); » quod hic Philippo dicebatur quando videbat et non videbat. Sequitur enim hujus visionis eximius concupitor Ambrosius dicens : « Et cum absens putatur, videtur; et cum præsens est, non videtur. » Non dixit, Cum absens est, sed, Cum absens putatur. Nusquam enim est absens qui cœlum et terram implet, nec spatiis includitur, parvis magnisve diffunditur, sed ubique totus est, et nullo continetur loco. Hoc qui excedente mente intelligit, videt Deum, et cum absens putatur. Qui autem hoc non potest, oret et agat, ut posse mereatur, nec ad hominem disputatorem pulset, ut quod non legit, legat, sed ad Deum Salvatorem, ut quod non valet, valeat. Potest tamen movere quomodo jam ipsa Dei substantia videri potuerit a quibusdam in hac vita positis, propter illud quod dictum est ad Moysen : « Nemo potest faciem meam videre, et vivere (*Exod.* XXXIII, 20), » nisi quia potest humana mens divinitus rapi ex hac vita ad angelicam vitam, antequam per istam communem mortem carne solvatur, sic enim raptus est qui audivit illic ineffabilia verba quæ non licet homini loqui, ubi usque adeo facta est ab hujus vitæ sensibus quædam intentionis aversio, ut sive in corpore sive extra corpus fuerit, id est, utrum, sicut solet in vehementiore exstasi, mens ab hac vita in illam vitam fuerit alienata manente corporis vinculo, an omnino resolutio facta fuerit, qualis in plena morte contingit, nescire se diceret. Ita fit ut et illud verum sit quod dictum est, « Nemo potest faciem meam videre et vivere, quia necesse est abstrahi ab hac vita mentem, quando in illius ineffabilitatem visionis assumitur; et non sit incredibile quibusdam sanctis nondum ita defunctis ut sepelienda cadavera remanerent, etiam istam excellentiam revelationis fuisse concessam. Porro quod dicit Apostolus scribens ad Ephesios (*Ephes.* III, 14) : « Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum ejus in interiorem hominem, habitare Christum per fidem in cordibus vestris : in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum; scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. » Ego hæc verba apostoli Pauli sic intelligere soleo. In latitudine bona opera charitatis, in longitudine perseverantiam usque in finem, in altitudine spem cœlestium præmiorum, in profundo inscrutabilia judicia Dei. Unde ista gratia in homines venit, qui nos in omnem plenitudinem Dei misericordia sua implere dignetur, ut videri possit a nobis.

Nunc autem quod mihi proposueras et ad explicandum difficile videbatur, utrum explicatum sit, diligenter attende recolendo quæ dicta sunt. Si enim quæris utrum possit Deus videri, Respondeo : potest; si quæris unde sciam, respondeo quia in veracissima Scriptura legitur : « Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8), » et cætera talia. Si quæris quomodo dictus sit invisibilis si videri potest, respondeo invisibilem esse naturam, videri autem cum vult, plurimis enim visus est : non sicuti est, sed quali specie illi placuit apparere; si quæris quomodo eum vidit vel Cain sceleratus, quando de suo scelere ab illo interrogatus et judicatus est, vel etiam ipse diabolus, quando venit cum angelis ut coram illo assisteret, si « beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt; » respondeo non quidem esse consequens ut etiam videant Deum, qui voces ab eo factas aliquando audiunt. Neque enim viderunt eum qui audierunt, quando dixit ad Filium, « Et clarificavi et iterum clarificabo (*Joan.* XII, 18). » Verumtamen non esse mirandum, etsi aliqui etiam non mundi corde vident Deum in specie quam voluntas ejus fecerit, latente invisibili et apud se incommutabili manente natura. Si quæris utrum etiam sicuti est aliquando possit videri, respondeo, filiis hoc esse promissum, de quibus dictum est, « Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). » Si quæris unde eum videbimus, respondeo : unde angeli vident, quibus tunc erimus æquales; sicut enim videntur ista quæ visibilia nominantur, « Deum nemo vidit unquam (*Joan.* I, 18), » nec videri potest, « quoniam lucem habitat inaccessibilem, » et est natura invisibilis sicut incorruptibilis quæ contextim Apostolus posuit dicens, « Regi autem sæculorum invisibili, incorruptibili (*I Tim.* I, 17), » quia sicut nunc incorruptilis nec postea corruptilis, ita non solum nunc, sed etiam semper invisibilis. Nec in loco enim videtur sed mundo corde; nec corporalibus oculis quæritur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu. Unigenitus autem Filius, qui est in sinu Patris, deitatis naturam atque substantiam insonabiliter narrat et ideo dignis idoneisque tanto conspectu, oculis etiam invisibiliter monstrat. Ipsi enim sunt oculi de quibus Apostolus dicit, « Illuminatos oculos cordis vestri (*Eph.* I, 18); » de quibus dicitur; « Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte (*Psal.* XII, 4) : » Dominus enim spiritus est; unde qui adhæret Domino, unus spiritus est. Proinde qui potest Deum invisibiliter videre, ipse Deo potest incorporaliter adhærere. Porro si ea quæ in animo nostro sunt corpo-

ralibusque locis simillima, non tamen locorum spatiis ac finibus continentur, nec intervallis localibus in nostra memoria reponuntur, quanto magis illa, quæ nullam gerunt similitudinem corporum, charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, nulla locorum spatia tenent, nulla intercapedine separantur, aut aliqua oculi cordis, quo radios suos mittant et ea videant, intervalla conquirunt! Nonne omnia in uno sunt sine angustia, et suis terminis nota sunt, sine circuitu regionum? Aut dic in quo loco videas charitatem; quæ tamen in tantum tibi cognita est, in quantum eam potes mentis acie contueri. Quam non ideo magnam nosti, quia ingentem aliquam molem conspiciendo lustrasti; nec cum tibi intus loquitur, ut secundum eam vivas, ullis perstrepit sonis, nec ut eam cernas corporalium lumen erigis oculorum; nec ut eam fortiter teneas, corporalium vires præparas lacertorum; nec cum tibi venit in mentem, sentis ejus incessum. Ecce etiam charitas quantulacunque in nostra voluntate consistit, nobisque conspicua est, nec in loco videtur, nec corporalibus oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu: quanto magis Deus ipse cujus hoc pignus in nobis est! Nam si interior homo noster, quantulacunque imago ejus, non de illo genita, sed ab illo creata, quamvis adhuc renovetur de die in diem, jam tamen in tali luce habitat, quo nullus oculorum corporalium sensus accedit, si ea quæ in illa luce cordis oculis intuemur, et discernuntur intra se, et nullis locorum spatiis separantur: quanto magis Deus, qui lucem habitat inaccessibilem corporis sensibus, quo nec ipsis nisi mundi potest esse cordis accessus! Cum igitur lucem istam omni corporali luci non solum judicio rationis, sed amoris quoque appetitu proposuerimus; quanto id magis videbimus, tanto melius valebimus, donec sanentur omnes languores animæ nostræ ab illo qui propitius sit omnibus iniquitatibus nostris. Arbitror jam te concedere, his omnibus consideratis, recte dictum esse quod Deus nec in loco videtur, sed mundo corde, nec corporalibus oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu, et si quid in his minus intelligimus vel aliter sapimus, id quoque nobis Deus revelabit, si in quod pervenimus in eo ambulemus. Pervenimus autem ut credamus Deum non corpus esse, sed spiritum: pervenimus etiam ut credamus quod Deum nemo vidit unquam, et quod Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ; et quod apud eum non est commutatio, nec momenti obumbratio; et quod lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest; et quod Pater et Filius et Spiritus sanctus unus Deus est, sine ulla diversitate et separatione naturæ; et quod mundi corde eum videbunt, et quod similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est; et quod Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in illo manet; et quod pacem ac sanctificationem sectari debemus, sine qua nemo poterit videre Deum; et quod corruptibile hoc mortale corpus nostrum in resurrectione commutabitur et inducet incorruptionem atque immortalitatem, et quia seminatur corpus animale, surget corpus spiritale, transfigurante Domino corpus humilitatis nostræ ut conforme faciat corpori gloriæ suæ; et quod Deus fecit hominem ad imaginem suam; et quod spiritu mentis nostræ renovamur in agnitione Dei, secundum imaginem ejus qui creavit nos. In his atque hujusmodi Scripturarum sanctarum auctoritatibus per fidem ambulantes, qui dato vel adjuto divinitus intellectu spiritaliter profecerunt, et spiritalia spiritalibus comparare potuerunt, viderunt melius videri mente quam corpore, et ea videri mente quæ non continerentur locis, nec in terrenis locorum intervallis separarentur, nec minora essent in parte quam in toto. Unde quia et invisibilis in Scripturis sanctis ejus substantia commendatur, et visus esse a plurimis per corpus et corporalibus locis in iisdem auctoritatibus invenitur, aut spiritu, quo corporales cernuntur imagines, per aliquam licet incorpoream, tamen similitudinem corporis, sicut in somnis vel in exstasi, secrevit ille vir sanctus, Dei naturam ab hujusmodi visionibus, easque dixit esse quas Dei voluntas elegisset, non quas natura formasset. Facit enim ista Deus quibus vult, ut vult, cui vult, quando vult, ut appareat sua latente atque in se incommutabiliter manente substantia. Si enim voluntas nostra apud se manens et latens, sine ulla sui commutatione, per quas se utcunque ostendat, exprimit voces: quanto facilius Deus omnipotens, sua latente atque incommutabiliter manente natura, in qua voluerit specie potest, cui voluerit, apparere, qui ex nihilo creavit omnia atque in se manens innovat omnia. Ad eam vero visionem, qua videbimus Deum sicut est, mundanda corda commonuit. Quia enim corpora consuetudine loquendi visibilia nominantur, propterea Deus invisibilis dicitur, ne corpus esse credatur, non quia corda munda suæ substantiæ contemplatione fraudavit; cum hæc magna et summa merces Deum colentibus et diligentibus promittatur, dicente ipso Domino quando corporalibus oculis visibiliter apparebat, et invisibilem se contuendum mundis cordibus promittebat: « Qui diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum et ostendam meipsum illi (*Joan.* XIV, 21). » Hæc quippe natura ejus æqualiter cum Patre invisibilis, sicut æqualiter incorruptibilis est; quæ, sicut supra dictum est, continuatim Apostolus posuit divinam substantiam, qua potuit hominibus prædicatione commendans. Quam si oculi corporales in resurrectione mutata corporum qualitate conspicient, viderint qui hoc possunt astruere: me plus movet illius sententia, qui nec in ipsa resurrectione hoc corporalibus oculis, sed mundis cordibus tribuit. Et de spiritalis quidem corporis qualitate quod resurrecturis promittitur, vel discere aliquid adhuc, vel quærere non recuso; si tamen de hac re disputantes illis vitiis carere possimus, quæ plerumque studiis humanis et concertationibus excitantur dum supra quam scriptum est:

Digitized by Google

« Unus pro altero infletur adversus alterum (*I Cor.* IV, 6); » ne dum altercando quærimus vestigare quomodo possit videri Deus, ipsam pacem sanctificationemque perdamus, sine qua nemo poterit videre Deum. Quod ipse avertat a cordibus nostris, ut ea sua contemplationi munda reddat atque custodiat. Illud tamen quia non dubito, non requiro quod Dei natura nunquam videatur in loco. Jam utrum possit hujus corporis oculis videri aliquid quod in loco non videtur, ab eis qui hoc valent disserendo monstrare, cum pace dilectionis audire paratus sum, et quod me movet in commune conferre. Postremo quia id quod ego in illa epistola mea dixi de istis nostræ carnis oculis, quia neque nunc possunt, neque tunc poterunt Deum videre, etiam sic verum est. Non enim dictum est, nisi de oculis corporalibus, quod tunc non erunt si corpus ipsum spiritus erit, ac per hoc corporei oculi nunquam Deum videbunt, quia cum videbitur spiritus, eum videbit non corpus. Tota igitur quæstio jam remansit de corpore spiritali, quamvis indicat incorruptionem et immortalitatem hoc corruptibile atque mortale, et quamvis ex animali in spiritale mutetur. Quæ diligentius sollicitiusque tractanda est, maxime propter corpus ipsius Domini, qui transfigurat corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ, ut possit sibi subjicere omnia. Cum enim et Deus Pater videat Filium et Filius Patrem, procul dubio non sunt audiendi qui visionem nolunt tribuere nisi corporalibus. Neque enim dici fas est quod Filium Pater non videat; aut, et ut ipse videat, corpore indutus est, si nonnisi ad corpus pertinet visus. Quid est quod in ipso mundi exordio, antequam a Filio esset ulla forma servi suscepta, « Vidit Deus lucem, quia bona est, et firmamentum et mare et aridam et omne fenum atque omne lignum, solem, lunam, stellas, reptilia animarum vivarum, volatilia cœli, animam vivam. Postremo etiam vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce bona valde (*Gen.* I, 4). » Quapropter donec diligenti inquisitione, si Dominus adjuverit, reperiatur quid secundum Scripturas de spiritali corpore, quod in resurrectione promittitur, probabilius sentiendum sit, interim nobis sufficiat, quod unigenitus Filius idemque mediator Dei et hominum homo Christus Jesus ita videt Patrem sicut videtur a Patre. Nos autem ad illam visionem Dei, quæ nobis in resurrectione promittitur, non ex hoc mundo istam concupiscentiam oculorum transferre conemur, sed mundandis cordibus pio studeamus affectu; nec corporalem faciem cogitemus, cum dicat Apostolus: « Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* XIII, 12); » præsertim quia Apostolus expressius dixit: « Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum (*Ibid.*); » si ergo tunc corporali Deum facie cognoscamus, corporali nunc ejus facie cogniti sumus, « tunc enim cognoscam, » inquit, « sicut et cognitus sum. » Unde quis eum non intelligat eo loco etiam nostram faciem illam significare voluisse de qua dicit alio loco: « Nos autem revelata facie gloriam A Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tanquam a Domini Spiritu (*II Cor.* III, 18): » de gloria, scilicet fidei in gloriam contemplationis æternæ. Ut enim non tantum quod B. Ambrosius, verum etiam, quod S. Hieronymus sensit dicam, non solum Patris divinitatis, sed nec Filii quidem nec Spiritus sancti, quia una in Trinitate natura est, possunt oculi carnis aspicere, sed oculi mentis, de quibus ipse Salvator ait: « Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8). » Namque, sicut alibi idem Hieronymus breviter ac veraciter definivit, res incorporalis corporalibus oculis non videtur. Has sententias de re tanta, virorum tantorum, non ob hoc interponere volui ut cujusquam hominis sensum tanquam Scripturæ canonicæ auctoritatem, sequendum arbitreris, sed ut illi qui aliter sapiant conentur mente videre quod verum est, et in simplicitate cordis quærere Dominum, ne tam doctos divinorum eloquiorum tractatores temere reprehendant. Nec te moveat quod a quibusdam minus considerate dicitur: « Quod tunc videbunt oculi corporales, si Dominum non videbunt? An forte cæci erunt, vel sine causa erunt. » Neque enim attendunt qui hæc loquuntur, quid si non erunt corpora, perfecto illi oculi non erunt corporales; si autem erunt corpora, erit quod videre possint oculi corporales. Hæc de illa epistola quam B. Augustinus ad Paulinam scripsit de videndo Deo assumpsimus: nunc autem ex ejusdem doctoris epistola quam ad Italicam conscripsit de corpore Mediatoris si corporeis oculis videat substantiam Dei, pauca subnectere cæpimus. Lux vero ipsa, qua illuminabuntur hæc omnia, quæ modo in cordibus reconduntur, qualis aut quanta sit quis lingua proferat, quis saltem humana mente contingat? Profecto lux illa ipsa est Deus, quoniam Deus « lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ (*Joan.* I, 4); » sed lux mentium purgatarum, non istorum corporis oculorum. Erit ergo tunc idonea mens in eo quo illam lucem videat quod nunc non dicerem [*forte*, quod nunc non dicitur esse]. Hoc autem oculus corporis, neque nunc potest neque tunc videre poterit. Omne quippe quod oculo corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est, nec ubique sit totum, sed minore sui parte minorem locum occupet, et majore majorem. Non ita est Deus invisibilis et incorruptibilis, qui solus habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit nec videre potest. Per hoc enim videri ab homine non potest, per quod videt homo corpore corpora. Nam si et mentibus piorum esset inaccessibilis non diceretur, « accedite ad eum et illuminabimini (*Psal.* XXXIII, 6); » et si mentibus piorum esset invisibilis, non diceretur, « videbimus eum sicuti est. Nam perspice totam ipsam in Epistola Joannis sententiam: « Dilectissimi, inquit, filii Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus; scimus quia cum apparuerit, similes illi erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). » In tantum ergo videbimus, in quantum si-

Digitized by Google

miles erimus, quia et nunc in tantum non videmus in quantum dissimiles sumus. Inde igitur videbimus, unde similes erimus. Quis autem dementissimus dixerit corpore nos vel esse vel futuros esse similes Deo? In interiore itaque homine ista similitudo est; qui renovatur in agnitione Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum, et tanto efficimur similiores illi, quanto magis in ejus cognitione et charitate proficimus, quia etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem. Ita sane ut in hac vita quantuscunque profectus sit, longe absit ab illa perfectione similitudinis quæ idonea erit ad videndum Deum, sicut dicit Apostolus; « Facie ad faciem (*I Cor.* I, 12). » In quibus certe verbis si corporalem faciem voluerimus accipere, consequens erit ut etiam Deus talem habeat faciem ut sit aliquod intervallum inter nostram et ipsius, cum eum videbimus facie ad faciem : et si intervallum, utique finis et membrorum habitus et terminus, etc., absurda dictuque et cogitatu impia, quibus animalis homo non percipiens quæ sunt Spiritus Dei, fallacissimis vanitatibus illuditur. Dicunt enim quidam eorum, qui talia garriunt, sicut ad me potuit pervenire, nos Deum videre, nunc mente tunc corpore. Ita ut etiam impios cum pari modo asseverent esse visuros. Vide quantum pejus profecerunt dum sine limite timoris vel pudoris hac atque hac vagabunda fertur impunita loquacitas. Antea dicebant carni suæ tantum hoc præstitisse Christum ut corporeis oculis videret Deum, deinde addiderunt etiam omnes sanctos, receptis in resurrectione corporibus, eodem modo Deum esse visuros. Nunc jam istam possibilitatem etiam impiis donaverunt. Donent sane quantum volunt, et quibus volunt. Nam quis audeat contradicere hominibus de suo donantibus? qui enim loquitur mendacium de suo loquitur : tu autem cum his qui sanam doctrinam tenent, nihil istorum audeas usurpare de tuo. Sed cum legis : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8), » intellige impios non visuros, neque enim beati mundo corde sunt impii. Item cum legis : « Videbimus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* XIII, 12), » unde nunc videmus per speculum in ænigmate, inde tunc videbimus facie ad faciem. Hoc autem utrumque interioris hominis munus est, sive cum in ista peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, in qua utitur speculo et ænigmate, sive in illa patria cum per speciem contemplabitur, pro qua visione positum est, « facie ad faciem. » Audiat caro carnalibus cogitationibus ebria : Spiritus est Deus, et ideo qui adorant Deum in spiritu et veritate adorare oportet. Si adorare oportet, quanto magis videre? Quis enim audeat affirmare Dei substantiam corporaliter videri, cum eam corporaliter noluit adorari? Sed argute sibi videntur dicere et quasi interrogando premere : Potuit præstare Christus carni suæ ut oculis corporeis videret Patrem, an non potuit? ut si non potuisse responderimus, omnipotentiæ Dei nos derogasse proclament; si autem potuisse consenserimus, argumentationem suam ex nostra responsione concludant. Quanto jam tolerabilius desipiunt qui carnem asserunt emersuram in substantiam Dei, et hoc futuram esse quod Deus est, ut sic eam saltem videndo faciant idoneam, nunc tanta diversitate dissimilem. Quam vanitatem credo istos habere a fide sua, fortasse et ab auribus. Et tamen si interrogatione de hoc similiter urgeantur, possitne hoc Deus an non possit efficere; utrum ejus potestati detrahent, si non posse responderint, an hoc futurum fatebuntur, si posse consenserint? Quomodo ergo exirent de hoc laqueo alieno, sic exeant de suo. Deinde cur solis oculis corporis Christi hoc donum attributum esse contendunt, non etiam cæteris sensibus? Sonus ergo erit Deus, ut possit etiam auribus percipi? et halitus erit, ut possit olfactu sentiri? et liquor aliquis erit, ut possit et bibi? et moles erit, ut possit et tangi? Non, inquiunt. Quid ergo? An illud potest Deus, et hoc non potest? Si non posse dixerint, cur derogant omnipotentiæ Dei? Si posse et nolle responderint, cur solis oculis favent, invident autem cæteris sensibus corporis Christi? Hæc de opusculis S. Augustini, Ambrosii atque Hieronymi excerpsimus. Nunc quid de visione Dei futura B. Gregorius senserit consequenter ponemus, qui in expositione beati Job libro octavo decimo, dum de visione divinæ essentiæ tractaret illam sententiam de libro Exodi quam Dominus Moysi petenti ut ei manifestaret semetipsum, manifeste protulit in medium dicens. Huic Dominicæ sententiæ qua ad Moysen dicitur : « Non enim videbit me homo et vivet (*Exod.* XXXIII, 20), » Joannem audi concordantem, qui ait : « Deum nemo vidit unquam (*Joan.* I, 8). » Sed cum Testamenti Veteris patres intueor, multos horum, testante ipsa sacræ lectionis historia, Deum vidisse cognosco. Vidit quippe Jacob Dominum, qui ait : « Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea (*Gen.* XXXII, 30). » Vidit Moyses Dominum, de quo scriptum est : « Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum (*Exod.* XXXIII, 11). » Vidit Job Dominum, qui ait : « Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te (*Job.* XLII, 5). » Vidit Isaias Dominum, qui ait : « In anno quo mortuus est rex Ozias vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum (*Isa.* VI, 1). » Vidit Michæas Dominum, qui ait : « Vidi Dominum sedentem super solium suum et omnem exercitum cœli assistentem ei a dextris et a sinistris (*II. Par.* XVIII, 18). » Quid est ergo quod tot Testamenti Veteris Patres Deum se vidisse testati sunt et tamen ipse ait : « Non enim videbit me homo et vivet (*Exod.* XXXIII, 20) »; et Ioannes ait. « Deum nemo vidit unquam (*Joan.* I, 8)? » nisi hoc quod patenter datur intelligi, quia quandiu hic mortaliter vivitur videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest, ut anima gratia Spiritus afflata per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim ejus essentiæ non pertingat.

Digitized by Google

Hinc est enim quod Jacob, qui Deum se vidisse testatur, hunc non nisi in angelo vidit : hinc est quod Moyses, qui cum Deo facie ad faciem loquitur, sicut loqui solet homo cum amico suo, ad ipsum verba sua locutionis convertens dicit : « Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te (*Exod.* XXXIII, 13). » Certe enim si Deus non erat, cum quo loquebatur, Ostende mihi Deum diceret, et non, Ostende temetipsum; si autem Deus erat cum quo facie ad faciem loquebatur, cur se petebat posse videre, quem videbat? Sed in hac ejus petitione colligitur, quia eum sitiebat per incircumscriptæ naturæ suæ claritatem cernere, quem jam cœperat per quasdam imagines videre, ut sic superna essentia mentis ejus oculis adesset quatenus ei ad æternitatis visionem nulla imago creata temporaliter interesset. Et viderunt ergo Patres Testamenti Veteris Dominum, et juxta Joannis vocem « Nemo vidit unquam, » et juxta ejusdem Domini vocem « Nemo Deum vidit et vixit, » quia in hac mortali carne consistentibus et videri non potuit per incircumscriptum lumen æternitatis. Sin vero quibusdam potest in hac adhuc corruptibili carne viventibus, sed inæstimabili virtute crescentibus, quodam contemplationis acumine æterna Dei claritas videri, hoc quoque ab ejusdem virtutis sententiam non abhorret, qua dicitur. « Non enim videbit me homo, et vivet (*Exod.* XXXIII, 20), » quoniam quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur. Nullus quippe eam videt qui adhuc carnaliter vivit, quia nemo potest amplecti Deum et sæculum. Qui enim Deum videt eo ipso moritur, quod vel intentione cordis vel effectu operis ab hujus vitæ delectationibus tota mente separatur. « Nemo ergo Deum vidit et vixit, » ac si aperte diceretur : Nullus unquam Deum spiritaliter vidit et mundo carnaliter vixit. Videbimus igitur Deum, si per cœlestem conversationem supra homines esse mereamur, nec tamen ita videbimus, sicut videt ipse seipsum. Longe quippe dispariliter videt Creator se quam videt creatura Creatorem : quantum pertinet ad immensitatem Dei, quidam nobis modus figitur contemplationis, qua eo ipso pondere circumscribitur quo creatura sumus : sed profecto non ita conspicimus Deum sicut ipse conspicit se, sicut non ita requiescimus in Deo quemadmodum ipse requiescit in se. Nam visio nostra vel requies erit utcunque similis visioni requieive illius; sed æqualis non erit. Perfecta requies est qua Deus cernitur, et tamen nostra requies æquanda non est requiei illius, quia non a se in alium transit, ut quiescat. Est itaque requies, ut ita dicam, similis atque dissimilis, quia quod illius requiescere est, hoc nostra requies imitatur, visio Dei nunc fide inchoatur, sed tunc in specie perficitur, quando coæternam Deo sapientiam, quam modo per opera prædicantium quasi per decurrentia flumina sumimus, ipso fonte biberimus.

Sciendum vero est quod fuerunt nonnulli qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri. Quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit, neque enim simplici et incommutabili essentiæ aliud est claritas, aliud natura, sed ipsa natura sua claritas, et ipsa claritas sua natura est : quia etenim suis dilectoribus, hæc Dei sapientia se quandoque ostendit, in se pollicetur dicens : « Qui diligit me diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo me ipsum illi (*Joan.* XIV, 21); » ac si patenter dicat : Qui in vestra me cernitis, restat ut in mea me natura videatis. Hinc rursum ait : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8). » Hinc Paulus dicit : « Nunc videmus in speculo per ænigmata, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut et cognitus sum (*I Cor.* XIII, 12). » Sed quia de Deo primum per prædicatorem Ecclesiæ dicitur : « In quem desiderant angeli prospicere (*I. Petr.* I, 12), » sunt nonnulli qui nequaquam Deum videre vel angelos suspicantur, et tamen dictum per Veritatis sententiam scimus : « Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. » Nunquid ergo aliud veritas, aliud prædicator sonat veritatis? Sed si sententia utraque confertur, quia sibi nequaquam discordet agnoscitur. Deum quippe angeli et vident et videre desiderant, et intueri sitiunt, et intuentur. Si enim sic videre desiderant, ut effectus sui desiderio minime perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, et anxietas pœnam. Beati vero angeli ab omni pœna anxietatis longe sunt, quia nunquam simul pœna et beatitudo conveniunt. Rursum cum eos dicimus Dei visione satiari, quia et Psalmista ait : « Satiabor dum manifestabitur gloria tua (*Psal.* XVI, 15), » considerandum nobis est quia satietatem solet fastidium subsequi. Ut ergo recte sibi utraque conveniant, dicat Veritas quia semper vident, dicat prædicator egregius quia videre semper desiderant, ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur. Ne autem sit in satietate fastidium satiati desiderant, qualiter electi homines per hanc vitam satiantur visione divina et desiderant; igitur hoc sine labore est, quia desiderium satietas comitatur, et satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque et nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus. Erit enim nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas. Sed longe ab ista siti necessitas, longe a satietate fastidium, quia et sitientes satiabimur et satiati sitiemus. Videbimus igitur Deum, ipsumque erit præmium laboris nostri, ut, post mortalitatis hujus tenebras, accensa ejus luce gaudeamus.

LIBER SECUNDUS.

DE PURITATE CORDIS.

In superiore libro juxta doctrinam sanctorum Patrum de visione Dei futura sermonem quantum po-

Digitized by Google

timus explevimus. Nunc de puritate cordis, per quam contemplatio Dei assurgit consequenter juxta traditionem majorum, disserendum putamus, quia illis solis visio Dei promissa est qui mundo sunt corde, ac ideo necesse est, ut carnalia in nobis mortificemus desideria et sacris virtutibus operam demus, quatenus per earum, opem divina gratia largiente, ad cœlestis regni beatitudinem et lucis æternæ contemplationem pertingere possimus. Quamvis enim ex Adam simus carnaliter nati, non ipsum tamen debemus imitari, sed Christum, in quo renati sumus et vivimus, quando veterem conversationem salubriter innovati deponimus. Quid est imitari Adam, nisi pro carnalibus concupiscentiis ac desideriis morte multari? Et quid est imitari Christum, nisi carnalibus concupiscentiis ac desideriis crucifigi? sicut aliud non est veterem conversationem deponere, quam non secundum carnem, quæ veterascit et moritur, sed secundum Deum vivere, qui solus potest perseverantes in se innovare perenniter et beare. Quapropter sicut quando in Adam fuimus, omnes in ipso cadente cecidimus : ita quia in Christo esse jam cœpimus, qui pro nobis omnibus dignatus est mori, et nos peccatis nostris illi commortui cum illo spiritaliter resurgamus. In illo omnia bona quæ potuimus habere perdidimus : in hoc etiam majora et sine fine habenda recepturi sumus, si perseveranter ejus vestigia teneamus. Adam nos obnoxiavit malis omnibus per propriam culpam, a quibus nos liberavit adventus Christi per gratiam. Ille in nos culpam suam transmisit et pœnam, hicque culpam nostram suscipere utpote conceptus; et, natus sine peccato non potuit, de susceptione pœnæ nostræ culpam nostram simul abolevit et pœnam, et ut totum dicam, Adam nobis eripuit paradisum, Christus donavit et cœlum, et ideo si in illo esse volumus quod esse debemus, sicut sanctus Joannes apostolus dicit : « Quomodo ille ambulavit, et nos spiritaliter ambulemus : » quid est ambulare sicut ille ambulavit, nisi contemnere omnia prospera quæ contempsit, non timere adversa quæ pertulit, libenter facere quæ fecit, fieri docere quæ mandavit, sperare quæ promisit, et sequi quo ipse præcessit, præstare beneficia etiam ingratis, non retribuere secundum merita sua malevolis, et orare pro inimicis, amare bonos, misereri perversos, invitare adversos, suscipere in charitate conversos? Ad hoc pertinet quod ait etiam sanctus Paulus apostolus : « Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens (*Col.* III, 1). » Illi resurgunt cum Christo qui moriuntur sicut ille peccato, ea tamen distinctione servata quod ille mortuus est peccato, non suo, sed nostro, unusquisque autem nostrum non omnium moritur peccato, sed suo. Quid est peccato mori, nisi damnandis operibus omnino non vivere, nihil concupiscere carnaliter nihil ambire? Sicut enim mortuus carne nulli jam detrahit, nullum aversatur aut despicit, nullius pudicitiam callida circumventione corrumpit, nemini violentus existit, neminem calumniatur, aut opprimit, non invidet bonis aut insultat afflictis, non luxui carnis inservit, non vinolentiæ deditus in se, bibendi sitim bibendo magis ac magis accendit, non odiorum facibus inardescit, non compendia injusta sectatur, non potentibus aut divitibus adulatur, non inquieta curiositate raptatur, non domesticæ sollicitudinis cura distenditur, non officiosis occurrentium salutationibus delectatur, nec superborum injuriis fatigatur, non eum superbia inflat, non ambitio ventosa præcipitat, non vana gloria turpiter jactat, non desiderium gloriosæ opinionis inflammat, non distinctio alieni actus illaqueat, non ad societatem turpium turpitudinis amor invitat, non rabies insani furoris exagitat, non sumptus odiosarum litium mactat, non ardor animosæ contentionis exanimat; non facit impudentem audacia, iniquum injustitia, ferum inclementia, varium inconstantia, pertinacem contumacia, insanum vesania, deliciosum gula, rebellem inobedientia, vanum jactantia, infidelem perfidia, levem facilitas, sævum crudelitas, manduconem turpis edacitas, impatientem mobilitas, mobilem instabilitas, vagum spiritalis infirmitas, iracundum animositas, suspiciosum perversitas, verbosum vanitas, irrisorem maliguitas, qui remotus est a sæcularibus prorsus illecebris, remotus ab inimicitiis, remotus ab insidiis alienis, remotus a rapinis vel occultioribus vel apertis, remotus a mendaciis sive perjuriis, postremo remotus ab omni genere flagitiosorum atque facinorum quibus carnaliter viventes Deum offendunt et mortui peccato non ei serviunt; sicut, inquam, carne mortuus nec facere potest ista quæ dixi, nec pati, ita hi et talibus vitiis omnino non vivunt, qui ut vivant Deo carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt, membra sua quæ sunt super terram mortificant quando intra necessarium modum suum temperant appetitum, quando non solum se a delicatioribus cibis moderata districtione suspendunt, sed etiam in ipsius communibus nihil carni suæ pro desiderio, sed pro sustentandæ vitæ necessitate permittunt, certi quod nec deliciæ quælibet, si absque desiderio percipiantur, officiunt, et viles cibi plerumque abstinentiæ profectum, si appetenter accipiantur, impediunt. Hinc est quod sanctus David aquæ in se concupiscentiam castigavit, atque eam sibi a suis oblatam, ne desiderio ex ea satisfacere videretur, effudit, et sancti Eliæ perceptio carnium non concupita non nocuit. Unde datur intelligi quod veraciter abstinentes escarum non naturas sed concupiscentias damnent, ac voluntates suas desiderati cibi vel potus abusione mortificent. Qui autem non solum a qualitate, sed etiam a quantitate ciborum cupiunt abstinere, nihil aliud student, nisi ut quantum stomacho reficiendo ac fami eximendæ [*Forte deest* satis] esse videtur, indulgeant, nec expleant suos appetitus aviditate percipiendi, sed comprimant, atque eis non saturitas edendi finem faciat, sed voluntas, quia tam a cupiditate pretiosorum ciborum quam a nimia perceptione vilium contine-

Digitized by Google

bunt, qui cibis nec lautioribus volunt carne luxuriante dissolvi, nec distentione ventris vilibus onerari, quando abstinentes viri nec deliciosi soleant esse, nec avidi. Jam de vino abstinendo vel percipiendo quid dicam? Unde sanctus Apostolus certam fixit regulam dicens : « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria (*Eph.* v, 18), » quasi diceret, Luxuriam facit, et nutrit vini perceptio nimia, non natura, et propterea non vos uti vino, sed inebriari prohibeo, quandoquidem infirmum stomachum moderatus usus vini confortat, ebrietas animum corpusque debilitat; denique Timotheo suo discipulo, qui se longe abstinentiæ districtione jam fregerat et stomachum suum aquæ perceptione corruperat, modico vino uti debere præcepit, dicens : « Noli adhuc aquam bibere sed modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates (*I Tim.* v, 23). » Ac per hoc nihil contra abstinentiam faciunt qui vinum non pro ebrietate, sed tantum pro corporis salute percipiunt. Nec hoc eis offert voluntas, sed permittit infirmitas, quæ si defuerit, a vino est abstinendum. Omnis enim vini perceptio, quæ infirmum sustentat, sanum corpus incendit, quandoquidem [*vel leg.* quomodo quidem] vino uti, et usui habere oleum nullus dixerit esse peccatum. Sed hæc ideo non debemus carni desideranti præstare, ne cum illi licita concedere cœperimus, poscat illicita, et sibi obsequentes in minimis in flagitia punienda compellat, ac naturali ordine perturbato non spiritui corpus, sed spiritus corpori dominanti deserviat. Huc accedit quod et ipsam mentem abstinentiæ fructus alacrem facit, carnem quoque non usque ad lassitudinem fatigatam, sed spiritui ordinate subjectam mobilem reddat, sensus etiam quos dicuntur crassos efficere vel gravare congestæ deliciæ, consuetudo parcitatis exonerat, et velut quadam politura religiosæ exercitationis attenuat. Verumtamen sic abstinere vel jejunare debemus, ut non nos jejunandi vel abstinendi necessitati subdamus, ne jam non devoti, sed inviti rem voluntariam faciamus. Si enim quoslibet advenientes, jejunio intermisso, reficio, non solvo jejunium, sed impleo charitatis officium. Cæterum si propter abstinentiam spiritales fratres quos novi mea remissione delectari contristo, abstinentia mea non est virtus dicenda, sed vitium, quoniam quidem ipsa abstinentiæ ac jejuniorum continuatio, nisi fuerit quando res exigit prætermissa, et me inflat, et fratrem meum, cui charitas jubet servire, contristat, vel certe mihi nihil inesse charitatis fraternæ demonstrat, quando sine abstinentia quemlibet hominem catholicum charitas sola perficiat; et omnis abstinentia, aut perdat sine adjunctione charitatis, aut pereat. Quia ergo abstinere etiam Manichæi vel quilibet alii hæretici possunt, ut pote qui omnes carnes non pro abstinentia sed pro immunditia detestantes, corpora sua panis et aquæ parcitate conficiunt, non pro magno ducamus quando ab his quæ illi quoque rejiciunt abstinemus, sed quando abstinentiam nostram fides commendat, charitas- A que consummat; quas virtutes illi non habentes occidere se possunt, ædificari autem, aut perficere aliter abstinendo non possunt : ipsis vero catholicis Christianis, qui sive non valendo abstinere, sive nolendo, omnia usui nostro concessa cum gratiarum actione percipiunt, non nos propter abstinentiam præferamus, ne forte plus humilitatis aliarumque virtutum habeant illi unde jure nobis propter abstinentiam præferantur. Quocirca si volumus nobis abstinentiam nostram jejuniaque proficere, a superbia in primis, quæ aut expellit omnes virtutes aut minuit, et a jactantia cunctis inimica virtutibus, atque ab omnibus omnino vitiis discedamus, ut prosit nobis quod a cibis delectabilibus abstinemus; quia tunc nobis proderit, quod corpora nostra, vel B certe corporum incentiva, rigore districtioris abstinentiæ castigamus, si carnalibus desideriis absoluti, sanctis virtutibus floreamus. Sed plane dico a veris virtutibus tantum similitudines distare virtutum, quantum distat a veritate mendacium, quia et similitudo virtutis, quæ videtur virtus esse, cum non sit, nihil est aliud, nisi mendacium, et ideo non est virtus dicenda, sed vitium. Et vera virtus est veritas, cui qui amanter adhæserit a peccati morte resuscitatus mori ultra non poterit, nisi cum ab ea depravata voluntate recesserit; sicut e contrario virtutis simulatio quæ est, ut dixi, mendacium veritati contrarium, animam separat a Deo vita sua, non interituram, sed supplicio, quæ est illius mors, pœnaliter sine fine victuram, Scriptura dicente : « Os C quod mentitur occidit animam (*Sap.* I, 11). » Ac per hoc sicut virtus animam sibi veraciter inhærentem, si fuerit vera, justificat, ita simulata condemnat. Et quid justificatio animæ, nisi ejus est vita perpetue beata ac beate perpetua, sicut condemnatio animæ pœna ejus est sentienda, quæ mors probatur et ipsa perpetua? Ita dupliciter rea est anima : si et bonum non faciat unde spiritaliter vivat, et appetat similitudinem boni, sub qua male vivat et lateat. Superbus vult se credi constantem, prodigus liberalem, avarus diligentem, inhumanus parcum, gulosus humanum, ignavus quietum, timidus cautum, impudentia fiduciæ sibi nomen scribit, procacitas appellationem libertatis obtendit, eloquentiam verbositas fingit, et curiositatis malum D sub studii spiritalis colore delitescit. Hæc et si possunt ingenio humano discerni, tamen sine dono Dei, quantum mihi videtur, nec virtutes possunt appeti vel haberi; nec earum similitudines, quæ sunt vitia virtutes imitantia, declinari, in tantum ut infidelibus nihil profuisse credamus etiam si sunt aliquas per corpus operati virtutes, quod eas nec a Deo suo se accepisse crediderunt, nec ad eum qui est finis bonorum omnium referre voluerunt : et quid dico? nihil eis profecerunt, imo etiam nocuerunt, dicente sancto Apostolo : « Omne quod non est ex fide, peccatum est (*Rom.* XIV, 23), non dixit : « Omne quod non est ex fide » nihil est; sed dicendo, « Omne quod non est ex fide, peccatum

Digitized by Google

est, » declaravit quod omnia bona aut ex fide gesta, virtutes sunt, quæ profecto justificant; aut si fuerint sine fide, non sunt aliqua bona credenda, sed vitia, quæ non juvant suos operarios, sed condemnant inflatosque præcipitant, atque a finibus æternæ salutis eliminant. Sed quid ego hæc de infidelibus, unde nullus ambigere videtur, exaggero, cum sanctus Apostolus etiam fideles quosdam, qui credentes in Deum non secundum Deum, sed secundum hominem vivunt, carnales nominet dicens : « Et ego, fratres, cum venissem ad vos, non vobis potui loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus (*I Cor.* III, 1). » Nondum enim poteratis, sed ne adhuc quidem potestis, adhuc enim estis carnales? Et tanquam quæreremus quid carnales velit intelligi, secutus adjunxit : « Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis? (*Ibid.* v. 3.) » Quid potest duabus his animi pestibus inveniri deterius, zelo et contentione, quibus carnales qui secundum hominem vivunt etiam in hac vita torquentur cum et contentio hæreticos reddat, et zelus imitatores diaboli paradisum primis hominibus invidentis efficiat? Ac si quando fideles justitia, pietate, misericordia, mansuetudine, humilitate, innocentia, cæterisque virtutibus gaudent, aut secundum Deum vivunt, et non sunt, vera habere credendi sunt, quæ spiritaliter viventes adeptæ sanctificant, et Deo commendant; aut secundum hominem vivunt, et non sunt veræ virtutes, sed virtutum similitudines, quæ nihil carnaliter viventibus prosunt. Quapropter qui religiose, qui continenter, qui sobrie, qui misericorditer vivit, si Deo, cujus munere ut bene vivat, adjuvatur, ascribit, secundum Deum spiritaliter vivit : si vero omnia quæ bene agit, viribus suis ascribat quasi etiam sine adjutorio Dei ad bene agendum sibi sufficiat, secundum hominem carnaliter vivit, et ideo aut bene non vivit, aut nihil ei proderit quidquid boni propter homines facit, quia humanis laudibus delectatus hic jam temporalem mercedem recipit suorum operum quæ temporaliter fecit. Igitur ille secundum hominem vivit qui secundum seipsum, quia et ipse homo est, vivit, et secundum seipsum vivit, qui si potuerit est cum quibus vult, pergit quo vult dormit quando et quandiu vult, loquitur quæ vult et ubi vult, manducat et bibit quando et quod vult et quantum vult, ridet ac jocatur inter quos vult. Postremo quidquid naribus suave est, quidquid tactui blandum, quidquid oculis delectabile, quidquid cæteris sensibus carnis suæ jucundum exercet, ac sequitur, qualiter vult, quia omnia licita et illicita carnaliter vult : qui autem secundum Deum vivit, non quod eum carnaliter delectat, sed quod spiritaliter ædificat, facit, et omnia desideria carnis spiritalis desiderii delectatione compescit, futura præsentibus anteponit, carnem spiritui subdit, et quidquid cupit aut agit, non vult ex sua, sed ex Dei sui voluntate procedere, cui placere totis viribus concupiscit. Itaque si utcunque

A claruit, quod virtutes veras non videantur habere qui simulant, et illi simulant qui non ex fide aut non propter Deum, sed propter homines tantum boni aliquid operantur, eleemosynis, ac jejuniis, vel abstinentiæ cæterisque bonis operibus serviendo, non ut boni fiant, sed ut bonos se hominibus fingant, nec ad recipiendam sempiternam mercedem, sed ad comparandam gloriam popularem. Videamus nunc quibus præcedentibus causis et subsequentibus incrementis nasci soleant vitia vel augeri, et quibus adjuvante Domino remediis possint velut quibusdam medicamentis imminui vel sanari. Omnis sancta virtus res est divina, incorporea prorsus, atque mundissima, quam mentes inquinatæ non inquinant, sed ipsa inquinatas emaB culat, cujus participatione formantur informia, suscitantur mortua, sanantur infirma, corriguntur prava, reconciliantur aversa. Hanc non habet, nisi Deus, et is cui dederit Deus, quæ in animo habitat, sed animum corpusque sanctificat; ad quam nullus accedit invitus, quam nullus amittit nisi propria voluntate deceptus. Nemo eam sibi conferre potest cum possit, alteri autem non conferre prævalet nec auferre; itaque cum talis ac tanta virtus cuilibet inter voluptates suas adhuc marcenti refulserit, atque ei ad se concupiscendam desiderium salubre commoverit, protinus in animo ejus duarum delectationum contrariarum rixa consurgit, et mentem voluntas adversum se ancipiti delectatione divisam in diversa ducit ac reducit, modo reprehenC dendo quod elegerat, modo quod reprehenderat eligendo, atque ita in alterutrum latus se cogitationum varietate versantem ipsa velut virtutis ac vitii tepidi medietas vexat ac lacerat, quoniam quidem quemlibet hominem donec se in eo quod elegerit, certa diffinitione confirmet, quandiu modo non vult quod volebat, modo velle incipit quod nolebat, velut in quodam deliberationis incertæ bivio constitutum discerpit ipsa diversitas voluntatum. Hinc eum virtus admonet suæ salutis et vocat; inde consuetudo vitiosa discedere a se volentem moratur et revocat, et paulisper a se averso, nec ad virtutem plene converso, vitiatæ voluntatis admonitione blandiens, omnes illecebras quibus olim perdite fruebatur ostendit, turpia quoque desideria quibus viciatur immittit, ac jam pene fastidienti, blandum nescio quid mollit, insusurrat, et supplicat ne præponat mollibus dura, lætis tristia, certis dubia, præsentium voluptati futura; cogitet quam pœnale sit atque difficile dulcibus carere deliciis, illecebris renuntiare carnalibus, abstinentiæ jugis gravari laboribus, jejuniorum ac vigiliarum continuatione torqueri, certa carnis afflictione præmium dubiæ remunerationis ambire; contra diabolum, decipiendi peritum, resistendi arma corripere, insidias ejus ac fraudes vigilantis animi cautione vitare; quam deinde miserum sit enormitate tantæ asperitatis evictum ac diabolica fraude deceptum ad repudiata redire, voluptatibus quas abjecerat frui, et omnibus

Digitized by Google

quæ incaute laboriosum suscipiendo propositum contempserat, delectari. His et talibus vitiosa consuetuod dubium sanctæ diffinitionis affligit : virtus contra quæ continentia nominatur, morantem confidenter objurgat, ad delectationes puras castasque delicias, quibus fruuntur omnes sui amatores, invitat, offert nudo justitiæ vestimentum, illuminato sui apparatus demonstrat ornatum, diffidenti de se protectionis suæ promittit auxilium. Hortatur et provocat ut, diffinitionis ambiguitate deposita, propositum spiritale suscipiat, perseveraturum se in suscepto labore propositi sui; non sua possibilitate, sed Domini miseratione confidat, nec suis viribus, sed gratiæ omnipotentis fretus auxilio, contra diabolicas impugnationes victoriæ arma corripiat, cogitet et quanti et quantæ potuerunt et possunt, quod se posse desperat. Unde illi vel illæ potuerunt, inde se posse firmiter credat certa spe, spiritalia carnalibus ac terrenis cœlestia et futura præsentibus anteponat.

Omnes quippe artes ac disciplinæ scopum quemdam, id est destinationem, et telos, hoc est, finem proprium habent, ad quem respiciens uniuscujusque artis industrius appetitor cunctos labores et pericula atque dispendia æquanimiter libenterque sustinet, quemadmodum in quibus usus est bellica tela tractandi, cum ante regem mundi hujus artis suæ cupiunt peritiam demonstrare in parvissima quadam scutula, quæ depicta in se continet præmia, jacula, vel sagittas, intorquere contendunt, certi quod non alia, nisi destinationis suæ linea ad finem possint desiderati præmii pervenire, itaque et viæ nostræ finis quidam est regnum Dei. Qui vero sit scopus debet diligenter inquiri. Qui si nobis similiter compertus non fuerit, frustra nitendo fatigabimur, quia sine via tendentibus labor est itineris, non profectus; finis quidem nostræ professionis, ut diximus, regnum Dei seu regnum cœlorum est, destinatio vero, id est scopus, puritas cordis, sine qua ad illum finem impossibile est quempiam pervenire. In hac ergo destinatione defigentes nostræ directionis obtutus ad certam lineam cursum rectissimum dirigimus, ac si paululum quid ab hac cogitatio nostra deflexerit, ad contemplationem ejus illico recurrentes, rursum eam velut quamdam normam rectissime corrigimus quæ semper omnes conatus nostros ad unum hoc revocans signum, arguit statim si a proposita directione mens nostra vel paululum deviaverit : igitur sicut nostri propositi finis quidem secundum Apostolum « vita æterna est, » ita eodem pronuntiante, « habentes quidem fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam (*Rom.* VI, 22), » scopus cordis nostri puritas esse debet quam sanctificationem non immerito nuncupavit, sine qua prædictus finis non poterit apprehendi. Ac si dixisset aliis verbis : « Habentes quidem scopum vestrum in cordis puritate, finem vero vitam æternam, » de qua destinatione docens nos idem beatus Apostolus, ipsum nomen, id est, scopum significanter expressit, ita dicens : « Quæ posteriora sunt obliviscens, ad ea vero quæ in ante sunt extendens me, ad destinatum persequor, bravium supernæ vocationis Domini (*Phil.* III, 14). » Quod evidentius in Græco ponitur *rato ciro iconatui rui* [κατὰ σκοπὸν διώκω], etc., id est, secundum destinationem persequor, tanquam si dixisset : Hac destinatione qua illa quæ posteriora sunt obliviscor, id est, anterioris hominis vitia, ad finem bravii cœlestis pervenire contendo. Quidquid ergo nos ad hunc scopum, id est puritatem cordis, potest dirigere, tota virtute sectandum est; quidquid autem ab hac retrahat, ut perniciosum ac noxium devitandum. Pro hac enim universa agimus atque toleramus, pro hac parentes, patria, dignitates, divitiæ, deliciæ mundi hujus, et voluptas universa contemnitur, ut scilicet puritas cordis perpetua retentetur. Hac itaque nobis destinatione proposita semper actus nostri et cogitationes ad eam obtinendam rectissime dirigentur, quæ si præ oculis nostris jugiter statuta non fuerit, non solum cunctos labores nostros vacuos pariter atque instabiles reddens, incassum eos ac sine ullo emolumento compellet effundi, veluti qui non habeant apostolicam charitatem et ex omnibus infructuosi sterilesque reddantur. Quod in Spiritu beatus Apostolus prævidens : « Et si distribuero, inquit, in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest (*I Cor.* XIII, 3), » unde liquido comprobatur perfectionem non statim nuditate, nec privatione omnium facultatum seu dignitatum objectione contingi, nisi fuerit charitas illa cujus Apostolus membra describit, quæ in sola cordis puritate consistit. Nam quid est aliud, « non æmulari, non inflari, non irritari, non agere perperam, non quærere quæ sua sunt, non super iniquitate gaudere, non cogitare malum » et cætera, nisi cor perfectum atque mundissimum Deo semper offerre, et intactum a cunctis perturbationibus custodire? omnia namque dona pro usu ac necessitate tribuuntur ad tempus consummata, dispensatione mox procul dubio transitura. Charitas vero nullo intercipietur tempore. Non solum enim in præsenti mundo utiliter operatur in nobis, sed etiam in futuro sarcina corporeæ necessitatis abjecta efficacior multo atque excellentior permanebit, nullo unquam corrumpenda defectu, sed per incorruptionem perpetuam flagrantius Deo atque intentius adhæsura; charitas ergo est, ut mihi videtur, recta voluntas ab omnibus terrenis ac præsentibus prorsus accersa, juncta Deo inseparabiliter, et unita igne quodam sancti Spiritus, a quo est, et ad quem refertur incensa, inquinamenti omnis extranea, corrumpi nescia, nulli vitio mutabilitatis obnoxia, super omnia quæ carnaliter diliguntur excelsa, affectionum omnium potissimum divinæ contemplationis avida, in omnibus semper invicta, summa actionum bonarum, salus morum, finis cœlestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, anima sanctarum mentium,

Digitized by Google

causa meritorum bonorum, præmium perfectorum, in peccatis suis mortuos suscitat, languentes sanat, perditos instaurat, spem desperatis inspirat, pacificat mentes, inhabitat fructuosa in pœnitentibus, læta proficientibus, gloriosa in perseverantibus, victoriosa in martyribus, operosa in omnibus omnino fidelibus. Quam fides concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium servit, ex qua quidquid est boni operis vivit, sub qua obedientia crescit, per quam patientia vincit, propter quam carnalia blandimenta devotio religiosa contemnit, sine qua nullus Deo placuit, cum qua nec potuit aliquis peccare nec poterit. Hæc est charitas vera, germana, perfecta, quam excellentiorem viam nominat sanctus Apostolus, et vere ipsa est via quæ ducit per se ambulantes ad patriam, quia sicut sine via nullus pervenit quo tendit, ita sine charitate, quæ dicta est via, non ambulare possunt homines, sed errare: ergo si charitatem Deo exhibeamus et proximo de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta, facile peccato resistimus, bonis omnibus abundamus, sæculi blandimenta contemnimus, et omnia quæ difficilia sunt humanæ fragilitati vel aspera, etiam cum delectatione perficimus: si tamen Domini charitate perfecta, quæ nobis ab illo est, ex toto corde, ex tota anima et ex totis viribus diligamus, ex ea enim parte quis peccat, ex qua minus diligit Deum. Quem si ex toto corde diligamus, nihil erit nobis unde peccati desideriis serviamus, et quid est deligere Deum, nisi illi occupare animum, concipere fruendæ visionis ejus affectum, peccati odium, mundi fastidium, diligere etiam proximum, quem ipse censuit diligendum, in ipso amore servare legitimum modum, nec pervertere dilectionis ordinem constitutum? Ordinem dilectionis illi pervertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui mundum, qui contemnendus est, diligunt aut corpora sua minus diligenda, plus diligunt, aut proximos sicut seipsos aut Deum plusquam seipsos forte non diligunt. Sed de mundo, quod diligi omnino non debeat, ipsius Domini nostri per sanctum Joannem apostolum vox est dicentis: « Nolite diligere mundum (*I Joan.* II, 15). » Corpus autem nostrum, quia pars nostri est, ad hoc nobis est diligendum, ut saluti ejus ac fragilitati naturaliter consulamus et agamus quatenus spiritui ordinate subjectam ad æternam salutem, accepta immortalitate et incorruptione perveniat non suis voluptatibus diffluendo animæ rigorem sibi cedentis emolliat, puritatem polluat, et totam dignitatem suæ delectationis morbo corrumpat. Proximos autem tunc diligimus sicut nos, si non propter aliquas utilitates nostras, non propter sperata beneficia vel accepta, non propter affinitates aut consanguinitates, sed propter hoc tantum quod sunt naturæ nostræ participes diligamus, quia non eos sicut nos ipsos amamus, quando propter illa superius dicta diligimus. Neque enim ideo se diligit quisque, quia sibi frater aut soror, pater aut filius, mater aut filia, nepos aut neptis est, carnaliter quippe amat, qui taliter amat, quoniam non illi tantum proximi nostri esse credendi sunt, quos nobis gradus sanguinis jungit, sed proximi nostri esse credendi sunt omnes homines naturæ nostræ, sicut dixi, participes. Jam si propinquos nostros, quamvis incompositos, turpes ac male moratos, plusquam quoslibet sanctos, quos a nobis secundum sanguinem vocamus, extraneos diligamus, non solum carnaliter diligimus, sed etiam graviter in tali eorum dilectione peccamus. Proinde secundum nos proximos omnes homines diligimus quando ad mores bonos et ad æternam vitam consequendam, sicut nobis eorum saluti consulimus, quando nos pro eorum peccatis ac periculis cogitamus, et sicut nobis subveniri optaremus, ita eis pro viribus subvenimus, aut si facultas defuerit, voluntatem subveniendi tenemus. Quapropter hæc est proximi tota dilectio, ut bonum quod tibi conferri vis, velis et proximo. Illi vero plus quam se diligunt Deum, qui pro ejus amore suæ ad tempus saluti non parcunt, seipsos tribulationibus ac periculis tradunt, nudari facultatibus propriis, patriæ suæ extorres fieri, parentibus et uxoribus ac filiis suis renuntiare parati sunt, et, ut totum dicam, ipsam corporis mortem non solum non refugiunt, sed etiam libenter excipiunt, ambientes a corporis sui vita magis quam a Deo vita vitæ suæ discedere. Iste igitur nobis dilectionis ordo servandus est, juxta illud quod dicit Spiritus sanctus, « ordinate in me charitatem, » ut sicut ordinata charitas poscit, Deum principaliter diligamus, et propter ipsum in ipso ea quæ diligenda sunt, tantum quantum ipse præcipit, diligamus. Ipse enim præcipit ut corpora nostra propter nos, proximos sicut nos, et ipsum plus quam nos diligere debeamus, ita sane, ut eis, quos nobis conjunctiores familiaritas facit, si eos fama non reprobat et vita commendat, nos amplius impendamus, omnium profectus, nostros esse credamus, et de aliorum peccatis tanquam de nostris misericorditer lugeamus. Sic ergo possunt in hac vita illi esse perfecti, qui perfecte diligunt Deum, et illi Deum perfecte diligunt, qui volendo quod vult Deus, et nolendo quod non vult, nec ullis peccatis quibus offenditur acquiescunt, et semper se ad virtutes quas ipse dignatur donare diligendas et habendas extendunt. Hi sunt qui omnia bona, quæ implere potuerint, ab illo se adjutos ut possint veraciter credunt, quidquid mali commiserint, vitio suæ voluntatis ascribunt, quidquid boni non potuerint implere, ab illo ut possint jugiter petunt, cum potuerint illi gratias agunt, bona ejus quæ fuerint consecuti etiam aliis conferri socialiter volunt et usque in suos inimicos dilectionis suæ latitudinem porrigentes, hoc omnes cupiunt esse quod ipsi sunt. Omnia igitur, hujus gratia gerenda appetendaque sunt nobis, pro hac jejunia, vigilias, labores corporis, nuditatem, lectionem cæterasque virtutes debere nos suscipere noverimus, ut scilicet per illas ab universis passionibus noxiis illæsum parare cor nostrum et conservare possimus,

Digitized by Google

et ad perfectionem charitatis istis gradibus inniA tendo conscendere, et non propter has observantias, si forte honesta ac necessaria occupatione præventi, solemnitatem districtionis nostræ non poterimus implere, incidamus in tristitiam, vel iram, sive indignationem, ob quæ expugnanda, illud quod prætermissum est fueramus acturi. Non enim est tantum lucrum jejunii, quantum iræ dispendium; nec tantus lectione capitur fructus, quantum contemptu fratris incurritur detrimentum. Ea igitur quæ sequentia sunt, id est, jejunia, vigiliæ, anachoresis, meditatio Scripturarum propter principalem scopum, id est, puritatem cordis, quod est charitas, nos convenit exercere, et non propter illa principalem hanc proturbare virtutem, quia nobis integra illæsaque durante nihil oberit, si aliquid eorum quæ sequentia B sunt, pro necessitate fuerit prætermissum, siquidem nec proderit universa fecisse, adempta hac quam diximus principali causa, cujus obtentu sunt omnia peragenda. Hic ergo nobis principalis debet esse conatus, hæc immobilis destinatio cordis jugiter affectanda, ut divinis rebus ac Deo mens semper inhæreat, quidquid ab hac diversum est, quamvis magnum, secundum tamen aut etiam infimum seu certe noxium judicandum est. Hujus mentis vel actus figura etiam in Evangelio per Martham vel Mariam pulcherrime designatur (*Luc.* x, 41). Cum enim Martha sancto utique ministerio deserviret ut potuit, quæ ipsi Domino ejusque discipulis ministrabat, Maria spiritali tantummodo intenta doctrinæ, Jesu pedibus inhærebat, quos osculans bonæ confessionis C liniebat unguento: præfertur tamen a Domino, quod et meliorem elegerit partem et eam quæ ab ea non posset auferri. Dicens enim ad Martham Dominus: « Sollicita es et turbaris erga multa (*Ibid.*), » paucis vero opus est, aut etiam uno, summum bonum non in actuali, quamvis laudabili opere, et multis fructibus abundanti, sed in sua [*Forte leg.* sui] contemplatione, quæ vere simplex et una est collocavit, paucis opus esse pronuntians ad perfectam beatitudinem, id est, illa theoria quæ prius est in paucorum contemplatione: conscendens autem qui adhuc in provectu positus est, ad illud quoque quod unum dicitur, id est, Dei solius intuitum ipso adjuvante perveniet, ut scilicet etiam sanctorum actus ac ministeria mirifica supergressus, solius Dei jam pulD chritudine scientiaque pascatur. Maria ergo bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, et hoc diligentius intuendum est. Nam cum dicit: « Maria bonam partem elegit, » licet taceat de Martha et nequaquam eam vituperare videatur, illam tamen laudans, hanc inferiorem esse pronuntiat. Rursum cum dicitur, « quæ non auferetur ab ea, » ostendit quod ab hac sua portio possit auferri. Nec enim ministerium corporale cum homine poterit jugiter permanere, illius vero studium nullo fine prorsus edocet posse finiri. Unde mihi videtur congruum esse illud considerare quid sit hoc bonum quod Paulus apostolus quasi conquirens se facere non posse in Epistola sua descripsit dicens: « Non enim quod volo facio bonum; sed quod odi malum, hoc ago (*Rom.* VII, 15); » vel illud: « Si autem quod volo hoc facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum (*Ibid. v.* 15); » vel quod sequitur: « Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis (*Ibid.*, *v.* 22, 23). » Quæ licet testimonia quidam ex peccatorum persona eum dixisse arbitrentur, perspicuum est peccatorum personæ hæc non posse omnimodis convenire, sed ad solos quæ dicta sunt attinere perfectos, et eorum tantum qui Apostolorum merita subsequuntur congruere sanctitati. Cæterum quo pacto hoc peccatorum personæ poterit convenire quod dicitur, « non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago, » sed neque illud quid est, quod ait, « si autem quod nolo hoc facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. » Quis enim delinquentium nolens se adulteriis fornicationibusque contaminet, quis invitus proximo tendat insidias, quis inevitabili necessitate cogatur, ut falso testimonio hominem opprimat furtove decipiat, aut alterius spolia concupiscat vel sanguinem fundat? Quinimo, ut scriptum est, humanum genus diligenter intentum est ad nequitiam a juventute sua. Quos etiam Jeremias propheta non solum volentes nec cum requie cordis et corporis flagitiorum crimina perpetrare, verum etiam intantum eos asserit laboriosis conatibus ut ad effectum eorum perveniant desudare, ut de lethali scelerum appetitu nec obsistentibus arduis difficultatibus revocentur, dicens: « Ut inique agerent laboraverunt (*Jer.* IX, 5). » Illud quoque quis dixerit peccatoribus convenire, « itaque ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati, » quos nec mente, nec carne Deo servire manifestum est? aut quemadmodum hi qui peccant corpore, mente serviunt Deo, cum vitiorum fomitem caro ex corde concipiat, et ipse auctor utriusque naturæ fontem atque originem peccatorum ex eo pronuntiat emanare: « De corde, inquiens, procedunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, furta, etc. (*Matth.* XV, 19)? » Quamobrem evidenter ostenditur nullo modo hoc de peccatorum intelligi posse personis, qui non solum non oderunt, sed etiam diligunt mala, et intantum Deo non mente nec carne deserviunt, ut ante delinquant mente quam carne, et priusquam corporis expleant voluntatem præveniantur mentis suæ cogitationumque peccato; superest igitur ut virtutem sensus ex intimo dicentis metiamur affectu, et quid beatus Apostolus dixerit bonum, quidve comparatione pronuntiaverit malum, non nuda significatione verborum, sed eadem qua ille discutiamus intentione. Intuitum quoque ejus secundum dignitatem pronuntiantis ac meritum perscrutemur; denique necesse est ut quid sit hoc quod principaliter bonum Apostolus non potuerit perficere cum vellet,

Digitized by Google

diligentius indagamus. Multa enim novimus bona quæ beatum Apostolum omnesque illius meriti viros et habuisse per naturam et acquisisse per gratiam negare non possumus. Est enim bona castitas, laudabilis continentia, miranda prudentia, larga humanitas, circumspecta sobrietas, modesta temperantia, pia misericordia, sancta justitia, quæ omnia in apostolo Paulo ejusque consortibus ita plena atque perfecta fuisse non dubium est ut virtutum magisterio potius quam verborum ab eis religio doceretur. Quod jugi Ecclesiarum cura ac pervigili sollicitudine semper exsti sunt, quantum hoc misericordiæ bonum! quanta perfectio est, pro scandalizantibus uri, cum infirmantibus infirmari! Cum ergo tantis Apostolus abundaverit bonis, quid illud sit boni, cujus perfectione caruerit non poterimus agnoscere, nisi in illum quo ipse locutus est profecerimus affectum, omnes itaque quas diximus eum habuisse virtutes, quamvis velut gemmæ splendidissimæ atque speciosæ sint, tamen si præclaro illi atque præcipuo margarito, quod ille Evangelicus negotiator inquirens universis quæ possidet venditis comparare desiderat, conferantur, ita earum meritum revilescit atque contemnitur, ut eis sine cunctatione distractis, unius tantum boni possessio locupletet bonorum innumerabilium venditorem. Quid est ergo unum quod illis tantis sine cunctatione distinctis tamque innumeris bonis tam incomparabiliter præponatur, ut spretis abjectisque omnibus, solum debeat possideri? nimirum illa pars optima cujus magnificentiam ac perpetuitatem, cum, relicto susceptionis atque humanitatis officio, Maria præelegit; i a enim prædicatur a Domino : « Martha, Martha, sollicita es et turbaris circa multa; paucis vero opus est aut etiam uno, Maria autem bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea (*Luc.* xx, 41). Una ergo et sola est, ut diximus, theoria, id est, contemplatio Dei cui merito omnia justificationum genera universaque virtutum studia postponuntur, et illa quidem omnia, quæ in apostolo Paulo fulsisse prædiximus, non solum bona et utilia, verum etiam magna et præclara sunt, sed sicut, verbi gratia, stanni metallum, quod alicujus utilitatis et gratiæ putabatur, fit argenti contemplatione vilissimum, et rursum auri comparatione argenti meritum evanescit, aurum quoque ipsum gemmarum contemplatione contemnitur, et ipsarum nihilominus quamvis insignium multitudo gemmarum unius margaritæ vincitur claritate, ita illa omnia merita sanctitatis, quamvis non solum ad præsens bona et utilia sint, verum etiam donum æternitatis acquirant, tamen si divinæ contemplationis meritis conferantur, vilia atque, ut ita dixerim, vendibilia censebuntur. Quis enim unquam, quamvis præcipuus omnium justorum atque sanctorum hujus corporis vinculis colligatus, summum hoc bonum ita possidere potuisse credendus est, ut nunquam a divina contemplatione descendens, ne parvo quidem tempore ab eo qui solus bonus est, terrenis cogitationibus putetur abstractus, qui nunquam ullam cibi, ullam indumenti aliarumve carnalium rerum gesserit curam, aut nunquam de fratrum susceptione, de loci commutatione, de cellæ exstructione sollicitus, aut opem aliquam humani concupierit adjumenti, aut inopiæ sterilitate vexatus illam sententiam Dominicæ increpationis incurreret : « Ne solliciti animæ vestræ sitis quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini; » denique ipsum illum apostolum Paulum, qui omnium sanctorum laborem passionum numerositate transcenderat, nequaquam hoc implere potuisse confidenter astruimus, ipso in Actibus apostolorum discipulis attestante ac dicente : « Ipsi scitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ (*Act.* xx, 34); » vel cum Thessalonicensibus scribens in labore et fatigatione, nocte et die operatum se fuisse testatur. Quibus licet magna eidem meritorum stipendia pararentur, tamen mens ejus, quamvis sancta atque sublimis, non poterat non ab illa cœlesti theorica intentione terreni operis aliquando divelli. Denique cum se tantis ac talibus ditari fructibus cerneret, et econtrario theoriæ bonum corde pensaret, ac velut in una lance tantorum laborum profectum, in altera delectationem divinæ contemplationis appenderet, diu examine pectoris sui quodammodo castigato dum illum hinc laborum stipendia immensa delectant, illinc desiderium unitatis et inseparabilis Christi societas, etiam ad resolutionem carnis invitat, anxius tandem proclamat et dicit : « Quid eligam ignoro, coarctor autem ex duobus, desiderium habens dissolvi et cum Christo esse. Multo enim melius, permanere autem in carne necessarium propter vos (*Philipp.* i, 22). » Cum igitur multis modis boni hujus excellentiam, cunctis etiam prædicationis suæ fructibus prætulisset, tamen charitatis, sine qua nemo Dominum promeretur, contemplatione submittitur, ac propter illos quibus adhuc lac velut nutricula uberibus [evangelicis] immulgebat, divulsionem a Christo sibi quidem noxiam, sed cæteris necessariam, non recusat. Impossibile enim est etiam menti quæ tam crebris distenditur curis, tam variis, tam violentis angoribus præpeditur, divino frui semper intuitu. Quod enim tam pertinax sanctorum studium, quod tam arduum potest esse propositum, cui non aliquid ille versutus insidiator illudat? Quis ita solitudinis sectatus est secreta universorumque mortalium consortia declinavit, ut nunquam cogitationibus superfluis laberetur, et intuitu rerum vel occupatione actuum terrenorum ab illa, quæ vere sola et bona est, Dei contemplatione decideret? Quis tantum spiritus unquam potuerit retinere fervorem, ut non interdum lubricis cogitationibus ab ipsa quoque orationis intentione translatus repente de cœlestibus ad terrena corrueret? Quis nostrum, ut cætera pervagationum tempora prætermittam, non illo etiam momento quo Deo supplicans ad sublimia erigit mentem, quodam stupore collapsus, etiam per id vel invitus offendat per quod sperabat veniam delictorum? Quis unquam tam expertus et vigilans

Digitized by Google

est, ut, dum psalmum Deo canit, nunquam a Scripturæ sensu ejus animus abducatur? Quis tam familiaris Deo, tamque conjunctus, qui apostolicum illud imperium, quo sine intermissione orare nos præcipitur, vel uno die se gaudeat exsecutum? Quæ licet omnia nonnullis, qui sunt crassioribus vitiis involuti, levia atque a peccato pene aliena videantur, scientibus tamen perfectionis bonum etiam minimarum rerum multitudo gravissima est: fastidiunt ergo sancti universa ex quibus mundus iste subsistit, sed impossibile est ut non ad eâ vel brevi cogitationum rapiantur excessu, nullusque hominum in hac vita, excepto Domino Salvatore nostro, naturalem pervagationem mentis ita defixam semper in Dei contemplatione continuit, ut nunquam ab ea raptus mundanæ cujusque rei delectatione peccaret, dicente Scriptura: « Sidera ipsa non sunt munda in conspectu ejus; » et iterum: « Si in sanctis suis non confidit, et in angelis suis reperit pravitatem, » sive ut emendatio translatio habet, « ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus. Recte igitur sanctos, qui memoriam Dei stabiliter retinentes quasi per extensas in sublime rheas suspenso feruntur incessu, schœnobatis, quos vulgo funambulos vocant, dixerim comparandos, qui summam suæ salutis ac vitæ in angustissimo funiculi illius tramite collocantes, atrocissimam se mortem protinus incursuro esse non ambigunt, si vel exigua pes eorum titubatione deviaverit, aut modum illius salutaris directionis excesserit, qui dum arte mirifica aerios gressus per inane moliuntur, si illam angustiorem vestigio semitam non cauta atque sollicita moderatione servaverint, terra quæ omnibus velut naturalis est basis et solidissimum cunctis ac tutissimum firmamentum, fit illis præsens ac manifesta pernicies, non quia illius mutetur natura, sed quia illi ad eam præcipiti carnis pondere dilabuntur. Ita etiam indefessa illa Dei bonitas immutabilisque substantia ipsa quidem neminem lædit, sed nos declinando a summo atque ad ima tendendo nobis ipsis consciscimus mortem, imo ipsa declinatio mors efficitur declinanti. « Væ enim, inquit, eis, quoniam recesserunt a me: vastabuntur, quoniam prævaricati sunt in me (*Ose.* VII, 13). » Et iterum: « Væ eis cum recessero ab eis: arguet namque te malitia tua et aversio tua increpabit te. Scito et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum (*Ose.* IX, 12). » Cum ergo semetipsos quotidie sentiant sancti terrenæ cogitationis pondere prægravatos, ab illa mentis sublimitate decedere et invitos, imo vero etiam nescientes in legem peccati mortisque transduci, atque, ut cætera prætermittam, illis saltem quæ superius comprehendi, bonis quidem ac justis, sed tamen terrenis a conspectu Dei operibus revocari, habent profecto pro quibus ad Dominum jugiter ingemiscant, habent pro quibus in veritate humiliati atque compuncti non verbis tantummodo sed affectu semetipsos pronuntient peccatores et veniam pro omnibus quæ quotidie, superati fragilitate carnis, incurrunt, ac gratiam Domini jugiter postulantes, veras pœnitentiæ lacrymas indesinenter effundant, quippe qui videant iisdem ipsis se pro quibus continuo dolore vexati sunt, etiam usque ad ultimum vitæ finem æstibus involutos, etiam ipsas supplicationes suas offerre se sine cogitationum anxietate non posse: experti igitur se humanis viribus desideratum finem, obsistente carnis sarcina, attingere non valere, neque illi præcipuo summoque bono secundum cordis sui desiderium posse conjungi, sed ab ejus intuitu captivos ad mundana transduci, ad gratiam Dei, quæ impios justificat, convolantes cum Apostolo protestantur, qui ait: « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum (*Rom.* VII, 24). » Sentiunt enim se bonum istud quod volunt non posse perfecte perficere, sed in illud quod nolunt, quodque oderunt malum, id est, cogitationum motus et curam corporalium rerum semper incidere. Et condelectantur quidem legi Dei, secundum interiorem hominem qui visibilia cuncta transcendens conatur Deo soli semper uniri, sed vident « aliam legem in membris suis, » id est, in natura humanæ conditionis insertam, quæ « repugnat legi mentis » eorum, et captivum pertrahit sensum violenta lege peccati, compellens scilicet eum, relicto illo principali bono, terrena cogitatione submitti, quæ quamvis necessaria atque utilis videatur cum dispensione cujuspiam religiosæ necessitatis impenditur, comparatione tamen illius boni quod sanctorum omnium oblectat intuitum, mala utique ab eis ac fugienda decernitur, qui per eam quoquo modo vel ad modicum tempus ab illius perfectæ beatitudinis gaudio retrahuntur.

(*Moyses in Collat. Cassiod., coll.* I, *cap.* 15.) Contemplatio vero Dei multifarie concipitur. Nam Deus non sola incomprehensibilis illius substantiæ suæ admiratione cognoscitur, quod tamen adhuc in spe promissionis absconditum est; sed etiam creaturarum suarum magnitudine, vel æquitatis suæ consideratione, vel quotidianæ dispensationis auxilio pervidetur; quando scilicet quæ cum sanctis suis per singulas generationes egerit, mente purissima perlustramus, cum potentiam ipsius, qua universa gubernat, moderatur ac regit, cum immensitatem scientiæ ejus, et oculum, quem secreta cordium latere non possunt, tremente corde miramur; cum arenam maris undarumque numerum dimensum ei et cognitum pavidi cogitamus; cum pluviarum guttas, cum sæculorum dies et horas, cum præterita futurave universa obstupescentes, scientiæ ejus assistere contemplamur · cum ineffabilem clementiam ejus consideramus qua innumera flagitia, quæ singulis quibusque momentis sub illius committuntur aspectu, indefessa longanimitate sustentat; cum intuemur vocationem qua nos, nullis præcedentibus meritis, gratia suæ miserationis ascivit; cum denique quot occasiones salutis tribuit adoptandis cum quodam admirationis intuemur excessu: quod ita

Digitized by Google

nos nasci præcepit, ut ab ipsis cunabulis gratia nobis legisque suæ notitia traderetur, quod ipse adversarium vincens in nobis pro solo bonæ voluntatis assensu æterna beatitudine ac perpetuis nos præmiis muneratur; cum postremo dispensationem incarnationis suæ pro nostra salute suscepit, ac mirabilia mysteriorum suorum in cunctis gentibus dilatavit. Sunt autem aliæ quoque hujusmodi innumeræ contemplationes, quæ pro qualitate vitæ ac puritate cordis in nostris sensibus oriuntur, quibus Deus vel videtur mundis obtutibus, vel tenetur. Quas profecto nullus perpetuo retentabit in quo adhuc aliquid carnalium vivit affectuum, quia « non poteris, ait Dominus, videre faciem meam : non enim videbit me homo et vivet (*Exod.* XXXIII, 20), » scilicet mundo huic affectibusque terrenis.

Habet ergo cibum suum et amictum anima, quæ illo summo bono adhæret, quod est divinum, quod apostolus Petrus suadet quærendum, ut per ejus cognitionis acquisitionem, divinæ simus consortes naturæ. Hujus cognitionem aperit sanctis suis Deus bonus, et donat de thesauro suo bono, sicut testificatur lex sacra dicens, « quia juravit Dominus patribus ejus dare tibi et aperire thesaurum suum bonum, de quo thesauro cœlesti dat pluviam terræ suæ, benedicere omnia opera manuum suarum (*Deut.* XVIII). » Hæc est pluvia eloquium legis quod irrorat animam illam fecundam et fertilem bonorum operum, ut habeat humorem gratiæ : hujus boni cognitionem quærebat David, sicut ipse significat dicens : « Unam petivi a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ et videam delectationes Domini et considerem templum ejus (*Psal.* XXVI, 4). » Denique hoc esse summum bonum subtexuit statim in eodem psalmo : « Credo videre bona Domini in terra viventium (*Ibid.*). » Hic enim quæritur, illic facie ad faciem plene videtur, hoc bonum in domo Dei est, in illo utique secreto ejus ac recessu; unde iterum ait : « Replebimur in bonis domus tuæ (*Psal.* LXIV, 6), » alibi quoque hanc summam esse benedictionis expressit dicens : « Benedicat te Dominus ex Sion, et videas quæ bona sunt Jerusalem (*Psal.* CXXVII, 5) : » ideo beatus qui illic habitat in gressu fidei hospitioque mentis, devotionis habitaculo, conversatione virtutis. In illo igitur simul atque in eo maneamus de quo et Isaias dicit : « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! (*Isa.* LII, 7; *Rom.* X, 15.) » qui sunt qui evangelizant nisi Petrus? nisi Paulus? nisi omnes Apostoli? Quid evangelizant bonis, nisi Dominum Jesum? hic est pax nostra, hic est bonum illud summum, quia ipse bonus ex bono, ex arbore enim bona bonus fructus legitur. Denique et Spiritus ejus bonus, qui ex ipso accipit et deducit Dei servulos in viam rectam; quis autem habens Spiritum Dei in se neget bonum, cum ipse dicat : « An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum (*Matth.* VI, 23)? » Hoc bonum veniat in animam nostram, in nostræ mentis viscera, quod propitius Deus dat petentibus se, hic est thesaurus noster, hic est via nostra, hic est sapientia nostra, justitia nostra, pastor noster, et pastor bonus, hic est vita nostra, vides quanta bona, in uno bono, hæc bona nobis prædicant evangelistæ, hæc bona requirens David ait : « Quis ostendit nobis bona (*Psal.* IV, 6)? » et ostendit ipsum esse bona subjiciens : « Signatum est in nobis lumen vultus tui, » quis autem lumen vultus Patris, nisi splendor gloriæ, et imago invisibilis Dei? in quo et videtur et clarificatur Pater, sicut ipse clarificat Filium suum. Ipse est ergo Dominus Jesus bonum summum quod nobis annuntiatum a prophetis, prædicatum ab angelis, promissum a Patre, evangelizatum est ab apostolis; qui nobis tanquam maturitas advenit, nec solum tanquam maturitas advenit, sed tanquam maturitas in mentibus adest, ut nihil acerbum, nihil immaturum in nostris consiliis sit, nihil immite, nihil asperum in operibus ac moribus, qui primus evangelizans bona adfuit; unde et ait : « Ipse qui loquebar, adsum (*Isa.* LII, 6), » id est, qui loquebar in prophetis, adsum in corpore quod suscepi ex Virgine : adsum interior imago Dei, character substantiæ, et adsum ut homo, sed quis cognoscit me, hominem enim viderunt : sed operibus supra hominem crediderunt. An non ut homo, cum Lazarum fleret, et rursus supra hominem, cum eum resuscitaret? an non ut homo cum vapularet : rursus supra hominem, cum totius mundi peccatum tolleret? Ad illum igitur properemus in quo summum est bonum, quoniam ipse est bonitas, ipse patientia Israel, qui ad pœnitentiam te vocat ne venias in judicium, sed accipias peccatorum remissionem. « Agite, inquit, pœnitentiam (*Matth.* III, 2). » Ipse est de quo clamat Amos propheta : « Exquirite bonum, » ipse est summum bonum, qui nullius indiget, et abundat omnibus. Facile abundat in quo plenitudo divinitatis habitat corporaliter, facile abundat de cujus plenitudine omnes accepimus et in illo repleti sumus, dicit Evangelista. Hoc igitur verum et summum bonum, sicut illo concupiscibili suo et delectabili anima gustaverit, et duabus his hauserit affectionibus, excludens dolorem et formidinem, incredibiliter exæstuat, osculata enim verbum Dei modum non capit, nec expletur, dicens : « Suavis es, Domine, et in jucunditate tua doce me justificationes tuas (*Psal.* XCIX, 5); » osculata Dei verbum concupiscit super omnem decorem, diligit super omnem lætitiam, delectatur super omnia aromata, cupit frequenter videre, sæpe intendere, cupit attrahi ut sequi possit : « Unguentum, inquit, exinanitum est, nomen tuum, propterea te diligimus adolescentulæ, propterea certamus, sed comprehendere te non possumus, attrahe nos ut possimus currere, ut unguentorum tuorum odore accipiamus virtutem sequendi. » Festinat etiam inter mysteria videre ipsam requiem verbi, ipsam boni illius summi habitationem et lucem ejus et claritatem, in illo sinu ac recessu patrio festinat audire sermones ejus, et cum au-

Digitized by Google

dierit, super omnem suavitatem accipit. Doceat te propheta, qui gustavit et ait : « Quam dulcia faucibus meis verba tua super mel et favum ori meo (*Psal.* CXVIII, 103). » Quid enim aliud desideret anima, quæ semel suavitatem verbi gustaverit, quæ semel claritatem ejus viderit ? Moyses in monte positus quadraginta diebus, legem accipiens cibum corporis non requirebat, Elias ad illam festinans requiem rogabat ut acciperetur a se anima sua, Petrus aspiciens et ipse in monte Dominicæ resurrectionis gloriam, nolebat descendere, dicens : « Domine, bonum est nos hic esse (*Marc.* IX, 5). » Quanta igitur illa divinæ substantiæ gloria ! quanta verbi bona in quæ concupiscunt et angeli prospicere ! Anima igitur quæ illud videt, corpus hoc non requirit, minimamque sibi familiaritatem cum eo debere esse intelligit, renuntiat se Deo, abducit se a vinculis carnis, exuit omnibus voluptatum istarum nexibus. Denique Stephanus Jesum videbat, et lapidari non formidabat, imo cum lapidaretur non pro se, sed pro illis a quibus perimebatur, rogabat; Paulus quoque raptus usque ad tertium cœlum utrum cum corpore esset an sine corpore nesciebat, raptus, inquam, in paradisum, usum proprium jam non sentiebat corporis, et audiens verba Dei, quomodo ad corporis infirmitates descenderet erubescebat; itaque sciens quid vidisset in paradiso vel quid audisset, clamabat dicens : « Quid adhuc velut viventes de hoc mundo decernitis, ne tetigeritis, ne attaminaveritis, ne gustaveritis quæ sunt omnia ad corruptelam ipso usu (*Col.* II, 21), » volebat enim nos in figura esse istius mundi, non in possessione atque usu, ut ita utamur hoc mundo tanquam non utamur, tanquam prætereuntes, non tanquam residentes, ambulantes tanquam in imagine sæculi non in cupiditate, ut velocissima disputatione ipsam imaginem hujus mundi transeamus : denique ipse fide ambulans, non specie peregrinabatur a corpore, aderat Deo, et cum esset in terris, non in terrenis sed in cœlestibus conversabatur : ergo anima nostra, quæ Deo vult appropinquare, elevet se a corpore, semper illi summo adhæreat bono, quod est divinum, quod est semper, et quod erat ab initio, et quod erat apud Deum, hoc est, Dei Verbum. Ipsum est illud divinum in quo vivimus et sumus et movemur, ipsum est, quod erat in principio, ipsum est, quod est, « Dei enim Filius Jesus Christus, in vobis, inquit, est, in quo non fuit Est et non, sed Est in illo fuit. » Ipse dixit Moysi ut diceret, « qui est misit me. » Cum hoc igitur anima nostra sit, et sit, si fieri potest, semper, ut et nostrum possit quis dicere, « anima mea in manibus tuis semper » erit, aut si non in carne sit, sed in spiritu erit, si se terrenis non misceat, cum enim ad carnalia reflectitur, tunc ei illecebra obrepit corporis, tunc ira et indignatione exæstuat, tunc mœstitia afficitur, tunc supinatur per arrogantiam, tunc dolore affligitur; hæ sunt ægritudines animæ graves, quibus plerumque ad mortem cogitur, dum oculi ejus cæcantur, ut non videant vere lumen gloriæ et divitias æternæ hæreditatis, quod si eos ad Deum semper intendat, accipiet a Christo fulgorem sapientiæ, ut illuminatum in agnitione habeat obtutum, ut videat illam spem nostræ vocationis, aspiciat illud quod est bonum et perfectum et placitum, quod enim bonum complacitum Patri, quod complacitum perfectum, sicut habes in Evangelio ubi dicit Dominus : « Diligite inimicos vestros, ut imitemini Patrem qui pluit super justos et injustos (*Matth.* V, 44), » quod est utique bonitatis, et postea concludit dicens : « Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est (*Ibid.*, *v.* 48), » charitas enim perfecta est, denique plenitudo legis est : quid autem tam bonum quam charitas, quæ malum non cogitat, et ideo terras fugito, in quibus invidia est, ubi ambitio, ubi contentio; boni ergo illius capacem se anima tua præbeat, ut supra nubes volet, sicut aquila, renovetur sicut aquila, pennas emittat, ut renovatis alarum remigiis, alta petere non reformidet, hanc habitationem relinquat, terrenum enim habitaculum gravat animam, exuat vetera, abjiciat erroris desideria, abluat oculos suos, ut videat illum fontem veræ sapientiæ, illum fontem vitæ æternæ : affluit atque exundat omnibus, nullius indigens, quis enim dedit illi cum ex ipso et per ipsum, et in ipso omnia sint ? Vitæ igitur fons est summum illud bonum, ex quo vivendi substantia ministratur omnibus, ipsum autem in se habet vitam manentem, a nullo quasi inops accipit, largitur bona aliis, non aliunde adsunt sibi. Neque enim indiget nostri, unde et ait ex persona hominis : « Quoniam bonorum meorum non indiges (*Ps.* XV, 2); quid ergo pulchrius quam ei appropinquare, ei adhærere ? quæ major voluptas est ? quod is qui viderit et de fonte aquæ vivæ gratis gustaverit, quid potest aliud desiderare ? quæ regna, quas potestates, quam pecuniam, cum advertat, quam miseræ etiam hic regum conditiones sint, quam mutabiles imperii status, quam exigua vitæ hujus spatia, quanta in ipso imperio servitia, cum ad aliorum non ad suum vivant arbitrium ? quis autem peculiatus ad vitam æternam transit, nisi virtutum fultus peculio, quod receptum omnibus solis divitibus impossibile pronuntiatur ? Non igitur his uti beatum est, sed illud videre, quo ista despicias, et vana vero refellas atque inania et cassa judices; illam nudæ veritatis pulchritudinem diligas, quæ has sæculi fugosissimas vanitates redarguat : erige igitur oculos, anima, tuos, illos oculos, de quibus tibi verbum Dei dicit : « Corde nos cœpisti, soror mea sponsa (*Cant.* IV, 9), » corde nos cœpisti uno ab oculis tuis. Ascende in palmam, vince sæculum, ut teneas verbi altitudinem ; imaginem istam mundi foris relinque, foris malitiam, introduc autem mentis bonitatem, quæ habet gratiam in ligno vitæ, si laverit stolam suam et ingrediatur in civitatem, quæ vera est patria sanctorum, in qua est Domini tabernaculum, circa quod scribæ Domini prætendunt, ubi non dies aut sol aut luna lumen ministrant, sed ipse Dominus lumen est, totum illam civitatem illuminans, est enim lux mundi, non utique lux visibilis, sed animarum,

Digitized by Google

quæ in hoc mundo sunt intelligibilis claritudo, quibus se splendenti lumine rationabilis infundit prudentia, quæ prædicatur in Evangelio « in corpore virtutis, inflammans vapore suo secreta mentium, animorumque penetralia. » Si quis igitur incola esse cœperit illius civitatis supernæ, incola videlicet conversatione ac moribus, non discedat, non abeat, non exeat, non reflectat vestigium non corporis dico, sed mentis dico vestigium, non revertatur retro : retro luxuria, retro impuritas est ; denique ascendens ad montem Loth, retro reliquit Sodomitaria flagitia, quæ autem respexit retro, non potuit ad superiora evadere ; non ergo pedes tui retro, sed mores non revertantur, non fiant manus tuæ remissæ, et devotionis tuæ ac fidei genua dissoluta, non fiat voluntatis tuæ recidiva infirmitas, non ullus intercursus criminum, sed ingressus es, mane, pervenisti, consiste, salvans salva animam tuam, ascendens directum, attolle gradum, nullus inde tute sedit [*Forte leg.* discedit], hinc via, inde ruina est, hinc ascensus, inde præcipitium, ascendendi quidem labor, sed descendendi periculum, sed potens est Dominus, qui te fundatum illic custodiat, septum Propheticis muris et apostolicis turribus, ideo tibi dicit Dominus : « Intrate, calcate, quia assistit vindemia, intus non foris simus, » et in Evangelio Dei Filius dicit : « Qui e t in tecto, non descendat vasa sua tollere (*Matth.* xxiv, 17) » ; non utique de hoc tecto dicitur, sed de illo : Extendit cœlum sicut cameram ; intus ergo esto, intra Jerusalem, intra animam tuam pacificam, mitem atque tranquillam ; non exeas de ea, neque descendas, vas tuum istud, aut honoribus, aut divitiis, aut arrogantia attollere, intus esto ut per te alienigenæ non transeant, peccata animam tuam non transeant, vanæ operationes et cogitationes inanes non transeant, si autem sanctificaberis [*Forte leg.* sanctificaveris] bellum pro devotionis et fidei certamine, pro veritatis studio, adversus passionum illecebras, et sumpseris arma Dei adversum spiritales nequitias et astutiam diaboli, qui pertentat sensus nostros fraude ac dolo, quem mansuetus bellator facile poterit, qui non serat jurgia, sed sicut decet, servum Domini cum modestia fidem doceat, et eos qui adversantur redarguat, de hoc dicit Scriptura : Qui mansuetus est bellator exsurgat, et infirmus dicat : « Omnia possum in eo qui me confortat (*Phil.* iv, 13). » Hac fide fretus etiam qui infirmus est prævalebit, et erit sancta anima ejus, et stillabunt ei montes prophetici vel apostolici dulcedinem, et colles fluent lac (*Amos* ix, 13), qualis ille collis qui lactis potum Corinthiis dabat, et fluent ei « aquæ de suis vasis, et puteorum suorum fontibus, vel de ventre ejus aquæ vivæ, » spiritales videlicet quas fidelibus suis Spiritus sanctus ministrat, qui etiam animam tuam dignetur rigare, « ut abundet in te fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* iv, 14). »

LIBER TERTIUS.

DE MODO PŒNITENTIÆ.

CAP. I. — *De vera pœnitentia.*

Cum maximum bonum sit ut homo semetipsum humilians conditori suo se per omnia subdat, et præceptis eis obediens non in semetipso fiduciam habeat, sed firmiter in Dei bonitate confidat, et quidquid se meminerit nequiter egisse, per confessionem sacerdoti patefaciat, et pro hoc ipso pœnitentiam condignam gerat, sperans in misericordia opificis sui quod ipse, qui eum ex nihilo condidit, potens est post lapsum rursum recuperare, et de peccatore justum facere, atque æterni regni simul cum sanctis angelis suis participem efficere, proh dolor! multi sunt qui peccare non metuunt, et usque ad terminum pene vitæ suæ, in peccatis vivere non cessant, sibimet periculo se blandientes atque dicentes : Misericordia Dei magna est, et licet omnes dies vitæ meæ in peccatis ducam et juxta obitum meum tandem confessus fuero peccata mea, et pœnitentiam accipiam, continuo salvus ero, quia nesciunt utrum eis unius diei spatium super terram vivere concedatur. Alii autem post commissum multorum scelerum semetipsos desperantes, et de bonitate Dei diffidentes, aiunt se, si post baptismi perceptionem sordibus vitiorum polluerint, nequaquam in pristinum statum recuperari posse, et integram veniam promereri. Sed quia iste error late se sparsit, et in multis locis magis magisque inolevit, dignum esse videtur mihi, ut ad hunc abolendum, canonicas sententias et orthodoxorum Patrum dicta in unum volumen congeram, et quid sancti Patres inde censuerint credendum, et quid ego inde sentiam patefaciam. Nam sanctorum prophetarum dicta, licet in aliquibus sententiis peccantibus pœnas minentur, tamen manifeste conversis a peccatis, et vere pœnitentiam agentibus spem veniæ dant, et remissionem peccatorum illis prædicant, unde et ipse Dominus in mundum veniens et sine peccato per virginem natus peccatores ad se convocare dignatus est, statim in initio prædicationis suæ, sicut Matthæus evangelista testatur, eadem verba quæ præcursor suus Joannes videlicet Baptista in deserto Judææ docendo ante protulerat, ipse prædicabat, de quo scriptum est : « Cum audisset Jesus quod Joannes traditus est, cœpit prædicare et dicere : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* iii, 2) ; » si enim ille peccatoribus digne pro peccatis suis pœnitentiam agentibus ignoscere nollet, nequaquam eos agere pœnitentiam juberet, bene ergo per Salvatorem pœnitentibus appropinquare regnum cœlorum dicitur, quia per ipsum de imis ad alta sublevamur, appropinquabit enim vere tunc pœnitentibus regnum cœlorum, cum Salvator noster in suo adventu omnibus quicunque per pœnitentiam priscis erroribus abrenuntiantes ad ejus fidem et baptismum confugerunt, vitam promisit æternam, « quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* i, 12), » ac-

Digitized by Google

propinquat etiam et nunc, quia ipse discipulis suis post resurrectionem suam jussit prædicare in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, « Et ecce, ait, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Necesse est enim unicuique qui se peccatorem et reum esse cognoscit, ut cum pœnitentiæ sibimet remedio subveniat, nec differat de die in diem converti in melius, sed dum vacat et in hac vita subsistit, studeat magis operibus bonis curam impendere, quam negligentiæ desidia torpere, docente hoc Scriptura atque dicente : « Ne adjicias peccatum super peccatum et dicas : « Misericordia Dei multa est; quoniam misericordia et ira ab illo est (*Eccli.* v, 6, 7). »

CAP. II. — *De recte viventibus.*

Certus sum enim quia homo baptizatus, si vitam, non audeo dicere absque peccato, quis enim sine peccato? sed vitam sine crimine duxerit, et alia peccata habuerit, quæ quotidie ei dimittuntur in oratione dicenti : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, » si faciat quod sibi a Deo cupit fieri, quando dum finierit, vitam non finit, sed transit de vita ad vitam, de laboriosa ad quietam, de misera ad beatam, de temporali ad æternam, sive iste voluntate sua currat ad baptismum, et sive in periculo constitutus baptizetur ut transeat, ad Dominum vadit, ad requiem vadit; qui autem baptizatus postea desertor violatorque sacramenti fuerit et peccans Dominum repellit a se, si agat pœnitentiam ex toto corde, et si agat veram pœnitentiam, ubi videt quod vidit cor David, quando increpatus a propheta graviter, et post comminationes terribiles, Dei exclamavit dicens : « Peccavi, » et mox exaudivit : « Dominus abstulit peccatum tuum, non peribis. » Enim [*Forte*, enimvero] quantum valet hæc vox, tres syllabæ sunt, « peccavi, » sed in his tribus syllabis flamma sacrificii cordis ejus ad cœlum ascendit; ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, et solutus fuerit a ligamento, quo erat constructus et bene post pœnitentiam vixerit, post reconciliationem cum defunctus fuerit ad Dominum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non privabitur, a populo diaboli serabitur [*Forte leg.* separabitur].

CAP. III. — *De sero conversis.*

Quisquis autem positus in ultima necessitate ægritudinis suæ, acceperit pœnitentiam et mox reconciliatus fuerit, et transierit de corpore, fateor, non illi nego quod petit, sed nec præsumo dicere quia bene hinc exiit, non præsumo, non polliceor, non dico, neminem fallo, neminem decipio, non penitus promittitur. Fidelis bene vivens, securus de hoc sæculo migrat, si agit pœnitentiam, dum sanus est, et reconciliatus postea bene vixerit; sed dicit aliquis, Quid est bene vixerit? vel hoc nos instrue, sacerdos bone, ut sciamus illud, nescire te dicis quia is qui accepta pœnitentia ad horam transit, si remittat illi facinora sua, si relaxet illi Deus peccata ipsius in die judicii, hinc nullam servitutem nobis das, vel quomodo bene vivere post pœnitentiam debeamus, docere nos debes. Dico ergo, abstinere ab ebrietate, a concupiscentia, a furto, a maliloquio, ab ipso immoderato risu, a verbo otioso, unde reddituri sunt homines rationem in die judicii, ecce quam levia dixi, et omnia illa gravia et pestifera, et aliud dico : non solum post pœnitentiam, ab ipsis vitiis se homo servare debet, sed et ante pœnitentiam, dum sanus est, quia nescit si ipsam pœnitentiam possit accipere et confiteri Deo et sacerdoti peccata sua, ecce quare dixi : Et ante pœnitentiam bene vivendum est, et post pœnitentiam melius, agens vero pœnitentiam ad ultimum et reconciliatus exierit de corpore, si securus hinc exit ego nescio, pœnitentiam dare possum, securitatem autem dare non possum : quod dicturus sum, attendite, habeo planius exponere ne aliquis me male intelligat.

Nunquid dico damnabitur? sed nec dico, quia liberabitur, et quid mihi dicis, sancte episcope? quid tibi dicam nescio, jam dixi, non præsumo, non promitto, prorsus nescio de Dei voluntate. Vis autem, frater, te a dubio liberari, vis quod incertum est evadere, pœnitentiam age dum sanus es; si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es, et invenerit te novissimus dies, curritur ut reconcilieris, si sic agis, securus es : quare securus es? vis dico tibi? quia egisti pœnitentiam eo tempore quo peccare potuisti, ecce dixi tibi quare securus es; si autem tunc vis agere ipsam pœnitentiam quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu peccata, sed respondet aliquis, Unde scis, si forte Deus misereatur et dimittat mihi peccata mea? Verum dicis, frater, verum dicis, unde scio, et ideo tibi do pœnitentiam quia nescio, ut tu inquis, ergo dimitte causam meam Domino, quid me tum verbis affligis, et judici me Deo dimittis? illius judicio te committo, cujus judicio me commendo : nam si scirem nihil tibi prodesse pœnitentiam, non tibi eam darem. Iterum si scirem tibi prodesse, non te terrerem. Duæ res sunt, aut ignoscitur tibi, aut non tibi ignoscitur, quid horum tibi futurum sit ego ignoro, sed consilium do, dimitte incertum, et tene certum, et dum vivis, dum sanus es, age pœnitentiam veram, ut cum veneris in judicium Dei, non ab eo confundaris, sed in regnum cœleste inducaris. Hæc de iis qui pœnitentiam, dum tempus opportunum habent, agere dissimulant, ut non usque ad vitæ terminum eam protelent, admonitionis verba prolata sufficiant; nunc de his qui nolunt agere pœnitentiam, sed de salute penitus desperant, restat ut orthodoxorum Patrum documenta ad eorum correctionem replicemus.

CAP. IV. — *Quod non sit desperandum de Dei bonitate.*

Non debes ergo, o homo, diffidere Deo, et de misericordia ejus desperare; nolo dubites, neque desperes mutari te posse in melius : si enim tantum potuit diabolus, ut a celsis virtutum vestigiis in profundum te duceret malorum, quanto magis poterit Deus ad summum te bonorum verticem revocare, et

Digitized by Google

non solum in id restituere quod fuisti, sed et beatiorem multo quam prius videbaris efficere? Neque enim tantum concedas animo, nec bonorum quæso spem tibi abscondas, ne accidat tibi quod impiis solet, non enim multitudo peccatorum in desperationem inducit animam, sed impietas, et propterea Salomon dixit quia « omnis qui venerit in profundum malorum, contemnit (*Prov.* XVIII, 3). » Impiorum ergo est desperare salutem et contemnere, cum in profundum malorum venerint peccatorum. Impietas enim non sinit eos ad Dominum respicere, et illuc redire unde delapsi sunt. Ista ergo cogitatio, quæ spem conversionis abscidit, ab impietate descendit, et sicut lapis gravissimus cervicibus animæ incumbens, semper eam cogit deorsum in terram aspicere, ad Dominum vero suum non sinit oculos allevare; sed virilis animi est et præclaræ mentis dejicere a cervicibus animæ suæ pondus inimicissimum, imo deprimentem se abjicere diabolum, et imperare animæ suæ, ut canens verba prophetica dicat ad Dominum : « Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis. Miserere nobis, Domine, miserere nobis, quia multum repleti sumus despectione (*Psal.* CXXII, 2). » Præclara vere in his verbis et cœlestis philosophiæ doctrina est : « Repleti, inquit, sumus despectione, » hoc est quod docere nos voluit, quia etsi pro peccatorum nostrorum multitudine repleti sumus despectione atque opprobriis operti sumus, oculi nostri tamen ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nobis, nec prius ab obsecratione cessemus, quam impetrare peccatorum nostrorum veniam mereamur. Hoc enim vere est constantis animæ et pertinacis, ut nequaquam repellatur a perseverantia deposcendi desperatione impetrandi, sed perseveret ac persistat in precibus donec ei misereatur Deus, et ne forte arbitreris te offensam magis contrahere apud Dominum, si cum non merearis audiri importunius persistas in precibus, recordare Evangelii parabolam, et ibi invenies quod perseverantes et importunos precatores Dominus non sibi ostendit ingratos, ait enim : « Et si non dabit propter amicitiam, tamen propter importunitatem ejus surget, et dabit ei quantum opus habet. » Intellige ergo, charissime, quia propterea diabolus desperationem subjicit impetrandi, ut spem nobis Dei bonitatis abscindat, quæ est salutis nostræ anchora, et vitæ nostræ fundamentum, dux itineris, quo itur ad cœlum, denique Apostolus ait : « Spe autem salvi facti sumus (*Rom.* VIII, 24), » spes ergo est, in qua salus nostra consistit, et quæ de terris animas velut quibusdam catenis cœlitus dependentibus innexas sibi evehit ad superna, et revocat ad sedes cœlestes eos qui sibi vehementius inhærent, celsioresque eos vitæ hujus ac terrenorum malorum turbinibus reddet; si quis ergo inter hæc positus resolvatur animus, et salutaris spei anchoram dimittat e manibus, decidat necesse est in abyssum, atque in profundum malorum enecetur, quod cum senserit inimicus, et viderit nos peccatorum nostrorum multitudinem perhorrescentes, increpationibus etiam ipsius conscientiæ deterreri, accedit et ipse, et cogitationes nobis subjicit desperandi plumbo omni et omni arena graviores, quas si receperimus, necesse est nos statim pondere ipso abruptis salutis nostræ retinaculis in profundum demergi malorum, scimus enim plures et ex nostris temporibus, et memoria majorum prolapsos ab itinere recto, et præcipitatos ab ingressu viæ angustæ, ita rursus esse reparatos, ut posterioribus priora transierint, atque ad palmam pervenerint, et coronam, numeroque rursus ac choro scripti creduntur esse sanctorum, sed donec quis permanet in ipsa adhuc flamma ac fornace libidinis, hæc ei impossibilia videntur, etiamsi mille provocetur exemplis; si vero cœperit fieri vel parva conversio, et initium dederit repetendi, paulatim procedens, et ad superiora referens pedem, illa quidem quæ vehementior erat flamma post tergum remanebit, ante pedes vero quanto acrius cœperit incedere, tanto omnia inveniet divini cujusdam roris sopita refrigerio, tantum est ut unum quod præcipue inimicum est saluti huic caveamus.

CAP. V. — *Quam periculosa sit desperatio*

Inimica est autem conversioni et pœnitentiæ desperatio, quæ si insederit menti, quantumcumque sit salutis desiderium, quamvis grande sit salvandi propositum, desperatione occurrente, omnis salutis aditus obstruetur; interjecta enim pœnitentiæ via, clauditur pariter et agonis ingressus, et quomodo jam poterit qui extra viam est et cui ostium clauditur boni aliquid operis implere, cum ad bonorum non veniat ingressum, desperatione prohibente? Propter hoc et diabolus omnibus modis molitur hujusmodi cogitationes plantare in cordibus nostris; si enim nos desperationis metus procul a via virtutis effecerit, nullum ei adversum nos certamen ultra remanebit, quem enim impugnet cum nullus obsistat? si quis autem istud resolvere poterit vinculum, continuo vires suæ redeunt ad eum, incalescit vigor animi, delectabitur in suis certamina rursus instaurare : videbit enim refugare eum se quem fugiebat, et persequi persequentem; quod et si forte, ut se conditio habet agonis, rursum labitur ut cadat, non continuo lapsus sui pudore desperare iterum debet, sed meminerit hanc esse agonis et certaminum legem, non ut nunquam quis cadat, sed ut nunquam quis cedat : quia non ille qui sæpe cecidit victus dicitur, sed ille qui ad ultimum cessit, nam qui desperationis cogitationibus victus est, quomodo vel vires reparare certandi, ve. resistere et pugnare potest cum fugiat, nec omnino redeat ad certamen? Et ego nolo quia tu putes quia de his mihi sermo sit tantum qui in paucis et levibus peccaverunt, sed de illo loquor qui omnibus succumbit malis, qui immanitate scelerum viam sibi excluserit regni cœlorum, et non de infidelibus sed de fidelibus fuerit, et

Digitized by Google

ex his qui prius placuerit Deo, post hæc autem deciderit vel in adulteria, vel in omnes impudicitias, quæ, ut Apostolus ait, turpe est etiam dicere, nec hunc ergo dico salutem desperare debere, etiamsi ad ultimam hujus modi malis obsessus usque pervenerit senectutem, sed quæ sit ratio dicti hujus ausculta : Si ira Dei passibilis esset affectu, recte diceremus non posse jam restingui flammam, quæ tot ac tantis peccatorum succensa sit malis. Cum vero impassibilem esse naturam divinam definitio veritatis ostendat, intelligere debemus quia etiamsi punit Deus, etiamsi pœnas infert, non hoc cum ira passibili, sed cum ineffabili clementia facit medentis non perimentis affectu, et ideo valde libenter pœnitere debemus, pœnitentiæ enim medicamentum si præveniens curet animam, non facit eam ad medicamenta iracundiæ pervenire, pro his quæ commisit in Deum. Non enim, ut diximus, propter semetipsum vindicat Deus in peccatorem quasi ulciscens injuriam suam, nihil enim tale recipit in se natura divina, sed ad utilitatem nostram, facit omnia pro utilitate nostra, et correptiones inducit et pœnas, non ut se vindicet, sed ut nos emendet; quod si persistat quis in duritia, sicut ille qui avertit oculos suos a luce, damnum quidem luci nullum intulit, semetipsum vero tenebris condemnavit : ita et qui per cor impœnitens contemnere se putat virtutem Dei, semetipsum alienum efficit a salute. Quod si medicus ab his qui vel phrenesim patiuntur, vel cerebro moti sunt, patitur injurias, neque dolet pro hoc, neque irascitur, sed facit omnia quæ medendi ratio deposcit, quibus cruciari quidem videatur ille qui patitur. Porro cruciatus ipse non est injuriarum vindicta, sed cura languentis, denique si parvum quid æger proficere cœperit ad salutem, statim vides gaudere medicum, lætari usque et alacrius exsequi reliquam curam, nec usquam prorsus injuriarum meminit, sed salutis in omnibus gerere prospectum ; quanto magis Deus etiam cum ad ultimam insaniam deciderimus, non ultionis affectu, pro his quæ commisimus movetur in nos, sed cupiens visceribus nostris inveteratos vitiorum curare languores, pro hoc et docet omnia, et agit, cupidus sanitatis nostræ, non pœnæ; sed quod quamvis ratio ipsa pietatis sufficienter ostendat, tamen ne tibi de hujusmodi sententia dubitatio ulla videatur, possumus hæc etiam ex divinis Scripturis, quod ita se habeant edocere.

Cap. VI. — *Testimonia Scripturæ sacræ et exempla pœnitentium inde prolata.*

Dic enim mihi quid sceleratius fuit rege Babyloniæ, qui cum in multos expertus esset potentiam Domini, ita ut prophetam ejus adoraret, et juberet ei thus et myrrham immolari, rursus tamen ad priorem adversus Deum superbiam devolutus est, et eos qui imaginem ejus adorare noluerunt, præferentes venerationem Dei, vinctos in fornacem dejecit ignis ardentis : et tamen hunc tam immanem, tam impium provocat Deus ad pœnitentiam et dat ei convertendi materias. Primo quidem ex hoc ipso quod ei in fornace ignis tribus pueris sociatus apparuit, tum deinde, quod visionem videt illam quam interpretatus est Daniel ; quæ vel sola sufficeret etiam lapidea corda mollire, sed postquam rebus admonitus est, accessit etiam sermonum per prophetiam cohortatio, accepit enim et prophetæ consilium dicentis : « Propterea, o rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordia pauperum : fortasse erit patientia inde votis tuis (*Dan.* IV, 24). » Quid dicis ad hæc, vir sapiens et beate, et post tantos lapsus adhuc redditus est, mihi crede, quia et post gravissimam ægritudinem, atque ab ipso pene mortis confinio redit sanitas et post desperatam insaniem multi resipiscunt. Ecce enim, ut supra memoravimus, rex iste Babylonius omnes jam sibi aditus salutis exclusérat, per id quod exacerbavit Deum, qui se fecit, et ad fastigia regni celsa perduxit, qui sibi cœlestia etiam mysteria revelavit, qui futurorum quoque scientiam dedit et regni totius arcana reseravit, qui magicas, astronomicas, Gazarenas, Chaldaicasque præstigias prophetæ sui divina interpretatione confudit, et ineffabile sacramentum captivi pueri sapientissima discretione patefecit, ita ut non solum credere summo Deo videretur, sed in omni orbe Deum Danielis Deum verum esse prædicaret, et non solum hunc ipsum negavit posthæc, sed et in tantam rursus insaniam devolutus est, ut servos Dei qui non adorarent imaginem suam in fornacem præcipitaret ignis ardentis, et tamen ne ibi quidem curæ et remedii ejus obliviscitur divina miseratio, sed in ipso, ut diximus, ignis medio, ubi flammis tradiderat pueros Deum colentes, etiam ibi eum non terroribus, sed mirabilibus mitigat, potuerat enim et ignem restinguere, et imbres cœlitus inundare, sed hoc non facit ne plus accendat insaniam, sed permittit intantum exaggerari flammam, quantum furentis desiderabat immanitas, et non solum inferri pœnas non prohibet, sed illatis potestatem perimit cruciandi, et ne quis videns non uri pueros, putaret phantasma esse flammas, permisit exuri pœnarum ministros, eos scilicet qui circa fornacem stabant, ut ostenderet quia vere ignis erat, qui videbatur ; sed erat præceptum Domini ignis virtute validius, omne enim quod est, necessario famulatur ei a quo ut esset accepit originem, suscipit ignis ergo ille corpora sanctorum, et præcepto ac voluntate Dei naturæ qua urit oblitus, solam ejus partem qua illuminat operatus est, ita ut sanctos ac fideles depositos non corruptos redderet, sed illustratos; processerunt enim de fornace ignis tanquam de aula regali mirandi omnibus et omnibus venerandi; tunc nullus oculos suos ad regem convertit, purpura et diademate refulgentem, sed relictus est a cunctis tanquam si non esset, quia omnium in se mirabiles pueri rapuere conspectus : quis enim non ista stuperet ad corpora juvenum pavisse flammas et non solum viscera refugisse sanctorum, verum etiam ne capitis quidem comam, quod

Digitized by Google

est omnium fragilius, aut summam saltem vestimenti fimbriam præstrinxisse? quis non miretur in eis membra montibus, vestimenta metallis, capillos adamante fortiores? sed in eo admirationis cumulus crescit, quod in medio flammarum positi, hymnum Deo canebant, cum utique notum sit eos qui flammis traduntur, statim ut os aperuerint consumi, et illi quidem beati pueri manent apud Deum gloriosi et apud homines mirabiles, rex vero impius, nec mirabilibus movetur, nec visionis et confusionis suæ sacramenta miratur, sed permanet incredulus, nec tamen punitur, neque enim vincitur in eo patientia Dei, sed tempore plurimo sustentatum, vix aliquando corripuit, non præterita puniens, sed emendationem prospiciens in futuris, denique non in perpetuum damnatur, sed parvo tempore correptus, annis paucissimis emendatus ad priorem rursus reducitur statum, ita ut damni nihil pateretur ex pœna, lucri autem plurimum ex emendatione conquireret. Talis, mihi crede, et talis est erga homines pietas Dei, nunquam spernit pœnitentiam, si ei sincere et fideliter offertur, etiamsi ad summum quis perveniat malorum, et inde tamen vellet reverti ad virtutis viam, suscipit libenter et amplectitur, facit omnia quatenus eum ad priorem revocet statum; quodque est adhuc præstantius et eminentius, etiamsi non potuerit quis explere omnem satisfaciendi ordinem, quantulamcunque tamen et quamlibet brevis temporis gestam non respuit pœnitentiam, suscipit etiam ipsam, nec patitur quamvis exiguæ conversionis perire mercedem.

Cap. VII. — *De Isaia.*

Hoc enim mihi indicare videtur Isaias, ubi de populo Judæorum talia quædam dicit: « Propter peccatum modicum contristavi eum, et percussi eum, et averti faciem meam ab eo, et contristatus est, et ambulavit tristis coram me, ego vidi et sanavi eum, et consolatus sum eum (*Isa.* LVII, 18). » Evidentius nobis testimonium dabit etiam rex ille impius, qui cupiditatis quidem suæ prædam uxoris nequitia quæsivit, sed et perturbatus ipsius sceleris immanitate pœnituit, et cilicio circumdatus facinus suum flevit, atque ita erga se Dei misericordiam provocavit, ut cunctis eum absolveret malis, sic enim ait: « Et dixit ad Eliam: Vidisti quomodo compunctus est Achab a facie mea, et quia flevit in conspectu meo, non inducam mala in diebus ejus (*III Reg.* XXI, 29). » Sed et post hunc iterum Manasses qui omnes tyrannos immanitate scelerum superaverat, qui cultum divinæ religionis et observantiam legis everterat, qui templum Dei idolis repleverat cœlesti cultu evacuatum, hic ergo impietate scelerum supergrediens omnem malitiam, tamen, quia pœnituit, inter amicos Dei postmodum numeratus est. Quod si vel hi vel illi, quos supra memoravimus, considerantes immensitatem scelerum suorum, conversionis et pœnitentiæ reditum desperassent, ab omnibus utique bonis, quæ eos ex emendatione prosecuta sunt, procul dubio decidissent, quinimo respicientes ad ineffabiles miserationes Dei, et immensæ bonitatis ejus profundum quidem diabolica a cervicibus suis desperationis vincula solverunt, suscitantes vero semetipsos conversi sunt ad virtutis viam, et revocantes a præcipitio pedum suorum cursum rursum consummaverunt bonum.

Cap. VIII. — *De sententiis propheticis et exemplis evangelicis de conversione peccatorum.*

Hæc quidem de exemplis sunt nobis dicta sanctorum, audi nunc quomodo etiam sermonibus per prophetas ad conversionem invitamur a Domino: « Hodie, inquit, si audieritis vocem ejus, nolite obdurare corda vestra (*Psal.* XCIV, 8), quod autem dicit hodie, omne tempus, quo vivimus indicat, etiam usque ad ultimam, si res ita accidit, senectutem. Non enim temporis longitudine, sed affectus sinceritate pœnitudo pensatur. Aut non legimus levitas peccatum illud gravissimum in deserto non temporis longitudine, sed unius diei hora exigua diluisse? sed et latro ille qui pendebat in cruce, non eguit prolixitate temporis ut ingressum paradisi mereretur, sed tantum ei spatii sufficit quantum expendi potuit, donec unum possit proferre sermonem, ita ut intra momentum temporis totius vitæ sceleribus absolutus, præcedere ad paradisum etiam Apostolos mereretur. Quid autem et martyres! nonne frequenter una die, interdum vero et sub unius horæ spatio coronas sumpsere ingentium præmiorum? Et ideo audendum est tantummodo, et promptis atque incitatis animis aggrediendum, ut quadam velut indignatione permoti irascamur adversum deceptatricem nostram libidinem, et affectum atque amorem nostrum convertamus ad virtutem Dei, hoc est enim quod et poscit a nobis Deus, non quærit temporum longitudinem, nec afflictionem crucis, ad hoc præcipue respicit, si vera sit et sincera conversio, ideo denique vidimus aliquoties nonnullos cœpisse postremos et factos esse meritoriores, non ergo cecidisse ita malum est, ut post lapsum jacere et nolle consurgere, et cum quadam voluntate ac resolutione peccare, desperationisque sermonibus mali propositi vitium tegere, contra hos enim propheta cum quadam indignatione proclamabat dicens: « Nunquid qui cadit non resurget, aut qui aversus est, non convertetur (*Jer.* VIII, 4)? » quod si dicas, quæritur si aliquis fidelium cecidit et potuit reparari, audi, et hoc de ipso quod dicimus « cecidit, » stetisse eum, antequam caderet, profitemur. Nemo enim cecidisse dicit eum qui semper jacuit, et nunquam stetit, proferamus tamen etiam ex Scripturis divinis, si qua super hoc vel in parabolis vel per apertas sententias sunt, si qua etiam in majorum continentur exemplis. Quid tibi videtur aliud continere ovis illa, quæ cum a nonaginta novem ovibus aberrasset, requisita postmodum ac pastoris humeris reportata, nonne aperte et lapsum et reparationem fidelis ostendit, ovis enim est et ipsa, sicut et illæ nonaginta novem, et non alterius, sed unius, ejusdemque gregis, et unius

Digitized by Google

ejusdemque pastoris, ejusdem namque pascuis prius, quibus et illæ cæteræ, eisdem poculis, eisdemque cubilibus utebatur, sed erravit, et errore non minimo, per montes enim et colles evagata est, longe scilicet et difficilibus circumacta erroris anfractibus, nec tamen reliquit illam pastor bonus consumi in erroribus suis, sed requirit et revocat, revocat autem non violenter perurgens nec verberibus cogens, sed humeris propriis subvectans ; sicut enim optimi quique medicorum erga eos quos viderint tabe longæ ægritudinis afflictos in nonnullis rigorem temperant medicinæ et delicatius ac tenerius agunt cum eis, ita et Deus eos, quos videt vehementius peccatis esse corruptos, non districta satis et ardua observantiæ intentione revocat ad viam virtutis, sed sensim et paulatim, ita ut in quamplurimis sustentet, in plurimis sublevet, ne dura eis et ardua videatur repentina conversio, et non tam peccandi amore retracti residere videantur in erroribus, quam conversionis asperitate deterriti, sed non hæc sola pars pari moderatione nobis conversionis modum ostendit, verum et illa, quæ de luxuriosi filii reditu scribitur, et ille enim filius erat, non erat extraneus, germanus erat ejus qui nunquam a patre discesserat, filius ergo est, qui ad ultimos malorum fines dicitur pervenisse, abierat enim in regionem longinquam, et longe satis a Deo effectus, qui fuerat dives et nobilis, deterior servo et mercenario factus est, sed tamen regressus et pœnitens in antiquum recipitur statum, et in priorem gloriam reparatur; quod si desperasset, et erubuisset pro his, quæ acciderant ei, reverti ad patrem, sed mansisset in regione longinqua et aliena, non utique adeptus esset ea quæ adeptus est, sed fame periturus infelicissimam mortem subiisset. Vides ergo quanta est utilitas pœnitentiæ, quanta sit conversionis spes per pœnitentiam, filius prodigus recipit prioris gloriæ statum, quem senior frater habebat per patientiam, etsi audere in talibus fas est, videtur mihi quod ex conversione hic etiam amplius aliquid meruit ; vide enim quomodo senior frater dicit : « Ecce tot annis servio tibi, et nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer, cum autem venit filius tuus hic qui comedit substantiam tuam cum meretricibus, jugulasti et vitulum saginatum (*Luc.* xv, 29) ; » quomodo ergo non amplius consecutus videtur, qui per pœnitentiam rediit, cum ille hædum nunquam acceperit, vitulus huic occisus sit saginatus. Hæc igitur, charissimi, habentes exempla pœnitentiæ, non perseveremus in malis, nec desperemus reconciliationem, sed dicamus : nos etiam redeamus ad patrem, et approximemus nos Deo, nunquam, mihi crede, aversabitur conversos ad se, nos sumus, qui nosmetipsos longe effecimus a Deo; ipse enim dicit : « Deus approximans ego sum, » et non Deus de longe, et iterum per eumdem prophetam, « peccata, inquit, separant me et vos, » si ergo peccata sunt quæ nos separant a Deo, auferamus medium istud obstaculum, et nihil est quod nos prohibeat conjungi Deo. Vis tibi ostendam hæc non solum in parabolis dicta sed et rebus impleta? Apud Corinthios erat quidam vir, ut videtur, non ignobilis, hic commiserat tale peccatum, quale nec inter gentes quidem admitti solet, et erat hic ex numero filiorum et familiarum Dei, quidam enim eum ex sacerdotali ordine fuisse tradunt. Quid ergo? nunquid excidit eum Paulus de numero eorum qui spem gerunt salutis ? quinimo posteaquam sufficienter Corinthios arguit pro eo, volens rursus ostendere quia nullum vulnus est, nulla ægritudo quæ non cedat, et sanetur medicamento pœnitentiæ, jubet eum tradi Satanæ in interitum carnis ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi, sed hæc jubet antequam de pœnitentia ejus agnosceret ; ubi ergo pœnituit : « Sufficit, inquit, ei increpatio hæc quæ fit a pluribus ; » et addit : « Obsecro vos, confirmate in eum charitatem, ne possideatur a Satana ; non enim ignoramus astutias ejus (*II Cor.* II, 8). » Quid ergo aliud per hæc omnia docetur, nisi quia possibile sit ut etiam si in ultimam peccatorum perniciem corruerit, rursus possit in eo Christus per pœnitentiam reformari : « Non enim vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* xxxiii, 11) ; » nec ullo modo audiendi sunt illi, qui dicunt quod fideles post lapsum peccati, et maxime ipsi qui in gradu ecclesiastico sunt promoti, non possint in pristinum statum ex integro restitui, de quo quid sanctus papa Gregorius senserit atque amico interroganti responderit, ad confirmationem sensus nostri, hoc in loco interponendum censeo, qui in epistola quam ad Secundinum servum Dei inclusum conscripsit inter alia sic ait : Nam tua sanctitas inde a nobis requisivit, ut tibi rescriberem, de sacerdotali officio, post lapsum resurgendi, dum dicis de hoc canones diversos te legisse, diversasque sententias, alias resurgendi, alias nequaquam posse. Nam nos generaliter a Nicæna incipientes, hanc cum reliquis quatuor veneramur, quia ipsam sequentes cæteræ in cunctis sententiis unanimes concordant, nos ergo et præcedentes Patres sequimur, quia auctore Deo a sacra doctrina illorum non discordamus. A capite itaque incipientes usque in quartum altaris ministerium hanc formam servandam cognoscimus, ut quia minorem major præcedit, sicut honore est major, ita sit in crimine, et quem major sequitur culpa, major ei implicetur vindicta, et sic postea pœnitentia credatur esse fructuosa : quid enim prodest triticum seminare, et fructum illius non colligere, aut domum construere, et non illic habitare ? post dignam enim satisfactionem credimus posse redire ad honorem, propheta dicente : « Nunquid qui cadit non adjiciet ut resurgat : et qui aversus est, non revertetur ? » (*Isa.* xxiv, 20.) Idem et peccatori ait : « In quacunque die conversus ingemueris, tunc salvus eris (*Ezech.* xxxiii, 12) ; » unde et Psalmista ait : « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis : ne projicias me a facie tua, et

Digitized by Google

Spiritum sanctum tuum ne auferas a me (*Psal.* L, 12). » Dum enim petit ne a Deo projiceretur, pro lapsi culpa, alienam rex et propheta simul rapuisse uxorem tremefactus expavit, propheta indicante flagitium suum, pœnitentiam agens addidit : « Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me (*Psal.* L, 14), » si enim ipse dignam Deo pœnitentiam non fecisset, nequaquam aliis prædicaret ; ait enim : « Doceam iniquos vias tuas et impii ad te convertentur (*Psal.* L, 15) ; » dum enim peccata sua prospexit propheta mundata per pœnitentiam, non dubitavit prædicando castigare aliena, et sic sacrificium de semetipso offerre studuit, cum dicebat : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus (*Ibid.*, *v.* 19). » Ad hæc ista sufficerant, sed omnis sententia quo plus sacris Scripturarum testimoniis confirmatur, facilius creditur ; de hoc enim propheta dicit : « Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat ; » de hoc peccantibus dicitur : « Peccator in quacunque die conversus ingemuerit, omnes iniquitates ejus in oblivionem tradentur ; » si enim Redemptor noster, qui peccatores non perdere sed justificare venit in oblivione peccantium delicta derelinquit, quis hominum condemnanda reservet ? cum Apostolus dicat : « Si Deus justificat, quis est qui condemnet ? » Ad fontem misericordiæ recurrentes evangelicam proferamus sententiam : « Gaudebo, inquit, super uno peccatore pœnitentiam agente quam super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentia (*Matth.* XVIII, 13) ; » et ovem perditam, nonaginta novem non errantibus relictis, in humero ad ovile reportavit : si ovis errans post inventionem ad ovile humero reportatur, cur post pœnam ad Ecclesiæ ministerium minister non revocetur ? Quid est ergo gravius carnale delictum admittere, sine quo non multi, sed pauci inveniuntur, aut Dei Filium timendo negare ? In quo peccato ipsum beatum principem apostolorum Petrum, ad cujus nunc corpus indigni sedemus, lapsum esse cognoscimus, sed post negationem pœnitentia secuta est, et post pœnitentiam misericordia data, quia illum ab apostolatu non dejecit, qui ante seipsum negare prædixit. Convertamur ergo, o amicissimi mihi, et redeamus ad voluntatem Dei implendam, propterea enim creavit nos Deus et esse fecit, qui non eramus, ut æterna nobis conferat bona, et præstet regna cœlorum, non nos ad hoc fecit, ut gehennæ nos tradat, ignique perpetuo, regnum cœlorum propter nos, gehenna propter diabolum facta est, et hoc ita esse ex Evangeliis doccamus, ipse enim Dominus dicit his qui a dextris ejus sunt : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV, 34) ; illis autem qui a sinistris ejus sunt, dicit : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus (*Ibid.*, 41), » non dixit, vobis, sed diabolo ; si enim propter diabolum gehenna ignis, propter hominem regnum cœlorum a constitutione mundi præparatum est, tantum ne nosmetipsos ab ingressu bonorum persistendo in malis pertinaciter excludamus, donec enim sumus in hac vita, quantacunque nobis acciderint peccata, possibile est ablui omnia per pœnitentiam, cum autem abducti fuerimus de sæculo hoc, jam etiamsi pœnitebit nos, valde eam pœnitebit, sed nulla erit utilitas pœnitentiæ, et licet stridor dentium sit, licet ululatus et fletus, licet fundamus preces, et innumeris obsecrationibus proclamemus, nemo audiet, nemo subveniet, sed ne extremo quidem digito aquam quis infundet linguæ nostræ positæ in flammis, sed audiemus illud quod dives ille audivit ab Abraham, quia chaos magnum confirmatum est inter nos et vos, et neque hinc illuc transire [*Forte*, transiri] potest, neque inde huc.

Cap. IX. — *De tempore pœnitentiæ fructuosæ.*

Proinde oportet nos intentius considerare ac sollicitius tractare quod tempus acquirendi vitam æternam in ista tantum vita Deus hominibus dedit, ubi voluit etiam esse pœnitentiam fructuosam, ideo autem hic pœnitentia fructuosa est, quia potest hic homo, deposita malitia, bene vivere et mutata voluntate merita simul operaque mutare, et in timore Dei ea gerere quæ placeant Deo ; quod qui in hac vita non fecerit, habebit quidem pœnitentiam in futuro sæculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inveniet, quia etsi erit ibi stimulus pœnitudinis, nulla ibi erit correctio voluntatis, a talibus enim ita culpabitur iniquitas sua, ut nullatenus ab eis possit vel diligi vel desiderari justitia, voluntas enim eorum talis erit, ut habeat in se semper malignitatis suæ supplicium, nunquam tamen recipere possit bonitatis affectum, quia sicut illi, qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt, ita illi qui erunt supplicio ignis æterni cum diabolo et angelis ejus deputati, sicut nullam ulterius habebunt requiem, sic bonam nullatenus habere potuerunt voluntatem, et sicut cohæredibus Christi dabitur perfectio gratiæ ad æternam gloriam, sic consortibus diaboli, cumulabit ipsa malignitas pœnam, quando exterioribus deputati tenebris, nullo illustrabuntur interiori lumine veritatis. Proinde omni homini in hac vita esse potest utilis pœnitentia, quam quocunque tempore homo egerit, quamlibet iniquus, quamlibet annosus, si toto corde renuntiaverit peccatis præteritis, et pro iis in conspectu Dei, non solum corporis, sed etiam cordis lacrymas fuderit, et malorum operum maculas bonis operibus diluere curaverit, omnium peccatorum indulgentiam mox habebit, hoc enim nobis Dominus prophetico promittit eloquio dicens : « Si conversus fueris et ingemueris, salvus eris (*Ezech.* XXXIII, 12) ; » et alio loco dicitur : « Fili, peccasti, ne adjicias iterum (*Eccli.* XXI, 1), » sed et de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur, nunquam peccanti esset indicta pro peccatis deprecatio, si deprecanti non esset remissio concedenda, sed etiam

Digitized by Google

pœnitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ecclesia catholica gerat, cui Deus in persona beati Petri ligandi solvendique tribuit potestatem, dicens : « Quæ alligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis : et quæ solveris super terram, erunt soluta et in cœlis (*Matth.* XVIII, 18). » In quacunque igitur homo ætate veram peccatorum suorum pœnitentiam egerit, et vitam suam Deo illuminante correxerit, non privabitur indulgentiæ munere, quia Deus, sicut per Prophetam dicit, non vult mortem morientis, quantum ut revertatur a via sua mala, et vivat anima ejus (*Ezech.* XXXIII, 11). Verumtamen nullus hominum debet sub misericordia Dei in suis diutius remanere peccatis, cum etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutius ægrotare, tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, et sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant. Ideo unumquemque vestrum sancta Scriptura benigne præmonet dicens : « Ne tardaveris converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te (*Eccli.* v, 8). » Dicit etiam beatus David : « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra (*Psal.* XCIV, 8), » cui beatus quoque Paulus concordat his verbis : « Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo, sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. » Obdurato igitur corde vivit, sive qui convertitur desperans de indulgentia peccatorum, sive qui sic misericordiam Dei sperat, ut usque in finem vitæ præsentis in suorum criminum perversitate remaneat. Proinde diligentes misericordiam Dei metuentesque justitiam, nec de remissione peccatorum desperemus, nec remaneamus in peccatis, scientes quia illa omnium hominum debita sit exactura æquitas justissimi judicis, quæ non dimiserit misericordia clementissimi Redemptoris; sicut enim misericordia suscipit, absolvitque conversos, ita justitia repellet et puniet obduratos, hi sunt qui peccantes in Spiritum sanctum, neque in hoc sæculo neque in futuro remissionem accipient peccatorum.

CAP. X. — *Comparatio gehennæ ad luxum præsentis vitæ*

Hæc recordare, mi amice, et illum gehennæ ignem his quæ te nunc exagitant flammis libidinis et cupiditatis oppone, est enim hoc mirabile quoddam medicamenti genus, ut ignes ignibus exstinguantur ; si enim restinctæ non fuerint libidines istæ quæ te nunc exagitant, illos tibi æternos ignes acriores et inexstinguibiles reddent. Quanto putas tempore permanere tibi posse præsentis vitæ delicias ? ut ego quidem reor, nec quinquaginta jam tibi anni superesse usque ad extremum possunt, quamvis sis longissima senectute, sed hoc tempore isto, vide quanta intervenire possunt. Primo quod nemo, etiamsi usque ad vesperum perveniat, certus est, deinde quod mobilis semper humanarum rerum status est, frequenter enim vita quidem longum tempus producitur, nec tamen facultates ac divitiæ ei fideliter permanent, sed sæpe accidit ut prius quis opibus quam vita deficiat ; verumtamen concedamus tibi vivere te posse annos multos, et nullam permutationem temporum pati, et quantum, quæso, illud spatii ad æterna supplicia? quantum hoc * voluntatis [*Forte leg.* voluptatis] est, ad illas exsecrabiles et intolerabiles pœnas? nam et in hac quidem vita, sive bona, sive mala, terminum suum norunt, eumque velociter sortiuntur, in futuro autem sæculo utraque immortalibus spatiis protenduntur. Adde et illud quod etiam pœnæ ipsius longe alia et diversa conditio est, ignis enim hic qui in præsenti vita est, absumit cuncta quæ recipit, ille vero quos receperat semper cruciat, et pœnæ suæ semper integros servat, propterea enim et inexstinguibilis dicitur, non solum quia ipse non exstinguitur, sed quia nec eos quos susceperit exstinguit aut perimit, non ergo putemus quia suppliciorum nimietas ipsa donabit finem dolorum, sed, ut diximus, peccata quidem pœnas accendunt, incorruptio vero animæ et corporis nu..um suppliciis terminum dabit. Dic ergo nunc quanta tempora luxuriæ, quæ deliciarum spatia comparare vis talibus pœnis ? centum placet annos deliciis dare, adde et alios centum, si libet decies centum adde, et quæ erit ex his ad æternitatem comparatio ? nonne omne tempus vitæ hujus, quo deliciis perfrui videtur et indulgere libidini, quasi unius noctis somnium, ad æternitatis comparationem videtur esse ? Si est ergo aliquis, qui ut una nocte delectabile videat somnium, æternas subire eligat pœnas, et illa pro his recipere vel pro illis ista mutare : nondum descendo ad vitu perationem deliciarum, neque amaritudinem quæ in eis est nunc aperio, quia nec hujusmodi orationi hoc tempus est, sed tunc cum forte ab his effugere potueris, nunc enim cum in iis passibiliter tenearis, delirare nos credis, si dona libidinis, quæ grata omnibus videntur et jucunda, aspera asseramus et amara; si vero per misericordiam Dei evadere ex hujuscemodi ægritudine quiveris, tunc quid amaritudinis, imo vero quid veneni habuerit libido deprehendes

CAP. XI. — *De non tardando converti ad Deum.*

Quid differimus ? quid moramur? et divina largitione non utimur? Dei enim ineffabilis et immensa bonitas etiam hoc providit, ut laborum quidem tempus et agonis non extenderet, ne longum faceret, aut æternum, sed breve, et ut ita dicam momentum quoddam horæ unius, hoc enim est præsens hæc vita, si ad illam conferatur æternam ; providit ergo bonitas Dei, ut in hac brevi et exigua vita agones essent et labores, in illa vero quæ æterna est, corona et præmia meritorum, ut labores quidem

Digitized by Google

cito finirentur, meritorum vero præmia sine fine durarent; sed hoc sicut lætificat eos qui per laborum patientiam coronantur, ita affligit illos et cruciat in futuro, qui vident se pro parvo et exiguo deliciarum tempore perdidisse quidem bona æterna, mala vero quæsisse perpetua. Ne ergo etiam nos in istum veniamus animæ cruciatum, expergiscamus aliquando dum tempus habemus, et ecce nunc tempus acceptum, nunc dies salutis, nunc est pœnitendi facultas et tempus, quo et fructus consequitur pœnitentiæ; verum non hæc sola quæ diximus manent nos mala, quæ in gehenna perferimus, si negligamus vitam nostram, sed est multo malum his gravius, excludi enim a bonis æternis et alienum effici ab his quæ præparata sunt sanctis, tantum generat cruciatum, tantum dolorem, ut etiamsi nulla extrinsecus pœna torqueret, hæc sola sufficeret, illa pœna omnes gehennæ superat cruciatus, carere bonis quibus in potestate perfrui habueris.

Cap. XII. — *De statu futuræ vitæ.*

Considera enim, quæso, statum vitæ illius, in quantum tibi considerare possibile est, ut enim vere est, comprehendere nullus sermo sufficiet, sed quantum possumus ex his quæ legimus et per ænigmata accipimus tenuem quamdam opinionem de ea capiamus et dicitur de ea quodam loco, quod « aufugiet ibi dolor et tristitia et gemitus, » quid hac vita beatius? ubi non est paupertatis metus, non ægritudo, nemo lædit injuste aut læditur, nemo irascitur, nemo invidet, nulla cupiditas exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris pulsat et potestatis ambitio, sed omnis vitiorum labes deposita et pœnitus exstincta est, pax cuncta continet et lætitia, tranquilla sunt omnia et quieta, jugis splendor non iste qui nunc est, sed tanto splendidior, tanto clarior quanto splendidior est sol lucerna; nulla nox ibi, nullæ tenebræ, nullus nubium turbo, nulla frigoris, nulla ardoris asperitas, sed talis quædam erit rerum temperies, quam scient illi soli qui ea digni fuerint perfrui: non est senectus ibi, nec senectutis miseria, sed omne quidquid corruptionis est exsolvat [*Forte*, exsulat], et gloria incorruptionis cuncta circumdat, verum super hæc omnia est sociari consortiis angelorum et archangelorum, omniumque cœlestium supernarumque virtutum contuberniis perfrui, ultra omnem vero hanc hujusmodi est, gloriam ipsius Domini nostri Jesu Christi ineffabili adipisci conspectu et majestatis ejus inenarrabili splendore radiari.

Cap. XIII. — *De splendore gloriæ Christi.*

Conferamus oculos ad montem illum in quo transformatus est Christus et intueamur splendorem illum quo tunc in transformatione resplenduit, nec sic quidem inveniemus cunctam nobis futuri sæculi gloriam patefactam, illa enim transformatio patefacta est, non, in quantum bonorum futurorum veritas habet, sed quantum ferre oculi poterant intuentium, sic enim et Evangelium dicit, « quia resplenduit sicut sol (*Matth.* XVII, 2), » incorruptorum autem gloria corporum non hoc tantum splendoris emittet, quantum ex ista corruptibili luce procedit, nec talem lucem qualem nunc mortales oculi capere possunt, sed tantus erit futuræ lucis splendor, quantum corporeus ferre non potest aspectus, cum tamen illum tulerit qui in montis formatione [*Forte*, transformatione] resplenduit; unde ostenditur quia tantum revelatum sit, quantum ferre oculi mortalium poterant, nec tamen toleraverunt ex integro, sed « ceciderunt, inquit, in faciem super terram. » Quid ergo, dic mihi, omnium bonorum horum expertes nosmetipsos faciemus, et alios, uti ne parvum aliquem suscipiamus laborem, et exiguo tempore libidinis illecebras retutemus? Si enim quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum videre possimus in gloria venientem et sanctorum ejus numero sociari, nonne esset [erat] dignum pati omne quod triste est, modo ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur? Audi quid dicit beatus Petrus: « Bonum est nos hic esse (*Matth.* XVII, 4), » quod si ille tenuem quamdam futuræ gloriæ imaginem videns omnia subito projecit ex animo, dulcedine visionis quam perspexit innexus, quid dicet aliquis, si ipsam rerum faciem ut se habet veritas contempletur? tunc scilicet, cum cœlestis aula pandetur et regem cœli non jam per speculum et in ænigmate, sed facie ad faciem revelaverit, non jam per fidem sed per speciem contuendum. Nonnulli imperitorum putant sibi satis esse et optabile videri, si gehennam tantummodo careant, ego autem multo graviores quam gehennæ dico esse cruciatus removeri et abjici ab illa gloria, nec puto tam acerba esse gehennæ supplicia, ut sunt illa quibus torquetur is qui arcetur a conspectibus Christi, hoc, crede mihi, pœnis omnibus gravius est.

Cap. XIV. — *De adventu futuri Judicis testimonio prophetica, et terrore Judicii.*

Hunc autem regem quem diximus non putes quadriges mularum aut curribus aureis vectum, vel ornatum purpura, aut per terribilem potestatem diadematis adfuturum cum ad judicandum venerit orbem terrarum. Sed audi quomodo nunc prophetis nuntiantibus annuntiari omnibus fas fecit ut prædicetur ejus adventus: ait ergo quidam ex eis: « Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit, ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus procella valida, et vocabit cœlum de sursum et terram discernere populum suum (*Psal.* XLIX, 3). » Alius vero, qui et pœnarum nobis species indicat Isaias, audi quomodo dicit: « Ecce dies Domini veniet insanabilis, dies furoris et iræ, ut ponat orbem terræ desertum et peccatores perdat ex eo, stellæ enim cœli, et Orion et omnis ornatus cœli lumen suum non dabit, et obscurabitur sol in ortu suo, et luna non dabit lumen suum, et mandabo universo orbi mala, et impiis peccata eorum, et perdam contume-

Digitized by Google

liam iniquorum, et injuriam superborum humiliabo, et erunt qui relicti fuerint pretiosiores magis quam aurum sine igne, et homo pretiosior erit magis quam lapis ex saphiro, cœlum enim quatietur, et terra movebitur a fundamentis suis propter furorem iræ Domini Sabaoth, in die qua supervenerit furor ejus (*Isa.* XIII, 9). » Et iterum dicit : « Fenestræ cœli aperientur et movebuntur fundamenta terræ, perturbatione perturbabitur terra, stupore stupebit terra, inclinatione inclinabitur terra et inclinata est, commotione commovebitur, sicut ebrius et crapulatus, excutietur sicut pomorum custodia, terra cadet, et non poterit insurgere, invaluit enim super eam iniquitas, et inducet Deus super ornatum cœli in excelso manum suam in die illa, et super regna terræ et congregationem ejus ponet in vinculis, et concludet eam in locum munitum (*Isa.* XXIV, 18). » Cum ergo hæc agi cœperint, pandentur sine dubio cœli portæ, imo potius ipsum cœlum auferetur e medio tanquam si tabernaculi alicujus velamen colligitur, scilicet ut reparetur et transformetur in melius; tunc ergo omnia metus habebit, timor ac tremor implebit universa; tunc etiam ipsos angelos formidine quassabit, et non solum angelos, sed et thronos et dominationes et principatus et potestates cœli, hoc enim indicatur in eo quod dicit : « Et virtutes cœli commovebuntur, conservi enim sunt eorum qui judicandi sunt, et vitæ hujus posituri rationem. » Tu vero adde ad hæc omnia etiam suppliciorum dolores et non solum confusionem, neque solius dedecoris notam, sed et illam pone ante oculos viam, qua trahuntur homines ad ignem, et qua trahuntur ad pœnas; cogita sævos illos et horrendos pœnarum ministros, qui peccatores præcipitant ad supplicium, et hoc eo tempore quo alii qui bene egerunt a clarissimis angelis et placidissimis supportati ante regis æterni solium sublime coronis gloriæ et immortalibus præmiis munerantur, et hæc quidem propria erunt diei illius et judicii temporis.

Cap. XV. — *De futuræ vitæ lætitia, et quod non sit ei comparanda præsens tribulatio.*

Quæ vero posthæc subsequentur quis sermo poterit explicare? quæ erit voluptas, quæ lætitia, esse cum Christo, ubi anima ad propriam generositatem regressa cum fiducia jam cœperit videre Dominum suum? Explicari non potest illius lætitiæ magnitudo, non enim solum pro his exsultat quibus perfruitur in præsenti, sed multo magis pro eo gaudet, quod bonorum suorum scit nullum finem futurum. Quæso ergo te, ne contemnamus tantam beatitudinem, neque negligamus pretiosum hunc thesaurum, qui intra nos est, maxime cum facilis nobis reditus esse possit et parvo labore reparari animæ decus; ubi enim spem futurorum conceperis, statim redit anima ad pulchritudinem suam; ait enim Paulus apostolus: « Nam quod in præsenti est, momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum immensum æternæ pondus gloriæ operatur in nobis non aspicientibus quæ videntur, sed quæ non videntur : quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt (II *Cor.* IV, 17). » Quod si tribulationes leves appellat Paulus et faciles, pro eo quod non ad hæc quæ videntur, sed ad illa quæ non videntur aspiciamus, quanto magis leve tibi erit et facile desinere ab impudicitiæ ponderibus fœdis? Neque enim nunc te ad illos labores invitamus aut pericula, aut ad illas tribulationes, aut ad quotidianas mortes, quas apostoli perferebant, vel ad persecutiones illas, aut verbera, aut vincula, aut carceres, aut ad totius mundi theatrum, aut famem, aut nuditatem, aut vigilias multas, aut pericula itinerum, naufragia maris, pericula latronum, pericula ex genere, pericula ex falsis fratribus, atque illa omnia quæ apostoli agones desudant; nihil horum nunc a te poscimus, sed illud tantum rogamus, ut, turpissima hac servitute derelicta, ad priorem redeas libertatem, considerans pœnam quæ subsequitur luxuriam, et gloriam quæ virtutibus reposita est. Nam si quidem qui resurrectionem futuram non credunt, si vitam suam negligunt, et nullum futuri judicii concipiunt metum, nullam compunctionem cordis sui habent, nihil mirum est; nos vero, qui multo certius intuemur futura quam præsentia, et tam infeliciter agere et tam misere et nullam recordationem capere judicii, sed in ultimum decidere contemptum, extremæ dementiæ est, nec potest aliquid huic malo conferri, si credentes non credentibus similes simus : quinimo in illis non pauci reperti sunt, qui in hac vita animæ virtutibus floruerunt. Et quæ nobis erit excusatio, quid solatii, si in die judicii isti nobis producantur ad exemplum, cum præterea videmus nonnullos negotiatorum incidisse naufragia, et universam perdidisse substantiam, nec tamen pro hoc dejectos esse, et resedisse, sed rursus aggressos eamdem viam atque eadem exercitia reparasse, et illi quidem damna hæc non desidia animi, sed ventorum violentia pertulerunt. Nos qui certi sumus de fine rerum et manifeste novimus quia, si volumus, neque naufragia animæ, neque damna poterimus incurrere, quomodo non arripimus denuo priora exercitia, et negotia quæ negligenter amisimus reparamus? sed jacebimus resupini et desides et manus otiosas applicabimus ad pectus, et utinam otiosas et non operantes in perniciem nostram, quod est utique evidentius insaniæ, velut si quis verbi gratia istorum adversario [*Forte* adversarii] in suum caput manus convertat, et suam cervicem cædens, repulit nos diabolus et elisit; oportet itaque resurgere, et rursus stare contra eum, nam si semel dejectus non solum non vis a terra resurgere, sed et teipsum præcipitio dare, hoc est juvisse adversario et partibus ejus favisse.

Cap. XVI. — *De lapsu David et pœnitentia ejus.*

Nam et beatus David, de quo aliqua jam supra commemoravimus, cecidit forte eodem casu quo et tu nunc, et non solum hoc, sed et aliud addidit

Digitized by Google

gravius, homicidium enim adjunxit adulterio. Et quidem post hæc nunquid permansit jacens? nonne resurrexit, et iterum stetit contra inimicum, et ita eum subegit, ut etiam post mortem merita ejus profuerint posteris suis? Nam Salomon cum immane illud admisisset scelus et dignus mille mortibus haberetur, propter David tamen concessurum se Dominus regnum ejus integrum dicit; ait enim : « Scindens scindam regnum de manibus tuis, et dabo illud servo tuo Hieroboam, verumtamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum, sed de manibus filii tui accipiam illud (*III Reg.* XI, 11). » Sed Ezechias cum in pericula extrema venisset, quamvis et ipse esset justus, et tamen pro beato David dicit se Dominus ei auxilium delaturum; ait enim : « Protegam enim civitatem hanc et salvam faciam illam propter me, et propter David servum meum (*IV Reg.* XIX, 34). » Vides quanta est virtus pœnitentiæ, vides quantum meriti conversio reparavit. Quod si voluisset et ille hæc cogitare quæ tu nunc animo geris, et dicere quia impossibile est jam mihi propitium fieri Deum, « Honoravit enim me honore ingenti, et propheticam mihi gloriam contulit, regnum etiam dedit, » de periculis quoque innumeris me eripuit, et quomodo potero, cum post hæc tanta ejus beneficia deciderim et offenderim, atque in ultima flagitia devolutus sim, propitium rursus promereri Deum? si hæc cogitasset David, cum prioribus pariter et novissima perdidisset; non enim sola corporis vulnera, si negligantur, inferunt mortem, sed et animæ similiter, et jam nos tam stulti erimus, ut corpori quidem, si vulnus eveniat, adhibeamus continuo medicinam, in nullo vero animæ vulneribus medicemur : et quidem in vulneribus corporum sunt multa quæ omnino sanari non possunt, et tamen continuo non desperamus, sed in quantum fieri potest adhibemus diligentiam, etiamsi audiamus a medicis quia hujusmodi vulnus sanari [*deest* non] potest, insistimus tamen et obsecramus ut aliqua saltem solatia nobis medici et aliquid sustentationis exquirant; in animæ vero vulneribus, ubi nihil est insanabile, non enim anima necessitatem patitur naturæ, quasi aliena a nobis ejus passio sit, sic negligimus, sic desperamus, nihil ad animæ sollicitudinem revocamus, et ubi languoris natura dispensationem necessario generat, nos tamen, quasi spei aliquid conferat diligentia, non omittimus curam hic, ubi nulla est desperandi necessitas, quasi nulla sit sanitas, sic omissa cura pœnitus discedimus; millies enim si teipsum desperes, nos te nunquam desperabimus, neque enim hoc ipsi agimus in quo alios reprehendimus, quamvis non sit idem, cum ipse de se quis desperet et cum alio desperatur. Qui enim alium desperat habet veniam, qui vero semetipsum desperavit nullam habet veniam, quia ille non est dominus mentis alterius, is vero propositi sui potestatem tenet : nos ergo non desperamus quod sit tibi reditus ad prioris vitæ statum et ad illas quas in te novimus animi virtutes.

CAP. XVII. — *De Ninivitarum pœnitentia*

Sed addimus adhuc etiam hoc quod Ninivitæ audiebant prophetam ex definito dicentem, et comminantem : « Adhuc tres dies, et Niniven destruetur (*Jon.* III, 4). » Sed ne sic quidem animo conciderunt, et hoc cum nec satis confiderent posse exorare Deum ut contra responsa sua veniret, quæ videbant, non sub aliqua veniæ conditione suspensa, sed abrupta, sententia terminata, tamen ad pœnitentiam confugiunt, dicentes : « Quis scit si miserebitur Deus et deprecabitur Deus super malitia, quam locutus est ut faceret (*Amos* V, 15)? » Quod si homines barbari et imperiti tantum habere potuerunt intellectum divinæ bonitatis, nonne multo magis nos oportet qui in divinis litteris eruditi sumus, et qui hæc ipsa exempla præcessisse non ignoramus multa, et alia ex divinis Scripturis similia vel in præsentiis vel in rebus gestis didicimus contineri? « Non enim, inquit Deus, consilia mea sicut consilia vestra, nec viæ meæ sicut viæ vestræ; sed quantum distat cœlum a terra, tantum distant cogitationes meæ a cogitationibus vestris et consilia mea a consiliis vestris. » Tum præterea si nos famulos nostros qui nos fortasse offenderunt, cum promittant se esse meliores, recipimus, et ad priorem revocamus locum, interdum vero etiam majorem eis post offensam ex reconciliatione fiduciam damus, nonne multo magis hoc nobis faciat Deus? nam si propterea nos fecisset ut puniret, bene desperasses et dubitares de salute tua, si vero propter bonitatem suam tantummodo nos fecit, ut æternis bonis ejus et muneribus fruamur, atque omnia quæ agit ab initio sæculi usque ad præsens tempus, propter ea agit et propter ea movet, quæ ultra nobis desperandi, quæ ambigendi causa supererit? Sed ita vehementer, ais, offendimus eum, ut nullus unquam hominum, propterea ergo maxime velocius et vehementius satisfacere oportet et pœnitudinem gerere commissi, et cito recedere ab his actibus quibus offenditur Deus; neque enim rectas et ingenuas mentes ita offendit, quamvis gravissimi injuria delicti, ut contemptus satisfaciendi; peccare namque humanum est, permanere autem in peccatis diabolicum est. Denique vide quomodo per prophetam hoc arguat magis Deus quam illud : « et dixi, inquit : Posteaquam meretricata es, post hæc omnia convertere ad me, et non es conversa. » Et iterum alibi : « Et in his omnibus non est conversus inordinatus Judas, et adhuc manus excessa. » In aliis quoque postquam arguit delicta populi per prophetam, et emendationem suam promiserunt, ostendens quam amabiliter conversionem suscipit Deus peccatorum, dicit : « Quis dabit ita esse cor eorum ut timeant me, et custodiant mandata mea omnibus diebus vitæ suæ, ut bene eis fiat et filiis eorum in sæculum (*III Reg.* VIII, 40)? » Sed et Moyses docere populum volens quid Deus requirat ab hominibus, ita dicit : « Et nunc audi, Israel, quid Dominus poscit abs te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et incedas in omnibus viis ejus, et diligas eum ex toto

Digitized by Google

corde tuo, et ex tota anima tua et omni mente tua (*Deut.* XIX, 9). » Deus ergo quia cupit diligi a nobis et omnia facit pro hoc, et nec Unigenito suo parcit pro salute nostra et charitate, et qui optat, ut ita dicam, ut quocunque pacto et quandocunque reconciliemur ei, quomodo pœnitentes nos et conversos ad se non libenter suscipiat, et amabit ut filios? Nam quo prospectu putas illud quod dixit per prophetam, dic tu prius iniquitates tuas ut justificeris.

CAP. XVIII. — *De spe et fiducia in Dei bonitate ponenda.*

Age ergo jam aggrediamur iter vitæ, revertamur ad civitatem cœlestem in qua conscripti sumus et cives decreti; hujus nobis urbis januas desperatio quidem claudit, aperiet autem spes, et fiducia latum præbebit ingressum; hæc si contemnimus non solum jam desidiæ culpam, sed et superbiæ incurrimus. Nam et diabolus non aliunde talis factus est, nisi quia primo post peccatum desperatione usus est, postea vero ex desperatione incidit in superbiam et elationem : sic ergo et anima si semel salutem suam cœperit desperare, jam nec intelligit quomodo vel in quæ mala præcipitetur, nihil enim aut agere aut dicere metuit quod contrarium saluti sit; et sicut sæpe videmus in his qui insaniunt, cum semel perdiderint sanitatis statum, nihil jam ultra metuunt, nihil erubescunt, sed libenter omnia et dicere audent et facere. Si in ignem proruant, non declinant; etiamsi in præcipitium aut in profundum non revocant pedem. Ita et qui desperatione capti sunt irrevocabiles fiunt, per omnes enim malitiæ vias discurrunt : pudor nihil prohibet, metus nihil impedit, præsentia non metuunt, futura non reformidant, sola mors est, quam evadere non possunt : propter quod deprecor priusquam vehementius inebrieris mali hujus veneno, exsurge, quæso, te expergisce aliquando, et diabolicam hanc depone molestiam. Quod si ad subitum non potes, paulatim et sensim recollige animos, quamvis, ut mihi videtur, facilior via sit omnia simul abrumpere et mali hujus retinacula pariter cuncta, atque ex integro ad exercitia converti pœnitentiæ. Si autem tibi hoc difficile videtur, saltem sume initium aliquod, melioris vitæ et æternæ desiderium cape, et sic Domino opitulante ad majora et perfectiora conscendes. Primum ergo per humilitatem confessionis profer delicta tua coram Deo sacerdoti et sic pœnitentiæ modicum ab eo indictum diligenter exsequere, nec revertaris ad priora vitia, sed semper per justitiæ callem studeas pervenire ad virtutum arcem.

CAP. XIX. — *De confessione humili.*

Humilitatis testimonia sunt, et iniquitatem suam quemque cognoscere et cognitam voce confessionis aperire. Usitatum humani generis vitium est, et labendo peccatum committere, et commissum non confitendo prodere, sed negando defendere atque convictum defendendo multiplicare; ex illo quippe lapsu primi hominis hæc augmenta nequitiæ ducimus ex quo ipsam radicem traximus culpæ; ad hoc primus homo requisitus fuerat, ut quæ transgrediendo commiserat, confitendo deleret, et interrogatus ubi esset, ut perpetratam culpam respiceret, et confitendo cognosceret quam longe a conditoris sui facie abesset. Indicia veræ confessionis sunt, si unusquisque cum se peccatorem dicit, id de se dicenti etiam alteri non contradicat; scriptum est : « Justus in principio accusator est sui (*Prov.* XVIII, 19). » Non magis peccator sed justus videri appetit, cum peccatorem se quisquis nullo arguente confitetur, confessionis veritate probatur, quod alter malum quod fecimus increpat, quod superbi defendimus, licet [liquet] quia peccatores nos esse ficte dicebamus. Curandum summopere est ut mala quæ fecimus et sponte fateamur, et hæc aliis arguentibus non negemus, superbiæ quippe vitium est ut quod fateri quisque quasi sua sponte dignatur, hoc sibi dici ab aliis dedignetur pignus debitoris est; confessio peccatoris, a debitore enim pignus accipitur, cum a peccatore jam peccati confessio tenetur.

CAP. XX. — *Quod nihil prosit se peccatorem dicere et nolle se emendare.*

Corrumpitur autem pœnitentia, si iisdem quis pro quibus confiteatur rursus involvatur malis : « Unus enim, inquit, ædificans, et unus destruens, quid consequitur nisi laborem? Et qui baptizatur a mortuo et iterum contingit mortuum, quid proficit in lavacro priori? sic et homo qui jejunat pro peccatis suis, et iterum vadit, et eadem agit, orationem ejus quis audiet (*Eccli.* XXXIV, 29) »? Et iterum dicit : Qui redit a Dei justitia ad peccatum, Dominus præcipitat eum in gladium, et sicut canis, cum revertitur ad vomitum suum, odibilis efficitur, ita et stultus cum revertitur ad peccatum suum. Non ergo hoc solum sufficit si incusans temetipsum peccata tua videaris exponere, sed eo affectu hæc age, ut speres tibi in eo justificationis aliquid conferri per pœnitentiam. Sic enim poteris animæ tuæ confitenti incutere verecundiam, ne ultra in hæc pro quibus confitetur incurrat. Nam condemnare semetipsum et peccatorem dicere, commune hoc est omnium, et hæc pœnitentia est infidelium; denique multi de scena quoque viri et præcipue mulieres impudicæ peccatores semetipsos et sceleratos appellant, non eo prospectu hæc dicunt quo cupiant emendari, ideo non est dicenda ista confessio, non enim ex corde compuncto nec in amaritudine lacrymarum talia proferuntur, nec eo affectu quasi qui oderint ea quæ accusant, nec ultra non dicam agere hæc, sed ne audire quidem velint, sed tantum res in sermone est, et sermone summis e labiis non ex intimo dolore cordis producto, ita ut interdum etiam pro hoc ipso laudari exspectent, quasi qui nihil fallant; sed licet contra semetipsos, tamen vera pronuntient, quasi ita grave apud homines appareat peccatum, cum ab eo perfertur qui admisit, ut cum ab alio arguitur; sed istud faciunt hi, qui multa desperatione etiam sensu doloris carent, nec hominum

Digitized by Google

jam verentur notam, sed cum fiducia quadam quasi aliena ita propria pronuntiant mala. Te autem nihil horum facere volo, neque desperatione ad confitendum venire, sed cum spe bona et præsumptione indulgentiæ, desperationis radice penitus excisa: radix est enim desperationis ignavia, non solum radix sed nutrix ejus et mater. Nam sicut vestis generat tineas et nutrit, ita et ignavia non solum gignit desperationem, sed et alit et fovet, ex semetipsis igitur animantur hæc pariter et augescunt, et si alteram quis harum abscidat, altera sine dubio interitu perimetur alterius, etc.

Cap. XXI. — *Qualiter sit pœnitentia agenda.*

Omnis peccator in pœnitentia duplum habere gemitum debet, nimirum quia et bonum quod oportuit non fecit, et malum quod non oportuit fecit; cum ad bona opera non adjungimus, necesse est ut nosmetipsos dupliciter defleamus, qui et recta non fecimus et prava operati sumus. Per beatum Moysem unus turtur pro peccato, alter vero offerri in holocaustum jubetur, holocaustum namque totum incensum dicitur. Unum ergo turturem pro peccato offerimus, cum pro culpa gemitum damus; de altero holocaustum facimus, cum pro eo, quod bona negligimus, nosmetipsos funditus accendentes igne doloris ardemus. Beatus Job post flagella proficiens et a semetipso in magna redargutione dissentiens, dicit: « Idcirco ipse me reprehendo et ago pœnitentiam in favilla et cinere (*Job.* XLII, 6). » In favilla enim et cinere pœnitentiam agere est contemplata summa essentia, nihil aliud quam favillam se cineremque cognoscere In cilicio asperitas, et compunctio peccatorum, in cinere autem pulvis ostenditur mortuorum, et idcirco utrumque adhiberi ad pœnitentiam solet, ut in compunctione cilicii cognoscamus quid per culpam fecimus, et in flagello cineris perpendamus quid per judicium facti sumus; consideretur ergo in cinere per mortis sententiam subsequens juxta pœnam vitiorum quæ post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt; videat homo in asperitate cilicii superbiendo quid fecit, videat in cinere usquequo peccando pervenit, quasi quodam cilicio peccator pungitur, dum in mente sua asperis redargutionum stimulis constringitur; in cinere autem agit pœnitentiam, qui ex primo peccato quid per justum judicium factus sit solenter attendit; in tenebras diem vertimus cum nosmetipsos districte punientes ipsa delectationis pravæ blandimenta per districta pœnitentiæ lamenta cruciamus et flendo insequimur quidquid in corde taciti ex delectatione peccamus. Fidelis quisque dum cogitationes in judicio exquirit subtiliter, non ignorat semet introrsus discutiens, se ante judicium vehementer examinat, ut districtus judex eo jam tranquillius veniat ad cor suum quem discutere appetit, quo eum pro culpa punitum cernit. Omnipotens Deus subtiliter acta nostra considerat, et tamen hæc pœnitentibus misericorditer relaxat, qui et duritiam peccantibus conspicit, sed tamen hanc præveniente gratia ad pœnitentiam emollit. Culpas nostras Deus enumerat, cum nos ipsos ad singula quæ fecimus deflenda convertit, quas misericorditer relaxat, quia ea dum nos punimus ipse nequaquam in extremo examine judicat, Paulo attestante, qui ait: « Si nos nosmetipsos dijudicaremus, non utique dijudicaremur. » Quod exterius agimus nisi pœnitentia interveniente diluamus, in secreto judiciorum Dei sub quadam occultatione servatur, ut quandoque etiam de sigillo secreti exeat ad publicum judicium; cum vero pro malis quæ fecimus disciplinæ flagello atterimur, et hæc per pœnitentiam deflemus, iniquitatem nostram signat et curat, quia nec inulta hic deserit, nec in judicio punienda servat, signat Deus delicta nostra quia hic ea subtiliter attendit, ut feriat; curat vero quia hæc per flagellum funditus relaxat. Beatus Job humani generis assumens personam dicit: « Signasti quasi in sacculo delicta mea (*I Cor.* XI, 21). » Peccata nostra quasi in sacculo signantur, cum mala quæ fecimus, sollicito semper corde pensamus: quid namque est cor hominis, nisi sacculus Dei? ubi dum studiose conspicimus per quanta deliquimus, peccata nostra quasi in Dei sacculo signata portamus, quia culpas quas nos intuendo et pœnitendo cognoscimus, plus nobis conditor relaxat: recte post signata in sacculo delicta dicuntur. Sed curas iniquitatem meam, ac si aperte dicat quod modo signas ut pœnitendo videam, agis proculdubio ne in retributione videatur

Cap. XXII. — *De differentia bonorum et malorum.*

Sæpe ergo accidit ut per pœnitentiam quis multa et magna corrigat, inter hæc tamen bona, quæ per pœnitentiam correxit, etiam peccata commiserit; et hoc est quod maxime desperationem animo inducit, quia videtur sibi destruxisse quod ædificaverat et omnes illos labores inaniter effudisse; et hæc est cogitatio quæ præcipue animæ pondus desperationis imponit. Sed illud rursus oportet cogitare, per quod pessima et inimica vitæ nostræ cogitatio ista repellatur, quia illa bona quæ egimus, et emendatio illa quæ per pœnitentiam quæsita est, nisi fuisset, et velut contrarium pondus ponderi huic, quod exspectatio nobis introductum est, obstetisset, nihil fuerat quod in profundum nos malorum decidere prohiberet, nunc autem sicut fortis quædam lorica jaculum grave et amarum non permisit usque ad vitalia viscerum penetrare, sed vim lethalis teli maxima fregit ex parte: certum est enim quod qui fert secum illuc plura bona et plura mala, in ipsis pœnis habebit aliquid refrigerii; qui autem bonorum operum nihil, malorum secum multam copiam defert, quid eum maneat nec opus est dicere; erit enim ibi sine dubio compensatio bonorum operum malorumque, et velut in statera posita, utraque pars quæ emerserit, illa sibi eorum quo momentum vergitur operum vindicabit; si ergo malorum operum multitudo quantitatem bonorum operum superaverit, per-

Digitized by Google

trahit ad gehennam; si enim major fuerit operum bonorum summa vi absistent et repugnabunt malis, atque operatorem suum ad regionem vivorum ex ipso etiam gehennæ confinio revocabunt. Verum hæc non tam ex nostro sensu quam ex divinis Scripturarum sermonibus affirmantur, sic enim Scriptura pronuntiat dicens : « Ipse reddet unicuique secundum opera sua (*Matth.* XVI, 27). » Non solum enim in gehenna suppliciorum, sed in regno cœlesti multæ erunt differentiæ, « Mansiones enim, inquit, multæ sunt apud Patrem meum (*Joan.* XIV, 2); » et iterum : « Alia gloria solis et alia lunæ (*I Cor.* XV, 41); » et quod vere amplius admirandum sit, ut ostenderet quod etiam in minimis ratio et mensura pensabitur meritorum, « et stella, inquit, ab stella differt in claritate (*Ibid.*), » ut per hoc ostenderet, quia et inter singulos eorum qui in regno erunt futura sit differentia. Hæc igitur omnia scientes non nos subtrahamus ab operibus bonis, neque desperationis obtentu nos desidiæ atque ignaviæ concedamus; neque si ad splendorem solis ac lunæ pervenire non possimus, etiam stellæ nobis, quamvis inferior, claritas contemnenda est. Tantum est ut aliquantulum lucis virtutum merito quæramus, tantum est ut quamvis minimum cœli tamen ornatum mereamur explere, si aurum, si lapis pretiosus esse non possumus, argenti saltem expleamus locum; tantum ne in illam materiam convertamur quam facile ignis absumit, ne lignum, ne fenum inveniamur, aut stipula simus; in bonorum parte vel ultimi tantum, ne in malis primi.

CAP. XXIII. — *Dicta abbatis Pinophi.*

Præterea vero notandum est quod post illam generalem baptismi gratiam et illud potissimum martyrii donum, quod sanguinis ablutione conquiritur, similiter alia in Scripturis sacris ægritudinis nostræ remedia adnotata inveniuntur. Multi sunt enim pœnitentiæ fructus, per quos ad expiationem criminum pervenitur. Non enim tantum simplici illo pœnitentiæ nomine salus æterna repromittitur de qua apostolus Petrus : « Pœnitemini, inquit, et convertimini ut deleantur peccata vestra (*Act.* III, 19); » et Joannes Baptista vel ipse Dominus : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* III, 2); » sed etiam per charitatis affectum multitudo peccatorum obruitur, « Charitas enim operit multitudinem peccatorum (*I Petr.* IV, 8). » Similiter ergo per fructum [*Forte add.*, eleemosynarum] vulneribus nostris medela monstratur, quia sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum. Item per lacrymarum profusionem conquiritur abolitio delictorum, « Lavabo enim per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum irrigabo (*Psal.* VI, 7); » denique subjungit, ostendens non inaniter eas fuisse profusas : « Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei (*Ibid.*, v. 9); » necnon per confessionem criminum abolitio condonatur : « Dixi enim, inquit, Pronuntiabo adversus me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei (*Psal.* XXXI, 5); » et iterum : « Narra tu iniquitates tuas prius, ut justificeris (*Isa.* XLIII, 26). » Per afflictionem quoque cordis et corporis admissorum scelerum remissio similiter obtinetur. Nam « vide, inquit, humilitatem meam et laborem meum et remitte omnia peccata mea (*Psal.* XXIV, 18); » præcipueque per emendationem morum : « Auferte, inquit, malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillos, defendite viduam, et venite et arguite me, dicit Dominus : et si fuerint peccata vestra ut coccinum, velut nix dealbabuntur; si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana munda erunt (*Isa.* I, 16). » Interdum etiam per intercessionem sanctorum impetratur venia delictorum, « Qui enim scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem (*I Joan.* V, 16); » et iterum : « Infirmatur quis ex vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ; et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et allevabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei (*Jac.* V, 14). » Nonnunquam misericordiæ ac fidei merito labor excoquitur vitiorum, secundum illud : « Per misericordiam et fidem purgantur peccata, per conversionem plerumque ac salutem eorum qui nostris monitis ac prædicatione salvantur, quoniam qui converti fecerit peccatorem de errore viæ suæ, salvabit animam suam de morte et cooperit multitudinem peccatorum (*Ibid.* v. 19). » Per indulgentiam nihilominus ac remissionem nostram ad indulgentiam nostrorum facinorum pervenitur; « Si enim, inquit, dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra (*Matth.* VI, 14). » Videtis ergo quantos misericordiæ aditus patefecerit clementia Salvatoris, ut nemo salutem cupiens desperatione frangatur, cum videat se tantis ad vitam remediis invitari : si enim pro infirmitate carnis, afflictione jejuniorum aboleri peccata non posse causaris, nec potes dicere : « Genua mea infirmata sunt a jejunio, et caro mea immutata est propter oleum, qui cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam (*Psal.* CI, 9), » eleemosynarum ea redime largitate. Indigenti si non habes quod impertias, licet nullum ab hoc opere necessitatis inopiæ ac paupertatis excludat, quandoquidem et illius viduæ duo tantum æra ingentibus divitum donariis præferentur et pro calice aquæ frigidæ mercedem se redditurum Dominus repromittat, certe morum poteris emendatione purgari; quod si perfectionem virtutum exstinctione vitiorum omnium non potes adipisci, sollicitudinem piam erga utilitatem alienæ salutis impende : si autem idoneum te huic ministerio non esse conquereris, operire peccata poteris charitatis affectu; in hoc quoque si te fragilem fecerit quælibet mentis ignavia, oratione saltem atque interces-

Digitized by Google

sione sanctorum remedia vulneribus tuis humilitati affectu submissus implora. Postremo quis est qui non possit simpliciter dicere : « Peccatum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non operui (*Psal.* XXXI, 5)? » ut per hanc confessionem etiam illud confidenter subjungere mereatur : « et tu remisisti impietatem cordis mei (*Ibid.*). » Quod si verecundia pertrahente revelare coram hominibus erubescis, illi quem latere non possunt confiteri ea jugi supplicatione non desinas, ac dicere ei : « Iniquitatem meam ego cognosco et peccatum meum contra me est semper : tibi soli peccavi et malum coram te feci (*Psal.* L, 5). » Qui et absque ullius verecundiæ publicatione curare et sine improperio peccata donare consuevit, post illud quoque tam promptum certumque subsidium aliud quoque adhuc facilius largita nobis est divina dignatio, ipsamque remedii opem nostro commisit arbitrio, ut indulgentiam nostrorum scelerum pro nostro præsumamus affectu, dicentes ei : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Quisquis igitur ad indulgentiam suorum criminum desiderat pervenire, istis semetipsum aptare studeat instrumentis, nec obdurati cordis pervicacia a remedio salutari fontem tantæ pietatis avertat. Quæ etiamsi hæc omnia fecerimus, non erunt idonea ad expiationem scelerum nostrorum, nisi ea bonitas Domini clementiaque deleverit, qui cum religiosi conatus obsequia supplici mente a nobis oblata perspexerit, exiguos parvosque conatus immensa libefalitate prosequitur dicens : « Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum jam non recordabor (*Isa.* XLIII, 25). » Tu autem, o homo, hæc considerans stude temetipsum per pœnitentiam recuperare et longe a vitiis te separare, sicque bonis operibus insistens poteris Deo te proximum facere, quidquid boni possis dum tempus habes instanter operare. Etenim sicut divitiæ hujus sæculi tunc maxime augentur si nulla prorsus lucra nec minima condemnentur [*Forte*, contemnantur], ita et spiritalibus divitiis nec minimum quid est boni operis contemnendum est; alioquin valde absurdum videtur, cum judex noster ne calicis quidem aquæ frigidæ mercedem se promiserit negaturum, nos quidem dicere quia nisi magna quæ gerimus [*Forte* quæque egerimus] et ingentia nihil proderunt minima; imo vero ego etiam illud addo : et quia si quis parva contemnat et minima, certum est quod paulatim etiam ad magna perveniat : « Qui vero spernit minima, » sicut Scriptura dicit, « paulatim decidit (*Eccli.* XIX, 1), » et ideo arbitror Deum et Salvatorem nostrum in rebus minimis magnas statuisse mercedes : quid enim tam leve, tam facile, quam visitare infirmum, et tamen huic tam exiguo operi remunerationem magnificam posuit? et iterum, quid tam facile, quid tam gratum, quam esurienti præbere cibum, sitienti potum, nudo indumentum, conclusum in carcere requirere? et hæc quæ tam parva sunt et tam minima ita magna ducit et summa, ut ea non homini, sed sibi ipsi Deus deputet ministrata, et pro his regnum cœleste promiserit. Aggredere igitur, amice charissime, aggredere iter æternæ vitæ, et rursus suscipe jugum Christi suave et onus ejus leve, recupera in temetipso animi virtutes et finem redde initiis similem, nec patiaris tantum tibi et tanto labore quæsitum spiritalium gratiarum diripere censum; peribis enim si persistas in peccatis, et exacerbas Deum in actibus tuis; si vero priusquam census tui fiat multa jactura, et priusquam terra tua noxiis inundationibus repleatur, exclusas irruptionum fauces et ingressum perhibeas inundantium vitiorum, poteris rursum pristinam reparare culturam, et ad fructus solitos ruris optimi quondam tibi exercere novalia. Exsurge ergo, exsurge, sicut Propheta dicit, et « excute pulverem tuum (*Matth.* X, 14); » exsurge de terra, et statim, mihi crede, terrebitur adversarius tuus : ille enim ita te quidem dejecit, quasi ultra non resurrecturum, si autem videat te surrexisse de terra, et brachia rursus certamini protendentem, ipsa tui audacia deterrebitur, et quanto tu promptior tanto ille formidolosior fiet, et quanto majora præsumis tanto ille infirmior fragiliorque redditur. Sed et illud cogita quod tibi audenti aderit Deus, illi vero scelerum conscientia et audacia labefactabit et vires, sicque divina gratia largiente in omnibus hosti tuo superior existens, jam victor fortis ope virtutum valde ditatus, ad cœlestis regni gloriam percipiendam migrabis, ubi cum Christo et sanctis angelis in æternum gaudebis.

Digitized by Google

DE QUÆSTIONIBUS

CANONUM PŒNITENTIALIUM

LIBRI TRES.

(Vide inter Opera Halitgarii Patrologiæ tomo CV, col. 677-694; hic Rabani tantum præfationem damus quam libris Canonum pœnitentialium præmisit.

RABANI PRÆFATIO.

Oportet hominem primum per humilitatem confessionis prodere debita sua coram Deo et sacerdote, et sic pœnitentiæ modum ab eo indictum diligenter exsequi, nec reverti ad priora vitia, sed semper studere per justitiæ callem pervenire ad virtutum arcem : humilitatis quippe testimonia sunt iniquitatem suam quemque cognoscere, et cognitam voce confessionis aperire, quoniam usitatum humani generis vitium est et labendo peccatum committere, et commissum non confitendo prodere, sed negando defendere, atque convictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapsu primi hominis hæc augmenta nequitiæ ducimus, ex quo ipsam radicem traximus culpæ. Denique ad hoc primus homo requisitus fuerat, qui transgrediendo peccatum commiserat, confitendo illud deleret, et interrogatus ubi esset (*Gen.* III), perpetratam culpam respiceret et confitendo cognosceret quam longe a conditoris sui facie abesset. Indicia veræ confessionis sunt ut cum unusquisque se peccatorem dicit, id de se dicenti etiam alteri non contradicat. Curandum ergo summopere est ut mala quæ fecimus et sponte fateamur, et hæc aliis arguentibus non negemus. Superbiæ namque vitium est ut quod fateri quisque sua sponte dignatur, hoc sibi dici ab aliis dedignetur. Pignus debitoris est confessio peccatoris. A debitore enim pignus accipitur, cum a pecatore jam peccati confessio tenetur, et quoniam filii Dei quandiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt, sicut spiritu Dei excitantur, ut tanquam filii Dei proficiant ad Deum : ita etiam aggravante corpore corruptibili tanquam filii hominum in quibusdam humanis moribus deficiunt, et relabuntur ad seipsos, ideoque peccant; interest tamen quantum, neque enim omne peccatum crimen est, sed omne crimen est peccatum : sanctorum itaque hominum vitam qua in hac morte vivitur, sine crimine inveniri posse, sine peccato autem nunquam, ut ait apostolus Joannes : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I), » unum tamen pro altero consuevit ponere Scriptura. In actione autem pœnitentiæ, ubi tale commissum est crimen ut is a Christi corpore qui commisit separetur, non tam consideranda est mensura temporis quam doloris, « Contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L). » Sane quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, recte constituuntur tempora pœnitentiæ ab his qui præsunt Ecclesiis, ut satisfiat etiam Eccclesiæ in qua remittuntur peccata. Ergo cum tanta est plaga peccati, ut medicamenta corporis et sanguinis Domini sint differenda, auctoritate antistitis debet se quisque ab altario removere ad agendam pœnitentiam, et eadem auctoritate reconciliari : « Hoc est enim corpus et sanguinem Domini indigne accipere (*I Cor.* XI), » si eo tempore accipiat quo pœnitentiam debet agere; nam ipsa pœnitentia, quando digna est causa ut secundum morem Ecclesiæ agatur, plerumque infirmitate non agitur, quia pudor et timor est displicendi : dumque plus delectat hominem existimatio quam justitia qua se quisque humiliat pœnitendo, meminerit ille, quicunque est, quod « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*I Petr.* V, *Jac.* IV). » Quid enim est perversius, quidve infelicius, quam de ipso vulnere quod latere non potest non erubescere? Nemo enim arbitretur propterea se consilium salubre hujus pœnitentiæ debere contemnere, quia advertit forte novitque ad altaris sacramenta accedere quorum non ignorat talia crimina apud se retinere. Corriguntur enim multi ut Petrus, multi tolerantur ut Judas, multi nesciuntur donec veniat Dominus et illuminet abscondita tenebrarum et manifestet cogitationes cordium. Nos vero quemquam a communione prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessus, aut in aliquo sive sæculari sive ecclesiastico judicio accusatus atque convictus. Oportet igitur ad pœnitentiam accedere cum omni fiducia, et ex fide indubitanter credere pœnitentia aboleri posse peccata, etiamsi in ultimo vitæ spiritu commissa pœniteat : et publica lamentatione peccata prodantur, quia propositum Dei quo decrevit salvare quod perierat, stat immobile; et ideo quia voluntas ejus non mutatur, sive emendatione vitæ si tempus conceditur, sive supplici confessione si continuo vita exceditur, venia peccatorum fideliter præsumatur ab illo qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur a perditione pœnitendo, et salvatus miseratione Dei vivat. Certissimæ sunt et fidelissimæ claves Ecclesiæ, quibus « quodcunque in terra solvitur, etiam in cœlo solutum promittitur (*Joan.* XX). » Hæc dicta sunt de duplici satisfactione qua quisque humiliat se

Digitized by Google

non solum coram Deo, sed etiam coram Ecclesia, quæ habet clavem regni cœlorum, in qua fit remissio peccatorum. Secreta quoque satisfactione solvi mortalia crimina non negamus, mutato prius sæculari habitu et indefesso religionis studio, per vitæ correctionem et jugi imo perpetuo luctu miserante Deo, ita duntaxat ut contraria pro his quæ pœnitet agat. Quotidiana vero leviaque peccata sine quibus hæc vita non ducitur, Dominica oratione purgantur, quorum est dicere : « Pater noster, qui es in cœlis (*Matth.* VI), etc., ubi dicitur : « Dimitte nobis debita nostra, » quia ipsa eleemosyna est, per veniam homini pœnitenti ignoscere. Unde Dominus ait : « Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis. » Multa itaque genera sunt eleemosynarum, quæ cum facimus, adjuvamur ut dimittantur nostra peccata : sed ea nihil est majus qua ex corde dimittimus quod in nos quisque peccavit. Sunt autem quædam peccata quæ putantur levissima, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, Fatue, reum gehennæ putaret, nisi Veritas diceret? Aut quis æstimaret tam magnum esse peccatum dies observare, menses et annos et tempora, sicut observant qui certis diebus, sive mensibus sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, nisi Apostolus diceret : Timeo vos, ne sine causa laboraverim in vobis? Quam multa sunt alia peccata sive in loquendo de rebus et negotiis alienis, quæ ad te non pertinent; sive in vano cachinno, sive in ipsis escis quæ ad necessitatem hujus vitæ parantur, in quibus est avidior appetitus; sive in vendendis et emendis rebus charitatis et utilitatis vota perversa? Sunt et alia hujuscemodi peccata quæ fiunt verborum offensionibus et cogitationum, Jacobo dicente apostolo : « In multis enim offendimus omnes. » Oportet quotidie crebroque exoremus Dominum, atque dicamus : « Dimitte nobis debita nostra, » ne in eo quod sequitur mentiamur, « sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum et jejuniorum pro suis viribus offerri non cessent. Pro illis ergo peccatis quæ legis decalogus continet, et de quibus Apostolus ait : « Quoniam neque avari, neque rapaces, neque adulteri, neque masculorum concubitores, » et cætera. « Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt (*I Cor.* XI), » illa actio pœnitentiæ subeunda est in qua majorem in se quisque severitatem debeat exercere, ut a seipso judicatus non judicetur a Domino. Mensuram autem temporis in agenda pœnitentia idcirco non satis attente præfigunt canones pro unoquoque crimine, sed magis in arbitrio antistitis relinquendum statuunt : quia apud Deum non tam valet mensura temporis quam doloris, nec abstinentia tantum ciborum, sed mortificatio potius vitiorum : propter quod tempore pœnitentiæ, fide et conversatione pœnitendum abbreviando præcipiuntur et negligentia protelanda. Exstant tamen pro quibusdam culpis modi pœnitentiæ in canonibus impositi, juxta quos cæteræ perpendendæ sunt culpæ, cum sit facile per eosdem modos vindictam et censuram canonum æstimare.

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

DE VITIIS ET VIRTUTIBUS

ET

PECCATORUM SATISFACTIONE.

PRÆFATIO.

Cogitans ergo[a] mecum quomodo Christiano populo aliquod solatium præberem, quo melius contra antiquum hostem confligere posset, et gratia Christi donante ad victoriam veram perveniret, excerpsi de sanctorum et catholicorum Patrum scriptis aliqua testimonia unde qui vellent opuscula nostra legere, et coram quibus labor noster despectus non est, aliquod adjutorium acciperent ad regendum semetipsos et alios ad meliorem vitam corrigendos. Primum de octo principalibus vitiis et remediis contra ea opponendis. Deinde virtutibus sacris et laude earum scribere decernimus, et sic ad veram confessionis humilitatem, et ad pœnitentiæ remedium stylum vertere cogitamus. Quamvis enim originalia in baptismatis munere gratia Mediatoris cuncta aboleri veraciter credantur peccata, quia sufficit illa sola spiritalis generatio : attamen cum ventum fuerit ad ætatem quæ præceptum jam capit et subdi potest legis imperio, suscipiendum est bellum contra vitia, et gerendum acriter, ne iterum reducatur ad damnabilia peccata. Paucissimi autem sunt tantæ felicitatis, ut ab ipsa incunte adolescentia nulla damnabilia peccata

[a] *Ergo* vox peculiaris auctori in librorum auspiciis.

Digitized by Google

committant, vel in flagitiis, vel in facinoribus, vel in homicidiis, vel in nefario cujusquam impietatis errore, sed magna Spiritus largitate necessarium est opprimere quidquid in eis potest aut potuit carnalis delectatio dominari. Tunc itaque dicta vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter nisi per mediatorem Dei et hominum Jesum Christum, qui factus est particeps mortalitatis nostræ, ut nos participes faceret divinitatis suæ. Verumtamen in gravi jugo quod positum A est super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium, etiam hoc malum miserabiliter reperitur. Ideoque sobrii simus, atque intelligamus hanc vitam de peccato illo nimis nefario quod in paradiso perpetratum est, factam nobis esse pœnalem; totumque quod nobiscum agitur non pertinere nisi ad novi sæculi hæreditatem novam, ut hic pignore accepto illud cujus pignus est suo tempore consequamur.

LIBER PRIMUS

(*Vide inter Opera Halitgarii, Patrologiæ tomo CV, col.* 657.)

LIBER SECUNDUS

(*Vide ibid., col.* 669.)

LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO

De mortalibus peccatis ac criminibus eorumque pœnitudine et satisfactione, seu et de octo principalium vitiorum origine, vexatione, judiciis, objectionibus, remediisque, nec non et de pugna virtutum contra vitiorum impugnationem, vel quibus modis cogitatione, locutione et opere perpetrantur peccata, tertius hic, largiente Domino, ex dictis sanctorum Patrum defloratus, ut in prologo hujus opusculi præfati sumus, inchoat libellus. Tuis igitur meritis precibusque animatus, studiosissime Pater, etsi non ut debeo, tamen prout potero, Deo favente, præceptis tuis satisfacere humiliter studebo.

Caput I. — *De gravibus mortalibusque peccatis ac criminibus eorumque pœnitudine et satisfactione.*

Quæ sunt autem gravia et mortalia peccata Paulus prædicator egregius in Epistola ad Romanos cum nefandissima notaret crimina subdendo manifestavit, dicens : « Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractatores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia, qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus (*Rom.* I, 29). » Considerate igitur cum omni timore quia qui supra scripta et his similia perpetrant, vel consentiunt, crimina, nisi ante exitum vitæ per pœnitentiam et eleemosynas cæteraque opera bona redimerint ea secundum beati Pauli apostoli definitionem dignissimos esse morte, id est, perpetua morte, sine remedio, morte sine fine. Nam et de mortalibus criminibus idem Apostolus in Epistola ad Galatas loquitur : « Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt : fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, ebrietates, comessationes et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur (*Gal.* v, 19) ; » non enim dixit, qui talia egerunt, regnum Dei non consecuti sunt, sed *qui talia agunt*, vel qui in his perseverant criminibus, *regnum Dei non consequentur*. Multi denique supra scripta et similia perpetraverunt crimina, et ante mortem per pœnitentiam et eleemosynas et alia bona opera expurgaverunt ea, et postmodum ad regnum Dei pervenerunt, et quotidie pervenire merentur. Et in Epistola ad Ephesios idem Apostolus de peccatis criminalibus inter cætera ait : « Fornicatio autem aut omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos (*Ephes.* v, 3). » Et paulo post : « Hæc enim scitote, quod omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei (*Ibid.* v). » De hoc et in Epistola ad Colossenses præcepit dicens : « Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus, propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis (*Coloss.* III, 5). » Is etenim apostolus dilecto discipulo suo Timotheo ab hominibus qui gravibus erant vitiis irretiti, in secunda ad eumdem discipulum Epistola præcepit declinare di-

Digitized by Google

cens : « Hoc autem scito, quod in novissimis diebus, instabunt tempora periculosa et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem ejus abnegantes, et hos devita (*II Tim.* III, 2). » Nam et secundum canonum definitionem, hæc sunt capitalia crimina. Primo « superbia » quæ est mater et regina omnium vitiorum, sive levium sive principalium, (*Prosp.*) testante sacra Scriptura : « Initium omnis peccati superbia (*Eccli.* X). » Ipsa est enim peccatorum omnium causa, quoniam non solum peccatum est ipsa, sed etiam nullum peccatum fieri potuit, potest aut poterit sine ipsa, siquidem nihil aliud omne peccatum nisi Dei contemptus, quo ejus præcepta calcantur, quem contemptum Dei nulla res alia persuadet hominibus nisi superbia. Deinde « cupiditas mala, » de qua Paulus apostolus ait : « Radix omnium malorum est cupiditas (*I Tim.* VI, 10). » Cum enim Spiritus sanctus per prophetam initium omnis peccati superbiam esse pronuntiet, et per Apostolum radicem omnium malorum cupiditatem affirmet, unum idemque esse significat, quia cupiditas et superbia in tantum est malum, ut nec superbus sine cupiditate, nec sine superbia possit inveniri cupidus, solerter considerare debent qui de peccatis et vitiis tractant, quia superbia initium est omnis peccati, cupiditas vero omnium radix malorum; antea enim unaquæque res initium habet, postea radicem emittit, et tamen sicut initium et radix una eademque res est et materia, ita superbia et cupiditas, licet unum prius, alterum posterius, unum tamen est malum. Ac deinde in numero principalium vitiorum ponitur invidia perniciosissima pestis, quæ semper aliena torquetur felicitate. Postmodum « ingluvies ventris, fornicatio, ira, tristitia sæculi, » quæ mortem operatur, « inanis gloria, avaritia, sacrilegium, « id est, » furtum sacrarum rerum, adulterium, furtum, rapina, falsum testimonium, perjurium, idololatria, ebrietas, molles, masculorum concubitores, sodomitæ, maledici, homicidæ. » Et inter cætera Paulus apostolus in Epistola ad Corinthios prima capitalia crimina manifestat, dicens : « Nolite, inquit, errare : neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt (*I Cor.* I, 9), » id est, si in istis perseveraverint criminibus. Cæterum qui ante ultimum hujus vitæ diem deleverunt ea pœnitendo, et eleemosynis redemerunt, et in bonis operibus perseveraverunt, regnum Dei possidere posse credimus, et affirmamus, dicente Domino (*Matth.* X, 22) : « Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. » (*Aug.*) Sane cavendum est ne quisquam existimet nefanda illa crimina, qualia qui agunt regnum Dei non possidebunt, quotidie redimenda in melius, est quippe vita mutanda et per eleemosynas de peccatis præsentis est propitiandus Deus. Non ad hoc emendandus quodammodo, ut ea semper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quando miserando deleat jam facta peccata. Factio congrua negligatur : sane qui sceleratissime vivunt, nec curant talem vitam, moresque corrigere, et inter ipsa facinora et flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant, sine causa de tali opere sibi blandiuntur. Qui enim vult ordinate dare eleemosynam, a seipso debet incipere, et eam sibi primum dare, est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissimeque dictum : « Miserere animæ tuæ placens Deo (*Eccli.* XXX, 24). » Non ergo se fallant qui per eleemosynas quamlibet largissimas fructuum suorum cujusque pecuniæ impunitatem se emere existiment in facinorum immanitate ac flagitiorum nequitia permanendi. Non solum enim hæc faciunt, sed ita diligunt ut in eis semper optent, tantum si possint impune, versari. Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam ; et qui odit animam suam, non est misericors sed crudelis. Diligendo eam quippe secundum sæculum, odit eam secundum Deum ; si ergo vellet ei dare eleemosynam, per quam illi essent munda omnia, odisset eam secundum sæculum, et diligeret secundum Deum. Nemo autem dat eleemosynam qualemlibet, nisi unde det, ab illo accipiat, qui non eget. (*Beda.*) Ideo dictum est : « Misericordia ejus præveniet me (*Psal.* LVIII, 11). » Peccata enim mortalia, ut jam dictum est, tantum ab omni justitiæ sorte discordant, tanta iniquitate patrantur, ut absque ulla contradictione factorem suum, nisi corrigantur, æternam mergant in pœnam : de qualibus scriptum est : « Anima quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech.* XXIII, 4, 20), » et de qualibus apostolus dicit Paulus quoniam « qui talia agunt regnum Dei non consequentur (*Gal.* V, 21). » Unde et Joannes apostolus : « Omnis qui natus est ex Deo non peccat (*I Joan.* V, 18). » Hoc de omni crimine capitali possumus intelligere, sive qui natus est ex Deo non peccat, id est, peccatum ad mortem non perpetrat : peccatum ad mortem est peccatum usque ad tempora mortis protractum, quod peccatum omnis, qui natus est ex Deo, non peccat. Denique David rex, mortale crimen admisit, id est adulterium et homicidium, sed tamen quia ex Deo natus erat, et ad filiorum Dei societatem pertinebat, non peccavit usque ad mortem, quia sui reatus veniam mox pœnitendo promeruit. Sunt enim quædam peccata quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. (*Aug.*) Quis enim dicentem fratri suo, Fatue, reum gehennæ putaret (*Matth.* V, 22), nisi Veritas diceret? Aut quis æstimaret quam magnum peccatum sit dies observare et menses et tempora et annos, sicut observant, qui certis diebus sive mensibus, sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secun-

Digitized by Google

dum vanas doctrinas hominum fausta vel infausta æstiment tempora, nisi magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus quando ait: « Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis (*Gal.* IV, 11)? » Sæpe enim quædam peccata magna et horrenda cum in consuetudinem venerunt aut parva aut nulla esse creduntur, usque adeo non solum non occultanda, verum etiam prædicanda, diffamanda videantur, quando, sicut scriptum est, « Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit benedicetur (*Psal.* X, 2). » Talis in divinis Scripturis iniquitas clamor vocatur. Unde est illud in Genesi: « Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est (*Gen.* XVIII, 20), » quia non solum jam apud eos non puniebantur illa flagitia, verum et publice veluti lege frequentabantur, unde scriptum est: « Et peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt illud (*Isa.* III, 9). » Est enim hoc peccatum gravissimum, quod non solum suos auctores, verum etiam et eos quos mortiferis sermonibus et actibus ad peccandum pertrahit, perpetuam perducit ad pœnam. Cum enim hoc et huic simile quisque perpetrat, tot mortibus dignus est quot ad cæteros perditionis exempla transmittit. Nemo etenim tam magnum putaret concupiscentiam libidinis esse peccatum, nisi Dominus diceret: « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* V, 28). » Quis etenim tam grande putaret esse peccatum inutiliter reservare divitias, nisi Jacobus diceret apostolus (*Jac.* V, 1): « Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis quæ advenient vobis? Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. » (*Greg.*) Valde etenim peccant, qui verbum sacræ prædicationis utiliter proferre possunt, et tamen sub silentio abscondunt. Unde per Salomonem dicitur: « Qui abscondit frumenta maledicitur in populis (*Prov.* XI, 26): » frumenta quippe abscondere est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicitur, quia in solius culpa silentii permultorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur. Nemo enim sermonem maledictionis forsitan aliquis tam horrificum putaret esse peccatum, quamvis sectatores suos a Dei separat regno, nisi Paulus diceret apostolus: « Neque maledici regnum Dei possidebunt (*I Cor.* VI). » Est enim causa levitatis usitatissimum et gravissimum peccatum, et pene nullus est qui tanto immanissimo scelere linguam restringat suam, neque dives, neque pauper, neque nobilis, neque sapiens, neque insipiens, neque clericus, neque laicus, neque senex, neque juvenis, neque masculus, neque femina, neque liber, neque servus; et non solum est maledicus sermo qui dicitur: Maledicat illum Dominus, aut maledicte fac hoc aut illud, aut maledictus sit; sed etiam omnis sermo qui ab hoc profertur ut infamet aliquem, aut deroget aut male commendet. Quamvis non videatur esse injuriosus, maledicus est, ut illud de cæco (*Joan.* XI): « Maledixerunt illum Judæi, et dixerunt ei: Tu discipulus illius sis. » (*Basilius.*) Aut quis crederet tristitiam sæculi mortiferum esse peccatum, nisi Paulus apostolus diceret: « Tristitia sæculi mortem operatur (*II Cor.* 7, 10)? » Tristitia sæculi est cum aliquid de rebus humanis vel quæ ad sæculum pertinent contristamur. Tristitia vero secundum Deum est, cum pro nostris proximorumque erratibus tristamur, de qua idem dicit Apostolus: « Tristitia secundum Deum salutem stabilem operatur (*Ibid.*). » Sunt et alia gravia peccata plurima de quibus per diversas sanctarum Scripturarum paginas studiosus lector, licet sparsim, si cupit, inveniet multa, quæ cum in consuetudinem veniunt, ut supra scriptum est, aut parva aut nulla esse creduntur. Unde clarissimus doctor S. Augustinus episcopus in expositione Epistolæ S. Pauli ad Galatas, cum dolore nimio exclamare compulsus est, dicens: Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus, usitata vero pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamvis tam magna sint ut omnino claudi contra se faciant regnum Dei, sæpe vivendo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur; atque utinam, o Domine, non omnia quæ potuerimus prohibere faciamus! Nullatenus enim de ipsis criminibus, quamlibet magnis, in sancta Ecclesia remittendis Dei misericordia desperanda est agentibus pœnitentiam secundum modum cujusque peccati. In actione autem pœnitentiæ ubi tale commissum est ut is qui commisit a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis quam doloris, « Cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L, 19). » Verum quod plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, nec in aliorum notitiam per verba vel quæcunque alia signa procedit, cum sit coram illo cui dicitur: « Gemitus meus a te non est absconditus (*Psal.* XXXVII, 10), » recte constituuntur ab his qui Ecclesiis præsunt tempora pœnitentiæ, ut satisfiat etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata, extra eam quippe non remittuntur: cui ergo tanta est lepra gravioris peccati, ut a saluberrimo corporis et sanguinis Domini medicamento non animo, sed corpore separetur, consilio et auctoritate antistitis debet se ab altario et communione mensæ Dominicæ non desperatione sed humilitate removere ad agendam satisfactionis pœnitentiam, et postmodum secundum canonicam institutionem auctoritate et oratione sacerdotis reconciliari. Prius enim agenda est pœnitentia, ac sic deinde hoc salutiferum sacramentum suscipiendum: « Qui enim manducaverit indigne, judicium sibi manducat et bibit (*I Cor.* XI, 29), » hoc est enim indigne accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam. (*Prosp.*) At si qui in aliquo gradu ecclesiastico constituti aliquod occulte crimen admittunt, ipsi se vana persuasione decipiunt, si eis videtur propterea communicare et

Digitized by Google

officium suum implere debere, quod homines occultatione sui criminis fallunt; qui autem ea commiserint, et ideo prodere metuunt, ne sententiam justæ excommunicationis accipiant, sine causa communicant, imo vero dupliciter contra se iram divinæ indignationis exaggerant, quod et honoribus innocentiam fingunt, et contempto Dei judicio abstinere se ab altari propter homines erubescunt; quapropter facilius sibi Deum placabunt illi qui non humano convicti judicio, sed ultro crimen agnoscunt, quia aut propriis illud confessionibus produnt, aut nescientibus aliis quales occulti sunt, ipsi in se voluntariæ excommunicationis sententiam ferunt, et ab altari cui ministrabant non animo, sed officio separati, vitam suam tanquam mortuam agentes pœnitentiam plangunt. (*August.*) Nam et ipsa pœnitentia quando digna causa est, ut secundum morem Ecclesiæ agatur, plerumque infirmitate non agitur, quia et pudor timor est displicendi, dum plus delectat hominum existimatio, quam justitia, qua se quisque humiliat pœnitendo. Unde non solum cum agitur pœnitentia, verum etiam, ut agatur, Dei misericordia necessaria est, alioquin non diceret Apostolus de quibusdam : « Ne forte det illis Deus pœnitentiam (*II Tim.* II, 25), » et ut Petrus amare fleret, præmisit evangelista et ait : « Respexit eum Dominus (*Matth.* XXVI, 75). » [*Prosp.*] Porro illi quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri vel emendare noluerint, Deum, quem habent testem, ipsum habituri sunt et ultorem; et quid eis prodest humanum vitare judicium, cum si in malo suo permanserint ituri sunt in æternum Deo retribuente supplicium? Quod si ipsi sibi judices fiant, et veluti suæ iniquitatis ultores, hic in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabuntur æterna supplicia, et lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restringent æterna ignis incendia. Quicumque autem mortali crimine, sive occulto sive publico, ita sunt irretiti, quibus differenda sunt saluberrima corporis et sanguinis Domini medicamenta, ideo præsumptive sine satisfactione et reconciliatione sui antistitis ad percipienda altaris sacramenta accedunt, quia multos forte vident ipsam Dominicam percipere communionem, quorum talia crimina non ignorant, et non considerant quod multi corriguntur ut Petrus, multi tolerantur ut Judas, multi nesciuntur donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum et manifestet cogitationes cordis. Hi autem qui aliquo mortali crimine sponte confessi, aut aliquo sive sæculari sive ecclesiastico judicio accusati sunt atque convicti, et ob hoc medicinali prohibitione sequestrati sunt a Dominica communione, si necessitate mortis vigente viaticum petunt et reconciliationem, nullatenus eis talis petitio denegetur. (*Leo.*) Multum enim utile ac necessarium est ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur. His autem qui in tempore necessitatis et in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere nec tempora definire, apud quem nullas patitur venire moras conversio. (*Cœlest.*) Clementia enim Dei ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse certissime credimus. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset : cum esset in pœna pœnituit, et per unius sermonis professionem, habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum mente potius est æstimanda quam tempore, propheta hoc taliter asserente : « Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris (*Ezech.* XXXIII, 12); » et illud : « Peccator in quacumque die conversus fuerit, peccata ejus non reputabuntur ei (*Ibid.* V, 11); » et iterum : « Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat; » et illud : « Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris (*Isa.* XLIII, 26). » Item : « quia apud Dominum misericordia est, et copiosa apud eum redemptio (*Ps.* CXXIX, 7). » In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium gemitus, lacrymasque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo : « Ne forte det illis Deus pœnitentiam ut resipiscant a diaboli laqueis (*II Tim.* II, 26), » a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem. Eorum autem, ut sanctissimus martyr Cyprianus in epistola quam scripsit ad Romanos ait, quorum vitæ sua fine urgens exitus dilationem non potest ferre acta pœnitentia et professa, frequenter suorum de festinatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentes ac vere pœnitentes [dolentis ac vere pœnitentis] animi signa proderint [prodiderint], cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute et sollicite subvenitur, Deo ipso, quid de talibus faciat et qualiter judiciis suis examinet pondera; nobis tamen anxiis et curantibus ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem : ipsi autem pœnitentes, quorum vita incolumis esse constat, tam grandia defleat quam grandia commiserunt, et tam grande expetant consilium quam late propagatum videtur esse delictum; non sit minor medicina quam vulnus est, non sint minora remedia quam funera; et ut prodictus martyr Cyprianus in libro de lapsis ait, Orare oportet pœnitentes impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, strato solo adhærere cineri, in cilicio et sordibus volutari; post indumentum Christi perditum, nullum jam velle vestimentum; post diaboli cibum malle jejunium, justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur; eleemosynis frequenter incumbere, quibus a morte animæ liberantur. Sunt etenim, ut jam dictus doctor ait in epistola ad Cornelium Romanæ urbis episcopum

Digitized by Google

tertia, qui propria non intelligunt delicta, quorum mens est percussa, animus amens et sensus alienus, quibus ira est Dei non intelligere delicta ne sequantur pœnitentiam; sicut scriptum est : « Et dedit illis Deus spiritum transpunctionis, ne revertantur scilicet, » et curentur et deprecationibus ac satisfactionibus justis post peccata sanentur. Paulus apostolus in Epistola sua exponit et dicit : « Delictum veritatis non habuerunt ut salvi fierent, ac propterea mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderint veritati, sed sibi placent in injustitia (*II Thess.* II, 10). » Primus felicitatis gradus est non delinquere, secundus delicta cognoscere; illic currit innocentia integra et illibata, quæ servet; hic succedit medela, quæ sanet. Porro sunt quidam qui magnitudinem et innumerositatem suorum considerant peccatorum, et ob hoc desperantes de ineffabili et incomprehensibili omnipotentis Dei misericordia diffidunt, et idcireo nolunt agere pro peccatis et sceleribus suis pœnitentiam, sed impœnitentes corde in malis suis obdurati permanent, et rebelles contra Spiritus sancti gratiam infeliciter existunt, de quibus ait Apostolus : « Nescis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? tu autem secundum duritiam tuam et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei (*Rom.* II, 5). » Hæc autem duritia cordis impœnitentis blasphemia est in Spiritu sancto, quæ non remittetur ulli homini. Unde Dominus in Evangelio ait : « Qui dixerit blasphemiam in Spiritum sanctum, non remittetur ei (*Marc.* III, 29). » De qua blasphemia cautissimus ac præclarissimus doctor Augustinus, cum de irremissibili blasphemia in Spiritum sanctum sermonem faceret ad populum, inter cætera ait : Hæc omnino impœnitentia non habet remissionem, neque in hoc sæculo, neque in futuro, quia pœnitentia impetrat remissionem in hoc sæculo, quæ valeat in futuro; sed ista impœnitentia vel cor impœnitens, quamdiu quisque in hac carne vivit, non potest judicari, de nullo enim desperandum est quandiu patientia Dei ad pœnitentiam ducit. Item post pauca ait : Omne prorsus peccatum et blasphemia remittetur hominibus, ubi hoc peccatum non fuerit cordis impœnitentis contra Spiritum sanctum, quo in Ecclesia peccata solvuntur, cuncta alia dimittuntur : quomodo autem hoc remittetur, quod etiam remissionem impedit aliorum. Omnia ergo dimittuntur eis in quibus hoc non est quod numquam dimittetur. In quibus autem est, quoniam hoc numquam dimittetur, nec alia dimittuntur quia omnium remissio vinculo istius impeditur. De qua blasphemia, id est, impœnitentia vel cor impœnitens, supradictus pater Augustinus enucleatissime valdeque prolixe in sermone ad populum more solito secundum sanctarum Scripturarum affirmationem disseruit. Nemo ergo pro multitudine et enormitate suorum desperet peccatorum, sed potius confidens de misericordia Dei agat pro peccatis, dum in hoc corpore vivit, pœnitentiam, ne in futuro æterni judicis examine pro duritia cordis impœnitentis, quæ est blasphemia in Spiritum sanctum, ut jam dictum est, secundum Domini Salvatoris sententiam damnatus, absque ulla remissione existat. (*Chrys.*) Nullum est enim scelus et nulla iniquitas, quæ non medicamento pœnitentiæ sanetur, si tantummodo contrito et humiliato corde cum lacrymis, gemitibus, vigiliis, orationibus, jejuniis, eleemosynisque, secundum virium suarum possibilitatem ad Deum, a quo peccando discessit, redeat : scripsit enim præclarissimus doctor Joannes, Constantinopolitanæ Ecclesiæ episcopus, optimum valde librum de reparatione lapsi per pœnitentiam, quem quicumque peccator legerit, puto quod ultra, donante Deo, pro numerositate peccatorum suorum desperare non poterit. Sed et sanctissimus martyr Cyprianus de lapsis elegantissimum scripsit librum; quorum duorum auctorum quisquis animarum medicus habuerit, et intellexerit libros congrue, in omnibus animarum vulneribus, juvante Deo, qui est medicus medicorum, salutiferam poterit apponere medicinam. Nec illud in præsenti excerptione puto esse reticendum, quod beatus Augustinus in libro de Civitate Dei quarto decimo de superbis vel occulte peccatibus, inquit : Utile est in aliquod apertum manifestumque peccatum cadere unde sibi displiceant qui jam sib. placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quam sibi placuit quando præsumpsit : hoc dicit et sacer Psalmus : « Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine (*Psal.* LXXXII, 17), » id est, ut tu eis placeas quærentibus nomen tuum, quod sibi placuerant quærendo suum. Sed est pejor damnabiliorque superbia quærentium in peccatis manifestis suffragium excusationis, inquirentes sicut illi primi homines, quorum et illa dixit : « Serpens seduxit me, et manducavi (*Gen.* II, 12), » et ille dixit : « Mulier quam dedisti sociam, ipsa mihi dedit de ligno et comedi. » Nusquam hic sonat petitio veniæ, nusquam imploratio medicinæ. Sed et illud non est prætereundum, quod idem sanctus Augustinus ait in libro de Fide et Operibus, de his qui homines male securos faciunt, ut propter rectam fidem etiamsi in criminibus permanserint non damnentur. Caveamus, inquit, diligenter in adjutorio Domini Dei nostri non facere homines male securos, dicentes eis quod si fuerint in Christo baptizati, quomodolibet in ea fide vixerint eos ad salutem æternam esse venturos. Jacobus enim apostolus ait : « Si quis fidem dixerit se habere, opera autem non habeat, nunquid fides salvare poterit eum? Fides enim sine operibus mortua est (*Jac.* II, 14). » Sicut enim fides recta absque bonis operibus nihil cuiquam prodest, ita opera bona sine fide prodesse alicui non possunt, testante sancta Scriptura : « Sine fide enim impossibile est placere Deo (*Heb.* XI, 6). » Ut enim fides recta sine operibus bonis salvare quemquam nequeat, idem clarissimus doctor Augustinus in libro de Baptismo quarto divinis ex testimoniis contestando affirmat dicens : Constituamus aliquem fornicatorem, immundum, luxu-

Digitized by Google

riosum, avarum, veneficum, discordiosum, contentiosum, seditiosum, invidum, ebriosum, comessatorem, catholicum : nunquid propter hoc solum quod catholicus est, regnum Dei possidebit, agens talia de quibus sic concludit Apostolus : « Quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur (*Gal.* v, 21) ; » et alibi dicit : « Hoc autem scitote cognoscentes quoniam omnis fornicator aut immundus aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei (*Eph.* v, 5). » Verax est enim sancti Jacobi apostoli sententia, qua dicit : « Fides sine operibus otiosa est (*Jac.* II, 20 *et* 26). » Quæritur a multis utrum parentes baptizatis parvulis noceant cum eos dæmoniorum sacrificiis sociare conantur, vel quantum in hoc ipsi parentes delinquant. Plenius de hac re sanctus Augustinus in Epistola ad Bonifacium episcopum de parvulis requirentem edocet nos dicens, qui semel generatus fuerit per aliorum spiritalem voluntatem, deinceps non posse vinculo alienæ iniquitatis obstringi, cui nulla sua voluntate consentit. Parentes autem vel quicumque majores filios seu quoslibet parvulos baptizatos dæmoniorum sacrilegio obligare conantur, spiritaliter homicidæ sunt. Nam in illis quidem interfectionem non faciunt, sed quantum in ipsis est, interfectores fiunt. Multa alia et innumerabilia sunt testimonia in divinarum Scripturarum auctoritate de criminibus mortalibusque peccatis, quæ in præsenti excerptione noster pauperculus non potuit colligere stylus. Nimis enim longum et arduum est etiam sapientibus et apprime eruditissimis viris cuncta Veteris Novique Testamenti, catholicorumque universorum de hac materia colligere dicta : quanto magis mihi omni ex parte sermone et vita ineruditissimo. Sed quia sanctæ charitati tuæ inobediens, ut credo, apparere non debui, præsumpsi ultra vires meas facere quod peritia mihi non ministrat, nec facultas tribuit, nec infirmitas permittit. Huc usque de gravibus mortalibusque peccatis ex multis sanctarum Scripturarum auctoribus pauca excerpta, si placet, sufficiant. Nunc autem de octo principalium vitiorum origine eorumque remediis prout auctor lucis æternæ tuis pro meritis donare dignabitur, secundum modicam capacitis meæ virtutem, ex sanctorum Patrum opusculis testimonia huic operi adjungere procurabo.

Cap. II. — *De materia octo principalium vitiorum eorumque origine sobolum.*

Humani generis creator et conditor Deus, propter immensam pietatis suæ misericordiam volens liberare populum suum a præsentibus perpetuisque malis et ad vitam feliciter perducere felicem, dat præcepta ac salutaria monita quæ agere vel observare debeat, unde inter cætera præcepta Deuteronomii ait Israeli (*Deut.* VI, 10) : « Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus es ingredieris et deleverit gentes multas coram te et Iheum et Gergeseum et Amorrheum et Cananæum et Ferrezeum et Eveum et Hebuzeum septemque gentes multo majores numeri quam tu es et robustioris, tradideritque eos Dominus tibi percuti eos usque ad internecionem. » (*Cass.*) Septem istæ gentes septem sunt principalia vitia, quæ per gratiam Dei unusquisque spiritalis miles exsuperans exterminare penitus admonetur ; quod vero majores numeri esse dicuntur, hæc ratio est, quia plura sunt vitia quam virtutes, et ideo in catalogo quidem dinumerantur septem nationes, in expugnatione vero earum sine numeri ascriptione ponuntur. Ita enim dicitur : « Et deleverit gentes multas coram te. » Numerosior est enim quam Israel carnalium passionum populus, qui de hoc septenario fomite vitiorum ac radice procedit. De gastrimargia namque nascantur comessationes, ebrietates. De fornicatione, turpiloquia, scurrilitas, ludicra atque stultiloquia. De philargyria, mendacium, fraudatio, furta, perjuria, turpis lucri appetitus, falsa testimonia, violentiæ, inhumanitas, ac rapacitas. De ira, homicidia, clamor, et indignatio. De tristitia rancor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio. De acedia, otiositas, somnolentia, importunitas, inquietudo, pervagatio, instabilitas mentis et corporis, verbositas et curiositas. De cœnodoxia, contentiones, hæreses, jactantia, ac præsumptio novitatum. De superbia contemptus, invidia, inobedientia, blasphemia, murmuratio, detractio, aliaque quamplura similia, quæ cum sint, multo majoris numeri quam virtutes. Devictis tamen illis septem principalibus vitiis, ex quorum natura ista procedunt, omnes protinus conquiescunt ac perpetua pariter cum his internecione deleatur. Quod autem hæ pestes etiam robustiores sint, manifeste naturæ ipsius impugnatione sentimus ; fortius enim militat in membris nostris oblectatio passionum carnalium quam studia virtutum, quæ non nisi summa contritione cordis et corporis acquiruntur. Quod vero istarum perniciosarum gentium regiones salubriter possidere præcipimur, ita intelligitur : habet enim unumquodque vitium in corde nostro propriam stationem ; sed si cum Israelis populo, id est, virtutibus contra se dimicantibus fuerint vitia superata, locum quem sibi in corde nostro concupiscentiæ vel fornicationis spiritus retentabat, deinceps castitas obtinebit ; quem furor ceperat patientia vindicabit ; quem tristitia morte operante occupaverat, salutaris et plena gaudio lætitia possidebit ; quem acedia vastabat, incipit excolere fortitudo ; quem superbia conculcabat, incipit excolere humilitas, et ita singulis vitiis expulsis eorum loca, id est, affectus contrarios possidebunt filii Israel, id est, animæ videntes Deum. Illud vero quod cum Abraham de futuris Dominus loqueretur, non septem gentes legitur dinumerasse sed decem, quarum terra semini ejus danda promittitur : qui numerus adjecta idololatria gentium, blasphemia Judæorum, errore hæreticorum, evidentissime adimpletur, quibus ante notitiam Dei et gratiam baptismi, vel impia gentilium, vel blasphema Judæorum multitudo subjecta est, donec intellectuali Ægypto commora-

Digitized by Google

tur. Si autem abrenuntians quis et egressus inde per Dei gratiam ad eremum pervenerit spiritalem, de impugnatione trium gentium liberatur, contra septem tantum quæ per Moysen dinumerantur bella suscipiet. Hactenus hæc pauca de octo principalibus vitiis Cassiani facundissimi doctoris sunt dicta, quæritur autem cur Cassianus et Gregorius in Catalogo eorumdem principalium vitiorum inter se dissentiant, ita ut Cassianus in eorum numero philargyriam et acediam adnumeret : econtra Gregorius non hæc duo vitia, philargyriam scilicet et acediam in eorum ponit numero, sed invidiam et avaritiam inter eadem adnumerat vitia, quod Cassianus nullatenus facit; ait enim Cassianus quod adversus octo principalia vitia, adjuvante Domino, colluctationem debemus arripere. Sunt autem hæc : primum gastrimargiæ vitium, quod interpretatur gulæ concupiscentia vel ingluvies ventris; secundum fornicationis; tertium philargyriæ, quod intelligitur avaritia, vel, ut proprius exprimatur, amor pecuniæ. Quartum iræ, quintum tristitiæ, sextum acediæ, quod est anxietas sive tædium cordis; septimum cœnodoxiæ, quod interpretatur vana gloria; octavum superbiæ. Beatus autem Papa Gregorius ita principalia vitia dinumerat et describit in ordine : Primum superbia, secundum inanis gloria, tertium invidia, quartum ira, quintum tristitia, sextum avaritia, septimum ventris ingluvies, octavum luxuria. Soluta est autem veraciter ab eruditis doctoribus ita hæc quæstio : Avaritia, inquiunt, quæ in Græco dicitur philargyria. Unde et Cassianus : Non solum eam Apostolus radicem esse omnium malorum. verum etiam idolorum servitutem pronuntiavit, dicens : Et *avaritia*, quod in Græco dicitur philargyria, « quæ est simulacrorum servitus (*Col.* III, 5). » Claret autem quia hi duo doctores, Gregorius et Cassianus, quamvis unus diceret philargyriam, alter avaritiam, nullatenus inter se in hoc nomine discrepaverunt, quia unum est avaritia et philargyria. Invidiam autem quam Cassianus inter cætera vitia non dinumeravit, dicunt sub titulo superbiæ eam intellexisse, ideo quia diabolus per superbiam de cœlo decidisset, invidendo autem de sedibus paradisi, primos homines expulisset, ob hoc unum voluot esse morbum; unde Prosper ait : In tantum unum est malum ut nec superbus sine invidia, nec invidus sine superbia possit inveniri : Acediam autem unde Gregorius in supra dicta principalium vitiorum dinumeratione nil dixit, aiunt eam sub tristitiæ nomine intelligere voluisse, unde et Cassianus : Acedia, quam nos, inquit, tædium sive anxietatem cordis possumus nuncupare affinis est tristitiæ. His autem sententiis manifeste probatur quia Gregorius et Cassianus de octo principalibus vitiis uniformiter senserunt. Quæritur et illud cur Gregorius in ipsa vitiorum adnumeratione primum vitium superbiam ponit, et Cassianus ultimum, ipse enim dicit : Licet morbus superbiæ octavus et ultimus sit, in conflictu vitiorum atque in ordine ponatur extremus, origine tamen et tempore primus est; item alio loco, cum sit superbia posterior in ordine conflictuum, origine tamen anteriorem esse omnium peccatorum et criminum principium, et cunctarum interfectricem virtutum. Abhinc quemadmodum ipsa octo principalia vitia eorumque soboles a beato Papa Gregorio in expositione beati Job, posita sunt et ordinatim præfixa, juvante Domino, persequamur. Ait enim : Vitia quippe tentantia quæ invisibili contra nos prælio repugnant super se superbiæ militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus, subsequuntur, ipsa namque vitiorum regina superbia, cum devictum plene cor cœperit, mox illud septem principalibus vitiis quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit, quos videlicet duces exercitus sequitur, quia ex iis procul dubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur, quod melius ostendimus, si ipsos duces, atque exercitus ut possumus enumerando proferamus. Radix quippe cuncti mali superbia est, de qua Scriptura attestante dicitur : « Initium omnis peccati superbia (*Eccl.* x, 15). » De hac quoque virulenta radice septem principalia vitia proferuntur, scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Nam quia his septem superbiæ vitiis nos captos doluit, idcirco Redemptor noster ad spiritalis liberationis prælium Spiritu septiformis gratiæ plenus venit. Sed habent contra hæc singula exercitum suum. Nam de inani gloria hæc oriuntur : inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ et nominatim præsumptiones. De invidia, odium, susurratio, detractio, exsultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur; de ira rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ, proferuntur; de tristitia, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur. De avaritia, proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ, et contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur; de ventris ingluvie, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagatur; de luxuria, cæcitas mentis, inconsiderantia, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror vel desperatio futuri generatur. Quia ergo septem principalia tantam de se vitiorum multitudinem proferunt, cum ad cor veniunt, quasi subsequentis exercitus catervas trahunt, ex quibus videlicet septem quinque spiritalia, duoque carnalia sunt, sed unumquodque eorum tanta sibi cognatione jungitur ut non nisi unum de altero proferatur; prima namque superbiæ soboles inanis est gloria, quæ dum oppressam mentem corruperit, mox invidiam gignit, quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat tabescit. *Invidia* quoque iram generat, quia quanto interno livoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo, tranquillitas amittitur, et quia quasi dolens membrum tangitur, idcirco oppositæ actionis manus velut gravius pressa

Digitized by Google

sentitur; ex ira quoque tristitia oritur, quia turbata mens, quo inordinate se concutit, eo addicendo confundit, et cum dulcedinem tranquillitatis amiserit, nihil hanc nisi ex perturbatione subsequens mœror pascit; tristitia quoque ab avaritia derivatur, quia dum confusum cor bonum lætitiæ intus amiserit, unde consolari debeat, foras quærit, et tanto magis exteriora bona adipisci desiderat, quanto non habet ad quid intrinsecus recurrit. Posthæc vero, duo carnalia vitia, id est, ventris ingluvies et luxuria supersunt: sed cunctis liquet quod de ventris ingluvie luxuria nascitur, dum in ipsa distributione membrorum ventri genitalia subnixa videantur, unde dum unum inordinate reficitur, aliud procul dubio ad contumelias excitatur. Bene autem duces exhortari dicti sunt, exercitus ululare, quia prima vitia deceptæ menti quasi sub quadam ratione se inserunt, sed innumera quæ sequuntur, dum hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore confundunt. Sed quia huc usque de octo principalibus vitiis pauca carpendo deprompsimus, deinceps necessarium valde reor ut ex multis sanctorum patrum opusculis latius secundum quid Dominus dare dignabitur, primum origines et naturas eorumdem, tam minutas, tam obscuras investigemus. Deinde causas et vexationes eorum, ac demum idoneas curationes eorum ac remedia, ut cœpimus carpendo indagemus

CAP. III. — *De natura et origine superbiæ.*

(*Cass.*) Quemadmodum vero hujus morbi virus perniciosissimum devitemus instrui poterimus, si ruinæ ipsius causas atque originem persequamur. Nunquam enim curari languor, nec remedia poterunt malis valetudinibus exhiberi, nisi prius inquisitione sagaci origines earum investigentur et causæ. Archangelus namque ille qui pro nimietate splendoris ac decoris sui lucifer nuncupatus est, nullo alio quam superbiæ vitio dejectus est de illa beata angelorum statione, et ad inferna collapsus. Hic namque indutus divina claritate, et inter cæteras supernas virtutes conditoris largitate præfulgens, splendorem sapientiæ et virtutum pulchritudinem, qua ornabatur gratia creatoris, naturæ suæ potentiæ, non munificentiæ illius beneficio, se credidit obtinere, et ob hoc elatus tanquam qui ad perseverantiam puritatis hujus divino non egeret auxilio Deo se similem judicavit, hæc enim sola cogitatio facta ruina est. Ob quam desertus a Deo beatitudinem qua Dei munere fruebatur amisit. Hæc est primæ ruinæ causa et origo principalis morbi, omnium etenim vitiorum fomites de superbia pullularunt testante sacra Scriptura: « Initium omnis peccati superbia (*Eccl.* x, 15). » Non alicujus, sed omnis peccati. quoniam non solum peccatum est ipsa, ut Prosper ait, sed etiam nullum peccatum fieri potest aut potuit vel poterit sine ipsa. Hæc enim est natura et origo superbiæ per quam inventor superbiæ de cœlestibus corruit, et postmodum primos homines corrupit et omne genus humanum de immortalitate ad mortalitatem adduxit, de quo dicit Apostolus: « Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit. »

CAP. IV. — *Quod superbiæ duo sint genera.*

(*Cass.*) Duo sunt genera superbiæ; unum, quod spiritales summosque pulsat, aliud quod incipientes carnalesque complectitur: et licet utrumque superbiæ genus tam in Deum quam in homines noxia inflet elatio, tamen illud primum specialiter refertur ad Deum; secundum ad homines proprie pertinet, quia enim, ut dictum est, duo sunt superbiæ genera: una videlicet superbia dicitur spiritalis, eo quod spiritales sanctosque homines pulsat; altera carnalis, quæ carnales impugnat. Sed primum de spiritali superbia dicendum est: illos enim solummodo pulsare solet spiritalis superbia, qui devictis superioribus vitiis jam propemodum sunt in virtutum culmine collocati, quos quia lapsu carnali subtilissimus hostis superare non quivit, spiritali ruina dejicere ac supplantare conatur, per hanc illos universis veterum stipendiorum meritis multo labore quæsitis spoliare contendens. Carnalis autem superbia carnales inobedientes facit et asperos, mites atque affabiles esse non patitur. Vitam eis facit longævam, et ne confessionem de peccatis faciant confusionem incutit, ac pudorem, pro suis negligentiis objurgati rebellant et murmurant; et quid amplius? cum miserabilem possederit mentem, ad veram Christi humilitatem descendere non permittit, de cujus miserrimo lapsu plura dicere curabimus cum de ejus indiciis tractare cœperimus.

CAP. V. — *Quod tantum sit malum superbiæ ut ipsum Deum adversarium habere mereatur.*

(*Cass.*) Tantum malum est superbia, ut non angelum, non alias virtutes sibi contrarias, sed ipsum Dominum adversarium habere mereatur, testante Scriptura, « Deus superbis adversatur »; et iterum: « Immundus est apud Deum omnis qui exaltat cor suum; » notandum siquidem est, quod nequaquam dixerit super his qui cæteris sunt vitiis involuti, quod habeant sibi Dominum resistentem, sed solis superbis.

CAP. VI. — *Qualiter superbia superbos vexat.*

(*Cass.*) Illis enim quos vexat superbia non opportunus est sermo, sed risus levis ac fatuus, effrenata atque indisciplinata cordis elatio, discipulos contra sanctos Ecclesiarum Dei rectores incautos reddit et elatos, sequaces suos in prosperitate facit elatos, in adversitate desperantes et tristes, in oratione tardos, in vigiliis pigros, in eleemosynarum largitate tenaces, in jejuniis avidos, in obedientia desides, in hospitalitate inhumanos, et quid amplius? in omnibus bonis inhonestos et immisericordes reddit.

CAP. VII. — *Quibus indiciis possit superbia cognosci.*

(*Cass.*) His igitur indiciis superbia declaratur,

Digitized by Google

inest primitus in loquela vis clamoris, in taciturnitate, amaritudo, excelsus et effusus in lætitia risus irrationabilis, in serietate tristitia, in responsione rancor, facilitas in sermone, verba passim sine ulla cordis gravitate erumpentia, exspers patientia est, charitas aliena, audax ad contumelias irrogandas, ad tolerandas pusillanimis, ad obediendum difficilis, ad recipiendam exhortationem implacabilis, ad resecandas voluntates suas infirma, ad succumbendum alienis dirissima, semperque suas definitiones statuere contendens, ipsa vero nequaquam cedere, locumque dare alteri acquiescens; et ita fit ut etiam capax consilii salubris effecta, in omnibus suo potius credat quam seniorum judicio, unde et Prosper ait : Hi quos superbiæ mentis tabes virulente corruperit seniorum suorum non obtemperant imperatis, sed judicant, de suis negligentiis objurgati, aut rebellant, aut murmurant, de loco superiori decertant, præferri se melioribus affectant, suas sententias procaciter jactant, non servant in obsequio reverentiam, hæc sunt superbiæ tumoris indicia, quibus Deus offenditur et his malis diabolus pastus exsultat.

CAP. VIII. — *Quod nullum vitium tam declinat a mandatis Dei quam superbia et ipsa magis iram Domini provocat.*

(*Hilar.*) In expositione cujusdam psalmi excellentissimus valde doctor Hilarius Pictaviensis episcopus cum dolore proclamavit dicens : o infelix superbia, quæ dedignatur sub præceptis cœlestibus vivere, quæ mandata divina animi infidelis tumore fastidit. Plurima sunt humanorum vitiorum crimina, et diversæ atque innumerabiles peccatorum operationes, sed nulla magis provocandæ in nos Dei iræ quam superbiæ causa est. Per superbiam enim plures humana contemnunt, et Deo obsequi spernunt, sed licet sint præclara cætera fidei opera, et in omni divinorum præceptorum custodia devotio immoretur, tamen subrepente superbia, memoria eorum, quæ recte operamur, abolebitur, per hanc Pharisæus ille evangelicus dicendo : « Non sum peccator sicut hic publicanus (*Luc.* XVIII, 11), » ex ingentibus operibus cecidit in crimen. Apostolus enim Paulus angelum Satanæ qui se colaphizaret accepit (*I Cor.* XII, 7) : ne magnitudine revelationum extolleretur. (*Cass.*) Est enim superbia gravissimum vitium, per quam humana despicimus et divina negligimus, ipsa pariter omnes exhaurit virtutes, ipsa hominem justitia et sanctitate exspoliat, ipsa est interfectrix cunctarum virtutum, ipsa est sævissima et superioribus cunctis immanior bestia, sine qua nullum fuit aut est aut esse poterit peccatum : « Initium, inquit, omnis peccati superbia (*Eccli.* X, 15). [*Prosp.*] Nil est enim aliud omne peccatum nisi Dei contemptus, quo ejus præcepta calcantur. Denique ipse diabolus inventor superbiæ per ipsam de cœlestibus corruit, quem Deus fecerat sine ullo peccato, et hæc est omnium malorum causa, per hanc versutus serpens diabolus primum parentem interemit, per hanc mortem intulit mundo. Est enim superbia mater et regina vitiorum, cujus rex est diabolus, dicente Scriptura : « Ipse est rex super universos filios superbiæ (*Job* XLI, 25). »

CAP. IX. — *Objectio vel increpatio adversus superbos diversa super hoc testimonia.*

Dicendum itaque est superbis : « Ut quid superbit terra et cinis (*Eccli.* X, 9); et illud : Deus superbis resistit (*I Petr.* V, 5); et illud : Immundus est apud Deum omnis qui exaltat cor suum; et illud : Omnis qui se exaltat humiliabitur (*Luc.* XIV, 11); et illud : Ante ruinam exaltatur spiritus (*Prov.* XVI, 18); et illud : Dominus alta a longe cognoscit (*Psal.* CXXXVI, 7); et illud : Initium omnis peccati superbia (*Eccli.* X, 15). » Deus humilis factus est, erubescat homo esse superbus. Occasio igitur perditionis nostræ facta est superbia diaboli, et argumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei, hostis enim noster inter omnia conditus videri supra omnia voluit elatus : Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus. Ergo dicatur humilibus, quia dum se dejiciunt ad Dei similitudinem ascendunt. Dicatur elatis, quia dum se erigunt in apostatæ angeli imitationem cadunt.

CAP. X. — *Quemadmodum superbiam superare possumus.*

Itaque hunc nequissimi spiritus laqueum taliter poterimus evadere, si in singulis quibus senserimus nos virtutibus profecisse, illud apostolicum dixerimus : « Non ego, sed gratia Dei mecum, et gratia Dei sum quod sum, et Deum esse qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate (*I Cor.* XV, 10); » dicente etiam ipso auctore salutis nostræ : « Qui manet in me et ego in illo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere (*Philip.* II, 13; *Joan.* XV, 5), et cætera talia. Superbia enim omnium depopulatrix virtutum per veram potest exstingui humilitatem, ideoque universitatis creator et medicus Deus causam principiumque morborum superbiam esse cognoscens, contrariis sanare contraria procuravit, ut ea scilicet, quæ per superbiam corruerant, per humilitatem resurgerent. Diabolus namque dicit : « In cœlum conscendam (*Isa.* XIV, 13) : » Dominus dicit : « Humiliata est in terra anima mea (*Psal.* XLIII, 25); » ille dicit : « Ero similis Altissimo (*Isa.* XIV, 14); » Dominus, « cum esset in forma Dei exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, humiliavitque se factus obediens usque ad mortem (*Phil.* II, 7); ille dicit : « Super astra Dei exaltabo solium meum (*Isa.* XIV, 13); iste dicit : « Discite à me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI, 29). » Si principalis ruinæ causam et salutis nostræ fundamenta perspeximus, a quo et qualiter vel ista jacta sint, vel illa emerserint, quemadmodum devitare tam atrocem mortem superbiæ debeamus, vel illius ruina vel illius doceamur exemplo.

Digitized by Google

CAP. XI. — *Remedia adversus morbum superbiæ.*

(*Cass.*) Si superbiam ferocissimam bestiam et devoratricem cunctarum virtutum omnimodis festinamus exstinguere, nosmetipsos omnibus hominibus inferiores judicemus, et viliores et universa, quæ nobis fuerint irrogata, et si sint injuriosa vel tristia, vel damnosa, tanquam a superioribus nostris illata patientissime toleremus, et mente jugiter recolamus vel Domini nostri vel sanctorum ejus passiones, considerantes tanto levioribus nos injuriis attentari, quanto longius a meritis eorum et conversatione distamus. Pariter etiam cogitantes cito nos de hoc sæculo migraturos. Deinde posthæc hanc eamdem humilitatem erga Dominum firmissime retentemus, quod a nobis ita complebitur ut nihil nosmetipsos absque illius opitulatione vel gratia quod ad virtutum consummationem pertinet posse perficere cognoscamus, sed et hoc ipsum quod intelligere meruimus ejus esse muneris in veritate credamus. Nam et sanctus pater Basilius de curatione et remedio superbiæ sic ait, impossibile est curari hoc vitium nisi abstrahat se et recedat ab omnibus occasionibus elationis, sicut impossibile est exstingui linguæ alicujus vel gentis loquelam vel artificium aliquod, nisi quis omni genere se abstrahat non solum ab agendo vel loquendo vel movendo, sed etiam ab audiendo eos, qui agunt id, quod oblivisci cupit, et hoc observandum de omnibus vitiis.

CAP. XII. — *De natura et origine inanis gloriæ.*

(*Cass.*) Cœnodoxia, quam nos vanam sive inanem gloriam appellamus, multiformis et varia atque subtilis est passio, ita ut quibuslibet perspicacissimis oculis non dicam caveri, sed provideri et deprehendi vix possit. Nascitur enim, ut dictum est, ex superbia, per hoc enim vanitatis vitium diabolus de angelica est ejectus beatitudine cum diceret : « Ero similis Altissimo (*Isa.* XIV, 14), » et per hunc inanis gloriæ morbum primos homines decepit cum eis diceret : « Eritis sicut dii, scientes bonum et malum (*Gen.* III, 5). » Est enim inanis gloria multiplex et multiformis, ac varia, ut dictum est, passio, undique bellatore ex omni parte victori occurrens. Nam et in habitu et in forma et in incessu, in voce, in opere, in vigiliis, in oratione, in remotione, in lectione, in scientia, in taciturnitate, in obedientia, in humilitate, in longanimitate, Christianum vulnerare conatur, per hoc vanitatis vitium decipitur, quisquis in bonis suis laudari desiderat, et non Domino Deo honorem et laudem et gratiarum actiones refert. Nec divinæ imputat gratiæ, quidquid boni cogitavit aut dixit vel fecit, sed quasi ex se habeat, quod recte cogitavit, vel dixit, vel opere implevit, seu et dignitatem et sublimitatem terreni honoris vel spiritalis decorem sapientiæ, vel ex suo merito, vel ex suo studio, acquisisse se gloriatur, dum nemo hominum potuit, potest aut poterit boni quidquam absque Dei gratia vel adjutorio vel inspiratione cogitare, vel dicere, vel facere, vel habere, sicut Dominus in A Evangelio discipulis suis ait : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* XV, 5). »

CAP. XIII. — *Qua comparatione monstretur natura cenodoxiæ, id est, inanis gloriæ*

(*Cass.*) Pulchre seniores naturam morbi hujus in modum cæpæ pultorumque describunt, quæ uno decorata tegmine, alio rursum inveniuntur indota, totiesque reperiuntur obtecta, quoties fuerint explicata.

CAP. XIV. — *Qualiter vel quibus modis inanis gloria sectatores suos pulset ac vexet.*

(*Cass.*) Non solum enim ut cætera vitia in parte carnali, sed etiam in spiritali hominem pulsat, subtiliore se nequitia ingerens menti, et quem non po- B test carnalibus vitiis decipere, de spiritalibus bonis conatur sauciare, tantoque est perniciosior ad conflictum quanto obscurior ad cavendum. A dextris enim et a sinistris Christianum impugnare non cessat. Ait enim sapientissimus Salomon : « Ne divertaris ad dextram vel ad sinistram (*Prov.* IV, 27). » Qui enim se de virtutibus et operibus bonis extollunt et inaniter blandiuntur, ad dextram divertuntur; qui vero de vitiis gloriam sibi in sua confusione conquirunt, ad sinistram per elationis et inanis gloriæ vitium divertuntur. Quem de specie succinctæ ac nitidæ vestis cœnodoxia non potuit generare, pro squalida et inculta ac viliore conatur inferre, quem non potuit per honorem dejicere, humilitate supplantat, quem scientiæ et locutionis ornatu non C potest extollere, gravitate taciturnitatis elidit, si jejunet, palam gloria vanitatis pulsatur, si illud contemnendæ gloriæ causa contexerit, eodem vitio elationis obtunditur, ne vanæ gloriæ contagione maculetur, orationes occultas exercet, et quod nullum habeat hujus facti conscium non effugit aculeos vanitatis. Hic enim morbus nec eos, qui in solitudine cunctorum mortalium consortia gloriæ causa fugerunt, persequi cessat, quantoque amplius universum quis dispexerit mundum, tantum alacrius persequitur et insectatur, alium quod patientissimus sit operum ac laboris, alium quod ad obediendum promptissimus, alium quod humilitate cæteros præponderet, conatur extollere, alius scientiæ, alius lectionis, alius vigiliarum prolixitate tentatur, solet D autem hic vanæ gloriæ morbus quosdam in clericali ordine constitutos propter sonum vocis extollere, eo quod latius psallant, aut quod sint forma corporis decori, aut quod parentes divites ac nobiles habeant, aut quod sint eruditi sapientia, aut quod eloquentes et facundissimi in sermone, aut quod sint diversis imbuti artibus et disciplinis, et quid amplius? semper hæc vanitatis pestis ad hoc hominem tam clericum quam laicum, tam virum quam feminam, tam senem quam juvenem impugnat, ut de bonis, quæ agit, laudem ab hominibus requirat.

CAP. XV. — *Quibus indiciis possit inanis gloria cognosci.*

(*Basil.*) Iis enim indiciis inanis gloria cognoscitur,

Digitized by Google

cum quis præsentibus illis qui laudare possunt, aliquid agit operis boni. Nullo autem tali præsente vel etiam his qui vituperare possunt segnis esse et pigrior in opere, si enim Domino placere vellet semper utique et in omni loco idem esset, eadem gereret, adimplens quod scriptum est, per arma justitiæ a dextris et a sinistris per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces. Est enim vanitas inflata quædam circa delectationes varias animi languentis affectio, potiendi honoris accida simul et nescia, morbo excellentiæ inanis inflata, turbulenta, animorum levium domina, male fundatis omnibus blanda, repugnantibus fumea, capiendis seductoria, captivis invicta, simulatio quædam virtutum, appetitio dignitatum, dulcis miseris, amara perfectis. Cui serviunt timidi, sub qua jacent elati, qui se de operibus, quorum sibi conscii non sunt turpiter jactant, qui se prædicari ab hominibus per nefas affectant, qui sanctos viros sui comparatione depretiant, his et similibus delinitos vanitas premit, nec eos morbum suum sentire aut ad medicum venire permittit, et quid est ad medicum venire, nisi infirmum suas infirmitates cognoscere? tantamque eos ardor humanæ laudis inflammat, ut laboriosa opera quæ populus admiretur, et quibus fama diffunditur, sine labore suscipiant, et libenter exerceant, inde est quod jejunare, abstinere, vigilare, Ecclesiam frequentare, vel psallere, cum hæc omnia sine labore non faciunt, etiam cum delectatione faciunt, ut ab hominibus, quibus placere, non Deo, desiderant, videantur, unde veritas ait : « Amen, dico vobis, receperunt mercedem suam. » (*Matth.* VI, 2 *et* 5.)

CAP. XVI. — *Increpatio adversus eos qui inanis gloriæ morbo vexantur, diversa super hoc testimonia.*

(*Cass. et Hieron.*) Egregius prædicator Paulus monet dicens : « Nolite fieri inanis gloriæ cupidi (*Gal.* V, 26); » et Dominus Pharisæos castigans : « Quomodo, » inquit, « potestis vos credere qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est non quæritis? » (*Joan.* V, 44.) De his et beatus David cum interminatione dicit : « Quoniam Deus dissipavit ossa hominum sibi placentium (*Psal.* LII. 6). »(*Hieron.*). Idem propheta docet non nostram sed Domini gloriam esse deprecandam cum orando dicit : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (*Psal.* CXIII, 1;) » Et Paulus apostolus : « Qui gloriatur, in Domino glorietur (*I Cor.* I, 31). » Et illud : « Gratia Dei sum id quod sum (*I Cor.* XV, 10). » His autem sententiis eruditus cave, o inanis gloriæ cupide, ut de bonis, quæ agis laudem ab hominibus non requiras; firmiter autem crede, quamvis eleemosynas multas facias aut longas orationes, aut jejunia multa, aut castitatem aut virginitatem custodias, aut qualicunque bona facias, si propter laudes hominum agis, a Deo mercedem pro his bonis nullatenus recipies.

CAP. XVII. *Remedia quibus inanem gloriam superare possimus.*

(*Cass.*) Tali autem remedio hanc multiformem variamque inanis gloriæ bestiam poterimus evadere, si cogitemus illud Davidicum eloquium : « Dominus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent (*Psal.* LII, 6), » primitus nihil pro vanitatis et inanis gloriæ caplendæ gratia faciamus. Deinde ea quæ bono initio fecerimus observatione simili custodire nitamur, ne omnes laborum nostrorum fructus post irrepens cenodoxiæ morbus evacuet, etenim ea quæ nos possunt inter cæteros notabiles reddere, ac velut solis facientibus laus apud homines sit conquirenda, vitemus. Nam et ad hunc evitandum morbum necesse est ut consideremus non solum fructus laborum nostrorum nos amissuros quoscunque inanis gloriæ proposito fecerimus, sed etiam reos magni criminis factos æterna supplicia, veluti sacrilegos, soluturos, utpote qui ad injuriam Dei opus, quod ejus obtentu nos oportuit agere, hominum gratia maluimus exercere, ab eo, qui occultorum est conscius, homines Deo et gloriam mundi gloriæ Domini prætulisse convicti. Est etenim hujus vitii medicina, prout sanctus Basilius episcopus ait, ut omnia propter Deum et ex mandato ejus faciamus bona, et in nullo sectemur hominum laudes, et item alio loco, si certus sit quis de præsentia Dei et fixam habeat sollicitudinem Deo placendi, et multo desiderio teneatur earum beatitudinum quæ a Domino repromissæ sunt, ab hoc vanitatis juvante Domino poterit curari vitio.

CAP. XVIII. — *De natura et origine invidiæ.*

(*Cypr.*) Nihil magis Christiano cavendum est, nihil cautius providendum, quam ne quis invidia et livore capiatur, ne quis fallentis inimici cæcis laqueis implicatus, dum zelo frater in fratris odia convertitur, gladio suo nescius ipse perimatur. Quod ut colligere plenius et manifestius perspicere possimus, ad caput ejus atque ad originem recurrimus. Videamus unde invidia et zelus et quando et quomodo ceperit, facilius enim a nobis malum tam perniciosum vitabitur, si ejusdem mali et origo et magnitudo noscatur. Hinc diabolus inter initia stantis mundi et perit primus et perdidit, ille angelica majestate subnixus, ille Deo acceptus et charus, per quam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malevolo livore prorupit, non prius alterum dejiciens instinctu zeli, quam ipse zelo ante dejectus. Captivus antequam capiens, perditus antequam perdens, dum stimulante livore homini gratiam immortalitatis eripit, ipse quoque id quod prius fuerat amisit : exinde invidia grassatur in terris, dum livore peritus magisterio perditionis obsequitur, dum diabolum, qui invidit, imitatur, sicut scriptum est : « Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum (*Sap.* II, 24), » imitantur ergo illum, qui sunt ex parte ejus, hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abel justum Cain invidit injustus, et Esau fratrem suum Jacob

Digitized by Google

invidendo inimicus extitit. Et Joseph ab invidis fratribus est venditus, et Saul rex invidendo est persecutus David, et Judæi inde perierunt, dum Christo malunt invidere quam credere.

CAP. XIX. — *Qualiter invidos vexat invidia.*

Nemo existimet malum istud una specie contineri aut brevibus terminis et angusto concludi, late patet zeli multiplex et fecunda pernicies, radix est malorum omnium, fons grandium [*Al.*, generalium], seminarium delictorum, materia culparum, hinc odium surgit, animositas inde procedit, avaritiam zelus inflammat dum suo quis non potest esse contentus, videns alterum ditiorem, ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem, zelo excitante sensus nostros atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur, inflatur superbia, exacerbatur sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia cæcutit, furit discordia, ira fervescit, nec se iram potest cohibere vel regere, qui factus est potestatis alienæ, hinc dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur. Est enim invidia animæ tinea, quæ contagione tabescit pectoris, invidit autem in altero, vel virtutem ejus, vel felicitatem, id est, vel merita propria, vel beneficia divina, in malum proprium bona aliena convertunt invidi, illustrium prosperitate torquentur, aliorum gloriam suam faciunt pœnam, quibus cibus lætus non est nec potus jucundus, suspirat semper et ingemiscit et dolet, dumque ab invidis nunquam livor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur, mala cætera habent terminum, et quodcunque delinquitur delicti consummatione finitur, invidia terminum non habet, permanens jugiter malum et sine fine peccatum, quantoque ille cui invidet successione meliore profecerit, tanto invidus et malevolus in majus incendium livoris ignibus inardescit: quis facile potest, quale sit hoc malum verbis exprimere, quod invidus odio hominis persequitur divinum munus in homine, cum potius amari homo debeat etiam pro sui meriti sanctitate? Tantos invidus habet justa pœna tortores, quantos invidiosus habuerit laudatores, siquidem invidiosum facit excellentia meriti, invidum pœna peccati. (*Hieron.*) Inter invidum autem et invidiosum hoc interest quod invidus feliciori invidit, invidiosus autem is est qui ab alio patitur invidiam, invidia enim semper aliena felicitate torquetur et in duplicem scinditur passionem, cum aut ipse est in eo in quo alium esse non vult, aut alium videns esse meliorem dolet se ei non esse consimilem, pulchre quidam poeta de invidia lusit dicens:

Justius invidia nihil est, quæ protinus ipsum
Auctorem rodit excruciatque animum.

CAP. XX. — *Quibus indiciis invidorum dignoscitur invidia.*

(*Cypr. et Prosp.*) Est enim invidorum vultus minax et torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida et effrenata convicia, manus ad cædis violentiam prompta etiamsi gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata, odia intra se invidi abscondunt, in suos cruciatus enutriunt, proficientibus invident, peccantibus favent, de bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, inimicitiis gratuitis ardent, deprehendi pectoris sui malitiam timent, semper amari nunquam certi, amici diaboli, inimici etiam sui, opinionem bonorum mundati decolorant, in spiritalibus carnalia laudant, ut spiritalia bona eisdem esse persuadeant.

CAP. XXI. — *Increpatio adversus invidos.*

(*Cypr.*) Quicunque es invidus et malignus videris, quam sis eis, quos odisti, insidiosus, perniciosus, infestus, nullius magis quam tuæ salutis inimicus! et quisquis ille est, quem zelo persequeris, subterfugere et vitare te poterit, tu te non potes fugere, ubicunque fueris adversarius tuus tecum est, hostis semper in pectore est, pernicies intus inclusa est, ineluctabili catenarum nexu ligatus et vinctus es, invidia etiam dominante captivus es, nec solatia ulla tibi subveniunt, perseverans malum est hominem persequi ad Dei gratiam pertinentem. Calamitas sine remedio est odisse felicem. Si homo lucis esse cepisti, quæ sunt Christi gere, quia lux et dies Christi es. Quid in zeli tenebras ruis? quid te nubilo livoris involvis, quid invidiæ cæcitate omne pacis et charitatis lumen exstinguis? quid ad diabolum cui renuntiaveras redis? Quid Cain similis existis? quid sub vestitu ovium lupus latitas? quid gregem Christi, qui Christianum te mentiris infamas? Christi nomen induere et non per Christi viam pergere quid aliud quam prævaricatio est divini nominis, quam desertio itineris salutaris? Quapropter considera, o invide, in quanta cæcitate es, qui alieno profectu deficis, qui aliena exsultatione contabescis, quantæ infelicitatis es, qui melioratione proximi deterior existis, perpende, quæso, quia dum te a livore minime custodis, in antiquam versuti hostis nequitiam cedis, si enim aliena bona diligere voluisses, ea quasi tua propria facere potuisses.

CAP. XXII. — *Remedia adversus morbum invidiæ.*

(*Cypr.*) Hujus autem vitii hæc esse poterit medicina, et istius curatio morbi, si divinis meditationibus et exercitationibus corroboretur animus contra omnia diaboli jacula firmandus, et si in manibus divina sit lectio, in sensibus dominica cogitatio, et si oratio jugis omnino non cesset, salutaris operatio perseveret, spiritalibus semper actibus animus occupetur, ut quotiescunque inimicus accesserit, quoties adire tentaverit, clausum adversum se pectus inveniat et armatum, et qui fueras invidia et livore possessus, omnem illam malitiam qua prius tenebaris abjice, ad viam vitæ æternæ vestigiis salutaribus reformare, evelle de pectore tuo spinas et tribulos, venena fellis evome, discordiarum virus exclude.

Digitized by Google

purgetur mens quam serpentinus livor infecerat, unde vulneratus fueras inde curare, ama eos quos ante oderas, dilige illos quibus injustis obtrectationibus invidebas, bonos imitare si sectari potes, si sectari non potes collætare certe et gratulare melioribus, fac te illis adunata dilectione participem, fac te consortio charitatis et fraternitatis vinculo cohæredem, cogita ea quæ divina et justa sunt, habes autem multa quæ cogites, paradisum cogita, quo Cain non rediit, qui invidia fratrem peremit, cogita cœleste regnum, [*Forte deest* ad] quod non nisi concordes atque unanimes Dominus admittit; cogita quod filii Dei hi soli possint vocari, qui sint pacifici, qui nativitate et lege divina ad similitudinem Dei Patris et Christi respondeant adunati, cogita sub oculis Dei nos stare, spectante ac judicante ipso conversationis ac vitæ nostræ curricula decurrere, cogita cito nos ab hoc sæculo migraturos, si enim hæc quæ dicta sunt cogitaveris et opere impleveris, ab invidiæ morbo Deo protegente curari poteris.

Cap. XXIII. — *De natura et origine iræ ac furoris.*

Ira enim ex invidia generatur, cum in externo vulneris livore animus sauciatur, et tanto mansuetudo tranquillitatis amittitur, quanto plus invidia cujusque mentem obsederit. Postquam diabolus propter superbiam de cœlesti ejectus est beatitudine, invidus et iracundus homini per deceptricem nequitiæ suæ artem de beatissimis paradisi sedibus expulit seducendo, et hæc est natura et initium iræ quæ species est furoris (*Basil.*); inter furorem autem et iram hæc est differentia, quia qui irascitur intra animos suos hoc volvit, sicut ex ipso indicatur quod dicitur: « Irascimini et nolite peccare (*Psal.* IV, 5), qui vero furit jam plus aliquid per motum gerit, « furor enim, inquit, eis secundum similitudinem serpentis. » Inter iracundiam autem et iram hoc interest, quod iracundus, semper irascitur, iratus pro tempore concitatur.

Cap. XXIV. — *Qualiter ira vexat iratos ac furibundos.*

(*Cass.*) Ira denique in nostris cordibus insidente, nec judicium recte discretionis acquirere, nec honestæ contemplationis intuitum, nec maturitatem consilii possidere, nec vitæ participes, nec justitiæ tenaces, sed ne spiritalis quidem ac veri luminis capaces poterimus existere, « quia exacerbatus est, inquit, præ ira oculus meus (*Psal.* VI, 8), » nec sapientiæ participes efficiam etsi sapientes omnium pronuntiari opinione videamur, quia ira in sinu insipientium requiescit. (*Hieron.*) Duplex autem non solum apud nos, verum etiam apud philosophos iræ nomen accipitur, vel cum injuria lacessiti naturalibus stimulis concitamur, vel cum requiescente impetu et furore restricto potest mens habere judicium et nihilominus super eo qui putatur læsisse desiderat ultionem, hoc autem vitium iræ humanitatem et clementiam et mansuetudinem aufert ab eo qui eam familiarius possidet.

Cap. XXV. — *Quibus indiciis dignoscitur iracundus.*

(*Cass.*) Cum miserabilem hic iræ morbus obsederit mentem adversus qui commotus fuerit rancorem animi reservat, negat quidem se verbis irasci, sed reipsa et opere indignari gravissime comprobatur, namque ei [neque eum] congruo sermone compellat, nec affabilitate ei solita colloquitur, sed est ei responsio amara, sermo durus, vultus torvus, aspectus aversus, mens turbida et adversa, quem ira retentat semper paratus ad irridendum, ad exasperandum, ad reprehendendum, et bona ejus non recte pronuntiandum, hoc enim vitium mentem turbat, rectum consilium dissipat, justitiam alienat.

Cap. XXVI. — *Increpatio adversus morbum iræ.*

(*Cass.*) Si ad perfectionem tendis, et agonem spiritalem legitime cupis decertare, ab omni ira, et furore alienus existe, audi quid Dominus noster præcepit dicens: « Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio (*Matth.* V, 22). » Et Paulus apostolus: « Omnis, inquit, ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia (*Ephes.* IV, 31). » Cum dicit, « Omnis ira tollatur a vobis, » nullam penitus velut necessariam et utilem nobis excepit. Quod autem dicit Psalmista: « Irascimini et nolite peccare (*Psal.* IV, 5), » jubet, nobismetipsis vitiisque nostris ac suggestionibus pravis irasci, et non peccare, ad effectum scilicet eas noxium perducere, hoc autem iræ vitium cave ne vel leviter in corde resideat tuo, admit enim ubi fuerit sanctam multarum virtutum catervam, ait enim Scriptura: « Vir iracundus inhonestus est; » et iterum: « Ira in sinu insipientium requiescit; » et: « Iracundus agit sine consilio, et vir animosus parit rixas, vir autem iracundus effodit peccata (*Prov.* XV, 18); » et apostolus: « Ira enim viri justitiam Dei non operatur (*Jac.* I, 20). »

Cap. XXVII. — *Remedia quibus iram de cordibus nostris eradicare possimus.*

(*Cass.*) Hæc est hujus morbi medicina perfecta, ut primitus credamus nullo modo sive injustis sive justis ex causis licere nobis irasci, secundo scientes nos templum Spiritus sancti effici omnino non posse iracundiæ in nobis spiritu commorante, postremo ut cogitemus nequaquam licere nobis orare nec iratos fundere preces ad Deum, et incertum humanæ conditionis statum considerantes quotidie nos credamus e corpore migraturos, nihilque nobis continentia castitatis, nihil jejuniorum, orationum, eleemosynarum, vigiliarumque laboribus conferendum, quibus propter iracundiam solam et odium ab universitatis judice supplicia promittuntur æterna.

Cap. XXVIII. — *De natura et origine tristitiæ mortiferæ.*

Ex ira quoque tristitia oritur, quia perturbata mens quo inordinate se concutit, eo addicendo confundit, et cum dulcedinem tranquillitatis amiserit, nihil hanc nisi ex turbatione subsequens mœror pascit. Nonnunquam tamen iræ præcedentis vitio

Digitized by Google

subsequi seu concupiscentiæ lucrive cujusdam minus indepti generari tristitia solet, cum se harum rerum quadam spe mente concepta quis viderit excidisse, interdum vero etiam nullis existentibus causis diabolico instinctu tanto repente mœrore deprimimur, ut quidquid benigna affabilitate, quidquid competenti confabulatione a quoquam prolatum fuerit, importunum nobis ac superfluum judicetur, nullaque a nobis reddatur eis grata responsio universos cordis nostri recessus felle amaritudinis occupante.

Cap. XXIX. — *De natura et origine tristitiæ salutiferæ.*

(*Cass.*) Prædicator egregius de hac tristitia ait: quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam ad salutem stabilem operatur, hæc enim aut alienum peccatum luget aut proprium, nec de hoc dolet, quod divina justitia agitur, sed de eo mœret, quod humana iniquitate committitur, hæc namque tribus generatur modis, primo pro pœnitudine delictorum, secundo pro desiderio perfectionis, tertio pro contemplatione futuræ beatitudinis, his enim indiciis salutifera dignoscitur tristitia, est namque obediens, affabilis, humilis, mansueta, suavis ac patiens, habens in semetipsa omnes fructus Spiritus sancti quos enumerat idem Apostolus: « Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, continentia (*Gal.* v, 22). » Hæc est enim ut dictum est, salubris tristitia, secundum Deum, quæ pœnitentiam ad salutem stabilem operatur, quæ sectatores suos a mundanis et noxiis separat actibus, et ad cœli dirigit arcem. Absque ista enim omnis tristitia tanquam sæculi, et quæ mortem inferat, æqualiter repellenda est, nunc ad propositum ordinem iræ mortiferæ revertendum est.

Cap. XXX. — *Qualiter tristitia mortifera sectatores suos vexat ac propulsat.*

(*Cass.*) Quem enim hic pestifer possidet morbus ab omni cum separat divinæ contemplationis intuitu, mentemque ejus ab omni puritatis statu labefactat ac deprimit. Non orationes ei cum cordis alacritate permittit explere, non sacrarum lectionum sinit remediis incubare, tranquillum ac mitem esse non patitur, et ad cuncta operationum vel religionis officia, impatientem et asperum reddit, omnique salubri consilio perdito et cordis constantia perturbata velut amentem facit et ebrium, sensum frangit, quem et obruit desperatione pœnali.

Cap. XXXI. — *Quibus indiciis mortifera declaratur tristitia.*

(*Cass.*) Hæc vero tristitia asperrima est, impatiens, dura, plena rancore et mœrore infructuoso, ac desperatione pœnali, quem vero possidet ab orationis segregat studio, a lectionis abstrahit exercitio, ad sacras meditationes negligentem reddit et desidem, ad sancta vigiliarum studia tardum facit, et pigrum, universos fructus spiritales evacuat, quos novit illa conferre quæ secundum Deum est tristitia.

Cap. XXXII. — *Increpatio adversus morbum mortiferæ tristitiæ.*

(*Cass.*) Quisquis es huic pestifero irretitus morbo, memento quia sicut tinea vestimento et vermis ligno ita tristitia nocet cordi tuo. Evome igitur hoc amaritudinis venenum, ut quid enim pro amissione lucri præsentis tristaris? ut quid pro illato detrimento? ut quid pro irrogatis injuriis? ut quid mortifera desperatione, pro innumerositate peccatorum tuorum, sicut Cain post fratricidium, et Judas post proditionem tristando concuteris? Audi dicentem Dominum: « Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* xxxiii, 11), » ubi et quando et in quacunque re tristitia sæculi contra se erexit die ore et opere: « Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabo in Deo salutari meo (*Isa.* lxi, 10). »

Cap. XXXIII. — *Remedia quibus tristitiam mortiferam de cordibus nostris exterminare possimus.*

(*Cass.*) Hanc ergo perniciosissimam passionem ita de nobis expellere poterimus, si mentem nostram spiritali meditatione jugiter occupatam futura spe et contemplatione repromissæ beatitudinis erigamus, pro æternarum rerum intuitu semper læti atque immobiles perdurantes, nec casibus dejecti præsentibus nec prosperis fuerimus elati, utraque velut caduca et mox transeuntia contemplantes, et apostolus Jacobus hujus vitii medicinam nobis congruenter insinuat dicens: « Tristatur aliquis vestrum, oret; æquo animo est, psallat (*Jac.* v, 13), » his enim modis universa malarum tristitiarum genera opitulante Domino possumus superare si volumus.

Cap. XXXIV. — *De natura et origine avaritiæ.*

(*Cass.*) Avaritia, quæ in Græco dicitur philargyria, quæ est simulacrorum servitus, Apostolo dicente, radix omnium malorum, sic enim ait: « Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis (*I Tim.* vi, 10). Oritur autem hæc insaturabilis pestis ex superbia, quæ est Dei contemptus. Nam angelicus ille ordo, qui de cœlo infeliciter cecidit, propter superbiam et avaritiam corruit, ubi et hæc insaturabilis rabies avaritia, quæ et cupiditas dicitur, principalem sumpsit originem, dum Domino concupivit esse similis, cum diceret: « Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo (*Isa.* xiv, 14), » quia avaritia non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis; per hanc diabolus primos homines de claustris ejecit paradisi, per hanc et Dominum ausu improbo tentavit, cum ei omnia regna mundi ostendit dicens: « Hæc omnia tibi dabo si procidens adoraveris me (*Matth.* iv, 9), » hæc autem inexplebilis pernicies ut Prosper luculentissimus doctor ait sine superbia inveniri non potest, sic enim ait, sane cupiditas atque superbia in tantum unum est malum, ut nec superbus sine cupiditate, nec sine superbia possit inveniri cupidus. Denique si

Digitized by Google

quodlibet peccatum perpetrare non possum nisi meæ delectationi consentiam, quod cupiditatis est proprium, et Dei præcepta contemnam, quod est superbiæ malum, quomodo non ex cupiditate quæ est radix malorum omnium et ex superbia, quæ « initium omnis peccati (*Eccli.* x, 15) » dicitur, procedit omne peccatum?

CAP. XXXV. — *Qualiter avaritia vexat avaros.*

(*Cass.*) Avaritia enim quosdam sectatores suos vexat in acclamatione et laude boni nominis facta populari, quosdam de sublimitate honoris, quosdam de acquirendis rebus superfluis; nonnullos de rapiendis aliorum facultatibus, nonnullos ut proprias retineant inutiliter divitias propulsat. Solet namque avarus cogitare vel dicere: si pecunias reconditas non habuero, quid filii mei post mortem facient, quid si infirmitas corporis mei evenerit, quid si longa senectus prolongaverit. (*Jerem.?*) Hæc et alia his similia tractantes avari pecunias utcunque conquirentes nummos per fas et nefas habere desiderant, et pleno sacello delectantur, currunt enim et discurrunt, nunc huc, nunc illuc, negotiando, rapiendo, mentiendo jurando, rixando, tunc enim putat bonum habuisse se diem, quando denarium reponit avarus in arca et ideo insatiabilis et inexplebilis per omnia turpitudinum genera lasciviæque discurrit: ubi pecunias reponat, cui eas credat ambiguus, deinde quid ex iis coemere, qualeque commercium valeat duplicare cura graviori distenditur, cumque illi et ex hoc voto [et hoc ex voto] cesserit, avidior famis accrescit avaritiæ, tantoque vehementior suscitatur, quanto etiam summa lucri major apponitur. (*Cass.*) Cum pecuniæ etenim incremento rabies cupiditatis augetur, sicut enim hydropicus quanto plus bibit, tanto plus sitit, ita avarus quanto magis habet, tanto magis habere desiderat, nihilque aliud respicit cordis intuitu, quam unde pecuniam parare valeat, procreatrix namque est omnium malorum avaritia, quæ sequaces suos ubi spes nummi aliqua potuerit refulgere, nullam fidem exhibere permittit, pro hoc non mendacii, non perjurii, non furti facinus perhorrescit. Fitque per omnia ut aliis venter, ita avaro aurum et spes lucri pro Deo. Unde beatus Apostolus « avaritiam simulacrorum servitutem (*Col.* III, 5) » pronuntiavit, eo quod figura Dei et imagine prætermissa, quam devote serviens Deo immaculatam in semetipso debuit custodire, hominum figuras impressas auro diligere pro Deo maluit et tueri. Cunctos igitur pene omnes agitat avaritia, nullum de his quietum esse permittit: qui nihil habent cupiditate torquentur, illi qui divitias possident sollicitudine cruciantur. Nec ipsis enim bene est, qui recondito auro incubant, imo ipsis est gravius, semper enim sunt anxii, mœsti, solliciti, ne hoc servus auferat, ne fur effodiat, atque ideo retrudentes illud tenebris, ita abscondunt, ut omnium subterfugiat notionem, nihil ex eo proferentes aliquando ad usum, ne apertio tenebrarum sit causa perdendi, servant autem illud et non utuntur, A servant inquam, custodes ergo dixerim istos esse [*Forte interponendum* non] dominos, et alienum attendere diligenter, non proprium convenienter expendere: avarus enim sollicitius servat quam acquirit, molestius custodit quam rapuit: suspirat enim vigilans acquirendo, suspirat dormiens reservando, nec vigiliæ lætæ, nec somnus securus, nec dies lætus, nec nox quieta est, discurrit, torquetur et gemit, et quasi illi [*F.* nil] proficiat, quod acquirit. Qui possessionibus longe lateque diffusis in confinio alium possidere non patitur, dum terminos jungit, fines producit, calumniatur pauperi, mediocrem premit, vicinum excludit, et omnes circumcirca positos infestando ac persequendo depellit, qui non acquirit, nisi alius fleverit, lucra non condit, nisi alius gemuerit: cui B soli bonum est, quod publicum malum est, dum aut fructus servat, aut annonam captat, aut inflat pretia, aut fenus exaggerat, dum acquirendi lucra per nocendi exquirit ingenia, cui pupillorum dulcis est gemitus, et viduarum suavis est fletus, dum præda, hujusmodi pascitur, et spoliis talium delectatur. Qui dives est arca, non merito, possessione non genere, nomine non dignitate, cujus avaritiæ nec proprium sufficit, nec modum imponit alienum, solet namque avaritia devictum animum quasi ex ratione exhortari cum dicit: valde sine culpa est, quod quædam habenda concupiscis, quia non multiplicari appetis, sed egere pertimescis, et quod male alius retinet ipse melius expendis.

CAP. XXXVI. — *Quibus indiciis cognoscitur avaritia.* C

(*Cass.*) Quem enim avaritia possidet, magis ad forum quam ad Ecclesiam properari suadet, magis intentis oculis perspicit aurum quam cœlum, magis auro textas et olosericas vestes considerat quam animæ suæ virtutes, magis denarium amat quam pauperem, magis hujus vitæ lucrum, quam animæ suæ remedium, magis aurum quam Deum: nullam enim humilitatem, nullam obedientiam, nullam charitatem, nullam reverentiam, nullam virtutem exhibet, sed indignatur ad omnia, et ad singula opera murmurat atque suspirat, et velut equus durissimus ad præcipitium fertur infrenis.

CAP. XXXVII. — *Increpatio adversus avaros, diversa super hoc testimonia.*

D O quisquis es, avare et cupide, audi Dominum in Evangelio suo dicentem: « Cavete ab omni avaritia (*Luc.* XII, 15), » et Apostolum comminantem: « Neque avari, neque rapaces, regnum Dei possidebunt (*I Cor.* VI, 10). » Audi et Salomonem dicentem: « Fructum non capiet ex eis (*Eccli.* V, 9); » item: « Avaro nihil est scelestius (*Eccli.* X, 9); » et item alio in loco dicit Scriptura: « Avarus pecuniis non implebitur (*Eccli.* V, 9). » Pertimesce, o avare, has divinarum Scripturarum sententias, et noli in arca cubiculi terreni tuas reponere divitias, sed eas potius per manus pauperum orphanorum, viduarumque, in cœlestibus transmitte thesauris. Audi, o avare, o cupide, Paulum dicentem apostolum: « Ava-

Digitized by Google

ritia nec nominetur in vobis (*Ephes.* v, 3). » Item : « Avaritia, quæ est simulacrorum servitus (*Col.* III, 5). » Quam sit hæc rabies humano generi noxia audi adhuc ipsum dicentem apostolum : « Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem (*I Tim.* VI, 9). » Audi et Jacobum apostolum, ejus noxia vulnera aperientem : « Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis quæ advenerint vobis : divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra a tineis comesta sunt, aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras quasi ignis (*Jac.* V, 1). » His sacris perterritus sententiis, cave, o miser avare, ne aurum retineas in arca, et peccatum in anima, ne vestes in camera, et scelus in conscientia, ne fruges et subsidia in cellaria, et miseram reserves animam in inferno cum diabolo sine fine miserabiliter cruciandam. Da pauperibus, o avare, quod habes in terra, ut invenias reservatum in cœlo ab angelis, quod pro Christi amore distribuisti pauperibus in terra, si enim in hac vita pauperibus tuam non distribueris substantiam, post mortem autem scias te cum purpurato divite et avaro sine misericordia in inferno cruciandum. « Nihil enim prodest si universum mundum lucraveris, sic Dominus ait, et post mortem detrimentum animæ tuæ patiaris (*Matth.* XVI, 26). » Cave ne cuiquam molestus existas, ne injuste aliquem opprimas, ne potentibus, aut pauperibus, ne vicinis aut extraneis, ne viduis aut pupillis, sua injuste abstrahas, voces enim eorum et lacrymæ ad justum et districtum judicem Deum ascendunt.

CAP. XXXVIII. — *Remedium contra morbum avaritiæ.*

(*Cass.*) Hæc est enim medicina et curatio perfecta, hujus pestiferæ cladis, si super omnia considerantes conditionem fragilitatis humanæ, caveamus, ne dies Domini, sicut fur in nocte superveniens, audiamus illud quod in Evangelio diviti dictum est : « Stulte, hac nocte animam tuam expetent a te; quæ autem parasti, cujus erunt? » (*Luc.* XII, 20.) qui enim ab hoc vitio sanari desiderat, sine cessatione diem mortis ante oculos præcogitet, et quod post hominem in sepulcro vermis, et post vermem pulvis futurus sit, penset, et ubi tunc erunt ejus divitiæ pertractet, hæc et his similia pertractando sit eleemosynis largus, oratione compunctus, timore Domini ornatus, pœnitentia fervens, charitate ardens. Hactenus divina opitulante gratia de quinque spiritalibus vitiis, ut exiguitas nostra potuit, ex orthodoxorum patrum opusculis succinctim huic excerptioni æterna inseruit testimonia, nunc quoque restat, ut de duobus carnalibus, gula videlicet atque luxuria eo donante, qui abstinentes castasque diligit mentes, carpendo ut cœpimus, pertractemus.

CAP. XXXIX. — *De natura et origine gastrimargiæ, quæ interpretatur ventris ingluvies.*

Excepta superbia, quæ est principalis ruina et regina, materque omnium vitiorum, septem sunt ejus soboles, quinque videlicet, spiritales, id est inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, duoque carnales, ventris ingluvies scilicet, atque luxuria, sunt autem simul octo, principalia vitia, jam de quinque vitiis cum matre sexta pariter supra disputatum est, ab hinc de gastrimargia et luxuria ut octonarium expleant numerum, pertractandum est. Ventris autem ingluvies, quæ et concupiscentia gulæ dicitur, ubi vel quando, qualiterque sumpsit originem plenius Prosper insinuat dicens : Videamus qualiter illi homines primi commiserint tam grande peccatum quod et ipsos de paradiso projecit, in hoc vitæ pœnalis exilium, et in eis originaliter totum damnavit genus humanum, prohibitum siquidem a Domino fuerat quod de ligno scientiæ boni et mali ne comederent, sed gulæ vitio decepti comederunt, nisi enim comedissent, perpetuo immortales essent, si sub Deo suo viventes, præceptum quod acceperunt custodissent, nec desererentur a Deo nisi Deum prius ipsi desererent, et idcirco in hanc ærumnosam hujus vitæ miseriam gulæ delicto atque morti traditi sunt dejecti, ubi omnis homo per peccatum nascitur, per laborem vivit, per dolorem moritur.

CAP. XL. — *Qualiter ventris ingluvies vexat ac propulsat amatores suos.*

(*Cass.*) Tribus enim modis, ventris ingluvies suum quem possidet hominem vexat : primo ut ante horam canonicam et statutam gulæ causa cibos potumque degustet; secundo quod tantummodo ventris ingluvie et saturitate quarumlibet gaudet escarum; tertio quod accuratioribus et pretiosioribus cibis delectatur, quod nec corporis sui necessitas, nec suæ qualitas personæ congruit : sunt enim, ut Isidorus ait, quatuor genera districtionum in gulæ appetitu, id est, quid, quando, quantum et quomodo appetatur. Quid ad rem ipsam pertinet quæ appetitur, quando, si ante legitimum tempus quid appetatur. Quantum vero ad immoderationem refertur, quomodo ad impatientiam festinationis accipitur. Gastrimargia enim, id est, ventris ingluvies, quem possidet patienter vivere non permittit. Nam illum nocturnis horis frequenter de suo facit surgere lecto, et ut celeriter ad secessum festinet, certatim cum magno impetu urget. (*Hieron.*) Digestio ventris et gutturis uno occupatur officio. Nimiæ enim eo tempore illum circumdant luxuriosæ cogitationes, quia ubi saturitas et ebrietas fuerint, ibi libido dominatur, nunquam ego ebrium castum putabo, qui etsi vino consopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum. Postquam enim a suo misero surrexerit somno discurrit huc illuc, anxiando, perquirendo, quomodo, qualiter, vel quibus cibis potibusque suum iterum possit onerare ventrem, quacunque enim hora a somno surrexerit, sive media nocte, sive galli cantu, sive illucescente die, statim dolorem capitis sentit nimium, sitim ardentem, et statim ut voracissimus lupus avide potum cibumque cum omni anxietate

Digitized by Google

perquirit, et ubi invenerit, mox labia sicca, fauces amaras, pulmones inflatos, viscera collidentia, vorando ut gluto et gastrimargus refrigerat.

CAP. XLI. — *Quibus possit indiciis cognosci gastrimargus, id est, gulæ deditus.*

Quem hæc miserabilis lacerat bestia, his potest dignosci indiciis. Nam deliciosus semper et avidus est, cibos enim lautiores et pretiosos requirit. Quantacunque ciborum fercula ante se posita viderit, ut de omnibus sumere possit, pertractat, tempus et horam edendi sollicite per horologia anxius investigat, sæpiusque egreditur et ingreditur cellam, ac solem velut ad occasum tardius properantem crebrius intuetur; si autem disputationem aliquam audierit de abstinentia et jejunio aurem avertit, aliunde fabulas sumit, et ut citius potest illo de loco fugit et quibuscunque potest ingeniis huc illucque pervolat, inquirendo unde sibi diversos cibos poculaque conficiat, et ut solus hos percipiat horam exspectat secretam.

CAP. XLII. — *Increpatio adversus gulæ deditos.*

Adversus vos, o gastrimargi et gulosi, divina per Evangelium intonat sententia dicens : « Attendite ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate (*Luc.* XXI, 34); » et Paulus adversus vos clamitat apostolus : « Esca ventri et venter escis, Deus autem et hunc et hanc destruet (*I Cor.* VI, 13). » Nam et de vobis idem apostolus dicit : « Quorum Deus venter est et gloria in confusione his qui terrena sapiunt (*Phil.* III, 9). » [Cass.] Considerate quia Sodomitæ non vini crapula, sed saturitate panis submersi sunt, audite Domini prophetam Hierusalem increpantem : « Quid enim peccavit soror tua Sodoma, nisi quia panem suum in saturitate et abundantia comedebat? » Pensate igitur si Sodomitæ de sola nimietate panis corruerunt, quid facient illi qui sano corpore carnium ac vini perceptione immoderata libertate præsumunt, non quantum expetit imbecillitas, sed quantum animi libido suggesserit usurpantes. (*Isidor.*) Audite pariter, o gulæ dediti, o ebriosi et vinolenti, quam vehementer arguantur comessatio et sumptuosa convivia per prophetam, ita ut comminetur Dominus se non dimissurum hanc iniquitatem his qui eam libenter ambiunt; dicit enim per Isaiam : « Ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum, si dimittitur iniquitas hæc vobis, donec moriamini (*Isa.* XXII, 13). » Sicut omnes carnales cupiditates abstinentia resecantur, ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio destruuntur, inde est quod et idem Propheta dicit : « Princeps coquorum destruxit muros Hierusalem, » quia et venter cui servitur a coquis virtutes animæ destruit. Quapropter audiant ebriosi : « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria (*Eph.* V, 18), » audiant et illud propheticum; « Fornicatio et ebrietas auferent cor (*Ose.* IV, 11), » ebrietas, sicut in Lot, sensus ratione captivat. Audiant qui multum bibunt et non inebriantur : « Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem (*Isa.* V, 22); » audiant vino multo dediti et luxuriose viventes per Isaiam prophetam : « Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam usque ad vesperum, ut vino æstuetis (*Ibid.*, 11). » Audiant gulosi, audiant ebriosi apostolum Paulum dicentem : « Non in comessationibus et ebrietatibus (*Rom.* XIII, 13); » et iterum : « Esca nos non commendat Deo (*I Cor.* VI, 8). » Quapropter admonendi sunt gulæ dediti ne in eo quod escarum delectationi incumbunt luxuriæ se mucrone transfigant. Quanta cibi per esum loquacitas, quanta mentis levitas insidietur aspiciant, ne dum ventri molliter serviunt, vitiorum laqueis crudeliter astringantur.

CAP. XLIII. — *Remedia contra morbum gastrimargiæ id est ventris ingluviem*

Qui autem hoc vitium plene superare desiderat, non solum in sumendis dapibus parcimoniam teneat, ut scilicet refectionem semper esuries temperet, verum etiam accuratiores simul et suaviores epulas, excepta corporis infirmitate et hospitum susceptione, contemnat, (*Cass.*) et non solum mentem et corpus suum constringat jejuniis, verum etiam vigiliis, lectione quoque et crebra compunctione cordis, ubertate quoque lacrymarum et oratione assidua, seu et eleemosynarum largitate, nec non et assiduitate cujuslibet boni operis, mentemque suam contemplationi divinæ defigat amore virtutum potius et pulchritudine cœlestium delectetur, et ita velut caduca despiciet universa præsentia. Nam et contra triplicem impugnationem quæ in hujus vitii vexatione superius descripta est, triplicem observantiam necesse est custodire, id est, ut primum legitimum tempus et horam absolutionis et refectionis exspectet; secundo ut absque summa necessitate corporis, ut supra dictum est, deliciosas sibi epulas præparare non jubeat; tertio ut qualibuscunque escis vilioribusque contentus sit.

CAP. XLIV. — *De natura et origine luxuriæ ac fornicationis.*

(*Cass.*) Ex quo etiam hic immundissimus spiritus luxuriæ atque fornicationis oriatur voce dominica declaratur. « De corde, inquit, exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, » et cætera (*Matth.* XV, 19), hic enim fornicationis infestissimus morbus, cum a primo tempore pubertatis impugnare incipiat hominum genus, non nisi prius cætera vitia superentur, exstinguitur. (*Isid.*) Oritur etenim luxuria ex vitio superbiæ exemplo primi hominis, qui mox ut per superbiam tumuit contra Deum, statim carnis sensit libidinem, et pudenda operuit. Inter cætera septem vitia, quæ mater vitiorum superbia generat, fornicatio maxima est scelerum, quia per carnis immunditiam templum Dei violat et tollens membra Christi facit membra meretricis. Diversa sunt autem fornicationis genera. Est autem fornicatio carnalis, in

Digitized by Google

qua fit corporis inquinatio, est et spiritalis, in qua non corpus polluitur, sed mens inquinatur, de qua Christus ait : « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* v, 28). » Omnis enim immunda pollutio, fornicatio dicitur, quamvis quisque diversa turpitudinis voluptate prostituatur. (*Hier.*) Ex delectatione enim fornicandi varia gignuntur flagitia, quibus regnum Dei clauditur, et homo a Deo separatur, unde et in veteri lege de nefandis criminibus, quæ in occulto fiunt, et ei nominare turpissimum est, ne et dicentis os et aures audientium polluerentur, generaliter Scriptura complexa est dicens : « Verecundos vel reverentes facite filios Israel ab omni immunditia, » de qua et Paulus apostolus loquitur : « Fornicatio autem et omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos (*Ephes.* v, 3). » Nam et prophetatum in locis plurimis invenimus, idololatriam fornicationem appellatam, ut illud : « Fornicabantur, inquit, post idola sua et spiritu fornicationis seducti sunt (*Ezech.* vi, 9). »

Cap. XLV. — *Qualiter luxuria vexat luxuriosos.*

Plerumque hi, quos hæc immundissima vexat passio, turpes et luxuriosos proferunt sermones et nimio libidinis ardore succensi ad speciosas mulierum formas petulantes ingerunt oculos, et anxii huc illucque sollicitando currentes, quomodo et ubi qualiterque etiam in nefandissimis criminibus, quod nimis turpe est dicere, suam immundissimam possint explere libidinem. Nam et ideo sæpe comptæ pretiosis se induunt vestibus, ut amari possint ab his quos in sua miseria cupiunt participes habere, et qualicunque diabolico stibio et ornatu possunt, suas decolorant facies.

Cap. XLVI. — *Quibus possit indiciis cognosci luxuriosus.*

(*Cypr.*) Quibus est enim vita luxuriosa et impudica frequenter verba vana et falsa atque luxuriosa loquuntur, vagari oculos semper per formas illices et speciosas permittunt, pompatico et illecebroso gressu incedunt, lasciviam diligunt, libidinem amant, cupiditatem applaudunt, verba multiplicant, gulæ concupiscentias sectantur, ebrietatem diligunt, lites et iras non devitant, avaritiam et philargyriam non refrenant, otiositatem amant, bonis moribus non delectantur, inter eos qui de castitate et continentia loquuntur tacent, Scripturas divinas, de vita pudica, fastidiunt, habitum ordinatum propositumque convenientem tam capillorum quam vestium sicut decet non habent, omnem immunditiam non devitant, sed amant.

Cap. XLVII. — *Increpatio adversus luxuriosos et fornicatores.*

Audiant luxuriosi qui carnalem sectantur luxuriam Paulum apostolum terribiliter comminantem : « Neque fornicatores, inquit, neque idolis servientes, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt (*I Cor.* vi, 9). » Et rursum : « Fornicatores et adulteros judicabit Deus (*Hebr.* xiii, 4). » Et rursum idem apostolus ait : « Fugite fornicationem, fratres : quodcunque enim peccatum fecerit homo extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat (*I Cor.* vi, 18). » Audiant et hi qui spiritalem sectantur luxuriam, id est, qui in corde libidini consentiunt, et ad opus concupitæ libidinis non pertranseunt : « Qui viderit, » inquit Dominus, « mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* xxviii). » Et per beatum Job dicitur : « Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet Deus in me desuper, et hæreditatem Omnipotens de excelsis (*Job* xxxi, 1)? » Nisi enim actori [*Forte* auctori] nostro cogitatio pravi consensus displiceret, nequaquam per Isaiam diceret : « Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis (*Isa.* i, 16). » Et in Evangelio Pharisæis : « Quid cogitatis mala in cordibus vestris (*Matth.* ix, 4). » [*Isid.*] Ex corde enim primum fornicationes sunt auferendæ ut non prorumpant in opera, hinc est, quod per prophetam dicitur : « Accingite lumbos vestros super ubera vestra (*Isa.* xxii, 11), » hoc est, in corde libidines resecate, quæ ad lumbos pertinent. Nam cor super ubera est, non in lumbis. Audiant et hi qui sectantur immunditiam, id est, qui non grande putant esse facinus, quod sine concubitu maris et feminæ in diversis diabolicis prostitutionibus suam provocant libidinem. Apostolum, inquit, Paulum audiant dicentem : « Neque immundi regnum Dei possidebunt (*I Cor* vi, 10); » et rursum : « Fornicatio et omnis immunditia nec nominetur in vobis (*Eph.* v, 3). » [*Hier.*] Non enim diceret, « omnem immunditiam, » nisi diversis ex modis influxus seminis fieret, fieret et sordidissima titillatio carnis. (*Cass.*) Audiant Paulum apostolum dicentem, omnes pariter adulteri, luxuriosi, fornicatores, immundi, molles masculorum concubitores. « Non enim, inquit, vocavit vos Deus in ignominiam sed in sanctimoniam, » itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis. Et illud : « Hæc est, inquit, voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in honore et sanctificatione, non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum (*I Thess.* iv, 3); » et illud in Epistola ad Hebræos : « Pacem, inquit, sectamini et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum (*Hebr.* xii, 14). Hic quoque evidenter sine sanctimonia, quam solet integritatem mentis vel puritatem corporis appellare, pronuntiavit Deum penitus videri non posse, si quidem et hic similiter infert, eumdem sensum explanans, Ne quis fornicator, aut profanus, ut Esau. Audiant hi qui non carnis corruptione sed cordis delinquunt, sententiam sancti Basilii Cæsariensis episcopi. Mulierem inquit ignoro, et virgo non sum, ubi intelligitur non tam in mulieres esse abstinen-

Digitized by Google

tiam, quam integritatem cordis, unde et Augustinus episcopus: virginitas carnis, corpus intactum, virginitas animæ fides incorrupta.

CAP. XLVIII. — *Remedia contra morbum luxuriæ ac fornicationis, omniumque immundorum nefandorumque criminum.*

(*Cass.*) Duplex namque oppugnatio est fornicationis atque luxuriæ, armata vitio consurgens ad prælium, et idcirco similiter ei gemina est acie resistendum, si quidem ut morbo carnis animæque concretum virus acquirit, ita nisi utrisque pariter dimicantibus nequeat [nequit] debellari. Nec enim sufficit ei qui ab hoc immundissimo vitio desiderat sanari solum corporale jejunium, nisi præcedat contritio spiritus et oratio, et continua sanctarum Scripturarum meditatio; sed et spiritalis intelligentia et scientia ad expurgationem hujus impurissimæ passionis plurimum prodest, labor etiam opusque manuum ad hujus vitii refrenationem optime adjuvat, et ante omnia humilitas vera, sine qua nullius vitii penitus poterit unquam triumphus acquiri, summo etenim studio ad excoctionem istius morbi parcimonia jejuniorum sectanda est: ne escarum abundantia refecta caro rectorem suum spiritum dejiciat. Hic enim morbus cum corporis afflictione et contritione cordis solitudine quoque ac remotione indiget, ut possit ad integrum sanitatis statum perniciosa æstuum febri deposita pervenire. Valde enim noxium est, in oculorum fornicatorum obtutibus, speciosas habere formas, et non solum speciosas, verum etiam qualescunque ubi fornicatio aut fornicationis suspicio esse potest. (*Hier.*) David enim sanctus, et secundum cor Domini electus, Bersabeæ captus est nuditate, quapropter adulterio junxit homicidium. Salomon enim quod noluit recedere a mulieribus, recessit a Domino, et ne aliquis de sanguinis propinquitate confidat, in illicitum Thamar sororis Ammon frater exarsit incendium. (*Cass.*) Valde enim prodest ad exstinguendum fornicationis ardorem longe recedere ab his quorum aspectus nos pertrahere et provocare potest ad incitamentum libidinis: illud enim primitus expiandum est, unde fons vitæ mortisque manare cognoscitur, dicente Salomone: « Omni custodia serva cor tuum (*Prov.* IV, 23); » exinde enim procedunt cogitationes luxuriosæ, dicente Domino: « De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, etc. (*Matth.* XV, 19), » sed et qui pleniter vult suggestionem hujus diabolicæ calliditatis exstinguere, primum recordationem omnium feminarum de corde suo expelliere festinet, earumque consortium quibuscunque congruis modis potest effugiat. Unde et beatissimus antistes Ambrosius inter cætera ait, si intraveris in castellum ne appropinques mulieribus et non demoreris in sermonibus apud illam, quomodo enim si quis deglutiat hamum, sic attrahitur anima tua. Nam et optime juvat ad exstinguendam fornicationis flammam recordatio perpetuæ damnationis ignisque æterni et præteritorum rememoratio scelerum seu et præmeditatio mortis, diesque tremendus futuri judicii, sed et pro absolutione præteritorum delictorum, et pro adipiscenda perpetua mentis et corporis puritate multum adjuvat eleemosynarum pia largitio, et quod majus est, hunc immundissimum fornicationis spiritum, omni mentis intentione non nostris viribus confidentes credamus nos expugnare posse, hoc enim perficere industria humana non prævalet, sed opitulatio et misericordia Domini, nec labore et studio proprio victoriam obtinere nos posse credamus, nisi fuerimus divino auxilio ac protectione suffulti, impossibile est enim hominem suis, ut ita dixerim, pennis ad tam præcelsum cœlesteque præmium subvolare, nisi eum gratia Dei de terræ luto et cœno munere castitatis eduxerit. Quapropter, ut cuncta hujus morbi remedia breviter replicem: oportet eum, qui ab hac pestifera valetudine vult curari, imprimis indesinenter nocturnis et diuturnis precibus a Domino se postulet purgari, vigiliisque, lectionibus sacris scripturarum, meditationibus, compunctione scilicet, contritione cordis et corporis remotione, manuum operatione, atque indefesso jejunio pervigilet. Huc usque eo quo sancti ecclesiarum Dei doctores octo principalia vitia descripserunt, prout exiguitas sensus nostri potuit, largiente Domino, ex diversorum patrum edictis de origine, vexatione, indiciis, increpationibus remediisque eorumdem vitiorum pauca excerpsimus testimonia, nunc quoque restat ut secundum traditionem sanctorum Patrum Ægyptiorum Orientaliumque eadem vitia, eorumque ordinem, ut bonorum omnium auctor dare dignabitur, breviter carpendo prosequamur.

CAP. XLIX. — *De gastrimargia cæterorumque principalium vitiorum recapitulatio.*

(*Cass.*) Gastrimargia græce, latine concupiscentia gulæ, sive ingluvies ventris dicitur. Est enim primum corporale peccatum, per quod primi homines ejecti sunt de Paradiso et per quod Esau primogenita sua vendidit concupiscendo lenticulam, hoc enim vitium tribus modis videtur regnare in homine, id est: dum homo non necessitate, sed gulæ concupiscentia anticipare cupit statutam refectionis horam; secundo dum tantummodo ventris ingluvie et saturitate quibus qualibusque escis onerare desiderat ventrem; tertio dum pretiosioribus accuratioribusque oblectatur epulis. Contra hanc triformem rabiem, triformis adhibenda est curatio, id est, ut primum exspectet tempus refectionis legitimum. Tempus enim Christiani hominis legitimum refectionis, nisi pro corporis infirmitate, ante horam diei tertiam auctoritate canonica non est statutum sed prohibitum, secundo ut etiam ipsis [de ipsis] vilioribus cibis, non pro desiderio, sed pro necessitate et sustentatione corporis sumat. Ipsa enim aqua cibique vilissimi si pro desiderio gulæ, et non pro necessitate corporis assumantur, peccatum gastrimargiæ ex divinis scripturarum testimoniis esse cognoscitur. Tertio ut qualibuscunque escis vilioribusque contentus sit, sed et per orationem,

Digitized by Google

jejunium, abstinentiam, assiduitatemque quorumlibet operum bonorum, hoc miserrimum superatur vitium.

CAP. L. — *De fornicatione.*

(*Isid.*) Fornicatio est omnis immunda pollutio. Prima fornicationis oculorum tela sunt, secunda verborum. Sunt autem principalia genera fornicationis duo, primum in qua [*Forte leg.* inquam] fit per commistionem carnis sive cum femina, vel etiam alia quacunque immunditia ad explendum libidinis ardorem. Hæc autem carnalis dicitur fornicatio. Secunda autem spiritalis dicitur fornicatio quæ sola concupiscentia et desiderio perpetratur : de qua Dominus dicit : « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* v, 28). » Hæc autem est hujus impurissimæ passionis perfecta curatio, ut subtrahat se modis omnibus ab eorum consortio et visu ubi hæc latitat miserrima passio, et cum oratione assidua, lectione creberrima, vigiliisque continuis recordationem ignis æterni ac timorem præsentiæ Dei, diemque mortis absque ulla intermissione pertimescat, et jejunia, esuriemque diligat, et saturitatem ventris refugiat. Pulchre sanctus Ambrosius episcopus, ut peritissimus medicus cuidam tale dedit consilium : statue in pondere panem tuum, et bibe mensura aquam tuam, et spiritus fornicationis fugiet a te.

CAP. LI. — *De philargyria.*

(*Isid.*) Philargyria, quæ interpretatur avaritia, sive amor pecuniæ, omnium criminum materia est, unde et Apostolus ait : « Radix omnium malorum est cupiditas (*I Tim.* VI, 10), » omni peccato pejor est, avaritia et amor pecuniarum. Unde per Salomonem dicitur : « Nihil est scelestius quam amare pecuniam (*Eccli.* X, 9), » hæc enim animam suam venalem facit, quoniam in vita sua projecit intima sua. Est enim philargyria pestis insaturabilis, ut ait quidam. Semper, inquit, avarus eget, quia, quanto magis acquirit tanto amplius quærit. Non solum desiderio augendi excruciatur, sed etiam amittendi metu afficitur, fit enim hæc insatiabilis bestia, in acquirendo, habendo, tenendo, et sicut hydropicus quanto plus bibit, tanto plus sitit, sic et hæc passio ut dictum est, quanto plus habet, tanto plus desiderat. (*Cass.*) Quamvis omni humano generi sit inimica hæc passio, maxime autem monachis, omnibusque clericis divinis consecratis officiis perniciosissima est, impugnat enim eos tripliciter. Primo facit eos velle acquirere ea quæ ne antea quidem possederant, sicut Giezi discipulus sancti Elisæi. Unde cum eo æterna lepra sancti Elisæi maledictione perfunduntur. Secundo facit eos resumere pecunias, ut Judam proditorem Domini, quas antea, Christum secuti abjecerant. Tertio facit eos aliquam reservare partem, cum de divitiis sæculi ad paupertatem Christi transeunt, ut Ananiam et Sapphiram, pro quo una cum eis apostolico ore morte mulctantur. Hæc est igitur hujus vitii perfecta curatio si illud apostolicum recordetur dictum. « Habentes, inquit, victum et vestitum, his contenti simus (*I Tim.* VI, 8); » et illud quod in Evangelio diviti dictum est : « Stulte, hac nocte animam tuam expetent a te, quæ autem parasti, cujus erunt? (*Luc.* XII, 20.) » sed et assiduus Dei timor et recordatio præteritorum scelerum et fraterna charitas et opera misericordiæ, eleemosynarumque pia largitio, spesque futuræ beatudinis, et oratio cum cordis cognatione [*Forte* contritione], assidua, hanc serpentinam et virulentam mortificant passionem.

CAP. LII. — *De ira.*

(*Cass.*) Iræ duo sunt genera, unum salutiferum, alterum mortiferum. Ira salutaris est, quando homo contra propria irascitur peccata et contra seipsum indignatur, dum male agit, et contra lascivientes cordis sui motus indignanter infremit, et ea quæ agere turpe est coram hominibus, vel proloqui, in latebras ascendisse sui pectoris indignatur, angelorum scilicet ac Dei ipsius præsentiam, cui nulla latent secreta, pertimescens. Taliter nos irasci etiam ille propheta docet qui dicit : « Irascimini et nolite peccare (*Psal.* IV, 5), » id est, irascimini vestris vitiis ac suggestionibus pravis, et nolite peccare, id est, pravas et malas cogitationes vestras ac suggestiones ad effectum et opus malum perducere, ille etenim cum aquam de cisterna Bethlemitica concupisset, ea sibi allata, iratus contra cupiditatis suæ desideria, statim fudit eam in terra, dicens : « Propitius sit mihi Dominus, non faciam hoc, num sanguinem istorum hominum qui profecti sunt et animarum periculum bibam (*I Reg.* XXIV, 7)? » Alia est autem ira mortifera, quæ multa generat mala, hæc enim si cordi insidet, oculum mentis noxiis tenebris obcæcat, nec judicium rectæ discretionis acquirere, nec honestæ contemplationis intuitum, nec maturitatem consilii possidere permittit, nec vitæ participes, nec justitiæ tenaces, nec veri luminis capaces poterunt existere morbo huic irretiti, fit autem hæc ira aliquando propria amaritudine; aliquando alterius provocatione diabolico instinctu, hæc autem ira mentem turbat, rectum consilium perdit, quæ si ratione non regitur, in furorem vertitur, ita ut homo sui animi impotens sit, faciesque non conveniat. Cujus morbi hæc erit medicina perfecta, ut primitus credamus; nullo modo sive injustis, sive justis ex causis licere nobis irasci, dicente Apostolo : « Omnis ira et indignatio tollatur a vobis (*Ephes.* IV, 31). » Nullam reliquit hujus generis iram. Sed et per patientiam et mansuetudinem ac longanimitatem, et per veram cordis compunctionem, et per rationem intellectualem quam Deus inserit mentibus humanis, et per timorem illud [illius] Evangelici dicti : « Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio (*Matth.* V, 22), » et per recordationem orationis Dominicæ ubi Deo dicitur : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (*Matth.* VI, 12), » optime vincitur.

Digitized by Google

Cap. LIII. — *De tristitia.*

(*Basil.*) Duo sunt enim genera tristitiæ, unum secundum Deum, alterum secundum sæculum; illa quæ secundum Deum tristitia est, salutifera est : illa quæ secundum sæculum mortifera. Secundum Deum est tristitia, cum pro mandati negligentia vel pro prævaricatione tristamur, secundum quod scriptum est : « Tristitia tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. » (*Cass.*) Fit vero hæc tristitia modis tribus : primo, pro pœnitudine delictorum; secundo, pro desiderio perfectionis; tertio, pro contemplatione futuræ beatitudinis, de qua et beatus Paulus apostolus: « Quæ secundum Deum est, inquit, tristitia pœnitentiam ad salutem stabilem operatur, sæculi autem tristitia est, quæ mortem operatur (*II Cor.* VII, 10). » Cum aliquis de rebus humanis, quæ ad sæculum pertinent, contristatur, hæc miserabilis passio in bono opere nihil perficere valet, hæc animum turbat, et sæpe perniciosissimam desperationem animæ injicit delinquenti, et bonorum futurorum spem abstrahit, fit autem hæc sæculi tristitia modis sex, aliquando ex præcedente ira descendit, aliquando pro amissione lucri, aliquando pro detrimento illato advenit, aliquando pro irrogatis generatur injuriis, aliquando de irrationabili mentis confusione procedit, aliquando mortali desperatione pro scelerum magnitudine nascitur. Quæ omnia tristitiarum genera vincuntur per spiritalem lætitiam et meditationem, et per bonorum spem futurorum, et priscarum consolationem Scripturarum, seu et per fraternum in spiritali jucunditate colloquium, sanctorumque operum exercitium.

Cap. LIV. — *De acedia.*

(*Cass.*) Acedia Græce, Latine tædium sive anxietas cordis, vel etiam otiositas dicitur : affinis hæc tristitiæ, excæcat enim mentem acedia, ab omni contemplatione virtutum et ab universo intuitu spiritalium sensuum facit animam dormitare, sicut beatus [David] eleganter expressit : « Dormitavit, inquiens, anima mea præ tædio (*Psal.* CXVIII, 28), » id est, præ acedia. Proprie satis non corpus dixit, sed animam dormitasse, fit enim aliquando in mente, aliquando corpore, aliquando mente simul et corpore, omnibus enim modis Deo famulantibus multum nocere probatur, dum ab omni actu spiritali reddunt tur otiosi, ac vacui. Hoc autem vitium sancti Ecclesiarum Dei doctores inter octo vitia principalia non annuntiaverunt, sed sub tristitiæ titulo eum posuerunt, et in catalogo prædictorum vitiorum, unde acediam subtraxerunt, ut eadem vitia octo fierent, invidiam posuerunt, sed e contra sancti Patres Ægyptii et Palæstini orientaliumque regionum, qui institutiones et correctiones monachorum maxime descripserunt, in annotatione principalium vitiorum invidiam recte sub superbiæ titulo ordinaverunt, acediam vero unum ex octo principalibus vitiis esse affirmaverunt, ob hoc videlicet quod monachis ac solitariis magis experta est hæc passio, et in eremo conversantibus infestior hostis ac frequens. Sed quia in prima eorumdem principalium vitiorum descriptione de acedia nil tetigimus, restat quoque ut de origine ac vexatione indiciisque et increpationibus remediisque illius, sicut et de cæteris principalibus vitiis excerpsimus, adjuvante Domino, ex sanctorum Patrum opusculis breviter congrua capiamus testimonia.

Cap. LV. — *De natura et origine acediæ*

Oritur autem acediæ spiritus ex intermissione et negligentia boni operis, nec non et ex lectionis orationisque tarditate seu et ex hujus sæculi tristitia, ac ex aspernatione atque contemptu divinorum et principalium præceptorum.

Cap. LVI. — *Qualiter acedia vexat acediosos.*

(*Cass.*) Quem hæc miserabilis possidet passio ad omne opus bonum facit desidem, pigrum et inertem, non eum in proprio residere loco permittit, lassitudinem corporis cibique esuriem quinta sextaque hora tantam suscitat, ut velut longo itinere, gravissimoque labore confectus sibimet lassus videatur, et tunc huc, illuc perambulat anxius, sæpiusque ingreditur et egreditur cellam ac solem velut ad occasum tardius properantem crebrius intuetur, omnique actu spiritali redditur otiosus ac vacuus, nihilque aliud procurans, quam ubi quov. colore occasionem refectionis futuræ valeat præparare, mens enim otiosi nihil aliud cogitare novit, quam de escis ac ventre : « In desideriis enim est, ut sacra testatur Scriptura, omnis otiosus (*Prov.* XXI). »

Cap. LVII. — *Quibus indiciis cognoscitur acediosus.*

(*Cass.*) Beatus Paulus apostolus ut verus et peritissimus medicus acediæ vulnera in Epistola ad Thessalonicenses pleniter aperit dicens : « Rogamus vos, fratres, ut abundetis magis, et operam detis, ut quieti sitis, et ut vestra negotia agatis et operemini manibus vestris, et ut honeste ambuletis et nullius aliquid desideretis (*I Thess* IV, 1, 10). » His enim indiciis cognoscitur acediosus, primo quia inquietus est, secundo quia aliena curat negotia, quod curiositatis est malum, tertio quia dedignatur propriis operari manibus, quarto quod inhoneste ambulat, quinto quod aliena desiderat. Et in alio loco idem apostolus notat acediosos : « Audivimus, inquit, inter vos quosdam ambulare inquiete, « et subjungit statim secundum languorem, qui inquietudinis hujus est radix (*II Thess.* III, 11) : » nihil, inquit, operantes, » tertium quoque morbum, qui ex isto velut quidam ramusculus oritur, « sed curiose agentes. » Ecce in hac sententia acediosos inquietos esse, et otiosos, ac curiosos confirmat, quem enim hæc miserabilis nequissimaque cruciat passio, ad orationis studium facit pigrum, et desidem et somni telo elidit, ad lectionis vero exercitium fatigatum, inertem, dormitantem reddit et pigrum, et quasi toto corpore vermibus graviter scatentem, ad exercitationem quoque cujuslibet boni operis tardum facit et

Digitized by Google

pigrum, et ut ab oratione, a lectione, a prædicatione, ab honesta et sancta collocutione, necnon et ut ab exercitatione boni operis, se celeriter possit subtrahere, diversas ac multiplices cogitatione et opere inquirit occasiones et causas.

CAP. LVIII. — *Increpatio contra spiritum acediæ; diversa super hoc testimonia.*

(*Cass.*) Ut quid, infelix anima, talibus inimicorum machinis impedita, acediæ spiritu, velut ariete validissimo fatigata, somni telo elisus concidis, aut cellulæ tuæ ostiis abscidis. Non enim declinando acediæ impugnationem fugies, sed resistendo superabis. Quisquis es, o monache, qui spiritu acediæ vexaris, audi antiquissimam verissimamque a sanctis Patribus prolatam sententiam, operantem monachum dæmone uno pulsari, otiosum vero innumeris spiritibus devastari. Audi sanctam et verissimorum Patrum sententiam: Qui accidiam superare desiderat, nec somnum diligat, nec cellulam deserat, sed vigiliis et orationibus insistat, et cellulæ suæ claustris operibus manuum suarum intentus consistat. Audi et sanctum Ambrosium episcopum dicentem: Si spiritus acediæ ascendit in te, domum tuam non derelinquas, et ne derelinquas in tempore luctum utilem, spiritum acediæ abigunt lacrymæ, spiritum autem tristitiæ conturbat oratio; et ne des teipsum somno multo, quia somniculosus et acediosus monachus incedit in malis, qui autem vigilat, sicut passer erit; somnus multus adducit tentationes, qui autem vigilat effugiet eas. (*Cass.*) Audiant pariter omnes, in sanctæ matris Ecclesiæ gremio constituti, qui acediæ nequissimo spiritu pulsantur, audiant intente sanctarum testimonia Scripturarum, ait Salomon; « In desideriis est omnis otiosus (*Prov.* XXXI),» in desideriis scilicet malis. De hoc inertiæ morbo rursus idem Salomon ita commemorat: « Viæ nihil operantium stratæ sunt spinis (*Eccli.* XXXIII, 29), » id est, vitiis. Item: « Multa enim mala docuit otiositas (*Prov.* XXVIII, 19), » et iterum: « Qui sectatur otium replebitur paupertate, » vel visibili scilicet, vel invisibili. De hac autem otiosi paupertate alibi quoque ita describitur: « Et [veste] vestietur conscissa et pannosa omnis somniculosus: » id est, non merebitur illo vestimento ornari, de quo Apostolus præcepit: « Induite vos Dominum Jesum Christum (*Rom.* XIII, 14); » et iterum: « Induti lorica justitiæ et charitatis (*I Thess.* V, 8), » et de quo etiam Dominus ad Hierusalem loquitur per Prophetam: « Exsurge, exsurge, Hierusalem, induere vestimentis gloriæ tuæ (*Isa.* LII, 1).» Audiant et Paulum apostolum omnes acediosi et otiosi: « Si quis non vult operari, non manducet (*II Thess.* III, 10); » et iterum: « Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patientibus (*Ephes.* IV, 28). » Non solum enim verbis damnat Apostolus otiositatem, sed et exemplis: nam cum venisset Corinthum, accessit ad Aquilam et Priscillam, « eo quod ejusdem essent artis et manebat cum eis, et operabatur, erat enim scenofactoriæ artis; » et alibi loquitur: « Quæ mihi necessaria erant, et his qui mecum fuerant, ministraverunt manus istæ. » Multa enim et infinita mala generat otiositas in mente Christiani, et econtra multa vitia amputat operatio manuum. Quapropter inertiæ et otiositatis malum velut serpentem totis viribus fugiant Christiani, et manuum suarum operibus bonorumque omnium studiis occupati, in divinis laudibus, corde, ore, et opere, cum sancto David propheta persistant dicentes: « Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit (*Psal.* CXXVII, 1). »

CAP. LIX. — *Remedia quibus acediam superare possimus.*

Vincitur autem hic nequissimus acediæ morbus per orationis et vigiliarum instantiam, et per studium lectionis divinæ, et per sacram bonorum hominum collocutionem, et admonitionem, necnon et per recordationem et confessionem peccatorum, seu et per desiderium futuræ beatitudinis, ac per stabilitatem loci devotionisque suæ, et per exercitium cujuslibet artis et laboris, sed et per infirmitatem corporis, et silentium oris et locutionis, seu et per timorem Domini, ita ut credat se præsentem esse Deum scrutantem corda et renes. Necnon et per refrenationem vanarum cogitationum, propter quod dictum est: « Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear (*Psal.* XV, 18), » et per separationem eorum qui jactantiam et otiositatem sectantur et contemplationem divinæ majestatis, ita ut semper se credat assistere ante oculos Dei.

CAP. LX. — *De cenodoxia, id est, vana gloria.*

(*Cass.*) Cenodoxia græce, latine inanis gloria, sive vana gloria dicitur, quæ varia et multiformis atque subtilis est bestia omnibus quos superat nimis nociva, quæ Christianum non solum ut cætera vitia, in parte carnali, sed etiam in spiritali pulsat; ita ut si non potest carnalibus vitiis decipi, spiritalibus successibus acrius sauciatur, et secundum definitionem antiquorum Patrum quindecim modis et eo amplius militem Christi vulnerare conatur, id est, in habitu, in forma, in incessu, in voce, in opere, in vigiliis, in jejuniis, in oratione, in remotione, in lectione, in scientia, in taciturnitate, in obedientia, in humilitate, in longanimitate, tantoque hic morbus perniciosior ad conflictum quanto obscurior ad cavendum, (*Isid.*) fit enim tam in factis quam in dictis, dum sibi magis quam Deo placere, et laudem ab hominibus comparare studet, dum nihil sibi homo arrogare debeat propter peccatum. (*Cass.*) Quanto enim hæc rabies dejecta fuerit, tanto acrius resurgit ad luctam, omnia vitia superata marcescunt, et devicta per singulos dies infirmiora redduntur, hoc vero dejectum potentius resurgit ad pugnam, et cum putatur exstinctum sua morte vivacius convalescit, nec ætate

Digitized by Google

enim, nec solitudine defervet, quod nec loco novit exaudi [*Forte*, excludi], nec ætate marcescere, sed de successibus virtutum animatur, et non solum parvos, verum etiam magnos et angelicos viros de culmine virtutum dejicit. (*Joannes.*) Grave est jactantiæ et vanæ gloriæ vitium et periculosum nimis, et quod de ipso etiam perfectionis fastigio dejicit animas. (*Jesus?*) Est autem species mali hujus duplex quædam, nonnullis enim accidit in ipsis statim initiis operum bonorum cum parum aliquid vel abstinentiæ impenderint, vel pecuniæ in pauperes prærogaverint, et cum de eo ita sentire debeant, qui quasi quod impenderint, adjecerint, ita agunt et ita sentiunt, quasi eminentiores sint illis, quibus aliquid largiti sunt. Alia vero est jactantiæ et vanæ gloriæ species, cum quis ad summam virtutem perveniens, non totum Deo sed suis laboribus ac studiis deputat, et dum ab hominibus gloriam quærit, perdit eam quæ a Deo est, propter quod omni genere fugiamus jactantiæ vitium, ne forte incurramus eum lapsum quem diabolus incurrit. (*Prosp.*) Hi enim, quos hæc vexat passio, laudem humanam de bonis quæ agunt recipere desiderant, et de operibus quorum sibi conscii non sunt turpiter jactant, et se ab hominibus prædicari per nefas affectant, sanctosque viros sui comparatione depravant, et ideo bona faciunt aliquando cum magno labore, ut ab hominibus, quibus placere, non Deo, desiderant laudem recipiant. Unde et Veritas ait: « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam (*Matth.* VI, 2, 5). » Cum enim pro recto opere, ut sanctus papa ait Gregorius, laus transitoria quæritur, æterna retributione res digna vili pretio venundatur. Cujus miseræ passionis hæc est perfecta et salubris medicina, recordatio divinæ bonitatis assidua, per quam omnia bona humano generi collata fuerunt, sunt eruntque; necnon et oratio continua cum lacrymis cordisque compunctione, et divinarum Scripturarum intentissima lectio, seu et præteritorum recordatio peccatorum, eorumque rememoratio bonorum qui vanæ gloriæ morbo dejecti sunt, sed et recordatio Domini sententiæ: « Quomodo, inquit, potestis vos credere qui gloriam ab invicem accepistis, et gloriam quæ a solo Deo est non quæritis (*Joan.* V, 44); » et apostoli Pauli: « Si hominibus placerem, Christi servus non essem (*Gal.* I, 10); » et: « Nolite fieri inanis gloriæ cupidi (*Gal.* V, 26); » et sancti David prophetæ: « Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent (*Psal.* LII, 6), » et super omnia si intentissima divinæ bonitatis laus in corde, ore atque opere cum timore mortis, vitæ præsentis semper ante oculos cum lacrymis versetur.

Cap. LXI. — *De superbia.*

Superbia est mater et origo ac regina omnium vitiorum per quam angeli ceciderunt de cœlo; et sicut est origo omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum, ipsa est enim in peccato prima, ipsa in conflictu postrema, hæc enim aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut novissime de virtutibus dejicit, et inde omnium peccatorum est maxima, quia tam per virtutes quam per vitia humanam mentem exterminat, omnis peccans superbus est, eo quod faciendo vetita contemptui habeat divina præcepta. Recte ergo « initium omnis peccati superbia (*Eccli.* X, 15), » quia nisi præcesserit mandatorum Dei inobedientia, transgressionis non sequitur culpa. Cujus duo sunt genera, unum quod spiritales summosque pulsat, aliud quod etiam incipientes carnalesque complectitur; et licet utrumque superbiæ genus tam in Deum quam in homines noxia inflet elatio, tamen illud primum specialiter refertur ad Deum, secundum ad homines proprie pertinet, superbia enim, ut dictum est, omnes pariter virtutes evacuat, cunctaque justitia et sanctitate hominem exspoliat; (*Prosp.*) et quid amplius, non solum peccatum est ipsa, sed etiam nullum peccatum fieri potest aut potuit, vel poterit sine ipsa. (*Cass.*) Qui morbus licet ultimus sit in conflictu vitiorum atque in ordine ponatur postremus, origine tamen et tempore primus est, sævissima et superioribus cunctis immanior bestia, perfectos maxime tentans et propemodum jam positos in consummatione virtutum morsu diriore depascens. (*Basil.*) Cognoscitur quidem hic nequissimus morbus ex eo quod semper ea quæ eminentiora sunt quærit et exoptat cunctosque despicit, ut cunctis semetipsum superiorem efficiat. (*Cass.*) Curatur autem si credat sententiæ ejus qui dixit: « Deus superbis resistit (*Jac.* IV, 6) », et si se abstrahat et recedat ab omnibus occasionibus elationis, et si vero et humili corde omnibus se viliorem et inferiorem mente et voce credat ac pronuntiet, et si universa quæ fuerint ei irrogata, tristia, vel damnosa, patientissime toleret, et si semper Domini et sanctorum ejus recolat passiones, et si se cogitet cito de hoc sæculo migraturum, et sic certissime credat absque Dei adjutorio nil boni posse cogitare, loqui vel facere, et si orationi, lectioni assidue cum compunctione cordis insistat.

Cap. LXII. — *De sex vitiorum concordia et duorum ab iis dissidentium cognatione.*

(*Serap.*) Hæc igitur octo vitia licet diversos ortus ac dissimiles efficientias habeant, sex tamen priora, id est, gastrimargia, fornicatio, philargyria, ira, tristitia, acedia, quadam inter se cognatione, et ut ita dixerim concatenatione, connexa sunt, ita ut prioris exuberantia sequentis efficiatur exordium. Nam de abundantia gastrimargiæ fornicationem, de fornicatione philargyriam, de philargyria iram, de ira tristitiam, de tristitia acediam, necesse est pullulare, ideoque simili contra hæc modo atque eadem ratione pugnandum est, et a præcedentibus semper adversus sequentes oportet nos inire certamina; facilius enim cujuslibet arboris noxia latitudo ac proceritas exarescit, si ante radices ejus, quibus innititur vel nudatæ fuerint, vel succisæ, et infestantes humores aquarum continuo siccabuntur, cum generator earum fons ac profluentes venæ solerti industria fuerint obturatæ,

Digitized by Google

quamobrem ut acedia vincatur, ante superanda tristitia est; ut tristitia propellatur, ira prius est extrudenda; ut exstinguatur ira, philargyria calcanda est; ut evellatur philargyria, fornicatio compescenda est; ut fornicatio subruatur, gastrimargiæ est vitium castigandum. Residua vero duo, id est cenodoxia et superbia, sibi quidem similiter illa, qua de superioribus vitiis diximus ratione junguntur, ita ut incrementum prioris ortus efficiatur alterius. Cenodoxiæ enim exuberantia superbiæ fomitem parit, sed ab illis sex prioribus vitiis penitus dissident, nec simili cum eis societate fœderantur, siquidem non solum nullam ex illis occasionem suæ generationis accipiunt, sed etiam contrario modo atque ordine suscitantur. Nam illis evulsis hæc eventius [*Forte*, ferventius, *vel* evidentius] fructificant, et illorum morte vivacius pullulant atque succrescunt. Unde etiam diverso modo ab his duobus vitiis impugnamur, in unumquodque illorum sex vitiorum tunc incidimus, cum a præcedentibus eorum fucrimus elisi, in hæc vero duo victores et vel maxime post triumphos periclitamur incurrere. Omnia igitur vitia quemadmodum incremento præcedentium generantur, ita illorum diminutione purgantur, et hac ratione, ut superbia possit explodi, cenodoxia est præfocanda, et ita semper prioribus superatis, sequentia conquiescent, et exstinctione præcedentium residuæ passiones atque labore marcescent, et licet hæc quæ prædiximus octo vitia illa quam commemoravimus ratione sibi invicem connexa atque permista sint, specialius tamen in quatuor conjugationes et copulas dividuntur. Gastrimargiæ namque fornicatio peculiari consideratione fœderatur, philargyriæ ira, tristitiæ acedia, cenodoxiæ superbia familiariter conjugatur.

Cap. LXIII. — *De origine et qualitate uniuscujusque vitii.*

(*Serap.*) Et ut singillatim nunc de uniuscujusque vitii generibus disputemus, gastrimargiæ genera sunt tria: primum quod ad refectionem perurget hominem, ante horam statutam ac legitimam festinare, secundum quod expletione ventris et quarumlibet escarum voracitate lætatur, tertium, quod accuratiores ac delicatissimos desiderat cibos. Quæ tria non levi dispendio Christianum feriunt, nisi ab omnibus istis pari studio atque observantia semetipsum expedire contenderit. Nam quemadmodum absolutio jejunii ante horam canonicam legitimamque nullatenus præsumenda est, ita et ventris ingluvies et escarum sumptuosa atque exquisita præparatio similiter amputanda, ex his enim tribus causis diversæ ac pessimæ valetudines animæ procreantur: nam de prima, congregationis odium gignitur, atque exinde horror et intolerantia ejusdem concrescit habitaculi, quam sine dubio mox discessio, ac fuga velocissima subsequetur. De secunda igniti luxuriæ ac libidinis aculei suscitantur. Tertia etiam inextricabiles philargyriæ laqueos nectit cervicibus captivorum, nec aliquando hominem sinit perfecta Christi nuditate fundari. Cujus nobis passionis inesse vestigia, isto quoque deprehensus [*Forte*, deprehendimus] indicio. Cum forte ad refectionem detenti ab aliquo fratrum, contenti non sumus eo sapore cibos sumere, quo ab exhibente conditi sunt, sed quiddam superfundi eis vel adjici importuna atque effrenata poscimus libertate: quod fieri penitus non oportet tribus de causis, primo quia mens Christiani semper debet in omni tolerantiæ ac parcitatis exercitatione versari, et secundum Apostolum discere in quibus est sufficiens esse. Nullatenus enim poterit vel occulta vel majora corporis desideria refrenare, quisquis degustatione modicæ insuavitatis offensus, ne ad momentum quidem delicias gutturis sui valuerit castigare; secundo quod nonnunquam evenit ut ad horam desit illa species quæ postulatur a nobis, et verecundiam necessitati vel frugalitati suscipientis incutimus, publicantes scilicet paupertatem ejus, quam soli Deo cognitam esse maluerat. Tertio quod interdum solet sapor ille, quem nos adipiscimur aliis displicere, et invenimur injuriam multis, dum nostræ gulæ ac desiderio satisfacere cupimus, irrogare, propter quod omnimodis hæc in nobis est castiganda libertas. Fornicationis genera sunt tria. Primum quod per commixtionem sexus utriusque perficitur, secundum absque femineo tactu, pro quo patriarchæ Judæ filius a Domino percussus legitur, quod in Scripturis sanctis immunditia nuncupatur, super quo Apostolus: « Dico autem innuptis et viduis, bonum est illis si sic permanserint sicut et ego, quod si non continent, nubant, melius est enim nubere quam uri (*I Cor.* VII, 9). » Tertium quod animo ac mente concipitur, de quo Dominus in Evangelio ait: « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* V, 28). » Quæ tria genera beatus Apostolus pari modo exstinguenda pronuntians: « Mortificate, inquit, membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, etc. (*Colos.* III, 5). » Et iterum de duobus ad Ephesios: « Fornicatio et immunditia nec nominentur in vobis (*Ephes.* V, 3). » Et iterum: « Illud autem scitote quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei (*Ephes.* V, 5). » Quæ tria ut a nobis pari observatione caveantur similis nos eorum a regno Christi atque ima deterret exclusio. Philargyriæ genera sunt tria, primum quod abrenuntiantes divitiis ac facultatibus suis spoliari non sinit, secundum quod ea quæ a nobis dispersa sunt, vel indigentibus distributa, resumere nos majore cupiditate persuadet, tertium quod ea quæ nec antea quidem possedimus desiderari adquiarive [acquirive] compellit. Iræ genera sunt tria, unum quod exardescit intrinsecus, quod Græce θυμὸς dicitur, aliud quod in verbum et opus effectumque prorumpit quod ὀργὴ nuncupatur, de quibus et Apostolus: « Nunc autem deponite, inquit, et vos omnem iram, indignationem (*Colos.* III, 8). » Tertium quod non ut illa effervens ad horam digeri-

Digitized by Google

tur, sed per dies et tempora reservatur, quæ ILHNIC dicitur. Quæ omnia æquali sunt a nobis horrore damnanda. Tristitiæ genera sunt duo : unum quod vel iracundia desinente vel de illato damno ac desiderio præpedito cassatoque generatur; aliud quod de irrationabili mentis anxietate, seu desperatione descendit. Acediæ genera sunt duo : unum quod ad somnum præcipitat æstuantes, aliud quod cellam deserere ac fugere cohortatur. Cœnodoxia licet multiformis ac multiplex sit, et in diversas species dividatur, genera tamen ejus sunt duo : primum quo pro carnalibus rebus ac manifestis extollimur. Secundum quo pro spiritualibus et occultis desiderio vanæ laudis inflamur.

CAP. LXIV. — *De varia oppugnatione omnium vitiorum.*

(*Cass.*) Hæc octo vitia cum omne hominum genus pulsent, non tamen uno modo impetunt cunctos : in alio namque spiritus fornicationis locum obtinet principalem, in alio superequitat furor, in alio cœnodoxia vindicat tyrannidem, in alio arcem superbia tenet, et cum constet omnes ab omnibus impugnari, diverso tamen modo et ordine singuli laboramus.

CAP. LXV. — *De instituendo adversus vitia certamine secundum ipsorum infestationem.*

(*Serap.*) Quamobrem ita nobis adversus hæc arripienda sunt prælia, ut unusquisque vitium quo maxime infestatur explorans, adversus illud arripiat principale certamen, omnem curam mentis ac sollicitudinem erga illius impugnationem observationemque defigens, adversus illud quotidiana jejuniorum dirigens spicula, contra illud cunctis momentis cordis suspiria crebraque gemituum tela contorquens, adversus illud vigiliarum labores ac meditationes sui cordis impendens, indesinentes quoque orationum fletus ad Deum fundens et impugnationis suæ exstinctionem, ab illo specialiter ac jugiter poscens : impossibile namque est de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit industria vel labore proprio victoriam certaminis semet obtinere non posse; cum tamen, ut valeat emundari, necesse sit eum die noctuque se in omni cura et sollicitudine permanere, cumque se ab ea senserit absolutum, rursus latebras sui cordis simili intentione perlustret, et excipiat sibi quam inter reliquas perspexerit diriorem, atque adversus eam specialius omnia spiritus arma commoveat; et ita semper validioribus superatis celerem de residuis habebit facilemque victoriam, quia et mens triumphorum processu reddetur fortior et infirmior pugna succedens promptiorem ei proventum faciet prælium; et fieri solet ab his qui coram regibus mundi hujus omnigenis congredi bestiis præmiorum contemplatione consuerunt, quod spectaculi genus vulgo pancarpum nuncupatur, hi, inquam, feras quascunque fortiores robore vel feritatis rabie conspexerunt diriores, adversus eas primæ congressionis certamen arripiunt, quibus exstinctis reliquas quæ minus terribiles minusque vehementes sunt exitu faciliore prosternunt : ita et vitiis semper robustioribus superatis atque infirmioribus succedentibus, parabitur nobis absque ullo discrimine perfecta victoria. Nec tamen putandum quod principaliter quis contra unum dimicans vitium, et velut incautius aliorum tela prospiciens, inopinato ictu facilius valeat sauciari, quod nequaquam fiet; impossibile namque est eum qui pro cordis sui emundatione sollicitus erga impugnationem vitii cujuslibet intentionem suæ mentis armaverit, adversus cætera quoque vitia generalem quemdam horrorem, et custodiam similem non habere. Quo enim modo vel de illa qua absolvi desiderat passione merebitur obtinere victoriam, qui se indignum purgationis præmio aliorum facit contagio vitiorum? Sed cum principalis nostri cordis intentio velut specialem sibi pugnam adversus unam exceperit passionem, pro ipsa orabit attentius peculiari sollicitudine ac studio supplicans, ut eam diligentius observare, et per hæc celerem mereatur obtinere victoriam : hunc namque nos ordinem præliorum exercere debere, nec tamen de nostra virtute confidere etiam legislator his docet verbis : Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est. Deus magnus et terribilis, ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim, atque per partes. Non poteris delere eas pariter; ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ, dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo, et interficiet illos, donec penitus deleantur.

CAP. LXVI. — *De duobus vitiorum generibus et efficientia eorum quadripartita.*

(*Cass.*) Horum igitur vitiorum genera sunt duo; aut enim naturalia sunt, ut gastrimargia; aut extra naturam, ut philargyria; efficientia vero quadripartita est : quædam enim sine actione carnali consummari non possunt, ut est gastrimargia et fornicatio; quædam vero etiam sine ulla corporis actione complentur, ut est superbia et cœnodoxia. Nonnulla commotionis suæ causa extrinsecus capiunt, ut est philargyria et ira; alia vero intestinis motibus excitantur, ut est acedia atque tristitia.

CAP. LXVII. — *Recapitulatio de gastrimargiæ et fornicationis passione et curatione earum.*

Gastrimargia et fornicatio cum naturaliter nobis insint, nam nonnunquam etiam sine ullo animi incitamento solius instigatione ac pruritu carnis oriuntur, materia tamen ut consummentur egent extrinsecus, et ita in effectum corporali actione perveniunt. Hæc duo specialiter vitia quæ ministerio carnis explentur extra illam spiritalem animæ curam egent peculiarius etiam continentia corporali, quæ jejuniis, vigiliis et operis contritione perficitur, his quæ [hisque] fuerit remotio localis adjuncta, quia sicut amborum vitio, id est, animæ et corporis generantur, ita superari nisi utriusque labore non poterunt.

CAP. LXVIII. — *Quæ carnalia vel quæ spiritalia dicantur esse vitia.*

(*Cass.*) Quamvis beatus Paulus apostolus omnia

Digitized by Google

vitia generaliter pronuntiaverit esse carnalia, siquidem inimicitias et iras, atque hæreses, inter cætera carnis opera numeraverit, nos tamen ad illorum curationes atque naturas diligentius colligendas duplici ea divisione distinguimus. Nam ex his quædam dicimus esse carnalia, quædam vero spiritalia, et illa quidem carnalia quæ specialiter ad motum sensumque pertinent carnis, quibus illa ita delectatur ac pascitur, ut etiam quietas incitet mentes, invitasque eas nonnunquam pertrahat ad suæ voluntatis assensum, de quibus beatus apostolus : « In quibus, ait, et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluptates carnis et cogitationum, et eramus natura filii iræ sicut et cæteri (*Ephes.* II, 3). » Spiritalia vero dicimus quæ instinctu animæ solius orta non solum nihil voluptatis conferunt carni, sed etiam gravissimis eam languoribus afficientia miserrimæ jucunditatis pastu animam tantum nutriunt ægrotantem, et idcirco hæc quidem simplici cordis indigent medicina. Quæ autem carnalia sunt non nisi duplici, quemadmodum diximus, ad sanitatem curatione perveniunt, unde puritati studentibus plurimum confert ut harum carnalium passionum ipsas materias sibi primitus subtrahant, quibus potest vel occasio vel recordatio earumdem passionum ægrotanti adhuc animæ generari. Necesse est enim ut morbo duplici duplex adhibeatur correctio, nam corporis, ne concupiscentia in effectum tentet prorumpere, necessario effigies et materia illiciens subtrahenda est, et animæ nihilominus ne eam vel cogitationem concipiat attentior meditatio scripturarum et sollicitudo pervigil ac remotio solitudinis utiliter apponenda. In cæteris autem vitiis humana consortia nihil obsunt, quinimo etiam plurimum conferunt his qui carere iis in veritate desiderant, quia frequentia hominum magis arguuntur, et dum lacessita crebrius manifestantur, celeri medicina perveniunt ad salutem.

Cap. LXIX. — *Testimonia diversa super significationem octo vitiorum.*

De his octo vitiis et in Evangelio ita significatur : « Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem et non invenit, tunc dicit : Revertar in domum meam unde exivi ; et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit et assumit alios spiritus septem nequiores se, et intrantes habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus (*Matth.* XII, 43). » Ecce ut ibi septem gentes legimus, excepta Ægyptiorum de qua egressi fuerant filii Israel, ita et hic septem reverti spiritus dicuntur immundi, excepto eo qui ab homine prius narratur egressus. De hoc septenario fonte vitiorum Salomon quoque in Proverbiis ita describit : « Si te rogaverit inimicus tuus voce magna, nec consenseris ei, septem enim nequitiæ sunt in anima ejus ; » id est, si superatus gastrimargiæ spiritus cœperit tibi sua humiliatione blandiri, rogans quodammodo ut aliquid relaxans a cœpto fervore, impertias ei quod continentiæ modum et mensuram justæ districtionis excedat, ne resolvaris ejus subjectione, vel suggestione, ne arridente impugnationis securitate qua videris paulisper a carnalibus incentivis factus quietior, ad pristinam remissionem vel præteritas gulæ concupiscentias revertaris ; per hoc enim dicit spiritus ille quem viceras, « Revertar in domum meam, unde exivi » et procedentes ex eo confestim septem spiritus vitiorum erunt ibi acriores quam illa passio quæ in primordiis fuerat superata, qui te mox ad deteriora pertrahent genera peccatorum.

Cap. LXX. — *Quod, devicta passione gulæ, impendendus sit labor ad virtutes cæteras obtinendas*

Quapropter et continentiæ incubantibus nobis festinandum est ut, gulæ passione superata, protinus animam nostram vacuam esse a necessariis virtutibus non sinamus, sed eis universos recessus cordis nostri studiosius occupemus, ne reversos concupiscentiæ spiritus inanes nos ab ipsis vacantesque reperiat, et non sibi jam soli aditum parare contentus, introducat secum in animam nostram septenarium hunc fomitem vitiorum et faciat novissima nostra pejora prioribus. Turpior enim erit post hæc et immundior anima ac supplicio graviore plectetur, quæ se renuntiasse huic sæculo gloriatur dominantibus sibi octo vitiis, quam fuerat quondam in sæculo constituta, cum nec disciplinam monachi fuisset professa nec nomen. Nam et nequiores hi septem spiritus illo priore qui egressus fuerat idcirco dicuntur quia desiderium id gulæ, id est gastrimargia per se non esset noxia, nisi intromitteret graviores alias passiones, id est, fornicationis, philargyriæ, iræ, tristitiæ, sive superbiæ, quæ per semet noxia animæ ac peremptoria esse non dubium est, et idcirco perfectionis puritatem nunquam poterit obtinere quisquis eam de hac sola continentia, id est, jejunio corporali speraverit acquirendam, nisi noverit ob id se hanc exercere debere, ut humiliata carne jejuniis, facilius possit adversus alia vitia inire certamen, non insolescente carne saturitatis ingluvie.

Cap. LXXI. — *Quod non idem prœliorum ordo sit qui ponitur in cataloga vitiorum.*

Sciendum tamen non eumdem esse in omnibus nobis ordinem prœliorum, quia, sicut diximus, non uno modo impugnamur omnes, et oportet unumquemque nostrum secundum qualitatem belli quo principaliter infestatur, concertationum luctamina arripere, ita ut alium necesse sit adversus vitium, quod tertium ponitur, primum exercere conflictum, alium contra quartum, sive quintum, et ita, prout ipsa vitia in nobis obtinent principatum, utque impugnationis exigit modus nos quoque oportet ordinem instituere prœliorum, secundum quem proventus quoque victoriæ, triumphique succedens, faciat nos ad puritatem cordis et perfectionis plenitudinem pervenire.

Digitized by Google

CAP. LXXII. — *Quomodo secundum octo vitia octo gentium numerus impleatur.*

Octo sunt principalia vitia quæ humanum impugnant genus, quæ figuraliter sub gentium vocabulo nominata sunt. Egressis enim ex Ægypto filiis Israel daturum se Dominus repromittit eis septem gentium terras; ita enim dicitur : « Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus ingredieris, et deleverit gentes multas coram te, Cethæum, et Gergezæum, Amorrhæum, et Chananæum, Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum septem gentes multo majoris numeri quam tu es, et robustiores te, tradideritque eas Dominus tibi, percuties eas usque ad internecionem (*Deut.* VII, 1); » idcirco hic septem enumerantur gentes, eo quod egressis jam de Ægypto et liberatis ab una gente validissima, id est Ægyptiorum, contra has residuas septem gentes quæ supra commemoratæ sunt, simili ratione habere conflictum. Prima scilicet, quæ jam devicta, est minime computata, cujus etiam terra in possessionem Israel non datur, sed ut deserat eam perpetuo et egrediatur ab ea Domini præceptione sancitur; una quidem gens Ægypti deseri, septem vero jubentur exstingui: gens enim Ægypti, quæ jubetur deseri, vitium est gastrimargiæ cui quotidiano commercio nequaquam ex toto carere possumus; debemus enim ex necessitate non ex desiderio alimenta percipere, sicut ait apostolus Paulus : « Et curam carnis ne feceritis in desideriis (*Rom.* XIII, 14). » Cum enim carnis desideria respuimus, gentem Ægyptiam deserimus. Reliquas vero septem, quæ septem sunt vitia, id est, fornicatio, philargyria, ira, tristitia, acedia, cœnodoxia, et superbia pœnitus jubentur exstingui. Quia igitur ex sanctorum Patrum opusculis pauca, donante Deo, de octo vitiis principalibus excerpsimus testimonia, nunc de pugna virtutum vel qualiter cogitatione, locutione et opere perpetrantur peccata carpiamus.

CAP. LXXIII. — *Quod contra unumquodque vitium singulæ virtutes sunt opponendæ.*

(*Isid.*) Igitur contra singula vitia virtutes singulæ opponendæ sunt, et adversus impetus vitiorum contrariis virtutibus est pugnandum; contra ingluviem enim ventris parcitas et abstinentia est opponenda; contra luxuriam cordis, cordis est adhibenda munditia; contra luxuriam carnis, cordis et corporis est castitas exhibenda; contra avaritiam largitas; contra philargyriam, id est, amorem pecuniæ, nuditas et exspoliatio divitiarum; contra invidiam charitas et fraterna congratulatio; contra odium dilectio; contra iræ incendia mansuetudo; contra tristitiam sæculi spiritale gaudium; contra acediam dissolutamque vagationem, stabilitas firma; contra vanam gloriam, Dei timor; contra superbiam diaboli, opponitur humilitas Christi: ita et contra cætera vitia unaquæque propria boni operis virtus opponatur, principalium enim septem vitiorum regina et mater superbia est, eademque septem principalia multa de se parturiunt vitia, quia ita sibi et quadam cognatione junguntur, ut ex altero alterum oriatur, sicut David, qui dum non evitavit adulterium perpetravit et homicidium, et qui non restringit nimiam ventris ingluviem cadit infeliciter in luxuriam.

CAP. LXXIV. — *Quibus modis committitur peccatum.*

Quatuor modis committitur peccatum in corde, quatuor perpetratur et opere. Admittitur in corde suggestione dæmonum, delectatione carnis, consensione mentis, defensione elationis. Committitur opere, nunc latenter, nunc palam, nunc consuetudine, nunc desperatione, istis ergo gradibus et corde delinquitur et opere malitiæ perpetratur. Tribus modis peccatum geritur, hoc est, ignorantia, infirmitate, industria, periculo autem pœnarum diverso. Ignorantiæ namque modo peccavit in paradiso Eva, sicut Apostolus dicit : « Vir non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit (*I Tim.* II, 14). » Ergo Eva peccavit ignorantia. Adam vero industria, quia non est seductus, sed sciens prudensque peccavit. Qui vero seducitur, quid consentiat evidenter ignorat. De infirmitate autem Petrus deliquit, quando ad metum interrogantis ancillæ Christum negavit, et post peccatum amarissime flevit. Gravius enim infirmitate est quam ignorantia quemquam delinquere, graviusque industria quam infirmitate peccare; industria namque peccat qui studium ac deliberationis [Forte *cor.* studio ac deliberatione] mentis malum agit, infirmitate autem qui casu vel præcipitatione delinquit. Nequius autem et industria peccant, qui non solum non bene vivunt, sed adhuc bene viventes, si possunt, a veritate divertunt. Sunt enim qui ignoranter peccant, et sunt qui scienter, et sunt etiam et qui pro ignorantiæ excusatione scire nolunt, ut minus culpabiles habeantur, qui tamen seipsos non minuunt, sed magis decipiunt. Nescire simpliciter ad ignorantiam pertinet. Noluisse vero scire ad contumacem superbiam. Voluntatem quippe proprii domini velle nescire quidem aliud quam velle dominum superbiendo contemnere : nemo ignorans Dei ignorantia se excuset, quia Deus non solum eos judicat qui a cognitione sua revertuntur, sed etiam illos qui nescierunt, testante eodem Domino per prophetam : « Disperdam, inquit, homines a facie terræ, et eos qui avertuntur post tergum Domini et qui non quæsierunt Dominum nec investigaverunt eum (*Soph.* I, 3). » Et Psalmus : « Effunde, inquit, iram tuam in gentes quæ te non noverunt (*Psal.* LXXVIII, 6). » Sunt enim qui levia et minima committunt peccata in cogitatione, locutione, atque opere; sunt et qui gravia perpetrant in cogitatione, locutione, et opere, scelera. Levia namque in cogitatione admittunt peccata, qui lubricas et ventosas cogitationes delectantur, unde et Dominus per Isaiam prophetam ait : « Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis (*Isa.* I, 16). » Graviter enim in cogitatione delinquunt qui pravas et pestiferas cogitationes in tantum delectantur ut eas ad

Digitized by Google

effectum perversi operis perducere cupiant, de quibus sacra testatur Scriptura : « Perversæ cogitationes separant a Deo (*Sap.* I, 3). » Leviter enim delinquit sermone qui otiosum verbum loquitur unde, Domino dicente, « reddenda est ratio : » graviter enim peccat in verbo qui falsitatis crimen incurrit, quia os quod mentitur occidit animam. Leviter enim peccat opere qui otiositatem sectatus fuerit, graviter qui furtum et rapinam fecerit, leviter qui pauperem exasperaverit, graviter qui eum exspoliaverit, leviter qui mortuum non sepelierit, graviter qui hominem occiderit, et multa his similia in locutione et opere invenies peccata.

CAP. LXXV. — *De his qui cogitatione delinquunt.*

(*Isid.*) Quamvis ab opere malo quisque vacet, pro solius tamen cogitationis pravæ malitia non erit innocens, unde et Dominus per Isaiam : « Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis (*Isa.* I, 16), » non solum enim factis, sed et cogitationibus delinquimus, si eis illicite occurrentibus delectemur. Nam cogitationes illicitas occurrere dæmonum est, cogitationibus oblectari perversis nostrum est. Sciendum autem quia triplex est modus cogitationum nequam : unus earum quæ deliberatione et proposito peccandi mentem contaminant ; alius earum quæ delectatione quidem peccati mentem perturbant, nec tamen hanc ad peccandi consensum pertrahunt ; tertius earum, quæ naturali motu mentem percurrentes non tam hanc ad patranda vitia illiciunt, quam a nobis, quæ cogitare debuit, impediunt ; veluti est cum phantasmata rerum, quæ aliquando supervacue gesta vel dicta novimus, ad memoriam reducimus, quarum crebra retractatio, quasi importuna muscarum improbitas, oculos cordis circumvolare ac spiritalem ejus aciem inquietare magis quam excæcare consuevit. A cunctis autem his cogitationum nequam generibus castigari monuit Salomon, cum dicit : « Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit (*Prov.* IV, 23), » cujus monita sequentes agamus solliciti, ut si quid consensu perpetrandi facinoris in animo deliquimus, cita hoc confessione et dignis pœnitentiæ fructibus abstergamus ; si delectatione peccandi nos tentari senserimus, noxiam delectationem crebris precibus ac lacrymis, crebra amaritudinis perpetuæ recordatione pellamus ; et si nos solos ad hanc propulsandam sufficere non viderimus, fratrum quæramus auxilia, ut quod nostris viribus nequimus, illorum consilio et intercessione sumamus. Multum enim valet deprecatio assidua, et sicut idem præmisit : « Oratio fidei salvabit infirmum, et allevabit eum Dominus ; et si in peccatis sit, dimittentur ei (*Jac.* V, 15). » Quia si supervacuis cogitationibus ad integrum carere non valemus, has in quantum possumus immissione bonarum cogitationum et maxime frequenti Scripturarum meditatione fugemus, juxta exemplum Psalmistæ, qui dicit : « Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est (*Psal.* CXVIII, 97). » Magna itaque observantia circa cordis est custodiam adhibenda, quia aut bonæ, aut malæ rei ibi consistit origo. Nam sicut scriptum est : « Ex corde exeunt cogitationes malæ (*Matth.* XV, 29), » ideoque si prius pravæ cogitationi resistimus, in lapsum operis non incurrimus.

Quam periculosum sit cogitationibus malis delectari.

Fuit quidam vir sanctus, Eologius nomine, qui in offerendis sacramentis tantum gratiæ acceperat a Domino ut uniuscujusque accedentium merita culpasque cognosceret. Denique quosdam volentes accedere ad communionem retinebat, dicens : Quomodo ausi estis accedere ad sacramenta divina cum mens vestra et propositum sit in malo ? Denique aiebat : Tu habuisti cogitationes fornicandi. Tu vero dixisti in corde tuo : Nihil interest sive justus ad sacramenta sive peccator accedat ; et alius dubitationem habuit in corde dicens : Quid enim me sanctificare communio potest ? Hos ergo singulos removebat a communione sacramenti, et dicebat eis : Secedite paululum et agite pœnitentiam, ut purificati per satisfactionem et lacrymas digni habeamini communione Christi.

CAP. LXXVI. — *Quod omnia cogitationum secreta divinis aspectibus sunt aperta.*

Apertum namque divinitatis indicium est cogitationum nosse secreta, Salomone affirmante, quidem supplicans ait : « Tu enim solus nosti corda omnium filiorum hominum (*Prov.* XV, 11) ; » et apostolus Paulus : « Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque et medullarum et discretor cogitationum et intentionum cordis, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus (*Heb.* IV, 12). » Unde etiam Jeremias ait : « Tu autem, Domine Sabaoth, qui judicas juste et probas renes et corda (*Jer.* XI, 20). » Neque hæc transeunter aut negligenter commemoranda, sed solerter invigilandum est, fratres mei, ut non verba tantum et opera nostra, sed ipsa quoque cordium secreta divinis aspectibus digna reddamus. Non in templo nostri pectoris odiorum, non invidiæ rubigo resideat, non inde turpis vel contumeliosi sermonis radix oriatur, non ibi meditatio facti nocentis insascatur, memores Dominicæ comminationis qua dicitur : « Ego enim opera et cogitationes eorum venio ut congregem, et expulsis vitiorum ruderibus talem cordis nostri parem mansionem, » cujus ipse dignetur inesse mansor qui ejus inevitabilis inspector et judex est.

CAP. LXXVII. — *De his qui sermone offendunt.*

Divina enim Scriptura dicit : « Mors et vita in manibus linguæ. » Ideoque valde cavendum est ne ea loquamur unde mors animæ nostræ acquiratur ; fit enim multis modis peccatum in locutione, id est, in otiosis verbis, in vaniloquiis, in multiloquiis, in turpiloquiis, in scurrilitatibus risumque moventibus, et,

Digitized by Google

quod deterius est et gravius, in mendaciis, in falsitatibus, in derisionibus, in opprobriis, in detractionibus, in susurrationibus, in maledictionibus, in perjuriis, et in hoc quod ait propheta : « Væ qui dicunt malum bonum, et bonum malum (*Isai.* v, 20), » et cætera his similia : sollicite enim cavendum est non solum a perversis et criminosis sermonibus pro quibus æterna pœna exsolvitur, sed etiam ab otiosis et cæteris superfluis verbis refrenanda est lingua : sicut enim falsitatis crimen a proficientibus pertimescitur, ita otiosa verba a perfectis viris vitantur. Nam sicut, ut ait quidam, pro otioso verbo ratio ponitur, pro sermone injusto pœna exsolvitur. Aut enim malum male, aut bonum male proferendo peccamus : malum male loquimur quando quodlibet flagitium persuadere conamur; bonum male loquimur, quando quodcunque rectum arroganter prædicamus : nam et corde male loquimur, quando interius cogitationes noxias meditamur et cogitamus ; lingua male loquimur, quando pro eo quod male agimus flagellamur, et murmuramus ; factis male loquimur, quando male vivendo exemplis nostris alios ad prave agendum informamus : omnibus enim modis cavendæ sunt supra scriptæ locutiones et similia, quia si contra Domini sanctorumque ejus præceptum est, otiosa et scurrilia verba et his similia loqui unde dicente Domino reddenda est ratio, quanto magis perjuri falsitates, maledictiones et cætera talia, pro quibus æterna plectenda damnatio, verbi gratia : « De omni verbo otioso, » ait mundi Salvator, « quod locuti fuerint homines reddent rationem in die judicii (*Matth.* XII, 36) : » otiosum quippe verbum est quod nec dicentis nec audientis habet utilitatem. De mendaciis audi, inquit, gravius : « Os quod mentitur occidit animam (*Sap.* I, 11). » De detractionibus : « Qui detrahit, inquit, eradicabitur. » De maledictionibus : « Neque maledici regnum Dei possidebunt (*I Cor.* VI, 10). » Et cætera talia de similibus verbis.

CAP. LXXVIII. — *De mendacio*

Omne enim mendacium aut fit meditatione, aut præcipitatione, nonnunquam pejus est mendacium meditari quam loqui. Nam interdum quisque incautus solet ex præcipitatione loqui mendacium. Meditari autem non potest nisi per studium grave. Pejus ergo ille ex studio mentiri perhibetur, quam is qui ex præcipitatione sola mentitur. Summopere cavendum est omne mendacium, quamvis aliquando sit aliquod mendacii genus culpæ levioris, si quisquam pro salute hominum mentiatur, sed quia scriptum est : « Os quod mentitur occidit animam (*Sap.* I, 11) ; » et : « Perdes eos qui loquuntur mendacium (*Psal.* V, 7). » Hoc quoque mendacii genus perfecti viri summopere fugiunt, ut nec vita cujuslibet pro eorum fallacia defendatur, nec suæ animæ noceant dum præstare nituntur alienæ carni, quamquam hoc ipsum peccati genus facillime credimus relaxari. Nam si quælibet culpa sequenti mercede purgatur, quanto magis hæc facile abstergitur, quam merces comitatur. Cavendum namque est omnibus modis mendacium, sive pro malo, sive etiam pro bono proferri videatur, quia omne mendacium non est ex Deo, sed, sicut Salvator ait, « a malo est. »

CAP. LXXIX. — *De diversis mendaciorum generibus.*

Octo enim genera sunt mendacii, ut sanctus Augustinus episcopus in libro de Mendacio dicit. Est, inquit, primum capitale mendacium longeque fugiendum, quod fit in doctrina religionis, ad quod mendacium nulla conditione quisquam debet adduci ; secundum ut aliquem lædat injuste, quod tale est et ut nulli prosit et obsit alicui ; tertium quod ita prodest alteri ut obsit alteri, quamvis non ad immunditiam obsit corporalem ; quartum sola mentiendi fallendique libidine, quod merum mendacium est ; quintum quod fit placendi cupiditate ; sequitur sextum genus, quod et nulli obest et prodest alicui, velut si quispiam pecuniam alicujus injuste tollendam sciens, ubi sit nescire se mentiatur ; septimum quod et nulli obest et prodest alicui, velut si nolens hominem ad mortem quæsitum prodere mentiatur, non solum justum atque innocentem, sed et reum qui ex Christiana disciplina sit, ut neque de cujusquam correctione desperetur neque cuiquam pœnitendi aditus intercludatur. De quibus duobus generibus, quæ solent habere magnam controversiam, satis tractavimus, et quid nobis placeret ostendimus, ut suscipiendis incommoditatibus, quæ honeste ac fortiter tolerantur, hæc quoque genera devitentur a fortibus et fidelibus et veracibus viris ac feminis. Non ergo mentiendum quærenti ubi sit qui se fidei cujuspiam commiserit, sed fortius respondendum : Nec perdam, nec mentiar. Fecit hoc episcopus quondam Tagastensis ecclesiæ, Firmus nomine, firmior voluntate : nam cum ab eo quæreretur homo jussu imperatoris per apparitores ab eo missos quem ad se confugientem diligentia quanta poterat occultabat, respondit quærentibus nec mentiri se posse, nec hominem perdere ; passusque tam multa tormenta corporis (nondum enim erant imperatores Christiani) permansit in sententia. Deinde ad imperatorem ductus usque adeo mirabilis apparuit, ut ipse hominem [*Forte* homini] quem servabat indulgentia [*Forte* indulgentiam] sine ulla difficultate impetraret. Quid hoc fieri potest fortius atque constantius ? Octavum est genus mendacii, quod et nulli obest et adhuc prodest ut ab immunditia corporali aliquem tueatur. In his autem octo generibus tanto quisque minus peccat cum mentitur, quanto emergit ad octavum, tanto amplius quanto mergit ad primum. Quisquis autem esse aliquod genus mendacii quod peccatum non sit putaverit, decipiet seipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitratur aliorum ; grave [gravius] est enim mendacium, et aliud quodlibet peccatum, quod animo nocentis quam quod animo subvenientis efficitur ; tamen nullum mendacium sine peccato ; scriptum est enim : *Os quod mentitur occidit animam, et omne mendacium non est ex Deo, sed a malo*

Digitized by Google

est (*Sap.* I, 11), et ideo pro omnibus mendaciis secundum qualitatem modumque mendacii satisfactio et pœnitentia digna agenda est, ne a veritatis judice Deo, qui nec fallit nec fallitur, severiter judicemur.

CAP. LXXX. — *De diversis gravioribus mortalibusque peccatis ac sceleribus quæ perpetrantur locutione.*

Egregius prædicator Paulus generaliter cunctos ab omnibus malis et pestiferis refrenare cupiens sermonibus ait: *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus* (*Ephes.* IV, 29); et super hæc adjicit: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis, quo utique gravius malum nullum esse poterit* (*Ibid.* v. 30). Patet igitur quia omnis sermo prolatus qui non proficit ad ædificationem fidei audientium contristat Spiritum sanctum Dei. Et si sermo prolatus non ædificat, is ab Apostolo Christi est prohibitus, ne Spiritum sanctum contristet, quanto magis ille sermo qui destruit et polluit os dicentis et aures audientis, sicuti est falsitas, detractio, maledictio, et similia!

De falsitate.

Falsus testis, ait Salomon, ***non erit impunitus. Qui falsum testimonium profert contra proximum suum, extinguetur lucerna ejus in die ultimo*** (*Prov.* XIX, 9; XX, 30).

De detractione.

Qui detrahit fratri, dicit Scriptura, *detrahit legi* (*Jac.* IV, 11); et Psalmista: *Detrahentem*, inquit, *occulte adversus proximum suum hunc persequebar* (*Ps.* CX, 5); et alibi dictum est de eo qui libenter audit detrahentem: *Noli*, inquit Scriptura, *audire detrahentem, ne forte eradiceris.*

De maledictione.

Apostolus Paulus dicit: *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI, 10). Omnis sermo malus qui ob hoc profertur ut infamet aliquem, aut male commendet, maledicus est, etiamsi videatur non esse injuriosus; confirmat illa sententia: *Maledixerunt*, inquit, *et dixerunt ei: Tu discipulus illius es* (*Joan.* IX, 28).

De murmuratione.

Dicit enim apostolus Paulus: *Neque murmuraveritis sicut quidam eorum murmuraverunt in deserto et perierunt ab exterminatore* (*I Cor.* X, 10). His enim divinarum Scripturarum testimoniis claret quia pro his et similibus vitiis quæ fiunt locutione, perpetua imminet pœna, nisi in hac vita per satisfactionem et pœnitentiam fuerint deleta.

CAP. LXXXI. — *De his qui opere et actu modis diversis peccant.*

Plura sunt enim peccata levia quæ perpetrantur opere, pro quibus in præsenti vita necesse est agere pœnitentiam, ne post hujus vitæ terminum ante oculos nostros adducantur causa accusationis. Nihil enim, ut ait Scriptura, *impunitum derelinquit Dominus.* Ideoque non solum gravia sed et levia sunt cavenda peccata: sancti enim viri sic levia quasi gravissima lugent peccata, multa enim levia unum grande efficiunt, sicut solent parvis et minimis guttis immensa flumina crescere. Numerositas enim in unum coacta exundantem efficit copiam. Sunt et plura gravia et mortalia peccata et crimina quæ perpetrantur actu et opere, pro quibus regnum cœlorum clauditur his qui ea commiserunt, et in hac vita per pœnitentiam et lacrymas et eleemosynas et cætera bona opera non redemerunt: sunt autem hæc, *sacrilegium, homicidium, adulterium, furtum, rapina, atque ebrietas*, et cætera similia, quæ Paulus apostolus enumerat. Quicunque enim aliquid de istis peccatis in se dominare cognoverit, nisi digne se emendaverit, et, si habuerit spatium, longo tempore pœnitentiam egerit, et largas eleemosynas erogaverit, æterna *illum* flamma sine ullo remedio trucidabit. Sunt autem minima et levia peccata, quoties in cibo aliquis aut potu plus accipiat quam necesse est, quoties plus loquitur quam oportet, plus tacet quam expedit, quoties pauperem importune petentem exasperat, quoties cum sit corpore sanus, aliis jejunantibus, prandere voluerit, et somno deditus tardius ad ecclesiam surgit; quoties, excepto desiderio filiorum, uxorem suam cognoverit; quoties tardius in carcere requisierit, infirmos tardius visitaverit; si discordes ad concordiam revocare neglexerit, si plus aut proximum aut uxorem aut servum exasperaverit quam oportet, si amplius fuerit blanditus quam oportet, si cuicunque majore possessione aut ex voluntate aut ex necessitate adulari voluerit, si pauperibus esurientibus nimium delicioa vel sumptuosa cibi convivia paraverit, si aut in ecclesia aut extra ecclesiam fabulis otiosis locutus fuerit. Hæc enim et his similia ad minuta peccata pertinere non dubium est, quæ enumerari vix possunt. Quibus peccatis quamvis occidi animam non credamus, tamen ita eam velut quibusdam pustulis et quasi horrenda scabie replentes deformem faciunt. Quidquid enim de istis peccatis per orationes et jejunia et eleemosynas, et præcipue per indulgentiam eorum qui in nobis peccant, in hac vita redemptum non fuerit, igni purgandum est, de quo Apostolus dicit: *Quia in igne revelabitur, et cujus opus arserit, detrimentum patietur* (*I Cor.* III, 13).

CAP. LXXXII. — *Item de diversis ac multiformis modis peccantium.*

(*Isid.*) Sunt enim peccantes quidam qui scienter peccant; sunt et qui ignoranter et alii occulte, et alii necessitate, alii consuetudine et alii amore peccati, et alii non amore peccati, sed timore hominis delinquunt.

De his qui scienter et ignoranter offendunt.

Gravius namque ira Dei est quæ prævocatur quam ea quæ meretur. Nam meremur, quando ignorando peccavimus; provocamus, quando scimus bonum facere nec volumus.

Digitized by Google

De manifestis occultisque peccatis.

Major est culpa manifeste quam occulte peccare, dupliciter enim reus est, quia per se delinquit, quod et agit et docet. De talibus Isaias dicit : *Et peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt nec absconderunt* (*Isa.* III, 9). Peccatum enim perpetrare crimen est, peccatum enim prædicare clamor est. De quo dicit apostolus Paulus : *Et clamor auferatur a vobis cum omni malitia.*

De his qui peccandi necessitate delinquunt.

Plerique non voluntate, sed sola necessitate peccandi pertimescentes temporalem inopiam, et dum præsentis sæculi necessitatem refugiunt, a futuris bonis privantur.

De his qui voluntate non necessitate peccant.

Nonnulli peccatum voluntate non necessitate committunt, nullaque coacti inopia existunt iniqui, sed tantum grati cupiunt esse mali.

De his qui consuetudine peccant.

Nequissimum est peccare, pejus est peccatis consuetudinem facere ; ad illud facile ab hoc cum labore resurgitur. dum mala consuetudine repugnatur.

De his qui amore peccati delinquunt.

Quidam et diligunt peccatum et faciunt, quidam diligunt tantum et non faciunt, nonnulli peccatum non faciunt et tamen justitiam odiunt ; gravius autem peccat qui non solum peccatum diligit, sed et facit, quam qui non facit et diligit ; graviusque interdum, qui diligit et non facit, quam qui facit et odit ; gravissimum est non solum facere, sed et diligere peccatum. Sunt qui peracto flagitio mox confundantur ; sunt qui non solum non dolent gessisse malum, sed etiam de ipso malo opere gloriantur.

De his qui timore hominum delinquunt.

Sunt quidam miseri qui magis timentes hominem terrenum similem sui, quam Deum creatorem suum, perpetrant scelera, non cogitantes illud : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* v, 29) ; melius enim erat illis vitam temporalem perdere quam peccatum committere.

Quod aliquando ex peccatis quædam generantur peccata.

Sæpe peccatum alterius peccati causa est, quod cum committitur, aliud ex ipso quasi sua soboles oritur, sicut fieri solet nasci libidinem ex nimia ventris ingluvie. Pœna vero peccati peccatum admittitur, quando pro merito cujusque peccati Deo deserente, in aliud peccatum itur deterius, de quo amplius qui admiserit sordidetur. Ergo præcedens peccatum causa est sequentis peccati, sequens vero peccatum pœna est præcedentis delicti. Præcedentia itaque peccata sequentium sunt criminum causa, ut illa quæ sequuntur sint præcedentium pœna. Præcedentium peccatorum pœna ipsa vocatur induratio veniens de divina justitia ; hinc est quod ait propheta : *Indurasti cor nostrum, ne timeremus* (*Isai.* LXIII, 17) ; neque enim dum quicunque justi sunt a Deo impelluntur ut mali fiant, sed dum mali jam sunt indurantur ut deteriores existant. Huc usque qualiter cogitatione, locutione et opere peccata perpetrantur ex multis sanctorum Patrum edictis pauca, donante Domino, excerpsimus quæ forsitan simplicioribus prodesse poterunt.

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

PŒNITENTIUM LIBER

AD OTGARIUM.

PRÆFATIO.

Domino in Domino dominorum dilectissimo, Otgario archiepiscopo, Rabanus peccator in Christo optat salutem.

Quandiu vos, sancte Pater, sperabamus ad nos venturos, citius fore adventum vestrum optabamus ; sed quia postquam abiistis a nobis, et mœstos nos de abscessu vestro reliquistis, orandum nobis esse censebamus ut divina majestas, incolumes vos servans, concedat nobis iterum vos sanos videre, quia sanitas vestra sospitas est nostra : si autem aliquid vobis adversi contigerit, tristes nos ac conturbatos sine dubio efficiet. De cætero quoque quia quando hic præsentialiter fuistis, placuit sanctitati vestræ cum parvitate nostra aliquid tractare atque conferre de diversis transgressionibus in quibus fragilitas humana divina præcepta transgreditur, quomodo per pœnitentiam restaurari possint atque Deo reconcilari hi qui in diversis sceleribus prævaricantur legem Dei : ideoque jussistis mihi ut de canonibus et sanctorum Patrum sententiis breviter excerperem atque in unum colligerem quæ a magistris Ecclesiæ hujusmodi personis ad emendationem vitiorum promulgata sunt. Feci quod mandastis, et in uno libello ea descripsi, quo haberetis in promptu ante oculos ad legendum quod mihi necesse erat ex diversis libris in unum congregare, ut noster labor vestræ voluntati aliquo modo satisfaceret. Et ne forte necessarium vobis foret in diversis voluminibus id quærere quod vos jam constat in brevi exquisitum habere, huic quoque

Digitized by Google

libello subjunxi alterum, quem nuper de consanguineorum nuptiis, et de magorum præstigiis falsisque divinationibus confeceram, ut haberetis eos simul quos ordo rationis concordes fecit. Legite ergo opusculum quod vobis directum est, et si quid in eo minus recte positum videatur, vestro sacro studio ad utilitatem legentium corrigatur. Bene valete, et in sacris orationibus vestris mei peccatoris memoriam habetote in nomine Domini.

CAP. I. — *De his qui post sacram ordinationem capitalia crimina committunt, et eorum pœnitentia seu excommunicatione.*

In primis ergo visum est vobis conscribi de his qui sacros ordines habent, et ante vel post ordinationem contaminatos in capitalibus criminibus se esse profitentur : in quibus, ut mihi videtur, hæc distantia debet esse, ut hi qui deprehensi vel capti fuerint publice in perjurio, furto atque fornicatione et cæteris hujusmodi criminibus, secundum sacrorum canonum instituta, a gradu proprio deponantur, quia scandalum est populo Dei tales personas super se positas habere, quas ultra modum vitiosas constat esse. Nempe inde detrahunt homines sacrificio Dei : et rebelles hinc atque contrarii existentes, eorum pravis exemplis quotidie pejores fiunt, sicut quondam filiis Heli peccantibus fecisse leguntur. Qui autem de prædictis viris per occultam confessionem male a se absconse commissa, coram oculis Dei præsente etiam sacerdote qui eis indicturus est pœnitentiam confitentur, et semetipsos graviter deliquisse accusant, si veraciter pœnituerint et se per iejunia et eleemosynas, vigilias, atque sacras orationes, cum lacrymis purgare certaverint, his etiam gradu servato spes veniæ de misericordia Dei promittenda est, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire, neque vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Nam de illis qui ad honorem presbyterii sine examinatione provecti sunt, in Nicæno concilio, capitulo 8, taliter scriptum est : Si qui presbyteri sine examine sunt provecti, vel cum discuterentur peccata sua confessi sunt, et homines contra canones commoti, manus confessis imponere tentaverunt, tales regula non admittit : quia quod irreprehensibile est catholica defendit Ecclesia.

Item in Neocæsariensi concilio, cap. 8, de hoc ita definitum est : Presbyter si præoccupatus corporali peccato provehatur, et confessus fuerit de se quod ante ordinationem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis propter studium bonum. Nam peccata reliqua plerique dixerunt per manus impositionem posse dimitti. Quod si de se non fuerit ipse confessus, et argui manifeste non quiverit, potestatis suæ judicio relinquatur.

Item in eodem concilio, cap. 10 : Simili modo etiam diaconus, si eodem peccato succubuerit, ab ordine ministerii subtrahatur.

De illis quoque qui post acceptum gradum peccaverint, in apostolorum Canone ita legitur : Episcopus aut presbyter aut diaconus, qui in fornicatione aut perjurio aut furto captus est, deponatur : non tamen communione privetur. Dicit enim Scriptura : « Non vindicabit Dominus bis in idipsum (*Nahum.* 1). »

Item in eodem concilio, cap. 28 : Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, depositus juste super certis criminibus, ausus fuerit attrectare ministerium dudum sibi commissum, hic ab Ecclesia penitus abscindatur. « Accusationem autem adversus sacri ordinis viros facile non recipiendam, sed prius causam diligenter examinandam, et postea judicium inferendum, Apostolus docet scribens ad Timotheum : « Accusationem, inquit, adversus presbyterum non recipias, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes autem coram omnibus argue, ut cæteri metum habeant (*I Tim.* v). » Quales autem ipsi testes esse debeant, in Africano concilio, cap. 96, manifestatur, ubi ita scriptum est : Placuit ut omnes servi vel proprii liberti, ad accusationem non admittantur, vel omnes quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Omnes etiam infamiæ maculis aspersi, id est, histriones ac turpitudinibus subjectæ personæ. Hæretici etiam sive pagani seu Judæi. Sed tamen omnibus quibus accusatio denegatur in causis propriis, accusandi licentia deneganda est.

Item in eodem concilio, cap. 98 : Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de sua domo produxerit. Ad testimonium autem, intra annos 14 ætatis suæ, non admittatur.

Item in eodem concilio cap. 97 : Placuit, ut quotiescunque clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, et unum ex ipsis de quo prius egerit probare non valuerit, ad cætera non admittatur.

De his autem quorum occulta peccata sunt, nec manifeste ab aliquo argui possunt, si salubriter compuncti pro peccatis suis, confessionem episcopo sive presbytero occulte faciunt, bonum mihi videtur, ut secundum id quod sibi decretum fuerit ab episcopo sive presbytero, pœnitentiam agant, non tepide nec tarde, sed ferventer et sollicite : ac sic se veniam peccatorum a Domino percepturos, et gradum se recuperaturos confidant. Quod etiam beatus Gregorius papa, in epistola quam ad Secundinum servum Dei inclusum scripsit, ita probat dicens : Nam tua sanctitas inde a nobis requisivit, ut tibi rescriberem de sacerdotali officio post lapsum resurgendi, dum dicis de hoc canone diversas te legisse divisasque sententias : alias resurgendi, alias nequaquam posse. Nam nos generaliter a Nicæna incipientes, hanc cum reliquas quatuor veneramur, quæ ipsam sequentes cæteræ in cunctis sententiis unanimes concordant. Nos ergo præcedentes nos patres sequimur : quia auctore Deo, a sacra doctrina illorum non discordamus. A capite itaque incipientes, usque in quartum altaris ministrum hanc formam servandam cognoscimus : ut quem mi-

Digitized by Google

norem major præcedit, sicut honore est major, ita sit in crimine. Et quem major sequitur culpa, major ei implicetur vindicta : et sic postea pœnitentia credatur esse fructuosa. Quid enim prodest triticum seminare, et fructum illius non colligere? aut domum construere, et non illic habitare? Post dignam enim satisfactionem, credimus posse redire ad honorem, propheta dicente : « Nunquid qui cadit, non adjiciet ut resurgat? (*Isa.* XXIV, 20) et qui aversus est, non revertetur? » Idem peccatori ait : « In quacunque die conversus ingemueris, tunc salvus eris (*Ezech.* III). » Unde et Psalmista ait : « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me (*Psal.* L). » Dum enim petiit ne a Deo projiceretur prolapsus culpa, alienam quippe rex et propheta rapuisse se uxorem tremefactus expavit, propheta indicante flagitium suum, pœnitentiam agens addidit : « Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me. » Si enim ipse dignam Deo pœnitentiam non fecisset, nequaquam aliis prædicaret. Ait enim : Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur. Dum enim peccata sua prospexit propheta mundata per pœnitentiam, non dubitavit prædicando castigare aliena ; et sic sacrificium de semetipso Deo offerre studuit, cum dicebat : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus (*Ibid.*). » Ad hæc ista sufficerent; sed omnis sententia quo plus sacræ Scripturæ testimoniis confirmatur, facilius creditur. De hoc enim propheta dicit : « Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XVIII). » De hoc peccantibus dicitur : « Peccator in quacunque die conversus ingemuerit, omnes iniquitates ejus in oblivionem traduntur. » Si enim Redemptor noster, qui peccatores non perdere, sed justificare venit, in oblivione peccantium delicta dereliquit, quis hominum condemnanda reservet, cum apostolus dicat: Si Deus justificat, quis est qui condemnet? Ad fontem etiam misericordiæ recurrentes, evangelicam proferamus sententiam : « Gaudebo, inquit, super uno peccatore pœnitentiam agente, plus quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia (*Luc.* XV) ; » et ovem perditam nonagesimam nonam, non errantibus relictis, humero ad ovile reportavit. Si ovis errans post inventionem ad ovile humero reportatur, cur ista post pœnam ad Ecclesiæ ministerium non revocetur? Quid est ergo gravius carnale delictum admittere, sine quo non multi sed pauci inveniuntur, aut Dei Filium timendo negare? In quo peccato ipsum beatum principem apostolorum Petrum, ad cujus nunc corpus indigni sedemus, lapsum esse cognoscimus : sed post negationem pœnitentia secuta est, et post pœnitentiam misericordia data : quia illum ab apostolatu non dejecit, qui ante seipsum negare prædixit. Tibi hæc, fili charissime, dicta sufficiant, ut illum quem conspicis delicta fletu delere, in conspectu divinitatis non dubites misericordiam consequi : quia nullum peccantem reversum despicit, qui peccatores sanguine suo redimere venit. Hinc etiam et beatus Augustinus ad Petrum diaconum de fide scribens, ait : Omni homini in hac vita esse potest utilis pœnitentia : quam quocunque tempore homo egerit, quamlibet iniquus, quamlibet annosus, si toto corde renuntiaverit peccatis præteritis, et pro eis in conspectu Dei non solum corporis, sed etiam cordis lacrymas fuderit, et malorum operum maculas bonis operibus diluere curaverit, omnium peccatorum indulgentiam mox habebit. Hoc enim nobis Dominus prophetico promittit eloquio, dicens : Si conversus ingemueris, salvus eris. Et alio loco dicitur : « Fili, peccasti, ne adjicias iterum : sed et de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur (*Eccli.* XXI). » Nunquam peccanti esset indicta pro peccatis deprecatio, si peccanti non esset remissio concedenda. Sed etiam pœnitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ecclesia catholica gerat : cui Deus, in persona beati Petri, ligandi solvendique tribuit potestatem, dicens : « Quæ alligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis; et quæ solveris super terram, erunt soluta et in cœlis (*Matth.* XVIII). » In quacunque igitur homo ætate veram peccatorum suorum pœnitentiam egerit, et vitam suam Deo illuminante correxerit, non privabitur indulgentiæ munere : quia Deus sic per prophetam dicit : « Nolo mortem morientis, tantum ut revertatur a via sua mala et vivat anima ejus (*Ezech.* XVIII). » Verumtamen nullus hominum debet sub spe misericordiæ Dei, in suis diutius remanere peccatis : cum etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutius ægrotare. Tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, et sibi a Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant. Ideo unumquemque vestrum sancta Scriptura benigne præmonet dicens : Ne tardaveris converti ad Dominum : et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira ejus : et in tempore vindictæ disperdet te. Dicit etiam beatus David : « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra (*Psal.* XCIV). » Cui quoque beatus Paulus concordat his verbis : « Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo : sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati (*Heb.* III). » Obdurato igitur corde vivit sive qui non convertitur desperans de indulgentia peccatorum, sive qui sic misericordiam Dei sperat, ut usque in finem vitæ præsentis in suorum criminum perversitate remaneat. Proinde diligentes misericordiam Dei, metuentesque justitiam, nec de remissione peccatorum desperemus nec remaneamus in peccatis : scientes quia illa omnium hominum debita sit exactura æquitas justissimi judicis, quæ non dimiserit misericordia clementissimi Redemptoris. Sicut enim misericordia suscipit absolvitque conversos, ita justitia repellet

Digitized by Google

et puniet obduratos. Hi sunt qui peccantes in Spiritum sanctum, neque in hoc sæculo, neque in futuro remissionem accipient peccatorum. Nam de hoc Isidorus Hispalensis episcopus, ad inquisitionem Massionis episcopi, ita rescripsit dicens : Verum quod sequenter in epistolis venerabilis fraternitas tua innotuit, nulla est in hujusmodi sententiis decretorum diversitas intelligenda, quod alibi legitur in lapsu corporali restaurandum honoris gradum post pœnitentiam, alibi post hujusmodi delictum, nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum. Hæc enim diversitas hoc modo distinguitur : illos enim ad pristinos officii gradus redire Canon præcepit, quos pœnitentiæ præcessit satisfactio, vel digna peccatorum confessio. At contrahi qui neque a vitio corruptionis emendantur, atque hoc ipsum carnale delictum quod admittunt, etiam vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum utique honoris, nec gratiam communionis accipiunt. Ergo ita est utraque dirimenda sententia : ut necesse sit illos restaurari in loco honoris, qui per pœnitentiam reconciliationem meruerunt divinæ pietatis. Hi nec immerito consequuntur adeptæ dignitatis statum, qui per emendationem pœnitentiæ recepisse noscuntur vitæ remedium. Id enim ne forte magis ambiguum sit, divinæ auctoritatis sententia confirmetur. Ezechiel enim propheta, sub typo prævaricatricis Jerusalem, ostendit post pœnitentiæ satisfactionem pristinum restaurari posse honorem. « Confundere, inquit, o Juda, et porta ignominiam tuam (*Ezech.* xvi). » Et post paululum : « Et tu, inquit, et filiæ tuæ revertimini ad iniquitate vestra. » Quando dixit, « confundere, » ostendit post confessiones id esse peccati opus, debere quemquam erubescere : et pro admissis sceleribus, verecundam frontem humi prostratam demergere : pro eo quod dignum confusionis perpetraverat opus. Deinde præcepit ut portet ignominiam depositionis suæ, lugens cum humilitate quod peccaverat. Sic quoque revocari secundum prophetam ad priorem statum poterit. Item Joannes evangelista angelo Ephesi Ecclesiæ, inter cætera simile quiddam scripsit : « Memor esto, inquit, unde ecideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac : alioquin veniam tibi, et movebo candelabrum tuum de loco ejus (*Apoc.* ii). » In angelo Ecclesiæ præpositum utique id est, sacerdotem ostendit, juxta Malachiam, qui dicit : « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem exquirunt de ore ejus, quia angelus Domini est (*Malach.* ii). » Præpositus ergo lapsus in vitium, per evangelistam monetur, ut memor sit unde ecciderit, et pœnitentiam agat, et prima faciat opera : ut non moveatur candelabrum ejus. Nam candelabrum Angeli, doctrina est sacerdotalis : vel honor potestatis quam gestat, intelligitur, juxta quod scriptum est apud Samuelem in damnationem Heli : « Oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam exstingueretur (*I Reg.* iii). » Lucerna quippe Dei fuerat, quando dignitate sacerdotali pollens, justitiæ claritate fulgebat. Quam exstinctam propheta asserit, dum ob scelera filiorum, sacerdotis potestatem meritorumque lumen amisit. Candelabrum ergo sive lucerna sacerdotis, quæ intelliguntur charismata honoris, tunc juxta Joannem exstinguitur vel movetur, quando post delicti casum, neglecta pœnitentia, admissa scelera non deflentur. Non enim dixit : Pro eo quod cecidisti commovebo candelabrum tuum ; sed, Nisi pœnitentiam egeris, movebo candelabrum tuum. Ergo quemquam præpositum peccantem, si prævenerit pœnitentia, delicti utique sequitur et venia. Et in Proverbiis scriptum est : « Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur (*Prov.* xxviii). » Nam et ipsum quod canonum censura post septem annos remeare pœnitentem in statum pristinum præcepit, non hoc electione proprii arbitrii sancti Patres, sed potius ex sententia divini judicii sanxerunt. Nam legitur quod Maria soror Aaron prophetissa, dum ob detractiones adversus Moysen incurrisset delictum, « illico stigmate lepræ perfusa est. Cumque peteret Moyses ut emundaretur, præcepit eam Dominus extra castra septem diebus egredi, et post emundationem rursus eam in castra admitti (*Num.* xii). » Maria ergo soror Aaron caro intelligitur sacerdotis : quæ dum superbiæ dedita sordidissimis cogitationum contagiis maculatur, extra castra septem diebus, hoc est, extra collegium sanctæ Ecclesiæ septem annis projiciatur : ubi post emundationem vitiorum, loci vel pristinæ dignitatis recipiet meritum. Ecce in quantum valuimus, concilii antiquam plane et plena auctoritate sententiam sacris testimoniis explanavi, ostendens eum posse restaurari proprio honore, qui per pœnitentiæ satisfactionem, novit propria delicta deflere. Eum vero non posse restaurari, qui nec luget quæ egit, et lugenda sive ullo pudore religionis, vel timore judicii divini committit. In fine autem epistolæ hoc adjiciendum putavi, ut quotiescunque in gestis conciliorum discors sententia invenitur, illius magis teneatur sententia cujus antiquior et potior exstitit auctoritas.

In concilio igitur Hilerdensi, cap. 5, de his qui altario serviunt, si subito carnis fragilitate corruerint, et Domino respiciente digne pœnituerint, ita ut mortificato corpore cordis contriti sacrificium Deo offerant, maneant in potestate pontificis, vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiori tempore ab Ecclesiæ corpore segregare : ita tamen, ut sic officiorum loca recipiant, ne possint ad altiora officia ulterius promoveri. Quod si iterato velut canes ad vomitum reversi fuerint, non solum dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem, nisi in exitu non percipiant.

Item in concilio Carthaginiensi, can. 27, scriptum est quod presbyteri et diaconi in graviori culpa convicti, manus impositionem tanquam laici nequaquam suscipiant. Confirmatum est, ut si quando presbyteri vel diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint,

Digitized by Google

qua eos a ministerio necesse sit removeri, non eis manus tanquam pœnitentibus laicis imponatur : neque permittendum ut rebaptizati ad clericatus gradum promoveantur.

Cap. II. — *De incestis conjunctionibus.*

De incestis conjunctionibus in concilio Agathensi, cap. 61, ita scriptum est : Incestis conjugiis nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos vero nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est. Hos enim esse censemus : Si quis relictam fratris, quæ pene prius soror exstiterat, carnali conjunctione violaverit. Si quis fratris germanam uxorem acceperit. Si quis novercam duxerit. Si quis consobrinæ suæ se sociaverit. Quod ita præsenti tempore prohibemus, ut ita ea quæ sunt ante nos constituta non dissolvamus. Si quis relictæ vel filiæ aut avunculi misceatur, aut patris filiæ vel privignæ suæ concubitu polluatur. Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.

Item de eisdem in concilio Aurelianensi, cap. 14, scriptum est : Ne frater super thorum defuncti fratris ascendat. Ne quisquam, amissa uxore, sorori audeat sociari. Quod si fecerit, ab ecclesiastica districtione feriatur.

Item de eisdem in concilio Hilerdensi, cap. 4, ita dictum est : Qui se incesti pollutione commaculant, placuit quousque in ipso detestando et illicito carnis contubernio perseverant, usque ad missam tantum catechumenorum in ecclesia permittantur. Cum quibus etiam nec cibum sumere alii Christianorum, sicut Apostolus jussit (*I Cor.* v), oportet.

Item de his in Ancyrano concilio, cap. 24, ita scriptum est : Quidam sponsam habens, sororem ejus violavit, et gravidam reddidit : postmodum desponsatam sibi duxit uxorem. Illa vero quæ corrupta est laqueo se peremit. Ili qui fuerunt conscii, post decennem satisfactionem jussi sunt suscipere gradus pœnitentiæ constitutos.

Item in Neocæsariensi concilio, cap. 2, ita dictum est de his quæ duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores uxores acceperint : Mulier si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu propter misericordiam, si promiserit quod facta incolumis hujus conjunctionis vincula dissolvat, fructum pœnitentiæ consequatur. Quod si defecerit mulier aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.

Item de his qui duabus sororibus copulantur, in Heliberritano concilio, cap. 61, ita scriptum est : Si quis post obitum uxoris suæ sororem ejus duxerit, et ipsa fuerit fidelis, quinquennium a communione placuit abstineri, nisi forte velocius dari pacem necessitas coegerit infirmitatis.

Item de muliere quæ duos fratres sumit in conjugio, vel vir qui duas sorores habuerit, in concilio Martini episcopi, cap. 78, ita scriptum est : Si qua mulier duos fratres, aut si quis vir duas sorores duxerit, a communione abstineant usque ad mortem. In morte eis communio pro misericordia detur. Si vero supervixerint communione accepta, et de infirmitate convaluerint, agant plenam pœnitentiam tempore constituto.

Item in Canone apostolorum, cap. 19, scriptum est : Qui duas in conjugium sorores acceperit, ut filiam fratris, clericus esse non poterit.

Cap. III. — *De his qui adulterium committunt.*

Adulterium autem non solum lex damnat, sed etiam evangelica auctoritas omnino fieri vetat. Unde et sancti Patres, cœlesti magisterio imbuti, de hoc quid servandum sit sanciverunt. Nam in Ancyrano concilio, cap. 18, ita scriptum est : Si cujus uxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentiam agentem, oportet eum persequi secundum pristinos gradus.

Item in Africano concilio, cap. 69, de his qui uxores aut quæ viros dimittunt, ut sic maneant, scriptum est : Placuit, ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungatur, ut ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam rediganter : in qua causa legem imperialem petendam promulgari.

Item in decretis Innocentii papæ, cap. 24, scriptum est quod viri cum adulteris non conveniant. Et illud desideratum est sciri cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxores in consortio adulterorum virorum manere videantur. Super hoc Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, et non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud sacerdotes deferre consueverunt : et ideo mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur. Virorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur. Qui utique submovebitur, si ejus flagitium detegatur. Cum ergo par causa sit, interdum probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.

Item in ejusdem decretis, cap. 27, scriptum est : Quod hi qui intercedente repudio divortium pertulerunt, si se aliis nuptiis adjunxerint, adulteri esse monstrentur. De his etiam requisivit dilectio tua, qui, interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt : quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri : in tantum etiam, ut hæ personæ quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur : secundum illud quod legimus in Evangelio : « Qui dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, mœchatur. Similiter et qui dimissam duxerit, mœchatur (*Matth.* v). » Et ideo omnes a communione

Digitized by Google

abstinentiosi. De parentibus autem aut propinquis eorum nihil tale statui potest, nisi incentores illiciti consortii fuisse detegantur.

In concilio quoque Heliberritano, cap. 9, de feminis quæ adulteros maritos reliquerunt, et aliis nubunt, scriptum est : Femina fidelis quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum ducit, prohibeatur ne ducat. Si duxerit, non prius accipiat communionem, nisi quem reliquit de sæculo exierit : nisi forte necessitas infirmitatis dare compulerit.

CAP. IV. — *De his qui mœchantur.*

Item in concilio Heliberritano, cap. 30, de mœchis scriptum est : Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerint mœchati : eo quod per subreptionem ad altiorem gradum promovebantur : si qui sunt in tempore præterito ordinati, amoveantur.

Item in eodem concilio, cap. 31, de adolescentibus qui post lavacrum mœchantur, scriptum est : Adolescentes qui post fidem lavacri salutaris fuerint mœchati, cum duxerint uxores, acta legitima pœnitentia, placuit ad communionem eos admitti.

Item in eodem concilio, cap. 42, de eo qui uxorem habens sæpius mœchatur, scriptum est : Si quis fidelis habens uxorem, non semel, sed sæpe fuerit mœchatus, in fine mortis est conveniendus. Quod si promiserit se cessaturum, detur ei communio. Si resuscitatus rursus fuerit mœchatus, placuit ulterius non ludere eum de communione pacis.

Item in eodem concilio, cap. 13, de virginibus Deo sacratis si adulteraverint : Virgines quæ se Deo dicaverunt, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini servierint, non intelligentes quid admiserint, placuit nec in finem eis dandam esse communionem. Quod si semel persuasu suo ab infirmi corporis lapsu post commissa vitia tempore vitæ suæ hujusmodi feminæ egerint pœnitentiam, ut abstineant se a coitu, placuit eas in finem communionem accipere debere.

Item in eodem concilio, cap. 14, de virginibus sæcularibus, si mœchatæ fuerint, scriptum est : Virgines quæ virginitatem suam non custodierint, si eos qui easdem violaverint duxerint, et tenuerint maritos, eo quod solas nuptias violaverint, post annum sine pœnitentia reconciliari debebunt. Vel si alios cognoverint viros, eo quod mœchatæ sunt, placuit post quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, admitti eas ad communionem oportere.

Item in Ancyrano concilio, cap. 18, de his qui virginitatem professi sunt, et de his qui sub sororis habitu cum aliquibus commemorantur, scriptum est : Quotquot virginitatem promittentes, irritam faciunt sponsionem, inter bigamos censeantur. Virgines autem quæ conveniunt cum aliquibus tanquam sorores habitare prohibemus.

CAP. V. — *De his qui sacris virginibus se sociant, et de virginibus velatis si mœchatæ fuerint.*

Item in decretis Gelasii papæ, cap. 20, de his qui A se sacris virginibus sociant, et fœdera incesta committunt, quod communicare non possint, nisi forte publicam pœnitentiam gesserint, dictum est : Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognovimus, et post dicatum Deo propositum, incesta fœdera sacrilegaque miscere : quas protinus æquum est a sacra communione detrudi : et nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi : aut his certe viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur.

Item in decretis Innocentii papæ, cap. 20, de virginibus non velatis si deviaverint, scriptum est : Hæ vero quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulaverant permanere, licet velatæ non fuerint, si forte nupserint, B his agenda aliquanto tempore pœnitentia est : quia sponsio earum a Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, quomodo solvi sine vindicta poterit? Nam si apostolus Paulus, illas quæ a proposito viduitatis discesserunt, dixerat habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt (*I Tim.* v), quanto potius virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt conatæ!

CAP. VI. — *De his qui irrationabiliter fornicantur.*

In concilio Ancyrano, cap. 15, de his qui fornicantur irrationabiliter, id est, qui miscentur pecoribus, aut cum masculis polluuntur, scriptum est : De illis qui irrationabiliter versati sunt, sive versantur, C quotquot ante vicesimum annum tale crimen commiserint, quindecim annis exactis in pœnitentia, communionem mereantur orationum. Deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demum oblationis sacramenta contingant. Discutiatur autem et vita eorum, quales tempore pœnitudinis exstiterint : et ita misericordiam consequantur. Quod si inexplebiliter his hæsere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem peracta viginti annorum ætate, et uxores habentes hoc peccato prolapsi sunt, viginti quinque annis pœnitudinem gerentes, in communionem suscipiantur orationum. In qua quinquennio perdurantes, tunc demum oblationis sacramenta percipiant. Quod D si qui et uxores habentes, et transcendentes quinquagesimum annum ætatis, ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur.

Item in eodem de his qui in pecudes vel in masculos aut olim polluti sunt, aut hactenus hoc vitio tabescunt, cap. 16, scriptum est : Eos qui irrationabiliter vixere, et lepra injusti criminis alios polluerunt, præcepit sancta synodus inter eos orare qui spiritu periclitantur immundo.

CAP. VII. — *De conjugatis, si quis eorum ductus fuerit in captivitatem.*

In decretis quoque Innocentii papæ, cap. 37, scriptum est : Quod si cujus uxor in captivitatem fuerit abducta, et alteram maritus acceperit, revertente

Digitized by Google

prima, secunda mulier debet excludi. Innocentius Probo scripsit : Conturbatio procellæ barbaricæ facultati legum intulit casum. Nam bene constituto matrimonio inter Fortunium et Ursam captivitatis incursus faceret nævum, nisi sacræ religionis statuta provideren. Cum enim in captivitate prædicta Ursa mulier teneretur, aliud conjugium cum Restituta Fortunius memoratus iniisse cognoscitur : sed favore Domini reversa Ursa nos adiit, et nullo diffidente, uxorem se memorati esse perdocuit. Quare, domine fili merito illustris, statuimus, fide catholica suffragante, illud esse conjugium quod erat primitus divina gratia fundatum. Conventumque secundæ mulieris priore superstite, nec divortio rejectæ, nullo pacto posse esse legitimum.

CAP. VIII. — *Quod aliud sit uxor, aliud concubina, et quod non sit conjugii duplicatio, quando, ancilla rejecta, uxor assumitur.*

In decretis Leonis papæ, cap. 19, scriptum est quod aliud sit uxor, et aliud concubina. Nec erret quisquis filiam suam in matrimonium tradiderit ei qui habuit concubinam. Non omnis mulier viro juncta, uxor est viri : quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, et inter æquales. Et multo prius hoc ipsum Domino constituente, quam initium Romani juris existeret. Itaque aliud est uxor, aliud concubina : sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, ubi dicitur Abrahæ : « Ejice ancillam et filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac (*Gen.* XXI). » Unde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi et Ecclesiæ sacramentum, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitur cujuslibet loci clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam conjugato dederit, nisi forte illa mulier et ingenua facta, et dotata legitime, et publicis nuptiis honestata videatur : paterno arbitrio viris junctæ carent culpa, si mulieres quæ a viris habeantur in matrimonio non fuerunt, quia aliud est nupta, aliud concubina.

Item in ejusdem decretis, cap. 20, scriptum est : Quod non sit conjugii duplicatio, quando, ancilla rejecta, uxor assumitur. Ancillam a thoro abjicere, et uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, sed profectus est honestatis. Culpanda sit sane talium negligentia : sed non penitus desperanda : ut crebris exhortationibus incitati, quod necessarie expetiverunt, fideliter exsequantur. Nemo enim desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est : quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiori perficitur, in matrimonio videtur esse.

CAP. IX. — *De eo qui uxorem capti sortitus est in matrimonium.*

Item in decretis Leonis papæ, cap. 43, scriptum est, quod non videatur esse culpabilis qui uxorem capti sortitus est, nec tamen culpabilis judicetur, et tanquam alieni juris pervasor habeatur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assumpsit. Sic enim multa quæ ad eos qui in captivitatem ducti sunt pertinebant, in jus alienum transire potuerunt : et tamen plenum justitiæ est, ut iisdem reversis propria reformentur. Quod si in mancipiis vel agris aut etiam in domibus ac possessionibus rite servatur, quanto magis in conjugiorum redintegratione faciendum est, ut quod bellica necessitate turbatum est, pacis remedio reformetur.

CAP. X. — *De illo qui concubinam super uxorem habet.*

In Toletano concilio, cap. 7, scriptum est de eo qui uxorem habet, si concubinam habuerit, quod non communicet. Si quis habens uxorem fidelis, si concubinam habeat, non communicet. Cæterum is qui non habet uxorem, et pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur : tantum ut unius mulieris aut uxoris aut concubinæ, ut ei placuerit, sit conjunctione contentus. Alias vero vivens, abjiciatur donec desinat ; et ad pœnitentiam revertatur.

CAP. XI. — *De parricidio, et his qui partus suos necant.*

Parricidium autem quam sit detestabile crimen, in judicio facto inter Cain et Abel fratrem suum, Dominus ipse ostendit, cum ad Cain parricidam ait : « Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Non dabit tibi fructus suos. Vagus et profugus eris super terram (*Gen.* IV). » In quo etiam posuit signum, hoc est ut tremens et gemens profugus semper viveret, nec auderet jam uspiam sedes habere quietas. Sed quia in modernis temporibus parricidæ profugi discurrunt per diversa loca, et variis vitiis atque gulæ illecebris deserviunt, melius mihi videtur, ut in uno loco manentes, pœnitentia districta semetipsos castigent, si forte a Domini bonitate indulgentiam facinoris sui percipere mereantur. Non enim eis licebit ultra militiæ cingulum sumere, et nuptiis atque conjugii copula uti : quia sacri Canones hoc eis non consentiunt : sicut modo de pœnitentibus pro culpis gravium criminum decreta synodalia decernere ostensuri sumus.

Itaque in Ancyrano concilio, cap. 20, scriptum est de his qui partus suos ex fornicatione diversis modis interimunt : De mulieribus quæ fornicantur, et partus suos necant, vel quæ agunt secum ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet. Humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus secundum præfixos gradus pœnitentiæ largiamur.

Item in concilio Heliberritano, cap. 63, scriptum

Digitized by Google

est de his quæ filios ex adulterio necant : Si qua per adulterium absente marito conceperit, idque post facinus occiderit, placuit vix in fine dandam esse communionem, eo quod geminaverit scelus.

Item in concilio Hilerdensi, cap. 2, scriptum est de his qui abortum faciunt, vel natos suos exstinguunt : Hi vero qui male conceptos, ex adulterio factos vel editos necare studuerint, vel in ventribus matrum, potionibus aliquibus colliserint in utroque sexu adulteris, post septem annorum curricula, communio tribuatur : ita tamen ut omni tempore vitæ suæ fletibus et humilitati insistant.

. CAP. XII. — *De homicidiis voluntarie commissis.*

In concilio Neocæsariensi, cap. 21, de homicidiis scriptum est : Qui voluntarie homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant, perfectionem vero circa exitum consequantur.

CAP. XIII. — *De homicidis et falsis testibus.*

Item in concilio Agathensi, cap. 34, de homicidis et falsis testibus scriptum est : Itaque censuimus, homicidas et falsos testes a communione ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.

CAP. XIV. — *De his qui servos suos extra judicem necant, et domina quæ per zelum ancillam occiderit.*

Item in concilio Agathensi, cap. 62, scriptum est de his qui servos suos extra judicem necant : Si quis servum proprium sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennii, reatum sanguinis emundabit.

Item in concilio Heliberritano, cap. 5, scriptum est, si domina per zelum ancillam occiderit : Si qua femina, furore zeli accensa, flagris verberaverit ancillam suam, ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum sit voluntate an casu occiderit : si voluntate, septem annos, si casu, per quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti. Quod si infra tempora constituta fuerit infirma, accipiat communionem.

CAP. XV. — *De homicidiis non sponte commissis, et illis qui se excusant quasi insontes ab homicidio in prælio commisso jussu principum.*

In concilio Neocæsariensi, cap. 22, scriptum est de his qui non sponte homicidium commiserunt : De homicidiis non sponte commissis, prior quidem definitio, post septennem pœnitentiam, perfectionem consequi præcepit; secunda vero, quinquennii tempus explere.

Quod autem quidam homicidium quod nuper in seditione et prælio principum nostrorum perpetratum est, excusant, quasi necesse sit pro hoc cuilibet agere pœnitentiam, eo quod jussu principum peractum sit, et Dei judicio ita finitum. Scimus enim quod Dei judicium semper justum est, et nulla reprehensione dignum; de quo etiam scriptum est : « Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis : qui judicat orbem terræ in æquitate et populos in veritate sua; sine quo nec passer cadit super terram (*Psal.* CXLIV). » Sed nemo omnia judicia Dei penetrare potest, quoniam scriptum est : « Judicia Dei abyssus multa (*Psal.* XXXV). » Unde oportet eos considerare, qui hanc necem nefariam defendere cupiunt, utrum illos coram oculis Dei quasi innoxios excusare possint, qui propter avaritiam quæ omnium malorum radix est, et idolorum servituti comparatur, atque propter favorem dominorum suorum temporalium, æternum Dominum contempserunt, et mandata illius spernentes, non casu sed per industriam homicidium perfecerunt. Nam de his legimus qui homines non sponte interfecerunt, Deum per legis latorem urbes refugii deputasse : ad quas confugientes salvarentur ab ultore sanguinis proximi sui, et non morerentur. Inde in Deuteronomio scriptum est : « Hæc erit lex homicidæ, cujus vita servanda est. Qui percusserit proximum suum nesciens, et heri et nudiustertius nullum contra eum habuisse odium comprobatur, sed abiisse simpliciter cum eo in silvam ad ligna cædenda, et in succisione lignorum, securis fugerit de manu, aut ferrum lapsum de manubrio, amicum ejus percusserit et occiderit, hic ad unam urbium supradictarum confugiet et vivet : ne proximus ejus cujus sanguis effusus est, stimulo doloris percutiat animam ejus (*Deut.* XIX). » De eo vero qui per industriam aliquem occiderit, in Exodo ita præceptum est : « Si quis de industria et per insidias occiderit proximum, ab altari meo evelles eum, ut moriatur (*Exod.* XXI). » Et in Deuteronomio : « Si quis, inquit, odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, et surgens percusserit illum, et mortuus fuerit, et fugerit ad unam de supradictis urbibus, mittent seniores civitatis illius, et eripient eum de loco refugii : et tradent eum in manus proximi ejus, cujus sanguis effusus est, et morietur, nec misereberis ejus (*Deut.* XIX). » Si ergo eum quem Dominus dignum morte esse judicavit, reum non esse quis dicit, quomodo contrarius legi Dei non existit, qui hoc quod Dominus præcepit, casum esse contendit? Videndum ergo illi est ne forte in illorum numero sit, quibus per prophetam dicitur : « Væ vobis qui consuitis pulvillos sub omni cubito, et cervicalia ad decipiendas animas (*Ezech.* XIII). » Et alibi : « Væ vobis, inquit, qui dicitis bonum malum, et malum bonum, ponentes lucem tenebras et tenebras lucem, dicentes amarum dulce, et dulce amarum. Tales ergo mortificant animas quæ non moriuntur, et vivificant quæ non vivunt (*Isa.* V). » Quisquis ergo malorum operum sine condigna pœnitentia quemquam veniam a Deo percipere posse dixerit, penitus errat. Et cum deceptus alios decipere festinat, duplici noxa constringitur, hoc est, proprii erroris et alienæ deceptionis. Sed inter hæc sciendum, quod magna distantia est inter legitimum principem et seditiosum tyrannum. Inter eum qui subvertere nititur Christianæ pacis tranquillitatem,

Digitized by Google

et illum qui armis contra iniquitatem, certat defendere æquitatem. De quo plurima sub lege vetere et sub Testamento novo, fortium virorum inveniuntur exempla : quæ nos possunt instruere quid de hujuscemodi facto debemus sentire.

CAP. XVI. — *De administratoribus et his qui preces criminales dictant.*

De administratoribus autem qui judicia sæcularia secundum legem majorum suorum exercent, quid sacri canones inde sentiant, facile est invenire. Nam in decretis Innocentii papæ, cap. 23, ita legitur : Quæsitum est ergo super his qui post baptismum administraverunt, et aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulerunt sententiam, de his nihil legimus a majoribus definitum. Meminerant enim a Deo potestates has fuisse concessas, et propter vindictam noxiorum gladium fuisse promissum, et Dei ministrum esse datum, vindicem esse in hujusmodi. Quemadmodum igitur reprehenderent factum quod auctore Domino viderunt esse concessum? De his ergo ita ut hactenus servatum est, sic habemus : ne aut disciplinam evertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur. Ipsi autem in ratione reddenda gesta sua omnia servabunt.

Item in ejusdem decretis, cap. 30, scriptum est, quod qui preces criminales dictant, habeantur immunes : illud autem sciscitari voluisti, an preces dictantibus liberum concedatur. Utique propter baptismi regenerationem a principibus poscere mortem alicujus, vel sanguinem de reatu. Quam rem principes nunquam sine cognitione concedunt, sed ad judices commissa ipsa vel crimina semper remittunt, ut causa cognita vindicetur. Quæ cum quæsitori fuerint delegata, aut absolutio, aut damnatio pro negotii qualitate profertur. Et dum legum in improbos exercetur auctoritas, erit dictator immunis.

CAP. XVII. — *De populi necessario commissu.*

De populi autem necessario commissu quomodo inultum soleat præteriri, idem papa quibusdam episcopis de Macedonia ad interrogata respondens, ita scripsit, dicens : Prævideat ergo dilectio vestra hactenus talia mansisse : et advertite, quod utique ut dicitis, necessitas imperavit : in pace etiam ecclesias constitutas non posse præsumere. Sed ut sæpe accidit quoties a populis et a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum solere transire. Priora ergo dimittenda dico Dei judicio, de reliquo maxima sollicitudine præcavendum. Non enim hic, ut mihi videtur, iste doctor apostolicus dicit non necessarium esse populo pro male commissis agere pœnitentiam, sed quod in omnes propter multitudinem non potest vindicari, priora dimittenda Dei judicio : de reliquo maxima sollicitudine præcavendum ne fiant.

CAP. XVIII. — *De furto.*

De furto vero in concilio Agathensi, cap 5, ita scriptum est. Si clericus furtum ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.

Item in eodem concilio, cap. 26, scriptum est : Si qui vero clerici documenta quibus ecclesiæ possessio firmatur, aut supprimere, aut negare, aut adversariis fortasse tradere damnabili et punienda obstinatione præsumpserunt, quidquid per abstinentiam documentorum damni ecclesiæ illatum est, et de propriis facultatibus reddant, et communione priventur, etiam qui in damno ecclesiæ impie sollicitati a traditoribus susceperint.

CAP. XIX. — *De conjuratione vel conspiratione.*

De conjuratione vel conspiratione in concilio Chalcedonensi, cap. 14, scriptum est : Conjurationis vel conspirationis crimen, et ab exteris legibus est omnino prohibitum, multo magis hoc in Dei Ecclesia ne fiat admonere conveniet. Si qui ergo clerici vel monachi reperti fuerint conjurantes aut conspirantes, aut insidias ponentes episcopis aut clericis, e gradu proprio penitus abjiciantur.

CAP. XX. — *De his qui sacramento se obligant ne ad pacem redeant.*

De his vero qui sacramento se obligant, ne ad pacem redeant, in concilio Hilerdensi, cap. 7, ita scriptum est : Qui sacramento se obligaverit, ut litiget cum quolibet, ne ad pacem ullo modo redeat, pro perjurio, uno anno a communione corporis et sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis et fletibus, et quantum potuerit jejuniis absolvat. Ad charitatem vero, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinet.

CAP. XXI. — *De his qui noxia juramenta conficiunt, quomodo pœnitere oporteat.*

De iniquo ergo juramento et ad proximi noxam pertinente, in Toletana synodo, cap. 26, ita scriptum continetur : Etenim dum perjurare compellimur, Creatorem quidem offendimus : sed nos tantummodo maculamus. Cum vero noxia promissa complemus, et Dei jussa superbe contemnimus, ut proximis impia crudelitate noceamus, et nosipsos crudeliori mortis gladio trucidamus. Illic enim duplici culparum telo pereutimur : hic tripliciter jugulamur. Restat ergo, ut eo nostra pergat sententia, quo misericordiæ patuerit via. Quæ ita Domino probatur accepta, ut plus eam cupiat quam sacrificia veneranda, dicente ipso : « Misericordiam volui et non sacrificium (*Matth.* IX). » Hac indulgentiæ concessa licentia, miserationis ipsius opus in gloriosi principis potestatem redigimus : ut quia Deus illi miserandi aditum patefecit, remedia pietatis ipse quoque non deneget, quæ ita principali discretione moderata persistant, ut et illis ita sit, quatenus misericordia contributa, ut nusquam gens aut patria per eosdem aut periculum quodcunque perferat aut jacturam, hæc miserationis obtentu temperasse sufficiat. Cæterum quia juramenta pro regiæ potestatis salute, vel constitutione gentis et patriæ, vel hactenus sunt exacta, vel deinceps exstiterunt exigenda, omni custodia omnique vigilantia indissolubiliter decernimus observanda, membrorum trun-

Digitized by Google

catione mortisque sententia, religione penitus absoluta. Sed ne pravarum mentium versuta nequitia nosmet ad perjurii aliquando provocet culpam, neve a sanctæ fidei regula hanc asserat venire sententiam, tam divinæ auctoritatis oracula, quam præcedentium Patrum huic narrationi curavimus innectenda. Sic enim per Jeremiam dixit : « Repente loquar adversus gentem, adversus regnum, ut eradicem et disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi, ut facerem ei (*Jer.* XVIII). » Et per Ezechielem : « Si dixero, inquit, justo quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio, Morte morieris, et egerit pœnitentiam, vita vivet et non morietur (*Ezech.* XVIII). » Si ergo nostra conversio sic divinam mutat sententiam, cur miserorum tantæ lacrymæ vel pressura, tam crudam non temperent ex miseratione vindictam? Hinc populo etiam Israelitico sæpe ultio promissa suspenditur, et Ninivitarum perditio divinæ sententiæ permutatione sedatur. Nam sanctus Ambrosius in libro tertio de Officiis, cap. 12, ita ait : Purum igitur ac sincerum oportet esse affectum, ut unusquisque simplicem sermonem proferat : vas suum in sanctitate possideat, ne fratrem circumspectione verborum inducat : nihil promittat inhonestum. At si promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quam facere quod turpe sit. Sæpe plerique constringunt seipsos jurisjurandi sacramento : et cum ipsi cognoverint promittendum non fuisse sacramentum, tamen contemplatione faciunt quod spoponderunt. Sicut de Herode supra scripsimus, qui saltatrici præmium turpiter promisit, crudeliter solvit (*Matth.* XIV). Turpe quod regnum pro saltatione promittitur : crudele, quod mors prophetæ pro jurisjurandi religione donatur! Quanto tolerabilius tale fuisset perjurium : sacramento. Et post pauca de Jephte discernens, Miserabilis necessitas, quæ solvitur parricidio. Melius est non vovere id quod sibi is cui promittitur nolit exsolvi. Et post paululum : Non semper igitur promissa solvenda omnia sunt. Denique ipse Dominus, sicut Scriptura indicat, frequenter suam mutat sententiam. Vir quoque sanctissimus Augustinus, investigationis acumine acutus : Inveniendi aditus patet, minora semper eligantur. Quia et qui murorum ambitu ne fugiat clauditur, ibi se in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur. Hinc et Isidorus ait : Tolerabilius est enim non implere sacramentum quam permanere in stupri flagitio. Similiter in Synonymis : In malis promissis rescinde fidem : in turpi voto muta decretum : quod incaute vovisti, ne facias. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur. Unde necesse est ut male jurans dignam pœnitentiam agat, eo quod nomen Domini contra præceptum illius sumpsit in vano : quia in Exodo scriptum est : « Nec enim insontem habebit Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra (*Exod.* XX). » Et in Levitico : « Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui : ego Dominus (*Lev.* XIX). » Tamen malum quod facturum se sacramento devoverat, omnino non faciat, quoniam stulta vota frangenda sunt.

CAP. XXII. — *De his qui ad ecclesiæ patrocinium confugiunt, ne tradantur persequentibus se sine fœdere pacti.*

De his ergo qui ad ecclesiæ patrocinium confugiunt ne tradantur, in concilio Arausicano, cap. 5, ita scriptum est : Eos autem qui ad ecclesiam confugerint, tradi non oportere, sed loci sancti reverentia et intercessione defendi. In concilio Aurelianensi, cap. 1, de homicidis, et adulteris, et furibus, si ad ecclesiam confugerint, ita scriptum est : Id constituimus observandum quod ecclesiastici canones decreverunt, et lex Romana constituit, ut ab ecclesiæ atriis vel domo episcopi eos abstrahere omnino non liceat, sed nec altari consignari, nisi ad Evangelia datis sacramentis, de morte et debilitate et omni pœnarum genere sint securi, ita ut ei cui reus fuerit criminosus de satisfactione conveniat. Quod si sacramenta sua convictus fuerit violasse reus perjurii, non solum a communione Ecclesiæ vel omnium clericorum, verum etiam et a catholicorum convivio separetur. Quod si cui reus est noluerit sibi intentione faciente componi, et ipse reus de ecclesia actus timore discesserit, ab ecclesiæ clericis non quæratur.

Item in eodem concilio, cap. 2, scriptum est de raptoribus, si ad ecclesiam confugerint : De raptoribus autem id constituendum esse censuimus, ut si ad ecclesiam raptor cum rapta convenerit, et feminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris : et raptor mortis vel pœnarum impunitate concessa, ad serviendum subjectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si vero quæ rapitur patrem habere constiterit, et puella raptori consenserit, potestati patris excussa reddatur : et raptor a patre superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius.

Item in eodem concilio, cap. 3, scriptum est de servis, si ad ecclesiam confugerint : Servus si ad ecclesiam confugerit pro qualibet culpa, si a domino omissa culpa sacramentum susceperit, statim ad servitium domini sui redire cogatur. Et posteaquam dato sacramento domino suo fuerit consignatus, si aliquid pœnæ pro eadem culpa qua excusatur probatus fuerit pertulisse, pro contemptu ecclesiæ et prævaricatione fidei, a communione et convivio catholicorum, sicut superius comprehensum est, extraneus habeatur. Si vero servus, pro culpa sua ab ecclesia defensatus, sacramenta Domini, clericis exigentibus, de impunitate perceperit, exire nolentem a domino liceat occupari.

Digitized by Google

CAP. XXIII. — *De his qui divinationes expetunt, et incantationibus sive auguriis deserviunt.*

In Ancyrano concilio, cap.... de his qui divinationes expetunt, et morem gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujusmodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi causa, sub regula quinquennii jaceant secundum gradus pœnitentiæ definitos.

In concilio Laodicensi, cap. 36, de his qui incantationibus et phylacteriis utuntur, ita scriptum est : Quod non oporteat sacris officiis deditos vel clericos, magos aut incantatores existere, aut facere phylacteria, quæ animarum suarum vincula esse comprobantur : eos autem qui his utuntur, ab Ecclesia pelli præcipimus.

In concilio Agathensi, de sortilegis vel augurium servantibus, ut ab Ecclesia separentur, cap. 43, scriptum est : Ne de eo fortasse videatur omissum, quod maxime fidem Catholicæ religionis infestat, quod aliquanti clerici sive laici studeant auguriis, et sub nomine fictæ religionis qua sanctorum sortes divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque inspectione futura promittunt, hoc quicunque clericus vel laicus detectus fuerit, vel consulere, vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus.

In concilio Toletanensi, cap. 29, ita scriptum est : Si quis episcopus aut presbyter sive diaconus, vel quilibet ex ordine clericorum, magos aut aruspices aut ariolos vel sortilegos, aut eos qui profitentur artem aliquam curiosam, aut aliquis eorum similia exercentes consulens fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus, monasterii curam excipiat : ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus, scelus admissum sacrilegii solvat.

In synodo Martini, cap. 59, ita scriptum est : Non liceat sacerdotibus vel clericis incantatores esse et ligaturas facere : quod est colligatio animarum. Si quis hæc facit, de Ecclesia projiciatur.

CAP. XXIV. — *Quod non liceat Christianis servare traditiones gentilium : nec ullis observationibus festis eorum communicare.*

Item in eadem synodo, cap. 72, scriptum est : Non liceat Christianis tenere traditiones gentilium, et observare lunæ aut stellarum cursum. Non liceat Christianis observare vel colere elementa, aut lunæ aut stellarum cursum, aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda, vel segetibus, vel arboribus plantandis, vel conjugiis sociandis. Scriptum est enim : « Omnia quæ facitis, aut in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo (*I Cor.* x). »

Item in eodem concilio, cap. 72, ita scriptum est, quod non liceat Kalendas observare : Non liceat iniquas observationes agere Kalendarum, et otiosis vacare rebus : neque lauro aut viriditate arborum circuire domos. Omnis hæc observatio paganismi est.

Item in eodem concilio, cap. 73, scriptum est, quod non liceat medicinales herbas aliqua observatione colligere. Non liceat in collectione herbarum quæ medicinales sunt aliquas observationes aut incantationes intendere, nisi tantum cum symbolo divino et oratione Dominica : ut tantum Deus creator omnium et Dominus honoretur.

In concilio Laodicensi, cap. 39, scriptum est de his Christianis qui celebrant festa gentilium : Quod non oporteat cum gentilibus festa celebrare, et communicare pravitatibus eorum qui sine Deo sunt.

CAP. XXV. — *Quod non sit cum paganis convivandum.*

In concilio Africano, cap. 27, scriptum est de paganorum conviviis auferendis : Illud etiam petendum, ut quoniam, contra præcepta divina, convivia multis in locis exercentur, quæ ab errore gentili adtracta sunt, ita ut nunc a paganis Christiani ad hæc celebranda cogantur, ex qua re temporibus Christianorum Imperatorum persecutio altera fieri occulte videatur, vetari talia jubeant : et de civitatibus et possessionibus imposita pœna prohiberi : maxime cum etiam natalibus beatissimorum martyrum per nonnullas civitates, et in ipsis locis sacris talia committere non reformident : quibus diebus etiam, quod pudoris est dicere, saltationes sceleratissimas per vicos atque plateas exerceant, ut matronalis honor et innumerabilium feminarum pudor, devote venientium ad sacratissimum diem, injuriis lascivientium appetatur : ut etiam ipsius sanctæ religionis pene fugiatur accessus.

In decretis Leonis Papæ, cap. 30, scriptum est de his qui convivio gentilium et escis immolatitiis usi sunt : Si qui convivio solo gentilium et escis immolatitiis usi sunt, possunt jejuniis et manus impositione purgari, ab idolothytis abstinentes, sacramentorum Christi possunt esse participes. Si autem aut idola adoraverunt, aut homicidiis aut fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos nisi per pœnitentiam publicam non oportet admitti.

CAP. XXVI. — *De Christianis qui cum Judæis vescuntur, et quod Judæis non liceat habere Christianas uxores vel concubinas, seu mancipium Christianum.*

In concilio Heliberritano, cap. 55, scriptum est de Christianis qui cum Judæis vescuntur : Si vero quis clericus vel fidelis cum Judæis cibum sumpserit, placuit eum a communione abstinere, ut debeat emundari.

In concilio Toletanensi, cap. 14, scriptum est de Judæis : Suggerente Concilio, id gloriosissimus Dominus noster Canonibus inserendum præcepit, ut Judæis non liceat Christianas habere uxores vel concubinas, neque mancipium Christianum in usus proprios comparare. Sed et filii qui ex tali conjugio nati sunt, assumendos esse ad baptismum : nulla officia publica eos opus est agere, per quæ eis occasio tribuatur pœnam Christianis inferre. Si qui vero Christiani ab eis Judæis in ritu sunt maculati, vel

Digitized by Google

etiam circumcisi non reddito pretio, ad libertatem et religionem redeant Christianam.

CAP. XXVII. — *Quod Christianis non congruat comessationibus interesse, nec histriones fieri, nec saltare in nuptiis, neque in conviviis.*

In concilio Laodicensi, cap. 55, scriptum est non congruere Christianis, comessationibus interesse : Quod non oporteat sacerdotes aut clericos ex collatis vel comessationibus convivia celebrare. Hoc autem nec laicis posse congruere.

In concilio Africano, cap. 30, scriptum est de histrionibus, Christianis factis, et de his etiam petendum, ut si quis ex qualibet ludicra arte ad Christianitatis gratiam venire voluerit, ac liber ab illa macula permanere, non eum liceat a quoquam iterum ad eadem exercenda reduci vel cogi.

In concilio Laodicensi, cap. 53, scriptum est, ut in Christianorum non saltetur nuptiis. Quod non oporteat Christianos euntes ad nuptias plaudere vel saltare, sed venerabiliter cœnare vel prandere, sicut Christianos decet.

CAP. XXVIII. — *Ut ad mensam episcopi Scripturæ divinæ legantur : et quod sacris ordinibus deditos viros non conveniat ebrietatem sectari.*

In concilio Toletanensi, cap. 7, scriptum est, ut ad mensam episcopi Scripturæ divinæ legantur. Pro reverentia Dei et sacerdotum, id universa sancta constituit synodus, ut quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni sacerdotali convivio lectio Scripturarum divinarum misceatur. Per hoc enim et animæ ædificantur ad bonum, et fabulæ non necessariæ prohibentur.

In Canone Apostolorum, cap. 42, scriptum est, quod episcopus, presbyter, aut diaconus, aleator et ebriosus esse non debeat : episcopus, presbyter, aut diaconus, aleæ atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur.

CAP. XXIX. — *De continentia et castitate clericorum.*

In concilio Carthaginensi, cap. 3, de continentia et castitate clericorum, ita scriptum est : Aurelius episcopus dixit : Cum præterito concilio de continentiæ et castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres qui constrictione quadam castitatis per consecrationes adnexi sunt, episcopos, inquam, presbyteros et diaconos, ita placuit, ut condecet, sacros antistites ac Dei sacerdotes, nec non et levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter quod a Deo postulant impetrare. Ut quod apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.

CAP. XXX. — *Quod non debeant sacerdotes quaslibet in ecclesiæ familiis truncationes facere : nec aliquid quod morte plectendum sit judicare.*

In concilio Toletanensi, cap. 6, scriptum est, non debere sacerdotes, quaslibet in ecclesiæ familiis truncationes facere, nec aliquid quod morte plectendum judicare. His vero a quibus Domini sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis agitare non licet : et ideo magnopere talium excessibus prohibendum est, ne indiscretæ præsumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sententia propria judicare præsumant : aut truncationes quaslibet personis aut per se inferant, aut inferenda præcipiant. Quod si quisquam horum immemor præceptorum, aut in ecclesiæ familiis, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, et concessi ordinis honore privatus et loco, sub perpetuo damnationis teneatur religatus ergastulo. Cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda est, propter Domini misericordiam : qui non vult peccatoris mortem, sed ut convertatur et vivat.

CAP. XXXI. — *De clericis qui in mutuam cædem prorumpunt.*

In concilio Hilerdensi, cap. 11, scriptum est de clericis, qui in mutuam cædem prorumpunt : Si qui clerici in mutuam cædem proruperint, prout dignitas officiorum in tali excessus contumelia pertulerit, a pontifice districtius vindicetur.

CAP. XXXII. — *De avaritia et cupiditate : et quod non sit usura exigenda.*

In concilio Carthaginensi, cap. 5, de avaritia scriptum est : Aurelius episcopus dixit : Avaritiæ cupiditas detestanda : quam rerum omnium malarum matrem esse nemo dubitat. Proinde inhibendum est, ne quis alienos fines usurpet, aut per præmium terminos patrum statutos transcendat, nec cuiquam clericorum liceat de qualibet re fœnus accipere : quamquam novellæ suggestiones quæ vel obscuræ sunt, vel sub genere latent, inspectæ a nobis, formam accipient : cæterum de quibus apertissime divina Scriptura sanxit, non est differenda sententia, sed potius exsequenda. Proinde quod in laicis reprehenditur, id multo magis debet in clericis prædamnari. Universum concilium dixit : Nemo contra prophetas, nemo contra Evangelia facit sine periculo.

In concilio Toletanensi, cap. 23, scriptum est de avaritiæ malo : Avaritia radix cunctorum malorum : cujus sitis etiam sacerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium in amore Christi et martyrum, in parrhociis episcoporum basilicas construunt, oblationes conscribunt; sacerdotes hæc auferunt, atque in usus suos convertunt. Inde est quod cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia sua perdunt. Inde labentium basilicarum ruinæ non reparantur : quia avaritia sacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re constitutum est a præsenti concilio episcopos ita diocæses suas regere, ut nihil ex earum jure præsumant auferre : sed juxta priorum auctoritatem Conciliorum, tam de oblationibus, quam de tributis ac frugibus, tertiam partem consequantur. Quod si amplius quippiam ab eis præsumptum exstiterit, per Concilium restauretur : appellantibus aut ipsis conditoribus, aut certe propinquis eorum, si jam illi a sæculo discesserunt. Noverint autem

Digitized by Google

conditores basilicarum, in rebus quas eisdem ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere : sed juxta Canonum instituta sicut ecclesiam, ita et dotem ejus ad ordinationem episcopi pertinere.

In concilio Nicæno, cap. 17, de clericis usuras accipientibus, scriptum est : Quod multi sub regula constituti, avaritiam et turpia lucra sectantur, oblitique divinæ Scripturæ dicentis : Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, mutuum dantes, centesimos exigunt, juste censuit sancta et magna synodus, ut si quis inventus fuerit post hanc diffinitionem usuras accipiens, aut ex inventione aliqua vel quolibet modo negotium transigens, aut hemiola, id est, sescupla exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratia, dejiciatur a clero, et alienus existat a regula.

In decretis Leonis papæ, cap. 3, scriptum est, quod usuram non solum clerici exigere non debeant, sed nec laici Christiani. Nec hoc quoque prætereundum esse duximus, quosdam lucri turpis cupiditate captos, usuras jam exercere : quod nos non dicam in eos qui sunt in clericali officio constitutos, sed et in laicos cadere qui Christianos se dici cupiunt, condolemus : quod vindicari acrius in eos qui fuerint confutati, decernimus : ut omnis peccandi opportunitas adimatur.

CAP. XXXIII. — *De apostatis.*

In decretis Siricii papæ, cap. 3, de apostatis scriptum est : Adjectum est etiam, quosdam Christianos ad apostasiam quod, dici nefas est, transeuntes, et dolorum cultu ac sacrificiorum contaminatione profanatos, quos Christi corpore et sanguine quo dudum redempti fuerant renascendo, jubemus abscindi. Et si resipiscentes forte aliquando fuerint ad lamenta conversi, his quandiu vivunt, agenda pœnitentia est. Et in ultimo fine suo, reconciliationis gratia tribuenda : quia docente Domino : « Nolo mortem peccatoris : tantum convertatur et vivat (*Ezech.* XVIII). »

In concilio Arelatensi, cap. 22, de apostatis scriptum est : Qui tardius revertuntur, nisi per dignam pœnitentiam non recipiantur. De his qui apostatant, et nunquam se ad ecclesiam repræsentant, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, et postea infirmitate arrepti, petunt communionem, placuit non dandam eis communionem, nisi revelaverint et egerint fructus dignos pœnitentiæ.

Item in eodem concilio, cap. 25, de apostatis, si non revertantur, scriptum est : Hi qui post sanctæ religionis professionem apostatant, et ad sæculum redeunt, et postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, sine pœnitentia communionem penitus non accipiant : quos etiam jubemus ad clericatus officium non admitti. Et quicunque ille, post pœnitentiam habitum sæcularem non præsumat : quod si præsumpserit, ab ecclesia alienus habeatur.

CAP. XXXIV. — *De professione monachi.*

In synodo Toletana, cap. 59, scriptum est de professione monachi : Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit alligatum, tenebit. Proinde his ad mundum reverti interdicimus aditum : et omnes ad sæculum interdicimus regressus.

CAP. XXXV. — *De pœnitentiæ temperamento : et quando reconciliandi sunt ipsi pœnitentes.*

In Africano concilio, cap. 10, de pœnitentibus ita scriptum est : Ut pœnitentibus secundum differentiam peccatorum, episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur, et ut presbyter inconsulto episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absentia episcopi necessitate cogente. Cujuscunque autem pœnitentis publicum et vulgatissimum crimen est, quod universam Ecclesiam commoverit, ante absidam manus ei imponatur.

In decretis Innocentii papæ, cap. 7, de pœnitentibus scriptum est : De pœnitentibus autem, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla intervenit ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum, Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est judicare : ut attendat ad confessionem pœnitentis, et ad fletus et lacrymas corrigentis : ac tum jubere dimitti, cum viderit satisfactionem. Sane quisquis in ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum : ne de sæculo absque communione discedat.

CAP. XXXVI. — *De his qui in pœnitentia positi vita excesserunt.*

In concilio Arelatensi, cap. 12, scriptum est de his qui in pœnitentia positi vita excesserunt : Placuit nullum communione vacuum dimitti, sed pro eo quod oravit pœnitendo, oblatio illius recipiatur.

In concilio Arausicano, cap. 3, scriptum est de pœnitentibus, qui de corpore exeunt : Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione, eis communicare : quod morienti sufficit consolationis, secundum definitionem congruentem, viaticum nominaverunt. Ut si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant.

CAP. XXXVII. — *De his qui pœnitentiam violantes spernunt : et rursus prævaricantur.*

In concilio Aurelianensi, cap. 4, scriptum est de his qui pœnitentiam violant : Eos vero qui susceptam pœnitentiam, religionemque suæ professionis obliti, ad sæcularia relabuntur, placuit a communione suspendi : et ab omnium catholicorum conviviis separari. Quod si post interdictum cum eo quisque præsumpserit manducare, et ipse communione privetur.

In concilio Toletano, cap. 55, scriptum est de sæcularibus accipientibus pœnitentiam, qui se totondere, et, rursus prævaricantes, laici effecti sunt :

Digitized by Google

Comprehensi ab episcopo suo, ad pœnitentiam ex qua recesserunt, revocentur. Quod si aliqui per pœnitentiam irrevocabiles sunt, nec admoniti revertuntur, vere ut postea coram ecclesia anathematis sententia condemnentur. Non aliter et hi qui detonsi a parentibus fuerint, aut sponte sua missis parentibus seipsos religioni devoverunt, et postea habitum sæcularem sumpserunt, et iidem a sacerdote comprehensi, ad cultum religionis acta prius pœnitentia revocentur. Quod si reverti non possunt apostatæ, anathematis sententia abjiciantur. Quæ forma servabitur etiam in viduis, virginibusque sacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ sanctum monialem habitum induere, et postea aut vestem mutaverunt, aut ad nuptias transierunt.

CAP. XXXVIII. — *Quod nulli sit ultima pœnitentia deneganda.*

In decretis Cœlestini papæ, cap. 15, scriptum est, quod nulli sit ultima pœnitentia deneganda: Agnovimus enim pœnitentiam morientibus non denegari, nec illorum desideriis annui, quod obitus sui tempore animæ suæ cupiunt subveniri remedio. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere: et periclitantem sub horrore peccatorum hominem, pondere quo se ille expedire desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? Cum Deus ad subveniendum paratissimus, invitans ad pœnitentiam sic promittat. « Peccator in quacunque die conversus fuerit, peccata ejus non reputabuntur ei (*Ezech.* XVIII). » Et iterum: « Nolo mortem peccatoris, sed tantum convertatur et vivat (*Ibid.*). » Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam denegarit. Et desperavit de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere, vel momento posse non credidit. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset. Cum esset in pœna pœnituit, et per unius sermonis promissionem, habitaculum paradisi Deo promittente promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum, mente potius est æstimanda quam tempore, propheta hoc taliter asserente: Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris. Cum ergo Dominus sit cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti: cum ille se obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari.

CAP. XXXIX. — *Quod oporteat eum qui pro illicitis veniam poscit, etiam a multis licitis abstinere: et quod non oporteat eum tempore pœnitentiæ lucra negotiationis exercere.*

In decretis Leonis papæ, cap. 22, scriptum est, quod oporteat eum qui pro illicitis veniam poscit, etiam a multis licitis abstinere. Aliud quidem est debita justa reposcere, aliud propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam postulantem, oportet etiam a licitis abstinere, dicente Apostolo: « Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt (*I Cor.* VI). » Unde si pœnitentes habent causam quam negligere forte non debeant, melius expedit eis ecclesiasticum quam forense judicium.

Item in eisdem decretis, cap. 23, scriptum est quod pœnitenti nulla lucra negotiationis exercere conveniat. Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit: quia est inhonestus quæstus et turpis. Verumtamen pœnitenti utilius est dispendia pati, quam periculis negotiationis obstringi. Quia difficile est inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum.

CAP. XL. — *Quod ad militiam sæcularem, post pœnitentiam rediri non debeat.*

Item in eisdem decretis, cap. 24, scriptum est, quod ad militiam sæcularem post pœnitentiam rediri non debeat: Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis, post pœnitentiæ actionem, redire ad militiam sæcularem, cum Apostolus dicat: « Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus (*II Tim.* II). » Unde non est liber a laqueis diaboli, qui se militiæ mundanæ voluerit implicare.

EPILOGUS.

Hæc tibi, sancte Pater, pauca capitula ex sanctorum Patrum conciliis colligere curavi: ut haberes in promptu ex eorum sententiis, quo judicare possis rudes et indomitos animos novellæ gentis, apud quam modo conversaris: ut sciant se impunite peccare non posse, sed paratam sententiam semper a vobis fore: orientia vitia perversorum citius resecare: et humilibus atque digne satisfactione peccata sua plorantibus opportunum solamen consolationis conferre. Oportet enim, ut quia vestra sanctitas inter illos modo consistit, per prædicationem verbi Dei, et custodiam veræ religionis omnibus sacrum studium vestrum innotescat: quatenus hic fructus boni laboris laudem vobis acquirat: et in futuro mercedem et gloriam pariat sempiternam. Amen.

Digitized by Google

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

OPUSCULUM DE PASSIONE DOMINI.

(Pez., Anecd., tom. II, part. II, pag. 8.

CAPUT PRIMUM.

Si vis ad vitam ingredi per Jesum, qui est via et ostium : si vis edere de ligno vitæ, et gustare manna absconditum, non te deterreat, nec tibi vilescat, quod undique invenis difficilem et vilem accessum. Spinas habet in capite, in manibus et pedibus clavos, lanceam in latere, flagella in brachiis, et totus laceratus in corpore, et quasi leprosus turpis ad videndum, et gravis ad sequendum. Sed cave ne nucem abjicias propter amarum corticem : quia quanto exterius amarior videtur, tanto intus quandoque invenies nucleum dulciorem. Ut ergo aliquatenus possis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum mysterii sanctæ crucis, et Dominicæ passionis, quod abscondit Deus a sapientibus et prudentibus mundi, et revelat parvulis, intellige pondus verborum quæ dicuntur : quia, Deo cooperante, præparant animam ad habendam devotionem in oratione, et consolationem in tribulatione, et revelationem in contemplatione ; et scias non solum quæ a Deo data sunt nobis, sed etiam ipsum qui datus est nobis.

In meditatione ista exardescet ignis, si hæc etiam juxta litteram simpliciter mediteris. Hic igitur diligenter agnosce vultum Creatoris et Redemptoris tui, et respice in faciem Christi tui, et toto cordis et corporis intuitu, toto intellectu et affectu, et valde humiliato spiritu sic attende istam imaginem, quasi Christum in cruce præsentialiter morientem, et cogita in corde tuo cujus imago et superscriptio hæc : quia Deus est et homo.

CAPUT II.

Considera primo, si potes, et quantum potes, quanta sit interior longitudo claritatis in Divinitate, quæ sic in eo tot annis latuit, attingens a fine usque ad finem, non habens principium neque finem, in qua Deus Pater elegit nos in Christo ante mundi constitutionem. Quanta etiam exterior longitudo ejusdem in humanitate, in qua tam diu tot et tanta sustinuit, in toto corpore et tanto tempore, a planta pedis usque ad verticem, ab incarnatione usque ad resurrectionem. Considera non solum longitudinm, sed etiam latitudinem charitatis : quia nos non solum perpetua, sed etiam nimia charitate dilexit, ita quod Deus nullo indigens, qui omnia propter se fecit, et omnia homini subjecit, postquam homo cuncta peccando perdidit, Deus eum perdere noluit, sed legislatorem super eum constituit, et per prophetas diligenter instruens, et tandem personaliter ipse veniens, imo se nobis misericorditer ostendens, et nostræ carnis vilitatem humiliter induens, post exempla perfectissimæ sanctitatis, post verba scientiæ salutaris, post miracula potentiæ singularis, omnibus benefaciens, pro omnibus mala patiens, ne morte æterna moreremur.

Sic mori voluit expansis manibus, omnes amplexans, omnes ad se vocat, nullum respuit, inclinato capite inimicis suis osculum pacis offerens, injuriam suam omnino dissimulans, imo pro illa satisfaciens, perforato undique corpore, et aperto latere corpus et sanguinem suum, cor et animam, imo totum Deum et hominem, et cum ipso vitam et inspirationem et omnia nobis et singulis largissime tribuit, et pro malis tot bona retribuit et tot mala sustinuit.

CAPUT III.

Attende et vide quanta fuit dilectio, quam stupenda dilectio, quod pro homine Deus homo fieri voluit, et ut homines exaltaret, etiam seipsum Altissimus humiliavit. Itaque sicut homo pudorem, laborem et dolorem abhorret et fugit, ita Deus pro homine hæc elegit et tenuit, quando postposito gaudio sustinuit crucem, confusionem et improperium.

Vide ergo et considera quam alta profunditas charitatis, quam Dei Sapientia sic sibi univit, quod non solum longa et lata, sed etiam alta et profunda fuit in eo charitas, qualem Deum decuit exhibere et hominem oportuit invenire. Vide quanta sublimitas illa et gloriosa majestas unde venit, quam profunda et vilis humilitas quo descendit. A summo cœlo in inferiores partes terræ, a throno gloriæ in locum miseriæ, a deliciis angelorum ad omnes molestias hominum, de sinu Patris in uterum pauperculæ matris, de angustia uteri virginalis in vile stabulum asini et bovis, et post in Ægyptum timore Herodis, inde in patria sine honore manens, tot blasphemias, tot contumelias, tot injurias, tot insidias humiliter sustinens. In medio discipulorum quasi servus servorum servivit usque ad purgationem peccatorum et ablutionem pedum, etiam Judæ traditoris, qui nec tali obsequio, nec dulci convivio, nec suavi colloquio placari potuit, nec osculo pacis, quin eum pro vili pretio ad mortem venderet inimicis, mortem autem crucis. Ubi tantum se exinanivit, quod de patibulo latronum descendit, corpus in sepulcrum et spiritus

Digitized by Google

in infernum, simul in unum dives et pauper, vivus et mortuus, exaltatus et humiliatus, sublimis super vertices angelorum, humilis sub pedibus peccatorum, reputatus vilis et debilis peccator, insanus, et novissimus virorum.

CAPUT IV.

Cogita quantus ei fuit labor corporis, in quo tam pauper fuerat a nativitate sua, jejunando, vigilando, discurrendo, prædicando, et in fine præ angustia mortis imminentis in agonia prolixæ orationis usque ad sudorem sanguineum. Fraudulenter captum, tam indecenter ligatum, et per noctem de domo in domum tam turpiter fustigatum, coram pontificibus et magnatibus sputis illitum et alapis cæsum, mane ad domum Pilati ductum, quasi reum mortis justitiæ sæculari expositum ; dehinc Herodi præsentatum, et ab illo et exercitu ejus pro fatuo reputatum, et iterum a Pilato quasi regem stultorum derisum, et quasi malefactorem [asperis] verbis et verberibus affectum, coram tot Judæis et gentibus tam viliter accusatum, tam graviter flagellatum, sine causa judicatum, portare crucem coactum quasi latronem et homicidam, justum pro injustis et iniquis, et cum iniquis non exsilio, non carcere, non pedis aut manus amissione, sed morte, et morte turpissima, condemnatum, et levatum coram amicis et inimicis, in festo excellenti, in loco eminenti, inter brachia vilissimæ crucis, manibus et pedibus sic extensis, clavis ferreis perforari, sic pendentem ab omnibus derideri. Ibi aures ejus inimicorum blasphemias audiebant, oculi ridentes et insultantes videbant, nares fetorem sentire poterant, et ori sitienti potum mortiferum offerebant, qui (ut ait Hieronymus super Isaiam) jam pilos barbæ ejus evulserant.

CAPUT V.

Aspice litteras coronæ, id est puncturas quas in circuitu capitis sibi corona impressit, et totum vultum ejus absconditum et despectum, sputis et colaphis deturpatum, et spinarum aculeis cruentatum; tot orpus ejus litteris nigris et rubeis plenum, quot flagellatum plagis; lividum et guttis sanguineis respersum : ipsum denique decus angelorum, et speciosum forma præ filiis hominum turpius tractari quam leprosum, crudelius quam aliquem sceleratum.

Inter hæc attende quantus ei erat pudor mundi tot gentes in eo scandalizari : quantus pudor tanto et tali Domino, Regi regum, a tam paucis famulis in tanto articulo derelinqui : quem omnes fugerant præ timore, et latitabant præ pavore, et lugebant præ dolore : in tanta solemnitate, in propria civitate, ubi paulo ante tam magnifice fuit honoratus : quando alii honestius vestiebantur, coram cunctis tam turpiter et totiens denudari, tot opprobriis et derisionibus agitari. Quam parva veste pudor naturæ in illo tegitur, qui Dominus cœli et terræ et splendor gloriæ, cujus pulchritudinem et fulgorem sol et luna mirantur, et ne quis tantum dedecus videat, compassione mirabili sparsis ubique tenebris terra obscuratur.

Sed ad cumulum pudoris prospice in tabula paginæ multitudinem litterarum, quasi innumerabilem populum Judæorum et gentilium ad tale spectaculum circa crucem astantium : ubi centurio cum militibus et armigeris suis, pontifices et pharisæi, seniores cum clericis legis et ministris suis quasi potestate et auctoritate erant subter brachia crucis, et totus populus non solum tantæ civitatis, sed etiam collectus de regionibus multis sine compassione stabant ante faciem Domini morientis. Et milites vestem ejus invicem ludendo dividebant. Pontifices et pharisæi, qui alios docere debuerant, ludentes ad alterutrum cum scribis miracula optima quæ fecerat, et verba dulcissima quæ dicebat, quantum poterant, deridebant, et latrones blasphemantes coram eo pendebant.

CAPUT VI.

Stabant etiam omnes noti ejus a longe, et juxta crucem mater ejus, et aliæ multæ : et quanto plures erant inimici, et pauciores amici, tanto eum amplius confundebant. Sed quantus erat ei dolor cordis, tam diu tantam in seipso sustinere amaritudinem mortis, cum non minus urgeret eum dolor amicorum astantium, et maxime suæ matris ? Quomodo stare poterat talis mater talis filii, videns eum ita mori ? Nonne habebat cor matris viscera pietatis ? Quid cogitabat mater misericordiæ, quæ sentiebat universa, quæ filium suum sustinere videbat ? Quomodo portare poterat pressuram mortis illius, cum multi post tot annos sustinere non possint etiam memoriam passionis ? Ubi est mater quæ posset videre et sustinere filium suum pendentem in patibulo, etiamsi filius meruisset ? Nonne matres ita filios diligunt, quod etiam durum verbum contra illos audire non possint ? Quomodo igitur mater Domini stabat, et non magis centies palmata vel mortua corruebat ? Quid faciebat, quomodo stare poterat, et tacere, ubi omnes ad invicem, et ipsum loqui filium toties audiebat ? Quomodo non currebat ad crucem clamans et ejulans, et filium ejus ab eis discerpens, vel saltem eum sibi reddi cum lacrymis postulans ? Quomodo sorores suas, et Mariam Magdalenam, et alias ad fletum et ad planctum clamore et lacrymis non cogebat ?

Si Maria Magdalena tertia die postea stabat ad monumentum foris ploraus tam diu mortuum, ita quod nec ab angelis poterat consolari : quomodo non ploraret videns illum ita mori, qui sibi peccata sua tam benigne dimiserat, qui fratrem suum Lazarum paulo ante suscitaverat, et pro cujus amore omnia reliquerat ? Multo fortius et amarius plorare et plangere debuerant sorores matris Domini, et pro passione sui nepotis, et pro compassione sororis. Quis ergo dubitat quin mater in infinitum plus pro filio doleret ?

CAPUT VII.

Sed quidquid erat ei causa doloris et mœroris, virtute Dei totum in seipsa strictissime continebat, et intus corporaliter torquebatur : et quanto minus

Digitized by Google

clamare audebat, ne patientiam perderet, et morientem filium commoriens plus gravaret, tanto acriores in corde discissiones viscerum sentiebat.

Sed quando vidit quod sic male tractatus Deum Patrem pro illis [oraret] et etiam quia nesciebant quid facerent excusaret, quomodo non dixit el: Fili dilectissime et dulcissime, cur hoc dicis? Illi te crucifigunt, derident et maledicunt, et tu econtrario benedicis? Quomodo nesciunt quid faciunt, quibus nihil mali fecisti? Et quid dicere potuit, quando moriens eam ad custodiendum puero commendavit? Quæ fuit ista consolatio dolentissimæ matris in morte dilectissimi filii: Accipe filium Zebedæi pro Filio Dei? Quid poterat dicere mater filio, et filius matri, si tunc possent ad invicem diu loqui? Et quomodo tandem videre potuit gladium venientem, quem tot annis a prophetia Simeonis per dies singulos exspectavit, qui tunc per latus filii materna viscera penetravit? Quomodo tunc poterat eam sustinere Joannes, ne caderet, cum ipse sine maximo dolore non esset?

Videbat etiam Dominus ad augmentum doloris sui tam viliter et inutiliter effusum talem sanguinem, quia sic in vanum laboravit, quod vix tunc unum latronem acquisivit, et unum apostolum perdidit. Videbat iterum tunc in præsentibus et futuris generalem ingratitudinem, quod etiam a Christianis tanquam mortuus dandus erat oblivioni: quia paucissimi sunt qui ei de tanto beneficio gratias agant, etiam dum crucifixum vident dicendo: *Gloria, laus et honor tibi sit, Rex Christe Redemptor.* Videbat etiam Dominus præsentium et futurorum pessimam vicissitudinem ab his qui oderunt eum gratis, et retribuunt mala pro bonis: quia si pati posset, adhuc pejora pateretur a malis Christianis quam tunc a Judæis: quia super dolorem vulnerum ejus addentes prævaricationem, plagas ejus quotidie renovant, et iterum crucifigunt, et ostentui habent.

CAPUT VIII.

Multum dolere poterat modernos providens, quos et Apostolus flebat, inimicos crucis Christi, ingratos tantis beneficiis, occupatos carnis deliciis, gloriantes in vanis, inhiantes mundanis: quibus non sufficit quod in interitum vadunt, sed persequendo bonos eos derident, vituperant et contemnunt, imo et spoliant et occidunt, sicut fecerunt Domino milites regis, et clerici legis et populus consentiens eis, de quibus dicitur in Malachia: *Vos me crucifigitis, gens, tota die.*

Nec minus displicent multi mali, qui multa mala fecerunt, et mala inferunt, et Deum blasphemant, et murmurant in adversis, sicut latro pendens a sinistris. Pauci vero pro peccatis suis mala patienter sufferunt, et salvantur, ut latro pendens a dextris. Paucissimi etiam ad modum sanctarum feminarum passioni Christi veraciter compatiuntur.

Et tamen non sic impii satiati sunt pœnis ejus, sed inaudita rabie in mortuum sævientes latus ejus lancea transfixerunt. Et cum tenebræ fierent, et velum templi caderet, cum petræ scinderentur et terra tremeret, cum sepulcra paterent, et latro confiteretur, et centurio justum Dei Filium glorificaret, Judæi perfidi nec credere nec compati voluerunt, sed seductorem vocaverunt, et ad delendum nomen et memoriam sepultum custodierunt, et furto sublatum a discipulis edixerunt.

CAPUT IX.

O anima, ista pensa et recogita, quam angusta et aspera via est quæ ducit ad vitam, et quanta oportuit eum pati ut intraret in gloriam suam. Si suam gloriam sic emit, quis eam omnino gratis habebit? Denique si ista te non movent, considera quod Pater tuus est cœlestis, et frater etiam carnalis, et amicus fidelis, et beneficus, utilis, ita quod etiam pro te damnato antequam sic moreretur, pro reatu tuo grandi et multiplici sic punitur in omnibus membris suis, ut propitiaretur omnibus iniquitatibus tuis: sic sustinet plagas multas, ut sanet omnes infirmitates tuas: sic redemit de interitu vitam tuam vilem, inutilem, abominabilem, damnabilem redemptione tam pretiosa, tam copiosa, tam gratiosa, tam gloriosa Deitate. Sic destruit reatum peccati et inferni per talem interitum corporis sui. Sic coronavit caput spinis, ut coronaret te in misericordia et miserationibus: ita repleta est malis anima ejus, et nullum mundi habuit bonum, ut repleat in bonis desiderium tuum. Sic moritur in cruce caro sua, ut renovetur ut aquilæ juventus tua.

Et tu in his omnibus insensatus, induratus et ingratus hæc vides, et rides, serve nequam et degenerans, qui sine pudore et sine dolore vides coram te patibulum et suspensum in eo Patrem tuum. Nec advertis, miser et miserabilis, quo judicio et supplicio dignus es condemnari, qui corpus ejus sic pendentis in patibulo toties sagitta vel lancea transfixisti, quoties mortaliter peccasti: nec sufficiebat tibi animam tuam non reddere Redemptori tuo, sed etiam ei alias abstulisti. Roga ergo ut sit tibi Deus misericors et propitius, et convertere in toto corde ad ipsum: qui vivit in sæcula sæculorum

Digitized by Google

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

DE VITA BEATÆ MARIÆ MAGDALENÆ

ET SORORIS EJUS SANCTÆ MARTHÆ.

(*Monuments inédits sur l'apostolat de sainte Marie-Madeleine en Provence*, etc.)

PROLOGUS.

Dulcissimæ dilectricis Christi, et a Christo plurimum dilectæ, cum summa reverentia nominandæ, beatissimæ Mariæ Magdelenæ, vitam contemplativam, nec non et gloriosæ sororis ejus, ministræ Christi, Marthæ, vitam activam [a], scilicet, et venerabilis fratris earum Lazari, amicitiam, et per Christum resurrectionem, non ex modernorum [b] traditione nuper inventam, scilicet ex quatuor Evangeliorum authentícis testimoniis, jam olim ab ipsis, ut ita dicam, fidei nostræ crepundiis publice prædicatam, pie credit et colit catholica, per totum orbem, Ecclesia. Non igitur humani oris indiget præconio, quæ tam divinis oraculis est approbata devotio. *Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis* (*Matth.* IX, 15; *Apoc.* II, 17), per os beati Joannis evangelistæ, de magnitudine amoris, de multitudine familiaritatis, de abundantia dulcedinis, quæ inter glosiosæ Virginis Filium et ejus amicas, Martham et Mariam, et fratrem earum Lazarum, mutuo versabatur. Juxta illud: *Ego diligentes me diligo* (*Prov.* VIII, 17). *Diligebat*, inquit, Dominus Jesus *Martham et sororem ejus Mariam et Lazarum* (*Joan.* XI, 5). *Hoc est testimonium* quod *perhibuit Joannes* (*Joan.* I, 19-32), quod perhibuit ille *discipulus quem* præ cæteris *diligebat* Jesus (*Joan.* XXI, 7). *Hoc est testimonium* quod perhibuit apostolus *qui supra pectus* Domini *in cœna recubuit* (*Joan.* XIII, 25; XXI, 20); quod perhibuit evangelista cui de A cruce Christus Matrem Virginem virgini commendavit. Vere felices, revera beati, quibus tam magnificum, tam præclarum, tam evidens testimonium perhibuit sanctum Evangelium. Ad quod enucleatius ostendendum, operæ pretium æstimo multifarias evangelistarum categorias [c] quibus in hoc ipsum consonant, enarrare; ac deinde, quæ post Salvatoris ascensionem, circa ejus amicos gesta sunt, nobis patres nostri tradiderunt, et in suis etiam reliquerunt scriptis, stylo veraci disserere. Quod ut liquidius prosequamur, paulo altius repetentes quid de eorum origine et genere, quid de ortu et institutione, quid de industria et indole veteres narrant historiæ, compendiose referre conabimur, ad laudem Domini Salvatoris, et honorem et gloriam amicorum ejus. B

CAP. I. — *Ubi et ex qua prosapia nati sunt amici Salvatoris, Maria et Lazarus et Martha.*

In territorio Jerosolymitano, in monte Oliveti, quindecim stadiis a *sancta civitate* [d], contra ortum solis, sita est Bethania, nominatissimum apud evangelistas castellum [e] Mariæ Magdalenæ, Lazari et Marthæ [f], Domini Salvatoris frequentia corporali nobilissimum (*Joan.* XI, 1) [g], hospitiis dedicatum, conviviis celebre, miraculis illustre, lacrymis memorosum [*id est* memorabile], processione magnificum, vestigiis insigne, ascensione spectabile. Ex hoc municipio orta est venerabilis hospita et devotissima ministra Filii Dei Domini nostri Jesu Chri-

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] Duæ istæ Domino dilectæ sorores, duas vitas spirituales, quibus in præsenti sancta exercetur Ecclesia, demonstrant: Martha quidem actualem, qua proximo in charitate sociamur; Maria vero contemplativam, qua in Dei amore suspiramus. *Raban.*, *Homil. in Assumpt.*, *ex Beda in Lucam* lib. III, cap. 10, t. III, *Homil. in Assumpt.* t. V. C

[b] *Modernorum*, id est recentiorum: locutio Rabano familiaris. — Harum civitatum utramque modernis temporibus absque murorum ambitu esse. *Raban. Comment. in Matth.*, lib. II, cap. 4. — Multum dolere poterat, modernos providens Christus. *Raban.*, *de Passione Domini.* — *Thesaur. Anecdot. noviss. a B. Pezio*, t. IV, part. II, p. 14.

[c] *Categorias*; a *categorare*, vel *categorizare*: seu prædicare, docere; unde, *categorias*, idem mihi esse videtur ac *documenta*.

[d] *Sancta* appellatur *civitas* Hierusalem propter templum et sancta sanctorum, et ob distinctionem aliarum urbium, in quibus idola colebantur. *Raban.*, *in Matth.* lib. VIII, cap. 27, *ex Beda in Matth.*, lib. IV, cap. 27, t. III. Vide Hieronymum, Hedibiæ. t. IV, part I, col. 176. D

[e] Castrum antiqui dicebant oppidum loco altissimo situm, cujus diminutivum castellum est. *Raban.*, *de Universo*, lib. XIV, cap. 1.

[f] Bethania erat villula sive civitas in latere montis Oliveti, quasi stadiis quindecim ab Hierusalem, sicut Joannes evangelista manifestat, ubi Lazarus suscitatus est a mortuis. *Raban.*, *in Matth.*, lib. VI, cap. 21, *ex Beda in Marc.*, lib. III, cap. 11, t. III. Bethania villa secundo ab Ælia milliario in latere montis Oliveti, ubi Salvator Lazarum suscitavit. Rabani *de Universo*, lib. XIV, cap. 1. — « Milliarium mille passibus terminatur. Stadium, octava pars milliarii est, constans passibus centum viginti quinque. Hoc primum Herculem statuisse dicunt, eumque eo spatio terminasse, quod ipse sub uno spiritu confecisset, ac proinde stadium appellasset, quo in finem respirasset, simulque stetisset. » Ibid., cap. 21. *Vide Bedam in Luc.*, lib. VI, cap. 24, t. III.

[g] Bethania quam, Jerosolymam venturus, Salvator præsentiæ suæ dignatione sublimavit. Rabani *in Matth.*, ibid., *ex Beda*, t. III.

Digitized by Google

sti, Martha beatissima (*Matth.* XXI, 17; XXVI, 6; *Marc.* XI, 1, 11, 12; XIV, 3; *Luc.* XIX, 29; XXIV, 50; *Joan.* XI, 1, 18; XXI, 1). Mater ejus nobilissima, nomine Eucharia, ex gentis Israeliticæ regali prosapia inclytum genus duxit. Pater ejus Theophilus, natione Syrus, non solum genere illustrem, verum etiam titulo spectabilem et administratione clarissimam nobilitatis lineam traxit. Siquidem inter Satrapas provinciæ primatum gerens, quod filii hujus sæculi habent pro magno, totius Syriæ et universæ maritimæ regionis dux inclytus et princeps fuit. Postmodum vero, quod pluris, ad prædicationem Christi factus discipulus Christi, relictis sæculi fascibus, humiliter secutus est vestigia Christi. Erat autem beatæ Marthæ soror uterina miræ pulchritudinis, nomine Maria, et frater egregiæ indolis et floridæ juventutis, nomine Lazarus. Vigebant in iis tribus ingenium, simul et industria bona, et adepta in puerilibus annis litterarum Hebraicarum plena scientia. Bona naturæ, industriamque artium [a], cumulavit honestas; in singulis enim inveniebatur corporum miranda venustas, et morum acceptissima gratia, et eloquiorum gratissima luculentia; adeo ut viderentur ad invicem et specie, et moribus, et gratia, æmula sibi probitate certare.

Cap. II. *Quod Martha, in prædiis, matrifamilias gesserit vicem; et de indole Mariæ.*

Et cum, ut prædixi, genere nobiles erant, et propinquitate illustres, jure hæreditario multam patrimoniorum summam possidebant, prædiorum quoque et pecuniarum nec non et famularum copiam, scilicet et civitatis Jerosolymæ partem maximam, et tria prædia: Bethaniam in Judæa (*Joan.* XI, 18), duobus fere milliaribus a Jerosolyma, et Magdalum in Galilæa [b], super sinistram Maris Genezareth, sitam in concavo montis, duobus milliariis a Tiberiade; et « Bethaniam trans Jordanem, » itidem in Galilæa, « ubi erat Joannes baptizans » (*Joan.* I, 28; X, 40). In omnibus his unanimiter degentes, deliciis affluebant: rerum tamen summam et prædiorum omnium, ut primogenitam, habere Martham voluerunt, et frater et soror. Quibus illa non insolenter abusa, sed in « femineo » pectore « virilem » gerens « animum, » liberaliter est usa. Virili namque carens consortio, continentiæ florebat titulo; ad suos dulcis et amabilis, ad pauperes mitis et affabilis, ad omnes denique misericors et liberalis. Et, ut breviter dicam, omnibus erat reverenda et veneranda femina, eo quod genere esset nobilis et facultatibus copiosa, pulchritudine celebris et pudicitia gloriosa, hospitalis et dapsilis, et omnibus gratiosa; hæc Martha.

Verum Maria, ubi nubiles subiit annos, formositate corporis pulcherrima splendens, speciosa nimis, A enituit, decenti membrorum ductu, vultu venusta, mira cæsarie, lepore gratiosissima, melliflua mente; cujus oris decor et « gratia labiorum (*Prov.* XXII, 11), » ut mistus rosis candor liliorum. Formæ denique et pulchritudinis gratia tanta resplenduit, ut singulare, atque mirificum opificis Dei diceretur figmentum

Cap. III. *Ut bonis naturæ, simul et industriæ, sit abusa Maria*

Sed quia nitor [c] speciei castitati raro fœderatur, et rerum affluentia inimica solet esse continentiæ: cœpit adolescentula, *deliciis affluens* (*Cant.* VIII, 5), ut illâ ætas assolet, animi nobilitate gaudere, carnis quoque voluptate trahi. Ætas virens, et forma decens, et copia divitiarum, bonos mores emollire; B formosum corpus, lascivus animus, dulce malum, amores spirare; decus generis, et decor oris, et res ampla, solet pudorem cordis exstirpare; calor denique ætatis et incentiva carnis, et infirmiorum sexus, et corporis castitatem prorsus evertere. Heu, proh dolor! *obscuratum est aurum* (*Thren.* IV, 1), optimum bonorum ejus, amore terrenorum; *mutatus est color optimus* bonorum industriæ ejus, nidore carnalium desideriorum: dum illecebrosis motibus illecta, ad illicita quæque fluctuans animo, ad lascivias lenocinantis vitæ invertit quidquid ad honestatis argumentum illi Deus impartiit; dulcedine animi abusa in periculum animæ, decore corporis ad dedecus cordis, virore adolescentiæ ad exterminium C castimoniæ. *Egressus est a filia Sion omnis decor ejus, effusum est in* ea (*Thren.* I, 6; II, 11) omne illud opus divinæ munificentiæ, dum tanto gravius in Dominum deliquit, quanto graviora ei debuerat. Sed quid diutius in his moramur? *Peregrinatus* est animus juvenculæ: in amore sæculi habitavit transitorie. Abusa est caruis oblectamentis, et rediit [*Forte* abiit] *in regionem* dissimilitudinis; longe a Deo *peregre profecta, adolescentior* (*Luc.* XV, 13) filia, naturæ simul et industriæ bona in brevi *dissipavit.* Sed mox ut se divinarum virtutum subito destitutam comperit, recolens quot pretiosa quæ perdidit et a quo tot et tanta percepit, velociter in gratiam ejus festinavit redire.

D Cap. IV. — *Quod tunc temporis Dominus Salvator juvenis factus miracula fecerit, et peccatores sanaverit.*

Enimvero, jam nunc gratiæ tempus advenerat, jam per idem tempus virgo pepererat; jam enim Emmanuel de cœlis advenerat, *ut operaretur opus suum* (*Isa.* XXVIII, 21) in terris. Sed *peregrinum* erat *opus ejus ab eo* (*Apoc.* XIII, 23), ut Deus aporiaretur, ut sanus vulneraretur ut vita morere-

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] Hic legitur in apographo *investigantium*, ex amanuensium incuria.

[b] Omnis Judæorum provincia, quamvis generaliter ad distinctionem aliarum gentium Judæa dicta sit, specialius tamen meridiana ejus plaga appellabatur Judæa, ad distinctionem Samariæ, Galilææ, Decapolis, et cæterarum in eadem provincia regionum: *Jesus migravit a Galilæa, et venit in fines Judææ* (*Matth.* XIX, 1). *Rabani in Matth.*, lib. V, cap. 19.

[c] In apographo, *pudor*

Digitized by Google

tur. *Hic est sapientia. Qui habet intellectum, det partes septem nec non et octo* (*Eccle.* XI, 2) : [a] ut injuriæ tangant hominem, miracula prodant Dominum. Jam tunc, naturalibus incrementis adolescens Jesus, juveniles attigerat annos [b]. Jam præcursoris sui ministerio *baptizatus*, *quadraginta diebus* jejunaverat, sed *postea esuriit* (*Matth.* III, 16 ; IV, 2) : non enim umbratiliter, non phantastice, non imaginarie : sed *vere languores nostros ipse portavit* (*Isa.* LIII, 4). Jam discipulos sibi, de provincia, plurimos elegerat ; jam annum plusquam tricesimum agens [c] aquas in vinum mutaverat. Ex tunc signis et miraculis, ut Dei Filium decebat, nobilissime claruit ; agens sedulo, propter quod venerat, ut infirmos curaret, et peccatores sanaret [d]. *Non enim veni*, inquit, *vocare justos, sed peccatores* (*Marc.* II, 17). *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus* (*Matth.* IX, 12). *Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat* (*Luc.* XIX, 10). *Et abiit opinio ejus per totam Syriam*, et in utramque Galilæam, et usque *in maritima, et Tyrum et Sydonem* (*Matth.* IV, 24). Una autem dierum, evangelizans in Galilæa regnum Dei, comparavit Judæos his quibus pueri ludentes clamant : *Cecinimus vobis, et non saltastis : lamentavimus vobis, et non plorastis* (*Matth.* XI, 17). [e] Mox, cur hoc dixit exponens, *Venit*, inquit, *Joannes* Baptista, *neque manducans, neque bibens, et dicunt, Dæmonium habet : venit Filius hominis manducans, et bibens, et dicunt : Ecce homo vorator, et bibens vinum, amicus publicanorum, et peccatorum* (*Luc.* VII, 32, 33, 34).

A CAP. V. — *Quod fama miraculorum Christi mentem Mariæ mutavit.*

Tum ecce invitatur Salvator ad prandium, a quodam pharisæo, quem Simonem nominat noster evangelista (*Luc.* VII, 36) ; Magdali Castri, ut credo, civis erat iste, beatæ Marthæ confœderatus multa dilectione, et consanguinitate. In cujus domo, cum discumberet, cum multis, qui convenerant, fama adventus ejus totam extemplo urbem implevit. Fama hujus erat : adesse ibidem virum sanctum et benignum, suavem ac modestum, pium et misericordem ; præterea familiarem humilibus, affabilem peccatoribus, amabilem pœnitentibus, fautorem sobrietatis, amatorem castitatis ; quique Dei Filius et Christus esse a quibusdam crederetur. Hic quoque rumor salutaris pervenit ad aures adolescentulæ, B cujus supra memini, Mariæ, quam a Magdalo, prædio proprio, quod sonat Turrem, cognominatam constat esse Turrensem [f]. Hæc, ut prædiximus, pulchritudinis suæ eximietate, pudicitiam propriam amiserat, alienam expugnaverat ; formaque decenti, et ætate virenti, et rerum copia affluenti, bonis moribus bellum induxerat usquequaque, ita ut, ob innumerositatem vitiorum, septemplici dæmonio occupata diceretur [g]. Hæc, igitur, hauriens fidem ex audita fama ejus quem advenisse didicerat, piissimi prophetæ, conversa ad se, retorsit in se oculos interiores ; et *statuens se ante se, recordata est prævaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat* (*Thren.* I, 7) ab annis infantiæ, naturaC lium scilicet et industriæ. *Hæc recolens in corde suo* (*Thren.* III, 21), invenit se longe esse a Deo, sibique

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] « Per hæc verba Ecclesiastes, *da partes septem nec non et octo*, mystice præcipitur ut in utrumque Instrumentum, tam vetus scilicet quam novum, pari veneratione credamus, » *ait S. Hieronymus in Eccle.* t. II, p. 778 ; *sic etiam interpretatur S. Augustinus, ad inquisitiones Januarii*, lib. II, epist. 55, t. II, p. 137. — *Salonius Vienn. episcopus in Eccle.* Bibl. Pat. t. VIII, p. 419. *Ita etiam post S. Aug. Alcuinus ipsius Rabani magister ait :* Judæi dederunt partes septem, sed non dederunt octo. Econtrario hæretici Marcion manichæus dant partes octo, suscipientes Evangelium ; sed eamdem septenario numero non tribuunt, veterem legem respuentes. Nos vero utraque, quæ ponit credamus, et utrumque veneremur. *Alcuini Comment. in Eccle.*, cap. 10, v. 2, tom. I : *Hanc interpretationem assequi videtur Rabanus, hoc in loco Vitæ S. Mariæ Magdalenæ ; quemadmodum et infra*, cap. 30, multo beatior (*anima*) quæ tecum, o mira contemplatrix, et devotissima ministratrix, ascendens a pedibus amplectendæ humanitatis ad caput desiderabilis divinitatis, dat partes septem, nec non et octo, passiones homini attribuens, miracula Deo ascribens.

[b] (Quando) prædicare ac baptizare cœpit Joannes... Quo tempore Christi ætas juvenilis invenitur. *Rabani Comment. in Matth.*, lib. I, cap. 3, t. V, p. 17.

[c] Christus triginta ferme annorum narratur fuisse, cum a Joanne baptizatus esset. *Rabani Comment. in Matth.*, lib. I, cap. 3, tom. V, p. 17.

[d] Circuibat civitates, hoc habens operis, quod mandaverat Pater, ut salvos faceret infideles. . . et post doctrinam curabat omnem infirmitatem, ut quibus sermo non suaserat, opera persuaderent. *Rabani* ibid. lib. III, cap. 9, p. 59. *Homil. fer.* IV *hebd.* XIII ; *post Pent.*

[e] Quod ait : *Lamentavimus, et non plorastis*, ad Joannem pertinet, cujus abstinentia a cibis et potu luctum pœnitentiæ significabat : quod autem ait : *Cecinimus vobis, et non saltastis*, ad ipsum Deum pertinet, qui, utendo cum cæteris cibo, et potu, lætitiam regni figurabat. At illi nec humiliari cum Joanne, nec cum Christo gaudere voluerunt, dicentes illum dæmonium habere, istum voracem, et ebriosum, et amicum publicanorum et peccatorum. *Rabani in Matth.* lib. IV, cap. XI, p. 70, *ex Beda in Luc.* lib. II, cap. 7, t. III.

[f] Maria Magdalena soror Lazari et Marthæ... a loco Magdalo Magdalene dicitur, interpretatur enim Magdalene *Turris. Rabani de Universo*, lib. IV, cap. 1, p. 82. *Ex Beda Hebraicorum nom. interpret., Beda in Ephemeri.*

(Maria) quamque Magdala progenitam signat conomine origo. — Magdalene, *turris* : sed melius sicut a monte montanus, ita turrensis a turre dicatur. *Beda in Luc.* lib. III, cap. 8.

[g] *S. Greg. Magnus in Evang. Homil.* XXXIII. Quid per septem dæmonia, nisi universa vitia designantur? — De qua dæmonia septem exiisse referuntur, ut innumeris imo universis vitiis plena fuisse monstretur. Nam septenarió sæpe numero solet in Scripturis universitas intimari. Unde et Sancti quoque Spiritus gratiam, propheta septem virtutem distinctione complectitur. *Beda in Lucam*, lib. III, cap. 8. t. III, p. 305.

Digitized by Google

longe dissimilem ; *et cœpit flere. Potavit* eam *vino compunctionis* (*Marc.* XIV, 72), Deus [a], cui omne patet, *ut fugeret a facie arcus* (*Psal.* LIX, 5). *Nisi conversi fueritis*, inquit, *gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, et in eo paravit vasa mortis* (*Psal.* VII, 13, 14). Illico, gratuito et repentino instinctu Spiritus sancti, qui, quando vult, et *ubi vult, spirat* (*Joan.* III, 8) ; qui, quem vult, et, quantum spirat ; qui, *cujus vult, miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX, 18) : inspirata juvencula semet secum alloquens : Cognosce, inquit, Maria, temetipsam, et memento quid fueris, quidque nunc sis, quidve futura sis. Erubesce te totam ignobiliter degenerasse, et pœniteat te abusam esse, dole te pudicitiam propriam perdidisse, et plange te proximis scandalo fuisse. Geme te Dominum diutius contempsisse, et pudeat te optimis Dei donis pessime respondisse, quod ne perfunctorie facias, vel horarie, propende quia vita brevis est, et mors certa, hora vero ejus incerta ; *fallax* sanitas, *et vana est pulchritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur, et laudabunt eam*, in die mortis, *opera ejus* (*Prov.* XXXI, 35). Tu ergo, Maria, time interitum æternum ; respice Judicem supernum ; præveni Dominum accusatorem ; detestare vitam priorem, accelera meliorem. Sic, sic, *per sapientiam, plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum* (*Job* XXXIX, 26) [b].

A

CAP. VI. — *Ubi alabastrum sumit, et domum Simonis adit Maria.*

Surgens ergo Maria quantocius, sumpsit vas aromatum, ex alabastro Indico, quod est genus marmoris candidi, variis coloribus intercincti [c], et replevit idem unguento electo, et præelecto, mirabilis odoris, tam pretioso, ut, pedibus prophetæ, quem adire cogitabat, quemque Dei Filium esse fama ferebat, quemque ardentissime jam amabat, digne et honorifice adhiberi posse arbitraretur. Copia illi erat magna spicarum, et specierum, balsami quoque, et omnis odoriferi liquoris. Adhibuerat sibi ab infantia hujusmodi suave spirantia, pro carnis suæ multiplicanda fragrantia. Ferens igitur vas manibus odoriferum, quia scriptum est non licere *in conspectu Domini vacuum apparere* (*Exod.* XXIII, 15 *et alibi*) ; portansque, quod pluris est, pectus plenum fide, et spe veniæ ; ploransque secum amarissime, clamore cordis valido, quem Deus dulciter audit : Me miseram, ait, miserabiliter enim annis adolescentiæ abusa [*Cod.*, cauca] sum, *Vide, Domine, et considera quoniam facta sum vilis* (*Thren.* I, 11). Deus meus, sufficiat mihi quod hucusque deliqui. Abrenuntio cordis et carnis illecebris, et sæcularibus pompis ; detestor diutius errare, profiteor amodo emendare.

Hæc secum ore cordis et conscientiæ ingeminans, ibat ad convivium, ubi discubuisse didicerat Dei Filium. Nec latuit hoc eum quem adibat, quem nullum latet secretum ; quinimo septiformi Spiritu *prævenit* ad se venientem *in benedictionibus dulcedinis* (*Psal.* XX, 4), traxitque ad se properantem. Moxque septem dæmoniis perturbatis, et, perpetuo interdicto, ab ejus corde et corpore exturbatis, ac sequestratis [d], replevit eam bonis donis septiformis Spiritus. His fecundata, per fidem concepit bonam spem, et peperit ferventissimam charitatem, quoniam indicium erat exterius exennium [e] alabastri bene spirantis interius, holocausti compunctionis ardentis [f]. His gravida conscientia, per plenam præteritæ vitæ pœnitentiam, onusta fetu gratissimæ Deo devotionis [g] quem animabat spes certa remissionis [h], pervenit ad prandium Salvatoris.

B

C

CAP. VII. — *Quod a sæculis inaudita obsequia circa pedes Christi fecerit Maria, et quare eam Christus contra Pharisæum defendit.*

Ingressa denique Maria convivium, respexit : et ecce discumbentem eminus vidit Virginis Mariæ Filium. Quem, mox prostrata, adoravit, et surgens accessit ad thorum reverenter, in quo Salvator accumbebat ; et *stans*, fiducialiter, *retro secus* Messiam, a cujus semitis se deviasse dolebat oculos suos,

D

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] Vinum, compunctio, ut in Psalmis : Potasti nos vino compunctionis. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam*, t. V, p. 821.

[b] Accipiter quilibet electus, ut in Job : « Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter? » Quod solius Dei virtute vir sanctus plumas virtutum acquirit. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[c] Est autem alabastrum genus marmoris candidi, variis coloribus interstincti, quod ad vasa unguentaria cavare solent, eo quod optime servare ea incorrupta dicatur. Nascitur circa Thebas Ægyptias, et Damascum Syriæ, cæteris candidius, probatissimum vero in India. *Rabani in Matth.*, lib. VIII, cap. 26, *ex Beda in Matth.*, lib. IV, cap. 26, t. III, p. 76, et *in Lucam*, lib. III. — *Homil. in Nat. beatæ Mariæ Magdalenæ*, t. V. *Homil. in fer.* III Palm., t. V.

[d] Maria ergo Magdalena ipsa est soror Lazari et Marthæ, de qua Dominus ejecit septem dæmonia. ipsa est autem non alia, quæ quondam, ut Lucas scribit, peccatrix adhuc, veniens pedes Domini lacrymis pœnitentiæ rigavit, et unguento piæ confessionis linivit : et quia multum dilexit, multorum veniam a pio judice promeruit. *Rabani de Universo*, lib. IV, cap. 1.

[e] Exenium, exennium, *idem quod* xenium, munus, donum, oblatio, *ut apud Hincmarum Rhemensem Rabani synchronum.*

[f] Ardent ligna in altari, cum charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Atque hoc igni superpositum consumitur holocaustum, cum universa quæ bene agere disposuimus, donante gratia Spiritus sancti, per virtutem dilectionis Dei acceptabilia redduntur. *Rabani Comment. in Exodum*, lib. III, cap. 16.

[g] *Unguentum* est pœnitentia ; ut in Evangelio : attulit alabastrum unguenti : id est, devotionem pœnitentis animi. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[h] Pœnitentia utilis et consummata, ut in Maria, cui hæc quinque insunt : contritio, confessio, maceratio, correptio, perseverantia. Prima, in corde ; secunda, in ore ; tertia, in carne ; quarta, in opere ; quinta, in virtute. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

Digitized by Google

quibus concupierat terrena, conterens, *lacrymis cœpit rigare pedes ejus; et capillis suis* (*Luc.* VII, 38), quos ad compositionem exhibuerat vultus sui, pedes involvens, lacrymas *tergebat*. Ore quoque quo ad elationem vel ad lasciviam abusa fuerat, *osculabatur pedes ejus; et unguento* quod attulerat, *ungebat*, quod se, sibi pro odore suæ carnis adhibuisse dolebat [a]. Ad hæc indignatur et invidet *pharisæus, qui Dominum invitaverat* [b] ad prandium, nullaque naturæ compassione Mariæ misertus, quin et propriæ fragilitatis oblitus, salvandam arguit, quia salvari venit, Salvatoremque, subvenire [c]; et *ait secum* submurmurans: Num hic est Judæus? Revera *hic, si esset propheta*, præterita et præsentia, absens et intelligens, et futura prævidens prudenter, *sciret* pro certo *quænam qualisve* fuerit hæc, cujus obsequia gratanter acceptat, a qua se tangi non dedignatur. His Pharisæi cogitationibus *respondens* discretor cogitationum et scrutator intentionum Deus [d]: *Simon*, inquit, *habeo tibi aliquid dicere. At ille* pharisaicum supercilium, ex more, complanans [e], in corde et corde locutus, quasi nil murmuris susurrasset, de plano [f] [*id est* compendiose] respondit: *Magister, dic.* Et Dominus: *Duo debitores erant cuidam feneratori: unus* eorum *debebat denarios quingentos, alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis eum plus diligit?* Ad hæc, *Simon* ut maniacus [g], plectens sibi restem, qua intricetur, non perpendens de se dictum paradigma [h], quod nec compendiosius, nec liquidius exprimi posset: *Æstimo*, ait, *quia cui plus donavit.* Cui Dominus: *Recte*, inquit, *judicasti.* Moxque a mensa aversus, *ad* Mariam *conversus*, in cujus corde, jucundius quam in mensa, prandebat [i], desiderabilem vultum suum ei videndum præbuit, et serenissimis oculis eam benignissime respexit. Verum, antequam ipsam alloqueretur, ad ejus defensionem se contra Pharisæum erexit. Illam quidem intuens, illum vero alloquens sic: *Vides*, inquit, *hanc mulierem?* Moxque memoriter, et seriatim replicans obsequia ablutionis, extersionis, unctionis et osculorum, cuncta gratissime se acceptasse significans; ipsum etiam Simonem, in eisdem et similibus, defecisse patenter exprobrans, singula opponens singulis: *Intravi*, inquit, *domum tuam* invitatus a te: tu vero *aquam* cisternæ, vel fluvii, *pedibus meis non dedisti;* quod, proprio more, hospitibus exhiberi solet obsequium: *Hæc autem*, obsequio a sæculis inaudito, propriis *lacrymis pedes meos lavit, et*, tersorio [*pro* linteo] quo pretiosius nullum, *capillis suis tersit. Osculum*, dilectionis vel indicium, *non dedisti: Hæc autem* non semel, aut sæpe; *ex quo intravit non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti:* quod devotionis signum foret; *hæc autem*, non simplici oleo, sed mixto rore balsami *unguento, unxit pedes meos. Propter quod, dico tibi: Remittuntur ei peccata multa;* et merito, *quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit;* quamvis Dominum non minus diligere teneatur, qui, ne in delicta decidat, a Deo tenetur [j].

Cap. VIII. — *Ubi Mariæ Christus peccata remittit, et in pace dimittit.*

His dictis, intelligens Salvator *dedisse* se *auditui* Mariæ *gaudium, et lætitiam* magnam (*Psal.* L, 9); siquidem in eo quod obsequia, quæ Christo exhiberat, enumerari [j] et approbari audiebat; majorem autem, quod devotionis suæ exenia, Simonis prandio præferri noverat; maximam vero, in eo quod dilectionis suæ scintillas vividas, Deo videri, et de peccatorum suorum remissione tractari, didicerat. Alacritate mirabili, et dulcedine ineffabili consolans flentem, item, et sua vestigia infatigabiliter osculantem, ait illi: *Remittuntur tibi peccata.* Ardor enim amoris tui enullavit [*id est*, delevit] æruginem [k] om-

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] Prius... unguentum sibi pro odore suæ carnis adhibuit. Quod ergo sibi turpiter exhibuerat, hoc jam laudabiliter Deo offerebat. Oculis terrena concupierat, sed, hos jam per pœnitentiam conterens, flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed jam capillis lacrymas tergebat. Ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. *Beda in Lucam*, lib. III, t. III, p. 301; *Homil. in Nat. B. Mariæ Magdalenæ*, t. V, p. 114; *Ex S. Greg. Magno in Evang.*, lib. II, *Homil.* 33.

[b] Sed hoc Pharisæus videt et invidet: quia cum Judaicus populus gentilitatem Deum prædicare conspicit, sua apud se malitia tabescit. *S. Greg. Mag. in Evang.*, lib. II, *Homil.* 33.

[c] *In apographo legitur* subvenit, *verum subvenire legendum, ut ex Beda liquet:* Pharisæus... Ægram reprehendit de ægritudine, medicum de subventione. *In Lucam.*, lib. III.

[d] *Deus* pro persona Filii accipitur: ut in Paulo: *Qui est super omnia benedictus Deus in sæcula. Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[e] Profecto supercilium Scribarum et Pharisæorum insinuat. *Rabani Comment. in Matth.*, lib. III, cap. 9. *Ex Beda in Luc.*, lib. II, cap. 5.—Episcopi et presbyteri aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio. *Rabani Homil. in Nat. S. Petri.*

[f] Maniacus, *id est*, insanus. *Beda, quem sequitur Rabanus*, ait *hoc in loco:* Pharisæus quasi phreneticus funem portat, ex quo ligetur. *In Lucam*, lib. III, t. V, p. 302. *Homil. in Nat. S. Mariæ Magdalenæ. Ex S. Greg. Mag.*

[g] Paradigma *ex S. Gregorio Magno:* De duobus ei debitoribus paradigma opponitur, *in Evang.* lib. II, *Homil.* 33.

[h] Dominus libenter ingreditur, et in ejus, qui crediderit, recumbit affectu. Et hoc est bonorum operum spiritale convivium. *Rabani Comment. in Matth.*, lib. III, cap. 9.

[i] Deo enim debemus... quod bene et juste vixi-mus, quod recte et catholice intelligimus, Deo per omnia debemus. Nostrum enim nihil est, nisi peccatum et malum quod operati sumus. *Apud Smarag. Comment. in Regulam S. Bened.*

[j] *Cod.* Enervari, *legendum forte* enumerari, *ut ex Beda apparet:* Enumerantur bona peccatricis, enumerantur mala falsi justi, cum dicitur: *Intravi in domum tuam*, etc. *Beda in Luc.*, lib. III. *Homil. in Nat. S. Mariæ Magdalenæ.*

[k] *Cod.* Æruginem, *apud Bedam* Rubiginem: *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum.*

Digitized by Google

nis delicti tui. Quo audito, scandalizati sunt qui simul discumbebant convivæ, *et cœperunt dicere intra se : Quis est hic qui etiam peccata dimittit ?* Hoc enim opus solius Dei est. Verum illos talia secum versantes, sibi reliquit Salvator ; ad Mariam conversus : *Fides tua*, inquit, qua te impetraturam credidisti, quod officiose petisti [a], *te salvam fecit ; vade in pace.* Hoc felicissimo oraculo confortata Maria, adoravit Salvatorem, moxque gaudio ineffabili plena, convivium egressa, secessit in sua, septiformem Spiritum in pectore portans ; lacrymarum impetu non quidem represso, sed minutato. Quæ enim prius fuerant amaritudinis ex pœna, factæ sunt lætitiæ ex percepta venia. Tunc *fluminis impetus* [b] *lætificat* mentem Mariæ, *civitatem Dei* [c], tunc *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus* (*Psal.* XLV, 5) in illa [d]. Ex tunc, non animi vitium vel corporis ullum fuit in illa. Ex tunc, pudica qua nulla pudica magis ! Ex tunc vicit naturam, cessit et ipsa sibi. Ex tunc, mores suos sic eliminavit, ut in ea quæque pars boni sit, portio nulla mali. Talem Mariam quam scire bonum, tam dicere dignum. Hoc solum laudibus ejus ego defero dignum, quod me diffiteor dicere digna posse.

CAP. IX. — *Ubi Maria cum sociis mulieribus gratanter et sedulo ministravit.*

Post hæc, *iter faciente* Domino Salvatore *per civitates et castella, cum duodecim apostolis, et evangelizante regnum Dei :* sequebantur eum nobiles matronæ, inter quas erat primiceria, specialis amica Domini Salvatoris, *Maria Magdalena, et Joanna, et Susanna, et aliæ multæ quæ ministrabant de facultatibus suis* Dominicis usibus [e], et apostolorum necessitatibus, mira affectione, et sedula pietate, acceptis ab eo beneficiis respondentes, pia devotione [f]. *Curaverat* quippe *eas a spiritibus malignis, et infirmitatibus.* Ad filiam Jairi principis, duodennem [g], *Talitha cumi*, inquiens, mortuam suscitavit (*Marc.* V) ; *jussitque ei dari manducare* [h]. Syrophœnissæ fidem acceptans, filiam ejus a dæmonio mundavit (*Luc.* VIII). Emoroydam [i] tactu fimbriæ curavit, et fidem ejus vehementissime commendavit [i]. Hæc Cæsareæ Philippi [j] civis, et Martha dicta est. « Domus ejus, ibi, usque nunc, cernitur ; præ cujus foribus, stat basis, in loco editiori, in qua mulieris ipsius, velut genibus provolutæ palmasque suppliciter tendentis, imago ære videtur expressa ; astat ei alia ære fusa statua, habitu viri, stola compte circumdati, dexteram mulieri porrigentis. Hujus ad pedes statuæ, nascitur ex base herba quædam, nova specie, quæ excrescere usque ad fimbriam stolæ illius indumenti ærei solet. Quam cum summo vertice crescens herba contigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos, languoresque conquirit ; ita ut ex haustu exiguo madefacti salutaris graminis, depellantur ; nihil omnino virium gerentis, si antequam æreæ fimbriæ summitatem crescendo contigerit, decerpatur. Hanc statuam ad similitudinem vultus Domini Jesu Christi formatam tradunt. Et nihil mirum, si pro beneficiis, quæ a Salvatore consecuta est mulier hujusmodi, velut munus memorale, studuit offerre. Quod usque hodie, quamvis ex gentili consuetudine, a christicolis indifferenter observatur, et ita solent honorare quos honore dignos duxerint. Insignia enim veterum reservari ad memoriam posterorum, illorum honoris, horum amoris, indicium est (*Euseb. Hist. eccles., ex Rufini translat.*). »

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

Quid esse dilectionem credimus, nisi ignem ? et quid culpas, nisi rubiginem ? ac si aperte diceretur : incendit plene peccati rubiginem, quia ardet valide per amoris ignem. Tanto namque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne crematur. *In Lucam*, lib. III. *Homil. in Nat. B. Mariæ Magdalenæ. Ex S. Greg. Magno in Evang.*, lib. II, *Homil.* 33.

[a] Quia hoc quod petiit, posse se accipere non dubitavit. *Beda, ibid., in Lucam et Homil. Ex S. Greg. Magno. Ibid.*

[b] *Flumen*, ut Spiritus sanctus, ut in Psalmis : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, Spiritus sancti gratia. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[c] *Civitas* anima sancta... *Civitas* gentilitas, ut in Psalmis : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, id est fecunditas Sancti Spiritus exhilarat populum gentilem. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[d] *Tabernaculum* mens nostra. *Ibid.*

[e] Ministrabant autem Domino de substantia sua, ut meteret eorum carnalia, cujus illæ metebant spiritualia, non quo indigeret cibis Dominus creaturarum, sed ut typum ostenderet magistrorum, quod victu atque vestitu ex discipulis deberent esse contenti. *Rabani in Matth.*, lib. VIII, cap. 27. *Bedæ homil. Quadragesim.*

[f] Duodennem, *id est, duodecim annos natam.* Notandum quod et Archisynagogi duodennis sit filia. *Rabani Comment. in Matth.*, lib. III, cap. 9.

[g] *Jussit ei dari manducare.* Ad testimonium vitæ resuscitatam manducare præcepit, ut non phantasma, sed veritas crederetur. *Raban. Homil.*

[h] Emoroydam, *id est*, hæmorrhoicam.

[i] *Exempla hæc duo adducit Rabanus, et Talithæ et mulieris hæmorrhoicæ, ut pote significantia judaicæ Ecclesiæ et Ecclesiæ ex gentibus :* Archisynagogi filia ad quam curandam Dominus dum pergeret, prius tamen antequam ad eam veniret, tetigit eum a tergo mulier quæ profluvio sanguinis laborabat et curata est. Archisynagogi quidem filia Judeæ typum tenuit : hæc autem, quæ profluvio sanguinis laborabat, figuram habuit Ecclesiæ ex gentibus. Quæ, dum post ascensionem Christi credidit, quasi a tergo Dominum tetigit, et ante accipere salutem quam synagoga promeruit. *Rabani de Universo*, lib. IV.

[j] Cæsareæ civitates Judææ sunt in terra repromissionis, ubi Cæsarea Palestinæ in littore maris sita : altera vero Cæsarea Philippi cujus Evangelii Scriptura meminit. *Rabani de Universo*, lib. XIV, cap. 1.

Philippus frater Herodis, tetrarcha Ituræ et Thraconitidis regionis, in honorem Tiberii Cæsaris, Cæsaream Philippi, quæ nunc *Paneas* dicitur, appellavit, et est in provincia Phœnicis, imitatus Herodem patrem, qui in honorem Augusti Cæsaris appellavit *Cæsaream*, quæ prius *Turris Stratonis* vocabatur, et ex nomine ejus filiæ Juliadem, trans Jordanem exstruxit. Iste locus est Cæsareæ Philippi, ubi Jordanis oritur ad radices Libani et habet duos fontes, unum nomine *Jor*, et alterum *Dan*, qui simul mixti *Jorda-*

Digitized by Google

CAP. X. — *Ubi Christum Martha hospitio recepit, Christus Mariam philosophantem* [a] *excusat.*

Per idem tempus, transfiguratus est Salvator in Galilæa in monte Thabor. Et *cum complerentur dies* peregrinationis *ejus, faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem* (*Luc.* IX, 51) : imperterrita mente, locum quo pati decreverat petens. Et *dum iret, intravit in quoddam castellum* (*Luc.* X, 38) : castellum Magdalum videlicet, Mariæ Magdalenæ possessione et nomine insigne. Ibi eum *Martha* hospitio *recepit*, totisque animi votis, apparatum hospitii et convivii opulentiam præparavit. Erant autem cum Domino Salvatore duodecim apostoli, et septuaginta duo discipuli, et matronarum nobilium multitudo. Dum igitur, circa ea quæ cura domestica expetebat Martha sollicitaretur, soror ejus sanctissima elegit *sedere secus* B *pedes Salvatoris*, et *audire verbum illius*, magis quam sorori, *circa frequens ministerium satagenti*, solatium præstare. Accedit, igitur, *Martha* coram Salvatore, et ait : *Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet.* Audiens hæc Maria non respondit sorori conquerenti, sed defensionem suam commisit Salvatori, in suæ contemplationis convivio jam prandenti. *Sub umbra*, inquiens, *illius quem desidero sedeo* [b], *et fructus* oris *illius dulcis gutturi meo* [c] (*Cant.* II, 3). *Hæc revolens in corde meo, ideo sperabo* (*Thren.* III, 21). *Et respondens* Salvator, *Martha*, inquit, *Martha, sollicita es.* Repetitio nominis indicium est dilectionis [d]. Nam et ipsam pro eleemosynis piæ actionis, sicut et Mariam, pro studio contemplationis, C miro diligebat affectu. *Sollicita es*, inquit, in procurandis rebus domesticis, *et turbaris erga plurima*, A infirmis et afflictis necessaria. *Porro, pro cæteris, unum est necessarium* : Deo jugiter adhærere. *Hæc optima pars* est. Hæc soror tua, *Maria, elegit, quæ non auferetur ab ea*, cujus contemplatio, amor et desiderium, hic jam incœpit fideliter, nec unquam deficiet; quinimo in cœlis perficietur finaliter [e]. Dixit, discubuit, pariterque duodecim apostoli, et septuaginta, religiosæque matronæ; ministrabat mensis, larga manu, more suo, Martha, beatissima; et domus suæ procuratrix, et egregia Marcella, et Susanna, et Joanna, cujus vir dapifer erat, et procurator regni Antipæ, tetrarchæ Galilææ [f].

CAP. XI. — *Ubi Regina cœli supervenit, et beata Marcella ventrem et ubera Virginis matris beatificavit.*

Ex tunc, peragrans sæpe Salvator civitates, et prædia Galilææ, assidue Magdalum repetebat; et hospitabatur, cum suo felicissimo comitatu, apud Martham, Mariamque; sororesque ministrabant ei officiose, animo liberali, ad omnia necessaria de suis facultatibus. Si quando vero, prout cura domestica expetebat, domi residerent, Domino longius evangelizante, mittebant qui præferrent Salvatori, suisque, quidquid noverant expedire; quæ etiam uni de duodecim, *Scarioth*, tradebantur; *qui loculos habens* dominicos, *ea quæ mittebantur portebat* (*Joan.* XII, 6), furtimque clanculo expertabat. Una autem dierum, dæmoniaco a Salvatore curato, qui *cæcus* simul erat et *mutus* [g] (*Matth.* XII, 22) : turbis concurrentibus, mirantibus, et in Dei laudes conclamantibus; Pharisæis vero blasphemantibus, et in Belzebub hoc factum calumniantibus. [h]; Sara-

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

nis nomen efficiunt. *Rabbani in Matth.*, lib. V, cap. 16, p. 98, t. V. *Homil. in Nat. S. Petri*, t. V, p. 704. *Ex S. Hieron. in Matth.*, cap. 16, t. IV, part. I, col. 73. Vide *Joseph antiquit.*, lib. XVIII, cap. 2, t. I, p. 872; lib. I, cap. 10. Sed et tertia Cæsarea Cappadociæ metropolis est : cujus Lucas ita meminit : *Descendens Cæsaream salutavit Ecclesiam. Raban. Homil. fer. Pauli.*

[a] *Mariam philosophantem.* Locutio ex sancto Chrysostomo desumpta; de Maria enim ad Jesum properante, cum Bethaniam advenisset, Lazari resuscitandi gratia, ait Chrysostomus : *En igitur mulierem philosophantem.* (*In Joan. homil.* 63.)

[b] *Umbra* protectio Christi, ut in Cantico : *Sub umbra illius quem desideraveram sedi*, id est, in protectione Christi, quem diligo, requievi. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.* In Cantico ex voce sponsæ dicitur : *Sub umbra illius quem desideraveram sedi*, quod sub protectione Christi requiem inveni. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[c] *Guttur pro corde ponitur.* Guttur sponsi est internus sapor verborum Christi, quem pauci gustant. *Ibid.*

[d] Repetitio nominis est indicium dilectionis aut forte movendi intentionis. *S. Aug., serm.* 26 *de Verbis Domini.*

[e] Et quamvis activa bona sit, melior tamen est contemplativa. Quia ista cum mortali vita deficit, illa vero in immortali vita plenius excrescit. Unde dicitur : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Rabani. Comment. in Ezechielem*, lib. I, cap. 1.

Ecce pars Marthæ non reprehenditur, sed Mariæ laudatur. Quare autem pars Mariæ sit optima subinfertur cum dicitur : *quæ non auferetur ab ea.* Activa enim vita cum corpore deficit : quis enim in æterna patria panem esurienti porrigat, ubi nemo esurit? quis potum tribuat sitienti, ubi nemo sitit? quis mortuum sepeliat, ubi nemo moritur? Cum præsenti ergo sæculo vita auferetur activa, contemplativa autem hic incipitur, ut in cœlesti patria D perficiatur, quia amoris ignis, qui hic ardere incipit, cum ipsum, quem amat, viderit, in amore amplius ignescit. *Rabani Homil. in Assumpt., Ex Beda in Lucam*, lib. III, cap. 10. *Homil. in Assumpt.*

[f] Regnum Judææ, quominus validum fieret, Augustus per tetrarchias scindere curavit, quas quatuor fratres Archelai tenere fecit, Herodem, Antipatrem, Lysaniam et Philippum, ut scriptores temporum produnt. *Rabani Comment. in Matth.*, lib. I, cap. 2.

[g] *Cæci et muti curationem adducit Rabanus ut pote typicam.* Dæmonium habens cæcus et mutus indicat eos qui ex idololatria gentium ad fidem Dominicam convertuntur. Quibus tamen, expulso a corde dæmonum cultu, dum pristinam lucem percperunt fidei, postea ad laudandum Dominum eorum lingua resolvitur, ut confiteantur eum quem ante negaverunt. *Rabani de Universo*, lib. IV, cap. 1.

[h] Turbis... Domini facta semper mirantibus... Pharisæi et scribæ contra, vel negare hæc, vel quæ

Digitized by Google

tore econtra probabiliter asserente [a] se in digito Dei dæmonia ejicere [b] : advenit illic, cum suis sororibus et cognatis, Regina cœli, Filium Dei Salvatorem, videre et alloqui. Quem cum, præ turba, nequirent adire, surrexit *quidam*, qui in januis erat, et *ait* Salvatori, non fortuitu nec simpliciter, sed insidiose, utrum spiritali operi carnem præferret et sanguinem explorans : *Ecce*, inquiens, *mater tua, et fratres tui foris stant, quærentes te* (*Matth.* VII, 46). Audiens hæc Salvator supersedit exire; matrem se nosse dissimulans, non quo matrem negaret, sed quo responderet insidianti : *Quæ est*, ait, *mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manus in discipulos : Ecce*, inquit, *mater mea et fratres mei*, per unctionem specialem; *quicunque enim*, in utroque sexu, *fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror et mater est* [c]. Parit enim me, qui cordi audientis prædicat me; mater mea efficitur, per cujus vocem amor meus in aliis generatur [d]. Ad hæc verba gavisa est multitudo virorum et mulierum credentium. Aderat ibidem, cum cæteris religiosis matronis, quæ ministrabant Salvatori, Marcella, de qua superius diximus, beatæ Marthæ procuratrix, et comitissa [e], mulier magnæ devotionis et fidei. Hæc, mira sinceritate, Salvatoris Incarnationem credens, mira fiducia confidens [f], Principumque et Pharisæorum qui accedebant calumnias confundens, *extolliens vocem de turba dixit* Salvatori : *Beatus venter qui te portavit*, qui tibi in carne valituro sementinam suæ carnis materiam ministravit; *et* beata *ubera* quæ te lactaverunt, et, ex eadem suæ carnis sementina origine, tibi nutriendo lac suggesserunt. Cui Salvator : Non solum, inquit, ut tu asseris, beata est mater quæ me, qui Verbum Dei sum, ex sua carne genuit, quæ me suo lacte nutrivit, *quinimo beati qui audiunt* recipiunt, et concipiunt *Verbum Dei* in utero mentis suæ [g] (*Luc.* XI, 27, 28) : memorato gratiarum dono [h] eodem gaudent; natumque per fidem semen Verbi uberibus spei et charitatis enutriunt *et custodiunt illud*.

CAP. XII. — *Ubi peccatricem liberat Christus.*

Et, die quarto scenopegiarum [i], ascendit Jesus in templum, et docebat. Vespere autem facto, egressus cum discipulis, ascendit in montem Oliveti, in Bethaniam, castellum Mariæ et Marthæ, ubi erat Lazarus amicus ejus, apud quem hospitabatur. E quo enim ejus familiaritatem meruerunt, et hospitem eum assidue habuerunt, tum in Magdalo, civitate

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

negare nequiverant sinistra interpretatione pervertere laborabant, quasi non hæc divinitatis, sed immundi spiritus opera fuissent, id est Belzebub, qui deus erat Aecaron. Nam quidem *Bel* ipse est Baal. *Zebub* autem musca vocatur..., id est, vir muscarum : ob sordes videlicet immolaticii cruoris, ex cujus spurcissimo ritu, vel nomine, principem dæmoniorum cognominabant. *Rabani Comment. in Matth.*, lib. IV, cap. 11. *Ex Beda in Lucam*, lib. IV, cap. 11.

[a] *Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem, et tunc domum ejus diripiet?* Fortem, diabolum dicit... Vasa ejus, homines ab eo deceptos; domum ejus, mundum... Ostendit ergo per parabolam sed jam manifestissimam, Dominus, quod non corde fallax operatione, cum dæmonibus, ut calumniabantur, sed diversa prorsus atque adversa virtute divinitatis, homines a dæmonibus liberaret. *Rabani in Matth.*

[b] Digitus Dei, sicut Evangelium manifeste loquitur, Spiritus sanctus intelligitur. *Rabani in Exodum*, lib. I. cap. 15. *Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[c] Occupatus erat Dominus in opere sermonis, in doctrina populorum, in officio prædicandi. Mater et fratres foris stant et ei desiderant loqui : tunc quidam nuntiat Salvatori quod fratres, et mater sua stant foris quærentes eum. Videtur mihi iste qui nuntiat non fortuito et simpliciter nuntiare, sed insidias tendere, utrum spiritali operi carnem et sanguinem præferat; et ideo matrem se nosse dissimulat, ut quæ ei mater sit, qui propinqui, non per cognationem carnis, sed per conjunctionem Spiritus, designat. *Ibid.*

[d] Is qui voluntatem Dei fecerit, soror et frater Domini dicitur, propter utrumque sexum, qui ad fidem colligitur... Sed sciendum est nobis quia qui Jesu frater et soror est credendo, mater efficitur prædicando. Quasi enim parit Dominum quem cordi audientis infuderit. Et mater ejus efficitur, si per ejus vocem amor Domini in proximi mente generatur. *Rabani, Ibid.*, p. 79. *Ex Beda in Marc.*, cap. 4, lib. I.

Isti sunt mater mea qui me quotidie in credentium animis generant. Isti sunt fratres mei qui faciunt opera Patris mei. Non ergo, juxta Marcionem et Manichæum, matrem negavit, ut natus de phantasmate putaretur, sed et apostolos cognationi prætulit, ut et nos in comparatione dilectionis carni spiritum præferamus. *Ibid.*

Mater, prædicator quilibet, ut in Evangelio : *Ipse meus frater, et soror et mater*, quod prædicator, docendo alios in fide, parit. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[e] Comitissa, hic idem esse videtur ac *procuratrix.*

[f] Magnæ devotionis et fidei hæc mulier ostenditur, quæ tanta Domini incarnationem præ omnibus sinceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur. *Beda in Lucam*, lib. IV, cap. 11.

[g] *In apographo nostro legitur hoc in loco :* Valituro, *forte* nascituro, ut *apud Bedam :* Maria... nasciturо ex humanis membris Unigenito Dei carnis suæ materiam ministravit... qua enim consequentia ejus lacte credatur nutritus, cujus semine negatur (ab hæreticis) esse conceptus? cum ex unius ejusdemque fontis origine, secundum physicos, uterque liquor emanare probetur. Nisi forte putanda est Virgo sementivam suæ carnis materiam nutriendo in carne Dei Filio suggerere potuisse, incarnando autem quasi majori et insuetato miraculo minime potuisse. *Beda in Lucam*, lib. IV, cap. 11.

[h] In apographo legitur : *Utrumque mentis suæ memoriam gratiam dari.*

[i] Dies erant celeberrimi scenopegiæ, id est, tabernaculorum, quando per septem dies in umbraculis (Hebræi) habitabant, sumentes sibi spatulas palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et lætabantur coram Domino Deo suo, in communicationem exitus illorum de Ægypto, quod Dominus eos in tabernaculis habitare fecerit, cum eduxerit eos de terra Ægypti. *Rabani de Institutione clericorum*, lib. II, cap. 47.

Digitized by Google

Galilææ, tum in Bethania, trans Jordanem, tum in Judæa, in Bethania, juxta Jerusalem. O vere felices, multumque beati, qui tantum hospitem meruerunt habere, pascentes panem angelorum, a quo et ipsi pascebantur! Octavo enim die scenopegiarum, descendens a Bethania, Salvator *venit diluculo in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos* (*Joan.* VIII, 2). Ubi, quam misericorditer, quamque prudenter, quamdam peccatricem mulierem a mortis periculo liberavit, quamvis excessum facere videamur, breviter referemus. Placebat populis Salvator vehementissime, quoniam misericordiam [a] commendabat et pietatem. Pharisæi vero semper insidiabantur ei, et invidebant, quia peccatores suscipiebat. Et quærentes capere ex ore ejus aliquid quo vel juste vituperari, vel damnari deberet, *adduxerunt* ei *mulierem* tunc *in adulterio deprehensam*, dicentes intra se : Tentemus eum de justitia, an contra eam dicat, ut misericordiæ prædicator. Si dicat lapidandam adulteram, populus contemnet doctrinam ejus, contra quam dederit sententiam. Si dixerit dimittendam, conclamabimus : Hostis legis, contrarius Moysi, inimicus Dei, reus est mortis, et cum adultera lapidandus [b]. Et accedentes : *Magister*, inquiunt, *hæc mulier modo deprehensa est in adulterio : in lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare; tu ergo quid dicis?* Ad hæc sapientia Dei, Deus, non statim judicavit, sed nec statim respondit; sed adverso ut sedebat vultu, *inclinans se, deorsum digito scribebat in terra* illorum peccata, qui peccatricem accusabant. Propria enim peccata, quæ scriberet, non habebat. Dedit nobis Salvator in hoc nimis utile exemplum, alicujus malis auditis, non statim judicare, sed prius digito discretionis [c], nos met discutere, an forte in similia, vel deteriora lapsi simus, vel labi possemus. Instabant interim Pharisæi, sententiam ejus quærentes, jam prænussitantes [*Cod.*, præmasticantes], jam cachinnantes, eum nullo modo posse evadere : quippe vel contra justitiam, vel contra misericordiam judicaret. Verum *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI, 3). *Erexit* ergo *se* Christus, daturus sententiam : docens rectos esse debere eos qui condemnare volunt reos; *erexit se*, et, salva misericordia, judicavit justitiam [d] : *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Sic data prudenter sententia, *iterum se inclinans, scribebat in terra :* vultum alio vertens, ut liberum esset Pharisæis exire [e]; quos sciebat tunc malle longius abesse, quam plura interrogare. Nos quoque docet, qui, data sententia, iterum inclinat et scribit, ut non solum antequam judicemus, sed etiam post datam sententiam, cum tremore, humiliter investigemus conscientiam, ne forte deteriorem meruerimus sententiam [f]. Abierunt illi, induti *ut diploide confusione; remansit* ergo misericordia et miseria [g], *in medio stans* (*Psal.* CVIII, 29). *Erexit* denique *se* Salvator, daturus sententiam misericordiæ, qui prius erectus dederat sententiam justitiæ : *Mulier*, inquit, *ubi sunt qui te accusabant?* An forte ego fugavi eos? *Nemo te condemnavit? quæ dixit : Nemo, Domine;* quia nullus eorum sine peccato, sed tu, qui solus es sine peccato, si vis, potes me condemnare. Cui Salvator : Nemo, inquit? *Nec ego te condemnabo* pro præteritis [h]; *vade*, cave de futuris, *et amplius noli peccare* [i].

CAP. XIII. — *Ubi Lazarus languet et moritur; Christusque mandatur.*

Hieme vero jam mediante, die quintodecimo

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] *Cod.* misericordias. *Apud Alcuinum*, misericordiæ quam semper docebat.

[b] Similia Rabanus habet in Matthæum de Pharisæis a Salvatore quærentibus : an liceret *homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa.* « Et hic notanda mentium distantia in turbis et pharisæis : hæ conveniunt ut doceantur, et sui sanentur infirmi. Illi accedunt ut Salvatorem ac doctorem veritatis tentando decipiant. Interrogant ergo eum utrum liceat homini dimittere uxorem suam, qualibet causa, ut quasi cornuato teneant syllogismo, et quodcunque responderit captionem patiatur. Si dixerit dimittendam esse uxorem qualibet ex causa, et ducendas alias, pudicitiæ prædicator sibi videbitur docere contraria. Sin autem responderit non omnem ob causam debere dimitti, quasi sacrilegi reus tenebitur, et adversus doctrinam Mosi, ac per Mosen Dei, facere. » *Rabani in Matth.*, lib. VI, cap. 19. *Vide Bedam in Matth.*, lib. III, cap. 19; *Alcuin.*, t. I, p. 541

Hinc nos invenimus accusandi occasionem, et reum facimus tanquam legis prævaricatorem : dicentes ei, Hostis es legis, contra Moysen respondes, imo contra eum qui per Moysen legem dedit : reus es mortis, cum illa et tu ipse lapidandus. *S. August. in Joann.*, cap. 8, *Tractat.* XXXIII, n. 4, tom. III, part. II, p. 531.

[c] *Digitus*, discretio, ut in Evangelio, *digito scribebat in terram*, quod humili discretione terrenum cor nostrum perscrutari debemus. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[d] Ecce Dominus in respondendo et justitiam servaturus est et a mansuetudine non recessurus. *S. Augst.*, *Ibid.*, n. 4.

[e] *Aliter interpretatur S. Augustinus in Joan.* cap. 8. *Tractat.* XXXIII, n. 5. Dominus autem cum eos illo telo justitiæ percussisset, nec dignatus est cadentes attendere : sed adverso ab eis obtutu, *rursum digito scribebat in terra. — Rabanus autem, Albini discipulus, sequitur magistrum, qui ipsemet Bedæ magistro suo adhærens, ait :* alio vultum intendens libertatem eis daret exire. *Alcuin., in Joan.*

[f] Similia apud Alcuinum. *Ibid.*

[g] Relicti sunt duo, miseria et misericordia. *S. Augst.*, *ibid.*, n. 5.

[h] *Nec ego te condemnabo :* Sed facta secura de præterito, cave futura. *S. Augst.*, *ibid.*, n. 8.

[i] *Hanc de muliere adultera narrationem interponit Rabanus, eo quoa Ecclesiæ ex gentibus typus fuerit mulier ista, quemadmodum et Magdalena.* Mulier adultera, quæ offertur Domino a Judæis lapidanda, Ecclesia est : quæ prius relicto Deo, in idolis fuerat fornicata : quam volebat synagoga zelans interficere : Christus salvat per remissionem delicti : nec sinit eam perire, qui novit veniam condonare peccantibus. *Rabani de Universo*, lib. IV, cap. 1.

Digitized by Google

mensis casleu, *facta sunt encænia in Jerosolymis* [a]; *et ambulabat* Salvator *in templo in porticu Salomonis*, ubi, cum prædicaret, et diceret : *Ego et Pater unum sumus, sustulerunt lapides Judæi, ut lapidarent eum* (*Joan.* x, 22, 30). At ille *exivit de manibus eorum, et abiit iterum trans Jordanem* in Bethaniam Galilææ, castellum Mariæ et Marthæ, *ubi* Baptista *Joannes* fuerat *baptizans primum; et mansit illic.* Cum ecce interim amicus ejus *Lazarus languens* erat in *Bethania* Judææ, *castello itidem Mariæ et Marthæ sororum ejus. Miserunt ergo sorores ejus* trans Jordanem [b], *ad* Salvatorem in Bethaniam, *dicentes : Ecce quem amas infirmatur* (*Joan.* xi, 1, 2). Sufficit, inquiunt, nuntiare dilecto dilecti languorem : amicus noster est, Lazarum amat, nec facile deseret quem dulciter amat [c]. *Audiens* hæc Salvator : *Infirmitas hæc*, inquit, erit ad miraculum, *non ad mortem* [d]; *sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per illam. Diligebat autem Jesus Martham et sororem ejus Mariam et Lazarum.* Ille langueus, illæ tristes, omnes dilecti; sed a quo dilecti? *Diligebat* eos *Jesus*, languentium Salvator, imo etiam mortuorum suscitator, et tristium consolator [e]. *Diligebat* enim *Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum.* O felix et gloriosa generatio! quamvis enim Veritas dicat : *Ego diligentes me diligo*, raro tamen inveniuntur, in Scripturis, fideles qui a Domino diligi specialiter designentur ex nomine. *Ut igitur audivit* Salvator *quia* Lazarus *infirmabatur*, distulit ire; distulit subvenire; ut faceret eum a morte redire. *Et tunc quidem mansit* ubi tunc erat in Bethania Galilææ, *duobus diebus*, ut quatriduum impleretur [f]. Interea dira febris corpus Lazari urebat. Medici nil poterant, medicamenta nil proderant; nihil igitur ægro remedii, nisi Dominus velit ei mederi. Assident juvenis lecto sorores, adventum Jesu pollicentes, virum spiranti sanitatem promittunt. Vapore denique pectoris vi febrium desiccato, vitalis spiritus evaporat. Plorant juvenem, scissis induviis, sanctæ sorores; complexæ mortuum incumbunt cadaveri. Cernere erat genas sanguine madentes, fletibus oculos tenebratos, ejulatibus aera plena funeris. Denique factis exsequiis, celebri pompa corpus effertur; clauditur marmore Lazarus quodam; lapis quo clauditur lacrymis irrigatur. Et quoniam nobilis erat progenie, moribusque nobilior, actu innocens, verbo discretus, manu largus, animo liberalis, advenerant Bethaniam, ad consolandum eum, nobiliores Jerosolymorum, qui etiam exsequiis ejus interfuerunt.

A

Cap. XIV. — *Ubi Dominus sibi timentes apostolos arguit, de somno amici disputat Thomæ devotionem approbat, et Marthæ fidem.*

Interea Salvator, post duos dies, dixit duodecim discipulis suis : *Eamus in Judæam iterum* (*Joan.* xi, 7). Territi apostoli, consilium dederunt Domino, ne morereturqui venerat mori; ne et ipsi morerentur [g]. *Rabbi*, inquiunt, *nunc quærebant te Judæi lapidare, et iterum vadis illuc? Respondit Jesus : Nonne duodecim horæ sunt diei? si quis ambulat in nocte, offendit : quia lux mundi non est in eo; si autem ambulaverit in die, non offendit : quia lucem hujus mundi videt.* Ego sum dies, *ego* sum *lux mundi*; vos horæ duodecim [h] : meum est præcedere; vestrum sequi, ut horæ diem sequuntur [i]. Sinite igitur me pati; non mihi detis consilium; sed me sequimini, si non vultis offendere [j]. *Hæc ait, et post hæc dicit eis : Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno suscitem eum.* Ad hæc *discipuli* responderunt, secundum quod intellexerunt : *Domine, si dormit, salvus erit*; somnus enim ægrotantium salutis solet esse indicium [k]. *Dixerat autem Jesus de morte illius; illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo dixit eis Jesus manifeste : Lazarus mortuus est; et gaudeo propter vos, ut credatis* me nihil latere : *quia non eram ibi*, et tamen scio quia mortuus est [l]; *sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas ad*

B

C

D

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] Encænia festivitates erant dedicationis templi. Illum enim diem quo dedicatum est templum a Salomone Judæi solemniter celebrabant. *Rabani de Institutione clericorum*, lib. II, cap. 45.

[b] Miserunt ubi erat Dominus, trans Jordanem scilicet. *Beda in Joan.*, cap. 11. Ex *S. Aug. in Joan.*, cap. 11, *tractat.* XLIX, n° 5.

[c] Ecce quem amas infirmatur. Sufficit ut noveris, non enim amas et deseris. *Beda*, *ibid. Ex S. Aug.*, *ibid.*

[d] *Non est ad mortem*, sed potius ad miraculum. *Beda, ibid.*

[e] Ille languens, illæ tristes, omnes dilecti. Sed diligebat eos et languentium Salvator, imo etiam mortuorum suscitator, et tristium consolator. *Alcuin. Comment. in Joann.*, cap. 11, lib. v. *Ex S. August., ibid.*, n° 7.

[f] Tandiu tempus ductum est, quousque quatriduum compleretur. *Beda, ibid., ex S. Aug. ibid.*, n° 7.

[g] Videte quemadmodum discipuli territi fuerint. *Beda. ibid.* Voluerunt consilium dare Domino, ne morereturqui venerat mori, ne ipsi morerentur. *Beda, ibid. Alcuin., ibid., in Joan.*, cap. 11, p. 573. Ex *S. Aug.*, *in Joan.* cap. 11, *tract.* XLIX, n° 8.

[h] Sol justitiæ Christus omni tempore totum illuminat orbem. Et sicut dies duodecim horis usque ad occasum volvitur, ita dies verus, Christus per duodecim apostolos suos... illustrat fideles. *Rabani de Universo*, lib. IV, cap. 1.

Duodecim horæ diem complent, Domino attestante, qui ait : Nonne duodecim horæ sunt diei? Ubi quamvis allegorice se diem, discipulos vero, qui a se illustrandi fuerant, horas appellaverit, etc. *Rabani, ibid.*, lib. x, cap. 3.

[i] Horæ diem sequuntur. *Alcuin., ibid.*

[j] Nolite mihi consilium dare, quos a me consilium oportet accipere. *S. Aug.*, *ibid.*, n° 8. Si ego sum, inquit, dies, et vos horæ, nunquid horæ diei consilium dant? horæ diem sequuntur, non dies horas. Hoc ergo ait de compendio : Me sequimini, si non vultis offendere. *S. Aug.*, n° 8.

[k] Responderunt quomodo intellexerunt : *Domine, si dormit, salvus erit.* Solent enim esse somni ægrotantium salutis indicium. *Alcuin. ibid., Beda, ibid.* Ex *S. Aug.*, *ibid.*, n° 11.

[l] *Gaudeo propter vos ut credatis quia non ibi eram;*

Digitized by Google

condiscipulos suos : Eamus et nos et [a] moriamur cum eo. Ecce verus amantium affectus, vel cum eo vivere, vel cum eo mori. *Venit* jam Christus, *et invenit eum quatuor dies jam habentem in monumento. Erat autem Bethania juxta Jerosolymam, quasi stadiis quindecim*, duobus milliariis, stadio minus : *multi autem ex Judæis venerant ad Mariam et Martham, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo, ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi. Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus ; sed et nunc scio, quia quæcunque poposceris a Deo, dabit Deus ;* et scio quia potes eum suscitare si vis, sed hoc tuo, Domine, relinquo arbitrio; non rogo ut suscites : quia non præsumo, quia nescio, an sit utilis facti in eo resurrectio [b]. *Dicit illi Jesus : Resurget frater tuus. Dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione generali, in novissimo die. Dicit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita*, quia sum vita, per me resurget; per me tunc resurget, si volo et nunc [c]. *Qui credit in me*, vitam, *etiam si mortuus fuerit* corpore, *vivet*, ut vivit Abraham, Isaac et Jacob, quorum Deus sum, sicut vivorum. Credens in me, etiam mortuus, vivit ; non credens in me, etiam vivus, mortuus est. *Et omnis qui* dum *vivit* in *carne, credit in me*, et si ad tempus moriatur secundum carnem, *non morietur in æternum ;* quia vivet in anima, interim, donec in corpore resurgat [d]. Et cum hæc dixisset adjecit : *Credis hoc ?* Sciens Marthæ fidem, quæsivit confessionem ; *corde* enim *creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* [e]. *Ait illi : Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui* pro salute mundi *in hunc mundum venisti.*

CAP. XV. — *Ubi Mariam plorantem videns Salvator, lacrymatus est.*

Post hæc verba, *abiit Martha*, et *vocavit sororem suam* suppressa voce, *dicens : Magister adest, et vocat te.* In quibus verbis ostenditur, quia Dominus Mariam vocavit ; quod Joannes tacuit, nisi quando vel quomodo Mariam vocaverit, narrationis brevitate servata [f]. *Maria*, ergo, *ut audivit* se a Domino sciscitari, *surrexit cito, et venit ad eum. Nondum enim venerat Jesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco ubi occurrerat ei Martha. Judæi igitur, qui cum ea erant in domo, et consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit, et exiit*, putantes illam festinare, ut doloris suis solatium lacrymis quæreret, *secuti sunt eam dicentes* [g] : *Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. Maria ergo, cum venisset ubi erat Jesus, videns eum cecidit ad pedes ejus, et dixit ei : Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus,* te enim præsente, nulla unquam infirmitas ausa fuit apparere, apud quas vita consueverit hospitari. *Jesus ergo, ut vidit Mariam plorantem, infremuit spiritu, et turbavit seipsum :* quia voluit, quando voluit, quem alius turbare non potuit. Sed et hodie, quando peccator computans quæ bona Dei a Deo accepit, quæ mala pro bonis Deo reddiderit, fremit in spiritum, et compungitur, et conturbatur. Fremit vero fides in homine dum de peccatis increpat se : Christus fremit in eo, Christus turbatur, quia fides de Christo, Christus est in corde [h]. *Et dixit* Jesus : *Ubi posuistis eum ? Dicunt ei : Domine, veni et vide. Et lacrymatus est Jesus.* O magnæ pietatis affectum ! o magni amoris argumentum ! o inæstimabilis familiaritatis indicium ! quis æstimare sufficeret alternum illam, qui tunc inter Dominum salvatorem et ejus amicam Mariam fervescebat amorem, cujus indicium scimus illum dulcissimum lacrymarum ardorem ! Credo, revera, amorem illum omni humanæ, imo et angelicæ creaturæ incomprehensibilem. *Et lacrymatus est Jesus.* O lacrymas dignissimas reverentia, et non sine lacrymis nominandas ! lacrymas Filii Dei, quæ de purissimis pupillis ejus ebulierunt, quæ de pulcherrimis ejus oculis distillaverunt,

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

Ut jam inciperent admirari, quia Dominus potuit dicere mortuum, quod nec viderat, nec audierat. *Ut credatis* ut amplius robustiusque credatis. *S. Aug., ibid.*, n° 11.

[a] Et *in quodam Alcuini codice :* et moriamur. *In vulgata :* ut moriamur.

[b] Non dixit, sed et modo rogo te ut resuscites fratrem meum ; unde enim sciebat, si fratri ejus resurgere utile foret ? Hoc tantum dixit : Scio quia potes. Si vis facis : utrum enim facias judicii tui est, non præsumptionis meæ. *Sed et nunc scio quia quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.* Beda *in Joan.*, cap. 11, ex *S. Aug. in Joan. cap.* XI, *tract.* XLIX.

[c] Per quem tunc resurget, potest modo resurgere, quia ego sum resurrectio et vita. *Beda, ibid.*

[d] *Similia fusius apud Alcuinum, ex S. Augustino.* Crede ergo : etsi mortuus fueris, vives. Si autem non credis, et cum vivis, mortuus es. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit in carne, vivet in anima, donec resurgat caro, nunquam postea moritura. *Beda, ibid.*, ex S. August., *ibid.*, n° 15.

[e] *Et dixit eis Jesus : Creditis quia possum hoc facere vobis ?* Fidem eorum ipse noscens interrogat, ut fidem confessio promat, et confessionem virtus consequatur, salusque virtutem comitetur ; quia ut Apostolus ait : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Rabani Comment. in Matth., lib. III, cap. 9.

[f] Advertendum est quemadmodum suppressam vocem silentium nuncupavit... advertendum etiam quemadmodum Evangelista non dixerit ubi vel quando vel quomodo Mariam Dominus vocaverit, ut hoc in verbis Marthæ potius intelligeretur, narrationis brevitate servata. S. August. *ibid.*, n° 16. *Alcuinus vero* veritatem servat. *Ibid. Beda* veritate servata. *Ibid.*

[g] Putantes enim Judæi propterea illam festinare, ut doloris sui solatium lacrymis quæreret, *secuti sunt eam.* S. August., *ibid.*, n° 17.

[h] Attendisti enim te, vidisti te reum, compunxisti tibi : Illud feci, illud commisi... quid facio ? quo eo ? unde vado ? Quando ista dicis, jam fremit Christus : quia fides fremit. Si ipsa fides intus, ibi est Christus fremens ; si fides in nobis, Christus in nobis. Quid enim aliud, ait Apostolus, habitare Christum per fidem in cordibus vestris ? Ergo fides tua de Christo, Christus est in corde tuo. *S. August. in Joan.*, cap. 11, *tractat.* XLIX, n° 19. *Similia apud Bedam* et *apud Alcuinum.*

Digitized by Google

quæ serenissimum vultum ejus irrigaverunt, cum videns Mariam plorantem, *infremuit spiritu, et turbavit seipsum! Et lacrymatus est Jesus. Diligebat enim Jesus Marthamet sororem ejus Mariam, et Lazarum. Dixerunt igitur Judæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex eis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur?* Potuit, sed noluit; quia plus est mortuum suscitare, quam infirmum sanare [a].

CAP. XVI. — *Ubi Christus orat et Lazarum resuscitat.*

Jesus ergo, rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Fremat et in te, quicunque es qui premeris peccandi consuetudine, si vis reviviscere [b]. *Erat autem spelunca, et lapis suppositus erat ei* [c], *ait Jesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha: Domine, jam fetet, quatriduanus est. Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei* [d]? Et quæ est gloria Dei [e]? Quod *ubi abundavit delictum, superabundavit gratia* (*Rom.* v, 20); et quod illa *magis diligat cui plus dimittitur* Luc. VII). *Tulerunt ergo lapidem. Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias tibi ago, quia audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis; sed propter populum qui circumstat, dixi: Ut credant, quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, voce magna clamavit.* Voce magna clamavit: quia difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit [f]; et apud Zachariam: Iniquitas sedet super *talentum plumbi* [g] (*Zach.* v, 7). Ideo, voce magna clamavit, ideo fremit, ideo turbatus est, ideo lacrymatus est. Et ait: *Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui mortuus fuerat, ligatus manus, et pedes institis; et facies illius erat sudario ligata* [h]. Sic, sic peccator ligatur, in tenebris interioribus, obduratione mentis; et in tenebris exterioribus erit debito futuræ damnationis [i]. Sed quem prius, per se, a vinculo mortis, Christus intus absolvit; statim apostolos de foris solvere præcepit. *Et dixit eis: Solvite eum et sinite abire* (*Joan.* XI, 44): *Ego enim dixi: Dii estis* (*Psal.* LXXXI, 6); et *Diis non detrahes*; et *Servum ut liber fiat applicabis ad deos* (*Exod.* XXII, 28; XXI, 6). Errant, igitur, qui dimittere peccata ita soli Deo tribuunt, ut in eo participare hominem negent [j]. Et contra Dei vetitum diis detrahunt, qui eis a Deo datam potestatem tollunt. Solus *Deus bonus est; solus* Deus *facit mirabilia; solus Deus peccata dimittit* (*Matth.* XIX, 17; *Psal.* LXXI, 18; *Luc.* V, 21); sine Deo, nemo bonus: sine Deo, nemo facit mirabilia: sine Deo, nemo potest peccata dimittere. Nemo bonus, nisi solus Deus; nemo facit mirabilia, nisi solus Deus; nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus. Mentitur igitur, qui dicit de justo Joseph: *Vir bonus et justus* (*Luc.* XXIII, 50); qui de beato viro: *Fecit enim mirabilia*

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] Qui noluit facere ut non moreretur, plus est quod facturus est, ut mortuus suscitetur. *S. August., ibid.*, n° 21.

[b] *Jesus ergo rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum.* Fremat et in te, si disponis revivicere. Omni homini dicitur, qui premitur pessima consuetudine. *S. August., ibid.*, n° 22.

[c] *Spelunca* prava mens, ut in Evangelio: *Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei*, id est erat profunda per malitiam, et tenebrosa per ignorantiam peccatoris conscientia, et insensibilitas duritiæ inerat ei. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[d] Lazarus quem Dominus quatriduanum fetentem de monumento suscitavit significat mundum, quem gravissima peccati consuetudo corruperat, qui tamen quarto die mortis suscitatur. Prima enim dies mortis est tracta de Adam propago mortis. Altera dies mortis est transgressio legis naturalis. Tertia dies mortis, prævaricatio datæ legis. Quarta dies mortis est contemptus Evangelicæ prædicationis, in qua die Dominus suum opus respiciens misericorditer suscitare dignatus est. *Rabani de universo*, lib. V, cap. 1. *Similia apud Bedam in Joan. et fusius apud Alcuinum*; ex *S. August., ibid.*

[e] Quædam a librariis forte prætermissa, ex Augustino restitui possent. Ait enim: *Quid est videbis gloriam Dei?* quia et putentem et quatriduanum resuscitat. *Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei*; et: *Ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia. S. August., ibid.*, n° 23. Verba, hæc *gloria Dei*, hoc in loco duplicata, amanuensis erratum innuere videntur.

[f] *Voce magna clamavit.* Quam difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit. Ex *S. August. ibid.*

[g] *Plumbum* pondus peccati, ut in Zacharia: *Ecce talentum plumbi portabatur*: id est, magnitudo peccati augebatur. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[h] Quidam non solum cogitando vel faciendo illicita, sed et ipsa peccandi consuetudine se quasi sepeliendo corrumpunt..., nam ad hoc intimandum resuscitavit Lazarum, quatuor dies in monumento habentem, et... jam fetentem... Quatriduanus vero mortuus, ut longa prementis sepulcri claustra evadere posset, fremuit spiritu Jesus, turbavit seipsum, lacrymas fudit, rursum fremuit, ac voce magna clamavit: *Lazare, veni foras.* Et sic tandem, qui erat desperatus discusso tenebrarum pondere, vitæ est lucique redditus. *Rabani Comment. in Matth.*, lib. III, cap. 9.

[i] Interiores tenebras dicimus cæcitatem cordis, exteriores vero tenebras æternam noctem damnationis. *Ibid.*, lib. VI.

[j] Similia apud Alcuinum. Ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus, confitens et adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit, id est discipulis: *Solvite eum.* Beda in Joan. cap. 11; ex sancto Augustino, *ibid. Quis*, inquiunt, *potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Sed, licet nescientes, verum dicebant, quia nemo dimittere peccata, nisi Deus, potest. Qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi dedit potestatem. Errant itaque Judæi... Sed multo dementius errant Ariani... *Rabani Comment. in Matth.*, lib. III, cap. 9. Et *Homil.* fer. VI Pent. Ex *Beda* in Luc. lib. II, cap. V. Ex qua resurrectione, quæ gesta in illius est corpore, signatur qualiter nos resuscitemur in corde, cum videlicet mortuo dicitur: *Veni foras*; ut nimirum homo in peccato suo mortuus, et per molem malæ consuetudinis jam sepultus, quia intra conscientiam suam absconsus jacet per nequitiam, a semetipso foras exeat per confessionem. *S. Greg. Mag.*, lib. XXII, in cap. XXXI Job

Digitized by Google

in vita sua (*Eccli.* XXXI, 9); vel Christus, qui dicit: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis* (*Joan.* XX, 23). Non. Imo, ipse Deus facit quod per eum homo facit; imo multo melius et verius, homo facit quod per eum Deus facit. Non enim dixit Deus Petro: Quod solutum fuerit in cœlo prius, tu solves in terra postea (*Matth.* XVI, 19), sed e converso. Sententiam ergo Petri non præcedit, sed subsequitur sententia cœli. Non est ergo aliud Domini, dare homini potestatem dimittere peccata, nisi ipsum Deum, per hominem, peccata dimittere. Quod si homo peccatorum suorum vere pœniteat, nec tamen ad confessionem pervenire possit [a], confidenter pronuntio: quod cum eo summus sacerdos complet, quod mortalis non potuit; et apud Dominum, factum constat, quod homo quidem vere voluit, sed non valuit adimplere: si tamen confessionem non contemptus exclusit, sed impedivit necessitas [b].

CAP. XVII. — *Ubi ad cœnam Martha ministrat, Lazarus accumbit, Maria pedes ungit.*

Multi autem *ex Judæis qui venerant ad Mariam, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. Quidam autem, ex ipsis, abierunt ad pharisæos, et dixerunt eis quanta fecit Jesus. Collegerunt ergo pontifices et pharisæi consilium* in unum, in quo *Caiphas, pontifex, prophetavit: Quod Jesus moriturus erat pro gente* Judæorum. *Ab illo ergo die,* non dubium quin et prius, sed ex tunc diffinitive, *cogitaverunt ut interficerent eum. Jesus* autem *non palam apud Judæos* (*ambulabat*) *, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem; et ibi morabatur cum discipulis suis. Proximum autem erat Pascha,* dies festus, *Judæorum. Dederunt autem pontifices mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit Jesus, indicet ut apprehenderent eum* (*Joan.* XI, 45-56). Jesus vero, sciens eos conspirasse contra se, rediit Bethaniam, juxta Jerosolymam [c], *quasi agnus ad victimam* [d], ante sex dies Paschæ, sequenti feria sexta, immolandus, sexta hora crucifigendus; qui sex diebus omnia creaverat, sexta die hominem formaverat, qui sexta ætate, ad redimendum hominem, advenerat [e]. Erat tunc dies solemnis sabbati, *fecerunt ei cœnam, ibi, in domo Simonis leprosi* (*Joan.* XII, 2; *Matth.* XXVI, 6), quem a lepra jam pridem mundaverat [f]. Discubuit ergo Jesus, et duodecim apostoli, et multi qui convenerant. *Lazarus, vero, unus erat ex discumbentibus cum eo* (*Joan.* XII, 2), ut non phantasma, sed vere vivens probaretur [g]. *Et Martha* quidem beatissima, more solito, *ministrabat* mensis, larga manu, vultu hilari, et animo liberali; *Maria* vero Magdalena, omnium ministrarum Christi primiceria, non oblita sui, quippe quam zelus ingens, et ardor amoris Christi, quiescere non sinebat: *accepit libram unguenti* pretiosi, et accedens ad Salvatorem, cum summa reverentia, *unxit pedes ipsius recumbentis* (*Joan.* XII, 3; *Matth.*, XVI). Erat autem unguentum illud fidele, pisticum, non similibus herbis, aut radicibus adulteratum, ut pigmentariorum mos est, convenientium fraudare odoratum simul et intuitum [h]. Et erat ex nardo compositum, frutice aromatica, quæ situm redolet, aut cyperum [i]; gravi et crassa radice fragilique, quamvis pingui, aspera sapore, folio parvo densoque, spicatum quoque erat unguentum: cacumina quippe nardi in aristas se spargunt; celebranique

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] *Confessio* est peccati ut in Psalmis: *Confitebor tibi adversum me injustitiam. Rabani allegoriæ in sacram Scripturam.*

[b] Hortatur nos sæpius sancta Scriptura ad medicamenta confugere confessionis, non quod Deus indigeat confessionis nostræ, cui omnia præsto sunt quæ cogitamus, loquimur et agimus. Sed nos aliter salvi fieri non possumus, nisi confiteamur pœnitentes, quod inique gessimus negligentes. *Rabani de Agone Christiano,* lib. III, *de Compunctione.*

[c] Appropinquante autem tempore passionis appropinquare voluit Dominus loco passionis; ibique proximus manere, ubi constituto ac præfinito ante sæcula tempore inveniri posset ab eis per quos erat passio complenda. *Rabani in Matth.* lib. VI, c. 21.

[d] Salvator noster quasi agnus ad occisionem ductus et in sacrificium altaris oblatus peccatorum remissionem universo præstitit mundo. *Rabani in Num.* lib. IV, cap. 19.

[e] Sex diebus consummavit Deus omnia opera sua. Sex ætatibus humanum genus in hoc sæculo per successiones temporum Dei opera insinuant. Quarum prima est ab Adam usque ad Noe, secunda a Noe usque ad Abraham, tertia ab Abraham usque ad David, quarta a David usque ad transmigrationem Babyloniæ, quinta deinde usque ad humilem adventum Domini nostri Jesu Christi, sexta quæ nunc agitur usquequo mundus finiatur; septima vero intelligitur in requie sanctorum. *Rabani in Genesin* lib. I, cap. 10. Jam sextum sæculum fit in adventu Domini nostri Jesu Christi. Nam sicut in illa sexta die primus homo Adam... formatus est, sic et in ista sæculi ætate sexta Christus natus est. *Ibid.*, similia apud Alcuinum.

[f] *In domo Simonis leprosi.* Non quod leprosus illo tempore permaneret, sed qui ante leprosus postea a Salvatore mundatus est, nomine pristino permanente, ut virtus curantis appareat. *Rabani in Matth.* lib. VIII, cap. 26; ex *Beda*; ex *S. Hier.*

[g] Et ne dicerent machinatores calumniarum phantastice suscitatum fuisse Lazarum, facta ibi Domino cœna, et ipse unus erat ex discumbentibus cum eo. *Beda in Joan.*, cap. 12. Ne putarent homines phantasma esse factum, quia mortuus surrexit, unus erat ex recumbentibus. *S. August., ibid., tract.* L, num. 5.

[h] Unguentum autem pisticum, id est fidele, ideo dicitur, quia sæpe solent aliqui medicorum unguenta pretiosa similibus herbis adulterare. Sicut pigmentarii qui pigmenta vendere soliti sunt, frequenter intermiscent pigmentis quædam germina per fraudem, quibus ementium deludant aspectum. Sed hoc unguentum non adulterinum, sed fidele fuit, quo Maria Domini unxit caput et pedes. *Rabani, ibid.*, lib. VIII, cap. 26; *vide Alcuinum in Joan.* et *Bedam in Matth.* lib. IV, cap. 26.

[i] *Codex:* Cethim redolet aut cipressum; *Rabanus in Matthæum habet:* Citum aut cypressum; et *Beda in Marcum:* Sinum aut cypressum. *Verum apud Plinium, cujus a Beda et Rabano verba, his in locis, recitantur, agitur de situ et cypero.*

Digitized by Google

pigmentarii spicas simul et folia. Unguentum quippe pigmentariæ Christi Mariæ, non de radice nardi confectum est; verum etiam, quo pretiosius esset, spicarum quoque et foliorum ejus adjectione, odoris et virtutis ejus gratia erat cumulata [a]. Nardus enim et principalis est in unguentis : pretiosum igitur erat unguentum illud, Indicum, quo non est pretiosius, illum pedibus et capiti Domini dignum [b], ut tres evangelistæ testantur, Matthæus, Marcus atque Joannes (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV, 3; *Joan.* XII, 3). Perfusis denique pedibus Salvatoris nardo pretioso, manibus atque digitis circumquaque eos perliniens, confricavit; ac denique, capillis suis quorum nitore formosa fuerat, eos suavissime circumvolvit; pectorique simul et ori applicans, tersit dulcissime; denique, sibi astringens, fovit diutius, atque dimisit.

CAP. XVIII. — *Ubi Maria Christi caput ungit, Judas fremit, Christus laudat.*

Parva est hæc, apud Dominum Salvatorem, primiceriæ ipsius familiaritas, respectu sequentium. Pedibus quippe delibutis, accenso animo immensi amoris igne, quem in ea ille accendebat, cui ministrabat, ausu ex partæ familiaritatis confisa, et bene de Deo confisa : ut pote in talibus, ni fallor, sæpius admissa; adorans Salvatorem, ad caput ejus accessit sacrosanctum reverenter, angelis et archangelis, principalibus et potestatibus reverendum. Et discriminata digitis Cæsarie Dei omnipotentis : fregit alabastrum, et effudit nardi resîduum super verticem Filii Dei (*Matth.* XXVI, 7; *Marc.* XIV, 3). Dehinc crines confricans manibus, cincinnos ejus guttis nardi delibriavit [c]; et sacri liquoris effluentiam, usque ad frontem, et tempora, colli quoque confinia, delicatissimis digitis suis, ut balsamita nobilis, accuratissime dilatavit. Complevit itaque, Maria, operibus piæ devotionis, quod rex Salomon in persona ejus, olim cecinerat in Canticis amoris : *Dum esset in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum* (*Cant.* I, 11) [d]. Quanta tunc fuit Mariæ fragrantia capillorum, manuum et labiorum, ex contactu pedum Christi, cujus *odor unguentorum super omnia aromata* (*Cant.* IV, 10)! [e] Nam *et domus impleta est ex odore unguenti*, et mundus fama facti [f]. Quanta tunc fuit in mente Mariæ abundantia charismatum Spiritus sancti, quando ei *desursum datum est a Patre luminum* (*Joan.* XII, 3), tanta perfrui familiaritate Filii Dei! Quam grata fuerit denique Dei omnipotentis Filio Mariæ devotio, quam dulcis amor, quam acceptum obsequium, evangelistæ testantur : qui Judam Scarioth [g] indignatum dicunt, dum sentiret quam dulce spiraverint pedes, et caput Domini Salvatoris balsamo reliquato, et proditoris animo et voce pariter proclamasse : *Utquid perditio hæc? Potuit enim unguentum istud venundari multo, et dari pauperibus* (*Matth.* XXVI, 8). *Et fremebat in* Mariam ut implerctur in eo quod David dicit : *Peccator videbit, et irascetur; dentibus suis fremet et tabescet* (*Psal.* III, 9). Plenus erat *dæmonio meridiano*, simul et *negotio perambulante in tenebris* (*Psal.* XC, 6), qui avaritiæ suæ sentimenta [h] cura pauperum palliabat. Dixerat enim hoc, *non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat et loculos habens* dominicos, *ea quæ* Salvatori *mittebantur*, ministerio *portabat*, fur exportabat [i]. Nec diutius ferre voluit Dominus fremitum proditoris, nec tamen arguit eum avaritiæ, sed dilectricis, etiam pigmentariæ suæ, laudes accumulans, seque nuperrime moriturum insinuans : *Sine illam*, inquit, *ut in diem sepulturæ meæ servet illud*, latenter innuens, se præscire Mariam cum aromatibus nuper venturam ungere corpus suum. Quod quamvis non compleverit in re, complevit in devotione : quod enim vis, et non potes, factum Deus computat. Erant autem omnium in convivio oculi admirantes, et animi intendentes in Mariam : familiaritatem ejus, et carna-

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] Nardus vero est frutex aromaticus, gravi, ut iunt, et crassa radice, sed brevi et nigra, fragilique, quamvis pingui situm redolente aut cypressum, spero sapore, folio parvo densoque, cujus cacumina n arista se spargunt. Ideoque gemina dote pigmenarii nardi spicas ac folia celebrant. Et hoc est quod it Marcus, unguenti *nardi spicati pretiosi*, quia vielicet unguentum illud quod attulit Maria Domino on solum de radice confectum nardi, verum etiam uo pretiosius esset spicarum quoque et foliorum jus adjectione, odoris ac virtutis illius erat accumulata gratia. *Rabani in Matth.* lib. VIII, cap. 26; x *Beda in Marc.* lib. IV, cap. 14.

[b] Ferunt autem de nardo physiologi, quia principalis sit in unguentis, unde merito inunctioni capitis t pedum oblata est. Sunt quidem multa ejus genera, ed omnia herbæ, præter Indicum quod pretiosius st. *Rabani in Matth.*, ex *Beda*.

[c] Debriavit, id est madefecit.

[d] Mystice autem devotio hæc Mariæ Domino miistrantis, fidem ac pietatem designat Ecclesiæ, quæ equitur in amoris Cantico dicens : *Dum esset rex in ccubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Quæ imirum verba et semel juxta litteram manibus Mariæ complevit, et quotidie in omnibus suis membris spiritualiter implere non desinit. *Rabani in Matth.* lib. VIII, cap. 26; ex *Beda in Marc.* l. IV, cap. 14, *et in Joan.*, cap. 12, *Homil.* fer. III Palm. *Nardus* est fides, ut in Cantico : *Nardus nostra dedit odorem suum*, quod fides sanctæ Ecclesiæ in publico se manifestat. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[e] Odor est suavitas sanctitatis, ut in Cantico : *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata*, id est suavitas virtutum tuarum omnia excedit dulcia hujus vitæ. *Ibid.*

[f] *Unguentum* sancta conversatio, ut in Evangelio : *Et domus impleta est ex odore unguenti* : id est Ecclesia est respersa fama conversationis suæ, *ibid.*; *vide Bedam in Joan.*, cap. 12.

[g] *Scarioth.* Sic passim apud Rabanum, vel etiam *Scharioth. Comment. in Matth.* lib. III, cap. 10.

[h] Sentimenta, *gallice*, sentiment; *vel forsan a voce* sentis *seu* fur derivatur.

[i] *Sed quia fur erat*, et *loculos habens, et ea quæ mittebantur portabat.* Portabat, an exportabat? Sed ministerio portabat, furto exportabat. *S. August. in Joan.*, cap. 12, *tract.* L, n° 9.

Digitized by Google

litatem [a] admirantes, odorem nardi haurientes, dilectionem ejus et devotionem approbantes. Quorum quidam persuasi sermonibus Judæ, non tamen eo animo quo ille, sed simplici oculo, propter curam pauperum, *indignati sunt* adversus eam, dicentes (*Matth.* XXVI. 8; *Marc.* XIV, 4; *Joan.* XII, 5): *Quare unguentum hoc non venit trecentis denariis, et datum est egenis* [b]? Quibus illico se Salvator opponens: *Sinite eam*, inquit, *quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me: Semper enim pauperes habebitis vobiscum, et, cum volueritis, potestis illis benefacere, me autem non semper habebitis. Quod habuit hæc, fecit; prævenit ungere* caput *meum in sepulturam: ad sepeliendum me fecit; mittens hoc unguentum in corpus meum*, officium sepulturæ meæ præveniens [c]. *Amen dico vobis: Ubicunque prædicatum fuerit Evangelium hoc, in universo mundo, narrabitur quod hæc fecit* mihi Maria, *in memoriam ejus* (*Marc.* XIV, 6, 7, 8; *Matth.* XXVI, 12).

CAP. XIX. — *Ubi turba Christo occurrit, Christus flevit, esurit, et quare quotidie Bethaniam rediit.*

Cognovit igitur turba multa ex Judæis quod Jesus esset Bethaniæ, *et* curiositate duce, non charitate, *venerunt* [d], *non propter Jesum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit Jesus. Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum* (*Joan.* XII, 9; *Matth.* XXI, 7; *Marc.* II, 7; *Luc.* XIX, 35), quasi non posset suscitare occisum, qui suscitaverat quatriduanum [e]. *In crastinum autem* sedens asello Salvator, cum ramis palmarum, et laudibus populorum, a monte descendens Olivarum, videns civitatem, flevit super illam [f]. Ingressus urbem, templum adiit [g], indeque trapezitas et mercatores ejecit, cæcos et claudos curavit, et cum pontificibus disputavit. Et post tot lacrymas, pro peritura urbe, in signum perituræ animæ, fusas [h], post tot laudes conclamantium: *Hosanna filio David* (*Matth.* XXI, 15); post processionis pompas, sternentium vestes, flores et frondes in via; post tot miracula; post visum ab omnibus fulgorem divinitatis in facie ejus, a cujus timore negotiatores fugerunt [i]; post diuturnam denique disputationem et doctrinam non invenit *ubi caput reclinaret* (*Luc.* IX, 58), in tot populis, qui ad diem festum convenerant. Et, *circumspectis omnibus*, si quis eum ad hospitium invitaret, *cum jam vespera esset* [i] (*Marc.* I, 11), tantæ paupertatis erat, et ita nulli unquam ullatenus voluit adulari, ut in tanta urbe nullum hospitium, nullam habuit mansionem, *exiit* in monte Oliveti, cum *duodecim* apostolis: ut quod Jerosolymis non habebat, haberet *in Bethania*, apud beatum Lazarum et sorores ejus hospitium [k]. *Et alia die exiens, esuriit* (*Matth.* XXI, 17), quia sic voluit; et videns secus viam ficulneam, venit quærens si quid fructus *inveniret in ea*. Et nihil inveniens, nisi folia, maledixit ei: *Nunquam*, inquiens, *nascatur ex te fructus in sempiternum* (*Marc.* XI, 19). [l] Et erat tota die docens in templo. Redeunte

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] Carnalitatem, *hic carnalitas spiritualitati opponitur, ad designandam teneritudinem amoris.*

[b] *Videntes autem discipuli indignati sunt dicentes: ut quid perditio hæc? potuit enim venundari multo, et dari pauperibus.* Matthæus hæc quomodo et Marcus; synecdochikῶς loquitur, pluralem videlicet numerum pro singulari ponens, nam Joannes distinctius loquens, Judam hæc locutum esse testatur, et hoc gratia cupiditatis, eo quod fur fuisset, et loculos habens, ea quæ mittebantur portaret.

Potest etiam intelligi quod et alii discipuli aut senserint hoc, aut dixerint, aut eis Juda dicente persuasum sit, atque omnium voluntatem Matthæus et Marcus etiam verbis expresserint. Sed Judas propterea dixerit quia fur erat, cæteri vero propter pauperum curam, Joannem autem de solo illo id commemorare voluisse, cujus ex hac occasione furandi consuetudinem credidit intimandam. *Rabani in Matth.*, lib. VIII, cap. 26, apud *Bedam in Marc.* lib. IV, cap. 14. *Ubi in editis perperam legitur* lætari vero *pro* cæteri vero. *Homil. fer.* III *Palm. Demum ex S. August., de Consens. Evang.*, lib. II, n° 156.

[c] *Quod habuit hæc, fecit, prævenit ungere corpus meum*, jam defuncti tangere non potuit. solum quod potuit fecit. Prævenit vivum adhuc funerandi officio donare. *Beda in Joan.*, cap. 12.

[d] Curiositas hos, non charitas adduxit ad Jesum. *Alcuin.* ex *S. August., ibid., tract.* L, n° 14.

[e] O stulta cogitatio, o cæca sævitia! Dominus Christus qui suscitare potuit mortuum, non posset occisum? *S. August., ibid.*, n° 14.

[f] Notandum vero quod hic introitus ejus in Jerusalem ante quinque dies Paschæ, in quo mysterium sacrosanctæ passionis suæ implere decreverat, factus est: narrat enim Joannes quod ante sex dies Paschæ venerit Bethaniam ubi cœna ei facta... Atque in crastinum asino sedens, obviante cum palmis plurima turba venerit Jerosolyma. *Rabani in Matth.*, *lib.* VI, cap. 21.

[g] Ingressus civitatem, primo templum adiit, *Rabani in Matth.*, lib. VI, cap. 21.

[h] *Videns civitatem flevit super illam.* Hoc semel egit, cum perituram civitatem esse nuntiavit; hoc quotidie Redemptor noster per electos suos agere nullatenus cessat, cum quosdam ex bona vita ad mores reprobos pervenisse considerat. *Rabani Homil. Dom.* XI *post Pent.*, ex *Beda in Lucam*, l. V, c. 19.

[i] Plerique arbitrantur maximum esse signorum, quod Lazarus suscitatus est... Mihi hoc videtur esse mirabilius quod... potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensasque subvertere, et cathedras confringere, et alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum enim quiddam atque siderenm radiabat in oculis ejus, et divinitatis majestas lucebat in facie. *Rabani in Matth.*, ex *S. Hieronymo Comment.*, lib. III, *in Matth.*, cap. 21.

[i] *Circumspectis omnibus exivit in Bethaniam.* Inspicit quippe internus arbiter omnium corda, et cum non invenit ubi caput reclinet, secedit ad fideles, et in eis qui obediunt verbo, mansionem sibi una cum Patre facere gaudet. Bethania namque domus obedientiæ dicitur. *Raban. Homil. fer.* VI *hebdomad.* IV *post Pent.* Ex *Beda in Marc.*, lib. III, cap. 11.

[k] Hoc quoque intelligendum est, quod tantæ fuerit paupertatis, et ita nulli sit adulatus, ut in urbe maxima nullum hospitem nullamque invenerit mansionem, sed in agro parvulo apud Lazarum sororesque ejus habitaret. Eorum quippe vicus Bethania est. *Raban. in Matth., ibid.*, ; ex *S. Hieronymo Comment.*, lib. III, *in Matth.*, cap. 21.

[l] Cum in civitatem reverteretur esuriit, vel veritatem humanæ carnis ostendens, vel esuriens sala-

Digitized by Google

vespera, rediit Bethaniam, ad Martham et Mariam. Denuo mane, tertia feria, urbem repetiit, et cum eo apostoli; videruntque, et ecce ficus, cui maledixerat, aruit. Docuitque Salvator apostolos hoc exemplo orandi, et fiduciam impetrandi quidquid fiducialiter petierint, etiamsi montes transferri velint [a]. Et facto vespere relicta urbe repedavit ad familiare hospitium. Quarta vero feria, diluculo templum repetens, multa de fine sæculi suis locutus est apostolis, dum interim Judas Scarioth spopondit pontificibus, ut proderet illis Jesum [b]. Interea Dominus Jesus *consummavit* illius diei *sermones*, sic *dicens discipulis suis : Scitis quia post biduum* hoc, quod est hodie et cras, *pascha fiet* agni typici, *et* statim verus Agnus *Filius hominis tradetur ut* tertia die *crucifigatur* (*Marc.* XIII; *Matth.* XXIV; *Joan.* XIV, 10; *Matth.* XXVI, 1, 2). Dixit; vesperaque redeunte, reliquit templum, rediitque Bethaniam, ultimum cum suis ministris et amicis Lazaro, Maria et Martha habiturus hospitium [c], more *hinnuli cervorum* (*Cant.* II, 9), qui quocunque per diem decesserit vespera redeunte pristinum redit ad lectulum [d]. Sic Salvator, et passurus et ascensurus, in Bethaniam domum rediit obedientiæ, insinuans quod a suis amicis super omnia obedientiam quærit [e].

CAP. XX. — *Ubi Christus, postquam cœnavit, proditus vinctusque abducitur : apostoli fugiunt : Petrus negat, Maria Christo adhæret.*

Prima autem die azymorum (*Matth.* XXVI, 17) quinta [*id est*, quinta feria] charissimis hospitibus suis, Lazaro, Mariæ et Marthæ ultimum valedicens: vespere facto, cœnam fecit Jerosolymis, cum suis duodecim discipulis. Cœna illa celebris, cœna beata fuit, in qua suis apostolis pedes lavit, ex pane et vino corpus suum et sanguinem fecit. Secuta est incontinenti [*id est*, quam cito; *gallice*, incontinent], Salvatoris proditio et passio. Prodiit cum per osculum, unus ex suis apostolis, in horto trans torrentem Cedron, cohorti et ministris pontificum, quos conduxerat, cum laternis et facibus et armis. Cumque vinctus abduceretur, *discipuli* ejus, *relicto eo, omnes fugerunt* (*Matth.* XXVI, 56). Mariæ vero Magdalenæ devotio non defecit. *Tunc pelli* suæ *consumptis carnibus adhæsit os* Salvatoris (*Job* XIX, 20), quia Juda prodente, Petro negante, et fugientibus decem apostolis : Mariam Magdalenam, juxta se, semper invenit fortitudo Redemptoris. Quis exprimat dolorem cordis ejus, et mentis amaritudinem? æstuabant præcordia ejus, dum cerneret dilectum suum, osculo tradi, catenis vinciri, et ad pontificis Annæ palatium abduci. Ibidemque accusari, interrogari, judicari, reum mortis conclamari, conspui, exalapari [*id est*, alapis cædi], oculos velari, colaphizari et blasphemari. Quis memoret lamenta Mariæ, et lacrymas quibus prosecuta est dilectum suum a domo pontificis ad præsidis Pontii prætorium, ac deinde a prætorio præsidis ad palatium Herodis regis? Quis singultus Mariæ, et varios ejulatus explicet, quibus debriata est, dum apud Herodem a pontificibus accusaretur, a rege interrogaretur, a militibus sperneretur, ab exercitu illuderetur, et indutus veste alba, ad præsidis audientiam remitteretur? Quis sine lacrymis, lacrymas Mariæ recolat, quas fudit uberrime, dum videret eum tribunalibus astare, accusatum tacere, pontifices constanter accusare, præsidem diutius excusare, et pro ejus liberatione laborare, innocentem eum omnimodis comprobare plurimis precibus postulare : ut saltem, pro reverentia diei paschalis, liceat eum abire [f], pontifices vero contradicere, pro latrone

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

tem credentium. Cumque vidisset arborem unam, quam intelligimus synagogam..... venit ad eam..... nihilque invenit in illa, nisi folia tantum, promissionum strepitum, traditiones pharisaicas, jactationem legis, et ait illi : *Nunquam ex te fructus nascatur* vel *in sempiternum*, vel *in sæculum*. *Raban. in Matth.*, ex *S. Hieronymo*. Quomodo Dominus multa in parabolis dicere, ita etiam nonnulla in parabolis facere solebat... arefacta est ficus radicitus ut intimaretur nefanda plebs non solum humana gloria forinsecus, verum etiam divino intus favore funditus esse destituenda. *Rabani Homil. fer.* VI *hebd.* IV *post Pent.*; *Beda in Marc.*, *ibid.*

[a] Solent gentiles, qui contra Ecclesiam maledicta scripsere (*Julianus Augustus*, *Porphyrius*), improperare nostris, quod non habuerint plenam fidem Dei, quia nunquam montes transferre potuerint; quibus respondendum... et hoc quoque fieri potuisse, ut mons ablatus de terra mitteretur in mare, si necessitas id fieri poposcisset. Quomodo legimus factum precibus beati patris Gregorii, Neocæsariæ Ponti antistitis, viri, meritis et virtutibus eximii, ut mons in terra tantum loco cederet, quantum incolæ civitatis opus habebant. *Rabani in Matth.*, *ibid. S. Hieronym. in Matth.*

[b] *Et factum est cum consummasset Jesus sermones hos omnes.* Scilicet quos de consummatione mundi, vel de discretione judicii proferebat... prædicando compleverat. *Nunc dixit discipulis suis : Scitis quia post biduum pascha fiet*... Ex illo ergo die quo venit Bethaniam, atque illud de unguento factum est, usque ad diem quo ista omnia gesta atque dicta sunt, intelligimus... consumptum fuisse quatriduum. *Rabani*, *ibid.*, lib. VIII, cap. 26.

[c] *Et circumspectis omnibus cum jam vespera esset, hora exivit in Bethaniam cum duodecim.* Non hoc semel fecit, sed per omnes quinque dies ex quo Jerosolymam ascenderat usque ad tempus passionis, hoc ipsum semper agere solebat ut per diem in templo doceret, noctibus vero exiens moraretur in monte Oliveti, sicut in Luca legimus. *Raban. Homil. fer.* VI *hebdom.* IV *post Pent.*

[d] *Hinnulus cervorum* Christus, ut infra, ex *allegoriis Rabani.*

[e] Reliquit incredulos, et urbe egressus contradicentium ivit in Bethaniam, quod interpretatur *domus obedientiæ*, jam tunc vocationem gentium præfigurans, ibique mansit, quia in Israel permanere non potuit. *Rabani in Matth.*, ex *S. Hieronym. ibid. Similia apud Alcuinum.* Ex *Beda Hebraicorum nom. interpretat.*

[f] Pilatus multas liberandi Salvatorem occasiones dedit. Primum latronem justo conferens, deinde inferens : *Quid igitur faciam de Jesu*... Ipse quoque respondens : *Quid enim mali fecit?* Hoc dicendo Pilatus absolvit Jesum... Pilatus accepit aquam... quodammodo contestans et dicens : Ego quidem innocentem vi lui liberare... non damnat oblatum sed

Digitized by Google

Barabba preces porrigere, de Jesu conclamare: Crucifige, crucifige? Tunc dolor Mariæ renovatus est, cum videret Dominum suum exui, ad columnam religari, et flagris toto corpore laniari : quod etiam columna ipsa testatur, ad quam ligatus est Dominus, quæ usque hodie cernentibus dominici sanguinis certa signa demonstrat. Tunc mœstitia Mariæ, et mentis amaritudo incanduit, cum Pilatus adjudicavit petitionem fieri pontificum, et milites totam cohortem convocaverunt, Christum purpuratum, spinis coronatum, arundinem pro sceptro manu tenentem, ironice adoraverunt, irrisione salutaverunt [a], aceto et felle potaverunt; caput ejus arundine percusserunt, in faciem ejus exspuerunt ac demum chlamydem ei coccineam abstulerunt, et propriis indutum vestibus induxerunt. *Et bajulans sibi crucem, exivit* urbem spinis coronatus. *Sequebatur eum* regina cœli ejusque sorores, et *Maria Magdalena*, cæteræque matronæ, *quæ plangebant et lamentabantur eum, quæque* non solum de *Galilæa*, sed de Judæa et de Jerosolymo *secutæ fuerant eum. Conversus* autem *Jesus ad* amantes se feminas oculos et ora reflexit, et ait: *Filiæ Jerosolymi, nolite flere super me, sed super vosmetipsas flete, et super filios vestros; quia si me viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet* (*Joan.* XIX, 17; *Luc.* XXIII, 27; *Marc.* XV, 40; *Matth.* XXVII, 55; *Luc.* XXIII, 28) [b]?

CAP. XXI. — *Ubi Christus crucifigitur, Maria astante; deponitur et involvitur, Maria præsente.*

Fortis ut mors dilectio (*Cant.* VIII, 6) : cernitur Domini passio, nec cessat Mariæ devotio; ducitur Christus ad crucifigendum. Maria sequitur; et ploratibus probat affectum. Christus in cruce levatur; Maria ejulat, et cruciatur. Christus in cruce clavis configitur; Mariæ anima mœroris aculeis perforatur : Christus a pontificibus illuditur, a militibus irridetur, a latronibus convicia patitur [c], a prætereuntibus capita moventibus, et vah conclamantibus blasphematur [d]; dum ipse interim Patrem pro suis crucifigentibus deprecatur (*Matth.* XXVII, 40). Quanta inter hæc omnia, fuit in mente Mariæ tristitia, qui singultus, quot suspiria, dum dilecti dilectoris sui, inter latrones pendentis, dolores cerneret! Sed tamen cernere sustinuit tam dilecti, tam duros, tam diuturnos, Domini, cruciatus. Quanta amaritudine et anxietate debriata est cum audiret Messiam de cruce clamantem : Sitio; cum videret spongiam, absinthio aceto, et myrrha, et felle intinctam, arundini imponi, spongiæ hyssopi calamum imprimi, spongiam arundine ori ejus apponi, hyssopi calamum labiis ejus applicari, et cum gustasset bibere nollet [e]! Tunc demum mœror Mariæ recendit [f] cum audiret Dei Filium de cruce valedicere Matri suæ; curam matris sancto Joanni committere, qui tunc erat annorum viginti trium; Eloi congeminare; consummatum est exclamare; in manus Patris animam commendare; clamore tandem valido, quando voluit, exspirare. Et post solis deliquium, post trium horarum tenebras, post diruptum templi velum, post terræmotum, post petras scissas, post aperta monumenta, post centurionis et totius multitudinis abscessum; cum videret missos milites, adhuc viventium latronum crura frangere : quis negat Mariam, Domini sui cruri fragio, vehementissime tunuisse? Cujus e vestigio immensum crevit mœstitia, cum unus ex militibus latus Salvatoris perforavit lancea, et continuo, de frigidi pectoris penetralibus, fluxit sanguis et aqua. O quam gratus fuit Mariæ adventus nobilis viri Joseph [g] ab Arimathia, et Nicodemi principis, cum centum libris myrrhæ

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

arguit offerentes, justum esse pronuntians qui crucifigendus est. *Rabani in Matth.*, lib. VIII, cap. 27.

[a] Milites quidem illudentes hoc faciunt, ut nudatum pristinis vestibus, induant chlamydem coccineam pro purpura, qua reges veteres utebantur, et pro diademate ponant ei coronam spineam, pro sceptro regali dent calamum, et adorent quasi regem. *Rabani in Matth.*, lib. VIII, cap. 27.

[b] Viride lignum, seipsum suosque electos : aridum vero, impios et peccatores significat. *Beda in Lucam*, lib. IV, cap. 23.

[c] *Idipsum autem et latrones et qui crucifixi erant cum eo improperabant ei.* Quomodo... improperabant ei, quandoquidem unus eorum... in Deum credidit, nisi intelligamus Matthæum et Marcum... pluralem numerum pro singulari posuisse; sicut in epistola ad Hebræos legimus pluraliter dictum : *clauserunt ora leonum*, cum solus David significari intelligatur et pluraliter dictum : *secti sunt*, cum de solo Isaia tradatur. Quid autem usitatius (verbi gratia) quam ut dicat aliquis, et rustici mihi insultant, etiam si unus insultet.

Potest et in duobus latronibus uterque populus et gentium et Judæorum significari. Quia primum quidem uterque populus Dominum blasphemavit, quando pariter Judæi et gentes in mortem Domini consenserunt. Postea vero signorum magnitudine alter exterius agit pœnitentiam, et usque hodie Judæos increpat blasphemantes. *Rabani in Matth.*, lib. VIII, *ibid.*

[d] *Vah* est exprobratio malorum, ut in Evangelio, *vah qui destruis templum Dei*, id est, exprobantium est ei qui de se talia jactat. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[e] Rabanus duo facta conglobat, non servato temporum ordine. Jam dixerat cap. 20, *milites irrisione salutaverunt, aceto et felle potaverunt, caput ejus arundine percusserunt;* licet Christus aceto non fecerit potatus in prætorio. Hic similiter præermisso temporum ordine, jungit posteriori Christi potationi, circumstantias prioris a Matthæo et Marco descriptas : *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, et cum gustasset noluit bibere.* « Quod autem dicitur : *cum gustasset noluit bibere*, hoc indicat, quod gustaverit quidem pro nobis mortis amaritudinem, sed tertia die resurrexit. Sed et hoc quod Marcus ait *myrrhatum vinum*, intelligendum est Matthæum dixisse *cum* felle mixtum. Fel quippe pro amaritudine posuit, et myrrhatum enim vinum amarissimum est. Quanquam fieri possit ut et felle et myrrha vinum amarissimum redderent. » *Rabani in Matth.*, lib. VIII, cap. 27.

[f] *Recendit*, quæ vox in veteribus instrumentis non reperitur. Forte derivata est a *recentia*, quæ *initium* sonat, unde *recendere*, idem esset ac *incipere;* modo tamen mendosa non sit lectio.

[g] Joseph *dives* refertur non de jactantia evangelistæ qui virum nobilem referat Jesu fuisse discipu-

Digitized by Google

et aloes [a], ad exsequias Domini præparantis [*Forte*, præparatis]! Quam libenter intuita est clavos extrahi de manibus, et pedibus Salvatoris; corpus deponi, et condiri; linteis corpus, caput sudario involvi! Gesta sunt hæc omnia, Maria astante, Maria intuente, Maria miserabiliter et inconsolabiliter lamentante.

Cap. XXII. — *Ubi Christus sepultus sit, et quando Maria emit aromata*

Hortulus quidam erat in phastio [b] civitatis, juxta locum ubi crucifixus est Jesus. In hoc horto, Joseph nobilis decurio, sibimet monumentum exciderat, rotundum, de subjacente rupe, rubicundi coloris et albi; tantæ altitudinis, ut super pavimentum, intro, consistens homo, manu extenta, vix culmen possit attingere (*Joan.* XIX, 1; *Matth.* XXVII, 60). Ab oriente erat introitus et ostium monumenti; ab aquilone mausoleum, super pavimentum monumenti, excisum de ipso pavimento, longitudinis septem pedum, non superius patulum, sed solidum; ab australi vero parte latus apertum per totum [c]. Conditum quoque corpus Salvatoris et involutum, intulerunt ab oriente in monumentum, ab australi vero parte in mausoleum; ubi supinum collatum [*Forte*, collocatum] caput ad occasum habuit, sinistrum latus ad aquilonis solidum, dexterum ad meridiei patulum [d]. Quibus gestis, sub omni celeritate, ne prima eos sabbati vespera occuparet, exierunt de monumento cum multis lacrymis, et magno cordis dolore. Et viri quidem, qui aderant, advolverunt *saxum magnum ad ostium monumenti* [e]: moxque ad propria recesserunt. *Maria vero Magdalene*, cum sociis suis, *sedentes contra sepulcrum* lamentabantur flentes Dominum. Inspecto denique diligentius situ monumenti, quod frequenter visere cogitabant, forum civitatis, et pigmentarios adierunt, aromata pretiosissima et balsama coemerunt, et quæ apud se, usque in secundam sabbati vesperam reposuerunt. Nam quamvis inconsolabiliter lugerent, et validissimo ejulatu lamenta congeminarent, non tamen oblitterare potuit magnitudo mœstitiæ, memoriam religionis amicæ. *Dies* enim *parasceve erat, et sabbatum illucescebat* (*Luc.* XXIII, 54); persuaseruntque pontifices præsidi Pilato, ut custodes adhiberet sepulcro: alioquin *novissimus error pejor* fieret *priore*. Quibus ille: Vester sit error prior et posterior; sufficiat vobis quod in ejus nece consensi vobis; vos *custodium habetis*, adhibete si vultis [f]. Judæi igitur *abeuntes, munierunt sepulcrum, signantes lapidem, cum custodibus* (*Matth.* XXVII, 64, 65, 66).

Cap. XXIII. — *Quando sabbatizaverit Christus, qualiter Maria, et de præparatione aromatum, et narratione temporum.*

Erat autem magnus dies ille sabbati (*Joan.* XIX, 51) quo, post tot, et tanta tormenta, *caro* Christi *requievit, in spe* resurrectionis (*Psal.* XV, 10), absque labe omnis corruptionis [g]. Sabbatizavit igitur Maria Magdalena, ex more, *sabbato, siluitque* sine silentio (*Luc.* XXIII, 56): singultus enim præcordiorum, et fletus oculorum non congruunt sabbatismo. At, ubi desiderata advenit vespera sabbati, astantibus Joanna et Susanna, sociisque Mariis, aromata electa et præelecta conterere, et balsamum cœpit miscere speciebus opimis *universi pulveris pigmentarii* (*Cant.*

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

lum: sed ut ostenderet causam quare a Pilato corpus Jesu potuerit impetrare. Pauperes enim et ignoti non poterant ad Pilatum præsidem Romanæ potestatis accedere, et crucifixi corpus impetrare. *Rabani in Matth.*, lib. VIII, cap. 27, ex *Beda in Evangel.*

[a] Myrrha arbor Arabiæ, altitudinis ad quinque cubitorum similis spinæ... Aloe in India atque Arabia gignitur, arbor odoris suavissimi ac summi... In Evangelio de sepultura Domini ita legitur: *Venit ergo Joseph, et tulit corpus Jesu. Venit autem et Nicodemus... ferens mixturam myrrhæ et aloes, quasi libras centum. Rabani de Universo*, lib. XIX, cap. 7.

[b] Phastio forte *pascio*, eodem significatu atque paschum, id est pascuum, pratum. *Cangii Glossarii supplement.*

[c] De monumento Domini ferunt, qui nostra ætate Jerosolymis fuere, quod domus fuerit rotunda, de subjacente rupe excisa, tantæ altitudinis, ut intus consistens homo, vix manu extenta culmen possit attingere, quæ habet introitum ab oriente, cui lapis ille magnus advolutus, atque impositus est. In cujus monumenti parte aquilonali sepulcrum ipsum, hoc est locus Dominici corporis de eadem petra factus est: septem habens pedes longitudinis, trium vero palmarum mensura cætero pavimento altius eminens. Qui videlicet locus non desuper, sed a latere meridiano per totum patulus, unde corpus inferebatur: color autem ejusdem monumenti ac loculi rubicundo et albo dicitur esse permixtus. *Rabani in Matth.* lib. VIII, cap. 27. *Desumpta hæc descriptio est ex Beda in Matth.* lib. IV, cap. 28; *in Marc.* lib. IV, cap. 15. *Vide etiam apud eumdem. De Locis sanctis*, cap. 2.

[d] Corpus, quod supinum jacens, caput habebat ad occasum, dexteram necesse est haberet ad austrum. *Beda in Marc.*, lib. IV, cap. 16, *et Homil. in die Paschæ.*

[e] *Joseph... advolvit saxum magnum ad ostium monumenti et abiit.* Saxum magnum, quod non absque auxilio plurimorum potuisset sepulcrum reserari. *Beda ibid.*

[f] Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Ac si dixisset: sufficiat jam quod vobis per vim consentiens in nece innocentis confeci, vobiscum permaneat error. *Rabani in Matth.*, cod. ms. *Bibl. regiæ* 2439.

[g] Sabbatum... in eo die requievit Dominus in sepulcro, ut quietis illius mysterium confirmaret. *Rabani de Universo*, lib. IX, cap. 16. Quia ergo sexta die homo factus et tota est mundi creatura perfecta, septima autem conditor ab opere suo requievit, recte Salvator eadem sexta die crucifixus, humanæ restaurationis implevit arcanum. Ideoque cum accepisset acetum dixit, *consummatum est*, hoc est sextæ diei, quod pro mundi refectione suscepi, jam totum est opus expletum. Sabbato autem in sepulcro requiescens, resurrectionis quæ octava die ventura erat, exspectabat eventum. *Rabani in Matth.*, lib. VIII, cap. 27. Vide *Bedam in Matth.*. lib. IV, cap. 28 et alibi.

Sabbati Paschalis veneratio hinc celebratur, pro eo quod eadem die Dominus in sepulcro quievit. *Rabani de Institutione clericorum*, lib. II, cap. 38.

Digitized by Google

III, 6). Cernere erat in mulière mares animos, dum opere compleret quod rex Salomon in ejus persona cecinerat. *Manus meæ distillaverunt myrrham, digiti mei pleni sunt probatissima myrrha et aloe, et universis primis unguentis* (*Cant.* v, 5; IV, 13). Erumpebant jugiter lacrymæ inter miscendum, de *pinguedine* cordis, ex recordatione dilecti dilectoris, et incalescente pectore ad ignem amoris, reliquatus ab intus *adeps* pietatis emanabat per oculos. Videres, oculorum rore, spicas humectas, gradatim excussas, singultibus, lacrymas aromatibus immixtas, manus ejus madidas pupillarum pluviis, guttas ex palpebris ejus profluentes, omni gutta et casia chariores, et Deo certe gratiores. Sane adeo celebrem, ita claram, tamque fulgidam, fecit noctem dominicæ resurrectionis, operibus suæ devotionis, præclara pigmentaria Salvatoris, cum sociis suis, ut, ex tunc, ordinem temporum narrari voluerit Deus, creator temporum, noctique diem succedere [a].

CAP. XXIV. — *Ubi Christus resurgit, angelus descendit, Mariæ occurrerunt ad monumentum.*

Et post sabbata tristia, felix dies illuxit; solque ab inferioribus, rectum tramitem orientis ascendens, et cœlum irradians, roseam præmisit auroram; dum interim verus *sol justitiæ, Christus, ab inferis victor ascendit* (*Malach.* IV, 2), et hora qua voluit, a mortuis immortalis resurrexit [b]. In illa hora, *terræ motus factus est magnus, et multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt* (*Matth.* XXVIII, 2; *Matth.* XXVII, 52). Interea Maria Magdalena, balsamita nobilis, præparatis ante diluculum confectionibus, primis et præcipuis liquoribus pisticis, sua alabastra replevit, tam pretiosis ut pretium mundi digne condirent, tam copiosis ut condiendo corpori abunde sufficerent. Et valde diluculo, non- A dum sublatis tenebris onustas habens ulnas aromatibus, ad sepulcrum Salvatoris, celerrime properavit, cui omnis celeritas tarda videbatur. Fervor enim dilectionis ægre tulerat moras noctis. Sequebantur autem Salvatoris primiceriam Magdalenam aliæ Mariæ, Cleophe videlicet, et Salome, et Joanna, et Susanna, et cæteræ quæ cum eis erant, portantes singulæ quæ paraverunt aromata. Diversa quidem tempora visitationis describunt etiam evangelistæ, non mendaciter, nec perfunctorie; sed ex industria, pro sedulæ visitationis indicio dum crebro currunt et recurrunt, abeunt et redeunt, nec patiuntur a sepulcro Salvatoris diutius vel longius abesse [c]. Ne igitur, vel in modico, me a sensu evangelistarum temere, quod absit, aberrare contingat, præmissis B singulorum nominibus, ipsa verba singulorum scribere curavi [d]; satius id fieri arbitratus, propter quosdam qui commentarios scribunt, qui visiones angelorum sic conglomerant, sic confundunt, quas singulæ evangelistæ diverse referunt: ut visionem angelorum non quater, non ter, sed bis habuisse Marias vix consentiant; tanquam Deo esset impossibile, vel tantæ solemnitati incongruum, saltem sex angelos, resurgenti Christo astitisse, vel mulieribus apparuisse: unum foris sedentem secundum Matthæum; alterum intus sedentem secundum Marcum; duos sedentes, soli Magdalenæ visos, secundum Joannem [e]. Matthæus (*Matth.* XXVIII, 1): *Vespere autem sabbati, quæ* pro gloria resurrectionis *lucescit in prima sabbati*, serie temporum C permutata, *venit Maria Magdalena, et altera Maria*, videre *sepulcrum*. Marcus (*Marc.* XVI, 1): *Et valde mane, una sabbatorum Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Salome venerunt ad monumentum, orto jam sole* justitiæ, Christo, post occasum corporis [f]. *Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis*

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ

[a] Quærendum est nobis cur noctem Dominicæ resurrectionis Evangelista describens ait: *Vespere autem sabbati quæ lucescit in prima sabbati*, cum consuetus ordo temporum habeat vesperam magis tenebrescere in noctem quam in diem lucescere: sed mystice loquens Evangelista, quantum dignitatis hæc sacratissima nox de gloria evictæ mortis acceperit, insinuare studuit: dum ejus exordium quo devotæ Christo feminæ in obsequium illius vigilare cœperint insequentem jam diem lucescere perhibuit. Nam Dominus auctor et ordinator temporum, qui in ultima noctis hujus parte surrexit, totam eam nimirum resurrectionis lucem festivam reddidit et coruscam. Siquidem ab exordio mundanæ creationis usque huc, ita temporum cursus distinguebatur ut dies noctem præcederet juxta ordinem videlicet primæ conditionis. Hac autem nocte per mysterium resurrectionis Domini temporum ordo mutatus est. Nam quia nocte resurrexit a mortuis, die vero sequente ejusdem resurrectionis effectum discipulis ostendit..... rectissime nox illa sequentis diei conjuncta est luci, ac sic temporum ordo statutus ut dies noctem sequatur. Et quidem aptissime quondam diem sequebatur nox, quia homo a luce paradisi peccatoo lapsus, in hujus sæculi tenebras ærumnasque decidit. Aptissime autem nunc dies sequitur noctem quando per fidem resurrectionis a peccati tenebris et umbra mortis ad lucem vitæ Christo largiente reducimur. *Rabani in Matth. cod. Bibl. Regiæ*, 2439; *Homil. in vigil. Paschæ*; ex *Beda in Matth.*, lib. IV, cap. 28; *Homil. in vigiliis Paschæ.* D

[b] Dominus noster suam de sepulcro carnem resuscitare quando voluit, et quomodo voluit potuit. *Rabani Homil. fer.* III *Paschæ.*

[c] Quod diversa tempora istarum mulierum in Evangeliis describuntur, non mendacii signum est (ut impii objiciunt), sed sedulæ visitationis officium: dum crebro abeunt et recurrunt, et non patiuntur a sepulcro Domini diu abesse vel longius. *S. Hier.*, l. III, *in Matth.* c. 38.

[d] Legentes obtestor, ut si qui forte nostra hæc, qualiacunque sint opuscula, transcriptione digna duxerint, memorata quoque nominum signa, ut in nostro exemplari reperiunt affigere meminerint. *Rabani in Matth. præfat.*

[e] Hic forte desunt verba hæc, vel his similia: *Et duos intus Mariæ Magdalenæ et cæteris mulieribus visos, secundum Lucam.*

[f] Solis occubitus passionem et mortem Christi significat, qui dixit: quandiu in mundo sum, lux sum mundi. *Rabani Comment. in Matth.*, lib. III, cap. 8.

Digitized by Google

lapidem ab ostio monumenti? Erat quippe magnus valde. Et cum appropinquarent monumento, *respicientes viderunt revolutum lapidem* (*Matth.* XXVIII, 2, 3, 4), ut Salvatorem jam egressum esse ostenderet, clauso ostio monumenti, integro sigillo pontificis; qui mundum ingressus est, clauso utero virginis, signaculo pudoris [a]. Hujus rei gratia *revolvit lapidem et sedebat super eum. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. Erat enim aspectus ejus sicut fulgur* terribilis, *vestimenta* autem *candida sicut nix.*

CAP. XXV. — *Ubi Maria Petrum et Joannem adduxit; et angelus foris, angelus intus alloquitur.*

Joannes: *Maria Magdalena veniens mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, vidit lapidem sublatum a monumento* (*Joan.* XX, 1). Et verita corpus ejus sublatum esse, velut, ipsis tam chari capitis, indicata, reliquis, mente consternatur, æstuat, anxiatur. *Recurrensque* cito, *venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum quem diligebat Jesus* [b]: ut, aut secum quærerent, aut secum dolerent. *Et ait: Tulerunt* Dominum meum *de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum* [c]. Hic, ubi dicit: *Tulerunt Dominum de monumento;* in græcis codicibus additur: *Meum*, propensiori charitatis vel famulatus affectu [d]. *Exiit ergo Simon Petrus, et ille alius discipulus;* et abierunt videre quod audierant. Currunt discipuli, Maria sequitur. Uterque discipulus *ingreditur monumentum*, cernunt *linteamina*, cernunt *sudarium, separatim involutum;* et viderunt vacuum sepulcrum, et crediderunt sublatum Dominum, ut Maria dixerat. *Redierunt ergo discipuli* in sua, unde cucurrerant [e]. *Maria autem*, illis abeuntibus, in eodem loco fortiores fixit affectus [f]; *stabatque foris ad monumentum*, tabescens lacrymis, anxia desiderio. Turbata, mente et oculis, dolore et lacrymis, Christum quærendo flebat; et flendo quærebat, cujus desiderio anhelabat. Quærebat sedulo, quærebat ubique circumspiciens, et interrogans; et non inveniens, in proprios se oculos, lacrymis vindicabat, qui desiderium animæ suæ quærebant, nec inveniebant. Videbant nec agnoscebant. Sed hoc postmodum adierunt et reliquæ religiosæ matronæ, mente consternatæ, et lacrymis vacantes. Nec diutius tulit angelus, qui super lapidem quem ab ostio monumenti revolverat, foris, sub clivo, a dextris ingredientium, sedebat; sed mœroris earum misertus, diligentius eas consolari, et ne paveant exhortari, familiariter cœpit affari [g]. Matthæus (*Matth.* XXVIII, 5): *Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere; scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis. Non est hic: surrexit enim, sicut dixit;* Impossibile enim est, non fieri quod dixit. Et jussit eas intrare in monumentum, et inde in loco *ubi positus erat* Dominus: et si meis verbis non creditis, oculis vestris credite [h]. Marcus (*Marc.* XVI, 5): *Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris*, ad meridianam partem loci illius, ubi positum fuerat corpus Jesu [i], *coopertum stola candida, et obstupuerunt: qui ait illis: Nolite expavescere;* neque enim pavere debetis: concives vestri sunt quos videtis [j]. Vos cælibes, nos cœlico-

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] Angelus revolvit autem lapidem, non ut egressuro Domino januam pandat, sed egressus ejus jam facti hominibus præstet indicium. Qui enim mortalis adhuc clauso virginis utero potuit nascendo mundum ingredi, ipse absque ulla dubietate jam factus immortalis clauso licet sepulcro potuit resurgendo exire de mundo. *Rabani in Matth. cod. Reg. Bibl.* 2439; *Rabani Homil. in vigil. Paschæ;* ex *Beda.* — Vide *Bedam.*

[b] Venit autem, sicut Joannes dicit, Maria Magdalena sine dubio cæteris mulieribus quæ Domino ministraverant pluri num devotione ferventior, ut non immerito Joannes solam commemoret, tacitis eis quæ cum illa fuerunt, sicut alii testantur. Venit ergo, et ut vidit lapidem sublatum a monumento antequam aliquid diligentius inspiceret, non dubitans sublatum esse inde corpus Jesu, cucurrit, sicut idem dicit Joannes, et nuntiavit Petro atque ipsi Joanni. *Rabani in Matth. cod. Bibl. Reg.*

[c] Cucurrit ergo et venit ad Simonem Petrum et ad alium discipulum quem amabat Jesus et dicit eis: Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. Amore nimio turbata, dum quem quæsivit non invenit cucurrit, discipulis nuntiare, ut, aut secum quærerent, aut secum dolerent ablatum. Dominum *Raban. Homil. Sabbati in octav. Paschæ.* Similia apud *Alcuinum*, ex S. *August.*

[d] Nonnulli codices etiam Græci habent: *Tulerunt Dominum meum*, quod videri dictum potest propensiore charitatis vel famulatus affectu: sed hoc in pluribus codicibus, quos in promptu habuimus, non invenimus. *S. August. in Joan.* cap. 20, *tract.* CCX, n° 6. *Etsi ex Augustino hæc desumere videatur Rabanus, attamen non semel in suis scriptis similes adnotationes apponit, ut pote litterarum græcarum gnarus.*

[e] *Jam enim tempus resolutionis*, vel ut in græcis codicibus legimus *reversionis instat.* [f] *Rabani in Numer.*, lib. IV, cap. 1.

[e] Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos, id est, ubi habitabant, et unde ad monumentum cucurrerant. *Rabani Homil. sabbat. in octav. Pasch.*, ex *S. August.*, *ibid.*, *tract.* CXXI, n. 1.

[f] Pensandum est hujus mulieris mentem quanta vis amoris accenderat, quæ a monumento Domini etiam discipulis recedentibus non recedebat, exquirebat quem non invenerat, flebat inquirendo, et amoris sui igne succensa ejus quem ablatum credidit ardebat desiderio. *Rabani Homil. fer.* V *Paschæ*, Viris redeuntibus, infirmiorem, sexum in eodem loco fortior figebat affectus. *Beda in Joan.*, cap. 20.

[g] (Angelus qui) sedebat super lapidem revolutum quo ostium monumenti claudebatur... visitatrices ejusdem sepulcri piissimas benigna consolatione refovet, ac ne paveant confortat; insuper etiam familiari affatu prior ipse quia sciret Jesum quærere dicit, et quia jam surrexit addit. *Rabani in Matth. cod. Bibl. Reg. Rabani Homil. in vigilia Paschæ;* ex *Beda.*

[h] Surrexit, inquit, sicut vobis promisit: quia impossibile est non venire quod prædixit. Venite et videte locum ubi positus erat Dominus. Et si meis verbis non creditis, vacuo credatis sepulcro. *Raban. in Matth. cod. Bibl. Reg.*

[i] Sedentem ad meridianam partem loci illius, ubi positum fuerat corpus Jesu. *Beda in Marc.*, lib. IV, cap. 16, et *Homil. in die Paschæ.*

[j] Paveant... qui carnalibus desideriis pressi ad (supernorum civium) se societatem pertingere posse

Digitized by Google

læ; vos ministræ, nos nuntii unius ejusdemque Domini. Jesum *quæritis* substantialiter salutarem, *Nazarenum*, nudius tertius *crucifixum* [a]*: surrexit, non est hic*, qui tamen et ubique est [b]. Stabant autem Mariæ, intra monumentum, quod intraverant, ab oriente, ante sepulcrum, sedebat angelus ante eas, in dextris sepulcri. Et extenta manu, mausoleum corpore vacuum quasi digito eis demonstrans, *Ecce*, ait, *locus, ubi posuerunt eum* principes Judæorum, et nobilis decurio, et alii qui eum devote sepelierunt. *Sed* quia revera surrexit a mortuis: *Ite, dicite discipulis ejus* qui, eo comprehenso, timuerunt, et relicto eo, omnes fugerunt; *et Petro*, qui cæteris fugientibus, a longe secutus est eum; ac postea cum eum e tertio negasset, Christusque negantem misericorditer respexisset, egressus de atrio principis sacerdotum, flevit amare [c]: eis, inquam, ne vèl ex fuga vel ex negatione desperent, dicite, *quia* surrexit. Et ecce *præcedit vos in Galilæam. Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. At illæ exeuntes fugerunt de monumento: invaserat enim eas tremor et pavor, et nemini quidquam dixerunt: timebant enim.*

CAP. XXVI. — *Ubi sola Maria Magdalena duos angelos sedentes, et deinde Christum, prima videt.*

Joannes: *Maria autem* Magdalena *stabat ad monumentum foris plorans* (*Joan.* xx, 11), magis mœrens pro eo quia sublatus erat de sepulcro, quam quod fuerat suspensus in cruce; quæ quidem dilecti dilectoris sui, cujus vitalem præsentiam perdiderat, nec mortui memoriam, in ullis ejus reliquiis, retinebat [d]. Flebat igitur inconsolabiliter quia quem milites crucifigentes, et Judæi sepulcrum signantes, sibi reliquerant, irrecuperabiliter se amisisse timebat; nec sibimet tamen, quæ ante lucem vacuum viderat mausoleum; neque apostolis, qui eum secum quæsierant; nec apostolis, quibus nuntiaverat ablatum; nec sociis mulieribus, qui eum sæpe quærendo frustratæ fuerant; nec angelis, a quibus non eum ibi esse, sed resurrexisse, audierat, credens; *inclinavit se, dum fleret, et prospexit in monumentum:* ejus revera instinctu et inspiratione, qui eam ad se quærendum incitabat [e], qui ejus mentem igne amoris sui inflammabat; quo docente nec apostolorum, nec mulierum, nec etiam suis propriis oculis, facile credendum esse putabat; *et vidit duos angelos, in albis, sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus* Jesu. *Dicunt ei: Mulier, quid ploras?* Quibus, Maria existimans eos quærere, nec nescios causam lacrymarum: *Quia tulerunt* Dominum *meum*, ut a toto partem significem [f]; *et nescio ubi posuerunt eum.* Et hoc ad augmentum mœroris mei, cum ignorem ubi quæram consolatorem mei doloris [g]. *Hæc* cum ad angelos, inclinata ad ostium, *dixisset* Maria; humilis enim erat janua monumenti, nec nisi humiliato locum sepulcri, interius, videre licebat; erecta denuo, *conversa est retrorsum*, ad solis ortum: *et vidit Dominum Jesum stantem*, in horto, *et non sciebat quia Jesus est.* Amabat enim valde quem desiderabat, diutius quæsierat; et quia non invenerat, jam a spe reperiendi languebat, et idcirco videbat, et non cognoscebat [h]; ut merito illud propheticum dicere videretur: *Caligaverunt oculi mei a fletu meo* (*Job* xvi, 17), quia elongatus est a me, qui consolabatur me. *Dixit ei* Jesus: *Mulier, quid ploras? quem quæris* [i]? Quo audito, Maria incanduit desiderio; et gemitus ingeminans, semifractis verbis, interroganti, quem *hortulanum existimabat*, venerabiliter [*Forte* lacrymabiliter], respondit, non dicens

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

desperant: vos autem cur pertimescitis qui vestros concives videtis? *Raban. Homil. in die Paschæ.*

[a] *Jesum quæritis Nazarenum.* Jesus latino eloquio *salutaris*, id est, salvator interpretatur. Et vero multi tunc Jesus dici poterant, non tamen substantialiter, sed nuncupative, ideo et locus subjungitur, ut, de quo Jesu dictum sit, manifestetur, *Nazarenum.* Et causam protinus subdit: *Crucifixum. Raban. in Matth. cod. Bibl. Reg., ibid.* Ex *Beda in Marc.*, lib. IV, cap. 16. *Homil in die Paschæ.*

[b] Atque addidit: *Surrexit, non est hic.* Non est hic dicitur per præsentiam carnis, qui tamen nusquam deerat per præsentiam majestatis. *Raban. in Matth. cod. Bibl. Reg., ibid.*

[c] Quærendum nobis est cur nominatis discipulis Petrus designatur ex nomine. Sed si hunc angelus nominatim non exprimeret qui magistrum negaverat, venire inter discipulos non auderet; vocatur ergo ex nomine ne desperaret ex negatione. *Rabani Homil. in die Paschæ.* Ex *Beda, ibid.*

[d] Oculi (Mariæ) qui Dominum quæsierunt, et non invenerunt, lacrymis jam exundabant, amplius dolentes, quod fuerat ablatus de monumento, quam quod fuerat occisus in ligno, quoniam magistri tanti, cujus eis (ei) vita subtracta fuerat, nec memoria remanebat. *Rabani Homil. fer.* V *Paschæ.* Quæ apud *Alcuinum de verbo ad verbum reperiuntur.* ex *Beda in Joannem*, cap. 20.

[e] Inde sublatum et discipulis ipsa nuntiaverat, et illi ad monumentum venerant, et non solum intuendo, sed etiam intrando corpus Domini quæsierant, nec invenerant... Verum quod nimium dolebat, nec suis nec illorum oculis facile putabat esse credendum? an potius divino instinctu in animo ejus effectum est ut prospiceret? *Rabanus ex S. Augustino, ibia., tractat.* CXXI, n° 1.

[f] *Quia tulerunt Dominum meum.* Dominum suum vocat Domini sui corpus exanime, a toto partem significans; sicut omnes confitemur Jesum Christum Filium Dei unicum, Dominum nostrum, quod utique simul est et verbum et anima et caro, crucifixum tamen et sepultum, cum sola ejus sepulta sit caro. *Rabani Homil. fer.* V *Paschæ. Hæc apud Bedum, et Alcuinum*, ex *S. Greg. Mag. in Evang.* lib. II; *hom.* 25; demum ex *S. August., ibid.*

[g] *Et nescio*, inquit, *ubi posuerunt eum.* Hæc erat causa major doloris quod nesciebat quo iret ad consolandum dolorem. *Raban. ibid., Beda. ibid.*; ex *S. August. tractat.* CXXI, n° 1.

[h] Notandum quod Maria adhuc de Domini resurrectione dubitabat... sed quia amabat et dubitabat, videbat et non cognoscebat: eumque illi amor ostenderat et dubietas abscondebat; cujus adhuc ignorantia exprimitur, cum infertur et *nesciebat quia Jesus esset. Raban. ibid.* ex *S. Greg. Mag. in Evang.*, lib. II, *homil.* 25, n° 4.

[i] *Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras, quem quæris?* Interrogatur doloris causa ut augeatur desiderium

Digitized by Google

ur fleret, vel quem quæreret, naturali more multum mantium, qui quod ipsi amant cogitant, neminem on cogitare sperant [*Forte* putant] [a], sed parans huneros ut reportaret quem asportatum credebat : *Domine*, inquit, *si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum; et egomet eum tollam.* O fortis ut mors dilectio! vere amanti nihil difficile. Vires amoris, quo in Christum ardebat, persuadebant Mariæ corpus Salvatoris, centum libris aloes et myrrhæ circumlitum, se solam posse portare. Ad hæc Salvator, cum Mariam quam consolari venerat, magis accenderet quærendo quem quæreret; non ferens latere diutius, et anhelantem aspicere, et ejulantem audire; jam enim usque ad defectum spiritus increverat, ex magnitudine desiderii, multitudo doloris, dum præsens ipse, quem quærebat, se celabat videnti, et ostendebat non videnti : vocavit ex nomine, *in multitudine dulcedinis suæ* (*Psal.* XXX, 20), dicens : *Maria*, agnosce me a quo recognosceris. *Novi te ex nomine* (*Exod.* XXXII, 12), scio quæ sis [b], et quid velis : Ecce me, ne plores, ecce me quem quæris. Quievit illico Mariæ mœrentis amaritudo, ut sonuit consolatus amici, et Domini dulcedo. Agnovit amicam vocem, sensit solitam suavitatem, qua vocari consueverat, Maria. Moxque, demisso vultu, supplici tei adorans, Magistrum discipula salutavit dicens: *Rabboni* (*quod dicitur, Magister*) (*Joan.* XX, 16) [c]. Et accedens, ut se ad Christi vestigia humiliaret, et pedes ut nudius nona die fecerat, amplectitur; audivit a Domino : *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum. Noli me tangere*, amplexibus corporis : nondum enim credis me evasisse compedes mortis, quæ viventem quæris cum mortuis. Quin potius, tange me prius amplexibus cordis, firmiter tenens fidem meæ anastasis. *Non enim ascendi ad Patrem* in corde tuo, quem nec surrexisse, nec Deo Patri credis æqualem [d]. Audiens hæc, Maria non diutius dubitavit, sed credit Christo, cujus hauriens fidem ex auditu Domini desideratæ vocis, et ex visu faciei desiderabilis: nam *granum sinapis, quod in* cordis ejus *horto* bonus hortulanus *seminaverat* Jesus, illico radicatum, *crevit in arborem magnam* (*Matth.* XIII, 31; *Luc.* XIII, 19) firmissimæ fidei; crediditque indubitanter, quem videbat Christum Filium Dei, verum esse Deum, quem dilexerat viventem [e]; vere a mortuis resurrexisse, quem viderat morientem; vere Deo Patri æqualem esse, quam quæsierat in sepulcro jacentem.

CAP. XXVII. — *Ubi Magdalenam Christus ad apostolos mittit apostolam.*

Persuasus denique Salvator, suavissima prærogativa pristini, qui in primiceriæ suæ et specialis amicæ pectore nunquam ardere desierat, amoris; sciens certissime, quippe quem nullum latet secretum, se, in corde credentis pigmentariæ suæ, jam ad Patrem ascendisse; ascensionis suæ eam ad apostolos instituit apostolam, digna mercede gratiæ et gloriæ, primoque et præcipuo honoris privilegio, digne pro meritis omnium ministrarum suarum remunerans signiferam, quam ante modicum instituerat resurrectionis evangelistam, et ait illi : *Vade ad fratres meos, et dic eis :* Hæc dicit Dominus : *Ascendo ad Patrem meum* per naturam, et *Patrem vestrum* per gratiam [f]; *ad Deum meum*, sub quo sum homo,

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

quatenus cum nominaret quem quæreret, in amore ejus ardentius æstuaret. *Raban. ibid.*

[a] Hoc habet vis amoris, hoc agere solet in animo, ut quem ipse semper cogitat, nullum alium credat ignorare. Recte et hæc mulier quem quærit non dicit; et tamen dicit: *Si tu sustulisti eum*, quia alteri non putat esse incognitum, quem ipsa continuo plangit desiderio. *Ibid.*

[b] *Dicit ei Maria...* ac si aperte dicat ei: recognosce eum a quo recognosceris. Perfecto quoque viro dicit : *Novi te ex nomine...* Ac si aperte Dominus dicat non te generaliter ut cæteros, sed specialiter scio. *Raban. ibid.* et *apud Alcuin.* ex *S. Greg. Mag. ibid.*

[c] *Dicit ei Rabboni.* Hic recolebat doctorem, a quo discernere humana et divina discebat, *S. August., ibid., tractat.* CXXI, n° 2.

Maria ergo quia vocatur ex nomine cognoscit auctorem, atque eum protinus Rabboni, id est magistrum vocat, quia et ipse erat qui quærebatur exterius, et ipse qui etiam interius, ut quæreret, docebat, *Ibid.* et apud *Alcuin., ibid.* Ex *S. Greg. Mag., ibid.*

[d] *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum*, in his verbis ostenditur quod Maria amplecti voluit ejus vestigia quem recognovit, sed ei magister dicit : *Noli me tangere*, non quia post resurrectionem Dominus tactum renuerit feminarum, cum de duabus ad sepulcrum ejus scriptum sit : *Accesserunt et tenuerunt pedes ejus.* Sed cur tangi non debeat ratio quoque additur cum subinfertur : *Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* In corde enim nostro tunc Jesus ascendit ad Patrem cum æqualis Patri creditur. Nam quisquis eum æqualem Patri non credit, adhuc in ejus pectore ad Patrem non ascendit. *Rabani Homil. fer.* V *Paschæ*, et apud *Alcuinum*, ex *S. Gregorio Magno*, *ibid.* Similia apud *Bedam in Joan.*, cap. 20.

[e] *Illa existimans quia hortulanus esset...*, forsitan nec errando mulier hæc erravit quæ Jesum hortulanum credidit. An non ei spiritualiter hortulanus erat, qui in ejus pectore per amoris sui semina virtutum virentia plantavit sata? *Rabani Homil. fer.* V *Paschæ.*

Fidem perfectam grano sinapis comparat Christus. *Hom., ibid.*

Homo qui seminavit in agro suo granum sinapis Christus est, qui seminavit fidem in mundo : in qua volucres cœli, id est, spiritales animæ requiescunt. *Rabani de Universo*, lib. IV, cap. 1.

Arbor fides robusta ut in Evangelio; *crevit granum sinapis et factum est in arborem magnam*, quod crevit fides... et robur accepit magnum. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

Jesus cum hæc ei responderet, fidem docebat : et hortulanus ille in ejus corde tanquam in horto suo granum sinapis seminabat. *Beda in Joan.*, cap. 20. Ex *S. August., ibid., tractat.* CXXI, n. 3.

[f] *Vade ad fratres meos et dic eis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, et ad Deum meum et Deum vestrum.* Non ait Patrem nostrum, aliter ergo meum, aliter vestrum. Deum meum sub quo et ego homo sum : Deum vestrum inter quos et ipsum mediator sum... ascendo ad Patrem meum videlicet per

Digitized by Google

et Deum vestrum (*Joan.* xx, 1), inter quos et ipsum mediator sum. Dicit, moxque evanuit ex oculis ejus. At illa tanta, tamque præcipua dignitate honoris et gratiæ sublimata, ab ipso Dei Filio Domino Salvatore; primaque et præcellentissima ejus apparitione sola illustrata, ut pote in omni femineo sexu, post singularem virginem Dei genitricem, Deo familiarissima, devotissima, atque charissima, apostolatus officio quo honorata fuerat fungi non distulit, quinimo incontinenti propere *venit* ad apostolos et ait illis : Congratulamini mihi, omnes qui diligitis Dominum, *quia* quem quærebam apparuit mihi; et dum flerem ad monumentum, *vidi Dominum* meum; *et hæc dixit mihi : Vade ad fratres meos, et dic eis :* Hæc dicit Dominus : *Ascendo ad Patrem meum*, qui me ante sæcula genuit; *et ad Patrem vestrum*, qui vos sibi filios adoptavit. *Ad Deum meum*, quia descendi; *et* ad *Deum vestrum*, quia ascendistis [a]. Ecce vita quæ per Evam mundo ablata est, quæque per Virginem Mariam nuntiatur, reddita. Tunc toxico potorio Eva virum in paradiso debriavit; nunc æternæ vitæ calicem apostolis Magdalena propinavit [b]. Hausit Eva *fel aspidis* (*Job* xx, 14) prima in horto deliciarum [c]; vidit Maria victorem mortis, prima, in horto exsequiarum. Eva proprio viro persuasit, serpentis promissione : *Eritis sicut dii scientes bonum et malum* (*Gen.* iii, 5). Maria, suis coapostolis evangelizavit Messiæ resurrectionem : *Quia vidi Dominum*, et prophetavit ascensionem : *Et hæc dixit mihi : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum* (*Joan.* xx, 18). Longe verior prophetissa Maria, quam Eva; longe melior novissima, quam prima pincerna. *Hæc mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* lxxvi, 11). Quæ ad sepulcrum venerat aromatibus onusta pigmentaria, ut mortuum condiret, inveniens vivum, libenter mutavit officium, quo fungi cogitaverat; pincerna viventis Salvatoris, veræ vitæ balsama propinavit apostolis. Quod autem primo soli Mariæ Magdalenæ apparuerit Salvator, ut secundum Joannem exposuimus, testatur et evangelista Marcus. *Surgens Jesus mane, prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ* (*Marc.* xvi, 9). Et quoniam multas Marias legimus, ne etiam plures Magdalenas, ut quidam voluerunt, putemus, adjungit celebre beneficium, et certum indicium : *De qua ejecerat septem dæmonia.* Quæque, non solum prima resurgentem viderit, sed etiam prima apostolis evangelizaverit testatur, subjungens : *Illa vadens nuntiavit iis qui cum Jesu fuerant, lugentibus et flentibus; et illi audientes, quia viveret, et visus esset ab ea, non crediderunt.* Quibus illa cum persuadere non posset, recurrit ad monumentum, sperans, ut contigit, denuo videre Dominum.

Cap. XXVIII. — *Ubi duo angeli stantes, et Christus secundo apparuit, et de reliquis apparitionibus.*

Hucusque de prima Salvatoris apparitione, qua primo mortalium soli Mariæ Magdalenæ videri voluit; et de apparitione duorum angelorum, quos sola Maria sedentes vidit, et allocuta est; et de apostolatu Mariæ, quo, in die tantæ solemnitatis, quæ nulla unquam felicior vel celebrior fuit, vel est, vel erit [d], ab ipso Dei Filio sublimata, coapostolis suis resurrectionem jam factam prima evangelizavit, et ascensionem futuram sola prophetavit; et qualiter potum vitæ prima propinans apostolis, Evæ potorium expiavit, sub testimoniis evangelistarum Joannis et Marci retulimus. Nunc visionem duorum angelorum, quos, simul cum aliis mulieribus, stantes vidit, secundum Lucam, simul et secundam Salvatoris apparitionem, qua, secundum Matthæum, duabus Mariis videri voluit, breviter explanabimus. Lucas (*Luc.* xxiv, 4) : *Et factum est, dum mente consternatæ essent mulieres, non invento corpore Domini Jesu; ecce duo viri steterunt juxta illas, in veste fulgenti. Cum timerent autem* mulieres, *et declinarent vultum in terram :* unde et mos inolevit in ecclesia Dei, toto paschali tempore, non genuflexo, sed solo vultu in terram declinato, orare [e]; *dixerunt ad illas* angeli : *Quid quæritis viventem cum mortuis?* mortuorum enim loca monumenta sunt; *non est hic, sed surrexit* [f]. *Recordamini qualiter locutus sit vobis :* non so-

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

naturam, et Patrem vestrum per gratiam. *Rabani Homil.* v *fer. Paschæ. Beda in Joan.*, cap. 20. Et apud *Alcuin.*, *in Joan.* Ex *S. Auaust. ibid.*, *tractat.* cxxi, n. 3.

[a] *Ascendo ad Deum meum*, quia descendi; *ad Deum vestrum*, quia ascendisti. *Raban.*, *ibid.*

[b] Ecce humani generis culpa ibi abscinditur unde processit; quia enim in paradiso mulier viro propinavit mortem, a sepulcro mulier viris annuntiat vitam, et dicta sui vivificatoris narrat, quæ mortifera serpentis verba narraverat. Ac si humano generi non verbis Dominus sed rebus dicat : De qua manu vobis illatus est potus mortis, de ipsa suscipite poculum vitæ. *Rabani. in Matth. cod. Bib. Reg.*, et apud *Alcuinum*, *ibid.* Ex *S. Greg. Mag.*, *Hom. in Evang.*

Sicut in principio mulier auctor culpæ viro fuit, vir exsecutor erroris, ita nunc quæ prius mortem gustaverat resurrectionem prior vidit, et quæ culpam viro transfuderat transfudit et gratiam. *Rabani Homil. in sabbato octav. Paschæ.* Vide etiam *Bedam in Marc.*, lib. iv, cap. 16.

[c] *Aspis* est diabolus, ut in Psalmis : *Super aspidem et basiliscum ambulabis*, id est, illum deprimes qui et occulte decipit, et aperte sævit. *Aspis* occulta sævitia diaboli. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

Fel est persuasio dæmonum, ut in Job : *In fel aspidum.*, *ibid.*

[d] Hic ergo dies resurrectionis Christi... omnium dierum caput est... et hanc solemnitatem solemnitatum merito dicimus. *Rabani Homil. in die Paschæ.*

[e] Et notandum quod sanctæ mulieres astantibus sibi angelis non in terram cecidisse, sed vultum dicuntur in terram declinasse; nec quempiam sanctorum legimus, tempore Dominicæ resurrectionis, vel ipso Domino vel angelis sibi visis, terræ prostratum adorasse. Unde mos obtinuit ecclesiasticus, ut vel in memoriam Dominicæ, vel in nostræ spem resurrectionis, et omnibus Dominicis diebus, et toto quinquagesimæ tempore, non flexis genibus, sed declinatis in terram vultibus oremus. *Rabani Homil. in Dom.* 1 *post Oct. Paschæ.* Ex *Beda in Lucam*, lib. vi, cap. 24.

[f] *Quid quæritis viventem cum mortuis?* Nolite, inquiunt, cum mortuis, hoc est in monumento, qui lo-

Digitized by Google

lum enim viris, sed etiam sanctis mulieribus, resurrecturum esse prædixerat [a], *cum adhuc in Galilæa esset, dicens : Quia oportet Filium hominis tradi in manus peccatorum et crucifigi, et die tertia resurgere. Et recordatæ sunt mulieres verborum* Domini Jesu. Matthæus (*Matth.* XXVIII, 8) : *Et exierunt de monumento* Maria Magdalena, et altera Maria, *cum timore, et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus. Et ecce, occurrens illis dixit : Avete;* ut maledictum Evæ, sicut prius in singulari Virgine, per os Gabrielis, sic nunc solveretur in Mariis, per os ipsius Salvatoris. *Ipsæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus,* quos prius uni earum, quia nondum credebat, tangere vetuerat [b]; *et adoraverunt eum,* et, sicut universalis Ecclesia, osculatæ sunt Domini vestigia. *Tunc Jesus locutus est eis* dicens : *Nolite timere; ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Lucas (*Luc.* XXIV, 9) : *Et egressæ a monumento, nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, et cæteris omnibus. Erant autem Maria Magdalena, et Joanna, et Maria Jacobi, et cæteræ quæ cum illis erant* [c], *quæ dicebant ad apostolos hæc. Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum, verba ista; et non credebant illis. Petrus autem surgens, cucurrit ad monumentum, et procumbens vidit linteamina sola posita; et abiit secum mirans quod factum fuerat.* Tunc apparuit Salvator ei : tertio enim *apparuit Simoni* Petro. Marcus (*Marc.* XVI, 12) : *Post hæc autem, duobus ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam* quæ nunc est Nicopolis, Palestinæ civitas insignis [d], sexaginta stadiis ab Jerosolymis, quod est septem milliariis, et semis. *Et illi euntes, nuntiaverunt cæteris, nec illis crediderunt.* Lucas (*Luc.* XXIV, 33) : *Et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum eis erant, dicentes quod : Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni* Petro. Primo enim omnium virorum apparuit Petro [e]. *Dum hæc autem loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, et dixit : Pax vobis.* Et hæc sunt quinque apparitiones Domini Salvatoris, quibus, in die resurrectionis suæ, consolari voluit quos diligebat, et videri voluit suis dilectoribus nimis. *Et post dies octo,* apparuit eis sexto; Thomæque apostolo latus palpandum præbuit (*Joan.* XX, 26). Septimo apparuit piscantibus *ad mare* Tiberiadis (*Joan.* XXI, 1). Octavo apparuit eis, ut mandaverat per Mariam Magdalenam, in monte Galilææ [f].

CAP. XXIX. — *Recapitulatio : quam grata fuerint Christo obsequia Mariæ, et in præsenti remunerata.*

Nec prætermittendum, quod non immerito multi mirantur, quin potius repetendum altius, et cum multa dulcedine spiritus recolendum diligentius, singula obsequia quæ dilectori suo, Domino Salvatori, exhibuit Maria Magdalena, non ut aliorum sanctorum solent, tacite accepta, et æternæ mercedi secretis reservata esse apud *Patrem luminum, qui videt in abscondito* (*Jacob.* I, 17; *Matth.* VI, 4), retribuenda, verum incontinenti, ipsius oris Salvatoris propalata, laudata et magnificata; et si forte quisquam ea depravare, vel accusare præsumpserit, illico excusata [*recensata*] [g], et approbata; ita ut, juxta illud Marci evangelistæ (*Marc.* X, 30) : centuplo hic in præsenti receperit gratiam pro gratia (*Joan.* I, 16), donec in cœlestibus frueretur sempiterna gloria. Immeritoque sanctissima sorore ejus de ea conquerente, *sub umbra illius, quem* diligebat, *sedit, et fructus oris ejus, dulces gutturi* suo (*Cant.* II, 3), colligens, *Gustavit, et vidit quam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII). Hauriens præclara aviditate *venas vitæ* (*Prov.* X, 11), ex fonte pectoris ejus, qui *multiplicavit locupletare eam* divitiis spiritualibus, *rivos*

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

cus est proprie mortuorum, quærere eum qui ad vitam jam surrexit a mortuis. *Raban., ibid.*

[a] *Recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset.* Dominus inter discipulos viros etiam feminis quæ eum sequebantur prædixit. *Ibid.*

[b] Ecce Jesus occurrit illis dicens : *Avete,* ut maledictum Evæ mulieris in mulieribus solveretur. Illæ autem *accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum.* Istæ accedunt et tenent pedes ejus, quia adoraverunt eum. Cæterum illa quæ quærebat viventem cum mortuis, et nesciebat adhuc Filium Dei resurrexisse, merito audivit : Ne me tangas, nondum enim ascendi ad Patrem meum. *Rabani in Matth. cod. Bibl. Reg. Homil. fer.* VI *Octav. Paschæ.*

[c] Hæc Maria Magdalena ipsa est soror Lazari quæ unxit Dominum unguento; Joanna uxor Chuza, procuratoris Herodis; Maria Jacobi mater et Jacobi junioris et Joseph, soror matris Domini. *Rabani Homil. Dom.* I *post Octav. Paschæ.*

[d] Emmaus... hæc est nunc Nicopolis, insignis civitas Palestinæ. *Rabani de Universo,* lib. XIV, cap. 1. Ex *Beda in Lucam,* lib. VI, cap. 24. Quæ (civitas) post expugnationem Judææ, sub Marco Aurelio Antonino principe restaurata, cum statu mutavit et nomen. *Bedæ Homil. fer.* II *Paschæ.*

[e] Omnium ergo virorum primo Dominus apparuisse intelligitur Petro. *Beda in Lucam,* lib. VI, cap. 24

[f] (Illo die) visus est Dominus : primum a Maria Magdalena ad monumentum, quando ei desideranti pedes ejus amplecti dictum est : *Noli me tangere.* Deinde eidem et alii Mariæ a monumento currentibus nuntiatum discipulis quæ ab angelis de peracta ejus resurrectione didicerant; de quibus scriptum est : *Quia accesserunt,* et *tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum.* Apparuit autem et ipso die advesperascente duobus euntibus in castellum Emmaus. Apparuit et Petro... statimque annectit (evangelista) quintam ejus apparitionem : *Dum hæc autem loquerentur, ipse Jesus stetit in medio eorum, et dicit eis : Pax vobis. Rabani in Matth.,* lib. VIII, cap. 28. Ex *Beda Homil. feriæ* III *Paschæ.*

Ipso resurrectionis suæ die quinquies apparuisse legitur. Apparuit sexto, post dies octo, quando erat et cum eis Thomas. Septimo piscantibus ad mare Tiberiadis, octavo in monte Galilææ. Apud *Alcuinum in Joan.*

Nono recumbentibus illis undecim apparuit, die quo ascendit in cœlum. Decimo viderunt eum ipsa die non jam in terra positum, sed elevatum in aera, cœlosque petentem, dicentibus sibi angelis : Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. *Raban., ibid. De duobus postremis apparitionibus Rabanus loquitur infra,* cap. XXXI.

[g] *Codex habet,* enceriata, *ex amanuensium incuria. Forte legendum* recensata, *e verbo* recensare, *id est* enumerare.

Digitized by Google

intellectus *ejus* et pectoris *inebrians stillicidiis* eloquiorum suorum in quibus sanctas affectiones *germinans*, *lætabatur* hæc sancta virago, *multiplicante* Deo *genimina* devotionis *illius* (*Psal.* LXIV, 10, 11). *Multæ enim filiæ congregaverunt divitias* (*Prov.* XXXI, 29), primicœria vero ministrarum ejus, Magdalena, *supergressa est universas. Hinnulo cervorum* (*Cant.* II, 9, 15), cujus spiritus non requiescit nisi super humilem et quietum, parans in pectore suo recubitum, *ubi cubet* et spatietur, *pascat* (*Cant.* I, 6) et pascatur [a], et devotionis ejus obsequiis debrietur. His igitur omissis, quibus prægustavit mira contemplatrix quæ sit sanctorum gloria, adorans jam tunc vera gaudia quibus nunc fruitur in patria ; illud memorare libet, quod primo peccatrix, in domo Simonis pharisæi, rigavit lacrymis, tersit capillis, oculis fovit, unguento perfudit pedes Domini; nec secundum sententiam Simonis repulsa, sed plena peccatorum remunerata recessit in sua, septiformi Spiritus gratia repleta. Felix plane retributio inauditi a sæculis obsequii ! Item secundo, sancta dilectrix, in domo Simonis leprosi, alabastrum fregit, nardum effudit super pedes et caput Domini, nec, juxta Judæ proditoris judicium, unguentum perdidit ; sed gratiam et gloriam, laudumque præconia, ex ore omnipotentis Dei, et æternæ memoriæ per Evangelium promissionem, promeruit [b]. Nunc quoque tertio balsamita celebris, non minori, etiam majori forte devotionis affectu, aromata pretiosissima condiendo corpori Christi parans et properans; quamvis, propositum ejus non spernens, sed anticipans, Salvator resurrexit ; non tamen remunerationis suæ minus accepit mercedem. Multiplici enim divinæ dignationis præmio ditata est, dum prima apparitione sola glorificata est ; dum apostolatus honore sublimata est ; dum anastasis Christi evangelista instituta est ; dum prophetissa ascensionis ad apostolos destinata est.

A

B

C

CAP. XXX. — *De tribus unguentis, pedum, capitis et corporis.*

Reservata sunt igitur unguenta pretiosa Mariæ Magdalenæ, multoque pretio distracta et distributa discipulis Domini Salvatoris. [c] *Noluit* ea *expendi*, Filius Dei, *in suo corpore mortuo, ut servaret vivo. Vivit enim Ecclesia Dei, quæ manducat panem virum. Ipsa est charius corpus Christi, quod ne* moriatur, *morti illud alterum traditum est.* Istius corporis usibus, discipulorum videlicet necessitatibus, aromata sua dicavit Maria, exhibens membris sedulo quod capiti non licebat. Noverat Salvator, qui est fons pietatis, pigmenta Mariæ sibi præparata, non solum rore balsami, sed et multæ pietatis pinguedine permixta ; ideoque non sibi, qui jam immortalis, nullius, ut nudius pietate egebat, sed suis ea membris, quorum mendicitas dictorum pietate relevari indiget, reservari volebat. Beata illa anima quæ tecum, o beata peccatrix, et ardentissima Christi amatrix, *recogitans* omnes annos suos in amaritudine animæ suæ (*Isa.* XXXVIII, 15), amplectitur pedes judicis, et misericordiæ, et *sicut adipe et pinguedine repleta* (*Psal.* LXII, 6), spe veniæ, placat districtum judicem, *sacrificio cordis contriti et humiliati, et spiritus contribulati* (*Psal.* L, 18), in igne doloris et veræ pœnitentiæ! Talis anima reportat a Deo donum intelligentiæ, Domino dicente : *Quia cinerem tanquam panem manducabam*, pœnitentes mihi incorporans, *et potum meum cum fletu miscebam* (*Psal.* CI, 10). [d] Multo vero beatior quæ tecum, o mira contemplatrix, et devotissima ministratrix, ascendens a pedibus amplectendæ humanitatis ad caput desiderabilis divinitatis [e], *dat partes septem nec non et octo* (*Eccli.* XI, 2), passiones homini attribuens, miracula Deo ascribens, et pro universis beneficiis suis, *immolans Deo sacrificium laudis, in voce exsultationis et confessionis* (*Psal.* XLIX, 14), nardum

D

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] Ei sancta Ecclesia, quem sub specie hinnuli cervorum quærit, in Canticis canticorum dicit : *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi cubes in meridie.* Cervorum quippe hinnulus Dominus appellatur, juxta assumptam carnem antiquorum filius Patrum. *S. Greg. Mag. Hom. in Evang.* — *Hinnulo cervorum.* Per cervos antiqui patres, ut in Cantico : *Similis dilectus meus hinnulo cervorum*, quod natus est Christus ex carne antiquorum patrum. Cervus (enim) est anima fidelis. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.* — *Cœna* est dulcedo contemplationis... quod quilibet perfectus reficitur in contemplatione a sapientia Christi. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.* — Qui domicilio Christum recipit interno maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum. Itaque Dominus libenter ingreditur et in ejus qui crediderit recumbit affectu. Et hoc est bonorum operum spiritale convivium. *Rabani Comment. in Matth.*, lib. III, cap. 9.

[b] Maria ergo Magdalena ipsa est soror Lazari et Marthæ de qua Dominus ejecit septem dæmonia. Ipsa est autem, non alia, quæ... pedes Domini lacrymis pœnitentiæ rigavit... Eadem, vicina passione ejus, justificata et familiaris effecta Domino, non tantum pedes ejus, verum etiam caput, oleo sancto perfudit. *Rabani de Universo* lib. IV, cap. 1, et *Comment in Matth.*, lib. VIII, cap. 26. — *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit Evangelium in toto mundo*, etc. Non tam in toto mundo ista mulier quam Ecclesia prædicatur, quod sepelierit Salvatorem, quod unxerit caput ejus... Maria gloriam adepta est toto orbe quacunque Ecclesia sancta diffusa est. *In Matth., ibid.*

[c] *Hæc apud S. Bernardum inserta reperies sermon.* 12, *n.* 7, *in Cantic.*

[d] *Cinis* peccator, ut in Psalmis, *quia cinerem tanquam panem* (*manducabam*). quod Deus sibi peccatorem, sed pœnitentem, sicut justum incorporat. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[e] *Caput* est christi divinitas : ut in Cantico : *Caput ejus aurum optimum* : quod in Christi divinitate fulgor incomparabilis est. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

Si *caput* Christi Deus, pedes ejus consequenter incarnatio, qua terram nostræ mortalitatis tetigit, accipiendi sunt. *Rabani, Hom.* Vide *Bedam in Luc.*, lib III. Et *S. Greg. Mag. in Evang.* lib. II, *Homil.* 33.

Quid est quod in loco Domini corporis duo angeli videntur : unus ad caput, atque alius ad pedes sedens, nisi quod... nuntiandus erat qui et Deus est ante sæcula et homo in fine sæculorum. Quasi ad caput... Quia in principio erat Verbum et Verbum

Digitized by Google

pisticum pretiosum [a] multarum gentium [b] offert Deo Patri hominum [*Forte* luminum] *a quo omne datum optimum* (*Jac.* I), impinguatum in oleo devotionis, fervens inexstinguibili igne divinæ dilectionis! Talis anima reportat a Deo gratiam pro gratia, Domino dicente : *Sacrificium laudis honorificabit me* (*Psal.* XLIX, 23). Qui enim *glorificat me, glorificabo eum.* Qui autem *contemnunt me, erunt ignobiles* (*I Reg.* II, 30). Beatissimus autem est jucundus *homo, qui miseretur et commodat* (*Psal.* III, 5), qui tecum, o Balsamita celebris et primiceria Salvatoris, pigmenta pietatis quæ toti corpori Christi prosint pixide pectoris portans, Omnipotenti se tribuit; qui spicas, quarum non est numerus, pauperum penurias, diligenter inquirit ; qui eis balsamum misericordiæ infundit, in cujus corde charitas, ut *ignis in altari semper ardebit* (*Levit.* VI, 12) [c], quæ nec gelu philargyriæ [d] constringere, nec ventus vanitatis poterit exsufflare! Talis homo mutatione Dei efficitur deus. Nihil enim mutatione deiparat [e], quam si aliquis ita vivat ut bonum ejus in commune proficiat. Hæc de tribus unguentis specialis amicæ Christi, pedum scilicet, capitis et corporis, quibus amori suo Dei Filio ministravit, magna dilectrix, mira contemplatrix, pigmentaria felix, philosophari sufficiat. Felix qui hæc de Maria Magdalena dulciter audit, feliciter credit, et devotissime recolit! Felicior vero qui dum hæc Mariæ pie miratur, et affectuose veneratur, etiam ardentissime æmulatur! Felicissimus plane qui optimis odoribus Mariæ sic afficitur, sic delectatur, ut exemplum conversationis ejus imitetur, ut conversationis ejus formæ imprimatur, ut ejus devotionis spiritu debrietur, ut *optimæ partis quam elegit* (*Luc.* X, 43) particeps efficiatur.

CAP. XXXI. — *De Christi ascensione, astantibus apostolis et Mariis.*

Ascensurus in cœlum Salvator, quadragesimo die resurrectionis suæ, *suos qui erant in mundo* (*Joan.* XIII, 1 ; *Matth.* XXVII, 53) revisere, et ab eis videri volens, *in sancta civitate* comedentibus, apparuit (*Marc* XVI, 14); moxque discumbens, comedit cum eis : ut per effectum comestionis veritas patefieret carnis [f]. Erat ergo videre festum solemnis lætitiæ, prandium omni sæculo memorabile, convivium angelis et hominibus prædicabile. Discumbebat cum Dei Filio felix et gloriosa mater ejus, cœli regina, Virgo Maria ; et *quem* præ cæteris *diligebat Jesus* (*Joan.* XXI, 7) apostolus et evangelista, propheta et virgo, Joannes ; specialis quoque amica Salvatoris, et ministrarum ejus primiceria, Maria Magdalena ; et hospita ejus devotissima Martha, et quem a mortuis revocaverat Lazarus; Maria quoque Cleophæ et Salome, et Joanna, et Susanna. Aderat et Petrus, nuper apud Tiberiadem mariambulus [g], et inter prandendum, Christo trina confessione confœderatus [h]; Andreas quoque sanctorum mitissimus [i]; Jacobus quoque, Joannis frater ; Philippus etiam, ipsius mansuetudi-

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

erat apud Deum. Et quasi ad pedes, cum... Verbum (caro) factum est. *Rabani Homil. fer.* V *Paschæ.*

[a] Nardus significat odorem virtutum sanctorum in Ecclesia : unde sponsa dicit in Cantico canticorum... *Nardus mea dedit odorem suum. Rabani de Universo* lib. XIX, cap. 8.

Nardus, charitas, ut in Cantico. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[b] *S. Paulini Epist. ad Sever.*, t. VI *Bibliothec. Patrum.*

Ecclesia... detulerat (in persona Mariæ) unguentum quod multorum graminum sive florum mixta in unum gratia et virtute fragrabat. (Ecclesia) de variis cœlestium gratiarum floribus et succis odora, multimodas suavitates ex diversis gentibus Deo spirat, orationesque sanctorum, velut aromata, pateris incensa flagrantibus, spiritu veritatis exhalat : ut ei talium florum odoribus, seu liquorum roribus affluenti, sponsus ipse gratuletur illa qua et in Canticis canticorum voce blanditur : *Columba*, inquit, *mea, perfecta mea, quoniam caput meum repletum est rore.*

Ita *S. Ambrosius in Lucam*, cap. 7.

[c] *Ignis* intelligitur charitas, ut in Levitico, *ignis in altari semper ardebit*, quod charitatis ardor semper in mente nostra esse debet. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[d] Philargyria, quæ interpretatur avaritia, sive amor pecuniæ. Apud *Rabanum de peccati satisfactione*, lib. III, cap. 51, *de philargyria.* Falso Rabano adscribitur.

[e] *Deiparat*, sic in codice. Quæ vox forte idem sonat ac *Deum facere.* Non reperitur in veteribus instrumentis, sed passim usurpantur : *deificare* Deum facere ; *deificus, deicus*, divinus; *deiloquus, deividus*, qui videt Deum; *deiformis*, conformis divinæ voluntati; *deipassiani*, patripassiani ; *deiferi*, apostoli; *deicolæ*, monachi.

[f] *Convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent.* Quod cibos cum discipulis sumpsit, hoc ideo fecit ut eamdem quam mortuus suscitaverat carnem, palpando atque tractando, veram monstraret. *Rabani Homil. in die Ascensionis.*

Ad insinuandam resurrectionis suæ veritatem, non solum tangi a discipulis, sed etiam convesci cum illis dignatur... ut eo modo naturam corporis resurgentis astrueret, ne illud non corpus, sed spiritum esse arbitrarentur, et sibi non solide, sed imaginaliter apparere ; manducavit potestate, non necessitate. *Rabani Homil. fer.* III *Pasch. Ex Beda in Lucam* lib. VI, cap. 24.

[g] Mariambulus. *Alludit forte Rabanus Petro supra stagnum Genesareth deambulanti, quod ipse Tiberiadis vocabulo sæpius nuncupat :* stagnum Genesareth, quod etiam Tiberiadis a civitate Tiberiade vocatur. Terra Gennesar juxta stagnum Genesareth, ut quidam asserunt, idem est quod mare Galilææ, vel mare Tiberiadis. Sed mare Galilææ ab adjacente provincia dictum mare Tiberiadis, a proxima civitate quæ olim Genereth vocata, sed ab Herode Tetrarcha instaurata, in honorem Tiberii Cæsaris Tiberias est appellata. *Rabani in Matth.* lib. V, cap. 14. Ex *Beda in Luc.* lib. II, cap. 5.

[h] Dominus tertio Petrum an se diligat interrogat, ut ipsa trina confessione vincula, quæ illum ter negando ligarunt, absolvat. Et quoties territus ejus passione se illum nosse negaverat, toties ejus resurrectione recreatus quod illum toto amet corde testatur. *Rabani Hom. in Vigil. S. Petri.*

[i] Andreas quoque sanctorum mitissimus. Forte alludit auctor actibus S. Andreæ.

Digitized by Google

nis filius, et Didymus ille Thomas vulnerum Christi vivacissimus perscrutator; nec non et Bartholomæus, apostolici numeri mediator [a]; et Matthæus qui et Levi [b] primus scriptor Evangelii [c]; et consobrini Domini Salvatoris Jacobus Alphæi, Jerosolymorum postmodum patriarcha, qui et Oblias cognominatur et Justus, a matris utero Nazareus [d]; et Simon Zelotes [e], et Judas Jacobi frater, qui et Thadæus nuncupatur, et Corculus [f]; et multi alii qui convenerant quique Christo erant consanguinitatis necessitudine familiares, et propinqui. Erantque tunc jam fidei participes, de quibus ante passionem dictum fuerat, *neque enim fratres credebant in eum* (*Joan.* VII, 5; *Marc.* XVI, 11). Cum iis prandere dignatus Dei Filius, post exprobrationem incredulitatis: *Ego*, inquit, *mittam promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto. Baptizabimini* enim *Spiritu sancto, non post multos hos dies* (*Luc.* XXIV, 49; *Act.* I, 5). Injungens eis denique prædicationis officium, primo Jerosolymis, et Judææ, et Samariæ dixit exhibendum; ac deinde, Judæis vitæ verbum respuentibus, per mundum universum prædicari præcepit Evangelium [g], promittens evangelizantibus efficaciam signorum omnium (*Marc.* XVI, 17). Hæc et iis similia *principibus populi sui* locutus, *dum esset rex in acubili suo* (*Psal.* CXII, 7; *Cant.* I, 11), expleto convivio, surrexit; et egressus, *eduxit* convivas suos *foras in Bethaniam, in monte Oliveti, qui est juxta Jerusalem*, mille passus iter, *sabbati habens iter*. Denique, astante regina cœli, sociis Mariis, apostolis quoque et *turba* discipulorum *fere centum viginti* (*Luc.* XXIV, 50; *Act.* I, 12, 15), ultimum eis valedicens: *Ecce ego vobiscum sum*, alt, *usque ad consummationem sæculi. Et, elevatis manibus, benedixit eis* (*Luc.* XXIV, 50): moxque *videntibus illis elevatus est* in aera, et ferebatur in cœlum; adfuit illico *nubes* clarissima, susceptumque Salvatorem tulit in æthera, intuente regina cœli, apostolis, cum dilectrice Dei, sociis Mariis (*Act.* I, 9).

CAP. XXXII. — *De his qui cum Christo ascenderunt, et de excellentia Baptistæ Christi Joannis.*

Ascendens ergo Christus *in altum* (*Ephes.* IV, 8), quam ab inferis abduxit, in cœlos *evexit captivitatem, millia lætantium* animas protoplastorum (*Psal.* LXVII, 18), et omnium *qui placuerunt* Deo, a mundi exordio (*Sap.* IX, 19). Solus enim ascendere noluit, quippe qui nec solus resurgere voluit. Sed et testes resurrectionis ejus, quorum *monumenta*, crucifixo Domino, *aperta sunt* (*Matth.* XXVIII, 50, 53); et qui cum eo resurgente resurrexerunt; et postea Jerosolymis, apparente Domino, *multis apparuerunt*, ascendente Domino in cœlos simul ascenderunt [h]. Veri etenim testes resurrectionis non essent si fantastice, si umbratiliter, si imaginarie, non vere, surrexissent. Occurrit regi triumphanti exercitus angelorum, quorum Domino incontinenti destinantur in monte Olivarum, qui illic stantibus, cœlosque penetrantem intuentibus, cum cœli regina, apostolisque, sanctis mulieribus, suum denuntiarent reditum: *Sic veniet*, dicentes, *quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I, 11). Hæc nos diligentius retulisse, et beatæ Mariæ Magdalenæ gestis inseruisse, nemini videatur absurdum, quia iis omnibus tota devotione interfuit; sicut resurrectionis conscia in horto, sic ascensionis testis in monte; sicut anastasim jam factam apostolis evangelizavit, sic ascensionem futuram eis prophetavit; et ascendenti astans cum apostolis, asce-

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] Bartholomæus apostolici numeri mediator, *id est in nomenclatura apostolorum semper partem mediam tenens. Apud Matthæum enim, Marcum et Lucam, sextum locum habet, et in Actibus septimum. Matth.* X, 3; *Marc.* III, 18; *Luc.* VI, 14; *Act.* I, 13.

[b] *In codice*: « Matthæus qui est Levi *filius*, *filius Alphæi*, primus scriptor Evangelii. » *Quæ verba interpolata videntur. Certe scripserat Rabanus* Matthæus qui et Levi, *ex Hieronymo*, de scriptoribus ecclesiasticis cap. 3, *ipsi apprime noto; non vero qui est Levi; scripsisset* qui fuit; et *multo minus scripsit* qui est Levi filius: *siquidem ipse Rabanus in Universo* et *in Comment. in Matthæum dicit hunc evangelistam cognominatum fuisse Levi ex tribu, non ex patre. Rabani de Universo* lib. IV, c. 1. *Comment. in Matth.* lib. I, *proœm.*

[c] Matthæus evangelista Levi cognomen sumpsit de tribu...patria; primus lingua, id est Hebraicis litteris Evangelium composuit. *Rabani Comment in Matth., proœm.*

[d] Jacobus Alphæi ipse est qui in Evangelio frater Domini nominatur. Quia Maria, uxor Alphæi, soror fuit Mariæ matris Domini, quam Mariam Cleophæ Joannes evangelista cognominat, fortasse vel quia idem Alphæus etiam Cleophas dictus est, vel ipsa Maria, defuncto post natum Jacobum Alphæo, Cleophæ nupsit... Jacobum Alphæi post Domini passionem statim Jerosolymorum apostoli ordinaverunt episcopum. *Vinum et siceru non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonsus est*, ut testatur Hegesippus. *Rabani Comment. in Matth.*, lib. III, cap. 10. Ex *Beda in Luc.* lib. II, cap. 6.

[e] Simon *Cananæus*, ipse est qui in alio evangelista scribitur Zelotes. Cana quippe Zelus interpretatur. *Rabani de Universo* lib. IV, cap. 1.

[f] Judas Jacobi, qui alibi appellatur Lebbæus, figuratum nomen habet a corde: quod nos diminutive *corculum* possumus appellare. Ipse in Evangelio alio *Thadæus* scribitur. *Ibid.* Erat frater Jacobi fratris Domini, ut ipse in Epistola sua scribit. Unde etiam ipse *frater* Domini vocabatur, attestantibus civibus ipsius, qui de virtutibus ejus stupentes aiebant: *Nonne iste est faber filius Mariæ, frater Jacobi, et Joseph, et Judæ, et Simonis? Rabani comment. in Matth.*, lib. III, cap. 10.

[g] Oportebat primum adventum Christi annuntiari Judæis, ne justam haberent excusationem, dicentes ideo se Deum rejecisse, quia ad gentes et ad Samaritanos apostolos miserit, ut scilicet prius a Judæa apostolorum repulsa prædicatio, tunc nobis in adjutorium fieret. *Raban. ibid.*

[h] Ad testimonium Dominicæ resurrectionis multa corpora sanctorum resurrexerunt, ut Dominum videlicet Jesum ostenderent resurgentem, et tamen cum monumenta aperta sunt, non ante resurrexerunt quam Dominus resurgeret, ut esset primogenitus resurrectionis ex mortuis. Qui enim resurgente Domino resurrexerunt a mortuis, etiam ad cœlos ascendente simul ascendisse credendi sunt. Quando vero dicitur: *Apparuerunt multis*: ostenditur non

Digitized by Google

dentem quasi digito demonstrans, demonstravit, Baptistæ Joannis instar [a], plusquam prophetissa. Ex admirabili conversione ad Christum, et incomparabili familiaritate ad Christum, omni mundo celebris; sicut ille conversatione in eremo, et sanctitate ab utero, sanctis omnibus incomparabilis. Joannes *corrigiam calceamenti ejus solvere* se dicit indignum (*Luc.* III, 16) : ecce magna humilitas [b]; Maria pedes ejus lacrymis, manibus, crinibus, oculis, unguentis, rigavit, lavit, siccavit, fovit, perfudit : ecce mirabilis familiaritas. Ille Christum baptizans contremuit, nec est ausus tangere sanctum Dei verticem (*Matth.* III, 14) [c] : hæc super ipsum mundi pretium, caput Domini pretiosissimum, valde pretiosum, ipsa pretiosior, fudit unguentum [d]. Istius, sicut et illius, gesta quatuor scribunt evangelistæ, in quibus ille quia Patris vocem audivit, quia Spiritum sanctum viderit; ista, quod filio Virginis matris, mira affectione, de suis facultatibus assidue ministravit; quod crucifixo, et condiendo astiterit; quod resurgentem a mortuis prima viderit, et tenuerit, commendatur. Illum Christus magnificavit, et vitam ejus angelicam commendavit (*Matth.* XI, 7, 10); istam, Pharisæo murmurante, defendit; Martha conquerente, excusavit; Juda fremente, laudavit; atque apostolis ipsis apostolam destinavit. *Baptista inter natos mulierum* (*Ibid.* V, 11), post regem cœli, superioribus æqualis, vel cunctis superior [e]; Magdalena inter filias hominum, post cœli reginam [f], superioribus æqualis, nulli inferior.

A

B

C

Cap. XXXIII. — *Qualiter amica Christi ægre tulit absentiam ejus.*

Verum, inter tam celebres glorificationes Christi, Maria Magdalena lætabatur quidem propalam ineffabiliter de Domini et Redemptoris sui gloria; dolebat tamen interius inæstimabiliter de dilecti dilectoris sui corporali absentia. Naturale est enim, naturale, inquam, et necesse erga amicos affici, cum adsunt, delectabiliter et jucunde; cum absunt, lacrymabiliter et moleste. Immensitatem amoris erga recedentem metiuntur lacrymæ remanentis; quantus fuerit amor præsentium, sentitur ex molestia separatorum. Sola tamen Maria patiebatur quod pati solent amantes, cum se amittunt, cum nec amiserit amatorem, sed præmiserit, ut sibi præparet mansionem. Denique inter prandendum, inter eundum, inter loquendum, quam dulciter, quam delectabiliter Salvatorem audierit, quam irreverberatis luminibus filium Virginis aspexerit cujus vultu exsatiari nequivit, *qui est speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV, 3), quis audeat æstimare? quid, post ultimum vale; post benedictionis verba solemnia, *elevatis* subito *manibus, ferebatur* in aera? quid, cum lactea nube susceptum, ætheris interiora penetrantem, irrepercussa acie sequeretur oculorum? quid, cum patenti cœlo receptus, videri ultra non potuit? (*Luc.* XXIV, 50, 51.) Stetisse eam diutius, vel vix, vel minime credo; defecisse potius, et anhelo spiritu concidisse; congelatisque membris, appalluisse; rursumque recalescente pectore, obortis lacrymis, uberrime flevisse. Possetne, quæso, Maria meminisse dilecti dilectoris sui, Domini Jesu, sine mœrore, sine lacrymis? Possetne, ex tunc, tempus esse sine dolore, momentum sine mora, hora sine fletu, quanquam sciret sibi non esse dolendum, præsertim cum promissionis ejus recordaretur : iturum se *parare* suis *locum*, redituram se ut *acciperet eos ad seipsum, ut ubi sit ipse et ipsi sint* secum? (*Joan.* XV, 1.) *Hæc recolens* secum *in corde* suo (*Thren.* III, 21), luctum *convertit in gaudium* (*Joan.* XVI, 20); dum per contemplationem assiduam Dei Filium sibi *præsentem* cernens in *spiritu* (*I Cor.* V, 3), præsentiæ corporalis desiderium temperabat, in memoria ejus mellea requiescens suaviter; donec post multa suspiria, post longa desideria, post diutinam felicissimæ visionis esuriem, vultu dilecti sui satiata, in æternæ contemplationis thoro suavissimis ac dulcissimis ejus amplexibus colla donaret.

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

generalis fuisse resurrectio quæ omnibus apparet, sed specialis ad plurimos, ut hi viderent qui cernere merebantur. *Rabani in Matth.* lib. VIII, cap. 27.

[a] In eo Joannes prophetis cæteris major est, quod quem illi prædicaverant esse venturum, hic venisse digito demonstravit. *Rabani Comment in Matth.* lib. IV, cap. 11.

[b] Nihil autem intendit Joannes de calceamentis Domini loquens, nisi excellentiam ejus et humilitatem suam. *Rabani Comment. in Matth.* lib. I, cap. 3.

[c] Expavit Joannes Christum ad se venire ut baptizaretur aqua. Jure timuit, homo quamvis sanctus... baptizare Dominum. *Rabani Comment in Matth.* lib. I, cap. 3.

[d] Rarus valde qui Christi caput mereatur pistica nardo perungere. Cum et ille magnus fuerit, qui se indignum dicebat ejus calceamenta portare. Magna et illa quæ ungere pedes ejus, et capillis suis tergere promeruit. *Ibid.*, lib. III, cap. 9.

[e] *Inter mulierum*, inquit, *natos*. His ergo præfertur hominibus qui de mulieribus nati sunt, et de concubitu viri, et non ei qui est natus ex Virgine et Spiritu sancto. Quanquam in eo quod dixit : *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista*, non cæteris prophetis, patriarchis, cunctisque hominibus Joannem prætulit, sed Joanni cæteros exæquavit. Non enim statim sequitur, ut si alii majores eo non sunt, ille major aliorum sit cunctorum, at æqualitatem cum cæteris sanctis habeat. *Rabani in Matth.* lib. IV, cap. 11. Ex *Beda in Luc.* lib. II, cap. 7. *Notandum tamen Rabanum in homilia de sancto Joanne Baptista vulgarem tenuisse sententiam, quam forte postea emendavit in Commentario suo in Matthæum.* Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. Præcellit enim cunctis et universis, antecedit prophetas, supergreditur patriarchas; et quisquis de muliere natus est inferior est Joanne. Qui autem de Virgine natus est major est illo. *Sane animadvertendum quod in Vita S. Mariæ Magdalenæ asserta priori sententia, de Joannis æqualitate saltem cum cæteris sanctis, ejusdem Joannis præcellentiam super omnes neque affirmavit neque negavit, dicens :* Superioribus æqualis, vel cunctis superior.

[f] Maria virgo mater Domini inter omnes mulieres principatum tenet. *Rabani Homil. in die Paschæ.*

D

Digitized by Google

CAP. XXXIV. — *De Pentecoste et Spiritu sancto, et de vita canonica primitivæ Ecclesiæ; et de contemplatione Mariæ.*

Denique post visionem et verba angelorum, *adorantes* apostoli *in loco ubi steterunt pedes* Domini Salvatoris, reginam cœli redeuntem *in Jerusalem* comitati sunt [a] *cum gaudio magno;* templumque ingressi sunt, *laudantes et benedicentes Dominum.* Et *in cœnaculum ascendentes*, cum genitrice Dei, sociisque Mariis cæterisque sanctis mulieribus (*Luc.* XXIV, 52; *Psal.* CXXXI, 7; *Act.* I, 1 *et seq.*), et Christi cognatis, in multa lætitia, unanimes orationi vacabant [b]: *erant enim pariter fere centum viginti* (*Act.* I, 15). Et subrogato, in numero apostolorum, sancto Mathia, advenit dies Pentecostes; descenditque Spiritus sanctus, hora diei tertia, corporali specie, super eos, in linguis igneis cum vehementi sonitu; *et cœperunt loqui linguis* [c] omnium gentium (*Act.* II, 1 *et seq.*), et prophetizare. Qualibet enim lingua loqueretur quis quæve, de illis centum viris et mulieribus, omni audienti, cujuscunque linguæ esset, sua illum illamve lingua loqui videbatur [d]. *Erant* enim tunc *habitantes in Jerusalem*, et diem festum operantes [e] *viri religiosi, ex omni* lingua et *natione, quæ sub cælo est.* Ex quibus crediderunt incontinenti quinque millia [f], ac deinceps innumerabiles.... *Omnes qui credebant erant pariter, et habebant omnia communia; quotquot enim possessores agrorum et domorum erant*, omnia sub pretio redegerunt, *et ad pedes apostolorum* pretium posuerunt (*Act.* II, 44; *Act.* IV, 34). Lazarus etiam, amicus Domini Salvatoris, cum Maria et Martha sororibus, cum multam patrimoniorum et divitiarum copiam possiderent, tam Jerosolymis et in Bethania Judææ, quam apud Magdalum et in Bethania Galilææ: universa venundantes, ad vestigia principis apostolorum pretium obtulerunt. Matronæ quoque nobiles et viduæ ministrabant, mirabili devotione, et condigna affectione, cœli reginæ, gloriosæ Virgini, Dei genitrici Mariæ; et exhibebant, patrio more, obsequia sanctis apostolis Christi, honorabanturque [g]. Quondam Domino Salvatori familiares fuerant et devotæ, Maria videlicet Magdalena, specialis amica Filii Dei, et ministrarum ejus primiceria, apostolorum apostola; nec non hospita Christi, beatissima Martha, ipsius liberalitatis filia; et materteræ Domini, Mariæ Cleophæ, et Salome, et Joanna, et Susanna, ministræ ejus, et cognatæ reginæ cœli, quas evangelistæ sorores illius appellant [h]. Ob id zelo incalescente [i], ortum est *murmur* eorum qui de Græcia venerant Judæorum, eo quod iis quæ de Galilæa et Judæa erant matronis post ponerentur *viduæ eorum, in quotidiano ministerio* sanctorum [j] (*Act.* VI, 1 *seq.*) Quo cognito, princeps apostolorum coegit concilium; septemque diaconos elegit, eosque mensis præposuit, et iis qui ministrabant mensis: *Stephanum* et *Philippum*, *Parmenam* et *Timonem*, *Prochorum* et *Nicanorem* et *Nicolaum* (*Act.* VII). Claruit illico miraculis Stephanus beatissimus, moxque martyrio coronatus est. Sed *et omnes* discipuli Salvatoris cum Philippo diacono [k] ab Jerosolymis ejecti *sunt, præter* eos qui cum cœli regina erant *apostolos*, et quæ ministrabant eis

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] Ascendente in cœlum Domino, discipuli adorantes in loco ubi steterunt novissime pedes ejus, confestim Jerosolymam redeunt. *Rabani Homil. fer.* VI *post Domin. post Ascensionem.*

[b] *Erant omnes pariter in eodem loco*, hoc est in cœnaculo, ubi collegerunt se post ascensum statim Domini. *Rabani Homil.* Dominicæ *in Pent.* — Cœnaculum dictum a communione vescendi. Antiqui enim publice et in commune vescebantur: nec ullis convivium singulare erat, ne occulto deliciæ luxuriam gignerent. *Rabani de Universo*, lib. XIV, cap. 20.

[c] Spiritus sanctus in linguis igneis apparuit, quia omnes quos impleverit ardentes pariter et loquentes facit. *Homil. in Domin. in Pent.*; *Beda in Act. apost.*, cap. 2.

[d] Ipse enim eorum sermo hanc in se vim habebat: ut cum diversarum gentium auditores ibi essent præsentes, unusquisque secundum linguam suam ipsius unius sermonis qui ab apostolis fuerat pronuntiatus susceperat auditum et capiebat intellectum. *Rabani Homil. Dom. in Pent. Beda in Act. apost.* cap. 2. — Spiritus sancti gratia in die Pentecostes effusa est super centum viginti credentes. *Rabani Homil. fer.* IV *Pent.*

[e] *Operantes*, id est celebrantes. Viri religiosi qui de diversis nationibus Jerosolymam Paschalis festivitatis gratia confluxerant. *Rabani Homil. in die Pentecostes.*

[f] Quinque millia: *hic forte desunt quædam in codice: Verbi gratia*, tria millia, mox. *Non enim quinque millia crediderunt in die Pentecostes, sed tria tantum* (Act. II, 41); *ut apprime noverat Rabanus, qui in homilia Dominicæ post Ascensionem ait:* Adveniente Spiritu sancto..., princeps apostolorum..., multis Judæorum millibus prædicavit, ita ut ad ejus prædicationem tria millia virorum legamus credidisse, et baptizatos esse, et non post multum temporis etiam quinque millia credidisse.

[g] Consuetudinis autem Judaicæ fuit, nec deceiatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus abjecisse se memorat: *Numquid non habemus potestatem sorores mulieres circumducendi, sicut et cæteri apostoli faciunt? Rabani in Matth.*; ex *Beda in Lucam*, lib. III, cap. 8. *Homil. quadrag.* — Sed videamus quales comites habuerit: Mariam Magdalenam, et Mariam Jacobi et Joseph matrem, materteram suam, sororem Mariæ matris Domini, matrem filiorum Zebedæi, et alias quas in Evangeliis legimus. *Rabani in Matth.*, lib. VIII, cap. 27. *Beda, ibid.*

[h] Fratres Domini, non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris, liberos Mariæ intelligimus materteræ Domini, quæ esse dicitur mater Jacobi Minoris, et Joseph, et Judæ, quos in alio Evangelii loco fratres Domini legimus appellatos. Fratres autem consobrinos dici omnis Scriptura demonstrat. *Rabani in Matth.*, lib. IV, cap. 12. Quomodo Abraham et Loth fratres appellantur, cum esset Loth filius fratris Abrahæ, et multa habes hujusmodi. *Ibid.*, lib. V.

[i] *Zelus* est spiritualis fervor. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[j] *Factum est murmur Græcorum adversus Hebræos.* Causa murmuris erat, quod Hebræi suas viduas, utpote eruditiores, præferrent viduis Græcorum. *Beda in Act. apost.* cap. 6.

[k] Notandum autem quod Philippus, qui Samariæ evangelizabat, unus de septem fuerit (diaconis). Si enim Apostolus esset, ipse utique manum imponere

Digitized by Google

illustres matronas (*Act.* VIII). Maria vero Magdalena gloriosæ Virgini Mariæ ut cœli reginæ, et matri regis æterni, ineffabili devotione adhærebat; ministrans ei, ut pedisequa, affectione mirabili, et supernæ contemplationi cum illa vacans : angelicis visionibus et visitationibus, quibus illa assidue fruebatur, ut domina; hæc frequenter foveri, refocillari meruit, ut ejus ancilla, et Filii ejus, Dei et Domini nostri, Jesu Christi, specialis amica; quorum visione et alloquio crebrius revelata, solito more, *memoriam abundantiæ suavitatis* Christi (*Psal.* CXLIV, 7), dilecti dilectoris sui, incessanter ruminabat; et *in meditatione* ejus *exardescebat ignis* amoris (*Psal.* XXXVIII, 4), ignis inexstinguibilis quo concremabat seipsam quotidie in holocaustum, desiderio inexplebili sui Redemptoris.

CAP. XXXV. — *Recapitulatio : quam grata fuerit amica Christi Reginæ cœli sanctisque apostolis.*

Erat autem hæc sancta virago gloriosæ Dei genitrici, et sanctis apostolis, amori pariter et honori : propter multimodam, et magnificam, et inæstimabilem, quam cum Domino Salvatore habuerat, familiaritatem. Diligebantque eam ferventius, quam Dei Filium, divinum et magistrum suum, dilexisse sciebant evidentius; honorabant instantius, quam Creatorem et Redemptorem mundi honorasse noverant circumlatius; consolabantur attentius, quam *Deum totius consolationis et solatii* (*II Cor.* I, 3; *Rom.* XV, 5), et per angelos et per seipsum consolari consuetum viderant amabilius. Recolebant assidue et prædicabant populis frequenter, qualiter a sæculari vanitate ad discipulatum Salvatoris conversa fuerit, et proponebant ejus pœnitentiam peccatoribus, pro quibus Christus mori voluit, exemplum conversionis, ut resipiscerent peccatores. Et quia si spes veniæ desit, infructuosa et perfunctoria imo et plectibilis est pœnitentia, adhibebant Mariæ fidem et fiduciam ad probandum spem certam remissionis, ut respirarent pœnitentes. Verum, quia non satis Deo charus est, qui *declinat a malo*, nisi apponat *facere bonum* (*Psal.* XXXVI, 27), exponebant speculum totius sanctimoniæ vitam Mariæ, *ad dandam scientiam* (*Luc.* I, 77), et formam bonæ conversationis, ut *in odorem unguentorum ejus currerent* (*Cant.* I, 3) et mutarentur fideles [a]. Sed quia perfectæ conversationis spes, et piæ conversationis fructus est superna propitiatio et copiosa remuneratio, assumebant Mariam ad asserendum argumentum divinæ miserationis; ut de ea gratularentur omnes. Sororis quoque ejus sanctissimæ Marthæ devotionem ininvestigabilem erga sancti Salvatoris obsequia, et suas ipsorum necessitates, et animum totius liberalitatis et benignitatis gratia plenum, frequentissime memorabant apostoli, publice populis prædicantes, quam familiares, quam gratiosæ, quam acceptabiles fuerint Filio Dei, præ cunctis mulieribus, hæ duæ devotæ sorores; quam intimo amore eum dilexerint, quam dulciter a Deo dilectæ fuerint, quam benigne earum hospitia frequentaverit, quam affectuose sibi suisque ad omnia necessaria de suis facultatibus ministraverint; quam confidenter ei a fratre suo mandaverint : *Ecce quem amas infirmatur;* quam amabiliter ipse fratris earum obitum suis revelans apostolis : *Lazarus*, ait, *amicus noster dormit;* quam misericorditer, *flentes* eas videns, *fleverit;* et cum lacrymantibus lacrymatus sit : ita ut Judæi dicerent : *Ecce quomodo amabat eum*, adstipulante in hoc ipsum *discipulo quem* præ cæteris *diligebat Jesus : Diligebat* Dominus *Jesus Martham, et sororem ejus Mariam et Lazarum* (*Joan.* XIII, 23, XXI, 7, 20, XI, 5). At hanc quoque domum amicorum Christi, Lazari videlicet, Mariæ et Marthæ, *domum orationis* (*Marc.* XI, 1), fieri statuerunt apostoli; in qua Dei omnipotentis, et Virginis Matris Filium, frequentissime deambulasse, sedisse, recubuisse, dormiisse, pernoctasse, orasse et multa miracula fecisse, recolebant; quamque sua sancta inhabitatione, mansione et perendinatione, Salvator ipse sanctificaverat et dedicaverat. Ipsumque sanctum Lazarum, crescente numero fidelium, in eadem basilica [b] ordinaverunt episcopum propriæ civitatis. Qui postmodum sæviente persecutione Judaica, prædicans verbum Christi Cyprum abiit; ibique primus pontifex sedit, vixitque viginti quatuor annis post suam resurrectionem. Ejus quoque et sororum ejus memoria, XVI Kalendas januarii, apud Bethaniam, usque in præsens, venerabiliter recolitur.

CAP. XXXVI. — *Divisio apostolorum, et viginti quatuor seniorum et amicorum Christi.*

Et post martyrium beati Stephani, protomartyris, ad fidem de cœlo vocatus est Saulus (*Act.* IX); non tamen ante annos duodecim dictus est Paulus [c]. *Et qui dispersi erant* cum Philippo, et cæteris sociis sancti Stephani, circuibant, evangelizantes regnum

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

potuisset ut acciperent Spiritum sanctum. *Rabani Homil. fer.* III *post Pent.*, et *Homil. fer.* V. Ex *Beda in Act. apost.* cap. 8.

[a] Per *unguenta* dona Spiritus sancti, ut in Cantico : *Curremus in odorem unguentorum tuorum :* id est bene vivamus in exemplis virtutum tuarum. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[b] Basilicæ regiæ habitationes. Nunc autem ideo divina templa basilicæ nominantur, quia ibi regi omnium Deo cultus et sacrificia offerentur. *Rabani de Universo*, lib. XIV, cap. 21.

[c] Non tamen ante annos duodecim dictus est Paulus, *scilicet ex proconsule ad fidem converso, ut opinatur Rabanus.* Ut enim Scipio, subjecta Africa, Africani sibi nomen assumpsit, et Metellus Creta insula subjugata insigne Cretici suæ familiæ reportavit, et imperatores nunc usque Romani ex subjectis gentibus nuncupantur..., ita et Saulus ad prædicationem gentium missus a primo Ecclesiæ spolio proconsule Sergio Paulo victoriæ suæ trophæa retulit, erexitque vexillum ut Paulus diceretur a Saulo. *Rabani in Paul. Epist. ad Philemonem.* — Videtur Saulus, juxta ordinem historiæ, tertio decimo post Domini passionem anno, apostolatum cum

Digitized by Google

Dei, donec venerunt Antiochiam; ibi congregata est Ecclesia magna discipulorum (*Act.* XI). Ibi cepit originem nomen Christianorum; ibi beata Petro posita est cathedra patriarchatus, in qua, postmodum, ordinato Evodio patriarcha [a], rediit Jerosolymam ad coapostolos, qui ex præcepto Salvatoris, duodecim continuis annis, *in terra repromissionis* (*Hebr.* XI), solis duodecim tribubus prædicabant [b]. Et anno tertiodecimo ascensionis, occisus est Jacobus, frater Joannis, gladio; et Petrus incarceratus; et Saulus, a Spiritu sancto, apostolatum gentium, et Pauli nomen sortitus. Anno vero quarto decimo facta est divisio apostolorum (*Act.* XII, 2; XIII, 2) [c]; Oriens cessit Thomæ et Bartholomæo; Meridies Simoni et Matthæo; Aquilo Philippo et Thadæo; medium mundi Mathiæ et Jacobo; Mediterranei maris provinciæ Joanni et Andreæ; Occidentis regna Petro et Paulo. *Paulus* enim, per idem tempus, *venit Jerosolymam videre Petrum* (*Gal.* I. 18; *Gal.* II, 9.); *dextrasque societatis* apostolicæ dedit, et accepit a Jacobo, et Joanne et Petro; indeque, cum coapostolo suo Barnaba, in Syriam et Illyricum, ut evangelizaret, perrexit; et Petrus Orientem relicturus, Romamque iturus, designavit regionibus Occidentis quas ipse adire non poterat, Evangelii prædicatores, de nobilioribus in Christo, et antiquioribus discipulis Christi; in regionem Galliarum, cujus sunt provinciæ decem et septem, et totidem pontifices; in regionem Hispaniarum, cujus sunt provinciæ septem, doctores totidem [d]. [e] Horum viginti quatuor seniorum, primus *erat* et primicerius, de numero *septuaginta discipulorum* Domini Salvatoris, doctor egregius, miraculorum omnium gratia illustris, et post apostolos Christianæ militiæ signifer, prælectus, [f] *Maximinus. Hujus religioni atque sanctitati beata Maria Magdalena charitatis vinculo se conjunxit: ut quocunque Dominus eum vocaret, ab ejus comitatu, seu contubernio, non separaretur.* Jam enim cœli regina assumpta erat in cœlum, in ministerio cujus, contemplationi vacans, paradisi deliciis interfuerat; jam decem apostolorum facta erat divisio, cum quibus tam diu pia devotione permanserant, donec, invidia Judæorum in Ecclesia persecutionem concitante, Jacobum apostolum Herodes decollaret, Petrumque incarceraret; et credentes a finibus suis propelleret. [g] *Hac* ergo *persecutionis procella sæviente, dispersi fideles, diversa terrarum loca, sibi a Domino delegata, petierunt, ut verbum salutis gentibus Christum ignorantibus constanter prædicarent.* Quibus abeuntibus, consociaverunt se nobiles matronæ et viduæ quæ Jerosolymis et in Oriente eis ministraverant, nec ferentes a consortio specialis amicæ Domini Salvatoris, et omnium ministrarum ejus primiceriæ, longius separari. Inter quas venerabilis hospita Filii Dei Martha beatissima, reverendissimo fratre ejus Lazaro tunc apud Cyprum pontificante, sororis suæ vestigia secuta est; simul et beata Marcella, mulier magnæ devotionis et fidei, beatæ Marthæ pedisequa, quæ Dominum salutans dixerat: *Beatus venter qui te portavit* (*Luc.* XI, 27). Aderat et sanctus Parmenas, diaconus *plenus* fide, et *gratia* Dei (*Act.* VI, 8), cujus custodiæ et curæ sese commendavit in Christo Martha beatissima, sicut et sancto Maximino pontifici sancta Maria. Admirabili ergo divinæ dispositionis consilio, iter ad occidentales orbis plagas dirigunt: ut videlicet

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ

Barnaba Paulique accepisse vocabulum. *Beda in Act. apost.*, cap. 13.

[a] *Vetus Martyrol. vulgo dictum* parvum. Rom. 11. *Non. Maii:* Evodii Episcopi, qui primus ab apostolis Antiochiæ ordinatus est.

[b] Sicut Jacob duodecim filios genuit ad possidendam repromissionis terram: ita Christus duodecim elegit apostolos, quibus terram repromissionis, id est regni cœlestis benedictionem tradidit. *Rabani de Universo*, lib. IV, cap. 1. Cæsareæ civitates duæ sunt in terra repromissionis, *ibid.*, lib. XIV, cap. 1. *Homil. fer.* V *Paschæ.*

[c] Quarto decimo autem anno, juxta condictum Jacobi, Cephæ et Joannis, ad gentium magisterium profectum est. Nec historia ecclesiastica repugnat dicens apostolis fuisse præceptum ut duodecim annis prædicarent in Judæa. *Beda in Act. apost.*, cap. 13. — Mendacium scripsit ille qui ex persona Melitonis episcopi Asiæ librum exponens de obitu beatæ Genitricis Dei, dicit quod secundo post ascensionem Domini anno apostoli fuerint omnes toto orbe ad prædicandum in suam quisque provinciam divisi: qui universi, appropinquante obitu beatæ Mariæ, de locis in quibus prædicabant verbum Dei elevati in nubibus rapti sunt Jerosolymam, ac depositi ante ostium domus ejus..., quæ Scriptura etiam specialiter de Joanne apostolo refert, quod eo tempore Ephesi prædicaverit: quæ cuncta verbis beati Lucæ contradicunt, quibus narrat apostolos cæteris fidelibus ab Jerosolymis propulsis remansisse ibidem... Absit autem ut credamus beatum Joannem apostolo... cui Dominus in cruce matrem suam Virginem virgini commendavit... eam reliquisse solam, ac tanto tempore dejectam. *Beda, Retract. in Act. apost.*

[d] Sub præfecto prætorio Galliarum, septem erant provinciæ Hispaniæ, et decem et septem Galliæ, in notitia imperii ultra Arcadii Honoriique tempora scripta, ut videre est apud Pagium, an. 37, IV, VII, t. I.

Hispaniæ.	*Galliarum.*
Sub diœcesi Hispaniæ, provinciæ VII:	Sub diœcesi Galliarum, provinciæ XVII:
Bætica,	Viennensis,
Lusitania,	Lugdunensis prima,
Gallæcia,	Germania prima,
Tarraconensis,	Germania secunda,
Carthaginensis,	Belgica prima,
Tingitania,	Belgica secunda,
Baleares.	Alpes maritimæ,
	Alpes Penninæ et Graiæ,
	Maxima Sequanorum,
	Aquitania prima,
	Aquitania secunda,
	Novempopuli,
	Narbonensis prima,
	Narbonensis secunda,
	Lugdunensis secunda,
	Lugdunensis tertia,
	Lugdunensis Senonia.

[e] *Ancienne Vie de sainte Madeleine.*

[f] *Ibid.*

[g] *Ibid.*

Digitized by Google

non solum per Evangelium beatæ Mariæ sororisque ejus laus et memoria toto orbi innotesceret; verum etiam, sicut Oriens exemplo devotæ conversationis earum felix exstitit, sic plaga occidentalis corporali earum præsentia et sacrosanctis earum reliquiis illustraretur.

Cap. XXXVII. — *Qualiter viginti quatuor seniores Gallias et Hispanias sortiti sunt.*

Igitur æquoris undas ingressi, cum gloriosa Dei [a] Maria Magdalena, ac sorore ejus Martha beatissima, sanctus archipræsul Maximinus, et beatus Parmenas, archidiaconus, episcopi quoque Trophimus, Eutropius, nec non et reliqui duces Christianæ militiæ, flante Euro, Asiam relinquentes, inter Europam et Africam, per mare Tyrrhenum, et circum versus descendentes, urbem Romam totamque Italiam a dextris relinquentes, nec non et Alpes, quæ, a Ligustico sinu et mari Gallico exsurgentes, orientem versus sinu Ligustico [b] terminantur in mari Adriatico, [c] *prospero cursu applicuerunt* a dextris, in provincia Galliarum Viennensi, apud civitatem *Massiliam*, ubi mari Gallico Rhodanus recipitur. Ibi, *invocato magno mundi principe Deo* (*II Mach.* XII, 25), provincias regionis ad quam eos Spiritus appulerat inter se, eodem inspirante, partiti sunt; moxque *profecti prædicaverunt ubique*, Domino *cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis* (*Marc.* XVI, 20). *Sed* enim *rex virtutum dilecti dilecti dedit verbum evangelizantibus virtute multa, qui speciei domus Dei dedit dividere spolia* fortis armati (*Psal.* LXVII, 12, 13). Sortitus est sanctus archipræsul Maximinus Aquensem, metropolim provinciæ Narbonensis secundæ, in qua beata Maria Magdalena complevit cursum peregrinationis suæ; Paulus Narbonam, metropolim provinciæ Narbonensis primæ; Austregisilus Bituricam, metropolim Aquitaniæ primæ; Hirenæus Lugdunum, metropolim Lugdunensis (*primæ; Gatianus Turonem, metropolim Lugdunensis*) [d] tertiæ; Sabinus et Potentianus Senonas, metropolim Lugdunensis quartæ; Valerius Treverim, metropolim Belgicæ primæ; Feroncius Bisuntium, metropolim provinciæ maximæ Sequanorum; Eutropius Sanctonas, urbem Aquitaniæ secundæ, cujus nunc metropolis est Burdegalis; Trophimus Arelatem, tunc metropolim provinciæ Viennensis. Hæ decem provinciæ Galliarum iis prædicantibus crediderunt. Cæteri doctores, non reliquis septem provinciis, sed septem civitatibus provinciarum, prædicaverunt: Eutropius apud Aurasicum, civitatem provinciæ Viennensis; Frontinus apud Petragoras, urbem Aquitaniæ secundæ; Georgius apud Veliacum, urbem Aquitaniæ primæ; Julianus apud Cenomanum, urbem Lugdunensis tertiæ; Martialis apud Lemovicas, urbem Aquitaniæ primæ; Saturninus apud urbem Tolosam, Narbonensis primæ, in qua præcipitatus est de Capitolio, pro Christi fide; Parmenas apud urbem Avenicorum, provinciæ Viennensis, cum venerabili ministra Domini Salvatoris Martha sancta, recedit; Marcella quoque ministra ejus. Epaphras et Sosthenes, Germanus et Euchodia, et Syntex. Rothomagus, cum sua provincia Lugdunensi secunda, quæ nunc est Normannia; Maguntia, cum sua provincia, Germania prima; Colonia, cum sua provincia, Germania secunda; Octodurus cum sua provincia, Alpium Graiarum et Penninarum; Auxitana metropolis cum sua provincia Novempopulania; Hebreduna metropolis cum sua provincia Alpium maritimarum: Remi metropolis, cum sua provincia Belgica secunda, aliis doctoribus reservatæ sunt. Eorum vero qui ad Hispanias ab apostolis destinati sunt hæc sunt nomina: Torquatus, Thesiphum, Secundus, Indalecius, Cæcilius, Esicius, Euphrasius. Ii septem Hispaniarum provincias septem Christianæ fidei conjunxerunt.

Cap. XXXVIII. — *Qualiter beata Maria apud Aquensem metropolim, tum prædicationi, tum contemplationi vacaverit.*

Beatus igitur Maximinus Aquensem metropolim ingressus, doctrinæ cœlestis semina gentilium cordibus inspargebat, [e] *die noctuque, prædicationi et orationi et jejunio insistens, ut populum ipsius regionis incredulum ad agnitionem et cultum Dei omnipotentis perduceret.* Postquam vero, prædicatione evangelica, nova fidei seges excrevit, beatus præsul Maximinus, Aquensi Ecclesiæ præsidens, multis et diversis miraculorum virtutibus effulsit. Cum quo gloriosa et specialis Domini Salvatoris, in eadem Ecclesia, supernæ contemplationi vacans, quippe quæ revera erat Redemptoris ardentissima dilectrix, optimæ partis prudentissima electrix, quæ, teste Deo, nunquam ei ablata est, ex quo eam ad pedes Christi adepta est, Maria Verbi Dei mentis esuriem, miro modo, excitabat et excitando reficiebat; dilecti dilectoris sui allecta dulcedine, in Domino desiderio

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] *Forte deest vox* amica.

[b] Cod. primum *Lugiristio* et demum *Ligurio* ex incuria certe amanuensium. Apud *Rabanum* de *Universo* habes *Ligustici æquoris*, lib. XII, cap. 5.

[c] *Ancienne Vie de sainte Madeleine.*

[d] *Primæ; Gatianus Turonem metropolim Lugdunensis*, hæc desunt in codice ex incuria librarii certe ob duplicata verba *metropolim Lugdunensis*. Etenim: 1° Rabanus nullatenus dixisset Lugdunum esse metropolim provinciæ Lugdunensis tertiæ, cum ipsemet inferius animadvertat, et quidem merito, Cenomanum situm esse in Lugdunensi tertia. 2° *Hæ decem provinciæ Galliarum, his prædicantibus crediderunt. Cæteri doctores, non reliquis, septem provinciis*, etc., ex quibus sequitur Rabanum nominatim decem jam designasse provincias. Verum novem tantum enumerantur in codice. Unam ergo ibidem omissam fuisse necesse est; quæ autem omissa fuit, Turonensis est. Etenim decem et septem admittit Rabanus in Galliis provincias: porro sexdecim tantum enumerantur in codice, prætermissa Turonensi. Turonensem ergo omissam fuisse inconcusse sequitur.

[e] *Ancienne Vie de sainte Madeleine.*

Digitized by Google

poculi ebriata [a], se totam secum colligens, et erigens se super se, castissimi amoris calore soluta, interna gaudia degustabat; in terris adhuc posita, æthereis spatiando [b] choris, inter angelos mente deambulans. Hæc secum. De proximorum quoque salute sollicita, propter quos occidentales orbis fines adierat, contemplationis dulcedinem quandoque seponens, incredulis interim prædicabat, vel credentes in fine confortabat melliflua mente, mellita verba auditorum animis instillans. Nam *ex abundantia cordis os* loquebatur (*Matth.* XII, 24), unde etiam omnis illius prædicatio vere divina erat contemplatio. Se ipsam semper proponebat peccatoribus exemplum conversionis, pœnitentibus spem certam remissionis, fidelibus formam miserationis, et omni populo Christiano argumentum divinæ miserationis: oculos ostendens, quorum fluentis Christi vestigia rigavit, quibus etiam Christum resurgentem a mortuis prima vidit; capillos quoque quibus lotos lacrymis suis pedes primo siccavit, secundo in cœna nardo pretioso perunctos extersit; os simul et labia, quibus non solum viventis, sed et mortui, et a mortuis resurgentis, millies et millies osculata est vestigia; manus et digitos quibus Dei omnipotentis pedes primo tenuit, et lavit, atque perunxit; hos denuo pistico nardo perfudit, residuumque nardi super verticem Filii Dei effudit. Quid singula memorem? quis evangelistarum Mariæ Magdalenæ merita tacet? quis apostolorum Domino familiarius adhæsit? quis eorum doctrinæ ipsius fluenta avidius hausit? Oportet igitur, ut sicut anastasis Christi apostola destinata est ad apostolos, et ascensionis ejus prophetissa, sic et credentium in toto orbe fieret evangelista. Hoc noverat ille, qui ejus, in unctione capitis sui, cernens et approbans devotionem: *Bonum opus operata est in me; amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium, in toto mundo, et quæ hæc fecit, narrabitur in memoriam ejus* (*Matth.* XXVI, 10, 13; *Marc.* XIV, 9.)

CAP. XXXIX. — *Ubi beata Martha prædicaverit, et de miraculis utriusque sororis.*

Beata quoque Martha, cum sociis suis, apud urbem Avenicorum et Arelatensium, et quæ circa Rhodanum erant villas, et oppida, in provincia Viennensi, evangelizabat populis Dominum Salvatorem, quæ circa ipsum viderat, quæque ab ejus ore didicerat, publice contestans; quodque de divinis virtutibus prædicabat, propriis miraculis astruebat. Aderat ei, cum opportunitas exigebat, præmissa oratione, et signo sanctæ crucis edito, *gratia curationum* (*I Cor.* XII, 30), leprosos mundandi, paralyticos curandi, mortuos suscitandi, cæcis, mutis, surdis, claudis, debilibus et ægrotis beneficia præstandi. Hæc Martha. Simili modo, Maria ineffabili facilitate miracula faciebat, ad fidem dictorum astruendam et fidem auditorum provocandam. Erat autem in utriusque earum vultu veneranda venustas, honestas in moribus, in verbis promptissima gratia ad suadendum. Vix, vel nunquam, inveniebatur aliquis, qui ab earum prædicatione incredulus recederet, vel sine fletu; qui non ab earum facie inflammaretur Domini Salvatoris amore, vel propriæ miseriæ consideratione lacrymaretur. Erat in earum victu parcimonia, in habitu cum honestate religio; quanquam Maria de alimento et vestiario parum curaverit, postquam Domini Salvatoris præsentiam perdidit corporalem, cum tamen ei affatim providentes necessariis, quæ cum ea erant eique adhærebant mira affectione matronæ. Inde etiam illud inolevit apocryphum, si tamen ex toto apocryphum: cum mos sit venefici miscere abundantius mel, ut propinent latentius fel; inde, inquam, forte inolevit illud apocryphum, quod quotidie ab angelis in æthera sustolleretur, quod ab angelis denuo deponeretur, quod cibis supercœlestibus, quos angeli ministrarent, reficeretur. Hoc si mystice intelligatur, non omnino incredibile est. Revera enim, et sine dubio, angelorum frequentissime refovebatur aspectu, relevabatur obsequiis, et mulcebatur alloquiis. Decuit enim, et certe decuit, ut miro modo et a sæculis inaudito Mariam consolaretur *Deus totius consolationis* (*II Cor.* I, 3), cui ipsa Maria, mira et a sæculo inaudita præbuit obsequia devotionis in terris. Cæterum, quod post Salvatoris ascensionem, statim in eremum Arabiæ fugerit, quod in specu sine veste latuerit; quodque, postea, virum nunquam viderit; quod a presbytero, nescio quo, visitata, vestem petierit, et cætera nujusmodi, falsissima sunt, et a fictoribus fabularum, de gestis pœnitentis Ægyptiacæ, mutuata. Quin, et ipsi, in initio fabulæ suæ, mendacii se accusant, Josepho, doctissimo historiographo, narrationem suam ascribentes, cum Josephus, in libris suis, nunquam Mariæ Magdalenæ meminerit [c]. Et de iis hæc sufficiant. Nunc, ad narrationis ordinem revertamur,

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] *Ebrietas* est gaudium supernæ gratiæ, quod charitate erunt plenissimi electi, quando carnis simul et animæ felicitate perfruentur. *Ebrietas*, interna satietas sanctorum, ut in psalmis: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*, id est de supernæ domus tuæ plenitudine, et hic quandoque sancti tui pascuntur. *Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[b] Maria demonstrat vitam contemplativam qua in Dei amore suspiramus. Contemplativa vita est charitatem Dei et proximi tota mente retinere... soli desiderio conditoris inhærere, ut... ad videndam faciem Creatoris sui animus inardescat, ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis angelorum choris interesse, admisceri cœlestibus civibus, de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere. *Rabani Homil. In Assumpt.* Ex *Beda in Luc.*, lib. III, cap. 10.

[c] *Notissima enim erant Rabano Flavii scripta, a quo et multoties citantur. In Comment. in Matth., lib.* I, cap. 2. — Legitur in Josepho Herodem nonnullos de principibus Judæorum ante mortem suam necasse. *Ibid.*, lib. V. — Nec prætereundum quod narrat Josephus, vinctum Joannem in castellum Macherunta abductum, ibique truncatum. *Ibid.*, lib. VIII. — Josephus quoque refert virtutes angelicas præsides quondam templi tunc pariter conclamasse: Transeamus ab his sedibus.

Digitized by Google

et sepositа interim contemplatione Mariæ, actus et miracula sororis ejus Marthæ beatissima prosequamur.

CAP. XL. — *Ubi beata Martha Viennensem provinciam a Tarasco liberavit.*

Inter Arelatem et Avennicum, Viennensis provinciæ civitates, circa Rhodani ripas, inter infructuosa fruteta et glareas fluminis, ferarum reptiliumque virulentorum eremus erat. Ibi inter cætera venenosa animantia, draco terribilis oberrabat, incredibilis longitudinis, et magnæ molis; fumum pestiferum flatu, scintillas sulphureas oculis, sibilos stridentes ore, rugitusque horribiles aduncatis dentibus, proferens [a]; quidquid incidisset in eum ungulis et dente dilanians; quidquid propius accessisset anhelitus sui fetore mortificans. Incredibile est quot pecora, pastoresque voraverit; quantam hominum multitudinem, malo odore moribundos, ad mortem compulerit. Una dierum, evangelizante Dei verbum beatissima turbis quæ convenerant, incidit sermo qui tunc erat omnis de dracone, quibusdam quidem devote obsecrantibus, quibusdam vero, ut assolet, tentando, dicentibus ut: Hic [b] si qua esset Christi sui virtus ostenderet beata virago; nec enim posset fieri ut ulla humana industria draco iste de medio tolleretur. Quibus illa: Si, inquit, parati estis credere, *Omnia possibilia sunt credenti* (*Marc.* IX, 22). Mox fidem promittentes, populos ipsa gratulanter præcessit; cubilia draconis constanter adiit; signo crucis edito, feritatem ejus compescuit; zona sua propria collum draconis cinxit, populosque, a longe prospectantes, intuens: Quid est, ait, quod trepidatis? ecce serpentem teneo, et vos adhuc cunctatis; accedite fortiter in nomine Domini Salvatoris, hancque virulentam belluam in frusta conscindite. Dixit, hincque draconi ne flatu cuiquam vel dente noceret, potenti virtute interdicens; inde turbas *modicæ fidei* (*Matth.* VIII, 26) increpans, atque ad feriendum constanter provocans, draconem quidem illico compescuit, turbas vero vix animavit. Armis denique ac viribus insistentes, bestiam frustatim discerpserunt, fidem et constantiam Marthæ beatissimæ admirantes, quod tam immanem belluam, tam facile, absque ullo pavore, zona sua fragili, dum truncaretur, teneret immobilem. Vocabatur prius locus ille eremi, niger focus; ex tunc Tharascona dictus est a dracone, qui Tharascus dicebatur. Atque ita, viso vel audito miraculo, Viennensis provinciæ populi crediderunt Domino Salvatori, et baptizati sunt, glorificantes Deum in miraculis ancillæ suæ; quæ, ex tunc, pro meritis suis præcipuis, cunctis provincialibus et amori exstitit et honori.

CAP. XLI. — *Qualiter beata Martha apud Tarasconam conversata sit*

Profugata denique, Dei virtute, ab eremo Tharascona, omni reptilium virulentia, elegit sibi mansionem in ea Martha sanctissima; locum prius odibilem et detestabilem, habitabilem reddens, et amœnum et amabilem. Factaque est sibi in ea *Domus orationis* (*Marc.* XI, 17), quam virtutibus et miraculis, magis quam muliebribus inutilibus ditare studuit ornamentis: sedit ibi solitaria (*Thren.* III, 28) septem annis. Omnis cibus ejus, tanto tempore, radices olerum, et herbæ virentes, arborum fructus et poma. Hoc tamen edulio refici plusquam semel in die, nefas ducebat, hæc sibi: ad proximos autem non sic. Ne enim jejunium suum quotidianum sibi esset, sine pietate, supplicium, secumque manentibus onerosum: hospitalitatis pristinæ semper memor, sine pauperibus nunquam erat; quibus, quod sibi conferebatur, libentissime largiebatur. Semper egenos suæ mensæ participes faciens, sibi quidem herbas, illis vero necessarias, pia sollicitudine et solita pietate, exhibens escas, majori alacritate et studio frequentiori, quam si sibimet vellet apponi sumendas, reminiscens quod ille, quem olim in terris exhibere solebat, qui esuriit et sitivit, quia volebat: jam non indiget temporalibus beneficiis, ut solebat; ideoque se, nunc, in pauperibus recreari volebat. Meminit ancilla Christi quid suis dicturus sit Christus: quod *uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40). Et idcirco, ut olim ministravit capiti Ecclesiæ, nunc providere studuit membris Christi: omnibus semper amabilis, universis affabilis. Et, quia *hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX, 7), sic ancillæ suæ solita miseratione providit, *ut* fons *indeficiens* novæ plenitudinis *oriretur* (*Eccli.* XXIV, 6), et abundaret in cellariis (*Deut.* XXVIII, 8), quotidiana clementia vacuatis, absque omni sua sollicitudine, dum devotio fidelium eo magis conferebat, quod posset dare abundanter; quia ipsa, innata sibi liberalitate, dabat hilariter. Sed nec *divites dimittebat inanes* (*Luc.* I, 53), quorum confluebant ad eam plurimi, corporis animæ beneficia reportantes. Vestis ejus aspera, saccus et cilicium, tempore septenni, cingulo nodoso, de setis equinis, ad carnem astricta, ita ut vermes ex putrida carne illius effluerent. O patientia incomparabilis, fieret, quod vivens in carne, vermibus esca suis! Semper nuda pedes, alba tyara de pilis cameli velata caput. Lectus ejus stratus loco ramis arborum et sarmentis, licio superstrato, cervicalis lapide temporibus substrato. Has inter delicias, millies martyr, Martha sanctissima, mente cœlos inhiabat. Animus ejus Deo deditus ex toto in orationibus sacris erat perditus, et per-

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] *Sap.* XI, 18. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua... immittere illis.

19. Novi generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes

20. Quarum non solum læsura poterat illos exterminare, sed et aspectus per timorem occidere.

[b] *Ut hic*, forte: *utique* ex incuria dictantis scribentisve; ut superius *qui in*, pro *quin*,

Digitized by Google

nox. Quemque olim viderat in domo sua humilem, flexis infatigabiliter genibus, adorabat in cœlo regnantem. Procedebat quoque frequenter ad urbes, et oppida, evangelizans populis fidem Domini Salvatoris; plurimosque credentium manipulos, ad suam solitudinem rediens, reportabat. Quod enim verbis docebat, prodigiis et signis incontinenti probabat; sola oratione quoque, adhibita manuum impositione, dæmonia obsessis corporibus expellendo, et omne genus virtutum, in virtute sancti Spiritus, exercendo.

CAP. XLII. — *Ubi beata Martha juvenem Rhodano submersum resuscitavit.*

Apud Avennionem, Viennensis provinciæ civitatem, ante fores urbis, in loco amœno, inter Rhodani fluctus et urbis propugnacula, civium turmis vitæ verbum evangelizans, et ægros sanans, sedebat Martha beatissima, una dierum. Et juvenis, qui erat trans Rhodanum, videns circa populorum frequentiam, et volens audire verbum Dei, cum ei nec pontis, nec scaphæ opportunitas adesset; tamen hinc aviditate ductus audiendi, et videndi miracula, industriæ denatandi confidens, pericia [*Forte*, perizoma] exspoliat se, et Rhodani fluentis sese committens, cœpit natare. *Omnium* civium trans Rhodanum *oculi intendentes erant in eum* (*Luc.* IV, 20), cum subito æstuantis Rhodani turgentibus intercipitur undis; submersusque necatus est. Clamor popularis attollitur, juvenis devotio approbatur, infortunium deploratur. Quid multa? Totius populi hic erat animus; hæc voluntas: hoc votum: ut missis piscatoribus, et sagenis, omni industria corpus juvenis requiratur, si forte Domini Salvatoris misericordia contingeret inveniri. In crastinum hora diei nona, multo sudore quæsitum, inventum, allatum, et Marthæ sanctissimæ est oblatum. *Convenit universa civitas* (*Act.* XIII, 44) ad spectaculum hoc. Nobiliores urbis, in utroque sexu, obsecrant et obtestantur, flexis genibus, ancillam Christi, ut Christi Salvatoris magnalia liceret eos cernere, in juvenis hujus resuscitatione. Annuit illa, gratissimo ut erat animo: si tamen omnes qui aderant Christianæ fidei manus darent. Conclamant omnes una voce: Credemus Dominum Salvatorem, verum Dei Filium, et Deum esse, qui te talem elegit famulam. Ad hæc, exhilarata Martha beatissima, et de Domini Salvatoris pietate et potestate confidens, prosternitur cum lacrymis et orat; prosternuntur et populi, ipsa movente; atque *ejulatu magno* (*Gen.* XXVII, 38) omnipotentis Dei implorant clementiam, ut ad honorem et *gloriam nominis sui*, suam in hoc miraculo dignetur *excitare potentiam* (*Psal.* LXXVIII, 9; *Psal.* LXXIX, 3). Completa oratione, surrexit ancilla Christi, et accedens ad corpus: *In nomine*, inquit, Domini Salvatoris *Jesu Christi* Filii Dei, *surge, juvenis*, et *narra* nobis *quanta tibi fecerit* benignitas Redemptoris. Quid multis moror? Ad hanc vocem, redeunte anima, revixit juvenis, *et resedit* (*Act.* III, 8; *Luc.* VIII, 39; *Luc.* VII, 15; *Act.* IX, 40), moxque in Christum se credere confessus est, et baptizatus est. Et post multam populorum congaudentium lætitiam, sanus et incolumis ad propria remeavit. Quod videntes populi conclamaverunt omnes unanimiter: Christum Jesum verum *Deum esse, nec esse alium præter* Christum Deum (*Judit.* IX, 19). Ex tunc, Marthæ ministræ Christi sanctissimæ fama celeberrima in ore omni; ex tunc, virili sexui amori et femineo fuit honori.

CAP. XLIII. — *Ubi beata Martha aquam in vinum convertit, in dedicatione domus suæ.*

Per idem tempus, per universas provincias Galliarum, maximeque Viennensium, Narboniensium et Aquitaniarum clarissimus rumor, et opinionis bonæ suavissimus odor, *sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus* (*Gen.* XXVII, 27), omnium comprovincialium animos ad Christi fidem, et ad ancillæ Christi, sanctissimæ Marthæ, amorem excitabat. Congaudebat et congratulabatur ei soror ejus beatissima, cum summa reverentia nominanda, Maria Magdalena: sanctissimæ, et contemplativæ vitæ ordinator et custos, archiepiscopus Maximinus, qui accensus animo, ministram Christi *videre et alloqui* (*Act.* XXVIII, 20), a sua Narbonensi secunda in Viennensem provinciam, usque ad Tharasconam ire perrexit. Simili modo Trophimum archiepiscopum, a civitate Arelatensi; sed et Eutropium pontificem, ab Aurasicensi, Tharasconam advexit eadem intentio et voluntas, simile desiderium, et votum, eadem die, et hora; cum tamen, tunc, nullus eorum alterius suspicaretur adventum, convenerunt tamen pariter, inspirante Deo, qui *disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII, 1). Suscepit eos honorifice sacrosancta virago, exhibuit liberaliter, violenter retinuit; et die sexta decima Kalendarum Januarii, quæ est septima decima dies mensis casleu, qui Decembris dicitur apud Latinos [a], domum Marthæ beatissimæ signis illius, et virtutibus, sanctaque ejus conversatione insignem, dedicaverunt Domino Salvatori basilicam. Et post dedicationem templi, cum ad cœnam accessissent pontifices, ministravit eis, mira et consueta affectione, Martha sanctissima. Erant autem discumbentes multi qui convenerant. *Et deficiente vino* (*Joan.* II, 3), aquam in nomine Jesu Christi hauriri et abundanter omnibus propinari jussit hospita Domini Salvatoris. Quam ut pontifices in convivio gustaverunt, in vinum optimum aquam conversam senserunt. Statuerunt, igitur, communi decreto, pontifices diem illam, omnibus annis, venerabiliter observari: ob dedicationem basilicæ [b], et aquæ in vinum mirabilem mutationem.

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] Mensis Casleu, qui apud Latinos dicitur December. *Rabani Comm. in Machab.*, lib. I, cap. 1.

[b] Illum diem quo dedicatum est templum a Salomone, sicut Regum liber et Paralipomenon narrat.

Digitized by Google

CAP. XLIV. — *Ubi beata Martha Mariam salutat, et præsules exhibet, et sui transitus diem imminere prædicit*

Post translatum beatæ Marthæ, hujus occasione miraculi, mos inolevit ut, die dedicationis ejus domus, etiam festivitatem celebrarent transitus ejus; simul et passionem sancti Lazari, episcopi, fratris ejus; quod et de beato Joanne Baptista [a], et de apostolis Christi Joanne et Jacobo, Simone et Juda, martyribusque quamplurimis, usque hodie fieri videmus; ut non in diebus quibus passi sunt, sed in diebus quibus dedicatæ sunt ecclesiæ eorum, vel inventæ eorum reliquiæ, celebrentur passiones eorum. Valedicentes denique ancillæ Christi beatæ antistites, commendantes se sacrosanctis meritis illius et precibus, data et accepta invicem benedictione, *ab invicem discesserunt* (*Act.* XV, 39). Salutavit autem beata virgo sororem suam venerabilem et universo mundo prædicabilem, Mariam Magdalenam: rogans omnisc, ut eam, dum viveret, visitare dignaretur. Quod ubi beatæ dilectrici Dei retulit archipræsul, salutatione sororem resalutavit, quodque petebatur concessit; quamvis illud non in corpore, sed post corpus, impleverit. Unde datur intelligi, sanctos Dei suorum meminisse, post corpus, quibus exhibent quod in corpore promiserunt. Inolevit per idem tempus, in provincia Aquitaniæ, persecutio sæva gentilium, multique Christianorum trusi sunt in exsilium. Inter quos Frontinus, Petragoricencis episcopus, et Georgius Veliacencis Tharasconam ad beatissimam Martham confugerunt, quos illa in signum charitatis benigne admittere, magnifice exhibere; ac donec ad proprias diœceses redire permitterentur, honeste studuit retinere. Quibus tandem ad propria properantibus, ultimum valedicens ancilla Christi: O, inquit, præsul Petragoricensis, noveris me proximo anno completo migraturam *de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24); obsecro, si placet, adveniat sanctitas tua ad me sepeliendam. Cui antistes: Ego, ait, o filia, tuis obsequiis adero, Deo volente, *vita comite* (*Genes.* XVIII, 10, 14). *Redierunt* ergo pontifices *in sua* (*Act.* XXI, 6), suosque ad se convocans Martha beatissima, diem transitus sui imminere post annum prædixit eis; lectoque suo illo nobili de sarmentis decumbens, toto illo fere anno, febribus urebatur, *ut aurum in fornace* igne *probatur* (*Sap.* III, 6).

CAP. XLV. — *Ubi beata Maria Christum videt; migrat et sepelitur.*

Interea, beata Maria Magdalena supernæ [b] contemplationi vacans, et partem optimam, quam elegit (*Luc.* X, 42) conservans, licet adhuc in terris corpore peregrinaretur, mente tamen paradisi amœnitatem deambulabat [c], et illa ineffabili dulcedine, quantum fas mortalibus, pascebatur. Quis autem explicare sufficiat quibus trahebatur suspiriis; quibus *amica Salvatoris* anhelabat [*Codices regii* 5281, 5360, ad cœlestia] votis, quamvis hic jam angelorum frueretur frequentia; quibus, inquam, desideriis ardebat, cupiens *esse cum Christo* (*Philip.* I, 23); ut quem viderat in servili forma humilem (*Ibid.* II, 7), in majestate cerneret regnantem [d]. *Appropinquante tandem tempore, quo ejus sanctissima anima carnis ergastulo solveretur* et [*Codices regii* ad] illa atria, quæ concupiscebat, et in quæ deficiebat (*Psal.* LXXXIII, 3), ingrederetur, Dominoque plenius jungeretur, apparuit ei Filius Dei Dominus Salvator, viditque desiderium suum: ipsum scilicet [*Codices regii*, videlicet] *Christum* Jesum, cum multitudine angelorum, *ad cœlestis regni gloriam*, pie et *misericorditer* ad se *vocantem* (*Apoc.* III, 21): Veni, dilecta mea, et ponam te in thronum meum; quia *concupivit rex speciem tuam, speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV, 12, 3); *ut cui*, in terris cum hominibus conversanti (*Baruc.* III, 38), *temporalis vitæ* subsidia officiosa sedulitate ministrasti [*Codices regii*, ministraverat], *ab ipso cœlestis vitæ* præmia, inter choros angelorum gaudens et exultans, *sine fine percipias* [Codices regii, *perciperet*]. *Transiit autem* specialis amica Domini, et apostola Salvatoris, [e] *undecimo Kalendas Augusti, lætantibus angelis: cœlestium virtutum cohæres effecta, dignaque* cum illis sempiternæ *claritatis gloria perfrui*, REGEMQUE SÆCULORUM IN DECORE SUO VIDERE (*Isai.* XXXII, 17). *Cujus sanctissimum* [Codices regii, *sacratissimum*] *corpus, beatus Maximinus antistes, diversis conditum aromatibus, in mirifico collocavit mausoleo; ac, deinde super beata membra, honorificæ architecturæ construxit basilicam. Monstratur autem sepulcrum ejus, ex candido marmore, continens in se sculptum qualiter, in domo Simonis,* delictorum veniam promeruit; simul *officium humanitatis*, quod circa Domini [*Codices regii*, ejus] sepulturam devota exhibuit.

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

Judæi solemniter celebrabant, et ipse dies apud eos festus habebatur, qui usus videlicet in illis exolevit, qui caruerunt et cultu et templo. Christiani autem servant morem illum Patrum, in quibus gloria translata videtur. *Rabani de Institutione clericorum*, lib. II, cap. 45.

[a] (Ex Evangelistis) colligitur Joannem imminente festivitate Paschali fuisse decollatum... et propterea quod in libro Sacramentorum natale ejus quarto Kalendarum septembrium die notatum est, et in Martyrologio, quod Eusebii, et Hieronymi vocabulis insignitum est, legitur quarto Kalendas septembris in Emissa civitate Phœniciæ provinciæ natale Joannis Baptistæ die quo decollatus est, non specialiter diem decollationis ejus, sed diem potius quo caput ejus in eadem civitate Emissa repertum, atque in ecclesia est conditum, designat. *Rabani in Matth.*, lib. V, cap. 19

[b] *Codex Rabani* semper. Sed *in regiis codicibus*, 5281, 5360, ubi hæc reperiuntur (e Rabano, ut videtur, desumpta) legitur supernæ. *Sic etiam apud Rabanum superius*, cap. 38, *supernæ contemplationi vacans.*

[c] *Paradisus*, gaudium cœleste, ut in Apocalypsi, *de ligno Paradisi. Rabani Allegoriæ in sacram Scripturam.*

[d] *Ancienne Vie de sainte Madeleine*

[e] *Ibid.*

Digitized by Google

CAP. XLVI. — *Ubi beata Martha sororis suæ animam in cœlos ferri vidit ab angelis.*

Quæ dum geruntur apud Aquas, metropolim provinciæ Narbonensis ecclesiasticæ [*Adde*, secundæ], eadem hora, in provincia Viennensi, apud Tharascŏnam, ministra Domini Salvatoris Martha sanctissima, lecto febri detenta, divinis tamen laudibus intenta, dum cœlestia meditaretur, vidit angelorum choros sororis suæ Mariæ Magdalenæ animam in cœlos ferentes. Vocatisque his, qui ei assidebant, retulit eis quid viderit; rogans eos sibi congratulari, exclamansque inquit : O pulcherrima soror, *quid est quod fecisti?* (*Gen.* XII, 18.) Cur me, ut mihi promiseras atque mandaveras, non visitasti? Ergone sine me frueris amplexibus Domini Jesu, qui nos se multum diligentes multum dilexit? *Sequar te quocunque ieris* (*Luc.* IX, 57). Tu vero, interim, vivas vita æterna, valeasque sine fine felix [a], et animæ tuæ memoris, non immemor esse velis. Hac igitur visione exhilarata sacrosancta virago, plus solito cupiebat *dissolvi et esse cum Christo*, ægre ferens diutius *permanere in carne* (*Phil.*, I, 23, 24), sororis suæ, et angelorum quos viderat consortio carere. Sciensque se nuper migraturam, credentes admonet, erudit et confortat. Cum igitur, fama ferente innotuisset, quod ancillæ Christi transitus immineret, *convenit multitudo* magna fidelium (*Act.* II, 6), permanseruntque cum ea donec sepeliretur, extensis per nemora papilionibus, ignibus undique accensis.

CAP. XLVII. — *Ubi Christus et Magdalena, ejus amica, apparuerunt beatæ Marthæ.*

Septima igitur sequenti die advesperascente, præcepit eis, ut luminaribus accensis cereis septem, tribusque lampadibus [*Hic forte quiddam deest in codice, verbi gratia :* orarent, *vel quid simile*]. Et circa noctis medium, *sopore gravi* (*Joan.* I, 5) vigiles oppressi, obdormierunt undique. Cum ecce turbinis impetus irruens *in spiritu vehementi* (*Psal.* XLVII, 8), cereos omnes et lampades exstinxit. Hoc intelligens ancilla Christi, signo crucis edito, contra insidias dæmonum oravit. Dehinc custodes excitavit, ut luminaria reaccenderent rogavit. Currentibus illis, diuque morantibus, ecce subito lumen cœlitus fusum radiavit; et in ipso lumine apostola Christi Domini Salvatoris, Maria Magdalena, facem igneam dextera gerens, apparuit; quæ mox septem cereos, et tres lampades exstinctas, suo cœlesti lumine accendit. Tum deinde, lectulo sororis suæ assistens : Salve, inquit, soror sancta. Et mox a sorore resalutata : Ecce, inquit, ac mihi per beatum pontificem Maximinum mandasti, te, dum vivis in corpore, in corpore visitavi. Et, *en dilectus* tuus (*Cant.* II, 9, 10), Dominus Salvator *adest*, ut *te* ab hac miseriarum valle *vocet* (*Joan.* XI, 28); sicut et me, ante meum transitum, mihi apparens, accersivit ad suæ claritatis palatium. Veni igitur, et *ne moreris* (*Psal.* LXIX, 6). Dixit : Domino ingredienti jucunde occurrit, qui accedens propius, placidissimoque vultu Martham intuens : Cui tu, inquit, dudum devotissime de tuis facultatibus ministrasti; cui gratissima hospitia exhibuisti; cui post passionem meam, in membris meis, multa bona fecisti, *Ecce adsum* (*Genes.* XLVI, 11); cui olim prostrata dixisti : *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti* (*Joan.* XI, 27). Veni igitur, hospita mea, veni de exsilio; *veni, coronaberis* (*Cant.* IV, 8). Hæc illa audiens, erigere se, et surgere nitebatur, et sequi Salvatorem incontinenti. Cui Salvator : Exspecta, inquit, quia *vado parare* tibi *locum, et iterum veniam, et accipiam te ad meipsum : ut ubi sum ego, tu quoque sis* mecum (*Joan.* XIV, 2, 3, 4). Dixit, disparuitque; sed et soror ejus sancta Maria non comparuit; lux tamen permansit, quæ cum illis apparuit. Tunc deinde vigiles advenerunt, et luminaria, quæ exstincta reliquerant, insolito lumine radiantia mirati sunt.

CAP. XLVIII. — *Ubi, et quando, et qualiter, et quibus præsentibus, beata Martha migravit a corpore.*

Ubi dies illuxit, jussit se extra subdio poni. Omnis enim celeritas tarda videbatur, matutinum illud mille annorum moram habere. Sternuntur paleæ sub arbore frondosa, super paleas cilicium, in quo fit crux ex cinere. Et dum sol oritur, ancilla Christi effertur, ac super cineres disponitur, ipsaque petente, crucifixi Salvatoris imago ante faciem ejus erigitur. Ubi dum paulisper quievisset, respiciens fidelium multitudinem, rogavit ut suis precibus ejus transitum accelerari peterent. Quibus ubertim flentibus, illa erigens oculos ad cœlum : O, inquit, hospes, quare, Domine Salvator, quid est quod moraris (*Act.* XXII, 16)? *Quando veniam, et apparebo ante faciem tuam? Ex quo* mihi diluculo *locutus es, anima mea liquefacta est* (*Psal.* XLI, 5; *Cant.* V, 6). Ex tunc desiderio tui, omnia membra mea rigescunt, nervi stupescunt, ossa tabescunt, medullæ fatiscunt, et omnia interiora mea arescunt. *Non confundas me, Domine, ab exspectatione mea. Deus meus, ne tardaveris, Domine, ne moreris* (*Psal.* CXVIII, 116; *Psal.* XXXIX, 18; *Psal.* LXIX, 6). Hujusmodi meditanti, venit in mentem quod olim viderit qualiter Christus in cruce hora nona expiraverit; quodque seriem passionis Christi, Hebraice editam, secum olim ab Jerosolimis attulerit. Et accersito sancto Parmena, hanc proferri, et coram se recitari rogavit : ut vel sic suæ exspectationis tædium temperaret. Nec secus accidit, quam speravit. Dum enim, ea quæ viderat olim dile-

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] *Breviarium Eduense, anni* 1550. *Officium sanctæ Marthæ* fol. XC, quod fratribus et sororibus patefecit dicens : O pulcherrima felix et mea dilecta soror, non attendisti quod mihi vovisti ut me visitares. Vivas cum magistro et vere hospite nostro in sede beata : *Hæc videntur ex Rabano desumpta fuisse, aut saltem ex veteri instrumento quo usus est Rabanus.*

Digitized by Google

ctoris sui supplicia seriatim, propria lingua legentem audiret, obortis ex compassione lacrymis, *cœpit flere;* oblitaque, interim, suæ migrationis, fixit intentionem totam in tenore passionis. Audito donec quod Christus, *in manus* Patris *spiritum commendans, spiritum emisit* (*Luc.* XXIII, 46); suspiravit graviter, et expiravit. Dormivit autem in Domino quarto kalendas augustas, octavo die post transitum sororis suæ sanctæ Mariæ Magdalenæ, sexta feria, hora diei nona, anno sexagesimo quinto ætatis suæ. Corpus cum digno honore conditum, et involutum, in ecclesia propria intulerunt socii ejus, qui cum ea ab Oriente venerunt, et usque in diem illum ei perseveranter adhæserunt : sanctus, scilicet, Parmenas, Germanus quoque, et Sostenes et Epaphras, qui fuerant sancti Trophimi, Arelatensis archiepiscopi, comites; Marcella quoque ministra ejus, et Euchodia et Syntex. Hi septem triduanas vigilias in ejus exsequiis egerunt cum multitudine concurrentium undique populorum, qui usque in diem tertium, circa corpus sanctum in Dei laudibus excubabant; accensis cereis in ecclesia, lampadibus per domos, ignibus per nemora.

CAP. XLIX. — *Ubi, et quando, et qualiter sepulta est a Domino Salvatore, et sancto Frontino antistite, corporaliter tamen absente.*

Et die sabbati, parata est ei sepultura insignis ad propriam ejus, quam pontifices dedicaverunt, basilicam. Die vero dicta Dominica, hora diei tertia, congregati aderant omnes, ut corpus sanctum congruo condirent, pridie Kalendas Augusti. Cum ecce, eadem hora, apud Petragoricas, Aquitaniæ civitatem, Missas celebraturo pontifici sancto Frontino, populos exspectanti et in cathedra dormitanti, apparuit Christus et ait illi : Fili, veni, imple quod promisisti, exsequiis Marthæ hospitæ meæ te affuturum. Dixit; moxque pariter in *ictu oculi* (*I Cor.* XV, 52) apparuerunt apud Tharasconam, libellos in manu tenentes, in ecclesia : Christus capiti, præsul pedibus, astantes; ipsi soli corpus in mausoleum locantes [a], mirantibus cunctis qui aderant. Egrediuntur, completis exsequiis. Sequitur eos unus ex clero, quærens a Domino quis esset, vel unde venisset. Cui Dominus nihil respondit; sed codicem quem tenebat dedit. Clericus ad sepulcrum rediit; codicem cunctis ostendit; in singulis paginis, sic legit : *In memoria æterna erit* Martha, hospita Christi; *ab auditione mala non timebit* (*Psal.* CXI, 6). Nihil aliud continebatur in codice. Interea apud Petragoricas, levita pontificem excitat : horam sacrificii præterire, populum fatigari, suggerens. Cui præsul : *Nolite*, inquit, *turbari* (*Act.* XX, 10), nec tædeat vos diutius exspectasse. Ego enim, nunc, *raptus* sum in spiritu, *sive in corpore, sive extra corpus, nescio : Deus scit* (*II Cor.* XII, 2, 3), Tharasconam, cum Domino Salvatore, ministram ejus Martham sanctissimam, ut viventi pollicitus sum, mortuam sepelire. Mittite igitur nunc qui annulum nostrum, et chirothecas criseas referat, quas in manus sacristæ posui, dum corpus sanctum in mausoleo composui. Miratur hæc audiens populus, mittit Tharasconam nuntios tenus. Rescribunt Tharasconenses Petragoricensibus diem et horam sepulturæ ejus ignotam; et venerabilem cum eorum pontifice, quem bene noverant, exsequiis ejus interfuisse personam; et de libello, et titulo libelli, ne forte hoc episcopum latuisset; et annulum quod receperat sacrista remitti alteramque chirothecam; altera in testimonium tanti miraculi retenta. Qui autem ministraverant ministræ Salvatoris, quidam redierunt in Orientem, evangelizantes regnum Dei: Epaphras videlicet, cum sancta Marcella, et Syntyche beata, quæ Philippis dormit sepulta, de qua Apostolus scribit. Syntex beato fine quievit : Parmenas (*Act.* VI, 5) plenus fide, et gratia Dei, martyrii gloriam adeptus; Germanus et Euchodia consolationi fidelium operam dantes, beatis apostolis auxilio fuerunt, *cum* sancto *Clemente, et cæteris coadjutoribus* eorum, *quorum nomina sunt in libro vitæ* (*Philip* IV, 2). In basilica vero Marthæ beatissimæ, a die dormitionis ejus, miracula sine numero contigerunt : cæcis, surdis, mutis, claudis, paralyticis, aridis, leprosis, dæmoniacis variisque passionibus fatigatis, sanitates omnimodæ provenerunt. Francorum et Teutonicorum rex, Clodoveus, Christianæ fidei ferens insignia primus, miraculorum Marthæ sanctissimæ multitudine et magnitudine motus, Tharasconam venit; moxque, ut tumbam sanctæ tetigit, gravi morbo renum, quo miserabiliter laboraverat, liberatus est. Dedit Deo in testimonium tantæ virtutis, et suo annulo signavit, terram trium leucarum in girum ecclesiæ Marthæ sanctissimæ, ex utraque parte Rhodani, cum villis, et castris, et silvis; quæ omnia usque hodie immunitate perpetua possidet sacrosancta virago. Furta, vero, vel rapinæ, aut sacrilegia, seu falsa judicia, subito Dei judicio, horribiliter puniuntur ibidem incontinenti, ad laudem Domini Salvatoris.

CAP. L. — *De transitu et sepultura sancti archiprasulis Maximini.*

Hucusque de venerabilis ministræ Filii Dei, Domini Salvatoris, Marthæ sanctissimæ vita religiosa, et morte pretiosa, quæ gesta sunt narrasse sufficiat. Nunc igitur quæ post sacrum ejus transitum, per ipsam, vel circa ipsam, facta sunt prodigia; vitam quoque virtutibus plenam, et passionem fratris ejus

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] Mausolea sunt sepulcra vel monumenta regum, a Mausoleo rege Ægyptiorum dicta. Nam, eo defuncto, uxor ejus miræ magnitudinis et pulchritudinis exstruxit sepulcrum, in tantum, ut usque hodie omnia monumenta pretiosa, ex nomine ejus mausolea nuncupentur. *Rabani de Universo*, lib. XIV, cap. 28.

Digitized by Google

beati Lazari, pontificis et martyris, novo principio reservantes; quæ per dilectricem Dei Mariam Magdalenam facta sunt miracula, referre curabimus breviter, ac primo sanctissimi archipræsulis Maximini transitum perstringemus. Qui [a] *imminente tempore quo, sancto sibi revelante Spiritu, ab hac luce se subtrahi cognovit, mercedem laborum suorum a pio judice recepturus, intra basilicam* [Codices regii 5281, 5360, *prædictam*], quam superius, super beatæ Mariæ Magdalenæ membra sanctissima, cum opere mirifico, construxisse retulimus, *jussit sepulturæ suæ locum præparari, ac juxta beatæ* [Codices regii, *Mariæ Magdalenæ corpus*], dilectricis Dei mausoleum, *sarcophagum* [b] *suum collocari. In quo, post sanctum ejus transitum, sacro illius corpore a fidelibus honorifice deposito, magnis miraculorum virtutibus, ambo decorant locum; interventu suo, petentibus* A *animæ et corpori* [Codices regii, *corporis*], *præstando salubria* [c]. *Qui locus, postea, tantæ religionis est habitus, ut nullus regum, aut principum, nec aliquis, sæculari pompa præditus, ecclesiam illorum, beneficia petiturus, ingredi audeat donec prius, depositis armis, omnique* [d] *belluina posthabita ferocitate, denuum, cum omni humilitatis devotione, introeat* [e]. *Femina*, vero, *nulla, unquam*, alicujus *temeritatis audacia in illud sanctissimum templum ingredi præsumpsit, cujuscunque conditionis, ordinis, aut dignitatis haberetur. Vocatur autem monasterium* illud : *Sancti Maximini abbatia, quod est constructum in præfato Aquensi Comitatu, rebus omnibus, honoribusque ditatum valde. Transiit autem beatus pontifex Maximinus, sexto Idus Junii, in cœlis* [In prafatis Codicibus, a Domino] *feliciter coronatus.*

NOTÆ POTISSIMUM EX RABANO DESUMPTÆ.

[a] *Ancienne Vie de sainte Madeleine.*

[b] Sarcophagum Græcum est, eo quod ibi corpora consumantur : Sarco enim Græce *caro*, phagus *comedere* dicitur. *Rabani de Universo*, lib. XIV, cap. 28, p. 199.

[c] Quæ sequuntur et usque in finem textus Rabani reperiuntur in codicibus regiis de Vita beatæ B Mariæ Magdalenæ, 3820, 5342, 5347, 5551, 5568.

[d] *Cod. Rabani* : animaque; *perplures codices vitæ sanctæ M. Magd.* : animique. *Certe legendum* : omnique, *ut ex codice regio*, 5268, *emendandum duximus.*

[e] Hucusque tantum in Codicibus regiis 5296 B, 5278, 5345, 5323

Explicit vita beatæ Mariæ Magdalenæ et sororis suæ sanctæ Marthæ.

COMMENTARIA IN REGULAM SANCTI BENEDICTI.

(*Vide tomi CII col.* 689, *inter Smaragdi Opera, qui, ut suam, hanc Expositionem restituimus.*)

PROPHETIA DE FRANCIS.

(*Vide inter Opera sancti Augustini, tom. VI, col.* 1133.)

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

AD REGIMBALDUM CHORBPISCOPUM MOGUNTINUM.

(Baluz., Capitul. t. II, p. 1378.)

Reverentissimo atque in divino cultu religiosissimo Christi sacerdoti REGIMBALDO, RABANUS in Domino salutem.

Nuper ad nos quidam frater venit de monasterio quod dicitur Herolvesfeld vicino nobis, portans in pittatio quasdam quæstiunculas conscriptas, petensque ex tuo nomine quatenus eas nostris responsionibus solveremus. Cujus petitioni libenter aurem accommodavimus, et quantum potuimus, ex Patrum sententiis eas solvere cœpimus.

1. Primum ergo ibi quæsitum est quale judicium ille sustinere debeat qui, flagellando uxorem suam, duos filios suos in partu occidit, ita ut ad baptismi

Digitized by Google

gratiam pervenire non potuerint, tertium vero filium ita debilitavit ut post partum mox baptizatus vitam finierit. Ubi liquido patet quod propter immoderatam correptionem in crimen cecidit parricidii. Quid autem de homicidio sacri canones sanciant tibi non ignotum est, cum in Ancyrano concilio ita scriptum est : Qui voluntarie homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant, perfectionem vero circa vitæ exitum consequantur. De homicidiis non sponte commissis, prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit, secunda vero quinquennii tempus explere. Ubi etiam consideranda est infirmitas personæ pœnitentis et modus pœnitentiæ. Qui fervide pœnitentiam de peccatis suis gerit, citius indulgentiam per Domini misericordiam obtinebit.

2. Secunda quæstio est de eo quem canis furens morsu in pede laceravit, ob cujus remedium quidam ei nescienti dederunt jecur ejusdem canis ad manducandum, quasi sanus inde fieri posset. Ubi humanus error delicti noxam peperit in his qui volentes sanum mederi, vim medicinæ nescierunt. Sunt ergo hujusmodi ab hoc errore corrigendi, ne ultra tale facinus perpetrent, et pro facto quod commiserunt aliqua disciplina vel jejunio corripiendi, ut cæteri metum habentes tale scelus post hæc committere non præsumant.

3. Tertia quæstio de eo fuit qui cani feminæ irrationabiliter se miscuit; et quarta de illo qui cum vaccis sæpius fornicatus est. Quid de hujusmodi hominibus judicandum sit, et de hujusmodi animantibus et partu earum faciendum. Ubi dementia humanæ mentis et miseria patet maxima ; eoque detestabilius est illud factum quo scelus in eo apparet maximum, cum animal rationale contra naturam irrationabili per libidinem se commiscet animanti. In Lege ergo Dominus tale crimen judicio mortis puniendum esse decrevit, ita dicens : Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur. Pecus quoque occidite. Mulier quæ subcubuerit cuilibet jumento, simul interficiatur cum eo. Sanguis eorum sit super eos. Sed si aliquis quærendum putat quomodo sit reum pecus, cum sit irrationale nec ullo modo legis capax, intillegat inde pecora jussa interfici, quia tali flagitio contaminata indignam replicant facti memoriam, neque humano usui sunt digna ubi abominatio claret maxima. Sacri autem canones de eis qui fornicantur irrationabiliter, id est, commiscentur pecoribus, aut cum masculis polluuntur, ita præcipiunt, ut quotquot ante vicesimum annum tale crimen commiserint, quindecim annis exactis in pœnitentia communionem mereantur orationum ; deinde quinquennio in hac communione perdurantes, tunc demum oblationis sacramenta contingant. Discutiatur autem et vita eorum, qualis tempore pœnitudinis exstiterit. Et ita misericordiam consequantur. Quod si inexplebiliter hæsere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem peracta viginti annorum ætate, et uxores habentes, hoc peccato prolapsi sunt, viginti quinque annis pœnitudinem gerentes, in communionem suscipiantur orationum ; in qua quinquennio perdurantes, tunc demum oblationis sacramenta percipiant. Quod si qui et uxores habentes et transcendentes quinquagesimum annum ætatis, ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur.

4. De vitulis quoque qui a vaccis illis pollutis nati sunt nescio quid obsit ne eorum usus hominibus deserviat. Sed si scrupulum est alicui utrum eorum lac aut carnes comedi possint, et propter pollutionem matris eorum scandalum aliquod oriatur, simul cum matre occidantur, vel paganis vendantur, ne turpitudinis priscæ memoria scandalum fiat. Dicit enim Apostolus : Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo in æternum. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia munda sunt. Sed malum est homini qui per offensionem manducat.

5. Quod autem novissime interrogasti de illo qui avunculum suum nolens sive volens interficit, quid pati debeat, jam superius de homicidio satis dictum est juxta id quod sacri canones continent. Sed manifestum est quod parricidii crimen majori subjicitur vindictæ. Unde sancti Patres sanxerunt quod parricidæ deponentes militiæ cingulum, omni tempore vitæ suæ in pœnitentia persistant, sive in monasterio Deo serviant.

Hæc ergo omnia secundum id quod in Scripturis sacris vel in canonibus Patrum expressum invenimus, conscripsimus. Tu autem, sanctissime, secundum id quod videas unicuique expedire, ita tempores judicium, discretionem in omnibus servans, quia discretio mater est omnium virtutum. Dedit enim tibi Dominus in omnibus intellectum, qui bene certanti et gregem suum diligenter custodienti æternum cum sanctis pastoribus in cœlesti regno daturus est præmium.

EPISTOLA II.

AD HERIBALDUM EPISCOPUM ANTISSIODORENSEM

(*Vide epistolam Pœnitentiali Rabani præmissam.*)

EPISTOLA III.

AD EGILEM PRUMIENSEM ABBATEM.

De corpore et sanguine Domini adversus Ratpertum [a].

(Mabill., Act. SS. ord. S. Bened., t. VI.)

1. Quod corpus et sanguis Domini vera sit caro,

[a] Quæ hic editur scriptio de Eucharistia eruta est ex ms. codice Gemblacensi, in quo cum aliis ejusdem generis continetur. Occurrit primo libro Ambrosius *de mysteriis et de sacramentis :* tum post aliqua alia Paschasius Radbertus *de corpore et sanguine Domini :* dein libellus seu epistola *cujusdam* ejusdem tituli et argumenti, incipiens ab his verbis, *Intuentes sententiam Apostoli*, etc., editus in Spicilegii tomo XII ;

Digitized by Google

verusque sit sanguis, unusquisque debet credere, nosse, tenere, confiteri pariter et incunctanter asserere fidelis. Prorsus quisquis hoc negat, esse cognoscitur et convincitur infidelis, quippe qui non credit ipsi Domino dicenti : « Nisi manducaveritis carnem « Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non « habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI, 54); » et : « Qui « manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, « in me manet, et ego in eo (*Ibid. vers.* 57); » et : « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est « potus (*Ibid. vers.* 56). » Quod explicans beatus Augustinus ait : « Ergo si vere est cibus, et vera caro : et si vere est potus, utique et verus sanguis; alioquin, quomodo verum erit quod dicit : « Panis « quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, » nisi vera sit caro? Hoc ergo profecto fidelissime

A confirmo, et addo : quod sicut veritas est Christus, et verus agnus Dei qui quotidie pro vita mundi mystice immolatur : ita procul dubio ex pane vera caro, et ex vino verus sanguis ejus consecratione Spiritus sancti potentialiter creatur. Quia revera, quemadmodum sanctus Augustinus verissime testatur, sicut de Virgine per Spiritum sanctum vera caro sine coitu creatur, ita per eumdem ex substantia panis ac vini mystice idem Christi corpus et sanguis consecratur. » Quæ cum certissime omnia sint, nec ullus hinc Christianus Christo credens ambigere possit, quod et ipsum esse verum pars etiam gentilium scit. Nam quondam in terra Wigarorum quidam nobilis potensque paganus bibere me suppliciter petivit in illius Dei amore qui de vino sanguiB nem suum facit.

postea *Dicta cujusdam Sapientis de corpore et sanguine Domini adversus Ratbertum :* fragmentum *item de corpore et sanguine Domini.* His subjecta sunt in eodem codice *Dicta domni abbatis Herigeri de corpore et sanguine Domini*, cum hoc exordio : *Sicut ante nos dixit quidam sapiens*, etc., qui libellus est sub titulo Anonymi a Cellotio editus. Prior anonymus, quem Acherianum voco, in eo versatur ut probet corpus Domini in Eucharistia egestioni et corruptioni non esse obnoxium. Alter anonymus, scilicet noster, duo intendit adversus Paschasium : unum, corpus eucharisticum non esse prorsus idem quam quod natum ex Virgine : alterum, Christum non toties pati, quoties missarum solemnia celebrantur. Horum alterum pugnat quidem contra Paschasium : alterum Paschasio perperam impositum est, uti agnoscit Herigerus seu anonymus Cellotianus in cap. 6 his verbis : « Quod autem iterum objiciunt C eum dixisse toties Christum pati, quoties contingat quotidie ubique celebrari, ego certe in libro ejus non reperi, » etc. Nec dubium quin hanc accusationem Herigerus rejiciat in anonymum nostrum, nam nihil simile apud Ratramnum legere memini. Certe hunc anonymum viderat Herigerus, qui ex eo verba non pauca et sententias aliquas transtulit in libellum suum.

Hinc facile adducor ut sequentis anonymi scriptionem non aliam esse putem quam epistolam Rabani ad Egilem seu Egilonem Prumiensem abbatem, cujus in epistola ad Heribaldum Rabanus ipse meminit : ubi arguens eos qui dixerant corpus Christi eucharisticum hoc ipsum esse quod natum est ex Maria virgine, subdit : « Cui errori, quantum potuimus, ad Egilum abbatem scribentes, de corpore ipso quid vere credendum sit, aperuimus. » Et quidem illud maxime me movet, quod Herigerus, cui anonymum nostrum non incognitum esse dixi, hac de quæstione loquens, duos tantum Paschasio adversarios, scilicet Rabanum et Ratramnum, opponat Paschasio : « contra quem, inquit, satis argumentantur Rabanus in epistola ad Egilonem abbatem, et Ratramnus quidam libro composito ad Carolum regem. » Cum enim anonymum nostrum legerit Herigerus, hac in re Paschasio data opera repugnantem; eum certe non prætermissurus esset hoc loco, si alius a Rabano et Ratramno fuisset. Ad hæc, anonymi nostri ætas apprime convenit cum ætate Rabani. Scribebat quippe auctor eo tempore quo controversia de triplici corpore nova erat. Nam relata Paschasii de unico corpore sententia hæc subdit : « Istud plane fateor nunquam me prius audisse, vidisse, legisse. » Hæc vero sive novitas, sive ignoratio in illum auctorem cadere non potuit, nisi vel quia is Paschasio æqualis primam vidit istius quæstionis originem : vel quia longiori post Paschasium tempore natus, ejus rei memoriam, utpote jam oblitteratam, a majoribus haud accepit. Atqui vixit ante Herigerum, qui ejus scriptione usus est, nec toto sesquisæculo abfuit a Paschasio. Nova ergo et inusitata illi anonymo hæc contentio visa est, propterea quod Paschasio compar, eam hausit ab ipso auctore Paschasio. Denique scribebat anonymus noster tum, cum Bulgari (quos Nicolao primo pontifice ad fidem accessisse constat) adhuc *pars gentilium* erant, id est paganorum erroribus tenebantur. Quippe catholicam de Eucharistia fidem probaturus, ait eam ita cuivis esse manifestam, ut « pars etiam gentilium sciat. Nam quondam in terra Wigarorum, inquit, quidam nobilis potensque paganus bibere me suppliciter petivit in illius Dei amore, qui de vino sanguinem suum facit. » Quod sane in argumentum trahi non posset, si cæteris conversis unus aliquis id rescisset paganus post prædicationem mysteriorum nostrorum apud Bulgaros : qui *pars gentilium* non recte dicerentur, nisi omnes in infidelium tenebris tum perseverassent. Porro hæc omnia recte conveniunt in Rabani ætatem, qui Paschasii æqualis, biennio decessit ante Nicolai primi pontificatum, ad quem Bulgarorum conversionem referendam esse diximus. Non ergo temere censeri potest hujus scriptiunculæ auctor. Quod si ita est, non dubito quin ipsa sit Rabani epistola ad Egilem abbatem, quæ ad nos pervenerit vulgaribus epistolarum formulis destituta, uti contigit Herigeri scriptioni, quam Gerardus abbas in prologo ad Vitam sancti Adalhardi *epistolam* appellat. Neque illud extra conjecturam, quod anonymi nostri lucubratio non solum in Gemblacensi codice reperitur, sed etiam (ut ex amicorum relatu intellexi) in membraneo libro cœnobii Sancti Hucberti in Arduenna : qui locus non ita procul abest a monasterio Prumiensi, cui præfuit Egil abbas, ad D quem Rabanus epistolam scripsit. Hæc affero pro conjecturis, quas eruditorum judicio lubens subjicio.

Cæterum quod auctor iste objicit Paschasio quasi dixerit, Christum toties pati quoties contingit missarum solemnia celebrari, id est consequenti tantum sine dubio, non ex disertis verbis deducit. Sic enim invidiose, ut Paschasius ipse lib. XII in Matthæum conqueritur, dicta ejus interpretabantur nonnulli, quasi in libro de corpore et sanguine Domini, Christi « dictis plus tribuere voluerit, quam ipsa repromittit Veritas : timentes forte, inquit, quod ipsi tunc timuerunt, quibus loquebatur, ne partes facere voluerim, et ejus per singulos membra dividere concisa vel dispertita, » etc. Ad eumdem modum Paschasii adversarii ex ejus sententia de uno et eodem Christi in Eucharistia corpore inferebant, fore ut toties Christus pateretur quoties missæ celebrarentur. MABILL.

Digitized by Google

2. Illud in hoc libro [a] mihi prius penitus fateor inauditum reperiri sub nomine sancti Ambrosii, quod non sit hæc alia caro Christi, quam quæ nata est de Maria, et passa in cruce, et resurrexit de sepulcro. « Hæc, inquit, ipsa est, et ideo Christi est caro, quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur. » Hoc in capitulo positum est secundo (*Edit. cap.* 1 *et* 4). Similiter dicitur et in octavo : « Vere crede, et hoc quod conficitur in verbo Christi per Spiritum sanctum, corpus ipsius esse ex Virgine. » Istud plane fateor nunquam me prius audisse, vidisse, legisse; multumque miratus sum hoc sanctum Ambrosium dixisse : et insuper etiam multo magis miror auctorem hujus voluminis [b] istud ibi posuisse. Quippe cum in septimo capitulo beatus Augustinus aliquanto superius dicat : « Quia Christum vorari fas dentibus non est, voluit in mysterio hunc panem et vinum vere carnem suam et sanguinem consecratione Spiritus sancti potentialiter creari, creando vero quotidie pro mundi vita mystice immolari; ut sicut de Virgine per Spiritum vera caro sine coitu creatur; ita per eumdem ex substantia panis ac vini mystice idem Christi corpus et sanguis consecretur. » Si enim verum, imo quia procul dubio verum est, quod tantus auctor fassus est quia Christum vorari fas dentibus non est; quomodo hanc carnem Christi vorari fas est, si de Maria nata, et in cruce passa, et de sepulcro resuscitata est? præsertim cum illa Christi caro resurgens de sepulcro ita glorificata sit, ut jam vorari nullo modo possit? Prorsus ergo tam contraria, sicut ista videntur inter se dicta, nunquam in ullo scripto meo de cætero voluissem ponere, nisi consequenter ea nossem simul, et possem, Deo donante, protinus evidenter exponere.

3. Huc accedit et multo aliud molestius, et omnino difficilius, illud videlicet quod in duodecimo capitulo (*Edit. cap.* 7), ubi scilicet tribus modis dicitur corpus Christi, id est Ecclesia, et istud mysticum, et illud quod sedet ad dexteram Dei; ita disputat beatus Augustinus, quasi non ei placuerit illud quod sanctus dixit Ambrosius. Ait enim : « Illud corpus quod natum est de Maria, in quod istud transfertur quod pependit in cruce, sepultum est in sepulcro, resurrexit a mortuis, penetravit cœlos, et pontifex factus in æternum quotidie interpellat pro nobis. Ad quem, si recte communicamus, mentem dirigimus, ut ex ipso et ab ipso nos corpus ejus carnem ipsius, illo manente integro, sumamus. Quæ nimirum caro ipsa est, et fructus ipsius carnis, ut idem semper maneat, et universos qui sunt in corpore, pascat. » Hæc post apostolos omnium Ecclesiarum, sicut ante nos dictum est, magistri (Augustini) dicta, si, velut nimis necesse, fideliter, ferventer, diligenter, intelligenter et frequenter legeritis, manifestissime cognoscetis, non quidem (quod absit) *naturaliter* (*Herig. cap.* 4), sed *specialiter* aliud esse corpus Domini, quod ex substantia panis ac vini pro mundi vita quotidie per Spiritum sanctum consecratur, quod a sacerdote postmodum Deo Patri suppliciter offertur : et aliud *specialiter* corpus Christi, quod natum est de Maria virgine, in quod istud transfertur : et aliud *specialiter* corpus Christi, sanctam scilicet Ecclesiam, qui corpus Christi sumus, dum ab ipso summo Christo pontifice porrigente tribuitur et confertur. Quod revera satis liquido patefecit, cum de ipso pio pontifice nostro dicit, ut ex ipso et ab ipso nos corpus ejus, carnem illius, illo manente integro sumamus. Quod quid est aliud, quam ut nos, qui sumus corpus Christi, sumamus corpus Christi, quod datur nobis ab ipso Christo, non aliunde quam a semetipso, quia translatum est in ipsum, ut quod est in ipso, nobis qui ex ipso sumus, detur ab ipso, sed tamen integro manente ipso, quia scilicet integrum corpus Christi de Maria natum, in quod istud est translatum quod in altari divinitus consecratur, Deo postmodum constat oblatum simul et immolatum.

4. Ad illa siquidem verba Domini, *Hoc est corpus meum*, fit corpus Domini; et supplicante sacerdote, corpus Domini sumptibile transfertur in corpus Domini natum de Virgine, quod est penitus inconsumptibile, ut videlicet vere nobis detur ab ipso Christo pontifice : quia nimirum sicut ipse est qui baptizat, sic ipse est qui nobis corpori suo corpus suum de corpore suo salubriter sumendum dat, id est ad remedium, non (sicut reprobi illud accipiunt) ad judicium. Ipse, inquam, est qui dat, quemadmodum ipse dicit : « Panis quem ego dabo, caro mea est « pro mundi vita (*Joan.* VI, 52), » non pro duorum mundorum vita. Ipse plane pontifex noster, ipse vere beatus vir, qui est tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum (*Psal.* I, 3), dat electis tantummodo suis fructum suum. Ipse namque est et sapientia propter unitatem personæ, in cujus laude lignum vitæ est his qui apprehenderint eam. Proinde veraciter ait ipse, qui est utique arbor ligni vitæ : « Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ, quod est « in paradiso Dei mihi (*Apoc.* II, 7). » Quia profecto, sicut a beato Augustino consequenter explanatur in eodem capitulo, non aliis largitur etiam in mysterio, quam vincentibus. Ipse namque granum frumenti, quod cadens in terra fuit mortuum, et affert fructum multum; non aliis inde dat edere, quam vincentibus electis suis, quos reperit quidem fenum, sed ipse factus homo fenum nostrum vertit in frumentum; et ipse hoc solummodo frumentum suum, electos videlicet suos, cibavit, cibat, et cibabit ex adipe frumenti. Unde dicitur et in alio psalmo ad Jerusalem et Sion : « Et adipe frumenti satiat te (*Psal.* CXLVII, 14). » Unde dicit et Zacharias propheta loquens de Ecclesia : « Et quid bonum ejus est, et « quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, « et vinum germinans virgines? » (*Zach.* IX, 17.)

5. Ecce claret ad liquidum quod non nisi solorum est cibus electorum. Ponamus igitur ante oculos fidei ipsum beatum pontificem nostrum, beatum

[a] In interlinea, *scilicet Paschasii.*

[b] Scilicet Paschasium.

Digitized by Google

filium, et sapientiam; et suscipiamus gaudenter, pariter et tremendo, qualiter ipse, qui est utique lignum vitæ, velut decerpendo decædat electis suis timorate et humiliter accedentibus ad se communicandum fructum vitæ; sicque perfacile et consequenter poterimus credere vero lumine fidei nostræ gratis oculos illustrante, quod Dominus pridie quam pateretur, verum corpus et sanguinem suum dedit discipulis suis, manente integro corpore suo, quod a die resurrectionis resumptum gerit immortale. Unde revera satis congruenter divinitus dispositum simul et factum est, quod ante passionem Domini celebratum est hoc sacramentum: quatenus corpus Domini quod seminatum est, resurgens integrum maneat semper et incorruptum; et tamen hunc quem ejus instante morte percepimus, usque ad finem sæculi de ipso ligno vitæ sumamus quotidie fructum: quia profecto de ipso ligno vitæ pullulat, manat semper, exuberat iste fructus vitæ. Unde sanctus Augustinus cum dixisset: « Ut ex ipso et ab ipso nos corpus ejus carnem ipsius illo manente integro sumamus; » protinus adjecit et ait: « Quæ nimirum caro ipsa est, et fructus ipsius carnis, ut idem semper maneat, et universos qui sunt in corpore, pascat. » Quod ob id eum credo dixisse, ut ipsius Domini humanum corpus quod seminatum est in morte, fuerit quasi granum semenque vitæ, atque postmodum de ipso resurgente, tanquam de ligno vitæ, pullularet semper, et pullulet sumendum nobis, unde vitam æternam in nobis manentem habemus. Unde prorsus reprobis non licet sumere, beato rursus Augustino sic in eodem capitulo superius testante: « quod sane corpus Christi ut vera caro sit Christi pro mundi vita quotidie per Spiritum sanctum consecratur, ex qua non habeant potestatem edere qui ex adverso sunt. » Vescuntur autem ea condigne qui sunt in corpore illius, ut solum corpus Christi dum est in via, ipsius carne reficiatur, et discat nihil aliud esurire quam Christum, nihil sentire nisi Christum, nihil aliud sapere, non aliunde vivere, non aliud esse quam corpus Christi. Hinc ipse sponsus Ecclesiæ Dominus, a quo panis datus, datur, et dabitur, id est caro sua, non pro reprobis et immundis, sed pro mundatis, et magis magisque mundandis; mundis vita solis dicit electis suis: « Comedite, amici; « bibite et inebriamini, charissimi (*Cant.* v, 1). » Quia revera lignum vitæ solis membris suis, id est corpori suo, dat corpus suum de corpore. Et ipse qui similiter est vitis vera, palmitibus in ea manentibus dat bibendum sanguinem suum, sicut ipse dicit: « Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo (*Joan.* « vi, 57). » Reprobus vero mundus manducans et bibens indigne, judicium sibi manducat et bibit. Non enim pascitur frumento electorum, quia non est triticum, sed palea, licet præsentialiter sit in area; neque potatur sanguine Domini, quia sarmentum sterile non manet in vite, licet esse videatur in vinea.

6. Hic, si potest, oculos et aures aperiat, et hæc videat, et audiat, qui quoties toto terrarum orbe missarum solemnia celebrantur, toties Dominum Christum pati prædicat, ob nihil videlicet aliud nisi propter hoc solummodo, ut omnes reprobos quos a Domino scit in cruce redemptos, ipsa communione corporis et sanguinis Christi redemptos, redimi et redimendos dicat (*Herigerus, cap.* 4): cum potius omnis reprobus indigne sacramentum ipsum percipiens, judicium sibi manducat et bibit. Velim tamen nobis respondeat et dicat qui hoc ad suam (proh nefas!) et edentium perniciem prædicat, quisnam Domino passionem toties intulerit, inferat, et inferre deinceps habeat, utrum videlicet sacerdos qui sacrificat, an Pater qui sacrificata sanctificat, an Filius qui communicantes vivificat; an Spiritus sanctus per quem ea creat et consecrat, et in quo sacerdos ista fieri supplicat; an populus, id est Ecclesia et sponsa Christi, quæ communicat? Quorum quia nihil nisi nimis mendaciter et perniciosissime potest dici, patet profecto Dominum semel passum et mortuum, nullatenus postmodum potuisse, vel posse (quod absit) pati, dicente beato Petro apostolo: « Christus semel pro peccatis nostris « passus est (*I Petr.* III, 18). » Hinc dicat et apostolus Paulus: « Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata (*Heb.* IX, 28). » Verumtamen ne reprobi electis dicant: Semel passus pro peccatis vestris, frequenter patitur pro nostris; tunc ad exhaurienda specialiter peccata multorum, nunc generaliter ad cunctorum. Nam ipsi solummodo reprobi confingere possunt intra se deliramenta hujuscemodi, secundum illud Apostoli: « Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei (*Hebr.* VI, 6). » Absit enim ut ejus Ecclesia et sponsa passionem inferat ei, ne, inquam, deinceps hæc reprobi dicant, quid hinc nobis Apostolus dicat audiant: « Non, in« quit, in manufactis sanctis Jesus introivit exempla « verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc « vultui Dei pro nobis; neque ut sæpe offerat semet« ipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta « per singulos annos in sanguine alieno: alioquin « oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. « Nunc autem semel in consummatione sæculorum « ad destructionem peccati per hostiam suam appa« ruit (*Hebr.* IX, 24). » Hinc prorsus evidenter apparet, et satis liquido claret, non oportuisse, nedum oportere, Dominum Jesum frequenter pati ab origine mundi. Nam si quando Cain occidit fratrem suum Abel, tunc passus fuisset Christus, et tertia die resurgens rursum potuisset crucifigi et occidi, et ita semper tertia die crucem pateretur usque in finem sæculi; nullatenus tunc toties potuisset nec posset pati, quoties passus fuisset et pateretur, si ex quo cœpta sunt missarum solemnia celebrari, voluisset (quod absit) toto terrarum orbe et vellet usque in finem mundi ad singulas missas, quæ quotidie millibus et innumeris [in locis] celebrantur, pati. Sed revera quemadmodum nequaquam tunc in cœna sua

Digitized by Google

passus est quando primitus ex pane et vino dignatus est verum corpus et sanguinem suum creare, consecrare, et discipulis suis dare, manente integro humano corpore suo : ita nullatenus postmodum passus est, patitur vel patietur, quoties corpus et sanguinem suum ex pane creat et vino. Quod apertissime probans Apostolus, cum divisisset illud quod positum superius, nunc autem semel apparuit, illico subinferens ait : « Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium : « sic et Christus semel oblatus est ad multorum « exhaurienda peccata; secundo sine peccato appa- « rebit exspectantibus se in salutem (*Ibid.*, *vers.* 27). » Deo gratias, patet, placet, libet veritas; prostrata, perempta jacet falsitas : quia nimirum cum Dominus in cœna sua dedit manducandum corpus, et bibendum sanguinem suum, nihil mali fuerit passus, cum tamen adhuc esset passibilis et mortalis : multo minus resurgens a mortuis postmodum passus est, patitur, vel patietur manens impassibilis et immortalis, dicente Apostolo : « Christus resurgens a mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* IX). » Ecce qualia missarum solemnia celebrantur ab illo nimis longe lateque laudato pontifice [a], qui pro solis reprobis vult et prædicat Dominum Deum nostrum toties passionem perferre, quoties ad altare sacramentum corporis et sanguinis Domini satagit sacerdos offerre; cum rursus dicit Apostolus : « In voluntate Dei sanctificati sumus per « oblationem corporis Jesu Christi semel. » Item, « Hic « autem unam pro peccatis offerens hostiam, in « sempiternum sedet ad dexteram Dei, de cætero « exspectans donec ponantur inimici ejus scabellum « pedum ejus. Unam enim oblationem consummavit « in sempiternum sanctificatis. (*Hebr.* X, 10). »

7. Sed ut tandem aliquando hanc adversus inimicum veritatis disputatiunculam Deo donante claudam, noverit qui hoc dicit, quod Dominus Jesus nullatenus illuc rursum pati venit, quod non potest esse : sed panem et vinum in corpus et sanguinem suum consecrando venit vertere, quod nobis nimis est necesse. Mundus igitur electus, Ecclesia Dei, sponsa Christi, nullatenus debet, nec utique potest ibi Dominum rursus mori desiderare, ubi novo corpore et sanguine suo venit eum vivificare, pascere, potare, et per singulos dies vere [*] simul ac renovare. Sane sciendum est nobis omnimodo, quod licet aliud specialiter corpus Christi, unde superius dixi, quod sedet ad dexteram Dei; et aliud specialiter istud quod divinitus creatur et consecratur quotidie novum : simul tamen non duo sunt (quod absit) corpora, sed unum : siquidem sicut corpus et carnatus, sic etiam homo. Istud autem non est homo, licet vera sit caro : verumtamen et illud corpus et istud quod, sicut ait sanctus Augustinus, transfertur in illud. Ob id non duo sunt corpora, sed unum, licet aliud sit specialiter illud, aliud istud : quia prorsus adeps ille frumenti, id est divinitas Verbi, facit ut unum sit corpus unius Agni : et hoc idcirco, quia et illud et istud verum est corpus, et vera pariliter caro. Quod ut manifestius fiat, exemplis evidentibus probabo. Ipsius Domini Christi est alius, non (quod absit) personaliter, sed naturaliter spiritus juxta divinitatem, alius naturaliter spiritus juxta humanitatem : simul tamen non duo, sed unus est personaliter spiritus propter unitatem personæ. Nam spiritus Deus Dei Filius, spiritus ubique totus, nusquam remotus : et spiritus hominis creatus, ac per hoc localis atque circumscriptus, de quo dicit Evangelium : « Et inclinato capite emisit spiritum (*Joan.* XIX, 30). » Uniuscujusque nostrum alius est naturaliter homo exterior, alius interior, dicente Apostolo : « Et si exterior homo noster corrumpitur, tamen is « qui intus est, renovatur de die in diem (*II Cor.* « IV, 16). » Simul autem non homines duo, sed unus est homo, teste ipso Christo qui totum hominem fecit sanum in sabbato. Alius est spiritus Dei, et alius est hominis spiritus : et tamen « qui adhæret « Domino, unus spiritus est (*I Cor.* VI, 17). » Alia est personaliter caro viri, alia uxoris : simul autem una est caro, dicente Scriptura : « Et erunt duo in « carne una (*Ibid.*, *vers.* 16). » Quod exponens Dominus ait in Evangelio : « Itaque jam non sunt duo, « sed una caro (*Matth.* XIX, 6). » Quod historialiter quidem factum sciens Apostolus in Adam et in Eva, sacramentum tamen magnum spiritualiter interpretatur in Christo et in Ecclesia. Ergo jam modo pateat, placeat, libeat, rogo, quod Deus homo, Verbum caro dat Ecclesiæ suæ, sponsæ suæ, carni scilicet suæ, manducandam carnem suam de semetipso Dei Agno, semper tamen manente vivo, semper integro. Igitur suam. Lucet, placet, libet, quod alia specialiter est caro inconsumptibilis, et alia sumptibilis, et alia specialiter corruptibilis (*Herig. cap.* 5) : tamen a dante carne datam carnem accipiens caro salubriter sumendo, futura incorruptibilis; nihilominus quoque debet lucere, placere, libere, quod simul una est naturaliter caro dans, data, accipiens; videlicet invisibilis, vescenda, vescens; inconsumptibilis, sumenda, sumens : quoadusque scilicet inconsumptibilis per sumendam sic sumentem reficiendo perficiat, ut exhibeat sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliud ejusmodi, et unam secum (sicut est) carnem gratis ad gloriam perducat. Amen.

EPISTOLA IV.

AD HINCMARUM RHEMENSEM.

[Ex Sirmondo.]

Reverentissimo et desiderantissimo fratri, et merito rectæ fidei ac sanæ professionis ab omnibus catholicis rite venerando, HINCMARO pontifici, RABANUS servorum Dei servus in Domino æternam optat salutem.

Proximo vere, hoc est in Martio mense, in diebus Quadragesimæ, appropinquante Paschali solemnitate, vester nuntius ad me veniens portavit vestram

[a] Scilicet *Paschasio*, quem, ironice pontificem vocat.

Digitized by Google

epistolam, simul et opusculum quod fecistis ad reclusos et simplices qui in vestra parochia consistunt, contra Gotescalci errorem. Afferebat etiam secum aliorum scripta, qui propemodum memorati hæretici dogma sequuntur, sed non usquequaque. Nam Prudentius Tricassinæ civitatis episcopus, ad vos et ad Pardulum scribens, plura testimonia præteritorum Patrum in quaternionibus suis collegit, in quibus aliquando nostro sensui concordat, hoc est ubi dicit peccati auctorem Deum non esse, nec aliquem ad peccandum compellere, præmium vero justis immensa gratia misericorditer tribuere, pœnam autem condignam iniquis pro malis eorum operibus juste reddere, quia justus est Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Sed quando dicit quod Deus, sicut electos prædestinatione sua ad præmium æternum perducit, ita prædestinatione sua cogat peccatores in interitum ire, hoc mihi videtur in congregatione testimoniorum suorum facere velle, ut credamus et confiteamur, juxta traditionem Gotescalci, geminam esse prædestinationem : scilicet quod sicut electos præsciendo et prædestinando Deus ducit ad vitam, ita reprobos præsciendo et prædestinando ducat ad pœnam. Sed quia hoc nusquam in Scripturis sacris ita mixtim positum inveni, ejus traditionibus assentire non acquiesco. Singillatim autem cunctis propositionibus ejus per singula loca respondere, et sententiis illis, quas ipse ex multis libris congregavit, contrarias sententias apponere non me permittit infirmitas corporis, nec ægritudo senectutis. Quæ autem de præscientia et prædestinatione Dei in sacris libris didici, et sententias quas probatas a canonicis scriptoribus in divinis Testamentis inveni, prout memoriæ tunc occurrebant, in opusculis meis inserui, quæ ad Notingum episcopum et Eberhardum comitem præterito tempore contra Gotescalci errorem confeci. Quæ etiam opuscula, quæ dixistis quod memoratus Gotescalcus ea corrumperet ac vitiaret, vobis modo prout a me dictata sunt ad legendum transmisi, et si quid in eis emendandum sit, vestro judicio magis eligo corrigi quam hæretici. Pauca quidem adhuc testimonia de apostolis et prophetis hic inserenda censui, quatenus tentent hi qui prædestinationem Dei in tam pravum sensum vertere volunt, ut Deum dicant prædestinatione sua auctorem esse perditorum, utrum ex divina auctoritate suas inventiones affirmare possent an non. Ego autem nusquam prædestinationem in malo positam, quantum recordor, inveni, sed semper in bonum. Nam beatus Paulus apostolus in Epistola ad Romanos ita scripsit dicens : « Scimus autem quod diligentibus Deum omnia « cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, et « prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, « ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos « autem prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit. Quos autem justificavit, illos et glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc ? Si « Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam pro« prio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus « tradidit eum. Quomodo ergo non etiam cum illo « omnia nobis donavit? » (*Rom.* VIII, 28.) In Epistola autem sua ad Ephesios ita loquitur dicens : « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, « qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos « ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et « immaculati in conspectu ejus in charitate qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum « Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo, in quo habemus « redemptionem per sanguinem ejus, remissionem « peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, quæ « superabundavit in nobis in omni sapientia et prudentia ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ secundum bonum placitum ejus quod « proposuit in eo in dispensationem plenitudinis « temporum, instaurari omnia in Christo quæ in « cœlis et quæ in terra sunt in ipso, in quo et vos « cum audissetis verbum virtutis Evangelium salutis vestræ, et credentes signati estis spiritu « promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis « nostræ in redemptionem acquisitionis in laudem « gloriæ ipsius (*Ephes.* I, 3.) » Quam sententiam beatus Ambrosius atque Hieronymus ita exposuerunt, scilicet hoc decrevisse Deum, ut credentes in Christum adoptarentur in filios Dei. Præscius Deus omnium scivit qui crediturі essent in Christum, sicut dicit ad Romanos, quos præscivit et vocavit, nos non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus. Quos autem Deus dicitur vocare, perseverant in fide. Hi sunt quos elegit ante mundum in Christo, ut sint incontaminati coram Deo in charitate, hoc est ut amor Dei sanctam illis faciat conversationem. Quod autem ait : « In charitate prædestinavit nos; » dupliciter legendum, ut charitas, vel cum superioribus, vel cum inferioribus copuletur. Cum superioribus ita, « ut essemus sancti et immaculati coram ipso in charitate, » et postea sequatur, « prædestinans nos « in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum. » Cum inferioribus autem sic, « in charitate « prædestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipso, » id est Christo, qui nunquam non fuit filius : nos vero non fuimus filii antequam prædestinati essemus cum ipso. Hoc autem prædestinavit, ut haberet potestatem filius Dei fieri omnis qui credere voluisset in ipsum; quia nemo filius Dei fieri potuit, nisi fidem et charitatem quæ per dilectionem operatur, habeat. Idcirco non est Deo, qui salutis humanæ et bonorum omnium auctor est, seductio hominis et deceptio deputanda, per quam in mortem cadat perpetuam : sed magis sibimet ipsi, qui propriæ concupiscentiæ, vel diaboli suggestioni consentiens; peccatum committit, nec inde condignam pœnitentiam ante obitum agere voluerit. Quod apostolus Jacobus ostendit dicens : « Nemo

Digitized by Google

« cum tentatur dicat quoniam a Deo tentatur. Deus « enim intentator malorum est, ipse autem neminem « tentat. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia « scentia sua abstractus et illectus : deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatum « vero cum consummatum fuerit generat mortem (*Jac.* I, 13). » Superius de tentationibus, quas permittente Domino exterius probandi gratia perpetimur, disputavit. Nunc incipit agere de illis quas interius instigante diabolo, vel etiam naturæ nostræ fragilitate suadente, toleramus. Ubi primo illorum destruit errorem, qui sicut bonas cogitationes a Deo nobis constat inspirari, ita etiam malas ipso instigante putant nostra in mente generari. « Nemo ergo cum tentatur dicat quoniam a Deo tentatur, » illa videlicet tentatione, qua dives incedens in itineribus suis marcescit, id est, nemo cum rapinam, furtum, falsum testimonium, homicidium, stuprum, vel cætera hujusmodi commiserit, dicat quoniam Deo cogente necesse habuerit hæc patrare, ideo nullatenus horum effectum declinare potuerit. « Deus enim intentator malorum est, » subauditur tentamentorum. « Ipse enim neminem tentat, » ea videlicet tentatione, quæ decipit miseros ut pereant. Duplex est autem genus tentationis : unum quod decipit, aliud quod probat. Secundum hoc quod decipit, Deus neminem tentat : secundum illud quod probat, Deus tentavit Abraham; de quo et Propheta postulat : « Proba me, Domine, et tenta me (*Psal.* XXV, 2). » « Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus, » abstractus videlicet a recto itinere, et illectus in malum. De hoc versu Hieronymus contra Jovinianum (*Lib.* II, *sub initium*) : « Sicut in bonis, inquit, operibus perfector est Deus, non est enim volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, et adjuvantis, ut pervenire valeamus ad calcem : sic in malis atque peccatis, semina nostra sunt incentiva et perfectio diaboli, cum viderit nos super fundamentum Christi ædificasse fenum, ligna, stipulam, tunc supponit incendium. » Igitur non est æquum ut Salvatorem nostrum perditionis nostræ asseramus auctorem, sed ut misericordem patrem amemus, et justum judicem timeamus, ipsumque assidue deprecemur, ut eruat nos a malis, et defendat ab omnibus inimicis. Qui in oratione Dominica, jussit Patrem cœlestem nos petere, ut dimittat nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, et ne nos inducat in tentationem, sed liberet nos a malo. Non enim inducet nos in tentationem per quam decipiamur, sed hoc petimus ne nos induci permittat in tentationem noxiam, per quam incidamus in peccatorum ruinam ; quin potius liberet nos a malo, hoc est diabolo, et ab æterno interitu (*Aug. de Sermone Domini in monte, lib.* II, *cap.* 9). « Igitur non per seipsum inducit Deus, sed induci patitur eum, quem suo auxilio deseruerit, ordine occultissimo ac meritis. Causis etiam sæpe manifestis, dignum judicat illum quem deserat, et in tentationem induci sinat. Aliud est autem induci in tentationem, A aliud est tentari. Nam sine tentatione probatus esse nullus potest. Non ergo hic oratur ut non tentemur, sed ut non inferamur in tentationem : tanquam si quispiam, cui necesse est igne examinari, non oret ut igne non contingatur, sed ut non exuratur. « Vasa « enim figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis (*Eccli.* XXVII, 6). » Multi autem in precando ita dicunt : Ne nos patiaris induci in tentationem, exponentes videlicet quomodo dictum sit *inducas.* (*Cypr. de oratione Dominica*). « Qua in parte ostenditur nihil contra nos adversarium posse, nisi Deus ante permiserit : ut omnis timor noster, et devotio, atque observatio ad Deum convertatur, quando in tentationibus nostris nihil malo liceat nisi potestas inde tribuatur. » Quod autem ille Corbeiensis B monachus in epistola sua vituperavit nos, non recte Fulgentii sententiam exposuisse scribendo de vobis ad amicum suum ita dicens : Nam quod ait dixisse Fulgentium, « præparavit Deus malos ad luenda supplicia, » pro eo quod est « præparari permisit, » invenit quod diceret, non vero dixit quod debuit : et vos seductos esse asserit stylo cujusdam libelli, qui fertur esse Hieronymi, de Induratione cordis Pharaonis, ut diceretis non Deum indurasse cor Pharaonis, sed indurari permisisse, non recte vos reprehendere mihi videtur : quia non Deus cujusquam cor sua factione indurat, ut semetipsum homo ab errore non corrigat, sed justo judicio indurari permittit, aut propria nequitia, aut diaboli malitia. Quod manifestis indiciis probari potest. Nam Pau- C lus apostolus, cum in Epistola sua ad Romanos de Pharaone mentionem habuisset, ita adjecit dicens : « Dicit enim Scriptura Pharaoni, Quia ad hoc ipsum « excitavi te ut ostendam in te virtutem meam, et « ut annuntietur nomen meum in universa terra (*Rom.* IX, 14) » (*Orig. in Epist. ad Rom.*, *c.* 9). « Vide enim quia non dixit, ad hoc ipsum te feci, alioqui ad conditorem referri culpa videretur : sed ait, ad hoc ipsum te suscitavi, ut per animi tui malitiam, quam tibi infrunite et sine Dei timore vivendo quæsisti, et in alios irrogetur utilis ac fructuosa correptio, et in teipsum ad posteritatis exemplum famosissimus conferatur interitus. » (*Ambros. in Epist. ad Rom. cap.* 9.) « Ad hoc enim servatus est Pharao, ut multa signa et plagæ ostenderentur in illum quasi jam mor- D tuum. Suscitatus autem dictus est, quia cum apud Deum mortuus esset, modicum tempus accepit ut vivere videretur : ut esset ad cujus pœnam et varia tormentorum genera usque ad mortem ingererentur, et omnes qui sine Deo erant, inde metu territi, hunc solum Deum esse cum admiratione maxima faterentur, a quo hæ vindictæ sunt. Hoc etiam genere antiqui medici in hominibus morte dignis, vel mortis sententiam consecutis, requirebant quomodo prodessent vivis, quæ in homine latebant apertis, ut his cognoscerent causas ægritudinis, ut pœna morientis proficeret ad salutem viventis. » (*August. in Epist. ad Rom.*, *c.* 62.) « Quod ergo jam Pharao non obtemperabat præceptis Dei, jam de supplicio veniebat. Non autem

Digitized by Google

quisquam potest dicere obdurationem illam cordis immerito accidisse Pharaoni, sed judicio Dei retribuentis incredulitati ejus debitam pœnam. Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate. In his enim quos Deus juste damnat, infidelitas et impietas inchoant pœnæ meritum, ut per ipsam pœnam etiam male operentur; sicut et superius idem dicit Apostolus : « Et quo- « modo non probaverunt Deum in notitia habere, « tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant « ea quæ non conveniunt (*Rom.* IX, 18). » Quapropter ita concludit Apostolus : « Ergo cui vult miseretur, et quem vult indurat. » (*Orig. in Epist. ad Rom.*, *c.* 9.) « Quod autem dicit, « Ergo cui vult miseretur, « et quem vult indurat, » ex his quæ in Exodo scripta sunt videtur assumere. Ibi enim dicit : « Indurabo cor Pharaonis, ut ne dimittat populum (*Exod.* « IV, 21). » Indurabatur autem cor Pharaonis hoc modo. Noluit Deus subitam et plenam dare in eum vindictam. Quamvis enim esset consummatæ malitiæ, tamen per patientiam suam Deus nec ipsi facultatem conversionis excluserat : et ideo primo lenioribus, tum etiam paulatim ingravescentibus in eum verberibus utitur. Sed quod Deus gerebat per patientiam, ex hoc ille indurabatur ad contemptum, majorem sibi iram recondens, ita ut ad ipsum dici conveniat illud quod Apostolus scribit : « An divitias « bonitatis ejus et longanimitatis contemnis? Igno- « ras quoniam patientia Dei te ad pœnitentiam ad- « ducit? Secundum duritiam autem et cor impœni- « tens thezaurizas tibi ipsi iram in die iræ? » (*Rom.* « II, 4.) Non ergo quem vult Deus indurat, sed qui patientiæ obtemperare noluerit induratur. » (*August. in Epist. ad Rom.*, *c.* 62.) « Cui enim miseretur, facit eum bonum operari, et quem obdurat, relinquit eum ut mala operetur : sed et illa misericordia præcedenti merito fidei tribuitur, et ista obduratio præcedenti impietati, ut et bona per donum Dei operemur, et mala per supplicium, cum tamen non auferatur liberum voluntatis arbitrium, sive ad credendum Deo, ut consequatur nos misericordia, sive ad impietatem, ut consequatur nos supplicium. Qua conclusione illata, infert quæstionem tanquam a contradicente. Ait enim : « Dicis itaque mihi, quid « adhuc quæritur? Nam voluntati ejus quis resistit? » (*Rom.* IX, 19.) Cui sane inquisitioni sic respondet, ut intelligamus spiritalibus viris, etiam non secundum terrenum hominem viventibus, patere posse prima merita fidei et impietatis, quomodo Deus præscientia eligat credituros, et damnet incredulos, nec illos ex operibus eligens, nec istos ex operibus damnans : sed illorum fidei præstans ut bene operentur, et istorum impietatem obdurans deserendo, ut male operentur. Qui quoniam intellectus, ut dixi, spiritalibus patet, a carnali autem prudentia longe remotus est, sic refellit inquirentem, ut intelligat se deponere debere prius nominem luti, ut ista per spiritum investigare

A mereatur. Itaque, inquit : « Tu quis es qui respondeas « Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem conspersione vas facere aliud « quidem in honorem, aliud in contumeliam? (*Ibid.* « *vers.* 20.) » Quandiu figmentum es, inquit, et ad massam luti pertines, nondum perductus ad spiritalia, ut sis spiritalis omnia judicans, et a nemine judiceris, cohibeas te oportet ab hujusmodi inquisitione, et non respondeas Deo, cujus consilium quisque scire cupiens, oportet ut prius in ejus amicitiam recipiatur, quod contingere nisi spiritalibus non potest; jam portantibus imaginem cœlestis hominis. « Jam enim, inquit, non dicam vos servos, « sed amicos. Omnia enim quæ audivi a patre meo B « nota feci vobis (*Joan.* XV, 15). » Quandiu itaque vas figuli es, conterendum est hoc ipsum in te prius virga illa ferrea, de qua dictum est : « Reges eos in « virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes « eos (*Psal.* II, 9), » ut corrupto exteriore homine, et interiore innovato, possis in charitate radicatus et fundatus comprehendere latitudinem, longitudinem, altitudinem, et profundum, cognoscere etiam supereminentiam scientiæ charitatis Christi. Nunc itaque cum ex eadem conspersione Deus alia vasa in honorem facit, alia in contumeliam, non est tuum discutere, quisquis secundum eamdem conspersionem adhuc vivis, id est terreno sensu carnaliter sapis. » (*Orig. in Epist. ad Rom.* 9.) « Subjungit enim hæc Apostolus ex persona contraria sentientis : C « Dicis itaque mihi quid adhuc quæritur? Nam vo- « luntati ejus quis resistit? » etc. Voluntati quidem Dei certum est quod nullus obsistere possit : sed voluntatem ejus justam rectamque esse scire nos convenit. Ut boni enim aut mali simus, nostræ voluntatis est, quod autem malus ad hujusmodi verbera, et bonus ad hujusmodi gloriam destinatur, voluntatis est Dei? « O homo, inquit, tu quid es qui respon- « deas Deo? » (*Greg. Moralium* IX, *c.* 8.) Respondere Deo non posse convincitur qui homo nominatur, quia per hoc quod de humo sumptus est judicia superna discutere dignus non est. Unde in Job legitur : « Vel quis dicere potest, Cur ita facis? » (*Job* IX, 12.) Auctoris facta semper indiscussa veneranda sunt, quia injusta esse nequaquam possunt. Ratio- D nem quippe de occulto ejus consilio quærere, nihil est aliud quam contra ejus consilium superbire. Cum ergo factorum causæ non deprehenduntur, restat ut sub factis illius cum humilitate taceatur, quia nequaquam sufficit sensus carnis, ut secreta penetret majestatis. Qui ergo in factis Dei rationem non videt, infirmitatem suam considerans cur non videat rationem videt. Unde per Paulum quoque subsequenter adjungitur : « Nunquid dicit figmentum ei « qui se finxit : Quare me fecisti sic? (*Rom.* IX, 20). » Quo enim se cernit figmentum divini esse operis, eo semetipsum redarguit ne contra manum resultet operantis, quia qui benigne quod non erat facit, quod est injuste non deserit. Ad semetipsum ergo

Digitized by Google

post percussionem mens redeat, et quod apprehendere non valet non requirat, ne si divinæ iræ causa discutitur, amplius discussa provocetur, et quem placare humiliter poterat, inexstinguibiliter superbia accendat. » His ergo ita se habentibus, bonum mihi videtur ut humana fragilitas divina judicia indiscrete discutere non præsumat, sed magis venerari studeat, quia in præcipiti pedem ponit, qui mensurarum suarum limitem non attendit. Solus enim Deus perfecte et per omnia suam voluntatem et potestatem novit. Ideo divina judicia, quæ ignota nobis sunt, discutere nos non convenit. Tamen firmiter credere debemus quod Deus mortem non fecit, nec lætetur in perditione morientium, et qui vult omnes homines salvos esse, et ad agnitionem veritatis venire, redimet animas servorum suorum, et non derelinquet omnes qui sperant in se. Quod in Scripturis sacris et in divinis Testamentis de prædestinatione scriptum legimus, firmiter teneamus, nec de nostro aliquid adjicere præsumamus. Satis sit nobis quod Apostolus et doctor gentium de prædestinatione electorum docuit; nec illud quod ipse de reproborum prædestinatione dicere noluit, nos noviter inferamus. Non enim oportet nos de voluntate et factis Dei sine charitate disputare, et præsumptione ad infirmorum scandalum invicem contendere, ne forte per hoc juxta Veritatis sententiam in æternum supplicium damnemur. Sufficit nobis ad salutem, et ad rectæ fidei sobrietatem, quod apostolica doctrina nos docet, et stultas quæstiones penitus deseramus, secundum ejusdem Apostoli præceptum, quod ad Timotheum scribens ait : « Noli verbis contendere, in nihilo utile, nisi ad subversionem audientium. Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo operarium, inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. Profana autem et inaniloqua devita, et verborum novitates : multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit (*II Tim.* II, 14 *seq.*). » Et rursum : « Stultas, inquit, et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites, servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati; ne quando det Deus illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem (*Ibid.*, *vers.* 23-26). » Oremus pro invicem ut salvemur, sicut memoratus Apostolus nos facere docet dicens : « Obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro multis, testimonium temporibus suis, in quo positus sum ego prædicator et apostolus : veritatem dico, non mentior, doctor gentium in fide et veritate (*I Tim.* II, 1 *seq.*). » (*Raban. in Epist. Pauli lib.* XXIII.) « In commune pro omnibus debere eos sollicitos esse præcepit. Nam is qui pro omnibus hominibus hæc facere jubetur, evidens est quoniam et pro omnibus sollicitudinem expendere jubetur. Deinde ad illa quæ summa esse videntur inter homines transit. « Pro regibus, inquit, et omnibus qui in sublimitate sunt. » Et ostendens quoniam et hoc lucrum sit eorum : « ut quietam, inquit, et tranquillam vitam agamus cum omni pietate et sobrietate. » Si enim, ut conveniens est, in pace illi deguerint, possibile est et nos tranquillitatem facientes pietati intendere, et vitæ sobrietati. Et suadens illis ista sic facere, sicut ipse præcepit, communem pro omnibus hominibus sollicitudinem, qui per totum orbem esse videntur, expendere, et communia bona debere existimari ea quæ universorum sunt : « Hoc autem est bonum et acceptum coram salvatore Deo nostro, » (*Ambr.*) Sufficienter suasit eos sic sapere, si quidem et Deo sic placet. Unde et probationem faciens quod Deo ista placent, adjicit : « Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad cognitionem veritatis venire. » Nam quia Deus de omnibus hominibus ista velit, nemo poterit contradicere. Evidens autem est quoniam omnes vult salvari, quia et omnes tuetur. Necessarium est ergo ut nos ejus tuitionem erga omnes imitemur, si tamen ad plenum acceleramus similia sapere Deo. Et omni ex parte id ostendens adjicit, « Unus autem Deus est. » Hoc est, quia est omnium Deus, non aliorum quidem est Dominus, aliorum vero non est. Itaque non est possibile eum despicere aliquos quasi alienos sibi existentes : « Unus est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. » (*Aug.*) Fallax itaque mediator, hoc est diabolus, quo per secreta judicia Dei superbia hominum mereretur illudi, unum cum hominibus habet, id est, peccatum : aliud videri vult habere cum Deo, ut quia carnis mortalitate non tegitur, pro immortali se ostendat. Sed quia stipendium peccati mors est, hoc habet commune cum hominibus, unde simul damnentur in mortem. Verax autem mediator est, quem secuta tua misericordia, Domine, demonstrasti humilibus, et misisti, ut ejus exemplo etiam ipsam discerent humilitatem. Mediator quippe ille Dei et hominum, homo Christus Jesus, inter mortales peccatores et immortalem justum apparuit, mortalis cum hominibus, justus cum Deo, ut quoniam stipendium justitiæ vita et pax est, per justitiam conjunctam Deo evacuaret mortem justificatorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem. Sic demonstratus est antiquis sanctis, ut ita ipsi per fidem futuræ passionis ejus, sicut nos per fidem præteritæ, salvi fierent. In quantum enim homo, in tantum mediator : in quantum autem verbum, non medius, quia æqualis Deo, et Deus apud Deum, et simul cum Spiritu sancto unus Deus. »

Digitized by Google

(*Ambr.*) « Opportune vel maxime hoc in loco hominem eum vocavit, ut et a natura ostenderet donationis communionem, omnibus necessario id confitentibus, quoniam universitatis pars existens secundum naturam communem omnibus, potest per similitudinem naturæ donationem præstare. Unde illud quasi jam in confessionem deductum hinc accipiens adjicit, « qui dedit seipsum redemptionem pro omnibus testimonium temporibus suis. » Nam et pro omnibus dedit seipsum. Nec enim pro aliquibus mortem subire acquievit, sed omnibus volens in commune conferre beneficium, passionem suscipere est dignatus, secundum illud tempus quo passus est, testimonium enim vocat passionem ipsam. « Temporibus vero suis » dicit, ut asserat secundum illud tempus quo passus est. Et ut passionem Christi omnibus necessariam esse demonstraret, ostendit illis quod conveniat in commune de omnibus hominibus sollicitudinem impendere, eo quod et Deus omnibus curam adhibeat, et quod in commune sit omnium Dominus, et quod majus est, quoniam ipse Christus similiter omnibus appropinquare videtur proprietate naturæ. Nam et omnibus præbuit beneficium pro omnibus passionem suscipiens. Comprobat vero illud de cætero etiam et de illis quæ secundum se sunt. « In quo positus sum, inquit, ego « prædicator et Apostolus, veritatem dico, non men« tior, doctor gentium in fide et veritate. » Pro his ergo et ego constitutus sum apostolus, ut et ipsam doctrinam ad omnium hominum notitiam deferam, et omnes ad fidem Christi accedere faciam, per quem ista nobis retributa sunt. Et quidem ad horum doctrinam et insinuationem gentium creatus sum apostolus, ut prædicem omnibus hominibus qui in omni loco sunt. »

Hæc ergo de præscientia Dei et prædestinatione, et quod ipse Deus omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis vult pervenire, apostolicarum sententiarum sensu juxta præcedentium Patrum expositionem, prout potui, et assidua infirmitas me sinebat, juxta petitionem vestram breviter et strictim hic collegi : sciens quod vos plura inde colligere potestis, sicut eruditio vestra et valetudo, meam imperitiam et infirmitatem per omnia excellens, vos agere permittit. Ego autem, quantum præsumo, vos admoneo, ut has contentiones noxias in populo Christiano fieri prohibeatis, et ipsum Gotescalcum, hujus erroris auctorem, nec scribendo, nec loquendo ultra tam multis nocere permittatis. Miror enim prudentiam vestram quod istum noxium virum, hoc est Gotescalcum, qui in omnibus vituperabilis inventus est, quia nec monachi votum, nec sacri ordinis ritum, sed neque prædicandi officium legitime observavit, scribere aliquid permisistis, in quo officio magis nocere potuit quam viva voce loquendo. Unde etiam in plurimis locis, ut audivi, sui veneni poculo non paucos inebriavit, et in erroris insaniam vertit. Quod nequaquam ita fieri oportet, sicut in Epistola quam ad Titum discipulum suum misit scriptum continetur (*Tit.* III, 10). « Hæreticum, inquit, hominem post « unam et secundam correptionem devita, sciens « quod subversus est hujusmodi, et delinquit proprio « judicio condemnatus. » (*Raban. in Epist. Pauli, lib.* XXV.) « Quam sententiam beatus Ambrosius ita exposuit. Ad plenum, inquit, illum devita, qui ea quæ contraria sunt pietati prælegit, hunc enim hæreticum vocat. Postquam enim semel et bis eumdem instruxeris, et ostenderis ei illa quæ conveniunt ejus saluti, superfluum est diutius cum ejusmodi disputare, cum sit manifestum quoniam nullam percipit correptionem, ex quibus semel et bis, illa quæ non conveniebant sibi audiens, cognoscere noluit veritatem. Relinque ergo eum qui talis est, ut justam exspectet a judice pœnam, eo quod in sua pertinacia persistens, nullum ad correptionem suam ex instructione accipere vult consilium. De quo et beatus Hieronymus ita ait. Quare autem post primam et secundam correptionem devitandus sit, reddit causas dicens quod subversus est hujusmodi et peccat, cum sit in semetipso depravatus. Qui enim semel bisque correptus, audito errore suo non vult corrigi, errare æstimat corrigentem, et e contrario se ad jurgia et pugnas verborum parans, eum vult lucrifacere a quo docetur. Propterea vero a semetipso dicitur esse damnatus, quia fornicator, adulter, homicida, et cætera vitia, per sacerdotes de Ecclesia propelluntur, hæretici autem in seipsos sententiam ferunt suo arbitrio de Ecclesia recedentes : quæ recessio propriæ conscientiæ videtur esse damnatio. Inter hæresim et schisma hoc esse arbitrantur, quod hæresis perversum dogma habeat ; schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur. Quod quidem in principio ita esse aliqua ex parte intelligi potest. Cæterum nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur. » Unde bonum mihi videtur, si vobis placet, quod supra memorato hæretico, nulla detur occasio atque licentia scribendi, atque cum aliquo disputandi, antequam si possibile sit ejus mens et sensus ad catholicam redeat doctrinam. Oretur autem pro ipso, ut Dominus qui omnipotens est operetur salutem ergo infirmum fratrem, ut tribuat cor docibile, et rectæ fidei consentiens, quam fidem catholica per totum orbem custodit Ecclesia ; et resipiscat a diaboli laqueis, a quo captus est ad ipsius voluntatem, et revertatur ad sanctam matrem Ecclesiam, unumque cum ea sentiat atque profiteatur, et ipsam unitatem pacis et rectæ fidei deinceps quandiu vivat servet. Interim autem donec illud fiat, non laudo ut communio ei tribuatur, quia juxta testimonium Joannis apostoli, omnis qui recedit et non manet in doctrina Christi Deum non habet : qui permanet in doctrina, hic Filium et Patrem habet. « Si quis, inquit, venit ad « vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere « eum in domum, nec ave ei dixeritis : qui enim dicit « illi ave, communicat operibus illius malignis (II « *Joan.* 10). » Ecce prædixi vobis, ut in die Domini

Digitized by Google

nostri Jesu Christi non confundamini. Recordamini qualiter doctor gentium de semetipso dicit : « Si ea « quæ destruxi iterum reædifico, prævaricatorem me « constituo (*Gal.* II, 18). » Et attendite quomodo vos sine crimine possitis esse, qui in synodo vestra hanc sectam nefandam simul cum hæretico damnastis, si ei modo incorrecto communicaveritis. Debetis enim correctores esse malorum, non secutores errantium, ut officium nostrum atque doctrina sine reprehensione fiat, et tam Deo placeat quam hominibus. De cætero agnoscat sanctitas vestra, quod illum libellum, quem ad simplices et reclusos in nostra parochia consistentes contra Gotescalci errorem dictastis, probatum habeo, et secundum id quod ibi scriptum reperi sentio. De Gotescalci autem pertinacissimo et incorrigibili errore aliquid contra scribere superfluum judico, quia nec præsentem eum a sua nequitia avellere potui, nec modo post vestram sanam correptionem, aliquid sanum in ejus sensu reperi ; sed superbiam tantum. Superbus enim est Moab valde, et superbia atque arrogantia ejus plus quam fortitudo ejus. Quid enim contra eum scribere habeo, qui totam Ecclesiam, quasi aliquid spurcum et sordidum, et indignum sua allocutione abjicit, suam autem locutionem ad solum Deum in cœlis præsidentem convertit, indignum sua allocutione judicans quidquid in terra est? Quasi fas sit contemptis membris corporis Christi, ad ipsum caput verba dirigere, cum nullo modo caput a membris separari possit. Nemo enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis qui est in cœlo, qui ad Patrem suum orans, de discipulis suis ait : « Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. Sicut « tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum, et pro eis ego sanctifico meipsum, ut possint « et ipsi sanctificari in veritate. Non pro his autem « rogo tantum, sed et pro his qui credituri sunt per « verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, « Pater, in me, et ego in te, et ut ipsi in nobis unum « sint, ut credat mundus quia tu me misisti, et ego « claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum « sicut et nos unum sumus, ego in eis et tu in me, « ut sint consummati in unum, ut cognoscat mundus « quia tu me misisti, et dilexisti eos sicut et me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi volo ut ubi ego « sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem « meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante « constitutionem mundi (*Joan.* XVII, 17). » Quisquis enim sanctæ Ecclesiæ salutiferam communionem habere poterit, quia ipse ad electos suos in Evangelio ait : « Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me « spernit (*Luc.* X, 16). » Hoc autem quod idem erroneus, quasi ad Deum loquens, petit examen ignis, ut per illud veritas ejus fidei, imo perfidiæ, comprobetur, magis mihi videtur ex elatione cordis prolatum esse, quam ex constantia fidei. Optat enim, post blasphemiam quam impudenti ore protulit, ut coram undique collecta populorum multitudine, præsente etiam regni principe, simul cum pontificum et sacerdotum, monachorumque sive canonicorum agmine, ad probandam suam sectam liceat sibi, quatuor doliis uno post unum positis, atque singulatim repletis aqua ferventi, oleo pingui, et pice, et ultime accenso igne copiosissimo, ad probandam traditionem transire, ut sic probetur ejus professionis veritas : quod neminem præter eum ita optasse legi. Nam tres pueri, de quibus in Daniele scriptum est, hoc est Sidrach, Misac et Abdenago, non simili pertinacia examen ignis petierunt, sed magis Dei judicio omnia servantes, responderunt regi Babylonis, qui eos statuam auream quam fecit adorare compulit dicentes : « Non « oportet nos de hac re respondere tibi. Ecce enim « Deus noster quem colimus potest eripere nos de « camino ignis ardentis, et de manibus tuis liberare. « Quod si noluerit, notum tibi sit, quia deos tuos « non colimus, et statuam auream quam erexisti non « adoramus (*Dan.* III, 17). » Sic enim illi ex fidei firmitate et professionis humilitate de igne liberari meruerunt, pertinacia autem istius quem finem habeat ignotum adhuc constat. Faciat Dominus de hoc quod bonum sit in oculis ejus, et liberet nos ab omni malo, atque defendat ab omni errore, detque nobis sua gratia per fidem rectam et bona opera æternam beatitudinem in conspectu ejus promereri, et vita perfrui sempiterna.

Hæc tibi, charissime frater, licet rustico stylo, tamen devoto animo dictata modo sufficiant. Cæterum scias me, quandiu vixero, semper paratum esse tuæ obtemperare bonæ voluntati et sanæ consentire doctrinæ. Dominus omnipotens faciat nos, quandiu hic sumus, vobiscum gratum servitium illi exhibere, et post hujus vitæ terminum in regno cœlesti perpetualiter gaudere.

EPISTOLA V.

AD NOTINGUM,

Cum libro de Prædestinatione Dei.

(Ex Sirmondo.)

Viro venerabili et omni nomine dignissimo Notingo electo episcopo Rabanus in Christo salutem.

Nuper, quando ad serenissimum imperatorem Ludovicum in transitu expeditionis hostilis in pago Loganæ venisti, et ibidem mecum locutus de hæresi quam quidam de prædestinatione Dei inique contendunt, errantes et alios in errorem mittentes, sermonem habuisti, convenit inter nos ut e divinis Scripturis, et de orthodoxorum Patrum sententiis, aliquod opusculum conficerem, ad convincendum errorem eorum qui de Deo bono et justo tam nequiter sentiunt, ut dicant ejus prædestinationem facere, quod nec homo ad vitam prædestinatus possit in mortem incidere, nec ad mortem prædestinatus ullo modo se possit ad vitam recuperare : cum auctor omnium rerum et conditor naturarum Deus, nullius ruinæ atque interitus causa sit, sed multorum origo salutis. Proinde accipe nunc opusculum, quod tibi rogaveras a nostra exiguitate confici : et si quid in eo gratum atque catholice sensu explicitum repereris, ei hoc tribuas, a quo omne bonum esse nosti, meque nove-

Digitized by Google

ris quidquid ejus gratia possum, tuæ charitatis utilitati conferre per omnia, et in omnibus paratum esse. Vale, et amantem te dilige, nostræque parvitatis in sacris orationibus memor fieri non omitte.

Explicit præfatio.

DE PRÆDESTINATIONE.

Si homo rationalis vim suæ agnosceret naturæ, et Creatoris sui potentiam rite intelligeret, nequaquam stultis se implicaret quæstionibus, et quæ Christianæ religioni sunt contraria, nec sensu teneret, nec voce proferret. Sed quia antiquus hostis, qui ab initio humanæ invidit saluti, nunquam desinit in segete Christi superseminare zizania, ideo per vaniloquos non solum otiosa, sed et noxia, et blasphemiis plena profert eloquia. Ita ut quidam eorum perditionis suæ conditorem asserant auctorem, dicentes quod sicuti qui per præscientiam Dei ac prædestinationem vocati sunt ad percipiendam gloriam æternæ vitæ, non possunt non salvari, ita et illi qui ad æternum interitum vadunt, prædestinatione Dei coguntur, et non possunt evadere interitum. Quod quam absurdum sit, etiam imperiti intelligere possunt, quia nullo modo ille qui cuncta bona creavit, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum, atque vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, aliquem cogit interire, sed magis facit recte credentem, ac benigne operantem, ad salutem æternam pervenire. Si enim, secundum ipsos qui talia sentiunt, Dei prædestinatio invitum hominem facit peccare, quomodo justo judicio Deus damnat peccantem, cum ille non voluntate, sed necessitate peccaverit? aut quomodo Deus judicabit mundum, qui est justus judex, et reddet unicuique secundum opera sua? judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua? Si autem hujusmodi ratiocinatione tollitur Deo ne judex justus sit, consequenter auferetur illi et regia dignitas atque divina majestas. Sed e contrario Scriptura clamat prophetica: « Quoniam Deus magnus Dominus, et « rex magnus super omnes deos (*Psal.* XCIV, 3); » et item: « Regnabit Dominus super omnes gentes, « Deus sedet super sedem sanctam suam (*Psal.* « XIII, 1). » Igitur, quod cum hac ratione perspicue explicatur, restat ut qui talia sensit, ex eorum numero sit de quibus Psalmista ait: « Dixit insipiens in « corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt et abomi- « nabiles facti sunt in voluptatibus suis (*Psal.* « XLVI, 9). » Hunc autem errorem sanctorum Patrum multipliciter confutat doctrina, et convincit taliter sentientes, nec Scripturarum auctoritate, nec veraci inniti ratiocinatione. Prædestinationis enim fides firmissima sanctarum auctoritate Scripturarum munita est: cui nullo modo fas est ea quæ ab hominibus male aguntur ascribi, qui in proclivitatem cadendi, non ex conditione Dei, sed ex primi patris prævaricatione venerunt. De cujus pœna nemo liberatur nisi per gratiam Domini nostri Jesu Christi, præparatam et prædestinatam in æterno consilio Dei ante constitutionem mundi. (*Prosper contra Gallos, c.* 3.)

« Omnis homo qui, credens in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, regeneratur in baptismo, tam a propriis peccatis quæ mala voluntate et actione contraxit, quam ab originali quod a parentibus traxit absolvitur. Sed relapsum post baptismum ad infidelitatem, et impios mores, qui negat originali peccato fuisse purgatum, tam falsa opinatur quam qui eumdem asserit non æterna morte fuisse damnandum. Qui enim recedit a Christo, et alienus a gratia finit hanc vitam, cadens in perditionem, non in id quod remissum est recidit, nec in originali peccato damnabitur: sed propter postrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa quæ remissa sunt debebatur. Quod quia Dei præscientiam nec latuit, nec fefellit, sine dubio talem nunquam elegit, nunquam prædestinavit, et periturum nunquam ab æterna perditione discrevit. » Igitur sicut bona opera ad inspirationem eorum, ita mala ad eos sunt referenda qui peccant. Non enim relicti sunt a Deo ut relinquerent Deum, sed reliquerunt eum et relicti sunt, et ex bono in malum propria voluntate mutati sunt, atque ob hoc, licet fuerint renati, licet fuerint justificati, ab eo tamen qui illos tales præscivit, non sunt prædestinati. Prædestinationem autem Dei, sive ad bonum sive ad malum, in omnibus operari in ineptissime dicitur: nec verum est homines quædam necessitate implere, cum in bonis voluntas non sit intelligenda sine gratia. Quæ enim ratio est ut ullus qui sanum sapit dicat: Non est necesse mihi ut laborem pro requie et salute mea, quia si prædestinatus sum a Deo ad vitam æternam, velim nolim illuc perveniam: si autem prædestinatus non sum, nihil mihi proficit bene operari ac virtutibus operam dare, quia æternæ beatitudinis præmia non possidebo. Quasi Deum tentando, ac promissa ipsius despiciendo, et non magis per fidem et dilectionem devote serviendo placere possim (*Hypomnesticon lib.* VI). « Prius ergo ipsum nomen prædestinationis quid indicet exponamus: deinde esse apud Deum, qui sine acceptione personarum est, prædestinationem divinarum Scripturarum auctoritate probabimus. Prædestinatio quippe a prævidendo, et præveniendo, vel præordinando futurum aliquid dicitur et ideo Deus, cui præscientia non accidens est, sed essentia fuit semper et est, quidquid antequam sit sic præscit prædestinat, et propterea prædestinat, quia quale futurum sit præscit. Ideo et Apostolus: « Nam « quos præscivit, *inquit*, et prædestinavit (*Rom.* VIII, « 29). » Sed non omne quod præscit prædestinat. Mala enim tantum præscit, et non prædestinat: bona vero et præscit et prædestinat. Quod ergo bonum est præscientia prædestinat, id est priusquam sit in se præordinat: hoc cum ipso auctore esse cœperit, vocat, ordinat et disponit. Unde et sequitur: « Quos prædestinavit, hos et vocavit: et quos « vocavit illos et justificavit; quos autem justificavit « illos et glorificavit. » Jam igitur apertius disseramus quod loquimur. Quomodo erga humanum genus præscientia sua et prædestinatione Deus generaliter.

Digitized by Google

in quo iniquitas non est, utatur. Massæ itaque humani generis, quæ in Adam et Evæ prævaricatione damnabilis mortalisque facta est, non condemnatione divina generaliter, sed ex debito pœna cruciatusque gehennæ debetur; venia vero, non merito, sed Dei justi judicis misericordiæ largitate confertur. Quia vero justus et misericors Deus præscius est futurorum, ex hac damnabili massa, non personarum acceptione, sed judicio æquitatis suæ irreprehensibili, quos præscit misericordia gratuita præparat, id est prædestinat ad vitam æternam, cæteros autem pœna, ut prædixi, debita punit, quia quid essent futuri præscivit; non tamen puniendos ipse fecit aut prædestinavit, sed tantum, ut dixi, in damnabili massa præscivit. Quod si a me quæris scire cur duas istas differentias Deus faciat, si personarum acceptor non est, quia generaliter aut punire debet justitia, aut misericordia liberare, contende cum Paulo, imo si audes argue Paulum, qui dixit, Christo in se loquente : « O homo, tu quis es « qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei « qui se finxit, Utquid me sic fecisti? An non habet « potestatem figulus luti ex eadem massa facere « aliud quidem vas in honorem, aliud in contume- « liam? » (*Rom.* IX, 30.) Ego autem hoc dico quod dixi, quia quidquid Deus agit, misericorditer, juste sancteque facit : quia solus ipse præsciendo scit quod homo nesciendo nescit. Quis enim cognovit sensum Domini, quis instruxit eum, aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi et retribuitur ei? aut quis dicit ei, Quid fecisti? Non potest tantum justus dici Deus, aut solum misericors, sed justus et misericors. Sic legimus, sic credimus. Propterea quando illi cum David misericordiam et judicium cantamus, cantamus metuentes, non interrogamus quæ sit voluntas ejus, in judicio et misericordia conquiescentes. » Omnis enim lex divina hoc docet, ut per obedientiam mandatorum Dei perveniamus ad creatorem nostrum : nec ullus ratione vigens sine fide recta et bonis operibus Deo placere potest. Unde et prophetica atque apostolica eloquia hoc resonant, ad hoc exhortantur, ut recto cursu sanctæ conversationis perveniamus ad creatorem nostrum. Denique sic Moyses ait : « Non tentabis Dominum « Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. Cu- « stodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia, et « cæremonias, quas præcepit tibi : et fac quod pla- « citum est et bonum in conspectu Domini, ut bene « sit tibi, et ingressus possideas terram optimam, de « qua juravit Dominus patribus tuis, ut deleret « omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est « (*Deut.* VI, 16 *seq.*). » Nam Psalmista hinc ait : « Quis est homo qui vult vitam, et cupit videre dies « bonos? Coerceat linguam suam a malo, et labia « ejus ne loquantur dolum. Divertat a malo, et fa- « ciat bonum; inquirat pacem et sequatur eam. Quia « oculi Domini super justos, et aures ejus in preces « eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, « ut perdat de terra memoriam eorum (*Psal.* XXXVIII, « 13). » Hinc et per Isaiam dicitur : « Hæc dicit « Dominus : Custodite judicium, et facite justitiam. « Quia juxta est salus mea ut veniat, et justitia « mea ut reveletur. Beatus vir qui fecit hoc, et « filius hominis qui apprehendit istud, custodiens « sabbatum ne polluat illud, custodiens manus « suas ne faciat omne malum (*Isa.* LVI, 1 *seq.*) » De quo et per Jeremiam dicitur : « Hæc dicit Do- « minus Israel : Maledictus vir qui non audierit « verba pacti hujus, quod præcepi patribus vestris « in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de fornace « ferrea, dicens : Audite vocem meam, et facite « omnia quæ præcipio vobis, et eritis mihi in popu- « lum, et ego ero vobis in Deum, et suscitabo jura- « mentum quod juravi patribus vestris daturum me « eis terram fluentem lacte et melle (*Jer.* XI, 3 *seq.*). » Ad Ezechielem Dominus ait : « Tu ergo, fili homi- « nis, dic ad domum Israel; sic locuti estis dicen- « tes : Iniquitates nostræ et peccata nostra super « nos sunt, et in ipsis nos tabescimus : quomodo « ergo vivere poterimus? Dic ad eos : Hæc dicit Do- « minus Deus : Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, con- « vertimini a viis vestris pessimis, et quare morie- « mini, domus Israel? Tu itaque, fili hominis, dic « ad filios populi tui : Justitia justi non liberabit « eum in quacunque die peccaverit, et impietas « impii non nocebit ei in quacunque die conversus « fuerit de impietate sua; et justus non poterit vi- « vere in justitia sua in quacunque die peccaverit. « Etiamsi dixero justo quod vita vivat, et confisus « in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ « ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua quam « operatus est in ipsa morietur. Sin autem dixero impio, Morte morieris, et egerit pœnitentiam a pec- « cato suo, feceritque judicium et justitiam, et pi- « gnus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, « in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quid- « quam injustum, vita vivet et non morietur. Omnia « peccata ejus quæ peccavit non imputabuntur ei « (*Ezech.* XXXIII, 10 *seq.*). » Ad Nabuchodonosor quoque Daniel propheta sic ait : « O rex, consilium « meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis re- « dime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum : « forsitan ignoscat Deus delictis tuis (*Dan.* IV, 24). » Hinc et per Osee dicitur : « Seminate vobis in justi- « tia, et metite in ore misericordiæ, innovate vobis « novale : tempus autem requirendi, cum venerit « qui docebit vos justitiam (*Ose.* X, 12). » Et item : « Convertere, *inquit*, Israel ad Dominum Deum tuum, « quoniam corruisti in iniquitate tua. Tollite vobis- « cum verba, et convertimini ad Dominum, et dicite « ei : Omnem aufer iniquitatem, et accipe bonum, « et reddemus vitulos labiorum nostrorum (*Ose.* XIV, « 2, 3). » Si quidem in Joele ita scriptum est : « Ma- « gnus enim dies Domini et terribilis valde, et quis « sustinebit eum? Nunc ergo dicit Dominus : Con- « vertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et « in fletu et in planctu, et scindite corda vestra et

Digitized by Google

« non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum « Deum vestrum, quia benignus et misericors est, « patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super « malitia : quis scit si convertatur et ignoscat et re- « linquat post se benedictionem, sacrificium et liba- « men Domino Deo nostro? » (*Joel.* II, 11.) Hinc et per Amos dicitur : « Quærite bonum et non malum « ut vivatis, et erit Dominus Deus exercituum vo- « biscum sicut dixistis. Odite malum, et diligite bo- « num, et constituite in porta judicium, si forte mi- « sereatur Dominus Deus exercituum reliquiis Joseph « (*Amos* V, 14 *seq.*). » Sic et Abdias propheta : « Juxta est, *inquit*, dies Domini super omnes gentes : « sicut fecisti fiat tibi, retributionem tuam convertet « in caput tuum (*Abd.* I, 15). » Jonas quoque in Ni- nive civitate magna prædicavit pœnitentiam agen- dam, et prædicaverunt Ninivitæ jejunium, et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem, et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est Deus super malitiam quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit (*Joan.* III, 3-10). Hinc et Michæas loquitur dicens : « Indicabo « tibi, homo, quid sit bonum, aut quid Dominus « Deus tuus requirat a te : utique facere judicium et « diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum « Deo tuo (*Mich.* VI, 8). » Denique Nahum ita præ- dicat dicens : « Deus æmulator et ulciscens Dominus, « ulciscens Dominus, et habens furorem, ulciscens Do- « minus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis « (*Nahum* I, 2). » De quo et Habacuc ait : « Ecce quod « incredulus est, non erit recta anima ejus in semet- « ipso. Justus autem in fidelitate sua vivet (*Habac.* II, « 4). » Et idem : « Væ qui congregat avaritiam malam « domui suæ : ut sit in excelso nidus ejus, et liberari « se putat de manu mali (*Ibid.*, *vers.* 9). » Et item : « Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præ- « parat urbem in iniquitate. Væ qui potum dat « amico suo, mittens fel suum, et inebrians ut aspi- « ciat nuditatem ejus. Repletus est ignominia pro « gloria. Væ qui dicit ligno : Expergiscere; surge, « lapidi jacenti. Nunquid ipse docere poterit? Ecce « ipse coopertus est auro et argento, et omnis spi- « ritus non est in visceribus ejus. Dominus autem in « templo sancto suo, sileat a facie ejus omnis terra « (*Ibid.*, *vers.* 12-20). » Hinc et Sophonias ait : « Quæ- « rite Dominum Deum vestrum, omnes mansueti « terræ, qui judicium ejus estis operati : quærite « justum, quærite mansuetum, si quando absconda- « mini in die furoris Domini (*Soph.* II, 3). » Nam et Aggæus ita ait : « Hæc dicit Dominus Deus exerci- « tuum : Ponite corda vestra super vias vestras : « ascendite in montem, portate lignum, et ædificate « domum, et acceptabilis mihi erit, et glorificabor, « dicit Dominus. Respexistis ad amplius, et ecce « factum est minus, et intulistis in domum, et suf- « flavi in illud. Quam ob causam dicit Dominus « Deus exercituum? Quia domus mea deserta est, et « festinastis vos unusquisque in domum suam (*Agg.* « I, 7 *seq.*). » Per Zachariam quoque Dominus ait : « Judicate judicium verum et misericordiam, et mise- « rationes facite unusquisque cum fratre suo, et vi- « duam et pupillum, et advenam et pauperem nolite « calumniari, et vir fratri suo non cogitet malum in « corde suo (*Zach.* VII, 7 *seq.*). » Et item : « Nolite « timere. Hæc sunt ergo verba quæ facietis. Loqui- « mini veritatem unusquisque cum proximo suo. « Veritatem et judicium pacis judicate in portis « vestris, et unusquisque malum contra amicum « suum ne cogitetis in cordibus vestris, et juramen- « tum mendax ne diligatis. Omnia sunt enim hæc « quæ odi, dicit Dominus (*Zach.* VIII, 16 *seq.*). » Per Malachiam quoque ait : « Convertimini et videbitis « quid sit inter justum et impium, et inter servien- « tem Deo et non servientem (*Malach.* III, 18). Ecce « dies veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes « superbi, et omnes operantes iniquitatem, stipula « et inflammabit eos dies veniens dicit Dominus « exercituum, quæ non relinquet eis radicem et « germen. Et orietur vobis timentibus nomen Do- « mini sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus, et egre- « diemini, et salietis sicut vituli de armento, et cal- « cabitis impios cum fuerint cinis sub planta pedum « vestrorum in die qua ego facio, dicit Dominus Deus « exercituum. Mementote legis Moysi servi mei, « qui mandavit eis in Choreb ad omnem Israel præ- « cepta et judicia (*Malach.* IV, 1 *seq.*). » Hinc et in Proverbiis Sapientia ita docet dicens : « Fili mi, ne « obliviscaris legis meæ, et præcepta mea custodiat « cor tuum. Longitudinem enim dierum et annos « vitæ, et pacem apponent tibi. Misericordia et ve- « ritas non te deserant, et circumda eas gutturi tuo, « et describe in tabulis cordis tui, et invenies gra- « tiam et disciplinam bonam coram Deo et homini- « bus (*Prov.* III, 1 *seq.*). » Similiter et Ecclesiastes docet dicens : « Lætare ergo juvenis in adolescen- « tia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juven- « tutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in vir- « tute oculorum tuorum, et scito quod pro omni- « bus his adducet te in judicium Deus (*Eccle.* XI, 9). « Aufer iram malam de corde tuo, et amove mali- « tiam a carne tua : adolescentia enim et voluptas « vana sunt. Memento Creatoris tui in diebus juven- « tutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et « appropinquent anni dierum de quibus dicas : Non « mihi placent : antequam tenebrescant sol et luna « et stellæ, et revertantur nubes post pluviam (*Eccle.* « XII, 1 *seq.*). » Hinc et liber qui dicitur Sapientia, sic inchoat : « Diligite justitiam qui judicatis terram. « Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate « cordis quærite illum, quoniam invenitur ab iis qui « non tentant illum, apparet autem eis qui fidem ha- « bent in illum. Perversæ enim cogitationes separant « a Deo, probata autem virtus corripit insipientes : « quoniam in malevolam animam non introibit sa- « pientia, nec inhabitabit in corpore subdito peccatis. « Sanctus enim spiritus disciplinæ effugiet fictum, « et aufert se a cogitationibus quæ sunt sine intelle- « ctu, et corripietur superveniente iniquitate (*Sap.* I,

Digitized by Google

« 1 *seq.*). » Et iterum : « Custodite ergo vos a mur- A « quia mitis sum et humilis corde ; et invenietis re-
« muratione, quæ nihil prodest, et a detractione « quiem animabus vestris. Jugum enim meum suave
« parcite linguæ : quoniam responsum obscurum in « est, et onus meum leve est (*Matth.* XI, 28, 30).
« vacuum non ibit ; os autem quod mentitur occidit « Filius enim hominis venturus est in gloria Patris
« animam. Nolite zelare mortem in errore vitæ ve- « sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique se-
« stræ, neque acquiratis perditionem in operibus « cundum opera ejus. De die autem illa vel hora ne-
« manuum vestrarum, quoniam Deus mortem non « mo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi
« fecit, nec delectatur in perditione vivorum. Crea- « Pater. Videte, vigilate, et orate. Nescitis enim
« vit enim ut essent omnia, et sanabiles facit natio- « quando tempus sit. Sicut homo qui peregre profe-
« nes orbis terrarum, et non est in illis prædica- « ctus reliquit domum suam, et dedit servis suis
« mentum exterminii, nec inferorum regnum in « potestatem cujusque operis, et janitori præcepit
« terra (*Sap.* I, 11 *seq.*). » Similiter et in libro « ut vigilaret. Vigilate ergo : nescitis quando domi-
Jesu filii Sirach, Sapientia docet quid vitandum et « nus domus veniet, sero an media nocte, an galli
quid faciendum sit : « Qui timetis, inquit, Domi- « cantu, an mane, ne cum venerit repente inveniat
« num, credite illi, et in oblectatione veniet vobis « vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus
« misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, B « dico, vigilate (*Matth.* XXIV). » Hinc et Paulus apo-
« et illuminabuntur corda vestra. Respicite, filii, « stolus ad Romanos scribens ait : « Revelatur enim ira
« nationes hominum, et scitote quia nullus speravit « Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam
« in Domino, et confusus est. Quis enim permansit « hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia
« in mandatis ejus et derelictus est, aut quis invoca- « detinent. His autem qui sunt ex contentione, et qui
« vit illum, et despexit eum ? Quoniam pius et mi- « non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati,
« sericors est Deus, et remittet in tempore tribula- « ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem
« tionis peccata, et protector est omnibus exqui- « animam hominis operantis malum, Judæi primum
« rentibus se in veritate. Væ duplici corde et labiis « et Græci : gloria autem et virtus et honor, et pax
« sceleratis, et manibus male facientibus, et pecca- « omni operanti bonum, Judæo primum et Græco.
« tori terram ingredienti duabus viis. Væ dissolutis « Non est enim personarum acceptio apud Deum.
« corde, qui non credunt Deo, et ideo non protegun- « Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege
« tur ab eo. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, « peribunt : et quicunque in lege peccaverunt, per
« et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt « legem judicabuntur. Non enim auditores legis justi
« in vias pravas, et quid facietis cum inspicere cœ- « sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur
« perit Dominus ? Qui timent Dominum, non erunt C « (*Rom.* I, 18 *seq.*). Non ergo regnet peccatum in
« incredibiles verbo illius, et qui diligunt illum, « vestro mortali corpore ad obediendum desideriis
« conservabunt viam illius. Qui timent Dominum « ejus : sed neque exhibeatis membra vestra arma
« inquirent quæ beneplacita sunt illi, et qui diligunt « iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tanquam
« illum replebuntur lege ipsius. Qui timent Dominum « ex mortuis viventes, et membra vestra arma justi-
« præparabunt corda sua, et in conspectu illius san- « tiæ Deo. Peccatum enim in vobis non dominabitur.
« ctificabunt animas suas. Qui timent Dominum cu- « Non enim sub lege estis, sed sub gratia (*Rom.* VI,
« stodiunt mandata illius, et patientiam habent usque « 12 *seq.*). » Hinc et Jacobus ait : « Estote factores
« ad inspectionem illius (*Eccli.* II, 8 *seq.*). » Hæc « verbi et non auditores tantum, fallentes vos metip-
ergo omnia regulam sanæ fidei docent, aut peccato- « sos (*Jac.* I, 22). » Et item : « Quid prodest, fra-
ribus pro malis operibus pœnas prædicunt, aut justis « tres mei, si fidem quis dicat se habere, opera au-
pro benefactis præmia spondent. Et quomodo quis- « tem non habeat ? Nunquid poterit fides salvare
que præsumit dicere, non justos bona merita adju- « eum ? (*Jac.* II, 14.) » Et rursus : « Subditi igitur
vare, neque iniquos peccata lædere, sed unumquem- « estote Deo, resistite autem diabolo, et fugiet a
que prædestinationis necessitate aut coronari aut D « vobis. Appropinquate Domino, et appropinquabit
puniri ? Videamus ergo quid de hoc Novum Testa- « vobis. Emundate manus, peccatores, et purifi-
mentum nobis insinuet. Dicit enim ipsa Veritas in « cate corda, duplices animo. Miseri estote, et lu-
Evangelio : « Intrate per angustam portam, quia lata « gete, et plorate ; risus vester in luctum convertа-
« porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, « tur, et gaudium in mœrorem. Humiliamini in con-
« et multi sunt qui intrant per eam : quam angusta « spectu Domini, et exaltabit vos in tempore tri-
« porta, et arcta via quæ ducit ad vitam, et pauci « bulationis (*Jac.* II, 7-10). » Qualiter autem vir-
« inveniunt eam (*Matth.* VII, 13, 14). Contendite tus fidei salvet hominem, et quod ruina nostra non
« per angustam portam intrare (*Luc.* XIII, 20). Non sit Deo deputanda, a quo est omne bonum, prædi-
« omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in ctus apostolus in eadem Epistola ostendit, dicens :
« regnum cœlorum : sed qui facit voluntatem Patris « Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet
« mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœ- « a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non impro-
« lorum (*Matth.* VII, 21). Venite ad me omnes qui « perat, et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil
« laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. « hæsitans. Qui autem hæsitat similis est fluctui
« Tollite jugum meum super vos, et discite a me « maris qui a vento movetur et circumfertur. Non

Digitized by Google

« ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Deo « (*Jac.* I, 5, 6, 7). Nemo cum tentatur dicat quoniam « a Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est : « ipse autem neminem tentat. Unusquisque vero « tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus : « deinde concupiscentia cum conceperit, parit pec- « catum : peccatum vero cum consummatum fuerit « generat mortem. Nolite itaque errare, fratres mei « dilectissimi. Omne datum optimum, et omne do- « num perfectum desursum est descendens a Patre « luminum, apud quem non est transmutatio, nec « vicissitudinis obumbratio (*Ibid.*, *vers.* 13-17). » De hoc et Petrus scripsit dicens : « Propter quod succin- « cti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte, sperate in « eam quæ offertur vobis gratiam in revelatione Jesu « Christi, quasi filii obedientiæ, non configurati mo- « ribus ignorantiæ vestræ desideriis, sed secundum « eum qui vocavit nos sanctum, et ipsi sancti in omni « conversatione estote, quoniam scriptum est : San- « cti eritis, quoniam ego sanctus sum (*I Petr.* I, « 13-16). » Et item : « Humiliamini igitur sub potenti « manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. « Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, « quoniam ipsi cura est de vobis. Sobrii estote et « vigilate, quia adversarius vester diabolus circuit « quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide, « scientes eamdem passionem ei quæ in mundo est « vestræ fraternitati fieri (*I Petr.* V, 6-9). » Hinc quoque Joannes ait : « Charissimi, nolite omni spi- « ritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt : « quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mun- « dum. In hoc cognoscitur spiritus Dei : omnis spi- « ritus qui confitetur Jesum Christum in carne ve- « nisse, ex Deo est ; et omnis spiritus qui solvit Je- « sum, ex Deo non est ; et hic est Antichristus, de « quo audistis quoniam venit, et nunc jam in mundo « est. Vos ex Deo estis, filioli, et vicistis eum, quo- « niam major est qui in vobis est, quam qui in mun- « do : ipsi in mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, « et mundus eos audit : nos ex Deo sumus. Qui novit « Deum, audit nos ; qui non est ex Deo, non audit « nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spi- « ritum erroris (*I Joan.* IV, 1-6). » Et item : « Om- « nis qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo « natus est ; et omnis qui diligit eum qui genuit, « diligit et eum qui natus est ex eo. In hoc cogno- « scimus quoniam diligimus natos Dei cum Deum di- « ligamus, et mandata ejus faciamus. Hæc est enim « charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus ; et « mandata ejus gravia non sunt. Quoniam omne « quod natum est ex Deo vincit mundum : et hæc « est victoria quæ vincit mundum fides nostra. Quis « est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam « Jesus est Filius Dei ? » (*I Joan.* V, 1-5). Si enim charitas Dei neminem juvat, nec filii Dei filii sunt lucis, quomodo id quod natum est ex Deo vincit mundum ? et quomodo victoria mundi est fides Christi ? Si autem fides Christi, quæ per dilectionem operatur, vera salus est hominum, quia qui credit in il- A lum non confundetur, sicut ipse ait : « Ego sum re- « surrectio et vita : qui credit in me non morietur « in æternum (*Joan.* XI, 25), » quomodo isti vani loqui garriunt quod nihil prosit hominum recta fides et bona operatio, quoniam si non sit prædestinatus quis, non veniet ad vitam, cum prædestinatio nihil aliud sit nisi vitæ donatio, non perditionis damnatio ? Unde manifeste Scriptura dicit : « Deus mortem « non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Cre- « vit enim ut essent omnia, et sanabiles fecit natio- « nes orbis terrarum (*Sap.* I, 13). » Et per prophe- tam ipse Dominus ait : « Nolo mortem peccatoris, « sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XXXIII, 11). » Si autem non vult Dominus mortem impii et pec- catoris, quomodo prædestinat eum ad mortem, B cum nihil sit aliud ejus velle quam prædestinare ! Causa enim omnium rerum voluntas est Dei ejusque velle est, nec simplex natura aliquam contrarietatem in se habet. Sed idem Dominus omnium est, dives in omnibus qui invocant illum. Itaque prædestinatio in bono legitur, non in malo. Unde dicit Apostolus : « Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri « imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis « fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et voca- « vit ; et quos vocavit, illos et justificavit ; quos « autem justificavit, illos et glorificavit (*Rom.* VIII, « 29, 30). » Nota quod dicit, « Quos prædestinavit hos et vocavit, » non, quos prædestinavit illos et damnavit. Amat enim bonus factor creaturam suam, nec immerito aliquam damnat. De quo alibi scriptum C est : « Misereris omnium, Domine, et nihil odisti « eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum « propter pœnitentiam, et parcens illis, quia tu es « Deus universorum (*Sap.* XI, 24.) » Multiplici ergo reatu iste constringitur, qui prædestinationis bonum in pravum sensum vertens, nefandis sermonibus blasphemare præsumit. Primo, quod creatorem suum, qui est summe bonus, malevolum ausus est dicere, et quod opus suum frustra et sine causa decernat interire. Secundo, quod ipsam Veritatem fallere nititur asserere, quæ per Scripturas sanctas recte credentibus et bene operantibus æternæ vitæ spondet præmia, et peccatoribus atque non pœni- tentibus mortis prædicit pœnas. Tertio, quod justum judicem, qui in æquitate judicaturus est vivos et D mortuos, prædicat injustum, quoniam Dominum bene agentibus præmia, et male agentibus tormenta non reddere affirmat. Quarto, quod redemptorem mundi frustra sanguinem suum fudisse non timet per errorem suum fingere, qui in se credentibus et sperantibus propter prædestinationis necessitatem non possit subvenire. Quinto, quod nec de bonis angelis eorum numerum quem diabolus per superbiam corruens minuit, Salvator noster per hominum conditionem adimpleat. Sexto, quod magis favet sua opinione diabolo, quoniam ad ejus perditionis sor- tem tradidit eos, quos divina gratia decrevit ad salutem æternam pertingere. Septimo, quod totius humani generis maxime inimicus sit, cum illud divi-

Digitized by Google

per Christi fidem et baptismi sacramentum a primi parentis lapsu, propriorumque scelerum reatu, nec non et ab hostium potestate non posse erui, sed obligatum noxia opificis sui prædestinatione in tartarum demergi. Hisque omnibus ita ostensis, suus proprius maxime inimicus esse convincitur, cum non solum sibi in hoc gehennæ ignem præparat, sed etiam in eo, quod alios per erroris sui doctrinam a via veritatis seducendo suæ damnationis facit esse consortes : pro quibus ipse sine dubio in igne æterno pœnas condignas solvet. Unde et pastor Ecclesiæ ait : « Fuerunt vero et pseudoprophetæ in populo, « sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui « inducent sectas perditionis, et eum qui eruit eos « Dominum negantes, superducentes sibi celerem « perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, « per quos via veritatis blasphemabitur; et in ava- « ritia fictis verbis de vobis negotiabuntur : quibus « judicium jam olim non cessat, et perditio eorum « non dormitat (*II Petr.* II, 1-3). » De quo et Judas in Epistola sua scribens ait : « Subintroierunt enim « quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc « judicium impii, Domini nostri gratiam transferentes « in luxuriam, et solum dominatorem et Dominum « nostrum Jesum Christum negantes (*Judæ*, 4). » Et iterum : « Similiter et carnem quidem maculant, do- « minationem autem spernunt, majestatem autem « blasphemant. Cum Michael archangelus cum dia- « bolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non « est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit : « Imperet tibi Deus. Hi autem quæcunque quidem « ignorant blasphemant, quæ autem naturaliter « tanquam animalia norunt, in his corrumpuntur « (*Ibid.*, 8-10). » Et paulo post : « Ecce venit Domi- « nus in sanctis millibus suis facere judicium contra « omnes, et arguere omnes impios de omnibus ope- « ribus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et « de omnibus duris quæ locuti sunt contra eum « peccatores impii. Hi sunt murmuratores, queru- « losi, secundum desideria sua ambulantes, et os « illorum loquitur superbiam, mirantes personam « quæstus causa (*Ibid.*, 14-16). » Hæc autem quæ de divinis Scripturis testimonia protulimus, ad confundendum errorem illorum qui prædestinationem Dei causam dicunt esse perditionis perditorum, et ad ostendendum quod Deus velit per fidem rectam et bona opera præmia acquiri regni cœlestis, pauca de plurimis excepta prudenti lectori sufficiant. Dehinc autem quid in sanctorum doctorum ac catholicorum Patrum sententiis expositum de prædestinatione Dei invenerimus edicimus. (*Prosper objectione Vincent.* II.) « Nam illi qui dicunt quod Deus nolit omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint, quantum errent, omnibus patet, cum Veritas dicat : « Si vos, cum sitis « mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto « magis Pater vester cœlestis dabit bona petentibus « se? » (*Matth.*, VII, 11.) Quomodo fieri potest ut Deus qui etiam illos salvat de quibus dici non potest quod salvari velint, nolit aliquos salvari, etiamsi salvari velint, nisi aliquæ causæ existant de quibus, quamvis sint nobis incognoscibiles, ipse tamen judicat, de quo dici non potest, aliter eum quidquam facere debuisse quam fecerit? Remota igitur hac discretione, quam divina scientia intra secretum justitiæ suæ continet, sincerissime credendum atque profitendum est Deum velle ut omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur : ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum. Ut enim reus damnetur, inculpabilis est Dei justitia : ut autem reus justificetur, ineffabilis Dei gratia est. Qui autem dicunt quod majorem partem Deus humani generis ad hoc creet, ut illam perdat in æternum, eo quod multi latam et spatiosam viam vadunt quæ ducit ad mortem, et pauci per angustam quæ tendit ad vitam æternam : plurimusque est numerus infidelium, et qui sine baptismatis remedio transeunt de hoc mundo, et ideo non possunt absolvi de originalis peccati vinculo, quasi hæc omnia ad conditorem humani generis pertineant, quasi ipse eos qui intereunt ita velit interire, non recte sentiunt. » (*Objectio Vinc.* IV.) « Omnium quidem hominum Deus creator est : sed nemo ab eo ideo creatus est, ut periret, quia alia est causa nascendi, et alia est pereundi. Ut enim nascantur homines, conditoris est beneficium : ut autem pereant, prævaricatoris est meritum. In Adam quippe, in quo omnium hominum præformata natura est, omnes peccaverunt, eademque sententia quam ille accepit obstricti sunt : neque ab hoc vinculo, etiamsi propriis peccatis careant, resolvuntur, nisi in sacramento mortis et resurrectionis Christi in Spiritu sancto renascantur. Nimis ergo impius et indoctus est, qui vitium naturæ non discernit ab auctore naturæ, a quo prorsus alienum est quidquid in unoquoque damnandum est. Creat enim homines, nec multiplicandis generationum successionibus opificium suum subtrahit, secundum consilium bonæ voluntatis suæ, reparaturus in multis quod ipse non fecit. » (*Objectio Vincent*, V.) « Quod autem dicunt, peccatorum nostrorum ideo Deum auctorem esse quod malam facit voluntatem hominum, hoc est blasphemare substantiam, quasi naturali motu non possit nisi peccare. Istud nos a sensu nostro penitus abdicamus, qui Deum justum bonum, sic humanæ substantiæ, et interiorum exteriorumque sensuum novimus creatorem, ut alienum prorsus ab illo sit quidquid contra naturam est. Peccatum autem contra naturam est, de quo mors et omnia quæ sunt mortis oriuntur. Quibus malis tunc se homo induit, quando illum fide obedientiaque privatum in suas promissiones diabolus a Dei lege traduxit, omniaque sibi posteritatis germina per perditionem depravatæ stirpis obstrinxit. Non igitur cujusquam peccati auctor est Deus, sed naturæ creator, quæ cum potestatem habuerit non delinquendi, sponte

Digitized by Google

deliquit, et deceptori suo propria voluntate se subdidit : nec naturali, sed captivo motu versatur in vitio, donec moriatur peccato, et vivat Deo, quod sine gratia Dei facere non potest, quia libertatem quam perdidit, nisi Christo liberante non recipit. Non est enim aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri. » (*Objectio Vincent.* x.) « Quod autem quidam dicunt quod adulteria et corruptelas virginum sacrarum, homicidia atque cætera flagitia ideo homo commiserit quia non possit illa vitare, quasi illas Deus personas ad hoc prædestinaverit ut certo tempore in diversis vitiis caderent, detestanda quidem et abominanda omni Christiano hæc opinio est, qua Deum cujusquam malæ voluntatis aut malæ actionis credit auctorem : cujus prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra justitiam est. Universæ enim viæ Domini misericordia et veritas. Adulteria enim maritarum et corruptelas virginum non instituere novit sancta divinitas, sed damnare; nec disponere, sed punire. Quæ mala homines cum admittunt, suis concupiscentiis et cupiditatibus serviunt, quas ab illa prima voluntariæ prævaricationis labe traxerunt. Cum autem declinant a malo et faciunt bonum, a Domino gressus hominum diriguntur, et viam ejus volunt. Propter quod dicit Apostolus : « Oramus autem ad « Dominum, ut nihil mali faciatis, non ut nos « probati appareamus, sed ut vos quod bonum est « faciatis (*II Cor.* XIII, 7). » Non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium, prædestinatio Dei aut excitavit, aut suasit, aut impulit; sed plane prædestinavit judicium suum, quo unicuique retributurus est prout gessit, sive bonum, sive malum. Quod judicium futurum omnino non esset, si homines Dei voluntate peccarent. Erit autem manifestissime, et omnis homo quem discretio divinæ scientiæ sinistra constituerit parte, damnabitur, quia non Dei, sed suam exsecutus est voluntatem. » (*Vinc.* XI.) « Nihil ergo malorum negotiorum Deus prædestinavit ut fieret, nec ullam animam nequiter turpiterque victuram ad hoc ut taliter viveret præparavit, sed talem futuram non ignoravit, et de tali juste se judicaturum esse præscivit : atque ita ad prædestinationem ejus nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam justitiæ retributionem, aut ad debitam pertinet gloriæ largitatem. » (*Objectio Vinc.* XII.) « Quapropter qui dicunt quod Dei prædestinatione efficiantur de filiis Dei filii diaboli, et de templis sanctis templa dæmonum, et de membris Christi membra meretricis perniciosissime fallunt atque falluntur errantes et in errorem mittentes. » (*Vinc.* XII.) « Igitur prædestinatio Dei, etsi apud nos dum in præsentis vitæ periculis versamur incerta est, apud illum tamen qui fecit quæ futura sunt, incommutabilis permanet : neque quem illuminavit obcæcat, neque quod ædificavit destruit, neque quod plantavit evellit. « Sine « pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei (*Rom.* « XI, 29), » et firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : « cognovit Dominus qui sunt ejus. » (*II Tim.* II, 19.) Nullo igitur modo prædestinatio Dei facit, ut aliqui ex filiis Dei filii sint diaboli, aut ex templo sancti Spiritus templa sint dæmonum, aut ex membris Christi fiant membra meretricis; sed potius prædestinatio facit ut ex filiis diaboli fiant filii Dei, et ex templis dæmonum templum sit Spiritus sancti, et ex membris meretricis, membra sint Christi : quia ipse alligat fortem, et vasa ejus rapit, eruens ea de potestate tenebrarum, et transferens de contumelia in gloriam. Hi autem de quibus dicitur : « Ex nobis transierunt, sed non « fuerunt ex nobis, si enim fuissent ex nobis man« sissent utique nobiscum, » (*I Joan.* II, 19) « voluntate exierunt, voluntate ceciderunt; et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati, esset autem prædestinati, si essent reversuri, et in sanctitate ac veritate mansuri : ac per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini est causa habendi. » (*Vinc.* XIII.) « Omnibus quidem a fide ad infidelitatem, a sanctitate ad impietatem relapsis, et ante finem vitæ nulla emendatione purgatis, nihil aliud quam mors æterna debetur. Sed nefas est Deo ascribere causam talium ruinarum, qui etsi ex æterna scientia præcognitum habet quid uniuscujusque meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc quod falli non potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergo a justitia et pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil agit Spiritus sanctus; nec tali negotio quidquam divinæ voluntatis intervenit, cujus opere multos scimus ne laberentur retentos, nullos autem ut laberentur impulsos. » (*Vinc.* XIV.) « Denique ad prævaricationem legis, ad neglectum religionis, ad corruptelam disciplinæ, ad desertionem fidei, ad perpetrationem qualiscunque peccati, nulla omnino est prædestinatio Dei : nec fieri potest ut per quem a talibus malis surgitur, per eum in talia decidatur. Si ergo in sanctitate vivitur, si in virtute proficitur, si in bonis studiis permanetur, manifestum munus est Dei, sine quo nullus boni operis fructus acquiritur. Si autem ab his receditur, et ad vitia atque peccata transitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, et recessurum non deserit antequam deserat, et facit plerumque ne deserat, aut etiamsi discessit ut redeat. Cur autem hunc retineat, illum non retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum investigare, cum scire sufficiat et ab illo esse quod statur, et non ab illo esse quod ruitur. » (*Objectio Vinc.* XV.) « Qui autem dicunt quod omnes illi fideles, et quidem sancti, qui per peccatum ad æternam mortem prolapsi sunt, sic prædestinati sunt, sicque a Deo ordinati postea quam ceciderunt, ut nec possint, nec velint per pœnitentiam liberari, non veraciter nec sapienter hoc dicitur. Qui enim a fide et sanctitate exciderunt sicut voluntate prolapsi sunt, ita voluntate non surgunt, et dominatum concupiscentiarum quibus suc

Digitized by Google

cubuerunt sponte patiuntur. Si qui autem captivitatem suam gemunt, et judicantes semetipsos ad misericordiam Dei mutato corde confugiunt, non sine spiritu divinæ miserationis hoc faciunt. Hæc enim mutatio dexteræ Excelsi, qui innumeris lapsis dat pœnitentiam ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenebantur ad ipsius voluntatem. Nemini autem Deus correptionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat : quia qui se a Deo avertit, ipse et velle quod bonum est et posse sibi sustulit. Non est ergo consequens, sicut putant qui talia objiciunt, ut Deus quibus pœnitentiam non dederit resipiscentiam abstulerit, et quos non levavit alliserit : cum aliud sit insontem egisse in crimen, quod alienum est a Deo, aliud criminoso veniam non dedisse, quod de peccatoris est merito. » Sed quia isti inter se dissentiunt, qui dicunt prædestinationem Dei facere ne quis posset salvari etiamsi velit : et Pelagiani sunt qui ascribunt totum homini posse per primæ conditionis sortem, quidquid ad salutis suæ statum pertinet, etiamsi divina gratia illum non adjuverit, quorum licet diversus error sit, tamen par impietas : ideo necessarium esse arbitramur Scripturarum testimoniis comprobare, hominem initio bonum a Deo esse conditum, quia vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona : sed neminem posse suo merito sine gratia Dei salvari, quia Veritas in Evangelio ait : « Nemo venit ad Patrem, nisi per me (*Joan.* XIV, 6); » et : « Sine me « nihil potestis facere (*Joan.* XV, 5). » Unde Paulus ad Ephesios scribens, ait : « Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. « Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in « operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis « ambulemus (*Ephes.* II, 8). » Et item : « Pax fratribus et charitas cum fide a Deo patre nostro et « Domino Jesu Christo. Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione (*Ephes.* VI, 23). » Ad Romanos quoque idem ait : « Quis me liberabit de corpore mortis « hujus? Gratia Dei per Dominum nostrum Jesum « Christum (*Rom.* VII, 24). » Et item : « Reliquiæ, « inquit, secundum electionem gratiæ salvæ factæ « sunt. Si autem gratia, non ex operibus, alioqui « gratia jam non est gratia (*Rom.* XI, 5). » Ad Corinthios quoque sic loquitur : « Gratia autem Dei « sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non « fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi. Non « ego autem, sed gratia Dei mecum (*I Cor.* XV, 10). » De hoc quoque et Jacobus apostolus scripsit, dicens : « Omne datum optimum, et omne donum perfectum « desursum est descendens a patre luminum (*Jac.* I, « 17). » Et item : « Deus, inquit, superbis resistit, « humilibus autem dat gratiam (*Jac.* IV, 6). » Imo et Petrus in Epistola sua gratiam Dei auditoribus suis commendat dicens : « Gratia vobis et pax multiplicetur (*II Petr.* I, 2). » Et item : « Gratia autem erit « vobis omnibus qui estis in Christo Jesu (*I Petr.* V, 14). » Et rursus : « Vos, inquit, fratres, præscientes custodite, ne in insipientium errorem transducti excidatis a propria firmitate. Crescite vero « in gratia et cognitione Domini nostri et salvatoris « Jesu Christi (*II Petr.* III, 17). » Hinc etiam et Joannes in Apocalypsi sua scripsit, dicens : « Gratia « vobis et pax ab eo qui est, qui erat, et qui venturus est, et a septem spiritibus qui in conspectu ejus « sunt, et a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ; « qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in « sanguine suo (*Apoc.* I, 4). » Liberum enim arbitrium homini datum nullus rite credens negare potest : sed si ad effectum boni operis pertigerit, muneris est gratiæ Dei : ubi autem dicitur, Noli hoc et noli illud, et ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum, in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. (*August. de Gratia et libero Arbitrio*, c. 2.) « Nemo ergo causetur Deum in corde suo, sed sibi imputet quisque cum peccat, neque cum aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc a propria voluntate. Quando enim volens operatur, tunc dicendum est opus bonum, tunc speranda est operis boni merces ab eo de quo dictum est, « qui reddet unicuique secundum opera sua « (*Matth.* XVI, 27). » Semper est in nobis voluntas libera, sed non semper bona. Aut enim a justitia libera est, quando servit peccato, et tunc est mala : aut a peccato libera est quando servit justitiæ, et tunc est bona. Gratia vero Dei semper est bona, et per hanc fit ut sit homo voluntatis bonæ, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit ut ipsa bona voluntas, quæ jam cœpit esse, augeatur, et tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit. Ad hoc enim valet quod scriptum est : « Si volueris mandata « servare, conservabunt te mandata (*Eccl.* XV, 16); » ut homo qui voluerit et non potuerit, nondum accepisse se plene velle cognoscat, et oret ut obtineat bonam voluntatem quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur ut faciat quod jubetur. Tunc enim utile est velle cum possumus, et tunc utile est posse cum volumus. Nam quid prodest, si quod non possumus volumus, aut quod possumus nolumus? » (*De ecclesiasticis Dogmat.*, c. 20.) « Libertati quidem arbitrii sui commissus est homo statim in prima mundi conditione, ut sola vigilantia mentis adnitente, etiam in præcepti custodia perseveraret, si vellet, in id ad quod creatus fuerat permanere. Postquam vero seductione serpentis per Evam cecidit, naturæ bonum perdidit, pariter et vigorem arbitrii : non tamen electionem, ne non esset suum quod emendaret peccatum, nec merito indulgeretur quod non arbitrio diluisset. Monet itaque ad quærendam salutem arbitrii libertas, id est rationalis voluntas, sed admonente prius Deo, et eam invitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione Dei; ut autem consequatur quod eligit, vel quod sequitur, vel quod

Digitized by Google

occasione agit, Dei esse libere confitemur. Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus, ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est; ut adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cœpimus, divini est muneris; ut non labamur in adepto munere salutis, sollicitudinis nostræ est et cœlestis pariter adjutorii; ut labamur, potestatis nostræ est et ignaviæ. » (*Hypomnest.* VI, *usque ad finem.*) « Contra reprehensores prædestinationis Dei in plurimis locis manifeste repugnat Scriptura sacra. Sed velim ab eis quærere, mihi pandant quo judicio dictum est a Paulo et Barnaba prædicantibus verbum Dei in Lystris, « In præteritis generationibus dimisit « omnes gentes ingredi vias suas (*Act.* XIV, 15), » ut in idololatria simulacrorum perirent, et unam tantum gentem, id est Jacob, elegit sibi Dominus, et Israel in possessionem sibi (*Psal.* XXXIV, 4); cui soli utique legem ad cognoscendum se, postpositis, ut dixi, cæteris generationibus, dedit. Vel cur iterum amissio facta est Judæorum, ut mundi fieret reconciliatio, id est omnium gentium, sicut dicit Apostolus : « Si enim amissio eorum reconciliatio est « mundi, quæ assumptio nisi vita ex mortuis? » (*Rom.* XI, 15.) Quasi impossibile esset Deo omnipotenti universo mundo legem dare, salutem gratiæ Christi conferre, vel, ut ita dicam, ab initio lapsus Adæ id agere, quod diversitate temporum fieri ejus arbitrio sedit. Doceant etiam quare missis a Spiritu sancto Paulo et Barnaba portare nomen Domini salutis causa in gentibus, cum transirent prædicantes Phrygiam et Galatiæ regionem, vetiti sunt a Spiritu sancto loqui verbum in Asia; et cum venissent in Mysiam volentes ire in Bithyniam, non permisit eos, inquit, Spiritus Jesu (*Act.* XVI, 7). Sciebat, inquiens, Deus, quod crediturі non essent : et ideo non eos ire permisit ad loquendum verbum. Nonne prohibitio ista sancti Spiritus aliud ostendit quam verbum Domini Jesu dicentis in Evangelio : « Spiritus « ubi vult spirat? » (*Joan.* III, 8.) Hinc cogitent, hinc pandant aliquid, quare spirat ubi vult, et non ubique. Dicant etiam quare prædicantibus prædictis Paulo et Barnaba Antiochiæ Pisidiæ Judæis et gentibus salutem, nullus credidit, nisi quos exinde Dominus præordinavit ut crederent. Siquidem et de ipsis pagina sancta testatur : « Et crediderunt, « inquit, quotquot erant præordinati ad vitam æter- « nam (*Act.* XIII, 48), » hoc est prædestinati.

Ecce in omnibus quæ ex auctoritate divina protulimus, habes misericordiam et judicium, et certum est quia personarum non est acceptor Deus, nec cujusquam personam reveretur. Descende ergo, si vales, in profundum misericordiæ Dei : ascende, si sufficis, in altitudinem judicii ejus, distendere in longitudinem et latitudinem viarum ejus investigabilium, et si liquido penetraveris, hæc nobis tam metuenda et incomprehensibilia secreta, de quibus Paulus expavit, ipse intrepidus pande. Quantumlibet enim scire conaberis, judicia Dei comprehendere non vales, nec valebis, quia sicut nemo scit hominum quæ sunt hominis, ni spiritus hominis qui est in ipso, ita et quæ Dei sunt nemo scit, nisi Spiritus Dei (*Rom.* XI, 33). Si qua ergo attingere valuerimus, non nostra solertia, sed dono Spiritus sancti revelata esse debemus agnoscere : si autem scire non datur quod supra nos est, nec a nostra parvitate quæratur. Prædictum est enim a Scriptura sancta : « Altiora te ne quæ- « sieris, et fortiora te ne scrutatus fueris in vani- « tate (*Eccli.* III, 32). » Et : « Altum sapere noli, « sed time (*Rom.* XI, 20). » Diximus namque de damnabili humani generis massa Deum præscisse, misericordia non meritis, quos electione gratiæ prædestinavit ad vitam : cæteros, qui judicio justitiæ ejus ab hac gratia efficiuntur expertes, præscivisse tantum proprio vitio perituros, non ut perirent prædestinasse. Sed, ut dixi, quos in opera impietatis et mortis ruituros præscivit, non præordinavit, nec impulit, in quibus Deum ad iracundiam provocantes, fidem allatam ac prædicatam sibi accipere nolunt, aut Deo judice non possunt, vel accepta male utuntur, et ob hoc traduntur in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, his prædestinatam esse pœnam rite fatemur. Quod ut probari valeat, solum reor in exemplum sufficere Judam. Hunc enim Deus cum præsciisset in vitiis propriæ voluntatis pessimum fore, id est electione discipulatus sui bene a Christo collata male usurum, et avaritiæ ardentem pretio Judæis Dominum traditurum, pœnam ei prædestinavit ex merito, dicente per David Spiritu sancto : « Deus, laudem meam ne tacueris, quia « os peccatoris et dolosi super me apertum est (*Psal.* « CVIII, 2). » Id est Judæ, vel Judæorum in Christum. Judæ, cum dicit : « Quid vultis mihi dare, et « ego eum vobis tradam (*Matth.* XXVI, 15)? » Et post pecuniæ sponsionem, dans signum traditionis : « Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. » Ideo super me, ait, apertum est os Judæ. Cum enim osculum dedit, ore doloso aperuit quem tenerent. Judæorum quoque, cum eum volentes dolo perdere, ut Evangelium pandit, clamaverunt dicentes : « Crucifige, crucifige (*Joan.* XIX, 6); » et post pusillum sequitur : « Constitue super eum pecca- « torem, » id est super Judam, « et diabolus stet a « dextris ejus. Cum judicatur, exeat condemnatus, « et oratio ejus fiat in peccatum. Fiant dies ejus « pauci, et episcopatum ejus accipiat alter. » Et post cætera quæ de eo sequuntur : « Pro eo quod, « inquit, non fuit recordatus facere misericordiam, « et persecutus est hominem inopem et egenum, et « compunctum corde morti tradere. » Et sequentia reliqua quæ in ejus prædicta sunt persona. Nam sicut narrat liber Actuum apostolorum, de eo prædicta, et in eo impleta esse sanctus probat apostolus Petrus, cum loco ejus unum ex iis qui cum apostolis congregati fuerant propter testimonium resurrectionis Jesu Christi, subrogari oportere denuntiat, dicens : « Viri fratres, oportet impleri Scri- « pturam, quam per os David prædixit Spiritus « sanctus de Juda, qui fuit dux eorum qui compre-

Digitized by Google

« henderunt Jesum : qui connumeratus erat in nobis, « et sortitus est sortem ministerii hujus, et hic qui- « dem possedit agrum de mercede iniquitatis, et « suspensus crepuit medius, et diffusa sunt viscera « ejus. Notum factum est autem omnibus habitanti- « bus in Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille « Acheldemah, hoc est ager sanguinis. Scriptum « est enim in libro Psalmorum : Fiat commoratio « ejus deserta, et non sit qui inhabitet in ea, et « episcopatum ejus accipiat alter (*Act.* I, 16 *seq.*). » Ubi ergo commemoratio operum ejus malorum a sancto fit Spiritu in Psalmis, priusquam esset præscitus est, non factus, quod talis adversus Filium Dei futurus esset. Si enim factus esset, inculpabilis esset, et Dei opificio reputaretur, non Judæ. Injuste etiam in eo prolata damnatio esset. Sed absit hoc a summe bono judice, auctore omnium bonorum Deo, damnatore vero cunctorum malorum : quia mala Judæ, ut prædixi, præscivit, non fecit, et tamen in quibus præscivit, judicio justo tradens eum in reprobum sensum ut impleret permisit : et ideo permisit, quia per Spiritum sanctum eum perituram ante prædixit. Quia sicut Christum oportebat pati per Judam, præcinente per prophetas sancto Spiritu, ita oportebat Judam perire, eodem sancto Spiritu prædicente. De eo quippe dictum est : « Nemo periit nisi filius perditionis (*Joan.* XVII, 12). » Nam pœna illi prædestinata pro malis suis, in quibus, ut sæpe dixi, præscitus est tantum, non prædestinatus. Verum autem esse quod diximus, licet plene sit disputatum, id est, perituris pœnam esse prædestinatam, audi Petrum apostolum, cum futuros esse pseudoprophetas, et magistros mendaces, et apostatas in Ecclesia dicit, sicut fuerunt in populo veteri : « Quibus judicium, inquit, jam olim « non cessat, et perditio eorum non dormitat (*II* « *Petr.* II, 3). » Item Judas apostolus. « Subintroie- « runt, ait, quidam homines, qui olim præscripti « sunt in hoc judicio impii, gratiam Domini nostri « transferentes in luxuriam, et solum dominatorem « et Dominum nostrum Jesum negantes Christum « (Judæ 4). » Et Dominus in Evangelio peccatoribus : « Discedite in ignem æternum, qui paratus « est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 34). » Prædestinatis autem : « Venite, benedicti Patris mei, « percipite regnum vobis paratum ab origine mundi « (*Ibid.*, *vers.* 41), » id est prædestinatum. Tenenda est igitur inconcusse hujus disputationis regula, quæ testimoniis claret Scripturarum, peccatores in malis propriis, antequam essent in mundo, præscitos esse tantum, non prædestinatos : pœnam autem eis esse prædestinatam secundum quod præsciti sunt. Parvulos quoque non renatos ex aqua et Spiritu sancto, prædestinatæ pœnæ esse obnoxios. Qui præsciti sunt, non propriis voluntatibus, quorum nullæ vel bonæ vel malæ sunt, nisi tantum in Adæ peccato, quod traxere nascentes, et in hoc manentes solverunt tempus vitæ præsentis. Quid enim justitia de iis faciat, quibus misericordia non subvenit, qui pura fide credit dicente Domino : « Qui non manducat « carnem meam, et bibit sanguinem meum, non « habebit in se vitam (*Joan.* VI, 54), » intelligit, et a contentione recedit. Qui vero secundum propositum Dei vivunt, præscitos esse et prædestinatos electione gratuitæ gratiæ ejus, et regnum eis cœlorum esse prædestinatum sine dubitatione dicendum est. Hoc enim Apostolus probat, cum eos prædestinatos et electos esse testatur antequam mundus constitueretur. Scribens enim Ephesiis dicit : « Sicut « elegit nos in ipso, » id est in Christo, « ante mundi « constitutionem, ut essemus sancti et immaculati « in conspectu ejus, qui prædestinavit nos in ad- « optionem filiorum per Jesum Christum in ipsum « (*Ephes.* I, 4). » Taceat humana lingua, nec prorsus in prædestinatione de meritis extollatur, attendat dictum, « ante constitutionem mundi. » Divinæ voluntatis est hoc donum, non humanæ fragilitatis meritum. Denique attende quod sequitur : « In quo « habemus redemptionem, ait, per sanguinem ejus, « remissionem peccatorum, secundum divitias gra- « tiæ ejus, quæ superabundavit in nobis in omni « sapientia et prudentia, ut notum nobis faceret « sacramentum voluntatis suæ, secundum bene- « placitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensa- « tione plenitudinis temporum, instaurare omnia in « Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt, in « ipso. In quo etiam et nos sorte vocati sumus, « prædestinati secundum propositum ejus, qui ope- « ratur omnia secundum voluntatem suam, ut si- « mus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante speravi- « mus in Christo (*Ibid. vers.* 7-12). » Audi secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis, id est quæ prævenit nos, ad quid ? ut notum scilicet nobis faceret sacramentum voluntatis suæ. Nunquid meæ, aut tuæ, aut alterius, ut meritis constet ? Absit, sed suæ, quæ etiam in iis quos prædestinavit opera bonæ præparet voluntatis, ut in iis ambulent. Secundum quod idem in eadem Epistola dicit : « Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex « vobis. Dei enim donum est, non ex operibus, ut « ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, « creati in Christo in operibus bonis, quæ præpa- « ravit Deus, ut in illis ambulemus (*Ephes.* I, 8-10). » Audi, « in operibus bonis quæ præparavit Deus, » et si quid te boni posse vides, age gratias præparanti quod potes, non propriæ voluntati, quæ omnino sine illo nihil potest qui dicit : « Sine me nihil « potestis facere (*Joan.* XIX, 5). » Noli itaque putare quod hæc et hujusmodi dicentes liberum voluntatis amputemus arbitrium, cum tamen constet ea quæ loquimur ex auctoritate divina pendere, vel, ut nobis calumniam objicitis, quod operando bene intentos, et in Dei proposito sollicitos prohibeamus. Quin potius, qui se dono gratiæ ad Dei misericordiam sentiunt pertinere, hortamur oportere incumbere orationibus, jejuniis, vigiliis, omnique operi voluntatis divinæ. Prædestinatis enim dicit Apostolus, cum tamen generale sit quod illi dicitur a Christo præde-

Digitized by Google

stinato secundum carnem ex semine David, prædestinante autem ipso secundum potentiam Dei Patris, cum Patre et Spiritu sancto. « Vigilate et orate, ne « intretis in tentationem (*Matth.* XXVI, 41).» Item : « Vigilate in omni tempore, orantes ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare « ante filium hominis (*Luc.* XXI, 36).» Item : « Contendite intrare per angustam portam (*Luc.* XIII, « 24). » Item : « Vos amici mei estis si feceritis quæ « præcipio vobis (*Joan.* XV, 14).» Et multa alia, quæ longum est enarrare. Sed, ut superius commemoravi, qui eis dixit: « Sine me nihil potestis facere (*Ibid.* XV, 5), » per ipsum quæ jubentur facere possunt. Hujusmodi in Christo esse electos Dei ait Apostolus : « In « quo et prædestinati sunt secundum propositum ejus « qui omnia operatur (*Ephes.* I, 11).» Intellige dictum, qui omnia operatur, et crede opus esse Dei opera eorum qui ambulant secundum propositum. Qui ergo absque prædestinationis gratia sunt, id est alieni a proposito Dei, et perdurant in operibus malis, si etiam ex hac vita migraverunt, non eos dicimus, ut vos putatis, ita a Deo omnium opifice ordinatos ut perirent, tanquam ipse illis mores malæ vitæ creaverit, ipse ad omne opus mortis invitos præcipitaverit. Absit hoc a divino proposito. Non enim volens iniquitatem est Deus, nec mandavit cuiquam impie agere, nec alicui dedit laxamentum peccandi. Fecit enim ut essent omnia, et sanabiles nationes orbis terrarum : invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum. Imitantur autem illum qui sunt ex parte illius. Nec dicimus, ut fingitis, etsi credere velint, vel bonis operibus Dei vacare, Deum hæc illis nolle præstare, cum hujusmodi velle Dei sit donum. Si ergo ex Deo est quod volunt, vult Deus perfectum fieri quod donavit. Si autem ex Deo non est, sed est de jactantia propriæ voluntatis, qui se meritis Deum æstimant promereri, manifeste quod volunt capere non possunt, quia « non volentis, » inquit Apostolus, « neque currentis, sed miserentis « est Dei (*Rom.* IX, 1); » et quia non potest homo a se facere quidquam, nisi datum illi fuerit desuper. Non hoc agit Deus summe bonus malitia, sed justitia, nec personarum acceptione, sed causarum secretarum discretione. Novimus nonnunquam quosdam volentes æternæ vitæ fidem accipere, et eam adipisci, quosdam autem non : aliquos etiam nolentes consequi, cum in eis divina gratia ut velint mutaverit voluntatem. Novimus aliquos etiam perfectos ex labore multorum annorum, prolapsos in ultimo vitæ suæ periisse : aliquos vero ab ineunte ætate sua in omni scelere et damnabilitate usque ad decrepitam ætatem perdurasse, et repente cœlitus inspirata salute raptos esse ad requiem regni cœlorum. Novimus etiam parvulos, quibus usus liberi arbitrii non est, ut de bonis aut malis eorum meritis judicemus, parentum manibus ad gratiam sacri baptismatis deportatos, et cum in uno eorum per manus sacerdotis mysterium fidei adimpleretur, aliquoties alterum in parentum manibus factum exanimem fraudatum gratia Salvatoris. Quis sapiens et intelligat hæc, aut quis idoneus erit eorum reddere rationem? Dicamus cum David : « Justus Dominus in omnibus viis suis, et « sanctus in omnibus operibus suis (*Psal.* CXLIV, 17); » et : « Quam magnificata sunt opera tua, Domine : « nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ (*Psal.* « XCI, 6). » Dicamus etiam cum apostolo Paulo : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! « quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et in« vestigabiles viæ ejus (*Rom.* XI, 31).» Sed si adhuc reddita ratione vultis esse contentiosi, nec acquiescere veritati, nobis tamen quasi male de Deo justo et misericordissimo sentiamus, calumniari desinite, sed ipsum potius Dominum Christum, cujus Evangelium sequimur, si audetis, arguite : cum illo jurgium sumite litigandi, illi quod absit male sensisse de Deo Patre suo calumniamini, qui ait : « Multi « quidem vocati, pauci vero electi (*Matth.* XX, 16); » et : « Nemo potest venire ad me, nisi datum ei fuerit « a Patre meo (*Joan.* VI, 66), » et : « Non omnes capiunt verbum, nisi quibus datum est (*Matth.* XIX, « 11). » Cætera autem quam plurima. Falsum est ergo, inquies, quod ait Apostolus : « Qui vult omnes « homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis « suæ venire (*I Tim.* II, 4). » Omnino non est falsum, quia omne quod vult Deus facere potest, nec prorsus humana voluntate quod vult præpeditur. Sed quæro a vobis ut dicatis quare Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, quorumdam, ut dicit Isaias propheta (*Isa.* VI, 10), excæcat oculos ne videant, obdurat corda ne intelligant, ne convertantur et sanentur. Quod verum esse evangelista Joannes confirmat dicens de Judæis : « Propterea non « poterant credere, quia dixit Isaias : Excæcavit « oculos eorum, et obduravit cor eorum, ut non vi« deant oculis, et non intelligant corde, et convertantur et sanem eos (*Joan.* XII, 40). » Item in Evangelio secundum Marcum, cum Jesum interrogarent discipuli sui de parabola seminis : « Vobis datum est, inquit, nosse mysterium regni Dei; illis « autem qui foris sunt in parabolis omnia fiunt, ut « videntes non videant, et audientes non intelligant, « ne quando convertantur et dimittantur eis peccata (*Marc.* IV, 11). » Dicite igitur quare Deus, qui personarum acceptor non est, et vult omnes homines salvos fieri, aliorum corda reserat ad credendum, oculos illuminat ad videndum, et ad sciendum mysterium regni cœlorum, quo scilicet salvi fieri possint; aliorum vero, ut lectionis textus dixit, involvens in parabolis veritatem, obtundit cor, excæcat oculos, claudit aures, ne Evangelium salutis agnoscant, ne remissionem accipiant peccatorum? Dicite, quæso, qualiter hæc loca Evangelii accipitis, docete quid hic de Deo, qui vult omnes homines salvos fieri, sentiatis. Ecce jam generaliter salvi non sunt, cum aliis datur nosse viam salutis, aliis non datur. Hæc itaque cum facit Deus, non personarum acceptione facit, non injustitia, sed justitia inenarrabili, misericordia indebita. Quoniam vero hinc liquido utraque pars dicere

Digitized by Google

nihil valemus, credamus tantum reum mortis ex judicis voluntate pendere. Ne quisquam autem putaret divino judicio fieri non omnes homines salvari, dixit Apostolus : « Qui vult omnes salvos fieri (*I Tim.* II, 4). » Quapropter omnes homines qui salvantur, Deo volente salvantur. Deus enim noster Deus salvos faciendi, et Domini exitus mortis. Et quia ira in furore ejus, et vita in voluntate ejus, intelligite utique in furore justitiam, in voluntate misericordiam. Prædestinationem igitur negare, quam apud Deum esse probavimus, immane blasphemium est : quam non tantum, sicut soletis dicere, in apostolis debemus accipere, sed et in patriarchis, et prophetis, et martyribus, et confessoribus, in omnibus sanctis et digne servientibus Deo. Hinc nemo glorietur, nemo desperet. Solus enim Dominus scit qui sunt ejus. In quantum autem possumus, omnes homines ad bonum opus exhortemur, nulli desperationem demus, pro invicem oremus, in conspectu Dei nos humiliemus dicentes : « Fiat voluntas tua. » Ipsius erit potestatis judicium in nobis debitum mutare damnationis, gratiam prædestinationis indebitam prærogare.

Ecce habes, dilectissime frater, quod petisti. Sensum orthodoxorum atque catholicorum Patrum breviter in uno libello constructum, de præscientia et prædestinatione, de gratia et libero arbitrio : restat ut credas ac confitearis, imo firma fide et sana doctrina aliis prædices quod credant et intelligant, Deum præscisse bonos et malos futuros : bonos autem tantum ut vitam æternam accipiant prædestinasse, malos vero in æternum perituros tantum præscisse, non prædestinasse. Gratia autem Dei quotquot salvi fierent salutem adipisci. Libero autem arbitrio, quod per primi hominis lapsum corruptum fuerat, cum divina bonitas illud secundum suum placitum regere voluerit, mercedem promereri posse perpetuam. Cum autem homo illo abutitur per superbiam, non gloria ejus, sed pœna dignum esse perpetua. Occulta autem atque secreta Dei, quæ soli patent cognitioni divinæ, neminem scrutari debere, ne plus volens sapere quam oportet sapere, pro veritate falsitatem et pro recta fide maximum errorem sequendo, in interitum decidant sempiternum.

EPISTOLA VI.

AD HEBERARDUM COMITEM.

[Ex Sirmondo.]

Reverendissimo atque probatissimo viro HEBERARDO comiti RABANUS vilissimus servorum in Christo salutem.

Referentibus nobis fratribus nostris, qui præterito tempore Romam perrexerunt, Ascriho videlicet et Hudperto presbyteris, de sospitate vestra et benignitate, quam non solum erga eos, sed etiam erga multos exhibere soliti estis, valde, fateor, gavisus sum, et Deo omnipotenti inde gratias agens deprecabar ut ipse qui cœpit in vobis opus bonum perficiat usque in diem Jesu Christi, quatenus plenam mercedem de bonis operibus vestris per Dei gratiam in futura vita percipere mereamini. Et quia prædicti fratres nostri nobis retulerunt vos expetere opusculum nostrum in laudem crucis Christi dudum confectum, ex vestro verbo rogantes ut illud vobis transmitterem, voluntarie feci quod rogabant, et præterito anno per nuntium Gagauzardum ad nos venientem, et id ipsum expetentem, opusculum vobis transmisi, deprecans ut habeatis illud, et coram vobis legere faciatis, et si quid in eo dignum atque gratum vobis reperiatis, divinæ gratiæ hoc deputetis, non humanæ solertiæ : sin autem aliter quid in ipso inveniatis, meæ imperitiæ, et fragilitati humanæ magis imputetis quam malitiæ : qui, quantum Dei dono sapio et valeo, Christi famulis et Dominum timentibus atque amantibus gratum servitium impendere desidero, ut ipsi pro me oretis, quatenus veniam peccatorum meorum clementissimus omnium sæculorum judex mihi tribuat et vitam conferat sempiternam. De cætero quoque, quia divulgatum in istis partibus constat quemdam sciolum, nomine Gotescalcum, apud vos manere, qui dogmatizat quod prædestinatio Dei omnem hominem ita constringat, ut etiamsi quis velit salvus fieri, et pro hoc fide recta atque bonis operibus certet, ut ad vitam æternam per Dei gratiam veniat, frustra et incassum laboret, si non est prædestinatus ad vitam, quasi Deus prædestinatione sua cogat hominem interire, qui auctor est salutis nostræ, non perditionis. Et jam hinc multos in desperationem suimet hæc secta perduxit, ita ut dicant : Quid mihi necesse est pro salute mea et vita æterna laborare? quia si bonum fecero, et prædestinatus ad vitam non sum, nihil mihi prodest; si autem malum egero, nihil mihi obest, quia prædestinatio Dei me facit ad vitam æternam pervenire. Hæc traditio multis in istis partibus scandalum est, et prædicatoribus Evangelii homines inobedientes facit, quia jam desperantes de semetipsis eos reddidit. Dicitur enim ipse doctor vester multa testimonia excerpsisse de opusculis beatissimi et doctissimi Patris Augustini, quibus nititur suam sententiam affirmare, cum memoratus Pater et doctor catholicus, contra Pelagianos scribens, qui gratiæ Dei contrarii prædicatores fuerunt, defensor ejusdem gratiæ, non destructor rectæ fidei fuerit. Nam ad Prosperum et Hilarium scribens, taliter de prædestinatione et præscientia disserens, ait (*De Prædest. sanct.*, *c.* 10) : « Prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse : potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus; unde dicitur : « Fecit quæ futura sunt; » præscire autem potest etiam quæ ipse non facit, sicut quæque peccata : quia etsi sunt quædam quæ ita peccata sunt ut pœnæ sint etiam et peccatorum; unde dictum est : « Tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant « ea quæ non conveniunt (*Rom.* I, 28), » non ibi peccatum Dei est, sed judicium. Quocirca prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio. Gratia vero est ipsius prædestinationis effectus » Cui Patri

Digitized by Google

assentit sanctus Hieronymus, in Ezechielis tractatu illam sententiam exponens, qua Dominus ad prophetam ait : « Loquere et dic ad eos : Hæc dicit Dominus Deus, si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant, quoniam domus exasperans est. » Loquitur autem hæc Deus ambigentis affectu, ut liberum hominis monstret arbitrium, ne præscientia futurorum mali vel boni immutabile faciat quod Deus futurum noverit. Non enim quia illa ventura cognoscit, necesse est nos facere quod ille præscivit, sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ipse novit futurum quasi Deus. Scripsit quoque prædictus Pater Augustinus libros duos de Prædestinatione sanctorum, in quibus totum quod confertur homini bonum, ex gratia Dei fieri, non ex hominis libero arbitrio, ex sententiis sanctarum Scripturarum sapientissime ostendit. Sed fuerunt aliqui qui aut non intelligendo, aut intelligi ea nolendo quæ ibi recte scripta sunt, in pravum sensum abducere conabantur. Contra quos beatus Prosper, qui ejus doctrinæ fidelis exsecutor fuit, rescribendo fortissime restitit, atque convicit de prædicto magistro sanctæ Ecclesiæ non recte eos sensisse. Scripsit enim memoratus vir, beatus scilicet Prosper, ad Rufinum de gratia et libero arbitrio : scripsit contra capitula calumniatorum Gallorum de prædestinatione; similiter et contra capitula objectionum Vincentianarum de eadem prædestinatione, necnon ad excerpta quæ ex Genuensi civitate ei sunt missa de prædestinatione congruentissime respondit. In quibus omnibus lector fidelis potest probare eum sensisse de prædestinatione Dei, ad salutem humani generis, non ad damnationem fieri. Unde nunc ex dictis memorati viri aliqua excerpere nobis placuit, et in hanc epistolam ponere, quibus objectionibus Vincentianis ita respondit dicens (*Vincentian. object.* 11) : « Quomodo verum constabit quod Deus nolit omnes salvare, etsi omnes salvari velint, cum Veritas dicat : « Si vos, cum sitis mali, nostis bona data « dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœ« lestis dabit bona petentibus se? » Qualiter fieri potest ut Deus, qui etiam illos salvat de quibus dici non potest quod salvari velint, nolit aliquos salvare, etiamsi salvari velint, nisi aliquæ causæ existant de quibus, quamvis sint nobis incognoscibiles, ipse tamen judicat bene, de quo dici non potest aliter cum quidquam facere debuisse quam fecerit? Remota ergo hac discretione quam divina scientia intra secretum justitiæ suæ continet, sincerissime credendum atque profitendum est Deum velle ut omnes homines salvi fiant. Si quidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime et custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur : ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum. Ut enim reus damnetur, inculpabilis est Dei justitia : ut autem reus justificetur, ineffabilis Dei gratia est. » (*Object.* 4.) « Item dicunt quod major pars generis humani ad hoc creetur a Deo, ut non Dei, sed diaboli faciat voluntatem. Insanum omnino, et contra rationem est, dicere voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri, et Deum, damnatorem diaboli ejusque famulorum, velle ut diabolo serviatur. Sed hoc catholicis Pelagiani consequenter se objicere existimant, qui Adæ peccatum transiisse in omnes diffitentur : quoniam si primam nativitatem originalis culpa non obliget, non sint obnoxii diabolo parvuli, nec indigeant erui de potestate tenebrarum, qui nunquam a suo auctore discesserint. Nos autem, qui omnes in Adam periisse profitemur (venit enim Filius quærere et salvare quod perierat), nec dicimus ideo creari quemquam hominem ut diaboli faciat voluntatem, et agnoscimus omnem hominem non redemptum diabolo esse captivum. Prævaricatio enim hominis dispositæ a sæculis creationis ordinem turbare non potuit : et merito creatura peccatrix penalem dominationem illius patitur, cui relicto vero Domino sponte se vendidit. » (*Object.* 7, 8, 9, 10.) « Hæc quippe servitus non institutio est Dei, sed judicium. Qui autem dicunt quod hæc sit voluntas Dei ut magna pars Christianorum salva esse nec valeat, nec possit, aut dicunt quod Deus nolit ut omnes catholici in fide catholica perseverent, sed velit ut magna exinde pars apostatet, aut a sanctitatis proposito ruat, aut quod adulteria et corruptelæ virginum sacrarum ideo contingant, quia illas Deus ad hoc prædestinavit ut caderent, nimis perverse sentiunt, et nequiter hoc dicunt. Quia detestanda et abominanda opinio est, quæ Deum cujusquam malæ voluntatis aut malæ actionis credit auctorem, cujus prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra justitiam est. Universæ enim viæ Domini misericordia et veritas. Adulteria enim meritarum et corruptelas virginum non instituere novit ea Divinitas, sed damnare, nec disponere, sed punire. Quæ mala homines cum admittunt, suis concupiscentiis et cupiditatibus serviunt, quas ab illa prima voluntariæ prævaricationis labe traxerunt. » Sed nullo modo credendum est hujusmodi homines in hanc desperationem ex Dei voluntate cecidisse, cum potius allevet Dominus omnes qui corruunt, et erigat omnes elisos. Nemo enim nisi illius gratia stabilitur. Dei ergo voluntas est ut in bona voluntate maneant, et priusquam deseratur neminem deserit. In libello igitur quem supra memoratus vir contra capitula calumniatorum Gallorum scripsit, juxta finem ejusdem libri ita subnexuit dicens (*Sent.* 1) : « Quisquis igitur ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate, homines in peccata compulsos cogi dicit in mortem, non est catholicus. Nullo enim modo prædestinatio Dei homines iniquos facit, neque cujusquam omnino est causa peccati. » Item (*Sent.* 2) : « Qui dicit quod ab iis qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum, non est catholicus. Sacramentum enim baptismatis, quo omnia prorsus peccata delentur, etiam in eis verum est qui non sunt in ve-

Digitized by Google

ritate mansuri, et ob hoc ad veram vitam non sunt prædestinati. » Item. (*Sent.* 3) · « Qui dicit quod non prædestinati ad vitam, etiamsi fuerint in Christo per baptismum regenerati, et pie et juste vixerint, nihil eis prosit, sed tandiu reserventur donec ruant, nec ante eos ex hac vita quam hoc eis contingat, auferri, tanquam ad constitutionem Dei talium hominum ruina referenda sit, non est catholicus : quia non ideo Deus tempus ætatis cuiquam prorogavit, ut diu vivendo corrueret, et a fide recta in sua longævitate deficeret, cum inter beneficia Dei numeranda sit ipsa longævitas, qua homo melior debuit esse non pejor. » Item (*Sent.* 4): « Qui dicit quod non omnes vocentur ad gratiam, si de iis loquitur quibus Christus annuntiatus non est, reprehendi non debet : quia scimus quidem in omnes fines terræ Evangelium destinatum, sed non putamus jam in omnibus terræ finibus prædicatum; nec possumus dicere, quod ibi sit gratiæ vocatio, ubi matris Ecclesiæ adhuc nulla est regeneratio. » Item (*Sent.* 5) : « Qui dicit quod qui vocati sunt, non æqualiter vocati sint, sed alii ut crederent, alii ut non crederent, quasi cuiquam vocatio causa fuerit non credendi, non recte dicit. Quamvis enim fides non sit nisi ex Dei dono et hominis voluntate, infidelitas tamen non est nisi ex sola hominis voluntate. » Item (*Sent.* 6) : « Qui dicit quod liberum arbitrium in homine nihil sit, sed sive ad bonum sive ad malum prædestinatio Dei in hominibus operetur, non est catholicus. Arbitrium enim hominis gratia Dei non abolet, sed adolet, et ab errore in viam revocat ac reducit, ut quod sua libertate erat pravum, Spiritu Dei agente sit rectum. Prædestinatio quoque Dei semper in bono est, quæ peccatum, sola hominis voluntate commissum, aut remittendum novit cum laude misericordiæ, aut plectendum cum laude justitiæ. » Item (*Sent.* 7) : « Qui dicit quod Deus quibusdam filiis suis, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, ob hoc perseverantiam non dederit quia a massa perditionis præscientia Dei et prædestinatione non sint discreti, si hoc vult firmare quod Deus hujusmodi homines in bonis quæ donaverat noluerit permanere, et ipse eis causa aversionis exstiterit, contra justitiam Dei sentit. Quamvis enim omnipotentia Dei potuerit vires standi præbere lapsuris, gratia tamen ejus non prius eos deseruit quam ab eis desereretur. Et quia hoc ipsos voluntaria facturos defectione prævidit, ideo in prædestinationis electione illos non habuit. » Item (*Sent.* 8) : « Qui dicit quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum, durius loquitur quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui et omnes vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, et voluntatis suæ propositum in eis implet, quos præscitos prædestinavit, prædestinatos vocavit, vocatos justificavit, justificatos glorificavit : nihil omittens de plenitudine gentium, et de omni semine Israel, cui præparatum est in Christo regnum æternum ante constitutionem mundi. Ex toto enim mundo totus mundus eligitur, et ex omnibus hominibus omnes homines adoptantur. Nec potest ullo modo per infidelitatem atque inobedientiam multorum, Dei promissio vacillare, dicentis ad Abraham : « In semine tuo benedicentur omnes gentes. » Quod autem promisit potens est et facere, ut et qui salvantur ideo salvi sint, quia illos voluit Dominus salvos facere; et qui pereunt, ideo pereant quia perire meruerunt. » (*Ad excerpta Genuen.* 6.) « In eo autem quod Apostolus ait : « Non enim omnium est « fides, » cur omnibus fides non detur, non debet fidelem movere, qui credit ex uno omnes isse in condemnationem sine dubitatione justissimam, ita ut nulla esset Dei justa reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur. Unde constat magnam esse gratiam quod plurimi liberantur, et quid sibi deberetur in eis qui non liberantur agnoscant : ut qui gloriantur, non in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis, sed in Domino glorientur. Cur autem istum potius quam illum liberet, inscrutabilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus. » (*Object.* 8 *Gallorum.*) « Quare in præteritis sæculis dimiserit Deus omnes gentes ingredi vias suas, quando Jacob elegit sibi Dominus, et non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis : et cur qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei diceretur; et quorum aliquando non misertus, nunc autem misereatur, et ubi dictum est : « Non « plebs mea vos, ibi vocentur filii Dei vivi; » et, quare quod quærebat Israel non sit consecutus, electio autem consecuta est, cæteri vero excæcati sunt, impossibile est comprehendere, et periculosæ curiositatis est quærere. Cum tamen quod nulla sit apud Deum iniquitas, nemini liceat ignorare : quod nec alia gratia, aut alia fide quemquam hominum, sive ante legem, sive legis tempore, justificatum esse credendum sit, quam hac eadem, per quam Dominus noster Jesus Christus secundum consilium voluntatis suæ in fine sæculorum venit quærere et salvare quod perierat. Causas vero operum et judiciorum Dei, qui ex toto ad humanas voluntates et actiones refert, quas tamen in parvulorum adoptione aut abdicatione non invenit, et dispensationes Dei ex liberi arbitrii vult mutabilitate variari, profitetur sibi esse scrutabilia judicia Dei, et vestigabiles vias ejus, et quod doctor gentium Paulus non audebat attingere, hic se æstimat reseratum posse vulgare. » Item (*Sent.* 9) : « Qui dicit quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus, non ad sacramenti virtutem, sed ad fidelium respicit partem, cum sanguis Christi pretium totius mundi sit : a quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eamdem sunt servitutem reversi. Non enim cecidit verbum Domini, neque evacuata est mundi redemptio : quia etsi non cognovit mundus Deum in vasis iræ, cognovit tamen mundus Deum in vasis mise-

Digitized by Google

ricordiæ, quæ Deus, nullis eorum meritis præcedentibus, eruit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. » Item (*Sent.* 10): « Qui dicit quod quibusdam Evangelii prædicatio a Domino subtrahatur, ne percepta Evangelii prædicatione salventur, potest objectionis invidiam declinare patrocinio ipsius Salvatoris, qui apud quosdam, quos ait fuisse credituros, si mirabilium ejus signa vidissent, noluit operari : et quibusdam populis vetuit apostolos evangelizare, et nunc aliquas adhuc gentes patitur extra gratiam suam degere; cum tamen constantissima fide perceptum habeamus, in omnes mundi partes Ecclesiam dilatandam, nec ante esse hoc sæculum finiendum quam in universos fines terræ Evangelium dirigatur, et omnis lingua confiteatur quoniam Dominus Jesus in gloria Dei Patris est. » Item (*Sent.* 11) : « Qui dicit quod per potentiam Deus homines in peccata compellat, merito reprehenditur. Nec enim Deus, qui justitiæ ac bonitatis auctor est, et cujus omnia statuta et mandata contra peccatum sunt, quemquam ad peccatum cogere, et ab innocentia in facinora præcipitare credendus est. Si qui autem tam profundæ impietatis sunt, ut extra remedium correptionis habeantur, non a Deo incrementa iniquitatis accipiunt, sed per semetipsos deteriores fiunt, qui relinqui a Deo, et sibi ac deceptoribus suis tradi propter præcedentia peccata meruerunt, ut eis peccatum sit ipsa etiam pœna peccati. » Item (*Sent.* 12) : « Qui dicit quod quibusdam vocatis, et pie justeque viventibus, obedientia subtrahatur ut obedire desistant, male opinatur de bonitate Dei atque justitia, ut videatur ad impietatem pios cogere, et innocentiam bonis adimere, cum ipse sit pietatis atque innocentiæ largitor et custos. Qui ergo Deo adhæret, Spiritu Dei agitur : qui autem a Deo recedit, propria voluntate obedire desistit. » Item (*Sent.* 13) : « Qui dicit quod quidam hominum non ad hoc a Deo creati sunt ut vitam adipiscantur æternam, sed ut habitum tantummodo sæculi præsentis ornarent, et ad utilitatem nascerentur aliorum, melius loqueretur dicens quod Deus, qui creator est omnium, non frustra etiam eos condat quos prævidit vitæ æternæ participes non futuros, quia etiam in malis hominibus bonum Dei opus est ipsa natura, et laudabilis est in impiorum damnatione justitia. Non potest autem merito reprehendi qui dicit quod etiam talium conditione mundus ornetur, et quod si qui sibi sua iniquitate nocituri sunt, ad utilitatem nascantur aliorum. Neque enim quamlibet innumerabilis multitudo impiorum indecora est mundo, aut inutilis Dei regno, cum etiam per ipsorum veniat propaginem regeneranda generatio, et in eis tolerandis ac diligendis populus Dei fiat illustrior, discens bonitatem et patientiam ab illo qui pluit super justos et injustos, et solem suum oriri facit super bonos et malos. » Item (*Sent.* 14) : « Qui dicit quod qui evangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione non credant, et quod Deus ita definierit ut quicunque non credunt, ex ipsius constitutione non credant, non est catholicus. Sicut enim fides, quæ per dilectionem operatur, Dei donum est, ita infidelitas constitutio Dei non est, quia Deus pœnas criminum novit ordinare, non crimina. Nec consequens est ut quod non remiserit, ipse commiserit. Prædestinatus itaque vivit in fide sibi donata : non prædestinatus perit infidelitate voluntaria, non coacta. » Item (*Sent.* 15) : « Qui dicit quod idem sit præscientia quod prædestinatio, in bonis sine dubio operibus nostris duo ista permiscet. Quæ enim ex Dei munere habemus, et quæ præscita dicuntur, non possunt non esse prædestinata; et quæ prædestinata appellantur, non possunt non esse præscita. In malis autem operibus nostris sola præscientia Dei intelligenda est : quia sicut præscivit et prædestinavit quæ ipse facit, et ut faceremus dedit : ita præscivit tantum, non etiam prædestinavit, quæ nec ipsa fecit, nec ut faceremus exegit. » His ergo omnibus ita ex sacris doctoribus probatis atque in diversis opusculis suis diverso stylo, non diversa fide, probatis, bonum mihi videtur ut novelli doctores sanctorum Patrum et catholicorum doctorum sequantur vestigia, non a recto tramite eorum traditionis in erroris devia secedentes corruant : quia, sacra Scriptura dicente, via regia gradiendum est his qui ad vitam volunt pervenire æternam, neque ad dexteram, neque ad sinistram a quoquam temere declinandum : quia sicut via recta ducit ad vitam, sic devia errorum ad mortem tendunt perpetuam. Unde propheta Dominum precatur dicens : « Deduc me, Domine, in via « tua, et ambulabo in veritate tua. » (*Psal.* LXXXV, 11.) Et item : « Deduc me, Domine, in semita recta, propter inimicos meos. » (*Psal.* XXVI, 11. Et item : « Viam iniquitatis amove a me et in lege « tua miserere mei. Viam veritatis elegi, judicia « tua non sum oblitus. » (*Psal.* XVIII, 29, 30.) Quæ sit autem hæc via recta, et via veritatis, ipsa Veritas in Evangelio ostendit dicens : « Ego sum via, et « veritas, et vita (*Joan.* XIV, 6). » « Qui sequitur me « non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ « (*Joan.* VIII, 12). » Et alibi : « Ego sum, inquit, ostium. Per me si quis introierit, salvabitur : et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. » (*Joan.* X, 9.) Ille autem qui dicit, sicut prædicanda pietas, pudicitia, et charitas, et cæteræ virtutes, ita prædestinatio prædicanda est, ut qui obedienter hæc audit, non in homine, ac per hoc ne in se ipso, sed in Domino glorietur, bene hoc dicit, si discrete et secundum auditorum qualitatem prædicationem suam temperat, ne forte infirmus auditor inde scandalum sumat unde debuit vitam haurire. In scrutando autem et meditando Scripturas sacras oportet lectorem caute et prudenter agere, ne forte velit plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem et secundum rationem fidei. Unde etiam Sapientia per parabolas docet dicens : « Mel « invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte sa-

Digitized by Google

« tiatus evomas illud, et perjures nomen Dei. » (*Prov.* xxv, 16.) Et similiter qui docet alium, sic debet sermonem doctrinæ temperare, ut qui audit verum audiat, et qui audit intelligat; sic enim apostolicam formam in docendo servat: quod quibusdam auditoribus suis ait: « Ego, fratres, non potui vobis « loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: « tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, « non escam. Nondum enim poteratis, sed nec ad- « huc quidem potestis. Sapientiam autem loquimur « inter perfectos: sapientiam autem non hujus sæ- « culi, neque principum sæculi, qui destruuntur; sed « loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in « gloria nostra (*I Cor.* II, 1 *Seq.*). » Unde et alibi idem Apostolus hortatur dicens: « Omnia vestra ad ædi- « ficationem fiant, et omnia honeste ac secundum ordinem fiant. » (*I Cor.* XIV, 40.) Hinc quidam doctorum rectissime ait: Dolosi autem vel imperiti medici est, etiam utile medicamentum sic alligare, ut arte non possit absolvi. Unde et in lege veteri per Moysen Dominus mandat dicens: « Si quis aperuerit cisternam, et « foderit, et non operuerit eam, cecideritque bos « aut asinus in eam, reddit dominus cisternæ pre- « tium jumentorum. » (*Exod.* XXI, 33.) Cujus figuræ mysterium beatus Gregorius exponit dicens (*Moral.* XXVII, 14): « Quid est aperire cisternam, nisi intellectu valido Scripturæ arcana penetrare? Quid autem per bovem et asinum, id est mundum immundumque animal, nisi fidelis quisque et infidelis accipitur? Qui ergo cisternam fodit, eam cooperiat, ne illuc bos vel asinus ruat. Id est qui in sacro eloquio jam alta intelligit, sublimes sensus coram non capientibus per silentium tegat, ne per scandalum mentis aut fidelem parvulum, aut infidelem qui credere potuisset, interimat. Ex morte enim jumentorum debet pretium, qui illud scilicet admisisse convincitur, unde ad agendam pœnitentiam reus tenetur. Quisquis namque ad alta scientiæ fluenta perveniens, cum hæc apud bruta audientium corda non contexerit, pœnæ reus addicitur, si per verba ejus in scandalum, seu munda, seu mens immunda capiatur. Operienda est itaque cisterna: quia coram A parvulis mentibus tegenda est alta scientia, ne unde cor docentium ad summa attollitur, inde infirmitas auditorum ad ima delabatur? » Non omnia possumus omnes. Sed unusquisque nostrum proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius vero sic. Unde et Salvator in Evangelio divinitus ad hoc discipulorum suorum perpendens imbecillitatem ait: « Adhuc mul- « ta habeo vobis dicere, sed non potestis portare « modo: cum autem venerit ille Spiritus veritatis, « docebit, » etc. (*Joan.* XVI, 12.) Si enim Dominus noster auditorum suorum pensabat qualitatem, qui nos sumus ut in omnibus omnia æqualiter prædicanda esse censeamus? Maxime cum ipse Dominus dicat: « Qui scandalizaverit unum de pusillis « istis qui in me credunt, » etc. Insipiens medicus B est qui malagma suum ita format, ut impositum magis noceat quam expediat ægroto. Sapiens autem medicus primum explorat ægritudinem infirmitatis, et sic bene temperando juxta qualitatem ægritudinis adhibet medicinam salutis.

Hæc ergo, amice charissime, ideo tibi scripsi, ut cognosceres quale scandalum de illis partibus opinio veniens in hoc populo generaverit, et si quis manens apud te docet quæ rectæ fidei sunt contraria, prohibeas eum, ut cesset ab hac secta, dicasque ei: Vide, frater, ne hac licentia tua in prædicando offendiculum fiat infirmis, et tuo dogmate ne perdas eum pro quo Christus mortuus est, quia sanguis ejus requiretur de manu tua. Confido enim te, vir venerande, bene esse Christianum, nec aliquid te ha- C bere velle in tua mansione quod Evangelio Christi adversetur: sed magis hoc quod placeat Deo, et ad salutem pertinet animarum. In qua voluntate et in quo studio divinitas Domini nostri Jesu Christi incolumem in æternum te conservare dignetur.

EPISTOLA VII.

AD LUDOVICUM GERMANIÆ REGEM.

Mittit acta, [a] concilii Moguntini pro juribus et immunitatibus ecclesiasticis, ipso (Rabano) præsidente, celebrati anno Domini 847, *tempore Leonis papæ IV et Lotharii imperatoris.*

(Apud Mansi, Concil., tom. XIV, pag. 900.

Domino serenissimo et Christianissimo regi Ludo-

[a] Occasio hujus concilii celebrandi eadem fuit quæ Meldensis: nimirum quod cum a laicis bona ecclesiarum, jura pariter et personæ, assidue invaderentur, deque his frequentes apud regem querelæ essent, ille ad liberandam istis malis Ecclesiam congregari fecit synodum provincialem, cui Rabanus archiepiscopus, vir doctrina, probitate atque scientia valde insignis, præesse deberet. Qui quotve episcopi huic concilio interfuerint, quæ tractaverint, atque per canones servanda definiverint, epistola synodalis, quæ cum subjectis capitulis missa est ad Ludovicum Germaniæ regem, manifeste satis indicat. Ad hanc etiam synodum spectat, quod Francorum annales de femina quæ novam se prophetidem jactabat, munusque publice docendi et concionandi usurpabat, notato anno tradunt sic: « Eodem anno 847 mulier quædam de Alemanniæ partibus nomine Thiota, pseudoprophetissa, Moguntiacum venit, quæ Salomonis episcopi parochiam D non minime deturbaverat. Nam certum consummationis sæculi diem, aliaque perplura Dei solius notitia cognita, quasi divinitus sibi revelata, scire se fatebatur; et eodem anno ultimum diem mundi imminere prædicabat. Unde multi plebeii utriusque sexus, timore perculsi ad eam venientes, munera illi ferebant, seque orationibus illius commendabant. Et, quod gravius est, sacri ordinis viri doctrinas ecclesiasticas postponentes, illam quasi magistram cœlitus destinatam sequebantur. Hæc in præsentiam episcoporum apud Sanctum Albanum deducta, et diligenter de suis assertionibus requisita, presbyterum quemdam sibi ea suggessisse et se talia quæstus causa narrasse professa est. Quapropter synodali judicio publicis cæsa flagellis ministerium prædicationis, quod irrationabiliter arripuit, et sibi contra morem ecclesiasticum vindicare præsumpsit, cum dedecore amisit, suisque vaticiniis tandem confusa finem imposuit. » Sev. Bin.

Digitized by Google

vico veræ religionis strenuissimo rectori, ac defensori sanctæ Dei Ecclesiæ, una cum uxore et prole sua, ejusque fidelibus, vita et salus, honor et benedictio, cum victoria sine fine mansura.

Dignissimæ reverentiæ vestræ patefecimus nos humillimi famuli vestri, Rabanus videlicet, Moguntincensis Ecclesiæ indignus archiepiscopus, cum coepiscopis meis qui ad prædictæ Ecclesiæ diœcesim pertinent : hoc est, Samuele, Egorbaldo, Baturato, Hebone, Gorbratho, Hemmone, Waltgario, Ansgario, Otgario, Lantone, Salomone et Gebehardo, cum reliquis collegis nostris chorepiscopis, abbatibus, monachis, presbyteris, et cæteris ecclesiasticis ordinibus : quia venimus secundum jussionem vestram in civitatem Moguntiam, ibique pariter adunati, post triduanum jejunium, quod cum litaniis celebravimus, divinam suppliciter postulantes clementiam, quatenus sancta gratia sua conventum et actionem ipsius synodi sibi acceptabilem facere dignaretur, et Christiano populo proficentem ad salutem et vitam perpetuam, vobisque ad æternum honorem et gloriam. Ubi etiam decrevimus ut singulis parochiis per episcopos et clericos, per abbates et monachos, oratio pro vobis et pro vestra conjuge, simul prole nobilissima fieret (cujus orationis summa est, missarum tria millia et quingenta, et psalteriorum mille septingenta) : hoc omni devotione postulantes ut Deus omnipotens diuturnam vobis sanitatem ac prosperitatem concedat, regnumque vestrum diu stabiliat ab omni hoste defensum in terra, postque hujus vitæ terminum in regno cœlesti gloriam vobis simul cum sanctis suis concedat sempiternam. Tunc vero considentes in claustro sancti Albani martyris, secundum morem illum, quo priscis temporibus sub Carolo imperatore Hildebaldus et Richolphus cum cæteris episcopis et abbatibus illuc convenientibus fecerunt, et cœpimus in Dei nomine communi consensu et voluntate tractare pariter de statu veræ religionis, atque utilitate et profectu Christianæ plebis. Convenit inter nos de nostro communi collegio clericorum atque monachorum duas facere turmas, sicut et fecimus : ita ut in una turma considerent episcopi cum quibusdam notariis, legentes atque perscrutantes sanctum Evangelium, nec non Epistolas et Actus apostolorum, canones quoque, ac diversa sanctorum Patrum opuscula, cum cæteris sacris dogmatibus, diligenti studio perquirendo quibus modis statum Ecclesiæ Dei et Christianæ plebis profectum sana doctrina et exemplis justitiæ inconvulsum, largiente gratia Dei, perficere et conservare possent. In alia vero turma sederunt abbates ac probati monachi, regulam sancti Benedicti legentes, atque tractantes diligenter qualiter monachorum vitam in meliorem statum atque augmentum cum Dei gratia perducere possent, et ubicunque per negligentiam atque desidiam rectorum regularis ordo dilapsus fuisset, rursum secundum normam regulæ sancti Benedicti ad integrum restitueretur. His ergo ita dispositis atque peractis, A primo decrevimus unicuique personæ vel sexui congruum honorem impendere secundum dictum sancti Petri primi pastoris Ecclesiæ, quo ait : « Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorificate. Servi, subditi estote in omni « timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed « etiam dyscolis, hæc est enim gratia in Christo Jesu « Domino nostro (*I Petr.* II). » Cui pario doctor gratium, ad Timotheum discipulum suum scribens, ait : « Attende tibi et doctrinæ, insta in illis, hoc enim « faciens et te ipsum salvum facies, et eos qui te au- « diunt. Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut « patrem; juvenes, ut fratres; anus, ut matres; ju- « venculas, ut sorores, in omni castitate (*I Tim.* « IV). » Insuper etiam congruum esse visum est ut B sacerdotes et Ecclesiæ Dei jure legitimo inconvulsi honorarentur; de quibus Dominus ait : « Qui vos « audit, me audit; et qui vos recipit, me recipit: « qui autem me recipit, recipit eum qui me misit (*Luc.* X, *Matth.* X). » Et Apostolus ad Hebræos : « Obedite, inquit, præpositis vestris, et subjacete « eis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddi- « turi pro animabus vestris (*Hebr.* XIII). » Nam de reverentia ecclesiarum Dominus ait : « Domus mea « domus orationis vocabitur cunctis gentibus (*Isa.* « LVI). » Unde etiam legitur in Evangelio (*Marc.* II, *Joan.* II), quod ipse Dominus cum venisset ad Jerusalem et introisset in templum, eos qui negotia terrena et emptiones atque venditiones illicitas in eodem exercebant, quasi flagellum de funiculis faciens, C omnes inde ejecerit. Proh dolor! his temporibus nec loca sancta venerantur, neque ministri Dei condigne honorantur : sed versa vice illi qui honorari debuerunt flagellantur, spoliantur atque diversis calumniis franguntur. Unde necessitas magna nos coegit pro hac re ad vos reclamare, petere, ut sicut apud antecessores vestros reges atque imperatores qui ante vos fuerunt, honorem sancta Dei Ecclesia habuit, et per immunitatem eorum possessiones ecclesiasticæ inconvulsæ perstiterunt, manentesque in eis semper illæsi perseveraverunt : ita apud vos modernis temporibus incontaminatæ permaneant. Zelo enim Dei oportet vos defendere Ecclesias Christi, qui vobis regnum in terra et dominationem tribuit, ut per nullius suggestiones iniquas vestram concessionem, quam in eleemosynam vestram Ecclesiis D Christi contulistis, sinatis permutari. Quia inhonestum est ut hoc quod non solum Christianis temporibus a Christianis imperatoribus, sed etiam a paganis regibus tempore gentilitatis ad honorem Dei collatum est, vestris temporibus in vestro regno permutetur. Nam legimus apud Esdram quod Artaxerxes rex Esdræ scribæ legis Dei per epistolam mandaverit, ita dicens : « Ego Artaxerxes rex statui atque « decrevi omnibus custodibus arcæ publicæ qui sunt « trans flumen : Quodcunque petierit a vobis Esdras « sacerdos scriba legis Dei cœli, quod ad ritum Dei « cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei « cœli : ne forte irascatur contra regnum regis et

Digitized by Google

« filiorum ejus. Vobis quoque notum facimus de uni- A
« versis sacerdotibus, et Levitis, et cantoribus, et ja-
« nitoribus, Nathinæis, et ministris domus Dei hu-
« jus, ut vectigal, et tributum, et annonas non ha-
« beatis potestatem imponendi super eos. Tu autem,
« Esdra, secundum sapientiam Dei tui, quæ est in
« manu tua, constitue judices et præsides, ut judi-
« cent omni populo qui est trans flumen, his videli-
« cet qui noverunt legem Dei tui, sed et imperitos
« docete libere. Et omnis qui non fecerit legem Dei
« tui, et legem regis diligenter, judicium erit de
« eo, sive in mortem, sive in exsilium, sive in con-
« demnationem substantiæ ejus, vel certe in car-
« cerem (*I Esdr.* VII). »

De Christianis vero regibus et imperatoribus non necesse est aliqua exempla ponere, cum omnes qui B
rectæ fidei et sani dogmatis fuerint, a Constantino imperatore, qui primus imperatorum Christianam religionem defendere atque honorem Ecclesiarum Dei amplificare cœpit, usque ad vos, semper in hoc studio solerter laboraverint ut Ecclesia Dei pacem et tranquillitatem haberet, quatenus cultus Dei incontaminatus foret, et servi ejus sine impedimento Deo delectabiliter deservirent. Qualis autem vindicta illis qui contra mandata Dei et contra jussionem vestram Ecclesiæ Christi per avaritiam molestiam inferunt, conveniat, in sequentibus per sanctorum Patrum canones, et per doctrinam divinarum Scripturarum congruo loco demonstravimus. Non enim formidamus, juxta exemplum Domini Salvatoris, C
corruptoribus templi Dei et contaminatoribus sacrorum locorum judicium congruum inferre : quia si illi a Christo Domino ejecti sunt foras de domo Dei qui per cupiditatem terrenam violabant sanctum locum, non est iniquum insolentibus et se corrigere nolentibus canonicum inferre judicium, ut sentiant correpti quod ante noluerunt sentire leniter admoniti. Deus omnipotens vos in sua justitia confortet, et illæsum ab omni hoste protegat.

CAPITULA.

Cap. I. — *De fide catholica.*

Initium actionis nostræ de fide esse decrevimus, quæ bonorum est omnium fundamentum : et quamvis « sine fide, » ut dicit Apostolus (*Hebr.* XI), « im- D
« possibile sit placere Deo, » fides tamen indiget opere, « quia fides sine operibus mortua est (*Jac.* II). » Ideo beatus Gregorius : Ille, inquit, vere credit qui exercet operando quod credit. Quapropter de fide nostra omnes omnino Christianos alterutrum inter se jugiter admonere et docere oportet : maxime tamen Domini sacerdotes in eo certamine laborare decet, ut firmiter ab omnibus teneatur.

Cap. II. — *De dogmate ecclesiastico.*

Cum igitur omnia concilia canonum qui recipiuntur sint a sacerdotibus legenda et intelligenda, et per ea sit eis vivendum et prædicandum; necessarium duximus, ut ea quæ ad fidem pertinent, et ubi de exstirpandis vitiis et plantandis virtutibus scribitur, hoc ab eis crebro legatur, et bene intelligatur, ut in populo prædicetur. Et quilibet episcopus [a] homilias continentes necessarias admonitiones, quibus subjecti erudiantur : id est de fide catholica, prout capere possint : de perpetua retributione bonorum, et æterna damnatione malorum, de resurrectione quoque futura, et ultimo judicio, et quibus operibus possit promereri beata vita, quibusve excludi. Et ut easdem homilias quisque aperte transferre studeat in rusticam Romanam linguam, aut Theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere quæ dicuntur.

Cap. III. — *De sacramento baptismatis.*

Sacramenta itaque baptismatis volumus ut concorditer atque uniformiter in singulis parochiis secundum Romanum ordinem inter nos celebrentur jugiter atque conserventur : id est, scrutinium ad ordinem baptismatis, sicut in decretis Leonis papæ sub duobus continetur capitulis. In capitulo quinto : Hæc duo tempora, id est Pascha et Pentecostes, ad baptizandum a Romano pontifice legitima sunt præfixa. Item in capitulo sexto : Non interdicta licentia, quia in baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus subvenitur. Et Siricius [b] : In qualibet necessitate fuerit opus sacri unda baptismatis, omni volumus celeritate succurri. Debent igitur episcopi cum magna diligentia presbyteris suis tradere baptismi sacramentum, et quid in eodem renuntiandum, quidve credendum sit. Renuntiatur enim diabolo et operibus ejus. Opera vero diaboli, opera carnis esse intelliguntur : quæ sunt : homicidia, fornicationes, adulteria, ebrietates, et multa alia his similia, quæ diabolico instinctu prius cogitatione mentis concipiuntur quam opere perpetrentur. Pompæ vero ejusdem sunt : superbia, jactantia, elatio, vana gloria, fastus, et alia quamplurima quæ ex his oriri videntur.

Cap. IV. — *De pace et concordia.*

Sane opus est ut pax et concordia sit atque unanimitas in populo Christiano, quia unum Deum Patrem habemus in cœlis, et unam matrem Ecclesiam, unam fidem, unum baptisma : ideo in una pace et unanimitate concorditer vivere debemus, si ad unam et veram hæreditatem regni cœlestis cupimus pervenire : « Quia non est dissensionis Deus, sed pacis « (*II Cor.* XIV), » ut ipse ait. Igitur si inter omnes fideles pax et concordia habenda est, dicente Apostolo : « Pacem sequimini cum omnibus, et sancti- « moniam, sine qua nemo videbit Deum (*Hebr.* XII) : » multo magis inter episcopos et comites esse debet, qui post imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt. Ita enim inter se concordare debent, ut alterutrum sibi ad Dei servitium peragen-

[a] Deest *habeat* aut aliquid ejusmodi.

[b] Epist. 1, ad Himerium, Tarraconensem episcopum.

Digitized by Google

dum, et ministerium suum recte explendum, non solum non noceant, quin potius adminiculo sint.

CAP. V. — *De conspiratione.*

Si vero pax et concordia summum inter homines et maxime Christianos bonum judicatur, et præmio summo remunerandum, id est, ut ejus merito filii Dei vocemur (*Matth.* v), nonne e contrario discordiæ et dissensionis summum est malum, et summa pœna plectendum, ita ut sapiens dicat, animam Domini illum detestari, qui inter fratres discordias seminat (*Prov.* VI), atque ideo filius diaboli non immerito nominetur? Unde statuimus, atque auctoritate ecclesiastica confirmamus, eos qui contra regem vel ecclesiasticas dignitates, sive reipublicæ potestates in unoquoque ordine legitimas dispositiones [*Forte*, legitima dispositione. HARD.] constitutas, conjurationes et conspirationes rebellionis et repugnantiæ faciunt, a communione et consortio catholicorum veram pacem amantium submovendos, et nisi per pœnitentiam et emendationem paci se ecclesiasticæ incorporaverint, ab omnibus filiis pacis sancimus extorres.

CAP. VI. — *De immunitate rerum ecclesiasticarum.*

Quisquis [*Al.* Si quis. HARD.] fastu superbiæ elatus domum Dei ducit contemptibilem, et possessiones Deo consecratas, atque ad honorem Dei sub regiæ immunitatis defensione constitutas, inhoneste tractaverit, vel infringere præsumpserit, quasi invasor et violator domus Dei excommunicetur. Decet etiam ut indignationem ipsius domini regis sentiat, cujus benevolentiæ contemptor et constitutionis prævaricator exstitit. Nihilominus tamen rex suæ concessionis immunitatem ab omnibus ditioni suæ subjectis illæsam conservari præcipiat, assensum vero non præbeat improvide affirmantibus, non debere esse res Dominicas, id est Domino dominantium deditas, ita sub defensione regis, sicut propriæ suæ sunt hæreditates : magisque advertat, quia quanto Deus excellentior est homine, tanto præstantior est divina causa mortalium possessione. Quocirca decipitur quisquis plus in propriis quam in Dominicis rebus gloriatur : quarum divinarum rerum defensor et custos divinitus statutus, diligenti cura non solum eas servare, sed etiam multiplicare debet, magisque ea quæ diximus præstantiora, quam sua defendere illum oportet et augmentare. Si quis igitur insanus importunitate improbitatis regem a recto proposito avertere tentaverit, nullisque remediis mitigari posse visus fuerit, licet obsequiis aliquibus transitoriis sit necessarius, abjiciendus ab eo projiciendusque re est, juxta illud evangelicum : « Si pes, manus oculusve tuus scandalizat te, erue « illa, et projice abs te (*Matth.* XVIII). »

CAP. VII. — *De potestate episcoporum super res ecclesiasticas, eorumque convenientia cum laicis, deque, abominandis perversis præmiis.*

Ut episcopi potestatem habeant res ecclesiasticas prævidere, regere, et gubernare, atque dispensare, secundum canonum auctoritatem, volumus : et ut laici in eorum ministerio obediant episcopis ad regendas Ecclesias, viduas et orphanos defendendos, et ut obedientes sint eis ad eorum Christianitatem servandam : consentientesque sint comites et judices præsulibus suis ad justitias faciendas juxta præcepta divinæ legis, et nullatenus per aliquorum mendacium, vel falsum testimonium, neque per perjurium, aut per præmium, lex justa [*Al.*, divina. HARD.] in aliquo depravetur.

CAP. VIII. — *De proprietatibus ab episcopis vel presbyteris post ordinationem acquisitis.*

In concilio Carthaginensi (*Conc. Carthag.* III, *c.* 49) scriptum est ut præsbyteri, diaconi, vel quicunque clerici, qui nihil habentes ordinantur, et tempore episcopatus vel clericatus sui agros vel quæcunque prædia suo nomine comparant, tanquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti ecclesiæ eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis proprii aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerit, faciant inde quod eorum proposito convenit. Quod si a suo proposito retrorsum exorbitaverint, honore ecclesiastico indigni tanquam reprobi judicentur. Presbyteri vero non vendant rem ecclesiæ ubi sunt constituti, nescientibus episcopis suis, non habentes necessitatem. Nec episcopo liceat matricis ecclesiæ rem tituli sui nomine usurpare.

CAP. IX. — *De manumissionibus.*

In concilio Carthaginensi (*Conc. Afric.*, *c.* 31) ita continetur : De manumissionibus in ecclesia celebrandis, si id nostri consacerdotes per Italiam facere reperiuntur, nostræ etiam erit fiduciæ istorum ordinem sequi, data plane licentia misso legato ut quæcunque digna fide pro statu Ecclesiæ et salute animarum agere potuerint, nos sciant laudabiliter in conspectu Domini accepturos.

CAP. X. — *De decimis dandis et in quatuor portiones dividendis.*

Volumus ut decimæ quæ singulis dantur ecclesiis, per consulta episcoporum a presbyteris ad usus ecclesiæ et pauperum summa diligentia dispensentur. Quatuor autem tam de reditibus quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones : quarum sit una pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta ecclesiæ fabricis applicanda juxta constitutionem episcopalem. Admonendum tamen est ut decima Deo omnino data non negligatur, quam Deus ipse dari sibi constituit, quia timendum est, si quis Deo suum debitum abstrahit, ne forte Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua.

CAP. XI. — *Ut antiquæ ecclesiæ habeant privilegia sua.*

Ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec decimis, nec

Digitized by Google

aliis possessionibus pro novis oratoriis sine consensu et concilio episcopali priventur.

CAP. XII. — *Ne presbyteri sine consensu episcoporum per ecclesias constituantur vel ab his recipiantur.*

Quicunque presbyter per pretium ecclesiam fuerit adeptus, omnino deponatur : quod contra ecclesiasticæ regulæ disciplinam agere dignoscitur, qui alium presbyterum legitime ad ecclesiam ordinatum per pecuniam expulerit, eamque sibi taliter vindicaverit ; quod vitium late diffusum summo studio emendandum est. Itemque interdicendum videtur clericis, sive laicis, ne quis cuilibet presbytero præsumat dare ecclesiam sine licentia et consensu episcopi sui.

CAP. XIII. — *De clericorum vita sive monachorum.*

Providendum necessario est unicuique episcopo qualiter canonici vivere debeant, necnon et monachi, ut secundum ordinem regularem vivere studeant, ut ait Apostolus (*I Cor.* VII) : « Unusquisque « in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat : » et ut a negotiis sæcularibus omnino abstineant. Multa sunt enim negotia sæcularia, de his tamen pauca perstrinximus : ad quæ pertinet omnis libido, non solum immunditia carnis, sed etiam in omni carnali concupiscentia quidquid plus justo appetit homo : turpe lucrum, munera injusta accipere, vel etiam dare pro aliquo sæculari, cum quæstu pretio aliquem conducere, contentiones et lites, vel rixas amare, in placitis sæcularibus disputare, excepta defensione orphanorum aut viduarum; conductores aut procuratores esse sæcularium rerum, turpis verbi vel facti joculatorem esse, vel jocum sæcularem diligere, aleas amare, ornamentum inconveniens proposito suo quærere, in deliciis vivere velle, gulam et ebrietatem sequi, pondera injusta vel mensuras habere, negotium injustum exercere (nec tamen justum negotium est interdicendum propter necessitates diversas, quia legimus sanctos apostolos negotiatos esse, et in regula sancti Benedicti præcipitur prævidere per quorum manus negotium monasterii transeat) : canes et aves sequi ad venandum, in comessationibus et vinolentiis nimiis incumbere, superfluitatem in quibuslibet rebus nolle fugere. Quæ omnia ministris altaris interdicimus, hortantes eos servare illud apostolicum : « Nemo militans Deo « implicat se negotiis sæcularibus (*II Tim.* II) : » considerare quoque sententiam Domini dicentis : « Attendite ne graventur corda vestra in crapula « et ebrietate (*Luc.* XXI) : » moderare cibum et potum, ut, juxta Apostolum (*I Tim.* III), sobrii sint, parati ad servitium Domini : ante se joca sæcularia vel turpia fieri non permittere, sed pauperes et indigentes secum ad mensam habere, et lectionem divinam ibidem audire, et sumere cibum cum benedictione Domini, secundum Apostolum dicentem : « Sive manducetis, sive bibatis, omnia in laudem « Dei facite (*I Cor.* X). »

CAP. XIV. — *De voto monachorum.*

Nullus monachorum aliquid proprietatis habeat, et res sæculares, quibus renuntiavit, nullatenus sibi usurpet, nec parochias ecclesiarum accipere præsumat sine consensu episcopi. De ipsis vero titulis, in quibus constituti fuerint, rationem episcopo vel ejus vicario reddant, et convocati ad synodum veniant.

CAP. XV. — *De clericis comam nutrientibus.*

In decretis Gregorii papæ scriptum est : Si quis ex clericis laxaverit comam, anathema. Unde sancimus ut hujusmodi coerceantur ad pristinum statum reverti.

CAP. XVI. — *De vita sanctimonialium.*

Abbatissa quæ in civitate monasterium habet, nequaquam de monasterio egrediatur, nisi per licentiam episcopi sui, aut qui ejus vicem obtinet, nisi forte regali jussione cogatur. Et si quando foras pergit, de sanctimonialibus quas secum ducit, curam et vigilantiam habeat, ut nulla eis detur peccandi licentia sive occasio. Sed et cum pergit, in monasterio talem in vice sua constituere debet, quæ de sanctimonialium animabus curam et vigilantiam gerat. Habeat etiam abbatissa studium in ædificando ea quæ ad sanctimonialium necessitatem pertinent, et in restaurando. Sanctimoniales vero in monasterio constitutæ habeant studium in legendo et in cantando, in psalmorum celebratione sive oratione, et horas canonicas, matutinam videlicet, primam, tertiam, sextam, nonam, vespertinam, completorium pariter celebrent; et omnes, excepta quam infirmitas tenet, in dormitorio dormiant, et omnibus diebus ad consolationem veniant, et ut cætera servent quæ in regula sanctimonialium continentur, et quæ a sanctis Patribus illic constituta sunt.

CAP. XVII. — *De pauperibus non opprimendis.*

Monemus regiam pietatem de oppressione pauperum liberorum, ut non a potentioribus per aliquod malum ingenium contra justitiam opprimantur, vel cogantur ut res suas vendant sive tradant, ne forte parentes eorum contra justitiam fiant exhæreditati, et regale obsequium minuatur, et ipsi propter indigentiam mendici vel latrones seu malefactores efficiantur, et ut sæpius non fiant manniti [a] ad placita, nisi sicut in dominico capitulari olim facto præcipitur.

CAP. XVIII. — *De rebus pauperum per malam occasionem non sumendis.*

Propter provisiones pauperum, quorum curam habere debemus, placuit nobis ut nec episcopi, nec abbates, nec comites, nec vicarii, nec judices, nullusque omnino, sub mala occasione vel malo inge-

[a] Id est, viritim vocati.

Digitized by Google

nio, res pauperum, vel minus potentium, emere, aut tollere audeat : sed quisquis ex eis aliquid comparare voluerit, in publico placito coram idoneis testibus et cum ratione hoc faciat : ubicunque autem aliter inventum fuerit factum, hoc omnino emendari per regiam convenit jussionem.

Cap. XIX. — *De his qui ad subvertendam justitiam munera accipiunt.*

Qui vero ad subvertendam justitiam a duobus munera accipiunt, hoc est ab eo qui quod sibi injuste ablatum est juste requirit, et ab eo qui eadem injuste invasit, admonendi sunt et fortiter increpandi, ne regnum Christi, quod omnibus juste facientibus patet, sibi sine ulla retractatione secludant.

Cap. XX. — *De parricidis.*

Parricidium autem quam sit detestabile crimen, in judicio facto inter Cain et Abel fratrem suum Dominus ostendit ipse, cum ad Cain parricidam ait : « Maledictus eris super terram, quæ aperuit os « suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu « tua : cum operatus fueris eam, non dabit tibi « fructus suos : vagus et profugus eris super ter- « ram. » In quo etiam posuit signum, hoc est ut tremens et gemens profugus semper viveret, nec auderet sedes habere quietas. Sed quia in modernis temporibus parricidæ profugi currunt per diversa, et variis vitiis atque gulæ illecebris deserviunt, melius nobis videtur ut in uno loco manentes pœnitentia districta semetipsos castigent, si a Domini bonitate Indulgentiam facinoris sui percipere mereantur. Non enim eis licebit ultra militiæ cingulum sumere, et nuptiis vel conjugiis copulari, quia sacri canones hoc eis non consentiunt.

Cap. XXI.[a] — *De mulieribus quæ partus suos necant.*

De mulieribus quæ fornicantur et partus suos necant, vel quæ agunt secum ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio usque ad exitum vitæ eas ab ecclesia removet, humanius autem nunc definimus ut ei decem annorum tempus secundum præfixos gradus pœnitentiæ largiatur. Item in concilio Eliberitano, cap. 63, scriptum est de his quæ filios ex adulterio necant : Si qua per adulterium conceperit, idque post facinus occiderit, placuit vix in fine ei [ei nec in fine] dandam esse communionem, eo quod geminaverit scelus. Item in concilio Ilerdensi, cap. 2, scriptum est de his quæ [qui] abortum faciunt, vel natos suos exstingunt. Hi vero qui male conceptos ex adulterio fetus, vel editos necare studuerint, vel in ventribus matrum potionibus aliquibus colliserint, in utroque sexu adulteris post septem annorum pœnitentiæ carricula communio tribuatur, ita tamen ut omni tempore vitæ suæ fletibus et humilitati insistant.

Cap. XXII. — *De homicidiis.*

In concilio Ancyrano, cap. 21, de homicidis ita

[a] Est canon 20 concilii Ancyrani.

A scriptum est : Qui voluntarie homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant, perfectionem vero circa vitæ exitum consequantur. In concilio vero Agathensi, cap. 37, de homicidis et falsis testibus ita legitur : Itaque censuimus homicidas et falsos testes a communione ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint. Item in concilio Agathensi, c. 62, scriptum est de his qui servos extra judicem necant : Si quis servum proprium sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennii reatum sanguinis emundabit. Item in concilio Eliberitano, cap. 5, scriptum est de domina quæ per zelum ancillam suam occiderit : Si qua femina furore zeli accensa flagellis verberaverit ancillam suam, ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum sit voluntate an casu occiderit : si voluntate, post septimum annum; si casu, per quinquennii tempora acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti. Quod si vero intra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

Cap. XXIII. — *De homicidiis non sponte commissis.*

In concilio Ancyrano, cap. 22, scriptum est de homicidiis non sponte commissis : prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit; secunda vero, quinquennii tempus explere.

Cap. XXIV. — *De occisis presbyteris in gradu positis.*

Qui presbyterum occidit, duodecim annorum ei pœnitentia secundum statuta priorum imponatur; aut si negaverit, si liber est, cum duodecim juret : si autem servus, per duodecim vomeres ferventes se purget. Convictus vero noxæ, usque ad ultimum vitæ tempus militiæ cingulum deponat, et uxorem amittat.

Cap. XXV. — *De presbyteris post degradationem occisis.*

Nuntiatum est nobis quod aliqui qui olim dixerunt se fuisse sacerdotes, et postea degradati pro suis peccatis, pœnitentiam agendo suffragia sanctorum per diversa loca transeuntes quæsierunt, trucidati sunt. Hujuscemodi interrectionibus [*Forte* interfectoribus] omnem ecclesiasticam communionem denegamus, donec dignam pœnitentiam pro reatu suo secundum judicium episcoporum exsolvant.

Cap. XXVI. — *De infirmis in periculo mortis constitutis.*

Ab infirmis in mortis periculo positis per presbyteros pura inquirenda est confessio, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed inquirenda, et cum amicorum orationibus, et eleemosynarum studiis pondus pœnitentiæ subleuandum : ut si forte migraverint, ne obligati excommunicatione, alieni ex consortio bene fiant [*Forte*, obli-

Digitized by Google

gati a communione alieni vel consortio veniæ *vel* bonorum fiant. HARD.] : a quo periculo si divinitus erepti convaluerint, pœnitentiæ modum a suo confessore impositum diligenter observent. Et ideo secundum canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus et consolationibus ecclesiasticis sacra cum unctione Dei [*Forte*, unctione olei] animati secundum statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur.

CAP. XXVII. — *De his qui suspenduntur in patibulis.*

Quæsitum est ab aliquibus fratribus de his qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus post confessionem Deo peractam, utrum cadavera illorum ad ecclesias deferenda sint, et oblationes pro eis offerendæ, et missæ celebrandæ, an non. Quibus respondebimus : Si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, et digne pœnitentibus, communio in fine secundum canonicum jussum danda est, cur non eis qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt? Scriptum est enim : « Non vindicat Deus bis in idipsum (*Nahum.* I, *juxta LXX*). » Nam ipse Dominus ait : « In quocunque « die conversus fuerit peccator, peccata ejus non re« putabuntur ei (*Ezech.* XXXIII). » Et iterum : « Nolo « mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat « (*Ibid.*). » [a] Salutem ergo homini adimit quisquis mortis tempore pœnitentiam denegat, et desperat de clementia Dei, qui eam ad subveniendum morienti sufficere vel in momento posse non credit. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens (*Luc.* XXIII), si illum unius horæ pœnitentia non juvisset : cum esset in pœna, pœnituit, et per unius sermonis professionem, habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum mente potius est æstimanda quam tempore, propheta hoc taliter asserente : « Cum conversus ingemueris, tunc sal« vus eris (*Ezech.* XXXIII). »

CAP. XXVIII. — *De incestuosis.*

Ut episcopi incestuosos penitus investigare studeant omnino decrevimus : qui si pœnitere noluerint, de Ecclesia expellantur, donec ad pœnitentiam revertantur. Quod si sacerdotum noluerint admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus, oportet eos per sæcularis potentiæ disciplinam a tam prava consuetudine coerceri.

CAP. XXIX. — *De damnatis nuptiis.*

Si quis viduam uxorem duxerit, et postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit : aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre et filio : item si quis relictam fratris, quæ pene prius exstiterat, carnali conjunctione violaverit : si quis neptem in conjugium acceperit : si quis novercam aut nurum suam duxerit : si quis consobrinæ suæ impudice se sociaverit, vel relictæ sive filiæ avunculi, aut patris filiæ, vel privignæ suæ concubitu pollutus, vel hujuscemodi conjunctionis attactu maculatus fuerit : eos disjungi, et ulterius nunquam conjugio copulari, sed sub magna districtione fieri volumus.

CAP. XXX. — *Quota generatione conjugia copulari debeant.*

Contradicimus quoque ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur : ubi autem post interdictum factum inventum fuerit, separetur. Sane eadem quæ in viri, hæc nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum regula custodienda est. Quia ergo constat eos duos esse in carne una, communis illis utrinque parentela esse credenda est, sicut scriptum est : « Erunt duo in carne una (*Gen.* II). »

CAP. XXXI. — *De modo dandæ pœnitentiæ.*

Modus tempusque pœnitentiæ peccata sua confitentibus, aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem imponi debet a sacerdotibus. Nam qui pro peccatis gravibus leves quosdam et inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consumunt [consuunt] pulvillos, secundum propheticum sermonem (*Ezech.* XXXIII), sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Sed discretio servanda est inter pœnitentes qui publice, et qui absconse pœnitere debeant. Nam qui publice peccat, oportet ut publica muletetur pœnitentia, et secundum ordinem canonum pro merito suo et excommunicetur, et reconcilietur. Pœnitentes vero tam expletionem constituti temporis quam facinoris remissionem desiderent, nec eis sufficiat si a quarumdam rerum perceptionibus abstineant, ni se etiam a noxiis delectationibus subtrahant : declinantes autem a malo faciant bonum, inquirant pacem, ac sequantur illam.

Multa quidem alia per diversas quæstiones coram nobis allata sunt, sed pro brevitate temporis in præsenti concilio omnibus respondere et ea absolvere non potuimus. Hæc vero quæ vobis transmissa sunt petimus ut vestra auctoritate firmentur : et, si quis adversarius illis existere voluerit, prævalere non permittatur. Dei enim cooperatores vos esse debetis, et adjutores sanctæ ejus Ecclesiæ, quatenus religio Christiana incontaminata temporibus regni vestri usque in finem servetur.

EPISTOLA VIII

Synodalis,

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM

De Gothescalco.

(Apud Mansi, Conc., tom. XIV, pag. 914.)

Reverentissimo fratri et consacerdoti HINCMARO archiepiscopo RABANUS, servus Christi et servorum ejus, in Domino salutem.

Notum sit dilectioni vestræ quod quidam gyrova-

[a] Hæc sunt ex Cœlestini, epist. ad episcopos Vienn. et Narbon. HARD.

Digitized by Google

gus monachus, nomine Gothescalc, qui se asserit sacerdotem in vestra parochia ordinatum, de Italia veuit ad nos Moguntiam, novas superstitiones et noxiam doctrinam de prædestinatione Dei introduceus, et populos in errorem mittens: dicens quod prædestinatio Dei, sicut in bono, sit ita et in malo: et tales sint in hoc mundo quidam, qui propter prædestinationem Dei, quæ eos cogat in mortem ire, non possint ab errore et peccato se corrigere; quasi Deus eos fecisset ab initio incorrigibiles esse, et pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in synodo apud Moguntiam habita ab eo audientes, et incorrigibilem eum reperientes, annuente atque jubente piissimo rege nostro Ludovico, decrevimus eum cum perniciosa sua doctrina damnatum mittere ad vos, quatenus eum recludatis in vestra parochia, unde primum inordinate recessit: et non sinatis eum amplius errorem docere, et seducere populum Christianum: quia jam multos, ut audivi, seductos habet, et minus devotos erga suam salutem, qui dicunt: Qui mihi proderit laborare in servitio Dei? quia si prædestinatus sum ad mortem, nunquam illam evadam: si autem male egero, et prædestinatus sum ad vitam, sine ulla dubitatione ad æternam requiem vado. Hæc ergo pauca vobis scripsimus, intimantes qualem ejus doctrinam reperimus. Vos etiam valebitis de ore ejus quod sentit plenius audire, et quid inde agendum sit, juste decernere. Dominus omnipotens sanctitatem vestram bene valentem, et pro nobis orantem, in æternum conservare dignetur.

A

B

EPISTOLA IX.

AD HUMBERTUM EPISCOPUM

Quota generatione licitum sit connubium.

(Vide supra, tom. IV, col. 1083.)

B. RABANI

GLOSSÆ LATINO-BARBARICÆ DE PARTIBUS HUMANI CORPORIS.

WALAFRIDUS STRABUS MAURI DISCIPULUS.

Sic homo consistit, sic corporis illius artus
Expositos Mauro Strabus monstrante tenebo.

Homo ab humo dictus est.

Anima a ventis nomen traxit: unde et Græce ἄνεμος ventus dicitur, quod ore trahit aerem homo.

Corpus a corruptione dicitur.

Caput a capiendo, eo quod omnes sensus corporis capiat, et quod prima pars corporis sit.

Vertex, scheitila, nuilla.

Occipitium, hail ancha.

Capilli, loccha fahs.

Cæsaries, gischoram fahs.

Comæ, ungischoran fahs.

Crines proprie mulierum dicuntur, eo quod vittis discriminantur.

Tempora, thunuuengiu.

Facies dicta ab effigie: ibi est enim tota figura hominis et uniuscujusque personæ agnitio.

Vultus vero dictus eo quod per eum voluntas animi ostenditur.

Frons, endi: a foraminibus oculorum dicitur *frontispicium*.

Oculi dicti quasi ocior lux, quod cito lucem capiant.

Pupilla, seha, medius punctus oculi

Circulus vero quo a pupilla albæ partes oculi separantur. Discreta nigredine *corona* dicitur.

Palpebræ sunt sinus oculorum a palpatione dictæ augbrauua.

Cilia, id est tegmina, quibus operiuntur oculi, et dicta quod celent oculos.

Supercilia, id est windbrauua

C

Genæ, inferiores partes oculorum, hiuflon.

Malæ, id est bracchom: sic et *maxillæ* inde diminutive dicuntur.

Aures ab hauriendo dictæ sunt, quia vocem hauriunt.

Pinnula, summa pars auris.

Nares, nasa. Narium recta pars *columna* vocatur: extremitas ejus *pirula* vocatur a forma pomi piri: quæ vero dextra lævaque sunt, *pinnulæ* dicuntur; medium autem *interfinium* dicitur.

Os, id est mund, quasi ostium dicitur, quia ibi ingrediuntur cibi, egrediuntur sermones.

Labra virorum dicuntur, *labia* mulierum.

Lingua a lingendo, sicut labia a lambendo dicuntur.

D

Dentes, ceni: quorum primi *præcisores* dicuntur, quia præcidunt cibos; sequentes *canini* vocantur, quia sicut canes cum eis ossa confringunt, ita et homo quæ non possunt priores præcidere illis tradit ut confringant: ultimi sunt *morales*, chinni ceu. Dentium numerum discernit qualitas sexus: nam in viris plures, in feminis sunt pauciores.

Gingivæ, id est bilorna.

Palatus, giumo sive huruuua.

Fauces, a fundendis vocibus nominatæ.

Arteriæ, id est weisunt.

Gurgulio, querca, chela, a gutture nomen traxit, cujus meatus ad os et nares contenditur.

Pumen [Forte, *Rumen*], proximum gurgulioni, quo

Digitized by Google

cibus et potio devoratur, *sublinguium* est, id est hracho.

Mentum, Chinni.

Collum, hals, cujus anterior pars *chela* dicitur, posterior *cervix*.

Humeri, scultyrra.

Cubitum, helina.

Ulnæ secundum quosdam utriusque manus extensio est, secundum alios cubitum.

Brachium, arm.

Lacerti, musi.

Ascilla, oahchasa.

Palma, manus extensa.

Ir, medietas palmæ spissior.

Primus digitus *pollex* est; secundus, *index* sive *demonstratorius*; tertius, *pudicus* sive *medius*; quartus, *annularis* sive *medicus*; quintus, *auricularis*.

Ungula, nagal.

Mamillæ, prusti.

Papillæ, capita mammarum.

Pectus, sub quo firmitas est hominis.

Cutis, pars exterior corporis, sicut et *pellis*.

Arvina, est pinguedo cuti adhærens.

Pulpa, caro est sine pinguedine dicta.

Membra sunt partes corporis.

Artus, quibus colligantur.

Vertibulæ sunt summæ ossium partes.

Cartilagines, mollia et sine medulla, quod genus auriculæ et narium discrimen et costarum extremitates habent.

Costæ, ribbi.

Latus, sita.

Scapula, ah sala.

Dorsum vel *terga*, posterior pars corporis a cervice usque renes.

Spina est junctura dorsi, acta eo quod habeat radiculos acutos et juncturas costarum in se: ferturque per eam pars cerebri longo tractu: hæc et *sacra spina* dicitur, quoniam primum infante concepto nascitur, ideoque et hostia id primum a gentibus diis suis dabatur.

Viscera, hinnuouili.

Cor, a cura dictum.

Pulmon, lungun.

Venæ, dictæ quia viæ sunt natantis sanguinis.

Jecor, lebera.

Fibræ, jecoris sunt extremitates.

Splen, id est miltzi.

Fel, id est galla.

Stomachus, id est mago.

Intestina, id est tharma.

Omentum, membranum quod continet intestinorum majorum partem.

Venter, id est huuanba, et *alvus* et *uterus* inter se differunt. *Venter* est qui acceptos cibos digerit et apparet extrinsecus. *Alvus* est qui cibum recipit et purgari solet. *Uterum* solæ mulieres habent, in quibus concipiunt infantes.

Aquilicus, pinguedo ventris quod deforis est.

Matrix; est locus uteri quo fetus gignitur.

Vesica, blatra.

Renes, lendibraton.

Lumbi, lendin.

Umbilicus, nabulo.

Ilia, lancha.

Clunes vel *coxæ*, hufphi.

Anus, arsloch.

Nates, arsbelli.

Extales, crozdarm.

Genitalia, corporis partes quæ nomen gignendæ sobolis acceperunt. Hæc et *pudenda* a verecundia sive a pube, unde et indumento operiuntur. Dicuntur autem ista et *inhonesta*, quia non habent speciem decoris, sicut cætera membra. Idem et *veretrum*, quia viri est tantum, vel quia ex eo virus emittitur.

Testiculi, bodon, qui semen vecti infundunt.

Viscus, est pellis in quo testiculi sunt positi.

Femora, deon, quorum interiores partes *ferinæ* vocantur.

Genua, chniu.

Crura, bein.

Suræ, wadon.

Medulla, mare.

Tali, id est ancli, de quibus caligæ nocturnales *subtalares* vocantur, quia sub talis sunt.

Pes, phuoz.

Plantæ sunt anteriores pedis partes, quæ de multis ossibus constant.

Calcis, prima pars plantæ inferior pede qua terram calcamus.

Calcaneum, inferior pars pedis, dictum quia vestigia terræ imprimimus.

Nomina mensium secundum Theodiscam.

Januarius,	Vuintarmanoth.
Februarius,	Hornung.
Martius,	Lengizinmanoth.
Aprilis,	Ostarmanoth.
Maius,	Vunnimanoth.
Junius,	Bracmanoth.
Julius,	Heuuimanoth
Augustus,	Aranmanoth.
September,	Vuitumanoth.
October,	Vuindunmanoth.
November,	Heriuistmanoth.
December,	Heilugmanoth.

Nomina ventorum secundum Theodiscam.

Subsolanus,	Ostroniuuint.
Eurus,	Ostsundroni.
Euroauster,	Suntostroni.
Auster,	Sundroni.
Austerafricus,	Sunduuestroni.
Africus,	Vuestsundroni.
Zephyrus,	Vuestroni.
Chorus,	Vuestnordroni.
Circius,	Nortuuestroni.
Septentrio,	Nordroni.
Aquilo,	Nortostroni.
Vulturnus,	Ostnordroni.

Digitized by Google

B. RABANI DE INVENTIONE LINGUARUM

Ab Hebræa usque ad Theodiscam, et notis antiquis.

Primo omnium litteræ Hebraicæ linguæ a Moyse inventæ sunt, et ab Esdra post illorum captivitatem et reversionem eorum renovatæ sunt : quarum elementa figurarum subtus, ut invenire quivimus, adnotata habemus, earumque summa viginti duarum constat litterarum.

thet eth zai uau he deleth gimel beth aleph



phe ain samec nun mem lamech caph ioth



thau sin res cof sade



Litteras vero Græcas in primis Cadmus Agenoris filius, a Phœnice veniens, in Græciam nonnullas attulit: post quem aliquantas alii adjecerunt, quæque ad numeros faciendos habiles habentur; earumque litterarum cum quibus scribi potest summa ad viginti quatuor pervenit. Cæteri characteres tres adjuncti sunt, ut ad millenarium numerum perveniri possit.

nota num.

alfa beta gamma delta e episimon. zeta etha longa theta



I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX.

nota num.

iota kappa lauta moy noy xi o vellu brevis pi cofe ro



X. XX. XXX. XL. L. LX. LXX. LXXX. XC. C.

simma tau oy phi chi psi o longa nota cancroso



CC. CCC. CD. D. DC. DCC. DCCC. CM. M.

Latinas namque litteras Carmentis nympha, Evandri mater, quæ alio nomine Nicostrata dicebatur, invenit et in Italiam eas prima attulit, et postmodum Græcas litteras tres adjecerunt Latini propter necessitatem : quia nonnulla verba necesse habuerunt, sicut in Græcis habentur, loqui, ut est XPS, Ymnus, ac Zelus, et reliqua : et eas cum summa cautela decrevi vobis conscribere.

a be ce de e ef ge ha i ka el em en o pe qu er es te u ix oy zeta

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Litteras etiam Æthici philosophi cosmographi natione Scythica, nobili prosapia, invenimus, quas venerabilis Hieronymus presbyter ad nos usque cum suis dictis explanando perduxit, quia magnifice ipsius scientiam atque industriam duxit; ideo et ejus litteras maluit promulgare. Si in istis adhuc litteris fallimur, et in aliquibus vitium agemus, vos emendate.

alamon. becha. chatu. delfoi. effothu. fonethu. garfou. heimu



iositu. kaitu. lehtfu. malathi. nabalech. ozechi. chorizech. phitiriu. salathi. intalech.



theotimos. agathot. req. yrchoim. zeta.



Digitized by Google

Litteras quippe quibus utuntur Marcomanni, quos nos Nordmannos vocamus, infra scriptas habemus : a quibus originem, qui Theodiscam loquuntur linguam, trahunt. Cum quibus carmina sua incantationesque ac divinationes significare procurant qui adhuc paganis ritibus involvuntur.

asc. birith. chen. thorn. ech. fech. gibu. hagalc. his. gilc. lagu. man.



not. othil. perc. chon. rehir. sugil. tac. hur. halach. huyri. ziu.



AUG. Augustus. BM. bonæ memoriæ. DM. domus mortui. EPM. epistolam misit. FR. forum. GCS. Gaius Cæsar. IMP. Imperator ꝟ. kalendas. IAN. Ianuarias. MCS. Marcus Cæsar. NC. Nero Cæsar. OOP. Oppidum. PRS. præses. ꝺT. Quintinus. ꝶ Rex. SN. Senatus. TIB. Tiberius. VAL. Valerius. ✠. Xynodus. ꝎMN. Ymnus. ZEN.

Istiusmodi genus descriptionis Notæ Cæsaris appellatur, quod cum litteris, quæ antiqua manus appellatur, perficitur : cum quis Romanorum in ædificiis, parietibus, vel in turribus, aut in monumentis saxeis ob memoriam sui suorumque aliquid litteris commendare scalpendo curaverat, eas cum punctis et titulis obligabat, ne statim quis ignarus legere posset, ut supra in paucis ostensum est.

A E I O V.

·NC·P·TV⁝ RS:·:SB: : N·F:C·· ⁝R·CH·

ꝯL: :R·: : S·ꝯ: : :M: RT·R·S·

Genus vero hujus descriptionis tam quod supra cum punctis V et vocalibus, quam subtus cum aliis vocalibus quam solitum est, informatum continetur, fertur quod sanctus Bonifacius archiepiscopus ac martyr, ab Angulsaxis veniens, hoc antecessoribus nostris demonstrarit : quod tamen non ab illo in primis cœptum est, sed ab antiquis istiusmodi usum crevisse comperimus.

B. F. K. P. X.

KBRXS. XPP. FPRTKS. TKRP. KNSBR. SBFFKRP. BRCHKTFNENS. SCFPTRP. RFGNK. XTDFCXS BXPF. FELICITER. A.

Litteræ enim monogrammæ scriptæ nonnullis in locis inveniuntur, ubi pictura cum museo in pariete imaginis aut in velis, vel alicubi aliter facta fuerit, ibi eorum nomina cum congerie litterarum, unum characterem pictores facere soliti sunt, quod monogramma dicitur : quorum significatio subtus per pauca adnotata monstratur.

Do- minus. San- cta. Ma- ria. San- ctus.



Jo- hannes. Phi- lippus. Tho- mas. Mat- theus.



Pe- trus. Pau- lus. An- dreas. Ja- cobus.



Digitized by Google



[a] FRAGMENTUM GLOSSARII LATINO THEOTISCI RABANO ASCRIPTI.

(Apud Lambecium, Biblioth. Vindob.)

In nomine Dei summi incipiunt Glossæ RABANI MAURI.

A		Verborum,	worto.
		Ex novo,	fona deru niuuon.
Inchoant,	pikinnant.	Et vetere,	anti, deru altun.
Congregationes,	samanunga.	Testamento,	euu [b].

[a] De hoc fragmento Lambecius : Rabanus Maurus, inquit, Glossarium scripsit Latino-Theotiscum in tota Biblia sacra Veteris et Novi Testamenti, hactenus ineditum. Titulus et principium hic exhibentur.

[b] *Euu* sive *ew*, ex Latino *ævum*; pro quo etiam in nonnullis antiquis codicibus mss. Germanicis legitur E absque *w* sive duplici *u*. Hic autem *ævum* ponitur pro tempore ante et post Christum.

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

OPERUM OMNIUM ULTIMA PARS.

CARMINA

Studio CHRISTOPHORI BROWERI *primum in lucem edita et scholiis illustrata* [a].

CHRISTOPHORUS BROWERUS LECTORI.

En tibi, amice Lector, Rabani versus ex vespillonum manibus extorti, quos et probato ex pervetusto ms., cujus tamen possessor latere voluit, renatos, tanquam a Libitina vel inferis reducere et domino suo restituere visum est. Libri membranacei, sed male excepti, inscriptio erat : *Versus Hrabani de diversis XIV. ord. XIX.* Quæ manifesta velut σημεῖα κλοπῆς et compilatæ bibliothecæ indicia. Interim rogatis undique ad hæc mutila poemata sananda auxiliis, exigua ab eruditis adhuc spes affulsit. Unde licet in præsentia, juxta Catonis dictum, exhibere nequeam *quod neque aceat neque muceat*, in triduo proximo tamen, ut ille loquitur, Viri boni arbitratu, Rabani pietatem et sapientiam ceu vinum, degustes licebit. Vale et fruere.

SECTIO PRIMA. — CARMINA DE DIVERSIS.

I. — [a] AD PASCHALEM ET GREGORIUM, PONTIFICES MAXIMOS.

De laudibus sanctæ crucis.

(Vide carmen nuncupatorium libro de Laudibus sanctæ crucis præmissum, hujus editionis tom. I, col. 103.)

II. — AD GERFRIDUM EPISCOPUM.

Sit longævus amor, sis sospes tempore multo,
Cum Christo regnans tempore perpetuo.
Hoc Raban vilis Gerfredo poscit ubique,
Exaudi, Christe, tu sine fine vale.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] PRÆFATIO.

Rabani plura exstare ingenii monumenta oratione numerosa conscripta, quam quæ vulgo innotuerint, versus quos in lucem damus, argumento sint. Atque illi quidem integri ad manus nostras utinam pervenissent! Jam enim non solum multi ex hoc numero, sed epici plurimi quoque desiderantur, quos de Ludovici Pii liberorum, Lotharii, Caroli, Ludovici rebus gestis carmine heroico ab eo conscriptos aiunt oblitescere et clausos teneri bibliothecarum carceribus; quo levius præsentium jactura nobis ferenda quidem est. Asper in his quæ damus, fateor, et agrestis ac illex numerorum cantus, et qui ca-

Digitized by Google

III. — ORATIO MAURI AD DEUM.

Omnipotens genitor, qui rerum es maximus auctor,
Nate coæqualis, Spiritus atque Dei.
A Unus natura, personis trinus et ipse,
Vivificans cuncta, vita beata Deus:
Respice me miserum, flenti et miseratus adesto,

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI

noris Latialium cygnis moleste etiam obstrepat. Sed memineris velim id temporis vixisse Rabanum quo cum neque teneretur quibus legibus apte sonarent metra, neque curaretur quibus verbis sententiisque vestirentur, abunde creditum est servitum arti, dum intelligeretur quid dicerent : lausque ingeniorum fuit prima, sapientiæ studiis non remissis, intermicans vitæ integritas et morum innocentia.

SCHOLIORUM HORUM RATIO.

Arcta hinc nobis via sæpius incedendum, quod in tenebris illius ætatis facile prospectus adimatur, et hominum rerumque memoria, quibus tituli poematum serviunt, aut obscurata sit aut certe vehementer implicata. Cæterum recondita non ita sunt poetæ nostri sensu, quin sine nobis perspici et a quolibet intelligi queant. Itaque pressius et parcius scholia, more veterum dabimus, cum jam nobis haud liceat esse tam disertis, qui musas colimus severiores.

Ad Paschalem papam. Paschalis, clari nominis et egregius munificentia pontifex, septennium ab anno 817 sedit, et Lotharium, Ludovici Pii filium, diademate ornavit. Mature igitur Rabanus carmina ludere exorsus, primæ suæ paginæ vindicem Paschalem assumpsit.

Ad Gregorium, etc. Hic Gregorius IV est, cujus pontificatui initium dant ad annum Christi 842. Baronium haud piguit Gregorio laudem astruere ex hoc poemate, quod acrostichide de S. crucis laudibus Rabanus elaboravit ; eumque præconio suo ceu fulgens exortum Germaniæ sidus attollere. Libri illius Gregorio paratum quidem munus, at non oblatum per impedimentum, pronuntiant. Ego, ut titulus hic præit, et missum et in Gregorio apostolorum principi oblatum, facile credo : quid enim obstet eumdem librum, pluribus descriptum exemplaribus, et avide tunc expetitum, Gregorio ac successori Sergio pontifici pariter missum inscriptumque. Retineant itaque fidem suam Pithœani seu Fuldenses Annales, quorum Strabum nonnulli auctorem faciunt, ad annum 844 : « Rabanus sophista, et sui temporis poeta nulli secundus, librum quem de laude sanctæ crucis Christi, figurarum varietate distinctum, difficili et mirando poemate composuit, per Aserichum et Theodbertum, monachos monasterii Fuldensis, Sergio papæ sancto Petro offerendum transmisit. » Poematii hujus titulus Wimphelingiano exemplari, ante annos centum edito, præscribitur : *Commendatio papæ*. Neque agnoscit ms. hic noster epigraphum mediam ante versum : *Præsul amate Deo*, « Offert munus pontifici. »

Bella movent gentes, etc. Anastasius Bibliothecarius : « Hujus (Gregorii) sanctissimi Patris temporibus, impia atque nefaria, et Deo odibilis Agarenorum (sive Saracenorum) gens, a finibus suis consurgens, pene in omnes insulas et omnium regiones terrarum circumiens, deprædationes hominum et locorum desolationes atrociter faciebat. » His malis associata per Gallias civilia, ne dicam parricidalia, liberorum regum in Ludovicum parentem odia bellaque.

Quæ Christi ad laudem, etc. Operis argumentum : Vindicatio humanæ salutis ; finis : Christi gloria, quo referuntur omnia. Scriptionis genus recondita in arte, et multiplici subtilique litterarum ceu numerorum sparsione, olim a Sibyllis, Psalte regio aliisque prophetis usurpatum. Jam etiam religionis nostræ arcana sic animis optime videmus effingi, ut cum ab aspectus judicio remotissima sint, imaginibus tamen, figuris et conformatione quadam rudibus offerantur, et facillime notentur, ita ut occurrere, celeriterque sensus intimos percutere, et ad pietatem permovere possint. Quare de omnibus temere usurpes.

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

Quando autem Rabanus incœperit litterulas spargere, Porphyrii exemplo, in Moguntiacis suis inquirit Serarius : verum explorati vix quidquam ab illo constitui potuit. Ad Gregorium scribens, prisco tempore hæc ab se lusitata testatur. Sedit Gregorius sedecim annis, et pervenit ad Christi annum 843. Trithemius in Hirsaugiensi chronico et alii eum secuti, Rabanum cessisse Fuldensis monasterii gubernatione tradunt anno 842. Alii quoque vetustiores, in quibus Lambertus, immitius actum cum illo et expulsum meminerunt eodem anno. Inde in Ludovici Germaniæ regis, aut Ludovici Pii imperatoris gratiam et patrocinium confugisse, id quod in ecclesiasticorum Scriptorum indice clarius exprimitur. At Ludovicus imperator vita excessit anno 840 ; et ex Lupi Ferrariensis epistolis docuit Cæsar Baronius Rabanum ultro, otii et quietis studio, gubernaculis excessisse, anno 838 : quippe Lupum epistola 40 scribere sarcinam administrationis deposuisse, quo rebus divinis impensius vacaret. Observavimus alias Rabanum Ludovici Pii arcanis operam dedisse, sive id factum consiliis, sive conscientiæ tractandis officiis. Annus quo abdicavit, pontificatus Gregorii fuit undecimus, Ludovici imperatoris vicesimus quintus, quo circiter tempore opus hoc acrostichidum in Urbem venisse putamus. Sed quot jam retro annis opus de S. cruce inchoarit, haud æque facilem habet dijudicationem. Ponamus viginti, ut ad 817 veniamus, quo jam tricesimum ætatis annum agebat ipse : nam sex impleverat lustra, cum litterales figuras eas contexuit. Summa igitur reliqua hæc esto. Creatus abbas Rabanus, in Haistulphi locum, anno Domini 822, ætatis suæ trigesimo quinto, præfuit viginti quatuor, aut, ut Rudulphus in Actis ejus meminit, viginti annis, ita ut post secessum in monte S. Petri expletum, cathedram Moguntiacensem adierit anno 847, in qua sedit annis novem. Vixit igitur annos circiter sexaginta tres.

Versus Mauri, etc. Errorem late pertinentem abstergit horum versuum titulus. Imposuit lectori vulgata inscriptio : *Intercessio Albini pro Mauro*. Hinc duplex peccatum, et eorum qui poema hoc Albino tribuunt, quos in Antiquitatibus Fuldensibus libro primo secuti sumus ; et aliorum qui pontifici Gregorio inscriptum volunt : nam pater carminis ipse Maurus Rabanus, sed assumpta persona Albini, et patronus quem invocat sanctus Martinus. Civitas, ad quam libri exemplar dono transmittit, Turonum est, apud quos monasterium et gymnasium exstitit celebre ; in quo Albinus doctor et Rabanus discipulus ejus vixere.

Abbas namque suus, etc. Planissimus hujus distichi sensus, in quo frustra explicando fuere, qui ad Gregorium pontificem subtiliter transtulere sententiam. Abbas enim qui eum direxit, Ratgarius fuit ; Pater cujus ad tecta missus, S. Martinus, cui Turones omnia debent.

Quo mecum legeret, etc. Cum aliquo legere, sermonis genus ex usu vernaculo tractum, scite notavit in Moguntiacis Serarius. Usurpavit alibi Rabanus de discipulis suis. Alcuinus de Ludgero. Et notanda vetus scholarum consuetudo, cum grammatici juxta ac rhetores, teste Fabio, prælectione docebant.

Qui typicos numeros, etc. Exemplo scilicet meli-

Digitized by Google

Qui graviter peccans æger in orbe dego.
Eripe me his, invicte, malis, procul omnia pelle,
Quæ mentem et corpus crimina dira tenent :
Nam vitam variis macularum erroribus omnem,
Atque tuam legem spernere non timui.
Lingua, mente, manu commisi noxia multa,
Textus Evangelii quæque vetare solet.
Et quid tunc volui deceptus fraude maligni,
Quemve sequebar amens, decipulam hostis amans.
Ac miser inferni redolentia sulphure stagna,
Ignem cum verme, perpete cum gemitu,
Elegi amare magis quam dulcia gaudia cœli,
Thuriferos campos quam, paradise, tuos.
Heu miser, heu demens, ubi nunc tua vita periret,
Quosve dares gemitus tortus in igne dire!
Ni Deus immensæ bonitatis, verus amator
Humanæ formæ, retraheret miserans.
Fit quoque quod dudum Psalmista ast voce canebat,
Cum stupuit mirans dona superna Dei.
Ni foret adjutor Dominus, jam infernus haberet,
Sontem trux animam, et cruciaret eam.
Nunc, Deus alme, tuum famulum pietate sueta,
Conversum recipe, quem dolor excruciat.
Sana contritum, flentem solabere mœstum,
Indulgens, quæso, crimina cuncta tuo.
Da mihi spem veniæ, fac corda merentia læta,
Commutans lacerum, jam facias placidum.
Daque fidem plenam, da spem, da pignus amoris,
Mandataque tua corde manuque geram.
Strinxi me voto, comple hoc pius arbiter orbis,
Natura fragilis quod celerare nequit.
Sitque opus omne tuum, quodcunque expendis
Sit tibi laus soli, gloria sitque tua. [alumno,
Cum velis vitæ finem, finemque laboris
Imponere, servo tunc miserere tuo.
Ne occursus sævus noceat, ne Tartarus ardens,
Missus sed lucis ducat ad astra poli :
Dum judex venias meritorum jura rependens,
Justifices servum tunc, precor, ipse tuum.
A In dextra ponens, cum justis præmia reddens,
Cernam quod vultum lucis in arce tuum.
Te, bone Jesu, precor, Rector, Salvator et Auctor,
Quidquid protuleram rite loquendo prece hic.
Suscipias miserans famulum clementer, et audi,
Ardua poscenti des quoque regna poli.
Portio sim plebis, laudes et in ordine cantem,
Sanctorum gratulans cantica grata tibi.
Gloria magna Deo, semper tibi gloria, Christe,
Amen, in æternum gloria magna Deo.

IV. — VERSUS AD AMICUM.

Salve, fidus amor, felix dilectio, salve,
Sospes in orbe mane, sospes in ore mone.
Carmina nempe tua dico meliora Maronis
B Carminibus, celsi cantibus Ovidii :
Odis quas cecinit Flaccus, verbosus Homeru,
[a] Corduba quem genuit, Africa quem tenuit.
Hi quia protulerant pomposis falsa Camœnis,
Rite tabescentes morsibus invidiæ.
Tu devota piis connectis vincula verbis,
Decantans placide pectora amica notans.
Hoc rogo noster amor faciat, rogo versibus, oro,
Quod nostris scriptis sedulus ardor eat.
Sermo decorus ovet, servetur regula dictis,
Nexibus et certis versus in arte meet.
Sic tua tunc sobrio decoratur fistula cantu,
Laudaturque modo jure poeta bono.
Det tibi summa Patris sermonem lingua loquela,
Christus in arce Deus, Rector in orbe pius.
C Spiritus atque suus faciat tibi corda benigna,
Mentibus ac verbis ut Domino placeas.
Hæc tibi nunc breviter festinus calle viator,
Scribere compulerat, tu sine fine vale.

V. — [b] AD BATURICUM EPISCOPUM RATISBONENSEM, *Ex persona* [c] *Isanberti.*

Vade libens, charta, pro me transire juberis,
Ipsa salutatum domata Patris adi.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

corum veterum, tum illius qui in psalterio suo decachordo Simonides noster, Pindarus et Alcæus, Christum lyra personans, litteris ad versuum capita numeros sæpe concinnat (*Psalm.* VII, XXIV, XXXIII, XXXVI, CX, CXI, CXLIV, CXVIII) ; tum alterius qui urbis excidium et populi sui captivitatem lamentis prosequens, in Threnis quadruplex diversis metris nectit alphabetum. Quid Erythræam vel Cumanam Sibyllam memorem, quæ ante tot sæculorum ætates, ut est apud beatum Augustinum de Civitate lib. XVIII, c. 23, tam diserte Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς Σωτήρ, capitibus versuum expressit? unaque *Piscem*, ἰχθύν, notabili mysterio verbis iis implicuit. Taceo jam Sedulium in hymno genethliaco, et Fortunatum nostrum, Christianos poetas, hoc genus carminum, non ut inanem περιεργίαν, sed ut priscis usitatum, εὐρυθμίαν, non aspernatos esse.

Et quia se meminit nutritum in domate claro. Domatis hujus vestigia neque Parisiis, ubi Rabanus operam Alcuino dedisse putatur; neque in illius urbis gymnasiorum aliquo est quod perquiras : sed, ut dixi, in monasterio S. Martini Turonensi, ubi Rabanus doctorem Alcuinum discipulus audivit. Parisiis etiam Rabanum vixisse, nedum doctoris ibi vel discipuli munere functum esse, veterum, quod sciam, nemo prodidit, etsi catalogi Fuldensis abbatum vulgati scriptor id asseveret.

Patronus mitis accipe Operis curam, etsi non tanti, iterum commendat sancto Martino, cujus bibliothecam ornari artificis ingenio, precibus et intercessione vitam communiri posse, sperat. D

[a] *Corduba quem genuit*, etc. Aliquem forte vult ex istis quos Martialis laudat συμπατριώτας. Duosque Senecas (patrem rhetorem, filium philosophum) unicumque Lucanum

Facunda loquitur Corduba...

Sed neminem ex his, ut mea mens, Africa tenuit : quisquis igitur ille, si diversum notat, adhuc latet. Plures enim Africa tenuit : P. Terentium, comædum; Septimum Severum, Tertullianum, Terentianum Maurum.

[b] Baturicus, qui Teudisca vernacula *Baturich*, quod cum Rabano interpretamur, *emolumentorum dives*.

[c] De Isamberto pianius in epitaphiis, qui presbyter et monachus, origine Boius, Fuldæ vixisse videtur, Baturico episcopo ob patriæ consuetudinem familiaris.

Digitized by Google

[a] Urbem Regensem minitantia mœnia cœlo,
Qua fluvius Regan labitur arva rigans.
Illustrem hicque virum Batoricum, quæso, require,
[b] Cui domus et patria Norica tellus ovat.
Hunc ibi si invenias, supplex ei dicito, Salve,
Præsul honeste Dei, plebis et altus honor.
Te celsum humilis monachus, te, sancte sacerdos,
Compellat scriptis, dona superna petens,
Viribus ut corpus vigeat, sapientia mentem
Imbuat, et totus sospes ubique degas.
Grates sponte offert, laudat largissima corda,
Prædicat et dona quæ sibi contuleras.
Altithronum poscit, qui dives regnat ubique,
Mercedem meritis reddat ut ipse tuis.
Accipe, sancte Pater, labiis quod præstat alumnus,
Offert suppliciter quod tibi mente manu.
Nomen namque tuum perpendas, sicque verenter
Officium tractes, quod dedit Omnitenens.
Tu decus es populi, vocitaris episcopus ipse,
Et superintendens, dux eris atque gregis.
Sal terræ, mundi lux accensaque lucerna es,
Urbs firma, et celsi montis in arce sita.
Ducque via populos angusta, et prævius ito,
Vexillum portans primus in arma pete.
Victor victores superando hostilia castra,
Exponis Regi præmia larga metens.
Pastorum summus pastorem constituit te,
Pasce gregem Christi, proximus ecce venit.
A Sic catus et cautus attendis ovilia circum,
Ne lupus irrumpat, ne leo dilaceret.
Nec fur effodiens intrans mactaverit agnum,
Sed Pastor veniens omne pecus habeat.
Judex præcinctus migrans tibi rite ministret,
Et superexaltet omnia dona sua,
Agmina quo læta exsultant, quo Virginis Agnus
Pascit cum toto et grege rite suo.
Huc, huc tu properans festina pergere, pastor,
Hucque tuos tecum insere, sancte Pater :
Sicque tui jure censeris nominis auctor,
Si Batorich pateas ore monendo tuos.
Si Christi regnum cœlorum, si annuis arcem,
Aufers si vitia, si sacra dona dabis.
Hæc quoque pauper inops, quamvis sis summus [honore,
B Misit congesta; accipe mente pia.
Nec spernas vilem, cum gazas gestet in arca,
Mens tibi devota munera grata ferat.
Nominis ergo mei, si ulla te cura momordit,
Nomen Isanbertum me retinere scias.
Tu lapis altaris, tu gemma in stemmate regis,
Tu clavis regni es, limina pande poli.
Tum tibi devotus, salvet te gratia Christi,
Sum tibi mente pius, audit ab arce Deus.
O Pater alme poli, custodi semper amicum,
Hoc peto, Nate Dei, Spiritus atque Dei.
[c] Qui triplex simplex cœlorum sceptra gubernas,
Mundum fine capis, lumen et arce dabis.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

dives, multis commodans utilisque, episcopus fuit Ratisbonensis. Prodiisse ex sancti Wigberti disciplina, et Friteslariæ sub Albuino præsule adolevisse Lupus Servatus, gravis auctor, in sancti Wigberti Vita indicare videtur, qui inter eos monachos illum nominat quibus sancti corporis clam Hersfeldiam transferendi mandata provincia. Reperio et in synodali epistola Rabani Baturatum, ut ibi mendose scribi videtur, interfuisse synodo Magontiacensi, quem Rabanus anno 816 celebravit. Et licet Ratisbonensis Ecclesia Moguntinæ provincialis hodie non sit, metropolitano tamen Franciæ orientalis tunc subjacuit. Illustravit Baturici præsulis memoriam Wiguleius in Salisburgensi Metropoli, qui quartum numerat Ratisbonensis Ecclesiæ episcopum, Adalbini successorem, et ab anno Christi 814, aut biennio serius, viginti octo, vel triginta annis sedisse. S. Emmerani monasterium, qua apud Ludovicum regem Germaniæ, Pii Ludovici filium, eximia fuit gratia et auctoritate, sibi Ecclesiæque asseruit; isque rex illum summum suum capellanum tabulis donationum scripsit; munera ei ad splendorem et incrementum sedis regifica multifariam impertiit, de quibus adi prædictam Metropolin. Illud in Baturici laudibus unum antecellit omnibus quod Christianæ fidei amplectendæ Bohemicæ genti viam munivit, quatuordecim dynastis ab se initiatis, et sancto baptismatis lavacro tinctis.

[a] *Urbem Regensem*, etc. Non urbs in Europa superbior titulis Ratisbona, de qua G. Ligurinus :

Inde Ratisbonæ vetus ex hoc nomen habenti,
Quod bona sit ratibus, vel quod consuevit in illa
Ponere nauta rates. Hac Noricus urbe ducatus
Præcipua gaudet, etc.

Ubi scholiastes : « Inter Danubianas urbes quondam opibus atque potentia celebris, ut quæ imperatorum vires non formidaret. Irenicus, *Hiaspalim*; Aventius, *Augustam Tiberii* fuisse indicat; Petrus Appianus, C *Reginoburgum* : ego a flumine Rego (hic *Regan*), quem illic Danubius excipit, nomen accepisse puto. » Hæc ille. Plura quoque in Thesauro geographico et in Synonymis Ortelius nomina congessit. Quin et pervetus scriptor Vitæ S. Emmerani, Meginfredus (tom. II antiq. Lect.) : « Ratisbonam urbem agnoscit totius Germaniæ et nomine et dignitate principem, et adhuc ejusdem gentis metropolin, et antiquæ prosapiæ caput. » Ubi et scholium, *Germanisheim* a Germanico dictam, et a Romanis *Tiburniam* meminit. Verum limatissimi judicii scriptor (*cl.* vir *Marc. Velserus*), suspensa manu et animo, an Reginoburgium Augusta Tiberii, an Eugyppii Tiburnia, vel Tigurina, in Boicarum III et IV libro, et scholiis in Vitam sancti Severini, disquirit. Quin huc suffragio libero vadit potius ut castra Regina, quorum in libello Notitiæ utriusque imperii mentio, Reginoburgo nomen dederint. Regen quippe fluvium ejus loci in castrorum nomen adoptatum, ut Quintana ab amne Quintanica. Arnolfus in sancti Emmerani miraculis certe Reginum hanc ipsam civitatem appellat, lib. I, c. 5 et alibi. D

[b] *Cui domus et patria Norica tellus ovat.* Scholiastes in Vitam sancti Severini, ubi veteris Norici situm describit, opportune monet posterioribus sæculis barbaros scriptores Norico nomini adjecisse quidquid Bavariæ ditione continetur, testemque citat Paulum Diaconum, libro III, capite 19 : quomodo hic Norici soli Ratisbona, aut, ut Rabanus loquitur, urbs et diœcesis Regensis.

[c] *Qui triplex simplex.* Personas sanctæ Trinitatis postquam tres nominatim invocavit, Deum pronuntiat triplicem : an bona pace theologorum, scholæ viderint. Sanam fuisse mentem Rabano undique liquet, et in oratione sua illico nunc dixit :

Unus natura, personis trinus.

Scio qui tenacius concilio Toletano II inhærent, et

Digitized by Google

Vivat hic sospes, vitam super æthera quærat,
Possideat vitam semper in arce tuam.
Quem videam lætum, lætus simul ipse manendo
In cœlis tecum summus in arce Deus.
Amen, hoc fiat, Osanna fideliter hoc sit,
Poscamus ambo hoc, dulcis amice, vale.

VI. — ORATIO AD DEUM.

O Deus æterne, mundi sanctissime Rector,
Te mea mens ambit, animæque ac vivida virtus,
Laus, amor atque decus, cordis tu lumen honestum,
Membrorum gestum, tu oculorum reddis et usum,
Auribus auditum, manibus opus indis amatum.
Quidquid tellus habet, pontus atque æthera claudunt,
Et quidquid sentit, sapit, est, et vivit ubique.
Omnia nempe tua sapientia condita fulsit
Vivificat, servat, valido et regit omnia nutu,
Fac me, summe pius, toto te corde fateri
Te sermone loqui, te discere dogmate recto,
Quærere te manibus, pura te et mente precari.
Tu via, tu virtus, tu vita et janua vitæ,
Tu merces operis, tu factor, tu quoque doctor.
Da mihi nunc veniam misero, et mea crimina laxa :
Fac me velle bonum, scire actu, et rite probare,
Sicque tuum lætum tribuas tunc cernere vultum,
Perpetuo, et vera me gaudia carpere fructu.

VII. — AD [a] PRÆCLARUM EPISCOPUM.

Antistes Domini meritis in sæcula viveus,
Doctor in orbe pius, magnus amor populis.
Nomine Præclarus, præclarus et arte magister,
Clarus et imperio, clarus et officio.
Sanctus apostolica præfulgens mente sacerdos,
Gaudia qui Christi de grege pastor habes.
Justitiæ cultor, sanctæ et pietatis amator,
Firmus in officiis, verus in eloquiis.
Tu decus Ecclesiæ, plebis laus, gloria cleri,
Exemplum vitæ, forma salutis ope.
Sal terræ, seu lux mundi, atque urbs inclyta Christi
Æterni Regis stemmate gemma nitens.
Te Deus æternus multis feliciter annis
Concedat sacrum multiplicare gregem.
Vestra valet cœlum reserare et claudere lingua,
A In terris positus claviger ætherius.
Te accendit Christus, posuitque in plebe lucernam,
Omnibus ut niteas dogmate, pace, fide.
Pande viam cunctis per dogmata sacra salutis,
Ut sis perpetuæ lucis iter populo.
Tempora sunt hujus vitæ nunc plena periclis,
Nunc ruit orbis honor, deficit ipse simul.
Quæ ventura Deus prædixit sanctus in orbem,
Sæpius adveniunt signa tremenda nimis.
Frondea nunc ficus flores e cortice mittit,
Æstivos signans accelerare dies.
Sic hæc signa diem Domini testantur adesse,
Qua pius et justus Rex Deus adveniet.
Eripe sancte piis monitis precibusque sacratis,
Commissum tibimet pastor ab hoste gregem
B Illius est studium, cum pergit ovilia circum
Ut mactet, perdat, dissipet ac noceat.
Nempe tuus nisus semper sit de grege Christi,
Illæsum ut serves, consociansque juves.
Ille tumens cecidit celsa de sede superbus,
Tu humilis scande regna superna poli.
Ille ima suadet, at tu cœlestia semper,
Plenus et ille dolo, tuque amore Dei.
Hoc opus antiqui Patres fecere per orbem,
Quorum dicta modo pagina sacra canit.
Et virtutis honor lato celebratur in orbe
Cœlestis quorum nomina charta tenet.
Hoc opus, hoc studium magni est pastoris in orbe,
Nempe talenta sibi multiplicare data.
Nam judex vigilat hominum super acta supernus,
C Ut cunctos propriis judicet ex meritis.
Flammivoma veniet Dominus cum nube coruscans,
Actaque cum verbis discutiet hominum.
Tunc famulus sumet meritorum dona fidelis,
Lætus et intrabit gaudia summa Dei.
Ut tunc esse bonis felix merearis in istis,
Nunc durus tibi sit nullus in orbe labor.
Est rudis hic populus, est durus, quem regis ipse,
Sed miserante pio mitis erit Domino.
Mitia tradantur primo præcepta salutis,
Mentibus ignaris in novitate fidei.
Ut tener in lacte gaudet infantilis ætas,
Fortia sic fortis dicta tenere valet.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

cum S. Augustino, et D. Thoma negant Deum posse dici triplicem, virgulam censoriam hic stringere, et hoc locutionis genus seu improbum notare. Cæterum cum simplex hic Dei natura prædicetur, et omnis excludatur plurium compositio, triplex hic pro trino et personarum ternario licet accipias; quomodo Gabriel noster Vasquez, præstans theologus, nomen *triplex*, cum refertur ad personas, omnino in divinis uti fas esse putat (*Disp.* 131, *ad* 31 *q. D. Thom.* 1 *p.*), recteque Mirandulani versum stro carbone signavit, qui in nomine, quod ad essentiam pertinet, te nere dixit :

Unum in triplici Numine numen habens.

[a] Præclaro episcopo versus dat, monitorios plerosque et parænetieos, invitis Musarum gratiis, et quod de Romanæ eloquentiæ parente quidam dixit :

Musis et Apolline nullo,
D sed rerum tamen pondere, si non poetico genio, victuros. Episcopum autem hunc, dissitum longinqua regione, barbaris populis fidei Christianæ facem prætulisse, indicio versiculi :

Est rudis hic populus, est durus quem regis ipse.

et alter, de amoris mutui fœdere :

Nec mare, nec tellus, montes, nec silva vel alpes,
Huic obstare queunt.

Venit in mentem aliquando ut rarus Latinorum nominum usus in baptismo apud Francos exstitit, sæpe tamen in propriis, sive per lusum, sive per elegantiam et decus, affectatus; ita huic Præclaro, cujus non valde clara alioqui memoria, aliud fuisse nomen proprium; ut beatus Witta et Wittanus Albinus dictus fuit, et Joannes Salisburgensem episcopum Alcuinus Aquilam vocavit.

Digitized by Google

Sit pius et prudens populorum doctor ubique,
Personæ agnoscens quid cui conveniat.
Lacte riget parvos, foveat et pane valentes,
Cum pietate omnes curet, alat, doceat.
Horrida nulla tuam frangat tentatio mentem,
Fixus sed maneas, vincere sicque vales.
Aurum flamma probat, justos tentatio mundat,
Purior utque anima sidera celsa petat.
Hæc est vita viro justo tentatio tota,
Sed patiens tolerat cuncta pro amore Dei.
Quis sine vel miles capiet certamine palmam,
Bella nefanda dabunt præmia magna suis.
Stemmate jam gaudet, belli qui scammate vincit.
Prælia post terræ regnat in arce poli.
Cum Christo ut regnes concedat gratia Christi,
Summe Pater, pastor tempus in omne simul.
Et tua laus maneat, merces et gloria semper,
Cum sanctis cœlo, et sine fine vale.
Sis memor ipse mei, memoret te gratia Christi,
Præsul in æde Dei, sis memor ipse mei.

VIII. — IDEM AD EUMDEM.

Omnibus in horis semper te, sancte sacerdos,
Devotum cernent lumina sancta Dei.
Sit tibi lex Domini dulcis super omnia mella,
Charior atque auri millia multa super.
Mentis præcedant operis nam lumina gressus,
Consilio facias quæque tuis jubeas.
Sis rector placidus, mansuetus, justus ubique,
Exemplum cunctis moribus egregiis.
Quæ culpare soles, hæc tu ne feceris ipse,
Sermoque sit sophiæ conditus atque sale.
Sufficiat rerum dederat tibi quod Deus ipse.
Sat dives est famulus, quique habet Dominum.
Omnia finis edax devastat gaudia mundi,
Pauperum justus regna superna capit.
Qui venturus erit Christus Rex inclytus orbi,
Ut cunctis reddat nam propria merita
Teque tuosque simul superam perducat ad arcem,
Ut vivas lætus regna beata tenens.

IX. — ITEM AD PRÆCLARUM EPISCOPUM.

Perge mea citius Præclaro chartula nostro,
Prospere pacifice nunc ministrante Deo
Et pete Præclari præclara tecta magistri,
Fer sanctam pacem præsulis atque bone.
Pectus amor nostrum penetravit perpete flamma,
Ipse calore novo semper inardet amor.
Nec mare, nec tellus, montes, nec silva, vel alpes
Huic obstare queunt, aut inhibere viam.
Quo minus, alme Pater, semper tua viscera cingat,
Hic amor ac penetret pectus, amate, tuum.
Omnibus est locuples, qui rebus abundat amicis,
Plures quam expediat nullus habere potest.

A Optimus est amicus Christi vestitus amore,
Semper amicus amat, semper amandus erit.
Diligit Omnipotens sophiam nam semper amantem,
Cum sophia gazis omnibus est melior.
Semper amanda quidem est rerum doctrina bona-
Devotus doctor charus erit Domino. [rum,
Non te, non mundum, Christum sed dilige solum,
Nullus te verbis vituperet merito.
Non opibus bona fama datur, sed moribus almis,
Non perdit pietas quæque dabit misero.
Nil oculi prosunt quibus est mens cæca videndi,
Luminis experti devia cæca petunt.
Quanto major eris, tanto moderatior esto,
Omnibus sis æquus, rector ubique pius.
Vive Deo, vita felix, et vive per ævum,
B Vera, beata, bona est vivere vita Deo.
Lætus in æternum Christo sociabere civis,
Ille manet semper, tu quoque semper eris.

X. — IDEM AD PRÆCLARUM.

a Conditor omnipotens, Rector mihi mitis adesto,
Munera da verbi, Conditor omnipotens,
Dicere quod valeam, signent quid prisca figuris,
Quid reseret Christus, dicere quod valeam.
Unicus ipse tuus tecum qui cuncta creavit,
Cuncta modo recreat, Unicus ipse tuus.
Principio Dominus paradisum plantat Eoo.
Ecclesiam format principio Dominus.
Flumina quadrifida paradisi a fronte * manarunt,
De Christo fonte flumina quadrifida.
C Virgine progenitum terra Deus extulit Adam.
Jesum de matre virgine progenitum.
Condidit ex latere, sponsamque viro dedit Evam,
Sic Christo sponsam condidit ex latere.
Mors fera de stipite miserum sibi subdidit orbem,
Nunc prostrata jacet mors fera de stipite.
Invidus ergo necem frater justo intulit olim,
Sic Judas Christo invidus ergo necem.
Terráque per hominem maledicti famina sensit,
Invenit pacem terraque per hominem.
Arca pios revehit, tumidum ne absorbeat æquor,
Ne in mundo pereant, arca pios revehit.
Frater iniquus enim nudum patrem improbe risit,
In cruce pendentem frater iniquus enim
Hostia grata Patris fuerat senis unicus hæres,
D Salvator mundi hostia grata Patris.
Nupsit et ipsa viro insigni nam rite Rebecca,
Ecclesia Christo nupsit et ipsa viro.
Prævenit ecce minor seniorem munere fratrem
Antiquum populum prævenit ecce minor.
Reppulit ille famem Ægypto tunc emptus Ioseph,
Venditus est Jesus, reppulit ille famem.
Repperit in fluvio Pharaonis filia Mosem,
Barbara gens Christum repperit in fluvio.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

a In hoc poemate, typorum in Veteri Testamento quidquid eximium est, egregie in Christo Domino expletum ostendit, serpentino schemate, quo hemistichia, quæ hexametrum inchoant pentametrum finiunt, inconcinno quidem et coacto sæpe numero, sed ingeniosa figurarum et varietate, et apta relatione similitudinis.

Digitized by Google

Agnus ab noste sacer ' redemit in sanguine patres, A
Nosque cruore tulit Agnus ab hoste sacer.
Obruit unda nefas, populo gradiente per æquor,
Nunc totius mundi obruit unda nefas,
Fons Mara dulcis erat, ligni dulcedine mersa,
Sic crucis ex ligno fons Mara dulcis erat.
Murmurat impietas manna veniente refecta,
Panis adest Christus, murmurat impietas.
Post petra protulerat virga bis flumina cæsa,
Et passus Christus post petra protulerat.
Scribitur a Domino tabulis lex prima petrinis,
Nunc tabulis cordis scribitur a Domino.
Lex dedit indicium sontes persolvere pœnas,
Quodve salus veniat, lex dedit indicium.
Scenaque clara Dei in populo constructa priore,
Ecclesia est Christi, scenaque clara Dei.
Hæc quoque candelabrum est septem distincta lu-
cernis,
Quod luceat mundo, hæc quoque candelabrum est.
[a] Arca Dei tegitur nam propitiante tabella,
Ecclesia, et Christo arca Dei tegitur.
Continet hæc tabulas, urnam sceptrumque triumphi,
Cum Christo binas continet hæc tabulas
Victima hic placita est, araque, ille ipse Sacerdos,
Pro mundi offensis victima hic placita est.
Fratribus ipse quidem cunctis præfertur honore
Chrismatis, et dono fratribus ipse quidem.
Virginis hunc thalamus habuit, meretrice negata,
Ecclesiæ sponsæ virginis hunc thalamus.
Ecce duo referunt vectores arbore botrum,
Et populi Christum ecce duo referunt.
Carpitur igne sacro munus votumque priorum,
Seditiosa tribus carpitur igne sacro.
Regna beata Patris legis non contigit hæres,
Jesus dispensat regna beata Patris.
Pellitur atque foras pugnis possessor iniquus,
[b] Cum vitiis zabulus pellitur atque foras.
Destruit arca Dei muros dum circuit urbem,
Sic urbem mundi destruit arca Dei.
Hostis enim mulier perfodit tempora palo,
Et crucis in clavo, hostis enim mulier.
Area vellus habet, madido sed vellere sicca est,
Siccum tota madens area vellus habet.
Hostica castra fugat, lagena, lampade, tristro,
Victor victorum hostica castra fugat.
Vincit honore Dei promisso in munere Jephte
Affectum natæ vincit honore Dei.
Agmina plus moriens stravit hostilia Samson.
Salvator noster agmina plus moriens.
Tu decus omne tuis, qui sternis cæde Goliam,
Qui vincis mundum, tu decus omne tuis.
Fortis et ipse manu, qui conteris ora leonis,
Immanis beluæ fortis et ipse manu.
Rex quoque pacificus construxit mœnia templi,
Ecclesiam Christus Rex quoque pacificus.
Astra petivit ovans vatis quondam aurea curru,
Cuncta super Christus astra petivit ovans.
B Morte propheta refert puerum, quod virga nequivit,
Quod lex non valuit, morte propheta refert.
Ventre foratus enim latuit ut piscis Jonas,
Sic terræ Christus ventre voratus enim.
Dux bonus ille quidem redeunt quo a carcere plebes,
Quo ad vitam justi dux bonus ille quidem.
Maxima dona Dei cuncti cecinere prophetæ,
Implevit Christus maxima dona Dei.
Virgo Deum genuit, verum hominemque Maria,
Nam prægnata Deo Virgo Deum genuit.
Casta virago nitet nullo temerante pudorem,
Post partum Pueri casta virago nitet.
Unicus adveniens complevit vota priorum,
Firmavit nostra unicus adveniens.
Sic homo, qui Deus est, spes dudum optata piorum
C Spes in fine piis, hic homo, qui Deus est.
Gloria cuncta bonis tua fit præsentia, Christe,
Tormentum omne malis, gloria cuncta bonis.
Gloria magna tibi trinus vere et Deus unus,
Conditor omnipotens, gloria magna tibi.

XI. — AD [c] FRIDERICUM EPISCOPUM.

Spiritus alme veni, dulces mihi condere versus,
Dilecto ut præstes mittere dona Patri.
Qui mox ut notus, fidus mihi adhæsit amicus,
Non nostri merito, sed bonitate sua
Spiritus hunc cernens pietatis munere plenum,

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] *Arca Dei tegitur*, etc. Superior arcæ pars, sive operculum, Caphoreth dixerunt Hebræi, a *Caphar*, cui et operiendi et propitiandi notio subjecta : *tabella* hic dicitur, aliis oraculum, propitiatorium, cui maris et feminæ specie cherubini insidebant, se mutuo aspicientes : cujus descriptionem vide apud B. Ariæmontanum, in libro de sacris Fabricis.

[b] *Cum vitiis zabulus*, etc. Zabulus pro diabolo multoties a sanctis Patribus usurpatur, seu κακοβουλία versipellis, malisque consultis vafer, et qualis compositio in ζάθεος, ζάκοτος, ζαγρεύς, in quibus τὸ ζά, Hesychio teste, ἐπιτατικόν est. Animadvertunt tamen alii τὸ ζά idem etiam apud Æoles et Atticos interdum valere quod διά, ut in ζάκορος, quod *ædituus*, Plutarcho διάκορος : et ζαβάλλειν, aut ζιαβάλλειν, pro διαβάλλειν : unde, proclivi originatione, fiat ζάβολος, sive διάβολος. Quo et J. Lipsius, libr. de recta pronuntiatione, c. 16, et Martialis interpres spectavit, quando ad epigram. 43, lib. II, *diætas*, ad hanc formam, Lampridio *zetas* D Æolica dialecto nuncupatas observat : et magnus S. Hieronymi criticaster, cum in cap. VI Epistolæ ad Ephes. iis tradit diabolum, secundum Græcos, *criminatorem* significare, secundum Hebræos κατηγόρους; quia habeat quamdam similitudinem cum zabulo, quod significat κατηγόρουντα, accusat hanc originationem ut violentam, διαιροφτὼ a nobis dictam solum agnoscens, qualem in *zeta* pro *diæta* vulgus usurpat. Sed prius etymon veterum Scriptura potius affirmat, quæ zabulum, quasi a βουλὴ, non zabulum exprimit.

[c] Fridericum episcopum ex humili ad pontificis culminis fastigium ascendisse, nec cathedræ tamen, ubi sederit, meminit. Etymon nominis Germani *Friederich* geminum reddit, ut sit initæ pacis aut fœderis auctor, et violati vindex. Meminit Rudolphus in elencho librorum Rabani, ipsum in Octateuchum commentarios scripsisse, rogatu episcoporum Freeholdi, Fridurichi et Humberti, qui Herbipolensis fuit.

Digitized by Google

Ex humili in celsum extulit ipse locum.
In quo Evangelii sententia vera probata est,
Quæ Salvatoris edita voce manet:
Qui se humilem præbet, sursum exaltabitur ille,
Quique superba petit, pronus in ima cadit.
Sic te, chare Pater, antistes sancte, sacerdos,
Erexit Dominus millia multa super,
Ut verbum fide claro tu famine narres,
Sis via, dux plebis ad sacra regna Dei.
Vos dixit Christus lux mundi, vosque lucernam,
Vos quoque sal terræ, hoc memorare pie.
Luceat en vestra lux ceu sol splendidus orbi,
Fiat opus vestrum gloria magna Deo.
Condat dogma bonum fluitantia corda reorum,
Ne male putrescant nec ea vermis edat.
Nomen posco tuum, videas quid continet ipsum,
Et sic extemplo discere facta potes.
Sic monet ergo pie, resonans, ulciscere pactum,
Quod gemino sensu vertere rite valet.
Fœdus cum vitiis hominum tua ut ultio scindat,
Et Christi pactum firmet ubique pie.
Nam dedit hoc nomen dudum tibi cura parentum,
Baptismum quando sorte tua tuleras.
Nunc quoque valde tibi nomen hic conferat ordo,
Perpendens disce mystica dona Dei.
Nam superintendens pie episcopus ipse vocaris,
Quod monet ut caute omnia semper agas.
Sic, Pater alme, modo facias ut diceris ipse,
Nomine et utroque actio digna tua est.
Solers intendas super omnes pastor honestus,
Pactum et defendat ultio digna Dei,
Sisque memor nostri, precibus insiste sacratis,
Pro tibi devotis semper ubique pie.
Nam precibus Christum pulsamus perpete voto,
Ut tua de cœlis tempora rite regat.
Hoc quoque nos omnes deposcimus ore fideli,
Hoc Friderich semper Raban et ipse peto,
Ut vivas sospes in terris tempore multo,
Et post hæc scandas regna superna poli.
Quod peto, tu facias sacris altaribus astans,
Me ut Christo reddas, sancte Pater, precibus,
Christus rex cœli, terræ Rex, conditor orbis,
Me tecum faciat lucis habere locum.

XII. — AD [a] OTGARIUM ARCHIEPISCOPUM.

Spiritus alme, veni, supera directus ab arce
Ut præstes famulo dona sacrata tuo.
Pectoris arcanum comple, da munera linguæ,
Dilecto ut Patri carmina grata canam.
Quem primum ut vidi, dilexi semper, amavi,
Cui bona hic opto læta et in arce poli.
O Pater, o pastor, cui Christus dona superna
Jam dedit et plebem pascere vice sua
Tu renovator ades patriæ, spes, rector honorque,
A Dulcis amor cunctis, dignus amore Dei.
Pande viam cunctis per dogmata sacra salutis,
Ut sis perpetuæ lucis iter populo.
Tempora sunt hujus vitæ nunc plena periclis
Nunc ruit orbis honor, corruet ipse cito.
Quæ ventura Deus prædixit Christus in orbem,
Sæpius adveniunt signa tremenda nimis.
Gentibus en gentes, regna contraria regnis
Existunt bello, pax perit, hostis ovat,
Fames cum peste cruciant ac fortiter urgent
In terris, populos mors et amara premit.
Sic hæc signa diem Domini testantur adesse,
Qua pius et justus Rex Deus adveniet.
Eripe, sancte, piis monitis precibusque sacratis
Commissum tibimet pastor ab hoste gregem,
B Ne sævus perdat quem verus jure redemit
Filius Alithroni sanguine nempe suo.
En servare jubet rex terræ fœdera certa,
Legemque ac jussa vult retinere sua.
Sic Rex cœlestis mandat divina docere
Præcepta, atque sequi rite sua monita.
Nec sinit humana præponi lance nefanda
Divinis potius, sed superesse cupit:
Jusque poli mavult præcelli et in arce teneri
Mundano juri negotioque simul.
Lex terrena quidem hic in multis utilis exstat,
Sed lex cœlestis sola salubris erit.
In hac vera quidem fulget sapientia tantum,
In qua est laus merces, vita, salus hominum.
Hanc tu præ cunctis opibus gazisque caducis
C Semper amato, Pater, firmiter atque tene.
Hæc te illæsum exaltat, servat, proteget atque,
Et cunctis placitum ipsa satisfaciet.
Qui sequitur Christum, gaudebit in arce superna,
Cum sanctis pariter regna tenendo poli.
Quem peto rite sequens tu ejus vestigia serva,
Semper in hac vita, sic quoque victor eris.
Proteris atque hostes, cœlum penetrabis et ipse,
Liber ovas semper lucis in arce manens.
Quod Deus æternus, mundi mitissimus auctor,
Christus Salvator conferat ipse tibi.
Protegat atque regat longævo tempore sanum,
Virtutum titulis augeat et meritis,
Ut tua multiplici concrescat gloria laude
Cum Domino et sanctis semper in arce poli.
D Sexies en denis cecini has versibus odas,
Summa bona exoptans, sancte Pater, tibimet.
Doctrina ut sis sanus, perfectus moribus atque,
Perfectum Dominum rite sequens famulus.
Vive Deo grate, felix sic vivis in ævum,
Ergo beata bona est vivere vita Deo.
Vita tua valeat sospes, sanctissime pastor,
Semper in æternum vita tua valeat.
Meque juvet precibus orando sceptra superna

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] Quintus hic a sancto Bonifacio Moguntiacensis archiepiscopus de quo in Mogunt. Rerum libro IV, ubi ab anno Domini 826 usque ad 847 sedisse traditur. Consule et Antiquitates Fuldenses. Rabanus, pro amicitia quæ illi cum eximio præsule fuit, non versus hos modo et epitaphium ei scripsit, sed et Commentarium in Sapientiam, atque, ut ad annum 827 tradit Sigibertus, in Ecclesiasticum, dedicavit.

Digitized by Google

Commendans Domino, meque juvet precibus.
Lucis in arce manens, quod tecum gaudia carpam
Æternæ vitæ lucis in arce manens.

XIII. — AD [a] BRUNWARDUM CHOREPISCOPUM

Versibus his paucis liceat mandare salutes
Doctor amate tibi, dulcis amice, vale.
O quem te vocitem, ne controversia constet,
Vulgus ut omne vocat, an aliena petis?
Dicite, Pierides, illum quo nomine dicam,
Carmine quem memoro, oreque mente, manu.
Hoc quoque pollente vultu, hoc ordine sacro,
Nescio, quæ fraus est nominis in capite,
[b] Ultima quem clarum, hunc causat prima nigellum
Syllaba, nec certum res dabit ipsa modum.
Dicunt Pierides, consentit Maurus et ipse,
Nec dissensio, nec nomine fraus latitat.
Te, Deus, ex humili summum exaltavit in orbe,
Ut rector populis sis amor atque decus.
Prima monet, fueras quod nunc es, syllaba laudat
Ultima, lux, speculum, præsul in æde Dei.
Sic reor ut sponsa hymnorum in carmine cantat,
Illi quid virtus, quidque labor tribuat.
Sum nigra, sed pulchra, cœlestis filia regni,
Castrorum utque acies terribilis decore.
Te rogo, teque tui ut factor sis nominis almus,
Utque operi verbum consonet atque fides:
Urbs æterna Dei estis vos et lumina mundi,
Vos Christus statuit castra tuere sua.
Vos fontes vivi, paradisi et flumina sacra;
Doctores populi, laus gregis atque duces,
Sal terræ, lapides pretiosi, in stemmate Christi
Vos mater, frater ipsius atque soror.
A Multiplica ergo pio præcepta talenta labore,
Maxima quod cœlo præmia percipias.
Ne judex veniens thesaurum quærere promptus
Terra defossum turpiter inveniat.
Omnibus exemplum [vitæ] sis normaque recti,
Justitiæ cultor et pietatis amor.
Ebria divina rogo sint præcordia laude,
Impia non Bacchi pocula corda premant.
Sæpius excubiis visites et mœnia Christi,
Pro te quoque tuis ipse precare Deum.
Septies inque die Dominum laudare memento,
Ut Psalmista canit David ab ore Dei.
Hinc tua multiplici concrescit gloria laude,
Cum Christo et sanctis perpes in arce poli.
Sis memor utque mei, testor per sceptra Tonantis.
B Te, Pater et pastor, sis memor ipse mei.
Vive Deo felix, felix et vive per ævum
Cum Christo et sanctis regna beata tenens.

XIV. — AD [c] RATGARIUM ABBATEM SUUM.

Te, Pater alme virum, monachorum atque optime pastor,
Invoco propitium ipse tuus famulus.
Ut tua nunc pietas miserum me exaudiat alma,
Ad te clamantem, rector ubique pius.
Jam mihi concessit bonitas tua discere libros,
Sed me paupertas suffocat ingenii.
Me quia quæcunque docuerunt ore magistri,
Ne vaga mens perdat, cuncta dedi foliis.
Hinc quoque nunc constant glossæ parvique libelli,
C Quos precor indigno reddere præcipias.
Servi quidquid habent, dominorum jure tenetur,
Sic ego quæ scripsi, omnia jure tenes.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

Usus fere hujus ætatis habuit ut chorepiscopus vel coepiscopus idem esset, qui jam nobis vulgo suffraganeus, et episcopi in pontificia functione vicarius. Exempla passim suppetunt, in ipsis quoque Rabani libris. Cæterum Brunwardus, quem præsulem et pastorem laudat Rabanus, Haistulpho aut Otgario Moguntiæ, vel quibus alibi locorum operam dederit, tacetur. Brunwart alioqui celebrem Hersfeldensis monasterii abbatem memorat Lambertus in Chronico suo, ad annum 846, sub quo, ut æqualem Rabani et familiarem noris, ecclesia Hersfeldensis a Rabano dedicata. Et abbates eo tempore chorepiscopi munus gessisse, S. Wigberti et Albuini Fritislariensium exempla docent. Brunwardum igitur hunc haud abnuas episcopi vita in Thuringia pro Otgario excubasse, atque inde amplissimi monasterii gubernacula adeptum esse. Ad hunc Brunwardum scripsisse Hincmarum, Rhemensis Ecclesiæ archiepiscopum, Flodoardus Historiæ suæ lib. III, c. 24, meminit, quando ei possessiones sancti Remigii et colonos commendavit Remensis Ecclesiæ in Thuringia constitutos.

[b] *Ultima..... syllaba.* Lusus est in Brunward dissyllabon, ut olim servorum nomen. Nam *Bruin* Teutonice *fuscum* et *nigellum* sonat. *Ward*, clarum, qui referat in hac idiomatum deflexione, inquiritur. Sed *Wurt* aut *Wurd*, *qui in pretio est*, facilem ad hunc fontem viam aperit. Unde Germanis *ἐνδοξοι* et *εὐγενεῖς*, *clari*, ejusmodi dicuntur *lieb und wardt* per *ἰσοδυναμίαν viri præclari*.

[c] De Ratgario, Fuldensis Ecclesiæ abbate tertio, etsi multa in Antiquitatum Fuldensium libris, nonnulla tamen nunc dabo, beneficio perantiqui ms. indicis abbatum: « Ratgarius in partibus Germaniæ, parentibus nobilibus, natus, susceptus est a S. Sturmione in monasterium Fuldense, et successit Baugulfo in regimine abbatiæ, anno Domini 802 et depositus fuit anno Domini 817. Hic nobiliter rexit monasterium per sexdecim annos, et ut sapiens architectus occidendale templum mira arte et immensa magnitudine alteri copulans, unam fecit ecclesiam. Rabanum et Hattonem Turonis direxit ad Albinum magistrum, gratia liberales discendi artes. Brunonem ad Einardum, variarum artium doctorem peritissimum. Modestum Candidum cum aliis ad D Clementem Scottum, grammaticæ studendi gratia. Sed auro et argento, coronis et lucernis, et omnibus bonis, locum hunc gloriose provexit. Fecit etiam hic venerandus Pater monasterium laudabilis et discretæ mensuræ, in monte cui pretiosus martyr Bonifacius Montem Episcopi nomen indidit; et ab Haistolfo Moguntinensis Ecclesiæ archiepiscopo in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ dedicari fecit, et in introitu claustrali ipsius ecclesiæ ad dextram, senex et plenus dierum honorum, sepulturæ traditus est, cui successit Ægil. » Porro, quod ad Clementem Scotum, si idem is est qui anno 745 a sancto Bonifacio et Zacharia pontifice ob hæresin in synodo Romana damnatus, retrusum in monasterium alicubi resipuisse, et decrepita ætate pœnitentem, dixerim ad grammaticæ canones rosisse ungues digitosque suos. In Rabano hic laudem *rotiæ pauperatis* studium, qui ne quidem ingenii sui fetus nisi antistitis bona pace sibi vindicarit.

Digitized by Google

Nec mihi ea propria petulans hæc vindico scripta,
Defero sed vestro omnia judicio.
Seu mihi hæc tribuas, seu non, tamen Omnipotentis
Divinitas semper det tibi cuncta bona,
Certamenque bonum cursu consummet honesto,
Cum Christo ut maneas semper in arce poli.

XV. — AD EIGILUM [a], DE LIBRO QUEM SCRIPSIT.

Lex pia cumque Dei latum dominans regit orbem,
Quam sanctum est legem scribere namque Dei.
Est pius ille labor, merito cui non valet alter,
Æquiparare manus quem faciat hominis.
Nam digiti scripto lætantur lumina visu,
Mens volvet sensu mystica verba Dei.
Nullum opus exsurgit, quod non annosa vetustas
Expugnet, quod non vertat iniqua dies.
Grammata sola carent fato, mortemque repellunt,
Præterita renovant grammata sola biblis.
Grammata nempe Dei digitus sulcabat in apta
Rupe, suo legem cum dederat populo,
Sunt, fuerant, mundo venient quæ forte futura,
Grammata hæc monstrant famine cuncta suo.

XVI. — ITEM AD EUMDEM.

Presbyter ætate, meritis et presbyter alme
Eigil, te Christus salvet in orbe Deus.
Sis mihi quod posco, quodque opto, hoc esto benignus
Præceptor, Pastor, semper amicus, honor.
Nec me contristant tua corripientia verba
Cum scio quod semper pectora amica tenes.
Verum dico tibi, nec me sententia fallit,
Te unum præ multis corde tenere volo.
Sis mihi semper idem, quia sum tibi semper et idem,
Semper amicus amat, semper amandus erit.
Omnipotens Dominus Regnator summus Olympi,
Omnibus horis te protegat incolumem.
In terris servet, cœli perducat ad arcem,
Me tecum pariter, dulcis amice, vale.

XVII. — AD [b] GERHOHUM PRESBYTERUM.

Clavipotens frater simul homonymusque sagittæ
Parvula hæc liceat carmina ferre tibi,
Quæ rapuit calamus subito dictantis ab ore,
Musaque lassa dedit tempore non solito.
Carmina sacra tibi resonent, charissime frater,
Sit semper Christus carmen in ore tuo.
A Ipse prophetarum ore fuit electa sagitta,
Hic clavis David, sophia et alta Dei.
Qui te perpetuis clemens conservet in annis.
Gaudentem secum semper in arce poli.
Dicere quid possum de magna laude librorum,
Quos sub clave tenes, frater amate, tuo,
Quidquid ab arce Deus cœli direxit in orbem,
Scripturæ sanctæ per pia verba viris.
Illic invenies, quidquid sapientia mundi
Protulit in medium temporibus variis.
Hæ te deliciæ larga pietate fluentem
Delectent, habeant, possideant, teneant.
Nil tibi cum mundo, mundus dum præterit omnis,
Illius ac pariter et decus, et species.
Verbum namque Dei, et verbi scrutator honestus,
B Perdurant semper lumine perpetuo.
Vive Deo vita felix, et vive per ævum.
Nempe beata bona est vivere, vita Deo.
Dulcis amor Christi, dulcisque domuncula semper,
Dulce melos tibi sit, dulcis amice, suum.
Sis memor atque mei sacris altaribus astans,
Sit memor utque tui gratia magna Dei.
Hæc relegens valeas multis feliciter annis,
Cumque choro fratrum hæc relegens valeas.

XVIII. — ITEM AD EUMDEM.

Te Deus omnipotens semper, charissime frater,
Prospere conservet tempora cuncta bene.
Et mancas sospes, nobis et sospita poscas,
Auctor ut ipse Deus pacifica tribuat.
Sic Psalmista docet: Quæ ad pacem sunt, rogitate,
C Urbe Dei copia est hæc et amantis erit.
Pacem animus nulla trepidus formidine servet,
Nec timeat pravæ crimina dissidiæ.
Sic et ames, frater, semper sic rursus ameris,
Mutuus ut nullo tempore cesset amor.
Instantes precibus simus in laude Tonantis,
Hesperus hoc videat, Lucifer hoc videat,
Poscamus veniam, poscamus munera Christi,
Liberet e pœnis, augeat et meritis.
Conditor omnipotens cœli mundique Redemptor,
Conservet Christus nos rogo pace simul;
Ut sicut semper sunt vere ille et Pater unum,
Unum sic in se nos fieri faciat

XIX. — AD [c] SAMUELEM PRESBYTERUM.

D Vive meæ vires lassarumque anchora rerum,

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] Ægili seu adhuc æquali hæc carmina apparet inscripsisse. Ægilis hujus Vitam, a Candido litteris proditam, jam usus publici fecimus.

[b] Gerhohum bibliothecarium suis versibus ornat, et nomen a sagitta ferre monet. Nescio an *Gerhoch* antiquis Germanis *sagitta* fuerit; hujus certe vernaculi sermonis usu effectum sagittæ luculenter exprimit, *garhoch*, id est, *valde altum*. Unde et sagittam nonnulli dici tradunt, quod nervo excussa satis longe agatur.

[c] Septem epigrammata quæ sequuntur, Samuelis presbyteri memoriæ et amicitiæ scripta sunt, de quo aliud hinc exploratum habeo nihil, nisi quod ab ipso Rabano traditur, olim apud Turones Rabani condiscipulum et sodalem exstitisse, Albinum communem magistrum habuisse, ipsum denique, a Rabano magnis terrarum et fluminum spatiis longe disjunctum, doctoris munus alicubi sustinuisse. At circumspicienti diligentius occurrit Samuelem hunc eumdem esse qui deinde ex Laurisheimensis, prænobilis olim Rhenensis tractus in Palatinatu monasterii abbate, ad Wormatiensem cathedram evectus est, et anno 847 celebri in synodo Moguntiæ Rabano, inter coepiscopos assedit, ut ex epistola synodica colligitur, quæ tom. III Conciliorum et apud alios legitur. (*Vide supra inter epistolas Rabani.*) Et consentiunt indices Ecclesiæ Vangionum, qui hoc eodem anno, die 15 Octobris, sancti Cyriaci honori templum Neuhusii dedicasse perhibent.

Digitized by Google

Naufragio et littus tutaque terra meo.
Solus honor nobis, urbs tu fidissima semper,
Curisque afflictio tuta quies animo.
Sintque licet montes inter cum fluctibus arva
Mens tecum est, nulla quæ cohibetur humo.
Te mea mens sequitur, sequitur quoque carmen
Exoptans animo prospera cuncta tibi. [amoris,
Qui mihi te notum dedit et concessit amicum,
Conservet sanum Christus ubique mihi.
Ante solum terræ cœlique volubile * cyclum
Prætereant, noster quam quoque cesset amor.
Hocque, Pater, monui, moneo te, iterumque monebo.
Sis memor utque mei, sicut et ipse tui.
Ut Deus in terris quos hic conjunxit amicos,
Gaudentes pariter jungat in arce poli.

XX. — ITEM AD EUMDEM.

Te Deus æternus hominum sanctissimus auctor
Stelligeram cœli summus qui continet arcem,
Perspicit atque omnem fortis dominator abyssum,
Exaltet, salvet, servet te, diligat, ornet,
Concedatque tui homonymi [a] meritumque locumque,
Exstitit ut templi typici hic servitor, amator,
Utque habeas omnem Samuel Samuelis honorem.
Esto memor proprii quem nominis ultima [b] notet
Syllaba; hicque tui cordis laus sit hic fervor amoris.
Sit tibi vita, salus, tibi sit via, gloria, virtus
Protector, rector per sæcula cuncta valeto.

XXI. — ITEM AD SAMUELEM PRESBYTERUM.

Qui cœli culmen, terræ qui continet una;
Qui ponti fluctus, sidera quique regit,
Cujus quæ fuerant ac sunt, et cuncta futura,
Stant in conspectu, ipseque cuncta videt.
Vestrum fructiferum custodiat ipsa laborem
In cœli regno præmia digna parans.
Sis memor ergo mei sacris altaribus astans,
Præsul sancte Dei, sit Deus utque tui.
Ast tibi si possum quid clam conferre susurrans,
In precibus dignum ipse libenter agam.
Concedat Dominus vitæ jam munus utrisque
Effectum precibus, dulcis amice, vale.

XXII. — AD SAMUELEM PRESBYTERUM.

Est animus promptus, sunt sensus, accipe votum,
Non spernas socium, semper amicus amat.
Non hunc tempestas quatiet, non turbidus Auster,
Nec Boreas glacie stringere nempe valet.
Libertas animi munus expendit amoris,
Dignum est ut mentem provocat ipsa piam.
Nullus in orbe fuit quem non consumpserit ætas :
Quisquis enim possit, semper amica paret.
Rabanus posco seniorem te Samuelem,
Hæc tu perpendas, cuncta jure legas.
Christus in arce Deus conservet semper utrumque,
A Hoc, Pater, ipse petas, tu sine fine vale.
Quondam nempe meum gaudebam te esse sodalem,
Inter lectores, frater amate, mihi.
Nunc quoque te gratulor retinere, jura magistri,
Crescere virtute, patris habere locum,
Sis memor ergo mei sacris altaribus astans,
Sum memor utque tui, sic memor esto mei.
Quod quondam docuit Albinus rite magister,
Hoc pectus teneat, hoc opus omne probet.
Gratia sic Christi tecum permanserit alma,
Sic memet tecum ducit ad astra vale.

XXIII. — ITEM AD EUMDEM.

Tu meus es placitus, placeas super æthera Christo,
Sis charus sanctis, tu meus es placitus
B Unicus esque meus, auctor te protegat unus,
Unum cum multis unicus esque meus
Omnibus ipse bonis repleat te Christus amator
Spiritus atque Dei omnibus ipse bonis.
Optima quæque tibi tribuat divina potestas,
Deposcens opto optima quæque tibi.
Tu maneas, vigeas semper in sæcula sospes,
Hic et in æternum tu maneas, vigeas,
Inclyte, vive, vale, Samuel lætissimus audi,
Hic finis verbi est, inclyte, vive, vale.

XXIV. — AD SAMUELEM PRESBYTERUM.

Has tabulas senior gratanter percipe quæso,
Quam tibi devotus junior exhibuit.
Buxus canitiem signat, claustrumque secretum
C Consilium cordis, tu, Pater alme, vale.

XXV. — AD SAMUELEM PRESBYTERUM.

Sis felix sospes, sis lætus semper ubique,
Te omnipotens Dominus protegat atque regat.
Vivis mente mea, vivas per sæcula Christo,
Vivas cum sanctis regna beata tenens.
Hos senos versus transcripsi tempore parvo,
Perfectum senio æthera [c] te capiant.

XXVI. — AD [d] ISANBERTUM PRESBYTERUM.

Accipe primitias Musæ, Pater, hoc breve carmen
Et nostris studiis tuque faveto pius.
Dignus nam docta cum sis ut carmina solvas
Ignoscas nostris, rustica cum videas.
Cuncta quidem tibimet virtutum insignia condunt,
D Nomen, quo clarus dignus honore fias :
Ferrum te fortem, clarum, virtute decorum
Signant, per multas crescis in arte vias.
Altithronus Dominus, cunctorum conditor almus,
Te virtute beet, augeat et meritis,
Atque mei memorem conservet gratia Christi.
Semper in æternum, dulcis amice, vale.

XXVII. — AD EXSULEM PRESBYTERUM.

Fortia dicta dabas, exhortatoria verba,
Qui tale exemplum ventris in ore profers.
Pro se sollicita nam mandat Apostolus esse,

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI

[a] Samuelis prophetæ.
[b] El, nomen Dei.
[c] Plurali neutro, ut Fortunatus.
[d] Isanbertus, cujus nomine Baturico paulo ante scripsit, ex notatione Latina dicitur ferro clarus; ejusque epitaphia virum plenius ostendunt.

Digitized by Google

Membra, nec ventrem excipit inde pigrum.
Currere cum pedibus, oculis ac cernere fas est,
Auribus audire, oreque verba dare.
Ergo manus solum ventri si porrigat escam,
Cuncta et membra simul hunc satiare student.
Quis tegumenta parat, ornatum quærit et aptum,
Quis clypeum ad pugnam, quis rogo tela rapit.
Venter sit escæ, ventri deserviat esca,
Hunc Deus atque illam destruet ipse cito.
Sed mihi communis nempe ac justum esse videtur,
Membrorum ut cura par fiat atque labor.
Ut manus ipsa operi deservit, sic quoque venter
Consiliis certet cuncta monere suis.
Quæ domus ex parte defenditur, hæc patet hosti;
Quæ quoque vallatur undique, tuta manet.
Providus en mente cautus sis semper et actu,
Prudens cuncta cave, tristia nulla time.
Victor sit Christus, sic est victoria vera,
Qui Regem hunc sequitur, victor et ipse manet.
Tot versus scripsi quot horæ nempe diei
Sunt, optans semper sospes ut ipse fias.

XXVIII. — AD IRMINGILDUM.

Omnipotens, summi Patris sapientia, Christe,
Qui infima cum superis cuncta tenendo regis.
Tu mihi dilectum conserva semper amicum,
Ut vigeat sospes, regna superna petens.
Ut crescat meritis, crescit seu temporis ævo,
Post obitum mortis dona beata metens.
Hoc tu virgo Dei, genitrix intacta Tonantis,
Impetres precibus, sancta Maria, precor.
Agmen apostolicum primus et in ordine Petrus
Fratribus ascitis poscite valde Deum.
Præco propheta Dei, paranymphus, martyr et ipse
Cum vatum turba sæpius hoc rogitas.
Sic peto, tu facias * Levita * protomartyr et ipse
Cum sociis Stephanus sceptra superna precans.
Hoc justi, electi, felices poscite cuncti
[a] Buoloni ut regnum det super astra Deus.
Hoc, Pater alme, modo dum * vacat quærere regnum,
Quærere non cesses, ut capias, cupias,
Vim aula poli patitur, violenti et sidera prendunt,
Qui bene nunc certat, dona futura capit.
Certasti valide, et hostem nunc sternere certa
Vincenti in fine rite corona datur,
Os resonet Christum, palma quoque pascat egenum.
Pes ægrum inviset, corda Deum cogitent.
Te sibi totum extra famulantem sentiat auctor,
A Te sibi totum intus vindicet ipse Deus.
Hæc tibi, sancte pater, optando grammate pinxi,
Ut fias felix dogmata sacra sciens.
Hoc quoque posco Deum per psalmos rite canendo.
. . . . . .
(*Desunt cætera, foliis quatuor circiter amissis.*)

XXIX. — AD [b] BONOSUM.

Una dies ridet, cassus cras altera plangit,
Nil fixum quomodo tessera læta dabit.
Æstas clara micat, autumnus conferet umbras,
Ver floret gemmis, has fera tollit hiems.
Quid porro est quod non properatis effugit alis,
Et varium non sit quod teget arce polus.
Aerias pinus inclinat pigra senectus,
B Dissolvit rupes, flumina sicca facit.
Dum loquimur, seges alta viret, maturiet, [c] aret,
Canescunt violæ, lilia fusca cadunt.
Ipsa suos citius gratos rosa ponit amictus,
Agrestes flores moxque sequuntur eam.
Omnibus his brevis usus, et est sub lege noverca,
Alternant vicibus, et simul intereunt.
Tuque tuum credis quod mendax commodat hora,
Æterno et simili semper habere cupis.
Paulatim miseros effert ad vota senectus,
Et modo qui fuimus, jam modo desinimus.
Nutricis gremio subito puer altius exit,
Miraturque truci se dare voce sonum.
Jam celeres barbæ, jam tincti morte capilli,
Jamque acclinis humo prædaque mortis erit.
C Omnia fert ætas, atque omnia finis ademit,
Nil manet æternum, sæcula prætereunt.
Cunctaque tempus habent, ni solus temporis auctor,
Qui fuit, est semper, et sine fine manet.
Hunc tu semper ama, hunc toto corde fatere,
Hunc precibus posce, hic tibi grata dabit.
Non te conturbet sancte inconstantia frater,
Hæc mundana quidem gurgitibus variis.
Sic fuit, est, et erit sæcli versatilis ordo,
Lætitiæ nunquam sit cui certa fides.
Multa quidem patitur sanctorum plebes in orbe,
Judicio occulto, nec ego scire queo.
Credo suos servos, quod nullo spreverit ævo,
Adjuveritque satis, cum sua vota petant.
Nam altera vita suis servatur in arce polorum,
D Qua pax alma viget, prælia nulla fiunt.
Hæc quoque semper erat justa tentatio vita,
Fornacis flamma ut aurea vasa probat.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] *Buoloni ut regnum det*, etc. Aut Irmingildo nomen diversum id obtigit, aut amico tertio bene precatur. Carminis umbilicus abscissus, unde et insequentis bene longi poematis, de Patientia sanctorum, exordia perierunt.

[b] Hunc ego Rabano in studiis æqualem exstitisse interpretor, qui et ipsi in abbatis munere successit, alio scilicet nomine nuncupatus Hatto; pictoria arte præstitisse, quæ ad eumdem scripsit hexametra satis arguunt. De Hattono autem vetus ms. abbatum catalogus: « Hatto Bonosus dictus et gloriosus, suscepit gubernaculum abbatiæ anno Domini 841, et per annos viginti duos discrete et modestissime rexit in morem Moysi, de quo scriptum est: *Erat mitissimus super omnes homines.* Sibi subditis discretus et mitis; potentibus autem sæculi valde gravis et æquus exstiterat. Hic æterna virginitate præditus, monasterium magna utilitate adimpletum, glorioso fine vitam præsentem conclusit, anno Domini 842. » Nec affirmem temere hunc illum esse Bonosum abbatem, ad cujus interrogata Rudolphus in Catalogo refert librum confecisse Rabanum de cognationis commixtione, et magica arte vitanda.

[c] *Maturet et*, ab inusitato *maturo*.

Digitized by Google

Sic Deus omnipotens sanctos per sæva probabit
Verbera, post reddens præmia læta polo.
Sta, precor, esto memor Christi, patrum memor
Pagina quos cecinit auribus alma tuis. [atque
Fortis sis animo, sis verbo et providus actu,
Sic fuerunt sancti, proximus esto tibi.
Victima quod prima fuerat justissimus Abel
Fraterna cæde hocque memento precor.
Improbe derisus infanda et prole Noea,
Quo reparata manet progenies hominum.
Quod reges sanctus capto Lot vicerit Abram,
Qualia perpessus sit pius ipse ab eis.
Damna quidem in puteis sensit quod sæpius Isac,
Grassante invidia quæ Philistea gerit,
Quantos pro sobole fletus effudit Iacob?
Et Joseph quanta passus in orbe fuit?
Dux pius ille quidem, qui totam stravit Egyptum,
Flagris eripuit dumque Dei populum.
Quomodo sit spretus, et qualia præstat alumnis,
Quomodo sit tractus, improbe conviciis.
Nam Samuel quoties Saulis tolerabat ærumnas?
Et David latitans impia sceptra fugit?
Qualiter in regna prolis hic sustulit iras,
Plurima et ex aliis turpia verba tulit.
Omnia nempe mea, pœnarum millia quotquot
Passi sunt sancti, dicere musa nequit.
Elias, Daniel, Isaias, Michas, Ionas,
Jeremias, Jaddo, Job pater et Tobias,
Qui fuerant mundi ceu luminaria quondam,
Quam sævas pœnas corpore pertulerant.
Perplures alios consumpsit flammeus ardor
Et lapides alios atque alios framea.
Sicque fide fortes vicerunt prælia sancti,
Fecerunt opera maxima justitiæ.
Quid memorem vetera, gaudet cum sancta per orbem
Martyrio rutilans catholica Ecclesia.
Clare et apostolico micat irradiata tropæo,
Vexillum et Christo fert dominante crucis.
Tantos ergo suos Dominus perferre labores
Hic voluit, quos ad regna superna vehit.
Quapropter potius cœlestia semper amemus,
Et mansura polo, quam peritura solo.
Murmure jam nullo referamus ad æthera voces,
Cantantes Dominum, qui pius et bonus est.
Non est quippe Deus plagis culpandus in istis,
Sed nostra in melius vita ferenda cito.

A Et pie flectenda est precibus clementia nostris,
Quatenus a nobis transferet ille flagra.
Quem pater est natum charo complectit amore,
Sæpius huic tristi dira flagella dabit.
Horrida quapropter nunquam tentatio mentem
Ulla tuam superet, fortis ubique fias.
Si quid displicuit Christo jam cuncta videnti,
Moribus inque tuis, corrige hoc citius.
Hocque superna monet lex hoc et jura paterna,
Hoc fraternus amor, hoc studeas facere.
Te quoque jam facias tota virtute paratum,
Ut quo pervenias, tristia nulla fiant.
Quod tibi concedat auctoris sancta potestas,
Hoc nobis tecum summus in arce Deus.
Fistula has Mauri senis cantavit in horis,
B Cœnas (*sic*) dilecto, sancte Bonose, tibi.

XXX. — ITEM AD EUMDEM.

[a] Nam pictura tibi cum omni sit gratior arte
Scribendi ingrate non spernas posco laborem.
Psallendi usum, studium curamque legendi,
Plus quia gramma valet quam vana in imagine forma,
Plusque animæ decoris præstat quam falsa colorum
Pictura ostentans rerum non rite figuras.
Nam Scriptura pia norma est perfecta salutis,
Et magis in rebus valet, et magis utilis omni est,
Promptior est gustu, sensu perfectior atque
Sensibus humanis facilis magis arte tenenda.
Auribus hæc servit, labris, obtutibus atque,
C Illa oculis tantum pauca solamina præstat,
Hæc facie verum monstrat, et famine verum,
Et sensu verum, jucunda et tempore multo est,
Illa recens pascit visum, gravat atque vetusta,
Deficiet propere veri et non fide sequestra est.
Perspice qui fuerint auctores atque sequaces
Istarum rerum, tunc et certissimus inde
Noscere jam poteris tibi quæ sint arte parandæ.
[b] Primitus Ægyptus umbrarum lumina pinxit,
Lumina tincturis varians formavit et umbris.
Hæc sonat *angustans tribulatio*, fit, sonat et quod
Angustans tribulat, parum juvat arte reperta.
Ast petram Dominus legis cum grammate scuipsit,
Contulit insignia, et populi mandata magistro.
[c] Mons sonat illa mea mensura atque amphora justa.
D Amphora justitiam, vitam mensura modestam.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] *Nam pictura tibi*, etc. Contendit inter se scriptoriam artem cum pictoria, qua sese Bonosus jactantius efferebat; atque ab utili, jucundo, necessariam humano generi et a Deo ipso monstratam scribendi facultatem, longe quidem anteponit pingendi delicato invento.

[b] *Primitus Ægyptus umbrarum*, etc. Ita Plinius lib. XXXV, c. 3, et ejus interpretes, quanquam apud ipsos sex millibus annorum inventam, priusquam in Græciam transiret, ut vanam prædicationem refert. Inventæ vero gradus artis primum ponit umbram hominis lineis circumductam; inde imaginem singulis coloribus expressam, monochromaton dictam: hinc demum Babylonios colores diversos intexuisse picturis. De quibus adi Cælium Rhodiginm, lib. VII, c. 11, et lib. XXIX, c. 24, et μονόγραμμοι in Adagiis. Rabano autem favet contra Bonosum artis elogium singulare: pictorem, cum ipse loquitur, loqui male; at cum pictura, bene utique: opus enim tunc loquitur et commendat artificem. Ægypti vero hic etymon altius repetitur a Misraim מִצְרַיִם Hebræo, quod Chami filio nomen, *tribulationem* significat et *angustias*, ut ex radice צָרַר liquet.

[c] *Mons sonat illa mea mensura atque amphora*, etc. Obscurus hic versus, si montis nomine Sina vel Sinai in deserto Pharan accipit, cujus in vertice lapideis descriptam tabulis legem Moysi Deus tradidit. Sinai enim vel Sin Hebræis *rubus*, Syris est *inimici-*

Digitized by Google

Jussa quoque ostendunt Domino nos lege teneri.
[a] Quid laborem scriptis commenta edicere plura.

(*Defectus alius post pag.* IV *notatur.*)

XXXI. — [b] DE FIDE CATHOLICA RHYTHMO CARMEN COMPOSITUM.

Æterne rerum conditor,
Et clarus mundi formator,
Deus in adjutorium
Intende tu humilium;
Cordeque tibi devotum,
Festina in auxilium.
Da mentis fida regmina.
Ac verbi clara munera;
Da vota cordis optima.
Et facti dona plurima;
Sensum corde purissimum,
Famen ore pacificum.
Ut tuam laudem famine
In primis possim dicere,
Magnam, miram ac præclaram,
Digna voce justissimam;
Meæque sim miseriæ
Compunctus memor ultimæ.
Deus salus credentium,
Deus vita viventium,
Deus deorum omnium,
Deus et princeps principum,
Deus summus amabilis,
Deus inæstimabilis,
Altus prosator, vetustus
Dierum, et ingenitus,

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

tia. Rabanus autem hic *mensuram* interpretatur vel *amphoram*. Cum vero Sin longe a notione Middah vel Chad sepositum sit, suspicari liceat Sin et Hin Rabanum confudisse, ut cum notissimum Hin in Scripturis mensuræ genus sit, et Latinus interpres alicubi *sextarium* verterit, hujus vocis etymon, incurioso talium usu, Sin et Sinai monti ascripserit. Id quod callens linguæ theologus amicus ita deducebat, ut Rabano oblatum forte hoc etymon conjiceret quod pro ס vel ם assumpto י, sonuerit ei *Zehina* (זהינא). *Ecce Hin mea*, id est mensura vel amphora. Verum facilius hoc mihi credi postulem Rabano sanctum Augustinum, quam linguæ illius arcana fuisse hic in mente et in oculis, qui ad psalmum LXVII, quod Sinai terminus et claustrum quoddam esset regionis Judææ, *mensuram* interpretatus est; quod in allegoriarum Silva Hieronymus Laoretus etiam observavit.

[a] *Quid laborem scriptis commenta edicere plura?* Etsi quantitatis parum sedulus observator in poetica sua Rabanus, putavi tamen scripsisse potius : *Quid labor est*, nam nullo alioqui negotio vertere carmen potuit :

Quid scriptis commenta edicere plura laborem?

Scriptoriam facultatem commendat, alibi a nobis laudatam (*lib. Antiq. Fuld.*), pro captu Rabani et mediæ ætatis, seu expetitam nobilibus monasteriis et bibliothecis, imo reipublicæ ante typographiam inventam, apprime necessariam. Ejus Deum facit auctorem, qui legem jubens et tabulas, digito suo scriptas Mosi tradiderit. Quo et vatum antiquissimos, et eorum principem Mosen, referre licet, qui, secundum Isaiæ sermonem, manu sua Domino scripserunt. Et quid in hoc genere divinius? *Jesus inclinans se deorsum, digito scribebat in terra* (*Joan.* VIII). *Ego Paulus scripsi manu mea*. Et : *Salutatio mea manu Pauli*. In veterum placitis est : Manus rationis ac sapientiæ quasdam esse ministras. Ab earum motu facili ac innato, innumeras artes in genus humanum profluxisse, architectonicam, culturam agrorum, musicorum cujusque generis organorum fabricam, usum et suavem concentum; vestiariæ, armaturæ, rei metallicæ, nauticæ copias ad ornatum et utilitatem sane quidem affluentes; omnium denique quæ hominum juri in orbe subjacent, manuum solertia percipi et administrari. Sed de pingendi et scribendi ratione, quæ genera duo latissime patent, nobis sermo; et quia posterius priori Rabanus anteponit, legatur ea de re, si placet, Cælius Rhodiginus, Lect. antiq. lib. IV, c. 3, ubi post manuum laudem, commendat scribendi donum. Græci duplex statuere scriptorum genus, partim eorum quos τοὺς γράφοντας εἰς κάλλος appellabant; unde et iis καλλιγρὰφια, qui nobis librarii, et venuste scribentes antiquarii; partim aliorum, qui γράφοντες εἰς τάχος, priscis, notarii; de quibus Martialis :

Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Sed ne aliorum hic in messem ingrediamur, satis sit instituto nostro meminisse Theodosium Juniorem imp. litteras tam venuste pinxisse, ut inde seu victum factitans Alligraphi nomen meruerit; et hac ætate nobilem scriptorem repertum esse, qui nobiliore scriptoriæ artis symbolo, interpretor mentis suæ, pennam scientiæ, prudentiæ, sapientiæ operatam, gloriosæ Deiparæ matris honori consecratam, perenne donarium esse voluit, quo discerent qui ἔπεα πτερόεντα, ut Homerus sæpe loquitur, pennata verba, per hujus ævi cacoethes temere plurimum et imperite spargunt, Cœlitum ope, non solum calami beneficio, perennare. Quæri vero solet an prisci nostri cœnobitæ librarii, qui pellibus et membranis tot scrinia bibliothecarum impleverunt, pennis, ut jam vulgo scriptores, ex anserum, gruum, cygnorum alis usi sint, an juncis potius et arundinibus, ex quibus calamos aptabant prisci. Auctores, qui rem certo definiant, fateor haud me legisse; ex arundinis et calami promiscua significatione, qua sequioris ætatis nonnulli utuntur, lis finiri non potest. Si quis conjecturæ locus, apices majusculos et ductus unciales, quibus vetustiores membranæ plerumque exaratæ, ausim pronuntiare calamorum opera perfectos, minutiores litteras et ταχυγραφίαν pennis expedita fuisse, quem sensum in versibus Albini, scriptorio consecratis, insinuari putamus.

Tramite quo recto penna volantis eat.

Utriusque, et calami et pennæ, in monasteriis ad rituales libros et cantum ecclesiasticum celebrem usum viguisse, recordantur avi nostri.

[b] Effectu a dispositione plurimum poeta laborat. Iambici versus sunt, sed in quibus, ut de Pindaro quoque dixit magnus vates :

Fertur numeris lege solutis.

Rhythmum appellari crediderim, quia cum, teste V. Beda, Rhythmus sit modulatio sine ratione, non metrica lege, sed numero syllabarum ad aurium judicium examinata, hic iambici concinnitas soni tantum imitatione quadam. Argumentum valde pium est, totius humani generis conditi et restaurati œconomiam complectens; nec non religionis Christianæ præcipua capita subjiciens animo lectoris, haud invalido sensu.

Digitized by Google

Eras absque origine
Primordii et crepidine :
Qui es, eris in sæcula
Sæculorum infinita.
Cui est unigenitus
Christus proles charissimus
Dicentis de corde verbum,
Satum ante Luciferum ;
Coæternus in gloria
Deitatis perpetua.
Cum quo simul et Filio
In sempiterno sæculo
Spiritus sanctus æqualis
Regnat, et honorabilis
In eadem substantia
Deus manens per sæcula.
Non tres deos, nec profero,
Sed unum Deum prædico,
Salva fide in personis
Tribus glorisissimum
Summum, justum, rectissimum,
Super omnes mitissimum.
Deum Patrum piissimum,
Omnipotentem Dominum,
Factorem visibilium,
Simul invisibilium,
Deitatis principium,
Et creatorem omnium.
Christum Jesum charissimum,
Omnipotentis Filium,
Imaginem verissimam,
Dei et sapientiam,
Virtutem per quam fecerat,
Omnia quæ formaverat.
Sanctum quoque paraclitum,
Vivificantem Spiritum,
Qui ex Patre et Filio
Procedit ab exordio,
Pignus, donum gratissimum,
Promissum lucidissimum.
Una trium essentia,
Una est et potentia,
Omousion, deitas,
Atque una æternitas,
Beatitudo sanctitas,
Magnitudo et bonitas.
Solus Deus in sæcula,
Concludens cuncta tempora,
Quibus formavit æthera,
Terram simul et maria.
Excelsus in cœlestibus,
Gaudens primus agminibus.
Bonos creavit angelos,
Ordines et archangelos,
Principatus et virtutes,
Thronos, dominationes,
Potestates et cherubin,
Gloriosa et seraphin.
Uti non esset bonitas,

A

Otiosa ac majestas
Trinitatis in omnibus
Largitio muneribus,
Sed haberet cœlestia,
Quibus det privilegia.
Sed cœli regni apice
Stationis angelicæ
Claritate præ fulgoris,
Venustate speciminis
Superbiendo ruerat
Lucifer, quem plasmaverat.
Apostataeque angeli
Eodem lapsu lugubri
Auctores cenodoxiæ
Pervicacis invidiæ,

B

Cæteris remanentibus
In suis principatibus.
Draco magnus, teterrimus,
Terribilis et antiquus,
Qui fuit serpens lubricus,
Sapientior omnibus
Bestiis, animantibus
Terræ ferocioribus.
Tertiam partem siderum
Traxit secum in barathrum
Locorum infernalium.
Diversorumque carcerum,
Refugus veri luminis
Parasitus præcipitans.
Dum pius mundi machinam

C

Prævidens et armoniam,
Polum et siccum fecerat,
Atque aquas diviserat,
Herbarum format germina
Virgultum ac arbuscula.
Solem, lunam ac sidera,
Ignem ac necessaria,
Aves, pisces et pecora,
Bestias, animalia,
Tum demum honorabilem
Ipse condidit hominem.
Huic præcepit firmiter
Manere immortaliter,
Suam sacram imaginem
Servare venerabilem,

D

Sequique jussa Domini,
Vicarius cum sit Dei.
Esto, dixit, humillimus,
Rector mundi et dominus,
Nam cuncta tibi tradidi,
Ac dominatu subdidi,
Quæ sunt mundo viventia
Ac terra germinantia.
Utere ei sapiens,
Omnia quævis comedens,
Fructus ligni pomiferi
Simulque salutiferi,
Pomum ne ligno vetitum
Mandas tibi mortiferum.

Digitized by Google

Hæc sævus, ut audierat,
Chelydros et inviderat
Dira pestis timuerat ;
Unde illa corruerat,
Ne homo cœlum habeat,
Quem jam plasmatum viderat.
Adire et tentat feminam,
Quem sator junxit copulam,
Suadet pomum mandere,
Ac viro suo tradere
Promittit deis similes,
Si frangatur esuries.
Consentit illa citius
Quod si non foret satius,
Mandit et viro tradidit,
Et ambo simul decepit,
Dum contra jussum Domini
Est pomum ligni vetiti
Ambo miserabiliter
Cernunt se nudos turpiter,
Certant cum perizomate
Commissum scelus tegere,
Cataphronysis [a] folio,
Sed non latet a Domino.
Excelsus visitaverat,
Quos jam sanos reliquerat,
Adam timens sub arbore,
Latitabat umbramine,
Quem voce ita duriter
Increpavit et fortiter.
Adam, cernis nunc ubi es,
Inobediens lapsus es.
At ille se tutamine
Excusabat excedere,
Alteri causam criminis
Vindicabat peccaminis.
Post hoc eis Altissimus
Fecerat, quod justissimus,
Cinxit eos velamine
Byrsæ [b] et decentissime
Morituri pelliculo
Ut vestirentur mortuo.
Tunc paradisum liquerat
Adamus quem ejecerat.
Deus quoque pertinacem
Nunc duræ terræ cultorem
Ydrost [c] ei et tribulos
Pareret atque carduos.
Hic generavit sobolem
Nam binam cum discrimine :
Alter alterum vulnere
Prostravit impiissime,
Hoc venenum invidiæ
Anguis sævit in homine.

A

Grassatis sicque duobus
Protoplastis parentibus,
Post tota ruit propago,
Et absque adminiculo
Auctor peccatum auxerat,
Ad inferna detraxerat.
Creverunt homicidia
Dum crevit philargyria,
Abundabat luxuria
Dum anxit gastrimarchia,
Tota nefanda crimina
Jam possidebat glarea.
Noe Deus temporibus
Mersit aquis ultricibus
Totam mundi progeniem,

B

Adam et claram sobolem,
Præter quos arca vexerat,
Et Excelsus servaverat.
Sed item ptyra [d] cœpere
Sordidare terricolæ,
Neque laverunt flumina,
Ut non crescerent crimina,
Nec quos mors absorbuerat
Epistimi [e] domaverat.
Hoc Abraham post viderat,
Nec tamen hunc juvaverat,
Isaac quoque et Jacobus,
Celsi patrum cum cœtibus.
Legislator et Moyses
David simul et prophetes.

C

Nec profuit industria
Ullius atque stychia [f]
Post mortem infernalia
Penetrabunt cubilia.
Regnabat mors latissime
Super omnes durissime.
Ni solius clementia
Auctoris et potentia
Subveniret miserrimis
Jacentibus in infimis,
Totus homo cum sobole
Interiret peccamine.
Omnipotens mitissime
Misit Pater ab æthere
Filium unigenitum

D

Amatum et dulcissimum ;
Ut hominem a tellure
Sublevaret piissime.
Aliena astutia
Quem seduxit versutia
Diri draconis spicula
Vulnerabant præcordia.
Et sontem sibi subdidit,
Quem cleps ipse non condidit.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] Κατοφρόνυσις, *contemptus*.
[b] Id est pellis.
[c] Ἱδρῶτα, puta *sudorem*, nam ὕδρα, serpens aquatilis.
[d] Πτέρα. Forte *pennas*, *tabernacula*.
[e] Ἐπιστήμη, *scientia*, *experientia*.
[f] Στοιχεῖα, translate, pro elementis artium, præcipue geometris. Hic forte ipsa arte.

Digitized by Google

quanta Dei pietas,
Et sempiterna bonitas
In se Deus susceperat
Hominem quem creaverat,
Illum sibi quæsiverat,
Quem non juste perdiderat.
Virgo Deum conceperat,
Gabriel quem prædixerat;
Postque novem curricula
Mensium et volumina,
Incarnatum ex Virgine,
Verbum venit cum salute.
Pastores natum præsepe
Gaudebant Jesum cernere,
Stella flagrans et lumine
Magos duxit cum munere.
Herodes cœpit quærere
Christum regem occidere.
Parvulorum in millibus
Sæviebat cum cladibus,
Talia in initio...
Mundus obtulit Domino,
Studet morte perimere,
Qui venit vitam reddere.
Ter denis magnis orbibus
Annorum actis mensibus
Ab Joanne in Jordane
Vinctus erat baptismate,
Lavit se unda latior,
Quod ipsa esset purior.
piritus super columbæ
Jesum mansit in specie,
Pater prolem testaverat
Mundo, quod non crediderat
Trinitatis mysterium,
Consecravit sic baptismum.
Ivit Jesus in eremum,
Ferarum habitaculum,
Illic tempus jejunii
Peregit salutiferi,
Quater denosque noctibus
Junxit soles inesibus [a].
Erepton [serpens] ibi callidus
Aderat cum doloribus [dolis],
Suasit hunc de lapide
Nam sibi panem condere
Dipsitis [b], vult velamine
Verborum Christum noscere.
De templi alto culmine
Jubet Jesum descendere.
In monte mundi gloriam
Ostendit et monarchiam,
Se cuncta dare promisit,
Si cadens se oraverit.
Tantum perverse locutus,

A

B

C

D

Quantum fuerat perversus,
Seps ipse se plaudaverat [c]
Posse quod nunquam poterat,
Sed cupiebat sternere,
Quem se sperabat vincere
Adam primum hic vicerat,
Quem secundus prostraverat
Gula et philargyria,
Simul et cenodoxia,
Cum quibus illum repulit
Jesus et igni tradidit.
Postquam zabulus pulsus est,
Angelis ministratus est,
Advocavit discipulos,
Plures jam et apostolos,
Inter quos signa plurim.
Fecit atque miracula.
In Chanan vinum fecerat,
Simul et firmaverat
Fidem rudem tum comitum,
Dum perfecit miraculum,
Eisque altum abyssum
Patefecerat dogmatum.
Late per Judæ termina
Coruscabant miracula,
Dum missa virtus cœlitus
Operatur divinitus,
Monstrabat se hominem,
Qui regnabat in æthere.
Cæcorum multa millia
Cernebant clare lumina,
Multi surdi per agmina
Currunt, quærunt salvamina
Saltat claudus lætificus,
Gaudet sanus et leprosus.
Tota draconis horrula
Vis fugit omos [d] callida,
Cum ex multis clamantia
Exiebant dæmonia,
Christum Domini testantia,
Quem non capiunt sæcula.
Venit jam salutiferæ
Tempus mortis Dominicæ,
Summus quo secum decrevit,
Ut hominem redimeret,
Redderet sævo merita
Et pœnarum dignissima.
Movit Judæa prælia,
Contraxit plebis agmine
Sanctum ad tribunalia
Duxerunt et concilia
Comes Judas trucissimus
Quod sanxit cum principibus.
Traditur vinctus gentibus
Christus a pontificibus,

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] *Inesis*, pro *jejuno*.
[b] An *ei divsas*, an *deipnistis*, a δειπνίζω.
[c] Forte pro *plauserat*, nisi malis *laudaverat*.
[d] An ὁμῶς, *simul*, vel ὠμά, *crudeli*.

Digitized by Google

Sputis, flagellis, alapis
Illusus atque spinetis
Crucifigitur innocens
Consentit rex insipiens.
Terra expavit, facinus
Hoc motu notans citius,
Elementa tremuerant,
Astra et se celaverant,
Solus homo non timuit,
Quod solus ipse confecit
Tum revixerunt mortui,
Et patuerunt Erebi
Obscura loca carcerum,
Cum venit auctor luminum
Vectes, seræ confractæ sunt.
Justi et liberati sunt.
Gemit hostis in catena,
Cum feci: Rex judicia
Et sanctis liberamina,
Quod doluerunt tartara;
Victor Christus ascenderat
Suos et secum duxerat.
Tertia lux redierat,
Christus et resurrexerat,
Jam victurus in gloria
Victor clarus per sæcula,
Deus virtutum Dominus,
Rex regum potentissimus.
Quater denis post diebus
Versatus cum lætantibus
Ostendit se miraculis
Vere vivum discipulis,
Omne tulit mirantium
Corde quod erat dubium.
Jubens eis discurrere
Per mundi plagas dogmate.
Ite, ait, per populos
Et ferte fructus plurimos,
Docete verbo fideli,
Servare hoc quod docui.
Eos qui velint credere,
Lavate sacro flumine
Dei Patris in nomine
Natique cum Spiramine,
Laxantes cuncta crimina,
Et docete remedia.
Ast vobiscum in sæculum
Ego sum non solatium,
Cum videritis fervere
Mundum bellis et errore,
Nolite tunc pavescere,
Nec pugnis malis cedere.
Omnis terra cum sobole,
Ponto simul et æthere,
Data mihi regimine
Cedit, servit et munere,
Vinctus hostis expulsus est,
Mundus et liberatus est.
Ascendo nunc lucidum jam
Chari Patris ad solium,
Qui me misit ab æthere
Totum mundum redimere,
Carpere regna debita,
Et esse in Patris dextera:
Nulla vestra tristitia
Teneat nunc præcordia,
Mitto vobis lætissimum
Nam paraclitum Spiritum,
Ipse vobis ut ego sum
Est magister in sæculum.
Ipsi tenent quod monuit,
Ille ivit quo debuit,
Super astra celsissima
Sedet in Patris dextera,
Judex nempe novissime
Venturus et in æthere.
Ipse de cœlis Domino
Descendente altissimo
Præfulgebit clarissimum
Signum crucis et vexillum.
Plangor super se nimius
Erit tum cunctis gentibus.
Tectisque luminaribus
Duobus principalibus
Cadent in terram sidera
Ut grossus de ficulnea,
Eritque mundi terminus
Ut fornacis incendium.
Clangor buccinæ quaternas
Sonabit terræ per plagas.
Discurrunt coruscantia
Fulgura et tonitrua
Tunc in montium specubus,
Abscondent se exercitus.
Ergo erit dies ille,
Dies planctus et lacrymæ,
Dies iræ et vindictæ,
Tenebrarum et nebulæ
Dies magnæ angustiæ,
Laboris ac tristitiæ.
In quo cessat mulierum
Amor ac desiderium,
Hominumque contentio,
Mundi hujus et cupido
Cum cœlo, terra, ardore
Conflagrant atque lumine.
Turba primi archangeli
Strepente admirabili,
Erumpent munitissima
Claustra ac polyandria,
Surget homo a tellure
Restauratus a pulvere.
Undique conglobantibus
Membrorum paginibus [compagibus],
Animabus ætralibus
Eisdem obviantibus,
Certant sancti cum munere
Christo Regi occurrere.

Digitized by Google

Altithronus glorioso
Rex sedebit in solio,
Angelorum tremebunda
Circumstabunt et agmina,
Cunctis judex cum propria
Secundum reddet merita.
Stabimus et nos pavidi
Ante tribunal Dei
Reddemusque de omnibus
Rationem affectibus,
Nostra videntes posita
Ante obtutus crimina,
Librosque conscientiæ
Patefactos in facie;
In singultus erumpemus,
Et fletu diro gememus,
Subtracta necessaria
Operandi materia.
Tunc fideles nam cœlestem
Urbis summæ Hierusalem
Sustollentur ad patriam,
Introibunt ad gloriam,
Ubi fulget vera pacis
Lux Christus, sol mirabilis.
Hymnorum cantionibus
Sedulo tinnientibus,
Sanctis tripudiantibus
Angelorum ex millibus
In paterna claritate
Se gaudent Christum cernere.
Sic viginti felicibus
Quatuor senioribus
Coronas jam mittentibus
Agni Dei sub pedibus
Laudatur tribus vicibus
Trinitas æternalibus.
Bis binis coram stantibus
Unitis animalibus,
Terna laude sonantibus
Sanctus Sabaoth Dominus.
Hac sancti manent gloria
A sæculis in sæcula.
Zelus ignis furibundus
Consumet adversarios,
Nolentes Christum credere
Deo a Patre venisse,
Retro ruunt perpetui
In ignis flammas impii.
Ubi habentur tenebræ
Vermes et diræ bestiæ,
Ubi ignis sulphureus
Ardet flammis edacibus,
Ubi rugitus hominum,
Fletus et stridor dentium.
Ubi gehennæ gemitus,
Tonitruus et horridus,
Ubi ardor flammaticus
Sitis famisque maximus,
Ubi tortor durissimus

A

B

C

D

Auget pœnam cum laribus.
Satan atro cum agmine
Quo tenetur in carcere
Religatus in Tartara
In æterna incendia
Cocytique Charybdibus
Submergetur in gentibus,
O Deus veri luminis
Auctor et omnis hominis,
Miser ego quid faciam,
Tunc ubi atque fugiam,
Cum tremet mundi machina
Sub flammarum monarchia?
Quo me tum possum vertere
Et suffragia quærere,
Cum contra me sententia
Profertur in magna angustia?
Accusor reus criminis,
Cum non sit favor operis.
Damnant me facta propria,
Verborum multa millia,
Amor malus cum rubore.
Ira rixæ et maculæ
Totum patet in lumine
Mentis et penetrabile.
Cerno tremens quod feceram,
Et diu quod celaveram,
Nec adjuvant solatia,
Patris et matris famina,
Turba nec amicabilis
Præstat juvamen debilis.
Unde salus jam, Domine,
Mihi veniet prospere
Præter tuam clementiam
Solam, et veram gratiam;
Aut quis dat indulgentiam
Præter tuam potentiam?
Te, bone Jesu, deprecor,
Auctor vitæ et redditor,
Salva tuum mancipium,
Munus et da perpetuum,
Verax ut tuo famine
Justificeris, Domine.
Tibi grates ex pectore
Redemptus a discrimine,
Deo vivo ut referam
Læta voce victoriam,
Sequens te Regem proprium
Raptus ex hoste Dominum.
Nuncque rogo uti jubeas,
Et in me hoc perficias,
Quandiu in ergastulo
Sum clausus carnis sedulo,
Ore, corde et opere
Te canam laudem, Kyrie.
Doxa tibi, Altithrone,
Rex cœlorum sanctissime,
Qui me tuo juvamine
Consolaturus optime

Digitized by Google

Laus et honor cum gloria
In sæculorum sæcula.

Pro me, quisque legas versus, orare memento
Raban dicor ego, tu sine fine vale.

XXXII. — [a] METRUM DE TRANSITU MONACHORUM.

Currens, charta, procul nuntia porta
Dilecto gravia munera fratri,
Quæ infausta tulerat temporis hora.
Quæ dudum eripuit sorte nefanda
Sons, fraus atque dolor, et labor ingens
Longas compulerat quærere terras.
Pars ablata fuit parsque remansit,
Cum divisus homo proh dolor! unus
Est voto atque anima corpore bino.
Postquam tu, unanimis frater, abisti,
Ast mox per varios torsus ubique
Sum casus, odiis læsus et atris.
Sed nunc doleo pectore tristi
Multum posse malum heu! generale,
Quam soli mihimet condere damnum.
Ex quo seditio noxia dudum
Inter nos orta est, nemo valebat
Lenire hanc precibus, nec dare finem.
Crescens sed nimium tempore multo
Aucta est perque dies sorte maligna,
Vastavit populum Patris ob iram.
Durescit qui animo, et cedere nescit,
A Trux deturbat oves, cæde cruentat
Nullius miseret, sævit in omnes.
Iliis commota malis turba reliquit
Antiquum stabulum, fit peregrina,
Læsis una salus pergere longa est.
Venit summa dies, tempus amarum,
Quando extrema pati turba coacta est,
Et convicta malis linquere sedes.
Cuncti conveniunt undique fratres,
Queis mens una fuit parque voluntas,
Immitem ut precibus flectere certent.
Duratus qui animo spreverat omnes,
Irritans populum pellit ab æde.
Desperare dedit Patris amorem.
Diverso interea mœnia luctu
B Miscentur, resonant cymbala cumque
Et signum Ecclesiæ convocat omnes.
Accurrunt tumulo martyris almi
Flet mixta senibus plebs juniorum,
Ex imo gemitus pectore ducunt.
Expanduntque manus cum prece fusa.

(*Defectus post pag. ult.* VI *notatur.*)

[b] TITULI ET INSCRIPTIONES

[c] ALTARIUM BASILICÆ S. SALVATORIS FULDENSIS.

XXXIII.

Hoc altare Deo fulget honore novo
Candida Wirina [d], Concordia, cum Mederisma

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] Secessionem sub Ratgario abbate factam hac ode describit, de qua ex commentario Vitæ Eigilis abbatis lib. I Fuld. antiq.

[b] Sequitur aliud carminum genus, quo pro ingenii laude qua floruit, et opinione doctrinæ, Rabanus illustres passim ætate sua excitatas basilicas versibus suis, partim sponte, partim rogatus, ornavit. Codicis hic mutili et hiantis sortem deplorent merito homines antiquæ historiæ et ecclesiarum suarum originum amantes. Nam præter inscriptiones et lemmata quæ librarius sæpenumero neglexit, plagulæ membraneæ complures excisæ; atque sic una tituli et argumenta versuum non pauca periere. Neque dissimulo nomine cœlitum hic multa legi et a Rabano celebrari, quorum non temere alibi memoriam eruas. Et quia in honorariis tot epigraphis, quæ non templis tantum nobilibus, sed eorum singulis etiam aris contigere, longum et spissum nimis opus sit, in translationes, reliquias et conditoria sanctorum, qui agminatim promuntur, inquirere, et ex tam dense cohærentibus uvis scilicet mustum exprimere; nos posca contenti, ut quodque dignum memoriæ prodi in manus venerit, ita qua licebit, noscitandæ historiæ veteri facem accendemus. Unum monere non sit abs re, titulorum et transmissionum auctoritate, nisi aliunde magis elucescat, non hic doceri aut ex Rabani verbis cogi, integra sanctorum corpora translata, deposita, condita; sed eorum reliquias, cineres et exuvias, satis fuisse parandæ memoriæ condendisque titulis. Nec laborandum mihi apud æquos censores video qua fronte excepturi sint agrestem hanc Musam delicati poetæ, quos meminisse oportet sua cuique ætati et ornamenta et vitia adhæsisse, horumque fructum et incommoda juxta æstimari. Sed ne Rabanum ipsi tamen inauditum jugulent, quæram ex iis quo jure Virgilio licuerit et Propertio *Italiam*, *Arabiam* capite corripere; Juvenali *Stoicidas* penultima brevi inducere; Ovidio *Tuticanum* eumdem contrahere et producere, atque id genus. Cur, inquam, aliis etiam poetis fas fuerit sibi tam multa indulgere? an quia contumaces in eos plurimæ voces et syllabæ, jugum poeticum excussum ibant, atque idcirco cogi in versus sine fustuario non poterant? An, ejurato Latii jure, in Græcorum poetarum leges transire malebant,

. . . Quibus est nihil negatum,
Et quos ἐρατὰ, ἐρατὰ, decet sonare.

ita ut in eorum floribus reperias passim *Lucianos*, *Claudianos*, *Julianos*, penultima correpta. Quæ a me taceri propterea non decuit, quod his animadversis, toti Christianorum poetarum nationi, non solum Fortunato et Rabano mitiora judicia video parari, et grammaticorum una ferulas utcunque reprimi.

[c] Fuldensis basilicæ, anno Christi 818, indictione XII, mensis Novembris prima die, dedicatæ, memoriam cap. 3 lib. II Antiq. Fuld. recoluimus; in qua quidem Dei beneficio singulari contigit ut cum epigrammata Rabani seorsim istbic litteris mandata sint, ex iis conjecturam faceremus, inscriptiones altarium, quæ hic ex abrupto traduntur, omnes pertinere ad basilicæ Fuldensis ornatum, quæ Salvatoris honori consecrata fuit. Cæterum ut in illa descriptione plagarum et situs templi potissimum habita ratio, ita hic altarium, quæ sanctorum exuviis, et illustribus versuum epigraphis pulchra stetere. Unde et plura hic epigrammata quam in Actis dedicationis leguntur. Sed, quæ rerum omnium vicissitudo est, neque templi situs, neque altarium vel carminum memoria in posthumis operibus, præterquam in hisce scriptis, vivit. Tantum in præsens meminero eorum quæ nuper lucem aspexerunt, ut ex his norit lector illa ornari, et hæc per ista expleri posse.

[d] Vetus Litania Fuldensis et S. Galli, *Verena*; an Berenice, quæ vulgo *Veronica*.

Digitized by Google

Assistunt tecum Gertrud et ipsa simul.
Nam dilecta Deo hic rite Theophila mixtim
Adjungit vota atque favet precibus.
Virginei flores, meritis pulsate Tonantem,
Placatum et nobis reddite, quæso, Deum.

XXXIV. — *Et in dextro altare iste.*

Hoc altare tenet Timotheus apostolus almus,
Vitalis martyr, Vitus et ipse simul,
Fortunatus adest, Felix Tiburtius atque,
Servilianus amor, Sulpitiusque pius.
Marius et Martha pariter cum pignore bino,
Martialis martyr cum Diogene simul.
Sanctus Firminus, Liberalis Fuscianusque,
Rusticus et Firmus, Castulus atque Zenon.
Cum quibus en gaudet hic Victoricius apte,
Gentianus martyr congratulando manet.
Hos peto tu, orator, precibus placare patronos,
Si velis summi scandere regna Patris.

XXXV. — [a] *Ad altare sancti Stephani.*

Levita hanc Stephanus simul et Laurentius aram
Exornant meritis, Pancratiusque pius.
Donatus, Victor, Vincentius, et Cyriacus,
Quintinus martyr atque Sebastianus,
Cumque quater denis Ferrutius ipse precando
Instat martyribus, poscite lucis opem.

XXXVI. — [b] *Ad altare sancti Clementis.*

Hic Clemens martyr, pariter cum martyre Lino,
Sanctus Alexander et Favianus adest.
Marcellus, Stephanus, Cornelius et Cyprianus,
Lactantum et turba sanguine tincta suo.
Aureus hic præsul Justinus martyr et ipse
Rite juvant precibus atque bonis meritis,
Hisque Saturninus martyrque Georgius apte
Exorat junctus pro populis Dominum.

[c] XXXVII. — *Ad altare sanctæ Agathæ virginis*

Martyr Agatha Dei, Petronella, et tu Juliana,
Lucia, Perpetua, nosque Sabina fove.
Praxede cum sacra foveas nos, virgo Basilla,
Sicque piis meritis sancta Pudentiana.
Regina virgo conjuncta sororibus istis,
Tu nobis pandas regna poli precibus.

A XXXVIII. — [d] *Ad altare sancti Lucæ evangelistæ.*

Lucas qui scripsit cum gestis dogmata Christi,
Vinclis hic Petri mixta locat spolia.
Augustinus adest, Germanus, ipse Remeius [e],
Maximinus præsul atque Medardus ovat.
Ambrosius doctor, Eusebius atque Vedastus
Suppremi nobis numen adesse petunt.
His simul adjunctus pro nobis martyr et Hermes
Exorat Dominum, postulat et veniam.

XXXIX. — [f] *Ad altare sancti Marci evangelistæ.*

Marcus Evangelium qui scripserat arte Pelasga,
Martyre cum Paulo hic atque Joanne manet.
Ipse Valentinus, Gorgonius atque Nazarius,
Germani, et septem, Gordianusque simul.
B Candidus Exsuperus, Victor, Mauritius atque
Silenus martyr et Timotheus ovat.
Abdoque cum Senne, Prothus martyrque Hyacinthus,
Quos nobis, Christe, rite favere facis.

XL. — *Ad altare sanctæ Agnetis Virginis.*

Agnes et Euphemia, Genoeva, Susanna, Columba,
Hoc altare ornant rite suis precibus.
Cum queis tu, Brigida, et tu, virgo Scholastica, sem-
Placatum nobis Altithronum facias. [per

XLI. — *Ad altare* [g] *sancti Benedicti in crypta occidentali.*

Hanc, Benedicte Pater, cryptam tutaberis aram,
Sanctus Honoratus hanc simul ipse colit.
Eucherius, Trudo, Arnulphus, Servasius [h] atque,
C Cuthbertus, Beda hic Equitiusque manent.
Hicque Columbanus fixa stat rite columna,
Martyris et tumulo subsidia apta feret.

XLII. — *Ad altare sancti Ignatii.*

Hunc titulum martyr Ignatius et Florianus,
Ursicinus servat atque Rogatianus.
Emmeramus adest, Julianus, Patriciusque,
Sanctus Wigbertus, martyr et Hippolytus.

XLIII. — [i] *In cœmeterio fratrum in Ecclesia sancti Michaelis, in primo altare.*

Hoc altare Deo dedicatum est maxime Christo,
Cujus hic tumulus nostra sepulcra juvat.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] Secundum ordine inter editas basilicæ epigraphas, cujus ibi titulus : *In porticu septentrionali, in sinistra, absidæ orientalis.*

[b] Quartum in editis, scriptumque fuit vel insculptum, *Dextræ absidis orientalis, in porticu basilicæ meridiana.*

[c] Dedicationis actio : *In parte septentrionali transversæ domus.* Et distichon illic om ssum :

Praxede cum sacra foveas nos, virgo Basilla;
Sicque piis meritis, sancta Pudentiana.

[d] Huic epigrammati titulum olim dedimus a loco. *In sinistra arcus, qui respicit domum orientalem.* Jamque carmen id tetrasticho novo cumulatum cernis.

[e] Remigius.

[f] Titulus editi carminis : *In dextra ejusdem.* Carmen autem duobus, qui ibi præteriti fuere, versiculis explendum est.

D Candidus Exuperus, etc.
Silenus martyr, et Timotheus ovat.
Abdoque cum Senne, Protus martyrque Hyacinthus,
Quos nobis, etc.

[g] Accessit hac editione distichon, quod suppressum est in Actis dedicationis.

Eucherius, Trudo, Arnulphus, Servatius atque
Cuthbertus, Beda hic, Equitiusque manent.

[h] *Servatius*, nisi sit Gervasius.

[i] Cœmeterium hoc, cum singularis artificii templo, anno 822 ab Heistolfo Moguntiacensi archiepiscopo dedicatum; et versuum ornamenta, quæ hic leguntur lib. II Antiq. Fuld., c. 5, memoriæ tradidimus. Superest interjectus basilicæ ad septentrionem collis, et S. Michaelis præpositura et templo, ex ruderibus veteris ecclesiæ suscitato, non ignobilis.

Digitized by Google

Pars montis Sinai Moysi et memoratio digna,
Hic Christi Domini et genitale solum.
Hic Michael princeps Domini symmysta Joannis
Victoresque foci tres simul et pueri.
Privatus martyr pariter et Habundius ipse
Suscipiunt vota atque Deo referunt.
Sulpicius præsul simul et confessor Amandus,
Hic monachus Mammas, hic ovat et Simeon.
Cum quibus hic semper votis assiste precamur,
Virgo sacrata Deo, martyr Anastasia.

XLIV. — *In sinistro altare.*

Hic Anianus adest, martyr Desiderius atque
Rex Sisemundus ovat, Genesiusque simul.
Tu quoque, Christophore, nostris pie mentibus adsis,
Cumque tuis sociis ipse juvato preces.

XLV. — *In dextro altare.*

Paulinus præsul, Brixius quoque Perpetuusque
Sanctus et Isidorus, Martialisque Pater.
Hanc aram meritis semper vivacibus ornant,
Assistunt precibus, quas pie quique dabunt.

XLVI. — [a] *In ecclesia Sanctæ Mariæ, in monte qui vocatur Episcopi, in dextro altare.*

Hoc altare tenens Bonifacius ipse sacerdos,
Et Christi martyr, rite patronus adest.
Cui quoque conjunctus sit papa Gregorius isthic
Æquati et meritis regna superna tenent.
Non minor ergo fide martyr Laurentius istis,
Hic ovat et precibus, adjuvat ipse pios.

XLVII. — *In sinistro altare.*

Hic, Pater alme virum, monachorum maxime pastor,
Tu Benedicte, tuos rite juves precibus,
Cui soror adjuncta Scholastica sancta virago:
Tu tibi devotis posce salutis opem.
Martyr Anastasia, simul tu funde, precamur,
Pro nobis Christo semper et ipsa preces.

XLVIII. — *In monte qui vocatur episcopi in turre ecclesiæ Sanctæ Mariæ.*

Annue Christe Deus, Michael archangelus isti
Assistat votis, nos juvet et precibus.
Martinus præsul, martyr Dalmatius atque,
Propitium nobis te faciant meritis.
Cassius, Anthimus, sanctus Florentius astent,
A Memmius antistes hic soror Etpumia. [b]
Credimus ergo satis placatum te adfore nobis
Si hi prece nos studeant rite fovere sua.

XLIX. — [c] *In absida ecclesiæ Sancti Petri quæ est in monte sita.*

Ecce sator hominum victor super æthera scandit,
Discipulisque suis regni sacra limina pandit,
Quem sic venturum angelica huc oracula spondent
Cœtus apostolicus pariter cum plebe fideli
Dona Paracleti igne micante capit.

L. [d] — *Ibidem.*

Hic locus ecce tenet sanctorum condita rite
Ossa simul memorans et pia facta colit,
Mater Felicitas, sancta et Concordia nutrix,
B Hippolyti hic pausant Candida et Eutropia.
Pauli namque hospes, Aquila hic et Prisca [Priscilla] [quiescunt,
Eugenia hic virgo atque Basilla manent.
Virginis Agnetis hic collactanea sistit,
Nempe Emerentiana martyr et ipsa sacra.

LI. — *In dextro altare.*

Martyribus Christi cunctis hæc ara locata est,
Præcipueque istis, littera quos numerat.

LII. — *In sinistro altare.*

Sors confessorum Christi hanc obtinet aram,
Quos aula cœli possidet atque tenet.

LIII. — *In crypta subtus ad altare primum.*

Hac Baptista potens sacra venerabitur ara,
C Hac vatum turba atque Patrum colitur.

LIV. — *Ad altare medium.*

Virgo Dei genitrix hanc aram rite teneto,
Hanc tecum habeat virgineusque chorus.

LV. — *Ad altare tertium.*

Hoc altare Dei Michael archangelus ornat,
Hocque colunt pariter agmina et angelica.

LVI.

Qui regit imperium mundi, qui continet astra,
Hanc aulam adventu dedicat ipse suo.
Cum quo baptista simul et symmysta Joannes
Hanc ædem inhabitant, Christe, tui famuli.

LVII.

Marcellus clemens, Bonifacius et Cyprianus,

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] De monte Episcopi, qui nomen id a sancto Bonifacio insessore retinet, et variis loci ornamentis, sæpiuscule loquuntur Antiquit. Fuld. libri. Templum id præter alias clades quibus afflictum olim, tam D multis nuper labefactatum injuriis, ut ruinæ proximum videatur. Loci amœnitas in oppidi conspectu, acclivi colle ad aquilonem siti, et celebris soli religio Balthasarum, felicis memoriæ abbatem, permoverant ut labem resarciret, et operi jam manus adhibuerat. Neque templi modo fabrica, sed aptum monasticæ domicilium surgebat, cum præclaram animi contentionem in medio spatio invidia fregit et prava factiosorum æmulatio: donec tandem Joannes Fridericus, successor, templo restaurato, benignam operi manum admovit. Interim Ratgarii operum, aut monumentorum Rabani, nullum ibi in corpore templi, vel turribus ipsis, vestigium; etsi lapis sepulcralis Ratgarii isthic hodieque monstretur. Itaque abiere omnia quæ ex Rudolpho nos olim lib. III Antiq. meminimus, de illatis hunc in locum sanctorum exuviis aliisque collatis ornamentis.

[b] Ethymia. Forte *Euprepia*, quæ invenitur in antiquis Litaniis, tom. V antiq. Lect.

[c] Opus hoc Rabani ecclesiam, a Reginbaldo, chorepiscopo Otgarii Monguntini pontificis, dedicatam, pignoribus sanctorum, conditoriis ut epigrammatis mirifice instruxit. Testatam hanc rem commentario Rudolphi dedimus, qui exstat in Antiq. Fuld., lib. III.

[d] Hoc epigramma, arcæ reliquiariæ inscriptum, porrectis in utramque partem versibus, narrationi suæ Rudolphus, Actorum Rabani scriptor, intexuit.

Digitized by Google

Cum Sixto et Lino hic ecce aderunt sociis.
Deprecor, o lector, quicunque cernuus intres,
Ut studeas votis rite placare Deum.

LVIII.

Cœtus apostolicus cum hic pictis rite ministris,
Hoc altare tenet atque juvat meritis.

LIX.

Virgo Maria Dei genitrix hanc continet aram,
Cœlica martyr Agnes Agatha simul.

LX.

Lucia, Juliana simul et Scholastica virgo,
Valde juvant precibus atque piant meritis.

LXI.

Martinus præsul, Antonius et Benedictus
Hanc cryptam inhabitant et titulum retinent.
Hic papa Gregorius, hic Gallus Equitiusque
Cum Columbano vota pia accipiant.

LXII. — *Exhortatio fratrum ad orationem.*

Currite vos, fratres, ad cœli culmina prompti,
Christus in arce sedens præmia magna parat.
Sanctus Anastasius promittit gaudia vera,
Quæ vobis Christus Rex pius ipse dabit.
Nos quoque vobiscum, quo gaudia prenditis alma,
Poscimus hinc rapide ecce valete simul.
Si tu, lector, amas custodem noscere templi
Accubitor Domini ipse Joannis adest.
Hic frater Domini Jacobus, hic virgo Maria,
Martyr et antistes hic Bonifacius est.
Clemens clementer, Pancratius et Julianus
Excipiunt vota hic atque Deo referunt.

LXIII. — *Versus in ecclesia Dei genitricis.*

Suavior et roseo nimium rubicundior ostro,
Vincis aromaticas mentis odore comas.
Chara, benigna, micans, pia, sancta, verenda, ve-
[nusta.
Flos, decus, ara, nitor, palma, corona, pudor.

LXIV. — [a] *In ecclesia S. Mariæ, quæ in loco qui vocatur Holzkyricha est constructa, juxta introitum ejus hi descripti sunt versus.*

Quisquis hanc aulam petiturus gressibus intrat,
Agnoscat primum quid locus hic habeat.
Virginis hic matris sacra pignora rite locantur,
Hanc aulam et totam ipsa dicat meritis.
Cum qua sanctorum turba hic pie nobilis astat
Suscipiens vota atque Deo referet.
Unde decet valde quod cordis pura voluntas.
A Sermoque cum factis dona superna petant.

LXV. — *In sepulcro SS. martyrum qui ibi requiescunt hi continentur versus.*

Ecce viros istos præclaros valde patronos
Roma decus orbis miserat huc pariter :
Quos quoque Rabanus humilis susceperat abbas,
Præsule cum Humberto rite locavit et hic.
Hic pausat Magnus, martyr Januarius atque,
Officio insignes atque sacris meritis
Qui cum pontifice Xysto mucrone perempti
Levitæ cœlo reddiderant animos.

LXVI. — *In primo altare.*

Virgo Maria Dei genitrix, hæc aula resultat
Ecce tibi, et tota fulget honore tuo.
B Virginibus præsens sacra hæc decoratur et ara,
Qua supra pietas absida læta notat,
Cum quibus et sancta Praxis ovat atque Basilla,
Candida virgo simul atque Pudentiana.

LXVII. — *In dextro altare.*

Cœtus apostolicus hanc sacram continet aram,
Adjuvat et precibus, ornat, amore colit.
Vos quoque qui intrastis, cervices flectite vestras,
Devoto hic corde poscite lucis opem.

LXVIII. — *In sinistro altare.*

Clarus in orbe soli martyr Bonifacius istud
Obtinet altare cum sociis pariter,
Quorum si lector tu noscere nomina quæris,
C Inspice picturam, et relege titulos.

LXIX. — *Ad crucem.*

Qui crucis lignum, quo Christus sæcla beavit,
Emblemate inclusum arx tenet ista crucis.
Baptistæ et Christi spolia tenet ara sacrata,
Doctoris Pauli relliquias pariter.
Scriptor Evangelii Marcus cum compare Luca,
Sennen atque Abdo hanc et amore colunt.
Sanctus et Hippolytus Prothus, martyrque Hyacin-
His simul adjuncti mixta locant spolia. [thus,

LXX. — *In crypta.*

Martinus præsul simul et Gregorius almus
Hanc aram meritis rite colunt propriis ;
D Cum quibus Equitius ovat atque Antonius abbas,
Sanctus Maximinus pastor et ipe pius.

LXXI. — *In capella.*

Culmen apostolicum Petrus Paulusque magister,
Hoc altare suis rite dicant spoliis.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] Waldztaia regione apud Mœnum, prope ab Odonis silva, immensæ olim magnitudinis, hanc ecclesiam cum monasterio, in Antiq. Fuld. libris, sitam ostendimus ; quæ hodieque primariæ congregationis præposituris annumeratur. Locus Holtzkyricha dictus, quia ecclesia quæ ex κυριακῷ Græco, Germanis *kyricha*, nemoroso in solo et cæduis fertili, quod iisdem *holz*, exstructa. Et recte dicti ejus tractus homines *waldsassen*, seu nemoris accolæ. Origines loci alibi, et præclare Rudolphus, sæpe nobis laudatus, divorum Januarii et Magni, qui hic nominantur a Rabano, evectionem descripsit. Etenim Humberti Wirziburgensis episcopi studium, cujus in diœcesi monasterium id erectum, excitavit, ut ossa martyrum is venerabiliter conderet ; atque inde Rabanus, machina super sepulcro lignea affabre exstructa, et vario metallo indacta, versus addidit qui hic epigrammate 65 leguntur : *Ecce viros istos* quos eosdem Rudolphus in Acta misit.

Digitized by Google

Pontifices summi Xystus Bonifacius atque,
Martyrio insignes, hic habitant pariter.
Commanet hicque simul Felicissimus Agapitusque,
Levitæ sacri, testis uterque Dei.
Flectite vos genua, qui intrastis limina sacra,
Christus adest rector, poscite lucis opem;
Per quam omnes fines terræ meruere salutem
Gaudet et orbs totus, pontus, arena, polus.
Vellere candidior, fulvo rutilantior auro,
Fulgidior radio, dulcior ore favo.
Hæc tibi, sim indignus quamvis, corde, ore susurro
Spes mihi sis veniæ, que vehis orbis opem.

LXXII. [a]

(Defectus.

Hic quoque, qui astatis, cervices flectite vestras,
Solvite vincla pedum, mundi secludite curas,
Christus adest rector, sanctorum exercitus omnis,
Poscite lucis opem, tenebrarum linquite curas.

LXXIII. — [b] *Versus more litaniæ facti.*

Arbiter omnitenens, rerum tu summe creator,
Aspice de superis omnipotens genitor.
Omnipotens genitor, ex quo sunt omnia vere,
Principium æternum, tu miserere tuis.
Filius ipse Dei, per quem sunt condita cuncta,
Tu clemens nostras suscipe, quæso, preces.
Spiritus alme Dei, cœli terræque repertor,
In quo sunt cuncta, tu pia vota vide.
Trinus personis, natura conditor unus
O Deus altithrone semper adesto pius.
Clara Dei genitrix, sanctissima virgo Maria,
Ora pro nobis, rite favendo, Deum.
Pro nobis poscas Michael archangelus ipse,
Et Gabriel fortis et Raphael medicus.
Cum æthereis turmis placantes sceptra superna,
Propitium nobis Celsithronum facite.
Zachariæ natus, præco, cunctique prophetæ,

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] Post magnum hiatum et paginas aliquot membranæ detractas, leguntur hæc carminum paralipomena, quæ ex Fortunati libro VIII, poem. 5, cui titulus: *In laudem S. Mariæ virginis et matris Domini*, decerpta sunt. Nam ea quæ hic præscribuntur titulo 63: *Versus in ecclesia Dei genitricis*, cum iis quæ num. 73 excurrunt perperam miscentur. Apud Fortunatum enim in epilogo poematis hoc ordine leguntur:

Pulchra super gemmas splendorem solis obumbrans, etc.

Facile itaque jacturam hanc feremus, si Fortunati quod opinamur, prolixum poema hic intextum fuerit.

[b] Notabilis hic veteris litaniæ ritus expressus, qui in nostram ætatem usque propagatur, ut ab invocatione sanctissimæ Trinitatis gradatim per sanctorum certas classes supplicatio finiatur, Agni Dei, id est, Christi Domini nostri, ope et misericordia implorata. Mos autem obtinuisse Rabani ævo videtur, ut ad faciliorem cantum et harmoniam litanias metro conciperent, cujusmodi tomo V Antiq. Lect. a S. Galli duobus eruditis et rara pietate monachis elaboratæ afferuntur, Rutperto et Nothero; et nos jam promemus eam quam a Rabani aut coætanei cujuspiam ingenio profectam suspicabamur, et in D. Marci Nudipedalibus olim decantari, et ad hanc diem in Supplicatione compestri a monasterio Fuldensi adhiberi solitam sciebamus. Verum monasterii S. Galli monumentis inspectis, prorsus eam Hartmanno sive Hartmundo Rabani discipulo ascriptam animadvertimus, quode Trithemius et Henrici Canisii notæ tom. V Antiq. Lect. Porro litaniis illis epigraphe datur:

Ad processionem diebus Dominicis

Earumque tenor hic est:

Humili prece, et sincera devotione
Ad te clamantes semper exaudi nos.
Summus et omnipotens Genitor, qui cuncta creasti
Æternus, Christus Filius atque Deus, etc.

Collatis autem cum vulgato manuscriptis Fuldensibus, lectionis et ordinis magnam varietatem deprehendimus, ita ut Sangallenses, versibus nonnullis immutatis, litaniam a Rabano forte concinnatam ad sui monasterii usum transtulisse suspicari possis.

Vulg.: Perpetua radians cum virginitate pudoris
Fuld.: Perpetua semper radians cum virginitate.

Hinc post apostolorum invocationem, a verbis his: *Fac bona cuncta sequi*, interponunt Fuldenses tetrastichon:

Summe Bonifaci (*Al*, Galle Dei summi) miles fortis- (sime Christi,
Nobis nunc famulis auxiliare tuis.
Nil scis (sic) perspicuum poterit vox (nos) clara re- (ferri,
Ut decet in tali nunc Patris obsequio.

Rursum post versum:

Chrysogonusque pius nos miserando juvet.

Fuldenses ordinem interpolant, et martyrum diverC sorum patrocinia superaddunt:

Hic tibi perpetuis resonant concentibus ædes,
Arcibus (ossibus) et sacris semper habetur honos.
Cum læti famuli celebrant hæc festa benigni,
Laudibus instantes nocte dieque tuis.
Dirige corda pius, tu tempora dirige nostra,
Atque dies lætos ducere da famulis,
Ut semper valeant tibimet servire quieti,
Te quoque cœlesti cernere luce poli.
Basilides, Nabor, Gorgonius atque Cyrinus (Quirinus),
Martyrio nitidi qui estis in arce poli.
Vocibus assiduis effundite rite precati,
Nosmet ut innocuos efficiat Dominus.
O dilecte Deo radians virtute corusca
Sancte Albane (*Vulg.*, Othmare) Pater, junge pre- (ces pariter.
Intercede piis veniam poscendo misellis,
Aureque tam blanda carmina percipimus.
Præsul Adelbertus, Christi pro nomine passus,
Adjuvet indignos subsidiis famulos.
Ad Christum Dominum, qui salvat sanguine mundum,
Ut sit peccatis propitius hominum.
Hammerane sacer princeps, et in ordine pastor;
Sanguine qui fuso testis ades Domino
Semper cum populo rogita pro crimine cuncto;
Ut servet famulos, hoste nocente, suos.

Hinc jam subjicitur:

Ovos martyrio, etc.
Vulg.: O Benedicte sacer atque benigne Pater.
Fuld.: O Benedicte Pater, junge preces pariter.

Claudunt Litaniam Fuldenses Græcho disticho.

Κύριε παντοκράτωρ, Ἰησοῦς σωτὴρ σαυτοῦ,
Εὖ βασιλεῦς ἡμῶν, Χριστε, ἄλεισον.

Atque hanc ryhthmicam litaniam Sangallensis cœnobita, sui monasterii illustrator, Jodocus Motzlerus, fatetur in feriis Rogationum adhuc, ut hodieque Fuldæ, usurpari; et formulam hanc a Nicolao III pontifice quoque probatam. Adi Antiq. Lect., tom. V.

Digitized by Google

Et sancti Patres, conciliate Deum ;
Cœtus apostolicus, Christi comitatus honestus,
Tu precibus nobis limina pande poli.
Claviger æthereus Petrus Paulusque magister,
Andreas, Jacobus atque Joannis amor :
Thomas cum Jacobo, Philippus, Bartholomæus,
Matthæus et Simon, Thaddeus et Mathias.
Doctrina gratulans, rutilans et sanguine rubro,
Victorum alme chorus, nos rege tu monitis.
Barnabas, Silas, Stephanus Marcusque Titusque,
Lucas, et Clemens, sanctus Apollinaris.
Sixtus, Alexander, Cornelius et Cyprianus,
Felix, Urbanus, Mauritiusque prius.
Cum queis tu doctor Bonifacius, inclyte martyr,
Placans Altithronum, funde preces, petimus.
Alme tuos socios moneas, Martine, precamur,
Pro nobis Dominum poscere rite pium.
Hoc Leo, Sylvester simul, et confessor Amandus,
Ambrosius præsul papaque Gregorius.
Augustinus honor, doctor Hieronymus, atque
Maximinus pastor Eusebiusque gerat.
Hoc, Benedicte, tuis monachis impende precamur,
Cum Antonio et Paulo regna beata tenens.
Martyr Agatha Dei, foveas nos rite precamur,
Agnes sic virgo, sic et Anastasia :
Lucia, Balbina, Petronella, Eulalia, Thecla,
Regina, Euphemia, Cecilia, Sotheris,
Eugenia, Prisca, Monegundis, Praxidis, Afra,
Christina, Brigida, turbaque casta poli.
Cœlicolæ cuncti, sanctorum exercitus omnis
Hoc precibus agite, ut nos Deus ipse juvet.
Expurget miserans, exaltet, diligat, ornet,
Illæsos servet, protegat atque regat.
Det pacem veram, det plenum munus amoris,
Actus det placidos spemque fidemque bonam.
Virtutum copiam tribuat mentemque benignam.
Et carnem castam, tempus et omne bonum,
A Dei victum, vestem, fidos det semper amicos,
Atque hostes cunctos arceat ipse procul.
Famem depellat, morbos simul auferat omnes,
Conterat et longe dæmonis insidias.
Curramus læti, ut capiamus regna beata,
Cum Christo sursum semper in arce poli.
Agnus sancte Dei, qui tollis crimina mundi,
Semper in æternum tu miserere tuis.
Tu nos, Christe, audi, tu exaudi, Christe, precamur,
Te sequimur, Christe, te volumus, cupimus.
O Domine, salva, quia vitam quærimus abs te,
Redde tuum vultum, sic erit atque satis.
Tu quo virtus, tu vita es, Christe, perennis,
Tu, Christe, eleison, tu, Kyrie, eleison.
Amen.

B

LXXIV. — *De prudentia.*

Virtutum species primum prudentia pandit,
Hæc recolit cuncta, dictat honesta bona.

LXXV. — *De justitia et pietate.*

Justitia et pietas par pactum servat et omne
Judicium ritu ordinat ipsa suo.

LXXVI. — *De fortitudine patientiæ.*

Fortiter adversa virtus patientia suffert,
Victrix confidens tristia cuncta fugat.

LXXVII. — *De temperantia.*

Temperat ergo bene jam cuncta modestia virtus,
Et clemens placide jura superna dabit.

(*Defectus ad pag.* VIII.)

C

TITULI ET INSCRIPTIONES ECCLESIÆ N.

AB OTGARIO ET RABANO RELIQUIIS ET ALIIS ORNAMENTIS INSTRUCTÆ.

LXXVIII. — [a] *Versus in tumulo sancti Sergii.*

Martyribus sanctis honor exstat maximus orbe,
Nomine pro Christi qui meruere mori.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] Martyrum Sergii et Bacchi frequens in tabulis ecclesiasticis memoria. Fratres fuisse, et eorum pignora Roma in Germaniam translata, quod hic poetice quidem at vere canitur, non perinde testari possumus. Ad VII Octobris Martyrologium Romanum memorat eorum martyrium ; et locus ubi Sergius quiescit, proditur Sergiopolis ; aliaque ad horum martyrum præconium, in adnotationibus suis Cæsar Baronius ex Græcorum commentariis observavit. At ex Eoæ Euphratesia provincia quando in Occidentem, et ut hic Rabanus, in urbem Romuleam penetrarint, quis nobis ad investigandum viam muniat, ubi tot historiæ sanctorum offusæ tenebræ ? Satis Gregorius Turonensis docet lib. Fr. VII, cap. 31, reliquias eorum Gallis innotuisse ; satis Anastasius, Gregorio III sedente, diaconiam sub eorum titulo surrexisse. At corpora sanctorum vel integra, aut sui potiore parte, Romam allata, manet obscurum. Et tamen Moguntiacensis archiepiscopus a sancto Bonifacio quintus,

Romulea ex urbe hos præsul Otgarius ambos
Advexit.

Quin et, basilica condita, monumentum sancto Sergio, venerationis et honoris ergo publice posuit. Sane jucundum fuit, Antiq. Lect. tomo V, hymnum legere, testem eorum in occiduum orbem adventus, quique horum martyrum laudes et sepulturæ locum exprimeret, etsi non ita clare ut locum omnem tolleret ambigendi :

Inde vos sæcli pretium sequentes,
Quæsumus, nobis meritis favete,
Nosos (morbus) ut vestris nequeat nocere
civibus istis.
Hic topus (locus) vester vacitatur Alba,
Civitas sacris decorata gazis,
Quem sacro sancti cineres adornant.
Somata (corpora) sancti.

Character ab ævo nepotum Caroli magni, cum hellenismi affectatione. Sed Albam hanc quis nobis geographus radio suo designet ? in censu quidem suo plurimas id nominis urbes habet. Hagiologi recentiores, ut Wicelius in Choro sanctorum, et Martyrologium vulgo Petro Canisio ascriptum, hos martyres tradunt apud Venetos quiescere ; quanquam Wicelius id constanter affirmari nolit. Ego, præeunte Rabano, in Moguntinam diœcesin importatos cogor credere. Atque ex sequentibus epigrammatis colligo, in celebri quadam basilica S. Sergii corpus aut ossa ejus præcipua deposita. Nam thecam qua componeretur, ei Rabanus faciendam curavit (*epigr.* 79), et confessionem sepulcri versiculis ornavit (*epigr.* 80) ; denique inchoatam ab Otgario ciborii structuram, et superimpositam altari S. Martini, perfecit, utrius-

Digitized by Google

Excellens inter quos gaudet Sergius almus,
Qui cum fratre Baccho supplicia arcta luit.
Romulea ex urbe hos præsul Otgarius ambos
Advexit, tantum Sergium et hic posuit.

LXXIX.

Hanc thecam tibimet, Sergi, sanctissime martyr,
A Rabanus fecit, servulus ipse Dei.
Ex parvo sumptu devoto sed tamen actu,
Temet patronum quærit et esse suum.
Delicti ei veniam poscas et dona quietis
Indigno miserans reddat ut Omnipotens.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

que divi, et S. Martini, qui hodieque ecclesiæ Moguntinæ patronus, et sancti Sergii martyris honori eam collocans (*epigr.* 81). Ubi obiter trado, ciborium apud Athenæum lib. XI et ejus interpretem J. Casaubrium, ab Ægyptiis usurpatum nomen, pro certo poculi genere. Unde Hesychius κιβώριον αἰγύπτιον ὄνομα ἐπὶ ποτηρίου. Ecclesiasticus usus prisce jam pro conditorio accepit, vel theca, quæ corpus Christi aut sacrosanctorum ossa reciperet: jam pro grandioribus machinis illis quæ, turrium instar et arcarum, super altaris, mensam erectæ, nomen aræ retinent, quo modo hic ciborii arcem Rabanus appellavit. Consule de Ritibus eccles. Steph. Durandum, lib. I, c. 16. Sed ad martyres illico redeo, et eorum quoque memoriam in Eisfeldiæ non ignobili oppido Heiligenstadio venor. Oppidum id in centro Germaniæ, Meliboco monte finitum, limes est multarum nobilium provinciarum, Hassiæ, Thuringiæ, Brunswigiæ, paretque ditioni archiepiscopi Moguntini, qui per collegium Societatis, multiplici cultura, rudem et labantem ob temporum injurias istius regionis populum expolivit, et in catholica religione conservavit. Hic itaque dum Moguntiacensis historia silet, rituales libri fatentur, in ecclesia collegiali pervetusta, quæ D. Martino dicata, sanctorum martyrum Sergii et Bacchi frequentari patrocinia. Qua de re cum clerum istius loci consultum eo, illustria sane quam, testataque ejus narrationis monimenta isthic exstare comperior, quæ horum versuum titulos, C et martyrum fugientem memoriam ab oblivione facile vindicent, oppidique illius origines, abstersis fabularum nebulis, juxta in meliore luce collocent. Enimvero Aurei et Justini, Sergii et Bacchi martyrum conditoria, pignoraque sancti Martini basilicæ ms. liber, et templi conditi fundatique munificentiam Dagoberto Francorum regi fert acceptam. Quippe regem ob lepræ fœditatem a suis desertum, relicto regno, incognitas adiisse terras, atque in Eisfeldia repertis locatisque sedibus, ut fit, venatum iisse; hinc fessum, blandiente herbidi soli floribus intermixtis amœno toro, indulsisse somno; experrectum rore manus imbutas admovisse oculis; roris attactu rediisse salutem: sed manibus et vultui duntaxat; inde provolutum toto corpore iterum reginæ conjugis monitu, immersisse se roscido gramini, cum lepra funditus extersa, eremicolæ responso discit, Justini et Aurei precibus obtigisse sanitatem, quorum reliquiæ isthic loci, ubi rex D consanatus, tenerentur indefossa. Itaque, anachoretæ hortatu, religioni dicasse locum, sumptum et prædia donasse, unde templum existeret, et clerus ad Dei cultum coalesceret. Nomen quoque loco reliquisse a sanctis, quod Heiligenstadium sonat. Verum ut post tot inflicta huic loco bellicarum cladium et flammarum vulnera, quod ipsi fatentur qui hæc memoriæ mandarunt, credamus jam inde a Dagoberti temporibus, hac tam vicina Thuringis regione, templi clerique vestigia superfuisse; illa tamen quæ fabulantur de Aurei et Justini martyrio, isthic in solitudine peracto, et eorum capitibus quæ truncis suis avulsa, Attilæ jussu, Moguntiacum exportata siut, fidem nullam merentur: non quod Justinum pro Justina celebrent, sed quod in Aurei passione prorsus historiæ provinciali repugnent, et palæstræ gloriam metropoli adimant; ac denique commenta, poetis magis quam sacris scriptoribus digna, pro vera historia venditent. Sic igitur tota de re nos pronuntiamus. Ludovico Pio rerum potiente Otgarium archiepiscopum Heiligenstadio præcipuum honorem et gratiam conciliasse, translatis eo sanctorum Sergii martyris et Justini presbyteri pignoribus, iisque Bacchi et Aurei præsulis auctario cumulatis. Ab horum sanctorum cultu et veneratione, magnis, ut ea tempora erant, hominum coitionibus frequentata, decus et famam venisse loco, præsertim cum B priscæ S. Martini forte vel collapsæ vel obscuræ, ornatior et auctior basilica, Otgarii impensis, succederet, et Rabani cultu magis etiam efflorescerat. Sane Justini presbyteri et confessoris, quem Otgarium Roma extulisse Rabanus non uno loco docet, num. 107 et 130 ac seqq. merito hic optamus memoriam instaurari; cujus absque hisce versibus, et Heiligenstadiensis cleri indicio esset, nomen et titulum vetustas sepelisset. Nam cum Aurei et Justinæ sororis notior in vulgus sit historia, religioni non paucis fuit S. Justini patrocinium usurpare, ob erroris et falsi nominis suspicionem. Sed præter veteris libri constantem scripturam, cujus mihi copia facta est, etsi perperam ibi diaconus et martyr habeatur, lapis quo sepulcrum integitur medio basilicæ choro Justinum loquitur, ejusque amictu Levitico, ut pontificali B. Aurei, imagines geminæ huic lapidi insculptæ visuntur, et tacente licet epigrapha, quæ ibi nulla, majorum tamen vox Justinum et Aureum C sanctos interpretatur. Universe manuscriptus a me laudatus, tametsi multis, et equidem interpretor, fabulosis narrationibus inquinatus sit, ex majorum traditione tamen, de quatuor patronorum Heiligenstadii quiescentium memoria sic edisserit: *Conservantur in hoc præclaro templo, præter beatorum Aurei et Justini martyrum* [*Aurei martyris, Justini confessoris*] *pretiosas reliquias, non minori reverentia et cultu, fortissimorum Christi martyrum Sergii et Bacchi ossa veneranda, olim regali translata solertia, quorum omnium mausolea videntur dextra lævaque chorum subeuntibus, materia et arte conspicua.* Ita quidem ibi, ad priscam utique basilicæ faciem et lætiora primordia, quibus multiplices inde clades ac ruinæ supervenere, accommodata narratione. Et quo omnia denique nostra stabiliuntur, confessio Sergiani sepulcri, theca martyri fabricata, et junctus his S. Martini veteris patroni cum ciborio titulus, sepulcri sancti Justini, quam postea dabimus, inscriptio, scilicet aditum nobis huc aperire videntur. Accedit denique quod Rabano nobilioris basilicæ tribuunt dedicationem, quam ipse Kalend. Novembris, anno ob temporis injuriam oblitterato, peregisse traditur. Atque jam etiam despiciendum puto num huic Eisfeldiæ regioni Albæ vocabulum prius hæserit, quam sanctorum nomen percrebresceret, quomodo Sapphicis antiquis antea proditum meminimus. Sed illam civitatis gloriam facile nobis, opinor, incolæ condonabunt, cum etiam Willigiso sedente, Moguntinæ sedis illustri episcopo, cujus liberalitate cleri fortunæ majorem isthic in modum auctæ, civitatis vel oppidi nomen haud meruerit. Nam auctor Vitæ Burchardi, Wormatiensis episcopi, Ottonis tertii ætate, eum cum Willigiso in locum Heiligenstat pervenisse scribit, atque ibi pontificalis benedictionis unctione venerabiliter a Willigiso consecratum. Hæc de sanctis illis et civitate sanctorum habuimus dicere.

Digitized by Google

LXXX. — *Super confessionem ipsius sepulcri.*

Quisquis dona velit rite impetrare Tonantis,
Supplex poscat opem hic, martyrum et auxilium.

LXXXI. — *Super ciborio altaris sancti Martini hi versus sunt conscripti.*

Otgarius cœpit, Rabanus rite peregit,
Ciborii hanc arcem, Christe, tui famuli.
His tu mercedem tribuas in arce benignus,
Et requiem æternam omnipotens Dominus.
Præsul Martinus, martyr et Sergius almus,
Hos sacris meritis atque juvant precibus.
Peccati ut veniam accipiant ac munera lucis
Gaudia cum sanctis regna beata simul.

LXXXII. — *Versus in tabula inter seraphin posita.*

Hic Deus est Christus Dominus qui regnat ubique,
Et cruce confixus noxia vincla rupit.

LXXXIII. — *Versus...*

[a] Pontifices isti hanc sedem rite tenebant,
Postquam hunc Hunni diripuere locum.
Sed numerum annorum certum quo quisque regebat,
Ecclesiam nusquam reperire haud potui.
Ast postquam summus præsul Bonifacius isthic
Ex Roma est missus rector ubique pius.
Isti post ipsum hanc sedem jure regebant
Ordine pontificis officioque simul.

LXXXIV. — [b] *In ecclesia sanctæ Mariæ juxta sepulcrum sancti Bonifacii.*

Postquam martyrium explevit Bonifacius almus,
Martyr et antistes, æthera celsa petens,
[c] De Fresia huc vectus cum theca hac rite locatus,
Sanguinis hic partem liquerat hinc abiens.
[d] Desuper hunc tumulum Rabanus condere jussit
Ad laudem sancti exiguus famulus.
Indignus præsul vernaculus attamen hujus,
Pro quo tu, lector, funde preces Domino.

LXXXV. — *In ecclesia sancti Michaelis.*

[e] Hanc aulam precibus Michael archangelus ornat,
Martinus præsul adjuvat et meritis.
Scriptor Evangelii, Marcus, Bonifacius atque,
Agnes et virgo hic vota Deo referunt.

LXXXVI. — *In ecclesia sancti Salvatoris.*

Hanc pius ecce domum Salvator consecrat orbis
Hanc Baptista Dei vindicat atque sibi.
Hoc altare Petrus, Bonifacius et Kilianus,
Exornant meritis, laudibus atque suis.
Illicque Valentinus martyr Dionysius atque
Assistunt precibus, hicque Sebastianus.
Martinus præsul, Ambrosius atque sacerdos,
Hanc aram servant, sanctus et Hilarius.
Virgo Maria Dei genitrix hic cerne precantes,
Martyr Agatha Dei et Petronella simul.
Cor tibi sit mundum, sacra cum libamina tractas,
Sacrificans puras offer et ipse preces.
Hostia fit laudis semper gratissima Christo,
Cor quoque contritum respicit Omnipotens.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] Agit de Moguntiacensium præsulum successione, atque eorum tantum, ut apparet, qui post Hunnicam cladem, puta ab anno Christi 451, præter propter subiere. Serarius certe noster, postquam ex Trithemio opinionem eorum qui quadraginta episcopos ante Bonifacium admittunt, quos recentiores alii tantum sexdecim agnoscunt, arripuit, et in eorum Chronologiam permultum certe lib. II Mogunt. Rerum, et subtiliter inquisivit, non habuit quo totam illam disputationem fulciret, graviorem auctorem, quam Meginfridum Fuldensem monachum, a Trithemio cum alibi, tum in præfatione ad Vitam S. Maximi Mog. episcopi laudatum : quippe de quo scribit, temporibus Ottonis II et III Fuldæ vixisse, libros XXIV historiarum de temporibus gratiæ composuisse : ipsum Moguntinos præsules ante S. Bonifacium quadraginta commemorasse, eorum nomina, tempus et regiminis annos clare per ordinem expressisse, etc. Meginfridi quidem librorum nihil hic Fuldæ reperiri, sed nec aliunde erui, in tam utili reip. Christianæ negotio, sæpe doluimus. Nec minus tamen mirandum, si sua Trithemio constat fides, Rabanum in antiquitate Ecclesiæ suæ tam hospitem et peregrinum exstitisse, ut cum in monasterio Fuldensi, sæculo fere tardius Meginfrido, tam illustria documenta suppeterint, ipse omni doctrina liberaliter institutus, unde universum flumen erumperet, a seclusa aliqua fontis aquula superatus sit. Sed tamen Serarius noster aurum multifariam defossum quasi commonstraturus, satis habuit si signa et notas ostenderet abditorum locorum quibus exploratis, lector sibi ipse foderet. Unde et numeros quoscunque præsulum non delendos putavit, sed servandos. In rebus enim perobscuris magnum afferre sæpe momentum, vel tenuissimum lucis alicujus radium. Neque diffitetur aut alienum vero censet, Moguntinæ Ecclesiæ per varios temporum casus interpontificia contigisse, aut vacua interstitia; id quod in Albini et Theonesti Actis castigatioribus, et rituales ipsi libri fatentur, et in metropoli nostra Treverica observavimus, quando Treverensibus episcopis diœcesim patuisse per Germaniam primam, in qua Maguntiacum, ex Venerabilis Bedæ historia docuimus.

[b] Illustravit hunc locum Serarius noster in Moguntiacis suis, lib. III, notat. 47. Sed qui maximum et decus et lumen afferunt loco, hucusque ignorati versus et priscus ecclesiæ titulus, qui nunc S. Joannis, olim sanctæ Dei genitricis, meritoque hujus ecclesiæ metropolis fabrica vicina censetur antiquior. Et probabile est conditorii religionem non mutasse locum, etsi sæpius instaurata sit.

[c] *De Fresia huc vectus, cum theca*, etc. Theca hæc forsitan humi mersa in conspicuo non est, si superest. Tumbam vocat epigraphe vetus, Leonino versu concepta et saxo insculpta.

[d] *Desuper hunc tumulum*, etc. Anno 857 tumulus hic conciderat, sed Gerlaci archiepiscopi studio restitutus est. Inde memoria nostra obsolescens, Rev. Stephani Suffraganei pietate refloruit, picturis et ingeniosis versibus australi parieti inscriptis, e quibus unum hoc :

Cum diversa hominum contentio, Friso parentem
Occidit, cæsum gestit habere Mogus.
Corpus habere nequit, spirantia suscipit exta,
Spiret ut hic pietas præsulis atque fides.

Tricesima namque die a martyrio, 5 Julii, cæsi martyris corpus, ut memorant prisci, adverso amne sponte Moguntiacum advenit.

[e] Ad Fuldana templa, et principis basilicæ ornatum, quæ de Mauri capella, ara vel capsa, figuris, cruce Guntramni comitis aliisque crucibus scribit, dum certiora sese offerant, hæc omnia refero.

Digitized by Google

LXXXVII. — [a] *In ecclesia Vodilhohi.*

Scriptor Evangelii dilectus rite Joannes,
Cum Luca hanc aulam consecrat en socio.
Imbuit hanc aram Cornelius ac Cyprianus,
Ipse Bonifacius atque Dionysius.
Hic præcibus astat Vincentius et Cyriacus,
Cumque Valentino Rusticus astat ovans.
Gorgonius martyr, Pancratius ipse, Naborque,
Assistunt precibus hicque Sebastianus.
Hoc altare Petrus, Andreas, Paulus et ipse,
Exornant meritis atque sacris precibus.
Cum quibus hic gaudens Martinus præsul ovando,
Assistit votis sanctus et Hilarius.
Virgo Maria Dei genitrix intacta Tonantis,
Hic præsens adsis ipsa tuis famulis.
Lucia, Cecilia, atque Agnes et martyr Agatha,
Adsint hic tecum nosque juvent precibus.

LXXXVIII. — *In capella Mauri.*

Omnibus est locuples, qui rebus abundat honestis,
Cui superas Christus divitias tribuit.
Flecte genu, qui intras, Christum tu et pronus adora,
Cujus imago super picta colore micat.
Lux, via, vita, salus, sit merces omnibus isthic,
Qui Christo reddunt debita vota pie.
En una templum Domino hic parte ministro,
Devotis aliam reddo domum famulis.
Quam dulce et gratum est, fratres perpendite cuncti,
Stare choro, et placidis cœlestia psallere verbis!

LXXXIX. — *Item in eadem capella de figuris.*

Gratia clave aperit quæ clausa prophetia condit,
Quæ lex significat, et quæ hagiographa figurat,
Psallite vos, pueri læti, et benedicite Christo,
Ipse dabit vobis præmia læta polo.

XC. — *De cruce.*

Vexillum Domini qui vicit tartara Christi,
En rubet hic pictum luce micando nova.
Quisquis hanc cernis, lætus tu dicito Christo:
Semper in æternum gloria magna Deo.

XCI. — *Item.*

Crux veneranda Dei solis hæc fulget ab ortu,
Mitigat hæc Austri minitantia flabra procellas.
Hæc Zephyri nimbos et flumina pellit ab æde,
Hæc Boreæ gelidos compescit frigora flatus.
Christe pius Dominus visum cor dirige dextra,
Verba Deus famulo redde probata tuo.

XCII. — *In ara Mauri vel in capsa.*

Hæc plaga martyribus decoratur namque beatis,
Hæc confessorum spoliis pars rite refulget.
Hac præco et sancti numerantur parte prophetæ,
Virginibus sacris hic præstat virgo Maria.
A Omnibus hic sanctis digni celebrantur honores
Omnibus hanc aram Raban et ipse dedit.

XCIII. — *De cruce.*

Crux micat alma Dei, divino munere plena,
Sanguine quam Christus consecrat ipse suo.
Quam precor astantes cuncti cunctique sedentes,
Condigna laude semper amate piam.

XCIV. — *Item.*

Qui cruce confixus præstavit dona salutis,
Vos corde et carne protegat atque regat.
Consilium prudens tribuat atque utile verbum,
Actum pacificum, tempus et omne bonum.

XCV. — *Item.*

B Qui cruce confixus renovavit sanguine mundum,
Per crucis hoc signum hanc dicet ipse domum.

XCVI. — *Item.*

Crux hæc sancta Dei consignet munera mensæ,
Divino dono pocula cum dapibus.
Et Pater ipse sedens expenso munere, largus
Sis inopi, semper hospitis esto memor.

XCVII. — *Item.*

En crux alma Dei venerando fulget amictu,
Quæ Salvatoris tincta cruore fuit.
Hanc, precor, orate submissi dicite laudes,
A Christo Domino poscite lucis opem.

XCVIII. — *In cruce Gundramni comitis.*

C Crux quoque certa salus, mundi et concessio regni est,
Perpetuam vitam conferet ipsa piis.
Nam crucis hoc signum Gundramnus jusserat esse,
Cui Deus omnipotens præmia læta paret.

XCIX. — *De reliquiis in quadam arca positis.*

Angelicis alis hæc arca tegatur ubique,
Ecce beata cohors Agnum circumdat honeste.
Et præco, et mater, sors et apostolica.

C.

Quos vetus atque nova habuit lex ecce piorum,
Hic Patrum spolia nostra pie viscera condunt.

CI.

Martyris hic almi pie condita membra quiescunt,
Quæ Christus signis glorificare cupit,
Hic claudis gressus, lumen hic redditur orbo:
D Infirmus curam, sons capit et veniam.

CII. — *Ad altare sancti Petri.*

Cœtus apostolicus pariter cum principe Petro,
Hoc altare tenens ecclesiam dedicat.
Ipse sibi commissum pastor servat ovile,
Protegat atque regat, collocet atque polo.

CIII. — *Versus juxta corpus* [b] *Permenii scribendi.*

Permenius præsul Christi, confessor et ipse,

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI

At quod, *In ecclesia Vodilhohi*, scriptum, investigatione loci non obvii, fateor, aliunde merito exspectari judicium.

[b] Pirminius, Permenius, Pyrminius, aliaque varietate hujus episcopi nomen legunt veteres. Meldensis an Metensis, de quo certamen est, in Medio matricum ecclesiæ tabulis, metropoli Trevericæ annexis, inquirimus. Meldensem sive Metensem fatear, antiquorum indicum fide non obtinebis. Trithemius Meldensem pronuntiat sine dubio; nos Meten-

Digitized by Google

Hanc ædem inhabitat, consecrat atque locum.
Qui propter Christum præsentia gaudia mundi,
Spernens, pauperiem elegit atque sibi.
Deseruit patriam gentem simul atque propinquos,
Ac peregrina petens, æthera promeruit.
Gentem hic Francorum quæsivit dogmate claro
Plurima construxit et loca sancta Deo.
Hic quoque nunc pausat deponens corporis artus,
Atque anima sursum regna beata tenet.
Adjuvat et quousque [hos] qui digne cœlestia quærunt,
Riteque conservat ipse suos famulos.

CIV.

Crux ovat orbis honor, Christi victoria clara,
Gloria sanctorum, palma, decus fidei.

CV.

Hic sal et corpus, sanctorum hic pignora sacra,
Exorcismi, oleum, medicina, hic chrisma salutis.

CVI. — *Versus in sepulcro* [a] *sancti Ferrutii martyris.*

Martyris ergo sacri dudum huc transtulit ossa,
Ferrutii Lullus præsul et Urbis honor.
Riculphus post hæc, Haistulphus præsul et ipse,
Amplificant aulam, ædificant tumulum.
Quorum successor vilis Rabanus, ad instar
Majorum, hanc arcam condidit et titulum.

CVII.

Grandis honor Christi cultoribus exstat ubique,
Maxime qui pro ipso jam posuere animam.
Horum nam unus erat Ferrutius almus et aptus
Martyr, cum Albano testificans socio.
Præmia queis Christus tribuit pro sanguine fuso
Æternam vitam et regna superna poli.
Edidit hos versus Rabanus, coactus amore
Sanctorum, omnipotens cui miserere Deus.

CVIII. — *Versus ad sepulcrum* [b] *sancti Justini confessoris.*

Presbyter egregius simul et confessor honestus
Isthic Justinus pausat honorifice.
Quem Otgarius præsul Romana ascivit ab urbe et
Ecclesiam ædificans ossa sacra hic posuit.
Iste quidem sanctus, quanquam non sanguine fuso
Carne esset martyr, mente tamen fuerat.
Corpora sanctorum, qui sunt pro nomine Christi
Carne trucidati, condidit et tumulo.
Hinc laudem in terra meruit, atque insuper arce
Cœlorum vitam et regna beata simul
Hos ego Rabanus versus feci, et precor ut me
Commendes, lector, tu precibus Domino.

CIX. — [c] *De capsa quam Isanbertus monachus fecit.*

En arca hæc claustro custodit maxime capsam

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

sem malumus. Attigit hanc controversiam, Rerum Boic. lib. v Marcus Velserus, et Caroli Martelli temporibus ait in Germaniam venisse; ut Molani Chronologiam hic præteream, qui ad 3 Novembris, quo depositio S. Priminii celebratur, obiisse vult, anno 1034. Eisengreinius in Catalogo testium verit. Vitæ Pirminii auctores laudat Warmannum episcopum Constantiensem, Henricum comitem a Cahye, Augiensem abbatem, et in Acronii lacus insula Augiæ divitis, quod monasterio nomen, conditorem laudat impense Walafridus Strabus, non usquequaque remotus ab ætate Perminii, et istius gregis archimandrita. Eum sæpe cito ex Antiq. Lection., tom. VI:

Rhenus ab Ausonio, quo ducitur Alpibus, æquor
Miscet in occiduis diffusus partibus ingens.
Illius in medio suspenditur insula fluctu,
Augia nomen habens; jacet hanc Germania circa
Hæc solet egregias monachorum gignere turmas.
Primus in hac sanctus construxit mœnia præsul
Pirminius, ternisque gregem protexerat annis.

Quia vero versus quos illustramus petiti a Rabano, quo servirent memoriæ, ubi præsulis defuncti corpus depositum fuit, facem nobis præclaram Walafridus accendit, cum sepulturæ locum renudavit. Subjicit enim hosce versus :

Hujus quisque velit sanctam cognoscere vitam,
Ipsa sepulcra petat; satis ipse probabit in Hornbach.

Atqui Hornbach monasterium est S. Benedicti Metensis diœcesis, in Hundesfruchi tractu, haud procul oppido Biponte, cujus Thrithemius, Chronico Hirsaugiensi, ad an. 1083, et Spanheimensi, ad an. 1470, meminit, et tabulæ nostræ Metensium præsulum in Stephano episcopo.

[a] De Ferrutio martyre ex Meginhardi sermone multa promit auctor Mog. Rerum, lib. II, cap. 34, et lib. IV, ad S. Lulli Vitam. Quia vero martyris Castello, quod contra Moguntiacum carceris semestris squalore consummatus dicitur, indeque a Lullo transportatus in monasterium transrhenanum, nunc Canonicorum collegium, Bleidenstadt, diligentius hic despiciendum erit Moguntinis, quia quomodo una cum Albano Martyrium is obierit, quando Rabanus ita loquitur :

Martyr cum Albano testificans socio :

nemine post Rabanum, quod sciam, sive veterum sive recentiorum, in illius palmæ societatem ascribente Ferrutium? Scilicet recte fatetur Meginhardus suo tempore latuisse Actus S. Ferrutii, sive scriptorum penuria, sive deperiisse bellorum turbinibus; unde translationis ille tantum memoriam attigit. Nam ubi a Lullo conditum exornatumque scripsit Bleidenstadium, ejus successores addit Richolfum, Haistolphum, Rabanum, eadem devotione locum sanctum coluisse, ecclesiam amplificasse, tumbam sanctarum exuviarum decenter composuisse; paupères Christi, pro sacris ossibus excubantes, humanitatis summa consolatione fovisse. Quæ eadem duobus his epigrammatis complexus est Rabanus; et hoc insuper, majorum exemplo, arcam ibi et titulum martyri condidisse ipsiusque studio et amore scripsisse laudes.

[b] Justini confessoris his sepulcrum, postea basilicæ vel templi S. Justino ab Otgario archiepiscopo Moguntino erecti quatuor altaria a numero 150 celebrabit, quæ ingenii sui monumentis ad posteros traducere studuit. Temporis et oblivionis insidiis damna Justinum penitus nobis abstulerant, nisi Bleidenstadiensi basilicæ S. Martini ejus impressa vestigia fuissent. Transtulit ejus corpus Roma Otgarius, et sepulcro conditis ossibus epigraphen inscripsit Rabanus, qui presbyterum fuisse et tumulandis martyribus operam navasse in Christianorum persecutione, meminit.

[c] Laudavimus in Antiq. Fuld., lib. I, solertiam veterum monachorum, in re quoque fabrili et pictoria. Utriusque hic artis exculte specimen habes.

Digitized by Google

Quæ Salvatoris pollet honore pio.
Virginis hic matris conduntur munera sacra,
Quæ Dominum mundi edidit ex utero.
Martinus præsul, simul hic Sabaque eremita,
Princeps et Petrus, pariter martyrque Emerammus.
En Jesu Christi picto consistit imago,
In capsæ gremio quattuor et procerum.
Petrus cum Paulo sanctissima virgo Maria,
Et Michael princeps recte tenent latera.
Hoc opus, hoc etenim jussu confecit Isanbert;
Hoc Rodulph pictor arte manuque dedit.
Ambobus Christus regna tu redde polorum,
Hoc, omnes sancti, poscite vos precibus.

CX. — *Versus in theca Evangelii conscripti.*

Hanc thecam ad laudem Christi sic condere jussit,
Rabanus præsul, servus et ipse Dei.
In quo et Evangelium sanctum gestetur honeste,
Quando lecturus hoc diaconus erit.

CXI.

Presbyter et martyr Christi, Theodule, precamur,
Qui in cœlis gaudes cum sociis pariter,
Artifici ut veniam poscas et dona salutis,
Gratia quod Christi salvet eum arce poli.

CXII. — [a] *In Ecclesia monasterii quod dicitur Clinga hi versus sunt conscripti juxta primum altare.*

Hanc aulam Dominus Salvator consecrat ipse,
Cujus hæc ara pignora sacra tenet.
Sanctus Alexander papa hic, Urbanus et almus,
Cornelius, Sixtus sacra locant spolia.
Hos, Theodule sacer martyr et presbyter alme,
Juxta tuum corpus hic habeas socios.
Qui populum juvent precibus, placentque Tonan-
Ut famulos semper protegat ipse suos. [tem,

CXIII. — *In secundo altare.*

Principe cum Petro hanc aram Pauloque magistro,
Andrea et Jacob cœtus apostolicus
Ornat, amat multum meritis conservat et almis,
Devotisque astat hic precibus populi.

CXIV. — *In tertio altare.*

Alma Dei genitrix, sanctissima virgo Maria,
A Hoc altare tene atque juvato prece.
Quod tibi virginibusque sacris erectum constat et
Semper ut adsitis hic precibus populi. [optat,
Cecilia hic maneat, virgo Agnes, martyr Agatha,
Lioba et Anastasia ac Juliana simul.

CXV. — *In quarto altare.*

Præcursor Domini, sacer et Baptista Joannes,
Sanctus Callistus, et Fabianus, ovant.
Quos tu, Christe Deus, facias nos rite juvare
Cum precibus sacris atque bonis meritis.

CXVI. — *In quinto altare.*

Martinus præsul, Britius confessor et almus,
Sanctus Germanus Remigiusque pius.
B Gregorius papa hic, sanctus Benedictus et abbas,
Ornant hanc aram atque juvant precibus.

CXVII. — *In alia ecclesia isti versus. In primo altare.*

Hanc ædem sacram Michael archangelus ornat,
Protegit et servat, adjuvat atque piat.
Hic Leo papa manet, hic Marcellinus et almus,
Praxis et Eugenia hic aderunt precibus.

CXVIII. — *In secundo altare.*

Ecce Dionysius, martyr Laurentius atque,
Vitus et Albanus hunc titulum retinent.
Hunc ornat meritis martyr Bonifacius almus,
Cum precibus sacris huncque Sebastianus.

CXIX. — *In tertio altare.*

C Quattuor ergo viri scriptores rite probati,
Sancti Evangelii hæc loca sancta tenent.

CXX. — [b] *In sepulcro sancti Theoduli martyris.*

Corpora sanctorum pro Christi nomine passi,
Qui luxum mundi spernere consueverant.
Pluribus ecce locis venerantur rite sepulta,
Ipsi aderunt parti sat precibus populi.
Quorum præcipuus Theodulus martyr et almus,
Papa cum Alexandro passus in Italia.
Huc Caroli ascitus studio atque adductus ab urbe
Romana, hic multis pausat ad auxilium.
Sed vario eventu consumpsit flamma nefanda
Domata hæc cuncta, tegmen et Ecclesiæ :

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] Quinque epigrammata hujus ecclesiæ honori data, atque in Nemetes transmissa sunt. Est enim in Spirensi diœcesi situm Clingense monasterium, sed pristino mutato colore aliaque facie. Trithemius, Hirsaugiensi Chronico, ad annum 985 mirifice laudat ob virtutis et sapientiæ famam, qua tota Germania claruit, Adelbertum abbatem Clingensis monasterii, ex Hirsaugiæ monasterio istud evocatum. Et Clingæ monasterium (*Clingemünster* ipse vocat) celebrat aliquam multis locis : ad annum 1041, seu fraterno fœdere Hirsaugiensi adunatum; iterum ad 1237, et Spanheimensi Chronico; denique narrat anno 1491, a primævi instituti regula S. Benedicti descivisse ad Canonicos sæculares, magno malo abbatis, qui metu severioris disciplinæ Canonicis manus dederat.

[b] Alexandri, Eventii et Theoduli martyrum perennat in Ecclesia cultus et veneratio v Non. Maii. Narrat hic, non obvium alibi facile, Rabanus Theoduli corpus a Carolo Magno translatum Roma ex via Numentana in Germaniam, an et in Moguntinam diœcesim. Sed martyris memoriam, et ecclesiam desuper conditam, flammis incendioque labefactata, ab se restituta, et novam martyri sedem cum elogio versuum collocatam. Ex martyrum Actis in martyrologio Notheri id excerptum notabiliter, quod Severina, religiosa femina, colligens beatum Alexandrum atque Eventium in uno sepulcro, sanctum vero Theodulum separatim in altero diligenti accuratione, commendavit. Utinam hujus martyris abstrusam et latentem, ut apparet, nunc memoriam, cum Rabano renovare liceat, et sanctis eis liminibus, aut saltem vestigiis, advolvi !

Digitized by Google

Per pluresque annos combustus mansit inepte
Hic locus, et nullus jam reparavit eum;
Indignus donec Christi compunctus amore,
Rabanus præsul hunc renovandum adiit.
Qui ecclesiæ hanc ædem solers renovavit et aram,
Construxit sancti corpus et huc retulit.

CXXI. — [a] *Hi versus scripti sunt in ecclesia sancti Wiberti confessoris, hoc est, in absida orientali, ubi ipse sanctus corpore quiescit.*

Hæc domus alma Dei sacrata est nomine Christi,

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

Friteslaria rursum hic et Herolsfeldia, amica viris apostolicis loca, ab oblivione nobis sæpe vindicanda sunt; et hoc obnoxius, quo ab hæresi magis atque magis obteruntur. Hoc egimus in Antiquitatum Fuldensium libris. Hic illustris basilicæ magnitudo in conspectu ponitur, quæ apud monasterium Herolsfeldiam olim exstructa est. Loci origines debentur Fuldensi congregationi. S. Lullus, Bonifacii discipulus et successor, incrementa dedit. Ac tenuia quidem aut obscura, ut omnium rerum, sic et monasterii et ecclesiæ hujus fuere principia, quando Friteslaria Lullo jubente, probante Carolo Magno, S. Wigberti corpus istuc advectum est: nam intervallo temporis Bruno Hirsfeldiæ, et Rabanus Fuldæ abbates, basilicæ grandioris fundamenta jecere. Testis domesticus Lambertus Hersfeldensis ad annum Christi 831. Sanctum vero Wigbertum sacra dignaque receptum sede, sed non hac ampliore, quæ titulis hic ornatur, res clara est. Et epigraphen illustrem olim eruimus, posterioris dedicationis notam, ab anno 852 quanquam pro certissima noluerimus haberi; in ea Ludovicus Pius imperator exstructor basilicæ nominatur, et biennio duntaxat chronologiam Lamberti supergreditur, qui quinquagesimo illius sæculi anno dedicatam affirmat. At certe rem non inutilem egerim, si Lupi servati, scriptoris egregii meo sensu, obscuram orationem de S. Wigberti translatione, interpretatione mea non nihil adjuvem. Is itaque duplicem eam agnoscit, primam ex Fritzlariensi cœnobio factam in oppidum Buriburgum, hinc alteram in monasterium Herolsfeldiense. Cæterum in amplissimo Hassonumpago, qui Saxoni limitaneus, apud Friteslarium vicum, primitiæ collectæ Hassonum ecclesiæ, qui populi ante Saxones cum Thuringis ad fidem Christianam conversi, et in limite regni adversus Saxones, æternos hostes, collocati, ut a S. Bonifacio ejusque discipulis impigre exculti sunt, ita Francico imperio militiæ strenuam operam navarunt. Limitem hunc describo, quidquid terrarum, ripis Adranæ, Fuldæ ac Visurgis, a septentrione, solstitio brumali versus occasum prætenditur: hac enim parte, præsertim a Lippia et Paderæ tractu, Saxones infesti Hassonibus vel Hassis imminebant. Ergo apud Adranam fluvium S. Bonifacius cum monasterium loco qui Friteslar dictus, Hassonibus exstruxisset, convenæ cœtusque religiosorum a feroci hoste, violato limite, sæpe divexati sunt; ægreque stationem incolæ tuebantur, donec placuit munitius oppidum, trans flumen, editiore loco condere, cui Buriburgo nomen exstitit. Huic cathedræ episcopalis honos obtigit, cujus procurationem penes S. Wigbertum Bonifacius esse voluit, qui simul et abbas Friteslariensis cœnobii, et, ut Lupus Servatus ait, ex quo omnia hæc haurimus, sacerdotis secundi ordinis dignitatem, puta apud Hassones, oppido Buriburgo sustinuit. Nam sacerdos secundi ordinis, vel suffraganeus, vel idem qui vicarius episcopi et archidiaconus, ut olim monuimus. Quin et B. Vitta, qui et Albuinus, Wigberti successor, diserte a Zacharia papa, Lupo Servato aliisque salutatur Buriburgensis ecclesiæ episcopus; ita ut manifestum sit, etiam publicis Zachariæ papæ rescriptis, Buriburgum episcopali sede cohonestatum. Buriburgi vero nomen, Rerum Moguntiacarum scriptor, mutatum suspicatur, aut alium in sonum migrasse, quo minus promptum fuerit loci situm explorare. At qui Fritzlariam diligentius inspexerint, negant eo loco conditum quo nunc cernitur, sed ea regione cui nomen est *Frauvemiinster*, aut monasterium B. Virginis: atque in vicinia Buriburgum, excelso in monte, qui e propinquo hodieque conspicatur trans flumen, situm fuisse tradunt. Rem prorsus hanc attestari videtur Lupus Servatus, qui in translatione S. Wigberti, quæ facta ex veteri domicilio cœnobii Friteslariensis clare meminit, vallem depressam interjectam fuisse, et medium flumen, quo superato, tanquam in vicinum montem, ubi Buriburgum recens munitum oppidum visebatur, minimo negotio evasum sit et sancti corpus in tutum receptum. Quare et topographi diligentiores Buriburgum vicino in monte trans Ederam in hostico Saxonibus obvertunt; Friteslariam citima regione versus Fuldam et Visurgin describunt, quæ modo infernæ rure fluminis Adranæ vel Ederæ ripam utramque ponte jungit. Buriburgum igitur vicinum Friteslariensi vico monasterioque stetit, munimentum adversus Saxones, sed cladibus etiam suis caducum atque hoc in oppido postquam translati præsulis Wigberti cineres quievere, memorabiles Hassonum eruptione clades Saxonibus, etiam superne datis antiliis, illatæ; et ingens miraculorum lux apud sancti novum sepulcrum effulsit. Interim ecclesia princeps, quam S. Petri honori Bonifacius olim posuerat apud monasterium, ob incursus populationesque Saxonum assiduas, vasta ad tempus et inculta permansit, profanata sæpius ab hoste, qui equis ibi præsepia et stabula fecerat, visis etiam cœlestibus, adversum incendia aliosque casus bellorum custodita; quibus exterriti pagani et in fugam acti, libidinem nocendi posthabere coacti sunt. Præclare hæc publicis Francorum annalibus Lupi Servati aliorumque scriptorum litteris, ob miraculi magnitudinem ad posteros transmissa ac celebrata sunt. Regino ad annum 774, qui melioribus exemplaribus 773, Buriburgum castrum agnoscit et munitionem. Frideslare vero locum a castro diversum notat, in quo basilica a sanctæ memoriæ Bonifacio martyre consecrata, et circa eam patentibus locis, villarum ædificia. Cave vero in Lupi Servati cap. 24, ubi Albuinus dicitur præsul Friteslariensis ejusdem oppidi, Friteslarium cum oppido jungas, qui ab ipso aliisque priscis tantum locus dicitur, cum oppidi nomen de vicino Buriburgo, cujus fuit Albuinus episcopus, accipi debeat; et Friteslariensis monasterii tantum abbas exstiterit. Sed translationem alteram accuratius etiam prosequitur Lupus Servatus, imperatamque divinitus affirmat; forte ne prædam tandem barbari de sacro thesauro facerent: clam tamen exportari cineres oportuit, quo ne Buriburgi incolæ, pignoris amabilis accensi desiderio, bajulis id excuterent, aut evectionem prorsus impedirent. Quare ubi Lullus archiepiscopus, magnusque Carolus annuere, sanxit denique Albuinus episcopus Buriburgensis, ut fidi tres monachi S. Wigbertum Buriburgo exportarent, ac Herolsfeldii cœnobitæ justis honoribus eum exciperent. Ita factum, et in ecclesia Hersfeldensi principe loco magnifice conditus. Monumentum suæ in divum pietatis arcam Lullus erexit, ciborium Rabanus, ligneum culmen Eginhardus in translatione SS. Marcellini et Petri, appellavit, quam more tunc in Galliis Germaniaque recepto, auro argentoque et aliis metallis venuste contectam, sepulcro superposuit. Idibus Augusti, ipso imperatore Carolo operi favente. Cæterum hujus translationis annus, etsi a Lupo non exprimitur, haud ita multo post Saxonum incursiones tamen evenisse colligis ex ipsius verbis, cum aliquot interjectis annis, translatum narrat, puta ex quo

Digitized by Google

Cujus relliquias ara dicata tenet.
Præsepis hic pars est, et portio sancta sepulcri;
Montis Oliveti mensaque grata manet.
Discipulus Domini Thomas, Simonque Zelotes,
Cum Juda Jacobi sacra locant spolia hic.
Scriptor Evangelii Marcus, martyr Bonifacius atque,
Sixtus et Albanus, Ferrutiusque manent,
Landebertus amor, Pancratius atque Georgius,
Cum Valentino ecce aderunt socio.

CXXII. — *In abside vero australi, juxta altare S. Petri et Pauli, hi versus continentur*

Hoc altare Petrus princeps Paulusque magister;
Cum sancto Andrea rite juvant meritis.
Hic Clemens pastor, Marcellus papa beatus,
Sanctus Alexander, atque Callistus ovant.
Inclytus Urbanus, Sylvester ac Fabianus,
Pontifices summi hic vota pia suscipiunt.

CXXIII. — *Super proximum vero altare, in sinistra parte isti positi sunt.*

Hoc altare tenet Stephanus, Laurentius atque,
Levitæ officio martyrioque sacri.
Agapitus pariter et Felicissimus almus,
Hunc titulum retinent atque dicant meritis.
Hic ovat et Zenon, Vincentius, ambo ministri
Qui fuerant Christi, nunc et in arce manent.

CXXIV. — *Supra dextrum vero altare isti sunt conscripti.*

Martyrio insignes Venantius atque Quirinus,
Pontifices clari hunc titulum retinent.
Sanctus Alexander, Cornelius atque beatus,
Rectores summi sedis apostolicæ.
Hic Isidorus ovat, præsul Theodulus et almus,
Qui Christi testis clarus in orbe fuit.
Maximus Hippolytus, Victor et Candidus ipse,
Cum quater hic denis martyribus aderunt.

CXXV. — *In abside vero aquilonali, juxta aram Dei genitricis, hi versus continentur.*

Virgo Dei genitrix hanc aram tu ipsa dicato,
Hic tecum maneat virgineusque chorus.
Agnes, Cecilia, Juliana et martyr Agatha,
Euphemia, Eutropia atque Pudentiana.
Rufina, Prisca, Emeritaque, et Lioba beata;
Hic astent votis Brigida et Eugenia.

CXXVI. — *Cui proximum altare, quod in aquilonali parte constat, hos versus continet.*

O Benedicte Pater, monachorum maxime pastor,
Hoc altare juva rite tuis precibus.
A Cuthbertus præsul, Arnulphus episcopus almus,
Hic adsint tecum, nosque juvent meritis.
Felix Justinus, Goar et presbyter almus,
Cum Fortunato hoc simul et faciant.

CXXVII. — *In dextra vero parte hi versus super altare scripti sunt.*

Hoc altare tenet Gervasius atque Protasius,
Martyrio insignes sicque Sebastianus.
Vitus, Sinizius, Cosmas simul et Damianus,
Gordianus pariter atque Epimachus amant.
Sergius et Bacchus, Protus simul atque Hyacinthus,
Sanctus Nazarius martyr et ipse pius.

CXXVIII. — *Ad crucem erga altare positam has reliquias continet.*

B
Pars crucis hic Domini est, qua Christus secla beavit,
Portio sudarii chlamydis atque sacræ.
Papa en Gregorius, Martinus præsul et almus,
Ambrosius doctor atque Medardus ovant.
Maximinus adest, Germanus, hicque Remigius
Virgine cum insigni et martyre Anastasia.

CXXIX. — *In abside etiam occidentali ipsius ecclesiæ, juxta altare præcursoris Domini, isti versus scripti sunt.*

Hic præco insignis Christi et Baptista Joannes,
Scriptor Evangelii atque Joannes ovat.
Hicque Dionysius, Chylianus martyr et almus
Astantes orant cum sociis pariter.
C
Marcellinus adest martyr, et Petrus honestus,
Nereus, Achilles, Priscaque et ipse Aquila.
Romano Marcus, Crispino Crispinianus,
Adjuncti assistunt ecce sacris precibus.
Ecce Tiburtius hic præsens cum Valeriano
Cæsarioque simul vota pia accipiunt.
Quapropter moneo cunctos qui huc rite propinquant.
Orandi causa, ut mente proba hoc faciant.

CXXX. — *Ad Fuldam vero ecclesia Sanctæ Mariæ, quæ in monte sita est, in crypta, orientali has reliquias continet.*

En montis Sinai tabularum ac portio sacra
Condita hic Domini est præsepis atque sui.
D
Hic Sixtus papa, Magnus Januarius atque,
Levitæ sacri martyrio et validi.
Hermes hic martyr, Quirinus Sulpitiusque,
Eustratus, Romulus perpete laude manent.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

Saxones absentiam Caroli, in Italia contra Desiderium Longobardum bellum gerentis, suam rati occasionem, violato limite, Friteslariam iterata populatione infestarant. Id quod Francici annales cum Anastasio, Reginone et aliis, ad annum 773 vel 774 referunt : cum autem S. Lulli pontificatus annorum periocha contineatur, quæ a 754 usque ad 787 excurrit, circa Domini ann. 780 hanc translationem factam haud temere conjicias. At basilica ad quam epigrammata pertinent quæ nunc præ manu sunt, anno, ut Lambertus scribit, 850 vel 851, v Kalend. Novembris, ab ipso Rabano, tum Moguntiacensi archiepiscopo, dedicata est, eodemque tempore, postero scilicet anno, translata sunt in alium basilicæ locum ossa S. Lulli. Quippe in veteri catalogo reliquiarum ecclesiæ Hirsfeldensis hi exstant tituli :

S. Wigbertus abbas totus hic præsens est corpore:
S. Lullus episcopus requiescit hic corpore:

Digitized by Google

Theodulus martyr, Humbertus præsul et almus,
Cum almo Wigberto hic ovat et socio.
Virgo digna sacra hæc pariter et Emerita fulgent
Æquales meritis atque sacris precibus.

CXXXI. — *In ecclesia Sancti Justini confessoris, isti versus scripti sunt, hoc est in primo altare.*

Hoc altare dicat Christi vere ecce sepulcrum
Virginis et matris relliquiæque juvant.
Scriptor Evangelii Marcus, martyr Bonifacius atque,
Martyr et Albanus suscipiuntque preces.

CXXXII. — *In aquilonali altare hi.*

Hic Stephanus martyr, martyr Laurentius æque
Sacra locant spolia atque aram retinent.
Sanctus Alexander, Urbanus papa beatus,
Severus præsul mixta locant spolia.

CXXXIII. — *In australi vero isti.*

Hanc aram Fabianus habet sanctissimus eccè
Cum Marcellino atque Petro sociis.
Hic ovat Agapitus, martyr Felicissimus atque
Sancta Felicitas martyr et ipsa sacra.

CXXXIV. — *Ad crucem isti.*

Alma crucis Jesu hic portio condita Christi est,
Quo ascendit cœlum, pars simul atque loci.
Principis hic Petri, Andreæ fratris et hujus
Multorum ad vitam pignora sacra manent.
Ecce Tiburtius hic fratre est cum Valeriano,
Astat Martinus et Benedictus ovans.
Cecilia hic martyr, Lioba et sanctissima virgo,
Vota pia accipiunt atque Deo referunt.

CXXXV. — *In ecclesia Sancti Philippi*

Hoc altare tenet in domate rite Philippi,
Relliquias sacras, lector honeste, lege.
Hic mensæ Domini, hic portio sacra sepulcri est,
Hic Christi ascensus pars veneranda satis.
Hic Michael princeps turmæ cœlestis honorem.
Sortitur sancti atque viri pariter.
Albanus martyr, Bonifacius almus et ipse,
Cum Marcellino hic ovat atque Petro.
Martinus præsul, Benedictus nobilis abbas,
Gaudent orantes suscipiuntque preces.
Hic quicunque velis grata persolvere vota,
Hoc corde mundo tuo rogito facias.

CXXXVI. — *Ad altare in medio ecclesiæ.*

Continet hæc ara sanctorum pignora sacra,
Et Christi Domini munera valde pia.
Nam crucis hic pars est, qua Christus sæcla redavit,
Quo crucifixus erat Calvariæque locus.
Præcursor Domini manet hic, Cyriacus et almus,
Martyr Fabianus, et Cyprianus adest.

A CXXXVII. — *In dextro altare.*

Bis seni comites venerantur sorte beata,
Hic Jesu Christi, nosque juvant precibus.

CXXXVIII. — *In sinistro altare.*

Hic genitrix Christi veneratur sancta Maria,
Virginibus sacris associata manet.
Hic Agnes martyr, Juliana martyr et ipsa,
Cecilia et Lioba, martyr Agatha simul.

CXXXIX. — *In ecclesia sancti Saturnini, in summo altare.*

Hoc templum Domini sacratum est nomine Christi,
Cujus hic dona condita rite micant.
Præsepis Domini, mensæ simul atque sepulcri
Ascensusque sui portio sacra manet.
B Princeps hic Petrus pollet, Paulusque magister,
Insignesque viri martyrio rutilant.
Ecce Albanus adest, martyr Bonifacius atque,
Nomine pro Christi qui meruere mori.
Pontifices summi Martinus Remigiusque,
Confessorque simul rite Philippus ovant.

CXL. — *In dextro altare.*

En comites Christi bis seno munere clari
Aram hanc jure dicant atque piant precibus.

CXLI. — *In sinistro altare.*

Virgo Maria, Dei genitrix, hoc ipsa dicato
Altare, præsens atque juvato prece :
Virgineusque chorus pariter lætetur et almus,
Hic tecum gaudens adjuvet et meritis.
C Cecilia virgo hic, Agnes et martyr Agatha,
Lucia cum Lioba et Juliana manent.

CXLII. — *Ad crucem in medio ecclesiæ.*

Pars crucis hic Domini est, qui summus regnat in arce
Sanguine qui fuso sæcla beavit ovans.
Hic Michael gaudet, simul et Baptista Joannes,
Insignesque viri martyrio placiti.
Hic sanctus Stephanus, Fabianus cum Cyriaco
Atque Sebastiano martyrio rutilant.
Hic Benedictus ovat, hic papa Gregorius astat
Suscipiunt vota atque Deo referunt.

CXLIII.

D Virgo Maria Dei genitrix intacta Tonantis
Cum Nato hanc aulam continet atque dicat.
Petrus et Andreas fratres, hic Paulus et almus
Scriptor Evangelii atque Joannes ovat.
Hic præco insignis simul et baptista Joannes,
Martinus præsul et Bonifacius est.
Levita hic Stephanus, Laurentius et Cyriacus,
Adsunt cum Albano atque Dionysio.

CXLIV.

Sanctus Maximinus, Germanus, Gregoriusque,
Pontifices clari, hic Ferrutiusque manent.
Hic Agnes virgo pariter et martyr Agatha

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

Hanc in diœcesi Moguntina adhuc inquirimus.

Digitized by Google

Assistunt votis atque piis precibus.
Hos inter sanctos Cosmæ simul ac Damiani,
Quorum hodie est festum, sacra manent spolia hic.
Ast tales socios, hic quorum membra quiescunt,
Nempe tenent sancti martyrio placiti.
Unde rogo ut tantos quæratis rite patronos
Qui vobis placidum vultis habere Deum.

CXLV.

Hoc altare dicant comites testesque Tonantis
Ornantes meritis atque sacris precibus.
Matthæus et Simon, Thomas ac Bartholomæus,
Cornelius, Sixtus, Sergius atque Bachus.

CXLVI.

Hanc confessores aram, castæ et mulieres
Consecrant precibus atque bonis meritis.
Hic Augustinus, Hieronymus Hilariusque est,
Praxis [Praxedis], Cecilia, Lucia et Eugenia.
Hic Fabianus adest, et sua pignora servat,
Antistes summus martyr et ipse sacer.
Cum quo sanctus ovat, spoliaque hic alma recondit,
Vir virtute potens ipse Sebastianus.

A CXLVII.

Agnes nam virgo hanc aram dedicat alma,
Agnum quæ Christum sponsa Dei sequitur.
Cum qua Cecilia martyr et sancta virago
Assistit precibus rite juvando pios.

CXLVIII.

En altare tenet hoc Marcellinus honeste
Cum Petro socio consecrat et meritis,
Quos pariter Christus cœlestem duxit ad arcem
Claros martyrio actibus atque bonis.
Ecce locum insignem retinet hunc martyr Agatha,
Commendatque suis ipsa piis meritis.
Lucia quem virgo, Christi et dulcissima sponsa,
Rite colit habitans adjuvat et precibus.

B CXLIX. — *Versus isti sunt scripti in ara capellæ.*

Expansis manibus sic totum amplectitur orbem
In cruce confixus Christus in arce Deus.
Exstinxit mortem, confregit sceptra tyranni
Æternam requiem reddidit ipse suis.

SECTIO SECUNDA. — HYMNI [a].

I. — HYMNUS DE CHARITATE (METRO SAPPHICO FACTUS PENTAMETRO DACTYLICO).

Altares, magnumque bonum, salubre
Munus ex alto veniens, supernum
Conditoris maxime jus potentis
Lux pia mundi.
Charitas præclara Tonantis, atque
Ardor et communio Trinitatis
Cuncta virtus rite regens potens lex
Agmina cœli.
Hæc creaturæ fuit alma origo,
Nam per hanc cœlestia condita exstant,
Et maris terræque simul reperta
Germina constant.
Hæc Adam primum dedit in se habere,
En Dei exemplar, fieretque imago
Conditoris, præposuitque toto hunc
Conditor orbi.
Hæc prophetas et patri fecit archas
Cum sacro Spiramine eos replevit,
Ut salutarem pie prædicarent
Dogmate Christum.
Hæcque huc descendere fecit ipsum
Filium summi Patris ad medelam,
C Ut supernam terrigenamque plebem
Jungeret auctor.
Hæc pati Christum cruce, hæc flagella,
Sputa, spinas, ferre dedit sepulcrum
Atque victorem fore, deque morte
Surgere fecit.
Hæc Pauli regnum dedit esse apertum,
Christus ex quo celsa petit, sequentes,
Ejus et vestigia fecit omnes
Scandere cœlum.
Spiritum sanctum dedit hæc ab arce
Pentecostes, sicque sacravit
Primitivum, cum Paracletus agmen.
Visitat orbe.
D Hæc salubrem dirigit et cohortem,
Primitus Christi comites dehincque

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

Libro II de Institutione clericorum, cap. 49, hymnos dici vult Rabanus quæcunque in laudem Dei carmina dicuntur; usum eorum Christi et apostolorum exemplo commendatum; et valere quidem ad movendum pie animum, et inflammandum divinæ dilectionis affectum : alios afflatu superno, alios humano ingenio factos. Auctores hymnorum Ecclesiam habere præcipuos : in Occidentis Ecclesia, sanctos Hilarium et Ambrosium. Hactenus ex Rabano, qui hos aliosque æmulatus, hymnodiam contexere aggressus est, ex qua non pauca carmina in hanc diem Ecclesia usui publico consecrare, aut a majoribus accepta retinere voluit. Et hymnorum certe canendorum studium quantopere Rabanus in suorum discipulorum animis excitarit, et in cætera monasteria exemplum derivarit, docent hymni antiquorum Patrum, qui nuper ex Sangallensi bibliotheca prodierunt, tom. V Antiq. Lect. Porro hymnos nonnullos hic reperiri qui scriptoribus aliis vindicari possint, haud diffiteor; et quia vetustæ membranæ manu non antiquissima nonnullos insertos observavimus, eos ad discrimen faciendum asteriscis insignivimus; reliquos plerosque, quia eodem charactere et titulo versuum Rabani præscripti sunt, eidem seu prolis legitimæ parenti, transcribere nil veremur.

Digitized by Google

Prædicatores fidei ut salutem
Mundus haberet.
Martyres cum virginibus paravit
Ad honorem Regis in arce magni,
Christianam ducit ad astra plebem ad
Gaudia vitæ.
Corpus hæc Christi copulans adunat,
Membra cum membris sociat valenter.
Membra supponit capiti, caput cum,
Corpore jungit.
Ecce hæc dilectio, vera hæc arx,
Summa virtutum, caput et regina
Plenitudo hæc legis et utriusque
Fons bonitatis.
Nemo viventum sine hac videbit
Regis æterni faciem, sed atra
Introibit tartara torret hunc quo
Inferus ardens.
Hancque mandatum vocitat novum auctor,
Hanc habere ejus comites jubebat
Valde, hinc nos hanc habeamus omnes
Pectore puro.

II. — [a] HYMNUS DE NATALE DOMINI.

Lumen clarum rite fulget
Orto magno sidere
Quod per totum splendet orbem,
Umbras noctis aufugans,
Christo nato Rege magno,
Totus orbis gaudeat.
Dux de Juda, quem propheta
Olim jam prædixerat,
Lætus nobis esse venit,
Bethlem nascens inclyta.
Christo nato Rege magno,
Totus orbis gaudeat.
Hunc regalis virgo mater,
Partu gaudens edidit.
Quem Gabriel nuntiavit,
Salvatorem gentium.
Christo nato, etc.
Cum pastores excubantes
Cura mordet nam gregis,
Clarus ipsos ad lætandum,
Exhortatur nuntius.
Christo nato, etc.
Concinebat angelorum,
Turba læta laudibus.
Terræ pacem prædicantes,
Cœlo reddunt gloriam.
Christo nato, etc.
O stupendum mirandumque
Sacramentum gloriæ.
Quod Tonantem supra cuncta,
A Virgo gestat parvula.
Christo nato, etc.
Factor cœli, terræ factor
Vulva est clausus feminæ.
Auctor summus angelorum,
Fit præsepe conditus.
Christo nato, etc.
Palmo cœlum qui metitur,
Terram claudit pugili [pugillo].
Pannis paucis obvolutus,
Infans vagit parvulus.
Christo nato, etc.
Quæ divisit lucem ab umbris,
Summi primum dextera,
Matris mammas ecce tractat,
B Lactis potum quæsitans.
Christo nato, etc.
Os præclarum Conditoris,
Quod formavit sæculum,
En admotum nunc libenter
Sugit matris ubera.
Christo nato, etc.
O beata mater Christi,
David stirpis femina.
Tu laus orbis et regina,
Læta virgo Maria.
Christo nato, etc.
Votis adsis tu piorum,
Omne servans sæculum.
Patriarchis et prophetis
C Laus corona gloriæ.
Christo nato, etc.
Ecce sperant lætabunda,
Angelorum agmina.
Christi plebem quod gubernes,
Arcanorum conscia.
Christo nato, etc.
Nam te, Virgo cælebs nupta,
Sexus omnis appetit.
Tu parentes atque natos
Deprecando protege.
Christo nato, etc.
Gaudet cœlum cum supernis
Angelorum millibus.
D Omnis terræ plenitudo,
Pontus, astra, flumina.
Christo nato Rege magno,
Totus orbis gaudeat.

III. — HYMNUS DE NATALE INNOCENTUM.

Carmina psallere voce lyra,
Edere tunc juvat arte melos,
Quomodo lactea turba perit,
Principis impie cæsa dolo.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] Jurisconsultus clarus Henricus Canisius cum Theodolfi Aurelianensis episcopi poema recenset, quod tom. V Antiq. Lectionis evulgarat, tom. VI promit inter alia et hunc hymnum sane dulcem, de Natali Domini, metro trochaico tetrametro scriptum, et ingenue fatetur in libro quo usus est auctorem nullum prodi, ut conditione possidentium hic uti meliore liceat.

Digitized by Google

Ipsaque sanguine tincta suo est.
Ast ubi se furiata lues
Excitat, inque necem Domini
Provocat invida corda ducis,
Concite mittere cogit eum
Sternere et agmina plura nece.
Ceu leo nam fremit in facinus,
Cujus ab ore tener subito
Effugit agnus in arva procul :
Vertit in innocuum arma gregem,
Atterit, excruciat, lacerat :
Sic Herodes, stimulante chao,
More lupi furibundus, amens,
Parvula millia strage dedit,
Turgidus, horridus atque ferox ;
Christus et arma nefanda vitat.
Quis tibi tunc lanio ardor erat,
Talia cum quoque prospiceres.
Pectore quosve dabas gemitus,
Cum puerilia membra secans,
Matribus ipse lugere dabas?
Dux bonus, arbiter egregius,
Sanguine pasceris innocuo.
Corporibus minimis inhians,
Viscera sobria dilaceras.
Gaudia mors aliena dabit,
Ergo age, tortor, adure, seca.
Divide membra coacta luto,
Solvere rem fragilem facile est,
Non penetrat dolor interius
Mentis in arce manet Dominus.
Hic funeris quia causa fuit,
Præmia his super astra dabit.
Tu quoque mortis amator amens,
Mortis in extima jure cadis,
Et gemitum sine fine dabis.
Cedat amor lacrymantum hominum.
Qui celebrare suprema solent,
Flebile cedat et officium :
Martyribus quia regna patent,
Gaudia perpetuoque manent.
O sœcli sine fine Deum
Carmine jam resonemus, eum
Qui sua munera rite dedit ;
Nostra libenter et ipse canit :
Christus et optimus hic Deus est.

IV. — * HYMNUS DE EPIPHANIA.

En cœli rutilant lumine splendida,
Testantur Dominum nascere parvulum.
Qui format minima et creat ardua,
Regni sceptra tenens, est Deus atque homo.
Duxit stella Magos mystica quærere,
Regis pacifici rite cunabula.
A Quem Judæa tenens orbis in ultima,
Diffusis radiis nuntiat inclyta.
Herodes capiens impius auribus,
Quod Rex hic fuerat natus in urbibus
Judææ, hunc citius quærere præcipit
Tristis, moxque neci tradere destinat.
Inventus Dominus indice sidere est,
In Bethlem pariter cumque parentibus.
Cui mox ergo Magi munera deferunt,
Thus, myrrham, aurum ab Ophir, regi, homini,
Hanc trux ipse licet sæviat horride, [Deo.
Herodes jubeat cædere parvulos.
Regnum rite suum firmiter undique,
Servatur, Domino corruit invidus.
En est ista dies munere nobilis,
B Baptismo hæc Domini nobilis exstitit.
Quod vinum Dominus fecerat ex aqua,
Commendat placide hæc sacra dogmata.
Gaudemus pariter mentibus en precor.
Quod nobis Dominus hic pius advenit.
Quod nostra voluit munera sumere,
Quod baptisma dedit, pocula contulit.
Nam rex Christus adest, orbis et arbiter,
Lux de luce pia, et Pater omnium.
Qui nos ad patriam ducat et optimam,
Et vitæ faciat gaudia metere.

V. — HYMNUS IN EPIPHANIA.

Venit Deus factus homo,
Exsultet omnis natio.
C Cœlum dedit sidus novum,
Apparet auctor omnium.
Magi ferebant munera,
Primi legati gentium.
Quæ cum sacro mysterio.
Signant latentis gloriam.
Aurum potentis regmina,
Numen sacrum thus indicat,
Carnemque myrrha mortuam,
Mundi plantem machinam.
Herodes, hostis invidus,
Ignorat hæc trucissimus,
Christus saluti gentium,
Quæ sic ministrat providus.
Jesu precamur optime,
D Tu nos benignus dirige.
Prompti feramus quod tibi
Laudis sacrata munera.

VI. — ITEM ALIUS.

Christus Redemptor plebium
Baptisma consecrat novum.
Venite cuncti criminum,
Lavare sordes omnium.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

* Thus, myrrham, aurum ab Ophir. Hoc postremum ad Salomonis classem, quæ aurum ex Ophir apportavit, aliaque loca Scripturæ veteris alludere videtur. De situ et notatione Ophir multum inquirunt Scripturæ interpretes. Adi B. Ariæmontani præfationem in Phaleg. Joseph. Acost. lib. 1, c. 5, etc de Novo orbe, Bochium in psal. CXIX.

Digitized by Google

.ordanis aninem dedicat,
Salvator undas expians.
Fontes abyssi flumina,
Consecrat orbis artifex.
Fletus amaros fundite,
Mentis secreta pandite.
Salsæ per ora lacrymæ,
Dulcem salutem præparent.
Fex nulla nos coinquinet,
Mortis vetustæ portio.
Sed lucis alma mansio,
Vitam perennem conferat.

VII. — HYMNUS DICENDUS IN PASCHA DOMINI.

Cantemus Domino Deoque nostro,
Fratres unanimes, probas verenter
Laudes ex animo pio canentes,
Nunc Paschalia festa cum tenemus.
Surrexit quia Christus a sepulcro,
Collætetur homo choro angelorum.
Agnus nempe sacer patres de Ægypto,
Olim eduxerat edito cruore.
Et nunc sanguine Christus a tenebris
Infernalibus ipse nos redemit.
Surrexit quia, etc.
Qui sicut populum tulit priorem,
Per Rubrum mare hoste ibi interempto.
Sic baptismate nosque liberavit,
Submerso zabulo unda passionis.
Surrexit, etc.
Nam Judæa fremens necem paravit,
Christo inferre crucis dolo magistro,
Quam sedare nequit pia medela,
Nec verbi studium boni parentis.
Surrexit, etc.
Prendunt arte nova, prodente alumno,
Doctorem manibus trahunt ligando :
Tradunt pontifici dein tyranno,
Insontem ut cruciet, pium ac flagellet.
Surrexit, etc.
Postquam dant alapas, vomunt salivam
In sacram faciem, et caput coronant
Spinis, in cruce hunc repente figunt :
Potum fel dederant, latus terebant.
Surrexit, etc.
Emittens animam chaos penetrat,
Christus mortis ovans fugans tenebras.
Justos eripuit, ligavit hostem,
Donans astra piis, dolorem iniquis.
Surrexit, etc.

A Surgit diluculo a sopore mortis
Salvator placide angelo ministro
Custodes pavitant, pii resultant,
Gaudent discipuli, invidi dolebant.
Surrexit, etc.
Cognoscit Maria ex sono magistrum,
Thomas perque latus Deum reclamat,
Flagrans rite Petrus adit sepulcrum,
In monte Dominum undecimque adorant.
Surrexit, etc.
Quid, Judæa, furis Deo reluctans,
Fingens arte scelus dolo reperto,
Furatum crepitans, qui ovat coruscans,
Qui mundum reparat, Satan trucidat!
Surrexit, etc.
B Laudant astra poli mare solumque,
Gaudentes Dominum vivere Christum,
Tristis sola doles iniqua fingens,
Consors dæmonum, particeps gehennæ.
Surrexit quia Christus a sepulcro,
Collætetur homo choro angelorum.

VIII. — [a] IN ASCENSIONE DOMINI AD VESPERUS.

Adest dies sanctus Dei,
Claro resplendens lumine.
Quo victor ad cœlos potens,
Rex Christus exsultans petit,
Quem turba tunc cum laudibus
Fortem resultans prædicat.
C Regem triumphantem sequens
Intrat polorum januas.
Hoc tunc videntes principes
Hinc obstupescunt protinus,
Quis sit Tonans interrogant,
Tanti duois hic transitus.
Reddunt quibus mox prævia
Hæc angelorum tum agmina,
Rex gloriæ fortis, potens
Est iste virtutum Deus.
Claustra ast patent mox omnia,
Gaudent in alto millia,
Christum sedentem cum vident
Lætum superna gloria.
O Rex supernæ gloriæ,
D Qui Patris in dextro sedes
Tu nos vide clemens tuos
Nunc deprecantes servulos
Da spem, fidem et catholicam,
Da charitatis munera,

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] Primus hic hymnus est, qui in multis Galliarum et Germaniæ Ecclesiis receptus. Retulit eum in Thesaurum suum, caute, siquidem legendus, Georgius Fabricius, incerti auctoris titulo. Inspeximus hymnorum librum, Coloniæ ante centum annos Henrici Quentelii typis excusum, una cum expositione, ut magna tunc temporis erat ecclesiasticorum carminum reverentia, in quo nonnulli ex his, seu in Ecclesia usitati enarrantur; v. g. IX : *de Ascensione Domini*, et XVIII : *Præco præclarus, sacer et propheta*, de natali S. Joannis Baptistæ : tum. XIII : *Fit porta Christi pervia*. Denique XII : *Quod chorus vatum venerandus olim*, in Purificatione S. Mariæ. Nam cæteri, quos Ecclesia Romana frequentat, *Veni, creator Spiritus*, hic X, ab aliis S. Ambrosio. *Aurea luce* XVII. SS. apostolorum Petri et Pauli feriis, Elpi Sever. Boetii uxori. *Christe Sanctorum*, XIV et XVI. *Tibi Christe, splendor Patris*, qui in laudem Michaelis archangeli canuntur, incerto auctori tribuuntur.

Digitized by Google

Grates pias rite ut tibi
Reddamus omni tempore.

IX. — [a] ITEM IN ASCENSIONE DOMINI.

Festum nunc celebre magnaque gaudia
Compellunt animos carmina promere,
Cum Christus solium scandit ad arduum,
Cœlorum pius arbiter.
Conscendit jubilans lætus ad æthera,
Sanctorum populus prædicat inclytum,
Concinit pariter angelicus chorus
Victoris boni gloriam.
Qui scandens superos vincula vinxerat
Donans terrigenis munera plurima,
Districtus rediens arbiter omnium
Qui mitis modo transiit.
Oramus, Domine, conditor inclyte,
Devotos famulos respice, protege,
Ne nos livor edax dæmonis obruat
Demergat vel in inferos.
Ut cum flammivoma nube reverteris,
Occulta hominum pandere judicans,
Ne des supplicia horrida noxiis
Sed justis bona præmia.
Præsta hoc, genitor optime, maxime,
Hoc tu, Nate Dei et bone Spiritus,
Regnans perpetuo fulgida Trinitas
Per cuncta pie sæcula.

X. — HYMNUS IN PENTECOSTEN.

Veni, creator Spiritus,
Mentes tuorum visita.
Imple superna gratia
Quæ tu creasti pectora.
Qui Paracletus diceris,
Donum Dei altissimi.
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus.
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus.
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpetim.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus.
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Te utriusque Spiritum,
Credamus omni tempore.
Præsta hoc, Pater piissime,
A Patrique compar unice.
Cum Spiritu paracleto,
Regnans per omne sæculum.

XI. — HYMNUS DE NATALE CHRISTI.

Gratuletur omnis caro,
Nato Christo Domino.
Quia culpa protoplasti,
Carnem nostram induit.
Ut salvaret quos plasmavit
Deus sapientiæ.
Magnam valde commendavit,
Per Joannem gratiam.
Baptizatus in Jordane,
Lavit mundi crimina,
Ut credentium purgaret
B Gentium piacula.
Verbum Patris caro factum,
Nascitur ex Virgine.
Non amisit deitatem,
Formam servi accepit,
Ut peccatum de peccato,
Damnaret Omnipotens.
Quem vox paterna vocavit,
Ecce meus Filius.
In quo sibi complacuit,
Cœli, terræ Dominus,
Ipsi, gentes, obedite,
Regesque, subdimini.

XII. — HYMNUS IN PURIFICATIONE SANCTÆ MARIÆ.

C Quod chorus vatum venerandus olim,
Spiritu sancto cecinit repletus
In Dei factum genitrice constat
Esse Mariam.
Hæc Deum cœli Dominumque terræ
Virgo concepit peperitque virgo,
Atque post partum meruit manere
Inviolata.
Quem senex justus Simeon in ulnis
In domo sumpsit Domini gavisus,
Ob quod optatum proprio videret
Lumine Christum.
Tu libens votis, petimus, precantum,
Regis æterni genitrix, faveto.
D Clara quæ celsi retinens Olympi
Regna petisti.
Sit Deo nostro decus et potestas,
Sit salus perpes, sit honor perennis.
Qui poli summa residet in arce
Trinus et unus.

XIII. — ITEM HYMNUS IN SOLEMNITATE SANCTÆ MARIÆ

Fit porta Christi pervia,
Referta plena gratia ;
Transitque Rex, et permanet

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] Si quæritur utrum Rabanus carminis auctor sit necne, hoc sane memoratu dignum est, exstare in omnibus fere breviariis vetustis Germaniæ, neque tamen Italiæ, Angliæ, etc. In hodiernis Ecclesiæ libris deesse sciunt omnes. DANIEL.

Digitized by Google

Clausa ut fuit per sæcula.
Genus superni numinis
Processit aula Virginis,
Sponsus, Redemptor, Conditor
Suæ gigas Ecclesiæ,
Honor matris et gaudium,
Immensa spes credentium,
Per atra mortis poculà
Resolvit nostra crimina.
Deo Patri sit gloria, etc.

XIV. — [a] HYMNUS DE SANCTO MICHAELE ARCHANGELO.

Christe sanctorum decus angelorum,
Rector humani generis et auctor,
Nobis æternum tribue benignus
Scandere regnum.
Angelum pacis Michael ad istam
Cœlitus mitti rogitamus aulam,
Nobis ut crebro veniente crescant
Prospera cuncta.
Angelus fortis Gabriel ut hostem
Pellat antiquum, volitet ab alto
Sæpius templum veniens et istud
Visere nostrum.
Angelum nobis medicum salutis
Mitte de cœlis Raphael, ut omnes
Sanet ægrotos, pariterque nostros
Dirigat actus.
Hinc Dei nostri genitrix Maria
Totus et nobis chorus angelorum
Semper assistat, simul et beata
Concio tota.
Præstet hoc nobis deitas beata
Patris et Nati, pariterque sancti
Spiritus, cujus reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

XV. — HYMNUS DE NATALE DOMINI.

Gloria Deo
In excelsis hodie
Cœlestis primum
Cecinit exercitus
Pax angelorum
Et in terra vocibus
Vera descendit.
Hodie cœli
Facti sunt melliflui,
Et mare dulces
Undas blandi gurgitis
Æquavit lento
Respirante sibilo
Flatu sereno.

XVI. — DE S. MICHAELE ARCHANGELO.

Tibi Christe, splendor Patris, vita, virtus cordium,
In conspectu angelorum votis, voce psallimus,
Alternantes concrepando melos damus vocibus.
A Collaudamus venerantes omnes cœli milites
Sed præcipue primatem cœlestis exercitus,
Michaelem in virtute conterentem Zabulon.
Quo custode procul pelle, rex Christe piissime,
Omne nefas inimici, mundo corde et corpore
Paradiso redde tuo nos sola clementia.
Gloriam Patri melodis resonemus vocibus, etc.

XVII. — HYMNUS DE SANCTO PETRO ET PAULO.

* Aurea luce et decore roseo, etc.
(*Vide officium Romanum. In fine hæc additur strophe:*)
Olivæ binæ pietatis unicæ,
Vide devotos spe robustos maxima
Fonte repletos charitatis geminæ
Post mortem carnis impetrare vivere.
B Sit Trinitati, etc.

XVIII. — HYMNUS IN NATALE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Præco præclarus, sacer et propheta,
Regis æterni paranymphus almus,
Voxque clamantis Domino potenter,
Dirige callem.
Qui Redemptorem digito notasti,
Rite tollentem scelus omne mundi
Intimans Agnum pietate cunctum
Solvere mundum
Tuque sensisti reboare Patrem,
Spiritum supra volitare sanctum,
Dum Redemptorem meruisti in undis
Tingere Christum.
C Teque splendentem fieri lucernam,
Angelo teste, decus et Eliæ
Credimus natum prece hodierna
Quem colit orbis.
Ecce poscentem pie cerne plebem,
Facque regnantem bene nos parentem
Sorte clementi numerare luci
Sumere vota.
Angelus cum tu vocitaris alti
Jure formantem rogita Tonantem,
Quatenus sanctis sociemur astris
Arce polorum.
Hocque tu præsta, Genitor superne,
Nate supremi dato hoc Redemptor
Spiritus rector tribue, precamur,
D Omne per ævum.

XIX. — IN NATALE APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Sanctorum pariter promite principum
Natalem, socii, psallite laudibus,
Insignemque triumphum gaudentes sonitu dato.
Hoc poscit utique inclyta gloria
Tantorum comitum Regis et optimi,
Cum quo lucis in arce læti perpetuo manent.
Nam Petrus titulum erigit arduum,
Cum pro laude Dei claviger ætheris

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] Cantatur in Dedicatione S. Michaelis ad Laudes. Noli mirari, reliquorum archangelorum omniumque spirituum cœlestium et Mariæ, quæ angelorum est regina, mentionem factam esse. Est enim festum omnium angelorum, ut in Collecta patet et lectione quarta et sequentibus. DANIEL.

Digitized by Google

Exsultat generosus cœli regna potens tenens.
Cujus perpetuus exstat et iuclytus,
Paulus nam socius, doctor et optimus,
Christi vas pretiosum et rector populi Dei.
En quos iste vocat, ille supra locat;
Quos Paulus adhibet, hos Petrus inserit :
Christi testis uterque est, cœli civis et incola.
Christum morte crucis nam sequitur Petrus,
Cum cæsus capite Paulus et horride est,
Victores caput unum ambo rite tenent Deum.
Nos horum precibus, Christe, piissimis
Te dones citius poscere cœlitus;
Absit quod scelus omne et cuncta veniant bene.
Immunes manibus simus et actibus,
Sensum corde pium confer et optimum,
Ut te rite colentes cernamus Dominum greges.
Cujus orbis honor, cujus et æthera,
Cujus vita salus, et bona maxima,
Est cui nomen in ævum, regnum perpetuum simul.
Sit Patri ingenito gloria maxima
Sit Nato pariter consona gloria,
Cum Flatu simul almo per cuncta pie sæcula.

XX. — HIMNUS IN LAUDEM S. BONIFACII MARTYRIS.

Inclyta sanctorum cum gloria crescit ubique.
Et meritum splendor fulget in orbe soli.
Asia magnificat Jacobum, Ausonia quoque Petrum,
Joannemque Ephesus, Africa Cyprianum.
Non minus exaltans celebrat Germania laudes
Et Bonifacii opus martyris almificum.
Ordinat hunc Roma, mittitque Britannia mater
Doctorem populis hoc deeus Ecclesiæ.
Pontificem summum signorum fulmine clarum,
Eloquio nitidum, moribus egregium.
Tanta prophetalis quem gratia fulcit honoris,
Ventura ut multa rettulit uti nova.
Quem Francos Fresoque simul Saxoque ministrum
Æternæ vitæ prædicet esse sibi.
Quanquam Fresonum gens moribus effera semper
Martyris ergo manus sanguine polluerit :
Prædixit Christi sed vox verissima quod nunc
Cernitur impletum pluribus esse locis.
Quod terra moritur, frumentum plurima confert
Semina, fructumque multiplicare studet :
Sicque sacerdotis Domini lætissima crescit
Paucis ex granis glorificanda seges.
Mortuus ecce modo, vivensque solebat ut ante,
Lucratur Christo agmina multivaga.
Signa movent populos, cernent magnalia cæci,
Sudoramque sonus auribus ipse tonat.
Morborum fugiunt labes, furor impius atri
Dæmonis absistit martyris ex precibus.
Sicque tuum famulum Christus ditavit honore,
Ut regnet cœlo, imperet atque solo.
Multorum æternas Dominus dat crescere laudes,
Quos fidei meritum fecerat esse sacros.
Sed merito Ecclesiæ laudantur in orbe magistri,
Quos opus et verbum præparat atque fides.
Ergo vir iste Dei spernens mundana reliquit,
A Pro Christo cuncta qui meliora daret.
Centuplicemque meteus fructum hic accipit amplum,
Insuper æternam possidet et requiem.
Dignus quidem laude es, vitam sine crimine ducens,
Qui ævi sic metas clauserat et numeros.
Accola jam Domini sævum jam vicerat hostem,
Cum Christo regnat accola nunc Domini.
Gaudia magna Dei jam intravit lætus, et ille
Invitat vos ad gaudia magna Dei.
Sanguine nempe suo requiem sibi comparat almum,
Imperat hanc nobis sanguine nempe suo.
Martyrio decorat quidquid Germania nutrit,
Et proprio sobolem martyrio decorat.
O patria, o populus tanto ditata patrono,
Per quem vita venit, o patria, o populus!
B Dignaque quæ fueras, o terque quaterque beata,
Præsule hocque regi dignaque quæ fueras!
Gloria digna Deo, talem qui illum dedit esse,
Quique dedit nobis, gloria magna Deo.
Gloria magna Deo semper, per sæcula cuncta
Dicamus omnes : Gloria magna Deo.

XXI. — IN NATALE SANCTI ANDREÆ APOSTOLI.

Nobis ecce dies ordine congruo,
Venit hunc celebris, clarus, amabilis,
Quo victor super alta
Scandit propere sidera
Andreas Domini sanctus apostolus
Germanusque Petri principis inclyti,
Princeps ipse virilis,
C Consors martyrio fuit.
Dum Christum comites gressibus et pares
Exæquant pariter, dogmata colligunt
Ejus, morte sequuntur
Et vestigia per crucem.
Piscator fuerat Petrus et Andreas,
Post ambo rapiunt orbis et agmina,
Vastant æquora mundi,
Ad regna atque trahunt poli.
Laudem rite crucis fortiter expetunt,
Dum Christi crepitant de cruce gloriam,
Cœli regna capessunt,
Vitam de cruce colligunt.
Andreas utique, conspiciens crucem,
D Exclamat subito taliter intonans :
Salve, sancte triumphus,
Christi perpetuus honor.
Me nunc tu famulum suscipe cernuum,
Quæ dudum Dominum extuleras pium.
Tu nunc redde magistro,
Quæ me exquisieras Deo.
Hujus nos precibus, Christe, piissimis
Absolve, petimus, ipse reatibus
Luci trade redemptos,
Purgans sanguine noxios.
Da mentem sobriam, sic regis advenam,
Da stamen operis de fece corporis,
Intus, foris, ubique
Tu nos, inclyte, protege.

Digitized by Google

Præsta hoc, Genitor optime, maxime
Hoc tu, nate Dei, et bone Spiritus,
Regnans solus in arce,
Per cuncta pie sæcula.

XXII. — HYMNUS DE CONFESSORE (METRO SAPPHICO).

Sancte confessor, meritis beate,
Cerne devotum tibi congregatum
Mentibus cœtum resonare cantum
Voce canorum.
Qui tuum gaudet celebrare festum,
Quo sacer lethum viceras amarum.
Corporis claustra reserans eundo
Victor ad astra.
Unde nunc præsens pie te rogamus,
Judicem pulses precibus sacratis,
Quatenus nostri miserando clemens
Sit memor Auctor:
Detque nos semper sibi corde fidos.
Actibus gratis satis et placere,
Omnis et noxæ veniam mereri
Ipse Redemptor.
Hoc, Pater sancte, precibus beati
Annuas, tecum tuus atque Natus
Almus et Flatus tribuat, precamur,
Trinus et unus.

XXIII. — [a] HYMNUS DE SS. MARCELLINO ET PETRO MARTYRIBUS.

Claras laudes ac salubres posco, fratres, dicite,
Quas proferre cogit apte nunc sanctorum gloria,
O victores gloriosi his ovate laudibus.
Quot virtute Regis almi fortes vidi martyres?
Marcellinus atque Petrus jam vicerunt sæculum.
O victores gloriosi, etc.
Quos arx orbis et regina Roma quondam protulit,
Ipsa misit ad supernum Regis Christi solium.
O victores, etc.
Exorcista Petrus exstat, Marcellinus presbyter,
Plebem sacram convocantes ambo Christo præparant.
O victores, etc.
Verbo curant ac medelam ægris præbent artubus
A Ex insanis foras arcent vim horrendam dæmonis.
O victores, etc.
Qui torquentur cæsi flagris, exarantur unguibus,
Vincti tetro hi catenis includuntur carcere
O victores, etc.
Nam in cippo Petrus arcto, Marcellinus crustulis,
Fracti vitri decubando toto nudus corpore.
O victores, etc.
Judex ater quos Serenus certat pœnis vincere,
Illi laudes valde dignas Christo Regi personant.
O victores, etc.
Qui de cœlis misit ipsis mox solamen angeli
Ut de vinclis liberati, quoquo vellent pergerent
O victores, etc.
Ipsi vero roborati confortati martyres
B Post Sereno jam parati præsentari festinant.
O victores, etc.
Tunc Serenus turbulentus valde iratus præcipit,
Ut in silva tracti foras truncarentur candida.
O victores, etc.
Quo profecti gratulantes celsa scandunt sidera,
Laudes illic sempiternas Christo dicunt principi.
O victores, etc.
Hoc hymnista carmen offert pauper vobis, martyres,
Qualecunque sit tenete, servus vester obtulit.
O victores gloriosi, his ovate laudibus.

XXIV. — IDEM VERSUS DE IISDEM MARTYRIBUS.

Salvator mundi, qui cœli sceptra gubernas,
C Imperio et dominans cuncta regis proprio.
Adsis propitius, servorum atque annue votis,
Tu miserans præsta quæque rogant famuli.
Martyribusque tuis hoc addas justus honore
Reddere quod possint munera larga suis.
Hos Christi testes Romana ascivit ab urbe
Vir probus [b] Ainhardus, constituitque locum.
Cujus successor, perfecta presbyter aula,
Ratlaicus sanctis condidit hunc titulum.
Quos tu, Christe Deus, æterna in sæcula serva,
Cumque tuis sanctis præmia redde poli his.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] SS. martyrum Marcellini et Petri gloriosa et plena miraculis exstitit translatio; quam Eginhardus, ex Caroli Magni et Ludovici filii palatino religiosus et eruditissimus abbas, quatuor libris, qui tomo VII Suriano leguntur, accurate pieque descripsit; Annalium ecclesiasticorum scriptor excerptum anno Christi 826 et sequentibus attexuit. Primus adventus martyrum ex urbe Michilunstadium, in saltu cui nomen Odonowald, inter Nicrum et Mœnum, sex circiter leucis a Mœno flumine dissitum, quo in loco recens Eginhardus secessum vitæ tranquilliori, et basilicam erexerat, sed eo dum tempore non dedicatam. Hic martyres depositi, multis supernæ monitis urgebant discessum, donec repetitis mandatis, septem continuo diebus, perenni sanguinei humoris scatebra distillantes impetrarunt evectionem; conditique sunt basilica Mülinheimia, ubi nunc cum amplissimo monasterio, cui Eginhardus præfuit, basilica et oppidum Seligenstadium Moguntinæ ditionis, ad Mœnum amnem situm est. Horum itaque martyrum patrociniis indulget hic Rabanus, et memoriam sibi familiarem (nam diurno non multo amplius itinere Fulda D distat) impense veneratur.

[b] Eginhardum basilicæ conditorem memorat, hujus successorem Ratlaicum presbyterum et abbatem, basilicæ novam fabricam vel aulam adjecisse, qua martyres decentius accubarent, atque ad tumuli decus poposcisse ingenium amici poetæ. Ratlaicus is qua consilii, virtutis, doctrinæque præstantia, postea in Ludovici imp. palatio floruerit, ex ejus epitaphio cognoscetur. Prorsus eumdem censemus, quem Eginhardus in Actis translationis SS. martyrum, suum vocat notarium; et cujus perspicaci industria soertiaque corpora ista primum in Urbe ex crypta basilicæ S. Tiburtii extracta, indeque magnis itineribus, ausu non magis forti quam felici successu doctoque cœlitum, ad Mœnum translata sunt, renovatis ubique, et quacunque incederent, impressis veterum sanctorum, quæ in ejusmodi trajectu evenire solent, miraculorum vestigiis. Una vero littera mutata, passim Eginhardo dicitur Ratlaicus.

Digitized by Google

Ante sæcula et mundi principium
Tu, Pater sancte, genuisti Filium,
Qui tecum regnat cum sancto Spiritu;
Novem fecisti ordines angelicos.
Aspice, Deus, de supernis sedibus,
Quos Deudofredus condidit [a], versiculos
A mundi principio a protoplasto
Usque in novissimo.
Adam plasmatus prima ætas incipit,
Quem draco ille fraudulenter decepit,
Per Evæ gustum de ligno illicito,
Et expelluntur ambo de paradiso.
Bellum crudele inter duos geritur,
Cain occidit Abel sine gladio,
Ipse commisit primus homicidium,
Cujus origo innocentem sequitur.

XXV. — VERSUS DE ANNUNTIATIONE MARIÆ.

Angelus Domini venit ad Virginem,
Ave, Maria, Dominus tecum est,
Beata Virgo, et Dei genitrix.
Beata Virgo et Dei genitrix,
Quæ meruisti portare Dominum.
Beata, etc.
Casta est enim semper virginitas,
Quam supervenit cœlestis gratia.
Beata, etc.

Deus orbis reparator, lux æternæ gloriæ,
Mihi, quæso, pœnitenti præbe pius veniam,
Ut admissi delitescant facinoris cumuli,
Quorum gravi mole cogor anxiari spiritu,
En ad ultima cœlorum non sum dignus sidera
Infelices pro delictis sublevare oculos,
Nisi tu clemens mearum lacrymarum rivulos,
Ope tuæ pietatis digneris respicere.
Surrexit Christus a sopore dormiens,
Pronus affixus suscitavit mortuos.
Morte redemit hominem, quem condidit;
Judas tradidit Redemptorem sæculi,
Inde accepit falsitatis pretium,
Ipsum rejecit, se suspendit laqueo.
Judæi ergo comprehenderunt Dominum,
Et flagellatum duxerunt in prætorium,
Et coronatum duxerunt ante præsidem,
Pilatus præses inquirebat crimina,
Nihil invenit in eo facinoris,
Christus tacendo Adam de morte liberans.

Tertio in flore mundus,
Adhuc dum pubesceret.
In decore juventutis,
Sæculum pulchresceret.
Atque prolem subter omnes,
Late cœli cardines.
Germinando pullularet,
Humana feliciter.

A

Natus est homo in mundum,
Patriarcha nobilis,
Abraham Dei amicus.
Puer fidelissimus,
Hebræa aurea de stirpe.
Oriundus exstitit,
A quo cœpit Hebræorum.
Diffamari populus,
Gloriam dicamus cuncti
Sempiterno Domino.
Qui nos sua pietate
Fecit esse cælibes:
Simul quoque jubilemus,
Laudem Unigenito.
Atque sancto Parácleto,

B

Nunc perenne sæculum.
Sophia Patris,
Christe magister,
Munera linguæ
Dulcia nostræ,
Da, Deus auctor
Rexque Redemptor.
Semina verbi
Sparge per orbem
Gentibus, ut te
Rite canentes
Laudibus ornent,
Lucis amator.
Psallite summo,
Psallite Regi,

C

Psallite Jesu,
Psallite Christo,
Psallite vivo,
Psallite vero,
Hosanna in altis.
Hosanna in astris,
Hosanna in arvis,
Hosanna in undis,
Hosanna in istis,
O Deus, odis.
Gloria Patri,
Gloria nato,
Gloria sancto
Spiritui, qui es
Summa potestas

D

Sanctaque virtus.

XXVI. — [b] HYMNUS DE CHARITATE.

Alma, vera ac præclara indivisa charitas,
Quam qui habet, Deum amat diligitque proximum.
Qui non habet, nullum auget incrementum veniæ,
Bellua sæva, truculenta nempe avaritia,
Quæ in ævum secum trahit sibi consentaneos,
Ad inferna tenebrosa, ubi pœnas sentiant.
Charitatem vocitavit dilectus Apostolus

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] De sex ætatibus.

[b] Carmen, ἄμετρον et acrostichis est alphabeti serie. Charitatis æque bona atque avaritiæ sordes ob oculos ponens; mendis scatebat, et metri inconcinnitas sermonisque barbaries dubitare suadent an is Rabani partu numerari debeat.

Digitized by Google

Deum verum, summum, justum, omnia qui con- A
[didit,
Quem qui timet, ipse habet charitatis vinculum.
Dira fames, duplum malum est cupido pessima,
Dimittendi et augendi semper erit anxia;
Ipsa namque et gehenna nunquam dicunt: Sufficit.
Ex radice charitatis cuncta bona prodeunt,
Namque lingua angelorum simul atque hominum,
Huic sola comparata, quæ est mater omnium.
Fera fallax, fetor malus, hæc est avaritia,
Quæ est tristis et rugosa et intollerabilis,
Ipsa sibi, nulli fratrum confert adminicula.
Grata, læta et alacris virtus ista maxima,
Credit, amat atque sperat, omniaque sustinet:
Patienter cuncta gestans, laxat nostra crimina.
Heu! quam dolenda nimis hæc est inanis stipula, B
Semper stridens atque mordens frendensque in
[labiis!
Quæ nec sibi miseretur, nec succurrit aliis.
Ille namque charitatis sequitur vestigia
Qui et fratres amat, propter Dominumque in
[proximo
Veneratur, ut lex docet diligendo jugiter.
Kalips [Chalybs] item infernalis est avarus cleri-
[cus,
Qui exempla Scripturarum convertit in vitium,
Quod nec Paulus inter sanctos nominari censuit:
Lætum tamen largitorem ipsum amat Dominus,
Qui alacris semper suum impertit pauperibus;
Ejus namque justitiæ permanet in sæcula.
Male vero distributa ipsum amat Dominum: C
Quando ore murmuranti, corde quoque dolenti,
Dat tamen, sed jam non erit summo Deo placita.
Natu Dei felix homo collætatur fratribus,
Misellinis et pupillis, et egenis et orphanis,
In his susceperunt viri celsi Dominum.
Olim jamque exstitisse sacræ ferunt paginæ,
Quod nec ullus puto latet pauperem et divitem.
Quos qui vult considerare.....
Pauper felix collocatur sinu summo Abrahæ
Patriarchæ, glomeratur, decos sanctis ædibus,
Dives vero catenatus mancipatur ignibus.
Quare, frater Christiane, tale post exitium
Es immemor utrorumque æternale præmium?
Qui propter vitam istam parvam capis tuum me- D
[ritum,
Rex æternus, Rector regum legumque dispositor,
Ipse reddo [reddit] cunctis æquum pro factis et
[meritis,
Quæ post hujus sæcli noctem nos in imo penetrant.
Sana fide sancte [sanctæ spei] homo, intende saga-
[citer,
Quia cessant fides atque ipsa spes in ultimo,
Læta tamen hæc in ævum clara regnat charitas.
Toto nisu o beata charitatis viscera
Semper mente retinete, semper ore promite,
Et tam dictu atque factu proximis impendite.
Viva tuba, salpinx sancta, et sanctarum agmina
Hæc exemplis verbis sacris cecinerunt populis,
Unde regna semper læta capessere (possedere)
[patriæ.
Xriste, fave votis, Jesu regum Rex et Domine,
Trahe ad te, qui te volunt charitate sequier,
Quia tu es vita luxque viaque perpetua.
Ymnum tibi nunc cantamus, sacra sancta charitas,
Quia tu es benedicta celsa scandens æthera,
Quæ est omen atque nomen Dei Patris gloria:
Zmaragdo luces pulchrior, omni gemma clarior.
Nitor splendens, super æthra sedens alto solio,
Fac ut tecum charitate regnemus in gloria.

XXVII. — IN FESTIVITATE SANCTORUM OMNIUM.
(Apud Thomasium, tom. II.)

Christe, Redemptor omnium,
Conserva tuos famulos
Beatæ semper virginis
Placatus sanctis precibus.
Beata quoque agmina
Cœlestium spirituum,
Præterita, præsentia,
Futura mala pellite.
Vates æterni Judicis
Apostolique Domini,
Suppliciter exposcimus
Salvari vestris precibus.
Martyres Dei inclyti
Confessoresque lucidi,
Vestris orationibus
Nos ferte in cœlestibus.
Chori sanctarum virginum
Monachorumque omnium
Simul cum sanctis omnibus
Consortes Christi facite.
Gentem auferte perfidam
Credentium de finibus,
Ut Christo laudes debitas
Persolvamus alacriter.
Gloria Patri ingenito
Ejusque Unigenito,
Una cum sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

XXVIII. — IN EODEM FESTO.

Jesu, Salvator sæculi,
Redemptis ope subveni,
Et pia Dei genitrix
Salutem posce miseris.
Cœtus omnes angelici
Patriarcharum cunei
Et prophetarum merita
Nobis precentur veniam.
Baptista Christi prævius
Et claviger æthereus,
Cum cæteris apostolis
Nos solvant nexu criminis.
Chorus sacratus martyrum,
Confessio sacerdotum
Et virginalis castitas

Digitized by Google

Nos a peccatis abluant.
Monachorum suffragia
Omnesque cives cœlici
Annuant votis supplicum
Et vitæ poscant præmium.

A

Laus, honor, virtus, gloria
Deo Patri et Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sæculorum sæcula.
Amen.

SECTIO TERTIA. — EPITAPHIA.

I. — EPITAPHIUM [a] HILTIBRATI EPISCOPI.

Pontificis clari hic requiescunt membra sepulti,
Hildibrath dicti, nempe Dei famuli :
Francia quem genuit mater, quem Fulda nutrivit,
Delectu et Patrem hunc sibi constituit.
Nam præsul post hic humili moderamine factus,
Jugiter extersit crimina cum lacrymis.
Cujus nunc animam fac, tu Dee Christe, beatam,
Hoc dic, o lector, dic, petit ipse Pater.

II. — EPITAPHIUM [b] EINHARDI.

Te peto, qui hoc templum ingrederis, ne noscere [spernas
Quid locus hic habeat, quidque tenens moneat.
Conditus ecce jacet tumulo vir nobilis isto,
Einhardus nomen cui genitor dederat.
Ingenio hic prudens, probus actu atque ore facundus
Exstitit, ac multis arte fuit utilis.
Quem Carolus princeps propria nutrivit in aula,
Per quem et confecit multa satis opera.
Nam horum sanctorum [c] condigno functus honore, C
Exquirens Romæ corpora duxit et huc,
Ut multis prosint precibus curaque medelæ,
Ipsiusque animæ regna poli tribuant.
Christe Deus, hominum Salvator, Rector et Auctor,
Æternum huic requiem da super astra pius.

III. — EPITAPHIUM [d] LOTHARII IMPERATORIS.

Continet hic tumulus memorandi Cæsaris ossa,
Lotharii, magni principis atque pii.
Qui Francis, Italis, Romanis præfuit ipsis,
Omnia sed sprevit, pauper et hinc abiit.
Nam bis tricenos monachus sic attigit annos,
Et se mutavit, ac bene post obiit ii *Kal. Octob.*

IV. — EPITAPHIUM [e] HAISTULPHI ARCHIEPISCOPI.

B Qui intrastis templum, precibus qui implestis et ora,
Discere non pigeat quis tumulo hoc jaceat.
Præsulis Haistulphi sita sunt hoc membra sepulcro,
Pontificale suum qui bene gessit opus.
Bis senis urbem hanc pastor qui rexerat annis,
Dogma et apostolicum protulit ore, manu.
Justitiæ custos, rectus patiensque, benignus,
Fidus in eloquiis et pietate placens.
Lulli discipulus, successor rite Riculphi,
Ambobus meritis non minor iste fuit.
Quis te, sancte Pater, cum Christo nesciat esse,
Splendida quem tecum vita fuisse probat?

V. — EPITAPHIUM [f] OTGARII ARCHIEPISCOPI.

Qui intrasti templum, pronus qui hanc sitis ad aram,
Non spernas, lector, hunc titulum legere.
Nam hic tibi mox pandit tumulus sit cujus, et isthic
Otgarii nomen factaque clara dabit,
Pectore sub cujus regnans patientia victrix,
Fluctibus in tantis anchora fixa fuit.
Felle carens, animo placidus, dulcedine pastus,
Præsulis officium rite peregit ovans.
Quattuor hic lustra, binos complevit et annos,
Moxque urgente die raptus ab orbe fuit.
Hunc meliore via credo ad cœlestia vectum,
Non premit urna rogi; sed tenet aula poli.

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] Ex Fuldensis congregationis gremio ad episcopi dignitatem evectus; quam ubi sustinuerit, nullo veterum indicio facile constituas. Hildebertos, quos D cum Hiltebrati nomine concilio, reperio non paucos. Quid autem *Hilt* in ejusmodi compositione veteribus Germanis significarit, investigat Gretserus noster, in prolegomenis ad Commentarium Pauli Bernriedensis de Vita Gregorii VII.

[b] Hoc epitaphium basilicæ Seligenstadiensi scriptum, in qua Eginhardus tumulum accepit; cujus viri sua ætate rerum usu doctrinaque longe principis clarior, apud eruditos fama, quam quæ schobis attolli debeat. Vindicavit autem ab amoris improbi levitate castum ipsius conjugium Cæsar Baronius Annalium tomo IX, ad annum Christi 826. Supervixit anno 848, quo secundæ synodo a Rabano celebratæ interfuit, una cum cæteris abbatibus Annus vitæ supremus mihi non compertus.

[c] Sanctorum Marcellini et Petri.

[d] Gemma charius hoc monumentum, frustra apud Prumiæ posteros cœnobitas quærendum. Regino in Chronicis, ad annum 855 : « Lotharius, dispositis atque ordinatis regni negotiis, valedicens suis, mundum reliquit, atque in Prumiam monasterium veniens, comam capitis deposuit, habituque sanctæ conversationis suscepto, in religionis professione diem clausit extremum III Kalendas Octobris. » Qui dies signate epitaphio subjicitur, a quo discedit Annalium ecclesiast. scriptor, qui quartum Kalend. Octobris ex sua, ex aliorum quoque sententia, sextum expressit; meminitque Lotharium a Rabano laudatum in libro de Anima, et ab Angelomo, præfatione in Cantica.

[e] De quo consule rerum Moguntiacarum lib. IV, in *Haistulpho*, ubi licet tumulus non diserte ostendatur, illum tamen cum hoc epitaphio in S. Albani monasterio olim exhibitum, et a Rabano illustratum, ea verba docent, quibus locus is avorum memoria, bello Brandeburgico, sacrilegia flamma proditur deletus.

[f] Et is monumentis Ecclesiæ Moguntinæ cantatus est. Anno Christi 847 relicta vita, in S. Albani sacello, quod D. Bonifacii titulum habuit, sepultus, a successore Rabano ornatus est hoc epitaphio.

Digitized by Google

Rex regum Christus, huic lætus semper adesto,
Et nobis clemens sis sine fine Deus.

VI. — EPITAPHIUM [a] RABANI ARCHIEPISCOPI.

Lector honeste, meam si vis cognoscere vitam
Tempore mortali, discere sic poteris.
Urbe quidem hac genitus sum, ac sacro fonte renatus,
In Fulda post hæc dogma sacrum didici.
Quo monachus factus seniorum jussa sequebar,
Norma mihi vitæ regula sancta fuit.
Sed licet incaute hanc nec fixe semper haberem,
Cella tamen mihimet mansio grata fuit.
Ast ubi jam plures transissent temporis anni,
Convenere viri vertere fata loci :
Me abstraxere domo invalidum regique tulere,
Poscentes fungi præsulis officio,
In quo nec meritum vitæ nec dogma repertum est,
Nec pastoris opus jure bene placitum.
Promptus erat animus, sed tardans debile corpus,
Feci quod poteram, quodque Deus dederat.
Nunc rogo te ex tumulo, frater dilecte, juvando
Commendes Christo me ut precibus Domino :
Judicis æterni me ut gratia salvet in ævum,
Non meritum aspiciens, sed pietatis opus.
Raban nempe mihi nomen, et lectio dulcis
Divinæ legis semper ubique fuit.
Cui Deus omnipotens tribuas cœlestia regna,
Et veram requiem semper in arce poli.

VII. — EPITAPHIUM [b] ALCUINI.

Hic, rogo, pauxillum veniens tu siste, viator,
Et mea scrutare pectore dicta tuo.
Ut tua deque meis agnoscas fata figuris,
Vertatur species ut mea sicque tua.
Quod nunc es, fueram famosus in orbe viator,
Et quod nunc ego sum tuque futurus eris.
Delicias mundi casso sectabar amore,
Nunc cinis et pulvis, vermibus atque cibus.
A Quapropter potius animam curare memento
Quam carnem, quoniam hæc manet, illa perit.
Cur tibi rura paras, quam parvo cernis in antro
Me tenet hic requies, sic tua parva fiet?
Cur Tyrio corpus inhias vestirier ostro,
Quod mox esuriens pulvere vermis erit [edet]!
Ut flores pereunt, vento veniente minaci,
Sic tua namque caro gloria tota perit.
Tu mihi redde vicem, lector, rogo, carminis hujus,
Et dic, da veniam Christe, tuo famulo.
Obsecro, nulla manus violet pia jura sepulcri,
Personet angelica donec ab arce tuba :
Qui jaces in tumulo, terræ de pulvere surge,
Magnus adest Judex millibus innumeris,
Alchuuin nomen erat, sophiam mihi semper amanti,
B Pro quo funde preces, mente legens titulum.

VIII. — EPITAPHIUM [c] REGINBALDI CHOREPISCOPI.

Ecce Reginbaldus pausat chorepiscopus isthic,
Corpore sed tantum, spiritus astra petit :
Ore manuque simul populo huic qui præfuit apte,
Mercedem plenam cui dabit omnipotens.

IX. — EPITAPHIUM [d] EIGILI ABBATIS.

Ingrediens lector per parvi domatis antrum,
Cerne legens titulum nosceque fata viri.
Abbas iste fuit famosi nominis Eigil,
Qui jacet in tumulo, sed super astra manet,
Hoc quoque cœnobium rexit feliciter ipse
Multaque facta bona rite peregit ovans.
Martyris [e] ergo sacra cum præsule transtulit ossa,
C Ac binas pariter has dicat ecclesias [f].
Post hæc alta petit, animamque ad sidera misit,
Corporis infirmi membra locavit et hic.
Huic quoque Rabanus, vilis successor, amando
Conscripsi hunc titulum : Christus utrosque juvet.

X. — EPITAPHIUM [g] WALACHFREDI ABBATIS.

Noscere quisque velit tumulo hoc quis conditus ex-
[stet,

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] Hoc epitaphium verbatim prope expensum a se in Moguntiacis edidit Nicolaus Serarius; et ab ipso superstite dum Rabano conscriptum ostendit, et præter alia coarguit quoque versuum contextus. Publicarat jam ante Melchior Hittorpius in Commentario de divinis catholicæ Ecclesiæ Officiis, ubi Rabani libris de Institutione clericorum præfigitur, cum hac epigrapha : *Epicedion Rabani Mauri in vitam suam.* Jacobus Wimphelingius, ante centum amplius annos, ad calcem operis Acrostichidum de sancta cruce rejecit seu ex ruderibus monasterii Montis S. Albani, quod jam tunc cesserat Canonicis, erutum et addit, in Moguntinensi cathedra sedisse annis novem, obiisse an. 856 : sepultum in monte S. Albani, inde Fuldam translatum; cui parum concors Trithemius, cum S. Maximum et S. Rabanum ab Alberto cardinale Moguntia exportatos scribit in Saxoniam, conditosque in Hallensi S. Mauritii basilica, anno 1515. Sanctis autem annumerari Rabanum, etsi privati quidam monent scriptores, in publicum tamen, vel hic etiam Fuldæ, neque probantur, neque audiuntur.

[b] Alcuini seu Albini Flacci, viri suis temporibus in rerum maximarum scientia summi, quis laudes præconiaque nescit? Trithemius in illustrium scriptorum censu illum merito posuit. Multa ipsius hac ætate ingenii monumenta in lucem prolata; inter quæ posteriores non ferunt, quæ tom. I, V et VI Antiq. Lectionis, vir juris ac veteris memoriæ callens, Henricus Canisius, qui et hoc epitaphium ipsius, Albini an Rabani ingenio scriptum intexuit, de quo libro I Antiq. Fuldens. inquisivimus, cum vicina Fuldanæ Hirsfeldensis ecclesia Albini cineres et ornamenta sibi vindicet. Mortuum ferunt anno 804, et titulus a Canisio proponitur, quo beatæ memoriæ dominus Alcuinus abba obiisse scribitur in pace, XIV Kalend. Junias. Tom. VI Antiq. Lect. et ad eamdem diem Martyrologio Rabani ejus celebratur depositio.

[c] Absque Rudolphi commentario fuisset, hujus Reginbaldi jam nulla memoria viveret. Traditur itaque in Actis Rabani, Otgarii archiepiscopi fuisse suffraganeus, sive chorepiscopus, et Rabano in transferendis condendisque SS. Venantii, Urbani et Quirini aliorumque divorum reliquiis, sedulum et piam adfuisse constat.

[d] De Ægile abbate Fuldensi, Rabani educatore, actum supra.

[e] Sancti Bonifacii.

[f] S. Salvatoris et S. Michaelis.

[g] Augiæ divitis is abbas, Walafridi Strabi nomine vulgo notior, discipulus Rabani, et in S. Gall

Digitized by Google

Perlegat hunc titulum, omnia sicque sciet.
Ergo Walachfredus tumulatus sorte quiescit,
Presbyter et monachus, ingenio hic validus.
Abbas cœnobii hujus, custosque fidelis,
Hic fuerat caute dogmata sacra legens.
Nam docuit multos, metrorum jure peritus;
Dictavit versus, prosa facundus erat.
Invitans instanter oves ad pascua Regis,
Distribuit dulcem fratribus ore salem.
Moribus ipse probus, virtutum exempla reliquit.
Discipulis pastor, plebis et almus amor.
Mors fera sed juvenem hinc rapuit, damnumque fe-
[rebat
Multis, sed Christus hunc tulit ad Superos.
Quisquis hunc titulum recitas, pro hoc posco fideles
Funde preces Christo, sicque places Domino.

XI. — EPITAPHIUM ADALHARDI.

Hic jacet inclusus Adalhardus nomine dictus,
Unus de clero, mors fera quem rapuit.
Hartnandus titulum quem condidit ipse precando,
Cui dicat lector: Tu miserere, Deus.

XII. — EPITAPHIUM ISANBERTI PRESBYTERI ET MONACHI.

Noricus ex patribus ego sum Germanicus exsul,
Wasconia genitus, presbyter et monachus.
Nomen sique meum quæris tu, lector, honeste,
Isanbert dicor, cui miserere, Deus.

XIII. — EJUSDEM.

Noricus ex genere fueram atque Aquitânicus ortu,
Francia meque aluit, quove fui monachus.
Ferrum me clarum dudum dixere parentes,
Mortis nunc tumulo vincula dira premunt.

XIV. — EJUSDEM.

Norica prima parens fuerat, Aquitania mater,
Francia me rapuit, presbyter atque fui.
Qui vixi monachus Isanbert nomine dictus,
Cujus tu, lector, esto memor precibus.
Ecce tibi, ut peteras, conscripsi promptus amore,
Versus ad tumulum, dulcis amice, tuum:
Tripliciter condens titulum, Trinumque precando,
Quod te conservet summus ab arce Deus.
Tu memor esto mei cum vivas sanus in orbe,
Post funus tecum ut lætus ad astra petam.

A XV. — EPITAPHIUM WIGFRIDÆ.

Nobilis ecce jacet tumulata hic femina Wigfrid,
Quam Saxo atque Thuring gaudent habere genus.
Hæc quoque conjugium sortita ac pignora prompsit,
Et post busta viri [a] nonna dicata Deo est.
Nam titulum scribi hunc ejus quoque filia fecit,
Theotfrid, quæ matri jungere funus amat.

XVI. — EPITAPHIUM [b] IRMINGARDIS.

Ingrediens quisquis hanc ædem rite revisas,
Noscere te libeat quid tumulo hoc lateat.
Femina hic pausat Augusta et nobilis ortu,
Irmingarda cui nomen erat deditum.
Quæ hoc opus incipiens hic aulam condere jussit
Ad Christi laudem atque sui requiem.
B Nam pia relliquias sanctorum ex urbe receptans
Romana, huc vexit hicque locavit eas,
Ipsorum caperet meritis ut gaudia vitæ,
Delicti ac veniam perciperet precibus.
Caste conversans mundana hæc gaudia sprevit,
Pauperibus larga omnibus apta bonis.
Nobiliter vixit, aliis exempla reliquit
Virtutum, sibimet præmia læta parans.
Hæc quoque dum expleret juvenile hic tempus et
Maturæ ætatis inciperet, jam obiit. [annos,
Linquens regna soli penetravit regna polorum,
Cum Christo et sanctis gaudia vera tenens.
Hanc rogo tu, lector, commenda rite Tonanti
Assiduis precibus, Christus eam ut habeat.
Cum quo congaudens vivat feliciter ipsa
C Angelicis semper mixta beata choris.
Has ego Rabanus confeci versibus odas,
Ex obitu mœstus, ex requie et gratulans.

Obiit autem Irmingarda imperatrix anno Dominicæ Incarnationis DCCCLI, *indictione* XIV, XIII *Kal. Aprilis, in die Parasceve, hora quasi sexta, et requievit in pace.*

XVII. — EPITAPHIUM TUTINI.

Hic jacet insignis vir, nomine Tutin, humatus.
Complens communem, sorte vocante, diem;
Alta clarorum qui natus stirpe parentum,
More omni proceres æquiparavit avos.
Ingenio, probitate, fide verbique decore

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

Fuldensi monasteriis educatus. De quo tom. VI Antiq. Lect. ex diversis multa collegit Henricus Canisius, et in Antiq. Fuld., lib. I, laude eum sua pro merito cohonestavimus. Creatum abbatem volunt in ordine duodecimum, anno Christi 842 obiisse in Augia, quo hoc epitaphium transmissum an. 849, regiminis sui octavo; ut Jodocus Meztlerus, lib. de illustribus Viris S. Galli, ex Hermanno Contracto, docuit.

[a] Repetitum ab ultima Christianorum antiquitate, nonnæ vocabulum Patribus usurpatur pro religiosa et consecrata Deo femina: id quod valde significanter S. Hieron. ep. 22, ad Eustochium: Maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem. Castæ vocantur et nonnæ. Consule.

[b] Plane consentiens huic epitaphio Reginonis Chronicon. « Anno Dominicæ Incarnationis 851 obiit Hedrimingardis regina, conjux Lotharii imp. venerabilis et Deo acceptabilis matrona. » At priscis diplomatis nomen etiam imperatricis præferre observavimus. Porro Irmingardi Augustæ in prænobili Alsatici soli virginum monasterio, quod Ehrinsteinium appellant, sepultura obvenit: id vero monasterium Hirmingardis, uxor Ludovici Pii, circa annum Domini 819 felici origine beasse; Lotharius autem et ejus conjux Irmingardis multis opibus cumulasse scribitur. Unde Bruschii placita in catalogo Argentinensium episcoporum non dissimules, qui cum Lotharii reginæ tribuit parthenonis originem, hanc et filiam ejusdem nominis ibi tumulatas accepit. Sed auscultem hic magis recentioris, haud vulgaris notæ scriptoris, Francisci Guillimanni arbitrio, quem adeas licet in Hattone Argentoratensis Ecclesiæ episcopo vicesimo uno.

Digitized by Google

Inter regales vixit honore viros.
Quem juvenem mediis cecidisse viriliter armis
Effecit Domini gratia magna sui.
Frater pontificis fuit ille celerrimus armis,
Qui huc germani detulit ossa sui.
Flecte genu, palmasque leva, bone lector, et orans
Dic, precor : Ambobus propitiare, Deus.

XVIII. — EPITAPHIUM GUNDRAMNI.

Hic locus [ecce] tenet congestos rite sepulcris
Cultorum cineres ac tegit ipse suos.
Nam Gundramnus adest isthic, et corpore subtus
Sarcophago latitat, spiritus alta petit.
Pro quo tu, lector, digneris fundere Christo,
Posco, preces Domino, ut faveat famulo.

XIX. — EPITAPHIUM [a] OTDRUDÆ CONJUGIS EJUS.

Conjux namque hujus Otdruda et nomine dicta,
Cespite contecta hic condita rite jacet.
Horum nempe datu Bonifacius obtinet istum
Martyr rite locum, consecrat et Domino.
Christe Deus hominum Salvator, Rector et Auctor,
Æternam in cœlis da pius his requiem.

XX. — EPITAPHIUM [b] RATLAICI PRESBYTERI.

En servus Christi Ratlaicus nomine dictus
Corpore hic pausat, spiritus alta petit.
Presbyter hic fuerat, sophiæ et studiosus amator,
A Officium abbatis et bene gessit opus.
Solers ac strenuus divinæ dogmate legis
Scrutando didicit atque alios docuit.
Is ex Colonia adveniens regi en Ludovico
Conjunctus valde utilis huicque fuit.
Plures nam docuit verbis, et scribere fecit,
Quæ fuerant apta plurima ad officia.
Nam juvenis vitam hanc linquens migravit ad æthra,
Atque ibi cum Christo gaudia vera tenet.
Est locus in primo felix Oriente remotus
Qua patet æterni maxima porta poli.
Nec tamen æstivos hiemis vel propinquus ad ortus
Sed qua sol verno fundit ab axe diem.
Illic planities tractus diffundit apertos,
Nec tumulus crescit, nec cava vallis hiat.
B Sed nostros montes, quorum juga cæsa (celsa) pa-
[tantur,
Per bis sex ulnas imminet [eminet] ille locus.
Hic solis nemus est et consitus arbore multa
Lucus, perpetuo frondis honore virens :
Cum Phaetonteus flagrasset ignis ab axe,
Ille locus flammis inviolatus erat.
Et cum diluvium mersisset fluctibus orbem.
Deucaleoneas exsuperavit aquas.
Non hunc exsangues morbi, nec ægra senectus,
Nec mors crudelis, nec metus asper adit.
. . . . . .

SCHOLIA CHRISTOPHORI BROWERI.

[a] In obscura privatorum memoria nihil hic occurrit excogitatu promptius quam quod lib. III Antiq. Fuld., cap. 13, in monasterii Solæhofii originibus traditum est, ubi facta mentio Guntrami nepotis Rabani, cujus donatione tractus ille terrarum, in Bambergæ et Eistadii diœcesion limitibus, monasterio Fuldensi obtigit. Neque prohibet ibi capellanum et D. sacrum salutari : cum enim in palatio militasse, et regia liberalitate S. Solæ curiam impetrasse scribitur, fieri potuit ut maturior jam annis, post matrimonium abdicato sæculo, monasticen amplexus sit, et hinc iterum ad regum obsequia traductus. Nostræ conjecturæ favet iste versiculus : C

Horum nempe datum Bonifacius obtinet istum
Martyr rite locum, consecrat et Domino.

[b] Ejus in hymnis meminimus, seu successoris Eberhardi, et abbatis Seligenstadiani; hic jam justis honoribus a Rabano cumulatur.

DUBIA ET SPURIA.

Anacleta quædam RABANI et aliorum non dissimilis argumenti et styli, digna quæ ad memoriam antiquitatis, dispersa et dissipata, recolligantur.

I.

Alexandri et Fabiani pontificum Romanorum elogium, quod eis Rabanus scripsit postquam illorum reliquias in monasterium et ecclesiam B. Dei Genitricis intulit apud Fuldam, in colle septentrionali, quem superioris sæculi injuria vastatum novis operibus jam exornat reverendissimus abbas Joannes Fridericus.

Pontifices summi, Roma huc quos misit habendos,
Rectores fuerunt sedis apostolicæ.
Hos servos Christi Raban suscepit ovando,
Illorumque ossa hoc condidit et loculo.
Levitæ ergo duo prædicta ex urbe secuti,
Venerunt istuc, digni et honore suo.
Quos idem famulus Domini mox obvius, astans
Supplex accepit, hicque simul posuit.
D Martyr Alexander, martyr Favianus et ipse,
Huc venere simul, doctor uterque pius.
Discipuli Christi, papæ dignique ministri,
Felicissimus hic Agapitusque manent.
Omnes hi pariter aulam hanc satis ossibus ornas.
Virgo Dei genitrix quam dicat et meritis.
Vos quoque qui intrastis templum, istos cum prece
Patronos vobis quærite in auxilium. [fusa,

II.

Sanctorum Urbani et Quirini ac Venantii ossa in ecclesia montis S. Joannis Baptistæ condunter : et versus eorum honori erecto ciborio sequentes a Rabano inscripti sunt.

Præcursor Domini, Christum qui tinxerat undis

Digitized by Google

Hanc aulam inhabitat sanctificatque domum.
Quattuor hancque viri Christi magnalia scriptis
Qui tunc expresserunt, ecce colunt pariter.
Sed homines sancti valde et sacro ordine clari
Non minus exaltant nobilitantque locum.
Quos huc diversis duxit ex partibus orbis
Servorum Domini strenuus actus amor.
Quirinum [F., Urbanum] Roma, Quirinum Siscia misit,
Quos pie suscipiens continet iste locus.
Insignis præsul sanctus Venantius, atque
De Alimino veniens, hic simul ipse manet.
Hos quoque susceptos Rabanus sorte locavit.
Sarcophago hoc : digne condidit et titulum
Deposcens omnes templum qui gressibus intrent,
Ipsum ut commendent rite Deo precibus.

III.

Epigraphe SS. Tiburtii, Valeriani et Cæciliæ, lipsanothecis insculpta, quando eorum ossa veneranda in Rathesdorstiensi nunc collegiali ecclesia Fuldensis ditionis Rabanus deposuit.

Postquam Rex regum Christus super æthera celsa
Victor conscendit arbiter omnipotens,
Servorum turbam hic liquit plebemque fidelem,
Qui verbo et factis plurimas lucra darent.
Inter quos isti quorum hic membra quiescunt,
Virtutum titulis eximii fuerant.
Hi pompam mundi spernentes rite tenebant
Martyrii palmam virgineumque decus.
Germani ecce duo hic pausant, quos virgo beata
Lucrata est Christo dogmate Cæcilia.
Valerianus adest unus, Tiburtius alter,
Nomine præclarus clarior et meritis.
Has tres personas Romana ex arce meantes
Suscepit Raban, Christe, tuus famulus :
Patronosque sibi exoptans fieri arte magistra
Ornavit tumulum, condidit et titulum.

IV.

Operi quadrilatero quod turris instar Fuldæ Rabanus in basilica Salvatoris sanctorum honori molitus est, sequentia tetrasticha inscripsit. Primum in orbem excurrit, sequentia lateribus adhæsere.

Nomine quos noto locus hic et imagine signat
Præclaros Christi ecce Dei famulos :
Qui corde impavido rubuerunt sanguine sacro
Pro Christo jam animas opposuere suas.

In primo latere.

Martyribus Christi quorum hic ossa quiescunt
Rabanus humilis condidit hunc tumulum.
Horum tu, lector, si noscere nomina curas
Arca superposita pandit et ipsa tibi.

In secundo.

Roma decus mundi, laus rerum, summa potestas :
Hos jam lectores pontificesque habuit,
Cum quibus hic pausant sumpti de partibus orbis,
Virtute clari, Christe, tui famuli.

In tertio.

Felices nimium atque beati
Quos rex Christus ovans arce superna
Sanctis pro meritis collocat astris,
Vitam supremam reddit et illis.

In quarto.

Qui templum Domini gressibus intrant,
Hos nunc admoneo corde benigno
Christum suppliciter ut prece poscant
Quo cum martyribus sidera præstet.

V.

Ad Haistulphum, archiepiscopum Magontinum, cum illi de Institutione clericorum libros grati officii causa dedicaret.

Hæc tibi, sancte Pater, devoto munera trado,
A Quæ tu dignanter qualiacunque cape.
Tu decus es nostrum, doctor summusque sacerdos,
Dux sacer, et princeps, lux, via, pastor, honor.
Nam quia tu templum dedicasti martyris almi
Per servum donum hoc martyr et ipse dedit
Nam est nonus et decimus octingentesimus annus,
Ex quo Salvator venit in arva pius.
Qui te præfectum tribuat faciatque beatum,
Inserat et lætum cœtibus angelicis.
Abbas namque meus vesterque fidelis amicus,
Ægil hæc voluit reddere dona tibi.
Se totum atque offert, suaque omnia sponte ministrat :
Quem tecum summus salvet in arce Deus.

VI.

De iisdem libris ad Fuldenses monachos, cum paræsi qua illos ad divinarum litterarum studia cohortatur.

Cernite quid voluit, fratres, sententia legis,
B Quæ mandat rite noscere verba Dei.
Aures quisquis habet hic audiat, inquit, apertas,
Quid dicat sanctus Spiritus Ecclesiis.
Cui Psalmista pari concordat grammate, plebem
In legem Domini cernere rite jubens.
Sic quoque nos semper oculis atque auribus est fas
Intentis, fratres, discere verba Dei.
Quid mandet dictis, quid factis indicet ipsis.
Quæ codex geminus continet ille suus :
Quid celebrando piis signet charissima Christi
Sponsa sacramentis et studiis variis :
Namque poposcitis hæc vobis reddere scriptis,
Exhibui parvis hæc tribus ipse libris.
Quid cultura velit, gradibus quid nuntiet almis,
Quid prece, quid festis sancta Dei Ecclesia :
Dogmata quæ cunctis pia discere, quæve docere,
Condecet ordinibus mystica dicta Dei.
Sed licet hæc tota non possum carpere scriptis.
Plurima complexus hic tamen arte dedi.
C Hæc ego peccator Rabanus dona Tonantis,
Vobiscum capiens, nunc pia participo.
Supplex vos posco, testans per sceptra Tonantis,
Me ut commendetis vos precibus Domino,
Quatenus ipse pius concedat dona salutis,
Vobiscum mihimet regna beata poli.
Christus dux vester, Christus rex, Christus amator,
Semper vos salvet, summus in arce Deus.

VII.

Vetus Scriptum ac sancta cruce, Rabano forte ascribendum.

(Ex Hersfeldiensis abbatiæ bibliotheca.)

Ecce imago Salvatoris membrorum suorum positione consecrat nobis saluberrimam, dulcissimam ac amantissimam sanctæ crucis formam : ut in ejus nomine credentes et ejus mandatis obedientes, per ejus passionem spem vitæ æternæ habeamus ; ut quotiescunque sanctam crucem aspicianus, ipsius
D recordemur, qui pro nobis in ea passus est, ut eriperet nos de potestate tenebrarum, deglutiens quidem mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur. Profectus in cœlum, subditis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus ; utque recogitemus quod non corruptibili argento vel auro redempti sumus de vana nostra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine suo, quasi cruore agni incontaminati et immaculati Christi, ut simus et nos immaculati in conspectu ejus in charitate : ut per hæc efficiamur divinæ naturæ consortes, fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Sunt quippe et in ipsa depicta cruce nomina Redemptoris ejusdem Domini nostri, quædam ex divinitatis ejus substantia, quædam vero ex dispensatione susceptæ humanitatis assumpta, ut ostenderetur quod idem mediator Dei et hominum et Patri esset in deitate consubstantialis atque coæqualis, et matri in humanitate suscepta connaturalis atque

Digitized by Google

consimilis, quia omnem naturam nostram ipse perfecte suscepit absque peccato humano.

Qualitas autem eorum facile per rationem subternexam potest cognosci, utrum ad divinam vel ad humanam ejus pertineat naturam.

CHRISTUS namque Græce chrismate est appellatus, hoc est, *unctus*. Sacerdotes ergo et reges apud Judæos sacra unctione in Veteri Testamento ungebantur, et ideo Christus *unctus* Latine appellatur; vel unctio dicitur, quia rex et sacerdos est: qui non oleo materiali, sed oleo lætitiæ, hoc est, Spiritu sancto unctus est præ omnibus participibus suis. Et apud Hebraicam linguam Christus Messias nominatur,

JESUS Hebraice, *Sother* Græce, *salutaris* vel *Salvator* Latine interpretatur : pro eo quod cunctis gentibus salutifer advenit.

IMMANUEL vel Emanuel ex Hebræo in Latinum significat *nobiscum sit Deus*, scilicet quod per Virginem natus Deus hominibus in carne mortali apparuit.

DEUS dicitur propter unitam cum Patre substantiam. DOMINUS, propter servitutem creaturarum. Deus autem et homo, quia Verbum simul et caro est.

UNIGENITUS autem vocatur per divinitatis excellentiam, quia genitus sine fratribus. Primogenitus per susceptionem hominis, in qua per adoptionem gratiæ habere fratres dignatus est, quibus esset primogenitus filius.

HOMOUSION. Patri ab unitate substantiæ appellatur. Substantia enim vel essentia Græce *ousia* dicitur. Omousium utrumque conjunctum sonat una substantia.

PRINCIPIUM, eo quod ab ipso sunt omnia, et quia ante eum nihil est.

FINIS, quia dignatus est in fine sæculorum humiliter in carne nasci et mori : vel quia quidquid agimus ad illum referimus, et ad eum cum pervenerimus, ultra quod quæramus non habemus.

Os DEI est, quia Verbum est ejus. Nam sicut pro verbis, quæ per linguam fiunt, sæpe dicimus illa vel illa lingua; ita pro verbo Dei ponitur os, quia mos est ut ore verba formentur. VERBUM autem ideo dicitur, quia per eum omnia Pater condidit sive jussit.

VERITAS etiam vocatur, quia non fallit, sed tribuit quod promittit.

VITA est, nam omnia vivificat. IMAGO dicitur propter Patris parem similitudinem. FIGURA, quia suscipiens formam servi, per operum virtutumque similitudinem, Patris in se imaginem atque immensam magnitudinem designavit.

MANUS DEI est, quod omnia per ipsum facta sunt. Hinc et DEXTERA, propter effectum operis totius creaturæ, quæ per ipsum formata sunt. BRACHIUM nuncupatur, quod ab ipso omnia continentur.

VIRTUS, quod omnem Patris potestatem in semetipso habeat, et omnia potest.

SAPIENTIA, Græca vox, *sophia*, quod ipse revelet mysteria scientiæ et arcana sapientiæ. SPLENDOR, propter quod manifestat.

LUMEN, quia mundum ex alto illuminat. LUX, quia ad virtutem contemplandum cordis oculos reserat. SOL, quia illustrator justitiæ ac prudentiæ.

ORIENS, quia rerum cœlestium fons, et luminis auctor, et quod oriri nos faciat ad vitam æternam. FONS, quia omnium in natura rerum origo est, vel advocatus scientiarum, quod faciat homines vere scientes.

PARACLETUS, id est, consolans, advocans et provocans, quia pro nobis intercedit apud Deum Patrem, et ad culpas nostras removendas curam gerit.

SPONSUS, quia de cœlo descendens adhæsit Ecclesiæ, ut essent duo in carne una. ANGELUS dicitur propter annuntiationem paternæ ac suæ voluntatis ; A unde et apud prophetam « magni consilii angelus » legitur, dum sit Deus atque Dominus angelorum.

MISSUS dicitur, quia Verbum caro factum est. HOMO vero, quia incarnatus est.

MEDIATOR, quia de morte ad vitam nos perducit. PROPHETA, quod futura revelavit. SACERDOS, quod pro nobis hostiam se obtulit. PASTOR, quia custos est. MAGISTER et doctor Rabbi, quod ostensor.

NAZARENUS vero a loco, Nazaræus a merito, id est, *sanctus* sive *mundus* adjective, quia peccatum non fecit. Si quidem et aliis inferioribus rebus nominum species ad se trahit Christus, ut facilius intelligatur.

PANIS autem dicitur, quia caro vivificans. VITIS, quia ex sanguine ipsius redempti sumus. FLOS, quia electus præ filiis hominum. VIA, quia per ipsum ad Deum Patrem imus. OSTIUM, quia per eumdem ad Deum ingredimur. MONS, postquam excelsus est et fortis.

PETRA, quia maxima firmitas est pie credentium.
B LAPIS angularis, quia duos parietes e diverso, id est de circumcisione et præputio, in unam fabricam Ecclesiæ jungit: vel quod pacem angelis et hominibus facit. LAPIS offensionis, quod veniens humilis, offenderunt in eum increduli, et factus est petra scandali. FUNDAMENTUM autem ideo vocatur, quia nostra fides in eo fundata est, vel quia supra eam catholica Ecclesia et apostolica, et doctrina divinitus constructa est.

A et Ω, quod Christus initium et finis est. AGNUS etiam dicitur propter innocentiam. OVIS ipse quoque vocatur ob mansuetudinem seu patientiam. ARIES, propter principatum. HÆDUS, ob similitudinem carnis peccati. VITULUS, pro eo quod pro nobis est immolatus.

LEO, pro regno et fortitudine. SERPENS, pro morte et sapientia. VERMIS idem, quia resurrexit. AQUILA, propter quod post resurrectionem ad astra lætus remeavit.

C Nec mirum si vilibus significationibus figuretur, qui dum sit Patri coæternus ante sæcula Filius, naturæ nostræ vilitatem non spernens, natus est in tempore hominis filius. *Verbum* enim *caro factum est, et habitavit in nobis.*

SANCTA CRUX.

Dextra Dei summi, cuncta creavit Iesus,
Christus laxabit e sanguine debita mundo
In cruce sic positus, dissolvens vincla tyranni,
Æternus Dominus deduxit ad astra beatos,
Atque salutiferam dederat Deus arce coronam.

Veste quidem parva hic tegitur qui continet astra :
Atque solum palmo claudit ubique suo.

Iste est Rex Justitiæ. Ordo justus Deo sacer.
I. N. R. regum Dominus dominorum. A. M. Ω,
Principium, Medium, Finis.

VIII.

D IN HERSFELDIENSIS AD FULDAM AMNEM INCLYTI MONASTERII BASILICA LEGEBANTUR HI VERSUS

In fronte chori inferioris, quem laicorum appellabant, ad lævam.

Ut guttæ roris delentur caumate solis,
Ut flos aut folium solvitur in nihilum :
Sic decus omne perit quod oberrans hic homo quærit,
Quo breviter fruitur, post breve qui moritur.
Nil fert sincerum vel constans machina rerum,
Dum qui heri stabat, cras hodieve labat.
Sed quæ sunt sursum non norunt gaudia cursum,
Lector, ad hæc propera, justa sequens opera.
Lux, laus solemnis, ibi cunctis paxque perennis,
Nec decor ullus abest, Rex ubique summus adest.
Desine vana sequi, pro munere judicis æqui
Ob bona facta tibi vivere detur ibi.

Digitized by Google

Eia quam lætus, concors, sacer atque quietus,
Omnis ibi cœtus : non dolus, ira, metus.

Ad dextram saxis insculpti.

Sicut agri flores, sic mundi constat honores
Tempore stare brevi, conditione levi.
Mundus transibit, sed non omnino peribit,
Ejus mutatus in meliora status.
Porro divina cura sunt condita bina,
Angelus ac anima, fœdere finitima.
Utraque fine carent, sed fini cætera parent,
Quæ maris unda tegit, terra vel aura vehit.
Hinc, homo, discerne quid sis, pacisque supernæ
Tendens ad patriam, quære teneque viam.
Corpore casurus, anima nunquam moriturus,
Juncta spe fidei, dilige dona Dei.

Epitaphium vetus in cœmeterio.

Sta, lege, pertracta, quid sis, quæ sint tua facta,
Per breve, per dubium vivitur hic spatium.
Ut flos ecce cades, cinis ad cinerem cito vades.
Summa vel ima petens, dignaque lucra metens.

A Nunc age, dum vivis, summæ patriæ fore civis,
Mors sit spesque tibi fixa frequenter ibi :
Qua perpes vita, qua gaudia sint stabilita,
Absque labore quies et sine nocte dies.
Qui legis hæc, ora pro me pro teque labora,
Pro te meque reo da tua vota Deo.
Posce mei miseri miseratorem misereri,
Meque boni veri participem fieri.

In vestibulo chori superioris circum Apostolos, a dextris

Quærunt scituri quæ præmia sint habituri
Cuncta relinquentes mundi Christumque sequentes,
Quos consessuros sibi censoresque futuros
Promittit, mundo cum venerit ille secundo.

In eodem vestibulo, a sinistris.

Patres bisseni, divino Pneumate pleni,
Ortum nascentis clauso de ventre Parentis
Cernunt, effantur, præsignant, testificantur,
B Pectore, sermone, factis scriptis, ratione.

Versus deorsum legendi, juxta sepulcrum Albini.

Angelus	Intactus	Verbum	Nova	Per tria dona
Jussa Dei	Venter	Caro	Stella magos	Deus infans
Fert;	Imprægnatur ;	Fit ;	Ducit ;	Magnificatur
Christus	Rex mortis	Mors	Clausi	Planta vetusta
Ad mortem	Captus	Moriens	Tenebris	Paradisi
Traditur ;	Arctatur ;	Perit ;	Exsiliunt ;	Renovatur ;
Christus	Districtus	Cunctum	Sua præmia	Nostrum
Exsurgens	Judex	Cor eum	Quivis	Opus omne
Ascendit ;	Rediet ;	Metuit ;	Capiet ;	Patefiet ;
Sanctum Pneuma	Novæ	Fidei	Baptisma	Supernis
Discipulos	Linguæ	Virtus	Hominum scelus	Ima
Inflammat.	Dantur.	Crescit.	Tollit.	Sociantur.

Laus Deo et Virgini Matri.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM ET VERBORUM LOCUPLETISSIMUS

Quæ in his RABANI MAURI *sex tomis continentur.*

A

Aaron cur dictus mons fortitudinis, v, 52. Ejus sacerdotio Christi exprimitur sacerdotium, *ibid.* In idololatriam labitur, II, 211. Idololatriæ auctor cur non simul cum populo punitus, II, 226. Ejus et Moysis in persecutores mirus effectus, II, 683. Aarone prætermisso, cur Deus ad Moysen et Eleazarum filium Aaronis sermonem direxerit, II, 684. Ejus laus, III, 1087. Sacerdos cum filiis ungitur, *ibid.* Pater Heli, III, 26. Ejus sacerdotium a Christo abrogatum, III, 1088, 1089. Aaron in Musea, cur alias in Or mortuus dicatur, II, 874. Aaroni, ejusque filiis ante diem septimum unctionis suæ non licuisse exire e tabernaculo, II, 333. Cur, II, 334.

Aas sagitta terram trib. vicib. percutiens verbi prædicatorum typus, III, 221-225.

Abana fluvius, V, 332.

Abarim typice quid significet, V, 360.

Abba quid significet, V, 1432, VI, 315.

Abdenago dicitur serviens taceo, V, 69.

Abel interpretatur luctus, seu vanitas, V, 32. Justus recte offerens, VI, 790. Cur a fratre occisus, I, 501.

Abdias recte dicitur servus Domini, V, 68.

Abel, nomen urbis in termino Israel, fuit vero et alia hujus nominis Abel Bethmata dicta, III, 31.

Aber fluvius, V, 322.

Abia dictus pater, Dominus, et cur, V, 59.

Abidos, unde nomen invenerit, V, 555.

Abimelech naturalis Gedeonis, seditiosus, occisor fratrum, excepto Joathan, II, 1170. Typus Antichristi, II, 1173. Hebraice, frater meus rex, *ibid.* Turrem Sichimorum expugnat, perit, illisa lapidis molaris parte in caput, *ibid.*

Abimelechi nomen Judæ prodit, personam gestat, III, 59.

Abimelech, et alii filii Gedeonis, cujus typum gerant, V, 56.

Abinoe heb. quid significet, II, 1143.

Abjecti sæpe ad honorum gradus evehuntur, III, 839.

Ablutione bapt. omnia nobis delicta remittuntur, III, 171.

Abnegatio sui ipsius cujusmodi. Item diaboli et ejus pompis, VI, 1172.

Abortum procurans qua pœna afficiendus, II, 112. Mystice quis abortivus, *ibid.*

Abra quid significet, V, 55; III, 621.

Abrahæ in Geraris peregrinanti uxor a rege tollitur, I, 559. Triplicem Dei habet figuram, I, 550. Secretorum divinorum fit particeps, *ibid.*

Abraham et Lot egregia mansuetudo, I, 536. Typice quid significet, I, 536.

Abrahæ quomodo licuerit celare uxorem, I, 535. Cur sororem dicere eam maluerit quam uxorem, *ibid.* Quorum typus, *ibid.* Quomodo exiens Ægypto dives potuerit esse, I, 535. Nomen ejus mutatur, I, 548. Pater multarum gentium constituitur, *ibid.* Occisurus filium non peccasse ob præceptum divinum, II, 1180. De posteritate desperanti tertio Deus apparet, et filium ei promittit, I, 540. Fratri Lot bello presso auxilio est, I, 537. Cum Agar congrediens num adulterium commiserit, I, 543. Ejus encomium, III, 1084, 1085.

Abrahæ filii qui, III, 285. Ejus semen cur servi, Jacob vero electi dicantur, V, 793. Fides quanta, III, 354,

Digitized by Google

555. Saræ, *ibid.* Pietas et obedientia, VI, 792-796. Filium Isaac immolaturus D i Patris tenet personam, IV, 248.

Abrahami exemplo ostenditur ad salutem legem veterem non sufficere, V, 1548.

Absalon Judæ prodit, typus, V, 39. Post quadraginta et non quatuor annos, ut quidam mendosi libri habent, post civitatis Nobe expugnationem in Hebron ivit redditurus Deo vota, III, 105. Allegorice Judaicum populum denotat, III, 107. Et Judam, *ibid.* Mulo fugiens in quercu suspensus Judæorum typus, *ibid.* Tres lanceæ ejus lateri infixæ quid significent, *ibid.*

Abscondentes se a facie Dei qui, I, 491.

Absconse cur Israelitæ sacrificarint, III, 755.

Abstinere teneri sacerdotes ab esu sacrificatorum, II, 488. Item leprosos et fluxum seminis patientes, II, 490.

Abstinendum ab hæret. societate, III, 801.

Absynthio lactari mystice quid denotet, V, 873, 874.

Abundantiæ in peccato duo genera, et tertium adducens iram, III, 919, 920.

Abyssi significata vide, V, 314, 315.

Abyssi quando eruperint, V, 682.

Accaron, urbs Palestinæ, in tribu Juda, et an fuerit turris Stratonis, III, 29.

Accipitrum significatio, V, 253.

Acediæ descriptio et effectus, VI, 1251. Ejus origo et natura, *ibid.*, 1252. Qui suos amatores vexet, *ibid.* Ejus notæ, *ibid.* Detestatio, 1253. Remedia, *ibid.*

Acervus testimonii, sive testis, litt. et figural. quid designet, I, 607.

Acetum symbolice corruptionem significat Scripturæ, II, 1208.

Acetum in mitro quid designet, V, 761.

Achab figura hæret., V, 60 et 61.

Achaïæ origo et descriptio, V, 348.

Achan typus malorum Christianor., V, 54. De anathemate in expugatione Jerichontina rapiens quos denotet, III, 291.

Achar quid significet, V, 577.

Acharis quid, III, 898. Hæret. designat, *ibid.*

Achas hæreticos designans cur vocetur apprehendens, V, 62.

Achath interp. umbraculum, V, 575.

Achazi, filium in holocaustum offerentis impietas, III, 248. Ejus clades, *ibid.*

Achazias quare vocatus apprehendens Dominum, V, 61.

Acheldemach, quid sign. Judæorumque de hoc agro constitutio, V, 382.

Achimaas et Jonathas in puteo se abscondentes, quid denotent, III, 109.

Achior, licet idololatriæ deditus, tamen aliqua vera de divinis operibus et miraculis prædicarit, III, 553. Similiter amici Job, III, 553, 554. Quos denotent, *ibid.* Ob veritatem dictam a servis Nabuchodonosor arbori pedibus alligatur, et ab Israelitis solvitur, III, 554, 555, 611. Caput Holophernis dum conspiceret exanimatus concidit, resurgens Judith adoravit, III, 576, 629. Ecclesiam designat, *ibid.* Humanissime ab Ozia hospitio et convivio susceptus est, III, 612.

Achitophel a Davide deficiens ad Jonatham pulcher Judæ et hæret. typus, III, 107, 406. Joiada in ejus locum substitutus, figura S. Matthiæ, qui Judæ successit, *ibid.* Ejus obitus, III, 107.

Actel militaris liber primus instructor, V, 451.

Acolyti qui sint, V, 93. Unde dicti, I, 304. Eorum munus, *ibid.*

Acroceraunii montes, unde dicti, V, 363.

Actorum templi Salomonis cura præcipua, I, 304.

Actus virtutum sunt judices, V, 743.

Ad Christum omnia prophetarum oracula colliment, III, 1224.

Adæ significatio, V, 31, 1586, 1587. Lingua hebræa animantibus nomina imposuit, V, 199. Ejus felicitas ante lapsum, I, 462. Ejus mortalitatis et miseriarum causa, *ibid.* Ejus caro in conditione alia, alia in resurrectione, I, 462. Per peccatum paradiso ejectus, qua ratione restitutus, III, 716.

Ad silvam cum amico ire, quid mystice significet, I 907.

Adhuc æternitatem designat, V, 743.

Adeodatus David dictus, et cur, III, 113.

Ader quid significet, I, 617.

Adire cum fiducia ad thronum, etc., quid significet, VI, 738.

Adituum varia vocabula, et sign., V, 599.

Admonitio quid, VI, 682.

Adonai notio, IV, 603; II, 29, 633.

Adonias fastu elatus regnum paternum affectans, Judæorum tenet typum, III, 125, 126. Ejus etymon, *ibid.*

Adonibezech capitur, amputantur ei summitates manuum pedumque, III, 1112.

Adonibezech cur dicatur dominus fulminis, V, 55.

Adonibam dominus meus excelsus interpretatus, Domini nostri aptus typus, III, 137.

Adoptionum, regenerationum, resurrectionumque diversæ species, I, 1025.

Adoptivi æque filii atque naturales habentur, III, 112.

Adulteræ instabilitas, V, 777.

Adulterii filii hæretici, et quare, III, 685. Eorum infelicitas, *ibid.*

Adulterii, divortii et concubinarum pœnitentia ex concilio Ancyrano, VI, 1338-1396. Concubinæ et uxoris distinctio, *ibid.*

Adulterii diversæ species, ejusque ante adversio, II, 464 *et seq.* Gravitas, V, 690.

Advenæ cura habenda, II, 460. Item mensuræ, stateræ et regulæ, *ibid.*

Advenæ, pupilli et viduæ in judicio habendam esse rationem, II, 94.

Advenæ summus in hoc mundo, II, 1131, 1132; IV, 610.

Adverbia per terminationes cognoscuntur, V, 654

Adversitatum perpessarum merces, IV, 322.

Ædificante littera non esse opus allegoria, II, 607.

Ædificantes in injustitia qui, V, 974.

Ædificatio qualis esse debeat, V, 800 et 805.

Ædificiorum diversa vocabula, eorumque notiones, V, 409. Eorum dispositio, V, 500. Eorum exstruendorum instrumenta, V, 564.

Ægiso fit abbas Fuldensis IV, I, 85, 86.

Ægyptiorum libido, et idololatria quanta, V, 816. Triduanas tenebras sustinentes hæret. typus, III, 752. Eorum primogenita percutiuntur, III, 756.

Ægyptiis ob idololatriam digna passis, Hebræi escam a Deo acceperunt, III, 745.

Ægyptus, unde originem duxerit, V, 545. Ejus situs, *ibid.* Ejus fertilitas, *ibid.* Figuraliter mundum notat, II, 10.

Ægyptus spiritualis, V, 889.

Ælim duodecim fontes sanctorum apostolorum typus, V, 367.

Æmulatio bona quæ, VI, 526.

Ænam variæ interp., V, 367.

Ænigma et parabola quid, IV, 601. Quorumdam explicatio, IV, 608.

Ænigmatis sive allegoriæ explicatio pulchra, VI, 126.

Ænigmatis æ qui, II, 725.

Æole.rum insul. descriptio et nomin , V, 357.

Æ pondium stateræ, ponderum, e.c., esse affectandam, III, 1064, 1065.

Æraru vis et usus, V, 105.

Æris acceptiones, V, 275.

Aeris definitio et usus, V, 275. Ejus allegorica acceptio, *ibid.*

Æstus, III, 615.

Æstus maris accessus et recessus quid significet, V, 315.

Ætatis significatio triplex, V, 506.

Ætatum sex mundi mystica expositio, I, 469.

Ætatis et aliarum rerum vicissitudo, VI, 1375.

Ætatum priorum sex in varia sæcula discretio, I, 469.

Æternitatem quamdam sæculorum ante hæc mundi tempora fuisse comprobatur, VI, 657.

Æternum quomodo accipiendum, II, 53.

Æthera quæ cœli pars, V, 263.

Affectus ad liberandum populum in Judith, an licitus et honestus fuerit, III, 622.

Afflictionis animæ festivitas qualis, et qui peragenda, II, 786.

Africa, unde dicta, V, 331.

Agar signif. et exsilium, V, 571; I, 645 et 561.

Aggæus, idem quod lætus resonat, V, 69.

Agnatorum et cognatorum quæ ratio et constit. in S. litt., V, 189.

Agnum immaculatum offerre quid, II, 624.

Agnus cur filius Dei factus, II, 789. Christum et apostolos sæpe signif., V, 202.

Agon quid, ejusque species, V, 349

Agon Christianus cujusmodi, V, 129.

Agriculturæ custos quis, II 465. Adæ agricultura ante lapsum non nisi laboris affectio, sed exhilaratio optatis, I, 480.

Agrum Jeremias in Anatoth cum filio patrui emerit in captivitate, V, 1051.

Agrorum variorum descriptiones et fertilitates, V, 410. Quomodo colendi, V, 503. Ecclesiæ typus, *ib.d.*, et III, 1201.

Ale in Script. quid sigo., V, 511.

Alarum sonitus instar multarum aquarum quid denotet, IV, 538, 569, 571.

Alarum interpretatio, VI, 856 et *seq.*

Alabastrum quid, ubique crescat, I, 1100; V, 465. Nardo spicato cur Marcus, Joannes vero Lazari pistico rem referat, *ibid.*

Albani (S.) martyris elogium, V, 49. Adjus vitæ imitationem exhortatio, IV, 50.

Alberti Brandenb. Mogunt. archiep. studiumi, merita et dignitates, I, 5. Ep. dedic. levat S. Rabanum de terra, *ibid.*

Albini Angl. de Rabano discipulo suo versus, I, 85.

Albus, unde dicta, V, 345.

Alcyone excubante tranquillum est pelagus, V, 246.

Alexandro quale monstrum mortem portenderit, V, 198.

Alexander magnus, rex Macedo-

Digitized by Google

Darium percussit, III, 1129. Qui primus regnasse in Græcia dicatur, cum constet multos ante eum regnasse, *ibid.* Parthos subjugat, *ibid.* Ejus inexplebilis tyrannis, *ibid.* Ejusdem vitæ descriptio, III, 1130, 1131. Ejus in regno successores, *ibid.*

Alexandri et Fabiani PP. Rom. elogium, VI, 1675.

Alexandri (S.) papæ et martyris reliquiæ miraculis clarent, I, 44. Earum virtute dæmon ejicitur, *ibid.* Puella contracti ne membrorum liberatur et manibus donatur, I, 45. Nauta veneratione reliquiarum S. Alexandri sanitatem recipit, *ibid.* Eques miraculose loco luxus immobilis, invocatione sancti Alexandri liber progreditur, *ibid.* Donaria ad reliquias ter allata, indignitate offerentis tertio in terram ab altari excussa, I, 46. Mutus loquitur ad reliquias S. Alex., *ibid.*

Aliena rapientes semper egent, V, 718.

Allegoricæ expositiones de sex dierum opere, I, 469-470. Pulchre sex ætates insinuant, I, 469.

Allegoria quid, eurque ea Apost. usus, VI, 330. Variæ ejus divisiones et species, VI, 331.

Allegoriæ RAB. MAU. secundum ordinem alphabet in universam sacram Scripturam, VI, 85.

Alleluia cur certis temporibus cantetur, IV, 36. Quid signif., III, 352, 353.

Allophyli prostrati a Samgar vomere, III, 1132.

Allusio ad nomen Friderich, VI, 1596. Item ad nomen Brunward, VI, 1599. Suffrag. Mog., VI, 1597. Abbas Hersfel, *ibid.* Etymon, *ibid.*

Alpes qui Annibal devicerit, V, 363.

Alphabeti Hebraici copiosa explicatio, V, 1183.

Altaris, sive holocausti descriptio, II, 179. Electorum cordis typus, *ibid.*

Altare de terra cur Deus jusserit fieri, II, 107.

Altare aureum perfectorum corda sign., III, 179. Ejus constructio et usus, *ibid.* Quid in eo oblatum sit, *ibid.*

Altaria Vet. Test. duo, eorumque discrimen, et sign., V, 393.

Altaris incensi præceptio et descriptio II, 208. Ejus figura, II, 211.

Altare aureum quib. conveniat, II, 208.

Altaris dominici repulsio litter. et mystica, V, 1203.

Altare quid mystice signif., VI, 856.

Altare æneum variorum mysteriorum figura, III, 458, 459.

Altfridus (S.) monachus IV Hildesh. episcopus, I, 96.

Aluminis notio, ejusque species, V, 459.

Amalechi pugna, II, 84, 945. Cur populus lambens dictus, V, 55. Dæmonis typus, III, 1144.

Amalechitæ jubentur omnes cum jumentis deleri a Deo, III, 44. Cur, *ibid.*

Aman superborum typus, III, 652. Item sanguinolentorum Judæorum, *ibid.*

Amaritudines perpetiendo ad amœna transitur, II, 813.

Amasa nunc filius Jether Ismahelitis, nunc Israelitis quomodo intelligendum, III, 2 2.

Amasias cur dictus populum tollens, et quos denotet, V, 62.

Amath varia vocabula, III, 283, 284.

Ambidextri mystice qui sint, II, 1129.

Ambitionis detestatio, II, 700, 863; III, 812.

Ambulare et deambulare quid, I, 577.

Amen quo sensu usurpetur, V, 991.

Amentia percussi qui, II, 957.

Amicitiæ varia genera, III, 852. Ejus fovendæ ratio, III, 914-916. Veræ bona, *ibid.* Falsæ vis, V, 1193; III, 847.

Amicus de nocte surgens et ab amico panes ob hospitem repetens quis, IV, 224-226.

Amicus quis, VI, 837. Et amica, *ibid.* Unde dictus, III, 797, 899.

Amici Job typum tenent hæreticorum, V, 10.

Amici sunt multiplices, at verus non potest satis æstimari, III, 795, 797, 915.

Amici qui corripiendi, III, 891.

Amico pecunias aut vas in custodiam commendans allegorice quis, II, 119. Item bovem aut asinum, *ibid.*

Ammon idololatra cur filiel s seu honestus dictus est, V, 63. Judæorum et hæret. typus, V, 380.

Ammon et Amalech cum Eglon fœdus contra Israelitas ineunt, II, 1128, 1129.

Ammon Thamar incestuose amans, quæ nobis det documenta, III, 103. Ejus injuria in David. nuntios, III, 97. Diaboli typus, *ibid.* et III, 371, 372.

Ammon heb. filius populi mei, aut populus maroris, II, 1187. Contra eos movet Jephte, *ibid.* Typus sunt damnatorum et dæmonum, *ibid.*

Amore tanto Isaac in Rebeccam ferebatur, ut mortem matris oblitus sit, I, 578.

Amoris proprii effectus, IV, 657. Vis, VI, 1595.

Amorrhæi filiis Dan resistunt, ad plana loca descendere non patitur, II, 1117.

Amorrhæi pacem cum Israele sub Josue ineunt, III, 34. Heb. amarus, *ibid.* Anagogice illa conkæderatio significat unionem gentium et Judæorum in Christo, *ibid.*

Amos juste dictus populus avulsus, V, 68.

Amphitheatrum quid, V, 387.

Ana primus aquarum calidarum inventor, III, 286. Pascens asinos patris primus Onagros ad asinas, et asinos ad equos mulorum producendorum causa admisit, III, 286, 287.

Anaglypha quid, III, 159. Cujus typus, *ibid.*

Ananias quid sign., V, 70. Furcam lignearn confringens, et faciens catenas ferreas quid prætenderit, V, 1015. Mendacii ab Jeremia convicto mors denuntiatur, *ibid.*

Anathema quid significet, II, 712.

Anathematizare inter et sanctificare distinctio, II, 573 et 582.

Anatoth litter. et mystice quid sign., V, 896.

Ancillæ ad arcem missæ prædicatorum debilium typum gestant, V, 710.

Andreæ (S.) elogium vitæque integritas, IV, 63

Androgini qui sint, V, 196.

Anilinia quid, V, 237. Eorum genera, *ibid.*

Angeli tres ad Abraham venientes, quales fuerint, V, 33.

Angeli scalam Jacob ascendentes quos sig., I, 591.

Angeli jussu Loth cum uxore et duabus filiis incendium Sodomæ effugit, I, 556. Typus corporis Christi, *ibid.* Cur in Segor potius quam in monte salvari elegerit, *ibid.* Cur de Segor in montem ascenderit, I, 558.

Angeli pro nobis sunt solliciti, III, 156. Novem eorum ordines, IV, 60.

Angeli de pœnitentia peccatorum gaudent, II, 1222. Divinos honores fugiunt, *ibid.* Adorari se nunc ob assumptam a Verbo naturam humanam nolunt, *ibid.*

Angeli qui ab apost. indicandi sunt, quales, VI, 54.

Angeli manu Israelitæ ducuntur, II, 130.

Angelus cur Josue dictus, II, 130.

Angeli cum cœlo et terra conditi, I, 445. Cur creati, II, 1127.

Angeli quomodo cum patriarchis manducarint, I, 463. Æreum corpus assumunt, I, 552.

Angelorum numerus e cœlo delapsorum hominum replebitur, VI, 1137. Eorum creatio, VI, 1611.

Angelorum varia officia et vocabula sunt, quæ et hominibus quandoque applicari possunt, V, 28. Vide ibid. singulor. explicat.

Angelus apparet Gedeon, victoriam spondet et ignem virga ex petra excutit, II, 1158.

Angelus crudelis quis, ejusque munus, V, 736.

Angelus Ezechiæ in subsidium missus ingentem stragem in Assyriorum castris edidit, III, 258, 521.

Angelus Domini apparet Judæis in loco flentium; increpat eos quod incolas terræ promissæ non delessent ex Dei mandato, II, 1117.

Angelus Moysi occurrens cui mortem intentarit, II, 26.

Angelus Agar et filio loquens quis fuerit, I, 561. Mystice Christi, sacerdotum et malignorum quandoque spirituum typus, VI, 851.

Angelus, tres pueros ab ardore flammarum protegens rite servatorem nostrum exprimit, VI, 1157.

Angelus apparet Manue patri Samsonis, eique filium annuntiat, II, 1190, 1191. Ejus cum Manue colloquium, *ibid.* Representavit Christum, *ibid.*

Angues citius audiunt quam vident, *vide* serpent., V, 228.

Anguillarum origo, V, 258.

Anguli notio, V, 401.

Angulus regnum denotat, et cur, V, 1001.

Angustia pressis quid faciendum, III, 612.

Anima ut quidam volunt num sit pars Dei, I, 475.

Anima Dei cur Judæos abominetur, II, 564.

Anima an genuino sensu dici possit mortua, II, 477, 480.

Anima calida, et quasi ignis ardens quæ, III, 919, 920.

Anima tentanda, et si nequam est, potestas ei deneganda est, III, 1039.

Animæ rationalis cum S8. Trinit. collatio, III, 875.

Anima peccans ipsa moritur, IV, 703, 710. Integrum hominem denotat, II, 257.

Anima quæque pace digna, quomodo Jerusalem dici possit, V, 926.

Animæ gratia divina destitutæ lamentatio, V, 1185.

Animæ humanæ proprietates et effectus, VI, 1085.

Animæ Christianæ pater Deus est, vir ejus Christus, III, 910.

Animæ Jacob in Ægyptum ingressæ quot, I, 646 et seq.

Animæ sponso Christo adhærentis felicitas, relinquentisque miseria, II, 766.

Animæ subditorum de manibus impiorum pastorum requirentur, IV, 575, 576. Ordo quis et in locutione servandus, *ibid.*

Animæ infirmæ quomodo sint confirmandæ, V, 845.

Digitized by Google

Animæ quomodo in Veteri et Novo Testamento accipiantur, v, 843.

Animæ proprietas, iv, 1109, 1110. Ejus etymologia, *ibid.* Ejus genera et effectus, *ibid.* Immortalitas, *ibid.* Ejus origo, *ibid.* Formam an habeat, iv, 1113. An in parvulis minor et in fortioribus major esse credatur, *ibid.* Ejus sedes ubi, *ibid.* Ejus virtutes morales, *ibid.* Varia nomina, vi, 352.

Animam hominis percutiens quis, ii, 909.

Animam in mansuetudine esse servandam, iii, 535.

Animam salvare cupienti conversationem philosophorum et hæreticorum esse fugiendam, et quomodo, v, 1114, 1173.

Animam sæpe vitam præsentem exprimit, i, 837.

Animarum curam suscipientes quid lucrentur, v, 718.

Animal hominibus noxium perimendum, ii, 115, 467. Ejus allegor. sign., v, 199.

Animalia non ruminantia sunt peccatores, v, 199. Et sancti homines, *ibid.*

Animalia corvini generis sunt affectionis expertia, v, 352. Unde nomina sortita, i, 483.

Animalia ab Abrahamo oblata quid signif., i, 541.

Animalium reptilium, natatilium et volatilium productio unde, i, 456.

Animalium immolandorum interpret. mysticæ, v, 397.

Animalium diversorum hostiæ cur institutæ, iv, 1039, 1040.

Animalium oculis plenorum mystica interpret., iv, 281.

Animalium mundorum ab immundis separatio, ii, 351. Cum alibi omnia esse bona dicantur, cur quædam immunda habeantur, *ibid.*

Animalium varia genera et significationes, v, 199.

Animales et impii spirituales persequuntur, ii, 1133.

Animi affectus mirus in Josepho, i, 641.

Anna uxor Elcanæ ab æmula sua ob sterilitatem vexata tristatur, iii, 12. Ejus fervor in oratione, iii, 13. Mater Samuelis Dei dono singulari, *ibid.*

Anna heb. gratia, iii, 14. Ejus canticum plenissimum pietate et puro gaudio, iii, 16.

Annæ singulis filiis nascentibus singuli Fenennæ septem mortui quomodo dicuntur, cum unam constet quinque habuisse, vi, 1100.

Anni, et diei septimæ quies quid typice signif., ii, 126, 890.

Anni trecenti nonaginta, quibus Ezechiel in latere sinistro jacere jussus, supputantur, iv, 592, 593.

Anni Israelitarum in Ægypto peregrinantium quomodo secundum quosdam, quadringenti. Secundum alios, trigenta quadringenti, iii, 289.

Anni designatio et significata, v, 304; vi, 858.

Annonæ charitas maxima in Germ., i, 100.

Annuens oculis mala machinatur, iii, 965, 966.

Annulum ab Aman receptum et Mardochæo traditum signaculum fidei a Judæis ablatum, et gentibus oblatum mystice designare, iii, 661.

Annulus unde dictus, ejusque olim apud Romanos usus et discrimen, v, 582. Myst. quid sign., vi, 858.

Annus communis, embolismus, bis sextus quis, v, 127.

Annos et dies certos Catholici more Judæorum observantes num peccent, vi, 318. De hac re superstitiones, vi, 319.

Anomala quomodo produc. et corripiantur, v, 652. Quæ sint, v, 675.

Anseres quos denotent, v, 248.

Ante Deum quomodo quid fieri dicatur, ii, 86.

Ante faciem suam incedere mystice quid signif., iv, 514, 519.

Ante victoriam nemo coronandus, iii, 844.

Antichristus ex Judæis nascetur, ejusque tyrannis in bonos, ii, 1171. Significatur per Nhamnum ignem efflantem ac arbores devorantem, ii, 1172. Excitat contra eum Deus Sichmos, *ibid.* Unde dictus, *ibid.*

Antichristi adventus qualis, ejusque effectus, vi, 569. Per tot. ex tribu Dan., v, 44.

Antichristi et hæreticorum supplicium, v, 1147.

Antiochus radix peccatrix, et cur, iii, 1133. Seditionis incentor egregius, *ibid.* Civitatem Jerusalem delubraque vastans et profanans aptus Antichristi typus, iii, 1134-1138. Ejus etymologia, iii, 1139. Idolum abominandum construxit, quosque denotet, iii, 1138. Moritur, iii, 1173. Fœdifragus, iii, 1176. Apollonium interfici curat, iii, 1134. Liberi Patris festum quam ob rem celebrari jusserit, iii, 1125. Eleazarum provectæ ætatis porcinam carnem comedere cogit, *ibid.*

Antipodes monstrosi in Libya, v, 198.

Antiphonarum primi auctores Græci, i, 332.

Antiquorum victus vilis, iii, 979.

Antiquus amicus non derelinquendus, iii, 821, 822. Mystice, cathol. fide deserta ad sectarios non esse transeundum, signif., *ibid.*

Antistes unde dictus, v, 92.

Antonii (S.) vita et obitus, iv, 1127.

Antromophitarum gravis error, v, 813.

Anus quæ, vi, 676. Quid eas deceat, *ibid.*

Aod secundus judex in Israel, ambidexter, defert munera ad Eglon regem Moab; necat illum astu, ii, 1129. An sit mentitus Eglon regi Moab, ii, 1130. Dei jussu regem interemit, *ibid.* Hebraice signif. laudem, *ibid.* Ob peccata populi præmature diem suum obit, ii, 1132. Bonorum Ecclesiæ prælatorum typus, ii, 1133.

Aper a feritate vocatus malos principes significat, v, 207.

Apher Libyæ devictæ nomen Africam indidit, ii, 285.

Apium origo significat, et varia genera, v, 255; vi, 859.

Apocryphorum librorum detestatio, v, 612.

Apodyterium unde appelletur, v, 388.

Apollinaris (S.) vita et martyrium, iv, 1158.

Apollinistarum hæresis, ii, 556.

Aporiæ et Ymon, iii, 961.

Apostatarum pœna ex decreto Siricii papæ, et conc. Arelat., vi, 1421. Apostasiæ duæ species, iv, 551, 552. Iis ad Ecclesiam revertentibus non exprobrandum, iv, 643. Quid detrimenti Ecclesiæ inferant, iii, 273. Per Joram præfigurati, *ibid.*

Apostolorum catalogus, eorumque uberior explicatio, v, 83. Eorum possessiones quæ, ii, 539. Et seminis effectus, *ibid.* Voce et lingua confessi Christum magno fructu, ii, 1201. Judæos et gentiles ad Christum perduxere, *ibid.* Eorum libri artifices sunt Ecclesiæ ac armorum contra dæmones, fabri lux sunt et cur, ii, 1118. Offerunt se Deo et in medio luporum ut oves sunt, ii, 1142. Eorum actiones laudabiles, iii, 666. Cur cum pluribus aliis a captivitate reservati, iv, 605. Eorum in Ecclesia opera et fructus, iii, 502, 503. Quatuor genera, vi, 247. Quibus rebus fuerint præfigurati, i, 891. Miraculorum patrandorum potestatem accipiunt, et paupertas commendatur, *ibid.* Pulveremcur de pedibus excutere jussi, i, 896. Spicas vellentes quid notarint, i, 918.

Apparitio Domini in Phara mystice quid sign., iii, 986.

Apparitio Christi ubi, quandoque contigerit, i, 1148, 1154.

Apparitiones variæ variorum angelorum quomodo factæ, quidve notarint, vi, 1267, 1268.

Appeninus unde dictus, v, 563.

Appetitus, non cibus vitiosus, i, 534.

Apponi ad patres suos vel populum suum quid significet, i, 666.

Aprica loca quæ, v, 572.

Aprilis festorum, sanctorumque enumeratio copiosa, iv, 1138.

Aquarum varia diversitas, v, 389. Multiplex significatio, ii, 860, 1030, 1031; v, 1217 *et seq.* A Deo creatæ, ii, 860. Natura fluitantes quomodo super cœlum constiterint, i, 449. Omnes partes terræ ad cœlum cooperientes ubi congregatæ, i, 451. Diluvio finito quo sint reversæ, i, 519. Amare a Mose indulcatæ typice quid sign., ii, 73, 76; iii, 1030. De templo ab Ezechiele visæ quid mystice notarint, iv, 1151, 1152.

Aqua et terra duo elementa mundi, quibus ignis et aer duo reliqua sunt indita, i, 446.

Aqua de silvis mystice abundantem gratiam evangelicæ doctrinæ sign., ii, 552.

Aqua aspersa in itineribus quid significet, vi, 1124.

Aquæ furtivæ dulces, etc., hæreticos, qui universali Catholicæ religioni privatos suos errores præponunt, sig., v, 711, 712.

Aquas de fontibus Salvatoris haurire quid, vi, 1092.

Aquilarum descript. et significat. variæ, v, 241, 242, 246. Unde dictæ, ii, 1158. Natura, *ibid.* Irretorta oculorum acie solem intuentur, *ibid.* Pullos sague suspensos radiis solaribus objicunt, probantque nunc genuini sint vel degeneres, *ibid.* Plumescentes volare docent, *ibid.* Miræ virtutis lapidem earum nidi proferunt, vi, 1158. Ad acutatem rostri in petra obtundendam Christi typus, *ibid.* Earum natura et descriptio, ii, 974; v, 1258; vi, 863.

Aquila ænigmatica ab Ezechiele visa Nabuchodonosorem figurabat, iv, 695, 696. Altera Pharaonem, *ibid.* Aquilæ nomine varii hominum status exprimuntur, iv, 696, 697.

Aquilo quos figuret, v, 261; ii, 860.

Ar interpr. suscitavit, v, 368.

Ara ab Ezechiele visa ejusmodi, iv, 978. Altari templi Salomonis comparatur, iv, 993.

Aræ, unde appellatæ, v, 391.

Arabia sig. sacra, sive beata ob thurie et myrrhæ, etc., copiam, v, 538. Cur dicta Saba, *ibid.*

Arabonem inter et pignus distinctio, vi, 592, 595.

Aradum insulæ situs et descriptio, iv, 774.

Aranea figura humanæ fragilitatis, v, 235. Et est typus diabolic. fraudis, *ibid.*

Ararath, interpr. Armenia in cujus montib. arca finito diluvio primum re-

Digitized by Google

sedit, v, 343. Araratli myst. sign. pulchra, *ibid. Vid.* v, 359.
Arbitrio suo neminem regi contra novos prædicatores ostenditur, v, 883.
Arbitrii libertatem gratia Dei minime tolli, II, 1204.
Arbitrium liberum quid, v, 972.
Arboch situs et descriptio, v, 376. Hic loco quercus quæ ad Constantini tempora visa est, et adhuc truncus cernitur, templum erectum, *ibid.* Ejus abusus, *ibid.*
Arbor scientiæ boni et mali qualis fuerit, I, 476, 477. Quos notet, I, 930.
Arboris notio, VI, 863.
Arbores ad machinas exstruendas quæ cædendæ, et quæ relinquendæ, II, 912.
Arbor unde inflectatur, v, 507. Ejus omnes partes pulchre humano generi et Christo Domino applicantur, *ibid.* Mysticarum variæ species, II, 355.
Arborum consilium et deliberatio de eligendo rege, II, 1171-1173.
Arca irreverenter visa multi Bethsamitarum occisi, III, 30. Ab agro Josue Bethsamitis ad domum Abinadab in Gabaa, III, 31. Quanto tempore in domo Abinadab fuerit, III, 32.
Arca fœderis, v, 1392.
Arca Noe baptismi formam exprimit, III, 517. Quemadmodum extra eam positus nullus salvatus, sic extra baptismum et Ecclesiam, *ibid.*
Arcæ Noeticæ constructio, I, 514. Qualem figuram habuerit, *ibid.* Fenestram cur habuerit, *ibid.* Bicamerata et tricamerata cur, I, 514. Quinque mansiones continebat, *ibid.* Mystice quid denotet, I, 515. Ecclesiæ elegans figura, *ibid.* v, 603. An minutissima et omnia animalia in ea fuerint contenta, I, 517. Incarnationi Domini comparatur, II, 141-145.
Arcana Dei non curiose scrutanda, III, 737.
Arces ab arcendo hoste dictæ, v, 387. Ejus variæ notiones myst., *ibid.*
Archippus apost. Pauli commilito qualis, VI, 698.
Archisynagogi filiam a Domino suscitandam quomodo Matth. mortuam; Marcus vero et Lucas morti jam proximam esse dixerint, v, 879. Quid significet, v, 76.
Architecti maxime reip. necessarii, III, 1057.
Arcturus quid figuret, v, 272.
Arcus signum testamenti inter Deum et homines, v, 277; III, 1073; IV, 547. Variæ ejus sign. litterales et mysticæ, v, 1225, 541.
Arcus fortium intentionem denotat, VI, 1099.
Arcum intendere quid, VI, 1122.
Arcum cur David filios Judæ docuerit, III, 71.
Ardea significat electos, v, 246.
Area quid et cur S. Eccl. componatur, v, 411.
Arena, quid allegorice signat, VI, 949.
Argenti litter. et myst. interpret., v, 476. Reprobum quod, v, 355.
Argillosa terra S. Scripturæ exemplar, III, 455. Ejus usus, v, 458.
Argob quid, v, 351. Myst. superbiam significat, *ibid*
Arguendi peccatores in spiritu lenitatis, III, 816.
Aridam manum habens a Domino curatus quid figurarit, I, 922. Qualis fuerit, *ibid.*
Arietes Ecclesiarum principes significe., v, 202, III, 778.
Aries quid, et quomodo ejus ictui resistendum, v, 512.
Aries cui non resisti potest, sacerdotum ordinem denotat, v, 778.
Areopagus interp. villa Martis, et cur, v, 382.
Arithmetices definitio, I, 399. Ab Abrahamo inventa, *ibid.* Necessitas et utilitas, *ibid.*
Arma Dei quæ, III, 691.
Arma nostra quæ sint, II, 1141.
Arma justitiæ a dextris et sinistris quid significent, v, 778.
Armarium quid, v, 405.
Armis invicti, electa mulierum specie, emolliuntur et superantur, II, 765, 766.
Armorum notio litter. et mystica, v, 536.
Armenia unde nuncupata, ejusque situs, v, 343.
Armentorum præpositi quos denotent, III, 404.
Armillarum usus et notio, III, 622.
Armus dexter et pectusculum de hostiis pacificorum sacerdoti consecratum, II, 318. Cur, *ibid.* et II, 905.
Aromata unde nomen traxerint, v, 523. Aromaticarum arborum multiplices significationes, *ibid.*
Aromata et unguenta meretricis quæ, III, 487, 488.
Aromaticarum herbarum variæ signif. et virtutes, v, 525.
Azotus una e quinque urbibus Allophylorum, heb. ignis patris mei, III, 27.
Arphaxat, Medorum rex, civitatis Ecbatanis fundator, III, 541, 601. Nabuchodonosor superatur, *ibid.* Quis ex Philonis sententia fuerit, III, 599.
Arianorum et Manichæorum in thure, myrrha et auro Christo oblato confusio, I, 760, et aliorum hæreticorum, I, 759. Filium Patre minorem statuentium error, VI, 13.
Arte mira Jacob oves Laban discolores efficit, I, 603, 604. Mystice quid, *ibid.*
Artis inimici ignorantes, v, 411.
Artium liberalium enumeratio, v, 395.
Artifices templi Salomonis philosophis et doctoribus comparantur, etc., III, 135. De omni Israel electi, III, 136. Eorum distributio, III, 137, 419-423.
Artifices vanitatis hæretici, II, 950.
Arundinis litter. et typica notio, v, 521.
Arx Sion cur civitas David, III, 82, 527.
Asa cur sustollens dictus, eorum qui bene inchoant et male finiunt, figura, v, 39. Deum colens omnia prospera habuit, eumdem derelinquens, et in infirmitate nimium medicorum arti fidens obiit, III, 487. Mystice quos denotet, *ibid.*
Asaelis velocitas, III, 76. Ejus cum Abner congressus, *ibid.* Nimio furore correptus aversa hasta transfixus occubuit, *ibid.* Typus furiosorum pulcher, III, 77.
Asaph cur vocatur Synagoga, v, 70. Congregans interpretatur, III, 352. Cur, *ibid.* A Domino confitentium princeps constitutus, *ibid.* et III, 395.
Asasonthamar quid, I, 538.
Asbesti lapidis vis, v, 359, 462.
Ascalon urbs Palæstinæ decreta tribui Juda, at non obtenta ab ea, III, 291; v, 377.
Ascendere ex adverso, nec lupum fugare, mystice quid significet, v, 1103.
Ascensionis Dominicæ solemnitas cur celebretur, I, 353.
Ascensus Moysis ad montem Christum præfigurabat, II, 84-86.
Ascensus David, cum uxoribus suis in Hebron apte sanctæ Ecclesiæ comparatur, III, 74.
Ascopera quid, III, 623.
Aser quid significet, I, 597. Christi et sanctorum typus, II, 1114; v, 46.
Aseroth quid significet, v, 367.
Asiæ descriptio, ejusque provinciæ, v, 343.
Assidæi qui, III, 1253.
Asina Balaam gentilitatis typum habet, II, 731.
Asinus a sedendo dictus ubi plura de eo, v, 212. Ejus sepultura quid significet, v, 981. Symbolice terrena sectantium typus, III, 37.
Asiongaber ubi et quid, III, 192, 472.
Aspectus sæpe decipit, III, 820. Et pulchritudo, *ibid.*
Aspis describitur, ejus varia genera et significationes, v, 231.
Aspiratione sola cœlesti David completus III, 347.
Astaroth et Juno eadem dea, II, 1122. An plures coluerint Junones idque quomodo intelligendum, *ibid.*
Astaroth, idolum cultum a Judæis, III, 33. Heb factura exploratorum, *ibid.* Eadem dea quæ Juno, *ibid.*
Astra matutina quos designent, I, 445.
Astronomia quid, ejusque effectus, I, 403. Superstitiosa alia, alia naturalis, *ibid.*
Assuerus quis fuerit, III, 636. Decretum contra Judæos latum limitat, III, 661, 662. Omnem terram, conctasque insulas tributarias faciens Christum designat, III, 670.
Assumptæ Virginis Mariæ celebritas, IV, 453, 455. Encomium, *ibid.*
Assur virga furoris Dei interpretatur diaboli typus, III, 583, 652. Antichristi figura, IV, 818.
Assyria, unde orta, v, 335.
Assyria primum principatum arripuit, v, 335.
Athalia impietatem sonat, v, 61. Ejus crudelitas in omni semine regio necando, III, 498.
Athlans primus astrologiæ inventor, v, 365.
Athlans quorum typum teneat, v, 365.
Atheraim, exploratorum viam sig. et cur, v, 368.
Atomi quid sint, v, 262. In tribus consistunt, *ibid.*
Atrii tabernaculi constructio et forma, II, 184. Ejus longitudo et latitudo, II, 1186. Unde dictum, v, 389. Mystice Ecclesiam denotat, *ibid.* Ejus interpretatio litter. et typica, III, 162.
Avaritia cur idololatria dicta, VI, 446.
Avaritiæ detestatio, VI, 1244, 1245. Hydropico assimilatur, *ibid.* Judam seduxit, *ibid.* Remedium contra eam, VI, 1364-1367. Ejus natura et origo, *ibid.* Invidos qui vexet, *ibid.* Ejus notæ, VI, 1364-1367; III, 829, 853. Tribus speciebus adversitatis cavetur, I, 1151. Ejus causa animarum salutem non esse negligendam, I, 834; III, 244.
Avaro et livido perniciosæ divitiæ, III, 856.
Avarus parce vivendo opes alteri devorandas congerit, III, 843.
Audiendæ presbyterorum et seniorum piæ narrationes, III, 816.
Audire et auribus percipere quomodo differant spiritualiter, III, 1138.
Aves immundæ quos sign., II, 556. Bis nascuntur, v, 242. Sacrificio inservientes, et inutiles quæ, II, 355-560; II, 885-888. Mystica notio, VI, 871.
Avium et volucrum innumera genera et significationes, v, 240.
Avium sanctificandarum ritus, II, 235. Concolores simul volitant, III, 963.
Avium et bestiarum terræ dentibus

Digitized by Google

rebellium, cadavera devorantur, IV, 878, 879
Auguria per volatum avium, V, 242.
Augurationes quo distent a petitione signorum servi Abrahami, I, 572.
Augurium quid, V, 420. Ejus inventores Phryges, *ibid.*
Augusti festorum celebrium descriptio, IV, 1160.
Aviti (S.) miraculosa vita, IV, 1151.
Aulæ litteral. et myst. interpr., V, 381
Aura tranquillitatem bonæ mentis notat, V, 282.
Aures diligenter sepiendæ, III, 972. Quid mystice notent, VI, 871.
Aureis poculis bibentes qui, III, 640.
Auribus percipere quid, V, 909.
Auri litteral. et typica notio, V, 475; VI, 869, 870.
Auro et divitiis spretis Salomon sapientiam postulans, quorum figuram teneat, III, 415, 416.
Auri nimia fames perniciosa, III, 987. Multi in eo casus, III, 988.
Auspicia unde dicta, et quid, V, 423.
Austri nomine plebs Judaica intelligitur, III, 538; V, 261.
Auctor libri Sapientiæ, III, 1119. Deo laudem, exaltationem et gratiarum actionem refert, *ibid.*
Auctores librorum Veteris et Novi Testamenti, V, 109
Auxilio Domini suffultus non cadet, VI, 1092
Azaelis impietas et crudelitas, III, 506
Azarias dicitur auxilium Domini, V, 70. Vide Uzias, V, 62.
Azecha quid, e usque situs, III, 51.
Azymia comedere quid, II, 55.

B

Baalem Jupiter fuerit, II, 1122. Baal panice Dominum significat. *ibid.*
Baalim idolum a Judæis cultum, quid heb., III, 33.
Baasan inter et Asam discordia, V, 1088.
Babylon unde dicta, V, 337. Ejus auctor et eversor, *ibid.* Antichristi figura, *ibid.* Fundator, V, 1164. Magnitudo, *ibid.* Variæ ejus significationes, VI, 872. Ejus regnum ut in Medos derivatum, III, 820.
Babylonii decalogum membranulis insertum in fronte suspensum cur circumferant, IV, 755; II, 866.
Bacculus a Baccho inventus, V, 609, et quid significet, VI, 872, 873.
Bala Lot precibus sola reservata, V, 377. Ejus diversa nomina, *ibid.* Inveterata interpretatio, V, 40.
Baalam populo Israel maledicturus mittitur, II, 725. A Deo prohibetur, II, 727. Interficitur, II, 795. Asina loquentem corripitur, II, 729. Israelitis maledicturus cur a Domino sit prohibitus, cum b nedictis dæmonum maledicto non noceat, et ipse Dominus, tueri eos potuerit, II, 727-730. Pharisæorum et scribarum personam sustinet, II, 729. In ore et non in corde habuit verbum Dei, II, 735. Spiritu Dei repletur, II, 746 Cur vanus populus dictus, V, 53. Doctrinam ejus qui amplectantur, II, 765
Bale hebraice quid significet, I, 537.
Baleares inventores fundarum, V, 558.
Balim inter et Baal discretio, V, 875.
Balista quid, V, 541.
Balneæ unde dictæ, V, 588.
Balsami descriptio pulchra, ejusque species et natura, III, 935, 936. Ubi gignatur. *ibid.* Ejus usus, *ibid.* Cur vinea dicatur, *ibid*, 937. Apussime Redemptorem repræsentat, *ibid.* Ejus natura et vis mira, V, 526.
Balteus quid, II, 205-206; VI, 873.
Banias leonem in cisterna interficiens, Christi et Ecclesiæ typus, III, 118. Semei, Davidi maledicentem interemit, III, 119.
Bangolfus secundus abbas Fuldensis, I, 72, 86.
Baptismi sacramentum, et quot ejus genera, V, 134, 135. Unde dictum, I, 309; VI, 1168. Cur per aquam perficiatur, *ibid.* Fides et doctrina illud præcedit, VI, 1170. Ejus ordo, VI, 1173. Officium, VI, 1219. Effectus, III, 1166; VI, 748. Non prodest nisi in salutem suscipiatur, IV, 668. Eo initiati olim quomodo pœnitentiam egerint, II, 502. Quid nos eodem suscepto agere oporteat, II, 828, 1162. Ejus triplex acceptio, IV, 357. Rite collatum, licet a schismatico aut hæret. non iterandum, IV, 283.
Baptizari a mortuo quid, III, 1012.
Barach dux exercitus sub Debora, qui sine Debora prælium inire renuit victoriæ, laude privatur, II, 1134. Hebraice, coruscationem significat, II, 1135. Typus est populi judaici, *ibid.* Persequitur Sisaram fugientem trans ra, II, 1136. Typus Judaici populi, II, 1143. Rectene sanctus censendus, VI, 804.
Barathrum quid, V, 374.
Barbam et caput cur sacerdotes radere prohibiti, II, 474. Eamdem radentes qui, IV, 103. Variæ ejus sign., VI, 873.
Barbarorum corpora cur Romanis rectora, V, 1437.
Baruch interpretatur coruscatio, V, 56. Prophetiam Jeremiæ carceri inclusi excipit, populoque recitat, V, 1071. A Joachim comburitur, et aliud volumen contra eum scribitur, V, 1072.
Basan significat idem quod confusio, vel pinguedo, vel bruchus, V, 48.
Bases et columnæ typus sanctorum codicum, V, 397. Item apostolorum et doctorum sanctæ Ecclesiæ, *ibid*; III, 175, 445, 445.
Basilica figuraliter quid significet, III, 164.
Basilicæ Fuldensis altarium inscriptiones, VI, 1622-1625.
Basilici natura et significatio, V, 231.
Batilla ærea figuram Scripturæ divinæ habent, quæ hæret. doctrina vastare conatur, II, 683.
Baturicus episcopus Ratisponensis, ejusque gloria, VI, 1599. Ejus varia gesta, *ibid.* Laus, *ibid.*
Beatorum vita æterna, III, 1029. Quæ sit, VI, 1594.
Beatus quis vere censendus, III, 193.
Bdellium quid, ejusque fructuum natura et usus, I, 478.
Beatorum gaudia, III, 456. Verorum proprietas, V, 1585.
Beatitudo timentium Deum, III, 1009. Verborum cautela acquiritur, III, 854. Et Christi apostolorumque præceptorum observantia, II, 1118.
Belgica provin. unde dicta, V, 350.
Belli primus auctor Ninus, Assyr. rex, V, 551, 552. In quatuor genera divisio, eorumque signif., *ibid.* Ejus etymologia, V, 553. Christianorum quod, et quod novum, VI, 1141. Ejus jura quomodo servanda, II, 910. Justum peccati exors, III, 622. Non omne iniquum, II, 1124.
Bella regum Judæ et Israelitarum perpetuum, S. Ecclesiæ cum hæreticis conflictum denotat, III, 486.
Benadad arrogantia in Samaria oppugnanda, III, 215. Victus cum dedecore domum abiens, diaboli typus, *ibid.*, III, 236.
Benedictio Dei in bonos, et ira in malos, III, 1044.
Benedictio spiritualis, et temporalis Judithæ impenditur, III, 631.
Benedictio Aaron ritum sacerdotii denotat, III, 755.
Benedictionem et maledictionem in uno ore convenire non posse diversa similitudinibus ostenditur, III, 1065.
Benedictionis Dominicæ effectus, II, 534, 535.
Benedictionis ritus sacerdotibus debitus, unde, I, 585. Ejus effectus, I, 584.
Benedicens David domui suæ quid signif., III, 363.
Benedictiones filiorum Israel, II, 626.
Benedicentes Christo benedicti, et maledicentes eo maledicti, II, 751.
Benedictiones Moysis super singulas tribus Israel, II, 984-988. S. Aug. de his benedictionibus copiosus commentarius, II, 988 *et seqq.*
Benedictiones conglobatæ, Electorum, II, 952-955.
Benedictiones Patrum filiis imprecatæ, mystice quid designent, I, 655-658.
Benefaciendum de substantia ante mortem, quæ non tardat, III, 857, 858, 884.
Beneficia ecclesiastica, maxime aliena non esse affectanda, II, 119.
Beneficia populo Israelit. in deserto præstita, III, 749.
Beneficiorum divinorum, gratiarumque magnitudo quanta, VI, 401, 423.
Benjamin filius dexteræ est imago B. Pauli et allegorice Christi, V, 48.
Benjamin Amalech fundens significat Paul apostolum significat, II, 1141.
Benjamin lupus rapax, etc., aptissima de Paulo apostolo prophetia, I, 665.
Benjamitarum oculus vindictam, II, 1116. Cur illi bis alios fuderint, *ibid.*
Benjamitæ occupant Hierusalem, nec tamen Jebusæos delent, II, 1113. Cum tribu Juda communis illis hæc urbs fuit, *ibid.*
S. Benigni immanis tortura, II, 1176.
Benignitati Dei cur severitas misceatur, V, 828, 843.
Benignitatis, et humanitatis encomion, IV, 97.
Benoni quid denotet, I, 617. Cur Benjamin dictus, *ibid.*
Bersabee vicus in tribu Juda, III, 25. Hebraice puteus satietatis, *ibid.* Ejus quid notet, III, 98. Ecclesiæ typus, *ibid.*
Berech urbs ubi sita, heb. egestas, III, 39.
Berith, idolum Sichimorum, cum quo paciscuntur Sichimi, II, 1174.
Beseleel et Ooliab tabernaculi artifices, II, 220, 244.
Bestiarum nomen quibus proprie conveniat, V, 217. 1122.
Bestia montem tangens quæ, II, 90.
Bethel ubi sita et quid heb., III, 33; V, 376; I, 616.
Bethleem unde nomen traxerit, I, 577. Christus in eadem natus, *ibid.*
Bethsaida quid, V, 381.
Bethsanaa, et cur Scythopolis dicta, II, 1116.
Bethsamitarum 50,000 ob arcam Domini irreverenter visam occisi, II, 31.
Bethsamia Lazari suscitati tumulo claret, V, 380. Varia diversorum horum nomina, *ibid.*

Digitized by Google

Bethsamis duplex fuit, III, 30.

Bethsamis dicitur domus solis, III, 30; V, 381. Ejus situs, *ib.*

Bethsura lectionem sacræ Scripturæ denotat, III, 1195.

Bibliothecæ orbis variæ, V, 95.

Biduanum, sive triduanum jejunium unde ortum, I, 339.

Bina et bina animalia cur in arcam introducta, I, 517.

Bini et bini a Christo cur ad apostolatum vocati, I, 790. Mystice quos denotent, *ib.*

Bituminis vis, et usus, V, 459 · I, 514. Ubi inveniatur, *ibid.*

S. Blandinæ et LXVIII martyr. tortura, IV, 1148.

Blasphemorum ac talionis pœna, II, 521-527. Eorum detestatio, II, 862.

Blasphemiæ gravitas, VI, 685. Ejus peccatum quando remittatur, *ibid.*

Boetia a bove dicta, et cur, V, 549.

Bona Davidi et Salomoni exhibita, III, 467.

Bona et mala, vita et mors quo sensu a Deo fa ta dicantur, III, 467.

Bonitatem plerumque aliquid malitiæ mistam habere et econtra, V, 1583.

Bonum quod apostolus se invenire non potuisse dicit, cujusmodi fuerit, V, 1430.

Bonum facere in conspectu Dei, sed non corde perfecto, qui intelligendum, III, 5 6.

Bonis omnia in bonum, malis in malum cedunt, III, 1045.

Bonos quid sig., V, 368. Hoc loco populus Israeliticus circumcisus, *ibid.* Variorum locorum, sacræ Scripturæ interpretationes, *ibid.*

Bonorum operum instrumenta. Qua intentione et fide facienda, III, 844.

S. Bonifacii pontif. et martyris vitæ sanctitas et encomion, IV, 47.

Boos interpretatur in fortitudine, V, 57.

Booz, consanguineus Elimelech, potens ac dives typus Christi, I, 1205. Heb. fortitudo Dei, *ibid.* Ejus in Ruth pietas et humanitas, *ibid.* Consulit cognatum de agro Noemi, II, 1207 Eumdem illi offert et Ruth in uxorem ducit, *ibid*, 1216. Teste toto populo Ruth uxorem et omnes agros Elimelech ac aliorum accipit, *ibid.*

Botescalci hæresis per Raban. confutata, I, 98-99.

Botescalcus a Ludon. rege proscriptus, I, 99.

Botrus ab explorat. Mosi allatus Christi cruci affixi typus, II, 845.

Bove arans gentem ex circumcisione, asino populum sub lege exprimit, II, 922.

Bovem surripiens quinque; oves vero quatuor cur jussus reddere, V, 201

Boves figurant apost., V, 201, 208. Boum varia genera, *ibid.* Significationes, VI, 876, 877.

Boves calcitrantes quid signif., III, 85.

Brachium dignitatem sacerdotii summi significat, III, 22. Mystice quid, VI, 873, 874.

Britanniæ radix, V, 354. Ejus fertilitas et amœnitas, *ibid.*

Bruchi signif., V, 258.

Bubo, V, 247.

Bucella sicca quid, V, 738.

Buccinæ cantu peccatores invitantur ad pœnitentiam, IV, 851. Ejus apud Rom. usus, V, 555.

Butyrum de armento gratiæ plenitudinem designat, VI, 1140. Variæ significat., VI, 877.

Butyrum et mel manducans quid, V, 594.

Byssus typus castitatis, V, 578; VI, 875.

C

Cacabus unde dictus, V, 602.

Caballus, *vide* Equus.

Cadaver a cadendo dictum, et mystice infidelis corpus significat, V, 195 · VI, 878.

Cades barne quid et ubi, II, 448.

Cæci et claudi quos sign., V, 75; II, 485-496.

Cæcos in via cum Matth. duos, cur Marcus unum fuisse dicat, I, 1053.

Cælibatus encomium, IV, 902; VI, 74.

Cæremonias per errorem violanti quid faciendum sit, II, 288. Variæ earum comedendi, tondendi augurandi, II, 457. Earum species et gravitas, II, 1459, 1460.

Cain interpretatur possessio, vel lamentatio, V. 32, 33.

Cain unde cognoverit fratris sacrificium Deo fuisse gratum, I, 501.

Cain Etymon, *ibid.* Ejus oblatio cur a Deo despecta, *ibid.*

Cain fratrem necando, a Deo recessit, per sapientiam iterum reconciliatus, III, 716.

Calami et junci expositio mystica, IV, 886, 887. Calami, *vide* VI, 879, 880.

Calamitas Judæorum tempore vastationis quanta, V, 936; III, 48; V, 1265.

Calathus bonarum ficuum quid designet, V, 989. Item malarum, *ibid. et seq.*; V, 1020.

Calcaneus quid figuret, V, 1088.

Calcaria unde dicta, V, 612.

Calceamentum Domini ejusdem incarnationis typus, I, 800.

Calceamenta exuens Moyses quid sign., I, 19.

Caleb data est Ebron, II, 115. Delet tres filios Enach, vivo adhuc Josue, *ibid.*

Caligo quid, VI, 879.

Calix virtutum et vitiorum, V, 906.

Calix aureus Babylon omnem terram inebrians mystice quid signif., V, 1155.

Calicis primus usus in Cicilia, V, 602. Mystica notio, VI, 873.

Calicem furoris Domini qui bibant, V, 995, 996, 997. Meracissimus et ad feces epotandus quis, IV, 747. Quib. *ib d.*

Calicem Novi Testamenti inter et suppliciorum distinctio, V, 906.

Callistus (S.) papa incarceratus militem ulceribus plenum sanans, cum eodem morte multatur, IV, 1173.

Calvariæ mons unde dictus, I, 1136.

Calumnia quando committatur, II, 448, 449.

Calx quid, ejusque natura et vis mira, V, 462.

Calcis et arenæ signif. allegorica, *ibid.*

Cameleon et Cameleopardus unde dicti, V, 222 Ejus natura, II, 355.

Camelus Scribarum et Pharisæorum aptus typus, II, 883. Genera et sign., V, 211.

Camelorum et asinorum nomine gentiles designari, III, 495.

Camon locus sepulturæ Jair judicis in Israel hebraice resurrectio inutilis, hæreticos et impios significat, II 177.

Camos Deus Ammonitarum, qualis, ejus imbecillitas irrisa, II, 1178.

Camus unde nomen sortitus, V, 366. Ejus pulchra cum sancta Scriptura, collatio, *ibid.* Item cum mundo, *ibid.* In bonam et malam partem accipitur, *ibid.*

Cananeæ filia cujus typum gerat, V, 73

Cananæa mulier cujus figuræ, V, 73.

Candelabrum typus corporis Domini, V, 691.

Candelabri aurei factura, et usus, II, 150 *et seqq.* Ejus mysticæ acceptiones, *ibid.*

Canis descriptio ejusque variæ significationes, V, 224; VI, 883.

Canistrum quid, V, 604.

Canistrum consummationis typice quid sign., II, 331, 332, 624.

Canities senum quid sign., V, 716.

Cano honor deferendus, et quare, II, 460.

Canonicorum nostrorum librorum auctores sapientesne, an eloquentes nuncupandi, I, 415.

Canonis (S.) ejusque filii martyrium, IV, 1146.

Canones concilior. unde dicti et quot lati in variis co cil., V, 124.

Canones Evangelior. qui agnoscantur, V, 124.

Cantare et psallere spiritualiter quomodo differunt, II, 1159.

Cantici primus auctor Moyses, I, 361. Quid signif., *ibid.* Cantandi consuetudo in Ecclesia cur instituta, *ibid.*

Canticum Moysis quæ mysteria complectatur, II, 967. Ejus litteralis et mystica explicatio, II, 967 *et seqq.*; VI, 1152.

Canticum animæ puræ Deum oblectat, II, 1139.

Canticum Deboræ mystice explicatur, II, 1138.

Canticum Ezechiæ quo vocabulo prænotandum, VI, 1094.

Canticum Annæ mysteriis sacris refertum, VI, 1098. Cur orationis nomen obtinuerit, cum potius prophetia sit futurorum, *ibid.*

Canticum inter et orationem discrimen, VI, 1112.

Cantor unde vocatus, V, 92.

Cantores 88 quid designent, III, 396.

Caper emissarius Christi figuram gestat, I, 420.

Capi a bestia quid signif., II, 281.

Capi in oculis quid, III, 625.

Capillorum usus et signif., II, 384; IV, 1012. Qui, et quomodo dicuntur numerati, I, 902; II, 590.

Capitis motio, lætitiæ indicium, V, 1209.

Capitis et capillorum mystica explicatio, V, 144; VI, 885 *et seq.*

Capitella quinque cujus figuram teneant, III, 167, 168. Eorum diversitas et structura, *ibid.*, 169-171; III, 433, 436.

Capitolium unde appellatum, V, 387.

Cappadocia quid, V, 344. Ejus situs, *ibid.* Nutrix equorum, *ibid.* Typus, S. Ecclesiæ, *ibid.* Ejus montes et provinciæ cum s gn., *ibid.*

Capus, *vide* Falco.

Caput Saulis quomodo in templo Dagon suspensum, per diversa loca terræ transmissum dicatur, III, 525.

Capra quale animal et quos denotet, V, 204.

Captivitas et liberatio Petri apost. cujusmodi, IV, 350. Professio de Christo, IV, 551.

Carbo nunc peccatorem, nunc justum significat, V, 280. Et crucem Christi, *ibid.* Variæ ejus signif., VI, 886.

Carbunculi 12 species, et figuralis acceptio, V 471. Unde dictus, I, 478, 479.

Digitized by Google

Cardines cœli quot, et quid signif., v, 265.
Cardo pigri hominis typum tenet, v, 400.
Cariathiarim urbs saltuum, sita in Gabaa, et patria Uriæ prophetæ a Joachim occisi, III, 32.
Carmen in bonam et malam interp. partem, IV, 560.
Carmen in honorem annuntiatæ Virginis, VI, 1665. In obitum Caroli, *ibid.*
Carnales homines et vani raro loquendi in concionatoribus Deo aurem dant, II, 1149. Eorum interitus, *ibid.*
Carneum cor quod, IV, 644.
Carni qui serviunt, gratia spoliantur, II, 1198. Caro per feminam figurata, *ibid.*
Carni cur non simus debitores cum victum ei debeamus, V, 1446.
Carnis vinique usus quando et quibus licitus, V, 1588.
Carnes bestiarum immundarum quos denotent, II, 124.
Carnium usus vinique potio quando indulta, I, 339. Cur ad tempus prohibita, *ibid.*
Carnium ejus quando, et cur primum indultus, I, 524.
Carnis typicæ interpret., V, 391; VI, 880, 887.
Casa quid, V, 376.
Casulæ significat. litter. et mystica, I, 508.
Casleu mensis quid signif., III, 1130.
Castanea continentium typus, et cur, V, 515.
Castigati aliquantum Israelitæ morsu serpentum erecto serpente æneo sunt sanati, III, 746.
Castitas vera quæ, monachis præcipitur, *ibid.* Merces, III, 684. Ejus colendæ ratio, et encomium, V, 853-856; IV, 87, Effectus, *ibid.* 88.
Castores unde dicti et quos signent, V, 222.
Castra Dei Jacob visa quid, I, 608.
Castra quatuor populi Israel quatuor ordines in cœlo non incongrue designant, II, 604.
Castra Israelitarum quo ordine in deserto sint mota, II, 650.
Castra in medio populi posita S. Ecclesiam referunt, III, 582, 632.
Castri apum genus, V, 256.
Castrorum notio, V, 383.
Casuum in pronom. conjug., etc.; product. et corrept. exterminat, V, 644-652.
Casus nominum qui cognoscantur ex terminatione, V, 634-642.
Casus quot sint et qui agnoscantur, V, 642-648.
Casus Luciferi, I, 445.
Casus prævaricationis angeli cur Moyses mentionem non fecerit, I, 447.
Casus in faciem et retrorsum quid sign., IV, 549.
Cassis quid signif., V, 544.
Cataclysmus quando, quoque modo contigerit, I, 519.
Cataclysmi causa quæ, III, 1051.
Catalogus virtutum Patris, in decem et septem classes distinctarum, quæ filiis eas violantibus non imputantur, IV, 704-706.
Catalogus immunditiarum et iniquitatum Jerusalem, IV, 665-667. Beneficiorum item et ornamentorum, IV, 670-676.
Catechizandorum ordo, I, 310. Ritus, *ibid.* et VI, 1193, 1198.
Catechumenus unde cognominatus, I, 310. Eos inter et competentes discretio, *ibid.*
Cathedræ significc. variæ, VI, 889, 890.
Catenulæ officia charitatis denotant, III, 426.
Catholicos inter et hæreticos qualis intercedere debeat amicitia, III, 796.
Catholicus male vivens aliis dolori est, V, 714.
Catuli gentilium typus, V, 221.
Caucasi montis descriptio, V, 559.
Caudam abscindere quid sign., II, 761.
Caula S. Ecclesiæ typus et cur, V, 407.
Causarum quædam differentiæ ob quas in hac vita affligimur, I, 872.
Cauterium quid, et cujus typum habeat, V, 613.
Cautio super homicidio occulto, et cadavere invento, II, 913. Mystice Salvatorem denotat, *ibid.*, *et seq.*
Cedar interpret. tenebræ, V, 536. Unde originem duxerit, *ibid.*
Cedron torrens, V, 522.
Cedrus mystice quid significet, VI, 891, V, 517. Natura, III, 482.
Celatarum palmarum significatio, IV, 934, 935.
Celeuma quid denotet, V, 1121.
Celidros serpens terram fumare facit, V, 227.
Cella unde dicta, V, 389.
Celsa quæ in Scriptura appellentur, III, 277.
Cene regionis thesauri pretiosi, V, 542.
Census populi initi gravis animadversio, III, 93. Ejus placatio, III, 123.
Centaurus homo mixtus equo, V, 198.
Centenarius numerus vitæ cœlestis figura, III, 470.
Centuplum nos pro demissione bonorum accepturos qui intelligendum, IV, 356.
Centurionem cum Matth. ad Dominum venisse dicat, cur Lucas eum nuntium misisse commemoret, I, 856. Ejus humilitas, *ibid.* Electorum typus, I, 857. Quid sign., V, 75.
Centurionis militumque ejus sepulcrum Christi custodientium professio et signif., I, 1141.
Cerberus triceps, V, 198.
Cervæ Doctorum typum tenent, IV, 45. Earum mos, *ibid.* Ecclesiæ typus, II, 1171.
Cervi a cornibus dicti, eorum varia genera et significat., V, 204.
Cethuræ cur Abrahæ senex nupserit, I, 579. Quid signif., *ibid.*
Chaldæam inhabitantes qui, V, 1151.
Chaldæi cur destructa Jerusalem omnes artifices ejecerint, III, 272.
Chaleph cur dictus cor aut canis, V, 54.
Cham quid signif., V, 54. In patris ebrietate peccans cur non in seipso, sed in filio Chanaam maledictus, I, 525, et II, 454. Christi et Judæorum figura, I, 525.
Chanaan interpretatur motus eorum, Israelitis promissa quid sign., II, 20; V, 94.
Chananæi cæduntur, II, 1111.
Chananææ gentes cur relictæ, et non deletæ omnes, II, 11. Quæ fuerint relictæ, *ibid.*
Chariat sepher post obitum Josue expugnata, II, 1115.
Charitas in cordibus infusa quæ, V, 1370, 1371. Ejus præconium, VI, 1235. Fortitudo et necessitas, V, 1147. Effectus, III, 767; fuse, IV, 83.
Cherubin, et flammeus gladius ante paradisum quid denotent, I, 500. Quid myst. sig., III, 134.
Cherubin cur duo fuerint, quidque mystice designent, II, 144, 113.
Chimæra bestia triformis, V, 198.
Chod significatio, IV, 776.
Chobar quid, V, 522; IV, 699. Ezechieli visiones in eo factæ, *ibid.*
Chore dicitur Calvaria, V, 72. Ejus filii, V, 71. Cur cantores, *ibid.*
Chrisma quid signif., V, 155.
Christiani uniti in Christo, III, 44. Gratia et mutatione morum illis opus est, *ibid.* Robur eorum et gratia a Deo, *ibid.*, 16. Et contra inimicum nostrum Diabolum, *ibid.* Carnem suam spiritui subjiciunt gratia Spiritus S., *ibid.*, 20. Omnes uncti et Christi sui, *ibid.* Cor eorum tabernaculum Domini, III, 31.
Christiani nominis excellentia, IV, 82. Eo digni, et indigni qui, *ibid.*
Christianis gentilium observationes non esse observandas, VI, 1417. Nec cum paganis convivandum, *ibid.* Neque cum Judæis, VI, 1418. Comessationes et saltationes eos dedecere, *ibid.* Eorum constantia et religio major quam Judæorum sub lege, II, 121. Eorum antistites ultro se morti offerunt, II, 1144.
Christianorum varia nomina, I, 92.
Christus quis, VI, 1102.
Christus quomodo positus in ruinam et in signum cui contradicetur, I, 928.
Christus cur hircus alias, alias vitulus dicatur, V, 755.
Christus quadraginta horis fuit in sepulcro, III, 1151. Hæreticis est horror, III, 1167, 1168.
Christus, et Jesus Christus qui differant, I, 992.
Christus rectene Deus dicatur, I, 1483.
Christus quibus proscriptus, et quibus crucifixus, VI, 283.
Christus quomodo a Deo pro nobis traditus, et seipsum tradidisse dicatur, VI, 445.
Christus est mystice lapis, V, 41. Frater noster, V, 191. Sponsus Ecclesiæ, *ibid.* Ejus sessio in littore, et discipulorum in navi quomodo accipienda, V, 373. Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, V, 397. Volupt. damna et confundit, II, 1136. Væ Judæis et duræ cervicis hominib. minatur, II, 1149. Figura fuit Gedeon, II, 117. Ejusque sacrificium typus oblationis Christi in cruce, *ibid.* Vitulus est, in quo septem dona S. Spiritus, *ibid.*, 1150. Petra est, *ibid.* Ex stirpe sacerdotali et regia natus, itemque Virgo Maria, II, 1176. Ejus resurrectio inutilis Judæis, *ibid.*, 1177. Lux mundi figurata per Jair, *ibid.*, 1176 Et per Jephte fugientem fratres suos, *ibid.*, 1177. Se obtulit, *ibid.* Eum Martyres imitantur, *ibid.* Gentes a diaboli tyrannide liberat. ejusque regnum destruit, II, 1162. Ipse est circumiens in utero, *ibid.*, 1163. Omnia divinitate sua competitur, hostes Trinitatis cognitione perfecta atque fide sternit, *ibid.*, 1165. Ejus milites scilicet, qui et docti, et bene operantur, *ibid.* Quo mittat suos prædicatores, et quo fine et cui contra Satanam, *ibid.*, 1166. Pharisæos, gentiles ac hæreticos delet, *ibid.*, 1167. Contumaces Judæos et irrisores Evangelii tradit Romanis imperatoribus, *ibid.* Ejus personam gerunt Angeli, II, 1192. Figuratus per Samsonem, *ibid.*, 1194. Ejus triumphus et robur a Samsone figuratus in omnibus pene, *ibid.*, 1198. Plures mortuus quam vivens vitiis mortuos salvavit, II, 1197. Nazarænus est, justitiæ sol, *ibid.* Figuratus per Elimelec. Ecclesiam tanquam uxorem sibi copu-

Digitized by Google

lat, ex qua liberos sibi gignit II, 1201. Ex tirpe Ruth ortus, *ibid.*, 1199. In lege promissus, *ibid.*, 1204. Ejus potentia et opes, *ibid.*, 1206. De Ecclesia sollicitus est, ac in doctores ejus per apostolos inquirit, *ibid.*, 1207. Ecclesiam protegit, *ibid.*, 1208. Quæ ejus alæ, *ibid.* Gentibus scientiæ suæ thesauros aperit, *ibid.* Gentiles ad Ecclesiam admittit, *ibid.*, 1213. Excutit et ventilat Judæorum voluntatem, II, 1211. Gaudet de redemptione et salvatione gentilium, *ibid.* 1212, 1213. Passus et mortuus ob prophetias, *ibid.* Ex inferis turmas animarum eduxit, *ibid.* Quomodo de fide gentium miretur, et cur, *ibid.* Ejus in Ecclesiam dona perfecta, *ibid.* Porta ejus ad quam sedit, uterus B. V., *ibid.* Per illum gratia vivificans collata hominibus, *ibid.* Oblatio est et oblatum, II, 283. Christus arcana omnia Dei novit, III, 24. Nos domus ejus sumus, fidelis, *ibid.* Lapis est adjutorii, 34. Ab ipso vera beatitudo, *ibid.* Caput est nostrum, III, 36. Ejus excellentia, *ibid.*, 37. Per Christianos hostem suum fugat, III, 39. Gentes ad Ecclesiam vocat, *ibid.* Obedientiam suo exemplo docuit, III, 45, 46. Ejus voluntas ab a patris discrepet, *ibid.* Non judicaturus, sed salvum facturus mundum venit, VI, 1125. Ad hoc venit ut mortem in capita inimicorum mitteret, *ibid.*

Christi et Judæorum figura, I, 525.

Christi excellentia, VI, 714, 726. Ejus in mundum introitus metaphor. quid signif., VI, 716. Unctio, VI, 718. Moyse præstantiorem esse, VI, 729.

Christi et Salomonis regnum quale, III, 414, 480.

Christi figuræ, VI, 1594. Umbras Prophetarum explent, *ibid.* Ejus vita, VI, 1615. Miracula, *ibid.* Passio, *ibid.*, 1617. In limbum descendit, *ibid.* Resurgit, *ibid.* Apostolos instruit, *ibid.* Ascendit in cœlum, *ibid.* Judex venturus, *ibid.* Humilitas, VI, 1595. Ejus typi ex Veteri Testam. repræsentati, VI, 1593, *note.* Ejus œconomia circa salutem humanam, VI, 1610, *note.*

Christo vivo cur apostolis prædicare negatum, V, 684.

Christorum Dei immunitas, III, 356.

Christum induere quomodo debeamus, VI, 436.

Chrysolitus lapis cujus typus, V, 412.

Chrysopassus quid, V, 412.

Chus primus insuetam tyrannidem in populis arripuit, III, 283. Populos a veri Dei cultu abstraxit, *ibid.*

Chusanrathaim, rex Mesopotamiæ, affligit Judæos, octo annos, hebraice significat humiliatio eorum, II, 1122. Mystice hic rex est Dæmon et quilibet tyrannus, *ibid.*

Chyrogrillum quid significet, V, 777.

Cibus noster sacra Scriptura, IV, 561. Quomodo comedendus, *ibid.*

Cibus num hominem coinquinet, II, 367.

Cicatrices cur in glorificato Christi corpore appareant, IV, 149-178.

Ciconiæcautos et providos homines designant, V, 245.

Cilicia unde nomen traxerit, V, 343, Croci ferax, *ibid.* Typus hominis pœnitentis, *ibid.*

Cilicium et pulvis mystice quid sign., V, 1227.

Cinæis Deus parcit, III, 44. A Jetro orti, *ibid.*

Cincinni capitis Ezech. quid figurarint, IV, 621.

Cingulorum variæ species, V, 584. Sacerdotalis usus, I, 306.

Ciniphes quid, II, 36; V, 257. Hæreticorum typus, V, 257. A magis Pharaonis æque ac Moyse productæ, *ibid.*

Cinis humanæ fragilitatis typus, V, 280. Et peccatorum, V, 1222. Ut panis quomodo comedendus, IV, 931.

Cinnomolegus avis Arabiæ, V, 245.

Circumcidi corde, auribus, etc. quid, I, 548-550.

Circumcisionis præceptum, I, 546. Quis finis, *ibid.* S. Baptis. verus typus, I, 556-561-875. Abraham eam prosequitur, I, 548. Ea quæ gentes etiamnum utentur, eam cur Abraham acceperit, V, 1335. Cur signum dicta, V, 1356. Ejus licitum illicitumque genus, V, 1324, 1325. Ejus minister cur Christus ab Apostolo dictus, V, 1595.

Circus unde denominatus, V, 387.

Cison torrens, V, 322.

Cisternæ hæreticos signant, V, 325.

Citharæ litter. et figuralis sign., III, 346.

Civis unde appellatus, et quid myst. sign., VI, 897, 898.

Civitas ab Ezech. visa cujusmodi, IV, 883. Eam intrantes qui, *ibid.* Cæmentarii et exstructores ejus, IV, 885. Vir in ejus porta stans Redemptorem denotat, IV, 887. Quomodo steterit, IV, 888. Ejus munus, *ibid.*

Civitas unde dicta, V, 375. Ab urbe differt, *ibid.* Qualem Cain cum paucis constituerit, I, 807. In bonam et malam partem sumitur, V, 384. Christi Ecclesiam denotat, et cur, III, 825. Sancta quæ, curque sic dicta, I, 782. Et Dei, I, 870. Supra montem posita Ecclesiæ typus, I, 783. Ejus mystica interpretatio, VI, 897.

Civitas Anamahel ædificata usque ad portam anguli mystice Ecclesiam denotat, V, 1032.

Civitatum variarum varia nomina, et exposit., V, 451, V, 475, 476. Duarum copiosa descriptio, VI, 1203.

Clamare sine voce quid, II, 65.

Clamare quomodo Jeremias ad Dominum jubeatur, cum alibi prohibeatur populo orare, V, 930.

Clamor noster ad Deum qualis esse debeat, II, 1130.

Clarificatio filii Dei cujusmodi, V, 910; IV, 228.

Claudi quos significe., V, 75.

Claves regni cœlorum quibus commissæ, IV, 355. Quos denotent, V I, 881.

Clavorum templi Salom. valor, III, 153. Myst. quid, *ibid.*, 428.

Clementer, et cum longanimitate Deus corripuit peccatores, terræ sanctæ incolas, non statim eos delens, III 726.

Clementia regis, V, 731.

Clementiæ Divinæ insigne encomium, III, 361.

Clerici unde nomen sortiti, V, 91, I, 297; VI, 1166. Eorum tonsura a Nazaræis exorta, *ibid.* Quid notet, I, 299; VI, 1167. Castitas eis mandatur, VI, 1419. Familiæ truncationes quælibet faciendæ iis prohibentur, 1420. In mutuum cædem prorumpentium pœna *ibid.* Usuram non accipiant, *ibid.*

Clibanus signis infernalis typus, V, 406.

Cloacæ quid earumque primus inventor, V, 386.

Clypeus quid, V, 342.

Coæternitas Filii Dei cum Patre, IV, 205.

Cocytus inferi locus, V, 374. Ejus cum inferno comparatio elegans, *ibid.*

Cœlestis convivii apparatus, locique amœnitas, III, 637.

Cœlestium et terrestrium animalium discrimen, II, 352.

Cœlos cur Apost. dixerit, cum alibi unum legatur, VI, 1153, 1154.

Cœlum quale cum mundo creatum, I, 444. In unigenito Deus illud cum terra fecit, *ibid.* Cur peccatoribus æneum, II, 956. Quid ejus nomine intelligendum, V, 263. Aliquando pro aere ponitur, I, 456, 457.

Cœlum cœli an fuerit vacuum, I, 445.

Cœna Domini quid, I, 347. Altaria et cætera vasa Deo sacrata cur eodem die purgentur, et S. chrisma conficiatur, *ibid.* A convivio differt, IV, 269.

Cœnaculum quid, V, 390. Ecclesiæ typus, *ibid.*

Cœnobium unde dictum, V, 391.

Cofini interp. litter. et mystica, V, 604.

Cogitationes vanæ Deo odiosæ, malæ mystice sunt generatio Dominum non cognoscens, II, 1121. Num cogitation. peccetur, malarum Diabolus auctor, V, 854-977.

Cogitationes hæreticorum solas calumnias machinantur, V, 958.

Cogitatus præscientiæ, pœnæ sc. et mercedis avertit sensum a concupiscentiis, III, 996.

Cognationis gradus quousque extendatur, II, 467, 470.

Cognationis causa Moysis pater matrem dimittere jubetur, III, 305.

Cognationes domus operantium byssum in domo juramenti quid significet, III, 306.

Cognitioni ac judicio Dei nemo se potest subtrahere, III, 869.

Coitus cum jumento morte mulctandus est, II, 467.

Coitus alterius generis jumentorum inhibetur, II, 452. Mystice quid denotet, VI, 1126.

Coitus cum muliere ancilla litter. et allegorice quid signif., II, 454.

Colentes æque atque fabricantes Idola sunt prævaricatores, III, 742.

Colles quid significent, V, 365. Sanctorum figura, *ibid.*

Collis Dei vocatur ubi prophetæ morabantur, III, 37

Collocatio stulti vitanda, III, 912.

Colonia unde orta, V, 375.

Columba arca emissa cur requiem non invenerit, cum cacumina montium nudata dicantur, I, 520.

Columba cur Nabuchodonosor vocatus, V, 1102.

Columbæ variæ signif., V, 249; VI, 899. Christi typus *ibid.*

Columna nubis et ignis Israelitis prælucens quid denotet, II, 63, 648 et 843.

Columnæ SS. Doctor. figur. exprimunt, II, 177, 178. Septem erectæ myst. quid sig., V, 710.

Columnæ templi typice Apost. denotant, III, 420. Item SS. Triadem, III, 433, 434.

Comedere super montes quid, II, 458.

Comedere peccata populi quid, II, 566.

Comessationis, ebrietatis, scurrilitatisque detestatio, IV, 120.

Comitatis verborum commoda, V, 740.

Comminatur nonnunquam Deus, nec infert pœnam, III, 616

Commune quid in Scriptura dicatur, V, 1583-1587.

Comœdiarum primus usus, V, 335.

Compita quid denotent, V, 384.

Compunctio cordis quid, IV, 101. Duo genera, II, 1114.

Conchæ et cocleæ multa genera, V, 238.

Concionatoribus non ante cessante

Digitized by Google

dum, quam ad agnitionem errorum homines promoverint, III, 34. Eorum munus, II, 1162.
Conciones super epistolas et Evangelia Paschalia, IV, 135.
Concubinam super uxorem habentis pœnitentia ex conc. Trident, VI, 1410.
Concupiscentia diluvii Noetici causa, I, 513.
Concupiscentia carnis ad varia vitia viam sternit, III, 888
Concupiscentiæ propriæ vitandæ, III, 888 Earum gravitas, *ibid*, 889. Ejus nomine quid sign., V, 1416-1422.
Concursus populi ad excipiend. reliquias, I, 45, 49, 54.
Concursus Dei cum hominibus, V, 1491.
Confessio peccator. quæ sit, V, 138.
Confessio nomen æquivocum, VI, 1091.
Confessionis et pœnitentiæ fructus, IV, 107.
Confessionis auricularis, justique deprecationis excellentia, IV, 223.
Confessorum triumphi in Ecclesia cur celebrentur, IV, 70. Eorum encomium, *ibid.*
Confrages quid, V, 370.
Confusio bona et mala quæ, III, 788.
Confutatio hominis ad peccatum se hortantis, III, 920.
Congregare in messe quid, V, 712.
Conjugii ratio et nomina quæ sint, cognat. item, ob quas causas ineatur, V, 191.
Conjugii usus et copula quando illicita, primum altero prævalere, VI, 1408.
Conjuncti cur de arca exierint, qui sejuncti intrarunt, I, 522, 523.
Conjunctio quæ longa, quæ brevis, V, 663-664.
Conopæum quid, III, 624.
Consanguinitatis graduum observatio Græcorum et Romanorum, IV, 1085. Variæ de iis opiniones, *ibid.* Quo gradu matrimonium licitum, IV, 1086. In veteri lege prohibitum, *ibid.* Censura B. Gregorii super hac lege, *ibid.*
Consecrationis, hostiarumque oblatarum pro populo quis finis, II, 335, 340.
Consiliarios in omni re ardua esse adhibendos, III, 644.
Consilium quid, III, 999. Sine eo nihil agendum, *ibid.*
Conspectus Domini dupliciter subeundus est, III, 206
Constantiæ utilitas, II, 1132.
Consuetudo jurandi vitanda, III, 917. Ejus gravitas, *ibid.*, 918.
Consules a consulendo dicti, typum tenent Ecclesiæ prælatorum, V, 147.
Consummata oblatio quæ, III, 1117.
Consummationis duplex genus, IV, 807.
Contemplativæ vitæ lucrum, II, 533. Effectus, I, 611, 612.
Contemptus mundi utilitas, IV, 106.
Contendendum non esse cum potente, III, 813. Nec cum locupletc, *ibid.* Neque cum linguato, *ibid.*, 814. Neve cum indocto, vel imprudente, *ibid.*
Contentionis gravitas, V, 1306. Effectus, *ibid.*
Continentiæ insigne exemplum ejus, III, 560; IV, 92. In quo consistat, *ibid.*
Contrariorum oppositione elucescere veritatem, II, 683.
Contuberni amicorum bona, III, 798.
Contumax et protervus filius lapidibus obrui jubetur, II, 918.
Contumelia patri vel magistro exhibita Deo exosa, III, 778.
Contumeliosorum hæreticorum consortium fugiendum, III, 817. Item, fenueratorem, audacem, iracundum, *ibid.*
Conventus animalium ad Adam ut nomina sortirentur quomodo accipiendus, I, 483.
Conventus tribuum Israel conventui gentium ad Christum adæquatur III, 80.
Conversio a peccatis qualis esse debeat, II, 1130.
Conversio plena quæ, V, 853.
Conversio S. Pauli cujusmodi, IV, 364.
Convicia qui toleranda, III, 109.
Convivæ, vestem nuptialem non habentis interpret. mystica, I, 1056.
Convivium quid, et quotuplex, V, 587, 588.
Convivium Assueri ad potentiæ et gloriæ suæ ostentationem institutum Christi divitiarum magnitudini sensu mystico pulchre adæquatur, III, 637.
Convivii ab Holopherne instituti quis scopus, III, 623, 624.
Coos insula primum lanificiis claruit, V, 353.
Coquinæ apparatus auctor Apicius, V, 587.
Cor et spiritus novus quando detur, IV, 856.
Cor inclinare quid sign., V, 685.
Cor multis modis in Scriptura accipitur, V, 151-386. Quomodo custodiendum, II, 1158. Gaudens divitiis prævalet, V, 730. Ejus puritas parietu limpido comparatur, III, 914. Contritum munus Deo gratissimum, V, 1212.
Corathi torreus, V, 322.
Corbeiam in Westgallia monachi Fuldenses illustrant, I, 95.
Core, Dathan, et Abiron seditionem moventes, igne absorpti, hæreticos et schismaticos apte exprimunt, II, 680, 681.
Core una cum congregatione sua interimitur, III, 1089.
Coreb montis distinctio, V, 360-384.
Corinthiis cur apost. Paulus epistolas scripserit, VI, 10. Ad concordiam exhortatur, VI, 15. Eorum hæreses, VI, 50. Ad virtutum studia incitantur, V, 1397.
Cornelii Centurionis orationes et eleemosynæ quomodo ante baptismum ascenderint in conspectu Dei, VI, 791, 792.
Cornix avis ominosa, V, 252.
Cornu Christi regnum et insignia denotat, II, 741; VI, 903.
Cornu in manibus Domini quid designet, VI, 1117.
Cornua rhinocerotis crucis Christi typum habent, II, 998.
Corona unde dicta, ejusque sign. myst. V, 584.
Coronæ beatæ quomodo obtinendæ, VI, 642.
Coronandum oportere legitime certasse, V, 942
Corpus litteral. et mystice quid sign., V, 70-74. Spiritalis et animalis notio et differentia, V, 99. Ejus omnes partes juxta literam et myst. ut facies, oculi, etc. quid sign., V, 75, 76. Quomodo a pueritia assuefaciendum, V, 772. Eo ut asino utendum, II, 1142. Unde dictum, quomodo castigandum, *ibid.*
Corpus et animam deposito homini esse datam, II, 290. Quem et ipsum Christum Dominum, *ibid.* et 291.
Corpus et anima nostra quomodo in Babylone versentur, V, 1143.
Corpus et sanguinem suum cur Christus nobis reliquerit; idque sub specie panis et vini potius, quam alia aliqua materia, I, 316. Quomodo veraciter sumendum, *ibid.* Ex infermentato pane, et vino aqua misto cur consecretur, I, 319. Indigne accedentes facinus, *ibid.* Per Noe et Melchisedech præfiguratur, I, 319.
Corporis Christi beneficia, V, 1419.
Corporis Christi resurgentis proprietates, VI, 153.
Corporis ecclesiastici variæ functiones, V, 1546.
Corporis et animæ sanitas multo præstantior divitiis, III, 983.
Corporis humani constitutio, IV, 1[illegible].
Corporis nostri resurgentis qualitates contra Eutich., IV, 147-171.
Corporum diversitas, IV, 409
Corrigere alium qui vult, vitio eum carere debet, II, 1200.
Corrupta terra quo sensu dicatur, I, 513.
Corrupta natura, et divina gratia quid in hominibus operentur, III, 879.
Corruptionis cum idololatria coitus, II, 410.
Cortinarum tabernaculi descriptio, II, 158, 159. Cur ansas in utraque parte habuerint, II, 160, 161.
Coruscatio lucem habet transeuntem, II, 1185.
Coruscationes quid noteat, V, 277.
Corvus arca emissus et non rediens, ubi mansisse credatur, I, 539.
Corvorum significat. variæ, IV, 32[illegible].
Cothurnus quid, ejusque in tragediis usus, V, 586.
Coturnices, V, 249. Cadarum avium patiuntur, *ibid.* Figura legis et historicæ, *ibid.*
Crapulæ pernicies, III, 1150.
Craticulæ sacrificium mortem Christi signi., II, 200.
Craticulæ et arulæ in altari constructio et usus, II, 182, 183.
Creatio primorum parentum, nosque Adami unde, III, 875. Ad Dei similitudinem facti, *ibid.*, 874, 875
Creaturæ quando ad ultionem armentur, III, 299.
Creaturam pro Creatore colere creaturis punimur, III, 381, 725.
Credens Domino quomodo nominetur, V, 1319. Qui sint ii, V, 848
Cretenses cur dicti mendaces, II, 671. Hoc testimonio Apost. nemo non reprehendendus, *ibid.*
Crispini et Crispiniani martyrum ortura, IV, 1175.
Crocodilus in Nilo gignitur, terribilis, nocte in aquis, die humi quiescit, V, 238. Maxillam superiorem movet, *ibid.* Volatilis, V, 246.
Crucifigentium suas concupiscentias merces, V, 1395.
Crura pedibus habere sublimiora quid signif., II, 359.
Crux quinquangula cubitorum Mardochæo fabricata quid signif., II, 60[illegible]
Crux Christi Judæis peccatum et maledictum cur, VI, 295. In ea pendet qui maledictus dicatur, *ibid.*, 29[illegible] Dæmones fugat, VI, 1109. Ejus typus est palus, quo Jael transadegit tempora Sisaræ, II, 1156. Quomodo portanda, I, 996. Ejus virtute Gratus, vir pietate clarus, hostes devincit, *ibid.* Ejus moralis expositio, quando et fixus, V, 1231. Ejus acrosticha, II, 1[illegible] Cum suis mysteriis effigiatur, VI [illegible] gine Christi membrorum situ, II, 1[illegible]
Crystalli etymon, V, 473. Ejus usus, *ibid.* Baptismo adæquatur, *ibid.* Varia ejus genera, V, 473.
Cubiculi notio litter. et typica, V, 390.
Cubitus geometricus quid, II, 517.
Culex sanguisugus, V, 238.
Culpa oblata reatum non tollit demonstratur, III, 101.
Cultura quid, V, 805.

Digitized by Google

Cultus tabernaculi Mosis quandiu permanserit, III, 141.
Cupidini cur sagitta asciscatur, V, 452.
Cura boni nominis quanti facienda, III, 1038. Nomen bonum quod, *ibid.*
Curiæ definitio, V, 387.
Curiositatis vituperium, III, 721; VI, 554, 578.
Currentes ad malum hostes salvatoris designant, V, 683.
Currus et equi cur soli dati, III, 268. A Josia combusti, *ibid.*
Currus et quadriga quid signif., V, 215, 216, 551.
Custos, Dominus Deus dicitur, V, 205.
Custodis templi solertia, IV, 961, 962.
Custodes vocantur apostoli et prædicatores, V, 205.
Cutis ossi adhærens quid signif., V, 1254.
Cycladarum insul. vocabula et origines, V, 366.
Cyclopes varii, V, 197.
Cyclus paschalis qui inveniatur, et quis auctor ejus, V, 125.
Cygnus seu olor nautarum avis, quos signif., V, 215.
Cymbali etymon., III, 346, 347. Nostrorum labi rum typus, *ibid.*, 347.
Cynici unde dicti, V, 415. Eorum hæresis de matrimonio, *ibid.*
Cynocephali qui, V, 197.
Cynomyia musca canina, V, 258.
Cynomiæ interpretatio, II, 102.
Cypressi virtutes, V, 517.
Cyprus unde dicta, V, 165. Prima inventrix metalli, *ibid.*
Cyri, et Darii in Babylonios expeditio, eorumque vastatio, III, 535.
Cyrus mystice Christum Dominum repræsentat, III, 556.
Cyrus Pers. et Medorum rex, cur servus Dei vocatus, V, 336.

D

Dæmonia gentium quæ, III, 357. Firmiorem de Christo habent fidem quam hæretici, I, 868. Cur porcos invadendi potestatem acceperint, *ibid.*
Dæmonis notio, V, 427. Eo in Gerasen obsessus quos notet, V, 75. Item mutus et cæcus, V, 76. Quomodo fiat esca hominum, V, 226. Negligentes mandata Dei vincit, II, 1155. Quomodo homines exæcet, II, 1197. Vulpes est, II, 1198 Dei clementia vincitur, II, 1143. Unde existat, *ibid.* Curribus et quadrigis utitur et qui illi, *ibid.* Non contemnus paucis hominibus, *ibid.*
Dæmoniacos a Salvatore liberatos quomodo duos Matth., Marc. vero et Luc. unum commemorent, I, 866. Quid figurarint, *ibid.*
Dagon idolum Philistæorum, III, 28. Heb. piscis tristitiæ, *ibid.* Illata arca ruit fracta cervice et amputatis manibus, *ibid.*
Dalila, paupercula figura Synagogæ, V, 57
Dalmatica quid, undeque dicta, I, 307.
Damasci etymon, V, 1134.
Damascus unde originem duxerit, V, 378.
Damnandorum cruciatus qualis futurus, VI, 1143, 1620.
Dan quid sign., V, 44, 378; III, 26. Ecclesiæ, Antichristi, et hæret. typus, I, 661, 662.
Daniel cur dictus judicium Dei et vir desideriorum, V, 67. Cur eunuchus, III, 265.
Dathan et Abiron cum sociis hæreticorum typus sunt, V, 53.
Datam et acceptam diligenter scribendum, III, 1066.
David imaginem exprimens Christi, cur dictus fortis manu utique, V, 55. Ejus exsilium, V, 392. An Ephrataeus secundum stirpem, III, 11. Rex unctus Christi typus, III, 49. Musicam callebat optime, *ibid.*, 50. Cithara arrepta vesaniam Saulis compescuit, *ibid.*, 55. In agro juxta lapidem latens Christi figura, II, 58. Insaniam simulat, *ibid.*, 60. Ejus mansuetudo, III, 62-66. Triginta annorum regnum suscipiens Christum exprimit, III, 80. Christi figuram cum teneat, qui plures ei licuerit habere uxores et concubinas, III, 342. Cur Abrahæ præferatur, VI, 1160. Plurimis facinoribus egregiis clarus, populo conjunctus ante arcam saltare non erubescit, III, 87. Pugnando hostes, saltando se ipse vicit, *ibid* Ejus cum Bersabee lapsus, III, 97. Pœnitudo, III, 101. Superbia elatus censum populi init, ejusque ultio, *ibid.* 120. Ejus laus insignis, III, 1087. Quo sensu dominus dictus, I, 1065.
Debitor decem talentorum quis, V, 77. Omnibus quis, V, 1202.
Debora prophetis. uxor Lapidoth, judicat populum Israel, II, 1134. Mittit Barach ducem contra Sisaram, *ibid.* Sternit hostem, *ib.* 1136. Cur ipsa inter judices Israelitarum sola prophetis, *ib.* Magnam laudem et consolationem sexui suo conciliat, *ibid.* Debora, hebraice apis vel loquela, V, 56. Sub palma sedet, *ibid.* Typus est prophetiæ vocantis Judæos ad Christum, *ibid.* Epinikion coram Sisara canit, II, 1138. Allegor. sign. gentium multitudinem Judæos prævenientem in fide Christi, III, 1144.
Deborse et Barach canticum cum Judithæ post victoriam confertur, II, 632.
Decalogi ad decem plagas Ægypti comparatio, II, 100-105. Cur in duobus tabulis scriptus, II, 863, 864.
Decalogum cur Pharisæi membranulis inscriptum et complicatum in fronte ligaverint, II, 866.
Decalogi olis quid denotet, ejusque situs, V, 356.
Decem filii Aman, quingentis viris in Susis interfectis, cur soli ex patibulo suspensi, III, 666.
Decem oboli in pretium animæ dati mystice quid signif., II, 214, 215.
Decembris festivitatum celebrium copiosa descriptio, IV, 1182.
Decimæ et Veteris, et Novi Testamenti ministris altaris ex mandato Dei debentur, II, 701, 904, 905.
Decimæ ex frugibus et pomis quomodo redimere liceverit, II, 583. Cur hæredimi, boves vero, et oves minus potuerint, II, 584.
Decimæ variæ apud Judæos, III, 15. Quales decimas ablactato Samuele obtulerit Anna, *ibid.*
Decimarum mystica notio, IV, 1020. Earum genera IV, 1027.
Decimas cur Abraham Melchisedech post benedictionem acceptam, obtulerit, I, 340.
Decipientium et deceptorum interitus qualis, V, 1011.
Decollat. Joannis Bapt. descriptio, IV, 414.
Decoriare carnem verbi Dei, et membratim dividere qui existimandi, II, 251.
Dedicatio Ecclesiæ unde initium sumpserit, IV, 73.
Deduci ad inferos, et reduci qui intelligendum, VI, 1100.
Defectus proximi non esse revelandos, II, 437, 458, 448, 449.
Defectus unde dictus, V, 1226.
Defensio pro ultione accipitur, III, 619.
Defunctorum animæ sacrificiis curari, et quæ I, 35.
Dei, matrisque ejus animi demissio, III, 651.
Deliciæ cœlestes appetitum, terrestres fastidium parunt, III, 940.
Deliciarum variarum detestatio, V, 1571.
Deliciarum cordis et corporis distantia. III, 710.
Delicta parentum quomodo et cur filiis imputentur, II, 96, 98, 861, 862, 939, 940.
Delicti variæ significationes, II, 306, 307. A peccato distinguitur, II, 480.
Delinquentes, et ad Ecclesiam confugientes ab ea non esse abstrahendos, VI, 1116.
Delos post Ogi diluvium, prima radiis solaribus fuit illustrata, V, 353.
Delphines naves saltu transvolant, et quando tempestates denuntient, V, 237. Vocantur Simones, *ibid.* Aliqui sunt serrato dorso, V, 238.
Delubra quid, V, 391. Myst. eorum sign., *ibid.*
Demetrius qua ratione regnum adiverit, III, 1177. Ejus contra Judæos hostilis expeditio, *ibid.*, 1179, 1189. Exercitui suo exosus, III, 1192, 1195.
Denarii numeri signif., IV, 923.
Dentium mystica interpretatio, V, 1222.
Depositum contempto Deo neganti aut aliquid extorquenti per calumniam quid offerendum fuerit, II, 290, 291.
Deprecari super cornu altaris quid sign., II, 212, 213.
Deprecatio pro Ecclesia, III, 1018. Peccatoris rei, VI, 1490.
Derisionis gravitas, V, 742. Fugienda, V, 747.
Descendere cum armis ad infernum quid, IV, 829, 830. In lacum, VI, 1097.
Descensus Josephi in Ægyptum cum Christi in hunc mundum confertur, I, 629.
Descensus Domini per nubes, II, 234.
Descensus Abræ in Ægyptum cum uxore Sarai, I, 534.
Descensus, ascensusque Christi finis et fructus, VI, 424.
Desertores filii qui, V, 1091.
Desertum quid, V, 571. Ejus variæ notiones, *ibid.*
Desiderium carnis in quo consistat, VI, 348.
Desperandum nequaquam esse de Dei misericordia, VI, 1346. Desperationem diabolus suadet, *ibid*
Destinatum inter et prædestinatum distinctio, V, 1281.
Detractor duos inficit, V, 737, 738, 764.
Deus in Scriptura varia habet nomina, V, 13. Quid sign., *ibid.* Humana ei membra asc ibuntur, et quid notent, *ibid.* 19. Sine strepitu et diversitate linguarum omnia appellavit, I, 448. Futura prævidens quasi jam perfecta laudat, I, 432. Cur benedixerit primis parentibus, I, 458, 459 et 461. Septimo die mundo creato quomodo quievisse dicatur, I. 465, 466. Requiescere quomodo dicatur, cum alibi usque modo laboret, I, 466 Adam non ignorando, sed increpando quæsivit, I, 492. Ejus nomen quod, I, 21 et 29. Ejus cum creaturis concursus, II, 110, 111. Qua specie hominibus apparuerit, II, 135. Non pensator nobilitatis est

Digitized by Google

carnis, sed animi, II, 244, 248. Ubi plantet, II, 347. Ejus decretum et sapientia infallibilis, II, 738. Quomodo terreat, II, 739. Ad exercitationem Judæ, et reprimandam in uberiore prosperitate elationem, non tradidit illi vallis incolas, II, 1115. Quomodo causa peccati, II, 1117. Dilectionem ab homine petit, et cur, II, 1122. An, et quomodo irasci dicendus, *ibid.*, 1122, 1123. Qui a Deo in manus Satanæ tradantur, *ibid.* Tradit in passiones ignominiæ, *ibid.* Tradit deserendo, *ibid.* In nobis quando habitet, *ibid.* Non ut ignorans et futurorum nescius tentat, sed nostri causa, II, 1125. Promissiones Dei an inefficaces, *ibid.* Quos tradat in reprobum sensum, II, 1133. Ejus stupenda clementia, *ibid.*, 1128. Ejus potentiæ nemo resistere potest, II, 1140. Cœlo, stellis et elementis in hostes furit, II, 1148. Sanctus et justus, III, 16. Et quidem solus fortis, *ibid.* Scrutatur corda, III, 17. Mortis et vitæ in illo potestas, *ibid.* Christum deduxit ad inferos et inde reduxit, *ibid.*, 18. E pulvere ad gloriam illum suscitavit, *ibid.* Impios labi sinit et perire, *ibid.*, 19. Superbis resistit, *ibid.* Ab illo fides et cognitio ejus nobis, non a nobis, *ibid.* Quomodo animam habere dicatur, III, 29. Cur liberet Israel e manu Madian pauco milite, II, 1160. Explorat militem, *ibid.* Eligit contemptibilia, *ibid.*, 1166. Quomodo miserit spiritum malignum inter Abimelech et Sichimos, II, 1173. Non delectatur victimis humanis, *ibid.*, 1179. Coronat eos qui pro justitia et religione trucidantur, II, 1179. Per malos mira etiam operatur, II, 1183. Peccatis nostris bene utitur, *ibid.* Saulem a regno semenque ejus rejicit, III, 41. Non quærit ignorans, *ibid.* Jubet tolli Amalecitas per Saulem, et cur, III, 44, 45. Non est mutabilis, *ibid.*, 47. Fidelis in promissis, III, 1214. Invocantibus se in bello præsto est, III, 310. Ejus judicium immutabile, III, 522. Suos castigat, terminus ei non est præscribendus, III, 614. Imbecillioribus honoratur, III, 621. Nunquam misericordiæ suæ obliviscitur, VI, 1115. Omnia fecit mortem non intendens, III, 677. Sæpius in Evang. filius hominis quam Dei appellatus et cur, et invocandus, III, 852. Quomodo tentet, III, 675. Criminum severus est ultor, III, 676. Nihil contra naturam agit, III, 677. Et peccare quomodo accipiendum, VI, 1134. Ejus in varios peccatores gravis animadversio, III, 693. Quare fidelis et rectus dicatur, VI, 1134. Deo quatenus oculi, aures, manus, ira, etc., conveniant, III, 727. Quomodo ab hominibus videatur, III, 1122. A gentilium diis qui differat, V, 455. Homo factus, VI, 1614. Triplex an recte dicatur, VI, 1590 (note). Quid sign. VI, 907.

Deus sex diebus omnia producens, quomodo alibi simul creasse dicatur, I, 471.

Deus natura, homines gratia constant, III, 825.

Deus ideo non loquitur ut quid fiat, sed quia futurum est, ideo prædicit, V, 864.

Deus Pharaoni quomodo Moyses datus, II, 31.

Deus cum solus adorandus, quomodo Abrahamo populum licuerit adorare, I, 570.

Deus non volens mortem peccatoris quomodo cogitaverit Amasiam occidere, III, 508.

Deuteronomii contenta, V, 111. Ubi scriptum, V, 360. Quid sig. et cur Dominus dicat ad Moysen locutum, cum ipse Moyses istius libri sit auctor, II, 839, 840.

Devia loca hæreticorum typus, II, 571.

Devorare sanctos qui dicantur, V, 746, 747.

Dextra manus Ephraim juniori, sinistra vero Manassen imposita majori, mystice quid signif., I, 655.

Dextra cum semper in bonam partem accipiatur, cur in Deuter. ad dexteram aut sinistram declinare prohibeamur, II, 953-955.

Dextra quare ungatur, II, 331. Quid sig., VI, 909.

Dextræ et sinistræ differentia et quid significet, V, 158.

Dextrariola quid, III, 621.

Dextrocherium quid sign. ejusque usus, III, 621, 622.

Diabolus mystice Adonibezech, ejus in hominem æstus, et tyrannis fide et virtutibus superatur. Varia membra humana ei conveniunt, V, 172. Quomodo ligandus et enervandus, II, 583. Ejus bella, blandimenta et æstus in genus humanum, II, 1147. Per regem Chanaam signatur, *ibid.* A Christo victus, *ibid.* Doctorum in Ecclesia conatum impedire conatur, et quomodo, III, 42. Invidus et superbus est, *ibid.* Ejus superbia genus humanum seductum, Abrahæ sapientia restauratum, III, 716. Ejus invidia homo a Deo creatus immortalis factus est mortalis, III, 681. Cur tanto furore in genus humanum exardescat, III, 483. Unde occasionem ad malum nactus, III, 487.

Diaconorum etymologia, I, 302. Officium, *ibid.* Septem cur ab apostolis instituti, *ibid.*

Diadematis descriptio, V, 381.

Dialectices definitio et præstantia, I, 397. Ejus effectus et necessitas, *ibid.*

Didrachma quid, II, 570.

Diei variæ acceptiones, V, 287, 288; II, 513. Ejus partium significc., V, 289.

Dierum sex allegor. expositio, I, 466-468. Quid notent, I, 469. Longi et breves qui, II, 1119. Septima ultima, I, 464. Quid sign., I, 465, 466. Vesperam non habet, *ibid.* Octava quæ dicatur, *ibid.* Celeberrimus et sanctissimus quis, II, 507-510. Fortium quis, III, 669.

Dies eorum erunt centum viginti anni, quomodo accipiendum, I, 512.

Dies ultionis quomodo justa sit, II, 958.

Dies et tempora a Deo esse, qui et reliqua omnia creavit ac disposuit, III, 1000.

Dies hominis et dies Dei quæ, V, 951.

Dies mortis cur nobis incognitus, IV, 911.

Dies mortis et generalis judicii quando futurus, VI, 560. Quomodo debeamus esse ad eum parati, *ibid.* Ejus terribilitas, VI, 568.

Digiti distribut. donor. Spiritus sancti significant, V, 158-159.

Digitus Dei quid, ejusque vis, I, 37.

Dii, deæque singularum regionum et locorum celebrati describuntur, V, 426. Quod eorum initium et munus *ibid.*

Diis detrahere quid signif., II, 123

Dilatio qualis esse debeat, III, 556.

Dilectionem proximi repellunt improperium et invidia, III, 794. Dulcedo in verbis ac pacifica conversatio juvant, III, 795.

Diligentium Deum, et mandata servantium remuneratio, IV, 255.

Diluvii significatio, V, 329. Diluvium Noe, *ibid.* Diluvium in Achaia, *ibid.* Item Deucalionis, *ibid.*, 330.

Dinæ lapsus et zelus fratrum ejus contra Sichimitas quid spiritualiter denotet, V, 42. Raptus et oppressio violenta, I, 614. Ejus stupri ultio, *ibid.*

Diocletiani et Maximiani imp. tempore qualis persecutio exiterit, II, 853, 854.

Disciplina Christiana, quid, ejusque effectus, VI, 1231. Meditatione divinæ legis acquirenda, *ibid.*

Disciplinam patris et matris audire quid, V, 682.

Disciplinam sensus discere quid, III, 871.

Discipuli munus taciturnitas et attentio, III, 995, 996.

Discioulorum Christi varia dona, I, 1076.

Discipulorum duorum ad sepulcrum Christi cursus mystice quid signif., II, 171.

Discipulorum ante Spiritus sancti adventum imbecillitas, IV, 176.

Discordia omnia peccata capitalia excedit, V, 704.

Discretio in consiliis captandis, qui consulendi, et a quibus consilia abscondenda, III, 1025.

Discretio de somniis internoscendis, III, 1005. Sex modis fiunt, *ibid.*, 1006. Unde oriantur, *ibid.*

Discretio in verbis servanda, III, 890.

Disputare de Deo an omnibus licitum, II, 297.

Dissensio inter Raban. et monachos, I, 97.

Distributio terræ promissionis Israel per varias sortes, II, 828-833.

Ditiori et honestiori nobis non facile communicandum, III, 830.

Diversitas corporis diversitatem quoque animæ prodit, II, 601.

Diversorii etymon, V, 391. Hyp. sig. Eccl., *ibid.*

Dives peccator non est honore dignus, III, 836.

Dives camelo comparatus quam significet, V, 77.

Divina humanis anteponenda, II, 1597.

Divinaculis magi, ut Ephod prophetæ utuntur, II, 727.

Divisio terræ sanctæ in decem tribus, IV, 1065, 1066.

Diviti cum paupere non convenit, et hoc despecto, ille honoratur, III, 855.

Divitiæ addunt amicos, V, 748. Injustæ quæ, earumque malum, III, 792. Cur spinis comparatæ, V, 80. Propriæ quæ, IV, 616. Neminem liberare possunt, *ibid.* Earum in S. Scriptura diversæ species quarum bonæ aliæ, aliæ malæ, III, 987. Earum incommoda, V, 725.

Divitiæ S. Ecclesiæ, III, 489.

Divitias bonitatis et patientiæ Dei non esse contemnendas, V, 1307.

Divitis sine macula encomium, V, 988.

Divitum pericula et calamitates, V, 629. Variæ eorum conditiones, I, 1021.

Docendi arguendique modus pernecessarius, VI, 364 et 365.

Docentis et auditoris munus, IV, 836.

Docere cur mulieribus prohibitum, VI, 677.

Doctori Catholico quid in docendo spectandum, I, 506 ad 513. Virtutum species vitiorum speciebus opponuntur, I, 414, 415.

Doctori vocem esse temperandam, et vitia ancipitis gladii instar incidenda, III, 641.

Doctori cavendum ne culpa eum redarguat, IV, 557

Digitized by Google

Doctorem sæpe ipsum culpa redarguit, II, 364.
Doctores Ecclesiæ plerumque perversis risui sunt, V, 966. Obscuritatem vitent, V, 1189. Munus, II, 650.
Doctrina hæret. fabula vana est, III, 898.
Doctrina per patientiam probatur, V, 740.
Doctrinæ et gubernationi sacerdotum obsecundandum esse, II, 578.
Doctrinam Christi Judæis scandalo fuisse, V, 689.
Doctrinam sanam docere quid sign., VI, 674.
Doeg obligatus interpret. et cur, III, 59. Saule mortuo se ipse interemit, III, 70. *Vide*, III, 321, 322.
Dolentium vocem cur Deus se exaudire quandoque dissimulat, V, 1217-1231.
Dolor qui Deo competat, V, 729.
Dolosorum, maxime hæret. insidias esse cavendas, III, 845.
Domestica Ecclesia quæ, II, 297.
Domestici vestiti duplicibus S. Ecclesiam signif., V, 787.
Dominatus super pisces et volucres primis parentibus pro memoria mortalit. datus, I, 460.
Dominica dies unde dicta, V, 308. Ejus sanctificatio quomodo, curque ab apost. instituta, I, 355; IV, 76. Fundatur etiam in sacra Scriptura, *ibid.*
Dominus qua ratione ad Laban locutus, I, 573. Quomodo inveniatur, IV, 380.
Domus etymon, V, 390. Superborum instabilis, V, 731. Aliena quæ, V, 679. Dei quæ, IV, 249, 250.
Domus Davidis et Saulis cujusmodi sit, III, 77.
Domus exterminata hæret. synagogam notat, III, 907.
Domus extra muros Ecclesiam gentium denotat, II, 539.
Domus Jacob quæ, II, 749.
Domus justorum Ecclesiam exprimit, V, 719. Non delebitur, *ibid.*, V, 727. Ejus fortitudo, V, 728.
Domus quomodo et quales hominibus ædificandæ, II, 541. Variæ ejus notiones, IV, 330.
Domum Domino venienti quid olim faciendum fuerit, II, 574. Et agrum, *ib.*
Dona ad Dei tabernaculum formandum qualia offerenda, II, 139, 140.
Dona primis nostris parentibus collata, III, 873. In varias gentes ac nationes genus eorum distinctum est, III, 874.
Donorum alia muniunt hominem, alia ornant, et quæ, V, 1199.
Dormire cum incircumcisis quid, IV, 827.
Dormire in itinere quid, I, 592.
Dormire qua ratione Deo conveniat, V, 919.
Doryx quid et unde cognominatus, III, 875.
Dothaim, quid signif., I, 624.
Draco dæmon. et ministros ejus signif., V, 230. Marinus percussus venenum fundit, V, 258.
Draco marinus venenum percussus fundit, V, 238.
Duæ gentes odibiles quæ, III, 1118.
Duæ rogationes Salomonis insignes, V, 774.
Duæ species periculosæ quæ, III, 960.
Duæ uxores Jacob duorum Testament. typus, III, 289. Et præsentis nostræ vitæ, *ibid.*
Dubiis sermonibus cur et quomodo Deus utatur, IV, 353, 354.
Duces in bonam et malam partem sumpti quorum typus, V, 449.
Duces singuli per singulos dies jubentur offerre munera, quodque singulorum officium, II, 650.
Duo cæci juxta viam sedentes quos figurent, V, 76.
Duo filii missi ad operand. in vin. quos popul. significe. V, 78.
Duo cor contristantis quæ, III, 948.
Duo titiones fumigantes, duorum regnorum finiendorum typus, III, 248, 249.
Duodecim boves temp. Salom. duodecim apost. figurarunt, III, 438.
Duodecim legiones Angelorum mystice quid signif., I, 1118.
Duodecim principes circa tabernaculum castra metantes aptissime patriarchas et duodecim apostolos exprimunt, II, 602.
Duodecimus mensis interfectioni Judæorum designatus novissimam ætatem sæculi exprimit, III, 665.
Duplex animo quis, III, 370. Quid illi futurum, III, 374.
Duplicatio verborum quid in S. Scriptura denotet, II, 403.
Duplici plaga num Deus feriat, V, 840.
Duplicia peccata alligans quis, III, 805.

E

Ebenus cæsa durescit in lapidem, V, 518.
Ebrietas in quo consistat, V, 770. Ejus incommoda et effectus a contrariis probantur, III, 627. Satietatem sæpe denotat, I, 641. Concupiscentiæ fautrix, V, 736. Sacerdotum et apostolorum quæ, V, 1031. Omnia vitia eam comitantur, III, 888. Levitatem gignit, *ibid.* Gaudium iniquitatum, et correptionis fastidium, *ibid.*, 889. Loquacitatem, *ibid.* Exsultationem in malo, *ibid.*
Ebrii sunt filii Belial, III, 13.
Ebrio occultanda, quæ sobrio ad correctionem patefacienda sunt, III, 65.
Ebriorum vacillantium descriptio, V, 1154.
Ebron capitur a tribu Juda, olim Cariatharbe dicta, III, 1112; V, 60.
Ebur quid signif., V, 464.
Eburneæ domus inhabitatores qui, V, 464.
Ecclesia cur dicta congregatio et cur Catholica, V, 89. Sagenæ comparatur, V, 239. Sola viam sternit ad cœlum, II, 1140. Ejus laus, sponsus Christus per Jaelem fortissimam mulierem significata, diabolum sternit, II, 1136. *ibid.*, 1113. Quibus armis et astu, *ibid.* Filia virgo est, II, 1189. Ejus adversus Antichristum victoria et arma, II. 1175. Significata per filiam Jephte sexaginta diebus lugentem ob virginitatem, II, 1189. Per sex ætates colligitur, *ibid.* Ejus portæ sunt apostoli et prophetæ, II, 1114. Fecundissima mater Spiritus sancti gratia facta, *ibid.*, 1189. Post ascensionem Domini et mortem apostolorum velut vidua fuit orbata viro et liberis, II, 1202. Ejus pro animabus zelus, *ibid.* Discretio erga filios, *ibid.*, 1203. Tribulationibus premitur, *ibid.*, 1204. Suos mysteriis Dominicæ passionis imbuit, *ibid.*, 1205. Sponsa et corpus Christi, *ibid.*, 1206 Grata et memor beneficiorum sponsi, *ibid.*, 1207, 1208. Ejus humilitas erga Christum, *ibid* Christi incarnat. ex Veteri Testam. probat., *ibid.* Ex lege spiritualem sensum elicit et confessionem SS. Trinit., *ibid.*, II, 1209. Ejus scientia et virtutes, II, 1214. Per Ruth figurata patienter incarnationem exspectat, *ibid.* Ejus preces quantum valeant, III, 612. Semper pro incolumitate suorum orat, III, 662. Et pro gravissimis peccatis, divinitusque sibi indulta potestate flagitia remittit, V, 867. Catholica quæ, undeque dicta, I, 297 et VI, 1166. Ejus tres ordines et qui, *ibid.* Ejus beneficio affecti, eidem quandoque hostes, III, 1212, 1213. Quomodo in speluncam latronum versa, V, 865.
Ecclesia simplex vestium varietate gaudet, V. 570, 597-598. Hostes et inviti veritatem illius fateri coguntur, III, 658.
Ecclesiæ et sacerdotum justis decretis immorigerus morte mulctandus, II, 902, 903.
Ecclesiæ justorum filii sunt sapientiæ, III, 776.
Ecclesiarum illustrium acceptiones, VI, 1621 (*note*).
Ecclesiarum patronorumque Moguntiacorum illustrium declaratio, VI, 1636 (*note*).
Ecclesiastes quid significet, V, 775.
Ecclesiastes et Ecclesiasticus liber ad quid potissimum deserviant, III, 363, 364. Eorum distinctio, *ibid.*
Ecclesiasticarum rerum scriptores quid ad scribendum impulerit, I, 41.
Ecclesiastici ordinis gradus quot, undeque initium duxerint, I, 301.
Ecclesiasticis cavendum ne se terrenis lucris et voluptatibus tradant, II, 639.
Edelhardus Cellerarius Rabani, ob avaritiam et eleemosynam pro defunctis non præbitam a spiritibus horrende cæditur, I, 92, 93.
Edelhardus post triduum moritur, I, 93. Apparet Rabano post obitum, *ibid.*
Edera figuram habet Judaici populi, et cur, V, 528.
Edere cum principe allegorice quid, V, 754.
Edom qualis, V, 1260. Filiæ ejus quorum typum tenent, *ibid.*
Efuæi quid docuerint, V, 95.
Egestas quid, V, 700.
Egla cur sola Davidis dicatur uxor, cum certo constet plures eum habuisse, III, 78, 297.
Eglon quid significet, V, 55. Rex Moab premit Israelem servitute quindecimali, II, 1129. Occiditur ab Aod, *ibid.* Exilis an crassus fuerit. III, 1130. Quid hebraice signifiicet, *ibid.*
Einhardus abbas ex regio senatore, VI, 1669 (*note*).
Ejecta quæ intelligenda, III, 1014.
Et nomen Dei, VI, 1593.
Elcana pater Samuelis e stirpe Levi ortus, matrem tamen habuit e stirpe Juda Ephratam, III, 77. Ejus pietas, *ibid.* 12. Uxores ejus Anna et Phenenna, *ibid*; tristatur ob sterilitatem Annæ, *ibid*; typus in pietate constantium III, 13.
Elchias Deuteronomii inventor, III, 314.
Eleazar fortitudo, V, 53; III, 16. Aliorum fortium virorum specimen, *ibid.*
Eleazarus cur filius Mathathiæ alias, alias Sauræ dicitur, III, 1174. Elephantem interficiens superborum typus, *ibid.*
Electi Israel qui, II, 135, 136. Ad erudiendum sæpe tentantur, III, 100. Vanam gloriam furtive subrepentem statim supprimunt, III, 544. Eorum pro rerum dispositione compunctiones, V, 1235. Gloria, VI, 1619. Diversitas, VI, 656.
Electorum et reproborum tentatio, V, 1197. Discrimen, IV, 198. Utrorumque conditio, IV, 196. Cur hi ad illos transire cupiant, IV, 294.
Electio Jacob et reprobatio Esau,

Digitized by Google

v, 1485, 1486. Ejus obscuritas, v, 1486. Quomodo electi et rejecti ante nativitatem, *ibid.*

Electionis signum charitas, IV, 920. Reprobationis elatio, *ibid.*

Electrum unde dictum, ejusque natura, v, 478. Redemptoris nostri typus, *ibid.*

Eleemosyna peccatum redimendum, v, 747; III, 783.

Eleemosyna qua ratione eroganda, v, 696-698. Definitio, I, 340.

Eleemosynam ut Corinthii pauperibus Hierusalem mittant adhortantur, VI, 207. Eamque dandam esse velociter et abundanter, VI, 211.

Eleemosynarum et jejunii excellentia, IV, 22.

Eleemosynarum variæ species, III, 788; I, 340. Donum eleemosynæ non protrahendum, III, 783. Ejus distribuendæ ordinate ratio, III, 807, 808, 845, 846, 877, 888, 896, 973.

Elementa creataque omnia ad Dei laudem excitantur, IV, 637.

Elementa quatuor, v, 262; VI, 317. Quomodo et quando creata, I, 446, 447.

Elephantis descriptio peccatorem designantis, v, 221.

Elephantum primus in bello usus, III, 1174.

Elevationis manuum ad Deum fructus, VI, 1098. Quid significet, VI, 1149.

Eliachim quid et quos significet, v, 67

Eliachim resurrectio typus Christi, III, 556. Ejus ad Israelitas exhortatio, III, 552; III, 606. Qualis fuerit, *ibid.*

Elias propheta impium regem Achab adorans an peccaverit, III, 568.

Elias Christum significat, III, 206. A cervis nutritus, *ibid.* Oleum farinamque viduæ apud quam hospitabatur benedixit, III, 207. Filium ejusdem suscitans pulcher Christi typus, *ibid.* Hospitæ increpatione non exasperatur, *ibid.* Aram exstruens Deo sacrificans siccitate pulsa, aquam copiose impetravit, III, 208, 209. Ejus orationis efficacitas, III, 209. Baal prophetas interfecit, *ibid.* Multa pietate et virtutibus clarus mortem a Domino petlit, III, 210. Dormiens ab Angelo excitatus, III, 211; quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunavit, *ibid.* Persecutionem fugiens in speluncam se abdidit, *ibid.* Curru in cœlum aereum cur subvectus, et ubi etiamnum commoretur, III, 222. Nec uxorem, nec liberos habens, aptus Christi castissimi ascendentis figura, III, 223. Pallio aquas dividit, quæ sibi et Elisæo transitum indulsere, III, 224. Ejus laus, III, 1100, 1101.

Eliæ quomodo licuerit extra templum Dei sacrificare, cum id prohibeatur, II, 431. Ad mortem quæsitus, in lacum immittitur, v, 1078. Ab Abdemelech liberatur, *ibid.* Prædicatorum typus, *ibid.* A captivitate liberatur, v, 1085. Johannan Godoliæ mortem ab Ismael prædicit, *ibid.*

Elimelech figura Christi, II, 1201. Hebraice, Deus meus, uxorem habet Noemi, *ibid.* In Moabitide moritur, *ibid.*; et filii ejus, II, 1202.

Elisabeth dicitur Dei mei saturitas, est typus veteris legis, v, 74.

Eliseus Dei mei salus interpretatur, v, 67; III, 215. Ejus laus, III, 213. Interfecturus fugientes gladium Jehu qui intelligendum, *ibid.* Eliæ rapto cur duplicem spiritum ejus postularit, III, 223. Pallio Eliæ relicto, altera vice scidit, III, 224. Solis adminiculo aquas Jerichontinas malignas sanavit, III, 225. Pueri ei illudentes ab ursis devorati, *ibid.* Christi typus, *ibid.* Moriturus Joæ regi sagitta emissa victoriam contra Syriam promittit, III, 243, 244.

Eliud significat doctorem superbum, v, 50.

Ella fluvius, v, 321.

Ellanos provinciæ duæ, v, 344.

Eloquenti quid servandum, I, 408. Aliud forensi, aliud ecclesiastico, *ibid.* Materiæ se accommodare debet, *ibid.* Eloquenter et sapienter dicere quid, I, 412.

Eloquium cur pluviæ adæquetur, VI, 1149.

Elucidare sapientiam quid, III, 941.

Eman qui vocatur frater ejus cantor David, v, 70.

Eminentia Creatoris relucet in cœlorum ornatu et pulchritudine, III, 1070. Et sole, *ibid.*; luna, *ibid.*; stellis, III, 1071; iride, *ibid.*; nive, grandine, tonitru, nebula, III, 1072, 1073; et in gelu ab aquilone Creatoris vis elucet, III, 1075, 1076.

Emissiones fulgurum quid, III, 691.

Emptor semper vituperat, v, 744.

Encæniorum festivitas quando et cur instituta, III, 1161; IV, 74; I, 358. Novi Testamenti encænia Vet. prævalent, *ibid.*

Enoch quid significet, v, 33. Cur in cœlum aereum translatus et non subvectus dicatur, et cur non obierit, III, 225; VI, 791. Quomodo juxta fidem mortuus, VI, 223. Christi typus in cœlum ascendentis, VI, 794. Ejus encomium, III, 1084.

Enos dicitur homo vel vir, v, 32.

Enydros crocodili hostis, v, 232.

Ephi quid, II, 286. SS. Trin. et Incarnationis typus, II, 287, 298, 676.

Ephod a Gedeone ex inauribus Madianitarum quid fuerit, vestis, an parum aurum, an statua, II, 1168. In eo fornicatus est populus cum Gedeone, *ibid.* Ephod verbum erat vestis summi sacerdotis, *ibid.* Diversum erat Samuelis Ephod, *ibid.* Quid significet, III, 64. Duplex in veteri lege, III, 20.

Ephraim allegorice Ecclesiam gentium significat, vincentem malignos spiritus, II, 1144. Cur columbæ et non aliis avibus comparatus, v, 1102. Interpretatur augmentum, v, 49.

Ephraim hebraice, fructificatio, III, 14.

Ephrata cur civitas David dicta, v, 345; alia diversarum regionum et civitatum vocabula, *ibid.*

Epiphaniæ etymon, IV, 18. Cur instituta, *ibid.* Munerum eo die oblatorum expositio, *ibid.* Ejus celebritas, I, 344. Unde dicta, *ibid.*

Episcopi aliquot Mogunt. ex primis recensentur, agricolas imitantur, II, 1252.

Episcopi aut clerici nomen neminem juvare, v, 901.

Episcopi nomen et officium, v, 85. Creandi ritus, I, 299. Ordines eorum tripartiti, *ibid.* Unde dictus, I, 301. Ornamenta et epitheta, VI, 1609. Qualitates, III, 21; VI, 597, 661. Unius uxoris virum esse debere quomodo intelligendum, VI, 661. Cur presbyteri olim dicti, VI, 597. Eorum divisiones, VI, 605. Dispensatores, non imperatores Christi esse, VI, 661. Castitatem debere sectari, VI, 667.

Episcoporum ornamenta et epitheta, VI, 1599.

Epistola Hunberti episcopi ad Rabanum, II, 1107.

Epistolam Pauli ad Philemonem cur aliqui rejiciant, II, 1134. Ad Romanos in quem finem scripta, v, 1258.

Epitaphiorum, variarumque altarium et ecclesiarum inscriptiones, VI, 1632. Fusissime virorum item illustrium, VI, 1670, 1671.

Epulum cur Abraham non in die circumcisi, nec nati, sed ablactati Isaac fecerit, I, 562

Equi quos signif. in Scriptura, v, 943. Eorum ascensores qui, II, 68. Mare turbantes qui, VI, 1128. In bonam et malam partem interp., v, 314.

Equites qui boni, qui mali, v, 214, 215.

Equum et ascensorem in mare dejicere quid, VI, 1105.

Equum inter et mulum discrimen, v, 613.

Eradicatio plebis Judaicæ, v, 1235.

Erebi notio, v, 374.

Eremitarum et monachorum perfectorum laus, v, 1227.

Ergasterium et ergastulum quid significent, v, 495.

Ergastulum Ægyptiorum mystice tentationes sign., II, 30.

Ericius et Erinacius idem animal, *vide* quid significe., v, 295 et 297.

Ermaphroditæ gignunt et pariunt, v, 196.

Erubescendum quomodo sit de peccatis, III, 1061.

Erubescentia laudabilis et vitiosa quæ, IV, 615.

Erubescentia quale signum, IV, 615, 690.

Eruca quem denotet, v, 236, 258.

Esau trimonius, v, 36. Quomodo dicatur habitasse in monte Seir, cum frater Jacob eum inhabitaverit, I, 619. Quid hebr. sign., II, 1136. Typus populi Judaici, *ibid.*, et II, 1139. Cur totus rufus et hirsutus, I, 582. Venator gnarus, *ibid.* Jacob fratri primogenita sua vendens quos denotet, I, 585. Malo spiritu ductus fratri mortem intentavit et qui prohibitus, III, 717.

Esdras idem quod adjutor, v, 70. Qualis fuerit, II, 311.

Esram, Jether, Mereth, etc., quales fuerint, II. 305.

Esse soli Deo convenit, v, 1044-1046. Non potest in hac vita a nobis videri, III, 420. Quale, v, 1138.

Esther, quæ absconsa interpretatur, v, 66, genitum Ecclesiam designat, III, 446. Jejunio et orationi vacans interitum a Judæis conatur avertere, III, 633.

Ethan qui vocatur robustus enter David, v, 70; III, 312.

Ethnici, qui ex creaturis Deum cognoscentes, illius cultum a se abjecerunt, colendo creaturarum imagines merito a Deo deserti, et in pœnam illius in abominanda scelera prolapsi, III, 338, 720.

Eubionitæ S. apost. Paul. e catalogo apostolorum cur rejecerint, I, 918. Eorum hæresis, VI, 337.

Eucharistiam indigne sumentis gravitas, eamque digne suscipiendi ritus, VI, 103.

Eugenia (S.) inter monachos, eorum habitu sancte vivens proditur, tandemque martyrii corona donatur, IV, 256.

Euphrates fluvius, v, 321.

Eunomii de Patris et Filii cognitione error, III, 88.

Eunuchi ab ingressu Ecclesiæ prohibiti melliter viventium figura, II, 929; quales fuerint, III, 407; tria genera, I, 1018.

Eunuchi Assuero mortem intentantes, Scribarum et Pharisæorum Judæorum typum tenent, III, 630, 631. Item hæreticorum et schismaticorum, III, 631.

Eunuchorum Pharaonis in carcere Joseph somnia interpretatur, alterum officio restituendum, alterum suspen-

Digitized by Google

dio puniendum prædicens, quæ in Pharaonis natalitio contigerunt, I, 633, 634.
Europa qualis, V, 347. Unde dicta, *ibid.* Ejus divisio, *ibid.*
Eutychianorum hæresis impugnatio, II, 1176.
Eva liber. quid sign., V, 31. Cur Adæ in adjutorium facta, I, 482. Mystice quid significet, I, 484. Ex latere facta Christi typus, *ibid.* Blanditiis et dolo serpentis seducta, II, 1148. Ea nondum facta, cur masculus et femina perhibetur, I, 474.
Evangelicæ actiones pulchræ, V, 695. Ejus veritas a proph. indaganda, II, 1138.
Evangelico sermone procellæ mundi fluctuantes componuntur, III, 1078.
Evangelistarum concordantia, IV, 310.
Evangelium dum recitatur cur surgendum, quisque istius rei auctor, V, 823.
Evangelizantium excellentia, V, 1292, 1514.
Evilach quid, I, 478.
Exaltari in carminibus quid, III, 361.
Exaltari super tecta quid sign., II, 752.
Excelsa terra quæ, VI, 1139.
Excidii et vastationis Jerosolymitanæ urbis copiosa descriptio, III, 569.
Excommunicatio in Ecclesia agit quod olim interfectio, II, 938. Ejus utilitas, V, 908.
Excubiæ Levitis demandatæ, II, 695.
Excusando culpam peccatum augemus, I, 493, 494.
Exemplar templi unde exstiterit, III, 411.
Exemplum rectoris quid valeat, VI, 1390.
Exodi liber quid contineat, V, 111, 1024.
Exomologesis unde dicta, I, 766. Ejus variæ species, *ibid.* Quomodo a litaniis differat, *ibid.*
Exorcistæ munus, interpretatio et finis, V, 93, 156. Rex Salomon primus inventor, *ibid.*
Expertorum seu tentatorum laus, III, 1007.
Expiatio sanctuarii per sanguinem hirci atque vituli quomodo facta fuerit, II, 423.
Expiationum solemnitas celeberrima instituta, II, 509, 510. Quid figurarit, *ibid.*
Exploratores Assyriorum curiosos scrutatores designant, III, 566.
Exploratores duodecim quos præfigurent, V, 54.
Exploratores missi in terram promissionis, et quæ ibi sint gesta, II, 666, 667. Palmitem cum botro, aliisque fructibus in fertilitatis signum referunt, II, 668, 669. Scribarum et Pharisæorum typum tenent, *ibid.* Omnes, excepto Caleb et Josue, obmurmurant et desperant, II, 669, 844. Eorum duplex genus, IV, 775.
Exprobratio beneficiorum præstitorum, et exaggeratio iniquitatum Judæ, III, 495.
Exprobratio Christi ob impœnitentiam civitatum, IV, 442.
Exstasis quid, V, 1330.
Exterminator quis, III, 617.
Externa correptio, interna sæpe correctio, V, 746.
Extraneus quis, III, 818.
Extremi judicii elegans descriptio, III, 1049.
Ezechias typum gerens Salvatoris cur fortitudo Domini dicatur, V, 63. Serpentem æneum frangens, multos idololatriæ abusus tollens Christum præfigurabat, III, 252. A Sennacherib bello pressus, culpam agnoscens, veniam precari dedignatur, *ibid.* Ejus humilitas et prudentia, III, 253. Isaiæ preces pro se ad Dominum Deum postulat, *ibid.* Ejus pietas, III, 256. Ne triumphis et victoriis deportatis efferretur infirmitate visitatur, III, 258, 763. Magni ipsius fletus in agone causæ diversæ, III, 260. Filius Davidis cur appellatus, *ibid.*, 261. Vita inexspectanti prolongatur, *ibid.* Miracula quæ eo reviviscente contigerunt, III, 261, 262. De ejus domus gradibus error., *ibid.* Ejus encomium et pietas, III, 517.
Ezechiel fortitudo Domini interpretatur, V, 67. Ejus quatuor animalia quid notent, *ibid.* Quando prophetiam scripserit, V, 1021; IV, 750. Cum nihil adhuc dixisset, quomodo in tricesimo anno factum esse exordiatur, IV, 497. Contra adversarios a Domino roboratur, IV, 554, 555. Librum ostensum cur comedere et non bibere jussus, IV, 561. Cur a sinistra in dexteram partem vertere se prohibeatur, IV, 595. Cibum potumque in futuram famem stercore humano textum præparat, et qualem, *ibid.* Vasa transmigrationis colligens, et faciem velans Christi figura, IV, 647. Eodem cum Jeremia tempore prophetavit, *ibid.* Gloriam Domini vidit, IV, 957.

F

Faber unde, fabrilisque ignis virtus, V, 538.
Fabiani (S.) martyrium, IV, 1128.
Fabri allegorice qui intelligendi, *ibid.* Eorum varia instrumenta, *ibid.*; V, 559.
Fabricæ inventor Dædalus, V, 560.
Fabri ferrarii ab Israelitis omnibus region. proscripti et cur, III, 272.
Fabri nocte et die laborantes prædicatores verbi divini interpretantur, III, 1035, 1036.
Faciei divinæ privatio pœna gravissima, VI, 1142.
Faciem cornutam Mosis sine velamine Israelitæ intueri non possunt, II, 239.
Faciem Dei cum ipse Deus neminem vidisse affirmet, quomodo Jacob facie ad faciem viderit, I, 612. Item Moses, II, 230-234.
Faciem Esau quomodo Jacob tanquam vultum Dei vidisse se dixerit, I, 613.
Facies a proximo non est avertenda, III 1061.
Factores, non auditores verbi justificari, IV, 219.
Falco, V, 253.
Falecq interpretatur divisio, V, 55.
Falsorum amicorum objurgatio, III, 1024.
Falx Saturno cur affingatur, V, 428. Prædicat. verbi divini denotat, V, 611.
Fames qualis tempore Elisæi fuerit, III, 229.
Fames verbi oritur sæpe ex paucitate doctorum, III, 1199. Ea apud Judæos fuit, *ibid.*, 1200.
Famis angustia, V, 1381 *ad* 1389.
Fana unde dicta, V, 391.
Faran quid, VI, 1115.
Fascinatio quid, VI, 282, 283.
Fasti quid, III, 403.
Fati signif., V, 453. Ejus trina distinctio, *ibid.*
Fatuum Dei esse mystice quid sign., V, 881.
Fatuus quis, V, 724.
Favillas de fornace spargere coram Pharaone quid, II, 39.
Febre quando, et quomodo Deus percutiat, II, 955.
Felicitas justorum, qui ab impiis hic contempti et a Deo probati fuerunt, III, 682.
Felix mandatorum Dei viam currens, III, 835.
Femina ad imaginem Dei facta, I, 461.
Feminæ ubi quinquennes concipiant, V, 197.
Feminalium usus, II, 205. Quibus præcipiantur, *ibid.*
Feminas in ministerio Ecclesiæ constituendas esse, V, 1605-1606.
Femur percutere quid designet, V, 1037.
Fenestræ obliquæ cur in templo factæ, quidque mystice designent, IV, 918, 919.
Fenestræ quinque sensib. comparantur, V, 401.
Feræ gentilitatem signant, V, 201.
Feretrum litter. et mystice quid, V, 607.
Feriæ tabernaculorum in quem finem et quando indictæ, II, 511. quib. ritib. peragendæ II, 511, 512.
Fermentum laudis immolare quid, II, 50.
Fermentum Pharisæorum et Herodis quod, I, 988. Ejus verbi notio, VI, 924.
Ferrum unde dictum, V, 480. Mystice quid signif., *ibid.*; VI, 924.
Festa apostolorum, martyrum, reliquorumque sanctorum quare, quemque in modum peragi debeant, I, 358. Quo cultu, *ibid.* Missæ quando super eorum corpora primum celebratæ, *ibid.*
Festinatum certamen vitiosum, III, 970.
Festivitas indesinens quæ, IV, 1050. Quando celebretur, IV, 1032.
Festivitas tabernaculorum mystice quomodo sit celebranda, II, 899, 900.
Festivitas Salom. et Israelit. templo perfecto, III, 186. Hujus festivitatis celebratæ insignis allegorica signific., III, 187, 484.
Festivitates Christianorum et Judæorum, V, 507.
Festivitates veterum quæ, undeque originem duxerint, I, 359, 360.
Festucam cur quis citius in fratris, quam trabem in proprio oculo videat, IV, 519.
Fetus gemelli duo charitatis præcepta, V, 200.
Fetus qui formetur, V, 176.
Ficta humilitas hæreticorum, III, 893.
Ficulneæ cur Dominus maledixerit, IV, 330.
Ficus Synagogæ Judaicæ figura, I, 1044; VI, 1129. Unde dicta, V, 182.
Fide quæ miracula in Vet. Testam. contigerint, VI, 803.
Fidei catholicæ rhythmica descriptio, V, 1609.
Fidei operantis manifesta declaratio, V, 1263; VI, 735.
Fidei, spei que encomium et necessitas, VI, 1525.
Fidejussori gratia habenda, fidesque servanda, III, 976.
Fidelium laborum quis scopus, III, 668.
Fidelium numerus, altero longe inferior est, II, 772, 773.
Fidelium raritas, V, 827. Vera quando exstiterit, *ibid.*, 840, 871.
Fidem cathol. in baptis. professam non deserendam esse, III, 806.
Fidem in sanctos habere quid sign., V, 1262; VI, 761.
Fidentes Deo opera ad salutem necessaria non negligant, I, 609.

Digitized by Google

Fides quid sit, *vide* Religio, v, 90.
Fides certissima quæ, i, 369.
Fides est fundamentum perfectionis, vi, 747. Ejus definitio et commendatio, vi, 788.
Fides et obedientia Abrahæ in filii sui præcepta immolatione probatur, sed ab ipsius immolatione ab angelo prohibetur, i, 566, 567. Angelus hic quis fuerit, i, 567. Mystice quid denotet, i, 568, 569.
Fides omnium virtutum fons, iv, 906, 909. Certissima quæ, i, 369.
Fiducialiter ambulare quid, v, 696.
Fiducism in terrenis paupertatem operari, iii, 838.
Figuli doctorum Ecclesiæ typum tenent, iii, 1036, 1037.
Figuli habitantes in plantationibus et sepib. sanct. doctorum typum tenent, iii, 306.
Figuli vasa Jeremiæ ostensa quid figurarint, v, 955.
Filia Pharaonis typus Ecclesiæ gentium est, v, 52.
Filia sacerdotis fornicaria flammis exurenda, et cur, ii, 476. Alicui de populo nubens sacrificiis non vescetur, ii, 492.
Filia sollicite custodienda, iii, 1066.
Filiæ hominum quæ dicendæ, i, 512. Item Christi et Ecclesiæ, iii, 750.
Filiæ Sarphad hæreditatem inter cognatos Patris obtinentes mystice quos exprimant, ii, 774-775. Intercessione principum, proximis ils nubere cur concedatur, ii, 836.
Filias esse elocandas, cui, et cur, iii, 808.
Filii in Scriptura quatuor modis appellantur, v, 187. Puellarum qui, iii, 585. Israel qui, iii, 288, 289.
Filii Cinei Moysis cognati cum filiis Juda habitant, ii, 1114.
Filii quomodo ob delicta patrum in tertiam et quartam generationem puniantur, v, 104.
Filii Israel mortuo Josue consulunt Dominum, ii, 1111.
Filii Israel qui Ægyptum sunt ingressi, ii, 9. Apostolorum figura, ii, 11.
Filii pinguedinis seu Basan qui, vi, 1140.
Filii Salma, etc. Quomodo corona domus Joab, iii, 295.
Filiis Ruben, et Gad, et dimidiæ tribui Manassæ portio datur trans Jordanem, modo fratres suos in terram promissionis præcedant, ii, 803 *et seqq.*, 853, 854.
Filiorum delicta num parentibus justis imputanda, vi, 664.
Filiorum Isachar eruditio et officia, iii, 336. Christi typus, *ibid.*
Filiorum Israel cur opera, de officiis vero levitarum opera operum dicatur, ii, 614.
Filios ac filias Jacob, cur Laban suas dixerit, i, 606.
Filios spirituales æque atque carnales a patribus in disciplina esse educandos, iii, 981. Quam sit perniciosum nimium illis indulgere, *ibid.*
Filius Dei quædam habet nomina ex substantia divinitatis, quædam ex dispensatione humanitatis, v, 19. Explicantur, *ibid.* Ascribuntur ei et membra corporalia, *ibid.* In omnibus Patri coæqualis summum est bonum, ii, 327; iii, 701. Splendor lucis, et speculum sine macula, *ibid.*, 702. Patris verbum, *ibid.* Lumen absque tenebris, *ibid.* Ab æterno in consilio Dei prædestinatus fuit, iii, 765. Cur creatus alias, alias genitus dicatur, *ibid.*, 766. Cur ex muliere factus commemoretur, cum virgo fuerit, vi, 515. Quomodo diem judicii ignorare dicatur contra quosdam hæret., v, 1436. Cur in similitudinem carnis peccati venerit, i, 1077.
Filius succrescens Joseph Christum præfigurat, i, 665.
Filius hominis in singulari in bonam, plurali in malam partem suscipitur, iv, 807.
Filius hominis cur toties Ezech. a Deo vocatur, iv, 889. Oculis suis, et auribus suis cur attendere jubetur, *ibid.*
Filius myst. quos denotet, vi, 926. Et filia, *ibid.*
Fimbriæ quid, v, 580. Incarnat. Dom. typus, *ibid.*
Fimbrias ac vittas per quatuor angulos palliorum ponentes Israelitæ mandatorum Dei recordabantur, ii, 680. Allegorice quid significet, *ibid.*; ii, 926.
Firmamentum quid ejusque materia, i, 449. Ejus nomine qui intelligendi, quando factum, i, 44.
Fines Japhet Africa, iii, 605.
Finis quid mystice denotet, vi, 932.
Fiscus quid, v, 604.
Flagella Domini quare, v, 908.
Flaminii Ducis Roman. et meretriculæ facinus, i, 960.
Flamma quid, vi, 921.
Fletus super montes, et lamentatio super speciosa deserti mystice quid sign., v, 872-873.
Florentis virgæ effectus et finis, iv, 611, 612.
Floris signific., vi, 929.
Flumina Ægyptiorum cur in sanguinem versa, ii, 34. Cur iisdem comparentur, v, 1099.
Fluminis interpret. mysticæ, vi, 953.
Fluminum duo genera et significationes variæ, v, 318.
Fluminum varia nomina et explicat., *ibid.*
Fluminum præcipuorum variæ sign., iv, 1056.
Focus unde dictus, v, 605.
Fœdus et juramentum Israelitarum cum Domino, ii, 961.
Fogor unde dictus, v, 359.
Fons irrigans universam superficiem terræ quid significet, i, 472-474.
Fontis perpetui inter et cisternas discretio, v, 814.
Fontis variæ interpretat. mysticæ, v, 317; vi, 929, 1156.
Foramen quid, vi, 930.
Forensium causarum diversæ explic., v, 544, 545.
Fores inter et valvas discrimen, v, 589.
Forficis etymologia bifaria, v, 610.
Forma et divitiis non oportet abuti, iii, 615; iv, 676.
Forma amicitiæ colendæ, iii, 779. Inter quos esse debeat, *ibid.* Ejus consequendæ gradus, *ibid.*
Formatus infans quis, ii, 114.
Formicaleon infestat formicas, v, 227.
Formicæ descript. et signific., v, 227.
Formidolosos ad bellum non esse mittendos, ii, 911.
Fornicatio an sub præcepto mœchiæ contineatur, ii, 933. Ejus pœna et gravitas, v, 707. Ejus genus pessimum idololatria, iii, 738. Spiritualis quæ, iv, 683. Exaggeratio, *ibid.* Ejus medicina, *ibid.* Descriptio et species, vi, 1375.
Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit mœnia, iii, 1093.
Fortitudinis definitio, et utilitas, iv, 1116, vi, 1562.
Fortunatarum insul. situs et descriptio, v, 581. Cur paradisum eas aliqui putaverint, *ibid.*
Forum unde dictum, ejusque species, v, 544.
Forus quid signif., v, 586.
Fossa typus damnatorum, Dæmonis et Antichristi, v, 409.
Foveam faciens in eam incidet, iii, 660, 669.
Fractione panis quid Christus designarit, i, 984.
Framea quid, v, 557.
Francorum gemina nomina, vernaculum et latinum, vi, 1592.
Fraternæ charitatis commendatio, v, 758; i, 830-844. Correptionis methodus et veniæ elargiendæ, i, 1011, 1012.
Fratres Christi secundum carnem qui, vi, 622, 623.
Fratres Josephi annonæ charitate pressi in Ægyptum confugiant, i, 631. Eorum ad fratrem deprecatio et excusatio, i, 640.
Fratres Rebeccæ ad Isaac transeunti bene precantur, i, 573.
Fratricidam Cain cur Deus occidi vetuerit, i, 505, 506. Ejus septem peccata quæ, *ibid.*
Fratris animam cur Deus ex manu hominis requirat, i, 524. Quid hoc nomine notetur, vi, 921.
Fraus tripliter committitur, v, 1114. Diaboli quod, v, 1089.
Freculphi Epistola ad Rabanum, i, 439.
Frenorum etymon, v, 612. Tribuli quæ, ii, 31.
Freti significatio, v, 315.
Frigora nivis duritiem cordis sign., v, 712.
Fructus arborem, sermo virum prodit, iii, 962.
Fructus divini amoris quales, v, 694.
Fructus lucis qui, vi, 450.
Fructus terræ cur conditi, ii, 992.
Fructus dignus pœnitentiæ quis, i, 770.
Fructus oris quis, v, 721. Quid sig., vi, 937.
Fructuum, arborumque varia genera, v, 311, 312. Earum litter. et typicæ acceptiones, *ibid.*, 512, 513, 514 *ad* 523.
Fructuum spiritus copiosa explicatio, vi, 358.
Frui et uti quomodo differant, iv, 151.
Frumenta quæ dicantur, v, 304. Eorum genera et typicæ interpret., *ibid.*
Frumentum abscondentes, et vendentes quid exspectare possint, v, 718.
Fucus spuria apis, v, 256.
Fuga Moysis post cædem in Madian, Salvatoris nostri Judæos deserentis, gentesque vocantis typum habet, ii, 17, 18.
Fuga impii et securitas justi, iii, 1194.
Fugam in hieme vel sabbato fieri quid, ii, 277.
Fugitivus servus hominem diabolice aut peccatorum pondere pressum denotat, ii, 933.
Ful quomodo Ruben dicatur transtulisse ad tribum Manasse, cum et sibi id Salmanassar regi ascribatur, iii, 310.
Fuldensis monaster. conditor S. Bonifacius, i, 43. Situs et constructio *ibid.* Prædia, eorumque distributio,

Digitized by Google

I, 44, 54. Tempore Rabani centum et quinquaginta monachos aluit, V, 175.
Fuldens. monachi laborib. manuum suarum vivunt, *vide ibid.* eorum vitæ austerit. et studia, I, 75. Vino et carnibus abstinent, *ibid.*, 82.
Fulgor virtutum in sola Ecclesiæ unitate resplendet, III, 648.
Fulgura divinos terrores significant, V, 277.
Fulgura et coruscationes in monte factæ, quid figuraliter denotent, II, 91-95.
Fulica avis, V, 248.
Fumi significatio, V, 271.
Functiones non per ætatem decernendæ, VI, 619.
Funda et fundibularii unde et quid, III, 611. Lyrani de hujus nominis interpretatione somnium, *ibid.*
Funda instrumentum bellicum quid, V, 541.
Fundamentum quid, V, 400. Allegorica ejus signif., *ibid.*
Funebris sermo in vigiliis defunctorum, IV, 128.
Funeribus civium quibus sacerdotibus interesse liceuerit, II, 473.
Funes unde cognominati, V, 556.
Funiculo quomodo David populos mensus dicatur, III, 94. Allegorice quid, *ibid.*
Funiculus hæreditatis mundi tortuositatis typus, III, 535.
Furesei vita, VI, 180.
Furem nocturnum libere licet occidere, II, 118.
Furiæ quales, V, 434.
Furor mitis Christi discipulo indignus, III, 790.
Furti et sacrilegii pœnitentia ex conc. Tolet. et ex sententia aliorum Patrum. *ibid.* Item conc. Elib., VI, 1413.
Furti lex in Exodo cum duplum restituere jubeat, quomodo hic caput et quintam exigat, II, 618.
Furtum an sine læsione possit committi, II, 447.
Futura contingentia quomodo Prophetæ prænuntiant et Deus prævidet, IV, 552, 852.

G

Gaal oppugnat Abimelech, III, 1174.
Gaas quid, V, 551.
Gabaon quid, III, 415.
Gabaonitarum occisio trium annorum famem causat, III, 112.
Gabaoth urbs fuit duplex, III, 288.
Gad quid portendat, V, 45.
Gaddi milites leonibus et capreis comparantur, III, 332.
Gadis ubi, V, 351.
Gagates vis mira, V, 463.
Galaad quid, V, 360. Typus sanctæ Scripturæ, *ibid.* Ejus distinctiones, *ibid.* Synag. Judæor. notat, II, 1146. Alias notiones, II, 161.
Galatarum ab Evangelica veritate velox translatio, II, 1186-1188. Ejus detestatio, VI, 254. Cur insensati dicti, VI, 282. Eorum in Paulum affectus, VI, 324. Ab apost. quomodo geniti, VI, 326.
Galbanus quid, III, 934.
Galgal situs, V, 368. Samaritanorum de hoc loco error, *ibid.*
Galilæa unde dicta, V, 339. Ejus divisio, *ib.*, variæ ejus sign. mysticæ, *ib.* V, 541.
Galilæorum dogma, V, 85.
Galilæa unde dicta, V, 344.
Galli a candore populi dicti, V, 350.
Gallina, V, 248
Gallinarum pullos foventium natura, I, 1075.
Gallus quos significe., V, 248.
Gallus succinctus lumbos quid, V, 778.
Ganges qui et Phison, V, 320.
Garamantis descriptio, V, 352.
Gastrimargiæ effectus, II, 867.
Gaudii cœlesti encomium, III, 270.
Gaudium solidum ac verum a et in solo Deo, item a cruce Domini nostri, III, 16. In calamitatibus gaudent justi, *ibid.*
Gaza Evæorum, olim Cappadocum urbs, postea in ea fuere gigantes, III, 29. Funditus subversa, sed alia ejusdem nominis exstructa, *ibid.*
Gaza quæ civitas, V, 1110. Quomodo in quodam Proph. dicatur futura in tumolum sempiternum, *ibid.* Unde dicta, V, 378.
Gazophylacii etymologia, IV, 922. Ejus descriptio, *ibid.* Signif. typica, IV, 945, 957, 959, 981, 982.
Gedeon quid signif., V, 56. Ad Dominum clamat querens populum a Madian oppressum, II, 1156. Dux contra Madian præfuit, *ibid.* Mille ante vocationem Dei militibus præfuit, *ibid.* Angelus ei apparet, et victoriam de Madian spondet, *ibid.* Offert sacrificium coram Angelo, *ibid.* Idque succenditur igne ex petra exsilientes, *ibid.* Angelus Dei esse ex eo ostento agnoscit, *ibid.* An legitime et sine pectore sacrificium extra Silo offerat, an et alii, II, 1157. Figuram gerit Christi in sacrificio quam obtulit, II, 1157, 1158. Occidit principis sui gentilis taurum, et alium septennem, *ibid.* Cujus rei figura, *ibid.* Convocat omnes tribus Israel, II, 1159. Deo fidit, signum tamen victoriæ quærit, nec in eo peccat, *ibid.* Videt in mysterio Judæorum reprobationem, gentium vocationem, *ibid.* Mittit nuntios ad Ephraim pro occupando transitu aquarum contra Madian, II, 1166. Necat Oreb et Zeb, *ibid.* Potitur Sorhot. ac Turre Fanuel, oblatum a Judæis imperium recusat, petit quinque inaures et quidquid collectum a Madian ornamenti, unde Ephod factum, II, 1167, 1168. An peccarit faciendo Ephod, *ibid.* In eo fornicatus est, *ibid.* Vitæ suæ extremo tempore, *ibid.* Jerobaal est dictus, II, 1170. Habet filios Abimelech ex concubina, moritur plenus dierum, *ibid.* Filii et uxores quid mystice, II, 1170, 1171. Propter Ephod erectum periit omnis ejus soboles, II, 1171. Peccavit petendo signum a Domino, II, 1182. Ejus vellus completum et arca cujus rei typus, II, 1183. Laudatur ab Apostolo, *ibid.*
Gehennæ cum præsentis vitæ luxu comparatio, VI, 1318. Ejus timor quantus esse debeat, *ibid.* Ejus nomen unde, I, 901.
Gelboe montes Davide maledicente exaruere, V, 380.
Gelu et frigus præsentis vitæ calamitates notat, VI, 1155.
Gemmarum nationes, et genera, V, 464.
Genæ Salvatoris quales, V, 151.
Genealogia Adam usque ad Abraham, III, 281.
Genealogia filiorum Esau, I, 618.
Genealogiæ Christi enarratio, I, 731, 744; IV, 458. Sanctarum mulierum cur in ea nulla mentio, *ibid.* Genealogiam cur Matth. in principio, Lucas vero post baptismum posuerit, *ibid.* Matth. ab Abraham, et Lucas a Christo cur inchoaverit, *ibid.* Variæ inter eosdem difficultates et contrarietates conciliantur, *ibid.*
Genealogias et fabulas non esse attendendas, VI, 582 et II, 689.
Generatio Abrahæ, I, 531.
Generatio casta Catholici, et cur, III, 685. Ejus felicitas, *ibid.*
Generatio filiorum Jacob ex duabus uxoribus, I, 596-602.
Generatio prava quæ dicatur, VI, 1135. Ejus detestatio, V, 1094.
Generationes ab Adamo usque ad Christum quot, I, 509.
Generationes duæ explicantur, quarum prior Judæis, Patri; altera hæreticis, Filio maledicentibus concinne aptatur, V, 776.
Generationes cœli et terræ mystice quæ, I, 470, 471.
Genesis quam histor. complectatur, V, 111.
Genistæ, quid significant, V, 95.
Gens unde dicta, V, 437.
Gentiles plus argentum et ornatum in suis idolis exspectabant, quam Divinitatem venerabantur, III, 733. Non tantum aurum sed et vasa fictilia coluerunt, III, 745.
Gentiles qui cognominandi, V, 486.
Gentiles rimantur divinas litteras, ex iisque famem sedant, II, 1209, 1210. Christo gratia donantur, *ibid.* Ad fidem vocati post passionem Christi, II, 1211, 1212. Jubentur legem antiquam scrutari et vaticinia de Christo, II, 1212. Christo se submittunt, *ibid.* Duplicem ab eo misericordiam accipiunt, *ibid.* Posteriores Judæis tempore non gratia, II, 1214. Fidem mox a passione Christi amplectuntur, II, 1216.
Gentilium conversorum constantia, II, 1204. Per Ruth elicientem ex spicis hordeum, II, 1206-1209.
Gentium de gratia Dei accipienda promissiones, V, 1596.
Gentium diversarum explicatio, et partitio, V, 438 ad 445. Sancta quæ, II, 89. Sine consilio quæ, VI, 1145.
Gentium et idololatrarum societas graviter Israelitis inhibetur, II, 256, 257.
Gentium ortus, et progressus, V, 437.
Genua Deo flectenda, II, 1121. Qui id faciant, qui non, *ibid.* Genua alia corporis, mentis alia, *ibid.*
Genus electum, quod, V, 432.
Geometriæ usus et definitio, I, 400.
Geon fluvius, V, 319.
Gerasa quid, I, 866.
Gerazarim mons electos; Gebal vero reprobos signif. et cur, V, 360.
Gerboh quid, V, 1601, 1602. (*Note.*)
Germaniæ situs, descriptio et fertilitas, V, 348. Ejus distinct., *ibid.*
German. nullus ante Raban illo plura scripsit, I, 85.
Gerundiorum natura et qualitas, V, 854.
Geryon Hisp. Rex quale monstrum, V, 197.
Geth urbs Palæstinæ ubi sit sita, III, 29.
Getsemane loci situs, V, 370. Oratorium Christi ante Passionem, I, 1110.
Gigantes cur terræ filii dicti, V, 197. Eorum habitatio, V, 376. Qui censendi et quomodo iis resistendum, II, 670. Quomodo ex hominibus potuerint nasci, hæret. comparantur, IV, 827.
Gigantes in Chananæa vastissimi, III, 1112. Relicti vero non occisi, *ibid.*
Glacies duritiem peccatorum signat, V, 327.
Gladius quid sign. ejusque diversa genera, V, 536; VI, 940. Super femur ponere quid, V, 1542.
Gladius exeuatus Hierosolymitanos percutiens, quis, qualisve fuerit, IV, 750-755. Varia eorum scelera, Ægyptios devastans cujusmodi, IV, 805.
Glandinis apud priscos usus, V, 509.

Digitized by Google

Glaucus quid, II, 336 et 886.
Glebarum terræ multiplices enarrationes, V, 457.
Glires pigros significe., V, 227.
Gloria Dei non nisi in tribulatione elucet, II, 684, 685. Cur in nube, caligine et igne sit visa, II, 138, 139. Multitudini apparens cujusmodi fuerit, II, 340. Quomodo Isaias vidisse se illam dicat, cum Ezechiel tantum similitudinem gloriæ viderit, IV, 548. Doctor., sanct. et mart. qualis, III, 664. Jerusalem quæ, III, 579.
Gloriæ honorisque variæ species, V, 1308.
Gloriæ viri et Dei distantia, VI, 100. Ejus definitiones et significationes, VI, 563. Perfectissima in sola Christi cruce, VI, 378.
Gloriandum non esse homini in propriis, II, 222. Sed in Deo, III, 354. Et cruce, III, 1132.
Glorificari quid, II, 68.
Gloriose glorificari quid, VI, 1103.
Glossæ Rabani Mauri latino-barbaricæ de partib. humani corporis, VI, 331.
Godolias quis, ejusque mystica interp., 1086.
Gog, sive Magog quis, IV, 868. Ejus etymon, *ibid.* Superbiæ typus, *ibid.* Ejus comminatio, *ibid.* Hæreticos apte denotat, IV, 871. A Proph. Domini jussu desolatio ei vaticinatur, IV, 873. Judæorum de eo fabula, *ibid.* Corpora Gog et Magog ab avibus et volucribus cœli devorantur, IV, 878.
Golgotha quid, V, 369. Locus Christi crucifixi, *ibid.*
Goliath designat Diabolum, V, 58.
Goliath cur spurius appellatus, III, 52. Ejus cum Davide congressus apte Ecclesiæ militanti confertur, III, 52. Hæreticorum typus, III, 53.
Gorgodes insulæ, earumque feminarum descriptio, V, 364.
Gorgones meretrices, V, 197.
Gotha sig. principium, V, 348.
Gozan fluvius, V, 321.
Graculi figura, V, 247.
Gradus ætatis human. mystice explicati, V, 179, 180. Sex sunt, *ibid.*
Gradus matrimonii illicitos fugiendos esse, II, 435. Variæ eorum species, II, 436-439.
Gradus timoris Domini, IV, 931.
Græcæ Ins. latitudo, animalium herbarumque pretiosarum copia, II, 355. Primo remis, sagittis, aliisque artibus claruit, *ibid.* Equestres primo turmas docuit, *ibid.*
Græcia unde dicta, ejusque Provinciæ, V, 348, 349. Cur hellenes dicti, *ibid.* Vera quæ, *ibid.*
Grammaticæ definitio, ejusque usus, I, 392. Laus, *ibid.*
Grando comminationem Dei significe., V, 328.
Gratiæ divinæ commendatio, VI, 107. Quid et quotuplex, V, 1522. Omnibus communis, VI, 681.
Greges sodalium conventicula hæreticorum significat, II, 1146.
Gregorii IV Pontificatus initium, VI, 1682. Ejus ætas bellis inquieta, *ibid.*, Ejus illustre præconium, VI, 1585. Munus ei defertur, *ibid.*
Gregorii Neocæsar. precibus mons Ecclesiæ ædific. locum dedit, I, 1044.
Grex intelligitur fidelium congregatio, V, 204.
Grex transiens ad manum numerantis quis, V, 1061.
Grillus nomen a sono vocis habet, V, 227.
Grues significant cœnobitas, V, 243.
Grunnii libri, sub nomine S. Martyris Sixti Rom. Epis. editi quibus mendaciis et calumniis scatent, V, 979, 1021.
Gryphes pecentores et persecutores significe., V, 221.
Gula quot modis homines tententur, I, 585.
Gulæ mala, VI, 1246. Parentes primos e Paradiso dejecit, VI, 1246. Quomodo devitanda, *ibid.* Non solum in cibo vinoque, sed detractione et stultiloquio committitur, *ibid.* Remedium contra eam, VI, 1370. Ejus natura et origo, VI, 1368-1370. Amatores suos ut pulsat, indicia, *ibid.* Detestatio, VI, 1375.
Gurgites adversitates denotant electorum, V, 325.
Guttæ significatio, V, 326.
Gymnasii etymon, V, 387.

H

Habacuc cur dictus amplexans, V, 69.
Habacuc quomodo dixerit se expavisse a voce orationis labiorum, cum toto cantico vix orare videatur, VI, 1128. Ejus pavoris causa quæ, *ibid.* Quid ad cantandum canticum eum impulerit, VI, 1111.
Habenti cur dandum, a non habente vero cur auferendum, I, 1092.
Habitatio quid, V, 389.
Habitatio Sion cur ad laudem Domini excitata, VI, 1094.
Habitus varia genera, VI, 489 *et seq.*
Hædi ab Isaac oblati incarnati Christi figura, I, 588.
Hædi duo in ara offerri soliti mystice quos denotet, IV, 998.
Hædus Christi typus, VI, 952.
Hædus concupiscentiæ typus, eæ immolandæ modus, II, 1158. Adest nobis Deus in pugna cum carne, *ibid.*
Hæredes Christi quomodo efficiamur, V, 1452.
Hæresis proprie quid, V, 85. Varia Judæorum, V, 85. Unde tot in Deum et Ecclesiam irrepserint, V, 415. Gulam et ingluviem ventris causat, V, 829. Nova ex veteri orta, ea est periculosior, V, 829. Eam nescius incurrens graviusne peccet, quam Idololatriam vel avaritiam consulto non deserens, VI, 448. Fugienda est, II, 1210. Agere est alienus, V, 900.
Hæretici sua malitia, non Dei voluntate aut impulsu errant, II, 1141. Nostri temporis deliramentis Gentilium utuntur, V, 405. Filii sunt orientis, II, 1154. Ecclesiam Christi prosequuntur, II, 1154. Quos maxime adoriantur, II, 1154. Cohabitatione Christian. indigni, III, 108. Ab Ecclesia alieni quot erroribus, tot idolis sunt obnoxii, VI, 1139. Negantes corporalem præsentiam Christi in Ecclesia meretrices æmulantur, V, 707. Maligno spiritu ducti in varios incidunt errores, III, 674. Panem ecclesiasticum conculcantes quos imitentur, IV, 809, 810. Figuli mendaciorum, IV, 653.
Hæreticorum astus in seducendis Catholicis, III, 58. Dissident a se invicem, III, 58. De Catholicis doctoribus in exsilium mittendis et abolendis strenue laborant, III, 42.
Hæreticorum de additione aut detractione S. Scripturæ erronea sententia, II, 856.
Hæreticorum diversas naturas, animalem scilicet et spiritalem, statuentium gravis error, VI, 259.
Hæreticorum instabilitas, II, 1218. Eorum libros non promiscue legendos, V, 705. Eorum cor duas vias ingreditur, II, 782. Eorum gressus vagi, V, 899. Eorum disputationes fugiendæ, V, 754.
Hæreticorum, in una matre et patre tres naturas statuentium figmentum, IV, 688. Syon despectores, IV, 668.
Hæreticorum Passionem Christi calumniantium gravis error, II, 919-921.
Hæreticorum superbia non tantum in Ecclesiam et proph., sed in ipsum Dominum se erigit, V, 1120-1132.
Hæreticorum Theologiæ fructus, II, 414.
Hæreticorum varia delicta, IV, 858.
Hæreticorum variorum, nominum et errorum, descriptiones, I, 371 ad 378.
Hæreticorum variorum lepra infectorum enumeratio, II, 386.
Hæreticorum versuta et Judaicorum perfidia apte draconum felli et aspidum veneno comparantur, VI, 1146.
Hæreticos communione et sepultura Ecclesiastica indignos, exemplo Oziæ, a Catholicorum cœmiteriis arcendos esse, III, 515. Item Achabi, III, 114, 515. Eorum fraudes, III, 551.
Hæreticos quandoque florere, non Christianis scandalo versatur, V, 898. Historiæ ordinem non servat, IV, 812.
Hæreticum hominem exemplo Josaphat et Achab esse vitandum, III, 490, 495.
Hæreticus post unam aut alteram correptionem cur vitandus, VI, 690.
Hagiographorum librorum enumeratio, I, 384.
Hai quid et ubi, I, 536.
Hamus piscator, significat divinitatem Christi, V, 240. Item Dæmonem, VI, 947.
Harbona crucis, Mardochæo factæ proditor doctores legis designat, III, 660.
Hasta quid signif., V, 539. Hastile, VI, 948.
Hastilis Goliath cum Davide congressus, *ibid.*
Hattonis abbat. Fulden. elogium, VI, 1605 (*note*).
Hebdomæ significatio varia et multiplex, V, 206.
Hebdomadæ Danielis explicantur, *ibid.*
Heber, interpretatur transitus, I, 35.
Hebræi luce gaudent, et ducatum ignis columnæ accipiunt, III, 734, 735. Seditione Core iram Dei provocant, sed in medio incendii liberantur offerente Aaron incensum, et pro multitudine deprecante, III, 757.
Hebræi parcemias obscuras, ut alias pariter linguæ habent, II, 1193. Unde dicti, III, 284.
Hebræi Veteris Testamenti libros secundum ordinem alphabeticum partiebantur, I, 385. Quidam libri apud nos Canonici, ab iis rejecti, I, 388.
Hebræorum de Abraha a Chaldæis in ignem immisso commentum, I, 534.
Hebræorum de templi reseratione Cherubinque visione ridicula fabula, IV, 760. Eorum menses, IV, 881.
Hebron Arbe, et non Arbor, ut quidam volunt, interpretatur, et cur, III, 75. Ubi sita, *ibid.* Quos sign., III, 401.
Heligenstadium oppidum, ejusque situs et origo, VI, 1633. Ejus Ecclesiæ fundator Dagobertus, *ibid.* Etymon, VI, 1635. Sero muris inclusum, *ibid.*
Heliachim qualis, III, 252, 253. Proditor Jerusalem, *ibid.*
Heli typus sacerdotum quid sign., V, 58. Gravissime peccavit non pro gravitate et merito filios castigans, III, 20, 21. Per Prophetam minas illi Deus

Digitized by Google

ntentat, et quas, III, 22. Ejus æmulus Sadoc, *ibid.* Cæcitas ejus, III, 25. Interitus illius a Samuele prædictus, *ibid.* Moritur lapsu e sede fracta cervice, III, 27. Semen ejus a sacerdotio quando remotum, et a quibus Heli per successionem originem trahat, *ibid.*

Heli judex in Israel, temerario judicio peccat, 13.

Heliodori interpretatio mystica, III, 1227.

Hemerobaptistarum hæresis, V, 95.

Her impietas, III, 289.

Herbæ et arbores non ex semine, sed ex sese germinarunt, I, 452.

Herbæ Sardiniæ insulæ mirus effectus, V, 358. Eadem S. synaxeos typus, *ibid.*

Herbæ venenosæ in quem usum creatæ, I, 497.

Herculis columnæ, V, 357.

Heri, servum occidentis in conc. Agath. pœnitentia, et feminæ ancillam in conc. Eliberitano, V, 1411.

Hermon montis incolæ qui, V, 359.

Herodes, interpretatur pellicius. Quid significet, V, 83.

Herodianorum hæresis, V, 95.

Herodis miseria et finis, III, 1217, 1218. Christi persecutionem quo anno implerit, I, 753. Quid sign., V, 75.

Herodius, *vide* Falco.

Hiatus quid, V, 373.

Hiemis notiones variæ, VI, 953.

Hippocentaurus monstrum, V, 198.

Hippodes equinis pedibus V, 197.

Hippolyti martyris perpulchræ mysticæ explicationes de nomine Isaac, uxoris et filiorum ejus, I, 1587, *et seq.*

Hippopotamus in die in aquis, nocte segetes depascitur, V, 238.

Hiram rex insignem domui ædificandæ operam navat, III, 420. Ejus et Salom. famuli ligna præcidentes quos designent, III, 420. 474. Ejus pater quis, III, 420. Lebetas, et creagras, et phialas, etc. fecit, III, 453. Earum typicæ et litter. sign., *ibid.*

Hircanus quis, ejusque gesta, III, 1213. Pontifex patre defuncto efficitur, *ibid.* Ejus expeditiones bellicæ, III, 1214. Sanctitas, *ibid.*

Hirci, quorum unus immolandus, alter in emissarium demittendus quid significarint, II, 418. Quorumdam de his error, *ibid.*, et 427, 428.

Hircum cum alibi Deus pro peccatis offerri præceperit, quare et vitulum mandaverit, II, 418. Peccatorum et pœnitentium typus, V, 205; VI, 954, 1140.

Hirundo typus pœnitentium, V, 251.

Hispania unde nomen traxerit, V, 351. Ejus divitiæ, amœnitas, et divisio, *ibid.*

Historiarum peritia plurimum intelligentiæ Scripturarum conducere, I, 398.

Hodie, cras, et tertius dies mystice quid signif., II, 313, 314, 445.

Holofernes a Nabuchodonosore ad prælium emissus dæmonis, etc., figuram habet, III, 546, 602. Ex diversis urbibus ad eum placandum reges legatos mittunt, III, 548, 604. Nec sese sponte dedentibus nec urbibus, nec diis parcet, III, 604. Ab Achiore ne temere contra Judæos pugnet monetur, III, 608 Vino obrutus a Judith truncatur, III, 572. 627. Ejus caput super muros suspensum mystice quid denotet, III, 573-575.

Holocaustomatum altare ubi, II, 250, 251.

Holocaustum quid, V, 397. Quis offerat, II, 134 et 878. In altari cremare quid, II, 180. Quomodo idem Deus mandaverit et negaverit, II, 248. Offerenti quid necessarium, II, 249 *et seqq.*

Homicidium Cain diluvio fuit puniendum, adulterium vero Lamech Christi sanguine solvendum, I, 509.

Homo absconditum in agro thesaur. reperiens quis, V, 76. Centum oves habens quis, *ibid.*

Homo creatus, cur non dicatur a Deo ut alia creata singulatim bonus, I, 463.

Homo de quo immundus spiritus exivit et rursum eum occupavit quos signif., V, 76.

Homo Deo inobediens factus perdidit dominium animant., I, 462.

Homo et mundus quibus partibus constent, II, 629.

Homo in manu Dei, ut lutum in manu figuli, III, 1001.

Homo cur pro hominibus offerri debuerit, VI, 776.

Homo num sic creari potuerit, ut malus esse non posset, V, 1267.

Homo animam, linguam Deus præparat, V, 776.

Homo Dei quis, IV, 703.

Hominis variæ acceptiones, V, 1378 Duplex interior et exterior, *ibid.* Dictus ab humo, *ibid.* Manum aridam habens quid sign., V, 76. Seminans granum synapis quis, *ibid.* Prudens super petram ædificabis, V, 75. Plantans vineam quis, V, 78. In juvenili ætate plasmatus est, I, 452. Cur ad imag. Dei conditus, I, 460, 461. Consilio et operatione SS. Trinit. fact., *ibid.* Quare non dicatur bonus post formationem, *ibid.* Brevis vitæ post mortem vermis, III, 828. Ejus etymon, VI, 1575. Creatio et lapsus, *ibid.* Mystice quid sign., VI, 955.

Hominis interioris effectus, quaque ratione sit excolendus, II, 793.

Hominis primi et secundi multiplex acceptio, II, 323.

Homini in gratia constituto omnia prospere eveniebant, quam primum autem ea excidit variæ illi miseriæ in vindictam creatæ, III, 1047, 1048.

Homines mali mystice sunt signa Syloæ, qui Christo spreto Antichristo serviunt, II, 1172.

Homines mundi qui, II, 352.

Homines unde et cur dii primum appellati, III, 739.

Hominibus sanctis animantia obsequia præbent, I, 462.

Hominum denominat. variæ quid significet, V, 179.

Honor filiorum erga parentes qualis esse debeat, II, 99 et 863.

Honor parentum multiplicem meretur benedictionem a Deo, et inhonoratio maledictionem, III, 778; V, 729.

Honor Domino qua ratione deferendus, III, 358.

Honor quo sensu in Ecclesia accipiatur, I, 974.

Honorem alieno dare quid signif., V, 699.

Hora aliquando tempus, aliquando sæculum significat, V, 286.

Horæ Canonicæ in quem finem inventæ, I, 325. Earum partes et explicationes, I, 326.

Horoscopi qui, undeque dicti, IV, 422.

Hortus et Olus unde inflexa, V, 550.

Hortus conclusus typum tenet Ecclesiæ, et cur, V, 550.

Hospitalitatis et mercedis solutæ encomium, III, 1250.

Hospitum vagorum et ingratorum descriptio, III, 980.

Hostia pacifica cur dicta, V, 397.

Hostia quomodo sit celebranda, II, 518. Qualis Deo offerenda, III, 412, 445.

Hostiæ, holocausta et sacrificia vet. leg. varia, quæ fuerint, V, 130.

Hostiæ pro peccato oblatæ, quo ordine a sacerdote compleantur, II, 301.

Hostiæ qualiter pro delictis offerantur, II, 606.

Hostiæ Aaronis et filiorum ejus in die unctionis suæ, II, 298, 320 *et seqq.*

Hostiam viventem corpora exhibentes qui, V, 1342.

Hostias nusquam nisi ad ostium tabernaculi offerre licuisse, II, 428-431.

Hostis in capite quis, V, 1184. Quot modis bona nostra insequatur, *ibid.*

Hostium nomen a reflorando hoste, V, 595.

Humana tentatio quæ, VI, 91. Et divina, VI, 92.

Humana vita perpetuis tentationibus exposita, qui dicatur in spatio vitæ Judith non perturbata, III, 597.

Humanæ naturæ miseria et imbecillitas, IV, 1054.

Humanæ scientiæ incertitudo, III, 744.

Humanitas Christi cujusmodi fuerit, II, 392.

Humanus dies quis, VI, 44.

Humeri variæ interpretationes, VI, 989.

Humiliantes, se in terra in cœlo exaltabuntur, V, 790.

Humilitas Davidis ejusque uxoris a Deo remunerata, III, 85. Credenti necessaria, II, 1212.

Humilitatis multiplex commendatio, inque duodecim gradus discretio. Notio, VI, 939. Species, III, 850.

Hyades quos denotent, V, 275.

Hydra Herculis, V, 798.

Hydriæ, et fascinulæ quos figuraliter denotent, III, 503.

Hydriæ sex in Evang. sex ætatum typum gerunt, V, 589.

Hymnum novum canere quid, III, 585.

Hymnorum ecclesiasticorum antiquitas, VI, 1649, (*note*). Eorum auctores *ibid.* Variorum hymnorum festalium descriptiones, VI, 1663, (*note*). Auctores, I, 389.

Hymnus de charitate carmine factus, VI, 1649-1666. Natal. Domini, VI, 1651, 1659. Item innocentibus, VI, 1652. Epiphania, VI, 1654. In Paschate, *ibid.* Ascensione, *ibid.* ad Matutinum, *ibid.* Pentecosten, VI, 1659. In Purif. B. Mariæ, VI, 1658. De Michaele Archang., *ibid.* Item variorum apostolorum et sanctorum, VI, 1660 ad 1665.

Hyperbole, III, 602.

Hypocritarum malum, III, 771.

Hypodiaconi qui sint, V, 92.

Hyssopus quid, VI, 1686.

I

Ibis avis, V, 254. Proprietas, V, 917

Idithum cur dicatur transiliens eos V, 70.

Idola varia ab Ethnicis observata, III, 731. Eorum gravitas, III, 740. Eorum utilitas, V, 877.

Idola flentium cur dicta, III, 83, 343.

Idola disseminato per orbem Evangelio ubique destructa, idque per ruinam Dagonis illata in fanum ejus arca significatum, III, 28.

Idololatria Amasiæ regis, III, 508.

Idololatriæ pompa et vestes, II, 1151.

Idolorum et hæreticorum comparatio, III, 735, 743. Variæ sign., V, 426, 427.

Idolothytarum improbatio, VI, 88. Earum usus, VI, 95.

Digitized by Google

Idolum et similitudinem facere quid, II, 95 et 856 *et seqq.*
Idumæa typus gentilitatis conversæ, II, 1218. Ejus plagæ expos. litter. et myst., IV, 763.
Ignem et vermes in carnem dare quid, III, 587, 633.
Ignem et grandinem cur Deus Ægyptiis immiserit, I, 41; III, 747.
Ignis egressus a Domino holocaustum devorat, II, 340; VI, 966, 967. Variæ sig., II, 1157; V, 278.
Ignis et æstatis bifaria significatio mystica, VI, 1154.
Ignis perpetuus in altari, charitatem fidelium pectoribus inexstinguibilem denotat, V, 1079.
Ignis per quem homines probandi qualis, VI, 35.
Ignobilia et stulta hujus mundi cur Deus ad annuntiandam sapientiam elegerit, VI, 424.
Ignominia Davidi illata a cæcis et claudis, III, 81, 327.
Ignoranter peccans aut legem violans satisfactionem adhibere debet, II, 289, 677, 678 et 681.
Ignorantes instruendos esse, V, 757.
Ignorantiæ peccatum quomodo redimendum, II, 270.
Ille qui sæpe nunc in ignem, nunc in aquam cadebat, quem figuret, V, 77.
Imaginatio conceptus similem prolem causat, I, 603.
Imaginem Dei, ad quam homo factus quomodo conservare quemque deceat, IV, 505.
Immortalitatem qualem sancti habeant, III, 709.
Immundi ab oblatione rejecti, II, 319.
Immundorum sacrificiorum diversa genera, II, 315, 316, 882 *et seqq.*
Immundus in anima quis, II, 644.
Immundus stratum inficiens quos denotet, II, 406.
Impatientiæ damna, V, 741.
Impetigo quid sign., II, 487, 496.
Impietas omnium vitiorum mater, hæc quid agat in mentibus hominum, II, 1151. Ab iniquitate et peccato quomodo differat, V, 846.
Impii quomodo in judicio corrigendi, II, 941, 942. Eorum subita subversio, II, 1148. Fruuntur ad modicum vitæ felicitate, æternum arsuri, *ibid.* Lugenda eorum resurrectio, *ibid.* In animam nil possunt, etsi mutilare et occidere corpus, *ibid.*, 1149. Maledicti, *ibid.* Eorum, etsi tarda, certa tamen punitio, II, 1147. Correpti a Deo resipiscere coguntur, III, 29. Qui sint, V, 714. Solum terrena sapiunt, III, 678. Justorum inimici, *ibid*, 679. In judicio admirantes gloriam justorum, quos hic contempsere deflebunt suam voluptatem momentaneam, III, 688 *et seq.* Memoria eorum et seminis perit, III, 1085. Eorum duo genera, IV, 585. Pœnitentia, VI, 1258.
Impium inter et peccatorem discrimen, V, 701-702.
Impletionis verbo, quo sensu Scriptura utatur, IV, 342.
Impœnitentia qualis, V, 862. Irremissibilis quæ, *ibid.*
Impositionis manuum episcopi effectus, I, 514. Et Chrismatis, *ibid.*, VI, 1177.
In Christo solo est beatitudo nostra, II, 1146. 1147.
In civitate morientes a canibus, in regionibus vero ab avibus devorandi qui, III, 204.
In faciem cur Deus homini inspiraverit, I, 474.
In medio duorum animalium innotescere, mystice quid sign. VI, 1113.
Inanis gloriæ detestatio, VI, 1356, 1357, 1580. Ejus remedium, VI, 1357. Origo et natura, VI, 1358. Qui suos sectatores vexet, *ibid.* Ejus indicia, *ibid.*
Inaures cur inter deos alienos recensitæ, I, 615.
Inaures et armillæ Rebeccæ quid figurarint, II, 575 *et seqq.*
Incarnationis dominicæ quis finis, II, 259.
Incedere secundum signa sua quid sign, II, 601.
Incesti lex a Gregorio constituta, VI, 1405, 1406.
Incircumcisus auribus quis, V, 850. Corde, I, 549.
Inconstantiæ mala, II, 1132. Pœna, II, 28.
Incredulus quomodo jam judicatus dicatur, V, 999-1000.
Incrustaturæ abularum typice virtutem humilitatis designant, II, 169.
Incubus quid, et unde dictus, V, 454.
India unde dicta, ejusque situs, et fertilitas, V, 335. Ejus divisio, *ibid.*
India Orient. mystice primitivam sign. Ecclesiam, V, 335. Ejus divisio, *ibid.* Purpuram primo genuit, *ibid.*
Indicia exteriora interiorum affectum sæpe produnt, III, 893.
Indisciplinati qui appellentur, III, 805.
Indurare Deum cor quid sign., II, 25 et 32.
Induratio Pharaonis unde, V, 1492.
Inebriatus Loth cum utraque filia incestum committens, num per ignorantiam excusandus, I, 559.
Inepti ad sacerdotium qui, II, 484.
Inertes semper causantur, V, 766.
Infantia mystice parvulos malitia significat, V, 179.
Infelicitas impiorum, III, 682.
Infernus quid in Scripturis sign., II, 681, 682; VI, 970. An mali tantum, sed etiam boni descendant, I, 625 et 640. Ejus pœnarum gravitas, III, 1048. Ubi sit, V, 1248.
Infirmitatis carnis utilitas, VI, 144.
Infirmorum visitatio quid conferat, lis non desperandum, III, 813, 1031, 1032.
Infidelitas et mendacium Giezi, III, 233.
Ingressus unus oraculi, duobus ostiolis clausus figura Baptis. et Ecclesiæ, etc., III, 158.
Inimicis et hæreticis in æternum non credendum, III, 848. Salis infatuati sunt similes, *ibid.*, 849.
Inimicitiæ inter serpentem et mulierem B. Virg. exprimunt, I, 496.
Inimicos ad Dei consummationem vindicta manet, III, 760.
Inique viventem et pœnitentiam simulantem Deo exosum esse, II, 350.
Iniqui cum suis divitiis cito delendi, III, 1051. Eorum quoque progenies cito cessabit, III, 1052.
Iniquitates subditorum quomodo princeps portet, II, 200. Quid signif., VI, 975.
Initium hominis in quo consistat, III, 979.
Injuria crescente, decrescet substantia, III, 905.
Injuriæ obliviscendum esse, III, 827.
Innocentes occisi mystice quos denoteut, I, 765.
Inobedientia idololatriæ comparatur, III, 45.
Inopia multorum delictorum nutrix, III, 960. Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet, III, 961.
Inscitia sacerdotum subditos sæpe simul cum iis juste damnari ostenditur, V, 812.
Inscius quis, III, 907.
Inspectio Dei quid signif., III, 773.
Institutiones et doctrinæ hominum aliæ superstitiosæ, aliæ non superstitiosæ censendæ, et cujusmodi eæ sint, I, 398.
Insulæ unde dictæ, V, 333. Earum cum S. Eccl. aliisque sanctis comparatio, V, 334.
Interfecta terra quæ, V, 835.
Interficiendo Ægyptium an Moyses peccaverit, II, 16, 17. Christi typum tenet, *ibid.*
Interpellator noster cum sit Deus, quos condemnet, V, 1474-1475.
Interroganti secundum quæstionem suam respondendum, IV, 659.
Interrogatio martyrum flagella sæpe denotat, III, 918.
Intestina aqua diluere mystice quid sign., II, 252.
Introitus cum unus sit omnibus ad vitam, et similis exitus; præ omnibus eligendam esse sapientiam, quæ affert secum cuncta bona, quamque absque Salomon se dicit assecutum, III, 697, 700.
Invenisse Dominum Israelem in solitudine, litteral. et mystice qui intelligendum, VI, 1137.
Inventa non restituens furtum committit, II, 290.
Inverecundiæ fructus, V, 868.
Invidia quibus modis committatur, VI, 1243. Variæ ejus species, *ibid.* Interminabilis, *ibid.* Ejus natura et origo, VI, 1360. Qui invidos torqueat, *ibid.* Ejus notæ, *ibid.* Detestatio, *ibid.* Remedium, *ibid.*
Invocatio misericordiæ Dei super fideles, et vindictæ de inimicis, II, 1017. Et gentibus alienis, *ibid.*
Ira Dei quomodo reveletur, V, 1295-1308, 1339. Ei cum nullus resistere dicatur, qui Moyses, etc., restiterit, II, 223, 224.
Iræ detestatio, V, 1338; VI, 1241. Serpentibus confertur, *ibid.* Sine peccato qui committatur, *ibid.* Ejus natura et origo, VI, 1361. Tortura, *ibid.* Nota, *ibid.* Remedium, *ibid.* Duo ejus genera, V, 767. Stulti gravitas, VI, 1376. Ejus distinctio bifaria, quæque licita, II, 768. Duplex acceptio, VI, 458. Explicatio, VI, 459.
Iracundia in judicio exulare debet, III, 334. Est Janua omnium vitiorum, V, 775. Ejus cum homicidio detestatio, IV, 112. Ab ira distinctio, VI, 271. Gravitas utriusque, *ibid.*
Iratus Deus Mosi quomodo censendus, II, 24, 25.
Iris, quære arcus.
Irmingardis regina Lotharii, II, 1671.
Ironia, VI, 223; III, 627.
Ironice adhortatur Ægyptii imbelles ad arma, V, 1099.
Irrationabiliter sese cum pecoribus vel masculis miscentium pœnitentia ex conc. Ancyr., VI, 1407, 1408.
Irriguum superius et inferius quid mystice significent, II, 1114.
Isaac signif. risum, V, 37. Ubi natus, I, 565. Pro sterilitate Rebeccæ precatur, I, 580. Solus campum obambulans, Christi in horto orantis aptus typus, I, 573, 574.
Isaac an tantum, et non etiam Ismael de Sara ex repromissione natus, VI, 329. Utriusque expositio mystica, VI, 331 *et seq.* Eorum lusus quid notet, VI, 334.
Isachar, merces dicitur, significat

Digitized by Google

Ecclesiam gentium, laus et typus, v, 43.
Isai cur dicatur insulæ sacrificium, v, 58.
Isai octo habens filios, qui alibi septem tantum habere dicatur, III, 52.
Isaiam quid ad Domino canticum decantandum impulerit, VI, 1091.
Isaias cur salus Domini dictus, v, 64.
Ismaelitæ filii qui, eorumque habitationes, I, 580. Cur Madianitæ vocentur, *ibid*, 624.
Israel quid significet, II, 1152, 1153. Deum deserit, v, 38. A Madianitis opprimitur, *ibid*. Frumenta ejus vastantur ac semina, *ibid*., 1153. Potitur pace sub Gedeone quadraginta an., II, 1170.
Israelitæ quo magis opprimebantur, eo magis crescebant, II, 11. Petentes a vicinis vasa aurea, num furti insimulandi, *ibid*., 47. In monte Hor Chananæos vincunt, *ibid*., 711. Promittentes se non bibituros de puteis Sion regis; Christianorum, in bapt. diabolo renuntiantium typus, II, 719, 720. Cur soli inter incomprehensibiles electi, *ibid*., 972. Quomodo a Deo ut pupilla dicantur protecti, cum multi perierint, II, 973. Eorum idololatria, II, 1121. *Ibid*., 250; VI, 1141. Quæ idola coluerint, *ibid*. Variorum vide descriptionem, *ibid*. Capiuntur ab hostibus suis, venduntur, ubique eos ultio divina sequitur ob idololatriam, II, 1123. Quomodo sine pretio venditi, *ibid*. Habitant cum Chananæis, ineunt connubia, adorant deos eorum, *ibid*., 1125. Traduntur in manus Chusanrachaim regis Mesopotamiæ, serviunt ei, octo an. cur, *ibid*; sub Othoniele, quadraginta an. pace gaudent, II, 1127. Eo mortuo relabuntur in vetera peccata, II, 1128. Serviunt Eglon regi Moab, quindecim an. liberat eos Aoth, *ibid*., 1129; octoginta an. pace fruuntur, mortuo Aoth redeunt ad pristina scelera, II, 1131. Traduntur a Deo in manus Jabin regis Chanaan, *ibid*., 1132. Sub tyrannide Jabin Chananæi ad Deum clamant, II, 1133. Quia duræ cervicis, in manus sævi Sisaræ traditi, *ibid*. Eorum jejunia et corporis macerationes non fuere irrita, III, 556. Contra Oziam murmurarunt, III, 557. Quomodo hostes vicerint, III, 609. Quomodo eos Deus genuerit, *ibid*., 610. Resipiscentes, in gratiam recipiuntur, Ægyptii flagellantur, III, 718. Eorum in duas classes distinctio, v, 1532.
Italia et Hispania cur Hesperiæ dictæ, earumque discrimen, v, 550. Unde nomen sortita, *ibid*. Cur latia dicta, *ibid*. Ejus fertilitas et amœnitas, *ibid*.
Iturææ unde appellat, v, 240.
Izrai filii cur quinque esse dicantur, cum tantum quatuor numerentur, III, 513.

J

Jabes quid signif., III, 295, 296. Legis Dei doctor peritissimus, *ibid*. Dei typus, *ibid*.
Jabin rex Chanaan opprimit Judæos, II, 1132. Dux ejus Sisara, *ibid*. Ejus potentia, *ibid* Hebraice quid significet, *ibid*., 1133. Cujus rei symbolum, *ibid*.
Jaboc quid signif., I, 609.
Jacentes et stantes quæ audire debeamus, IV, 551.
Jacob quid significet vide late, v, 38. Ejus habitatio, v, 557. Corpus pellibus hædinis tegens quid denotet, I, 589. Esau dolos fugiens Christi typus, I, 591. Visio et votum ejus dum iret in Mesopotamiam, I, 591. Mystice quid sign., *ibid*. Jubente Deo cum uxoribus et liberis suis ad patrem revertitur, I, 605. Eum Laban insequitur, *ibid*. Cum angelo lactatur, et mutato nomine, Israel vocatus est, I. 609, 610 et 615. Christi passi aptus typus, I, 610. Cur femore tactus claudus evaserit, *ibid*. Fratrem septem adorat, I, 609. Cum omnibus suis in Ægyptum descendit, I, 645. A filio coram rege statuitur, I, 647. Moriturus per adjurationem a filio petit sepeliri cum patribus suis, I, 650. Singulis filiis suis benedicens, et quorumdam defectus argueus, futura illis prædicit, tandemque declarato sepulturæ suæ loco, moritur, I, 654, 655, 666. Ex Mesopotamia uxorem ducens Christi typus, v, 339 Mutato nomine cur sæpius priori nominetur, I, 616.
Jacobi Pamelii commentarius in Judith, III, 599.
Jactantiæ detestatio, III, 794, 804.
Jacula verbi divini typum tenent, VI, 1125.
Jael mulier alienigena Sisaram lacte pastum domi suæ occidit clavo, etc., maxillas adacto, II, 1136. Ecclesiæ symbolum, *ibid*. Prævertit Barach in necanda Sisara, *ibid*. Quid hoc significet, *ibid* Ejus laus, *ibid*. Quid significet, v. 56.
Jair Galaadites regit Israelem post Tholam duo et viginti an., II, 1176. Filios habet 30, *ibid*., 1177. Figura est Christi et Christianorum, *ibid*. Hebraice Jair illuminans in Camon sepelitur, *ibid*. Quid sig., v, 57.
Jamnes cur sic dictus, v, 52.
Jamniæ etymologia, III, 1245, 1246.
Janitores myst. et litteral. qui, III, 396.
Janua a Jano, cui omnis introitus sacer., v, 339.
Januæ cœli quid significant, v, 265.
Januarii dies festivi, IV, 1122.
Januis clausis quomodo Christus ad discipulos introierit, IV, 173.
Japhet gentium pater cur, I, 525, 526. Ejus generationes, *ibid*. Filiorum regnum, III, 281.
Japhet, latitudo nominatur, v, 34.
Jebus olim vocata Jerusalem, v, 295, 296. Cur, *ibid*.
Jechonias, *vide* Joachim, v, 64, 65. Ejus filii, III, 301.
Jehu typ. gentium principatum fig., v, 61. Elisæi jussu in regem ungitur, III, 238. Ejus in transgressores legis animadversio, *ibid*. Ad extirpandum regnum Achab, et occidendos sacerd. Baal mittitur, III, 238 et 498.
Jejunii decimi mensis encomium, IV, 13.
Jejunii tempora, v, 136. Ejus definitio et a statione differentia, v, 136, 137, et I, 334. Ejus variæ species. *ibid*. Post Pentecosten cur indictum, *ibid*. Et ante Nativ. Domini, *ibid*. Legitima jejunia quæ, I, 338. Item quatuor sabbatorum, *ibid*. Privata, *ibid*. Ejus laus et utilitas, IV, 90.
Jejunium quarti mensis quando, quareque præceptum, IV, 45.
Jejunium septem dierum pro mortuis institutum, III, 325.
Jejunium septimi mensis cur institutum, IV, 56.
Jephthe cur aperiens dictus est, typus Christi, v, 57. Fugit suos et dux constituitur, III, 1177, 1185. Immolat filiam, *ibid*. Figura est Christi, *ibid*. Immolando filiam an peccavit, *ibid*., 1179, 1180. Spiritus Domini an ad immolandam filiam ac vovendum cum impulerit, II, 1184. Hebraice potens virtute, 1186. Princeps esse renuit, *ibid*., 1187. Sex annis judicavit Israel, *ibid*., 1188. Ejus verba ad seniores Galaad, item peregrinatio et debellatio hostium quid mystice significent, *ibid*. Ejus filia luget sexaginta diebus virginitatem, II, 1189. Tempus hoc quid mystice designet, *ibid*.
Jeremias quare interpret. *excelsus Domini*, v, 76, 77. Quando, quotque annis prophetaverit, v, 797. Ejus origo, *ibid*. Sanctificatus in utero, *ibid*. Causatur pueritiam, sed a Domino roboratur, *ibid*. Ejus ad Deum lamentatio, v, 959. In carcerem percussus conjicitur, v, 960. Conqueritur se librio haberi, *ibi t*. In vestibulo carceris Sedeciæ captivitatem prædicit, v, 1050. Mysteria et sermones ei revelati Christo potissimum convenire, v, 793.
Jericho unde appellata, v, 378; II, 1021. Ejus ruina, *ibid*., 1023. Mystice instabilitatem vitæ sig., *ibi t*., 1009.
Jeroboam cur divisio interpretetur, v, 59 et 64. Hæret. typ., III, 199, 1099. Dicitur dijudicans populum, v, 76.
Jerusalem unde dicta, v, 379. Ecclesiæ typus, *ibid*. Cur mense quinto die quinta vastata, III, 276. Metonymice quid signif., VI, 966.
Jerusalem typus præsentis Ecclesiæ, v, 337. Ejus excidii causa, I, 486. Descriptio, v, 108. A Chaldæis capitur, incenditur, v, 1173, 1174. Templum spoliatur, *ibid*. Quadruplex, virgini connubio aptæ aptatur, IV, 670. Ejus pater, mater, et soror quæ, IV, 687.
Jesse radicis fructus, v, 1593.
Jesu et Moysis hæreditas quomodo differat, II, 171 et 172. Qui ejus participes, *ibid*.
Jesu Nave successoris Moysis laus et fortitudo bellica, III, 1090. Salvatoris aptus typus, *ibid*., 1091.
Jesu sacerdos magnus figura Christi, v, 65.
Jesus Christus lux est illuminans, II, 1118. In *pliis* vivit, in impiis defunctus est, imo ab iisdem crucifigitur denuo, II, 1220.
Jethro qualis fuerit, II, 87, 88.
Jezabel cur fluxus vanus dicta est, v, 65.
Jezrael vallis quæ sit, heb. semen Dei, II, 1154.
Joab Amasæ mentum dextra, sinistra gladium tenens, adulatorum typus, II, 112.
Joachas cur significet retentus, v, 63.
Joachas dæmonis typus, III, 530.
Joachim et Eliachim synonima, III, 605. Probabilior de hoc nomine sententia, *ibid*.
Joachim filii et impietas, III, 272, 531. A Nabuchodonosor captivus ductus, III, 532.
Joachim interitus, v, 1073.
Joachim seu Jechonias cum matre captus cujus typus, v, 64.
Joachim. *Vide* Eliachi II, v, 64.
Joannem Evang. quid ad scribendum Evangelium impulerit, I, 787. Cur aquilæ comparatus, v, 71.
Joannem Bapt. inter et Christum baptizantem discretio, I, 901; IV, 252.
Joannes Bapt. (S.) cur dictus Domini gratia, v, 71. Quam formam habeat, v, 75. Messiam se negat, II, 1216. Christo illum honorem defert, II, 1218. Cur corrigiam mystice noluerit solvere, *ibid*. Ejus de Christo ingenua professio, *ibid*. Octo dierum patrem loquentem intellexit, VI, 1160, 1161. Vitæ austeritas in victu et vestitu, I, 767. Locustæ et mel silvestre cujusmodi fuerit, *ibid* Cur in aqua tantum baptizaverit, I, 769. Angelus cur dictus, I, 910.
Joan. Trithemii epist. ad Albert. Brandenb. Mogunt. archiep. in vitam S. Rabani dedicat, I, 71, 72 ad 106.

Digitized by Google

Joas, omni regio semine exstincto, Athaliæ tyrannidi solus ereptus, III, 239, 499. A Joiada pont. regno substituitur, III, 239, 500. Pecuniam a prætereuntibus ex liberalitate templo oblatam sacerdotibus tradit, *ibid.*, 241. Sarta tecta templi restauravit, III, 241, 500. Numerus ætatis ejus perfectionem designat, III, 504. A principibus Juda Deus adoratus est, et honores subditorum nimium affectans offensam Dei incurrit, III, 504. Quid sig. v, 62.

Joathan typus Christi cur interpretetur *perfectus*, v, 58; III 513. Filius Gedeonis fuga consulit vitæ suæ, ejus prudentia, II, 1171. Figura est populi Judaici crediturі Ecclesiæ et evasuri gladium Antichristi, *ibid.* Perorat ad populum in monte Garizim, *ibid.* Typus est sanctorum, II, 1172.

Job de qua stirpe et cur dolens vocetur, v, 30. Quomodo in infernum descendit, v, 1236. Ejus libri synopsis, v, 111.

Jobab Job fuisse creditur et quomodo et filii et filiæ tempore tentationis exstincti dupliciter restituti, III, 287.

Joel filius Samuelis iniquus fuit Judex, III, 35.

Joel vocatur insipiens Dei, v, 68.

Joiadas idem quod dilectus Domini, v, 61.

Jonadab filiorum pietas, v, 1070.

Jonas cur dictus columba sive dolens, v, 68. Filium viduæ Sarepthanæ suscitat, *ibid.*

Jonathan, quare, solus dicatur sacerdos in domo Domini, cum plures fuisse sit manifestum, III, 311.

Jonathas, gustato favo, quomodo dicatur illuminatus, III, 42. Figura electorum, III, 54. Tumultuante Bacchide, Christi cum discipulis ad orandum a populo secedentis, et Judæorum rabiem fugientis typus, II, 1187. Fratrem Simonem in civitate relinquens, hostesque persequens quos denotet, *ibid.*

Joppitæ Judæorum persecutores, quales, quidque mystice denotent, III, 125.

Joram typus apostatarum, cur dictus sit quis est excelsus, v, 61.

Josaphat quid sign., v, 60. Ejus cum Achab amicitia signif. Cathol. cum hæret. familiar., *ibid.* Ejus pietas, III, 492, 493. Myst. quid sign., *ibid.*

Joseph quid signif., *tide* pulchra de eodem, v, 44. Summo honore a Pharaone affectus toti Ægypto præficitur, I, 635. Salvator dictus, *ibid.* Tempore fertilitatis congregat frumenta ad sedandam famem futuri temporis, *ibid.*, 636. Duos suscipit filios ante septem famis annos, *ibid.* A fratribus adoratus Christum exprimit, I, 637, 638 Per salutem Pharaonis adjurans num perjurus censendus, *ibid.* Pecunia clam sarcis fratrum injici curavit, *ibid.*, 639. Post longam vexationem fratribus se prodit, I, 643. Pharaoni omnem terram Ægypti subjiciens num labem contraxerit, I, 649. Ægrotantem invisit patrem, assumptis duobus filiis, quos Jacob sibi adoptat, iisque benedicit, I, 652, 653. Patre sepulto, et fratribus irrogatam injuriam ignoscens in Ægyptum revertitur, I, 668. Ossa post mortem ex Ægypto deferri expetit, *ibid.*, 669. Fratres apud Patrem accusans eorum invidiam incurrit, I, 621. An decem et septem annorum fuerit venditus in Ægyptum, I, 623, 625. Christi Domini typus, *ibid.*, 622. Mandatis a fratribus venditur, I, 623. Domina sua ob pulchritudinem sæpius ad adulterium allectus, fortiter restitit, I, 631, 632. In carcerem falso accusatus detruditur, I, 633. Ad fratres missus eorum curam habiturus, Christi in hunc mundum missi aptus typus, I, 624, 625. A fratribus venditus, et ob falsum crimen missus in carcerem sola sapientia divina liberatus, III, 718.

Joseph sponsus quid signif, v, 75. Cur a Matthæo filius Jacob, Luca vero Ely dicatur, I, 735. Cur cum Maria puero nato a magis non dicatur inventus, I, 759. Cur justus dictus, I, 718. Cur in generationis ordine numeretur, cum non sit Christi Pater, I, 747.

Josias Christi typus myst. quid sign., v, 65 Ejus pietas, III, 266, 267. Varia supersitiosarum gentium simulacra et idololatriam abrogavit, *ibid.* Cur ossa mortuorum in altari concremari jusserit, *ibid.* Typus Salvatoris, *ibid.* Phase Domino fieri jussit, III, 527. A Pharaone Nechao interemptus persecutionis maligni hostis adversus SS. prædicatores figuram gestat, III, 270 *et* 527. Arcam Domini, rejectis idolis, ariolis et pythonibus, in templum reduci curavit, *ibid.* Ejus cum Nechao Ægyptiorum rege congressus et interitus, III, 528. Laus, III, 1106, 1107.

Josue cur dictus Salvator, cujusque figura, v, 54. Ejus libri historia, v, 112. Cur minister Dei vocatus, II, 137. Typus Christi, *ibid.*; II, 1118. Demittit populum, singulos in suas possessiones, *ibid* Mors ejus cur in lib. Judicum repetita, *ibid.* Non humano, sed divino consilio aliquas gentes non exstinxit, II, 1124. Moritur centum annorum, sepelitur in monte Ephraim in Thamnathsare, II, 1120. Defunctus typus Jesu morientis, *ibid.*

Josue et Caleb laus, III, 1092. Soli ex numero sexcentorum millium conservantur, *ibid.*

Josue filius Nun populo Israel præficitur, II, 778.

Jubal musices, psalterii, citharæque primus inventor, II, 508. Inventa a se ne dilabaretur, duabus columnis incidit, *ibid.*

Jubilæi tempore, qua ratione terram venundatam licuerit redimere, II, 535-537. Et quorum, *ibid.*; quo pretio, II, 541.

Jubilus in quam partem susciplatur, v, 1000.

Jucunditatem cordis utilem, et sectandam esse demonstratur, III, 985.

Juda confessio vocatur et Christum figurat, v, 43; II, 1220.

Juda tribus ob bella fortiter gesta etiam in aliis tribubus urbes suas habuit, III, 26.

Judas, Machabæus patri in regno succedens, et Apollonium perimens Christum Dominum figurat, III, 1148. In die omnia peragebat, II, 1155. Gorgiam et Lysiam debellat, *ibid.* Hostibus devictis templum purificari jubet, III, 1158. Fratres suos ad varias gentes oppugnandas distribuit et emittit, III, 1163. Legationem ad Romanos instituit, III, 1178. Decimus qua ratione dictus, III, 1234. Sacrificium pro mortuis instituit, III, 1251, 1252.

Judas, ex uxore Chananæa tribus filiis susceptis, primum et deinde secundum Thamar copulavit, I, 625, 627. His mortuis eam inscius pro scorto cognovit, *ibid.* Mystice quid, *ibid.*

Judas, qui ascendit contra Chananæum non hominis, sed tribus nomen est, II, 1111. Gazam aliasque urbes capit, *ibid*, 1112.

Judæa unde Chanaan dicta, v, 339. Ejus situs et longitudo, *ibid.* Mystic sig. Eccle., v, 347.

Judæi tempore Josue et Seniorum Deo soli serviunt, II, 1118. Deo rebelles incolas terræ promissionis non delent, increpantur ab angelo, flent, II, 1117. Cur delere noluerint gentes illas, *ibid.* Invitantur ad eloquia Dei, II, 1135. Nolunt venire et Christo credere, *ibid.* Deseruntur a Deo, *ibid.* Redeunt sub mundi finem, *ibid*, 1139. Mystice sunt Barach, *ibid.* Deseruntur a Christo, II, 1140. Cur. *ibid.* Leges mosaica gaudent, in ea et finxis bona conquiescunt, II, 1146. Mortuo Gedeone Baal colunt, II, 1174. Item Astaroth, diis Syriæ, Sidoniæ, etc., II, 1177. Induuntur Philistiim, *ibid.* Christum ejiciunt a se, II, 1187. Ex relictis coquatorum uxoribus sine liberis, suscitabat nomen, II, 1117. Ter in anno coram Domino comparere debuerunt, III, 12. Eorum reliquiæ salvæ fiunt, III, 21. Solis armis fidentes quomodo afflicti, I, 644. Ex se et lege frustra justitiam et salutem exspectant, III, 17. Gratia Dei fortes et justi, *ibid.* Christum contemnunt, quod terrena saperent, nec ut legis medullas rimarentur, *ibid.* Ad Christum multi conversi, III, 21. Ab eis prophetiæ donum ob peccata tempore Eli ablatum, *ibid.*, 25. Cæcus eorum in agnitione Christi, *ibid.* Evangelium repudiant, *ibid.*, 32. Baalim et Astaroth relictis soli Deo sub Josue serviunt, *ibid.*, 33. Iis pax est cum Amorrhæis, III, 34. Regem petunt, II, 35. Datur Saul, *ibid.* Libertatem rejecto Christo perfectam nunquam recipient, *ibid.* Ingrati Deo, solo terrena bonis mutant. *ibid.* A prophetis frustra ad veras virtutes, excitantur, *ibid*, 37. Cæsis Philistæis rege et imperatore Saule sanguinem comedendo peccant, III, 45. Eorum strages in hostes admiranda, III, 666. Hostibus devictis solemnem epulandi diem instituens, electorum post completos præsentis vitæ labores, æternum cum Christo gaudentes exhibent, III, 667. Dogmatum eorum imbecillitas, II, 367 etc. Quatuor traditi plagis, et quibus, v, 723. Omnes figuras liter. intelligunt, v, 984. Eorum de restitutione regni in adventu Christi sui in priorem statum dehramentum, IV, 691. Christianorum de hac re sententia, *ibid.* Quomodo sub elementis hujus mundi fuerint, cum per legem suos sic Deus colendos commendaretur, II, 766.

Judæi cur nos in Evang. vocent, v, 827. Quomodo a Christianis differant, v, 1024.

Judith dicitur laudans vel confitens, v, 66. Ejus historia quando, et a quo conscripta, III, 541-543, 597. Cilicio induta, et jejunio intenta suos a deditione revocavit, III, 558, 618. Lugubres vestes exuens, lætitiæ se indens Christi figuram habet, III, 563, 621. In agonem procedens, et Abræ necessaria vitæ imponens, S Ecclesiam, suos fideles discessuros manna cœlesti munientem denotat, *ibid.* Adorans Holofernem non vitio adulationis, sed jure dignitatis non peccavit, secundum doctrinam apostoli, III, 567, 624. Verba quæ de excidio Judæorum retulit, non prohibitoria fuere, sed futuræ prophetiæ mysteria, III, 568. Regales epulas spernens propriis vesci maluit, III, 570, 571, 627. Cum lacrymis orans Deum, vino sopiti caput Holofernis detruncat, III, 572. Sublimiorem locum revera ascendens, et caput Holofernis cum conopæo ostendens sanctam Ecclesiam repræsentat, III, 575-628. A Pontifice

Digitized by Google

et populo benedicta, iis quæ Holoferнis peculiaria fuere dicatur, III, 579. Ob victoriam reportatam canticum Deo canit, III, 581. Castitatis insigne exemplar, III, 589. Plena dierum moritur, et dies hujus victoriæ perpetua apud Judæos in numero sanctorum dierum celebrantur, III, 590, 634, 636. De Simeon tribu originem duxit, III, 614, 619. Holof. de causa fugæ suæ insignіter imposuit, III, 624. Ejus Liber cur a quibusdam a canone sacræ Scripturæ removeatur, III, 593. Esse autem canonicum probatur, *ibid.* Origenes cur ejus non meminerit, *ibid.*

Judex sapiens quis, III, 35, 825-900.

Judicans judicium Dei non fugiet, V 1306.

Judicare bifarie interpretatur, II, 981.

Judices et magistri in civitatis portis constituti Ecclesiæ principes denotant, II, 901.

Judicii extremi descriptio, VI, 720. Bifaria acceptio, VI, 1147. Ei cur omnes a conditomundo judicandi reserventur, V, 1310. Terribilitas, VI, 1321. Ejus dies, VI, 1619.

Judicio cum peccata negantibus contendendum esse, IV, 112.

Judicium secundum exteriora periculosum, II, 1119. Electorum et reproborum quale, III, 747, 754, 755. Temerarium periculosum, III, 87; V, 743. Temeritatis reprehensæ exemplum, *ibid.* Prohibitio, I, 840. Gravitas, *ibid.* Proprio innixi periculosum, III, 801. Justi commendatio, falsorumque testium exaggeratio, IV, 108. Quid sign., VI, 973.

Judicum liber cur sic dictus, II, 1127. Continet scelera et virtutes judicum, *ibid.* Cur id., *ibid.*; V, 112.

Jugis sacrificium indesinens quando, et quomodo celebrandum, II, 779-780.

Jugum quid denotet, VI, 972.

Julii festivitatum insignіorum relatio, IV, 1154.

Jumenti variæ sign., V, 200. Reptilia et bestiæ quæ intelligantur, I, 458; VI, 973.

Juncturæ quid, III, 180.

Junii festorum descriptio, IV, 1148.

Juniperus multo tempore ignem fovens quos denotet, II, 817.

Jurgia superborum commode hæreticos designant, V, 723.

Jurgiorum inter amicos non sit fomes, III, 914.

Juramentum Dei vet. instrum., IV, 688. In novo, *ibid.*; V, 1165, III, 1207. Ejus comites. Genera, I, 824. Cur prohibitum, I, 922.

Juramentum et pactum Abrahæ cum Abimelech, I, 565. Quando hoc pactum initum, *ibid.*

Jurantem non reprehendens, aut superiori indicans qua pœna afficiendus, II, 279.

Juratio servi Abrahami quomodo maledictum dicatur, I, 572, 575.

Justi in bello contra hostes, homines et dæmones soli fortes, II, 1143. Cur sæpe præmatura morte rapiantur, III, 686. Cum Christo judicabunt, V, 735. Tribulationes amant, V, 771. Num omnia prævideriut, VI, 799. Elementa iis subserviunt, impiis vero adversantur, III, 758. Iis necessitatibus afflictis, sua opera bona lateri concessum, III, 260. Etiam mortem formidant, et cur, III, 524, 1095. Duplicis sunt generis, V, 1505. Eorum gloria et præmium, III, 691. Eorum dies prolongantur, impiorum vero breviantur, 715.

Justificatus ex fide quis, V, 1344.

Justitia prævalet misericordiæ, II, 125. A solo Deo, III, 17. Humana falsa, *ibid.* Ejus patrocinium suscipiendum, III, 789. Judæorum et Christian. justitiæ discrimen, unde imputetur, VI, 288. Ejus vis, VI, 1234.

Justitiam qualem Judæi ante adventum habuerint, VI, 686.

Justorum injustorumque invitatio qualis futura, V, 715.

Justus an semper sibi similes filios post se relinquat, V, 745. Hoc nomine an dicendus cum cadere possit, V, 758. Prior est accusator sui, V, 738.

Juvencus a vivando Jovis sacrific., V, 207.

Juvenis quis dicatur, V, 705.

K

Kalendarum solemnitates et oblationes quomodo peragendæ, II, 782.

L

Laban quid significet, cujusque figura, V, 42. Diaboli typus, I, 606, 607.

Labium aureum quid, ejusque usus, II, 146, 147. Æneum figuraliter S. baptisma exprimit, II, 215, 216.

Laboch fluvius, V, 322.

Labor divitis et pauperis qualis, III, 987. Ejus finis, VI, 440.

Laboris manuum commendatio, VI, 575.

Labrum quid, ejusque usus, V, 602. Pulchre Christo applicatur, *ibid.*

Labyrinthi descriptio, ejusque quatuor genera, V, 387.

Lac symbolum simplicioris et rudioris doctrinæ, II, 1157; VI, 977; I, 551.

Lacrymarum gratia a Deo datur, III, 47. Pœnitentis apud Deum sunt instar baptismatis, I, 341. Effusarum laus et necessitas, II, 216. Variæ species, IV, 156.

Lactantii de Christo nascituro vaticinia, V, 421.

Lacus quid significet, V, 316, et VI, 978. Lacus Asfalti, Benacus, Tiberiadis, Genesar, *ibid.* Semper in malam partem suscipi exemplis comprobatur, IV, 827.; V, 1245, 849.

Lætari in salutari quid, VI, 1099.

Laganum acymum quid, II, 625.

Laguncula terrea fracta. Judæorum excidium ostenditur, V, 959.

Lamech significat percutiens, V, 33.

Lamentationum Jeremiæ ordo et constructio, V, 1181. Cur ordine alphabetico conscriptæ, *ibid.* Cur institutæ, V, 1185.

Lamia, humana facie et bestiali corpore, Judæorum hypocritarum figura, V, 1249. Et hæreticorum, V, 225.

Lamina aurea fronti pontificis alligata quid signif., II, 199 et 200.

Lampas quid, V, 605. Electorum typus, *ibid.*

Lamuel quid denotet, V, 779.

Lanæ, et lini deflexio, V, 578.

Lancea passionis Dominicæ typus, V, 557.

Lanificii prima inventrix Minerva, V, 568. Ejus usus, *ibid.*

Lapis unde dictus, V, 462. Ejus variæ sign. mysticæ, *ibid.* et VI, 980. Vivus Christus, IV, 167. Eum in altum mittens quis, III, 967.

Lapides grandinis myst. quid sign., III, 1091.

Lapides incorrupti ex quibus ædificatum est altare, et Deuteronomium inscriptum fuit mystice Christi fideles exprimunt, II, 947, 948. Sancti qui, II, 713. Fundamentales proph. et apost. signif., III, 158. Quadri qui, IV, 951. Mensæ cur ex iis factæ, *ibid.*

Lapides fieri qui dicantur, VI, 1109.

Lapsis non oportet improperare, III, 814. Eos Deus erigit, III, 871.

Lapsus Davidis, ejusque pœnitentiæ descriptio, VI, 1322.

Laqueoria quid, V, 404. Prælatorum Ecclesiæ typus, *ibid.*

Larus in aqua et terra vivens quorum figura, II, 537 et 886.

Lateris explicatio, IV, 586. Eum assumens quis, IV, 588.

Latitudo, longitudo, sublimitas et profundum Dei, VI, 425.

Latitudo tabernaculi, II, 169.

Latria et dulia quibus debeatur, II, 135.

Latronis confessio, V, 1510.

Laudes Ezechiæ Deo post adeptas victorias non decantans infirmitate corporis visitatur, III, 264. A morbo liberatus superbia elatus, alienigenis omnes thesauros suos et secreta revelans, omnibus quæ et ipsæ, et Patres collegerant, imo filiis privatur, *ibid.*

Laudibus nonnunquam, quandoque vero terroribus excitandi homines ad pœnitentiam, VI, 753.

Laurus unde nomen sortiatur, V, 511. Victoriæ signum, et cur, *ibid.*

Laus et labor apostolorum et doctorum, II, 1144. Humana fugienda, II, 1214. In ore peccatoris Deo ingrata, III, 862.

Laus et raritas mulieris fortis, V, 580. Ecclesiam catholicam exprimit, V, 581. Ejus vir Dominus ac Redemptor noster, *ibid.* Navis institoris similis, *ibid.* III, 954.

Laus priorum Patrum ac seminis eorum, III, 1081.

Lavare vestimenta quid, II, 635 et 652.

Lazarus qui interpretatur adjutus, quid significat, V, 85.

Lebetes cineres suscipientes quid sign., II, 181. Earum usus, *ibid.* et V, 602.

Lectionum primi institutores Judæi, I, 563.

Lectores et psalmistæ qui, eorumque partes, I, 304; V, 92.

Lectorum sureorum cum sacris eloquiis comparatio, V, 761.

Lectus unde dictus, V, 706. Mystice quid, *ibid.* Funibus textus quid sign., V, 706.

Legalis successio apud Lucam, I, 755.

Legationis Joannis ad Christum Dominum finis, I, 907.

Legem Deuteronomii cur Moyses sacerdotibus descripserit, II, 966. Cur in latere arcæ in testimonium servari jusserit, II, 966, 967.

Legem liberumque arbitrium Paulum non abstulisse contra quosdam probatur, V, 1358.

Legem custodientibus et violantibus quæ merces futura, II, 551-556. Eam cur Moyses in monte acceperit, II, 136 et 871. Christi cur firmiter adhærendum, V, 1436. Moriendum, V, 1410.

Leges holocausti, II, 295.

Legis evangelicæ facilitas et suavitas, I, 874. Ei obediendum, VI, 721.

Legis littera folio volanti similis, II, 565.

Legis triplex acceptio, V, 1540. Et quadruplex, 1424; III, 1341. Testis justitiæ Dei, *ibid.* Qui iram operetur, 1352. In corde scripta quæ, V, 1422. Dei multiplex, 1568; VI, 367 et seq. Ejus custodia serio mandatur, II, 1194. Universæ perfectio, I, 1062-1063. Effectus, V, 1388.

Lex, præceptum, testimonium, justificatio et judicium quomodo inter se differant, II, 693, 696.

Digitized by Google

Lex Moysis num bonitatem, an justitiam contineat, II, 685, 687. Generaliter et specialiter accepta quid signif., II, 698. Homicidii non voluntarii, II, 834, 853. Et voluntarii, *ibid.*, 907. Vetus acetum per traditiones Pharisæorum facta, III, 1208. Imperfecta est, nec sanare quemquam potuit, *ibid.*, 1278. Cedit novæ, *ibid.* Est et vetus hordeum ob imperfectionem, III, 1210. Ventilata a Christo, *ibid.* Ad tempus data, *ibid.*, 1211 Christo cedit in gentibus convertendis, *ibid.*, 1211. Cur peccatum non absulerit, VI, 779 Nova symbolice triticum est et quare, III, 1211. Potior est vetere, *ibid.*, 1218. Cum non justificet lex, cur eam præteriens maledicatur, VI, 290.

Lex sæpe Geneseos historiam denotat et cur, VI, 327.

Legitimum tempus quod, VI, 311.

Leguminum etymologia, eorumque species, V, 506. Typice mortificationem corporis denotant, *ibid.*

Lenticula, qua sacerdotes et reges liniebantur, typus gratiæ Spiritus sancti, V, 602.

Leo quid denotet, V, 45 et 217; VI, 983. Apertis oculis dormiens Christi typus, *ibid.*

Leones juxta manus stantes SS. utriusque instrumenti Patres signif., III, 197. Hæreticis pulchre comparantur, V, 815.

Leopardus vide pardus.

Lepra vestium staminis atque subtegminis quæ, II, 388. Mystice quid sign., II, 388, 389. In veste linea quos figuret, II, 389. Ejus expiandæ sacrificia pro hominibus, II, 390. Item pro domo, II, 398. Ejus notæ, V, 471, 472. A macula distinctio, *ibid.*, 371. Species, *ibid.*, 373. Ejus causa peccatum, II, 374, 386. Ea infecti e castris ejici jussi concinne hæret. denotant, II, 616, 617.

Leprosus a Christo curatus quid significe., V, 75. Eum tangere cum lex prohibuerit, cur Christus sanando tetigerit, I, 854. Cur ad sacerdotes ab eo missus, *ibid.*, 855. Quomodo recludendus sit certo tempore ut probetur per sacerdotem, II, 380. Cur dissutis vestibus capite nudato, et ore contecto incedere jussus, II, 385.

Lepus quasi levipes quos signif., V, 205.

Lepusculus, invalida plebs, Ecclesiæ typus, V, 777.

Lesa quid, I, 529.

Leviathan quomodo ex mari extrahatur, IV, 822.

Levi dicitur additus, *vide ibid.* Cujus figura sit, V, 43.

Levitæ in tabernaculi ministerium assumuntur, II, 605. Loco primogenitorum Israel suscipiuntur, *ibid.*, 606. Eorum numerus, 609, 610 et 637. Quando sint ministri, et quando custodes vasorum, *ibid.*, 639. Bonorum immunitas, II, 537-545.

Levitici libri argumentum, V, 111. Laus, II, 245-247.

Lia laborans interpretatur, V, 40. Ille typus hujus, Rachel æternæ vitæ, III, 1219. Item activæ et contemplativæ, II, 601, 602; III, 1219.

Libani variæ signif. figurales, V, 362.

Liber Ezechieli a Domino datus qualis, IV, 558. Foris et intus scriptus quid sign., *ibid.* Eum comedere jubetur, IV, 561.

Liberator animarum Christus, V, 726.

Liberi cur vocemur, IV, 194.

Liberum arbitrium, *V.* Arbitrium lib.

Libra unde dicta, V, 482. Allegorice justitiam, etc. denotat, *ibid.*

Libri emptionis Baruch traditi cur unus apertus, alter clausus fuerit, V, 1052.

Libri memoriales qui, III, 651.

Libri Sapientiæ quis auctor, III, 671.

Libri varii sacræ Scripturæ Chaldæorum bello interciderunt, III, 72. Quorumdam restauratorum auctor Esdras, *ibid.*

Libri Veteris et Novi Testamenti, quem ordinem habeant et quot sint, V, 103

Librorum varia nomina, V, 224

Libya unde dicta, et cur Africa vocata, V, 351.

Libyes unde nominati, III, 283.

Licia interpr. lacrymans, et cur, V, 545.

Ligandi, absolvendique potestas quibus concessa, I, 992.

Ligna levigata arcæ structuræ servientia quid denotent, I, 514.

Ligni paradisi, et ligni Christi diversitas, III, 360.

Lignum scientiæ boni et mali, qui malum dicatur, I, 481. Illud confringere mystice quid, III, 254. Benedictum, et maledictum quod, III, 736, Offensionis quod, III, 988. In panem id mittere allegorice quid signif., V, 895. Eorum quatuor genera et notiones, VI, 771, 985.

Lilia columnas vestientia electos signif., III, 169, 437. Et Christum, V, 528.

Lincisci cur aliqui canes dicantur, V, 222.

Linea stricta unde cognominetur, II, 191.

Lingua qua Deus lucem tenebras appellarit, I, 448.

Lingua suaviter docens omnem harmoniam excedit, III, 1053.

Lingua tertia quid, ejusque effectus, III, 971.

Linguarum diversitas unde orta, V, 455; III, 284. Præstantiores quæ, V, 485. Græce, et Latinæ encomium, earumque divisiones, V, 455, 456.

Litania Fuldensis et S. Galli, VI, 1122.

Litaniæ et supplicationes quæ dicantur, V, 138.

Litaniæ versu factæ, VI, 1629, 1630. Earum formula, *ibid.* Approbatæ et in S. Galli monasterio receptæ, VI, 1630, (*note*).

Litteræ immortales, VI, 1601. Ad eas exhortatio, VI, 1679.

Littus unde dictum, V, 372.

Loci diversæ acceptiones, VI, 987.

Locus communis de pœnitentia, V, 567. Jejunio, *ibid.*, 690. Superbia, *ibid.*

Locus contra Ziglerum, III, 616.

Locus maligni spiritus, corda peccatorum, IV, 569.

Locustæ quos significent, V, 257. Gentium plebis figura, V, 777. Ægyptiis immissæ quid signif., II, 42. Earum morsibus impii consumuntur, III, 744.

Locutio pauperis et divitis qualis, V, 749. Divinæ distinctio, I, 749. Ad homines qualis, I, 555.

Lolium peccatores notat, V, 529.

Lot interpretatur declinans, vide, *ibid.* Cujus typus fuerit V, 36. Cur viros Sodomam advenientes adoraverit et sospitio susceperit, I, 555. Ejus filiæ quos denotent, V, 36.

Lotharius imperator, I, 1674 (*note*). Ejus obitus, *ibid.*

Lotio Moysis et Christi quomodo differant, II, 325.

Lubricum unde cognominatum, V, 572. Vitia denotat, *ibid.*

S. Lucas cur imaginem vituli præ se ferat, V, 71.

Lucifer significat lucem sapientiæ et intellectus, V, 274. Ejus elatio et ruina, III, 1046.

Lucerna *vide* lux, in nocte exstincta quid signif. myst., V, 785.

Lucernæ septem, dona septem Spiritus sancti denotant, II, 633. Sub modio positæ signif., I, 804.

Lucernas inter et candelabra distinctio, III, 181. Harum ordo et notiones mysticæ, III, 447, 448. Earum concinnandarum, olei ue offerendi ritus in tabernaculo, II, 515-517.

Luctamen Jacob cum angelo quid significet, V, 321.

Luctus Josephi ob discessum patris Jacob, I, 668. Ejus varia indicia, I, 864, 875, 955, 1124, 1363. Mortuorum immoderati prohibitio, VI, 536.

Lucus et delubra juxta altare exstrui prohibita, mystice quid signif., II, 501.

Lucus unde derivetur, V, 371. Aliquando errores denotat, *ibid.*

Ludentes cum Davide ante arcam quales, III, 338.

Ludorum feralium detestatio, I, 533.

Ludus Gymnicus, ejusque exercitium, V, 549. Ejus genera, *ibid.*

Lumbare sive cinctorium quid, I, 903.

Lumborum nomine mortalitatis propago exprimitur, IV, 546.

Lumbos fortitudine accingere quid, V, 709.

Lumen, *V.* lux, diurnum quale fuerit ante creationem siderum, I, 454.

Luminaria cœli, V, 267. Usibus humanis necessaria, I, 455. Cur, ubi et quomodo facta, *ibid.* Die quarto facta quid sign., *ibid.* Magna quæ, *ibid.* et 454.

Lunæ laboranti vociferatione ac subvenientium, et defectus ejus multis studiis, more paganico, adjuvantium, increpatio, VI, 78. Ejus decursus flebat omne computum temporis et annales decursum metiebantur, II, 1072. Suos menses ab ejus nomine vocarunt, *ibid.* Ecclesiæ typus, *ibid.*

Lunæ signif. pulchre litter. et mysticæ, V, 208; VI, 901.

Lunaticus quis, I, 1002. Cur a demone invasus, I, 1005.

Lupanar quid, V, 333.

Lupus Satanam et hæreticos signat, etiam sanctum Paulum, V, 295.

Lustra quid signif., V, 370.

Lutberg. I Hirsaug. abb., I, 92

Luteri mensura, III, 176. Mystice quid, III, 41.

Luti significatio, V, 332.

Lux an eadem ante creationem siderum, quæ nunc. Ejus variæ signif., V, 265; VI, 989. Quo loco sita, I, 448.

Luxuriæ detestatio et malitia, VI, 1571. Contra eam remedium, II, 1572 Ejus natura et origo, VI, 1570. Sectatores suos qui vexat, VI, 1571. Ejus notæ, *ibid.*

Luxuriant animi rebus secundis, I, 1116.

Lychnus unde dictus, V, 605.

Lydia, et Lycaonia unde, V, 344.

Lyncis urina convertitur in duri instar lapidis pretiosi, V, 222. Typus mendacium, *ibid.*

Lyra unde cognominata, III, 746. Ecclesiæ figura, *ibid.*

Lyrani sententia improbabilis, refutatur, III, 602.

Lysias sacerdotium venditurus apostata hæret. vineam Domini vastantium typus, III, 1244.

Digitized by Google

M

Macedonia unde dicta, ejusque situs et fertilitas, v, 548. Alex. Magnum genuit, *ibid.*

Macellum unde cognominetur, v, 569.

Maceriæ interpret. mystica, v, 407.

Machabæorum septem fratrum, eorumque matris martyrium, III, 1256, 1257. Mystice quos denotent, *ibid.* Mater eos ad passionem hortatur, *ibid.* Quid figurent, v, 66.

Machir cujus filius, ejusque bellum, typus apostolorum et Ecclesiæ doctorum, II, 1144.

Macrobii qui, v, 197.

Maculam in via habens quis, IV, 963.

Macularum sacerdotium, sacrificiumque impedientium varia genera, II, 485, 486.

Madianitæ obruunt Judæos bello, servos habent octo annis, omnia vastant innumerabili suo exercitu, II, 1152, 1153. Sunt typus gentilium persequentium Ecclesiam, II, 1154 Heb. extra judicium, *ibid.* Vires accisæ; rursus sub Gedeone, *ibid.* Epicureos notant, II, 1130.

Magdolus quid, v, 1107.

Magi quid figurarint, et quid muneribus suis invenerint, v, 75. Primus auctor rex Zorostes, v, 422. Dudum consopitæ suscitator Democritus, *ibid.* Eorum differentiæ, II, 726. Eorum ars cur prohibita, *ibid.* Fugienda, II, 459, 460 et 463, 464. Quales sint, IV, 1057. Eorum vis, *ibid.* Varia eorum genera, *ibid.* Unde et a quibus artes magicæ inventæ, IV, 1098. Quomodo vera prædicant et ægros sanant, IV, 1099. Eorum celeritas, *ibid.* Varii effectus, *ibid.*

Magiæ gravitas variis sanctæ Scripturæ locis comprobatur, v, 22. Variæ species et effectus, *ibid.*

Magistrorum gravia onera imponentium, nec digitis tangentium increpatio, I, 1066, 1067.

Magnetis etymologia et proprietates, v, 465.

Magnificare Dominum quid, VI, 1133.

Magnitudo et terribilitas Dei, II, 868.

Magnificus vere quis habendus, v, 358.

Mali festivitatum celebrium descriptio, IV, 1142.

Major natu loquatur oportet, III, 995. Cathol. doctores hoc nomine intelligendi, III, 994.

Mala mandragorica invenire quid, I, 600.

Mala imprecanda non delectatione pœnæ, sed amore justitiæ, III, 620.

Mala pœnæ fortiter esse toleranda, VI, 807.

Malachias cur vocetur angelus Domini, v, 69

Malis quomodo Deus utatur, II, 40.

Malogranata uno foris cortice, multa interius grana circumdantia apta sanctæ Ecclesiæ, unius fidei munimine innumera electorum agmina includentis figura, III, 169, 436.

Malum et non bonum quomodo inter se differant, IV, 722. Non bonum cur Deus Israelitis præceptum dederit, IV, 722, 723. Quandoque causa boni, VI, 706.

Malorum et bonorum differentia, VI, 1328.

Male quærens, responsum non meretur, v, 727.

Male parta male dilabuntur, v, 752.

Maledictio manens impios, III, 1055.

Maledictio diei nativitatis, v, 967.

Maledictiones conglobatæ impiorum, II, 948-961.

Maledictionis Pauli apostoli contra persecutores Ecclesiæ defensio et interpretatio, VI, 342.

Maledictus Cain maledicti populi Judaici typus, I, 504.

Malitia Israelitarum pœna interpretatur, II, 224.

Malleus universæ terræ, v, 1148. Quis fregerit, *ibid.* Quando a Deo, et quomodo a nobis confringatur, v, 1149

Malleum inter et incudem versari quid sig., v, 1149.

Mambres cur dictus mare in capite, v, 52.

Mammeti (S.) cum pecoribus suis in montem fugienti, et ibidem sancte viventi martyrium denuntiatur, IV, 1163.

Mammona iniquitatis quid; ejus etymon, I, 836. Ei servientes qui, *ibid.*

Mamzer, hæreticorum pravitate in sacramentorum susceptione degenerem factum signif., II, 929.

Manasse tribus non delet Chananæorum urbes, et cum illis habitat, neque Bethsan expugnat, II, 1098.

Manassen idola coluit, et non impune, III, 265, 522. Ejus crudelitas ibidem, pœnitentiæ insigne exemplar, III, 522. Ejus etymol., v, 49, 63.

Mandata Dei servantes num infirmitatibus careant, II, 76; non sunt impossibilia, II, 534; ea contemnentes qui, II, 556, 557; non procul posita nec gravia, sed in nostra manu sunt, II, 964.

Mandati, judicii et cæremoniarum discrimen, II, 870.

Mandatum maximum quod, II, 507, 865, 866, 899.

Manentium in Christo merces, IV, 242.

Mane, extremum judicium significat, v, 686. Varias *vid.* notiones, VI, 992.

Mane quomodo Deus exsurgere dicatur, v, 859.

Manichæorum duas naturas, bonam scilicet et malam in Deo constituentium error, III, 365; eorum Christum hominem negantium error inde ortus, VI, 424.

Manna quando defluerit, II, 78. Quid significet, *ibid.* Mystica ejus interp., II, 869.

Manue pater Samson e stirpe Dan, ejus uxor sterilis audit ab Angelo concepturam se filium, III, 1190. Qualis is futurus, *ibid.* Num Manue angelo offerre voluerit sacrificium an vero Deo, III, 1191. Cur putarit se moriturum viso angelo, *ibid.*

Manum in aratrum mittere quid, IV, 514.

Manus Mosis lepra percussa et sanata quid denotet, II, 23. Variæ ejus accept., VI, 993.

Mappulæ sacerdotalis interpretatio, I, 309.

Marach unde cognominetur, II, 75, 76.

Marbonæorum hæresis, v, 95.

Marcelli (S.) martyris constantia insignis, IV, 1166.

Marcellini papæ martyrium, v, 1129.

Marcionis, Valentini, etc., hæretic. canteriata conscientia, III, 645.

Marcus (S.) cur Leonis figuram teneat, v, 71.

Mardochæus unde oriundus, III, 645. Apostolum Paulum figurat, *ibid.*; et cæteros Ecclesiæ doctores, *ibid.* Sacco indutus, et interitum Judæorum destinatum plangens magistros Ecclesiæ figurat, III, 654.

Mare quia aquæ ejus amaræ, v, 455; I, 451. Metaphorice hominem denotat, v, 212, 213. Fusile figuram lavacri Salvatoris tenet, III, 171; ejus usus, *ibid.* In malam partem et bonam suscipitur, VI, 1121. Corda infidelium sig., *ibid.* Rubri variæ sign., II, 66. Ejus divisio qualis, v, 312, 313. Qui illud transire possint, VI, 1111. Populos designat, *ibid.* Ejus turbationem cur Deus excitarit in navicula dormiens, I, 863. Mortui natura miranda, I, 314.

Maria soror Aaronis typus synagogæ, v, 53. Cum fratre Aarone in mitissimum Moysem murmurat, II, 661, 662. In pœnam lepra inficitur, II, 664. Moyses pro illa orat, II, 666. Moritur, v, 784; II, 850.

Maria (S.) cur dicatur illuminatrix, sive stella maris, vel domina, v, 75; ejus litteralis et mystica interpretatio, I, 744.

Marmor unde dictum, ejusque diversi colores et species multiplices, v, 465.

Martha et Magdalena activæ et contemplativæ vitæ figuram exprimunt, IV, 512.

Martii celebritates, ejusque sanctorum vitæ et martyria, IV, 1134.

Martini (S.) confess. et pont. encomium, IV, 63. Liberalitas in pauperes, *ibid.* Baptizatus episcopus ordinatur, *ibid.*

Martyr extra Ecclesiam nullus, v, 857.

Martyrium suum apost. Paul. prædicit, VI, 651.

Martyres cur testes dicti, et quot genera martyrii quisque primus martyr, I, 951. Animas suas Deo sponte offerunt, II, 1138. Mortem spernunt, *ibid.* Benedicunt hostibus devictis Deum, *ibid.* Eorum encomium, II, 1164. Corpus suum despiciunt, verbum fidei ubique prædicant, II, 1183. Terribiles gentibus, *ibid.*; eorum constantia plurimi ex gentibus idololatria relicta ad fidem conversi, III, 665. Pœnas persecutores eorum non fugient, v, 716; eorum gloria et patientia, IV, 68.

Masculis ter in anno præsentatis, cur feminarum non fiat mentio, II, 900.

Masculus sine macula quis, II, 268.

Masphat urbs in tribu Juda, quid heb. undeque dicta, III, 33. Cur orationis potior locus, III, 1153.

Mater omnis animalis natura est, habens sub se omne genus peccatorum et justorum, II, 498.

Mater Dei reparavit quod Eva destruxit, IV, 54.

Matris mores proles facile imbibit, IV, 687. Quid significet, VI, 996. Unde dicta, v, 185.

Mathathiæ et filiorum ejus ob afflictionem populi pœna, III, 1140, 1143. Salvatoris nostri typus, *ibid.*; ejus origo et filii, *ibid.*; eorum explicationes, *ibid.* et III, 1142. Mathathias moritur, III, 1148.

Mathematicæ etymon; ejus divisio, I, 398, 399.

Mathusalem interpretatur mortuus, v, 33. Quomodo quatuordecim annos post diluvium vixerit, I, 510, 511.

Matrimonii tranquille transigendi instructio, VI, 456; ejus præstantia, VI, 461, 551.

Matrona nobilis monasterium ingressa a dæmone arrepta moritur, I, 92-96.

Matthæus (S.) cur symbolum hominis gerat, v, 71; cur quoque ordine et sermone Evang. scripserit, I, 731; ejus etymologia, I, 873; ad apostolatum vocatur, *ibid.*

Mauri (S.) vitæ probitas et martyrium, IV, 1182.

Mauritaniæ origo, v, 352.

Digitized by Google

Maxilla dolores significat Eccles., v, 154.

Medi cur a mensurando dicti, v, 336.

Media unde dicta, et ejus situs, v, 336.

Medici corporales et spirituales honorandi, III, 1080. Varii variis medicamentorum generibus utuntur, III, 1031. Eorum necessitas, III, 233. Ulcus secturi consuetudo, VI, 13.

Medicinæ significationes pulchræ, V, 500; ejus requisita, *ibid.* Inventor Apollo, *ibid.* Sopitam longo tempore Hippocrates revocavit, *ibid.*; ejus dignitas, *ibid.*; a Deo homini data, III, 1031.

Meditari et columba quid, VI, 1096.

Meditatio legis divinæ ecclesiasticum virum cum primis decet, III, 800.

Mediterranea mare magnum appellatur, V, 312.

Medorum et Persarum crudelitas, V, 1157.

Mel cur in sacrificiis Dei non oblatum sit, II, 823. Doctrinæ sapientis confertur, et cur, V, 757.

Melchisedech quid significet, V, 35. Panem et vinum offerens, Abrahamo ejusque militibus victoribus benedictionem impertivit, I, 540. Sine patre et matre ab Apostolo commemoratur, *ibid.* Christi sacerdotis nostri figura, II, 503.

Melior vir stultitiam quam sapientiam abscondens, et cur, III, 1059.

Melior iniquitas viri quam mulier benefaciens quomodo intelligendum, III, 1062.

Melo quasi mella captans, V, 226.

Melos a rotunditate dicta, V, 356.

Membra corporis humani quid in Scriptura signif., V, 163. Varia explicantur, V, 163 *et seq.* ad V, 179. Plus peccantia majori pœna afficientur, V, 745. Ea mortificantium merces, V, 1541.

Mendacia Judith veniali noxa non caruere, III, 624.

Mendacii se arguendus Jacob, dicendo fratrem se secuturum, cum alio iter deflexerit, I, 613.

Mendacium an unquam possit esse justum, II, 447. Quotuplex ejusque gravitas, III, 676. Detestatio, III, 899. Furto præfertur, *ibid.* Veritatem imitatur, V, 975. Quomodo committatur, VI, 1394. Ejus varia genera, *ibid.* Nullum quantumvis leve sine peccato est, VI, 1395.

Mendax homo quis, V, 1329, 1330.

Mens nil mali sibi conscia omnia ridet, V, 941. Quomodo virtutibus excoleuda, IV, 565.

Mensa, cui panes propositionis impositi sacram Scripturam, etc., præfigurabat, III, 180: Panes qui, *ibid.*; III, 419, Domini qui adeunda, III, 356. Quomodo Judæis in laqueum optetur, V, 1426. Et scandalum, *ibid.*

Mensæ tabernaculi præceptio, et factura litter. et mystica, II, 146, 176. Variæ interpret., VI, 998. Alienam inspicere quid, III, 1056.

Mensis Dioscorus et Pandicus quis, III, 1244, 1245.

Menses tres, quibus arca in Obededom commorata est, tres virtutes theol. denotant, III, 85, 341.

Mensium numerus et significatio, V, 500.

Mensura quid, et variæ ejus vocab. interpret., V, 185 *et seq.* Et multiplices eorum myst. explicationes, *ibid.*

Mensurarum virum diversæ linguæ, V, 410.

Mentem ex desidia venditam qui possumus recuperare, II, 536, 537.

Mentium deceptores qui, VI, 568, 670.

Humanis cur diversæ gratiæ et virtutes infundantur, V, 717.

Menstruata mulier colens qualem prolem gignat, V, 1194. Ejus mundatio, II, 409, 410. Eam cognoscere illicitum et cur, II, 439, 468.

Merces justi visio Christi, V, 719.

Mercedem prophetæ aut justi accipere quid sign., I, 906.

Mercenarius prædicator verbi Dei, II, 449, 450. Ejus merces, *ibid.* Fraudare eum quam grave, *ibid.* Hæret. et Judæos sign., V, 201.

Mercenarium inter et pastorem ovium distinct., IV, 187.

Meretrix cur Israel vocetur, V, 816. Quomodo Ecclesiæ maculæ expertis figura sit, III, 126. Earum opera et proprietas, V, 706; IV, 682, 683. Earum merces, *ibid.* Earum coram Salomone altercatio, III, 126. Ejus decisio, *ibid.* Quorum typum teneant, III, 129.

Mergus luxuriosos signat, V, 248.

Meristarum figmentum, V, 95.

Meritum domini famulis quandoque imputari, I, 860.

Meritis Abrahæ Lot ab incendio liberatur, I, 558.

Meritorum gloria distat in resurrectione mortuorum, VI, 151. Eam quandoque licere manifestare, VI, 233. Eorum examen, VI, 1591.

Merum calefaciens Assuerum gratiæ Spiritus sancti figura, III, 642.

Messis tempore quæ cura nobis esse debeat pauperum et peregrinorum, II, 445, 446, 527, 941.

Mesopotamiæ etymologia, V, 337. Ejus varia vocabula, *ibid.*

Metalli etymologia, V, 474.

Michæ de impii Achabi deceptione per spiritum mendacem vaticinium, III, 219, 491.

Michæas ab obvio se lædi præcipiens quid portenderit, III, 216. Ejus ad Josaphat et Achab de regno Israel vaticinium, III, 490. Quid sign., V, 69.

Michol Davidem humiliatum despiciens, typus eorum qui Christum professione, Antichristum vero opere sequuntur, III, 83, 86. Davidis cum sit uxor, cur filia Saul dicatur, *ibid.*

Militiæ quatuor genera, V, 451.

Milites sæculi inter et Christi discretio, V, 1227. Discrimen singulorumque officia, V, 450.

Millenarius numerus perfectionis significatio, III, 169.

Milvus, V, 252.

Minor filius Isai, reprobatis majoribus ad regnum cur evectus, III, 49.

Ministerii Novi Testamenti commendatio, VI, 178 *et seq.*

Ministerio Veteris Testamenti inservientia longe viliora esse Novi, VI, 768, 769.

Ministri Dei Decalogi observantiam servare debent, III, 389. Qui veri, III, 552.

Monocentaurus quid, V, 196.

Miphiboseth filius Jonathæ a Davide humaniter susceptus, et ad divinum ministerium electus, III, 95, 96. Ab eodem filiis adjunctus mensæ adhibetur, *ibid.*

Miracula *vide* S. Alexandr. et litt. reliquiæ. Dei cur prædicanda, III, 557.

Miracula nativit. Christi præcedentia, I, 754. Quod omnium maximum, I, 1043.

Mirra vel Mara locus ubi aquæ versæ in dulcem saporem, V, 56.

Misaac, *vide* Misahel, V, 70. Quid signif., *ibid.*

Misericordia Dei super omnia opera ejus, VI, 1147. Peccata remittit, V, 732. Ejus opera nunquam mercede carent, III, 779. Necessitas, IV, 92. Ejus nomine quæ bona significantur, V, 1550. Hanc desiderantes, eadem cum dimissione delictorum proximi exercenda, IV, 25.

Missæ sacrificium pro defunctis, I, 90. Quid sign., I, 321. Institutor Christus, *ibid.* Ejus cæremonias varias varii pontif. et episcopi instituere, VI, 1177. Ordo eam celebrandi, *ibid.* Ejus partes ad amussim recensitæ, *ibid.* Explicatur, VI, 1179.

Missio Mosis ad Pharaonem, Domini, legem mittentis typus, II, 21, 22.

Missio Jeremiæ et Isaiæ ad prædicationis munus qualis fuerit, V, 797.

Moab unde derivetur, V, 36, 579. Ecclesiæ persecutorum typum tenet, III, 224. Et superborum philosophorum, III, 227; V, 1107.

Moabitarum cum Israelitis fornicatio et idololatria, II, 767-769. Principes Israel ideo suspenduntur, *ibid.* Finem scelus hoc vindicanti perpetuum sacerdotium datur, II, 770. Ab Ioab oppressi, II, 1131.

Modestia in verbis servanda, II, 963, 964. Et in mensa spiritali, II, 99.

Modicæ visionis Dei explicatio, II, 196, 218.

Modulo se quisque suo metiatur necessum est, III, 817.

Mœchari ligna et lapides quid sign., V, 829.

Mœchia quid signif., II, 104, 865. Ejus pœna ex conc. Heliber., V, 1468.

Moguntiacensis Eccles. his ortæ obscuritas quoad seriem Episcoporum, oblivionem, ordinem, nomina, VI, 1633, *note.*

Mola unde dicta, V, 603. Pœnitentium typus, V, 1171.

Molentes duæ in mola, et duo in lecto mystice quid signif., I, 1079.

Moloch immolans morte plectendus, II, 451. Luciferi typus, II, 461, 462.

Momenti significatio, V, 286.

Monachi Fuld. mittuntur Hirsaugiam, I, 96.

Monachi unde dicti, V, 93. Eorum multa genera, extra cellam sunt sicut pisces extra aquam, I, 72. Iis post professionem ad mundum reverti non licere, V, 1422. Eorum studium quando tepescere cœperit, I, 86.

Monaster. Hirsaugien. construct. ab Erlafrido Comite, V, 360. Unde ortum, V, 391.

Monere in faciem quid signif., I, 824.

Monoceros, *vide* Unicornis.

Mons Olivarum figur. Spiritus sancti gratiam repræsentat, V, 361. Pestifer quis, V, 1169.

Mons offensionis idoli cur dictus, II, 269.

Mons excelsus nimis, Christus Jesus interpretatur, IV, 882.

Montes quid, V, 559. Varia variorum nomina et interpretationes, V, 561. Superborum typum habent, III, 536. Et extremi judicii, III, 655. Quo sensu dolere dicantur, III, 507. Quo modo moveri aut perturbari commemorentur, V, 814. Varias signif., II, 1000.

Montes hæreticorum Valent. et Marcion, IV, 822. Eorum colles qui, II, 823.

Monstrorum varia genera, V, 196, 197.

Moræ foliorum vis mira, V, 313.

Morales virtutes quæ, earumque actiones, V, 417.

Morborum variorum fontes, V, 581. Variæ eorum species, et mystice qui intellig., *ibid.*

Moria mons visionis interpret. et cur, III, 423.

Morieris, et non vives quid signif., III, 250.

Digitized by Google

Mori desiderans Apost. cur carne exspoliari formidarit, VI, 484.
Mors unde dicta, V, 194. Ejus tria genera, *ibid.* In fine mundi destruetur, II, 1138. Num sibi ipse inferre quis possit, II, 1185; IV, 1253. Razias et Samson mortem sibi inferentes quomodo excusandi, *ibid.* Justorum deploranda, III, 634. Peccatum ejus causa, III, 877. Sanctorum quæ, *ibid.* Vitæ amaræ prævalet, III, 984. Quotuplex, III, 912. Ejus memoria cui amara et cui non, III, 1055, 1056. Non est metuenda, II, 1185; II, 1056. Quomodo Christo sit dominata, V, 1394, 1395. Per fenestras intret, V, 1395. Inimici non sit gaudio, III, 815. Quomodo cum peccato in omnes homines mundumque introierit, V, 1559.
Mors Domini cur mors, ejus vero servorum somnium dicatur, VI, 554 et 565. Mortis Christi et resurrectionis effectus, IV, 34 et 42.
Mortale corpus quod, V, 1395.
Mortalia peccata quæ, VI, 1537. Eorum satisfactio, *ibid.*, VI, 1539.
Mortificationis fructus, V, 1115.
Morticina tangens polluitur, II, 360, 363. Cisternæ et fontes cur non polluti tactu eorum, *ibid.* Nec sementes, II, 365 et 888.
Morticinis et captis bestiis abstinendum, et quare, II, 434. Mystice quid, *ibid.*
Mortui quomodo deplorandi, III, 945. Eorum perennis sit memoria, *ibid.* Qui censendi, V, 890. Eorum resurrectio, VI, 215. In Christo qui, VI, 556. Iis sæpe honor exhibetur, qui vivis negabatur, III, 246.
Mortuum parentem cur discipulus a Domino sepelire prohibitus, I, 862.
Motio cordium bifaria, IV, 571, 572.
Moyses quomodo dicat propter Israel Dominum sibi iratum esse, cum, alibi incredulitati ipsius id tribuatur, II, 846.
Moysis et Domini sanctificatio qualis, II, 478.
Moysis interpretatio litteralis et mystica, V, 52. Ejus uxoris Ægyptiacæ notio, *ibid.* In monte Thabor cum Elia quid denot., V, 77. Ejus tumulus ubi, III, 360. Aquis expositus, et inde extractus, ac matre sua nutritus, jussu filiæ Pharaonis, II, 14, 15. Lac alienigenarum mulierum refugit, *ibid.* Unde nomen invenerit, *ibid.* Mystice quid hoc facto significetur, *ibid.* Ægyptium cum Hebræo altercantem perimit, II, 16, 17. Juxta puteum puellarum greges adaquans quos figuret, *ibid.* Tarditatem linguæ prætendens a Deo reprehenditur, obstaculo remoto, II, 24, 25. Ejus de Christo Prophetia, II, 563 Variæ acceptiones mystice, II, 627-630. Terra promissionis ex monte monstrata mors denuntiatur, II, 776, 777. Causa hujus visionis, *ibid.* Ejus laus, III, 1086. Populum electum ducens Christi figura, III, 719. Qua fide mortuus, VI, 800. Cum fratre Aarone Domino non credens ingressu terræ promissionis arcetur, II, 740. Omnem in ligno pendentem maledictum pronuntians, an in Christum contumeliosus censendus, II, 921. Cur Aaroni in benedictione populi, et synagogæ adjumento fuerit, II, 340. Aaronem sufficit sibi in ducem, II, 965.
Moysen et Samuelem cur Dominus, relictis aliis Patribus se non exauditurum dixerit, V, 922. Item Abrahamum et Danielem, IV, 661.
Mugilli agilitas, V, 238.
Mulieris post lapsum miseria et servitus, I, 496. Ecclesiæ typus, *ibid.* Eam ducens actionum terrenarum curam suscipit, II, 636. Variæ sign., VI, 1002. Profluvio sangu. laborans cujus typus, V, 76; I, 857. Item dragmam perdens, V, 77. Fermentum abscondens in satis tribus, V, 81. Conterens caput serpentis quæ, V, 493. Ecclesiæ typus, in quo, V, 719. Diligentis encomium, II, 1531. Litigiosæ vituperium, II, 751-746-764. Cur ex viri latere facta, III, 875. Quid denotet, *ibid.* pulchræ in bello captæ cur nubens cæsariem radere, ungues præcidere et vestes deponere jussus, II, 915. Myst. quid., *ibid.* Mortem viri deplorans coram Elisæo pulchre S. Ecclesiam designat, III, 228. Multicola quæ, III, 820. Extranea hereticorum typus, V, 690. Pulchra et fatua sui, circulum aureum in naribus gestanti comparatur, V, 717. Fornicaria pravæ doctrinæ confertur, III, 911. Ædificans et destruens domum suam, animam denotat, V, 726. Quærens lanam et linum Ecclesiam mystice signif., V, 781. Considerans agrum, supernæ hæreditatis typus, V, 784. Stulta et clamosa hæreticorum insignis figura, V, 711. Aliena non aspicienda, III, 1062. Ejus consortium quam cautum esse oporteat, III, 819, 1061.
Mulierculæ de tribu Juda quomodo a presbyteris spe Messiæ ad illicita perductæ, V, 1021.
Mulieres ab ingressu Monast. Fuld. arcentur, I, 193. Cur iis in Ecclesia tacendum, VI, 136.
Mulieres et animalia in usu Venereo formas extrinsecas intus mittunt, V, 217.
Mulieres fructum ventris sui quæ et cur comederint, V, 1211. Mystice quid sign., V, 1234. Alienigenas Salomon adamans in idololatriam lapsus, III, 298.
Mulierum et matronarum nomina in Evang., V, 82.
Mulierum pœna, II, 569.
Mulus a molando stultos denotat, V, 216.
Mullus libidinem arcet et visum hebetat, V, 258.
Munda inter et immunda animalia distinctio, eorumque signif. mysticæ, II, 118.
Mundus per quem quomodo, et quando factus, I, 443-445. An fuerit ab æterno, *ibid.* Quando factus, *ibid.* Ejus materia informis, I, 446. Ejus in duas regiones divisio, I, 450, 451. Cur a luce inceptus, I, 446. Ejus perfectus ornatus, I, 452. Cur sex alias, alias septem diebus creatus dicatur, I, 464. Ejus variæ significationes, V, 258. Ejus tria mala, *ibid.* Ejus quatuor plagæ, *ibid.* Myst. quid sign., V, 239. Quo modo formatus, II, 641. Ejus deliciæ in extremis hominem deserunt, II, 982. Quomodo eum Christus vicerit, IV, 173. Quomodo eum S. sanct. arguat de peccato, cum Christus eumdem in terris reprehenderit, IV, 209.
Mundus, cœlum, semenque Israel an sit perpetuum, IV, 89.
Mundi corde Deum videbunt, V, 751.
Mundum natura, qui immundum efficiatur, V, 1589.
Munera humeris paria sumenda, V, 745; III, 892. Triplicia, V, 1115.
Munimentum quid, V, 406.
Munitionum variarum explic. lit. et myst., V, 384.
Murena feminei tantum sexus a serpente concipit, V, 238.
Murmuranti populo aqua contradictionis e Petra fluit, II, 709. Morsu serpent. puniti, IV, 285.
Murmurationis gravitas, III, 676.
Murmuris pœna perplexi Judæi, II, 654, 655. Coturnicem, etc., carnes impetrant, *ibid.* De eorum esu, II, 661. Mystice quid sign., *ibid.*
Muro Cathol. fidei destructo vitii civitas patet, III, 1024.
Murus forinsecus quis, IV, 890. Quid sign., VI, 1005; V, 385.
Mus ab humo dictus, V, 226.
Muscæ significatio, V, 258. Cur iis Ægyptii afflicti, II, 37.
Musculus ballenæ masculus, V, 237.
Musicæ primus usus, V, 258. Unde orta, V, 495. Variæ de ejus origine opiniones, *ibid.* Ejus usus, effectus et discrimen, *ibid.* Ecclesiam denotat, III, 345. Luctui inconveniens, III, 910. Ejus in convivio jucunditas, III, 994. Carbunculo apte comparatur, *ibid.* Laus et necessitas, I, 401. Gentil. 9 superstit. finxere, *ibid.*
Musicorum instrumentorum multiplices myst. sig., V, 499.
Musio sic dictus quod mures captet, fulgore luminis noctis tenebras superat, V, 226.
Mustelæ duo genera, V, 240; V, 226.
Musti virtus mira, V, 596. Vide plura, *ibid.*
Mutabilitas cum Deo non conveniat, cur in sententia de Ninive, etc., non permanserit, II, 739.
Muto os aperire quid sign., V, 780.
Muti quos signif., V, 75.
Mysteria quartæ diei qualia sint, I, 455. Varia in Ecclesia humanæ menti impenetrabilia, II, 615.
Mysterium suum in omni sapientia et prudentia quomodo Deus notum fecerit, VI, 389. An Abraham, Jacob, reliquosque Patriarchas latuerit, VI, 413. Investigabile cum sit, quomodo ab Apost. revelatum, VI, 418.

N.

Naas Ammonites pugnat contra Jabes Galaad, et de oculis dextris eruendis singulorum paciscitur, I, 820. Allegorice significat hæreticos, *ibid.*
Naaman litter. et mystice quid sign., III, 231. Ejus lepra idololatriam designat, *ibid.* Ab Elisæo a lepra curatur, III, 232. Ejus indignatio a famulis sedatur, Jordanis aquis septies mundatus Bapt. typus, *ibid.*
Nabal durus typum tenet Judæorum, III, 64.
Nablum quid, III, 344. Ecclesiæ typus, *ibid.*
Naboth quid sign., V, 65. Vineam suam Achabo recusans, falsis testibus introductis lapidatus est, III, 217. Mystice commode Christi a principibus falso accusati et cruci affixi typus, *ibid.*
Nabuchodonosor Joachim sibi mancipans principis confusionis, et tenebrarum typum præ se fert, III, 272. Jerusalem obsidione cingit, III, 276. Filios Sedeciæ exoculavit, *ibid.* Quid denotet, *ibid.* et III, 501. Per diversas regiones nuntios mittens, Christi Salvatoris nostri typus, III, 545. Furore et arrogantia ductus bellum instaurat, III, 604. Diis exterminatis per Holofernem, tanquam Deus coli voluit, III, 566. Israelitis aquæ ductum præcidens quos imitetur, III, 556, 611. Nabuchod. hic quis ex Philonis sententia fuerit, III, 572. Typus Diaboli, V, 65. Ventis confertur, V, 836. Ejus cum Tyriis hostilis congressus, IV, 803. Tribus vicibus terram Juda vastavit, V, 1181.
Nabuzardan quid sign., III, 276, 277. Templum Domini et Regis incendit, III, 276.
Nadab et Abiu alienum ignem offerentes a Domino occiduntur, II, 341 et

Digitized by Google

et 342. Aliena docentium typum tenent, *ibid.* A populo, et non a sacerdotibus plangantur, II, 344.
Naeman denotat gentes convertendas, V, 67.
Nahaliel litter. et mystice quid, II, 718.
Naid quid signif., I, 507.
Nascentia carnis quæ, VI, 1143.
Nasoparvo quis, II, 485.
Nathan Davidem adulterii reum increpat, III, 1095.
Nativitas Domini cur a PP. instituta, I, 343. Ejus nocte missas celebrare cur, et a quo indultum, *ibid.* Quomodo celebranda, IV, 10.
Nativitas duorum filiorum Adam duorum populorum figuram habet, I, 503.
Nativitatis Joannis Bapt. mystica interp., IV, 342.
Natura est quæ nasci aliquid facit, V, 137. Dei investigabilis, IV, 912. Immutabilis, *ibid.* duas Deus Pater in Christo operatus, V, 629.
Naturas duas et substantias statuentium hæresis, V, 1352.
Naturalem usum in usum contra naturam immutantium gravitas et detestatio, V, 1303.
Naturaliter cum Deus non irascatur, quomodo ipsius indignatio stillare dicatur, V, 864.
Naum, consolator, sive germen interp., V, 69.
Nautæ emisso ex ore oleo mare sibi lucidum reddunt, I, 448.
Navaliorum loc. definitio, V, 372.
Naves Salomonis et Hyram in Tharsin thesaurorum advehendorum gratia, Redemptoris nostri typus, III, 479.
Navis S. Eccl. verus typus, V, 372. Eam derelinquens fluctuat, et allidit, VI, 1146.
Navium, earumque partium vocabula, V, 354. Mysticæ earum interpret., *ibid.* Ecclesiæ typus, VI, 1004.
Naviculam Ecclesiæ fluctuantem fidus nauclerus Deus mergi non sinit, I, 855.
Nazaræorum consecratio et oblatio, II, 621-626. Abstinentium et continentium typus, *ibid.* Novacula cur caput eorum non tetigerit, *ibid.* Cur ferrum non ascenderit, II, 376
Nebo mons qualis, et ubi, II, 984.
Nebula quid significet, V, 329. Cur sacerdotes ministrantes oppleverit, III. 185. Synagogæ Judæorum typus, *ibid.*
Negando peccatum plus quam committendo angetur, V, 825.
Negantes Deum coram hominibus qui, I, 904.
Negligentia virtutum et socordia omnis virtutum labor ac meritum amittitur, II, 1153.
Negligentiæ peccatum quomodo expiandum, II, 617-619. Mystice qui intelligendum, *ibid.*
Nehemias idem quod consolatur a Domino, V, 70. Typus apostolorum, *ibid.*
Nemo læditur nisi a seipso, III, 747.
Nemo ex specie judicandus, III, 838.
Nemo ad Deo meritas laudes solvendas, ejusque magnalia perscrutanda sufficit, III, 1080, 1081.
Nemo sine crimine vivit, IV, 702.
Nemora umbrantia quæ, II, 749, 750.
Nemrod primus diluvio finito tyrannidem arripuit in regno, I, 528-530. Qualis fuerit, *ibid.* Primus confusionis linguarum auctor, *ibid.* Cur venator dictus, *ibid.* Quid sig., V, 35.
Neomenia quæ, II, 783. Eorum festivitas, *ibid.* IV, 1037.
Nephthalim litteralis et spiritalis notio, V, 44.
Nequam mulieris mira detestatio, III, 949, 950. Per tot. ab ea initium peccati, III, 952. Ejus dominium non ferendum, *ibid.*
Nescire homines, aut loqui, quomodo Deo conveniat, V. 802, 803.
Nicanor Elephantum præfectus Pseudoprophetarum figura, III, 1178.
S. Nicolai Episc. Myrens. vita insignis, IV, 1183.
Nidi, avis terra vel in arbore inventio typice quid signif., II, 923.
Nidum in petra ponentis securitas, II, 762, 763. Quid nidus notet, V, 242.
Nihil novum in mundo, III, 1070.
Nilus, V, 319.
Ninivitarum pœnitentia qualis, IV, 37.
Ninus primus Assyriorum rex, III, 544. Niniven condidit, *ibid.*
Nitrum unde dictum, V, 763. Ecclesiæ typus I, 468.
Nivis significatio, V, 526; V, 1255.
Nivem et iglaciem sustinere vim ignis quid, III, 747.
Noctis variæ signif., V, 290. Ejus septem partes, quidque notent, *ibid.*
Noctua, V, 251.
Noctua, corvus marinus, V, 249, 250. In Cretensem insulam illata moritur, V, 251. Ejus typus, *ibid.*
Noe in omnibus Christum exprimit, V, 53. Decimus ab Adam, III, 281. Post diluvium una cum filiis progeniem humanam dilatavit, *ibid.* Ejus laus, III, 1085. Qui justus, I, 513.
Noe et Christus per contemptibile lignum sapientia duce genus humanum restaurarunt, III, 716.
Noemi uxor Elimelech, typus Ecclesiæ, II, 1201. Pulchra, *ibid.* Ejus filii et Maalon et Chelion, typi prophetarum et apostolorum, *ibid.* Ex Moabitide redit in Bethleem cum Ruth, II, 1205. Ejus consilium de ineundo connubio inter Booz et Ruth, II, 1210, 1211. Typus est synagogæ, II, 1221.
Nomen quomodo David sibi fecerit, III, 95; III, 369.
Nomina variorum in Evang. cum significat, V, 78 *ad* 89.
Nominis Jesu excellentia, III, 1191. Cur ea sanctissimi Patres, excepto Jesu Nave non sint vocati, *ibid.*
Nominum Redemptoris in cruce expressorum enodatio, VI, 1677.
Notitia Dei qui indigni, V, 304. Unde constare possit, V, 1286. Eamdem fabrica mundi manifestat, III, 332.
Novatiani et Origenis, de venia peccatorum consequenda hæresis, I, 929.
Novacula fraudem Antichristi exprimit, V, 610.
Novem insuspicabilia quæ, III, 948.
Novembris festivi dies describuntur, IV, 1176.
Novissimorum memoria præsentissimum contra omnia peccata antidotum, III, 813; V, 1205; II, 263.
Novorum festivitas quæ, quaque ratione celebranda, II, 785 *et* 895.
Novum sacrificium quod, II, 898.
Novus spiritus quis, V, 1270.
Nubere omnibus liberum, sed in Domino, II, 837.
Nubes Evang. prædicatores, fulgura coruscationes miraculorum designant, VI, 1155.
Nubis variæ acceptiones, II, 415; V, 1167. Pulchras sign. vid., V, 276; VI, 1004.
Nucum mystica notio, V, 514.
Numerus a nummis numerandis dictus vel a Dea Numaria, quotuplex sit, V, 672.
Numerus dierum vitæ humanæ cum sit apud Dominum, qui Ezechias se in dimidio dierum dixerit moriturum, VI, 1094.
Numeris divinis qui digni censeantur, II, 589. Quid faciendo huic ascribemur, II, 591. Electos sub numero Deus statuit, II, 590.
Numerorum liber quid recenseat, V, 111.
Numerorum ratio, V, 489-490. Multorum mysteriorum typi., *ibid.*
Nummularii a Domino e templo ejecti quales, I, 1041.
Nuntius Saul obitus quis fuerit, quidque mercedis deportaverit, III, 71. Quos notet, *ibid*, 57.
Nuntii mortis qui, V, 734.
Nuper nubens bello cur eximatur, II, 937. Mystica hujus sententiæ signa., *ibid.*
Nuptiæ non damnandæ, I, 461.
Nuptias, escarumque usum damnantium hæresis, VI, 609, 610 *et* 673. Licitas esse liberis, VI, 662 *et seq.*
Nutus oculorum quid designet, V, 713.
Nycticorax, V, 251.
Nympharum origo, variaque earum vocabula explicantur, V, 434

O

Obab a Mose cognato rogatur ut cum ipsis proficiscatur a monte Sinai, II, 653.
Obed filius Booz ex Ruth, II, 1222. Hebraice serviens *ibid.* pater Isai.
Obedientiæ eximia laus, III, 45. Gratior Deo victimis, *ibid.* Ex obedientia ut nil agendum mali, sic quandoque bonum et virtutis opus omittendum, *ibid.*, 46. In adversis de suo aliquid habere potest, non in prosperis, III, 46.
Objectionum quarumdam gravium solutiones, II, 47, 48.
Oblatio arietum in consecrationem sacerdotum Paschatis Domini cum discipulis celebrati figuram tenet, II, 330. Ejus ritus et effectus, *ibid. et* 338.
Oblatio primitiarum frugum qualis esse debeat, II, 264. Variæ species, II, 675, 676.
Oblatio ex iniquo lucro oblata despecta, III, 1019, 1015.
Oblatio justi ex charitate oblata altare impinguat, III, 1013. Hilari vultu offerenda, *ibid.*, 1016.
Oblationes variæ tabernaculi mystice explicantur, II, 242-243.
Oblivio redemptionis nostræ quam noxia, II, 1120.
Obscurioris loci apost. enodatio, VI, 544, 545.
Observantia præceptorum et judiciorum Domini serio commendatur, abstinendo a vitiis, II, 434, 443 *et* 856.
Obstacula orationis quæ, V, 860-861.
Obstetrices jussæ a Pharaone omnes masculos Hebræorum interficere, II, 13. Quos denotent, *ibid.* Miserationes tactæ ab hac cæde abstinentes, a Deo præmio afficiuntur, *ibid.* Mentiendo Pharaoni, et abstinendo a submersione Hebræorum num peccaverint, II, 13 *et* 447.
Obstinatio Judæorum in peccato, V, 941.
Obstinatorum jejunia non exaudiuntur, V, 920.
Occasio peccatorum fugienda, V, 773.
Occidere et vivificare, quatenus Deo conveniat, VI, 1149.

Digitized by Google

Occidens occidentis quid, IV, 774.
Occidentis filii impios et tenebrarum filios significant item Ecclesiarum persecutores, II, 1154.
Occisio Dei cujusmodi, II, 982, 985.
Occupationi magnæ, jugo gravi ac variis miseriis homo peccato infectus obnoxius, III, 1047.
Oceanus unde dictus, V, 312.
Ochosias, patris Achab vestigiis insistens impietatis pœnas luit, III, 221. Milites ab eo ad Eliam capiendum missi tribus vicibus igne cœlesti sunt consumpti, *ibid.* Judaici populi typus, V, 68.
Octo beatitudinum in monte traditarum expositio donis Spiritus S. rite aptatur, I, 794,795.
Octo cum Exodus numeret species vestium sacerdotalium, qua ratione septem Leviticus memoret, II, 328.
Octobris festorum dierum fusissima enarratio, IV, 1171.
Oculus non vidit, nec auris audivit, etc., quid signif., VI, 24.
Oculi hæreticorum septemplices, III, 836.
Oculis Dei omnia nuda sunt, III, 705, 865, 981, 1043.
Oculorum aspectus et verba blanda ad hominum animos conciliandos multum valent, III, 620.
Oculorum sensus reliquis præstantior, V, 955, 959. Alleg. eorum notio, VI, 1009.
Odium Davidem inter, et Saulem unde ortum, III, 53. Laudabile quod, V, 155. Detestabile, *ibid.*
Odio flagitiosi prosequendi ad correptionem, non invidiam, II, 431.
Odor Christi quis, VI, 169, 170.
Oefi quid, IV, 1046.
Offensa remittenda, III, 969.
Offensionem inter et casum distantia, V, 1526.
Offerens in conspectu Dei quis, II, 305.
Officia Ecclesiastica seu canonica quæ et quot in Eccles., V, 128. Ecclesiastica quibus licita, III, 344. Variorum vocabula explicantur, V, 446, 447. Boni rectoris quæ, III, 993.
Og cur dictus conclusio, V, 53.
Olerum, variæ species et interpret., V, 530.
Oleum olivarum cur Israelitæ jussi offerre, II, 188. Ejus usus mysticus, *ibid.*, 515.
Oleum de Petra sugentes qui, III, 720.
Olivetorum et ficetorum custodes qui, III, 404.
Olla unde dicta, ejusque sign. mysticæ, V, 602. Succensa et aquilonem respiciens typice quos denotet, V, 806 *et seq.* Hujus ignis ardor quos incendat, *ibid.* Quorumdam de hac olla erronea sententia, V, 808. Liquefacta incendi Hieros. typus, IV, 749. Et mundi miseriarum, *ibid.*, 754, 755.
Olorum diversorum species, II, 589, 590.
Olus unde inflexa, V, 530.
Olympi altitudo, V, 349, 363.
Omnia caduca et in terram reditura, III, 1058.
Omnipotenti nihil impossibile, III, 723.
Onager apte hæreticos denotat, V, 817. Eorum proprietas, V, 918. *Vid.* Asinus, V, 213.
Onera sacerdotum, II, 691. Proximi exemplo Christi quomodo sint portanda, V, 1591.
Onesimus, qualis cujusve fuerit, VI, 698. Precib. B. Pauli in gratiam Domini sui redit, VI, 703.
Oniæ significatio historica, III, 1227
Et mystica, *ibid.* Ob Simonis detractiones ad Seleucum secedens, cujus Pontificatum accipiens cultum Dei pervertit, etc., III, 1229, 1230. Judæ in visione apparens gladium tradit, III, 1235.
Onocentaurus monstrum, V, 196.
Onocrotalus avis, V, 246.
Oollæ, et Oolibæ sororum fornicatio et immunditia, IV, 741, 747. Earum etymologia, *ibid.* Mystice quos denotent, IV, 744. Earum vindicta, *ibid.*, 749. Judæorum desertorum typum tenent, *ibid.*
Opacorum locorum etymon, V, 371.
Opera bona Patrum filiis imputari, II, 20. Gratum Deo sacrificium, II, 1222. Auctorem laudare decet, II, 1153. Carnis quæ, curque sic dicta, VI, 353, 355. Per tot Dei mirabilia cur, III, 859. Legis ad salutem non sufficere, et quæ, VI, 276.
Opere religiosis comprobandum quod verbis docent, III, 1113.
Operationes distinctæ human., scilicet et Divinitatis in Christo contra Eutichet. comprobantur, I, 982.
Operum bonorum labor peccato quovis mortali amittitur, II, 1153. Eorum merces justissima redditur, II, 551 *et* 552; III, 684. Misericordiæ infinita sunt merita, III, 869.
Operarii in vinea qui, V, 77.
Opes superbæ quid, V, 709.
Ophni, cur interpretatur discalceatus, V, 58.
Ophir descriptio, V, 342. David aurum inde advectum, *ibid.*
Ophni et Phinees delictum, et interp., III, 21.
Opiniones variæ de mundo, I, 443.
Oppidum unde dictum, V, 375. Cur mœnibus septum, *ibid.* Ejus origo, *ibid.*
Optimatum, sacerdotum et regum, ob impietatem gravis comminatio, V, 866.
Opus S. Spiritus in creatione, I, 416. Dei quod, VI, 1153.
Opusculorum diversa genera, V, 122.
Or signif. iracundiam, et cur, V, 561.
Oraculum quid, III, 152, 427.
Orare quomodo semper possimus, III, 16.
Orarium quid, quibusque concessum, I, 307.
Oratio et eleemosynæ prosunt defunctis, I, 93. Quid sit, et quo tempore fieri debeat, *ibid.*, V, 156, 825, III, 885. Quæ Deo grata, III, 13. Ejus vis, *ibid.*, 616. Sine intermissione et cum præparatione peragenda, *ibid.*, 606, 607. Ecclesiasticæ utilitas, V, 1605. Ejus actus, modus, utilitasve copiose docetur, VI, 588 *et seq.* Variæ ejus species, *ibid.*, VI, 590 *et seq.* fuse. Legitima quæ, I, 139. Peculiaris, *ibid.* Quadripartita earum species, *ibid. et seq.* Compunctio quomodo ex iis nascatur, *ibid.* Quomodo perficiendæ, I, 816.
Oratio sapientis cum agnitione propriæ imbecillitatis ad impetrandam sapientiam, III, 714.
Oratio Jeremiæ prophetæ, V, 1262. Ejus litter. et mystica explicatio, *ibid. et seq.* Adversus superbiam, III, 817.
Orationis Dominicæ discretio, I, 332, 821. S. Matthias in ea septem petitiones complectitur, *ibid.* Lucas vero quinque, *ibid.* Ejus explicatio, I, 817-886.
Orationibus fidelium quæ gens indigna habeatur, V, 865.
Orationum sibi mutuo subservientium duæ species, VI, 811.
Oratoris definitio, I, 409
Orbis quid significet et quot ejus partes, V, 351, 352. Trina ejus divisio mystica, *ibid.*
Orbis reliqua pars Ægyptiis caligine pressis lumine illustrabatur, III, 754.
Orcadarum insul. enumeratio, et descriptio, V, 334.
Ordo quis omnibus in rebus sit servandus, II, 600.
Ordo resurgentium qualis futurus, V, 885.
Ordo et gradus ecclesiastici, VI, 430.
Ordinate omnia a Deo facta, III, 725.
Ordines sacros percepturo, regimenque pastorale et animarum suscepturo quæ necessaria, I, 377-378. Iis qui quoque ordine initiandi, I, 506.
Oreb et Zeb Madianitæ a Gedeone interfecti typus principum tenebrarum, III, 1166, 1167.
Orfa et Ruth Moabitides, illa figura Judæorum, hæc gentilium, et quid heb., II, 1201. Orfa rediens ad Moabitas typus apostatarum a fide, et virtute, Ruth typus constantium in fide, II, 1203, 1204. Colligit spicas in agro, *ibid.*, 1206. Typus gentilium fidem et religionem Christi ambientium, *ibid.* Et Ecclesiæ colligens spicas, *ibid.* Veneratur Booz, et ab eo laudatur, *ibid.*, 1207. Ejus humilitas, *ibid.*, 1208.
Organum mystice quid, V, 493. Qui suspendatur in salicibus, V, 1144.
Ori manum imponere quid signif., V, 778. Ejus custodia laudabilis, III, 917.
Origianorum, post judicii diem peccatoribus et ipsi diabolo regnum in cœlum promittentium gravis error, V, 696, 716.
Orion, V, 273. Quid signific., *ibid.*
Ornamentum quid, V, 580. Romanorum et Persarum imper. ornatus, *ibid.*
Ornatus Judith non amorem adulterii, sed religionem cultus Dei spectabat, III, 622.
Os bovis triturantis ligare, mystice quid signif., II, 942, id aperire quid, IV, 538, 561.
Os oris, et ossis significationes variæ, VI, 1013.
Osanna quid signif., I, 1039.
Oscines aves quæ, V, 235.
Oscula meretricis quid mali importent, V, 751. Priscorum usus, I, 595. Notio, V, 760.
Osee cur Salvator dictus, V, 67.
Ossa Eliseï cadaveri admota id suscitarunt, III, 215.
Ossa arida reviviscentia populum Israelem reducendum in terram suam, vel resurrectionem Judæorum et Christianorum demonstrant, IV, 859, 860. Num de generali hoc resurrectione intelligendum, *ibid.*
Ostiarii qui sint, V, 93; I, 306.
Ostium contra ostium quid signif., IV, 912. Domus Salomonis orientem respiciens corporis Christi lancea aperti typus, III, 145.
Ostium qui Christus dictus, V, 1367. Variæ ejus sign. myst., VI, 1014.
Ostreæ a musculis concipiunt, V, 239.
Otgrii Moguntin. archiep. laus, VI, 1597 et note.
Otgarius archiep. Mogunt. sepelitur, I, 97.
Othoniel responsio Dei interpret., V, 55. Salvator Israelitarum, sternit Chusan. rasathaim, II, 1125. Hebraice quid significet, *ibid.* Pacem reddit populo quadraginta an., II, 1127. Primus judex populi Israel., *ibid.* Mystice signif. angelos nostros tutelares, *ibid.* Cujus familiæ, *ibid.*

Digitized by Google

Ejus laus admiranda, *ibid.* Moritur Deo populum puniente, II, 1128. In locum Josue sufficitur, II, 1111.
Otiosorum verborum gravitas, IV, 42.
Otium vitandum, III, 805.
Ova quid mystice signif., V, 245. Unde dicta, *ibid.*, V, 255.
Ova et pulli in nido inventi mystice quid denotent, II, 924.
Oves electi sunt Christiani, V, 201. Et mansueti, III, 405. Cur eas Ægyptii abominentur, II, 38. Eas pascenti Moysi Deus in rubo apparet, mittitque eum etiam renitentem ad filios Israel de manu Pharaonis liberandos, II, 17 *et seq.* Earum acceptio multiplex, VI, 1013.
Ovile Ecclesiam signif., V, 203.
Oza arcam declinantem sustentans typus indigne ad SS. Euchar. accedentium, III, 83, 339. Arca plaustro novo imposita S. Baptis. figura, III, 84.
Ozias sacrificaturus contra legem Moysis lepra percutitur, III, 246. Dæmonem denotat, *ibid.*, III, 503. Terræ motus horrendus, dum illicite sacrificaturus in templo lepra percutitur, excitatur, III, 512, 562.

P

Pachomii sanctitas, IV, 1145. Martyrium, *ibid.*
Pacificas bestias Servator noster exemplo Salom. Patri pro nobis offert, III, 197, 349, 471. Earum oblationum ritus, II, 265, 445.
Pactum Deum inter et Abraham, II, 545.
Pædagogi munus, VI, 306. Etymon., *ibid.*
Pagi descriptio, V, 384.
Pagani unde, et qui appellati, V, 426. Cum hæreticis quomodo justitiæ obvient, III, 855. Quomodo Catholici, III, 861.
Palatha quid, III, 625.
Palæstræ notio, V, 349.
Palæstinæ descriptio, V, 339.
Palearum et Zizaneorum interpret. litter. et myst., I, 774.
Pallium hyacinthinum quid sig. mystice, II, 166, 167. Variæ ejus signif., VI, 1017.
Palliorum feminarum varia nomina, V, 575, 576.
Palmæ interpretatio, V, 139, 511.
Palmarum dies cur celebratur, V, 347. Capitulavium cur dictus, IV, 29.
Palumbes. *Vide* Turtur.
Panem lubulo stercore mistum cur Judæi comedant, IV, 597.
Panes azymi SS. apostolorum libros designant, II, 311. Eorum usus, II, 312 et 313. Duodecim in tabernaculo, figura SS. apostolorum, II, 149.
Panis acceptiones variæ, II, 80; VI, 1020. Mendacii quid, V, 534. Vitæ, III, 860.
Panum propositionis faciendorum ratio, II, 317. Mystice Christum figurabant, *ibid.* Variæ eorum species, II, 317, 321.
Pannonia unde dicta, V, 350. Ejus longit., *ibid.*
Panotii in Scythia, V, 198.
Panther, dracone excepto, omnium animal. amicus, V, 219.
Parabolæ fere omnes Evangelicæ cum typis explicantur, V, 85, 86. Quid signif., I, 939. Cur iis Christus usus, I, 940. Quarumdam explicatio, I, 1951. Cur iisdem nos sæpe utamur, I, 1013. Salomonis, cur proverbia dictæ. Quid utilitatis conferant, *ibid.* Decem fatuarum virginum regno cœlorum comparatarum interpret., I, 1084.
Parabola leænæ et leunculorum designatur captivitas regum Joachaz et Joachim, IV, 714.
Parabola vineæ Jerusalem calamitas describitur, IV, 715.
Paradisi litteralis et mystica significatio pulchra, V, 334. Ejus flumina quatuor, *ibid.* In eo lignum vitæ, lignum item scientiæ boni et mali quid signific., *ibid.* Ejus quatuor flumina quos significent, *ibid.* Ubi, et quando plantatus, I, 476. Ecclesiæ typus, I, 479. Ejus amœnitas, *ibid.* Aquæ diluvii eum non penetrarunt, *ibid.* Ejus fluviorum divisiones, *ibid.*
Paralyticus jacens in lecto quid significe., V, 75.
Parasceve cur inter festivitates numeratur, I, 345. Ejus celebratio qualis, *ibid.*
Parcæ tres, earumque officia, V, 439.
Pardus Satanæ figura, Antichristi item et peccator, V, 221.
Parænesis ad charitatem, IV, 236, 292. Ad pœnitentiam, III, 878.
Parentum ætas ingravescens in filiorum adolescentia conquiescat, III, 779.
Parentum et filiorum mutua conversatio copiose docetur, VI, 463. Item dominorum et servorum, VI, 538, 679.
Paries typus Christi. Item hypocritarum, V, 401.
Parnassus ubi situs, V, 340-362.
Parricidarum gravitas et pœnitentia in conc. Mogunt., VI, 1410.
Partes hum. corpor. quid signifie, et quot sint, V, 146 ad 179. Ad long. item cœli, V, 265.
Partes mundi cur Dii crediti, I, 443.
Participia quæ sint, et unde, V, 661.
Parturientis mulieris gemitus, V, 866.
Parvis neglectis majora succrescunt, II, 222.
Parvulum cur apost. se dixerit, VI, 432.
Parvuli qui, V, 687-710.
Parvuli anima incircumcisi cur perierit, I, 546.
Paschæ festivitas quando, quareque primum indicta, I, 330 Ejus etymon, *ibid.* In eumdem anni diem cur non revertatur, *ibid.* Ejus excellentias, IV, 54. Ejus sanctificatio et ritus, II, 148, 149 et 696.
Paschale tempus quadrupliciter in Veteri Testamento observari præceptum, II, 639-643. Ejus agnus Christi typus, II, 49. Ejus comestio quid, II, 789, 958.
Passerum genera et significat., II, 895-896; V, 250; VI, 1022.
Passionem inter et propassionem distinctio, I, 810; IV, 328.
Passionis Dominicæ fructus, VI, 725. Causæ, I, 348. Effectus, *ibid.*
Pastor est Christus, V, 205. Et apostoli, *ibid.* Officium, II, 120 et 121.
Pastores porcorum fugientes apud Gerasen, quos denotent, V, 76.
Pastores Lot hæreticorum typum tenent, II, 536.
Pastores inter et arietes discretio, V, 1001.
Pastorum inertia et peccatis omnia vitia hæresesque in Ecclesiam invehuntur, V, 1254.
Pastorum gregem Domini lacerantium increpatio, V, 979, 840-842.
Pater in Script. multis modis sumitur, V, 184. Quotuplices patres, V, 892.
Paterfamil. quis in Script. dicatur, V, 185. Conducens operar. in vin. quis, I, 1026; V, 76. De thesauro proferens vetera et nova, quid figuret, V, 90.
Patrum et seniorum consilia audienda, III, 398.
Patientia Dei pulchre solis calori assimilatur, V, 1490.
Patientiæ fructus, ejus laus, V, 733.
Patriarcha nomen Græcum, quid significe., V, 35.
Patriarchæ quidam filiis suis benedixerunt, quidam maledixerunt, II, 778.
Patriarcharum nomina cur Aaron inter sacrificia in humeris et pectore portarit, II, 195, 196.
Paulus (S.) omnia in ænigmate figurata solvit, speciesque eorum docet, II, 664, 665. Ejus victoria et labor, II, 1144. Cur ei datus angelus Satan, II, 551. Ejus in docendo diligentia, et vitæ integritas, II, 1112. Quo juramento usus, V, 1289. Ejus paternus in filios affectus, VI, 48. Studium, VI, 86. Labores, VI, 227-228 *et seq.* Seipsum cur commendaverit, VI, 225, 367. Num. seq. ei exprobrandum, quod humano auxilio in sporta per murum sit demissus, II, 230.
Pauper et creditor obviantes sibi quales, V, 772.
Pauper a terra suscitatus quis, II, 1101. Ei obturans aurem, ipse non exaudietur, V, 47. Non exasperandus, III, 784, 785. Eum fraudans vir sanguinis est, III, 1011.
Pauperes in occulto comedentes quos designent, VI, 1128.
Pavimentum pretioso marmore stratum, et tabulis abiegnis attextum quos exprimat, III, 426.
Pavo gentilitatem signat, V, 47.
Pax cum multis, consilium cum uno est ineundum, III, 795.
Pax qui custodienda, III, 1197, 1246, 1247. Eam tempore belli suscipientibus parcendum, II, 911. Recusantibus, potissimum hæret. manus inferendæ, *ibid.* Ejus commendatio V, 1236. Indicium sanctitatis, *ibid.* A sacerdotibus populo annuntianda, VI, 1235. Ejus variæ signif., VI, 1016.
Peccare in Deum quid, II, 560.
Peccans tenebras amat, III, 930.
Peccans sine lege quis, V, 1317.
Peccantes Israelitas cur Deus diu sustinuerit, VI, 1144.
Peccatum animam occidit, I, 481; II, 227. Alienum tegens adjutor est, II, 281. Irremissibile quod, II, 34 et 35. Cur vitandum, II, 1125. Vires hostibus præbet, *ibid.*, 1123. Illud peccatis cumulantes, qua pœna multentur, II, 265. Ejus labe infecti cœli aditu arcendi, III, 654. Sine confusione confitendum, *ibid.*, 789. Deo non ascribendum, sed homini a Deo condito, libero arbitrio, propositis præceptis quæ servare poterat, *ibid.*, 663-665. Eo polluti frustra in templo fiduciam locant, V, 899. Ejus merces, V, 1406. Ejus natura et causa, V, 1543. Quomodo committatur, II, 36; VI, 1394. Cogitatione, *ibid.* Sermone, *ibid.* Ejus varia genera, VI, 1395; II, 579, 817, 818. Illud deflens et non emendans in cassum laborat, *ibid.* Ejus habitus desperationem inducit, V, 737-738. Ejus memoria utilis, IV, 666.
Peccatum in loco sancto comedere quid sig., II, 305. Sacerdotis in peccatum populi appellaverit legislator, II, 270 et 271. Juda quod, V, 944. Cur hunc textum Judæi falsificarint, *ibid.* Stylo ferreo in ungue adamantino scriptum quod, V, 945. Quomodo usque ad legem regnasse intelligendum, V, 1377. Quando revixerit, V, 1418-1433. Sine lege qui mortuum dicatur, *ibid.*
Peccata sanctorum quæ dicantur, II,

Digitized by Google

691. Improborum Deus non læditur, v, 860. Eorum meritis homines affliguntur, III, 614. In adulterio concurrentia quæ, III, 921.

Peccati in S. sanctum gravitas, et an extra Ecclesiam Cathol. sit remissio peccatorum, III, 902. An remittatur, III, 905. Contra naturam prohibitio et gravitas, II, 439-441; III, 562.

Peccatis populi tollit Deus e vita maturius bonos principes, II, 1132.

Peccatis variis involutorum enarratio, VI, 649.

Peccatorem inter et peccare distantia, V, 1333.

Peccatores in conspectu Dei qui, I, 536, 537. Curvant genua ante Baalim, II, 1221. Inconstantia eorum, III, 847. Quando a peccatis liberentur, II, 1127. Quare iniqui dicti, II, 496 et 497. Qua nos ratione lactent, V, 682. Deo exosi, III, 675. Impœnitentes Deus non exaudit, *ibid.*, 846. Nec a nobis suscipiendi, III, 847. Correptionem fugiunt, *ibid.*, 997. Conversorum salute cur Deus adeo recreetur, I, 1010. Quomodo abalienati dicantur a vulva, quod erraverint a ventre, et locuti sint falsa, II, 607.

Pecora et pecudes qui differant, V, 199. Et per ea qui intelligantur, *ibid.*

Pectus sacerdotis quale, II, 319, 320.

Pecuniæ instar sapientia quærenda, V, 688.

Pecuniæ pro animabus singulorum numerato populo Domino impenduntur, II, 214.

Pedites nudi currentes quid notent, V, 552.

Pelagianistarum de propriarum virum præsumptione hæresis, II, 847.

Pellis notiones, VI, 1025.

Pellicanus avis Ægyptia eremitas signat, V, 249.

Pennæ quid significent, V, 241.

Pennarum inquisitio, VI, 1610, *nota*.

Pentapolis quid, et ubi sita, V, 541.

Pentecostes celebritas quando, cur que instituta, IV, 47. Ejus diei conciones, IV, 253. Ejus festivitas in Veteri et Novo Testamento quando cœperit celebrari, I, 534. Quomodo peragenda, *ibid.* Ejus sabbatum sabbato sancto Paschæ æquivalet, I, 555.

Peperciase quomodo Deus dicat se Israelitis, cum omnes exceptis duobus perierint, IV, 717. Ingressu terræ repromissionis prohibiti num pœnis infernal. adjudicati, *ibid.*

Percussionum variæ species, V, 1025, 1198; IV, 606; VI, 235. Divinæ in hominibus qualis, V, 842.

Perdere pecuniam quid, III, 974.

Perdix diabolum figurat, V, 249. Natura ejus, V, 948.

Perditio nostra ex nobis est, III, 864.

Peregrinorum et hospitum super terram felicitas, VI, 795.

Perfectioni studenti quid necessum, IV, 991, 992. Ejus potestas in hominum manu, I, 1020.

Perficere malum quid, V, 735, 736.

Periculum amans quis, III, 781.

Pericula maris navigantibus comperta, III, 1079. Maris historici obstacula et Charybdes, *ibid.*

Permanendum nequaquam in peccatis ob confidentiam divitiarum, III, 790. Neque juventutis, fortitudinis, aut misericordiæ Domini, *ibid.*, 791.

Perplexæ admodum de Joram, filioque ejus Ozochia, quæstionis enodatio, III, 497.

Persæ, et Medi horrescentes audaciam Judith, exercitus diaboli denotant, III, 554, 663. Eorum Deus ignis, V, 536. Item sol, *ibid.* Fortitudo, IV, 774.

Persecutio pie viventib. necessaria, III, 772.

Perseverantia in bono opere, II, 1132.

Persia unde cognominetur, V, 536. Ejus situs et latitudo, *ibid.*

Personarum respectus apud Deum non est, V, 720. Consubstantiales, I, 459.

Pes mystice quos exprimat, VI, 1024.

Pedes in carmine qui colligendi et quot sint species eorum, V, 675 ad 678.

Petendum qui sit in nomine Christi explicatur, IV, 222.

Petitiones hominum cujusmodi debeant esse constitutæ, I, 1045.

Petra a Moyse percussa, aptissimus servatoris typus, II, 84. Quibus convenit, V, 940. Variæ notiones, VI, 1028. Israelitarum sitim sedans quid signif., III, 719. Ut cera liquescens quid, III, 586.

Petronellæ (S.) vita et obitus, IV, 1148.

Petrosa loca quid sign., V, 341.

Petrus num ab apost. Paulo reprehensus, VI, 275. Ejus reprehensionis causa, VI, 275. Præ reliquis apostolis in arduis locis interrogatur, I, 971, 988; IV, 366. Baronia cur dictus, IV, 52. Ejus et apost. Pauli munus, I, 990. Cur eodem die, loco et ab eodem tyranno diverso tamen mortis genere obierint, *ibid.* Quomodo eum alii Evangelistæ post trinum, alii binum galli cantum Dominum negasse commemorent, I, 1019, 1124.

Phæderæ quid, V, 612.

Phantasticum Christo corpus ascribentium refutatio, IV, 365.

Pharan ubi, III, 64.

Pharao nomen olim honoris, diaboli typus, V, 32. Ejus visio mystice quid, *ib.*, I, 634. Ejus in fratres Josephi, maxime Benjamin, liberalitas, I, 644, 647. Mandata Dei contemnens gravius Israelitas premit, II, 27 et 28. Ejus vocabulo omnis regia dignitas Ægyptiorum exprimebatur, IV, 795. Comminatio contra eum facta, IV, 796. Cur afflictus, IV, 798. Domui Israel baculus arundineus factus, et qualis, IV, 798 Fluvios Ægypti sibi ascribens qua plaga percussus, IV, 800. Sublimitas ejus cum Assur comparatur, et utriusque similis prædicitur interitus, IV, 811-814. Draconi assimilatur, IV, 820, 821.

Phares cur dicatur divisio, V, 45.

Phareiræ etymologia, V, 151. Ejus notio mystica. Aurea, hæret. dogmata sign., III, 369.

Phari signif., V, 386. Eius usus nautis necessarius, V, 388-606.

Pharisæi unde dicti et quid doceant, V, 95. Sapientes cur dicti, V, 870. Decalogum membranulis inscribentium, et in frontibus ligantium vesania, V, 1063, 1064.

Phase institutio, II, 58 et 784. Ejus oblatio et festivitas, II, 895.

Phelthiæ interitus, IV, 642.

Phenenna heb. conversio, III, 14. Insultat Annæ, sed punita, *ibid.*

Philargyriæ effectus, II, 867.

Philemon, cui apost. Paul. epist. scripsit quis, qualis, undeque oriundus fuerit, V, 1258; VI, 693.

Philippo Samariæ apostolo cur manus imponere non licuerit, IV, 262. Ejus effectus, IV, 270.

Philistæi qui et Palæstini Israelitas cædunt arca Domini capta, III, 27. Puniuntur graviter a Deo, *ibid.*, 28. Eorum consilium de placando Deo, *ibid.* Quinque urbes habuere, *ibid.*, 22. Arcam plaustro novo imponunt, additis in capsella anis et muribus aureis, *ibid.*, 30. Iique a quinque civitatibus dati, a vicis et pagis tantum mures, *ibid.* Judæis omnes fabros ferrarios abduxerunt, III, 4.

Philosophi etymologia, V, 414. Pythagoras primus hujus nominis auctor, V, 557 Multorum graves errores, V, 414. Eorum in tres classes distinctio, V, 414.

Philosophia vera quæ, V, 415. Ejus partes, *ibid.* Pomposæ detestatio, VI, 321.

Philosophorum et theologorum ethnicorum variæ de Deo opiniones, V, 414. Eorum et gentilium scripta Antiochi litteris comparantur, III, 707. Græcorum et SS. Patrum variæ opiniones de mundi creatione, I, 443. Horum alii tria, alii duo, alia alia principia statuunt, *ibid.*, 1089.

Phinees filii Eleazari laus, III, 1095. Cur testamentum pacis a Deo acceperit, *ibid.* Iram Dei a populo avertit, III, 1096. Mystice quos denotet, *ibid.*

Phinees duo fuerunt, III, 21. Filius Heli contemptor legis divinæ et humanæ, *ibid.* Heb. oris obturatio, *ibid.* In pugna occumbit, III, 27. Ejus uxor in partu allato mortis ejus nuntio obit, *ibid.*

Phiton quid signif., II, 12.

Phinees cur interpretatur ori parcens, et cujus typum gerat, V, 58. Os mutuum, *ibid.*

Phison quid, et unde dictus, III, 942.

Phœnix resurrectionem justorum significe., V, 246.

Photini et manichæi hæresis eversio, VI, 247, 248.

Phrygia cur Dardana vocata, ejusque situs, V, 344. Ejus divisio, *ibid.*

Phua pater Tholæ, an uterinus frater Gedeonis, II, 1176.

Physices, logices, et ethices divisio, V, 413. Earumque explicationes, *ibid.*

Picem tangens coinquinatur, III, 849.

Pietatis descriptio et commodum, VI, 613.

Piger formicæ exemplo ad laborem exhortatur, V, 703.

Piger in lapide luteo lapidatus quid, III, 909. In stercore boum quid, *ibid.*

Pigritiæ descriptio et exaggeratio, V, 725, 731, 741, 751, 760, 766, 771.

Pignoris restituendi, repetendique ratio, II, 938. Quibus dandum, IV, 707.

Pii homines ad cœlestem patriam aspirant, II, 1220 iis qui sæculo renuntiarunt, non respiciendum retro, III, 30. Adversis non franguntur, nec prosperis elevantur, *ibid.* Gemunt, sed a via tamen justitiæ non deflectunt, *ibid.* Omnia a Deo habent, III, 32. Vitiis renuntiant, *ibid.*, 33. Illecebræ voluptatum iis fugiendæ, ut vero possint, sanctorum orationibus indigent, III, 43.

Pili carnis qui, II, 636. Capitis et barbæ Ezech. detonsi, et varie dispersi mystice quid denotent, IV, 598, 599.

Pincernæ munus, I, 633.

Pinnulæ et squamæ piscium figural. ignorantes denotant, II, 354. Item electos, *ibid.*; II, 884, 885.

Pinus quid, V, 517.

Piperis distinctiones variæ, V, 525.

Pisces a pascendo dicti, V, 237. Eorum varia nomina unde sint, V, 238, 239. Varia genera, *ibid.* Vet. et Nov. Testam. exprimunt, *ibid.* Et homines, *ibid.* Mysticas notiones varias, VI, 735. Eorum nomina cur in sacrificiis non exprimantur, II, 354.

Piscis staterem in ore habens my-

Digitized by Google

stice quid signif., I, 1005. Asses Domino a discipulis datus quid notet, IV, 150.
Placendum an et quomodo hominibus, VI, 97.
Plagæ Ægyptiorum ob populum retentum Hebræum, versio fluviorum in sanguinem, II, 34. Productio ranarum, *ibid.*, 35. Siniphum, II, 36. Muscarum, II, 37. Item pestis, II, 39. Grandinis immissio, II, 41. Locustarum, II, 42. Tenebrarum, II, 43. Tandem primitivorum illatus interitus, II, 43 et 54. Harum plagarum mysticæ significationes, II, 43-47.
Planctus Dei super civit. Hierusalem, V, 837. Ejus causa, *ibid.* Super Ægyptum et urbes ejus, IV, 804. Pharaonem, IV, 819. Sanctorum quadripartitus, I, 793.
Plantatio Rosæ in Jericho quid, I, 930. Diaboli qualis, V, 804.
Plantatio et ædificatio cujusmodi esse debeant, V, 1017.
Platanus unde dicta, III, 931. Christi Domini typus, *ibid.*
Platearum definitio, V, 386. In bonam et malam partem sumuntur, *ibid.*
Plebem suam quomodo Deus in terra hostilii tuestur, II, 567.
Pleiades stellæ, V, 272.
Plenum S. Ecclesiæ gaudium ubi, III, 635.
Plumbum quid, et quotuplex, V, 479.
Pluralis numerus pro singulari scripturæ familiaris, V, 1230.
Pluvia vel imber dona cœlestia vel præcepta Dei significat, V, 325. Aliquando dæmonem denotat, *ibid.* Evang. legis typus, III, 39. Matutina quæ, V, 734.
Poculum mystice sang. Dominicum signif. Variæ eorum species, V. 599, 600.
Poderis sacerdotis mystica notio, V, 803.
Pœna peccati per superbiam commissi, II, 679. Pœnæ æternæ inevitabiles, V, 1192. Peccatis respondent, II, 1128.
Pœna eorum qui non dimittunt servos et ancillas liberos, quod in templo cum solemnitate promiserunt, V, 1089.
Pœnitentiæ definitio, V, 137. Ejus partes, V, 341; III, 21. Maturanda, *ibid.*, et III, 792. Ejus modus aliquibus familiaris, *ibid.*, 606. Quando, et cur non sit locus, VI, 820. Qualem instituere debeat peccator, VI, 1315. Qualitati peccatorum respondeat, III, 21. Testimonia et exempla sacræ Scripturæ pœnitentium, VI, 1306, 1312. Tempus fructuosæ pœnitentiæ, VI, 1314.
Pœnitentes quando reconciliandi, VI, 1422. Pœnitentiam violantium pœna, *ibid.* Ultima nulli denegandi, *ibid.* Ejus egregii cultores, I, 341. Quomodo agenda, *ibid.* Duplicis generis, I, 342.
Poetæ unde dicti, eorumque ortus, usus et officia, V, 419.
Polluere nomen Dei quid, II, 463. Terram, II, 937.
Poma nova et veterata comedentes qui, II, 997.
Pondus et statera judicia Domini, V, 732.
Pondus et onus Domini quod, IV, 1025.
Ponderis et mensuræ justitia, IV, 1026. Earum quædam genera et explicationes, *ibid.*
Ponderum diversorum auctores, V, 479, 480 et 481. Nomina, eorumque interpretationes, *ibid.*
Pontificalia Aaronis et filiorum ejus præcipiuntur, II, 189, 191.
Pontificis nomen et officium quale, V, 91. Olim reges, *ibid.* Munus, V, 797. Ejus qualitates Christo conveniunt, *ibid.*
Pontus quid, V, 347.
Popinæ genuina interpret., V, 391.
Populus unde dictus, V, 452. Domini quis, III, 72; VI, 989.
Populus omnis Hierosolymam accurrit cum gratiarum actione holocausta oblaturus, III, 587.
Populus justus dura Pharaonis servitute pressus per Sapientiam liberatur, adversariis mari Rubro pereuntibus, III, 718. Ejus salus plurimum ex presbyteris pendet, III, 86, 616.
Porcus quasi spurcus peccatores signat, V, 206.
Porci marini terram sub aquis fodiunt, V, 238.
Porphyrion, V, 255.
Porphyrii de S. Matth. scriptis error, et calumnia, III, 551.
Porta unde appellata, V, 385. Dextere interpretata Christum et Eccles., sinistre dæmonem hæret., etc., denotat, V, 386. Cœlorum quæ, V, 815. Nova, *ibid.* Inferi, II, 1141. Multiplex acceptio, IV, 347.
Porta solis speciosa templi, ad quam claudus eleemosynam petebat, mystice quæ, IV, 347.
Portentorum varia genera et sign., V, 199. Quid, quandoque portendant, III, 1232. Qualia in cœlo in Hierusalem apparuerint, *ibid.* Prodigia cur perpessa, *ibid.*
Porticus quid, V, 390. Typus incarnationis Dominicæ, *ibid.*
Porticus ædis Dominicæ in tres classes distinctio, III, 451. Quorum figura, *ibid.*
Portus unde dictus, V, 372. Ejus mystica signif., *ibid.*
Possessio Chanaan quomodo dicta æterna, II, 546. A creatione quomodo differat, VI, 406. Mulieris bonæ Ecclesiam denotat, III, 1234. Non in vita, sed in morte distribuendam esse suadetur, III, 1003.
Posteriora Dei videre quid, I, 344, 345; II, 23.
Posteritas Abrahæ cur peregrina et vaga, I, 542.
Postulationem in dantis et non poscentis arbitrio esse debere exemplo Saul's et Davidis, V, 1491.
Potentia Dei mixta bonitati, III, 724. Eam in brachio facere quid, VI, 1163.
Potestatem habentem fugiendum esse, III, 822.
Potestatibus sublimioribus parendum esse fuse commendatur, V, 1595.
Prædestinatio Dei in Ezechiele an sit lusa, V, 1562. Precibus impletur, I, 581. Ejus effectus, V, 1467.
Prædicatori verbi divini incessanter terrenis contemptis laborandum, III, 362.
Prædicationis sermo quando, curque interdum subtrahatur, IV, 585.
Præceptum Domini quid, II, 646, 647. Illud servantium merces, II, 130 et 877.
Præceptum de custodia sabbati, II, 220, 240, 443, 489 et 501.
Præclari episcopi encomium, VI, 1591.
Præfatio tom. II ad Hunbertum episcopum, adhortationem continens, II, 1159.
Prælati Ecclesiæ quandoque leni commonitione et simplici uti debent, II, 1132. Mali et pastores cur quandoque in Ecclesia, II, 1133. Sub iis fames verbi divini, *ibid.*
Præpositiones quædam S. apostolo Paulo familiares quid significent, V, 1546. Quot sint, V, 666.
Præposito maligno non obediendum, IV, 180.
Præputiorum auferendorum lex in terra Chanaan, II, 455. Cordis præput. auferre quid mystice sign., V, 833.
Præsens semper apud Deum, præteritum, et futurum nescit, VI, 1147.
Præsentia Christi in terris cujusmodi, I, 1154, 1155. Cum reprobis, II, 1229. Et electis, *ibid.*
Præstare cito decedere, quando sine fructu hic degere, III, 1055.
Præsumptio serio vetatur, III, 802.
Prætorium quid, V, 388.
Prævaricationes cur hominibus ostendantur, V, 873.
Prandium in Evangel. alibi, alibi vero cœna cur ab homine facta dicatur, III, 639.
Preces sanctorum iræ Dei resistunt, V, 860.
Presbyteri cultum Dei non recte promoventes reprehensione digni, II, 616. Dicti olim qui nunc episcopi dicuntur, VI, 479. Honorum commendatio, VI, 623. Munus, VI, 626. Fuse, V, 69. Unde cognominati, V, 301. Sacerdotes cur dicti, *ibid.* Eorum munus, *ibid.* Vide sacerdos.
Pretium reddendum secundum id, per quod quis peccavit, II, 349.
Primi et Feliciani martyrum tormenta, IV, 1149.
Primitiæ omnium frugum, omniumque pecorum sacerdotibus debentur, II, 695, 904. Variarum sign. allegg., II, 698, 699. Quales offerendæ, II, 139.
Primogenita offerre litter. et mystice quid, II, 59, 60. Ea Domino vovere cur prohibitum, II, 580.
Primogenitum Jacob ab Esau fratre venditum quid, I, 582, 583.
Primogenitum inter et unigenitum distinctio, V, 1469.
Primogenitus Israel quis, II, 28.
Primogenitus recteque Jesus dicatur, I, 533.
Principatus, Potestatis, Virtutum et Dominationum nomina ubi Apost. invenerit, VI, 397.
Principii creationis mundi diversæ acceptiones, I, 443.
Princeps fortium quis, ejusque cum teredone elegans comparatio, III, 729. Mundi cur diabolus dictus, II, 116.
Principes vere qui censeadi, V, 447, 448. Quales esse debeant, II, 1129. Populi coguntur reddere rationem, I, 769. Regibus differunt, V, 1271. Illi a Deo dantur ob peccata populi, II, 1128. Boni ob peccata e vita præmature tolluntur, *ibid.* Populi salvatores significati per angelos exterminatores, II, 1189. Non omnes a Deo dantur, II, 1133. Mali ob peccata populi a Deo aut dantur aut dominari permittuntur, *ibid.*
Principum tribuumque procerum Israel in ædificanda domo Dei, III, 412.
Pro octava canere quid, III, 347.
Procella persecutionem denotat, V, 283.
Procidentes ob timorem Domini a Deo eriguntur, IV, 548, 581, 582.
Productio et corrept. casuum in declinat., V, 665.
Profana docentibus aures non dandæ, II, 406. Eorum mundatio qualis esse debeat, *ibid.*
Profundi signif. multiplices, V, 373.
Progenies Cain, cur solus femina protulerit, I, 508, 509.
Progenitorum Christi litter. et mystica interpretatio, I, 759 ad 744, II, 461.
Prolis creandæ aptior et perfectior

Digitized by Google

ætas quibus annis comprehendatur, II, 569.

Promissiones Abrahæ cujusmodi factæ, I, 533, 541.

Promissiones eximiæ de Salomonis templo, sanctitate, regnique perpetuitate non inaniter et mendaciter factas censebimus, cum in Christo, qui ex Davidis semine ortus, cumulate sint completæ, III, 90, 91, 364-366.

Promissionibus Dei fidem non habentes graves pœnas luent, II, 675.

Promontoriorum varia nomina, eorumque significationes, V, 358, 359. Mystice DD. S. Eccles. denotant, *ibid.*

Promptuariorum cum hæreticis comparatio pulchra, V, 405.

Propheta contra mandatum Domini cibum sumens a leonibus devoratus, V, 190. Cujus typus, *ibid.*

Prophetæ quatuor majores quid tractent, V, 112, 113. Cur obscuriores, V, 893. Item psalmi, *ibid.* Aliquorum historia contracta, V, 113, 114.

Prophetæ et apostoli Spiritus sancti gratia pleni faciles et prompti in scribendo effecti, V, 1072. Duo eorum genera, VI, 116. Munus, varia genera, V, 963-985.

Prophetiæ septem sunt genera quæ vide, V, 101. Quid sit, III, 611. Non facile ei fidendum, II, 730. Jeremiæ a capite ad calcem recapitulatio, et ad mores vitamque nostram præsentem accommodatio, V, 1268. Ejus eminentia, linguæ dono prævalet, unde dicta, VI, 129 ad 137.

Prophetici actus aliquando portenta dicuntur, V, 199.

Prophetissæ pulvillos sub cubito consuentes, quo spiritu agitatæ vaticinentur, IV, 635.

Propinquus parvulorum et pupillorum quis, V, 755.

Propitiatorium minus quod, IV, 991. Ejus descriptio, *ibid.* Item majoris, *ibid.* 995.

Propositionis panes sanctorum doctorum figuram habent, II, 149; III, 518. Eorum usus, II, 149.

Proselyti et advenæ cur Israelitæ populus electus alioquin dicti, II, 535. Unde dicti, III, 422.

Prospera et adversa æquo animo toleranda, V, 694.

Prostibuli mercedem, et pretium canis in domum Domini non offerendum, II, 933.

Prostitutio filiæ quid mali importet, II, 459.

Proximi nomine qui intelligendi, II, 465. Ejus charitatis et commodi Deus amans est, II, 432, 433.

Prudentia carnis cur et quibus mors, V, 1441. Deo inimica, *ibid.*

Prudentiæ effectus, VI, 1253. Quid sit, IV, 1115; VI, 1632.

Pruina malitiam perversorum notat, V, 328.

Prunæ illicitas concupiscentias signant, V, 279. Super caput congregare quid sign., V, 764.

Psalmorum contenta, V, 112.

Psalmus XVII solus ex libro Regum cur reperiatur conscriptus, III, 114.

Psalterium decachordum conveniens decalogorum typus, III, 1042.

Pseudoapostolorum merces, V, 983; VI, 224. Consortium eorum vitandum, VI, 249.

Pseudoprophetæ cur prophetæ dicantur, IV, 650. In quo differant, *ibid.* Vulpibus Samsonis assimilantur, IV, 652. Tropologice qui, V, 1021. A Deo avertentes occidendi, II, 881.

Psittacus imitatur voces human., V, 246.

Ptolomæus Abobi hypocritarum figura, III, 1212.

S. Pudentianæ virg. et sororis liberalitas, IV, 1145.

Puer Elisæi cum baculo quid signif., V, 61. Et centurionis, V, 75. Christus cur dictus, V, 180.

Puer Ægyptius, a Davide bellante contra Malechitas inventus mystice quid signif., III, 695.

Pueri irrisores Elisæi præsignant crucifigentes Christum, V, 61.

Puerperæ immunditia, II, 567. Hæc immunditia unde existat, *ibid.* Ejus mundatio quæ, *ibid.* 570.

Pulchritudo filiæ Sion, V, 848. Mulieris non concupiscenda, V, 704-706. Fallax gratia, V, 792.

Pulli quid et quos signif., V, 241. Duo columbarum quid, V, 218.

Pulvis peccatorem signat, V, 331, 457. Varias sign., VI, 1033.

Pulvillos sub omni cubito manus ponentes qui, IV, 637.

Punitio Dei salubris medicina est, IV, 609.

Pupilli, pauperis læsi et viduæ lacrymantis causam Deus fideliter agit, III, 1016. Eorum et viduarum ratio habenda in judicio, III, 785.

Purgatorii ignis egregia comprobatio, I, 773, 930. Quæ peccata hoc igne purgentur, VI, 37.

Purificatio levitarum, II, 635. Ecclesiastici ordinis figura, *ibid.*

Purificationis celebritas cur instituta, IV, 19. Quomodo celebranda, I, 345 Cur Hypante dicta, *ibid.*

Puritati cordis qua ratione studendum, VI, 1285. Divinæ encomium, II, 480, 481.

Purpuræ, qua Christus fuit indutus, litter. et mystica interpret. I, 1135. Typus martyrii, V, 578.

Pusillanimitas cur fugienda, III, 803. Ejus fugandæ remedium oratio, *ibid.*, 804.

Puteus juramenti quid, et quotuplex, I, 565. Videntis et viventis quid sign., I, 576. A Jacob in agro inventus baptism. figura, I, 594.

Puteorum varia nomina et pulchra significatio de Christo, V, 324. Eos qui apud se habere dicantur quidque signif., II, 716. Multorum fons unus quis, *ibid.* Hæreticos se ad hunc puteum esse jactant, sed a Moyse non sunt congregati, ideo eorum est fons bituminis, II, 717, 718.

Pyramidis apud Ægyptios usus, V, 408.

Pythonissarum pœna, II, 472. Quomodo earum ope Samuel proph. suscitatus, III, 67.

Q

Quadragenarius numerus semper afflictionem denotat, IV, 801. Exemplis comprobatur, *ibid.*

Quadragesimale jejunium cur quadragintis diebus celebretur, VI, 743. Ejus custodia, IV, 20. Jejunium a Mosis et Eliæ jejunio exortum, I, 335, 779. Eo tempore cur institutum, *ibid.* Ejus mystica interpr. *ibid.*

Quadraginta duæ mansiones filiorum Israel per varia loca in deserto recensentur, II, 809 *et seqq.* Quid mystice denotent, *ibid.* Quibus et quot annis sint aptandæ, II, 825.

Quadraginta diebus cur mulier pariens immunda sit, II, 568, 569. Oblatione qua mundata II, 570.

Quadrantis notio, IV, 328.

Quadrigæ soli, bigæ vero lunæ junguntur et cur, V, 550.

Quadrupedum nomine quæ comprehendantur, I, 458.

Quærendus quomodo recte sit Deus, VI, 688.

Qualitates et termini causarum quomodo in exordiis narrationum exprimendi, II, 92.

Quatuor millia viror. de sept. panib. saturat. qui sint, V, 77.

Quatuor reges quinque superantes, quos denotent, I, 539.

Quatuor uxores Jacob, quarum duæ liberæ, duæ ancillæ fuerunt quid sign., I, 598 *et seqq.*

Quatuor annuli aurei altaris thymiamatis quatuor Evang. libros denotant, II, 210.

Quatuor mundi plagæ, quos proprie denotent, II, 603, 609.

Quatuor rotæ quatuor Evang. libror. figura, et cur, III, 447, 1153.

Quatuor principales virtutes, III, 706. A solo Deo largiuntur, III, 707.

Quatuor flumina Paradisi ex uno fonte procedentia mystice quid desinent, III, 943.

Quatuor ex corde quæ oriantur, III, 727.

Quatuor animalia ab Ezechiele visa quid figurarint, IV, 503. Eorum descriptio, IV, 507, 514. Quomodo ire et non ire dicantur, IV, 524. Cur plena oculis, IV, 530.

Quatuor mensarum lapidearum descriptio, et notio mystica, IV, 940, 945, 948, 949, 951. Earum labia cur reflexa, IV, 955.

Quatuor minima terræ, et sapientissima quæ, V, 577.

Quæriculosa murmuratio plebis contra Oziam, III, 613. Et alios superiores, III, 617.

Quinarii numeri multiplicati descriptio et notio mystica, IV, 909.

Quinquagenarii numeri sign. mystica, II, 161, 189.

Quinquagesimo anno Jubilæum celebrandum, II, 529. Ejus immunitas, *ibid.* In eo usura a fratribus de bonis emptis aut divenditis non accipienda, *ibid.*

Quinquaginta inventis cur Deus Sodomæ parcere promiserit, I, 554.

Quinque millia virorum de quinque panibus, et duobus piscibus saturati qui sint, V, 77.

Quinque lapides David, quinque libri Moysis typum tenent, III, 52.

Quinque sensuum officia, IV, 1119.

R

Rabanus viginti annis monast. præfuit, I, 66. Officio se abdicat, *ibid.* Secedit ad Ecclesiam sancti Petri, *ibid.* Plurimos conscripsit libros, quos omnes vide, *ibid.* Anno ætatis trigesimo, edidit lib. duos in laudem sanctæ Crucis, I, 66, 85.

Rabanus omnibus eruditione superior, ab abb. Ratgario Romam cum Haimone ep., postea Halberst. et Diedone ad Albinum Angl. studior. contin. causa mittitur, I, 76.

Rabanus alter Augustinus hæretic. terror et malleus, I, 76.

Rabanus omni genere discipl. excultus Roma cum sociis Fuldam revocatur, I, 76.

Rabanus sacerdotio initiatur an. æt. 30, I, 78. Amatur ab omnibus, *ibid.* Rabanus primus omnium apud Germ. publice docet in monast. Fuld. an. ætat. 25, *ibid.* Ex German. et Gall. discipul. ad eum accursus, *ibid.* Ejus aliquot illustr. auditores ex Megenfrido recensentur, *ibid.*

Rabanus Rathgario monacho erudiendus committitur, I, 75.

Rabanus magnæ spei inter omnes excellit, I, 75.

Digitized by Google

Rabanus fit archiep. Mogunt., I, 97. Celebrat synodum, I, 99. Thierdæ pseudoprophetissæ dogmata, fraus et poena, I, 98.

Rabanus tempore regiminis sui triginta oratoria construxit pro reliq., I, 65.

Rabanus novem ann. puer solemniter traditur in monast. Fulden. abbate Bangolfo, I, 72.

Rabanus per semetipsum omnia pontificalia administrat prædicando et docendo, I, 102.

Rabanus fit abbas Fuld. quintus an. ætat. septimo et triges. præfuit ann. duos et viginti, I, 86. Ejus studium post elect., *ibid.*

Rabanus vocatur ad aulam regis Germ. Ludovici, I, 97. Redire vocatus abnuit, *ibid.*

Rabani summa humilitas, I, 76. Ejus studium nocte dieque indefessum, I, 76.

Rabani modus in docendo et scopus, I, 78. Vagos et discolos repellit, I, 82. Græcæ et Latinæ linguæ puritatem primus docuit, I, 83.

Rabani laus et encomiu apud omnes, I, 86-97.

Rabani studium in litteris et disciplina monastica, I, 44.

Rabani studium in colligendis sanctis reliquiis, I, 44,-55.

Rabani natales, educatio, dotes et statura, I, 71.

Rabani liberalitas in pauperes et fame pressos, I, 100, 102.

Rabani mansiones seu residentiæ, I, 102.

Rabani librorum catalogus, I, 103.

Rabani studium, laus et eruditio, I, 104, 105.

Rabani mors angeli præmonitu designata, I, 106.

Rabani transitus angelorum psalmodia clarus, I, 106.

Rabani epitaphium, miracula, translatio, I, 106.

Rabani aliud vitæ compendium, I, 106, 107.

Rabani in corripiendo mansuetudo et severitas, I, 88. Singulis diebus meditatur passionem Domini, *ibid.* Est pater inopum et hospes egenorum, *ibid.* Habet multos æmulos, I, 89, 90. Ejus cura pro defunctis, I, 90.

Rabani epistola ad Hemmonem episcopum, V, 11.

Rabani epistola ad Ludovicum regem, V, 9.

Rabani exempla ad Freculphum de Comment. suo super Pentateuchum Moysi, I, 541.

Rabani Mauri versus de lib. sanctæ Crucis ad sanctum Martinum, VI, 1583. Francus natione sed orientalis, *ibid.* Apud Turones vixit, *ibid.* 1587 (*note*). Ejus oratio ad Deum, VI, 1588 (*note*). Versus ad amicum, VI, 1585. Res insignior., nominaque prophet. et patriarch. veteris instrum. brevi carmine complectitur, VI, 1593. Librorum copiam petit, VI, 1602. Paupertatis studium, VI, 1603. Ejus epitaphium, VI, 1671. Ejus poematum excusatio, VI, 1584 (*note*). Acrostichis ejus laudata, VI, 1585, 1586 (*note*). Quando conscripta, *ibid.* Tempora annotata, *ibid.* Ejus cum Friderico episc. familiaritas, VI, 1662. Ejus Hymnodia, VI, 1663 (*note*). Translatio, VI, 1669 (*note*). An. in sanctis, *ibid.*

Rabano plurimum debet Germania, I, 83. Vide *ibid.* quas discipl. tradiderit.

Rabano struuntur insidiæ, I, 99.

Rabano interpretatio Pentateuchi imponitur, I, 489.

Rabsacen quis, III, 252. Proditor Jerusalem, III, 252. Blasphemus et mendax, III, 253.

Racha quid sign., IV, 358; I, 806.

Rachel dicitur ovis Dei, V, 40. Idola abscondens Ecclesiæ typus, I, 607, 763. Ob partus difficultatem obit, I, 903. Quomodo filios Judæ quasi suos ploret, V, 773.

Radix, custosque omnium virtutum patientia, I, 903. Modus eam exercendi, V, 425.

Ramathsophim urbs Elcanæ ubi sita, III, 11. Patria fuit Josephi ab Arimathia, *ibid.* Hebraice altitudo eorum, III, 14.

Ramesse terra quæ, I, 648; II, 62.

Rami sapientiæ quid sign., III, 769.

Ranæ loquacium poetarum typus, II, 35; V, 228. Moyse orante moriuntur, II, 35, 36.

Rapere pauperem quid, V, 1225.

Raptus Apost. Pauli binus cujusmodi, VI, 231, 232.

Ratgarii Abb Fulden. encomium, VI, 1599, (*note*) Officia, *ibid.* Schisma sub eo, VI, 1621, (*note*). Moritur, I, 86.

Ratisbona ubi sita, VI, 1589, (*note*). Ejus tituli antiquitas, splendor, *ibid.*

Rationale quid signif., II, 193. Ejus factura, *ibid.*

Reatus judicii, concilii, et gehennæ distinctio, I, 806; IV, 358.

Rebecca cur dorso cameli ad Isaac deducta, I, 578. Viso Isaac pallio se operiens S. Ecclesiæ typus, *ibid.* Quomodo insidias Jacob paratas cognoverit, cum eas Esau cogitatione præceperit, I, 590.

Reblata dicitur multitudo, V, 63.

Rechabitarum obedientia et benedictio, V, 1069. Mystice quos sign., *ibid.*

Recordari quomodo Jeremias Dominum roget, cui omnia nota sunt, V, 1262.

Recte offerre tropice quid, I, 504.

Rectitudo et simplicitas individuæ comites, V, 689, 691.

Rectoris munus, V, 1257.

Rectorum, plebisque merita invicem sæpe conjunguntur, III, 120. Eorum proprietates et officium, III, 121.

Reda quid, V, 608.

Redemptionis omnis et salutis causa in Incarnatione Jesu consistit, II, 1167. Christi sang. pretioso, et non argento facta, VI, 1092.

Redimentes tempus qui, VI, 453.

Refrigerium justi morte præoccupati quale, III, 686.

Refugii civitates quæ, II, 111. Mysticæ earum explicationes, II, 833, 907.

Regeneratio spiritalis et carnalis quæ, IV, 283.

Reges apostoli et alii sancti interpretantur, V, 708.

Reges, judices, verbique Dei prædicatores ad sapientiam et justitiam sectandam exhortantur, ostendendo quam grave injustis rectoribus imminest supplicium, III, 693.

Regina Sabæ de Salom. ejusque sapientia insigne præconium, III, 195. Ecclesiæ typus, III, 469.

Regio sanctorum quæ, VI, 1095; V, 1048.

Regnorum de gente in gentem translatio unde, III, 827.

Regnum unde derivatum, V, 445. Assyriorum, et Romanorum præstantissima, *ibid.* In se divisi instabilitas, I, 927.

Regnum mortis quod, V, 1381. Ubi destrui cœptum, *ibid.* In quibus sit, V, 1383.

Regnum cœlorum cur terrenis rebus comparetur, et quibus, I, 954, 955. Æternum est, IV, 424. Ejus incertitudo, V, 709. Horribilitas, IV, 425.

Regula triplex in corde nostro Scripturarum, VI, 563.

Regum et temporum ordo cur in Jerem. et Ezech. prophetiis non servetur, V, 968.

Regum significationes mysticæ, I, 445. Qui vere censendi, I, 1616. Ad eorum exemplum subditi componuntur, II, 222; III, 824. Nimia pompa eis vitanda, II, 903. Cur vinum iis non dandum, V, 779, 780. Insipientium pernicies, II, 825. Officium, V, 1146. Assyriorum cur leones dicti, V, 967. Romani Cæsares, V, 1146.

Regum et Paralipomen. libr. contenta, V, 111.

Religio quid, quæque requirat. Ejus cultus tria requirit, V, 96.

Reliquiæ SS. Alexandri papæ martyr., Urbani variorumque sanctorum, I, 50. SS. Quirini et aliorum diversorum, I, 49. Venantii martyris plurimas clarent miraculis, quæ omnia vide. Permultæ sanguine stillantes ad legum vide, I, 50 ad 67. Sacrificiorum comburendæ, II, 644, 645.

Remissiones peccatorum quæ, II, 261.

Reprehensio S. Petrum inter et Paulum cujusmodi, IV, 924, 925. Amica, V, 1594.

Reprobi quandoque delictis, electi vero tribulatione afflicti, et cur, II, 126. Cur æternis ignibus torquend, III, 1049.

Reproborum quorundam regum facta non inconvenienter Sacræ Scripturæ et SS. Patrum testimonio Redemptori nostro figuraliter convenire, III, 658.

Repromissionis variæ domus, II, 967.

Reptilium animalium signif. litter. et figuralis, II, 365. Quando, et cur producta, I, 456.

Repudiata quæ, IV, 1015. Secretibus eam ducere cur vetitum, *ibid.*

Repudii libellus quomodo Judæis a Deo datus, V, 824. Cur a Moyse concessus, II, 935.

Requiescens cum leone et cervis ejus, Christus in cruce intelligitur, II, 754.

Requietis tria genera, VI, 750, 753. In cœlestem quomodo intrandum, II, 753. Electorum in hac vita quæ, II, 1129.

Reseph reptans ventre interpretatur, VI, 1118, 1119

Resina pœnitentiam figurat, V, 1097, 1163.

Responsio Moysis ad populum Israel, II, 116.

Responsoriarum primi inventores Itali, I, 363.

Restauratio hominum in quibus facta, VI, 390.

Restituere quomodo Deus dicatur pœnitentes, V, 955. Quando per seipsum et quando per alios ministros, I, 1152.

Restitutio populi Israel quando completa, V, 959.

Resurgens Christus quibus apparuerit, II, 642.

Resurrectio Domini ab apostolis in dubium vocata quid nobis conferat, II, 182. Quomodo contigerit, IV, 189. Ejus gratiæ Evangelicæque doctrinæ commendatio, V, 715, 718, 723. Ejus probatio, IV, 140-288.

Retributionem humani favoris exemplo Christi non esse quærendam, V, 561.

Rex Joseph sciens et ignorans quis, aptusque Christi typus, II, 11. Heres Christus, et quare, IV, 618.

Rhetorices definitio et utilitas, I, 306. Veritatis fautrix, *ibid.* Rhetor a

Digitized by Google

munus, I, 410. Ejus præceptis S. Apost. Paulus usus, *ibid.*

Rhinoceros quos signet *vide*, V, 220.

Rhomphæa bis acuta quid, III, 902.

Rifæi montis situs et signif., V, 365.

Risus Saræ promisso jam filio quid sign., I, 552. Stultum sæpe prodit, III, 908.

Rite postulans a Deo non frustratur, III, 712.

Ritus cessionis in suscitando semine ex cognati uxore sine prole defuncti, quis apud Judæos, II, 1218. Sacrificiorum et libaminum, II, 293, 295, 329 *et seqq.* Sacerdotii Veteris Testamenti descriptio, III, 1087. Ejus vestium genera quotuplicia, et quæ, *ibid.*

Rixarum variæ species, et singularum pœnæ, II, 112. Fugiendæ, V, 767.

Roboam quomodo juvenis, cum uno et quadraginta ann. fuerit, dicatur, III, 483. Ejus nominis etymon., *ibid.* Malorum Ecclesiæ rectorum typus, *ibid.* Ob peccata sua thesauris regionis Ægypti privatur, III, 484, 1096. Typ. not., V, 89.

Rogationum dies cur instituit, IV, 37.

Rogel fons, V, 317.

S. Romani Mart. passio, IV, 1179.

Romanorum laus, V, 1287.

Ros significat verbum Domini, V, 528. Item doctrinam prædicatorum, *ibid.*

Rosa Christi typum præ se fert, V, 528.

Rotarum ab Ezech. visarum constructio, IV, 525, 635. Earum altitudo et statura, *ibid.* Quorum typus, *ibid.* Variæ earum mysticæ signif., IV, 528. Duplex earum spiritus duo testamenta et dilectionem Dei et proximi denotat, IV, 637.

Ruben filius visionis interp., V, 43. Violavit cubile Patris sui, et quid myst. sign., I, 618. Matri mandragoras præbens quid, V, 43. Christianis bellum movet, II, 1145. Ob illicitum concubitum primogenitura privatur, III, 309.

Rubus B. Virg. typus, V, 513.

Rudibus et imperfectis facilis doctrina et lac proponendum, III, 20.

Ruina principum merito plangenda, III, 73.

Ruminantibus animalib. hæretici conferuntur, et quare, II, 352. Eorum discretio, II, 911.

Ruth cur dicta festinans, V, 111. Ejus historia, V, 37. Quomodo intraverit in Ecclesiam, cum Moabitis ingressus Ecclesiæ sit interdictus, II, 1201. Varii ibidem populi quibus Ecclesiam ingredi non licuit, *ibid.* Ad pedes Booz decumbit, illiusque pallio se operit, 1212. A Booz ob continentiam laudata, *ibid.* Typus Ecclesiæ a gentibus collectæ, II, 1215. Facta est Booz uxor, 1220. Parit Obed, II, 1221. Cur in genealogia Christi numeretur, cum Moabitis templum ingredi vetitum, IV, 465.

S

Sabbati præceptum proprie S. sancto convenit, et cur, II, 862. Ejus custodia, IV, 722, 1015. Quid, II, 444. Ejus sanctificatio, II, 781. Sanctum cur quoque ritu peragendum, V, 60. In eodem ligna colligens quos denotet, V, 308; II, 679, 680.

Saccus pœnitentium typus, V, 604.

Sacerdotalis terra, omnibus tributis pressis immunis fuit, I, 650. Ejus nominis sanctitas, VI, 663.

Sacerdotalium vestium Hebræorum copiosa descriptio, III, 758.

Sacerdos omnis Levita fuit, non omnis Levita sacerdos, II, 938.

Sacerdos quis ordinandus, III, 21. Castum esse oportet, III, 20. Sanctum et zelosum contra peccatores, III, 21. Nomen et habitus, V, 92. Virtuti el studendum, II, 196, 475.

Sacerdotes ob peccata populi quando puniantur, III, 21. Grandius peccant in contaminatione et contemptu rerum sacrarum et Dei, *ibid* Propter Deum honorandi, III, 806. Rationem subditorum reddere tenentur, III, 617. Occulta eis revelanda, II, 376, 377. Septem tuba ante arcam canentes gratiæ S. sancti, variorumque aliorum mysteriorum typum gerunt, III, 348. Evangelicis etiam primitiæ debentur, II, 697, 698 et 904; III, 807.

Sacerdotii distributio, descriptio et excellentia, VI, 712 *et seq.* Fuse, VI, 755 *et seq.* Fusissime, VI, 779 *et seq.* Levitico excellentius, VI, 758.

Sacerdotis, cui vasa sacra, et mysteriorum sapientiæ secreta commissa sunt, munus, II, 613, 693.

Sacerdotibus solis potestas discernendi inter mundum et immundum delegata, III, 243.

Sacerdotium V. L. per Christum abrogatum, III, 23. V. L. Sacerdotes Christo indignantur, *ibid.*

Sachot ubi sita, III, 31.

Sacramenta nov. leg. quid requirant a nobis, V, 133. Quid sign., *ibid.* Quibus tractanda, II, 190. Ea num prophetæ tractarint et non intellexerint; ubi obscurus Apostoli locus explicatur, V, 1615. Altaris cur in frumento et vino confici voluerit Deus, V, 135. Eorum minister melior Christi ministris Vet. Testamenti, VI, 763.

Sacrarium quid sign., V. 391.

Sacrificia Vet. et Nov. leg. quid sign., V, 133. Quot fuerint, *ibid.* Qualia Deus a nobis requirat, V, 389. An alibi quam in Silo oblata, II, 1157. Variorum varia vocabula eorumque significationes, V, 389. Usus, *ibid.* Gentilium varia genera et ritus, III, 740. Eorum multitudine Deus non placatur, III, 1010. Qui ab holocaustis distinguantur, II, 301; IV, 947, 948.

Sacrificium de sartagine quid, II, 259, 299. Item ex fragmentis, II, 300. Salutare aliud laudationis, voti aliud appellatur, II, 312, 314.

Sacrilegus quis, V, 1363.

Sadducæorum doctrina, V, 93. Etymon doctrinæ et hæresis, I, 770.

Sadoc, abjecto Abiathar a Salomone, fit summus sacerdos, et æmulus Eli, III, 22.

Sæculi interpret., V, 306. Sanctum quod, III, 878. Ejus sapientia qualis, IV, 780. Malignum quod, VI, 249. Variæ ejus acceptiones, *ibid.* Ejus se præstat dare disciplinæ quam hæret., V, 969.

Sagarum Cilicinarum usus, II, 164, 166. Mystice rectores Ecclesiæ exprimunt, *ibid.*

Sagittæ salutis Domini ab Elisæo emissæ quid, III, 244. Unde dictæ, V, 539. Primi earum inventores Crettenses, *ibid.* Mystice varie interpretantur, *ibid.* Inebriatæ quid denotent, VI, 1150.

Sagittandi artem quæ gens optime noverit, V, 815.

Sal allegorice quid sign., V, 460. De ejus origine variæ opiniones, *ibid.* Usus et natura, *ibid.* Terræ cur Apostoli dicti, I, 801. Ejus natura usus, *ibid.*

Salamandra serpens venenosissimus incendia exstinguens, V, 233.

Salem interpretatur pax, I, 166.

Salomon trinomius cujus figura, V, 51. Ejus libri quid doceant, V, 101. Ejus apparatus opiparus typice mysteriis divinis confertur, III, 150. Ejus tria millia parabol. SS. Trinit. figura, III, 132. Ejus sapientiæ fructus, *ibid.*, 133. Domus ab eo ædificata universalis Ecclesiæ figuram habet, III, 133. Hujus domus incolæ, III, 134. Hiram opera in ædificio domus Domini usus, III, 153. Templum Deo consecrans, Christi Ecclesiam suam sanguine mundantis figura, III, 186. Quas urbes exstruxerit, II, 187; III, 468. De idololatria nunquam vere pœnituit, III, 269. Tributarium faciens populum Christi typus, III, 409. Ejus laus, III, 1096, 1097.

Saltatrices hæret. typum tenent, III, 820.

Saltus litter. et typica notio, V, 367. Meridianus quis, IV, 729. Cur contra eum vaticinarii jussus Ezechiel, *ibid.*

Salus cum timore acquirenda, III, 843.

Salvator unus cum sit in subjacenti, quomodo plurimi in eo sint intellectus diversorum ejus nominum, V, 1149. Cur Nazaræus dictus, V, 585.

Salvator noster qua de causa a Joanne baptizatus, I, 775. Quo spiritu in desertum ductus, I, 779. Ejus mansuetudo, I, 917. Sabbato cur potissimum operatus sit, I, 922. Facta sua cur manifestare Judæos vetuerit, I, 925. Per Jonam apte figuratus, I, 936. Quomodo mare transierit, I, 970.

Samaria unde cognominata, V, 340. Hæret. typus, *ibid.* Varie in script. accipitur, III, 605.

Samaritarum superstitio, V, 95.

Samem quid punice significet, II, 1122.

Sames fons, V, 317.

Samgar interp. advena, V, 55. Bonorum evangelicorum prædicat figura, II, 1131, 1132, 1140. Liberat Israelem ab imminente bello, II, 1131. Philistæorum vomere occidit, *ibid.* Item vitulos et boves, *ibid.* Samgar.

Samia primo vasa fictilia invenit, V, 356.

Samson idem quod solis fortitudo Christi, V, 57. Ulciscitur raptum uxoris suæ, II, 1193. Ad eum veniunt filii Juda de facto hoc expostulantes, *ibid.* Viros mille maxilla asini necat, *ibid.*, 1196. Maxilla hæc personam concionatorum vilem significat, *ibid.* Ducit in Gaza meretricem, *ibid.* Urbe excedit sublatis simul portis urbis, *ibid.* Figura in hoc facto fuit Christi, *ibid.* Ejus problema mystice explicatum, *ibid.* Occidit triginta viros in Ascalone, *ibid.* Vulpes in segetem mittit, quæ diabolum adversus fortes imbellem sign., *ibid.* Maxilla qua vicit ille mille viros, patientiam Christianorum notat, *ibid.* Quid per ejus capillos indicetur, *ibid.* Discedit ab illo Spiritus sanctus, *ibid.* Quid ille, *ibid.* et 1197. Oculi eruuntur, et quid illi moraliter, *ibid.* Subvertens domum typus Christi et Christianorum vincentium vitia et dæmones, *ibid.* Rectene inter sanctos numeretur? VI, 804.

Samuel idem quod nomen ejus Deus typ. nov. sacerdotii, V, 58. Ex sterilibus parentibus natus, hebraice, postulatio Dei, aut nomen ejus Deus, III, 13. Ablactatus ad templum ducitur, III, 15. Indutus Ephod lineo, III, 20. Gratissimus Deo sacerdos, III, 23. A Deo electus et laudatus, *ibid.* Degeneres habuit filios, *ibid.* A Deo nocte ter vocatus tandem discit interitum

Digitized by Google

Eli et filiorum, III, 23. Quomodo dicatur nescivisse Dominum, *ibid.* Pro populo supplicans exauditur, III, 33. Ejus laus, *ibid.* Cecidit hostes usque ad Bethear., *ibid.* Quotannis obambulavit per urbes judicium exercens et justitiam administrans, *ibid.* In Ramatha exstruxit altare, III, 34. Filios habuit quatuor degeneres et nequam, III, 35. Solatur illum Deus, *ibid.* Sauli asinas perditas indicat, et regnum portendit, *ibid.* Increpat populum ob regem petitum, III, 39. Precibus pluviam impetrat, *ibid.* Increpat Saulem ob servatum Agag regem, III, 45. Eumdem a Deo projectum asserit, III, 49. Supplicem Saulem rejicit iratus, III, 49. Ejus laus et pietas, III, 1094. Non videns Saulem usque ad mortem quomodo cum eo prophetasse dicatur, III, 56.

Samuel Rabani condiscipulus qualis, VI, 1601, 1602, 1206.

Sancta sanctorum unde nomen indepta, V, 392. Eorum fabrica et notio mystica, IV, 971, 974.

Sanctarum reliquiarum monumentorumque Fuld. descriptiones, VI, 1677.

Sancti qua ratione quidam et peccatores dicantur, II, 691.

Sancti Patres orationibus nos juvant, et exemplis suis confirmant, II, 807.

Sancti et martyres Deo sunt curæ, III, 681. Interrogantes responsum, peccatores secus merentur, IV, 716.

Sancti Spiritus cum Deo locutio cujusmodi, V, 1046. Pro nobis interpellat, *ibid.*

Sancti patriarchæ et prophetæ ea quæ legis sunt facientes num deliquerint, VI, 317. Quomodo sub lege vixerint, VI, 351.

Sanctificatio populi Israel quid figuraliter denotet, II, 90. Item sacerdotum, III, 345. Interfectorum et sacerd. cujusmodi, V, 972.

Sanctificati loci descriptio, IV, 1022.

Sanctitas Patrum benedictionem sæpe filiis causat, V, 811.

Sanctorum felicitas in cœlo, pro nobis orant, III, 1147. Eorum in tormentis et rebus adversis constantia, *ibid.* Præmium, *ibid.* Gloria et splendor, *ibid.* Intercessio, III, 556. Eorum consortium maxime affectandum, III, 1026. Eorum frequens invocatio, VI, 1605. Translationes synecdochice acceptæ, *ibid.* Eorum a condito mundo certamina, VI, 1606. Eorum preces murus fortissimus, IV, 651. Cur colles dicti, I, 664. Pro peccatis maxime sunt solliciti, II, 692. Quomodo in hoc mundo diem festum agant, II, 788. Tranquille Deo vacant, III, 640. Sui semper accusatores, III, 776. Quomodo mirabilia Dei enarrent, cum impenetrabilia alias dicantur, III, 1056.

Sanctuarii præceptio et constructio, II, 140. Patriæ cœlestis figura, II, 141.

Sandaliorum sacerdotalium usus, I, 308. Quid sign., III, 565.

Sanguisugæ Satanæ, V, 255. Sanguisugæ duæ filiæ luxuria et avaritia, V, 776.

Sanguis, adeps et pinguedo animal; quid significet, V, 210.

Sanguis fœderis a Moyse respersus mystice quid figurarit, II, 135.

Sanguis victimarum animæ typus, II, 254. Peccati quis, II, 278. Justorum quomodo super omnes Judæos venerit, I, 1074. Christi qua ratione dicamur bibere, II, 744. Ejus fluxum patientes in menstruis suis qui, II, 413. Judæis prohibitus, III, 43. Victimarum sanguis ubi fundendus, *ibid.* Ejus esus cur prohibeatur, II, 431, 433, 879.

Sapiens adeo nullus quin sapientior evadere possit, V, 680. Eorum multitudo quæ, III, 696.

Sapientia apostolica cur sal appelletur, II, 700. Divinæ laus, II, 1135. Ejus sedes, *ibid.* Quid doceat, *ibid.* Humana significata per uxorem Sisaræ, II, 1151. Favet idololatriæ, eique omnes victorias ac prosperitatem olim ascripsit, *ibid.* Salomonis unde, V, 773. Dei æterna Christus est, III, 765. Incomprehensibilis, *ibid.* Omnibus est obvia, III, 694. Ejus acquisitio utilis, *ibid.* Ejus incapax est invidus, *ibid.* Multiplicem intelligentiæ spiritum habet, III, 700. Sole est speciosior, III, 703. Omnia operatur, III, 705. Ad justitiam viam sternit, III, 706. Tædium levat, III, 708. Ad faciendum malum qualis, V, 838. Ejus multiplex descriptio, laus et origo, III, 922. Mire ad sui complexum invitat, III, 925. Doctrinæ suæ splendore omnia illustrat, III, 928. Cedri et palmæ instar exaltata quid, III, 928. Hæret. qualis, V, 832. Ejus et justitiæ studiosus beatus, III, 859. Ejus studii et meditationis divinæ legis laus et necessitas, IV, 88; V, 754. Eam cum disciplina scire quid, II, 612, 613. A solo Domino largiri, V, 683. Non occultanda, III, 748. Eam cum charitate obtinere cupienti, qui gradus necessarii, I, 380, 381; V, 1193. Individuæ virtutes hæ comites, *ibid.*

Saraa intacta ab Abimelecho Abrahæ restituta præclarus sanctæ Ecclesiæ typus, I, 560. Senex Isaac peperit, I, 561. Mortua plangitur, et in Ephron sepelitur, I, 570. Cur reprehensa, cum Abraham riserit, V, 57. A Sarai quomodo distinguatur, I, 532, 553.

Sarai nomine immutato, filius promittitur, I, 547. Nominis hujus immutatio unde, *ibid.*

Sartago ferrea, instar muri inter prophetam et urbem Hierusalem mystice quid signif., IV, 587, 588, 591.

Satanas quo sensu Petrus, et Christi in deserto tentator compellatus, I, 785, 990. Ei traditus qui spiritu salvetur, VI, 51.

Satisfactio quid sit, V, 140.

Satrapia quid sit, et quid satrapes, II, 1124.

Saturno filios gentiles obtulerunt, III, 740.

Satyri homunciones qui, V, 196.

Saul cur dictus petitio, V, 58. Figura reprobationis Judæorum, *ibid.* Rex primus Judæorum, II, 1187. Contra Philistæos in sorte Aser infeliciter pugnat, *ibid.* Increpitus frustra se excusat, III, 44. Honorari coram populo vult a Samuele, *ibid.* Filius Cis rex unctus a Samuele typus est Christi ejusque laus, III, 36. Agnovit per visum fore se regem, *ibid.* Prophetat, III, 37, 38. Quid prædixerit, *ibid.* Recenset populum contra Naas pugnaturus, *ibid.* Quandiu regnaverit, *ibid.* Ab eo Hebræi multi deficiunt, III, 39. Offerendo hostias graviter peccavit, III, 40. Projicitur a Deo, *ibid.* Regnum ejus quomodo futurum perpetuum si non peccasset, *ibid.* Dimicaturus contra Philistæos indicit exercitui jejunium, III, 42. Bis altare ædificavit, III, 45. Peccat parcendo Agag regi Amalech, et a propheta increpatur, III, 45. Ejus et Jonathæ laus, III, 73. In subditos liberalitas, *ibid.* Domum David militibus stipans typus Passionis Dominicæ, III, 55. Ejus filii et domestici omnes una interimuntur, III, 70.

Saulus unde, quandoque Pauli nomen acceperit, V, 1255; VI, 697. Ejus animi magnitudo, V, 1279. Charitas in vicinos, V, 1480. Vinctus Jesu Christi cur dictus, VI, 697.

Savinus (S.) Venustianum ad fidem convertens, cum eodem martyrio coronatur, IV, 1184.

Scabies litteral. et mystice quid sign., II, 537.

Scalarum mystica signif., V, 365.

Scandalum proprie quid, II, 794. Gravitas et pœna, *ibid.* et IV, 537. Studiose vitandum, III, 866.

Scarabei unde, V, 256.

Scenopegiarum solemnitas, ejusque sacrificia, II, 787, 788.

Schisma quomodo oriatur, V, 94. Sub Ratgirio abbate quale, VI, 1621.

Scientia sine charitate invalida, II, 75.

Scienter peccans inexcusabilis, II, 744.

Sciopodum gens in Æthiopia, I, 197.

Scire Deus quos se dicat, V, 864.

Scissio regni Salomonis scissioni pallii novi præfigurata, III, 199. Quid apud Judæos notarit, I, 1121.

Scoriæ varii generis metallis Ierus. Babyl. iniquitates comparantur, II, 737. Reproborum typus, V, 477.

Scorpiones quomodo congregentur in unum, V, 234.

Scorpius Satan et ministri ejus ms, V, 252. Natura, IV, 556. Adulatorum typus, *ibid.*

Scotia unde appellata, V, 334. Ejus partes, *ibid.*

Scrabones, V, 256.

Scribæ repudiatus a Christo quos signif., V, 75.

Scribæ pont. pecunias gazophylaci numerantes doctores Ecclesiæ designant, III, 242.

Scribendi ars pictoriæ præfertur, V, 1606. Earum comparatio, VI, 1605 (note). Ab Ægyptiis inventa, *ibid.* Laus, *ibid.* Genera, *ibid.* Usus laudatus, *ibid.* Instrumenta, VI, 1616 (note).

Scrinium quid, ejusque exercitium, VI, 1172.

Scripturæ varios sensus admittunt, V, 259. A Deo inspiratæ, II, 1134. Arma sunt contra hæreticos, III, 58. Fons omnis pietatis, III, 673. In nec detrahendum, nec addendum, III, 861. Tribus modis intelligendæ, IV, 665. Ad episcoporum mensas legendæ et cur. Toiet. mandantur, ebrietas prohibetur, VI, 1417. Earum eminentia, I, 579. Obscuritatibus involutæ, nec temere legendæ, *ibid.* Quomodo legendæ, I, 585. Earum verba contrariantia quomodo reconcilientur, I, 399. Sensu concordante, verba non curanda, *ibid.*

Sculptura historiata quid, III, 440.

Scutum quid, V, 542. Ejus varia genera, *ibid.*

Scylla in mari Siculo quid, V, 337.

Scyphi tabernaculi cur in modum nucis fabricati, II, 152. Mystice quid sign., V, 601.

Scythiæ origo et magnitudo, V, 542. Ejus divitiæ, *ibid.*

Sebastiani (S.) et aliorum sanctorum reliquiæ miraculis claruere, I, 1. (rect.)

Sechniæ quomodo sex filii nati, cum tantum quinque numerentur, III, 501.

Secreta amici non revelanda, II, 965. Nec Dei in convivio tractanda, VI, 1261.

Sectarii qui dicantur, V, 93.

Secti lapides qui, II, 107.

Securis in aquam decidens filium ope natavit, III, 233. Quid designet, III, 234.

Securitas in bello noxia, III, 1138.

Sedecias cur dictus justus Domini, V, 64. Malorum Ecclesiæ rectorum typus, III, 274. Ejus in Deum et Dei nuntios impietas, III, 333. Ejus captio,

Digitized by Google

v, 698. Jeremiæ pro se et populo suo preces postulat, v, 1076. Sponte et non vi populi compulsus Jeremiam in carcerem detrusit, v, 1078. Captus excæcatur, v, 1081, 1176.

Sedere in concilio ludentium quid, v, 933.

Seir signif., v, 561; II, 1139; IV, 847.

Sellarum variarum interpret., v, 606.

Selmon mons, in quo Abimelech signa cum omni populo succidit, II, 1175. Heb. consentiens, *ibid.*

Sem nominativus dicitur, v, 34. Benedictio, I, 525. Quos denotet, *ibid.* Ejus generationes, *ibid.* Ejus filii qui, III, 281.

Semei maledictionem David æquo animo tulit, III, 106, 108.

Semeia Neellamites qualis, v, 1082.

Semen Abrahæ quale, VI, 1165. Mulieris quid, I, 499. Diaboli, *ibid.* Illud cur fratri sine liberis morienti suscitandum præceperit Deus, II, 942. Perplexæ quæstionis de Joseph ob fratris semen suscitatum declaratio, II, 942 *et seq.*

Semeron quid et unde dicta, III, 486.

Seminator evangelicus quis, I, 939. Seminationis effectus, *ibid.* Quæ justorum et Dei, v, 689-731.

Seminiflui viri expiatio, II, 403.

Senectus Davidis per frigida puellæ Abisag amplexu fovetur, III, 23. Senium variæ proprietates, III, 124. Abisag quid signif., III, 125. Quare honoranda, VI, 740. Venerabilis quæ, III, 686.

Senes proprie qui, v, 736. Non decipiendi, III, 815. Eos prudentiam, presbyteros consilium et scientiam potissimum habere decet, III, 947. Eorum juniorumque tractandorum ratio, VI, 619, 671, 675. Quid eos deceat, VI, 676.

Sennacherib a propriis filiis obtruncatur, III, 258. Ejus in Deum Ezechiamque injuria, III, 519.

Seon cur dictus tentatio oculorum, v, 33. Diaboli typus, II, 719, 850 *et seq.*

Sensus corporis quinque explicantur, v, 142. Quando homini reddantur, II, 570.

Separationem quando Deus fieri jubeat, II, 681.

Sephora filium circumcidens typus Ecclesiæ, II, 26.

Septem millia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal quos signif., v, 67.

Septem diebus cur holocausta offerri præcepta, II, 511.

Septem gentes e terra repromissionis ejectæ, septem vitiorum capit. typum gerunt, eorumque interpretatio, II, 867.

Septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum qui, III, 1026.

Septem eunuchi ad Vasthi introducendam missi septiformem Spiritus sancti gratiam designant, III, 642.

Septem discipulis cur Dominus ultimum convivium exhibuerit, IV, 156.

Septem inter et quinque panes populo dati distinctio, IV, 376. Quid sig., *ibid.*

Septembris dierum festorum descriptio copiosa, IV, 1165.

Septenarii numeri multiplices sign. mysticæ, III, 1014. Perfectio, I, 466.

Septimarum festivitas quid et quomodo celebranda, II, 786, 899.

Septimus dies cur sine vespera, I, 466.

Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima et Quadragesima unde nomen invenerunt, I, 546.

Septuaginta seniores cujus typum gerant, v, 53.

Septuaginta interpretum erronea de Abrahami morte explicatio, I, 580.

Sepulcrum allegorice corpus peccatoris intelligitur, v, 194. Unde dictum, *ibid.* Abrahæ duplex quid mystice denotet, I, 571.

Sepultura mortuorum quid sign., I, 631.

Sequester et medius Moyses Deum inter et hominem cur sit constitutus, II, 860.

Sergii et Bacchi (SS.) translationes, VI, 1631 (*note*). Tumulus et ciborium, *ibid.*

Series pontificum et Nicephoro, III, 1226, 1227.

Sermo Dei ad populum Israel decalogum legis proferens, II, 95, 405.

Sermonis boni, orisque puri commendatio, VI, 441.

Sero conversorum conditiones cujusmodi, VI, 1303. Eorum pœnitentia num Deo grata, VI, 1306. Non tardandum converti ad Deum, VI, 1318.

Seron Syriæ princeps, mundanorum principum figura, III, 1150. A Juda Machabæo interemptus, *ibid.*

Serpens Evam seducens, cur calidus dictus, I, 486.

Serpentum varia genera et sign., v, 228 et 232. Trilingues annosi juvenescunt, de medulla spinæ hominis mortui nascuntur, *ibid.* Eorum natura, I, 897. Populi eorum morsibus puniti æneo erecto sanantur, II, 712, 713. Mystice quid signif., *ibid.*

Servatii (S.) vita miraculosa, IV, 1144.

Servi missi tempore fructuum et occisi qui, v, 78. Servi, maxime fideles quomodo sint tractandi, III, 1006. Frugi laus, III, 807.

Servientes Domino nulla re terreri, v, 687-696. In sanctitate serviendum, VI, 1160.

Servitium filiorum Caath in ministerio Domini, II, 611.

Servitus filiorum Israel in Ægypto, II, 58. Jacob pro filiabus duabus Laban, I, 601. Quomodo septem anni visi dies breves, cum amantibus breves longi videantur, *ibid.* quid sig., v, 41. Ejus variæ species, I, 786.

Servitute ex paupertate venditum non esse opprimendum, II, 544, 545. Anno jubilæi liber dimittendus est, II, 545, 546.

Servos et ancillas Israelitæ cur ex aliis nationibus accipere jussi, *ibid.*

Servorum talenta a dominis suis accipientium mystica expositio, I, 1001, 1002.

Servum se cur qualemve apost. nominarit, VI, 653.

Servus Abrahæ ab ipso adjuratus in Mesopotamiam ad quærendum Isaac uxorem mittitur, I, 571. Mystice quid signif., I, 573.

Servus dominum diligens quis, II, 893. Emptitius quis, v, 1086. Emptitius sex annis serviens mystice quid signif., II, 107. Subula cur aures ei perforandæ, II, 108, 890.

Seth interpretatur resurrectio vel positio, v, 32.

Sethim quid, ejusque natura, II, 167.

Severissimæ animadversionis Dei in peccatores exemplum, II, 450, 451.

Sex quæ Dominus odit, et septimum detestatur, v, 704.

Sex menses cur in computatione annorum regni Davidis excludantur, III, 297.

Sex viri ad evertendam Hierosolymam missi sex ætates humani generis denotant, IV, 628. Unus lineis vestibus indutus, alter atramentario accinctus quid signif., *ibid.* Thau cur in fronte signare jussi, *ibid.* Hoc signo initiati a cæde reservantur, IV, 631, 632.

Siba unde nomen invenerit, III, 111.

Siban quis mensis, III, 662.

Sibi credentium merces quæ, III, 1156.

Sibyllarum enumeratio, et origo, v, 420. Erythrææ de Christo vaticinium, *ibid.*

Sicera et vinum sempiternam consolationem signif., v, 780.

Sichimitæ exprobrant Abimelicho parricidium fratrum, II, 1175.

Siciliæ etymologia, et descriptio, v, 357. Cur Trinacria vocata, *ibid.* Ejus fertilitas, *ibid.*

Siclus quid, II, 288.

Sidon a copia piscium denominata, v, 379. Ejus exstructores qui, *ibid.*

Sidoniorum afflictio, IV, 193.

Signa cœlestia venerari prohibentur, v, 877. Magorum cujusmodi, VI, 722. A prodigiis differunt, et quomodo, v, 1599.

Signorum diversorum species, I, 385. Quædam ignota, *ibid.* Quædam translata, I, 386 Alia ambigua, *ibid.*

Signorum bellicorum usus, v, 535.

Signum in manu quid sign. II, 60.

Silo urbs in tribu Ephraim, ibique arca Domini a tempore Josue ad Samuelem, III, 11.

Simeon senior infantem ulnis suscipiens quid significet, VI, 1164. Ejus etymon et signif. myst., v, 45.

Similarum quinque genera et significa., v, 225.

Similam offerens S. Ecclesiæ figuram habet, II, 257.

Similitudinem inter et imaginem discretio, II, 856. Non esse erigendam, *ibid.*, II, 857, 858. Quomodo ab æqualitate differat, IV, 787. Utraque Deo contra quosdam hæret asseritur, *ibid.*

Simon, amas me? num dubitantis fuerit? II, 377, 378.

Simplici corde ad Deum accedendum, III, 770, 771.

Simul qua ratione a Deo omnia creata dicantur, III, 880.

Simulacrorum usus unde exstiterit, v, 446.

Sina mons Judæorum Synagogam figurat, v, 360; II, 1140.

Sine me, quomodo interpretandum, II, 227.

Sion vertitur speculatio, v, 360, 379. Typum apte gerit Eccl., *ibid.*

Sior quid, v, 324.

Sisara dux exercitus Jabin Chananæi, ejus potentia, II, 1152. Hebraice visio equi, typus impiorum et hominum animalium, II, 1153; v, 56. A Jael astu occiditur, *ibid.* Clavus per os ejus adactus cujus rei typus, *ibid.*

Situs et habitus humani corporis quid denotet, v, 178.

Situla unde dicta, v, 600, 601.

Sobal litteral. et figural. quid sign., III, 286.

Sobrietatis commendatio, III, 989. Gulæ vituperatio, *ibid.*

Societas pravorum vitanda, IV, 557.

Socrus Petri febricitans, et a Domino curata Synagogam Judæorum exprimit, I, 860, v, 75.

Sodoma et Gomorrha ob nefanda flagitia in solitudinem redactæ; solus

Digitized by Google

Lot sapientia comite effugit, III, 717. Ejus interp., V, 380, 688. Incendium, *ibid.* Collatione Hierusalem justificata cur dicatur, V, 829, 883, 1253. Ejus peccata quæ, IV, 453, 454. Earum terra paradiso similis, I, 536.

Sol et luna luminaria cur magna dicta, I, 455. Quomodo signa temporum, dierum et annorum, *ibid.* Utriusque defectus unde, IV, 79.

Sol, quid significet, V, 267.

Sol prædicatorum verbi Dei typum tenet et cur, V, 823. Uno die immotus hæsit, III, 1091. Suum ob incolumitatem Ezechiæ cursum mutans, superstitiose a quibusdam pro Deo coli cœptus est, III, 261.

Solarii cum ministeriis divinis collatio, V, 391.

Solemnitates feriarum et sabbati, II, 501. Paschalis, *ibid.* Cur non decimaquarta, sed prima azymorum die celebratum, *ibid.* Ejus celebrandi ratio, *ibid.* Solemnitates etiam primitiarum, hebdomadarum et messis describuntur, II, 503. Tubarum, II, 509. Christi typus, *ibid.*

Solidorum aureorum primus usus, V, 353.

Solii eburnei descriptio litter. et mystica, III, 463. Dei quod, V, 1000.

Solitudinis utilitas, et turbarum damna, III, 887.

Sollicitudo bifariam interpretatur, V, 716.

Solum quid, V, 366. Paternum omnibus charum, V, 868.

Solurius unde cognominatus, V, 563.

Solus requirendus, qui solus peccatum non fecit, II, 777.

Somnia Josephi fratribus narrans odio habetur, II, 623. Mystice quid signif., *ib.*, 630.

Somnii nocturni peccatum et expiatio, II, 931.

Somnium expónere quibus conveniat, V, 986.

Somnus dulcis quis, V, 1039. Vitandus, V, 744.

Sophar litteralis et alleg. interp., III, 278.

Sophistice loquentes odibiles Deo, III, 1028. Varia eorum genera, *ibid.*

Sophonias quare dicitur speculum, V, 69.

Sopor Adamo immissus quid signif., I, 481. Domino qui tribuatur, III, 50.

Sorex antiquis Saurix dict., V, 225.

Sorte sua cuique bene utendum, II, 536. Ejus missio in Vet. et Novo Test. cujusmodi, IV, 1063.

Sortes a Domino temperari, V, 736.

Spectaculum quid, V, 553.

Spectrorum variæ species, V, 455.

Specula quid sit, II, 1188. Mystice superbia, *ibid.* Eam sibi statuere quid, V, 1038.

Speculator proprie quis, IV, 573, 576.

Specus litter. et mystice quid sig., V, 373.

Spelunca duritiem peccatorum denotat, V, 573.

Spem ponens in hominem maledictus, V, 946.

Spinæ peccatores designant, V, 256. In manibus temulenti crescentes quid, II, 168; V, 765.

Spinosa terra quæ, VI, 750.

Spirituali gladio qua ratione Christianis contra vitia sit depugnandum, II, 769.

Spiritum suum sequentes facile impingunt, IV, 650, 651.

Spiritualis in afflictione ad Deum clamat, II, 1133.

Spiritus sanctus unde procedat, et quæ nomina sortiatur, V, 23. Per Austrum designatur, V, 275. Omni actui peccato carenti adsit, II, 715. Ejus gratia destituti nihil possumus, III, 660. Ejus sanctificationis mens hæreticorum incapax, I, 816. In apostolis cur per ignem, in Christo vero columbam apparuerit, I, 777. Variæ ejus operationes, *ibid.* Cur hominem deserat, V, 1545. Num ex operibus legis sit, an ex auditu, VI, 285. Eum cur Dominus noster semel in terris consistens, et semel in cœlis præsidens dederit, *ibid.*

Spiritus significatio multiplex, V, 141, 142; VI 1056. Ab anima quomodo differat, V, 141-143. In creatione mundi super aquas delatus, super terram, diluvio finito, rursus est inductus, I, 519. Domini in quibus requiescat, II, 658. Domini, qui a Samsone discessit, quis et qualis, II, 1199. Domini exagitans Saulem qua ratione malus dicendus, III, 50. Quid sig., V, 685. Anima simul complens quomodo mobilis et stabilis sit, IV, 523, 524.

Spiritus in vindictam creati qui, III, 1045.

Spiritus principales qui, eorumque effectus, V, 880-883.

Spiritu Moysi turbato, Deus illius onus in septuaginta seniores partitur, qui omnes prophetabant, II, 657. Quomodo Deus iis de spiritu Moysi dederit, *ibid.*

Spolia Israelitæ ab Ægyptiis auferunt, II, 22.

Spontaneum sacrificium quod, II, 513. Quando de eo liceat comedere, *ibid.*

Spontaneum principum sacrificium quale, IV, 1043. Dona quæ hæredibus suis largiuntur, *ibid.*

Sponsori ut fidem datam liberet laborandum, V, 702.

Sponsus sanguinum quis, II, 26.

Sportarum dominica fragmenta continentium signif. mystica, I, 985.

Spungia quale animal, et quid sign. myst., V, 258.

Stadiorum statutor Hercules, V, 412.

Stagni natura et explicatio, V, 516, 517. Genezareth quod, V, 478.

Stare et sedere in homin. quomodo differant, V, 178. Item currere, jacere, etc., *ibid.*

Statera quid signif., V, 485. Dolosa quæ, V, 716-746.

Statio quid sign., V, 372.

Stella Jacob, stella quæ magis in Oriente apparuit, II, 757.

Stellæ sunt signa temporum, I, 455. Quomodo a sideribus et astris differant, quidque sign., V, 272. Variæ notiones, VI, 1052. Futuram aeris qualitatem, et vigilias noctis indicant, I, 455.

Stercora comedere, et urinam bibere quid, III, 254.

Sterilitas cur Annæ sanctisque viris et mulieribus immissa a Deo, III, 11. Agrorum unde, V, 981.

Stigmata corpori non imprimenda, II, 458.

Stillicidii significatio, V, 326.

Stimulus carnis cur apostolo datus, VI, 234.

Stolæ signif. varias *vide*, VI, 1060.

Stomachus ostium est venti, V, 175. Signif. in Scriptura, *ibid.*

Storax quid signif., III, 933.

Strabus Rabani in schola Fuld. successor quis et quantus. Prosa et carm. plura scripsit, I, 86.

Struthio hypocritas sinag. et hæret. figurat, V, 246, 1249. Quomodo Deum glorificet, V, 246. Ejus erga filios indurati, V, 1249.

Studium ecclesiasticorum est sapientiam patriarcharum et prophetarum, etc., speculari, III, 1058. Cur suum tradunt ad vigilandum, et sine intermissione vineam Christi propagare laborant, III, 1038. Deus illis adjutor, *ibid.* Eorum fructus, *ibid.*

Stulti mutabilitas, III, 963, 1000. Quomodo iis ad interrogata respondendum, V, 764. Eorum diversæ species, VI, 41.

Stultiloquii detestatio, VI, 447, 645.

Stultus quis, V, 714, 728, 736. Cur sapientiam non inveniat, V, 727, 747. A fenestra respiciens in domum hor. typus, III, 908.

S. Sturmus primus abbas Fuldens., I, 73, 86.

Subditis concedenda multa, ut obedientia illorum promptior sit, nec oneri succumbant, III, 46.

Subsannantes patri qui dicendi, V, 776

Subsannatio et risus Dei qualis futurus, V, 685.

Substantia num aliqua secundum definitionem Marcion. et Valent. sit inimica Deo, II, 626. Dei investigare curiose nemini fas esse, II, 414, 415.

Suburbanorum interp. litter. et typica, I, 104.

Successione non semper ad gubernacula ascendendum exemplo Moysi demonstratur, II, 778. Et Domini Dei, II, 903.

Suillus cum aspide pugnat, V, 225.

Sulphuris vis, V, 457. Ejus quatuor genera, V, 458. Myst. carnalia desideria denotat, *ibid.* Sodom. et Gomor. consumens myst. quid sign., I, 518.

Summus sacerdos quomodo a funere patris prohibitus dicatur, cum hoc in officio successerit, II, 478.

Sunamitis filius mortuus genus humanum refert, V, 67.

Super pectus cur serpens gradiatur, I, 495.

Superbia humilitate Christi premitur, II, 1150, 1151. Eam mortales ut fugiunt, III, 45. Rarius vero illi, qui aliis præsunt, aut excelluat, *ibid.* Quomodo fugienda, *ibid.* Gravitas ejus et detestatio, III, 827; IV, 110, 699; V, 1240, 1581. Remedium contra eam, VI, 1382. Natura et origo, V, 1311. Duo ejus genera, *ibid.* Deo exosa, *ibid.* Ei magis quam calliditati serpentis primorum parentum lapsus ascribendus, I, 486, 487. Eorum tentatio in quem finem permissa, *ibid.* Serpens hic qualis fuerit, *ibid.* Varis modis parentes nostros tentavit, *ibid.* Quomodo a propheta appellatur radix omnium malorum, cum hoc ab apostolo cupiditati tribuatur, III, 829. Utriusque effectus varii, III, 831-834.

Superborum interitus, III, 1149. Quomodo sint rogandi, V, 725. Consortium eorum periculosum, III, 849.

Superhumerale quid, ejusque usus, II, 192, 193. Cur primo præceptum, I, 306.

Superiores et prælati et bene vivere, et subditos corrigere debent, III, 21. Eorum peccata in Deum graviora quam populi, et majore pœnitentia eluenda, *ibid.*

Superstitio unde dicta, V, 93.

Superstitionum magicarum detestatio, IV, 80.

Supplicia petentium tribulationes, III, 617.

Surdi quos signif., V, 73.

Surgendum quomodo cum Christo, IV, 141.

Sus. *Vide* Porcus.

Susanna figura Ecclesiæ dicitur gratia ejus vel lilia, V, 66. Ejus integritas, IV, 1161.

Suspensus ex patibulo, et unde su-

Digitized by Google

ferendus ut sepeliatur, uniuscujusque baptizati typum tenet, II, 918.
Susurro et bilingues qui, III, 794.
Sutores unde dicti, V, 536.
Syllaba quid sit, V, 617-634. Plura de junctura product. et corrept. syllabar., *ibid.*
Symbolum quando, quemque in finem ab apostolis compositum, I, 368. Ejus integra explanatio, IV, 27; VI, 1224. Quid contineat et quotuplex, V, 136, 746.
Symphorosæ filiorumque ejus tortura, IV, 1157.
Synagogæ etymon, ab Ecclesia distinctio notioque mystica, V, 90; III, 700, 762. Concubina est, et Antichristo credet, qui ex ea nascetur, II, 1171. Deserta et sterilis est, quæriturque de clade sua, II, 1203. Sanare neminem potest, II, 1216. Prior tempore Ecclesia, non vero gratia, *ibid.*
Syria unde dicta, ejusque situs et longitudo, V, 339. Ejus interp. mystica, *ibid.* Ejus provinciæ, *ibid.* Ingenitus et inexplebilis negotiationis ardor, IV, 776.

T

Tabernaculum tangens, cum in Levitico sanctificari dicatur, quomodo alibi alienigena tangens morituras sit, II, 606. Unde formatum, V, 408. Ejus mystica interpret., *ibid.* Dei sancti quod, II, 615, 616. Omnes ejus partes illis aptantur, *ibid.* Mosaici forma ac constructio, II, 158, 159. Ejus mensura, *ibid.* S. Ecclesiæ typus, *ibid.* Ejus colorum varietas, *ibid.* Quando exstructum, II, 245. Varias sign., VI, 1062.
Tabernæ unde dictæ, V, 388.
Tabulæ testamenti cur manu Dei scriptæ. Fractio et restauratio Veteris et Novi Testamenti typus, II, 872.
Tabulata quid, eorumque usus et præceptio, III, 146. Cur cedrina fuerint, III, 149.
Tacendum ubi fructus verba non consequitur, III, 995.
Taciturnitatis encomium, III, 895. Ejus species, IV, 574.
Tactus dolore quomodo Deus dicatur, I, 513.
Tædium impiorum duplex, III, 722.
Talpa malorum hominum figura, V, 226.
Tanates a morte serpentum dicta et cur, V, 364.
Tangi cur Christus a Maria noluerit, IV, 162.
Taprobanæ insulæ fertilitas, latit. et amœnitas, V, 353.
Tardandum non in conversione ad Deum, IV, 104.
Tartarus unde dictus, V, 574.
Tauri nomen et mysteria, V, 207.
Tauri scarabæi, V, 256.
Tebeth mensis quis, III, 649.
Temere nihil attentandum, I, 534.
Temerarium judicium cum Paulus prohibuit, num eodem usus ad Philip., VI, 1363.
Temperantiæ ejusque partium copiosa descriptio, VI, 1255. Ejus effectus, III, 236, 237.
Tempestas. *Vide* Turbo.
Templi Salomonis constitutio et proportio, III, 142, 424. Ejus trabium longitudo, III, 114. Quo cœptum quotque finitum annis, III, 165, 424.
Templum unde dictum, V, 392. Mystice quid denotet, *ibid.* Domini verum quod, V, 858. Materialis et mystici destructio, V, 1006. Salomonis stipantium resque sacras administrantium in diversas sortes et officia distributio, III, 240.
Temporalia non nimis studiose cumulanda, III, 840. Neque in illis fidendum et gloriandum, *ibid.*
Temporum descriptio et significat., V, 285. Eorum vicissitudines, V, 301. Num ante mundum fuerint, II, 454. Diligens eorum habenda ratio, III, 787.
Tenebrarum significatio, V, 294. Locus, I, 448. Num ante lucem creatæ, I, 445. Iis inclusi qui, III, 751. In die mystice quid signif. Exteriores quæ, I, 859.
Tentatio, VI, 1591. Christi in deserto qualis, I, 780. Ejus duplex oratio, V, 1107, 1147. Eam quomodo apost. in sua carne Galatas non sprevisse commemoret, VI, 333. Justorum finis, III, 651.
Tentasse Deus quomodo Abraham dicatur, cum secundum alios neminem tentet, I, 566.
Tentorium quid, V, 128. Eccl. figura, *ibid.*
Tepidorum miseria et incommoda, VI, 350.
Terebinthi genera quot, III, 938. Ecclesiam figurat, *ibid.*
Termini patrum non transgrediendi, V, 748.
Ternarius numerus SS. Trinit. significat, II, 1162. Trecenti milites Gedeonis eos significant qui Christi crucem tollunt, *ibid*, 1163.
Terra nil noxium protulit ante lapsum Adæ, I, 462. A terendo dicta, I, 451. Mystice hominum terrenorum corda signif., V, 829. Tribulationis quæ, VI, 1108. Pro aqua sumitur, *ibid.* Serotina quæ, V, 822. Item lacte et melle fluens, V, 890. Tribulationis quæ, V, 1095. Sancta, impios habens habitatores quæ, II, 669, 670. Eidem ob Adami prævaricationem maledicitur, I, 497.
Terrena sæpe dantur ut affectus ad cœlestia excitetur, II, 21. Quomodo sancti ea deserant, V, 779.
Terrenarum cura qualis spiritualibus incumbat, VI, 55.
Tertio die cur carnes sacrificiorum comedere vetitæ, II, 314.
Thessalia unde dicta, V, 349.
Testamenta quot, II, 314.
Testamentum inter Deum et hominem positum litteraliter et mystice exponitur, I, 524. Veteris librorum accurata enumeratio, I, 364. Item Novi, I, 365. Singulorum auctores, *ibid.* Interpretes, I, 365. Deum inter et filios Israel quod, II, 220, 221. A quibus longe sit, III, 870. Confirmatum super caput Jacob quid denotet, III, 1086. Novum quando finiendum, IV, 907. Beneficia nobis in eodem exhibita, *ibid.*
Testimoniis Scripturæ quomodo hæretici utentur, IV, 822.
Testimoniorum Christi diversa genera, IV, 173.
Testium requisita, V, 546, 547. Audiendorum ratio, II, 909. Falsorum pœna, ex conc. Arelat., VI, 1411; II, 909; V, 740.
Textus de venundatione terræ mendosus, II, 535, 536. De Judith origine, III, 558. Lyrani de hac non improbabilis, *ibid.*
Thabor interp. lumen veniens, V, 362. Typus Christi, *ibid.*; III, 38. Varias sign. *vid.*, V, 1102.
Thalami vocabulum per oraculum introductum, V, 390. Typus B. Virg., *ibid.* Templum ambientis descriptio, IV, 901, 902.
Thamar quomodo typus Ecclesiæ, V, 49. *Vide* ibid. histor. Thamar., II, 1220. Judæorum typus, III, 289.
Thecua quid, V, 817.
Theman quid, et ubi sita, III, 287; VI, 1115.
Theoriæ encomium, V, 1228.
Thermæ quid, V, 388.
Theristrum quid, I, 574.
Thesaurus in agro absconditus quid, V, 411, 1088. Domini thes. Ecclesia, V, 1149. Defossus, ut et sapientia abscondita nulli prodest, III, 901 et 1059.
Thiaræ inventrix Semiram. Assyr. regina, V, 579.
Thessalonicensib. cur apost. epistolam miserit, VI, 540, 541. Timotheus ad eos consulendos mittitur, VI, 549.
Thiaræ sive mitræ usus, II, 202, 203. Qualiter fuerit facta, *ibid.*
Thile a sole dicta et quare, V, 351.
Thofeth infernum designat, III, 267, 515.
Thola judex succedit Abimelechо, viginti tribus an. judicat Israelem, III, 1175.
Thracia unde nomen sortita, V, 548. Ejus situs et latitudo, *ibid.*
Thronus eburneus leonibus cinctus Ecclesiam denotat, III, 195, 477.
Thuris descriptio, III, 934, 935.
Thimiama orationis vim denotat, II, 211. Mane et vespere incendere quid sign., II, 211. Ejus compositio, *ibid.*, 219.
Tigris figura diaboli, V, 219. Fluvius, V, 319.
Timenti Deum nil arduum, III, 767.
Timor pœnæ alius, alius Domini dicitur, II, 41. Domini multas secum affert virtutes, III, 767. Ejus diversæ species, *ibid.* Sine eo nihil possumus, III, 168. Peccatum expellit, III, 770. Duplex, V, 679; IV, 99. Incipientium Deo gratior quam dilectio perfectorum, V, 845.
Timotheus typum tenet hæret. et quomodo, III, 1242. A Juda superatur, *ibid.* Quomodo a duce Judæ dicatur vivus dimissus, cum antea in Gazaræ præsidio mortuus perhibeatur, III, 1248.
Tineæ quorum typum gerant, V, 236.
Tintinnabula et mala punica cur sacerdotis vestibus imposita, II, 202.
Titan quam immane portentum, V, 196.
Titi Vespasiani filii bonitas, VI, 375.
Titus aper singularis, V, 207.
Titulorum et idolorum erectio graviter inhibetur, II, 550.
Tobias priscæ legis cur imaginem gerat, V, 66. Ejus in mortuis tumulandis pietas, III, 842. Junior imago Christi, V, 66.
Togæ usus apud Romanos, V, 573.
Tonitruum unde dictum et quid denotet, V, 277. Incarnati Dei typus, III, 1075.
Topazii lap. natura, et typ. interpret., V, 465.
Torris et titio quid signific., V, 281.
Torcularis signif. variæ, V, 406, 1193.
Tormenta aliorum remedia sunt aliorum, V, 826.
Torrentum varia nomina et significationes, V, 322, 323.
Trabis et tigni discrimen, V, 568.
Tradere quomodo Deus hominem dicatur, V, 1298.
Traditio Christi cur, et a quibus facta, VI, 280.
Traditiones et doctrinæ e majoribus et parentibus traditæ firmiter esse standum, VI, 1136.
Transfigurationem Dominicam sex finitis diebus qui dicat Matthæus, cum Lucas et Marcus octo commemorent, I, 996. Moyses et Elias cum in eadem apparuerint, I, 997. Ejus splendor, VI, 1319.

Digitized by Google

Translatus Christi qualis, II, 231.
Translatam inter et propriam locutionem distinctio et nota, I, 390.
Tres homini hostes fortissimi, I, 491.
Tres menses gaudii cum Judith celebrati, tres virtutes theologicas notant, III, 588.
Tres viri aquam de Bethleem afferentes qui, III, 117. Mystice quid denotent, *ibid.*
Tres viri in fornace Babyl. electos repræsentant. VI, 1152.
Tres vitiorum species odibiles, III, 945, 946.
Tria maxime necessaria, V, 232.
Tria principia omnium, I, 443.
Tria sata angelis apposita trium filiorum Noe typus, I, 551.
Tria festa præcipua quæ, eorumque observatio, II, 127, 128.
Tria insaturabilia quæ, V, 776.
Tria difficillima qua, V, 776.
Tria bene gradientia, et quartum feliciter incedens quid, V, 778.
Tria quæ Domino placent, et tria quæ odit, III, 945.
Tria timenda quæ, III, 955.
Tria in mundo omnia quæ, VI, 143.
Tribulatio num sit indifferens, V, 1371. Deum invocare docet, II, 1126.
Tribus litteralis et mysticus sensus, V, 452.
Tribus Levi, cur aliis numeratis non numeretur, sed super tabernaculum constituatur, II, 599. Mystice quos signif., *ibid.*, 600.
Tribus sex in monte Geracim benedicentes populo eorum, qui non metu pœnæ, sed cœlestis promissionis amore succensi veniunt ad salutem; in Ebal vero maledicentes, eorum qui formidine pœnæ bona operantur typum tenent, II, 948, 949.
Tribus Jacob Ecclesiæ statum denotat, III, 1018.
Tribus regibus exceptis omnes reges Israel peccaverunt, III, 1007.
Tribuum diversarum virtutes et significationes mysticæ, II, 587, 599. Qui in iis claruerint, *ibid.*
Tribunal myst. potentiam divinæ majest. sign., V, 392.
Tricesimo anno Hebræorum sacerdotes initiabantur sacris, IV, 499.
Triclinium quid, V, 390. Typus SS. Trin., *ibid.*
Triginta dies spoliorum Assyriorum collectorum curriculum vitæ humanæ denotant, III, 580.
Trinæ orationis Domini in passione causa, I, 1115.
Trinitas (SS.) unde dicta, quidque sit, IV, 26. Ejus fide qui habent, strenui sunt milites contra Ecclesiæ hostes, III, 40. Ternario sæpe numero exprimitur, IV, 903. Tota in creatione mundi cooperata est, I, 447.
Tristia cur Deus semper primo, deinde hilariora promittat, V, 806, 1025.
Tristitia Dei qualis, I, 1113. Spir. s., *ibid.*, VI, 441.
Tristitiæ incommodum, III, 985; VI, 1250. Quæ periculosissima, *ibid.* Licita, et necessaria quæ, *ibid.* Ejus natura et origo, VI, 1362-1364. Sectatores suos ut vexet, *ibid.* Ejus indicia, *ibid.* Increpatio, *ibid.* Remedium contra eam, *ibid.* Duplicis generis et quæ, VI, 1377.
Triticum seminantes et spinas metentes qui, V, 901.
Trium portarum in quatuor plagis notio mystica, IV, 934.
Trium, triumphaliumque honorum descriptio, V, 534. Quibus triumphare licuerit, *ibid.*
Truncus debilitatem et inertiam signat, V, 161.
Tryphon Asiæ dux superborum hæreticorum figura, III, 1199. Jonatham dolo circumvenit, *ibid.*
Tuba Evangelicæ prædicationis ad hostes fugandos prævalet armis et clypeis, III, 577.
Tubarum clangor solis Aaronis filiis commissus quid denotet, II, 631. Earum usus, II, 649. Cur argenteæ, *ibid.*
Tubilcain bellicæ rei expertissimus, I, 508.
Tugurii notio, V, 400.
Tumoris quatuor species, IV, 416.
Tumulus archiep. Mogunt. in S. Albani, VI, 1670, *note*. Item Otgarii et Rabani, *ibid.*
Tunica Josepho a patre facta qualis fuerit, I, 622. Myst. quid, *ibid.*
Tunicas duas habere cum Christus prohibeat, num pluribus indutus delinquat, II, 225, 226. Sacerdotibus præcepta, V, 584.
Turbo tribulationem significat, V, 283.
Turpitudines et errores gentium populo Dei studiose esse devitandos, II, 442, 443.
Turris mystice B. Virg. typus, V, 584. Babylonicæ litter. et mystica descriptio, I, 530.
Turtur figura corporis Christi, V, 244. Et alior., *ibid.*, II, 255.
Typi varii apostolorum, V, 70 et 71.
Tyrannorum notio, V, 446.
Tyrorum et Sidonum hospitalitas et benevolentia, I, 914.
Tyrus ob exaltationem contritionum Jerusalem, per Nabuchod. vastatur, IV, 764. Ubi sita, IV, 767. Juniores ejus electi, senioribus reprobatis, Ecclesiam et synagogam denotant, IV, 773. Ejus nautæ et gubernatores Ecclesiæ præsulibus comparantur, IV, 782, 783. Hæreticis, *ibid.* Ab Ezech. planguntur, IV, 786.

U

Ubera fortiter premere quid sign., V, 779.
Ultio electorum de reprobis, V, 742.
Ulula quid signif., V, 247.
Umbilicus et ossa quid denotent, V, 673.
Umbra, *vide* tenebræ.
Unanimitatis commendatio, V, 1494.
Unctionis chrismatis usus, I, 312; VI, 1176.
Unguenti optimi confectio ad consecrandum tabernaculum et ejus vasa, II, 218. Ejus effectus, *ibid.*
Ungula finem rei significat, V, 154.
Unguiæ et guttæ signif., III, 934.
Unicornis quid, II, 741. Christi typus, II, 753, 998; V, 221.
Unus justus toti mundo prævalet, II, 775.
Unus sensatus patriam inhabitans Cathol., tres impii desertores hæret. exprimunt, III, 867.
Upupa peccatorum figura, V, 252.
Urbs Domini Ecclesia, undeque constet, V, 683. Fortitudinis quæ, V, 1201.
Urbes quadrigarum quæ dicantur, III, 416. Earum typus, III, 417, 418.
Uri et scandalizari cur apost. se commemorarit, VI, 229.
Urias quid significet, V, 58.
Ursa, in cujus ore tres erant ordines, mystice quid signif., V, 842.
Ursus quale animal, V, 223. Signat diabolum, et Vespasian., et Titum imp., *ibid.*
Usque dum quomodo interpret., III, 626.
Usura in quo consistat, IV, 709. Tempore Jubilæi in recuperatione venditæ possessionis fuit illicita, II, 543, 544.
Uter corporis mortalis typus, V, 581.
Uva acerba dentes obstupefaciens quæ, V, 1042, 1222; IV, 702.
Uxor Job quos significet, V, 30. Lot typus gratiam Dei respuentium, V, 36. In columnam salis versa quos denotet, I, 1558; III, 717. Eam ducere cur Jeremias tempore captivitatis prohibeatur, V, 936. Eam Deus quomodo amandam alias, alias odio habendam esse dixerit, I, 813. Qualem sacerdotes decere possint, II, 475-477. Alterius viri pudenda attingenti manus abscindenda, II, 494. Ejus vota sub viro an absolute sint irrita, II, 791. Cujusdam ob adulterium suspectæ, et sacerdoti propositæ pulchra significatio mystica, II, 620, 928. Ea qua ratione utendum, V, 1016. Qualis ducenda, V, 1017.

V

Vaccæ signific. variæ, V, 208; VI, 1071. Rufa extra castra immolanda apte incarnat. Dominicam repræsentat, II, 703. Ex vaccæ cinere flebat aqua expiationis, qua variæ immunditiæ abluebantur, II, 703, 704. Ejus cineres colligens quis, *ibid.* Tactu mortui immundus effectus, hac aqua purificabatur, II, 708. Ejus sanguis cur immolatus, V, 1119.
Vaccæ duæ fetæ a Philistæis ad arcam advehendam currui junguntur, III, 50.
Vacuos coram Deo nos apparere fructibus bonorum operum non convenit, III, 1013.
Væ minantis vox, grande quid denotat, IV, 560; V, 755.
Vallem ambulando gyrare quid, III, 573.
Vallis Salinarum quid, III, 245, 307.
Vallium signif., V, 563. Mystice homines contrito et humili corde sign., *ibid.* Item hæret. gehennam, *ibid.*
Vani, qui ex creaturis Creatorem non agnoscunt, et ex opere artificem, III, 731.
Vanitas somniorum a spiritibus immissa sæpe hominibus illudit, III, 1005. Divinationum, augurii, et mendacii, *ibid.*, et VI, 1006.
Varronis laus, VI, 402. Ejus de novem musis relatio, *ibid.*
Vas electionis cur D. Paulus dictus. Varias ejus signif. *vide* VI, 1086.
Vasa figuli ut flamma, sic justi tentatione probantur, III, 961. Iræ Domini quæ, V, 1149. Sacrorum interpretationes litterales et mysticæ, V, 589-700; III, 503.
Vascho fons, V, 317.
Vasthi regina plebis Judaicæ typus, III, 642.
Vates idem quod prophetæ quasi præfatores cur dicti videantes, V, 66, 92.
Vectes SS. doctorum typum tenent, V, 609. Item peccatorum, *ibid.*, et II, 165.
Vehiculorum diversa vocabula, V, 231.
Veli sanctuarium et sanctum sanctorum dividentis descriptio, II, 174, 178.
Velites qui, et eorum modus pugnandi, V, 450.
Velocitas in omni opere laudabilis, III, 990.
Vellus Gedeonis nunc siccum, nunc humectum cujus rei typus, II, 1139.
Velum cherubim cur hyacintho, purpura, etc., textum, III, 159, 160. Quid denotet, *ibid.* Unde dictum, V, 536.
Venantii (S.) corpus, et S. cineres SS. Urbani et Quirini prope Fulidam in ecclesia S. Joannis Bapt. condantur,

Digitized by Google

Ejus miraculosa vita, IV, 1174.
Venatoris nomen quibus conveniat, V, 226, 939.
Venatio, aleæque in sanctis diebus illicitæ, IV, 24.
Venas divini susurri furtim audire quid signif., VI, 127.
Vendentium et ementium proprietates, IV, 612.
Venenum unde dictum, V, 232.
Ventilabrum extremi judicii typus, V, 611.
Ventorum varia venera, et signif., V, 281, 282; VI, 1073.
Ventriloqui, et incantores non audiendi, II, 742 et 906.
Ventris et uteri vocabulum mentem in S. Scriptura denotat, V, 1196. Quomodo differant, V, 168, 169. Pro mente ponuntur, V, 838; VI, 1074.
Verba quæ loquebatur Moyses quando elevaretur, vel deponeretur arca, II, 654. Quandoque armis prævalent, II, 725, 726. Et oratione, II, 795. Sapientis, aquæ similia, V, 738. Justificant, et damnant, III, 676. Eorum copia intelligentiæ inopia, III, 485.
Verbi Dei suavitas, II, 1134, 1135. Pro præcepto et passione quandoque capitur, *ibid.*, 1130. Vitia frenat, cum concupiscentiis, II, 1137. Quibus causa ruinæ et salutis, *ibid.* Ejus auditores reges, *ibid.* Ejus vis, *ibid.*, V, 774. Id negligentium pœna, V, 993.
Verbositas coram presbyteris vitiosa, III, 805. Hæreticis communis, III, 824.
Verbum nequam quid, III, 890. Bonum a Domino promissum Filium denotat, V, 1065.
Veredarii litteras per omnes provincias missas, annulo regio obsignatas, juxta omnes linguas scriptas deferentes prædicatores verbi divini exprimunt, III, 662. Pro Judæis stantes Servatoris nostri typum gerunt, III, 663, 664.
Veri Christiani qui, et quibus contra hostes suos Christus utatur, II, 1164.
Veritati non verbis studendum, II, 650, 651. Ei non contradicendum, III, 789. In Christo quæ, V, 1479. Extra eum qualis, V, 1480. Num aliqua sine pietate sit, VI, 657.
Veritas connexionum unde primum exstiterit, VI, 142.
Vermis typus est Christi, V, 235. Item memoriæ peccatoris, *ibid.* Origo et varia genera, *ibid.*
Versio manus Dei qualis, V, 1215. Inter emissionem et extensionem manus discrimen, IV, 681.
Versipellis diabolum proprie denotat, V, 728.
Vervex a viribus dictus, V, 202.
Vespæ quid figurent, V, 256.
Vespasianus aper interp., V, 207.
Vespera et mane quid, I, 455. Variæ signif., V, 275.
Vespertiliones pennis pro pedibus utentes quos exprimant, V, 245; II, 557 et 887.
Vestibulum mystice pulchre signif. fidem, V, 397.
Vestimenta Israelitarum quadraginta annorum spatio non attrita, nec calceamenta vetustate consumpta, II, 962. Ex lino et lana mystice quid significent, II, 926.
Vestis poderis totum habens orbem terrarum quid, III, 758. Candida baptizato data mystice quid signif., VI, 513.
Vestitus et honor neminem efferre debet, III, 839.
Vestium sacerdotalium usus, et signif., V, 391. Earum octo genera et notiones, V, 568. Variarum varia vocabula et origines, V, 569. Antiquissimæ quæ, *ibid.* Variarum usus, IV, 672. Earum scissio quid figurarit, alleg. notion., V, 47. Sanctæ Aaronis quid signif., II, 191. Octo earum genera, *ibid.*
Vestium alterius generis aut sexus usus cur prohibeatur, II, 922.
Veterum in judicio ferendo consuetudo, V, 788.
Vetus lex instabilitatem, Evang. stabilitatem continet, III, 598.
Vetus sæculum num præsenti præferendum, III, 1047.
Via quid, ejusque bifaria acceptio, V, 411. Diversarum explicatio. *ibid.* Pœni primi lapidibus stravere, *ibid.* Alia bona, mala alia, *ibid.* Trium dierum via myst. quid notet, II, 28. Regalis quæ, quoque modo ea incedendum, II, 720, 721. Laica quæ, III, 59. Aquilæ, colubri, et navis, V, 776. Recta Christum denotat, V, 1052, 1038. Præsens quomodo calcanda, V, 1191.
Via ruinæ hæretica doctrina, III, 707.
Viæ mentis, V, 874. Sion lugentes quæ, V, 1187.
Vicini Deo qua ratione efficimur, IV, 915.
Vicinus juxta melior, quam frater procul, V, 767.
Victimæ impiorum ingratæ, V, 730. Pacificas offerre quid, II, 134. Eas cur superstitiosa gentilitas ad capita fontium et lucos immolarit, V, 864.
S. Victoris Martyrium horrendum, IV, 1177.
Viduæ veræ qua ratione observandæ, VI, 616. Ad Ecclesiastica ministeria assumptæ quales, VI, 619. Virtutes, *ibid.* Vitia, *ibid.* Vera quæ, II, 890; VI, 622.
Vigilia honestatis carnales mortificat voluptates, III, 586.
Vigiliarum et Orationis laus et necessitas, IV, 90.
Viginti quinque viri, qui pessimum tractantes consilium dicebant ædificatas esse domus, civitatem lebetes, se vero carnes secundum Ezech. vaticinium puniuntur, IV, 640. Desperatorum typum habens, IV, 641.
Vim quomodo regnum cœlorum patiatur, I, 911.
S. Vincentii et Valerii vita et Martyrium, IV, 1128.
Vindemia consummationem sæculi denotat, V, 506.
Vindemiare quid, IV, 1197.
Vindicta peccantium quanto serior, tanto est justior, III, 609. Non est quærenda, nec talionis lege agendum, III, 678.
Vindicta peccatorum pœnitentium medicina, V, 1062. Divinæ causa, VI, 1309. Quatuor gradus, I, 826. Eam quomodo Deus in dæmones ante diem ultionis et judicii faciat, II, 811.
Vineam alio semine seminans, Doctoris errores suæ spargentis doctrinæ typum tenet, II, 925. Ejus variæ notio. myst., VI, 1079.
Vino sacerdotibus interdicto, residuum oblationis comedere jubentur, II, 345.
Vinum quomodo tædium procreat, quid, ejusque commoda et nocumenta, V, 595. Modice sumpti laus, III, 992. Ejus usus qua ratione interdictus, IV, 1013. Arcana cordis reserat, III, 992. Electorum et reproborum cujusmodi, V, 905. Varias sign. myst. vid., VI, 1078.
Vipera unde dicta et quos denotet, V, 252.
Vir qui cum Jacob luctatus est, typum Christi gessit, V, 38. Varias ejus notiones vide, VI, 1080. Ascendens super equum rufum quis, V, 552. Sanguinum quis, III, 89. Panes primitiarum Elisæo deferens cœtum sanctorum designat, III, 230. Decorum quis, III, 314. Malum fodicans hæreticorum typus, V, 732.
Vir non secundum filios hominum, Salvator noster interpretatur, III, 1022.
Virga Moysis in serpentem versa Judaici populi typus, II, 22. Dei quæ, II, 84. Ab Jeremia visa, cur vigilans alias, nucens baculus alias nominetur, V, 805. Mystice quid sign., *ibid.*
Virgæ Jacob variis imbutæ coloribus quid figurarint, V, 515. Duæ Ezechielis matrimonii jungendi typus, III, 126.
Virgam ferre quomodo Matth. et Lucas prohibitum commemorent, cum secundum Marcum Deus eis præceperit, ne quid in via tollerent nisi virgam, I, 873; IV, 271.
Virgas Aaronis inter et magorum discrimen, II, 33.
Virgis sumptis a duodecim tribuum principibus et in tabernaculum positis, sola Aaronis floruit, II, 687. Mystice quid denoteni, *ibid.* Sine humore germinans B. V. typus, II, 688, 689.
Virginitas virginumque martyr. commendatio, IV, 71.
Virgo Sion, filia Jerusalem quid, III, 256. Israel quæ, V, 1039. Virgo et virga typice quid, VI, 1080.
B. Virgo Maria quam sedulo gratiarum actionibus offerendis insudarit, VI, 1161.
Virginem non desponsatam stuprans quam pœnam subeat, II, 928.
Virgines aptæ connubio quibus ornamentis opus habeant, IV, 770. Velatarum et deviantium gravitas, velatarum item, VI, 1408.
Viri illustr. et clari ex ordine Benedict. item sancti quod prodierint, I, 85.
Viri ostium domus Loth custodientes cæcitate percutiuntur, I, 556. Mendacii qui, III, 306.
Virorum a Gedeone viginti duo millia timidi recedunt, decem millia maneont. illi typus transgressorum legibus, hi constantium ac observatorum legis, II, 1160. Milites lingua lambentes, et manu haurientes aquam symbolum Judæorum et gentilium, II, 1161. Vincit Madian. trecentis militibus miro astu, II, 1162. Hi trecenti viri figura sont Christianorum Trinitatem credentium, *ibid.* Ejus pugna figura prælii contra diabolum, *ibid.* Opere et nomine Christum prophetat, II, 1163. Ejus milites contra hostes pugnantes figura sunt verorum prædicatorum, II, 1164. Explorat hostium castra cum Phara famulo, auditque duorum somnia sibi mutuo referentis, II, 1165. Proborum vitam prolongari, virorum vero sanguinum dies dimidiari, III, 414. Quorumdam illustrium a S. Paulo salutatorum declaratio, V, 1605, 1614. Sanctorum charitatis virtute excellentium copiosa enumeratio, VI, 121.
Viridans superbia quæ, II, 589, 590.
Virtutes vitiis contrarias exercendo perfectionem acquiri, IV, 14, 928.
Virtutes variarum gentium, sed Deo ingratæ, II, 590. Theologicarum effectus, V, 748.
Virtuti et probitati magis quam divitiis studendum, IV, 1115; VI, 1149. Plus quam uni studendum, II, 533. Adversis probatur, II, 812 et 813. Hominem fluctuare non sinit, sed eum stabilit, III, 14. Elevat supra alios,

Digitized by Google

ibid.

Visibilis et invisibilis sanctificationis effectus, II, 478.

Visio Dei cur toties bona in Scripturis dicatur, I, 455. Quid sign., V, 987. Sanctorum Dei cujusmodi, VI, 126. Dei cujusmodi, VI, 1263. A nobis potest videri, *ibid.* Contrariæ de hac re opiniones conciliantur, *ibid.* Visio Dei duplex, VI, 1266. Cœlestis et terrena qualis, VI, 1271.

Visiones Ezechieli factæ, III, 408. Quid notarint, *ibid.* Earum tria genera, V, 72.

Visitatio regis Baltassar litteralis et mystica, V, 1147.

Visus erga illicita caute restringendus, I, 490; V, 1244.

Vita propter vigorem dicta, VI, 835. Fragilitas et inconstantia, III, 858, 880.

Vitia quædam per cognationem quasi sibi propinqua describuntur, IV, 590. Quomodo iis resistendum, *ibid.* Iis inhærentibus prospera non permittenda, V, 920. Materia et soboles, VI, 1348. Per tot diversitas, VI, 1382. Origo et qualitates singulorum, *ibid.* 1384. Eorum impugnatio, *ibid.* Carnalium et spiritualium vitiorum discretio, VI, 1386, 1387. Excommunicatio et pœnitentia Ecclesiasticorum contra ea peccantium, VI, 1399, 1400. Per tot. detestatio, VI, 563.

Vitis primus plantator, V, 474. Unde nomen sortita, *ibid.* Myst. S. Ecclesiam denotat, *ibid.* Pulcher Christi typus, *ibid.* Fructuosæ usus et typus, IV, 664. Nova, de qua Christus bibit quæ intelligenda, I, 1076.

Vitri origo unde exstiterit, V, 474.

Vitula conternans quid, V, 1122. Elegans cur Ægyptus vocitetur, V, 1105. Et vacca lasciviens, *ibid.* Item mercenarii, *ibid.*

Vituli, hircique sacrificium aptissime Christo confertur, II, 423, 424. Eum cur Moyses in cineres redacium Israelitis ad bibendum dederit, II, 224. 225.

Vitulus a viriditate sic dictus, quid mystice signific., V, 209; VI, 1082.

Vivi in adventu Domini in nubibus rapiendi num in puncto moriantur, VI, 553, 556.

Vocati num omnes justificentur, V, 1470, 1479.

Vocanti Deo obsecundandum, V, 685.

Vocari ad olera quid significet, V, 730.

Vocatos inter et electos verbi Dei ministros discretio, V, 1281.

Vocem vivam litteris prævalere, VI, 327. Dei quomodo ab Israelitis visa dicatur, II, 105. Perfecte cantantis qualitates, I, 361. Definitio, V, 615. Cum non sit dispar, cur dispar in cordibus nostris sit intelligentia, IV, 856, 857, 932. Dura indurat, V, 1206.

Vocum variarum distinctiones, IV, 540, 541.

Volantes ut nubes qui, V, 875.

Volatilia producta secundum firmamentum quomodo intelligendum, I, 457.

Volucres cœli philosophorum figura, VI, 1157. Eorum esca quid denotet, II, 80, 81.

Voluntas Dei in quibus, V, 1443.

Vomitus qualis esse debeat, III, 990.

Votum viri, quando sit validum vel irritum, II, 791. Item innuptæ puellæ, *ibid.*

Votorum variorum genera, eorumque persolutio, II, 568, 582, 791, 794. Perfectissima quæ, *ibid.*

Vulgus quid, V, 402.

Vulnera diligentis quæ, V, 768

Vulpes diaboli et hæretic. figura, V, 226.

Vultur Christi typus, V, 243. Peccatoris item, V, 1239. Avis bellicosa, V, 254.

W

Wigberti (S.) basilica apud Hersfeldenses, VI, 1643 *note.* Ejus structura, *ibid.* Translatio, *ibid.* Ejusdem vitæ descriptio *ibid.*

X

Xenodochia quæ, eorumque primus institutor, V, 397.

Xerofagia quæ dicatur, V, 137.

Xerxis regni solutionem vulpes ex equa creata portendit, V, 185.

Y

Yades quos signific., VI, 1087.

Ydra Lernæa an serpens, V, 252.

Ydriæ notiones variæ, VI, 1088.

Ylen quid, V, 202.

Yeopus quid, VI, 1088.

Z

Zabuli nominis inquisitio, VI, 1595 *note.*

Zabulon habitaculum dicitur, et figura est militantis Ecclesiæ, V, 44; II, 1147.

Zacharias memor Domini interp., V, 69, 71; III, 397. Gentium doctorum typus, *ibid.* Variæ de ejus Patre et origine opiniones, III, 505.

Zambri dicitur, stella amaricans, V, 55. Libidinosi hominis typus, II, 770.

Zara vel zares allegorice Judæos sign. præventos a gentibus, et cruentatos cæde prophetarum, II, 1220; V, 49.

Zebee et Salmana principes Madian. cum toto exercitu delentur a Gedeone, II, 1167. Quid Hebraice significent, *ibid.*

Zebul oppugnat sub ortum solis Abimelech, II, 1174.

Zelans cur Dominus dicatur, II, 95, 96.

Zelotypiæ lex cujusmodi, II, 619, 926, 927.

Zelpha quid significet, V, 41, 42.

Zelus Pauli in lucrifaciendis Deo animabus quantus, V, 1250. Spiritus fervorem denotat, VI, 1088.

Zena et Apollo quales, VI, 691.

Zigleri reprobanda sententia, III, 605, 610. Sententiæ huic contrariæ defensio, III, 602.

Zizania quid, VI, 1088.

Zona, *ibid.*

Zorobabel quid significet, V, 65.

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

B. RABANI MAURI

OPERUM TERTIÆ PARTIS CONTINUATIO.

ENARRATIONUM

IN EPP. PAULI LIBER NONUS.—EXPOSITIO IN EPIST. I AD COR.

9

Argumentum. 9

CAPUT PRIMUM. — Laudat Corinthios Apostolus, ad concordiam exhortatur illos qui dicunt se baptizatos a diversis : et quod Deus stultam fecerit sapientiam hujus mundi. 9

CAP. II. — Ostendit Apostolus se usum non fuisse excellentia sæcularis sermonis, quia perfecti tantum, ut sunt homines spirituales, possunt eam capere. 22

CAP. III. — Removet errorem Corinthiorum, quia ministris aliquibus nimium tribuebant, agitque de ædificatione super lignum, fenum, stipulam, et de stulta sapientia mundi. 29

CAP. IV. — Arguit Apostolus judicii temeritatem; de contemptu quorumdam ministrorum, atque insistit eorum correctioni. 43

CAP. V.—Arguit Apostolus vitium fornicationis, adjuncta pœna, radicemque culpæ reprehendit, cum negligentia correptionis. 47

LIBER DECIMUS. 53

CAP. VI. — De judicibus coram quibus litigant arguit suos, et de causis quos inter se habent, et redit ad corrigendum fornicationis vitium. 53

CAP. VII. — Instruit eos qui sunt in matrimonio, et majus bonum docet esse in virginali statu vivere. 63

CAP. VIII. — Ostendit Apostolus scientiam non valere nisi secundum charitatem sit ordinata; docet veritatem de escis idolis immolatis, arguitque scandalizantium temeritatem. 75

CAP. IX. — Inducit Apostolus Corinthios ad virtutis perfectionem sui exemplo, atque currentium in stadio. 78

CAP. X. — Reprobat Apostolus participantes ex idolis, et docet quomodo utendum sit iis quæ immolantur idolis. 85

LIBER UNDECIMUS. 99

CAP. XI. — Reprobat Apostolus errores circa celebritatem sacrosanctæ eucharistiæ et viri præeminentiæ; ponit et eucharistiæ dignitatem, et ritum sumendi bonum et convenientem. 99

CAP. XII. — Commendat Apostolus gratiam Dei generali declaratione gratiæ gratis datæ comparando corpus Ecclesiæ ad corpus naturæ. 106

CAP. XIII. — De charitatis excellentia, utilitate et stabilitate. 117

CAP. XIV. — Ostendit eminentiam prophetiæ super donum linguarum, et quomodo utroque dono sit utendum. 129

CAP. XV. — Tractat Apostolus de gratia resurrectionis, præmittendo commendationem doctrinæ evangelicæ. 137

CAP. XVI. — Docet Apostolus quomodo conversandum est cum extraneis et vicinis, ac in fine Epistolæ annectit salutationem. 158

LIBER DUODECIMUS.—EXPOSITIO IN EPISTOLAM II AD CORINTHIOS. 159

Argumentum. 159

CAPUT PRIMUM. — Captat benevolentia Corinthios per

Digitized by Google

suas tribulationes ad excitandam attentionem, et excusat se de promissione eis facta. 159
Cap. II. — Duplex causa cur Apostolus non venerit ne contristaret eos, et alibi fructum majorem faceret, quem fructum deinde ostendit. 165
Cap. III. — Ostendit Apostolus se commendatione hominis non egere, nec eam quærere. Commendat ministros Christi Ecclesiæ quantum ad officii dignitatem et cognitionis excellentiam. 172
Cap. IV. — Commendat Apostolus ministerium Novi Testamenti, et quantum ad operationem boni et quantum ad tolerantiam mali. 178
Cap. V. — Agit de præmio justorum, et desiderio et præparatione ad illud. 185
Cap. VI. — Hortatur ad bonum suos Apostolus in futuro agendum, quantum ad exteriorem conversationem, interiorem devotionem, ac infidelium vitationem. 193
Cap. VII. — Monitio utilis Apostoli præmittitur, atque Corinthii de præteritis bonis commendantur. 200

LIBER DECIMUS TERTIUS. 205
Cap. VIII. — Ad eleemosynam in Hierusalem mittendam Corinthios hortatur Apostolus, et agit de collectoribus hujus eleemosynæ. 205
Cap. IX. — Apostolus, suspicionem excludens, docet eleemosynam dandam esse velociter, hilariter et abundanter. 211
Cap. X. — Excusat se Paulus de sibi falso impositis per facti evidentiam, per rationem et exempla. 215
Cap. XI. — Præmittendo rationem suam ponit commendationem Apostolus, ex suis operibus et malis perpessis. 219
Cap. XII. — Recommendat se Apostolus ex visionibus, et ponit ibi remedium contra periculum superbiæ, etc. 231

LIBER QUARTUS DECIMUS. — Expositio in epist. ad Galat. 245
Argumentum. 245
Caput primum. — Redarguit Apostolus Galatas de veloci translatione ab Evangelio Christi, quod tum Apostolus non ab homine accepit, sed a Christo. 247
Cap. II. — Ostendit Apostolus circumcisionem non esse necessariam ex approbatione et auctoritate aliorum apostolorum. Et restitit apostolo Petro, qui videbatur circumcisionem aliqualiter palliare, concludens legalia non esse servanda. 264
Cap. III. — Increpantur Galatæ, ostendensque Apostolus imperfectionem legis Mosaicæ, dicit justitiam esse ex fide, annectendo legis utilitatem. 282

LIBER QUINTUS DECIMUS. 297
Sequitur Caput III. 297
Cap. IV. — Ostendit Apostolus cessationem legalium per duas similitudines, interposita Galatarum ingratitudine. 310
Cap. V. — Inducuntur Galatæ legalia non observare propter evasionem malorum, et consecutionem bonorum : et distinguuntur opera carnis et spiritus. 334

LIBER SEXTUS DECIMUS. 344
Sequitur Caput V. 344
Cap. VI. — Monet Apostolus Galatas ad mutuam supportationem, et confirmat dicta de cessatione legalium. 363

LIBER SEPTIMUS DECIMUS. — Expositio in epist. ad Ephes. 381
Caput primum. — Ponitur aliquorum divina prædestinatio, et recoluntur Dei beneficia collata apostolis et Ephesiis. 384
Cap. II. — Inducuntur Ephesii ad gratiarum actionem, quia sunt a peccato liberati et ab aliis gentibus separati. 400
Cap. III. — Præmittit Apostolus ad orandum pro Ephesiis dispositionem, et pro eis orat, totum bonum eorum Deo attribuendo. 412

LIBER OCTAVUS DECIMUS. 419
Sequitur Caput III. 419
Cap. IV. — Instruit Apostolus Ephesios ad servandam unitatem ecclesiasticam in connexione et distinctione membrorum; ac deinde inducit ad morum honestatem. 425
Cap. V. — Inducit Ephesios ad sequendum Christum in fervore charitatis, in decore sanctitatis, ac veritate cognita, et instruit personas junctas matrimonio. 444
Cap. VI. — Docet Apostolus parentum ac filiorum mutuam conversationem, et redit ad instruendum Ephesios de omnibus virtutibus generaliter. 463

LIBER NONUS DECIMUS. — Expositio in epist. ad Philip. 478
Argumentum. 478
Caput primum. — Apostolus agit gratias de bonis Philippensibus collatis, quibus significans suum statum, ponit distinctiones prædicantium, et suam charitatem, monetque suos ad tolerantiam persecutionis. 479
Cap. II. — Instruit suos in fidei unitate, vera humilitate et sanctitate, ad quos mittit nuntios suos. 486
Cap. III. — Ostendit evacuationem legalium verbo et exemplo, deinde se excusat, et eos ad imitandum se provocat. 495
Cap. IV. — Firmat patientiam Apostolus, suos ad lætitiam spiritualem hortando ac bonorum perseverantiam. Ponitur sub finem salutatio. 502

LIBER VICESIMUS. — Expositio in epist. ad coloss. 507
Argumentum. 507
Caput primum. — Captata benevolentia, auctoritatem Evangelii inducit, illi firmiter credendam. 508
Cap. II. — Docet præcavere deceptiones per falsam prophetiam, per legis auctoritatem, per sanctitatis simulationem. 520
Cap. III. — Informat Apostolus de moribus generaliter deponendo vitia, et acquirendo virtutes, specialiter ad parentes, filios, conjugatos et servos. 530
Cap. IV. — Dominos instruit Apostolus; et commendat se orationibus Colossensium, ostendens quomodo se ad infideles habere debeant; et ponitur Epistolæ conclusio per salutationem. 538

LIBER VICESIMUS UNUS — Expositio in epist. I ad thess. 539
Argumentum. 539
Caput primum. — Apostolus agit gratias de Thessalonicensium bona inchoatione, et diffusione hujus bonitatis. 541
Cap. II. — Consolatur suos in adversis per conformitatem ad ipsum atque ad Ecclesiam Hierosolymorum. 544
Cap. III. — Apostolus mittit Timotheum ad consolandum Thessalonicenses : ponitur utilitas reversionis ejudem, etc. 548
Cap. IV. — Increpat suos de vitio fornicationis, cupiditatis, otiositatis et immoderati luctus mortuorum. 550
Cap. V. — Admonet suos de die mortis futuræ et judicii generalis : inducitque ut bene se habeant ad Deum et proximum. 560

LIBER VICESIMUS SECUNDUS. — Expositio in epist. II ad thess. 565
Argumentum. 565
Caput primum. — Gratias agit Apostolus de bona Thessalonicensium conversatione, orando pro meliore consummatione. 567
Cap. II. — De adventu Antichristi docet suos Apostolus, et ejus rei pluribus ostendit veritatem. 569
Cap. III. — Petit Apostolus orationem suffragii, informat eos in regeneratione mali, atque incitat ad laborem manuum. 574

LIBER VICESIMUS TERTIUS. — Expositio in epist. I ad tim. 580
Argumentum. 580
Caput primum. — Monet Timotheum Apostolus ne attendat genealogiis ac legalibus observantiis. Gratias agit Deo per vocationem ad apostolatum, et inducit eum ad resistendum doctoribus falsitatis. 581
Cap. II. — Instruitur Timotheus de actu orandi et modo, loquiturque de oratione quoad populum subjectum. 588
Cap. III. — Docetur Timotheus ordinare gradus Ecclesiæ, tam quoad episcopos quam diaconos, et uxores eorum, poniturque ratio prædictorum. 596
Cap. IV. — Excludit apostolus modum docendi erroneum, et verum ponit docendi modum. 609
Cap. V. — Instruit Apostolus Timotheum de senioribus, juvenibus et viduis; docet quæ veræ viduæ sint, ac loquitur de provisione ministrorum Ecclesiæ, etc. 615
Cap. VI. — Inducit Apostolus episcopos ad custodiam pauperum in servitio dominorum, atque inducit ad sectandam humilitatem, pietatem et cæteras virtutes. 626

LIBER VICESIMUS QUARTUS. — Expositio in epistolam II ad tim. 635
Argumentum. 635
Caput primum. — Inducit Apostolus Timotheum ad constanter prædicandum Evangelium Christi ex pontificali dignitate ac prædicantium paucitate. 637
Cap. II. — Sollicitat Apostolus Timotheum ad exsequendum prædicationis officium, ac monet juvenilia desideria fugere. 642
Cap. III. — Propter falsorum prædicatorum multiplicationem hortatur Apostolum ad prædicandum, poniturque ad Timotheum monitio de firmitate. 646
Cap. IV. — Prædicit Apostolus multiplicationem malorum auditorum, cum denuntiatione sui martyrii. Expetit Timothei adventum, et amicos salutat. 650

Digitized by Google

LIBER VICESIMUS QUINTUS. — EXPOSITIO IN EPIST. AD TITUM. 653
Argumentum. 653
Aliud argumentum, ex Hieronymo. 654
CAPUT PRIMUM. — De Domino Patre, quod ante æterna tempora Dominum Filium nobis promiserit, quem postea suis temporibus declaravit. — De episcopi formula; et quod iidem quondam episcopi fuerint qui et presbyteri dicebantur. Et de seductoribus ecclesiarum. 655
CAP. II. — Titus instruitur ad informandum senes, juvenes et servos. 674
CAP. III. — Ostenditur quomodo populus se debeat habere erga principes, cum ratione dicti, et erga hæreticos. Annectitur salutatio. 684
LIBER VICESIMUS SEXTUS. — EXPOSITIO IN EPIST. AD PHILEM. 693
Argumentum. 693
CAPUT UNICUM. — De Philemone, et Appia, et Archippo, et domestica ejus Ecclesia. De Philemone et Apostolo, pro eo in orationibus semper memoriam faciente. De Apostolo sene et vincto Philemoni imperante, eumdemque pariter obsecrante pro Onesimo servo ipsius, et parari sibi hospitium commendante. De Epaphra concaptivo Apostoli, et Marco, et Aristarcho, et Dema, et Luca, adjutoribus Pauli. 696
LIBER VICESIMUS SEPTIMUS. — EXPOSITIO IN EPIST. AD HEBR. 711
Argumentum. 711
CAPUT PRIMUM. — Ponitur excellentia Christi, qui est dator novæ legis, patri coæternus et substantialis, æqualis in potestate, et dignitate : et quod in his Christus præfertur angelis. 711
CAP. II. — Ostendit Apostolus novæ legi esse obediendum datæ a Christo, et quod non obstet humilitas passionis ejus. 721
CAP. III. — Ostenditur quod Moysen excedit Christus, cui firmiter est obediendum. 728
CAP. IV. — De intranda cœlesti requie, ad quam festinandum est, propter excellentiam divinitatis et humanitatis Christi. 732
CAP. V. — Declarat Apostolus quid in pontifice requiratur, ac ea Christo convenire, insinuando dicendorum de Christo difficultatem. 741
CAP. VI. — Apostolus addit ea quæ vult dimittere, quibus acceptio suæ doctrinæ est impossibilis, et quibus sit conveniens et utilis. 746
LIBER VICESIMUS OCTAVUS. 751
Sequitur CAP. VI. 751
CAP. VII. — Ostenditur excellentia sacerdotii Christi, comparando Christum ad Melchisedech, cujus sacerdotium et excellentius est Levitico et magis necessarium. 755
CAP. VIII. — Ostendit Christum esse meliorem sacramentorum ministrum, ministris Veteris Testamenti. 763
CAP. IX. — Tangit Apostolus ea quæ fuerunt in ministerio Veteris Testamenti, et ex his arguit dignitatem Christi ac novæ legis. 768
CAP. X. — Ostenditur veterem legem non posse auferre peccatum : declarando excellentiam sacerdotii Christi, atque ejus sacerdotio esse firmiter obediendum. 779
LIBER VICESIMUS NONUS. 787
CAP. XI. — Apostolus ostendit quid sit subjici Christo : fidem describens, multipliciter commendat. 787
CAP. XII. — Inducit Apostolus suos ad mala pœnæ toleranda, ac mala culpæ vitanda, ostendens conditiones legis veteris ac novæ. 807
CAP. XIII. — Hortatur ad operandum bonum erga proximos, seipsos atque prælatos, ac pro se orationem petit, et suæ orationis beneficium offert cum salutatione. 824
APPENDIX. — PAMELII EXPOS. IN EPIST. AD PHILEM. 833
Præfatio. 833
Argumentum. 835
CAPUT UNICUM. 835
ALLEGORIÆ IN SACRAM SCRIPTURAM.
COMMENT. IN CANTICA QUÆDAM.
Incipit canticum Isaiæ prophetæ. 1091
Incipit canticum Ezechiæ regis Judæ. 1094
Incipit canticum Annæ, matris Samuelis prophetæ. 1098
Incipit canticum Exodi. 1102
Incipit canticum Habacuc prophetæ. 1111
Incipit canticum libri Deuteronomii. 1132
Incipit Hymnus trium puerorum. 1151
Incipit canticum Mariæ matris Domini. 1161
LIBER DE SACRIS ORDINIBUS.
Præfatio. 1165
CAPUT PRIMUM. — De una Dei Ecclesia catholica. 1166
CAP. II. — De tribus ordinibus Ecclesiæ. 1166
CAP. III. — De tonsura clericorum. 1167
CAP. IV. — De sacramentis Ecclesiæ. 1168
CAP. V. — De baptismatis sacramento. 1169
CAP. VI. — De catechumenis. 1170
CAP. VII. — De catechizandi ordine. 1170
CAP. VIII. — Quæ sit interpretatio symboli secundum Latinos. 1170
CAP. IX. — De credulitate, quomodo credendum sit, in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus natum et passum, et in Spiritum sanctum, Ecclesiam catholicam, et cætera quæ sequuntur in eodem symbolo. 1171
CAP. X. — De scrutinio. 1172
CAP. XI. — Quid sit abrenuntiatio. 1172
CAP. XII. — De abrenuntiatione Satanæ et omnibus operibus ejus, atque pompis, vel quæ opera diaboli sint et pompæ. 1172
CAP. XIII. — De ordine sacri baptismatis. 1173
CAP. XIV. — De tinctione baptismi et unctione chrismatis. 1176
CAP. XV. — De indumento baptizati et eucharistia. 1177
CAP. XVI. — De impositione manus episcopalis et chrismatis sacramento. 1177
CAP. XVII. — De sacramento corporis et sanguinis Domini. 1177
CAP. XVIII. — De officio missæ. 1177
CAP. XIX. — De ordine missæ. 1177
DE ECCLESIASTICA DISCIPLINA.
Præfatio. 1191
LIBER PRIMUS. De sacris ordinibus. 1193
LIB. II. De catechismo et sacramentis divinis. 1217
LIB. III. De agone christiano. 1229
DE VIDENDO DEUM, DE PURITATE CORDIS ET MODO PŒNITENTIÆ.
DE QUÆSTIONIBUS CANONUM PŒNITENTIALIUM.
Rabani præfatio. 1333
DE VITIIS ET VIRTUTIBUS ET PECCATORUM SATISFACTIONE.
Præfatio. 1333
PŒNITENTIUM LIBER AD OTGARIUM.
Præfatio. 1397
DE VITA BEATÆ MARIÆ MAGDALENÆ ET SORORIS EJUS SANCTÆ MARTHÆ.
Prologus. 1431
CAPUT PRIMUM. — Ubi et ex qua prosapia nati sunt amici Salvatoris, Maria et Lazarus et Martha. 1432
CAP. II. — Quod Martha, in prædiis, matris familias gesserit vicem, et de indole Mariæ. 1433
CAP. III. — Ut bonis naturæ, simul et industriæ, sit abusa Maria. 1434
CAP. IV. — Quod tunc temporis Dominus Salvator juvenis factus, miracula fecerit, et peccatores sanaverit. 1434
CAP. V. — Quod fama miraculorum Christi mentem Mariæ mutavit. 1436
CAP. VI. — Ubi alabastrum sumit, et domum Simonis adit, Maria. 1437
CAP. VII. — Quod a sæculis inaudita obsequia circa pedes Christi fecerit Maria, et quare eam Christus contra Pharisæum defendit. 1438
CAP. VIII. — Ubi Mariæ Christus peccata remittit, et in pace dimittit. 1440
CAP. IX. — Ubi Mariæ cum sociis mulieribus grataniter et sedulo ministravit. 1441
CAP. X. — Ubi Christum Martha hospitio recepit, Christus Mariam philosophantem excusat. 1443
CAP. XI. — Ubi regina cœli supervenit, et beata Marcella ventrem et ubera Virginis matris beatificavit. 1444
CAP. XII. — Ubi peccatricem liberat Christus. 1446
CAP. XIII. — Ubi Lazarus languet et moritur, Christusque mandatur. 1448
CAP. XIV. — Ubi Dominus sibi timentes apostolos arguit, de somno amici disputat, Thomæ devotionem approbat, et Marthæ fidem. 1450
CAP. XV. — Ubi Mariam plorantem videns Salvator, lacrymatus est. 1451
CAP. XVI. — Ubi Christus orat et Lazarum resuscitat. 1453

Digitized by Google

CAP. XVII. — Ubi ad cœnam Martha ministrat, Lazarus accumbit, Maria pedes ungit. 1455
CAP. XVIII. — Ubi Maria Christi caput ungit, Judas fremit, Christus laudat. 1457
CAP. XIX. — Ubi turba Christo occurrit, Christus flevit, esuriit, et quare quotidie Bethaniam rediit. 1459
CAP. XX. — Ubi Christus, postquam cœnavit, proditus vinctusque abducitur : apostoli fugiunt : Petrus negat, Maria Christo adhæret. 1461
CAP. XXI. — Ubi Christus crucifigitur, Maria astante : deponitur et involvitur, Maria præsente. 1463
CAP. XXII. — Ubi Christus sepultus sit, et quando Maria emit aromata. 1465
CAP. XXIII. — Quando sabbatizaverit Christus, qualiter Maria, et de præparatione aromatum, et narratione temporum. 1466
CAP. XXIV. — Ubi Christus resurgit, angelus descendit, Mariæ occurrerunt ad monumentum. 1467
CAP. XXV. — Ubi Maria Petrum et Joannem adduxit; et angelus foris, angelus intus alloquitur. 1469
CAP. XXVI. — Ubi sola Maria Magdalena duos angelos sedentes, et deinde Christum, prima videt. 1471
CAP. XXVII. — Ubi Magdalenam Christus ad apostolos mittit apostolorum. 1474
CAP. XXVIII. — Ubi duo angeli stantes, et Christus secundo apparuit, et de reliquis apparitionibus. 1476
CAP. XXIX. — Recapitulatio : quam grata fuerint Christo obsequia Mariæ, et in præsenti remunerata. 1478
CAP. XXX. — De tribus unguentis, pedum, capitis et corporis. 1480
CAP. XXXI. — De Christi ascensione, astantibus apostolis et Maria. 1482
CAP. XXXII. — De his qui cum Christo ascenderunt et de excellentia Baptistæ Christi Joannis. 1484
CAP. XXXIII. — Qualiter amica Christi ægre tulit absentiam ejus. 1485
CAP. XXXIV. — De Pentecoste et Spiritu sancto, et de vita canonica primitivæ Ecclesiæ; et de contemplatione Mariæ. 1487
CAP. XXXV. — Recapitulatio : quam grata fuerit amica Christi Reginæ cœli sanctisque apostolis. 1489
CAP. XXXVI. — Divisio apostolorum, et viginti quatuor seniorum et amicorum Christi. 1490
CAP. XXXVII. — Qualiter viginti quatuor seniores Gallias et Hispanias sortiti sunt. 1493
CAP. XXXVIII. — Qualiter beata Maria apud Aquensem metropolim, tum prædicationi, tum contemplationi vacaverit. 1494
CAP. XXXIX. — Ubi beata Martha prædicaverit, et de miraculis utriusque sororis. 1493
CAP. XL. — Ubi beata Martha Vienuensem provinciam a Tarasco liberavit. 1497
CAP. XLI. — Qualiter beata Martha apud Tarasconam conversata sit. 1498
CAP XLII. — Ubi beata Martha juvenem Rhodano submersum resuscitavit. 1499
CAP. XLIII. — Ubi beata Martha aquam in vinum convertit, in dedicatione domus suæ. 1500
CAP. XLIV. — Ubi beata Martha Mariam salutat, et præsules exhibet, et sui transitus diem imminere prædicit. 1501
CAP. XLV. — Ubi beata Maria Christum videt; migrat et sepelitur. 1502
CAP. XLVI. — Ubi beata Martha sororis suæ animam in cœlos ferri vidit ab angelis. 1503
CAP. XLVII. — Ubi Christus et Magdalena, ejus amica, apparuerunt beatæ Marthæ. 1503
CAP. XLVIII. — Ubi, et quando, et qualiter, et quibus præsentibus, beata Martha migravit a corpore. 1504
CAP. XLIX. — Ubi, et quando, et qualiter sepulta est a Domino Salvatore, et sancto Frontino antistite, corporaliter tamen absente. 1505
CAP. L. — De transitu et sepultura sancti archipræsulis Maximini. 1506

RABANI EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA. — Ad Regimbaldum chorepiscopum Moguntinum. 1507
EPIST. II. — Ad Heribaldum episcopum Antissiodorensem. 1510
EPIST. III. — Ad Egilem Prumiensem abbatem. 1510
EPIST. IV. — Ad Hincmarum Rhemensem. 1518
EPIST. V. — Ad Notingum. 1550
EPIST. VI. — Ad Heberardum comitem. 1553
EPIST. VII. — Ad Ludovicum Germaniæ regem. 1562
EPIST. VIII. Synodalis ad Hincmarum archiepiscopum Rhemensem. 1562
EPIST. IX. Ad Humbertum episcopum. 1576

GLOSSÆ LATINO BARBARICÆ DE PARTIBUS HUMANI CORPORIS. DE INVENTIONE LINGUARUM. FRAGMENTUM GLOSSARII LATINO-THEOTISCI.

BEATI RABANI MAURI OPERUM ULTIMA PARS. CARMINA.

SECTIO PRIMA. — CARMINA DE DIVERSIS.

I. — Ad Paschalem et Gregorium, pontifices maximos, de laudibus sanctæ crucis. 1585
II. — Ad Gerfridum episcopum. 1584
III. — Oratio Mauri ad Deum. 1585
IV. — Versus ad amicum. 1588
V. — Ad Baturicum episcopum Ratisbonensem. 1588
VI. — Oratio ad Deum. 1591
VII. — Ad præclarum episcopum. 1591
VIII. — Idem ad eumdem. 1593
IX. — Item ad præclarum episcopum. 1593
X. — Idem ad præclarum. 1594
XI. — Ad Fridericum episcopum. 1596
XII. — Ad Otgarium archiepiscopum. 1597
XIII. — Ad Brunwardum chorepiscopum. 1599
XIV. — Ad Rathgarium abbatem suum. 1600
XV. — Ad Elgilum, de libro quem scripsit. 1601
XVI. — Item ad eumdem. 1601
XVII. — Ad Gerbohum presbyterum. 1601
XVIII. — Item ad eumdem. 1602
XIX. — Ad Samuelem presbyterum. 1602
XX. — Item ad eumdem. 1603
XXI. — Item ad Samuelem presbyterum. 1603
XXII. — Ad Samuelem presbyterum. 1603
XXIII. — Item ad eumdem. 1604
XXIV. — Ad Samuelem presbyterum. 1604
XXV. — Ad Samuelem presbyterum. 1604
XXVI. — Ad Isanbertum presbyterum. 1604
XXVII. — Ad exsulem presbyterum. 1604
XXVIII. — Ad Irmingildum. 1605
XXIX. — Ad Bonosum. 1606
XXX. — Item ad eumdem. 1608
XXXI. — De fide catholica rhythmo carmen compositum. 1609
XXXII. — Metrum de transitu monachorum. 1621

Tituli et inscriptiones altarium basilicæ S. Salvatoris Fuldensis.

XXXIII. 1622
XXXIV. — Et in dextro altare iste. 1623
XXXV. — Ad altare sancti Stephani. 1623
XXXVI. — Ad altare sancti Clementis. 1623
XXXVII. — Ad altare sanctæ Agathæ virginis. 1623
XXXVIII. — Ad altare sancti Lucæ evangelistæ. 1623
XXXIX. — Ad altare sancti Marci evangelistæ. 1624
XL. — Ad altare sanctæ Agnetis virginis. 1624
XLI. — Ad altare sancti Benedicti in crypta occidentali. 1624
XLII. — Ad altare sancti Ignatii. 1624
XLIII. — In cœmeterio fratrum in ecclesia Sancti Michaelis, in primo altari. 1624
XLIV. — In sinistro altari. 1625
XLV. — In dextro altari. 1625
XLVI. — In ecclesia sanctæ Mariæ, in monte qui vocatur episcopi, in dextro altari. 1625
XLVII. — In sinistro altari. 1625
XLVIII. — In monte qui vocatur episcopi in turre ecclesiæ sanctæ Mariæ. 1625
XLIX. — In abside ecclesiæ sancti Petri quæ est in monte sita. 1626
L. — Ibidem. 1626
LI. — In dextro altari. 1626
LII. — In sinistro altari. 1626
LIII. — In crypta subtus ad altare primum. 1626
LIV. — Ad altare medium. 1626
LV. — Ad altare tertium. 1626
LVI ad LXI. 1627
LXII. — Exhortatio fratrum ad orationem. 1627
LXIII. — Versus in ecclesia Dei genitricis. 1627
LXIV. — In ecclesia sanctæ Mariæ, quæ in loco qui vocatur Holzkyricha est constructa, juxta introitum ejus hi descripti sunt versus. 1627
LXV. — In sepulcro SS. martyrum qui ibi requiescunt, hi continentur versus. 1628
LXVI. — In primo altari. 1628
LXVII. — In dextro altari. 1628
LXVIII. — In sinistro altari 1628
LXIX. — Ad crucem. 1628

Digitized by Google

LXX. — In crypta. 1628
LXXI. — In capella. 1628
LXXII. 1629
LXXIII. — Versus more litaniæ facti. 1630
LXXIV. — De prudentia. 1632
LXXV. — De justitia et pietate. 1632
LXXVI. — De fortitudine patientiæ. 1632
LXXVII. — De temperantia. 1632

Tituli et inscriptiones ecclesiæ N. ab Otgario et Rabano reliquiis et aliis ornamentis instructæ.

LXXVIII. — Versus in tumulo sancti Sergii. 1633
LXXIX, LXXX. — Super confessionem ipsius sepulcri. 1635
LXXXI. — Super ciborio altaris sancti Martini hi versus sunt conscripti. 1635
LXXXII. — Versus in tabula inter seraphin posita. 1635
LXXXIII. — Versus... 1635
LXXXIV. — In ecclesia sanctæ Mariæ juxta sepulcrum sancti Bonifacii. 1635
LXXXV. — In ecclesia sancti Michaelis. 1636
LXXXVI. — In ecclesia sancti Salvatoris. 1636
LXXXVII. — In ecclesia Vodilhohi. 1637
LXXXVIII. — In capella Mauri. 1637
LXXXIX. — Item in eadem capella de figuris. 1637
XC. — De cruce. 1637
XCI. — Item. 1637
XCII. — In ara Mauri vel in capsa. 1637
XCIII. — De cruce. 1638
XCIV. — Item. 1638
XCV. — Item. 1638
XCVI. — Item. 1638
XCVII. — Item. 1638
XCVIII. — In cruce Gundramni comitis. 1638
XCIX. — De reliquiis in quadam arca positis. 1638
C ad CV. 1639
CVI, CVII. — Versus in sepulcro sancti Ferrutii martyris. 1640
CVIII. — Versus ad sepulcrum sancti Justini confessoris. 1640
CIX. — De capsa quam Isanbertus monachus fecit. 1640
CX. — Versus in theca Evangelii conscripti. 1641
CXI, CXII. — In ecclesia monasterii quod dicitur Clinga hi versus sunt conscripti juxta primum altare. 1641
CXIII. — In secundo altari. 1641
CXIV. — In tertio altari. 1641
CXV. — In quarto altari. 1642
CXVI. — In quinto altari. 1642
CXVII. — In alia ecclesia isti versus. In primo altari. 1642
CXVIII. — In secundo altari. 1642
CXIX. — In tertio altari. 1642
CXX. — In sepulcro sancti Theoduli martyris. 1642
CXXI. — Hi versus scripti sunt in ecclesia sancti. 1644
CXXII. — In abside vero australi, juxta altare S. Petri et Pauli, hi versus continentur. 1645
CXXIII. — Super proximum vero altare, in sinistra parte isti positi sunt. 1645
CXXIV. — Supra dextrum vero altare isti sunt conscripti. 1645
CXXV. — In abside vero aquilonali, juxta aram Dei genitricis, hi versus continentur. 1645
CXXVI. — Cui proximum altare, quod in aquilonali parte constat, hos versus continet. 1645
CXXVII. — In dextra vero parte hi versus super altare scripti sunt. 1646
CXXVIII. — Ad crucem erga altare positam has reliquias continet. 1646
CXXIX. — In abside etiam occidentali ipsius ecclesiæ, juxta altare præcursoris Domini, isti versus scripti sunt. 1646
CXXX. — Ad Fuldam vero ecclesia sanctæ Mariæ, quæ in monte sita est, in crypta orientali has reliquias continet. 1646
CXXXI. — In ecclesia sancti Justini confessoris, isti versus scripti sunt, hoc est in primo altare. 1647
CXXXII. — In aquilonali altare hi. 1647
CXXXIII. — In australi vero isti. 1647
CXXXIV. — Ad crucem isti. 1647
CXXXV. — In ecclesia sancti Philippi. 1647
CXXXVI. — Ad altare in medio ecclesiæ. 1647
CXXXVII. — In dextro altari. 1648
CXXXVIII. — In sinistro altari. 1648
CXXXIX. — In ecclesia sancti Saturnini, in summo altari. 1648
CXL. — In dextro altari. 1648
CXLI. — In sinistro altari. 1648
CXLII. — Ad crucem in medio ecclesiæ. 1648
CXLIII ad CXLVIII. 1649
CXLIX. — Versus isti sunt scripti in ara capellæ. 1650

SECTIO SECUNDA. — HYMNI.

I. — Hymnus de charitate metro sapphico factus pentametro dactylico. 1650
II. — Hymnus de natale Domini. 1651
III. — Hymnus de natale innocentum. 1652
IV. — Hymnus de Epiphania. 1653
V. — Hymnus in Epiphania. 1654
VI. — Item alius. 1654
VII. — Hymnus dicendus in pascha Domini. 1655
VIII. — In ascensione Domini ad vesperum. 1656
IX. — Item in ascensione Domini. 1657
X. — Hymnus in Pentecosten. 1657
XI. — Hymnus de natale Christi. 1658
XII. — Hymnus in purificatione sanctæ Mariæ. 1658
XIII. — Item hymnus in solemnitate sanctæ Mariæ. 1658
XIV. — Hymnus de sancto Michaele archangelo. 1659
XV. — Hymnus de natale Domini. 1659
XVI. — De S. Michaele archangelo. 1659
XVII. — Hymnus de sancto Petro et Paulo. 1660
XVIII. — Hymnus in natale sancti Joannis Baptistæ. 1660
XIX. — In natale apostolorum Petri et Pauli. 1660
XX. — Hymnus in laudem S. Bonifacii martyris. 1661
XXI. — In natale sancti Andreæ apostoli. 1662
XXII. — Hymnus de confessore metro sapphico. 1663
XXIII. — Hymnus de SS. Marcellino et Petro martyribus. 1665
XXIV. — Idem versus de iisdem martyribus. 1664
XXV. — Versus de annuntiatione Mariæ. 1665
XXVI. — Hymnus de charitate. 1666
XXVII. — In festivitate sanctorum omnium. 1668
XXVIII. — In eodem festo. 1668

SECTIO TERTIA. — EPITAPHIA.

I. — Epitaphium Hiltibrati episcopi. 1669
II. — Epitaphium Einhardi. 1669
III. — Epitaphium Lotharii imperatoris. 1669
IV. — Epitaphium Haistulphi archiepiscopi. 1670
V. — Epitaphium Otgarii archiepiscopi. 1670
VI. — Epitaphium Rabani archiepiscopi. 1671
VII. Epitaphium Alcuini. 1671
VIII. — Epitaphium Reginbaldi chorepiscopi. 1672
IX. — Epitaphium Eigili abbatis. 1672
X. — Epitaphium Walachfredi abbatis. 1672
XI. — Epitaphium Adalhardi. 1673
XII. — Epitaphium Isanberti presbyteri et monachi. 1673
XIII. — Ejusdem. 1673
XIV. — Ejusdem. 1673
XV. — Epitaphium Wigfridæ. 1674
XVI. — Epitaphium Irmingardis. 1674
XVII. — Epitaphium Totiui. 1674
XVIII. — Epitaphium Gundramni. 1675
XIX. — Epitaphium Otdrudæ conjugis ejus. 1675
XX. — Epitaphium Ratlaici presbyteri. 1675

DUBIA ET SPURIA.

I. — Alexandri et Fabiani pontificum Romanorum elogium, quod eis Rabanus scripsit postquam illorum reliquias in monasterium et ecclesiam B. Dei genitricis intulit apud Fuldam. 1675
II. — Versus in honorem sanctorum Urbani et Quirini ac Venantii. 1676
III. — Epigraphe SS. Tiburtii, Valeriani et Cæciliæ, lipsanothecis insculpta, quando eorum ossa veneranda in Rathesdorstiensi nunc collegiali ecclesia Fuldensis ditionis Rabanus deposuit 1677
IV. — Tetrasticha inscripta operi quadrilatero quod turris instar Fuldæ Rabanus in basilica Salvatoris sanctorum honori molitus est. 1677
V. — Ad Haistulphum, archiep. Mogontinum, cum illi de Institutione clericorum libros grati officii causa dedicaret. 1677
VI. — De iisdem libris ad Fuldenses monachos, cum parænesi qua illos ad divinarum litterarum studia cohortatur. 1678
VII. — Vetus scriptum de sancta cruce, Rabano forte ascribendum. 1678
VIII. — Inscriptiones ecclesiæ monasterii Hersfeldiensis. 1680

Digitized by Google